BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
12 M
16

42.2.22.

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

CVRSVS THEOLOGICVS,

IN QVO EX OPTIMIS QVIBVSQVE SCHOLASTICIS, PRAECIPVAS MATERIAS, QVAE IN SUMMIS THEOLOGIS, ET IVRE CANONICO TRACTANTVR, ADIECTIS ADMODVM VTILIBVS QVAESTIONIBVS CASPENSIS.

Ordo, Methodus, Compendium, & Praxis.

Cum Indice Materiarum Copiosissimo, & Tractatuum Tabulam Generali, quae Totius Operis Summam Complectitur.

TOMVS PRIMVS.

Ad Theologiae cum Exercitio, Moralem, Studium, & Scholas, & Confessionis, Praxim Accommodatus.

LVGDVNI,
Sumptibus Haeredum Gabrielis Cartier, & Laurentii Arnaud.
M. DC. LXXXIII.
CVM SPECIALIBVS PRIVILEGIIS.

8. 12. M. 16

Digitized by Google

EXCELLENTISSIMÆ DOMINÆ

D. ALOYSIÆ DE PADILLA ET MANRRIQVE,

COMITISSÆ DE ARANDA, VICECOMITISSÆ de Rueda & de Viota in Regno Aragoniæ, Dominæ Tenentiæ de Alcalaten, & Baroniarum de Miſlata, Cortes & Veniloba in Regno Valentino.

LABOREM hunc qualemcumque noſtrum, tutelam vt quæreret, EXCELLENTISSIMA PRINCEPS, non multum ſuſpendit dubitatio ; quem vix adortum, cùm innumera beneficia, quibus Capuccinam hanc noſtram Aragoniæ Prouinciam, & me præſertim obſtrinxiſti, tum eximiæ dotes, quibus Te cœlorum largitas ornauit, admonuerunt, eíque alas indiderunt, vt in protectionis tuæ ſinum conuolaret. Debebit patrocinio tuo vitam, & æternitatem : inueniet ſub tanta Maieſtate reuerentiam apud vulgarem inuidiam, cui cura eſt vigilias calami doctas, vel ex eo quòd in lucem emergant, latratibus & morſibus excipere. Huic me communi periculo prudens exponit audacia. Nam quamuis ingenio tam grauia & difficilia excogitanti anxiè timeam ; dubitare nequeo, quin vel primum libri aditum, quòd tuo nomine inſigniatur, plauſus concelebret, & publico fauori non ex Parentis merito, ſed ex Protegentis auſpicio, integrum opus commendetur. Cùm enim nobilis ingenij tui nobiles liberi, præclari, inquam, libri, quos (ne vel Autoris nobilitas redimeret legentium cenſuram, vel adulatio aliena notam inurendam ſupprimeret) laruato nomine ſparſiſti; Nobilium Doctorúmque mentes in admirationem, linguas in præconia rapuerint, eandem ferè fœlicitatem lucubratio-

Digitized by Google

nibus hiſce licebit augurari,quibus Te fauere mundus aſpiciet,& fauore probaſſe exiſtimabit. Inualuit conſuetudo apud autores, qui ſuos Magnatibus libros dedicant,ea recenſendi, quæ Patronos cohoneſtent,dignóſque effingant, & quorum patrocinium expectatur, & quibus ij ſudores conſecrentur. Antiquam itaque generis nobilitatem euoluunt; virtutes,quibus effloreſcunt,commemorant; generoſum Maiorum ſpiritum enarrant; illuſtres familias cum quibus ſanguinis commercium intercedit,enumerant;ſtrenuos Duces,qui cruoris characteribus ſua poſteritati facinora ſcripſere,collaudant;vt tam nobilis pompa in conſpectum data, volumina ſuo lumine colluſtret: antiquorum ſcilicet hominum inſtar, qui marmoreis columnis ſuas res geſtas inſculpebant, vt ipſarum monumenta vigénſque & frequentiſſima recordatio,vel reluctante temporis obliuione,cum æternitate perennarent. Mihi verò EXCELLENTISSIMA HEROINA, nec tuæ domus celſitudinem oſtendere, nec proſapiæ ſplendorem euulgare,nec ab Hiſpanis Anglicíſque Regibus deriuatum ſanguinem mirari, nec Maiorum triumphos recenſere, nec quantum in Regum obſequio præcelluerint, decorum. ANTELLATI CASTELLÆ titulum virtute ſibi & gladio promerentes, enuntiare, vel animus,vel ſcopus eſt. Verborum enim quantumuis prodigus,exundantem materiam,quæ laxioribus hiſtoriarum marginibus vix ægrè coërcetur, deplere non poſſem. Id vnum tamen dixerim,quod Bernardus Methildi Angliæ Reginæ: *Si de veſtra ſublimitate præſumo, non eſt mirum: non enim ego ſolus ſentio, ſed omnes nouerunt.* Hæc Tibi à Maioribus promanarunt: quæ verò Tu illis reddidiſti, quæ mens, nedum lingua, comprehendet? Plurimi mortalium, immortali Parentum famæ, qua ſe illuſtrari non ignorant (egregiè id tuus liber, quem inſcribis NOBLEZA VIRTVOSA) ſceleribus moleſtis,duplicíque nomine & notione ingratis, in ſuum & Parentum dedecus reſpondent. Horum Tu numerum non augebis: imò talis es, quæ familiæ fulgorem ingemines, & plus de illa benemerearis, quàm reliqui, quos vnum Tibi tempus antepoſuit. Nobilitatem cum virtute connubio iunxiſti amiciſſimo, quas obſtinato diuortio humana malitia ſecreuerat. Timidus quidem in hanc materiam feror, quippe qui laudibus modeſtiæ tuæ patientiam vexari, impatientiam ſolicitari, probè norim. Et verò vel ſecundum caput, quod libro tuo de VERITATIS ELOGIIS inſeruiſti, adeò adulationi cuiuis (à qua penitus & procul abſum)infeſtam exprimit,inimicam expromit, vt vera etiam referre trepidarem, niſi animos faceret Hieronymus in Pſalmi 44. expoſitione *tomo* 3. *epiſtola* 140. quam nobili Matronæ Principiæ deſtinauit. *Scio me, Principia in Chriſto filia, à pleriſque reprehendi, quòd interdum ſcribam ad mulieres, & fragiliorem ſexum maribus præferam: & idcirco debeo obtrectatoribus meis reſpondere.*

Si

Digitized by Google

Si viri de Scripturis quærerent, mulieribus non loquerer. Si Barac ire ad prælium voluiſſet, Debbora deuictis hoſtibus non triumphaſſet. Jeremias carcere clauditur: & quia periturus Iſraël virum non receperat prophetantem, Olda eius mulier ſuſcitatur. Apollo, virum Apoſtolicum, & in lege doctiſſimum, Aquila & Priſcilla erudiunt, & inſtruunt in lege Domini. Illos alloquor, qui obſtupeant & querantur, quòd res tam ſerias, difficultates adeò ſubtiles,quas integrior ſexus ſibi videtur vendicare, fœminæ,quamuis illuſtriſſimæ,deuouerim. Exemplum Hieronymi,Auguſtini, & Thomæ, qui idipſum aliquando præſtiterunt, horum anxietati ſatisfaciat. Hieronymi verò recitata auctoritas (néve plures aliorum referens, prolixior ſim, ne rationes meas exornans adulator videar) bona modoſtiæ tuæ venia, EXCELLENTISSIMA HEROINA, querelis quæ in me incurrent, occurret. Quòd ſi maximus ille Doctor, ſublimi Scripturarum dono dignum virile matronæ ingenium iudicauit, & Deus ipſe, carcere Prophetas prohibente, fœminam in Iſraëlitici populi ſubſidium excitauit, voluítque in Eccleſiæ naſcentis exordio, fœmineis præceptionibus doctos viros inſtitui: nihil mirum (vt cum Hieronymo dicam) ſi viris in muliebrem fortunam degenerantibus,fœminarum tutelam,virorum moribus fulgentium,ad viros aſpirantium,imò viros ſpirantium,erudita volumina depoſcant. Nemo igitur iure librum meum reprehenderit,quòd Te EXCELLENTISSIMA PRINCEPS,Tutinam veneretur, qui animi tui virilitatem, indolis generoſitatem, vitæ integritatem, munificentiam denique pernouerit. In cuius nimirum encomia,elingui voce declamant,tot illuſtria opera, tot ſurgentia templa, tot fabricata cœnobia: vbi Angelorum curis æmula Religioſorum pietas, aſſiduis laudibus cœlum, Eccleſiam ſplendore, orbem doctrina, mores cumulant exemplis. Colit Epila D. Auguſtini domicilium, omnino à Te inſtauratum: alterum Seraphici noſtri Capuccinorum Ordinis erectum: tertium fœminarum Franciſci Parentis mei, ſeſe tradentium obſequio: vbi non minus è diuitiis, & ſtructuræ elegantia, ſuſpendit admiratio, quàm animum è nobilitate & religione Principum matronarum,quæ in hac mortali vita cœlorum ſibi præcoces inſtillari delitias, ad tuarum virtutum conſilium ſe componentes,meruerunt. Numerat Aranda domum aliam noſtram tuis ſumptibus extructam. In Valentino etiam Regno Franciſcanæ familiæ domum addidiſti. In quibus omnibus exornandis,ditandíſque, dignitatis faſtigio, &, quod ſummum eſt, propriæ generoſitati conſuluiſti. Si Templa item ampliſſimæ Tuæ ditionis aſpiciam, vel ornamentis, quæ tua & ancillarum induſtria, mulierem fortem imitata, contexuit, & acu pinxit, vel muneribus, quæ ſine liberalitatis exemplo, Tecum ipſa contendens, obtuliſti; quantum ſacræ ſupellectili pretium accreuit? Cùm igitur geſtorum maieſtate,operúmque

Digitized by Google

tuorum magnitudine, tantam famæ dederis materiam, & Oldæ veſtigia premens, Proceres ad pietatis ſtudium ſtudueris effingere; íd-que non vno, ſed trigeminis editis voluminibus, lacrymas bonorum omnium exprimentium, quòd huius tempeſtatis infœlicitas, virtutem à nobilitate exterminauerit. Cúmque Aquilæ & Priſcillæ moribus aſſonans, in præclariſſimis VERITATIS ELOGIIS, ſolido rationum acumine, graui Scripturarum pondere, idoneo humaniorum literarum ornatu, VERITATEM orbi reſtitueris, & eruditio tua doctiſſimis etiam infrequens, attonitas lectorum mentes nouitate concuſſerit: nemo erit apud quem liber meus non ſe probet, quòd tuam innocet magnanimitatem protegendus. Addo,quòd ius expoſcit offerri Tibi volumen id, quod de Fide, Spe, & Charitate, Chriſtianam perfectionem complectentibus,diſſerit: de Diuini Verbi Redemptione, ruinam noſtram reſarciente, diſceptat: de Sacramentis omnibus, in quibus præſtò nobis, quantumuis ægris, adſunt medicamina, pertractat. Tres enim tui, quos memoraui,libri, tribus virtutibus Theologicis reſpondent, ad Magnatum fouendam perfectionem. Præterea feruens zelus, & incenſa charitas, Redemptricis Te titulo condecorant, qua Chriſti fideles tyrannica Maurorum ſeruitute oppreſſos, libertati reddideris, fœminas in Cœnobium exceptura, viros largis donatura ſubſidiis; vtroſque Redemptori Chriſto, & Redemptrici tibi gratias habere compulſura. Poſtremò cùm VERITAS quartæ tuæ lucubrationis argumentum, tantum Tibi debeat beneficium, mirari nemo poteſt, ſi tenuis iſte labor meus, ſapientiſſimum tuæ nobilitatis ambiat aſylum. Abſoluenda eſt epiſtolæ ſynceritas, quòd vera referat: accuſanda, quòd vix auara narratione facinorum tuorum Veritatem libauerit, cùm Tu VERITATEM ipſam tam prodigo ſis proſecuta præconio. Vale EXCELLENTISSIMA PRINCEPS, & æternum viue.

Veſtræ Excellentiæ

Humillimus in Chriſto ſeruus

Fr. LVDOVICVS à CÆSARAVGVSTA.

AD

Digitized by Google

AD

LECTOREM.

EN, CANDIDE LECTOR, abſque mora in lucem prodit poſterior tomus noſtri Curſus Theologici; eodem ſtylo, nec minori breuitate, ſi multitudinem, varietatem & grauitatem rerum, quæ pertractantur, ſpectes. Exorditur à tribus virtutibus Theologicis, quibus templum Dei, quod, teſte Apoſtolo, nos ſumus, fundatur, erigitur, & perficitur. Prima omnium virtutum Fides ordine naturæ, non perfectionis, fundamentum iacit: eſt enim humanæ ſalutis initium, radix & fundamentum totius ædificij ſpiritualis, in qua omnis ædificatio conſtructa creſcit, *eodem Apoſtolo teſte. Secunda ſpes, quæ columnas & parietes erigit, & qua animus ex humo attollitur, in ſublime erigitur, diuina ſperat, terrena ſuperat, ſupra ſe aſcendit, & incipit ſupra fidei fundamentum ſancta opera meditari. Tertia charitas, quæ perfectio eſt, & culmen totius operis; & ideo à D. Paulo,* vinculum perfectionis, *& à Theologis, regina, & forma virtutum nuncupatur. Differit deinde de ineffabili Incarnationis myſterio, quod idem Paulus vocat* inueſtigabiles diuitias Chriſti, & myſterium abſconditum à ſeculis in Deo. *Opus planè Deo digniſſimum, ac decentiſſimum, quo diuinæ perfectiones ſummopere manifeſtantur, ac ſplendent, & homo ad ſuum finem reducitur, à quo per culpam diabolica fraude deceptus, receſſerat. Luculenter Damaſcenus 3. de Fide cap. 1.* Ad extremum, *inquit*, ſuæ erga hominem beneuolentiæ pelagus oſtendit: ipſe enim conditor, ac Dominus, pro figmento ſuo certamen ſuſcipit, réque ipſa magiſtrum ſe præbet. At quoniam hoſtis iniecta diuinitatis ſpe hominem pellexerat, ipſe viciſſim carnis integumento allicitur, & ineſcatur, ſimúlque & diuinæ bonitatis, & ſapientiæ, & iuſtitiæ, & potentiæ ſpecimen editur. Nam & bonitas hîc elucet, quod figmenti ſui imbecillitatem minimè contempſit, ſed lapſi vicem doluit, eíque manum porrexit: & iuſtitia quòd poſt ſuperatum hominem, victoriam per alterum non extorquet, nec hominem à morte per vim eripit; verùm quem mors iam olim per peccatum ſeruili iugo conſtrictum tenebat, huic bonus ille, ac iuſtus victoriam rurſus conciliauit; quodque perdifficile erat, ſimile per*

Digitized by Google

ſimile liberauit: & ſapientia, quod rei perquam difficili, ac perplexæ congruentiſſimum exitum inuenit. *Poſtremò ſermo inſtituitur de ſeptem Eccleſiæ ſacramentis*; in quibus hauriuntur aquæ gratiæ cum gaudio de fontibus Saluatoris. *Et homo in iniquitatibus conceptus, ab exilio in patriam, è terra in cœlum, à morte in vitam reuocatur: quod per ſacramenta feliciſſimè perficitur. Nam Baptiſmus delèt originalem culpam, primúmque in cœlos iter pandit, Confirmatio gratiam baptiſmalem complet, Euchariſtia fouet, alit charitatem, Pœnitentia culpas eluit Baptiſmum ſubſequentes, Unctio omnes peccati reliquias. Ordo miniſtris confert ſanctitatem, qua officio dignè defungantur, Matrimonium carnis ſtimulos, & concupiſcentiæ incendia reſtringit. Sic fit in homine fons aquæ ſalientis in vitam æternam, quò peruenturum eſt faſtigium fabricæ quam molimur, & cacumen totius ædificij. In gratiam verò Confeſſariorum additi ſunt tractatus de Reſtitutione, & Contractibus. Quibus habes ferè omnia, quæ in ſecundam ſecundæ, & in tertiam partem Doctoris Angelici ab Interpretibus hoc tempore tam diffusè diſputantur, breui compendio complexa; quod certè perexigui laboris non fuit. Nam, vt rectè Seneca,* Magni artificis eſt, clauſiſſe totum in exiguo. *Id enixè curaui, non quia ſapiens eſſem; ſed vt quaſi apis argumentoſa Scholaſticis noſtris deſeruirem. Si quid boni, vel laude dignum in hoc opere inueneris, Deo primùm gratias refer, bonorum omnium fonti vberrimo.* Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. *Deinde Doctoribus ex quibus decerptum, ac collectum fuit. Quod verò minus rectè dictum, minus dilucidè, minus venuſtè ac concinnè, minus etiam verè, hoc fateor eſſe meum, & ex tenuitate ac tarditate ingenij mei. Inſpice quaſo affectum, amice Lector, & pro tua humanitate ignoſce quos repereris defectus. Ut autem verus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ filius, licèt immeritus, me ipſum, & omnia in vtroque tomo contenta ſubijcio pedibus eius, eiuſdem correctioni, ac emendationi, & ſapientum iudicio.* VALE.

AD

AD

AVTOREM OPERE IAM PERFECTO, VT EDITIONEM MATVRET,

EXHORTATORIA EPISTOLA.

AGEBAM ante dies haud ita multos, admodum REVERENDE PATER, cùm tu mihi ſolo nomine, & fama notus eſſes, cum doctiſſimo quodam & magni iudicij viro, de rebus, vt fieri ſolet, profeſſionis ac muneris noſtri, hoc eſt, de re Theologica, de magnis ſcriptoribus huius ævi, qui eam illuſtrarunt, de iis, qui quotidie egregiis lucubrationibus eam illuſtrant, de inexhauſtis huius nobiliſſimæ ſcientiarum omnium Reginæ theſauris, ex quibus cùm ſingulis momentis diuitiæ pretioſiſſimæ hauriantur, nunquam tamen exhauriuntur. Hic ille, qui iam aliqua, imò multa de tuis præclaris ſcriptis, & nobilis ingenij monumentis viderat, multa mihi in illorum laudem & commendationem, verè ac ſeriò, & ſine vlla aſſentationis ſuſpicione, vtpote abſente te, commemorare cœpit. Ex eo iam tempore, vt verum tibi ingenuè fatear, doctiſſime ac Religioſiſſime Pater, ingens me cupido inceſſit, vt fœlix aliqua ſors, aut, vt magis theologicè dicam, propitij Numinis prouidentia opportunitatem mihi daret tua elegantiſſima & luculentiſſima ſcripta videndi; illud mihi omnino perſuadens, magnum me operæpretium ex eorum lectione aſſecuturum. Euenit quod optabam: vidi, legi, perlegi hunc poſteriorem Curſus Theologi tomum; atque ita planè ſentio, omni eſſe laude, omni commendatione maiorem. Quanta, Deus immortalis, in hoc volumine admirari cogitur lector attentus! Quanta in eo, & quàm recondita veterum Eccleſiæ Patrum eruditio! Quàm exacta & profunda difficilium ſacræ Paginæ locorum explicatio! Quàm ad rem de qua agitur eorundem allegatio! Quàm maturum, quàm acre iudicium inter varia Theologorum placita, in ſententia pro ea parte, cui ratio & autoritas adſtipulatur, ferenda! Quanta in refellendo modeſtia! Quanta in confirmando grauitas! Hæc ego dum conſidero, illud mihi in mentem venit, Te in hoc præclaro opere, diſcipulos Theologiæ docere voluiſſe, vt in Theologos euadant: Deum verò Optimum Maximum id effeciſſe, vt non tam diſcipulos quid diſcere debeant, quàm Magiſtros ipſos, qua ratione ſcribere & commentari eos oporteat, docuiſſe meritò videaris. Omnibus numeris abſolutus Magiſter & Doctor, legendo & ſcribendo efficitur. Eleganter Seneca virum doctum inſtruens. *Nec ſcribere tantùm, nec tantùm legere debemus. Altera*

res

res contriſtabit, ac vires exhauriet; altera ſoluet, ac diluet. Inuicem hoc illo commutandum eſt, & alterum altero temperandum, vt quidquid lectione collectum eſt, ſtylus redigat in corpus. Quánam verò id arte ſit agendum, non multis interiectis appoſitiſſimè oſtendit exemplo alimenti. *Alimenta*, inquit, *quæ accepimus, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant, ſtomacho onera ſunt: at cùm ex eo quod erant mutata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Idem in his quibus aluntur ingenia præſtemus, vt quæcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint, ſed concoquamus illa: alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium.* Hoc magni iudicij magnum documentum ad praxim exactiſſimè deductum in tuis ſcriptis, Pater doctiſſime, intuebitur, qui ea attentè peruolutârit: nam Scripturæ diuinæ, & Sanctorum Patrum doctrinam, quæ vera demum, & ſolida Theologia eſt, ita imbibiſti, & quaſi in proprij ingenij proximum alimentum commutaſti; ita eam opportunè vſurpas, & verſas, tanta dexteritate & fœlicitate ad tua placita conformanda deriuas, vt non tam alienis vti, quàm ea in te ipſum conuertiſſe videaris: vt verè dicere liceat, Scripturam & Patres (qui Theologiæ fontes ſunt) plurimis in memoriam, tibi in ingenium abiiſſe: niſi omnino vanè ac temerè tantus Philoſophus iſta diſtinxit. Quare cùm ſperem, doctiſſime Pater, ex tuo iſto Theologico opere, non ſolùm diſcipulos, ſed & Magiſtros ipſos ac Doctores, vtilitatem maximam percepturos; Te quàm enixè poſſum oro & obteſtor, vt non diutiùs doctiſſimorum hominum votis reluctéris, nec Theologorum ſcholis tantam vtilitatem inuideas, nec Theologiam ipſam tam eximiam lucem, tam ingentem ſplendorem, tam egregium ac ſingulare ornamentum, deſiderare patiaris. Vale, ex hoc noſtro Cæſarauguſtano Collegio Societatis IESV, die 23. Iunij 1641.

Admodum Reuerendæ Paternitatis Tuæ

Seruus in Chriſto

PETRVS OIEA,
S. Theologiæ Profeſſor.

Cenſura

Censura Doctoris HIERONYMI YPENZA, *primò almæ Ecclesiæ Turiasonensis Canonici Magistralis, nunc fauore ac præsentatione Catholici & Magni* PHILIPPI IV. *Hispaniarum Regis potentissimi, Cæsaraugustæ in Metropolitana Canonici.*

ILLVSTRISSIMVS Dominus, Dominus Petrus Apaolaza, Archiepiscopus Cæsaraugustanus, huius nostræ Prouinciæ dignissimus Hierarcha, data censura prioris tomi primæ partis, & primæ secundæ, admodum R.P Ludouici à Cæsaraugusta, sacri Ordinis Capuccinorum Definitoris Generalis, post diuturnas Lectoris lucubrationes, & repetita suæ Prouinciæ gubernacula, commisit mihi & hunc posteriorem tomum, qui continet selectiora, & ferè omnia speculatiua, & moralia, quæ in secunda secundæ, & in tertia parte ab Scholasticis disputantur: eadem omnino, & consona est vtriusque tomi laus. Quæ dixi de illo, de hoc etiam dicenda existimo. Insuper hîc addo in vtroque laudans admirandam in difficultatibus enodandis, & doctrina explicanda seriem coordinatam quasi partitam, & connexam; vt vel mediocre ingenium possit omnia facilè apprehendere, profundè intelligere, & firmiter memoriâ discursiuâ retinere. Præterea maximè commendo egregium, prudentem, ac sapientissimum huius Autoris iudicium, tum speculatiuum, tum practicum in opinionum electione. Non hæret peruicaciter huic, vel illi scholæ: huiusmodi enim contumax æmulatio quas turbas dedit? Schola huius Doctoris sola ratio est, verior, aut probabilior doctrina; sæpissimè verò, vt par est, Doctoris Angelici autoritate mouetur, & quando occasio postulat, eius literam & sententiam non malè torquet ad proprium intentum contentiosè pertrahens, sed genuinè interpretatur, atque ex animo pia & sobria propensione sequitur: omnes Religionum Autores tanquam Magistros summopere veneratur, & quantum ex hoc opere coniicio, eos & cuiusque ordinem, & institutum vnicè diligit, flagrans amore veritatis; vt verè dicere possit, ludens verbis & sententia Diui Bernardi in Apologia ad Abbatem Guillelmum: *Vnum Capuccinorum Ordinem opere teneo, cæteros charitate.* Idque huius materiæ aliquæ assertiones satis indicant. Hoc opus nihil continet fidei Christianæ, vel bonis moribus contrarium: imò potiùs multa speculatiua doctè, & eruditè tradita; & morales instructiones praxi maximè congruentes. Quare & Scholis, & Sacerdotum institutioni ac ministeriis vtilissimum fore iudico, si typis mandetur. Cæsaraugustæ Kalendis Iunij anni 1641.

Doctor HIERONYMVS YPENZA.

Imprimatur.

PETRVS Archiepiscopus Cæsaraugustanus.

Locus ✠ sigilli.

Censura

Digitized by Google

Cenſura admodum R. Patris Fratris PETRI MANERO, *in almo Cæſaraugustano Collegio S. Didaci Regularis Obſeruantiæ Lectoris Iubilati, & S. Inquiſitionis Calificatoris.*

IN hoc ſecundo Theologico Curſu nihil adinueni quod poſſim taxare cenſurâ, attingit enim dicendi regulas quas in Conſtantio Arauſicorum Epiſcopo *epiſt.* 19. deſiderauit Ambroſius: *Fulgeat*, inquit, *ſermonum tuorum manifeſtatio, intellectus coruſcet, & eloquium tuum atque tractatus aliena non indigeat aſſertione, ſed ſermo tuus armis ſuis ſeſe ipſe tueatur.* Hoc habent ſanè iſti ſudores eximium, quòd tam lucidi dimanarunt à fonte, quòd aliena non indigeant commentatione; tanta enim limpiditate decurrunt, quòd in ſcholaſtico ſtylo nihil potuit comparere limatius. Præterea illud quod ſemper exiſtimaui difficile in ſcholaſtico negotio, addere ſcilicet nouas paginas poſt ornatiſſima ſcripta excellentium Magiſtrorum, re comprobat Ludouicus vltra Apellis lineas poſſe penicillum tentari. Frequentes audio plurium de recentibus Scholaſticis querimonias. Prodiit liber: ecce cenſores, quòd lubricatior, quòd ſpinoſior, quòd inſolidus, quòd minus denſus, quòd longiſſimus, quòd propria non foueat, oppoſita non deuincat, quòd noua non tentet; ac denique tanta eſt libido carpendi, vt quaſque vigilantiſſimas anxietates placendi, etiam in notiſſimis viris, audeat ex angulo tondere inſtudioſa garrulitas. Quid igitur? Vincenda num eſt criminoſa procliuitas? Sanè ſi hoc cultiſſimo Theologico Curſu non vincuntur calumniatores, reputo penitus inſuperabiles. Voluat faſtidioſus quiſque paginas iſtas: notet breuitatem, claritiem, candorem, diſpoſitionem, oppoſitiones, reſponſiones, iudicium, & clamet in quo offendi poſſit ſcrupuloſiſſima inappetentia. Hæc planè ſunt, quæ in ſtructura librorum approbauit Magnus Baſilius. Nam *epiſt.* 36. ita ſcribit ad Diodorum: *Accepi*, inquit, *libros, & ſummopere delectatus ſum, non ſolùm propter illius breuitatem, vt par erat vſu venire ei, qui iam ad omnia ſeguiter eſt affectus; ſed propterea quòd denſus eſt ſimul, & refertus ſententijs, ac contrariorum obiectiones, & reſponſiones illis ſubiectas non confusè, ſed recto ordine digeſtas habet. Et propterea dictionis inaffectata & incompoſita ſimplicitas decora mihi videbatur, & conueniens profeßioni Chriſtiani hominis, cuius eſt non ad oſtentationem magis ſcribere, quàm ad publicam vtilitatem.* Hæc grata Baſilio, tuctet corroſor. Igitur dignè commendatur hoc opus à ſtylo, quia breuis in materia tam diffuſa, norma enim dicendi eſt plura tractare ſub breui. Vnde bene dixit Nazianzenus *epiſt.* 3. ad Nicobolum: *Laconicè loqui non eſt vt putas, paucas ſyllabas ſcribere, ſed plurimis rebus paucas* Præterea ab electione opinionis redditur opus commendatius; probatiſſimi iudicij eſt ex tot ſyluis opinionum firmiores, & tutiores elegiſſe. Hoc adeò difficile eſt, quod dixerit Ambroſius epiſt. 25. *Hoc eſt conſilium Dei habere, explorare diligenter omnia, & ea quæ meliora ſunt, ſuadere, & quæ tutiora demonſtrare.* Puritatem doctrinæ in Catholica fide ſat probant Autoris notiſſimi mores, rigidum inſtitutum, & longæua canities. O mirum ingenium Auguſtini, qui candorem Theologiæ Theologorum moribus voluit dimetiri. Propoſuerat Auguſtinus plures quæſtiones Theologas *lib.* 2. *de ordine cap.* 17. Et *cap.* 18. inquit: *Ad iſtarum rerum cognitionem nemo aſpirare debet ſine vlla quaſi duplici ſcientia bonæ diſpoſitionis, potentiaque numerorum.* Sed quid eſt ad verſandam Theologiam priùs debere ſapere numeros? An Arithmetica, an Muſica priùs tentanda eſt? An diſcendum garrire priùs melode ciconiæ? An diſcere priùs pulſare in teſtudine chordas? An Rhythmos contexere certos copulando pyrrhichios? Sapere numeros, inquit Auguſtinus *cap* 19. eſt, *cognoſcere ſuam vitam cum turpiſſimo vitiorum ſtrepitu diſſonare, metiri cum veritate motus, & ordinare ſenſus* Habet igitur Lector, doctrinam iſtam commendatam ab Auctore, qui in diſcendis numeris verſatus eſt diſcipulatum, prius, quàm Theologiæ Magiſterium. Opus integrum eſt in doctrina purum, ſententiis denſum, abundum rerum, perenni æſtimatione digniſſimum. Ita ſentio in Collegio Cæſaraugustano ſancti Didaci die 12. menſis Iulij 1641.

Fr. PETRVS MANERO, *Lector S. Theologiæ, & S. Inquiſitionis Calificator.*

APPRO

APPROBATIO CENSORVM.

EX impoſitione R. Patris Fr. Ioannis à Monte-Calerio, totius Ordinis Minorum Capuccinorum S. Franciſci Miniſtri Generalis. Nos infrà ſcripti eiuſdem Ordinis Theologi, poſteriorem Tomum Curſus Theologici in D. Thomam ab admodum Reuerendo Patre Fr. Ludouico Caſpenſi, Cæſarauguſtano, eiuſdem Religionis Definitore Generali elaboratum, oculis luſtrauimus attentis: & ſanè omnium conſulit vtilitati, nec priori labori eſt ſecundus, imò fructuoſior: vt dici poſſit Sol cuius prior labor fuerat Aurora, cùm tantos morales contineat tractatus. Graditur inoffenſo pede, ſacris fidei dogmatibus & moribus haud aduerſus. Quare conteſtamur opus eſſe dignum vt lucem videat, vt multi breuitate & profunditate intelligant. Datum in noſtro Conuentu Cæſarauguſtano die 6. Ianuarij anno 1641.

Fr. FRANCISCVS A VILLAR, *Definitor, & S. Theologiæ Profeſſor.*

Fr. IOSEPH A GRAVS, *Definitor, & S. Theologiæ Profeſſor.*

Fr. FRANCISCVS TVRIASONENSIS, *S. Theologiæ Lector.*

FACVLTAS R. P. GENERALIS.

NOS Frater Ioannes à Monte-Calerio, Miniſter Generalis, licèt immeritus, totius Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci Capuccinorum: Tenore præſentium, licentiam & facultatem concedimus admodum R. P. Fr. Ludouico Cæſarauguſtano, eiuſdem Ordinis noſtri Generali Definitori, vt ſeruatis ſeruandis, librum cuius titulus eſt: *Curſus Theologicus amplectens præcipuas materias, quæ in ſchola tradi & legi ſolent, Tomus poſterior*, à Patribus doctis noſtræ Religionis, quibus id commiſimus, recognitum, & approbatum, typis mandare valeat. In quorum fidem præſentes, manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Officij noſtri munitas, damus Anconæ die 24. Martij 1641.

Fr. IOANNES, *Miniſter Generalis.*

Locus ✠ ſigilli.

APPROBATIO.

IOANNES CLAVDIVS DE VILLE, in ſacra Theologia Magiſter, in Eccleſia ſanctæ Crucis Cuſtos,& D.D.Alphonſi du Pleſſis de Richelieu, Eminentiſſimi Cardinalis, ac Reuerendiſſimi Archiepiſcopi Lugdunenſis, Vicarius Generalis Subſtitutus fidem facimus, viſum à nobis Librum, qui inſcribitur *R.P. Fr. Ludouici Caſpenſis, Curſus Theologicus*, nihílque in eo ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ fidei, Sanctorúmque Patrum ſana doctrina alienum contineri, Lugduni die 20. Iulij 1640.

DE VILLE, *Vic.Gen.Subſt.*

PERMISSIO.

REVERENDI P. F. LVDOVICI CASPENSIS Curſum Theologicum typis mandari & in lucem edi hac in vrbe ſumptibus Laurentij Aniſſon, Bibliopolæ Lugdunenſis, Ego Regis in Præfectura Lugdunenſi Procurator non impedio, die 24. Iulij 1640.

PVGET.

CONSENSVS.

VISO Procuratoris Regis conſenſu hunc Librum typis mandari Laurentio Aniſſon concedimus, & ne quis vltra conceſſam facultatem denuo excudat prohibemus, Lugduni die 24. Iulij 1640.

SEVE.

INDEX

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, & Sectionum, quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

TRACTATVS XV.

De Fide.

DISPVTATIO I.

De obiecto Fidei.

SECT. 1. QVODNAM ſit obiectum materiale fidei. *pag.* 1

2. Quodnam ſit obiectum formale diuinæ fidei. 3

3. Quodnam ſit illud in quod vltimò fit reſolutio noſtræ fidei. 5

4. An ſola propoſitio rei credendæ, vel etiam humana fides, ſit neceſſaria, vt quis credat fide diuina. 7

5. An non viſum ſit ratio formalis obiecti fidei. 8

6. An ex altera præmiſſa fidei, & altera naturali euidenti, inferatur aſſenſus fidei. 10

7. An Deus per ſe, vel per alium poſſit mentiri, aut teſtari falſum. 12

8. An fidei poſſit ſubeſſe falſum. 14

9. An res fidei ſint euidenter credibiles. 15

10. An eadem res poſſit ſimul eſſe credita, & euidenter cognita. 17

11. An ad credendum requiratur euidens iudicium credibilitatis obiecti. 19

12. An credibilia ſint per certos articulos diſtinguenda. 20

13. An articuli fidei ſecundùm temporis ſucceſſionem creuerint. 21

14. An conuenienter numerentur articuli fidei. 22

DISPVTATIO II.

De regulis quibus fidei obiectum infallibiliter proponitur.

SECT. 1. An ſacra Scriptura ſit regula fidei. 23

2. An traditio ſit infallibilis regula fidei. 25

3. An ſit, & quid ſit Eccleſia, & ex quibus partibus conſtet. 26

4. Quibus ſignis, & notis poſſit cognoſci vera Eccleſia. 28

5. An vera Chriſti Eccleſia ſit illa ſola, quæ ſub obedientia Pontificis Romani fidem profitetur. 31

6. An Summus Pontifex in tradenda fidei, & morum doctrina poſſit errare. 33

7. An Concilia poſſint errare in rebus fidei definiendis. 35

8. An ſit de fide, Pontificem non poſſe errare in canonizatione, & beatificatione Sanctorum. 37

DISPVTATIO III.

De actu Fidei.

SECT. 1. An actus credendi pendeat ab affectu voluntatis. 38

2. An actus credendi poſſit inhoneſtè fieri. 41

3. An fides ſit certior quauis alia cognitione naturali. 42

4. An fides omni tempore fuerit neceſſaria ad ſalutem, & iuſtificationem. ibid.

5. Quorum myſteriorũ debeat quis actualem fidem habere ex neceſſitate medij. 43

6. Quorum myſteriorum teneatur vnuſquiſque habere fidem ex neceſſitate præcepti. 45

7. An ſit præceptum de externa fidei confeſſione, & quando obliget. 48

DISPVTATIO IV.

De habitu Fidei.

SECT. 1. Qualis ſit habitus diuinæ fidei. 52

2. An charitas ſit forma fidei. 55

3. De ſubiecto fidei. 56

DISPVTATIO V.

De Hæresi.

Sect. 1. Quid sit infidelitas. 57
2. Quid sit hæresis. 59
3. An cum ignorantia vincibili, vel etiã affectata, possit esse peccatum hæresis. ibid.
4. An dubius in fide sit hæreticus. 61
5. An sit obligatio denuntiãdi hæreticos. 62
6. Qui possint ab hæresi absoluere. 64

DISPVTATIO VI.

De Blasphemia.

Sect. 1. Quid sit blasphemia, & quale peccatum. ibid.
2. Quotuplex sit blasphemia. 65
3. De quibusdam propositionibus de quibus dubitant Doctores, an sint blasphemiæ. 67

TRACTATVS XVI.

De Spe.

DISPVTATIO I.

De obiecto spei.

Sect. 1. QVidnam sit obiectum materiale spei. 69
2. Quid sit obiectum formale spei. 70
3. An vera spe possimus alterari sperare beatitudinem. 72
4. An operari intuitu æternæ retributionis sit actus spei honestus. 73
5. An spes nostra sit certa. ibid.
6. Quem ordinem seruet spes cum aliis virtutibus Theologicis. 75
7. An spes sit in voluntate tanquam in subiecto. 76
8. Quandiu duret habitus spei, & per quid corrumpatur. 77
9. An in Christo, & in beatis sit spes. 79

DISPVTATIO II.

De dono timoris.

Sect. 1. Quodnam sit obiectũ timoris. ibid.
2. An timor mundanus semper sit malus. 82
3. An amor seruilis sit honestus. 83
4. An timor initialis differat specie, & secundùm substantiam à filiali. 84
5. An extet aliquod præceptum de spe, & timore. 85

DISPVTATIO III.

De desperatione, & præsumptione.

Sect. 1. Cuius potentiæ actus sit desperatio. 86
2. An qui ex reuelatione nouit suam damnationem, peccet desperando. 88
3. Quid sit præsumptio, & quale peccatum. 89

TRACTATVS XVII.

De Charitate.

DISPVTATIO I.

De Charitate secundùm se.

Sect. 1. QVodnam sit obiectum formale charitatis. 90
2. An charitas sit propriè hominis amicitia erga Deum. 92
3. An charitas sit vna specialis virtus. 93
4. An charitas sit excellentissima virtutum. 94
5. An & quomodo charitas sit forma virtutum. 95

DISPVTATIO II.

De habitu charitatis.

Sect. 1. An charitas à Deo efficiatur in nobis per infusionem. 97
2. An præter dilectionem Dei supernaturalem sit alia naturalis dilectio Dei vt autor naturæ. 98
3. An & per quos actus charitas augeatur. 100
4. An habitus gratiæ & charitatis crescant solùm per actus ipsis intensiores. An verò etiam per actus sibi æquales. 102
5. An habitus gratiæ & charitatis augeantur per actus remissiores, aut per continuationem eiusdem actus 105
6. Quando conferatur iustis augmentum gratiæ & charitatis, quod merentur per actus remissos. 109
7. An augmentum charitatis & gloriæ, crescant ex inæqualitate operum, quæ imperantur à charitate. 110
8. An charitas possit augeri in infinitum. 114
9. An & qua ratione charitas in hac vita possit esse perfecta. 115
10. An & qua ratione charitas possit corrumpi, aut minui. 117

DISPVTATIO III.

De obiectis, & ordine charitatis.

Sect. 1. Quodnam sit obiectum materiale charitatis. 120
2. An & qua ratione sint diligendi inimici. 121

3. An

3. An in charitate seruandus sit aliquis ordo. 123
4. An Deus sit magis diligendus, quàm proximus. 124
5. An homo teneatur ex charitate plus diligere Deum, quàm seipsum. 126
6. De ordine charitatis seruando circa alia obiecta creata. 127

DISPVTATIO IV.

De actibus, & præcepto charitatis.

Sect. 1. Quid sit actus charitatis, & an sine habitu inhærenti elici possit cum solo auxilio externo. 128
2. Explicantur alij actus, & effectus charitatis. 131
3. De præcepto charitatis, & quo tempore obliget. 132

DISPVTATIO V.

De Eleemosyna.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit eleemosyna, ac de eius effectibus. 134
2. An & quando obliget præceptum eleemosynæ. 135
3. Qui possunt facere eleemosynam, & ex quibus bonis sit facienda. 138

DISPVTATIO VI.

De correctione fraterna.

Sect. 1. Quid sit correctio, & cuius virtutis actus. 139
2. An ordo correctionis fraternæ à Christo Domino præscriptus Matth. 18. cadat sub præcepto. 142
3. An in religionibus sit licitum reuelare Prælato peccatum occultum fratris, non præmissa correctione. 143
4. An in aliquibus criminibus licitum sit immediatè deferre superiori vt iudici, peccatum occultum fratris. 147

DISPVTATIO VII.

De bello, rixa, & duello.

Sect. 1. Quid sit bellũ, & an licitum sit. 149
2. Quid sit rixa, quidve duellum, & an hoc licitum sit. 153

DISPVTATIO VIII.

De scandalo.

Sect. 1. Quid sit scandalum, & quotuplex. 156
2. An opus consilij, vel præcepti omitti debeat ad vitandum scandalum. 158

TRACTATVS XVIII.

De Restitutione.

DISPVTATIO I.

De Restitutione in communi.

Sect. 1. QVid sit restitutio, & cuius virtutis actus. 161
2. An restitutio sit necessaria ad salutem, & an ex præcepto affirmatiuo, vel negatiuo. 163
3. De radicibus obligationis restituendi. 164
4. Qualis obligatio restituendi oriatur ex re accepta. 165
5. An res aliena reddi possit illi à quo bona fide accepta est, an verò necessariò sit domino restituenda. 167
6. An ad obligationem restituendi ob iniustam acceptionem necessaria sit culpa iniustitiæ mortalis. 169
7. De obligatione restituendi, quæ oritur ex contractu. 171
8. Quando teneantur ad restitutionem, qui ex periculo vt res propriæ conseruentur, negligunt alienas, quas debebant restituere. 173
9. Quomodo qui non acceperunt teneantur ad restitutionem. 174
§. 1. Quando teneantur ad restitutionem causæ cùm non impediunt aliorum damna cùm deberent. 175
§. 2. Quando morales causæ teneantur ad restitutionem damnorum. 176
§. 3. Quando teneantur ad restitutionem causæ quæ physicè cooperantur ad nocumenta aliorum. 177
10. Quando ad restitutionem teneantur, qui alios impediunt ne assequantur bona, quæ alioqui assequerentur. 178
11. Quid & cui sit restituendum. 180
12. Quo tempore, quo ordine, & quibus expensis facienda sit restitutio. 181
§. *Vnic.* Quibus expensis debeat fieri restitutio. 183
13. De causis excusantibus à restitutione. 184
14. De aliis quatuor causis excusantibus à restitutione. 186

DISPVTATIO II.

De restitutione ex acceptione personarum.

Sect. 1. Quid sit acceptio personarum, & ad quam virtutem pertineat. 188
2. Quando sit peccatum acceptionis personarum in collatione beneficij Ecclesiastici. 190

Index Tractatuum,

3. An ex peccato acceptionis personarum oriatur obligatio restituendi. 192

DISPVTATIO III.

De restitutione ex homicidio.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit dominium, & quomodo acquiratur. 193
2. An homo habeat dominium suæ vitæ, & membrorum. 194
3. An liceat alium occidere. 195
4. An pro defensione vitæ liceat alterum occidere. 196
5. An in aliquo casu liceat occidere innocentem. 198
6. Quanta debeatur restitutio pro homicidio. 199
7. Quibus personis fieri debeat restitutio, quæ debetur ex homicidio. 200

DISPVTATIO IV.

De obligatione restitutionis ex stupro, & adulterio.

Sect. 1. Quid & quando sit restituendum ratione stupri. 201
2. Quid sit restituendũ ratione adulterij. 203

DISPVTATIO V.

De obligatione restituendi ex furto, & rapina.

Sect. 1. Qua ratione acquiri possit dominium alterius hominis. 204
2. Quibus modis acquiratur dominium rerum exteriorum. 206
3. An clerici habeant aliquorum bonorum dominium. 207
4. Quid sit furtum, & quæ quantitas ad peccatum mortale sufficiat. 208
5. An ex minimis furtis nascatur peccatum mortale cum obligatione restitutionis. 209
6. An in extrema, vel vrgenti necessitate, sit licitum aliena surripere. 210
7. Quando peccent filij à parentibus accipiendo. 211
8. Quando mortaliter peccet vxor ex bonis mariti capiendo, & disponendo. 213
9. Quomodo obligẽtur cooperãtes ad furtũ quãdo quilibet seorsum paruum damnum facit, omnes tamen magnum. 218

DISPVTATIO VI.

De restitutione ex venatione, piscatione, & aucupio.

Sect. 1. Quomodo acquiratur dominium in res animatas. 215
2. An Principes licitè possint prohibere venationem, & piscationem. ibid.
3. An fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit vulnerãtis, vel capientis. 216

DISPVTATIO VII.

De restitutione ex incertis debitis, & inuentis.

Sect. 1. An debita incerta debeant restitui pauperibus. 217
2. Quomodo acquiratur dominium in thesauros. 218
3. Quæ dicantur haberi pro derelictis. 219

DISPVTATIO VIII.

De restitutione ex turpi lucro, ludo, & vectigalibus.

Sect. 1. An meretrix teneatur restituere, quod ex meretricio accepit. 220
2. An quæ dantur ob maleficium patrandum sint restituenda. ibid.
3. An per ludos lege prohibitos transferatur dominium, itavt non sit obligatio restituendi. 222
4. An fraudantes tributa, aut vectigalia peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem. 224

DISPVTATIO IX.

De restitutione rerum spiritualium.

Sect. 1. An qui induxit alium ad peccandum, teneatur restituere. 225
2. An impediens alium ab ingressu Religionis, vel extrahens illum à Religione, teneatur aliquid restituere. 226

DISPVTATIO X.

De restitutione famæ.

Sect. 1. An homo sit dominus suæ famæ. 227
2. Quid sint detractio, & contumelia, & quodnam peccatum ex suo genere. ibid.
3. Quomodo peccet audiens detractorem, & qui refert detractionem auditam. 229
4. An in aliquo euentu possit quis sibi falsum crimen imponere. 230
5. Quando, & quomodo fama sit restituenda sub obligatione, & quando cesset talis obligatio. 231
6. Quando iudicium temerarium de peccato alterius, vel dubitatio, vel suspicio sit peccatum. 233

TRACTA

TRACTATVS XIX.

De Contractibus.

DISPVTATIO I.

De Contractibus in genere.

Sect. 1. QVid & quotuplex sit contractus. 234
2. An omnis contractus pariat obligationem in foro interno, & externo. 236
3. An contractus errore, aut dolo celebratus, validus sit. 238
4. An contractus cui metus iniustè illatus causam dedit, sit validus. 240
5. An contractus, vel quasi contractus celebratus sine solemnitatibus, & forma iuris sit validus. 242

DISPVTATIO II.

De promissione & donatione.

Sect. 1. Quid sit promissio, & quas conditiones requirat. ibid.
2. Quid sit donatio, & quando fiat validè, vel invalidè. 244

DISPVTATIO III.

De mutuo, & vsura.

Sect. 1. Quid sit mutuum, quid & quotuplex vsura, & quo iure prohibita. 248
2. An pro obligatione non repetendi mutuum pro aliquo tempore determinato, possit mutuans aliquid exigere vltra sortem. 251
3. An mutuans possit licitè obligare mutuatarium vt tantumdem sibi remutuet, vel aliam quantitatem. 252
4. An liceat citra vsuram mutuanti obligare mutuatarium ad faciendum ea, quæ alias erat facturus. 253
5. An possit mutuans citra vsuram obligare mutuatarium vt reddat tantumdem in quantitate formali & materiali in omni euentu, nulla habita ratione valoris. 254
6. An sit licitum citra vsuram mutuare triticum, aut aliquid aliud, cum pacto, vt restituatur in eadem mensura, etiamsi pretium eius tempore restitutionis creuerit. 256
7. An mutuans ratione periculi rei mutuatæ in se suscepti illam assecurando, possit aliquid vltra sortem citra vsuram accipere. 258
8. An sit vsura mutuare cum pacto, vt teneatur mutuatarius accipere partem mutui in mercibus, aut in debito, aut in alio loco. ibid.
9. An sit vsura fructus pignoris pro mutuo dati vltra sortem accipere. 259
10. An ratione lucri cessantis, liceat aliquid exigere vltra sortem mutui. 261
11. An mutuans possit aliquid accipere vltra sortem citra vsuram ratione damni emergentis. 262
12. An vsurarius teneatur ad restitutionem. 263
13. An liceat pecuniam mutuo petere sub vsuris à parato illas exercere. 265

DISPVTATIO IV.

De emptione & venditione.

Sect. 1. Quid sit emptio & venditio. 266
2. Quodnam sit iustum pretium rerum venalium. 267
3. An tempore magnæ sterilitatis & inopiæ seruanda sit lex, seu pragmatica frumenti, vel licitum sit vendere illud secũdum cõmunem æstimationem. 269
4. An aliquando liceat vendere pluris rem quàm valeat, aut emere minoris. 270
5. An lædens intra dimidium iusti pretij peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem. 271
6. An sit licitum res carius vendere credito, quàm valent numerata pecunia. 272
7. An sit licitum emere res anticipata solutione minori pretio, quàm sint valituræ tempore traditionis. 273
8. An sit licita emptio, vel venditio rei cum pacto de retrouendendo. 274
9. An qui scit rem breui minus valituram possit vendere pretio currenti. 275
10. An vendens teneatur manifestare vitium rei quam vendit. 276
11. An periculum rei venditæ & non traditæ pertineat ad emptorem. 277
12. Quando res insolidum sub interuallo duobus fuit vẽdita, vtri debeatur. 279
13. An officia secularia possint vendi. 280
14. An venditio rei alienæ sit valida, & an venditor possit pretium rei alienæ retinere. 281
15. An monopolia sint licita. ibid.
16. Quid sit negotiatio, & quibus prohibita. 283

DISPVTATIO V.

De Censibus.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit census. 284
2. An emptio census licita sit. 285
3. An iure naturæ emptio census personalis sit licita. 286
4. An emptio census perpetui irredimibilis minori

minori pretio facta, quàm sint pensiones speratæ, licita sit. 287
5. An census, qui ad certum, vel incertum tempus constitutus est, sit licitus minori pretio, quàm sit quantitas pensionum, quæ ex eo soluendæ sunt. ibid.
6. Quæ conditiones ex natura rei requirantur ad censum licitum, & quódnam sit iustum pretium illius. 288
7. Quæ conditiones ex Bulla Pij V. requirantur in emptione censuum. 289

DISPVTATIO VI.

De Cambijs.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit cãbium. 291
2. An in cambio minuto liceat aliquid accipere supra valorem numi lege diffinitum. 292
3. An in cambio locali, seu per literas, quando campsor prior accipit vt alibi restituat, possit alicui lucrari. 293
4. An quando in cambio locali, seu per literas campsor dat prior vt alibi accipiat, possit lucrari. 294
5. An cambium sit licitum cum pro campsario respõdet procurator campsoris, nõ de propriis, vel alienis pecuniis, sed cum pecuniis ipsius campsoris. ibid.
6. An dictæ continuationes, seu recambia sint licita ratione tantùm lucri cessantis, vel damni emergentis. 296
7. An sit licitum campsoribus non acceptare solutionem sortis, nisi simul soluantur cambiorum detrimenta. ibid.
8. An prouisiones quas campsores & bancarij solent accipere, licitè accipiantur. 297
9. De conditionibus quas requirit Pius V. in sua Bulla de Cambiis, & an omnes obligent. 298
10. An posset quis dare alicui mercatori magnam summam pecuniarum cum pacto vt pro tali pecunia accipiat ab ipso mercatore in fine anni, v.g. quinque, vel sex pro centenario. 299
11. An sit licitus contractus per quem saluo & securo capitali accipitur annuatim aliquod certum lucrum. 301

TRACTATVS XX.

De Incarnatione.

DISPVTATIO I.

De conuenientia Incarnationis.

Sect. 1. AN Diuini Verbi Incarnatio fuerit possibilis. 302
2. An lumine naturali potuerit euidenter, vel probabiliter cognosci possibilitas Incarnationis. 304
3. An conueniens fuerit Deum incarnari. 306
4. An necessarium fuerit Deum incarnari. 307
5. An purus homo in gratia constitutus potuerit Deo satisfacere ad æqualitatem pro peccatis generis humani. 310
6. An purus homo cum gratiæ auxiliis possit pro suo peccato satisfacere. 311
7. An Christi satisfactio fuerit cõdigna. 314
8. An Christus de perfecta iustitia satisfecerit. 317
9. An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset. 320
10. An Christi incarnatio principaliter facta fuerit ad delendum peccatum originale. 322

DISPVTATIO II.

De modo vnionis Verbi incarnati.

Sect. 1. An vnio Verbi incarnati facta sit in natura. 323
2. An vnio Verbi incarnati facta sit in persona. 324
3. An post Incarnationem persona Christi sit verè composita. 325
4. Quid sit terminus actionis vnitiuæ, quæ est incarnatio. 326
5. An per actionem vnitiuam naturæ humanæ cum Verbo, producatur aliquid diuersum ab ipsa, & à Verbo simul sumptis. 327
6. An vnio hypostatica sit modus substantialis supernaturalis & vnitiuus. 329
7. An Christus suam Incarnationem meruerit. 331
8. An sancti Patres qui antecesserunt Incarnationem, eam meruerint. 333
9. An beata Virgo meruerit esse mater Dei. ibid.

DISPVTATIO III.

De persona assumente.

Sect. 1. An persona creata possit terminare alienam naturam. 336
2. An Verbum terminet naturã humanam ratione alicuius absoluti, an verò solum ratione relatiuæ proprietatis. 337
3. An abstractis per intellectum proprietatibus relatiuis, possit diuina natura, naturam humanam terminare. ibid.
4. An plures personæ simul possint assumere eamdem numero naturam, vel vna persona plures naturas. 339

DISPV

Disputationum, & Sectionum.

DISPVTATIO IV.

De humanitate assumpta.

SECT. 1. An quælibet natura possit assumi. 339
2. An natura existens in propria personalitate sit assumptibilis à Deo. 340
3. An Verbum diuinum prius assumpserit humanam naturam, quam eius partes, vel è contra. ibid.
4. An Verbum diuinum hypostaticè vnierit sibi sanguinem. 341

DISPVTATIO V.

De gratia Christi.

SECT. 1. An gratia habitualis fuerit in Christo necessaria ad effectum sanctificationis. 342
2. An gratia Christi sit infinita. 345
3. An gratia habitualis Christi potuerit augeri. 346
4. An Christus ab instanti suæ conceptionis ornatus fuerit omnibus virtutibus moralibus, tam per se infusis, quàm natura sua acquisitis. 348
5. An in Christo fuerint fides, & spes. 349
6. An in Christo fuerint dona Spiritus sancti. ibid.
7. An in Christo fuerint omnes gratiæ gratis datæ. 350
8. An Christus sit caput omnium hominum. 351
9. An Christus sit caput Angelorum, & quid influat in eos. 352

DISPVTATIO VI.

De scientia Christi.

SECT. 1. An Christus potuerit intelligere per scientiam increatam. 353
2. An Christus in verbo cognouerit omnia possibilia. 354
3. An Christus videat in verbo omnia, quæ Deus cognoscit scientia visionis. 355
4. An Christus per scientiam infusam omnia sciat. 357
5. An Christus per proprios actus acquisierit scientiam naturalem, an verò per infusionem receperit. 359

DISPVTATIO VII.

De potentia Christi.

SECT. 1. An potestas faciendi miracula in Christo fuerit vnio hypostatica. 360
2. An potestas faciendi miracula, & conferendi gratiam quam habuit Christus, fuerit physica, an moralis. 361

DISPVTATIO VIII.

De defectibus tam corporis, quàm animæ assumptis à filio Dei.

SECT. 1. An filius Dei in humana natura debuerit assumere corporis defectus. 363
2. An animæ passiones fuerint in Christo. 364
3. An in Christo fuerit, vel potuerit esse peccatum. 365

DISPVTATIO IX.

De communicatione idiomatum.

SECT. 1. Quid sit communicatio idiomatum. 367
2. Soluuntur nonnullæ difficultates circa modum loquēdi de hoc mysterio. 368

DISPVTATIO X.

De merito Christi.

SECT. 1. An Christus verè & propriè meruerit. 369
2. Per quos actus Christus meruerit. 371
3. De his quæ Christus sibi de facto promeruit. 372
4. De his quæ Christus nobis promeritus est. ibid.

DISPVTATIO XI.

De seruitute Christi.

SECT. VNIC. An Christus secundùm humanitatem sit propriè Dei seruus. 373

DISPVTATIO XII.

De oratione Christi.

SECT. VNIC. An omnis oratio Christi fuerit exaudita, & an nunc in cœlo pro nobis oret. 374

DISPVTATIO XIII.

De Sacerdotio Christi.

SECT. VNIC. An Christus sit verè & propriè Sacerdos. 375

DISPVTATIO XIV.

De adoptione.

SECT. VNIC. An Christus in quantum homo sit filius Dei naturalis, an adoptiuus. 377

DISPVTATIO XV.

De adoratione Christi.

SECT. 1. Quid & quotuplex sit adoratio. 379

2. An

2. An Deus sit adorandus, & qua adoratione. 380
3. An Christus in quantum homo sit adorandus suprema adoratione latriæ. 381
4. Quomodo beata Virgo sit adoranda. 382
5. An Sanctis debeatur adoratio. 383
6. An imagines sint adorandæ eadem adoratione qua Prototypum. 384
7. An Crux sit adoranda, & qua adoratione. 386
8. An reliquiæ Sanctorũ sint adorandæ. 387

TRACTATVS XXI.

De Sacramentis in genere.

DISPVTATIO I.

De natura & essentia Sacramenti.

Sect. 1. NOminis Sacramenti explicatio. 389
2. An Sacramentũ sit signum rei sacræ. 390
3. An significare perfectam sanctitatem internam, sit tantùm de ratione Sacramenti. 391
4. Quid sit Sacramentum. 392
5. Quomodo res & verba concurrant ad sacramenta. ibid.
6. De determinatione materiæ & formæ Sacramentorum. 395
7 De mutationibus quæ fieri possunt circa materiã & formã Sacramentorum 396
8. An quòd mutatio sit accidẽtalis aliquando pendeat ex intentione ministri. 391

DISPVTATIO II.

De necessitate Sacramentorum.

Sect. 1. De necessitate Sacramentorum post peccatum originale. 393
2. De statu innocentiæ an in eo fuerint necessaria sacramenta. 394

DISPVTATIO III.

De principali effectu Sacramentorum, qui est gratia.

Sect. 1. An sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato. 396
2. Quæ & qualis sit gratia quam sacramenta causant. 398
3. An sacramenta sint causæ physicæ gratiæ, vel tantùm morales. 399

DISPVTATIO IV.

De alio effectu Sacramentorum, qui est character.

Sect. 1. Quid sit character. 403
2. An character insit animæ indelebiliter, & quæ sacramenta imprimant characterem. 405

DISPVTATIO V.

De causa Sacramentorum.

Sect. 1. An Christus per seipsum immediatè omnia sacramenta instituerit. 406
2. An per malos ministros sacramenta conferri possint. 408
3. An in peccato mortali conferens sacramenta, peccet mortaliter. 409
4. An liceat petere, & suscipere Sacramentum à malis ministris. 410
5. An liceat petere Sacramentum à Ministro illaqueato aliqua censura Ecclesiastica. 412
6. Quæ intentio requiratur in Ministro ad perfectionem Sacramenti. ibid.
7. Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti. 415
8. An præfata intentio debeat esse absoluta, an sufficiat quòd sit conditionata. 416

DISPVTATIO VI.

De suscipiente Sacramenta.

Sect. 1. Quæ intentio requiratur in suscipiente. ibid.
2. An sacramenta recedente fictione suum producant effectum. 417
3. An indignè petenti sacramenta possint administrari. 418

DISPVTATIO VII.

De numero Sacramentorum.

Sect. Vnic. An sint septem Ecclesiæ sacramenta. 418

TRACTATVS XXII.

De Eucharistiæ Sacramento.

DISPVTATIO I.

De Sacramento Eucharistiæ secundùm se.

Sect. 1. An Eucharistia sit Sacramentum. 420
2. In quibus essentia sacramenti Eucharistiæ intrinsecè consistat. 421
3. Proponuntur & dissoluuntur obiectiones contra præcedentẽ conclusionem. 423
4. An hoc Sacramentum sit vnum, vel plura. 424
5. An Eucharistia in re, vel in voto suscepta sit alicui necessaria ad salutem. 426

DISPV

Digitized by Goog

Disputationum, & Sectionum.

DISPVTATIO II.

De materia remota ſacramenti Euchariſtiæ.

Sect. 1. Qualis debeat eſſe panis conſecrandus. 428
2. An hoc Sacramentum debeat confici in pane azymo. 429
3. An ſolum vinum vitis ſit propria materia huius Sacramenti. 430
4. An permixtio aquæ in Calicis cõſecratione ſit neceſſaria, & qua neceſſitate. 431
5. An aqua immediatè conuertatur in ſanguinem Chriſti. ibid.
6. An materia conſecranda debeat eſſe præſens. 432
7. An materia conſecranda debeat eſſe determinata ex intentione Miniſtri. 433
8. De magnitudine & paruitate materiæ conſecrandæ. 434
9. An vna ſpecies poſſit conſecrari ſine altera. 435

DISPVTATIO III.

De præſentia Chriſti Domini in hoc Sacramento.

Sect. 1. An Chriſtus ſit præſens ſecundùm veritatẽ in ſacramẽto Euchariſtiæ. 436
2. Per quid formaliter Chriſtus ſit præſens in hoc Sacramento. 438
3. An Chriſtus habeat vnionem ad ſpecies. 439
4. An præſentia ſacramentalis corporis Chriſti differat à naturali, & ab ea dependeat. 440

DISPVTATIO IV.

De tranſubſtantiatione, ſeu de conuerſione panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti.

Sect. 1. Quid ſit tranſubſtantiatio, & quæ requirantur, vt vnum in aliud conuertatur. 441
2. An ſub ſpeciebus conſecratis maneant ſubſtantiæ panis & vini. 443
3. In quo conſiſtat formaliter tranſubſtantiatio. 444
4. An ſubſtantia panis & vini per conſecrationem deſinentes, annihilentur. 449
5. An quælibet res poſſit diuinitus in aliam conuerti. 451

DISPVTATIO V.

De modo quo Chriſtus eſt in Euchariſtia.

Sect. 1. Quid ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, & per concomitantiam. 453
2. Quid ſignificetur per ly *corpus* in verbis conſecrationis. 455
3. An Chriſtus exiſtens in Euchariſtia moueatur localiter. 456
4. An Chriſtus prout exiſtens in Euchariſtia, poſſit agere, aut pati. 457
5. De his quæ per concomitantiam conueniunt Chriſto exiſtenti in hoc Sacramento. 458
6. De apparitionibus quæ in hoc Sacramento accidere ſolent. 459

DISPVTATIO VI.

De accidentibus remanentibus in hoc Sacramento.

Sect. 1. Qua ratione maneant accidentia in hoc Sacramento poſt conſecrationem. 460
2. An ſpecies conſecratæ poſſint exercere eaſdem operationes quas antea, & ſimiliter eodem modo pati. 461
3. An ex ſpeciebus conſecratis poſſit aliqua ſubſtantia generari virtute agentis naturalis. 462
4. An per mixtionem liquoris cum ſpeciebus vini conſecratis ſanguis Chriſti deſinat eſſe ſub illis. 463

DISPVTATIO VII.

De forma ſacramenti Euchariſtiæ.

Sect. 1. Qua ratione Chriſtus Dominus hoc Sacramentum confecerit. 464
2. An præter verba quibus Chriſtus conſecrauit, ſint alia neceſſaria vt à Sacerdotibus fiat conſecratio. 466
3. Quænam præcisè verba neceſſaria ſint & ſufficiant ad conſecrationẽ panis. ibid.
4. An omnia verba quibus vtitur Eccleſia in conſecratione Calicis, ſint eſſentialia. 467
5. An Sacerdos proferat verba conſecrationis materialiter & recitatiuè, an verò formaliter & ſignificatiuè. 468
6. An verba conſecrationis ſint vera in toto rigore. 469
7. Quid ſignificent pronomina *hoc*, & *hic*, poſita in verbis conſecrationis. 471
8. An verba conſecrationis poſſint mutari. 472

DISPVTATIO VIII.

De effectibus huius Sacramenti.

Sect. 1. An hoc Sacramentum conferat primam gratiam. 473
2. Quando Euchariſtia conferat augmentum gratiæ ſanctificantis. 474

3. An

3. An per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia. 476
4. An hoc Sacramento fiat vnio carnis noſtræ cum carne Chriſti. ibid.
5. Quæ diſpoſitio ſit neceſſaria ad percipiendum primarium effectum huius Sacramenti, ſcilicet augmentum gratiæ. 477

DISPVTATIO IX.

De ſumptione ſacramenti Euchariſtiæ.

Sect. 1. An ſumere ſacramentum Euchariſtiæ in ſtatu peccati, ſit peccatum. 478
2. An exiſtens in peccato mortali teneatur præmittere confeſſionem ad ſumptionem Euchariſtiæ. 480
3. An Euchariſtia ſit deneganda peccatori ſecreto, ſicut & publico. 481
4. An hoc Sacramentum ſolum poſſit ſumi à ieiunis. 484
5. Quodnam ſit ſubiectum capax ad ſuſcipiendam Euchariſtiam. 486
6. An ſit conueniens quotidie Euchariſtiam ſumere. 487
7. An ſit præceptum ſumẽdi Euchariſtiam, & quo tempore obliget. ibid.
8. An laici teneantur communicare ſub vtraque ſpecie. 489
9. De Miniſtro huius Sacramenti. 490

DISPVTATIO III.

De obligatione celebrandi, de tempore, loco & alijs circunſtantijs huius ſacrificij.

Sect. 1. Quomodo Sacerdotes teneantur celebrare. 507
2. Qua hora poſſint Miſſæ priuatæ celebrari. 509
3. De loco apto ad celebrandum. 510
4. De Altari ad celebrandum neceſſario, & de eius ornatu. 511
5. De vaſis neceſſariis ad celebrãdum. 512
6. De veſtibus ſacris, & de Miniſtro ad celebrandum requiſitis. 513
7. An ritus in Miſſali præſcriptus, ſeu eius Rubricæ obligent ſub mortali. ibid.
8. De ſtipendio, quod licet accipere pro celebratione Miſſæ. 514

DISPVTATIO IV.

De præcepto audiendi ſacrum.

Sect. 1. An in Eccleſia ſit præceptum audiendi Miſſam: 516
2. Quid præcipiatur per legem de audiendo ſacrum. 518
3. Qui actus requirantur ad ſatisfaciendum huic præcepto. 519
4. Quibus de cauſis Fideles excuſentur ab auditione ſacri. 520

TRACTATVS XXIII.

De ſacrificio Miſſæ.

DISPVTATIO I.

De natura & eſſentia ſacrificij Miſſæ.

Sect. 1. AN in Miſſa ſit verum & proprium ſacrificium, & in eo Chriſtus immoletur. 492
2. In quo conſiſtat eſſentia huius ſacrificij. 495
3. De offerentibus hoc ſacrificium. 498
4. De his pro quibus hoc ſacrificium offerri poteſt. 499

DISPVTATIO II.

De effectibus ſacrificij Miſſæ.

Sect. 1. Qui effectus ex hoc ſacrificio proueniant. 501
2. Qualis debeat eſſe applicatio Sacerdotis vt hoc ſacrificium profit ex opere operato. 503
3. An offerẽtes hoc ſacrificium participent fructus eius ex opere operato. 504
4. An valor ſacrificij Miſſæ ſit infinitus. 505

TRACTATVS XXIV.

De Pœnitentia.

DISPVTATIO I.

De Pœnitentia vt virtus eſt.

Sect. 1. AN pœnitentia ſit virtus ſpecialis diſtincta à cæteris. 522
2. An virtus ſpecialis pœnitentiæ ſit infuſa, vel acquiſita. 525
3. Quodnam ſit ſubiectum pœnitentiæ. 526
4. An per pœnitentiam remoueantur omnia peccata mortalia. 528
5. An poſſit homini remitti peccatum mortale ſine pœnitentia. 530
6. Quomodo per pœnitentiam deleantur peccata venialia. 532
7. An peccata ſemel per pœnitentiam remiſſa iterum redeant per ſubſequens peccatum mortale. 533
8. An bona opera per peccata ſubſequentia mortificata per veram pœnitentiam iterum reuiuiſcant: & an peccator per pœnitentiam recuperet tam gratiam habitualem, quàm omnes virtutes infuſas in eadem intenſione in qua eas ante peccatum habuerat. 5

Diſputationum, & Sectionum.

DISPVTATIO II.

De natura, & neceſſitate ſacramenti Pœnitentiæ.

Sect. 1. Ex quibus conſtet ſacramentum Pœnitentiæ. 536
2. Quomodo in hoc Sacramento aſſignentur res tantùm, & Sacramentum tantùm, & res, & Sacramentum ſimul. 538
3. Quæ ſit materia neceſſaria huius Sacramenti. 539
4. De forma ſacramenti Pœnitentiæ. 540
5. An hoc Sacramentum ſit medium neceſſarium ad ſalutem. 541

DISPVTATIO III.

De Contritione.

Sect. 1. Quid & quotuplex ſit deteſtatio peccati. 544
2. Quid ſit contritio. 545
3. An ad contritionem requiratur amor Dei ſuper omnia. 547
4. Qualis debeat eſſe contritio, & quas circunſtantias requirat. 548
5. Quomodo pœnitentia, ſeu contritio cauſet remiſſionem peccati mortalis. 549
6. An detur præceptum contritionis, & quo tempore obliget. 551
7. De contritione imperfecta, ſeù de attritione. 554

DISPVTATIO IV.

De Confeſſione.

Sect. 1. An confeſſio ſit neceſſaria ex præcepto diuino poſitiuo. 557
2. Quos & quando obliget præceptum diuinum confeſſionis. 558
3. An Eccleſia potuerit ſuo præcepto determinare tempus ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ. 560
4. Quinam teneantur præcepto annuæ confeſſionis. 561
5. An huiuſmodi præceptum obliget in aliqua parte anni determinatè. 564
6. An in aliquo caſu ſit obligatio confitendi pluſquam ſemel in anno. 565
7. An in aliquo caſu teneamur anticipare confeſſionem ante exitum anni. 566
8. An elapſo anno finiatur obligatio præcepti annuæ confeſſionis. 568
9. Qualis confeſſio requiratur, vt impleatur præceptum annuæ confeſſionis. ibid.
10. De dolore ad hoc Sacramentum requiſito. 569
11. An detur confeſſio, ſeu Sacramentum validum, ſed informe. 570
12. De propoſito & examine prærequiſito ad confeſſionem. 572
13. An ſacramentalis confeſſio debeat eſſe ſenſibilis, verbalis, & ſecreta. 573
14. An ſit peccatum lethale mentiri in confeſſione. 574
15. An aperiri debeant in confeſſione omnia peccata mortalia, & ipſorum ſpecies, & numerus. 575
16. An peccata mortalia dubia debeant in confeſſione explicari. 577
17. Quando locum habeat confeſſio ſolum materialiter non integra. ibid.
18. An liceat confiteri ſola peccata venialia cùm non adeſt conſcientia mortalium, vel quæ iam confeſſi ſumus. 579
19. An confeſſio ex malo fine veniali ſit inualida. ibid.
20. Exponuntur nonnulli caſus in quibus confeſſio eſt iteranda. 580
21. An abſolutio poſſit licitè conferri abſenti. 581
22. An abſolutio dari poſſit ac debeat moribundo, qui abſente confeſſario dedit ſigna pœnitentiæ, & poſtea ſenſibus deſtitutus eſt. 582
23. Explicantur nonnulli caſus in quibus neganda eſt abſolutio, vel differenda. 583

DISPVTATIO V.

De Miniſtro confeſſionis.

Sect. 1. An ſolus Sacerdos ſit miniſter huius Sacramenti. 584
2. An hæc poteſtas remittendi peccata ſit diuerſa à poteſtate Ordinis, & quomodo conferatur. 586
3. An facultas conceſſa Sacerdotibus abſoluendi in articulo mortis ſit de iure diuino. 587
4. Qua ratione acquiratur iuriſdictio ordinaria. 588
5. Quinam poſſint delegare iuriſdictionem. 590
6. Quomodo delegetur, aut cõmittatur iuriſdictio ad abſoluẽdum à peccatis. ibid.
7. Qua ratione requiratur approbatio Epiſcopi ad audiendas confeſſiones. 592
8. An Regulares mendicantes, & qui eorum priuilegiis fruuntur ſemel ab Epiſcopo approbati, poſſint vbique eligi virtute Bullæ, aut Iubilæi. 594
9. An Regulares ſẽmel examinati & approbati, poſſint iterum in eadem diœceſi ab eodem Epiſcopo, vel ſaltem à ſucceſſore examinari. 595

10. An Patres Capuccini virtute Bullæ Cruciatæ eligi possint ad audiendas confessiones secularium, si approbationem habeant ab Episcopo. 596
11. De aliis qualitatibus Ministri huius Sacramenti. 597

DISPVTATIO VI.

De Ministro confessionis quoad reseruata.

Sect. 1. Qui & quorum peccata possint reseruari. 599
2. An superiores Religionum possint reseruare casus. 601
3. Quis possit absoluere à reseruatis. 602
4. An Superior possit audire sola reseruata, & absoluere ab illis pœnitentem. ibid.
5. An Superior possit concedere facultatem absoluendi à reseruatis cum onere, vt postea subditus compareat coram superiore. 603
6. An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ possint eligere confessarium, qui eos à reseruatis absoluat. 604

DISPVTATIO VII.

De sigillo confessionis.

Sect. 1. Quo iure obliget sigillum, seu secretum confessionis. 605
2. Quas personas obliget hoc sigillum. 606
3. Quæ sit materia huius sigilli. 607
4. Quomodo loqui debeat confessarius ad vitandam reuelationem. 608
5. An Confessarius possit vti scientia habita ex confessione. ibid.

DISPVTATIO VIII.

De satisfactione.

Sect. 1. An homo iustus possit de condigno, seu ad æqualitatem satisfacere pro pœna temporali relicta post remissionem culpæ. 609
2. De conditionibus requisitis ad satisfaciendum. 610
3. An satisfactio sit pars Sacramenti, & habeat effectum ex opere operato. 612
4. An Confessarius teneatur pœnitentiam imponere, & quam mensuram seruare debet. 613
5. An pœnitens obligetur ad acceptandam, & implendam pœnitentiam. 615
6. Quis possit pœnitentiam impositam tollere, vel mutare. ibid.

TRACTATVS XXV.

De Censuris.

DISPVTATIO I.

De censuris in communi.

Sect. 1. QVid & quotuplex sit censura. 618
2. Qui possint ferre censuras. 619
3. Quibus modis possit ferri censura. 620
4. Qui possint ligari censuris. 622
5. Propter quam causam possit ferri censura. 625
6. De variis causis ob quas censura lata, vel ferenda, sit nulla & inualida. 627
7. An censura possit validè ferri absque inobedientia & cõtumacia respectu Ecclesiæ, & consequenter absque canonica monitione. 629
8. Quæ ignorantia excuset ab incurrenda censura. 631

DISPVTATIO II.

De Excommunicatione.

Sect. 1. Quid, & quotuplex sit excommunicatio. 633
2. De primo effectu excommunicationis maioris. 634
3. De secundo effectu excommunicationis maioris. 635
4. De tertio effectu excommunicationis maioris. 637
5. De quarto effectu excommunicationis maioris. 639
6. De quinto effectu excommunicationis maioris. 641
7. De sexto effectu excommunicationis maioris. 643
8. De septimo effectu excommunicationis maioris. 644
9. De octauo effectu excommunicationis maioris. 645
10. De causis quæ excusant à cõmunicatione ciuili cum excommunicatis. 646
11. Quomodo tollatur excõmunicatio 648
12. Qui possint absoluere ab excommunicatione maiori. 649
13. An sit licita absolutio ab excommunicatione data nolenti, vel absenti. 651
14. Proponuntur & explicantur aliquæ difficultates circa eãdem absolutionẽ 653
15. De excommunicatione minori. 654

DISPVTATIO III.

De suspensione.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit suspẽsio. ibid.
2. De

2. De effectibus suspensionis. 656
3. Qua forma ferenda sit suspensio ab homine, & quomodo tollatur. 658
4. Quomodo differat suspensio, siue vt pœna, siue vt censura, à depositione, & degradatione. 659
5. De nonnullis suspensionibus, quæ iure sunt latæ in susceptione & vsu Ordinum præcipuè. 660

DISPVTATIO IV.

De Interdicto.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit interdictum. 662
2. De primo effectu interdicti. 664
3. De secundo effectu interdicti. 666
4. De tertio effectu interdicti. 668
5. De causis interdicti. 669
6. Quomodo cesset & tollatur interdictum. 670
7. De cessatione à diuinis. ibid.

DISPVTATIO V.

De Irregularitate.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit irregularitas. 671
2. An in dubio censendus sit quis irregularis. 672
3. Quos effectus habeat irregularitas. 674
4. Qui possint irregularitatem contrahere, & qua forma in iure inducatur. 675
5. Quando ex peccato receptionis & administrationis Sacramentorum incurratur irregularitas in iure. ibid.
6. Quando ex delicto hæresis, & aliis criminibus ei annexis, incurratur irregularitas in iure. 677
7. De irregularitate ex delictis infamibus. 679
8. De irregularitate orta ex homicidio, & mutilatione voluntariis. ibid.
9. De irregularitate orta ex mandato, aut ex consilio, aut ex cooperatione ad homicidium iniustum. 681
10. De irregularitate proueniente ex homicidio casuali. 682
11. An incurratur irregularitas ob homicidium factum ob sui defensionem ibid.
12. De irregularitate contracta propter occisionem in bello. 683
13. De irregularitate orta ex defectu lenitatis. ibid.
14. De irregularitate ex defectu Sacramenti. 685
15. De irregularitate ex defectu natalium. ibid.
16. De irregularitate proueniente ex defectu animæ, vel corporis. 686
17. Quomodo tollitur irregularitas. 687

TRACTATVS XXVI.

De Matrimonio.

DISPVTATIO I.

De Sponsalibus.

Sect. 1. QVid sint sponsalia, & quæ cõditiones ad illa requirantur. 689
2. An promissio matrimonij ad sui valorem requirat acceptationem. ibid.
3. An promissio matrimonij externa & ficta sit valida ad obligandum. 690
4. An qui defloravit virginem spe fictæ promissionis matrimonij, teneatur eam ducere. 692
5. An sponsalia addant fornicationi sponsæ, aut sponsi cum alia persona nouam malitiam. ibid.
6. Qui possunt sponsalia contrahere. 693
7. An iniustè à sponsalibus resiliens, cogendus sit ea implere. 694
8. An in sponsalibus possint tradi arrhæ amittendæ ab iniustè resilienti. ibid.
9. An in sponsalibus possit apponi pœna iniustè fidem frangenti. 695
10. An qui priùs votum castitatis, vel religionis emisit, & puellam defloravit cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum. ibid.
11. De dissolutione sponsalium. 696
§. 1. Sponsalia puberum solo mutuo eorum consensu dissolui possunt. ibid.
§. 2. Sponsalia impuberum solo corũ mutuo cõsensu nõ possunt dissolui. ibid.
§. 3. Sponsalia dissoluuntur per ingressum Religionis. 697
§. 4. Sponsalia dissoluuntur per votũ simplex castitatis subsequens, vel suscipiendi Ordinem sacrum. ibid.
§. 5. Sponsalia dissoluuntur per matrimonium subsequens factum cum aliena persona. 698
§. 6. Per secunda sponsalia non dissoluuntur prima. ibid.
§. 7. Per absentiam sponsi dissoluuntur sponsalia. ibid.
§. 8. Elapso termino sponsalibus præfixo dissoluuntur. 699
§. 9. Fornicatio sponsi, vel sponsæ superueniens dat innocenti ius dissoluendi sponsalia. ibid.
§. 10. Quodlibet impedimentum superueniens sponsalibus, siue dirimens, siue impediens, dissoluit sponsalia. ibid.

§. 11. Superueniens notabilis mutatio dat ius diſſoluendi ſponſalia. 700

DISPVTATIO II.

De natura & eſſentia Matrimonij.

Sect. 1. Quid ſit matrimonium. 701
2. A quo ſumpſerit originem inſtitutio contractus matrimonij. ibid.
3. An matrimonium licitum ſit, & an cadat ſub præcepto. 702
4. An in noua lege matrimonium ſit Sacramentum gratiam conferens. 703
5. An matrimonium baptizatorum per procuratores contractum ſit validum, & propriè ſacramentum collatiuum gratiæ. 705
6. Quæ ſit materia, & forma, & Miniſter huius Sacramenti. 706
7. Quo iure prohibita ſit polygamia, ſiue pluralitas vxorum. 708

DISPVTATIO III.

De cauſa efficienti Matrimonij, hoc eſt, de conſenſu abſoluto.

Sect. 1. An mutuus conſenſus contrahentium ſit omnino neceſſarius, vt matrimonium conſiſtat. 709
2. An ad valorem matrimonij ſufficiat conſenſus fictus. 710
3. Quodnam ſit obiectum & materia circa quam verſari neceſſariò debeat coniugum conſenſus. 711
4. An ad contractum matrimonij ſufficiat conſenſus internus. 712
5. An ſit neceſſarium quòd conſenſus contrahentium ſimul tempore exprimatur. 713

DISPVTATIO IV.

De conſenſu clandeſtino.

Sect. 1. An matrimonium clandeſtinum ſit validum & licitum. 714
2. An matrimonium clãdeſtinum poſt Tridentinum in aliquo caſu ſit validum. ibid.
3. Quæ requirantur in Parocho, vt validè aſſiſtat matrimonio. 715
4. Congerit alia requiſita ad validam aſſiſtentiam Parochi. ibid.
5. Qualis licentia requiratur in Sacerdote, vt validè aſſiſtat matrimonio. 716
6. Quæ requirantur validè aſſiſtẽtibus matrimonio. ibid.
7. De denunciationibus præmittendis ad matrimonium. 717

DISPVTATIO V.

De conſenſu ex metu.

Sect. 1. An ad contractum matrimonij ſit neceſſarius conſenſus liber. 718
2. An conſenſus in matrimonium futurus ſit liber à coactione & metu. 719
3. Quo iure nullum ſit matrimonium contractum metu graui. 721

DISPVTATIO VI.

De conſenſu conditionato.

Sect. 1. Qua ratione conditiones de præſenti, aut de præterito non obſtent valori matrimonij. 722
2. An conſenſus ſub conditione de futuro neceſſario euenturo, ſufficiat ad matrimonium. 723
3. An conſenſus ſub conditione impoſſibili, vel inhoneſta, ſufficiat ad matrimonium 724
4. An conditio de futuro appoſita matrimonio, illud ſuſpendat in futurum. ibid.

DISPVTATIO VII.

De indiſſolubilitate & perpetuitate Matrimonij.

Sect. 1. An & quo iure matrimonium inſolubile. 725
2. An & quo iure matrimonium ratum non conſummatum religioſa profeſſione diſſoluatur. 726
3. An matrimonium infidelium diſſoluatur per conuerſionem alterius ad fidem. 728
4. An matrimonium ratum non conſummatum de plenitudine poteſtatis Romani Pontificis diſpenſari queat. 729

DISPVTATIO VIII.

De vſu & debito coniugali.

Sect. 1. An actus coniugalis licitus ſit. 730
2. An coniuges teneantur ſub præcepto petere, & reddere debitum. 731
3. Qua ratione votum caſtitatis impediat vſum matrimonij. 732
4. An actus coniugalis fiat illicitus ratione cognationis ſpiritualis, vel affinitatis ſuperuenientis. 733
5. Quando ratione temporis illicitus ſit actus coniugalis. 734
6. Quomodo actus coniugalis ſit illicitus ratione loci, aut ſitus. 735
7. An tactus turpes inter coniuges ſint liciti. 736

8. An quoties coniux peccat petendo debitum, alter peccet ei reddendo. 737

DISPVTATIO IX.

De impedimento Matrimonij.

Sect. 1. Ad quem pertineat statuere impedimenta dirimentia matrimonium. 738
2. De impedimento erroris. 739
3. De conditione seruitutis, qua ratione dirimat matrimonium. 740
4. De impedimentis voti & Ordinis. 741
5. De impedimento cognationis naturalis, seu consanguinitatis. 742
6. De impedimento cognationis spiritualis. 743
7. De impedimento cognationis legalis. 744
8. De impedimento criminis. ibid.
9. De impedimento disparis cultus. 745
10. De impedimento ligaminis. 746
11. De impedimento publicæ honestatis. ibid.
12. De impedimento affinitatis. ibid.
13. De impedimento impotentiæ. 747
14. De impedimento raptus. 749
15. De impedimentis quæ non dirimunt, sed tantùm impediunt. 750

DISPVTATIO X.

De dispensatione impedimentorum matrimonij.

Sect. 1. Quis possit dispensare super impedimentis matrimonij. ibid.
2. Quid requiratur vt valeat dispensatio. 751

DISPVTATIO XI.

De diuortio.

Sect. Vnic. Ob quas causas licitum sit diuortium. 752

TRACTAT. XXVII. & vlt.

Aliorum quatuor Sacramentorum.

DISPVTATIO I.

De sacramento Baptismi.

Sect. 1. QVid & quotuplex sit Baptismus, & quando institutus. 555
2. De materia remota, & proxima sacramenti Baptismi. ibid.
3. De forma sacramenti Baptismi. 757
4. De Ministro Baptismi. 759
5. De persona recipiente Baptismum. 760
6. De effectibus Baptismi. 761

DISPVTATIO II.

De sacramento Confirmationis.

Sect. 1. An Confirmatio sit sacramentum nouæ legis. 762
2. Quæ sit materia & forma huius Sacramenti. ibid.
3. De Ministro huius Sacramenti. 763
4. De recipiente hoc Sacramentum, & eius effectibus. ibid.

DISPVTATIO III.

De sacramento Ordinis.

Sect. 1. Quid & quotuplex sit Ordo, & an sit verè Sacramentum. ibid.
2. De materia & forma horũ Ordinum. 765
3. De Ministro & suscipiente hoc Sacramentum, ac de eius effectibus. ibid.

DISPVTATIO IV.

De sacramento Extremæ Vnctionis.

Sect. 1. An Extrema Vnctio sit sacramentum nouæ legis, quæ sit eius materia, quæve eius forma. 766
2. De Ministro, & suscipiente, ac de effectibus huius Sacramenti. 767

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Secundùm folia, & numeros marginales.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

CAP. 1. *Reſcite, & multiplicamini, & replete terram.* p. 730. num. 1

2. *Non eſt bonũ hominem eſſe ſolum.* 702.9,12

Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. ibid. 8

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi. ibid. 9

Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. ibid. 10

Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem. ibid.

3. *Puluis es, & in puluerem reuerteris.* 364.7

6. *Noë vir iuſtus, atque perfectus.* 1159

Omnis quippe caro corruperat viam ſuam. 302.2

8. *Senſus enim, & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt.* 127.37

14. *Benedictus Abram Deo excelſo, qui creauit cælum, & terram: &, Benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* 150.2

Credidit Abram Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 8.38

15. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* 69.3

22. *Quia feciſti hanc rem, & non pepercifti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi.* 103.26

Et benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ, quia obediſti voci meæ. 333.83

Expectate hîc cum aſino, ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos. 13.65

27. *Ego ſum primogenitus tuus Eſau.* 13.65

Exodi.

15. *Omnipotens nomen eius.* 360.1

17. *Cùm leuaſſet manus Moyſes, vincebat Iſraël.* 149.2

20. *Non habebis Deos alienos.* 381.18

Non occides. 194.11

22. *Maleficos non patieris viuere.* 196.19

23. *Si occurreris boui inimici tui, ſeu aſino erranti, reduc ad eum. Si videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſubleuabis cum eo.* 122.11

Si pecuniam mutuo dederis populo meo, non vrgebis eum quaſi exactor, neque vſuris opprimes. 250.11

Leuitici.

19. *Non remanebit apud te opus mercenarij tui vſque manè.* 524.15

20. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* 128.42

Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè argue eum, ne habeas ſuper illo peccatum. 140.3

Non quæras vltionem, nec memor eris iniuria ciuium tuorum. 122.11

25. *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam, &c. & ipſe pretium ad redimendum potuerit inuenire, computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquum eſt, reddet emptori.* 275.46

Numeri.

23. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur.* 12.7

Locutúſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Hoſtes vos ſentiant Madianitæ, 149.2

Deuteronomij.

1. *Pro vobis ipſe pugnabit.* 150.2

4. *Iſraël audi præcepta, & iudicia, quæ ego doceo te, &c. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* 26.17

Cúmque quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione anima tua. 547.28

5. *Non facies tibi ſculptile, nec ſimilitudinem omnium,*

omnium, quæ in cælo sunt desuper, & in terra deorsum. 384.43
10. *Quid Dominus Deus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deum tuum?* 86.34
12. *Obserua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filijs tuis post te in sempiternum.* 73.19
18. *Prophetam de gente tua, & de patribus tuis sicut me, suscitauit tibi Dominus.* 350.68
23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Dei tui.* 139.26
Non fœneraberis fratri tuo, &c. sed alieno. 250.11
25. *Non habebis in sacculo diuersa pondera, maius & minus.* 272.27
32. *Dei perfecta sunt opera.* 54.12
34. *Non surrexit vltrà Propheta in Israël sicut Moyses.* 350.70

Iosue.

6. *Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt, Domino.* 622.37

1. Regum.

15. *Vade & percute Amalec, & demolire vniuersa eius.* 149.2

2. Regum.

2. *Benedicti vos Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.* 134.2
12. *Peccaui Domino, &c. Dominus quoque transtulit peccatum tuum.* 548.32
13. *Noli frater mi opprimere me, noli facere stultitiam hanc; quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* 743.41

3. Regum.

22. *Decipies, & prænalebis; egredere, & fac ita.* 13.65

4. Regum.

10. *Studiosè egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis.* 50.62

2. Paralipomenon.

20. *Nec paueatis hanc multitudinem, non est enim vestra pugna, sed Dei.* 150.2

Tobiæ.

2. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* 389.3
3. *Numquam cum ludentibus miscui me.* 222.18
4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* 73.20
Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. 235.6 & 610.6
6. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se & sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos.* 730.6
12. *Ipsa est quæ purgat peccata.* 135.5
Quando orabas cum lacrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abscondebas per diem in domo tua, & nocte sepeliebas eos; ego obtuli orationem tuam Domino. 134.2

Iudith.

6. *Omnis populus per totam noctem in Ecclesia orauerunt.* 27.11
9. *Percuties cum ex labijs charitatis meæ.* 90.1

Esther.

13. *Scis, quia non pro superbia & contumelia, fecerim hoc, vt non adorem Aman superbissimum, sed timui, ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* 384.37

Iob.

3. *Pereat dies in qua natus sum.* 67.16
Nunquam cum ludentibus miscui me. 222.18
9. *Verebar omnia opera mea sciens, quòd non parceres delinquenti.* 83.16
19. *Reposita est spes mea in sinu meo.* 69.1
25. *Si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipies?* 310.141
40. *Ipse est principium viarum Dei.* 321.148

Psalmorum.

1. *Reges eos in virga ferrea.* 35.53
Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. 370.7 & 377.11
4. *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* 232.33
13. *Contritio & infelicitas in vijs eorum.* 545.16
15. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* 92.10
Caro mea requiescet in spe. 472.30
Quoniam non derelinques animam meam in inferno. 341.15
Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. 364.7
17. *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* 530.65
In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. 29.35
Lex Domini immaculata, illuminans oculos. 16.83
21. *Quare me dereliquisti?* 356.20 & 365.19
28.71

Index locorum S. Scripturæ.

28. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi.* 80.2

31. *Dixi: Confitebor aduersùm me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti iniquitatem peccati mei.* 548.32

39. *Sacrificium & oblationem noluiſti, aures autem perfeciſti mihi. Holocauſtum & pro peccato non poſtulaſti, tunc dixi: Ecce venio.* 367.32

41. *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* 331.67

44. *Lingua mea calamus Scribæ velociter ſcribentis.* 24.4

49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?* 492.2
Immola Deo ſacrificium laudis. ibid.
Sacrificium laudis honorificabit me. ibid.
Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas? & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? 140.6
Si eſuriero, non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ. 92.10

50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum.* 322.161
Holocauſtis non delectaberis. 492.2
Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. ibid. & 546.16

78. *Poſuerunt morticinia Sanctorum tuorum eſcas volatilibus cæli: carnes Sanctorum tuorum beſtijs terræ. Effuderunt ſanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Ieruſalem, & non erat qui ſepeliret.* 134.3

83. *Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* 70.4
Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit. 114.76
Ibunt de virtute in virtutem. ibid.

96. *Adorate eum omnes Angeli eius.* 380.7

97. *Notum fecit Dominus ſalutare ſuum.* 317.121

98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt.* 385.47

109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech.* 375.1

111. *Diſperſit pauperibus.* 105.37

118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* 633.2
Confige timore tuo carnes meas, à iudicijs enim tuis timui. 83.19

129. *Copioſa apud eum redemptio.* 314 98

146. *Qui ſanat contritos corde.* 546.16

Prouerbiorum.

3. *Honora Dominum de tua ſubſtantia, &c. ſi vales, & ipſe benefac.* 138.25

4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit vſque ad perfectum diem.* 107.42

8. *Ego diligentes me diligo.* 92.12
Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. 310.147

9. *Noli arguere deriſorem, ne oderit te.* 142.11

11. *Statera doloſa abominatio eſt apud Deum.* 209.31

14. *Victimæ impiorum abominabiles.* 610.10

18. *Qui autem tenet adulteram ſtultus eſt, & inſipiens.* 754.15

19. *Peſtilente caſtigato, ſtultus ſapientior erit.* 619.9

22. *Melius eſt bonum nomen, quàm diuitiæ multæ.* 228.8

24. *Ne quæras impietatem in domo iuſti, & non vaſtes requiem eius.* 141.9

25. *Mala aurea in lectulo argenteo, qui loquitur verbum in tempore ſuo.* 142.12

26. *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur.* 228.11

27. *Melior eſt manifeſta correptio, quàm amor abſconditus.* 140.1
Qui ſubtrahit à patre ſuo aliquid, & à matre, & dicit hoc non eſſe peccatum, particeps homicidæ eſt. 212.53

Eccleſiaſtes.

7. *Melius eſt à ſapiente corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* 140.1

Canticorum.

1. *Et macula non eſt in te.* 27.27

2. *Ordinauit in me charitatem.* 124.41

Sapientiæ.

7. *Infinitus enim theſaurus eſt hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei.* 92.11

11. *Omnia in numero, pondere, & menſura diſpoſuiſti.* 347.42
Et diſſimulas peccata hominum propter pœnitentiam. 530.63

12. *Nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum; & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* 530.63

14. *Quoniam creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* 583.195

Eccleſiaſtici.

2. *Ne feſtines in tempore obductionis: ſuſtine ſuſtentationes Dei. Coniungere Deo, & ſuſtine, vt creſcat in nouiſſimo vita tua.* 107.42
Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei. 531.69

9. *Nemo ſcit an odio, vel amore dignus ſit.* 92.10

Index locorum S. Scripturæ.

11. *Priuſquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iuſtè.* 141.9

12. *Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam.* 107.45

14. *Ante obitum tuum operare iuſtitiam, quia non eſt apud inferos inuenire cibum.* 533.91

15. *Eleemoſyna viri gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit.* 135.6

24. *Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibent me, adhuc ſitient.* 425.38

27. *Qui detegit arcana, fidem perdit.* 1.1

Sicut in medio compaginis, lapidum palus figitur, ſic & in medio venditionis angustabitur peccator. 283.94

30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & congrega cor tuum in ſanctitate.* 132.18 & 552.69

34. *Dona impiorum non probat Altiſſimus.* 610.11

Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris. 138.25

Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille theſauri. 227.6

Iſaiæ.

1. *Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum: & venite, & arguite me: ſi fuerint peccata veſtra vt coccinum, quaſi nix dealbabuntur.* 550.52

2. *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur vltrà ad prælium.* 150.4

7. *Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum.* 360.57

11. *Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet.* 335.95

Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, &c. & replebit eum ſpiritu timoris Domini. 80.3 & 349.61

22. *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius.* 32.52

26. *Sicut quæ concipit, cùm appropinquauerit ad partum, dolens clamat in doloribus ſuis: ſic facti ſumus à facie tua Domine.* 83.16

Omnis caro fœnum. 472.70

Dicit Dominus, &c. deficient pueri, & iuuenes in infirmitate cadent: qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. 74.25

Cui ergo ſimilem feciſtis Deum, aut quam imaginem ponetis ei. 385.46

41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus quia Dij eſtis vos.* 358.41

42. *Ecce ſeruus meus ſuſcipiam eum.* 373.1

52. *Ecce intelligit ſeruus meus, exaltabitur, & elevabitur, & ſublimis erit valde.* ibid.

53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* 364.8

Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum. 315.10 & 370.7

Generationem eius quis enarrabit? 304.17

54. *Ponam vniuerſos filios tuos doctos à Domino.* 19.104

58. *Frange eſurienti panem tuum.* 138.25

65. *Et præ contritione ſpiritus vlulabitis.* 545.16

Ieremiæ.

3. *Conuertimini filij reuertentes, & ſanabo vos.* 550.52

14. *Quare quaſi colonus futurus es in terra, & quaſi viator ad manendum.* 370.6

15. *Non ſedi in conſilio ludentium.* 222.15

18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego.* 529.53

31. *Fœmina circumdabit virum.* 354.4

Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam: Non docebit vltra vir proximum ſuum. 19.104

Ezechielis.

8. *Cùm auerterit ſe iuſtus à iuſtitia, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* 117.91

16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia; & manum egeno, & pauperi non porrigebant.* 211.41

18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, omnium iniquitatum eius non recordabor.* 529.53 & 609.2

33. *Si auerterit ſe peccator ab iniuſtitia ſua.* 548.32

Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, quod confractum eſt non alligaſtis, &c. 141.6

Suſcitabo ſuper eas Paſtorem vnum, ſeruum meum Dauid. 373.1

37. *Si rapina reddita fuerit domino ſuo.* 163.13

Danielis.

2. *Mihi Sacramentum hoc reuelatum eſt.* 389.2

Peccata tua eleemoſynis redime. 135.5 & 620.6

9. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt.* 333.83

13. *In ſpiritu humilitatis, & in animo contrito.* 546.16

Oſee.

6. *Miſericordiam volui, & non ſacrificium.* 483.33 & 491.2

9. *Separati ſunt Hebræi ab vxoribus, quas duxerunt.* 745.63

Ioëlis.

1. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* 549.43

2. *Conuertimini ad me in toto corde veſtro.* 550.52

Conuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus, & miſericors eſt. ibid.

Ionæ.

3. *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur.* 13.65

Vidit Deus opera eorum, &c. & miſertus eſt. 610.6

Michææ.

4. *Dole, & ſatage filia Sion, quaſi parturiens.* 548.4

Aggæi.

2. *Interroga Sacerdotes legem.* 30.43

Zachariæ.

3. *Adducam ſeruum meum Orientem.* 373.1

Malachiæ.

1. *Si ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus.* 380.13

Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus: & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum eſt nomen meum in Gentibus. 493.10

Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. 30.43

Machabæorum 2.

9. *Orabat ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* 530.65

14. *Alcimus autem videns charitatem illorum ad inuicem.* 90.1

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

Cap. 1. VM *eſſet deſponſata mater Ieſu Maria Ioſeph.* 689.2

3. *Sic decet nos implere omnem iuſtitiam.* 162.6

4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* 380.13

5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe illi & alteram.* 121.9 & 150.4

Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam. 162.6

Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos. 121.7,9

Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. 122.10

Qui dicit fratri ſuo, fatue, reus erit gehennæ ignis. 228.8

Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub medio, ſed ſuper candelabrum. 129.38

6. *Quærite primum regnum Dei.* 69.2

Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. 41.14

8. *Domine ſi vis, potes me mundare, & extendens manum tetigit eum, &c. imperabat ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* 362.16

Audiens Ieſus miratus eſt. 364.14

Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. 74.27

9. *Accepit omnes timor, & magnificabant Deum.* 81.7

10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* 80.2

In eadem domo manete, edentes, & bibentes, quæ apud illos ſunt; dignus eſt enim operarius mercede ſua. 514.102

Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis tantùm in nomine diſcipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. 104.30 & 105.38

Non perdet mercedem ſuam. 107.45

Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. 124.24

Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. 24.4

Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo. 48.51

Dedit eis potestatem, &c. 361.2

11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista: qui autem minor est in Regno cælorum, maior est illo.* 117.90

12. *Confiteor tibi Pater.* 374.1

Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, & soror, & mater est. 334.88

13. *Non est Propheta sine honore, nisi in patria sua.* 350.68

14. *Ascendit in montem solus orare.* 374.1

Modica fidei quare dubitasti? 1.1

15. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* 158.14

Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram. 26.17

O mulier magna est fides tua. 364.14

Caro & sanguis non reuelabit tibi, sed Pater meus, qui in cælis est. 305.23

Filius Dei viui. 324.5

Tibi dabo claues Regni cælorum. 407.9 & 536.2

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & tibi dabo claues Regni cælorum. 31.48

Tu es Christus Filius Dei viui. 49

Et portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. 27.22

Quam commutationem dabit homo pro anima sua. 127.38

17. *Hic est filius meus dilectus.* 377.2

Liberi sunt filij. 359.47

18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* 142.13

Si non remiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra. 123.16

Sic & Pater meus cælestis faciet vobis. ibid.

Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cælorum. 417.51

19. *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 109.53

Quod Deus coniunxit homo non separet. 729.31

Sunt Eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum cælorum. Qui potest capere capiat. 112.65

20. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum.* 113.69

21. *Omni habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem qui non habet, & quod habet auferetur ab illo.* 103.28

22. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* 225.30

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis. 125.27

Primum mandatum. 132.21

Secundum verò mandatum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. ibid.

Cognita autem Iesus nequitia eorum. 354.2

23. *Super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite: secundùm verò opera eorum nolite facere.* 30.43

Alligant enim onera grauia, & importabilia. 32.52

24. *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* 535.108

De die autem, vel hora nemo scit; neque Angelus in cælo, neque filius hominis. 13.67

Si quis vobis dixerit, Hic est Christus, nolite credere. 437.7

25. *Possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* 105.38

Sitiui & dedistis mihi bibere. ibid.

Quandiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. 121.5

Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: esurini enim, & non dedistis mihi manducare, &c. Amen dico vobis, quandiu non feciſtis vni de minoribus ijs, neque mihi feciſtis. 135.7

26. *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, &c. & accipiens calicem gratias egit.* 465.8

Opus bonum operata est in me, mittens hæc vnguentum in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 134.2

Tristis est anima mea vsque ad mortem. 364.10

Hoc facite in meam commemorationem. 418.1

Digitized by Google

Bibite ex eo omnes. 489.80
Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. 375.4
Pater si possibile est. ibid.
An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum? 367.33
27. *Emisit spiritum.* 341.15
28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* 27.22 & 367.3
Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra. 406.5

Marci.

3. *Circumspiciens eos cum ira.* 365.15
7. *Et non potuit latere.* 374.3
10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari.* 755.1
14. *Accepto pane gratias egit, & fregit.* 465.8
Cæpit pauere, & tædere. 364.12
16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* 45.35
Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. 755.3

Lucæ.

1. *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* 333.84
2. *Puer autem proficiebat, & confortabatur, plenus sapientia, & gratia Dei erat in illo.*
Et Iesus proficiebat sapientia, & ætate, apud Deum, & homines. 360.57
3. *Videbit omnis caro salutare Dei.* 302.2
Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 755.1
Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendijs vestris. 150.3
5. *Venit enim Filius hominis, quærere & salvum facere, quod perierat.* 320.143
6. *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* 374.1
Mutuum date, nihil inde sperantes. 250.11
Mensuram bonam, & confertam, & cogitatam, & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. 116.85
7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* 531.70 & 547.29
8. *Semen est verbum Dei.* 436.2
Tetigit me aliquis, nam & ego noui virtutem de me exisse. 362.16
10. *Qui vos audit, me audit.* 31.46
11. *Beatus venter, qui te portauit, &c. quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.* 383.33
Væ vobis, qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. Profectò testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum. 135.4 & 387.69
Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. 135.5
12. *Ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* 83.16
Quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore. 32.53
Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor vsquedum perficiatur. 755.1
13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* 551.65
14. *Omnis qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* 82.14
Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, &c. non potest meus esse discipulus. 124.24
15. *Ecce tot annis seruio tibi.* 107.43
Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. 322.164
16. *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* 537.7
17. *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & si pœnitentiam egerit, dimitte illi: & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit, ad te dicens: Pœnitet me, dimitte illi.* 142.14
22. *Dico enim vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis.* 430.14
Et accepto calice & pane, gratias egit. 374.1
Hoc facite in meam commemorationem. 497.68
Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. 3362
Positis genibus orabat, dicens, &c. & factus in agonia prolixius orabat. 375.4
23. *Ducebantur & alij duo nequam cum eo, vt interficerentur.*
Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. 374.4

24. *De Ieſu Nazareno, qui fuit vir Propheta.* 350.68
Nonne oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam. 372.22
Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. 341.13

Ioannis

1. *Et Verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum.* 325.12
Et Verbum caro factum eſt. 324.5
Vidimus gloriam eius, &c. plenum gratiæ, & veritatis. 346.34
De plenitudine eius omnes accepimus. 407.7
Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. 322.161
Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. 407.7
3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in Regnam Dei.* 418.1
Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret. 337.9
4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Spiritus eſt Deus: & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* 380.7 & 384.43
6. *Hic eſt opus Dei.* 40.8
Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me, traxerit eum. ibid.
Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. 489.78
Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. 489.80 & 558.10
Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus meus verè eſt potus. 472.69
Qui manducat me, & ipſe viuet propter me. 473.1
Qui manducat hunc panem, viuet in aternum. 397.11
Sunt quidam ex vobis, qui non credant, &c. propterea dixi vobis, quia nemo poteſt venire ad me, niſi fuerit ei datum à Patre meo. 40.8
7. *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum.* 13.67
Quomodo hic litteras ſcit, cùm non didicerit. 359.31
9. *Me oportet operari opera Patris mei, donec dies eſt: veniet nox in qua nemo poterit operari.* 370.6
10. *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis.* 128.41
Nemo tollit eam à me, ſed ego pono eam à meipſo. 376.3
Et non rapiet eas quiſquam de manu mea. 117.92
Si illos dixit Deos ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura. 24.6
11. *Vbi poſuiſtis eum?* 355.15
12. *Ex principibus multi crediderunt in eum: ſed propter Phariſæos non confitebantur, vt è ſynagoga non ejicerentur; dilexerunt enim gloriam hominum, magis quàm gloriam Dei.* 55.19
13. *Sciens Ieſus quia venit hora eius.* 354.2
Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus. 375.6
14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* 132.20
Ego rogabo Patrem, & alium paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in aternum, ſpiritum veritatis. 30.44 & 375.5
Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. 127.38
Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis, quacumque dixero vobis. 24.4
15. *Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea.* 132.20
Si non veniſſem, peccatum non haberent. 58.2
Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. 127.41
Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis. 92.11
Iam non dicam vos ſeruos: vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis. 21.119
Maiorem hanc dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. 112.68
Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, ſpiritum veritatis. 21.119
17. *Pater volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum.* 354.8
18. *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* 377.18
20. *Accipite Spiritum ſanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* 418.1
Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. 407.9
Paſce oues meas. 729.32
Data eſt mihi omnis poteſtas. 361.11

Actus.

2. *Quem Deus ſuſcitauit ſolutis doloribus inferni.* 354.9
Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in remiſſionem peccatorum. 761.53

Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis. 489.78

3. *Argentum, & aurum non eſt mihi.* 489.80

4. *Non eſt aliud ſub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* 28.30

6. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine.* 346.34

8. *Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* 762.1

Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? 756.4

10. *Religioſus, ac timens Deum.* 150.2

In veritate comperi, quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente, qui timet eum, & operatur iuſtitiam, acceptus eſt illi. 21.120

Nunquid aquam quis prohibere poteſt vt non baptizentur hi. 756.4

15. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, nihil vltrà imponere vobis oneris, quàm hæc neceſſaria.* 35.73

Romanorum

2. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo, omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* 140.6

3. *Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit?* 1.1

Eſt autem Deus verax: Omnis autem homo mendax. 12.57

Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. 372.24

Quem propoſuit Deus ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ. 317.121

Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad iuſtitiam. 76.40

5. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* 69.2

Spes autem non confundit. 74.25

Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. 97.3 & 128.1

Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cùm inimici eſſemus, &c. 92.10

Sed non ſicut delictum, ita & donum: ſi enim vnius delicto multi mortui ſunt: multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti, in plures abundauit. 314.98 & 322.163

Sicut per vnius delictum, ſic & per vnius iuſtitiam. 317.121

Si enim cùm inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filij eius. 309.56

6. *Liberati autem à peccato, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Humanum dico propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut enim exhibuiſtis membra veſtra, ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* 102.25

Habetis fructum veſtrum in ſanctificationem, finem verò vitam æternam. 103.29

Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro. 372.26

7. *Mulier viuente viro alligata eſt legi.* 725.2

8. *Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore.* 80.2

Qui proprio filio non pepercit. 377.2

Si tamen compatimur. 74.27

Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis. 116.85

Nos ipſi primitias ſpiritus habentes. 21.119

Spe enim ſalui facti ſumus. 86.32

Quod videt quis, quid ſperat? 79.53

Spes autem quæ videtur, non eſt ſpes. 69.1

10. *Corde enim creditur ad iuſtitiam.* 39.3

Non enim eſt diſtinctio Iudæi, & Græci. 29.35

Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient ſine prædicante. 19.104

Ergo fides ex auditu. 58.4

11. *Quis enim cognouit ſenſum Domini.* 305.22

Quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam in ipſo, & per ipſum ſunt omnia. 320.141

12. *Non vos defendentes charißimi, ſed date locum iræ.* 150.4

Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum. 122.11

13. *Qui diligit proximum, legem impleuit.* 132.22

14. *Omne autem quod non eſt ex fide, peccatum eſt.* 1.1

Ad Corinthios 1.

1. *Nunquid Paulus crucifixus eſt pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* 407.7

2. *Quæ Dei ſunt, nemo ſcit niſi ſpiritus Dei.* 305.22

3. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundùm ſuum laborem, &c. Vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit: ſi cuius*

cuius opus manserit, mercedem accipiet. 106.40 & 107.45

Quid est Paulus? quid Apollo? nisi ministri eius, cui credidistis. 407.7

5. *Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare: nam eos qui foris sunt, Deus iudicabit.* 47.31

Tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus sit. 619.8

7. *Propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat.* 730.3

Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram. ibid.

Vxori vir debitum reddat, & vxor viro. 731.9

Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. quòd si dormierit vir eius, liberata est: cui vult nubat tantùm in Domino. 708.57

Bonum est, si sic permanserit secundùm meum consilium. 703.18

His autem qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. 508.59

Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir: similiter autem & vir, sui corporis potestatem non habet, sed mulier. 712.21

Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. 111.62

Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. 729.29

Quòd si discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi. 728.27

Si nupserit virgo, non peccauit. 702.13

Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem. 729.29

8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* 159.14

9. *Debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat in spe fructus percipiendi.* 526.27

Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edunt: & qui in altari deseruiunt, cum altari participant. 514.101

Calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est? 437.3 & 465.11

Omnes qui de vno pane participamus. 420.3

11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* 25.11 & 480.13

Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine. 473.73

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. 480.12

Si quis esurit, domi manducet. 484.42

Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. 478.2

Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. ibid.

Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini annuntiabitis. 488.68

12. *Vnicuique datur manifestatio Spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ.* 350.66

Vos estis corpus Christi, & membra de membro. 352.85

13. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc: maior autem horum est charitas.* 75.35

Cùm venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. 349.56

Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. 351.71

Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum. 55.17

Si charitatem non habuero, nihil mihi prodest, &c. factus sum sicut cymbalum tinniens. 547.28

Per speculum, & in enigmate. 9.42

15. *Abundantiùs illis omnibus laborani, non ego autem, sed gratia Dei mecum.* 129.5

Itaque fratres mei stabiles efiote, & immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino. 193.30

Primus homo de terra, terrenus: secundus homo de cœlo, cælestis. 341.14

Ad Corinthios 2.

1. *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus in cordibus nostris.* 403.2

4. *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei, in facie Christi Iesu.* 53.5

5. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* 365.20

Digitized by Google

Per fidem ambulamus, & non per ſpeciem. 56. 28
Vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. 535.120
6. *Nolite iugum ducere cum infidelibus.* 745. 63
7. *Gaudeo, non quia contriſtati eſtis, ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* 545.10
8. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat.* 138.23
Qui parcè ſeminat, parcè & metet. 103. 26
Et augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. 100.14
11. *Deſponsi enim vos vni viro, Virginem caſtam exhibere Chriſto.* 80.2
13. *An experimentum quæritis, eius qui in me loquitur Chriſtus?* 24.5

Ad Galatas.

1. *Licèt nos, aut Angelus de cœlo, euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit.* 26. 17
2. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* 323.164
Si enim per legem iuſtitia: ergo gratis Chriſtus mortuus eſt. 311.71
3. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa.* 535.105
4. *O inſenſati Galatæ, quis vos faſcinauit.* 228.11
At vbi venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum. 302.4 & 323. 167
5. *In Chriſto Ieſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur.* 43.23
6. *Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim ſuo metemus non deficientes.* 108.49

Ad Epheſios.

1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* 389.3
In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis, in omni ſapientia & prudentia. 372.24
Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, in Chriſto. 23
Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu eius in charitate. Qui prædeſtinauit nos in adoptionem filiorum, per Ieſum Chriſtum in ipſum. 373.26
Suſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum, & Poteſtatem, & virtutem, & Dominationem, & omne quod nominatur; non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedibus eius: & ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius. 352.87
Vt ſciatis, quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ hæreditatis eius. 69.2
Secundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis, in omni ſapientia. 21. 119
In quo credentes ſignati eſtis. 403.2
Inſtaurare omnia in Chriſto, quæ in cœlis, & quæ in terra ſunt, in ipſo. 307. 43
2. *Gratia enim eſtis ſaluati per fidem, & hoc non ex vobis: Dei enim donum eſt.* 6. 26
4. *Quoſdam dedit Prophetas: alios autem Paſtores & Doctores.* 35.71
Veritatem facientes in charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. 100.14
Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis in diem redemptionis. 403.2
Qui deſcendit, ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia. 367.3
5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationem & hoſtiam Deo.* 375.1
Mundans lauacro aquæ in verbo vitæ. 397.11
Sacramentum hoc magnum eſt. 418.1
Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam. 27 27
6. *Pax & charitas cum fide à Domino Ieſu Chriſto.* 128.1

Ad Philippenſes.

1. *Hoc oro, vt charitas veſtra, magis, ac magis abundet in ſcientia, & in omni ſenſu.* 100.14
2. *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu: qui cùm in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, &c.* 373.1
Exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. 302.4
Humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit

donauit illi nomen, quod est super omne nomen. 372.22

Ad Colossenses.

1. *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* 351.73
Primogenitus omnis creaturæ. 341.147
Vt ambuletis dignè Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes. 106.41
2. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* 355.16
In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. 367.3

Ad Thessalonicenses 1.

4. *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem.* 119.101

Ad Thessalonicenses 2.

2. *State, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* 25.11 & 762.2
3. *Hunc notate, & ne commisceamini cum illo.* 620.17

Ad Timotheum 1.

1. *Habens bonam conscientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragauerunt.* 55.21
Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere. 320.143
Quos tradidi Satanæ, vt discant non blasphemare. 619.8
2. *Obsecro orationes fieri pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate, & castitate. hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 500.47
3. *Hæc tibi scribo, vt scias quomodo te oporteat in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* 29.38
5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* 1.1
6. *Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo.* 85.27
Facile tribuere, & communicare.

Ad Timotheum 2.

1. *Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem.* 74.25
Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum. 418.1
Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum & gratiam, quæ data est in Christo Iesu. 373.28
2. *Si non credimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest.* 77.43
Si negauerimus eum, & ipse negabit nos. 48.51
Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus. 283.95
3. *Omnis scriptura diuinitus inspirata, vtilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia.* 23.2
4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex.* 73.20 & 116.85

Ad Titum.

1. *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus.* 12.58 & 69.2
2. *Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem.* 85.27
Expectantes beatam spem. 1.1
Qui secundùm suam misericordiam saluos nos fecit. 309.56
3. *Hæreticum hominem, post vnam & secundam correptionem, deuita.* 63.33

Ad Hebræos.

1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis.* 24.4
Splendor gloriæ, & figura substantiæ eius. 325.12
Cui enim Angelorum dixit aliquando, Filius meus es tu? 378.6
2. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ.* 339.1
Qui enim sanctificat, & qui sanctificantur, ex vno omnes: propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te. Et iterum: Ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei, quos dedit mihi Deus. Quia ergo communicauerint carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem. 353.89
Decebat enim eum, in quo omnia, &

Digitized by Google

per quem omnia, & qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummari. 325.12

Vidimus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum. 372.22

4. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetrauit cælos.* 375.1

5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia, pro peccatis.* 498.36

Qui in diebus carnis suæ, preces supplicationésque ad eum, qui posit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. 314.98

Et quidem cùm esset Filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam. 360.57

Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. 375.1

6. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus.* 52.59

Fortissimum solatium habeamus, qui confugimus per propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam. 74.25

Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam. 529.60

7. *Plures facti sunt Sacerdotes secundùm legem; idcirco quòd morte prohiberentur permanere: hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis.* 376.9

Hic autem manet Sacerdos in æternum. 375.1

Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. 498.39

8. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur: vnde necesse est, & hunc habere aliquid, quod offerat.* 575.1

Vbi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris, testamentum enim in mortuis confirmatum est: alioquin non valet dum viuit, qui testatus est. 467.26

Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis; neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. 375.1

In redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento. 44.30

Ideo Christus noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, repromissionem accipiat æternæ hæreditatis. 467.26

10. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* 367.32

11. *Est autem fides substantia rerum sperendarum, argumentum non apparentium.* 17.96 & 43.23

Sancti per fidem fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum. 150.2

Fide Henoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur, quia transtulit illum Deus: ante translationem enim, testimonium habuit placuisse Deo. Sine fide autem impossibile est placere Deo. 43.23 & 56.24

Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit. 21.115

12. *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquisisset eam.* 530.65

Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta. 367.31

Honorabile connubium, & thorus immaculatus. 702.13

Iacobi.

1. *Postulet autem in fide nihil hæsitans.* 1.1

Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. 321.148

2. *Si introierit in conuentum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: nónne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* 189.7

Nolite in personarum acceptione habere fidem. ibid.

Si autem personas accipitis, peccatum operamini. ibid.

Digitized by Google

Redarguti à lege quasi transgressores. ibid.
Reputatum est illi ad iustitiam. 92.11
Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantùm. 100.14
Abraham ex operibus iustificatus est, offerens filium super altare. 102.26
Sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita & fides sine operibus mortua est. 95.33
Credis quia vnus est Deus, bene facis; & dæmones credant, & contremiscunt. 56.26
4. *Qui iudicat fratrem suum, detrahit legi.* 233.42
5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* 537.7
Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini; & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei. 418.1 & 766.1

Petri 1.

1. *Vos autem genus electum, gens sancta.* 29.34
2. *Vocauit nos in admirabile lumen suum.* 53.5
Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spiritualis Sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias acceptabiles Deo. 375.2
Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. 365.18
Peccata nostra pertulit in corpore suo. 324.5
Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam discolis. 196.21
3. *Quod & vos nunc similis forma saluos facit Baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.* 397.9
4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 531.70

Petri 2.

1. *Lucerna lucenti in caliginoso loco.* 9.42
Non enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines. 23.2
Omnis scriptura propria interpretatione non fit. 24.5
Et hanc vocem nos audiuimus de cælo allatam, cùm essemus cum ipso in monte sancto: & habemus firmiorem propheticum sermonem. 42.3

Ioannis 1.

1. *Et sanguis eius emundat nos ab omni peccato.* 372.25
Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ. 17.94
2. *Vnctio eius docet vos de omnibus.* 19.104
Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos. ibid.
Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum: sed vt manifesti sint quoniam non sunt omnes ex nobis. 117.92
Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. 500.47
3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* 135.7
Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit. 117.92
Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum. 73.10
Qui non diligit, manet in morte. 95.33
4. *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est.* 120.2
Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. 91.9
Timor non est in charitate, sed perfecta charitas mittit foras timorem. 80.2
Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. 5.21
5. *Spiritus est qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* 3.11
Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei maius est; quoniam hoc est testimonium Dei, quod maius est. ibid.

Ioannis 2.

1. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo, neque aue ei dixeritis: qui enim illi dicit aue, communicat operibus eius malignis.* 620.17

Apocalypsis.

1. *Fecisti nos Deo nostro Regnum, & Sacerdotes.* 585.8
Sacramentum septem stellarum. 389.3
2. *Habeo aduersum te, quod charitatem primam reliquisti; memor itaque esto vnde excideris, & age pœnitentiam.* 117.91
Non negasti fidem meam. 1.1

3. *Dignus*

Index locorum S. Scripturæ.

3. *Dignus eſt agnus, qui occiſus eſt, accipere diuinitatem.* 331.68

7. *Abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, ſed nec vllus dolor.* 528.47

14. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati.* 130.1

16. *Aquæ multæ, populi multi.* 431.21

22. *Qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc. Ecce venio citò, & merces mea mecum eſt, dare vnicuique ſecundùm opera ſua.* 103.29

Si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: & ſi quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri huius, &c. 26.17

Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. 73.19 & 114.76

TRACTA

TRACTATVS XV.

DE FIDE.

DISPVTATIO I.

De obiecto Fidei.

SECTIO I.

Quodnam ſit obiectum materiale Fidei.

1. NOMEN *Fidei*, plures habet ſignificationes in ſacra Scriptura, & apud ſanctos Patres, quas latè referunt Recentiores in hoc loco. Primò enim ſi ad nominis etymologiam attendamus, ideo ſic nominatur, quia fit id quod dicitur: ideo enim componitur ex *fio* & *dico*. Sic deſumitur ex D. Auguſtino epiſt. 19. ad Auguſt. Hieronymum. *In Latino*, inquit, *ſermone Fides ab eo dicitur appellata, quia fit quod dicitur.* Quod ſumpſit ex Marco Tullio *lib. 1. officiorum*, ſic ſcribente. Tullius. *Credimus, quia fiat quod dictum eſt, appellatam fidem.* Hinc hoc nomen tranſlatum eſt ad ſignificandam virtutem fidelitatis, ſeu veritatem in dictis, vel promiſſis. quo ſenſu vocamus amicum fidelem, & teſtem fidelem, cui opponitur fictus & mendax. Et ad Roman. 3. *Nunquid eorum incredulitas fidem* Rom. 3. *Dei evacuavit*, (vel impedire poteſt quin Deus ſit verax in ſermonibus ſuis & promiſſis, *abſit? Eſt enim Deus verax.* Secundò ſignificat non iam virtutem ſeruandi promiſſa, ſed promiſſionem ipſam, quo ſenſu Apoſtolus de quibuſdam 1. ad Timoth. 5. 2 Timoth. 5. dixit. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id eſt, primam fidem ex voto debitam: vel quia vouerunt, & non reddiderunt, vt explicat idem Auguſt. *Pſalm. 75.* Et in eodem ſenſu lib. de ſpiritu & litera cap. 31. *Aliter*, inquit, *dicimus Non mihi habuit fidem. Aliter autem, non mihi ſeruauit fidem. Nam illud eſt, non credidit quod dixi. Illud, non fecit quod dixit.* Et ab hac acceptione ſæpe Deus vocatur fidelis, & verax. Pſalm. 144. & 1. Corinth. 10. Tertiò etiam ſumitur pro exiſtimatione, vel bona fama, & auctoritate: vt cùm quis dicitur fidem omnino amiſiſſe, vel eſſe iam nullius fidei; quia nemo ei fidere vellet, aut negotium, vel arcanum committere. Eccleſ. 27. *Qui detegit arcana,* Eccl. 27. *fidem perdit.* E contra verò teſtis fide dignus dicitur, cuius autoritas magnum pondus habet. Quartò ſumitur pro conſcientia bona, ad Rom. 14. *Omne* Rom. 14. *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, id eſt, omne quod eſt contra conſcientiam, & dictamen rationis. Eodémque ferè ſenſu dicitur aliquid fidei noſtræ commiſſum, vt illud ſecundùm conſcientiam vel ſeruemus, vel exequamur. Quintò pro fiducia, qua quis ſibi perſuadet Deum aliquod illi beneficium præſtiturum. Et hæc eſt illa fiducia, ſiue fides, qua Chriſtus Dominus dicit, montes eradicandos, & in mare mittendos: & qua mulier ſanguinis fluxum patiens, certa erat ſe morbo liberandam, ſi tangeret Chriſti fimbriam; & de hac loquitur Iacobus cap. 1. inquiens, *Poſtulet autem in fide, nihil* Iacob. 1. *hæſitans.* Et Chriſtus Dominus Matth. 14. cùm Petro dixit: *Modicæ fidei, quare dubitaſti?* id eſt, paruæ Matth. 14. fiduciæ, quare timuiſti? Et quamuis Suarez *ſect. 1.* huius diſputationis, cenſeat, fiduciam hanc idem eſſe ac ſpem, connotando quamdam perfectionem, ſeu robur eius; potiùs mihi videtur includere fidem catholicam, & aſſenſum de beneficio accipiendo, inſuper & ſpem oppoſitam timori. Sextò denique fides ſignificat, tum actum, ſiue aſſenſum intellectus, quo alteri aliquid affirmáti credimus: tum etiam habitum, quo ad eiuſmodi aſſenſum eliciendum inclinamur, quæ ſignificatio frequentiſſima eſt in ſacra Scriptura, apud ſanctos Patres, & Theologos. Cui etiam accedit illa ſignificatio, qua ipſum obiectum fidei fidem vocamus. Apocalyp. 2. *Non negaſti fidem meam.* Et in Sym- Apoc. 2. bolo Athanaſij. *Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſque fideliter, firmitérque crediderit, ſaluus eſſe non poterit.* Sicut etiam ſpes pro obiecto ſpei, ſeu pro eo quod ſperatur, vſurpari ſolet, ad Titum 2. *Expe-* Tit. 2. *ctantes beatam ſpem.*

2. Nos ergo in toto hoc tractatu, tantùm diſſeremus de fide in ſexta acceptione, quatenus fides, vt communiter definiunt Theologi, eſt quidam habitus ad intellectum pertinens, quo infallibiliter, & ſine vlla formidine credimus à Deo reuelatis, ob auctoritatem Dei reuelantis: & eſt noſtræ iuſtificationis initium, & reliquarum virtutum radix, & fundamentum. Quæ in hunc modum diffinitur ab Apoſtolo ad Hebr. 11. *Fides eſt ſperandarum* Hebr. 11. *ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Dicitur *ſubſtantia rerum ſperandarum*, quia eſt fundamentum ſpei. nam per eam quodammodo ſubſtant, ſeu ſubſiſtunt in nobis res quas ſperamus; quia proprium eſt fidei, fulcire ſpem & fiduciam: non enim poſſet homo ſperare, niſi crederet. Dicitur *argumentum*, ſeu conuictio; quia fides debet eſſe aſſenſus non minus firmus, & certus, quàm ſit aſſenſus euidens, quo intellectus conuincitur, & ex neceſſitate inducitur. Additur denique, *non apparentium*, vt ſignificetur, fidem debere eſſe rerum, aut veritatum, quæ non videntur. Per quod etiam actus fidei ab omni actu euidente diſtinguitur; per quod etiam indicatur ratio aſſentiendi, quæ debet

esse auctoritas Dei: non enim posset assensus obscurus esse ita certus, nisi in auctoritate Dei niteretur. De hac ergo Fide inquirimus circa quod obiectum versetur, vel quodnam sit obiectum materiale eius.

3. Prima conclusio, Deus vt Deus, id est, sub ratione deitatis, est principale & primarium obiectum habitus Fidei. hæc conclusio certa est, & communiter recipitur à Theologis. Et prior pars ex se est manifesta, quia illud est obiectum scientiæ, vel habitus, circa quod scientia, vel habitus versantur: Fides autem nostra in Deum tendit, & circa Deum versatur; quia multa de Deo credimus, scilicet esse, & esse vnum, & trinum, &c. Et ideo vna de virtutibus theologicis dicitur 1. Corinth. 13. ergò Deus vt Deus est obiectum nostræ fidei. Secunda etiam pars facilè ostenditur, quia inter res omnes, circa quas versatur fides, Deus est præcipuum subiectum, vt est manifestum: & Hebr. 11. ideo ad Hebr. 11. dicitur: *Accedentem ad Deum, oportere credere, quia est.* vbi Deus proponitur tanquam terminus primarius nostræ fidei. Consonat Augustinus Augusti. *cap.* 10. inquiens. *Fidei vnum, & primum, ac maximum officium est, vt in vnum credatur Deum.* Et ob hanc causam Deus appellatur subiectum attributionis nostræ fidei, quia ad ipsum referuntur omnia quæ sub fide diuina cadunt; quæcunque enim per fidem apprehenduntur, dicunt respectum ad Deum vel cognoscendum, vel sperandum, amandum, possidendum: vel sunt personæ diuinæ, vel attributa diuina, vel effectus misericordiæ, & bonitatis Dei, vel iustitiæ illius: itavt Incarnatio quoque ipsa referatur ad Deum, nobisque aperuit viam in cœlum, vt reconciliaremur Deo, & ipsius gloriam obtineremus. Et denique, quia lumen fidei est quædam participatio supernaturalis diuini luminis: Deus autem est primarium obiectum tam diuini luminis per essentiam, quàm creati luminis gloriæ: ergo similiter est primarium obiectum luminis fidei.

4. Secunda conclusio. Deus, absolutè loquendo, non est obiectum adæquatum materiale fidei, sed plura alia, quæ sub hoc obiecto cadunt, nimirum omnia illa, quæ à Deo reuelantur, tam necessaria, quàm contingentia. Hæc est etiam cõmunis, & certa apud Theologos. Et facilè ostenditur, nam licèt per habitum fidei consideretur & credatur Deus, & quæ sunt Deo propria; non tamen hæc solùm, sed alia plura cadunt sub obiectum huius habitus. Deinde, quia obiectum formale huius habitus potest applicari aliis rebus, sicut de facto applicatur, cùm credimus propter testimonium Dei, multa longè distincta à Deo. Denique, quia id dicitur materiale obiectum alicuius habitus adæquatum, circa quod totum talis habitus potest versari, & non circa aliud: at circa totum quod est à Deo reuelabile, versari potest habitus fidei diuinæ: nec potest talis habitus attingere, nisi quod est à Deo reuelabile: ergo obiectum materiale adæquatum habitus fidei diuinæ, est omne à Deo reuelabile; ad id enim totum, & non ad amplius, se extendit testimonium Dei infallibiliter reuelantis, quod, vt dicemus, est obiectum formale habitus fidei, siue medium assentiendi per fidem.

5. Quòd etiam Deus sit subiectum fidei, non solùm secundùm veritates necessarias, sed etiam secundùm contingentes, quæ liberè à Deo producuntur, est etiam manifestum. Nam Incarnatio Christi, & similia, proponuntur nobis, vt credenda per fidem diuinam; hoc enim obiectum est reuelabile à Deo, cùm sit verum; ac proinde potest illi applicari obiectum formale fidei. Vnde quando aliqui Doctores docent, res creatas per accidens pertinere ad fidem, solùm significant, non esse obiectum principale, sed materiale minus præcipuum fidei, quæ integrè omnes res reuelatas respicit. Ex quibus

Infertur primò deceptum fuisse Durandum 6.
quæst. 5. Prologi sententiarum, vbi opinatur obiectum, siue subiectum principale fidei, esse actum meritorium: quod falsum est, quia in actum meritorium non ordinantur per habitum fidei, omnia de quibus fides agit: neque actus meritorius est id, de quo ratione sui, fides ostendit sua attributa. Nec refert quòd actus quo credimus ea, quæ à Deo reuelantur, sit meritorius. Hoc enim nihil facit ad rem: nam hîc solum quærimus, quodnam sit obiectum illius fidei, qua Deum, & cætera credimus: quod patet nullo modo esse actũ meritorium.

Similiter decepti sunt nonnulli alij Theologi 7.
opinantes, Deum sub ratione saluatoris, aut glorificatoris esse subiectum fidei, quia omnia quæ reuelantur per fidem, ordinantur ad hominum salutem & gloriam, iuxta illud Ioan. 20. *Hæc scripta sunt, vt credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius.* Hoc etiam est falsum, quia per fidem non solùm cognoscimus Deum, quatenus creator, glorificator, & iustificator est; sed etiam quoad alia prædicta omnino intrinseca & necessaria ipsi Deo; vt esse vnum, trinum, bonum, &c. Nec refert, quòd fides ordinetur ad nostram salutem, & gloriam; nam hæc etiam ordinantur ad gloriam ipsius Dei. Ioan. 20.

Denique deceptus fuit Caluinus, & immeritò 8.
reprehendit Theologos, eo quòd Deum vt Deum asserant esse primarium subiectum fidei, & non etiam Deum vt hominem, seu Christum; quia fides Christi potissimum postulatur in Euangelio, cui etiam salus nostra tribuitur. Hæc enim reprehensio vana est, & absque fundamento; quia Theologi omnino comprehendunt Deum vt hominem in obiecto materiali fidei. Quod verò constituant illum non primo, sed in secundo loco, sequuntur ipsummet Christum, dicentem. *Creditis* Ioan. 14.
in Deum, & in me credite. Et alibi, *hæc est vita æter-* Ioan. 17.
na, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum. Qui ordo seruatur in symbolis fidei, in quibus priori loco proponuntur quæ ad diuinitatem pertinent, deinde quæ ad humanitatem.

Secundò infertur decisio illius difficultatis, An 9.
obiectum fidei sit aliquid complexum, vel incomplexum. Si enim sermo sit de subiecto, siue obiecto materiali primario & principali diuinæ fidei, certum est illud esse simplex, & ex se omnino incomplexum; quia hoc obiectum est Deus, qui simplicissimus est: & idem est de aliis attributis, & perfectionibus Dei de quibus habetur fides. Si verò loquamur de obiecto formali diuinæ fidei, illud vno modo est quid simplex & incomplexum, & alio modo est quid complexum. Quia prima veritas seorsim & per se sumpta, est obiectum secundùm se incomplexum; similiter & testimonium Dei dicentis, si per se & seorsim sumatur, nam in veritate & testimonio Dei, consistit formale obiectum diuinæ fidei, vt dicemus; qua ratione formale obiectum simplex est: si autem totum hoc sumatur, nempe prima veritas, & testimonium eius circa rem quæ creditur, totum hoc non est res vna simplex. Si denique loquamur de

obiectis

obiectis materialibus fidei minùs præcipuis, multa sunt physicè complexa, Ncèt quodammodo incomplexa dici possint. Angelus enim, de quo minus præcipuè agit fides, etsi secundùm naturam sit physicè simplex, tamen secundùm personalitatem est physicè compositus; homo verò vtroque modo complexus est: similiter Christus Dominus, & sic in aliis pluribus, quæ quidem etsi physicè sint
6. complexa, ex se tamen compositionem intellectualem ex vi sua non habent, sed ex accidenti propter propriam intellectus nostri conditionem, qui aliter de illis iudicare nequit, nisi per compositionem & diuisionem, quatenus intellectus noster iudicat de illis per habitum diuinæ fidei, componendo, & diuidendo.

Sectio II.

Quodnam sit obiectum formale diuinæ fidei.

10. Sensus est, quodnam sit medium, siue motiuum, seu ratio formalis, sub qua intellectus noster assentitur rebus fidei. Et conueniunt Doctores, rationem hanc esse Deum ipsum quatenus est prima veritas. Cùm autem prima veritas possit dupliciter considerari, vno modo vt est prima veritas in essendo, qua ratione denotat veritatem transcendentalem; quia cùm Deus sit primum ens, eo ipso est etiam prima veritas: & altero vt est prima veritas in dicendo, qua ratione per primam veritatem intelligitur perfectio illa, ratione cuius Deus neque potest falli, neque fallere. Difficultas est qua ratione ex his, Deus sit formale obiectum fidei vt prima veritas.

11. Prima conclusio. Deus sub ratione primæ veritatis in dicendo, est formale obiectum fidei diuinæ, & ita non sub ratione primæ veritatis in essendo, aut sub ratione deitatis. Ita communiter Theologi. Et probatur, quia vt quis moueatur ad credendum, debet moueri ex iudicio, quo iudicet dicentem esse veracem in eo quod affirmat: aliàs non mouebitur ad credendum ex eius testimonio, vt est per se notum: si verò semel iudicet dicentem esse veracem, nihil prorsus refert ad assensum fidei, cognoscere vnde in dicente veritas eius oriatur: nam hoc non pertinet ad causam assensus, sed ad causam rei; ergo quamuis discursu nostro possimus in Deo ex deitate colligere veritatem, scilicet Deum esse veracem, quia est Deus; tamen resolutio assensus fidei non fit in deitatem, sed sistit in prima veritate in dicendo, quæ vocatur veracitas, tanquam in primo principio, & formali ratione. Hinc sacra Scriptura cùm iubet nos credere mysteria fidei, nullam aliam rationem proponit, nisi quia Deus qui prima veritas est in dicendo, ea reuelauit ac testatus est, vt videre est *in epistola* 1. *Ioan. cap.* 5. vbi vt credamus, nullam aliam rationem proponit: *Quia spiritus est*, inquit, *qui testificatur: quoniam Christus est veritas.* Et subdit. *Si testimonium hominum suscipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimonium Dei quod maius est.* Ac si apertè dicat. Si testimonium hominis nos mouet ad credendum aliquid, multo magis nos mouere debet testimonium Dei, quod infinitè infallibile est.

1. Ioan. 5.

12. Ex quo reiicitur sententia Aureoli apud Capreolum in 3. *dist.* 24. *quæst.* 5. opinantis, obiectum formale fidei esse Deum sub ratione primæ veritatis in essendo, quem postea videtur secutus Caietanus in hoc loco, qui considerans Deum & omnia quæ sunt in illo, esse vnicam rationem formalem, & attributa diuina non distingui à deitate, duo dicit. Alterum est, quòd obiectum formale fidei est deitas ipsa, quod probat, quia fides est virtus theologica: sed virtutes theologicæ habent Deum pro obiecto immediato formali: nam Deus respectu charitatis, & spei, non solùm est quod diligitur, & quod speratur; sed etiam est illud quo diligitur, & quo speratur: ergo fides habet deitatem pro obiecto immediato formali. Secundò dicit, quòd cùm Deus vt Deus, sit idem quod Deus vt verus, idem esse dicere Deum esse formale obiectum fidei: & primam veritatem esse obiectum formale fidei, quia prima veritas coincidit cum deitate. Quod probat, quia si sumatur Deus vt est verus in essendo, manifestum est quòd verum nihil reale addit supra ens; nam homo verus nihil addit supra hominem, nisi alio modo consideratum, scilicet vt dicit conformitatem ad intellectum: ergo veritas nihil addit supra veritatem; & consequenter Deus vt verus, idem est, ac Deus: ac proinde idem erit dicere, Deus vt Deus est obiectum fidei, atque Deus verus in essendo. Si verò consideretur Deus verus in dicendo, siue in reuelando, etiam idem est Deus vt Deus, & Deus vt verus; quia veritas Dei in dicendo solum consistit in conformitate ipsius dicentis & reuelantis, ad id quod dicitur & reuelatur; & ita prima veritas in dicendo illa erit, quæ neque falli, neque fallere potest in eo quod dicit: hæc autem infallibilitas in dicendo, conuenit Deo ratione deitatis; ac proinde idem erit dicere, Deus vt verus, siue in essendo, siue in dicendo, esse obiectum formale fidei, & Deus vt Deus est.

13. Sed, salua pace Caietani, hæc extra rem videntur, quia hic non inquirimus primam radicem essendi attributorum in Deo; neque vnde Deus sit verus, aut prima veritas; aut vnde sit bonus, aut sapiens. certum enim est deitatem esse radicem omnium attributorum, sed in genere inuestigamus, non rationem essendi, sed causam & rationem proximam & immediatam credendi reuelatis, quæ non potest esse deitas, quia non credimus rebus reuelatis, quia Deus est, sed quia verax, & fidelis & prima veritas est; itavt si per impossibile Deus esset, & non esset Deus verus, siue vèrax in dicendo, non esset in Deo causa, & ratio proxima credendi. Neque obstat virtutes theologicas sic appellari, quia versantur circa Deum. Nam licèt omnes versentur circa Deum, tanquam circa obiectum materiale; valde tamen differunt in obiecto formali, seu ratione tendendi in illum, vt ex se est manifestum.

14. Obiicies primò pro Caietano, habitui fidei succedit in patria lumen gloriæ, seu visio beatifica: sed obiectum formale luminis gloriæ est Deus sub ratione deitatis: ergo secundùm eamdem rationem erit obiectū formale fidei. Respondetur, lumen gloriæ esse clarum, & visionem beatificam esse euidentem notitiam ipsius Dei, vt est in se, & generatur in beatis ex his quæ sunt intrinseca ipsi Deo, provt est in se; quia est notitia intuitiua rei præsentis; ac proinde Deus vt Deus est obiectum formale luminis gloriæ. At notitia quæ habetur per fidem generatur in nobis, non per intrinseca ipsius Dei, sed per extrinseca, nimirum per auctoritatem ipsius Dei reuelantis; & ideo fides nititur auctoritate diuina, vt est prima veritas in dicendo.

15. Obiicies ſecundò pro Aureolo, quia illud eſt formalis ratio alicuius habitus, in quod tanquam in vltimam rationem reſoluitur aſſenſus veritatum eius; atque adeò illud eſt medium aſſentiendi: ſed Deus ſub ratione deitatis, eſt vltima ratio in quam tandem reſoluitur aſſenſus veritatum fidei diuinæ: ergo illa eſt formalis ratio obiecti fidei. Minor probatur, quia ſi quis interrogetur, quare credat Deum eſſe trinum & vnum? reddet autem rationem dicendo, quia Deus dixit. Si verò rurſus interrogetur, quare Deo dicenti credat? reſpondebit rectè, quia Deus eſt prima veritas. Si denique rurſus interrogetur, quare credat Deum eſſe primam veritatem? reſpondebit amè, quia eſt Deus, & in hoc ſiſtit vterque: ergo vltima ratio aſſentiendi in diuina fide, & in quam tandem reſoluitur aſſenſus eius, eſt Deus ſub ratione veritatis: & per conſequens veritatis primæ in eſſendo. Reſponderur, tam interrogationem illam, quare ſcilicet Deus ſit prima veritas, quàm reſponſionem illius, non pertinere ad formalem rationem aſſenſus fidei; quia poſtquam quis reſpondit ſe credere Deo, quia prima veritas dicit, iam non reſtat alia ratio credendi: imò ſtulta eſſet interrogatio, ſi quis interrogaretur, quare credat primæ veritati. Si verò quis ſic interrogatus reſponderet, quia prima veritas eſt Deus, aſſignaret quidem rationem eſſendi, non verò rationem formalem aſſentiendi.

16. Secunda concluſio, formalis ratio integra credendi Deo, non ſolùm requirit perfectionem ex parte diuinæ voluntatis, quæ eſt procliuitas ad ſemper dicendum verum, ſed etiam ex parte intellectus, quæ eſt perfecta ſapientia. Et probatur, quia omnes credunt Deo tanquam teſti, qui nec poteſt decipere, nec decipi; hoc autem poſtulat in Deo, non ſolùm perfectionem prædictam ex parte voluntatis, ſed etiam ex parte intellectus; quia duo ſunt omnino neceſſaria, vt ex teſtimonio alterius quis moueatur ad credendum, vnum cognitio rei quam atteſtatur: alterum inclinatio ad dicendum verum quod cognoſcit; ſi enim quantumcunque procliuis eſſet ad dicendum verum, falli poſſet, aut ex errore, aut ex ignorantia, non moueretur, ſed incertus maneret ad firmiter credendum animus audientis. Sic è contra quantumuis veram cognitionem haberet, ſi tamen poſſet velle mentiri, aut decipere, ineptum eſſet eius teſtimonium: duo autem hæc in Deo perfectiſſimè reperiuntur, pugnat enim cum Deo mentiri, aut decipi; ſicut & aliquid ignorare: quare nomine primæ veritatis in dicendo, illa duo intelligenda ſunt.

17. Obiicies, quia formalis ratio obiecti habitus realis, non poteſt eſſe ens rationis: ſed diuina reuelatio, vel quòd aliquid ſit dictum, vel reuelatum à Deo, eſt formaliter ens rationis, vel quid extrinſecum habitui fidei: ergo hæc non poteſt eſſe ratio formalis ſub qua habitus fidei diuinæ, quæ eſt habitus realis. Propter hoc argumentum Bañes 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 1. exiſtimat, quòd quando inquiritur obiectum formale fidei; aut quæritur obiectum formale ex parte credendorum, & tale obiectum formale eſt, Deus inquit vt reuelans actiuè: ſi verò quæratur obiectum formale fidei ex parte noſtri intellectus, eſſe ipſummet lumen fidei, ſiue ipſam illuminationem, & reuelationem paſſiuam, quæ eſt quid reale, quia mediante tali lumine, ſeu reuelatione, vt ſub ratione, ſub qua aſſentimur reuelatis. Itaque quando dicitur primam veritatem reuelantem eſſe obiectum formale fidei, illa particula *reuelans* ſumpta actiuè, id eſt, vt eſt actio Dei in ipſo exiſtens, vt ſic non poteſt eſſe ratio formalis ſub qua noſtræ fidei, quia hoc modo conſiderata eſt nobis extrinſeca tenens ſe ex parte cauſæ efficientis: ſumpta verò paſſiuè, hoc eſt, pro ipſo effectu quem Deus reuelans efficit in nobis, quo mediante formaliter nobis eſt aliquid manifeſtum, hoc modo illa reuelatio nihil aliud eſt, quàm ipſum lumen fidei, quod Deus infundit nobis, vt per illud aſſentiamur rebus reuelatis.

18. Hic tamen modus dicendi mihi non probatur. Primò, quia ex eo ſequeretur, eandem eſſe rationem formalem ſub qua ſui ipſius, quia reuelatio & illuminatio paſſiuè ſumpta, eſt ipſummet lumen, & ipſemet habitus fidei, de quo quæritur ratio formalis: ergo dicere reuelationem paſſiuam eſſe rationem formalem habitus fidei, eſt dicere, habitum fidei eſſe rationem formalem ſui ipſius. Præterea, quia quando quæritur ratio formalis ſub qua habitus fidei, præſupponitur & præintelligitur ipſe habitus conſtitutus exiſtens in intellectu, vel per modum actus primi, vel ſecundi; & de hoc habitu quæritur ratio ſub qua tendit in ſuum obiectum; ſed terminus reuelationis paſſiuæ eſt ipſemet habitus: ergo reuelatio paſſiua non poteſt aſſignari tanquam ratio formalis ipſius. Deinde, quia ratio formalis ſub qua credendi, debet eſſe omnino certa, & infallibilis; ſed prædicta reuelatio paſſiuè ſumpta, non eſt omnino certa & infallibilis: ergo non poteſt eſſe ratio formalis ſub qua noſtræ credulitatis. Minor probatur, quia ſicut Deus per illuminationem, & reuelationem paſſiuè ſumptam, mediante lumine fidei, mouet ad credendum reuelatis, ita Spiritus ſanctus per charitatem in cordibus noſtris diffuſam, teſtimonium perhibet ſpiritui noſtro quòd ſumus filij Dei; ſed amore iſto interno paſſiuè ſumpto, ſeu iſto teſtimonio Spiritus ſancti, non reddimur certi de charitate, & diuino amore: ergo neque etiã reddimur certi de reuelatis per reuelationem & illuminationem paſſiuè ſumptam: aliàs poſſet reddi incerta credulitas noſtra, ſicut & eius ratio formalis. Denique quia lumen hoc, vt infrà oſtendã, potiùs ſe tenet ex parte cauſæ efficiẽtis: ergo nõ poteſt eſſe ratio formalis ſub qua.

19. Ad obiectionem ergo reſpondetur, habitum fidei cùm ſit obſcurus, & innitens auctoritate ſolùm dicentis, ex natura ſua poſtulare rationem formalem extrinſecam, ſicut etiam fides humana. Vnde hæc eſt differentia inter habitus intellectuales, qui nituntur teſtimonio, & auctoritate dicentis, & habitus qui nituntur principiis, & cauſis ipſarum rerum cognitarum: hi enim habent formalem rationem realem exiſtentem in ſuis obiectis; illi verò habent rationem formalem realem exiſtentem in intellectu à qua extrinſecè denominantur obiecta illorum, vt patet in fide humana, cuius ratio formalis realiter eſt in dicente, & teſtificante; denominatiuè verò in re teſtificata.

2 Ex quo infertur cum Valentia *diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 1. ſolam internam Dei locutionem, ſeu iudicium quo iudicat rem aliquam eſſe veram, ac reuelatam, non ſufficere ad obiectum formale fidei reſpectu aſſenſus noſtri; ſed vltetiùs requiri externam reuelationem & teſtificationem, qua Deus per externa ſigna loquitur nobis, & quidpiam reuelat. Ratio huius eſt, quia quotieſcumque veritas alicuius propoſitionis nobis non innoteſcit

notescit ex sola terminorum apprehensione, vel ex ipsamet re per propositionem significata; si tamen assensum illi præbemus, hoc fit per aliquod motiuum distinctum à re cui assentimur, quo mouetur intellectus ad assentiendum, quodque proinde est formale obiectum nostri assensus, v. g. hæc propositio, *Verbum caro factum est*, non apparet nobis vera, vel ex sola terminorum apprehensione, nec immediatè in se ipsa: ergo cùm nihilominus illi assentiamur, assentimur propter aliquod motiuum à re ipsa distinctum, quo intellectus noster mouetur ad assentiendum: illud autem quod hanc veritatem detegit, non est sapientia sola, & veracitas diuina, sed hæc & illa coniuncta cum externo verbo; hoc enim verbum si absit, sicut nulla propositio fit, sic nullius veritas detegitur: ergo vtrumque requiritur ad rationem obiecti formalis respectu assensus fidei, & interna Dei locutio, siue iudicium, quo iudicat rem esse veram, & externam ipsam reuelationem & testificationem, siue externum signum quo Deus nobis loquatur, ac conceptus suos aperiat.

Sectio III.

Quodnam sit illud in quod vltimò fit resolutio nostræ fidei.

21. Sensus est, quænam in homine fideli sit potissima ratio credendi. Sicut quælibet scientia resoluit suas conclusiones in aliqua prima principia, ex quibus tanquam ex radice prodeunt, ita inuestigamus primam radicem credendi. Et antequam cum Catholicis congrediamur, oportet recentiorum hæreticorum væsaniam & delirium à nostra explodere disputatione, qui reuocant res fidei, & resoluunt credibilia in proprium cuiuscumque hominis sensum & iudicium, autumantes, vnumquemque secundùm proprium sensum & spiritum, debere iudicare, & apud se statuere, an illud quod proponitur sibi credendum sit, à Deo reuelatum, necne? Ita vt si ipsius spiritus dictauerit esse reuelatum, assentiatur: si verò renuerit, dissentiatur. Fundamentum illorum desumitur ex 1. Ioan. 4. 1. Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, an ex Deo sint: quoniam multi Pseudoprophetæ venerunt*, &c. Vnde colligunt, Apostolum loqui omnibus indiscriminatim, & vnumquemque constituere iudicem secundùm proprium sensum atque spiritum, de rebus credendis. Sed iam ex se patet, quàm pernicioſus sit hic error, & quantum perturbet ordinem, & statum vniuersalis Ecclesiæ: eo namque admisso, nihil haberetur de fide certum, sed quæ vnusquisque fingeret ea, singuli crederent. Et manifestè pugnat cum sacra Scriptura, qua iubemur firmiter credere, ea quæ ab Apostolis ad nos per traditionem de manu in manum deuenerunt, vt infrà suis locis videbitur.

22. Omisso ergo hæreticorum errore, liberandus est Scotus à calumnia aliquorum Theologorum asserentium, illum sensisse, credulitatem nostram tanquam in vltimum, resoluendam esse in fidem humanam & acquisitam. Nam Scotus optimè nouit fidem diuinam esse infallibilem & immutabilem; & fidem humanam mutabilem & fallibilem; & consequenter fidem diuinam non posse in humanam resolui: aliàs redderetur fallibilis & mutabilis, sicut causa in quam resoluitur. Scotus ergo solùm voluit assensum fidei in nobis non fieri, nisi præuia fide humana, qua instruimur per Prædicatores, & parentes, & per Ecclesiam, iuxta illud Pauli: *Fides ex auditu*; ita vt fides humana parentum & Prædicatorum, præcedat & præueniat tanquam conditio sine qua non, fidem diuinam. Neque ex hoc colligi debet, quòd fides diuina ex ea parte qua pendet ab humana, reddatur fallibilis & mutabilis, quia hæc non generat per se assensum fidei diuinæ, nisi sola auctoritas diuina reuelans.

23. Hoc ergo posito, difficultas est, in quod tanquam in vltimum fiat resolutio nostræ fidei, hoc est, quodnam sit vltimum principium in quod debeat reduci assensus credentis, & in quo possit sistere si interrogetur, quare credat hunc, vel illum articulum. Et ratio dubitandi est, quia assensus fidei diuinæ, vel reducendus est in humanam fidem; hocque dici non potest: vel debet committi circulus. Vtrumque probatur, quia cùm quis interrogatur, quare credat? respondet, quia Deus dicit. Et si vlteriùs interrogatur, quare credat Deum dicere? respondet, quia Ecclesia proponit. Quòd si vlteriùs interrogetur, quare credat Ecclesiæ proponenti? respondet, quia Deus dicit credendum esse Ecclesiæ proponenti: & ecce circulus. Vel propter fidem humanam, quia iudicat Ecclesiam esse fide dignam; sicque tota fidei certitudo videtur in humanam fidem reduci.

24. In explicanda hac difficultate valde variant Theologi. Nam quidam reuocant, & resoluunt fidem nostram in auctoritatem Dei reuelantis. Alij verò non solùm in hoc, sed etiam in testimonium diuinum, quod Spiritus sanctus causat in nobis mediante lumine fidei. Alij in auctoritatem Ecclesiæ. Alij denique in communem consensum omnium fidelium simul concurrentium in eadem fide: & vnusquisque pro sua sententia multa adducit motiua & argumenta. Vt tamen nostram sententiam aperiamus, obseruandum est, quòd quemadmodum in aliis scientiis quando inuestigatur id in quod vltimò resoluitur conclusio, potest quæstio procedere de quatuor generibus causarum, quia id in quod resoluitur, potest induere rationem causæ materialis, vel formalis, vel efficientis, vel finalis. v. g. si quæratur in quod vltimò resoluatur conclusio habita per demonstrationem, non respondebitur sufficienter assignando vnam tantùm rationem, sed assignando omnes rationes causarum, quia omnes concurrunt. Si enim quæratur, in quod resoluitur conclusio tanquam in causam formalem? respondebitur, quòd in medium, quia est ratio formalis assentiendi. Si verò quæratur de causa efficienti? respondetur, quòd in præmissas simul concurrentes; nam præmissæ mediante medio tanquam ratione formali, producunt efficienter assensum conclusionis. Si autem quæratur in quod tanquam in materiam resoluatur conclusio? respondetur, quòd in præmissas ipsas, non vt simul concurrunt, sed vt sunt propositiones constantes subiecto & prædicato, ex quibus tanquam ex partibus conflatur demonstratio. Si denique quæratur de causa finali, attendendum est ad scientiam, si est practica, vel speculatiua, vel ad finem scientis. Ad hunc modum philosophandum est in resolutione fidei, cùm quæritur de eo in quod vltimò resoluitur, quia potest esse quæstio vel in genere causæ formalis, vel efficientis, vel materialis, vel finalis; ac proinde cum distinctione respondendum est.

Digitized by Google

25. Prima concluſio. Loquendo in genere cauſæ formalis, noſtra fides reſoluitur tanquam in vltimum, in primam veritatem reuelantem actiuè conſideratam; quia, vt prædictum eſt ſectione præcedenti, prima veritas reuelans actiuè eſt ratio formalis ſub qua aſſentiendi omnibus à Deo reuelatis; inde enim ſumitur propria certitudo noſtræ fidei, nimirum ex prima auctoritate teſtificante: ergo in illam tanquam in primum principium reſoluendus eſt. Conſequentia eſt manifeſta, quia omnis aſſenſus vltimò reſoluitur in id, ex quo propriam ſuam certitudinem per ſe accipit (loquor enim de primo principio reſolutionis formalis, & de vltimo in quo ſiſtit.)

26. Secunda concluſio. Loquendo in genere cauſæ efficientis, id in quod vltimò reſoluitur fides noſtra, eſt lumen internum, & motio Spiritus ſancti; hæc enim in genere cauſæ efficientis cauſant in nobis aſſenſum fidei. Pro quo nota cum Caietano in hoc articulo tria eſſe teſtimonia Chriſtianæ fidei. Primum diuinæ doctrinæ reuelata. Secundum miracula quibus confirmatur. Tertium internus inſtinctus Spiritus ſancti mouens nos ad credendum; & hoc tertium eſt principalius, quia ſolius Dei eſt cor hominis emollire. Quod eleganter dicitur 1. Ioann. 5. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*, id eſt, in ſe habet vnde credat Deo teſtificanti, nempe lumen ſupernaturale fidei, quod Deus infundit interiùs, quod facit videre credibilitatem myſteriorum, & inclinat ad credendum, cuius interuentu Deus mouet efficienter intellectum noſtrum ad aſſenſum fidei: ac proinde D. Auguſtin. 11. *Confeſſionum, cap.* 3. Aſſenſum fidei tribuit virtuti diuinæ interiùs illuminanti per fidem, & mouenti per auxilium ſpeciale: ſicque loquendo in genere cauſæ efficientis, in lumen hoc internum reſoluitur fides noſtra. Et probatur, quia vnaquæque res in primam cauſam efficienter reſoluitur, ſed ſic eſt quòd virtus diuina eſt cauſa effectiua aſſenſus fidei mediante illuminatione, vt patet ad Epheſ. 2. *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis, donum Dei eſt.* Vbi manifeſtè Paulus aſſenſum fidei tribuit Deo danti fidem, Et Ioann. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Vbi agitur de acceſſu ad Deum per fidem: ergò reſolutio fidei attendendo ad rationem cauſæ efficientis, ad lumen iſtud interiùs mouens ad credendum reducenda eſt. Et ſecundùm hanc conſiderationem procedit ſententia aſſerentium, reſolutionem noſtræ credulitatis faciendam eſſe in lumen internum, & in motionem interiorem Spiritus ſancti. Quòd ſi velint aſſenſum fidei reducendum eſſe in hoc lumen tanquam in formalem cauſam, ſenſus eſt falſus. Et quidem, vt conſtat, nos non credimus, v. g. Deum eſſe trinum propter hoc lumen, tanquam formalem rationem, qua tanquam medio ſiue motiuo aſſentimur, ſed propter teſtimonium primæ veritatis.

1. Ioan. 5.

Epheſ. 2.

Ioan. 6.

27. Tertia concluſio. Loquendo in genere cauſæ materialis, fides noſtra vltimò reſoluitur in Eccleſiam proponentem, id quod fide credendum eſt. Quod vt innoteſcat, obſeruandum eſt, quamuis verum ſit lumen fidei ex æquo & immediatè, inclinare intellectum ad omnes articulos fidei, ita vt non inclinet ad vnum per ſe primò, & deinde ad aliud, ſed ad omnes ſimul & æqualiter: nam aliàs non eſſet vna ratio formalis fidei reſpectu omnium credendorum: & ſi ad vnum articulum mediante alio inclinaret, iam aſſenſus fidei fieret cum diſcurſu, & eſſet ſyllogiſticus & theologicus. Nihilominus negari non poteſt, eſſe inter articulos fidei vnum in quo loquendo quoad nos, tanquam in virtute reliqui omnes continentur, huiuſmodi eſt: *Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto*; ex hoc enim articulo in bona conſequentia cæteri omnes deducuntur; rectè enim ſequitur, Eccleſia regitur ab Spiritu ſancto, & Eccleſia docet Deum eſſe trinum, & vnum: ergo Deus eſt trinus & vnus.

28. Præterea notandum, omnes diſpoſitiones quæ ſunt in materia ad introductionem formæ, tenere ſe ex parte materiæ, & induere rationem illius, & ad genus cauſæ materialis reduci: cumque ad negotium fidei neceſſarium ſit diſponi intellectum, & voluntatem; nam intellectus ægrè & difficulter aſſentitur rebus non viſis: & voluntas prompta eſt ad decipiendum, ſicut dura ad credendum. Hæc impedimenta neceſſariò remouenda ſunt, vt lumen internum fidei munus ſuum illuminandi exercere valeat: ad Eccleſiam autem pertinet tollere hæc impedimenta, vt intellectus poſſit prorumpere in aſſenſum fidei, diſtinguendo, proponendo & explicando ea, quæ credenda ſunt; ac proinde auctoritas Eccleſiæ proponentis & explicantis articulos fidei, induit etiam in negotio fidei rationem cauſæ materialis, & conſequenter loquendo in genere cauſæ materialis, fidei reſolutio fit in Eccleſiam proponentem. Quamuis ab aliis hæc Eccleſiæ propoſitio non incongruè appelletur conditio ſine qua non.

29. Quarta concluſio. Loquendo in genere cauſæ finalis, finis & ſcopus fidei noſtræ eſt coniungere noſtrum intellectum cum Deo in ratione cogniti ſupernaturaliter, provt patitur conditio noſtræ peregrinationis. Hæc concluſio ex ſe eſt manifeſta, & nulla indiget probatione, nec ab aliquo negatur.

30. Et ex his patet ſolutio ad rationem dubitandi ſuprà allatam. Nam quamuis neceſſaria ſit propoſitio & declaratio Eccleſiæ, & humana fides ad credendum, nihilominus non poteſt eſſe formalis ratio, in quam ſumma fidei noſtræ certitudo reſoluatur, ſed ſolùm conditio ad aſſenſum fidei ex propria ratione formali eliciendum. Vnde, vt rectè obſeruat Valentia *quæſt.* 1. *punct.* 1. oportet diſtinguat Theologus cùm interrogatur de eo in quod fides reſoluitur, duos proceſſus: alter eſt quo inquiritur de ratione formali ipſius aſſenſus diuinæ fidei ſecundùm ſe. Alter quo non quæritur de formali ratione aſſentiendi, ſed de cauſa ob quam quis voluit accipere fidem diuinam, cùm aliàs non conuinceretur ad id ex ſola formali ratione fidei ineuidenti. In primo proceſſu ſiſtere debemus in prima veritate reuelante, quia ad hanc per ſe refertur firmitas, & certitudo noſtræ fidei. In ſecundo verò ſiſtendum eſt in Eccleſiæ propoſitione, aut in humana fide orta ex ſignis, aut ex alio principio. Ex quo infertur hoc principium, prima veritas reuelauit, nullam aliam habere cauſam formalem ſui ad aſſentiendum ipſi, quamuis ſupponat conditionem aliquam, qua propoſita habitus fidei inclinatur in illud, & ſine qua nullus prudenter crederet. Ex quo etiam vlteriùs infertur, teſtimonium Eccleſiæ non eſſe primum principium in quod, tanquam in formalem cauſam diuina fides referatur: nam dicenti ſe credere propter teſtimonium Eccleſiæ, adhuc reſtat vt reſpondeat ſi rurſus interrogetur, quomodo ſciat, aut quare credat teſtimonium

testimonium Ecclesiæ esse infallibile? & respondebit rectè, quia prima veritas dixit; hoc enim principium prima veritas reuelauit, potest cadere supra testimonium Ecclesiæ tanquam supra materiale obiectum, non minus quàm supra alium articulum. Quare hoc solùm principium est per se credibile diuina fide, nullam vlteriorem habens formalem rationem assentiendi, quamuis postulet conditionem aliquam, vt prædictum est.

28.

Sectio IV.

An sola propositio rei credendæ, vel etiam humana fides sit necessaria, vt quis credat fide diuina.

31. EX dicendis infrà constabit, ad assensum diuinæ fidei requiri propositionem obiecti credibilis, nunc inquirimus, an semper assensus diuinæ fidei præsupponat assensum fidei humanæ. Et quidem in assensu principiorum sufficit sola propositio, & explicatio terminorum; neque requiritur auctoritas proponentis; sicut neque in assensu scientifico. Inquirimus ergo, an in assensu fidei diuinæ aliter contingat, quam in assensu scientiæ, vel principiorum.

32. Sit conclusio. Assensus fidei humanæ condistinctus ab assensu diuinæ fidei, requiritur in communi & humano modo credendi diuina fide, tanquam conditio præcedens. Ita recentiores Theologi secuti S. Thomam in hoc loco. Nomine autem assensus humanæ fidei, intelligitur assensus ex aliquo motiuo probabili rationis, vel auctoritatis proponentis, vel alicuius miraculi. Sic autem intellecta conclusio, constat ipsa experientia: nam nemo est qui vel testimonio Magistri, vel parentis, vel signo aliquo, seu miraculo, non trahatur ad credendum diuina fide; quod certè à tempore Apostolorum manifestum est: nisi enim quis ex aliquo motiuo ex prædictis iudicet, eum qui proponit esse veracem in dictis, nunquam inducetur ad credendum per diuinam fidem: iudicium ergo de veritate rei propositæ, sequitur ex prædictis motiuis, quæ modo dicto gignunt humanam fidem. Diuerso modo contingit in demonstrationibus; semel enim declaratis terminis earum, præbet quisque suum assensum, quamuis apud audientem nulla sit Magistri auctoritas. Vnde non immeritò à quibusdam eiusmodi rationes & motiua, vocantur introductiones ad diuinam fidem. Quare non videtur verum id quod nonnulli Theologi asserunt, & præcipuè Andreas de Vega 6. *in Trident. cap.* 17. videlicet, contingere aliquando, vt posita solùm simplici propositione mysterij, credat quis illud diuina fide. Et quidem si hoc verificari posset, maximè in filiis familias cùm instruuntur à parentibus, vel in rusticis, quando docet eos Parochus: at in his reperitur humana fides, nam filius mouetur auctoritate patris & rusticus Parochi sui.

29.

30.

33. Obiicies primò. Quamuis per impossibile tota hominum congregatio diceret oppositum, non esset recedendum ab eo quod per diuinam fidem creditum est: ergo humana fides non est necessaria dispositio ad hoc vt diuina fides conseruetur: ergo neque erit necessaria dispositio, vt introducatur. Respondetur primò. Conditionalem illam esse impossibilem, nimirum quòd tota Ecclesia censeat, vel doceat aliquid cõtrarium fidei diuinæ. Respondetur secundò. Si semel supponamus primum assensum verè fuisse diuinæ fidei, ex supposito prudenti iudicio fidei acquisitæ vt conditione, nulla ratione licere discedere ab assensu priori: iudicium enim prudens fidei acquisitæ necessarium est ad primum diuinæ fidei assensum, vt manet explicatum.

34. Obiicies secundò. Accidere potest vt fidelis nolit credere, etsi proponantur ei aliquæ rationes, & tamen moueri postea potest ad credendum ex aliquo miraculo: in hoc casu non videtur præcedere fides acquisita; quia nõ credit propter auctoritatem proponentis, nec propter rationem illius, sed propter miraculum: ergo, &c. Respondetur per fidem humanam intelligi non solùm assensum elicitum propter testimonium proponentis, sed etiam eum, qui elicitur propter signum & miraculum; hic autem assensus vocatur fides, quia etsi videatur ratio assentiendi, non tamen videtur materiale obiectum, & cùm non sit fides diuina & infusa, vocatur humana & acquisita.

35. Obiicies tertiò. Ad eliciendum assensum diuinæ fidei, sufficit prudens iudicium de credibilitate rerum, & iudicium de dignitate proponentis, vt statim ex Dei gratia eliciat quis assensum diuinæ fidei: ergo humana fides necessaria non est. Antecedens probatur, nam si quis præhabeat tale iudicium, & ex illo credat, non erit leuis corde, sed prudenter se geret: quare ex natura rei, & secundùm communem modum credendi in nobis, non est necessaria actualis fides humana, de veritate mysterij credendi. Respondetur, communiter vt in plurimum, & regulariter, præcedere fidem humanam ante assensum diuinæ fidei. Deinde cùm multo facilius sit elicere assensum fidei ex motiuo quod quis videt, nimirum ex humana auctoritate proponentis, vel ex miraculo viso, semper ex illo quis mouetur priùs ad fidem acquisitam, vt gradatim ascendat ad altiorem, & difficiliorem modum assentiendi, in quo neque videtur obiectum materiale, neque formale; id quod experientia probat, nam quisque faciliùs experitur se credere propter testimonium humanum aliquid ex dictis, quàm propter testimonium non visum primæ veritatis. Semper tamen negandum est in fidem humanam tanquam in principium & rationem formalem assentiendi, resolui assensum fidei diuinæ, quamuis sit concedendum, fidem humanam ante primum assensum fidei præcedere vt conditionem. Ex quo etiam fit quòd quando Deus nobis aliqua reuelat, simul etiam impliciter testatur se ea reuelare; ac proinde sicut propter testimonium Dei credimus ea esse vera, ita ob idem testimonium simul credimus ea esse ab eo reuelata: quando enim ob testimonium Dei aliquid credo, tria iudicia saltem virtute distincta concurrunt: primum, quo iudico Deum esse primam veritatem: secundum, quo iudico eum illud testari: tertium, quo ob eius testimonium credo rem esse veram.

36. Inquires, quomodo possit intellectus noster iudicare rem esse à Deo reuelatam, vel assentiri illi propositioni, Deus hoc reuelauit, cùm talis propositio sit ei obscura, & assensus noster necessariò debeat niti aut euidentiæ rei oppositæ, aut medio aliunde sibi noto. Respondetur, præter iudicium illud quod diximus, necessariò debere præcedere in credente ante omnem assensum fidei diuinæ, quo iudicat Deum esse summè veracem & primam veritatem, ita vt neque falli, neque fallere, aut mentiri possit, quod lumine naturali est notum;

Digitized by Google

neceſſarium etiam eſt aliud iudicium, quo iudicet res ſibi propoſitas eſſe firmiſſima fide credibiles,& quas meritò credat eſſe à Deo reuelatas, & propter ipſius auctoritatem firmiſſimè credendas: tot enim ſignis infra explicandis proponuntur, vt meritò faciant euidentem credibilitatem. Hoc ergo iudicio præſuppoſito, voluntas ſtatim ex pio erga primam veritatem affectu, mota ipſius reuerentia, determinat intellectum ad aſſenſum fidei: ac proinde partim illa apprehenſione, partim imperio & impulſu voluntatis, ſine vllo diſcurſu mouetur diuina auctoritate,& teſtimonio, vt propter hæc immediatè, & rem reuelatam, & ipſam reuelationem credat: ad quod accedit gratia præueniens Spiritus ſancti intellectum illuſtrans, & voluntatem mouens,& adiuuans. Vnde quãdo dicitur intellectum noſtrum ad aſſentiendum debere neceſſariò niti euidentia rei propoſitæ, aut medio aliunde ſibi noto. Hoc tantum eſt verum, quando ad prædictum aſſenſum ſolùm mouetur ab obiecto, vt iam ſuprà manet explicatum. Denique, fideles ſimplices ſimiliter credunt propter idem motiuum, nimirum propter auctoritatem primæ veritatis reuelantis, nam quamuis initio moueantur propter auctoritatem Eccleſiæ, vel parentum, vel Parochi, vt velint credere; nihilominus ita mouentur, vt velint credere ea ratione, qua Eccleſia ad credendum res proponit: Eccleſia verò nobis credenda proponit vt à Deo reuelata; ac proinde ſemper noſtra fides reſoluitur tanquam in vltimum in auctoritatem primæ veritatis reuelantis.

37. Illud verò eſt valde notandum, teſtimonium Eccleſiæ aliquid tanquam de fide proponentis, tam propter promiſſionem Chriſti ei factam *Matth.16.* quàm propter infallibilem aſſiſtentiam Spiritus ſancti, eſſe regulam infallibilem rerum credendarum, ac proinde in Eccleſiæ teſtimonio proponentis aliquid tanquam de fide, & vt à Deo reuelatum, niti infallibiliter illud iudicium fidem neceſſariò præcedens, quo iudicamus eſſe à Deo reuelata, quæ nobis credenda proponuntur: & conſequenter talis aſſenſus ordinariè, & communiter reſoluendus eſt vltimò in auctoritatem Eccleſiæ, tanquam in regulam infallibiliter definientem, & eas ad credendum proponentem; quia, vt prædictum eſt, ad aſſenſum diuinæ fidei præcedit iudicium, quòd Deus eas reuelauerit, quod iudicium communiter & ordinariè, reſoluitur vltimò in hanc Eccleſiæ auctoritatem tanquam in prædictam regulam, quia communiter & ordinariè non iudicamus factam eſſe de rebus illis à Deo reuelationem, niſi quia Eccleſia, quam credimus habere prædictam auctoritatem infallibilem, & aſſiſtentiam Spiritus ſancti, ita vt nunquam erret in definiendis rebus à Deo reuelatis, ita definit, & nobis vt credenda proponit, vt rectè obſeruat Meratius *diſp.17. ſect.3.* Neque in hoc eſt controuerſia inter Theologos.

38. Et ex his quæ de obiecto formali fidei docuimus, colligitur, non ſolùm reuelationes publicas, & quæ per Prophetas, & Apoſtolos, toti Eccleſiæ generatim factæ ſunt, & de rebus ad communem totius Eccleſiæ doctrinam, & vtilitatem pertinentibus; ſed etiam reuelationes priuatas cadere ſub obiecto formali noſtræ fidei. Vnde quando aliquod alicui priuatim à Deo reuelatur, eadem fide illud credit, qua credit alia myſteria fidei, vt communiter docent Recentiores cum Turriano *diſp.5. dub.1.* & Sanchez *de Præcept. lib.2. cap.7. num.12.* Ratio huius eſt, quia vterque aſſenſus fertur in ſuum obiectum, & nititur immediatè reuelatione ſiue teſtimonio primæ veritatis: quòd verò vna reuelatio ſit publica, alia verò priuata, non variat eam in ratione teſtimonij. Sic *Geneſis 15.* dicitur: *Abraham credidiſſe Deo promittenti filium, & reputatum ei fuiſſe ad iuſtitiam.* Quæ promiſſio, & reuelatio fuit priuata, & priuatæ perſonæ facta. Fides autem dicitur catholica & vniuerſalis, & fundata ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum; tum, quia per eam credimus, quæ omnibus ad credendum propoſita ſunt: tum etiam, quia nititur reuelatione illa Dei, quæ omnibus fidelibus, vel per Eccleſiam, vel per eius paſtores, & Doctores, declaratur, qualis non eſt reuelatio priuatæ perſonæ facta, & de re priuata. Quod non tollit, neque impedit, quin eadem fide poſſimus credere aliis priuatis reuelationibus. Genes.15.

39. Dices, hoc eſſe incidere in errorem hæreticorum, quod ſuprà refutauimus, nimirum iudicem rerum credendarum eſſe priuatum ſpiritum, cuiuſcumque credentium. Quandoquidem licitum erit ei dicere id ſibi à Deo reuelatum eſſe. Reſpondetur negando ſequelam, quia prædictæ reuelationes priuatæ, paucisſimis, & rarò fiunt: nec cuicumque licitum eſt, dicere id ſibi à Deo reuelatum, niſi quod re ipſa reuelatum eſt, & prudenter iudicatur vt tale; & argumentis probare poteſt reuelationem ſibi à Deo factam eſſe veram reuelationem: & denique, quia ad Eccleſiam pertinet iudicare de illis, an pro veris habendæ ſint, nec ne.

Sectio V.

An non viſum ſit ratio formalis obiecti Fidei.

40. SEnſus eſt, an obſcuritas ſit conditio neceſſaria in fidei obiecto: an verò ſe teneat ex parte rationis formalis. Duplici autem modo reuelatio poteſt dici obſcura; vel ex parte rei reuelatæ, quod fit quando per eam non repræſentatur euidenter intellectui res reuelata pro vt eſt in ſe à parte rei. Alio modo poteſt dici obſcura ex parte reuelationis, & reuelantis, quod fit quando nec reuelatio euidenter cognoſcitur prout eſt in ſe, nec eſt euidens quis ſit auctor reuelationis.

41. Prima concluſio. Non viſum, ſi propriè loquamur, non pertinet ad rationem formalem obiecti diuinæ fidei. Ita Turrianus *diſp.8. dub.1.* Probatur, quia non viſum eſt quædam denominatio, vel negatio denominationis ſumptæ ab actu credendi, ſi ſtrictè loquamur, vnde cadit ſupra obiectum: ſicut & viſum eſſe eſt denominatio extrinſeca ſumpta ab actu credendi: ergo vtraque denominatio eſt poſterior obiecto, ac proinde neutra poteſt eſſe ratio formalis ſpecificans actum ex parte obiecti. Ex quo fit denominationem non viſi vt ſic, non poſſe tenere ſe ex parte obiecti fidei, quamuis per hanc denominationem ſignificetur, obiectum cognoſci obſcurè.

42 Secunda concluſio. Loquendo minus propriè, ſi per obſcuritatem & non viſum, intelligamus aliquam rationem, ſiue medium aſſentiendi quòd talis ſit naturæ vt non manifeſtet euidenter obiectum, ſic non viſum pertinet ad formalem rationem ex parte fidei diuinæ. hæc concluſio communis eſt inter Theologos, & manifeſtè colligitur ex ſacra Scriptura *ad Hebr.11.* Vbi fides diffinitur *argumentum non apparentium*; id eſt, rerum quarum veritas non apparet, nec euidenter cognoſcitur, Hebr.11.

&

1.Cor 13. & 1. *Corinth.* 13. cognitio fidei vocatur, *per ſpeculum, & anigmatica*, hoc eſt, obſcura. & 2. *Petri* 1. 2.Petr.1. comparatur *lucernæ lucenti in caliginoſo loco.* Et ideo Auguſt. *tract.* 40. *in Ioann.* diffinit fidem, dicens: Auguſt. *Quid eſt fides? credere quod non vides.* Et ratio eſt manifeſta, quia reuelatio diuina eſt medium per quod aſſentimur, iudicando eſſe verum id quod fide diuina credimus: ergo quemadmodum diuina reuelatio, quæ quandiu non videtur nata eſt ex ſe non manifeſtare clarè obiectum, eſt obiectum formale fidei; ita & non viſum attinebit ad obiectum formale, ſi ſumatur pro tali medio aſſentiendi.

43. Tertia concluſio. Actualis euidentia diuinæ reuelationis, & conſequenter rei in Deo reuelante, ſi ſeparetur ab actuali euidentia primæ veritatis, poteſt eſſe ſimul circa idem in eodem cum aſſenſu diuinæ fidei. Ita Turrianus *diſp.* 9. *dub.* 4. & Meratius *diſp.* 3. *ſect.* 4. Et probatur, quia Angeli in via habuerunt rerum fidem diuinam: ergo neceſſariò cognouerunt certò & euidenter, propoſitionem ſibi factam eſſe rerum credendarum: at cognouerunt euidenter ex illa reuelatione, Deum eſſe qui ipſis aut ſolus, aut vt principalis auctor eas reuelabat: ergo hæc euidentia diuinæ reuelationis, & rei in Deo reuelante, ſeclusa alia euidentia actuali primæ veritatis, ſimul eſſe poteſt cum aſſenſu diuinæ fidei circa rem eandem. Antecedens probatur, quia primus Angelus, v. g. dum fuit in via, habuit euidentiam alicuius myſterij ſupernaturalis in Deo atteſtante; habuit enim tunc infuſam notitiam alicuius obiecti ſupernaturalis, cuius etiam habuit fidem: quod ſic oſtendo, quia primus Angelus potuit tunc euidenter cognoſcere, & de facto cognouit, Deum eſſe illius reuelationis cauſam principalem factæ ſibi ad mouendum ipſum, vt crederet ſupernaturali fide, & ſimul cognoſceret ſe obligari ad credendum: tum, quia potuit Angelus euidenter iudicare reuelationem talis myſterij, non fuiſſe ſibi impreſſam ab alio Angelo, quia nullus erat ſuperior ipſo: tum etiam, quia illa reuelatio fuit obiecti ſupernaturalis, ſicque fuit ei euidens, eam à Deo imprimi debere, vt ab auctore effectus ſupernaturalis; non verò ab aliqua creatura: tum denique, quia id decet ſolertem & promptam perſpicacitatem Angelici intellectus: agnouit itaque primus Angelus illam reuelationem à nulla creatura vt à principali cauſa ſibi eſſe impreſſam, quia erat de obiecto ſupernaturali, ac proinde ſupra vires cuiuſlibet potentiæ naturalis intellectiuè, & conſequenter à ſolo Deo ſibi infuſam: à Deo autem non poſſe ptoduci reuelationem ad fallendum illum, & credendum falſum in ordine ad iuſtificationem: habuit ergo primus Angelus euidentiam in atteſtante ſimul cum aſſenſu fidei.

44. Et non ſolùm primus Angelus, ſed etiam quilibet in primo inſtanti ſui eſſe, habuit euidentiam teſtimonij Dei, & conſequenter euidentiam obiecti reuelati in atteſtante Deo, cognoſcendo reuelationem ipſi impreſſam factam fuiſſe à Deo principaliter; quia quilibet Angelus præter primum, cognouit euidenter ſe à primo Angelo non poſſe illuminari circa obiectum ordinis ſupernaturalis: ergo cognouit euidenter illuminationem illam à primo Angelo ei infuſam eſſe ſupernaturalem; ac proinde cuilibet eorum erat euidens eam reuelationem non fuiſſe factam à primo Angelo, ſeu alia creatura, ſed à ſolo Deo vt principali, aut proprio auctore: colligebat ergo clarè Deum eſſe qui cuique ipſorum ſicut primo Angelo loquens reuelabat, & qui etiam in confirmationem falſitatis, præſertim in ordine ad credulitatem, & iuſtificationem nihil ſupernaturale poterat imprimere, aut quoquo modo operari, maximè præcipiens vnicuique Angelorum vt crederet illud circa quod illuminabatur. Eandem euidentiam teſtimonij Dei habuit primus parens in primo ſuæ creationis inſtanti. Eamdem etiam habuerunt Prophetæ, & etiam Apoſtoli, & etiam diſcipuli Chriſti Domini qui adfuerunt prædicationi Chriſti, vt docent graues Doctores, per miracula quæ ipſe Chriſtus faciebat Dei auxilio implorato in ſuæ doctrinæ perſuaſionem. Similiter ſi quis, v. g. vt ſuaderet myſterium Trinitatis, impetraret à Deo miraculoſam mortui reſurrectionem in confirmationem veritatis myſterij; is proculdubio ſibi & aliis videntibus generaret euidentiam huius myſterij in Deo atteſtante veritatem Trinitatis in vnitate, eo quòd euidenter probaret miraculo illo Deum qui nequit mentiri, nec fallere, nec falli atteſtari Triadis myſterium, eo quòd nequit Deus facere miraculum propter imploratam falſæ doctrinæ confirmationem: iam ergo tunc ex illo effectu Dei, Deo non clarè viſo in ſe ipſo, poſſet cognoſci atteſtatio, ſiue locutio Dei euidenter, & veritas, etiam rei ſupernaturalis cognoſceretur euidenter ex vi euidentiæ atteſtantis Dei: quod videtur ſenſiſſe D. Thom. infrà *quæſt.* 5. *art.* 2. vbi ait: *Intellectum conſictum, & manifeſtè cognoſcentem aliquid à Deo eſſe reuelatum, non impediri ex hac reuelantis euidentia, quominus credat per fidem rem reuelatam, dummodo ipſius rei reuelatæ ſimul non habeat euidentiam.* D.Thom.

45. Quarta concluſio. Actualis euidentia rei in atteſtante Deo ſimul iuncta cum actuali euidentia primæ veritatis ſiue Dei, vt nec fallere, nec falli potentis, poteſt eſſe ſimul cum aſſenſu diuinæ fidei in eodem circa idem, hanc tradunt omnes Doctores præcedentis concluſionis. Et probatur primò, quia ex oppoſito ſequeretur in Angelo non potuiſſe eſſe fidem in primo inſtanti, imò & in nullo viro docto, ſi cum aſſenſu fidei repugnaret ſimultanea euidentia infallibilitatis primæ veritatis: vtrumque autem eſt falſum. Nam Angelus tunc cognita reuelatione obiecti ſibi facta à Deo, quæ prorſus requiſita eſt ad id vt in illo tunc fide diuina crederet vt debuit, ſi tunc credidit, debuit iudicare in eodem tunc, Deum qui obiectum illud atteſtabatur, non poſſe falli nec fallere: cùm ergo hoc iudicium de Dei infallibilitate fuerit euidens tunc Angelo, & ſimultaneum cum euidentia teſtimonij Dei, ſi illud non poſſet eſſe ſimul cum aſſenſu fidei, non extitiſſet tunc in Angelo fides actualis rei teſtificatæ à Deo. Similiter quilibet vir doctus, etſi non cognoſcat euidenter Dei teſtimonium fieri, ſed tantùm fieri ſibi exteriùs propoſitionem obiecti credendi, tamen ad hoc vt credat, requiritur omnino cognoſcat, ita Deum rem atteſtari, vt illa non poſſit eſſe falſa, aut ſibi incerta; eam enim atteſtatur Deus vt prima veritas, quam euidens ipſi eſt eſſe prorſus infallibilem: ſi ergo hæc actualis euidentia primæ veritatis vt ſic, pugnaret cum actuali aſſenſu fidei circa idem, apertè ſequeretur in nullo viro docto eſſe poſſe aſſenſum fidei, quod eſt abſurdum.

46. Denique vtraque concluſio confirmatur primò, quia illi aſſenſui conuenit diffinitio fidei: *argumentum non apparentium*; aſſenſus enim ille provt eſt de re teſtificata fundatur in teſtimonio diuino, quod quamuis euidenter cognoſcatur, non manifeſtat

manifeſtat rem ipſam in ſe. Confirmatur ſecundò, quia ſi ſimultas vtriuſque actualis euidentiæ repugnaret cum aſſenſu actuali fidei diuinæ circa eamdem rem, id proueniret vel ratione obiecti formalis fidei, vel materialis, vel ex vtroque: non ex formali, quia non eſt de ratione fidei in communi quòd teſtimonium cui innititur non videatur in ſe ipſo, vt patet in humana fide, tum etiam, quia obſcuritas quæ eſt de eſſentia diuinæ fidei ratione teſtimonij Dei quod formale eius obiectum eſt, non debet eſſe talis quod reddat neceſſariò formale obiectum obſcurum vt quod, ſed vt quo, reſpectu materialis obiecti: neque enim eſt non viſum reſpectu fidei vt quod, quaſi non poſſit eſſe obiectum formale reſpectu diuinæ fidei ſi aliunde ſit viſum Dei teſtimonium, ſed vt quo: hoc eſt, de eſſentia diuinæ fidei eſt, quod eius formale obiectum ſit tale, aut taliter cognitum, vt ex ſe non manifeſtet rem teſtificatam euidenter, quomodocunque teſtimonium Dei aliunde cognoſcatur, ſiue euidenter, ſiue obſcurè ſecundùm ſe, dummodo non cognoſcatur euidenter provt eſt aſſenſus diuinæ fidei, obiectum per ipſam fidem vt quod: neque proximè ſit formale medium diuinæ fidei provt eſt euidens, ſed provt eſt obſcurum reſpectu rei creditæ, ſecundùm illa quæ ſunt propria talis rei. Deinde neque repugnaret ex defectu obſcuritatis in materiali obiecto fidei, eo quòd debeat eſſe non viſum. nam hæc obſcuritas ſemper perſeuerat in materiali obiecto fidei diuinæ, quantumuis clarè videatur teſtimonium diuinum per euidentiam in atteſtante. Confirmatur amplius, quia ille aſſenſus neque fundatur in principiis intrinſecis rei, neque in effectibus ab ipſa procedentibus, neque in aliqua naturali ſpecie, ſeu ſimilitudine eius, ſed ſolùm in teſtimonio extrinſeco rem ipſam teſtificante: ergo dum res in ſe ipſa, aut in eius effectu, vel ſimilitudine naturali non cognoſcitur, ſemper in ſe obſcura manet, quantumuis auctoritas loquentis, ſeu teſtificantis, & quòd ipſe ſit teſtificans, euidenter cognoſcatur.

47. Oppoſitam ſententiam defendit Suarez *diſp.* 3. *ſect.* 8. *punct.* 3. quem plures alij ſequuntur, pro qua obiicies primò, quia principia euidenter cognita neceſſitant intellectum ad præſtandum aſſenſum, qui non poteſt non eſſe euidens, cùm eliciatur ex duobus principiis euidentibus; ſed aſſenſus fidei non poteſt eſſe euidens: ergo talis aſſenſus repugnat cum euidentia principiorum. Antecedens probatur, quia qui habet euidentiam in Deo atteſtante, & Deum eſſe primam veritatem, & non poſſe mentiri, ex vi horum principiorum concludit euidenter, verum eſſe quod dicit; quia euidens eſt, verum eſſe omne quod Deus dixit: ſed euidens eſt Deum dicere ſe eſſe trinum; ergo euidens eſt Deum eſſe trinum. Maior eſt lumine naturali nota. Minor etiam eſt euidens habenti euidentiam in atteſtante: ergo conſequentia etiam eſt euidens; quia ex duobus principiis euidentibus in recto ſyllogiſmo, euidentia ſunt conſequens & conſequentia: ergo aſſenſus fidei circa illam concluſionem, *Deus eſt trinus, & vnus*, non poteſt ſimul ſtare cum euidentia præmiſſarum. Reſpondetur, conſequens in illo ſyllogiſmo, non eſſe rectè illatum; non enim erat inferendum: ergo euidens eſt Deum eſſe trinum; ſed, ergo euidens eſt, teſtimonium Dei de Trinitate verum eſſe.

48. Hanc ſolutionem quæ ſufficientiſſima eſt, conatur infringere Suarez: quia illa duo, ſcilicet verum eſſe hoc, aut ita eſſe in re, idem ſunt, & ſolùm diſtinguntur noſtro modo loquendi & concipiendi, & quia ex vno infertur aliud. Nam ſi verum eſt dicere, Deum eſſe trinum: ergo Deus eſt trinus; ac proinde ſi antecedens eſt euidens, etiam concluſio. Hæc tamen parum vrgent, nam ſolùm procedunt quando habetur cognitio de re aliqua per principia intrinſeca, vel per effectus ab ipſa re intrinſecè dimanantes, vel per aliquam ſui naturalem ſimilitudinem: non verò quando cognitio habetur per teſtimonium extrinſecum, quantumuis teſtimonium illud euidenter cognoſcatur, ſemper enim res ipſa in ſe manet obſcura.

Et ex eadem doctrina infertur ſolutio alterius 49.
obiectionis adductæ ab ipſo Suarez, videlicet, quòd ille aſſenſus eſt ab intrinſeco neceſſarius; aſſenſus autem fidei non poteſt non eſſe ab intrinſeco liber. Antecedens probatur, quia omnis euidentia, etiamſi ſit in teſtificante, neceſſitat intellectum ad aſſenſum; ſed aſſenſus neceſſarius, & liber ſimul repugnant: ergo etiam repugnat fidei aſſenſus eum quacumque euidentia. Reſpondetur, quòd quamuis aſſenſus illius concluſionis, verum eſſe, Deum eſſe trinum & vnum, deductæ ex illis præmiſſis euidenter cognitis, ſit neceſſarius, quia illæ præmiſſæ cogunt intellectum ad aſſentiendum tali concluſioni: aſſenſus verò illius propoſitionis, *Deus eſt trinus & vnus*, ſemper eſt liber, cùm ſit in ſe ineuidens, & obſcura.

Denique obiicit Hurtado *diſp.* 27. *ſect.* 1. quia 50.
quicumque fide diuina aſſentitur myſterio reuelato, exercet eandem fidem circa reuelationem, quia non poteſt fides exerceri circa obiectum materiale, quin etiam exerceatur circa formale: ergo qui habet euidentiam circa obiectum formale, eandem etiam habet circa obiectum materiale: vel è contra, qui exercet fidem circa obiectum materiale, non poteſt non eam exercere circa obiectum formale: repugnant ergo aſſenſus fidei circa rem reuelatam, & aſſenſus euidens reuelationis, & primæ veritatis. Reſpondetur, nullo modo repugnare, ſed rectè cohærere poſſe, euidentiam in atteſtante, & fidem circa reuelationem, quia per ſcientiam cognoſcitur teſtimonium Dei vt quod, per actum verò fidei non cognoſcitur vt quod, ſed vt quo, & vt ratio formalis aſſentiendi; atque ita diuerſo modo cognoſcuntur; & ideo nulla eſt repugnantia.

Sectio VI.

An ex altera præmiſſa fidei, & altera naturali euidenti, inferatur aſſenſus fidei.

Concluſio eſt negatiua. Talis aſſenſus non 51.
pertinet ad fidem, ſed ad habitum Theologiæ. Ita communiter ſcholaſtici. Et probatur primò, quia illa concluſio partim pendet ab obiecto fidei, & partim ab obiecto Philoſophiæ, & adæquatè pendet ab vtroque, v. g. in hac concluſione, *Chriſtus eſt riſibilis*, deducta ex præmiſſa Philoſophiæ: *Omnis homo eſt riſibilis*; & ex hac de fide: *Chriſtus eſt homo*; ergo *Chriſtus eſt riſibilis*. ergo hæc concluſio, neque eſt fidei, neque Philoſophiæ. Conſequentia eſt manifeſta, quia concluſio fidei neceſſariò requirit obiectum formale ipſius fidei; nam fides nequit mouere ad concluſionem, niſi ex obiecto formali per ſe credendi. Et confirmatur, quia concluſio neceſſariò ſequitur debiliorem partem: ſed ibi eſt vna præmiſſa de fide, & altera lumine

Digitized by Google

lumine naturali nota: ergo concluſio illa de fide eſſe non poteſt. Maior ab omnibus admittitur, quia quando vna præmiſſa eſt euidens, & altera probabilis, concluſio eſt probabilis: & quando vna eſt de fide diuina, & altera ſolùm de fide humana, concluſio ex illis deducta non eſt de fide diuina: aliàs fieri poſſet, vt concluſio eſſet certior præmiſſis, quod eſt abſurdum; quia aſſenſus concluſionis pendet in certitudine à ſingulis præmiſſis; ac proinde nequit eſſe certior, quàm ſit quælibet præmiſſarum: & conſequenter neque aſſenſus ille poteſt eſſe aſſenſus fidei, quia iam certior eſſet, quàm aſſenſus præmiſſæ lumine naturali notæ: ſicut fides certior eſt, quàm quælibet cognitio ſcientifica naturalis.

52. Secundò probatur, quia reuelatio virtualis, ſeu mediata tantùm, nec cauſat tantam certitudinem, quantam reuelatio formalis, nec eſt ſufficiens ad aſſenſum fidei: quod ſic oſtenditur, quia reuelatio illa non oſtendit virtualem continentiam vnius in alio; hanc enim manifeſtat euidentia naturalis, quia ille aſſenſus per ſe pendet ex principio euidente; illa autem euidentia non confert tantam certitudinem, ſicut reuelatio diuina: ergo aſſenſus inde productus non poteſt eſſe tam certus ſicut aſſenſus fidei: aliunde verò omnes aſſenſus fidei debent eſſe æquè certi & infallibiles, quia prima veritas quæ eſt ratio aſſentiendi, æqualis eſt in omnibus: ergo reuelatio illa virtualis, neque cauſat tantam certitudinem, quantam formalis; neque ſufficiens eſſe poteſt ad aſſenſum fidei. Tum etiam, quia cùm talis concluſio non ſit in ſe reuelata, non ſequitur immediatè, & per ſe ex præmiſſa reuelata, ſed ſolùm mediatè & per accidens ratione alterius præmiſſæ naturaliter cognitæ: nec poteſt participare certitudinem reuelationis niſi ratione cõſequentiæ, ſiue quia ſequitur ex præmiſſa quæ à Deo non eſt reuelata: ergo non poteſt magis eſſe à Deo reuelata, quàm hæc. Conſequentia eſt manifeſta, quia non poteſt participare eſſe reuelatum, niſi ratione illationis, & euidentis conſequentiæ ex reuelatis: ſed hanc conſequentiam nequit habere niſi mediante propoſitione non reuelata: ergo non magis participat eſſe reuelatum, quàm hæc id participet: ſicut dicebamus de concluſione quæ ſequitur ex vna præmiſſa ſcientifica & altera probabili, quæ non poteſt participare certitudinem prioris, niſi mediante ſecunda, ac proinde non poteſt eſſe certior illa.

53. Obiicies primò, quia multa ſunt de fide quæ in ſe non ſunt reuelata, ſed propter illationem neceſſariam ex vna præmiſſa de fide, & altera naturali euidenti, v. g. Chriſtum eſſe animal rationale, & conſtare corpore & anima, quod tamen non cognoſcitur niſi ex vna præmiſſa naturali euidenti. Item qui baptizat infantem de fide credit illum eſſe in gratia, de cuius Baptiſmo illi conſtat euidentia naturali, quia euidens illi eſt infantem non ponere obicem, & ſe conficere verum Baptiſmum, quia de ſua intentione certus eſt. Præterea Petrum eſſe conceptum in peccato eſt de fide, quod tamen deducitur ex hac præmiſſa naturali, Petrus eſt homo. Denique, quia peccator fide credit ſe non habere gratiam apud Deum, quod euidenter colligit ex affectu quem habet ad peccatum. Reſpondetur prænotando cum Ægidio, *diſp. 9. dub. 9.* duplici modo vnam propoſitionem poſſe inferri ex alia. Primò immediatè ex vi ſignificationis, ſiue quia illa virtute idem ſignificat quod hæc, v. g. Hæc propoſitio: Omne animal eſt corpus, virtute ſignificat hanc: Homo eſt corpus, quia homo eſt aliquod animal; ac proinde quando hæc ex illa infertur, propriè non infertur vna res, aut vna propoſitio ex alia, nam quamuis prædictæ propoſitiones verbis & materialiter differant, nihilominus formaliter ratione eiuſdem ſignificationis, ſunt vnum & idem, quia eandem rem ſignificant, & ſolùm ex ſignificato generatim ſumpto, infertur idem ſpeciatim ſumptum. Alio modo vna propoſitio poteſt inferri ex alia præcisè ratione connexionis inter vtriuſque ſignificatum, v. g. ex hac: Chriſtus eſt homo, infertur: ergo Chriſtus eſt riſibilis: non vi ſignificationis, quia prior non ſignificat ſecundam, ſed quia riſibilitas habet neceſſariam connexionem cum natura humana tanquam proprietas neceſſariò eam conſequens. Ex quo patet ſolutio ad argumentum. Omnes illas propoſitiones eſſe de fide, quia omnes illæ immediatè ex vi ſignificationis idem ſignificant, v. g. Chriſtum eſſe animal rationale, & conſtare corpore & anima, quia ſunt partes quidditatiuæ hominis, quidditas autem immediatè ſignificatur, & reuelatur cum re ipſa, neque ad illarum aſſenſum eſt neceſſarius ſyllogiſmus, niſi tantùm apprehenſio quidditatiuè terminorum: & eodem modo philoſophandum eſt in aliis exemplis in argumento adductis. Ea verò quæ ſolùm ſecundo modo educuntur ex reuelatis, non ſunt de fide, ſed ſolùm concluſiones theologicæ.

54. Obiicies ſecundò, quia qui negaret illam propoſitionem, Chriſtus eſt riſibilis, puniretur vt hæreticus: ergo concluſio illa eſt de fide. Reſpondetur, qui negaret hanc cõcluſionem ſi eſſet Theologus, meritò puniretur, quia præſumeretur hæreticus, crederetur enim potius negare obſcurum, quàm euidens; quamtumcunque enim diceret ſe credere Chriſtum eſſe hominem, cenſere verò non eſſe riſibilem omnem hominem, non eſſet ei credendum, ſed iudicandum ab illo non negari propoſitionem in Philoſophia notam & euidentem, ſed potiùs obſcuram fidei.

55. Obiicies tertiò, quia multa proponuntur nobis ab Eccleſia credenda fide diuina, quæ tamen ſcimus non eſſe à Deo reuelata, niſi mediante hoc diſcurſu: quidquid diffinitur ab Eccleſia eſt à Deo reuelatum; ſed hæc ſunt ab Eccleſia diffinita: ergo. Cuius minor eſt lumine naturali nota maximè iis, qui Conciliis interfuerunt. Reſpondetur, quòd quamuis per illum diſcurſum cognoſcamus eas res eſſe reuelatas ac de fide, non tamen ſunt de fide propter talem diſcurſum, neque fides noſtra nititur illo diſcurſu, ſed ſolùm iudicium præcedens fidem: ratio verò formalis aſſentiendi ſolùm eſt, quia reuelatæ ſunt.

56. Denique obiicies, quia fide diuina credimus Chriſtũ in hoſtia verè contineri: aliàs nõ poſſemus abſolutè, ſed ſolùm ſub conditione eum adorare; ſed fides hæc fundatur in hoc diſcurſu: Omnis hoſtia ritè conſecrata continet Chriſtum; hæc eſt talis: ergo hæc continet Chriſtum. Minor autem eſt lumine naturali nota ei, qui videt Sacerdotem hoſtiam conſecrantem. Reſpondetur, vt quis hoſtiam abſolutè & ſine conditione adoret, ſufficere quòd moraliter certò ſciat eam eſſe conſecratam; hæc autem cognitio ſufficienter habetur ex fide humana, quando non occurrit ratio dubitandi de contrario; diſcurſus autem ille non eſt ita euidens ac certus, quin poſſit ei ſubeſſe falſum, cùm omnino certum non ſit conſecrantem eſſe verum ſacerdotem, aut verum habuiſſe intentionem conſecrandi:

ſectandi: nec ideo eſt periculum adolatriæ, cùm adorans non intendat adorare panem, ſed ſolum Chriſtum, quem rationabiliter credit eſſe ibi præſentem.

Sectio VII.

An Deus per ſe, vel per alium, poſſit mentiri, aut teſtari falſum.

57. CVm fides noſtra omnino innitatur teſtimonio Dei, examinandum eſt, quam perfectum ſit hoc teſtimonium, veritas, & certitudo illius.

58. Prima concluſio. Deus de lege ordinaria mentiri non poteſt. Hæc eſt de fide contra Priſcilianiſtas, qui, vt refert Auguſt. *lib. de hæreſibus, cap. 7. & lib. contra mendac. cap. 2.* aſſerebant, Deum mentiri poſſe, & per Prophetas aliquando fuiſſe mentitum. Probatur tamen concluſio apertè ex ſacra Scriptura Numeror. 23. *Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur, neque ſicut filius hominis, vt mutetur*, vbi æquiparat Scriptura reſpectu Dei, veracitatem, & immutabilitatem. Quare ſicut non poteſt Deus mutari, ita neque mentiri. Et ad Rom. 3. *Eſt autem Deus verax: omnis autem homo mendax.* Et ad Titum 1. *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur, Deus*, & ſæpe alibi.

Numer. 23. Rom. 3. Tit. 1.

59. Secunda concluſio. Neque Deus mentiri poteſt de potentia abſoluta. Ita communiter omnes Theologi, & contrarium aſſerere eſſet ad minus temerarium, & erroneum. Probatur ex illo ad Hebr. 6. *Vt per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus.* Loquebatur Apoſtolus de promiſſione, & iuramento Dei, quæ duo vocauit res immobiles: & niſi illa verba intelligantur de potentia abſoluta, & abſque vlla limitatione, non poſſemus habere fortiſſimum ſolatium in diuina promiſſione, vt vult Apoſtolus: quia ſi Deus aliqua ratione mentiri poſſet, iam non haberemus ex promiſſione Dei fortiſſimum illud ſolatium, ſed fluctuaret noſtra fides, dubitans, ne forte Deus reducat in actum ſuam abſolutam potentiam. Vnde enim nobis conſtaret, Deum in myſteriis illis reuelandis, vſum non eſſe potentia abſoluta fallendi, & mentiendi. Præterea, quia Deo non minus repugnat mendacium, quàm peccatum: ſed hoc repugnat illi etiam de potentia abſoluta, quia ſimpliciſſima, omnimoda, & infinita eius ſanctitas, & puritas, incompoſſibilis eſt cum omni peccato: ergo ſimiliter repugnat ei mentiri, ſeu falſum dicere. Maior propoſitio ex eo conſtat, quia Deus non poteſt falſum dicere, niſi mentiendo, ac proinde niſi peccando; quia mendacium non eſt peccatum & malum, quia prohibitum poſitiuo præcepto Dei; ſed potiùs è contra, quia eſt ex ſe malum, & contrarium rationali naturæ, propterea prohibitum eſt. Legatur D. Anſelmus lib. 1. cur Deus homo cap. 12. vbi, *Non*, inquit, *ſequitur, ſi Deus vult mentiri, iuſtum eſſe mentiri; ſed potius illum non eſſe Deum: voluntas enim non poteſt velle mentiri, niſi illa in qua corrupta eſt veritas, aut quæ deſerendi veritatem corrupta eſt.* Quibus verbis apertè docet, mendacium ſecundùm ſe eſſe malum, & pro ſola Dei voluntate non poſſe effici bonum, & repugnare Deum eſſe, & poſſe mentiri. Ex quo etiam conficitur alia ratio, quia Deus neque diuina potentia habere poteſt, id quod euerteret funditus aliquod eius attributum: ſi autem Deus poſſet mentiri, funditus euerteretur ſumma & infinita Dei veracitas, quia veracitas illa, quæ ſecum patitur potentiam mentiendi, non eſſet infinita ſimpliciter. legatur D. Dionyſius Areopag. 8. de diuinis nominibus, vbi vtitur hoc argumento contra Elyman. his verbis. *Deum ſe ipſum negare, eſt à veritate diſcedere; veritas autem ens ipſum eſt; casúſque à veritate, eſt ab ipſo ente ruina: ſi igitur veritas ens ipſum eſt, veritatiſque negatio eſt ab ipſo ente prolapſio, certè Deus ab ente cadere nequit.* quibus clarè demonſtrat, non minus repugnare primæ veritati mendacium, quàm primo enti non eſſe, ac proinde Deum etiam de potentia abſoluta mentiri non poſſe.

Anſelm. Areopag.

60. Tertia concluſio. Deus neque de lege ordinaria, neque etiam de abſoluta potentia, poteſt eſſe infidelis, aut violare promiſſionem ſuam. Hæc concluſio eadem certitudine pollet, qua præcedentes. Et probatur manifeſtè ex verbis Apoſtoli 2. ad Timoth. 2. *Ille fidelis permanet, negare ſe ipſum non poteſt.* Ex quibus apertè colligitur, Deum factis ſeipſum negarutum, oſtendendo ſe non eſſe infinitè veracem ac fidelem, ſi promiſſa non ſeruaret. Item, quia ſi Deus poſſet violare promiſſiones ſuas, non haberemus fortiſſimum illud ſolatium, quod tantopere commendat idem Paulus, ſuprà ad Hebr. 6. Quare adhuc dato quòd violatio fidelitatis facta per ignorantiam, non eſſet peccatum; nulla ratione poſſet Deus violare promiſſionem ſuam ob ignorantiam: hæc enim in ſummam Dei ſapientiam nullo modo cadere poteſt.

2. Timoth.

61. Quarta concluſio. Deus non ſolùm per ſe ipſum, ſed neque per alium, etiam de potentia abſoluta mentiri poteſt, neque mouere alium ad loquendum falſum. Probatur, quia prior modus loquendi per alium, tanquam per miniſtrum, ſupponit Deum immediatè, & per ſe ipſum, alicui alteri reuelare id quod loquitur nomine Dei: ſi ergo Deus non poteſt immediatè reuelare alicui falſum, vt oſtenſum eſt, quia illud eſſet mendacium repugnans Deo; neque etiam poterit mediante alio. Alias poſſemus dubitare, an Eccleſia, v. g. vel Pontifex cùm diffinit, dicat verum, & periret certitudo noſtræ fidei. Si enim Deus quacumque ratione poſſet per alium mentiri, tota certitudo fidei rueret, cùm in dubium reuocari poſſet diuinæ aſſertionis, & promiſſionis veritas. Deinde, quia motio illa, vel fieret à Deo ad id, vt alius cum peccato diceret falſum; vel vt ſine peccato falſum aſſereret. Primum repugnat Deo, ſicut & quòd moueat ad peccandum: & ſimiliter ſecundum, nam ſummæ veritati repugnat mouere ad aliquid falſum, & ad deceptionem: ſicut & ſummæ bonitati, & ſanctitati Dei, quod moueat ad peccatum.

Sed contra præcedentes concluſiones,

62. Obiicies primò, quia Deus de abſoluta potentia ſine concurſu noſtri intellectus, poteſt in nobis efficere actum erroris: ergo poteſt per ſe ipſum nos decipere. Et quamuis Deus ſine noſtro concurſu non poſſet efficere actũ erroris, poteſt tamen ſimul cum intellectu noſtro: ergo poterit velle errorem quo decipiamur. Reſpondetur primò negando antecedens, quia Deus non poteſt ſe ſolo ſine concurſu noſtri intellectus producere actum intelligendi. Reſpondetur ſecundò, quòd quamuis Deus concurrat ad actum erroris, vel mendacij, non ideo poteſt velle illud: ſicut quamuis concurrat ad actum peccati, non tamen poteſt velle illud, in quo non ſe offert noua difficultas quæ non maneat explicata in tractatibus de voluntate Dei, & de peccatis, vbi abundè docuimus, qua ratione quamuis

Deus

Deus concurrat ad materiale peccati, non fit dicendus velle peccatum, neque causam peccati.

Areopag. 63. Obiicies secundò, quia Deus se solo potest producere speciem impressam, vel habitum inclinantem ad falsum. Respondetur negando vtrumque. Ratio prioris est, quia non potest produci à Deo species impressa, quæ non sit in actu primo naturalis similitudo obiecti, cùm in hoc consistat eius essentia: ac proinde nulla species produci potest, quæ ex sua natura inclinet ad falsum: quin potiùs omnis species impressa, vt propria similitudo obiecti, ex sua 60. natura inclinat in verum. Ratio posterioris est, quia summæ Dei veritati repugnat, non solùm dicere falsum, siue esse testem falsi; sed etiam esse ex se causam efficientem falsi: si autem habitus ille inclinans ad assensum falsum produceretur à Deo, iam Deus per talem habitum esset, & diceretur causa efficiens falsi assensus, quod repugnat, quia veracitati Dei tribuenda est perfectio summa, & ad eius summam perfectionem pertinet, non modò non testificari falsum; sed etiam ex se neque proximè, neque remotè, mouere, inclinare, aut inducere ad falsum.

2. Timoth. 64. Obiicies tertiò, quia assensus falsus potest cadere sub præceptum: ergo potest Deus excitare, mouere, & inclinare ad illum; ac proinde esse causa illius. Antecedens probatur, quia quidquid 61. est conforme dictamini conscientiæ, potest cadere sub præceptum; sed aliquando ex conscientia inuincibiliter erronea, assensus falsus potest cadere sub præcepto: conscientiæ namque inuincibiliter erranti obtemperandum est, vt docet communis sententia: ergo. Respondetur, conscientiam per se nunquam obligare ad id quod ex se est malum, nisi per accidens, & suppositio inuincibili errore: ac proinde neque Deum posse ad id excitare, & mouere per se, nisi tantùm per accidens, ratione bonitatis moralis, quam accipit ex conscientia inuincibiliter errante, quod non est excitare ad malum, sed potiùs ad bonum, & à malo reuocare: quandoquidem peccatum esset, non facere id quod conscientia bona fide dictat esse faciendum.

65. Obiicies quartò plura loca sacræ Scripturæ, quibus videtur probari, Deum vel mentitum fuisse, vel induxisse alios ad mentiendum. Respondetur, nullum posse adduci locum sacræ Scripturæ cui non possit accommodari aliqua ex sequentibus interpretationibus. Prima, vt loquatur Deus permissiuè: sic dicitur Deus aliquos decipere, aut immittere in eos spiritum erroris; sic 3. Regum 22. Dæmoni promittenti se decepturum Achab dixit Deus: *Decipies & præualebis, egredere & fac*; ita id permitto vt id facias: itaut imperatiuum illud, *egredere & fac*, iuxta frequentem phrasim Scripturæ, tantùm significet permissionem futuri euentus, quo pacto intelligenda, & interpretanda sunt alia similia loca. Secunda est, vt intelligantur comminatoriè, & sub conditione, nisi pœnitentiam egerint. Sic intelligendum est illud Ionæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subuertetur*, quam prophetiam, & alias similes rectè exponunt interpretes fuisse comminatorias, & non absolutas, sed conditionatas, & ideo non posita conditione, non fuerunt adimpletæ. Tertia est, vt intelligan-

62. 3. Reg. 22.

Ionæ 3.

tur tropicè, qua ratione Iacob Genes. 27. patri suo dixit. *Ego sum primogenitus tuus Esau*; Genes. 27. in quo non fuit mentitus, quia licèt natura, seu generatione, primogenitus non erat; verè tamen iure quod habebat ad primogenituram, & maioratum, quod ius acquisiuerat vendita lentium scutella; vel ex diuina voluntate: sic Christus dixit, Ioannem fuisse Eliam, quod Ioannes de se negauit. Sed, vt rectè Gregorius, vtrumque erat verum, nam Ioannes in spiritu Elias erat, in persona Elias non erat: atque ita quod Dominus fatetur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona, vt verbis vtar eiusdem Gregorij. Nec obstat Isaac dixisse Esau benedictionem petenti, *venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam.* Genes. 27. nam vox illa *fraudulenter*, ibi non significat veram fraudem cum mendacio coniunctam, sed actionem quamdam externam habentem speciem fraudis. Similiter nec fuit mentitus Abraham Genes. 22. verbis illis. *Expectate hic, ego, & puer* Genes. 22. *illuc properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Nam, vt docet Paulus ad Hebræos 11. Abraham credebat, & sperabat immolatione filij peracta, ipsum à Deo resuscitandum: *fide*, inquit, *Abraham obtulit Isaac Deo,* Hebr. 11. *arbitrans quòd & à mortuis suscitare potens est Deus.*

66. Denique obiicies, quia mendacium non videtur intrinsecè malum: nam quando aliquis commisit aliquod delictum de quo non est publicè infamatus, si interrogetur à iudice, potest illud negare, & asserere se tale non commisisse. Respondetur cum Salon. 2. 2. *quæst. 69. art.* 2. in eo casu posse delinquentem sine mendacio affirmare, se non commisisse delictum illud, quia interrogatio iudicis intelligenda, & sumenda est secundùm formam iuris, & in sensu quem iuridicè debet habere: cùm ergo iudex in iudicio tantùm possit inquirere publicè & notoriè, de quibus quis publicè infamatus est; & delinquens non commiserit publicè delictum, sed occultè, potest illud negare cum restrictione in mente, nimirum non commisisse publicè delictum illud de quo non laborat infamia; iudex enim tantùm inquirit publicum, & non occultum: quod quamuis hominibus licitum sit, Deus tamen non potest, quia Deo nulla occurrit necessitas id faciendi, sicut potest homini occurrere: ac proinde talis modus non habet eadem incommoda in homine, quæ habet in Deo.

67. Potest tamen Deus, tam in sacra Scriptura, quàm in aliis reuelationibus, vti verbis obscuris ambiguis, ac tropicis, modò à parte rei prout extetiùs exprimuntur, verum aliquem sensum habeant: sic Christus Matth. cap. 24. Discipulis interrogantibus, quando dies iudicij futurus esset. Respondit: *de die autem, vel hora nemo scit,* Matth. 24. *neque Angelus in cœlo, neque Filius hominis.* & Ioann. 7. *Non ascendo ad diem festum*; & tamen postea ascendit. Priori enim loco verè dixit se nescire diem iudicij, quia illum ignorabat in ordine ad publicationem: non enim habebat commissionem cum nobis nuntiandi, quia Pater volebat manere secretum. Similiter verè dixit se non ascensurum ad diem festum palàm, & cum manifestatione sui ipsius, prout cognati rogabant; quamuis postea occultè ascenderit. Quamuis multi graues Auctores

Ioann. 7.

legendum existiment, *nondum ascendo*; alij, *non ascendo nunc*, quo tollitur omnis quæstio, quia Christus non ascendit tunc quando id dixit, quia nondum aduenerat tempus, quo ascenderet.

Sectio VIII.

An fidei possit subesse falsum.

68. Conclusio est negatiua. Et videtur definita in Tridentino *sess. 6. cap. 9.* vbi fidem diuinam vocat illam, cui falsum subesse non potest: id est, per quam non possumus id, quod falsum est, iudicare quod sit verum. Et ratio à priori est, quia nihil potest cadere sub actu diuinæ fidei, nisi mediante ratione formali illius: sed ratio formalis actus fidei est prima veritas, quæ nec de potentia absoluta fallere, aut falli potest, vt prædiximus; ergo fidei quæ innititur primæ veritati, tanquam medio formali, non potest subesse falsum; & consequenter assensus fidei non potest ad falsum terminari.

69. Et eodem argumento probatur, habitum diuinæ fidei nullo modo posse in genere causæ efficientis producere falsum assensum, quia sicut nullus habitus ad suum materiale obiectum fertur, nisi prout subest suo formali obiecto; ita neque habitus diuinæ fidei ex vi sua versatur circa obiectum suum materiale, nisi prout subest testimonio Dei; ergo habitus diuinæ fidei nullum assensum potest producere nisi verum; sicut neque Dei testimonium cadere potest, nisi supra verum vlla ratione, aut potentia.

70. Obiicies primò cum D. Thoma in hac quæstione *art.* 3. si in vltima hora in qua Christus natus est, fuisset aliquis qui per totum spacium illius horæ assentiretur huic propositioni: *Christus est nasciturus.* & in dimidio horæ nasceretur, in eo euentu ante dimidium illius horæ, assensus fidei in assentiente Christum esse nasciturum, esset assensus fidei diuinæ, & verus: post dimidiam autem horam, Christo iam nato, esset assensus falsus: sed talis assensus esset idem numero, & specie; vtpote continuatus per totam illam horam: ergo assensus fidei vt ab illa proueniens potest terminari ad falsum. Respondetur assensum illum per totam horam non continuari totaliter à fide diuina, sed vsque ad dimidium illius: nam antequam Christus nasceretur, assensus ille erat à fide diuina; Christo verò iam nato continuatio illius fit à fide humana, quia variatur ratio formalis assentiendi; nam ante dimidium horæ, ratio assentiendi erat prima veritas reuelans; post dimidium verò, Christo iam nato, incipit auctoritas humana, & cessat auctoritas diuina. Vnde duo illi assensus distinguuntur specie, sicut rationes formales assentiendi.

71. Inquires, vnde oriatur habitus ille fidei humanæ acquisitus, & assensus eius post Christum natum, cùm ante eius natiuitatem talis assensus procederet ab habitu fidei diuinæ. Respondetur per continuationem fidei diuinæ circa credibilia, generari in nobis habitum quemdam fidei humanæ, non quòd habitus hic generetur ex actibus fidei diuinæ, quia cùm sint ordinis supernaturalis, nequeunt producere habitum fidei humanæ; sed posita continuatione actuum fidei diuinæ, quasi ex vi continuationis, resultat in nobis quidam habitus fidei humanæ, productus ex actibus humanis concurrentibus ad actum diuinæ fidei, tamquam præuia quædam dispositio, & sic cessante habitu fidei diuinæ perseuerat adhuc habitus fidei humanæ, promptitudo scilicet in credendo, vt quotidie contingit in hæretico. Ex quo fit, promptitudinem illam credendi post Christum iam natum, pertinere ad fidem humanam, non verò ad habitum fidei diuinæ.

72. Dubitant verò nonnulli, an ille assensus sicut est distinctus specie, sic etiam distinguatur numero; hoc est, an ille assensus consideratus entitatiuè, & secundùm substantiam, qui ante Christi natiuitatem erat assensus fidei diuinæ, idemmet numero Christo iam nato, induat rationem formalem fidei humanæ. Bañes *q. 1. art. 1.* iudicat id impossibile. Ego verò non video hanc impossibilitatem. idem enim assensus inuariato actu in re secundùm substantiam, potest esse verus, & falsus successiuè: sicut potest esse bonus & malus, vt constat in eo, qui vult comedere carnem feria quinta ante duodecimam horam, & perstitit in eadem volitione post illam. Et ratio est, quia actus sumit bonitatem, vel malitiam per ordinem ad obiectum formale, quod est quid extrinsecum: at tam respectu fidei diuinæ, quàm humanæ, ratio credendi est auctoritas dicentis, quæ est quid extrinsecum; ac proinde manente eadem entitate assensus, potest ita continuari, vt illo assensu numero, quo credebat auctoritate diuina, credat auctoritate humana, quia res non variatur per extrinseca.

73. Obiicies secundò, quia habitus fidei diuinæ inclinat ad credendum sub hostia consecrata esse corpus Christi realiter; at potest contingere, quòd illa hostia non sit consecrata ex defectu Ministri: ergo assensus fidei potest terminari ad falsum, vel ad contingens. Respondetur, aliud esse quærere an per diuinam fidem credamus in hac, vel illa hostia esse Christum sacramentaliter; aliud verò an, in hostia ritè consecrata esse corpus Christi: nam hæc, vel illa hostia considerata in quantum hæc, vel illa, non est obiectum materiale fidei; ac proinde non cadit sub fide diuina credere Christum esse sub hac vel illa hostia; hæc enim sunt singularia, & contingentia quæ per se sub diuina fide non cadunt, nisi quatenus nobis in particulari à Deo reuelantur; vel quatenus in re aliqua continentur ex vi significationis, vt suprà explicatum est.

74. Dices ex hoc sequi, dogmata Summi Pontificis, vel decreta Conciliorum in rebus fidei & morum non esse habenda tanquam de fide, quia singularia, & contingentia non cadunt sub fide diuina, ac proinde neque quòd hic Papa, vt singularis persona sit Papa, quia nõ constat esse baptizatum: neque quòd hoc Concilium, nimirũ Tridentinum, sit legitimè congregatũ, quia fortasse Pontifex qui illud congregauit, non erat baptizatus. Respondent nonnulli per fidem diuinam nos non credere, hunc Papã qui modò regit Ecclesiam, esse verè Papã; neque hoc numero Cõcilium esse legitimè congregatum, sed vtrumque credere per fidem humanã: cum hoc tamen stare quòd decreta huius Pontificis & huius Concilij habenda sint tanquam dogmata fidei: pro quo nota quòd assensus fidei pẽdet ex intellectu producente immediatè assensum fidei, & ex voluntate imperante & mouẽte ipsum: in hoc enim differt habitus fidei ab aliis habitibus intellectualibus, quia cùm hi habitus accipiant suam rationẽ formalem ex principiis, & causis rerum cognitarum, non dependent à voluntate tanquam mouente intellectum, sed nitũtur ratiocinio & discursu, quo mediante generantur, & procedunt ad suos actus: at habitus fidei non vtitur discursu,

discursu aut ratiocinio, & ideo non nititur ratione, sed auctoritate dicentis & reuelantis, & ideo dependet à voluntate mouente. Vnde fit, quòd sola auctoritas dicentis sit tota ratio assentiendi ex parte intellectus, rationes verò, & motiua quæ solent interuenire ad credendum solùm se tenent ex parte voluntatis, & ad illam mouendam: quare eiusmodi rationes, & motiua extrinseca sunt respectu intellectus, & assensus fidei diuinæ, quæ solùm nititur auctoritate reuelantis, quæ est sola ratio credendi: ac proinde alia motiua tantùm deseruiunt, vt voluntas emolliatur & incitetur. Ex quo manifestè colligunt quòd fides diuina proximè & immediatè, solum proponit credenti Summum Pontificem esse caput Ecclesiæ, & in discernendis rebus fidei, & morum esse regulam infallibilem: at hunc vel illum esse Summum Pontificem, neque reuelatur, neque fide diuina constat, sed medio discursu ex circunstantiis humanis consideratis. 72.

75. Ex quo ad argumentum respondent decreta Summi Pontificis, & Conciliorum esse dogmata fidei, & illis non posse subesse falsum, & fide diuina esse credenda. Et cùm obiicitur, illa decreta pendere quasi à suo principio, ex hoc, nimirum quòd hic, vel ille sit Summus Pontifex, & hoc, vel illud Concilium sit legitimum. Respondent hoc falsum esse, quia non dependent à Summo Pontifice, vel à Concilio tanquam à ratione formali credendi: aliàs assensus fidei cum discursu procederet, sed solùm creduntur, quia dicuntur & reuelantur à Deo per Pontificem vel Concilium. Ratio verò illa, qua credimus hunc vel illum esse Summum Pontificem, se habet vt quid extrinsecum ad habitum, & actum diuinæ fidei, & tanquam remouens prohibens, quia nisi priùs admittamus hunc esse Pontificem, non præberemus assensum fidei erga obiecta nobis proposita: at postquam adest ratio illa fide diuina, non credimus propter illam, sed propter auctoritatem Dei reuelantis. 73.

76. Vrgebis, quia ex hac doctrina videtur sequi, nos non teneri credere vnam sanctam Ecclesiam, quia non tenemur credere, hanè Ecclesiam esse in singulari catholicam, sed sufficiet credere in communi esse Ecclesiam catholicam, quia non potest assignari hæc Ecclesia in indiuiduo, nisi quæ de facto militat sub Vrbano VIII. sed fides diuina, vt prædiximus, non inclinat ad credendum Vrbanum VIII. esse verum Summum Pontificem: ergo neque inclinat ad credendum in singulari, hanc Ecclesiam esse vnam, quia vnitas Ecclesiæ ex vnitate capitis sumenda est. Respondent negando sequelam, quia Ecclesia Christi non efficitur vna, & indiuidua per hoc, quòd militat sub Vrbano VIII. Ecclesia enim Christi semper est vna, tam antea istú Papam, quàm postea, & siue viuo, siue mortuo; sed indiuiduatur per hoc quòd est congregatio fidelium subdita Vicario Christi, & successori Petri; siue hic sit, siue alius. Quare suppositâ fide quæ docet in Ecclesia Christi esse potestatem eligendi Summum Pontificem, facta iam in electione illius prudentia quadá morali penè euidenti iudicamus, hunc esse verum Papam, sed de his latiùs infrà. nam multa hîc inuoluuntur, vel falsa, vel quæ maiori indigent examine. 74.

77. Obiicies tertiò, quia potest quis inuincibiliter existimare aliquid quod falsum est, esse à Deo reuelatum, & illud propter ipsius auctoritatem credere: sed hic assensus erit actus fidei diuinæ, imò & meritorius, si sit in gratia qui illum elicit: ergo assensus diuinæ fidei potest esse falsus. Respondetur negando minorem, quia ille non mouetur auctoritate Dei reuelante, sed falsò existimata, ex reuelatione falsò apprehensa: ac proinde neque elicere verum actum fidei diuinæ, sed solùm existimatum. Vnde ille actus intrinsecè neque est bonus, neque meritorius, sed solùm denominatione quadam extrinseca.

78. Obiicies quartò, quia infusæ prudentiæ potest subesse falsum: ergo & fidei infusæ. Antecedens probatur, quia prudentia dictat leuandam esse inopiam huius egeni; cùm tamen non sit leuanda, quia non est verè egenus, sed simulatè. Respondetur, vnam ex virtutibus intellectualibus, quibus semper verum attingimus, esse prudentiam, præsertim per se infusam; ac proinde nullum eius iudicium posse esse falsum, licèt aliquando supponat notitiam, seu iudicium speculatiuè falsum, ex quo deinde sequitur iudicium practicum prudentiæ, quo iudicatur, sic, vel sic circa rem illam esse operandum. v.g. in exemplo adducto, iudicat quis hunc esse verè egenum, hoc iudicium est speculatiuum, ex quo infert; ergo est ei subueniendum, quod iudicium est practicum: & vt sit verum, non requiritur, vt prius iudicium à parte rei sit verum, sed sufficit quòd rationabiliter credat esse verum, quamuis à parte rei falsum sit: prudentia autem consistit in secundo iudicio, non verò in priori: quod patet in secundo illo iudicio elargiëtis eleemosynam, quod à parte rei est verum; nam verè ei licet eleemosynã elargiri, suppositio iudicio priore.

79. Denique obiicies, quia præmissæ sunt causæ cõclusionis; sed potest ex vna de fide diuina, & ex altera opinabili, vel falsa inferri assensus qui sit reipsa falsus, v.g. in hoc syllogismo, vbi solùm est vna hypostasis, ibi est solùm vna natura; sed in Christo fuit vna sola hypostasis: ergo in eo fuit vna sola natura. Qui enim assentitur maiori, vt assentiuntur Eutychiani, assentitur cõclusioni propter præmissas: ergo assensus vtriusque præmissæ; ac proinde assensus fidei est causa assensus falsi. Respondetur, in eo tantùm discursu effici conclusionem ab vtraque præmissa, in quo vtraque est talis naturæ, vt per suam rationem formalem possit cadere supra conclusionem, vel influere in naturalem subsistantiam conclusionis: vt enim aliquid sit propria causa alicuius effectus, non sufficit quòd ad eum concurrat, sed vlteriùs requiritur, vt ex modo quo concurrit sit natus sequi effectus ille.

SECTIO IX.

An res fidei sint euidenter credibiles.

80. RAtio dubitandi est, quòd sicut se habet scibile respectu habitus scientiæ, ita se habet credibile respectu habitus fidei: sed eo ipso quòd res aliqua est euidenter scibilis, redditur euidenter vera, & apparet euidens scienti: ergo si articuli fidei sunt euidenter credibiles, eo ipso erunt euidenter veri. Præterea, quia vel sunt euidenter credibiles credulitate humana, vel credulitate diuina: si primum, ergo certum est posse illis subesse falsum, quia quod humanum est, potest subiici falsitati; si verò dicatur secundum: ergo est euidens non posse illis subesse falsum, quia nituntur veritate infallibili; ergo sunt euidenter veri. Et confirmatur, quia si articuli fidei sunt euidenter credibiles: ergo necessariò mouent intellectum ad credendum.

81. Hæc tamen non vrgent, quia aliud eſt rem eſſe ſcibilem, aliud verò rem eſſe credibilem: ſicut aliud eſt aliquid eſſe euidenter credibile, & eſſe euidenter verum, quia hæc prædicata ſumuntur ex diuerſis capitibus. Res enim eſt vera, & ſcibilis per ſe, & ex ſua natura, nimirum per intrinſeca principia & cauſas, quia ſecundùm Philoſophum, *ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere*, quod non ſolùm eſt verum, quando res per ſuas cauſas ſcitur, ſed etiam quando per effectus cognoſcitur, quia etiam effectus habent intrinſecam connexionẽ cum cauſa. Res autem dicitur credibilis per extrinſeca ipſius rei, nimirum per teſtimonia, & rationes extrinſecas, quæ faciunt rem credibilẽ. Ex quo fit, aliud eſſe cognoſcere aliquam rem eſſe euidẽter credibilem, aliud verò eſſe euidenter ſcibilem: hoc enim eſt manifeſtè videre eius veritatem, quia ſcientia procedit per intrinſeca principia & cauſas, vel per effectus neceſſariò à cauſis dependentes: illud verò non eſt videre rem ſimpliciter & abſolutè, ſed in teſtimoniis & rationibus externis, qui enim credit aliquid euidenter eſſe credibile, non conuincitur euidentia veritatis, ſed ſufficiẽtibus teſtimoniis externis. Quare non valet conſequentia, ego video euidenter hoc eſſe credibile: ergo abſolutè video eſſe verum, quià, vt rectè Caietanus in hoc articulo, videre vt atteſtatum minuit rationem veritatis. Per quod patet ad primam rationem dubitandi. Ad ſecundam verò ex infrà dicendis patebit ſolutio.

82. Sit concluſio. Articuli fidei ſunt euidẽter credibiles. Ita communiter Theologi, & colligitur ex Pſalm. 118. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* & probatur, quia illud eſt euidẽter credibile, quod confirmatur & teſtificatur teſtimoniis, rationibus, & ſignis fide digniſſimis; ſed ſic ſe habent res noſtræ fidei: ergo ſunt euidenter credibiles. Minor probatur adducendo motiua euidentiæ credibilitatis rerum fidei.

Pſalm. 118.

Primum ſumitur ex perſona Chriſti Domini auctoris Chriſtianæ Religionis, in veteri Teſtamento promiſſus, tanquam legiſlator, & doctor, veram doctrinam traditurus, qui fuit vir ſanctiſſimus, & in confirmationem diuinitatis ipſius, & doctrinæ ab ipſo traditæ, innumera patrauit miracula.

83. Secundum ſumitur ex conditionibus vel qualitatibus doctrinæ noſtræ fidei, quæ quidem ad duas poſſunt reuocari. Prima eſt veritas ſine admixtione alicuius falſitatis. Secunda ſanctitas, & puritas: nam omnia quæ docet ſunt honeſta, & nihil approbat quod turpe ſit; nihilque de Deo docet quod ſublime non ſit, & quod falſum eſſe probari poſſit, & denique nihil omittit, quo ſuos ſectatores ad omnem ſanctitatem perducat: & ideo Pſalm. 18. dicitur, *Lex Domini immaculata illuminans oculos.*

Pſalm. 18.

84. Tertium eſt eiuſdem doctrinæ efficacia, quæ colligitur ex modo quo lex Chriſti in mundum introducta eſt, quandoquidem pauci homines pauperes, inermes, & per humanam ſapientiam non inſtructi, per huius doctrinæ prædicationem mundum ſuperarunt; & homines eloquentiſſimi & nobiliſſimi, per euangelicam prædicationem eo adducti ſunt, vt reiectis voluptatibus, diuitiis, & patriis Religionibus, Chriſtianam religionem receperint.

85. Quartum ex eiuſdem doctrinæ conſtantia, quæ ex eo tempore quo cœpit, ſemper inuicta permanſit, quamuis ſupra modum fuerit oppugnata ab Ethnicis, Hæreticis, Regibus, & Imperatoribus.

86. Quintum ex ſanctitate eorum qui Chriſtianam religionem colunt, ex eiuſque præſcripto viuunt: hoc enim eſt magnum argumentum credibilitatis noſtræ fidei, maxima vitæ ſanctitas, præſertim eorum, qui poſtquam fidem ſuſceperunt, totos ſe virtutibus tradidere, qui ante ſuſceptam fidem vitiis omnibus erant mancipati.

87. Sextum ſumitur ex innumeris miraculis, quibus ſemper illuſtrata fuit noſtra fides, ſupra omnem vim naturæ edita, in teſtimonium illius. Ex quibus planè infertur, fidem noſtram eam eſſe, quam Apoſtoli profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

88. Septimum deſumitur ex vaticiniis, quibus à Prophetis pronuntiata fuit. Nam in ſacra Scriptura continentur multæ prophetiæ, quas poſtea infallibilis euentus comprobauit: quod eſt euidens argumentum, fuiſſe à Deo traditas, iuxta illud Iſaiæ 41. *Annunciate quæ ventura ſunt, & dicemus quòd Dij eſtis.*

Iſai. 41.

89. Octauum deſumitur ex conſtantia Martyrum innumerabilium, omnis ſexus, ætatis, & conditionis, qui alacri, & inuicto animo, fidem ſanguine ſuo conſignarunt; voluptates, diuitias, honores, & impiorum iudicum, ac Tyrannorum mandata, tanquam ſtercora contemnentes, quo propterea non fuit imminutus Chriſtianorum numerus, ſed in immenſum creuit: ſicut vineæ creſcunt putatione.

90. Denique aliud teſtimonium ſumitur ex conſenſu omnium orthodoxorum ab orbe condito, & maximè poſt Chriſtum natum, vſque in hunc diem, & ex ſtabilitate ſedis Apoſtolicæ. Nulla enim ſecta, nec Monarchia, habuit tam firmam, & ſtabilem ſucceſſionem, ſicut Eccleſia Chriſti: nam à tempore D. Petri vſque modò, non defecit ſucceſſor illius, neque deficiet ſeculis venturis, quod teſtimonium adeò egregium eſt, vt magnus ille Auguſtinus in lib. contra epiſtolam Fundamenti, cap. 4. fateatur. *Tenet me in Eccleſia conſenſus populi, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata.* Quæ omnia & plura alia ſigna, quæ latiſſimè adducunt ſcriptores Catholici, faciunt, tam euidentem credibilitatem rerum noſtræ fidei, vt meritò Richardus à ſancto Victore lib. de Trinitate cap. 2. ſic Deum alloquens dixerit: *Domine ſi error eſt, à te ipſo deceptus fumus: nam iſta in nobis tantis ſignis, & prodigiis, ſunt confirmata, & talibus, quæ non niſi per te fieri poſſunt.*

Auguſt.

Richard.

91. Inquires, an res fidei noſtræ ſint euidenter credibiles, ſolùm credibilitate fidei infuſæ, vel fidei acquiſitæ. Reſpondeo ex prædictis motiuis ſolùm generari euidentiam credibilitatis fidei acquiſitæ, & ita res per fidem diuinam credendæ, ſolùm fiunt credibiles euidenter per acquiſitam fidem. Ratio huius eſt, quia ex illis motiuis non fiunt credibiles per diuinam fidem, quia medium ad euidenter demonſtrandum prædicatum credibilitatis in rebus illis, eſt teſtimonium: ſed non eſt nobis euidens teſtimonium diuinum; ergo neque credibilitas diuina, quæ poſtulat tale teſtimonium vt formalem rationem aſſentiendi, poteſt nobis eſſe euidens: ergo ex illis motiuis res non ſunt credibiles per diuinam fidem, ſed per acquiſitam, vel humanam. Præterea, quia ſi eſſet nobis euidens myſteria noſtræ fidei eſſe credibilia propter Dei teſtimonium, tanquam

propter

propter rationem formalem, sequeretur esse in nobis euidentiam in attestante veritatum nostræ fidei: hoc autem falsum est, nam nullus ex nobis de facto habet hanc euidentiam veritatum fidei. Sequela verò probatur, quia si est euidens aliquid esse credibile fide diuina propter testimonium Dei, & ex alia parte etiam est euidens nihil falsum posse esse credibile propter Dei testimonium: ergo euidenter sequitur euidentia in attestante, vera esse mysteria nostræ fidei, & nos habere talem euidentiam. 86. 87.

92. Ex quo infertur, iudicium illud credibilitatis rerum fidei, non elici à fide diuina, quia nulla virtus operari potest, nisi ex ratione formali sui obiecti; sed formale obiectum fidei est testimoniũ Dei: ergo fides operari non potest, nisi ex prædicto testimonio: ergo non potest elicere aliquod iudicium ex medio euidenti; habitus enim, vel virtus, sicut specificatur à suo obiecto, ita ab illo limitatur ad id, vt extra illud extendere se non possit. 88. Isai. 41.

Sectio X.

An eadem res possit simul esse credita, & euidenter cognita.

89. 93. CONclusio est affirmatiua, quam contra Thomistas defendunt recentiores Theologi, Suarez 3. p. t. 2. *disp.* 19. *sect.* 2. Vazquez *p.* 1. *disp.* 4. & alij plures. Et

90. Probatur primò, quia Philosophus Christianus, etiam dum habet actualem demonstrationem de existentia Dei, tenetur eamdem existentiam credere fide diuina, quia dum habet hanc demonstrationem actualem: Omne quod prima veritas reuelat est; sed prima veritas reuelat existentiam Dei: ergo Deus est. Quæ conclusio euidẽter infertur ex illis duabus præmissis, siue principiis: ergo possunt simul componi fides diuina, & scientia actualis. Et

Confirmatur primò, quia idem Philosophus euidenter ex effectibus cognoscit Deum esse, & tamen id credit fide diuina: ergo hæc duo possunt simul consistere. Antecedens est manifestum ex Paulo ad Hebr. 11. vbi generatim docet *sine fide impossibile esse placere Deo*, & statim subdit: *Oportet enim accedentem ad Deum credere quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Vbi manifestè docet, accedentem ad Deum necessariò debere fide diuina credere, Deum esse. Idẽ colligitur ex symbolo Athanasij, vbi proponit mysteria quæ vnusquisque hominum credere tenetur, inter quæ proponitur Dei existentia credenda, & concludit: *Hæc nisi quisque fideliter firmitérque crediderit, salum esse nõ poterit.* Aliàs sequeretur, Philosophum Gentilem, qui haberet actu cognitionem claram & euidentem, quòd Deus sit, siue de Dei existentia, non posse pro eo tempore conuerti ad fidem, quia aut deberet tunc simul circa eamdem rem habere fidem & scientiam; aut conuerti sine fide istarum rerum. Primum fieri non potest, nam fieri nequit vt qui habet claram cognitionem alicuius obiecti, eam expellat, quamdiu de eo obiecto distinctè cogitat. Neque secundum, esset enim contra Apostolum Paulum asserentem, *accedentem ad Deum oportere credere quia est.* Ex quo vlteriùs sequeretur, rusticum fidelem melioris esse conditionis, quàm Philosophum catholicum, & doctrinam, & studium quo catholici curant demonstrare existentiam Dei, vergere in illorum detrimentũ, si habita demõstratione Dei carerent actu fidei, & actu charitatis, qui oriri nequit ex actu demonstratiuo. August. Hebr. 11.

Confirmatur secundò, quia Beata Virgo euidenter sciuit se sine opera viri concepisse Christũ: & Apostoli oculis suis viderunt Christum patientem, morientem, resurgentem, & ad cœlos ascendentem, vt testatur Ioan. epist. 1. cap. 1. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ.* Et tamen hæc omnia fide diuina crediderunt: ergo nulla est repugnantia, quòd eadem res possit simul credi, & euidenter cognosci; aliàs dicendum esset Beatam Virginem, & Apostolos non habuisse fidem præcipuorum mysteriorũ nostræ redemptionis, & maximè illorum, quorum cognitio est fundamentum nostræ spei. 94. 1. Ioan. 1.

Secundò probatur, quia si esset aliqua repugnantia, maximè, quia euidens & ineuidens, clarum, & obscurum non possunt esse simul. In hoc autem nulla est repugnãtia, quia obscuritas rei est duplex: altera intrinseca, quæ conuenit ipsi rei, secluso quocumque extrinseco, per absentiam claritatis debitæ inesse ipsi rei; vt contingit quando non habetur medium demõstratiuum: alia obscuritas est extrinseca, quæ conuenit rei per aliquod extrinsecum, nam quamuis res ipsa in se sit clara, quatenus tamẽ creditur vt dicta ab alio, est obscura extrinsecè, quod enim cognoscitur per testimonium alterius obscurum est; quam alij vocant obscuritatem negatiuam, quia res quæ cognoscitur per auctoritatem dicentis vt sic, non habet claritatem, quia dicens vt dicens, nõ potest facere rem dictam claram in se, & sic redditur obscura obscuritate extrinseca, & negatiuè ex parte dicentis. Ex quo fit euidẽs & ineuidens negatiuè: & clarum & obscurum obscuritate extrinseca, non repugnare esse simul. Et cõfirmatur, quia illi actus possunt esse simul in eodem intellectu, qui nullam inter se habent repugnantiam: huiusmodi autem sunt actus de quibus loquimur, nam euidentia assensus euidentis, non opponitur cuicumque ineuidentiæ habitæ quomodocumque, & ex quouis medio, sed tantùm ei quæ cõpararetur ex eo medio, & modo cognoscẽdi, ex quo deriuatur in actum cognitionis euidentia: & eodem modo philosophandum est de ineuidentia fidei, quæ quidem non opponitur cuicumque euidentiæ, vndecumque habitæ, sed ei soli, quæ gigneretur ex eo medio, seu modo cognoscendi, ex quo promanat in actum cognitionis euidentia. 95.

Obiicies primò, quia euidens, & obscurum, opponuntur, sicut lux & tenebræ: fides autẽ debet esse de obscuris, quia debet esse de non visis: scientia verò fertur in rem claram; impossibile autem est conuenire alicui contraria: ergo si hi actus ratione euidentiæ, & obscuritatis sunt contrarij, nõ possunt eidem intellectui cõuenire. Nam claritas & obscuritas, non distinguuntur ab ipsis actibus: ergo actus ipsi inter se se erunt contrarij; atque adeò non poterunt simul eumdem intellectum informare. Et confirmatur ex Patribus expresè id asserentibus, ex Augustin. tract. 46. in Ioan. vbi ait. *Quid est fides, nisi credere quod non vides?* & tract. 79. circa fin. inquit, *Fidem non esse si quis videat obiectum.* Gregor. homil. 26. in Euang. explicans illa verba, *Quia vidisti me Thoma credidisti*, ait, *Profectò liquet, quòd fides illarũ rerum est quæ apparere non possunt.* Vnde colligit Apostolum Thomam aliud vidisse, & aliud credidisse, idem affirmat homil. 26. in Ioan. *Fides*, inquit, *non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimẽtum.* Quo sensu Chrysostomus homil. 86. in Ioan. exponit illud ad Heb. 11. *Fides est argumentum non apparentium.* 96. August. Gregor. Idem. Hebr. 11.

Respondetur, quòd quamuis actus fidei sit obscurus 97.

obſcurus, & actus ſcientiæ clarus, & euidens, nihilominus hæc obſcuritas, & euidentia non videntur pugnare in eodem intellectu, quia habent diuerſum ſubiectum immediatum, ſcilicet ipſoſmet actus fidei & ſcientiæ: neque prædicti actus ſunt contrarij & oppoſiti; nam actus fidei, neque eſt, neque affert ſecum neceſſariam priuationem euidentiæ obiecti per alium actum, ſed ſolùm eſt quædam cognitio quæ ex medio proprio non habet vim manifeſtandi obiectum, ac proinde de ratione illius non eſt, quod abſolutè ſit obſcurus, provt refert obiectum materiale, ſed ſolùm provt refert obiectum formale: ac proinde quod materiale ſub motiuo fidei non appareat euidens, & clarum, licèt aliunde euidens, & manifeſtum ſit.

98. Ad confirmationem reſpondetur, Patres eo modo loquendi tantùm explicare fidei naturam, eſſe ſcilicet rerum quæ non apparent, nec videntur, nempe per ipſam fidem, quia hæc eſſentialiter eſt inuidens: vel ſolùm velle nos non debere tantùm credere ea quæ videmus, aut ideo aliquid credere, quia id videmus, vt volebant Gentiles, & Manichæi. An verò aliqua re euidenter cognita, poſſimus eamdem ſimul ob diuinam auctoritatem credere, non diſputabant.

99. Obiicies ſecundò, quia actus fidei pendet ex affectu voluntatis, nam fidei obiectum non ſufficit ad mouendum intellectum, ac proinde requiritur affectus voluntatis eligentis alteram partem; actus verò ſcientiæ cùm habeat obiectum, quod illum ſufficienter mouet; excludit affectum voluntatis vt determinetur, & moueatur ab illa, quia in ſe ipſo clarè videtur; ac proinde obiectū quod per actum fidei credi debet, non habet vim determinandi intellectum ad aſſenſum potius, quàm diſſenſum: aſſenſus namque fidei eſt liber; intellectus autem ad eum determinatur per voluntatem: obiectum verò cuius euidens cognitio habetur, ſic determinat intellectum ad aſſenſum, vt intellectus diſſentiri non poſſit; ac proinde clara cognitio eſt neceſſaria, quia in ea intellectus determinatur ab euidentia obiecti: ergo ſi intellectus poteſt vnum, & idem obiectum ſimul credere, & euidenter cognoſcere, poterit ſimiliter eidem rei aſſentiri liberè & neceſſariò, & eſſe determinatus ad aſſentiendum, & indifferens vt à voluntate determinetur, quæ quidem videntur implicare. Reſpondetur, argumentum tantùm probare, eumdem aſſenſum non poſſe ſimul eſſe fidei & ſcientiæ, quod quamuis controuerſum ſit, de hoc modo non diſputamus: non tamen probat quando diuerſis actibus ob diuerſas rationes formales eidem obiecto aſſentimur, tunc enim nihil prohibet, vnum actum eſſe liberum, alterum neceſſarium, in vno determinari intellectum ab euidentia obiecti; in altero verò ab affectu voluntatis.

100. Obiicies tertiò, quia ſi actus fidei eſt compoſſibilis cum actu ſcientiæ: ergo eodem modo actus fidei poterit ſimul manere in patria cum clara Dei viſione, & cum notitia intuitiua eiuſdem. Nonnulli Doctores cenſent, viſionem claram Dei non poſſe compati ſimul cum actu fidei diuinæ circa idem obiectum, quia in præſentia obiecti, intellectus non mouetur circa idem obiectum ex teſtimonio alicuius dicentis; id quod in rebus humanis experientia ipſa manifeſtat: nam ſi quis clarè, & intuitiuè videat obiectum præſens, eius intellectus non mouebitur ad aſſenſum eiuſdem veritatis ex teſtimonio alterius ſibi illam teſtificantis, quod quidem prouenit ex debilitate ipſius teſtimonij ad mouendum intellectum in præſentia cognitionis intuitiuæ: quod potiori iure ſibi perſuadent procedere in viſione beatifica; nam ſi quis clarè contempletur Deum provt eſt in ſe, non poterit moueri ad aſſenſum ipſius obiecti, adhuc ex teſtimonio Dei; quia teſtimonium Dei in præſentia cognitionis intuitiuæ, non ſufficit ad mouendum intellectum ad aſſenſum eiuſdem obiecti, ad quem poſſet moueri ſi non haberetur viſio clara de eodem obiecto. Quo argumento ſic probant ex natura rei viſionem claram non poſſe ſimul reperiri cum notitia ænigmatica fidei, vt neque de potentia abſoluta id fieri poſſit: nam quamuis cognitio pendeat à Deo, & ab intellectu in genere cauſæ efficientis, tamen quòd intellectus moueatur ad aſſenſum, pendet in genere cauſæ formalis à medio ipſius aſſenſus: ſi verò ratio formalis, quæ eſt medium, ſit talis, quæ mouere non poſſit intellectum in præſentia viſionis intuitiuæ, ex natura ſua non poterit etiam ipſa in ſe inuariata in præſentia talis cognitionis pro ſola Dei voluntate mouere intellectum ad aſſenſum, ad quem non poteſt mouere ex natura ſua in præſentia eiuſdem notitiæ intuitiuæ.

Hæc tamen non vrgent, neque video repugnantiam ob quam fides conſiſtere non poſſit cum clara viſione Dei, nam notitia intuitiua, & fides ex natura ſua non pugnant: vt ſi ego modò video album mihi præſens, poſſum etiam aſſentiri per fidem illud eſſe album: quotidie etiam experimur eidem rei eodem tempore cùm luber, nos poſſe dare aſſenſum per fidem de qua habemus notitiam intuitiuam: nec exiſtimo quempiam negare poſſe me nunc iudicare Romam eſſe, ex motiuo famæ communis id aſſerentis, quamquam eiuſdem vrbis intuitiuam cognitionem habeam. Itaque ex natura rei non repugnat viſionem claram Dei ſimul ſtare cum fide diuina, conſiderando præcisè naturam horum actuum, cùm ad aſſentiendum quis ex diuerſis rationibus formalibus moueatur nullo modo inter ſe repugnantibus. Nunquam tamen eſt concedendum, manere in patria actum, vel habitum fidei, tunc quia eſſentialis ipſius obſcuritas minus decet ſtatum beatitudinis, non tamen propter aliquam phyſicam repugnantiam quam habeat cum clara viſione Dei; tum etiam, quia eſſet ſuperflua, & in illo ſtatu perfectiſſimo nihil poni debet ſuperfluum: nam fides in illo ſtatu ſi poneretur, nihil augeret, quandoquidem non poſſet augere notitiam Dei intuitiuam, vt conſtat. 101.

Denique obiicies, ex hoc ſequi ſimiliter, poſſe ſimul dari in intellectu actum ſcientiæ, & erroris; quia etiam hi actus diuerſis motiuis, & mediis nituntur. Reſpondetur, negando ſequelam, quia hi actus nituntur mediis repugnantibus ex natura ſua: nam qui per medium demonſtratiuum iudicat rem eſſe, & per medium erroneum iudicat non eſſe, iudicaret ſimul eſſe, & non eſſe, quod implicat. 102.

Ex quibus infertur, habitum diuinæ fidei non pugnare ex natura rei cum habitu luminis gloriæ, neque cum viſione beata, & ſic de potentia abſoluta hæc poſſe eſſe ſimul, quod egregiè confirmatur exemplo D. Pauli ſi ſupponamus cum D. Thoma in raptu vidiſſe diuinam eſſentiam, tunc enim habitus diuinæ fidei manſit in intellectu Pauli cum clara Dei viſione: neque habitus luminis gloriæ, & fidei diuinæ ita aduerſantur, vt 103.

importent

importent ex se contradictionem, ob quam id negari debeat diuinæ omnipotentiæ.

Sectio XI.

An ad credendum requiratur euidens iudicium credibilitatis obiecti.

104. COnueniunt Doctores, secundùm fidem catholicam ad credendum ex communi lege, necessariam esse externam propositionem rerum credendarum, quod patet ex illo ad Rom. 10 Rom.10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante.* Propterea Matth. & Marci vltimo, mittuntur Apostoli ad prædicãdum Euangelium omni creaturæ, quod multis aliis Scripturæ locis confirmari potest, & ideo August. lib. contra epistolam Fundamenti, cap. 4. & 14. docuit: August. *Sicut Deus immediatè creauit vnum hominem, & ab illo, ac per illum producti sunt cæteri successione continua, ita in fide per se instruxisse Deum quosdam homines, à quibus alij docerentur.* Ex quibus planè conuincitur error hæreticorum nostri temporis, asserentium, non esse necessariam externam propositionem obiecti, sed per priuatam reuelationem vnicuique factam, quod probant ex illo

101. Ieremiæ 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam,* &c. *Non docebit vnusquisque proximum suum*, &c. Quibus verbis significatur, omnes esse immediatè docendos à Deo. & ideo Isaiæ 54. dicitur: *Ponam vniuersos filios tuos* Isai.54. *doctos à Domino.* Et ex illo 1.Ioan. 2. *Vnctio docebit* 1.Ioan.2. *vos de omnibus*; vnde ibidem dicitur, *Non necesse habetis, vt aliquis doceat vos.* Sed certè falluntur hæretici, nam apud Catholicos ipsa experientia probat, plurimos in fidei propositione, non experiri reuelationem illam particularem quam ipsi confingunt. Imò inter ipsos hæreticos cùm multi affirment se doceri à Spiritu sancto, sentiunt inter se contradictoria, quod est manifestum signum erroris ipsorum. Quare facilè diluuntur illorum argumenta, nam testimonium Ieremiæ non facit ad rem, quia ibi specialiter promittitur nouum Testamentum, & lex euangelica hominibus tradenda, quæ quia perfectissima, & maximè spiritualis futura erat, ideo dicitur scribenda in cordibus, & mentibus hominum, non quia tradenda non esset per exteriorem doctrinam, mediante verbo Dei externo. Apostolus verò Ioannes tantùm voluit, omnem fidelem credere ex spiritu, & dono gratiæ Dei, per vnctionem enim spiritus, significat internam spirationem, per quam homo illuminatur, & iuuatur ad credendum: per quod tamen

102. non excluditur magisterium, & prædicatio Ecclesiæ, docentis ea quæ fideles credituri sunt: illa enim vnctio, regulariter loquendo, supponit hanc exteriorem doctrinam. Et eodem modo intelligenda sunt plura alia loca adducta ab hæreticis, nam ratione interni auxilij gratiæ Deus specialiter dicitur docere credentes.

103. 105. Hac ergo externa propositione supposita inquirimus, an ad aliquid diuina fide credendum requiratur iudicium euidens credibilitatis obiecti. Quæ difficultas solùm procedit de his, qui primò incipiunt credere aliquod mysterium fidei, aut quibus aliquid proponitur credendum, quod priùs ignorabant esse de fide.

106. Conclusio est affirmatiua, quam communiter defendunt Recentiores cum D. Thoma art. 4. vbi expressè docet, neminem crediturum nisi illa quæ credit videat esse credenda. Et q. 2. art. 9. ad 3. inquit: *Eum qui credit habere sufficiens motiuum ad credendum, quia inducitur auctoritate diuina per miraculum confirmata.* Et probatur, quia ad credendum id quod quis non videt, maximè quando apparet difficile, necesse est vt prudenter iudicet, eum qui proponit esse veracem, & id quod proponit esse fide dignum: sed mysteria nostræ fidei sunt valdè difficilia; vtpote supernaturalia superantia omnem captum humanum: ergo necesse est vt qui credit, vt prudenter credat, nitatur testimoniis, & signis fidei dignissimis. Quod autem præuium hoc iudicium credibilitatis rerum nostræ fidei debeat esse euidens, sic ostendo; quia non sufficit probabile: ergo necessariò debet esse euidens. Antecedens probatur, quia illud iudicium non sufficit ad prudentem assensum fidei diuinæ, cum quo stare potest prudens dubitatio de veritate rei, quæ fide diuina credenda proponitur: sed cum probabili solùm iudicio credibilitatis, potest stare prudens dubitatio de veritate rei, quia quando res vna est tantùm probabiliter credibilis, eius oppositum proponi potest, vt eodem modo credibile; cùm probabilitas vnius partis non excludat probabilitatem partis oppositæ; quando verò vtraque pars æqualiter apparet credibilis, prudenter de vtriusque partis veritate dubitatur: nec potest vni determinatè tanquam veræ firmiter adhærere intellectus: sed assensus diuinæ fidei talis est, vt sit omnino certus & infallibilis, excludens omnem de opposito dubitationem, ac formidinem: ergo ad illum non sufficit probabile iudicium credibilitatis rerum credendarum, sed necessariò prærequiritur euidens. Et confirmatur, quia quando quis habet iustam rationem dubitandi, an sit omnino certum, & infallibile id quod proponitur credendum, non tenetur illud omnino indubitanter credere: at quamdiu res aliqua prædicto modo non proponitur & probatur, potest meritò dubitare, an sit omnino certa & infallibilis: ergo nec tenetur, nec potest prudenter velle eam fide diuina credere.

107. Adde, ad assensum diuinæ fidei non sufficere euidentiam credibilitatis rerum credendarum, sed etiam requiri euidentiam credibilitatis de obiecto formali; hoc est quod res quæ fide diuina credenda proponitur à Deo reuelata sit. Ratio huius est, quia diuina reuelatio, quæ est motiuum assensus fidei diuinæ, non potest mouere intellectum ad hunc assensum (nisi quis aliunde habeat euidentiam de Deo attestante) quin priùs cognoscatur: nec sufficit quælibet cognitio probabilis, vt prædiximus, nam cum ea potest simul stare cognitio probabilis partis oppositæ: ergo necessariò requiritur iudicium tale, quod expellat dubitationem, & formidinem de euidentia credibilitatis diuinæ reuelationis, seu quòd res quæ credenda proponitur à Deo reuelata sit.

108. Obiicies primò, quia in pueris qui credunt per illustrationem parentum, communiter nec requiritur, nec inuenitur tanta euidentia: ergo non est vera nostra conclusio. Respondetur, in pueris quibus proponitur fides, non sufficere quamlibet simplicem propositionem obiecti, sed necessariam esse prudentem propositionem, & consequenter prudens iudicium ad credendum; quare sæpe contingit ex leuitate propositionis, vt illi nec credant fide diuina, nec peccent non credendo: & propterea parentes cùm docẽt proprios filios, quando

Digitized by Google

illi perueniunt ad rationis vſum perfectum, prudenti aliqua ratione debent illis proponere res fidei, vt conſiderent, & inſpiciant motiua euidentia credibilitatis illarum.

109. Obiicies ſecundò, quia multi ſunt ſimplices, & ruſtici quando primò accedunt ad fidem, qui tamen non cognoſcunt omnino motiua, ex quibus generatur talis euidentia, qua iudicent res quæ proponuntur eſſe credibiles. Reſpondetur etiam hos pro ſuo captu debere habere aliquam euidentiam credibilitatis rerum credendarum, quæ expellat omnem rationem dubitandi, quam poſſunt facilè habere, tum ex miraculis quæ ſæpiùs audiùt factis in confirmationem noſtræ fidei; tum etiam ex doctrina ſuorum paſtorum, qua inſtruuntur, fidem hanc ab Eccleſia catholica vbique teneri, cuius auctoritas ſufficiens eſt, vt prudenter illi credant: accedit diuina gratia præueniens, & illuſtrans corda eorum, vt clarius eiuſmodi rationes apprehendant, quàm aliàs per ſe poſſent apprehendere.

110. Cùm autem ad fidem duplex iudicium præcedat, vnum quo res credenda iudicatur euidenter credibilis, & à Deo reuelata: alterum quo iudicatur hîc & nunc credenda eſſe. Primum iudicium non elicitur ab habitu fidei, vt ſuprà oſtendi, quia non nititur obiecto eius formali, nimirum teſtimonio Dei, ſed euidentia notarum fidei, poſterius verò cùm immediatè dirigat voluntatem, ſimiliter non elicitur ab habitu fidei diuinæ, ſed eſt actus prudentiæ, quia ad praxim dirigit. Eſt tamen controuerſia, an hoc poſterius iudicium ſit ſupernaturale, & eliciatur à prudentia ſupernaturali; nam de priori nulla eſt difficultas intellectum abſque habitu vllo per naturales ſuas vires eſſe principium effectiuum illius, cùm tale iudicium ſit euidens, & merè naturalis, & inferatur ex præmiſſis euidenter notis. In qua re placet mihi ſententia Ægidij diſp. 13. dub. 3. Poſterius illud iudicium ſecundùm ſuam ſubſtantiam eſſe naturale, ſupernaturale verò ſecundùm modum. Primum probat, quia ſi eſſet ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturale, per illud eleuaremur formaliter ad ſtatum ſupernaturalem, inchoando vitam ſupernaturalem, ac proinde iam fides non eſſet fundamentum, & initium ſtatus ac vitæ ſupernaturalis. Secundum probat, quia illud iudicium dirigitur in finem ſupernaturalem, nimirum ad dirigendam voluntatem ſupernaturalem imperantem actum fidei. Et præterea, quia tam ob mobilitatem ingenij humani, & inclinationem voluntatis ad res terrenas ac fidei contrarias, qua intellectus obſcuratur, quàm ob dæmonis tentationes nos à fide retrahentis, tot ſe offerunt impedimenta ad credendum, vt ſemper requiratur aliqua gratia qua intellectus illuſtretur, vt res fidei meliùs apprehendat, & inclinationes voluntatis ac dæmonis poteſtas comprimantur, vt intellectus ab his impedimentis liber, poſſit firmiter, ac conſtanter iudicare ea myſteria firmiſſimè eſſe credenda ob Dei auctoritatem.

111. Et ex his quæ initio ſectionis docuimus infertur, quòd quamuis ex natura rei poſſit aliquis credere abſque expreſſa propoſitione Eccleſiæ per particularem reuelationem, & euidentiam teſtificantis, tamen in communi modo, quo res fidei proponi ſolent, requiritur aliqua notitia propoſitionis Eccleſiæ. Propterea Auguſt. dicebat tom. 6. cap. 5. contra epiſtolam Fundamenti: *Euangelio non crederem, niſi me auctoritas Eccleſiæ moueret.* Et ratio eſt, quia proponens obiecta fidei communiter non proponit illa vt ſibi reuelata, ſed vt reuelata Apoſtolis, & aliis; quare neceſſarium eſt, vt proponens faciat aliquo modo mentionem ſenſus Eccleſiæ, vel ſub expreſſo nomine Eccleſiæ, vel ſaltem ſub alio quoquo nomine communi religionis Chriſtianæ.

Auguſt.

Sectio XII.

An credibilia ſint per certos articulos diſtinguenda.

112. CVm inter Catholicos ſit certum, credibilia fidei noſtræ per certos articulos debuiſſe diſtingui, id quod conſtat ex ipſo facto recepto ab vniuerſali Eccleſia ab Apoſtolorum tempore, quæ omnia credenda redacta ad articulos quatuordecim proponit omnibus communiter in tabella, & ad duodecimum numerum in ſymbolo Apoſtolorum. Idcirco circa etymologiam, & ortum nominis *Articulus* ſolet eſſe inter Doctores non parua controuerſia, quibuſdam aſſerentibus deriuari à verbo Græco ἄρθρον; aliis verò à verbo Latino *Artus*, eo quòd articulus fidei ſit quædam veritas, quæ nos arctat, & obligat ad credendum. Priorem ſignificationem ſequitur D. Thomas art. 6. poſteriorem verò Calepinus verb. *Articulus*, ita vt nomen *Artus* ſignificet membra corporis, quæ ſunt coniuncta cum oſſibus & venis. Nomen verò *Articulus* ſignificat membrum exiguum, quare eſt iunctura & nodus, quo membra corporis inter ſe colligantur: & quia *articulus* idem eſt quod nodus, ſiue nexus, transfertur ad alia ſignificanda. Nam nodi ſacramentorum *articuli* nominantur, & *articulus mortis*, dicitur illud inſtans in quo homo morti appropinquat, quia coniungit partes temporis. & apud Theologos quæſtionum membra *articuli* nominantur, quia ſunt quaſi nodi, quibus copulatur, & colligitur tota doctrina quæſtionis. Ita *articuli fidei* dicuntur ſpeciales quædam veritates, quæ rurſus non diriguntur in alias magis ſpeciales, quibus mediantibus tota doctrina fidei copulatur, itavt illis articulis admiſſis totum corpus fidei inter ſe coniungatur.

113. Difficultas tamen eſt, quidnam ſit illud quod facit propoſitionem articulum fidei, ſeu quod nam ſit conſtitutiuum articuli fidei in eſſe articuli. Plures Theologi exiſtimant, vt aliqua propoſitio ſit articulus fidei, debere habere, & continere ſpecialem difficultatem in credendo præ aliis. Hæc tamen ſententia non placet, nam quòd Chriſti corpus ſit ſacramentaliter ſub ſpeciebus panis, & ſanguis ſub ſpeciebus vini: & quòd Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, & non procedat vt genitus, habent ingentem, & ſpecialem difficultatem, & tamen non continentur inter articulos fidei: ergo non eſt ſufficiens ratio, quòd ſpecialis difficultas in credendo reddat propoſitionem articulum fidei.

114. Quare cenſeo, quòd quemadmodum in aliis facultatibus & ſcientiis, ſunt quædam principia, & elementa quæ ſtatim proponuntur aggredientibus ſcientiam, quia viam aperiunt ad ea quæ in ſcientia continentur, & ad quæ cætera reducuntur tanquam ad prima fundamenta; ita cùm doctrina fidei Chriſtianæ ſit quædam diſciplina, decuit quædam ſumma capita, & quaſi prima elementa, & principia ſeiungere, & ſtatim proponere vt credantur, & hæc articulos vocamus. Atque adeò

adeò articulus fidei diffinitur, quòd sit propositio catholica, & quasi capitale quoddam principium, & dignitas in materia fidei, ad quod reducantur cæteræ res credendæ.

115. Maior verò difficultas est, an inter articulos fidei sit aliquis ita prima dignitas in excellentia, vt illi immediatè credamus, & mediante illo cæteris, itavt respectu fidei detur aliquid primò creditum. Almayn. in Moralibus tract. 2. cap. 3. existimat, esse necessariò dandum aliquem articulum inter cæteros, ad cuius assensum habitus fidei immediatè inclinet, & in quo cæterorum articulorum assensus fundetur. quod probat, quia sicut se habet habitus

112. principiorum ad principia & conclusiones, ita se habet habitus fidei respectu articulorum: sed habitus principiorum inclinat primò & immediatè ad assensum principiorum, & mediante hoc assensu ad assensum conclusionum, quæ ex principiis deducuntur: ergo idem dicendum est de habitu fidei. Hæc tamen sententia communiter reiicitur, quia facit fidem discursiuam contra communem sententiam Theologorum. Eamdem sententiam sequitur Durandus in 3. dist. 24. quæst. 1. qui existimat primò creditum esse hunc articulum: *Ecclesia regitur à Spiritu sancto*; hoc enim admisso statim sequitur, Ecclesiam esse veracem in proponendo, & esse vera quæ ab illa proponuntur. Aliis verò placet, primò creditum esse: *Omne reuelatum à Deo est verum.* nam statim sequitur, Deum esse trinum & vnum, quia est reuelatum à Deo. Alij denique existimant, primò credita esse hæc duo principia: *Deus est, & Deus habet prouidentiam*, iuxta illud Pauli ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quòd inquirentibus se remunerator sit.* Dicunt enim quòd hic articulus, Deus est, in virtute continet omnes pertinentes ad diuinitatem; & similiter, Deus habet prouidentiam, continet in virtute cæteros qui ad humanitatem pertinent.

Hebr. 11.

116. Mihi verò placet sententia Caietani art. 1. habitum fidei immediatè & ex æquo se habere ad omnia quæ cadunt sub diuina fide, ita vt respectu fidei diuinæ non detur inter credibilia aliquid quod sit primò creditum, quia in omnibus immediatè & ex æquo reperitur eadem ratio formalis assentiendi, nimirum diuinum testimonium. Et

113. confirmatur, quia si fides immediatè inclinaret ad vnum articulum, & illo mediante ad alium, sequeretur quòd assensus aliorum non esset assensus fidei diuinæ, sed assensus discursiuus, & habitus Theologiæ, quia per ratiocinium & discursum haberetur.

117. Obiicies primò, prius esse Deum esse, quàm ipsum aliquid reuelare, & nos prius intelligere ipsum reuelare, quàm credamus ipsa reuelata: ergo habitus fidei immediatè inclinat ad credendum Deum esse, & reuelatorem esse, & deinde ad ipsa reuelata. Respondetur quòd sicut in actu videndi contingit quòd videmus colorem mediante luce, non tamen vno actu videmus lucem, & alio colorem; ita vt visio lucis sit causa visionis coloris. Ad

114 hunc modum, quamuis ad actum credendi supponatur Deum esse, & esse reuelatorem, nihilominus non requiritur vt distinctis actibus illa credamus, ita vt vnus sit causa alterius, sed simul & eodem actu.

SECTIO XIII.

An articuli fidei secundùm temporis successionem creuerint.

CONueniunt Doctores cum D. Thom. art. 7. Res fidei quantum ad substantiam non recepisse augmentum, sed vnam & eamdem esse fidem nostram, & antiquorum Patrum à principio generis humani vsque nunc. Cæterùm quantum ad explicationem, seu in ordine ad explicitam fidem, successu temporis creuisse: atque adeò in Canticis Ecclesia comparatur auroræ, quæ paulatim depulsis tenebris fit magis, ac magis lucida: sic Ecclesia successu temporis in doctrina facta est magis ac magis illustris. Et Paulus ad Galatas 3. comparat Ecclesiam homini vt est in progressu ætatis. Certum autem est homines priùs incipere à cognitione confusa ipsarum rerum: sic Ecclesia Dei quamuis eadem fuerit omni tempore, nihilominus in suo principio, nimirum in sua infantia res fidei confusè cognoscebat. Deinde verò in lege scripta cùm iam erat maior, habuit expressiorem cognitionem, & in aduentu Christi quando iam ad virilem ætatem peruenit, distinctam & explicitam fidem habuit. 118.

Specialis autem difficultas est de Apostolis, an 119. in die Pentecostes acceperint plenitudinem scientiæ circa omnia obiecta quæ ad fidem pertinent, 121. ita vt in illa die simul habuerint perfectã & explicitam notitiam omnium credibilium. Bannes art 8. existimat, Apostolos in die Pentecostes plenissimè & perfectissimè fuisse illuminatos & instructos ab Spiritu sancto, in omni veritate pertinente ad fidem, & nihil illos latuisse, sed habuisse plenam & explicitam omnium credibilium notitiam, ita vt nulla postea facta fuerit eis reuelatio circa aliquam veritatem spectantem ad necessitatem salutis animarum. Quod videtur colligi ex illo Ioann. 16. *Cùm veneris Paraclitus, Spiritus veritatis.* & Ioan. 15. dixerat Christus. *Iam non dicam vos seruos, sed amicos; quia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis.* & ad Ephes. 1. *Secundùm diuitias gratiæ eius, quæ superabundauit in nobis in omni sapientia.* & ad Roman. 8. *Nos autem primitias Spiritus habentes.* Ioan. 16. Ioan. 15. Ephes. 1. Rom. 8.

Aliis verò oppositum videtur. nam vnum ex 120. pertinentibus ad fidem erat quòd Euangelium prædicandum esset Gentilibus, & de hac veritate dubitauit Apostolorum Princeps Petrus post susceptum Spiritum sanctum in die Pentecostes Actorum 10. Cùm post visionem habitam, & ibidem relatam, dixit, *In veritate comperi, quia non est* Actor. 10. *personarum acceptio Deus, sed in omni gente qui timet Deum, & operatur iustitiam, acceptus est illi*, & Actorum 11. referuntur quidam reprehendentes Petrum, quòd introisset ad gentes præputium habentes, & cum eis manducasse, & ex eodem capite constat hos fuisse Apostolos, & fratres, qui erant in Iudæa, & audierant gentes recepisse Euangelium; & Actorum 15. narratur seditio quorumdam, qui in Christum crediderant, contendentium omnes qui ex Gentibus credebant in Iesum, debere circumcidi, & seruare legem Moysi, vt saluarentur, & ideo Apostolos congregasse Concilium vt ab illo dubio liberarentur, an scilicet qui suscipiebant Christi fidem, tenerentur circumcidi, & legem Moysis seruare: non ergo Apostoli in die Pentecostes perfectè illuminati sunt de omnibus veritatibus ad fidem nostram pertinentibus.

Has verò sententias rectè componit Suarez in 121. hoc

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

hoc loco disp.1.sect.6. distinguit enim duplex genus propositionum quæ successu temporis explicitè creduntur, quædam quæ pertinent veluti ad substantiam mysteriorum, vt in mysterio Incarnationis, quòd Christus habuerit duas voluntates: quòd substantia panis post consecrationem non maneat,& similes,& de his omnibus credit explicitè fuisse cognitas ab Apostolis in die sancto Pentecostes, quia optimè intelligebant Scripturas, & mysteria omnia quæ ad traditionem fidei pertinebant. Aliæ verò sunt propositiones contingentes quæ tunc nondum euenerant,vt quòd hic sit verus Pontifex: quòd hoc sit verum Concilium,& similes, quas tunc non oportuit cognosci ab eis explicitè, sed tantùm in vniuersali: quia non erat necessarium illis reuelari omnia futura, & hoc modo inquit in die Pentecostes non fuerunt edocti explicitè de omnibus mysteriis fidei quoad particulares circunstantias eorum, vt de modo vocationis gentium, & de cessatione legalium, quod videtur conuinci ex locis pro secunda sententia adductis. Sic etiam Ioannes in Apocalypsi multa intellexit de futuris,quæ aliis reuelata non fuere.

Sectio XIV.

An conuenienter numerentur articuli fidei.

122. Conclusio est affirmatiua. Ita D. Thom. art.8. quam probat auctoritate Ecclesiæ, ita articulos fidei distinguentis & enumerantis. Circa quod est aduertendum, quòd aliter enumerantur & distinguuntur articuli fidei in symbolo Niceno, & aliter in symbolo Apostolorum. Vnde S. Thomas duplicem modum tangit enumerandi articulos fidei: alter est eorum qui ipsos distinguunt in duodecim tantùm,iuxta duodecimum numerum Apostolorum. Alter verò illorum qui quatuordecim articulos enumerant, secundùm quos ita debent distingui. Nam certum in primis est quòd eadem quæ nobis proponuntur in via credenda, per se proponi etiam in patria videnda & fruenda, per quæ & beatificamur,& in ipsam beatitudinem deducimur; propterea enim visio in patria succedit fidei in via. Beatificamur autem in patria dupliciter, vno modo primariò & principaliter, altero modo secundariò & minus principaliter. Quare quæ proponuntur nobis, credenda sunt in duplici differentia, quædam pertinent ad diuinitatem,per quæ primariò & principaliter beatificamur. Quædam verò ad humanitatem Christi Redemptoris, per quem accessum habemus in gloriam filiorum Dei,vt docuit Paulus, quorum visione secundariò & minus principaliter beatificamur. Ideo quæ in via nobis credenda proponuntur, etiam sunt in duplici differentia: alia pertinent ad diuinitatem, ex quibus sumuntur articuli fidei diuinitatis, & alia ad humanitatem Christi, ex quibus enumerantur articuli ad illam pertinentes. Deinde circa diuinitatem tria nobis proponuntur. Primum est vnitas ipsius diuinitatis, vnde sumitur primus articulus, scilicet *Credo in Deum.* Secundum est Trinitas personarum, vnde desumuntur tres articuli iuxta numerum trium personarum,nimirum secundus *quòd sit Pater*; tertius *quòd sit filius*; & quartus,*quòd sit Spiritus sanctus.* Tertium sunt opera propria diuinitatis, quæ quidem triplicia sunt, alia pertinentia ad esse naturæ à quibus sumitur articulus creationis,qui est quintus in ordine *quòd sit creator.* Alia pertinentia ad esse gratiæ,vt sunt ea quæ pertinent ad sanctificationem, ex quibus desumitur articulus sextus *quòd sit Saluator*, in quo includuntur omnia quæ ad sanctificationem pertinent. Alia verò pertinent ad esse gloriæ,à quibus sumitur articulus septimus *quòd sit glorificator.* Circa humanitatem autem alia septem proponuntur credenda. Primum est *conceptio Christi.* Secundum *natiuitas*; tertium *passio & mors*; quartum *descensus ad Inferos*; quintum *resurrectio à mortuis*; sextum *ascensio in cœlum*; & septimum *aduentus ad Iudicium.*

123. Alij verò censent, articulos fidei esse solùm distinguendos in duodecim iuxta duodecim numerum Apostolorum. Ratio verò cur D. Thom. hanc distinctionem prætermiserit,tradit Caietanus,quia ad rationem articulorum fidei per accidens est, quòd sint ab hoc, vel ab illo; ab vno, vel à pluribus: quemadmodum ad rationem symboli per accidens est quòd colligatur ab vno, vel à pluribus, vt patet in D. Athanasio, qui solus Symbolum composuit, quapropter neque symbolum à pluralitate colligentium, sed rerum collectarum dicitur: neque articuli distinguuntur ad distinctionem Apostolorum, sed potiùs rerum credibilium. Pro quo obserua, quòd hoc nomen *symbolum* deducitur à verbo Græco σύμβαλλειν,quod est colligere, quod inter alias significationes duas præcipuas habet, primò significat collectionem aliquarum rerum in vnum; secundò, idem est quod tessera,vel signum, quo milites vtuntur in bello ad cognoscendum quinam sint amici,quinam verò inimici, teste Cicerone. Hispanè, *el apellido que a prima noche da el Capitan a los soldados.* & in vtraque significatione conuenit nostro symbolo, appellatur namque regula nostræ fidei *symbolum*, aut quia in eo variæ & diuersæ sententiæ nostræ fidei in vnum colliguntur, cùm Apostoli & Patres Conciliorum simul in vnum conuenientes, & res fidei ad inuicem conferentes, quid de illis senserint in hoc symbolo ediderunt. Aut quia est signum quo dignoscuntur & distinguuntur veri Christiani, ab hostibus Christi,vel infidelibus,vt docuerunt Cyprianus, Augustinus, & Clemens in epistola 1. ad Iacobum fratrem Domini. Fuerunt autem hæc symbola excogitata & in Ecclesia introducta, primò vt fideles fidei confessionem in breui compendio redactam haberent, qua & tenaciùs res fidei memoriæ adhærerent, & vterentur quotiescumque fidei confessio esset necessaria. Secundò propter aliquos homines imperfectos quibus lacte opus est, vt ait Paulus, & sic faciliùs tota fides ab eis ebibi possit, & eorum captui mysteria fidei accommodarentur, haberentque hanc doctrinam breuiter,& simpliciter expositam.

124. Nec obstat quòd Deuteron. 4. præcepit Deus: *Non addetis ad verbum quod ego loquor vobis, nec auferetis ab eo quidquam*; quod solet nobis obiici ab hæreticis. facilis enim est responsio, in symbolis nihil addi verbo Dei prolato,vel scripto,qualis est Scriptura sacra, sed obiectum inclusum in symbolo accipi ex eadem scriptura quasi summam plurium quæ in illa nobis per fidem proponuntur credenda, quo faciliùs & breuiùs maneamus instructi. Deuter.4.

125. Deinde non obstat vnitati nostræ fidei quam prædicat Paulus ad Ephes. 4. Pluralitas symbolorum, quia nihil inuenitur in vno symbolo quod in aliis non inueniatur; idque solùm apparet discrimen, quod posteriora pronunciant aliquanto magis explicatæ id ipsum, quod priora symbola minus

minus clarè continebant. nam propter varios errores, & nouas hæteſes in Eccleſia quotidie exortas, neceſſarium fuit alia edere ſymbola, vt ea quæ implicitè & obſcurè continebantur in vno, in aliis clariùs & explicatiùs haberentur.

126. An verò ſymbolum, quod vocatur Apoſtolorum, fuerit ab ipſis Apoſtolis confectum, ſententia affirmans firmiter tenenda eſt, & oppoſitum aſſerere eſſet temerarium, vt conſtat ex prima epiſtola Clementis, vbi dicitur: *Symbolum quod latinè collectio dicitur, Apoſtoli condiderunt*; & Leo Papa epiſt. 2. 123. *Catholici ſymboli, breuis & perfecta confeſſio, duodecim Apoſtolorum eſt ſignata ſententijs.* Id ipſum docent communiter alij Patres. An verò in conficiendo ſymbolum, ſinguli Apoſtolorum ſuam ſententiam contulerint, ad componendam collectionem credibilium; an potiùs omnes ſimul omnes, & ſingulas particulas poſuerint, D. Thom. in 3. diſt. 25. quæſt. 1. art. 5. affirmat ſingulos Apoſtolos ſingulas particulas poſuiſſe, quod habet magnum fundamentum ex Catechiſmo puerorum, & in D. Auguſt. Ambroſio, Leone & Clemente. Alij verò cenſent, quòd Apoſtoli ſimul in vnum collecti profecturi ad prædicandum Euangelium conſuluerunt inter ſeſe circa articulos fidei, & omnes ſimul ex communi iudicio & decreto, in quamlibet partem ſymboli, & in omnes ſimul conuenerunt, quod licèt probabilitate non careat, quia id videtur magis congruere auctoritati, & grauitati ſymboli; nihilominus prior ſententia, vtpote communis, & tantorum Patrum auctoritate firmata, tenenda eſt.

DISPVTATIO II.

De regulis quibus fidei obiectum infallibiliter proponitur.

SECTIO I.

An ſacra Scriptura ſit regula Fidei.

1. PRÆMITTENDVM eſt primò neceſſariam eſſe in Eccleſia regulam aliquam infallibilem fidei, cui omnes ſumma certitudine credere teneantur, & qua vti poſſint prædicatores fidei, & Eccleſiæ Doctores, ad diſcernendam veram, & Catholicam doctrinam, à falſa, & ad fidem ipſam ſufficienter proponendam. Ratio huius eſt, quia Eccleſia Chriſti eſt perpetua, & vſque ad finem ſeculi permanſura, vt infrà oſtendemus, quæ neque in ſuo eſſe, neque in ſua puritate conſeruari poteſt, niſi vna eademque fides in ea ſemper permaneat; eſt enim fides quaſi vinculum huius Eccleſiæ, & quaſi forma per quam membra eius conſtituuntur: vnitas autem fidei ſine regula conſeruari non poteſt, quia deficiente regula, vnuſquiſque iudicium ſuum & opinionem, pro regula ſumeret in diſcernenda vera fide à falſa, vt videre eſt in hæreticis diſcedentibus à regulis fidei. nam eo ipſo in ſectas ferè innumeras inter ſe diuiduntur, & nunquam in eodem ſtatu permanent: ergo neceſſaria eſt aliqua infallibilis regula, quam omnia Eccleſiæ membra in credendo ſequi teneantur; cumque Deus non deficiat in neceſſariis, neque hæc regula in Eccleſia deeſſe poteſt.

124. Deuter. 4.

135.

2. Secundò præmittendum eſt, & explicandum, quid ſit illud, quod facit aliquam ſcripturam eſſe ſacram & diuinam, ſeu in quo conſiſtat ratio formalis, & quidditatiua ſactæ Scripturæ. In quo variant Doctores. quidam cenſent Scripturam eo dici & eſſe ſacram, quia quæ in ea continentur, ſunt reuelata, ita vt auctor illius habuerit reuelationem circa contenta in illa, cùm ante reuelationem eſſet ignota. Hic tamen modus dicendi falſus eſt, quia Moyſes in ſuo Pentateucho, multa ſcripſit cui ipſi erant euidenter nota, & non per reuelationem, vt exitus populi Iſraël de Ægypto, & commoratio in deſerto; & Euangeliſtæ fuerunt teſtes oculati ferè omnium rerum quas ſcripſerunt: ergo diuina reuelatio non eſt differentia conſtitutiua ſactæ Scripturæ. Quare alij non attendentes ad materiam ſactæ Scripturæ, ſed ad cauſam efficientem exiſtimant, Scripturam reddi ſacram non per materiam reuelatam, ſed quia immediatè à Deo ipſi ſcriptori reuelatur: itaque immediatio reuelationis, nimirum eſſe à Deo immediatè, eſt ratio conſtitutiua ſactæ Scripturæ, iuxta illud Pauli 1. ad Timoth. 3. *Omnis ſcriptura diuinitus* 1. Timoth. 3. *inſpirata, vtilis eſt*, &c. Sed neque hic modus dicendi planè explicat veritatem. nam ea quæ ſcripſit D. Marcus in ſuo Euangelio, non accepit per immediatam reuelationem à Deo, ſed fuit interpres D. Petri, & ſcripſit ea, quæ meminerat ab eo eſſe dictata. Alij cenſent, quòd ſcriptura redditur ſacra, ex eo quòd per aſſiſtentiam Spiritus ſancti in mente ſcriptoris inſpirata ſit; hanc autem aſſiſtentiam ſic declarant, quòd Spiritus ſanctus moueat, & impellat ipſum ſcriptorem ſactum ad ſcribendum, ita vt quæ ſcribit, ea ratione ſcribat, non quia ipſe elegit, ſed quia Spiritus ſanctus illa ſcripſiſſet, iuxta illud 2. Petri 1. *Non enim voluntate humana* 2. Petr. 1. *allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Vbi ponderanda eſt particula illa *inſpirati*, quæ in Græca editione explicatur per vocem, quæ idem ſonat quod moti & impulſi; erit ergo ſacra Scriptura, doctrina inſpirata ex impulſu & inſtinctu Spiritus ſancti. Sed neque hic modus dicendi probatur, quia ſolùm explicat quid requiratur ex parte ſcriptoris ſacri; eſt enim neceſſarium vt moueatur à Spiritu ſancto, non tamen per hoc ſufficienter declaratur id quod reddat ſcripturam ſacram. nam ille impulſus, & illa motio Spiritus ſancti, ſolùm ſe tenent ex parte voluntatis ipſius ſcriptoris, ac proinde ſe habet ſicut conditio ſine qua non ad ſcripturam ſacram.

3. Vt ergo veram rationem explicemus, obſeruandum eſt, non poſſe per ſe & è intelligi quid ſit illud quod facit ſcripturam eſſe ſacram, niſi priùs intelligatur qualiter ſe habeat ſacer ſcriptor circa illam; explicato enim quomodo quis conſtituatur ſacer ſcriptor, conſtabit quænam ſit ratio formalis ſactæ Scripturæ. Pro quo vlteriùs obſerua, quòd Spiritus ſanctus dupliciter ſolet aſſiſtere intellectui, ne erret circa aliquam veritatem: vno modo per modum directionis, quod tunc contingit, quando mediante labore, induſtria, & diſcurſu noſtro aliquid indagantes, Spiritus ſanctus aſſiſtit noſtræ diligentiæ, ne deuiet & deflectat à via veritatis, ſed dirigit nos & ſe habet vt pædagogus, non tamen ponit immediatè in noſtro intellectu ipſam veritatem, nec tribuit verba quibus illam explicemus, ſed ſuppoſita noſtra induſtria & diligentia, ſuggerit nobis ipſam veritatem, vt contingit quando Concilia, & ſummi Pontifices, volunt decernere aliquid ad fidem, vel mores pertinens;

tunc

tunc enim assistit Spiritus sanctus, non quidem immediatè influendo in illis ipsam veritatem, & tribuendo verba quibus illam explicet, sed dirigendo illorum laborem, industriam, & discursum, ne aberrent ab scopo veritatis. Alio modo solet Spiritus sanctus assistere immediatè influendo menti alicuius, sine vlla sua industria, & labore, non solùm sententias ipsas, & propositiones mentales inspirando, sed etiam suggerendo, & dictando singula verba, quibus exprimantur.

4. Quare vt quis constituatur sacer scriptor sacræ Scripturæ, non sufficit, quòd habeat assistentiam Spiritus sancti per modum directionis. Et hæc est ratio cur decreta Pontificum, & Conciliorum, ad fidem & mores pertinentia, non reputantur sacra Scriptura, neque ipsi sunt sacri scriptores, etiamsi infallibilia & certa sint ea, quæ continentur in suis decretis, quia solùm habuerunt assistentiam Spiritus sancti per modum directionis, & ideò quamuis illa scripta sint Spiritus sancti, & ab Spiritu sancto, non tamen immediatè, sed medio discursu, & labore humano. Vt ergo quis dicatur & constituatur sacer scriptor, requiritur assistentia Spiritus sancti per modum influxus, ita vt Spiritus sanctus duo præstet in eo. Alterum est, vt in intellectu ponat mentales propositiones & sententias: alterum verò vt in ore, in scripto, vel in verbo, ipsa verba dicter, iuxta illud Ioan. 14. *Ipse vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* & Matth. 10. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*; & Psalm. 44. *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* quæ verba de scriptore canonico comparato ad Spiritum sanctum, communiter interpretantur Patres. nam sicut verba quæ loquitur lingua, vel quæ calamus scribit, ab Spiritu loquentis, vel scribentis dictantur; ita verba Canonici scriptoris ab Spiritu sancto, & ideo 2. Petri cap. 1. dicitur, *Non voluntate humana, sed Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines.* & ad Hebr. 1. *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis*, & sæpe alibi.

Ioan. 14. Matth. 10. Psalm. 44. 2. Petr. 1. Hebr. 1.

5. Ex his facilè est declarare in quo consistat ratio formalis sacræ Scripturæ. Constituitur namque Scriptura sacra per hoc quòd sit inspirata, & dictata tam mentaliter, quàm verbo, vel scripto, per influxum Spiritus sancti, nullo præuio discursu & industria ipsius scriptoris. Vnde Spiritus sanctus, non solùm mouebat, & dirigebat scriptorem sacrum, ne erraret, sed præterea in intellectu illius influebat mentaliter quidquid esset scribendum, & suggerebat verba quibus mentalem conceptum manifestabat: sic Paulus 2. Corinth. 13. dicebat, *An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus.* & 2. Petri 1. *Omnis scriptura propria interpretatione non fit.* Et ex his facilè est colligere quid sit sacra Scriptura, quæ in hunc modum describi potest. Est scriptura instinctu Spiritus sancti scripta, dictantis non tantùm sensum, sed etiam verba. quæ descriptio ex prædictis satis explicata manet.

2. Cor. 13. 2. Petr. 1.

6. Sit conclusio. Scriptura sacra est infallibilis regula fidei. ita diffinitur in Tridentino sess. 4. & colligitur ex illo Ioann. 10. *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura,* id est, non potest mendax, aut falsa inueniri, vt exponunt communiter Patres, & ratione probatur, quia Scriptura nihil aliud est, quàm verbum Dei scriptum: ergo necessariò debet esse regula infallibilis veritatis. Patet consequentia, quia sicut impossibile est mentiri Deum, ita impossibile est mendacium in Scriptura reperiri. Et confirmatur, quia Deus nec per se ipsum, nec per alium mentiri potest, vt suprà ostendimus.

Ioan. 10.

Obiicies primò, quia regula debet esse nota, & certa, aliàs non poterit applicari: hoc autem non conuenit sacræ Scripturæ. nam plures eius partes in dubium reuocantur, vt liber 3. & 4. Esdræ, ac liber 3. Machabæorum. Respondetur negando minorem, nam in Tridentino suprà fide sancitur, omnes illos libros esse Canonicos, & sacram Scripturam, qui ibidem numerantur; & statim subiungitur: *Si quis autem libros integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueuerunt, & in veteri vulgata editione Latina habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, anathema sit.* Vnde liber 3. & 4. Esdræ, ac lib. 3. Machabæorum, hactenus ab Ecclesia non sunt recepti vt Canonici, atque ita non sunt regula infallibilis veritatis. 7.

Obiicies secundò, quia regula debet esse vniformis, semper eadem, & indiuisibilis: quod non conuenit sacræ Scripturæ, quia non habemus codices originales, id est, illos qui conscripti sunt à sacris scriptoribus: hi autem quos habemus, sunt transumpti ad exemplar illorum, & in varias linguas interpretati: vnde ergo potest nobis constare, quòd Scriptura quam modò habemus sit Canonica, & quòd sit vera, sacra, atque diuina. Respondetur, quidquid sit de codicibus Hebræis an sint vitiati, necne, de quo latissimè disputant Bellarminus, & plures alij Doctores. loquendo de editione vulgata Latina id nobis constare ex determinatione Ecclesiæ in Trident. sess. 4. his verbis. *Statuit & declarat sancta Synodus, vt hac ipsa vetus & vulgata editio, quæ longo tot seculorum vsu in ipsa Ecclesia probata est, pro authentica habeatur, vt nemo illam reijcere quoquo prætextu audeat, vel præsumat.* Ex quibus verbis colligitur, in rebus pertinentibus ad fidem & mores, Latinam hanc editionem, non solùm approbatam esse, tanquam nullum continentem errorem pernicioſum; sed etiam tanquam regulam fidei; ita vt omnis sensus quem habet sit intentus, & dictus ab Spiritu sancto, quia eà vsa est Ecclesia per amplius quàm mille annos in confirmandis rebus fidei, & morum, & in confutandis hæreticis, & in diffiniendis quæstionibus, ac dogmatibus fidei; ac proinde in his rebus omnis sensus quem habet necessariò est intentus, & dictus à Spiritu sancto: aliàs, Ecclesia per tot annos fuisset decepta in probandis rebus fidei. 8.

Adde, quando Concilium Tridentinum hanc editionem vulgatam, omnibus aliis editionibus Latinis antepositi, multa statuisse. Primò quòd hæc editio multo magis consonat cum Scriptura originali Hebraica & Græca, quàm reliquæ aliæ translationes. Deinde quòd in omnibus locis, in quibus aliæ translationes discordant à vulgata, si res est dubia, neque per Codices originales, nec per sanctorum Patrum interpretationem, neque per Conciliorum, aut summorum Pontificum auctoritatem, potest diiudicari; tunc plus fidei adhibendum esse editioni Latinæ vulgatæ, quàm reliquis Latinis translationibus. Præterea quòd non quidquid in hac vulgata editione est diuersum ab Hebraico, vel Græco fonte, statim pro mendoso habendum sit. nam potest interdum contingere, vt in Hebræis & Græcis Codicibus, vitio scriptorum aliqua loca sint corrupta. 9.

Cùm verò Tridentinum statuit, vt Biblia hæc Latina pro authentica habeatur, vt intelligatur quid nomine authentici significetur, obseruandum est, ex Budæo in Commentariis linguæ Græcæ, 10.

eæ, & communi ſententia, eam ſcripturam dici
7. authenticam, quæ fidem publicam facit in iu-
dictis, & auctoritatem habet: vult ergo Triden-
tinum vulgatam editionem authenticam eſſe, &
fidem facere in lectionibus, prædicationibus, diſ-
putationibus, & expoſitionibus. Eſt tamen con-
trouerſia inter Doctores, an per illud verbum *au-
thentica*, intendat Concilium approbare ſingula
verba, aut ſingulas interpretationes, tanquam de
fide tenenda. In qua re ſententia affirmans mihi
probabilior videtur, quia Concilium vult eam
eſſe authenticam in omnibus prædictis: ſi au-
tem aliqua ſententia non eſſet vera, poſſet in
lectionibus, & diſputationibus reiici, eo præ-
textu quòd res eſſet non ad fidem, nec ad mo-
8. res pertinens: nec enim omnia quæ in lectioni-
bus & diſputationibus tractantur, ad fidem, vel
ad mores pertinent: Tridentinum autem abſolu-
tè docet, in lectionibus & diſputationibus non
eſſe reiiciendam, & ita declaraſſe ſacram Car-
dinalium Congregationem refert Marcilla ſupra
prædictum locum Tridentini. Nec ſolam perio-
dum, ſolam clauſulam, vel ſolam dictionem,
aut ſyllabam, iotave vnum, admitti poſſe quod
repugnet huic vulgatæ editioni Latinæ. Per quod
tamen non excluditur quando verba, aut ſen-
tentia aliqua anceps eſt, vt poſſimus recurrere
ad fontes, ſi fortè ibi non ſit ambiguitas, & ex
eis ſine ambiguitate ſenſum lectionis Latinæ per-
cipere, vel ad energiam & proprietatem ora-
tionis intelligendam: nunquam tamen licèt vulga-
tam Latinam relinquere, & Hebræam, vel Græ-
cam, eligere.

Sectio II.

An traditio ſit infallibilis regula Fidei.

11. PRæmittendum eſt primò, traditionem ſumi
poſſe tripliciter. Primò lata quadam ſignifica-
tione, qua ratione quælibet doctrina, ſiue ſcri-
pto, ſiue voce transfuſa, poteſt appellari tradi-
tio. Sic intelligendus eſt Paulus 2. ad Theſſaloni-
1. Theſſ. 2. cenſ. 2. vbi ait. *State, & tenete traditiones quas di-
diciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram.*
Secundò magis ſtrictè, & ſic doctrina, primò
quidem transfuſa, & accepta per viuam vocem;
poſtea verò Scripturæ mandata, dicitur traditio,
9. 1. Cor. 11. 1. Corinth. 11. *Ego autem accepi à Domino, quod
& tradidi vobis.* Et de traditione his duobus mo-
dis non eſt controuerſia cum hæreticis, quia om-
nes fatentur multas eſſe huiuſmodi traditio-
nes, & eas eſſe regulas fidei. Tertio modo ſu-
mitur traditio ſtrictiſſimè, & eſt doctrina per
viuam ſolùm vocem transfuſa, & accepta; &
de hac traditione eſt præſens difficultas, & po-
teſt in hunc modum diffiniri. Doctrina per viu-
am vocem continuata quadam temporum ſuc-
ceſſione, quaſi permanens, ad nos vſque per-
ducta.

12. Secundò præmittendum eſt, traditionem ſic ac-
ceptam etiam eſſe triplicem, iuxta triplicem fon-
tem, & originem, vnde dimanat. Prima eſt tradi-
tio diuina. Secunda Apoſtolica. Tertia Eccleſia-
ſtica. Traditio diuina eſt quæ Dei auctoritate in-
ſtituta & accepta eſt, & dicitur eſſe iuris diuini,
10. ita vt auctoritate humana diſſolui, aut mutari ne-
queat, v.g. in Eccleſia eſſe ſacram Scripturam, &
libros contentos in Biblia eſſe Canonicos, & ea
omnia quæ pertinent ad materias & formas Sa-
cramentorum; & quòd paruuli ſint baptizandi;
& quòd Baptiſmus ab hæreticis ſuſceptus ſit va-
lidus; & quòd ſit ſacrificium Miſſæ, & quòd ſit
auricularis confeſſio peccatorum; & quòd ſit
pœnitentialis ſatisfactio pro peccatis; & quòd
ſint Sacramenta confeſſionis, & extremæ vnctio-
nis; & quòd tria Sacramenta iterati non poſſint,
nimirum Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo; &
quòd ſint venerandæ & adorandæ reliquiæ; &
imagines Sanctorum; & quòd Chriſtus ad infe-
ros deſcendit; & quòd ſit Purgatorium; & quòd
Beata Virgo fuerit perpetuò Virgo, nec vllum
peccatum actuale commiſit, etiam veniale; &
quòd ſint Sancti orandi, & inuocandi; & quòd
ſit pro defunctis orandum, & ſacrificium Miſſæ
offerendum.

Traditio verò Apoſtolica eſt, quæ Apoſtolorum 13.
auctoritate inſtituta, & accepta eſt. Apoſtoli enim
cùm eſſent Paſtores, multa ſtatuerunt diuino Spi-
ritu permoti, ad Eccleſiæ vtilitatem, quæ quidem
traditiones cùm ſint iuris humani, mutari poſſunt,
v.g. ieiunium quadrageſimale, & quatuor tempo-
rum, & feriæ quartæ, & ſextæ, quæ duo ieiunia ſub-
lata ſunt; continentia Miniſtrorum Eccleſiæ, ali-
quæ celebritates Feſtorum, vt dies Dominicus, &
dies feſtus trium Paſchatum, & Aſcenſionis, &
quòd verſùs Orientem oremus, & quòd crucis
conſignatio multis vſibus Chriſtianorum ſit appli-
canda; quòd fons baptiſmatis conſecretur, quòd
baptizandus abrenuncier Satanæ & Angelis eius;
quòd fiant exorciſmi, quòd in conſecratione cali-
cis vinum aquæ permiſceatur, quòd à ieiuno Eu-
chariſtia ſumatur, quòd clerici corona clericali in-
ſigniantur, quòd ſit quaternarius numerus Ordi-
num minorum, quòd templa, Altaria, veſtes, & va-
ſa, quibus in Sacramentis vtimur, conſecrentur, &
quòd virgines Deo dicatæ conſecrentur. Omnia
hæc ſunt Apoſtolicæ traditionis. Traditio denique
Eccleſiaſtica eſt illa, quæ inſtituta & accepta eſt
auctoritate Eccleſiæ poſt Apoſtolos, vel in aliquo
Concilio generali, vel aliquo decreto ſummi Pon-
tificis: vt mos canonizandi Sanctos, & remittendi
pœnas peccatorum per Indulgentias, & multa ie-
iunia, & feſtorum inſtitutiones, & celebrationes.

Tertiò præmittendum eſt, interdum contingere 14.
traditiones Apoſtolicas appellari diuinas à Docto-
ribus. Dupliciter enim aliqua traditio dicitur Apo-
ſtolica, vno modo, quia eſt accepta ab Apoſtolis,
non tanquam à Doctoribus & inſtitutoribus il-
lius, ſed quia cùm ſit à Deo inſtituta, non tamen
fuit propoſita Eccleſiæ immediatè ab ipſo Deo, ſed
mediis Apoſtolis, quibus mediantibus Eccleſiæ in-
notęſcit, & traditio Apoſtolica hoc modo conſide-
rata eſt diuina, & diuini iuris, & immutabilis. Al-
tera verò traditio Apoſtolica eſt, quæ ab ipſiſmet
Apoſtolis eſt inſtituta, ita vt in illius inſtitutione
non ſe habuerint propriè vt inſtrumenta, ſed vel-
uti cauſæ ſecundæ, & hoc modo traditiones Apo-
ſtolicæ ſunt humani iuris, & ſunt mutabiles; nec
dicuntur traditiones diuinæ, quia prodierunt ab
Apoſtolis vt erant Epiſcopi, & Paſtores Eccle-
ſiarum.

Sit concluſio. Non ſolùm ſacra Scriptura, ſed 15.
etiam traditio diuina, eſt vera regula fidei, ita vt ſit
eiuſdem auctoritatis atque ſacra Scriptura. Ita defi-
nitur in Trident. ſeſſ. 4. & in Synod. V. Conſtan-
tinop. act. 10. & probatur. nam ab Adam vſque
ad Moyſem fuit vera Eccleſia, & homines co-
lebant Deum fide, ſpe, & charitate, & etiam

ritibus externis, vt apertè constat ex lib. Geneſis: tunc autem nulla fuit Scriptura ſacra; Moyſes enim fuit primus ſacer ſcriptor: ergo per ſpatium duorum millium annorum, Religio in Eccleſia Dei conſeruata fuit per ſolam traditionem diuinam; ac proinde falsò & ſine fundamento hæretici negant diuinam traditionem eſſe regulam fidei. Et quamuis à Moyſe vſque ad Chriſtum fuerit ſacra Scriptura, nihilominus ſolùm deſeruiebat Iudæis; reliquæ verò gentes, apud quas etiam vigebat religio & fides, ſola traditione diuina in rebus fidei & morum, gubernabantur, vt ſanctus Iob & alij, qui Deum colebant, fide, ſpe, & charitate, & etiam ceremoniis externis. Præterea, quia in lege veteri multa erant neceſſaria ad ſalutem, quæ ſola diuina traditione erant recepta, quia non minus fœminæ, quàm viri, habebant aliquod remedium, quo à peccato originali mundarentur, & nihilominus pro maſculis inſtituta erat circunciſio; remedium autem pro fœminis non habetur in ſacra Scriptura, ſed traditione diuina extabat. Deinde, quia ſi tollatur è medio traditio diuina, quomodo conſtabit nobis eſſe ſacram Scripturam, & libros Canonicos in Eccleſia, & vnde colligant, non eſſe ſuppoſititium Euangelium Marci. Denique, quia tota ratio credendi eſt verbum Dei, quòd autem ſit ſcriptum, non variat, neque minuit eius auctoritatem; traditio autem diuina ſufficienter propoſita, eſt verbum Dei non ſcriptum: ergo non eſt minus regula fidei, quàm libri qui continent verbum Dei ſcriptum.

16. Obiiciunt primò Hæretici, quia omnia quæ pertinent ad ſalutem credentium, continentur in ſacra Scriptura, iuxta illud Pauli 2. ad Timoth. 1. 2. Timoth. 1. *Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum*, &c. ergo ſola Scriptura eſt regula fidei. Reſpondetur, duplicem eſſe regulam fidei, vnam totalem, partialem alteram. Regula fidei totalis eſt verbum Dei, ſiue reuelatio diuina facta Eccleſiæ, quæ diuiditur in duas regulas partiales, ſcilicet ſacram Scripturam, & traditionem. Vnde non eſt neceſſe quòd omnia credenda explicitè contineantur in ſacra Scriptura, ſed ſufficit contineri in genere, in qua etiam continetur, traditiones obſeruandas eſſe.

17. Obiiciunt ſecundò plura loca ſacræ Scripturæ. Deuter. 4. nam in Deuteronomio cap. 4. dicitur. *Hoc eſt verbum quod loquor & præcipio vobis: non addetis, nec auferetis ex eo quidquam.* & Apocalypſi vlti- Apoc. vlt. mo. *Si quis apposuerit ad hæc, apponat Deus super illum plagas ſcriptas in libro iſto, & ſi quis diminuerit de verbis prophetiæ libri huius.* & ad Galat. 1. Galat. 1. *Si nos, vel Angelus de cœlo euangelizet vobis, præter id quod euangelizabimus vobis, anathema ſit.* & Matth. 15. vocantur traditiones hominum, & Matth. 15. reprobantur: *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei, propter traditiones veſtras.* Cæterùm hæc omnia facillimè diluuntur. nam in his locis ſolùm prohibentur additiones corrumpentes ſacras Scripturas, vel mutantes verum ſenſum earum, quales erant traditiones Phariſæorum, quas Chriſtus Dominus reprehendit. Nos verò dicimus, recipiendas eſſe traditiones, non quaſcumque, ſed diuinas ab Apoſtolis, & ab Eccleſia vſque ad nos tranſmiſſas.

18. Obiiciunt tertiò, quia videtur impoſſibile conſeruari traditiones. nam ſemper non poteſt pro certo haberi, qualis ſit vera traditio; ſunt enim quamplurima impedimenta, nimirum obliuio, negligentia, morum peruerſitas, quæ nunquam deſunt in hominibus. Reſpondetur negando hanc impoſſibilitatem. nam ad diuinam prouidentiam ſpectat cura conſeruandi traditiones, ſicut regimen Eccleſiæ; ac proinde, ſicut Deus conſeruauit Eccleſiam veram vſque ad hunc diem contra tot perſecutiones, ſic potuit conſeruare, & de facto conſeruauit traditiones diuinas; & deinde, quia licèt traditiones non ſint ſcriptæ in diuinis literis, ſunt tamen conſcriptæ in monumentis veterum, & in Bibliis Eccleſiaſticis, & continua Eccleſiæ obſeruatione conſeruatæ.

Obiiciunt quartò, quia ſemel admiſſo recipiendum eſſe aliquod dogma fidei, quòd non probetur teſtimonio Scripturæ, ſed traditione, præbetur multis occaſio fingendi, & introducendi in Eccleſia multa falſa ſub nomine traditionis. Reſpondetur, in Eccleſia Dei eſſe auctoritatem, & rationem diſcernendi veras traditiones, & ſcripturas à falſis, ob aſſiſtentiam quam habet, Spiritus ſancti, quo ducitur, & gubernatur. 19.

Inquires, vnde poſſimus dignoſcere veras traditiones, tam diuinas, quàm Apoſtolicas. Reſpondetur, communiter aſſignari quatuor regulas. Prima eſt quando Eccleſia vniuerſalis admittit, & amplectitur aliquid tanquam dogma fidei, quod non inuenitur in ſacra Scriptura, neceſſariò dicendum eſt id eſſe diuinam traditionem, quia cùm Eccleſia ſit columna & firmamentum veritatis, & in rebus fidei & morum errare non poſſit, neceſſariò eſt fatendum id haberi per diuinam traditionem. Secunda regula, quando vniuerſalis Eccleſia aliquid obſeruat, quod nemo potuit conſtituere niſi Deus; quod tamen nullibi in Scriptura reperitur, neceſſarium eſt dicere ab ipſo Chriſto, vel Apoſtolis, fuiſſe traditum. Ratio eſt, quia ſicut Eccleſia non poteſt errare in credendo, ſic neque in operando, præſertim in cultu & ritu diuino: ergo illud quod ab vniuerſa Eccleſia obſeruatur, tanquam traditio infallibilis reputari debet. Tertia regula ſumitur ex Auguſt. lib. 4. contra Donatiſtas cap. 24. Id quod in vniuerſa Eccleſia omnibus retro temporibus ſeruatur, meritò ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiamſi illud tale ſit, vt potuerit ab Eccleſia inſtitui. v. g. ieiunium quadrageſimale potuit quidem ab Eccleſia inſtitui, ſi Chriſtus ſecundùm aliquos, vel ſaltem Apoſtoli ſecundùm alios, non inſtituiſſent: nihilominus probatur ab Apoſtolis, vel à Chriſto fuiſſe inſtitutum, quia ſurſum versùs aſcendentes, & inueſtigantes originem huius inſtituti, non inuenimus niſi tempus Apoſtolorum. Quarta regula, quando omnes Doctores Eccleſiæ communi conſenſu docent aliquid ex Apoſtolica traditione deſcendere, ſiue in Concilio generali congregati ſint, ſiue ſeorſum in libris inſcribendis, credendum eſt eſſe Apoſtolicam traditionem; habet enim magnam vim ad id credendum, vnanimis conſenſus omnium Doctorum. 20.

SECTIO III.

An ſit & quid ſit Eccleſia, & ex quibus partibus conſtet.

NOmen *Eccleſia* poteſt accipi in bonam & malam partem, vt conſtat ex Pſalm. 15. vbi dicitur, *Eccleſia malignantium*; Pſalmo verò 88. dicitur *Eccleſia ſanctorum*. loquendo ergo de hac Eccleſia, quamuis eadem ſit Eccleſia veteris Teſtamenti, 21. Pſalm. 15. Pſalm. 88.

menti, cum Ecclesia noui Testamenti, attendendo ad essentialia Ecclesiæ; nihilominus, quia status Ecclesiæ noui Testamenti est longè præstantior, ita etiam ratione huius excellentiæ, diuerso nomine nuncupatur. nam populus veteris Testamenti propriè dicitur Synagoga, id est, congregatio. nam congregare commune est hominibus cum bestiis; Synagoga enim quamcumque congregationem significat, vnde brutorum & animalium gregi attribui potest; populus verò noui Testamenti nunquam dicitur Synagoga, sed Ecclesia, id est, conuocatio: sunt enim Christiani vocati ad legem perfectiorem, gratiam, & gloriam conferentem. Sicut autem ciuitas nunc significat cœtum hominum, nunc locum in quo cœtus habitat. Ita etiam Ecclesia in Scriptura interdum significat cœtum fidelium, iuxta illud Pauli ad Roman. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ.* Interdum verò locum in quo fideles congregantur, iuxta illud Iudith 6. *Omnis populus per totam noctem in Ecclesia orauerunt.* Ex quibus infertur non solùm hominum, sed etiam Angelorum congregationem, posse Ecclesiam nuncupari: neque solùm fidelium, sed etiam beatorum, quæ propriè dicitur Ecclesia triumphans. In præsenti autem solùm agimus de Ecclesia militante.

19. Rom. 16. Iudith 6.

20.

21. Loquendo ergo in hac significatione, dari in terris quandam hominum congregationem à Christo institutam, quæ vocatur Ecclesia, & vsque ad mundi finem duratura est, manifestè constat & euangelico contextu, ex illis verbis Matth. 16. *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vbi verbum illud futuri temporis *ædificabo*, significat particularem congregationem, quæ eo vsque nondum esset ea ratione fundata, & ædificata; atque adeò quæ eo modo sumpta, saltim sicut peculiaris pars, distingui posset, vel deberet, ab Ecclesia, quæ ab exordio mundi accepit initium. Quòd autem hæc sit instituta à Christo vt perpetuò duret, demonstrant verba proximè sequentia in eodem capite, *& portæ inferi non præualebunt aduersùs eam.* & etiam verba illa eiusdem Matth. cap. vltimo. *Ecce ego vobiscum sum, vsque ad consummationem seculi.*

Matth. 16. Matth. vlt.

22. Hoc autem modo sumpta Ecclesia sic diffinitur. Congregatio fidelium baptizatorum existentium sub regimine vnius Vicarij Christi in terris. In qua diffinitione particulæ illæ priores, scilicet, *congregatio fidelium*, acceptæ sunt ex Concilio Lateranense ex cap *firmiter*, de summa Trinitate & fide Catholica. Vbi Ecclesia vocatur, *fidelium congregatio*, & ex decreto Nicolai Papæ in Canone *Ecclesia*, de Consecratione dist. 1. vbi ait, *Ecclesiam esse congregationem Catholicorum.* Significant autem primò Ecclesiam esse congregationem, non quotumuis qui casu, & fortuitò, aut solo ipsorum arbitrio, conuocati sunt, & in vnum iuncti; sed hominum ab alio congregatorum, quod nomine Ecclesiæ denotatur. nam soli fideles sunt qui vocantur à Deo ad fidem, nemo siquidem habere potest fidem actualem, nisi à Deo vocetur. Præterea denotatur per easdem particulas, qui fidem non habent, re ipsa non esse partes, seu membra Ecclesiæ, quia non sunt fideles: quod doctè exposuit Cyprianus epist. 73. *Hæreticos*, inquit, *sine infideles, cùm extra Ecclesiam sint, vindicare tamen sibi auctoritatem Ecclesiæ, instar simiarum, quæ cùm non sint homines, volunt tamen homines videri.*

23. 24. Psalm. 15. Psalm. 81.

Ex quo apertè deducitur primò hæreticos nec esse, nec debere dici partes, neque membra Ecclesiæ. Pro quo obserua quòd membrum alicuius corporis necessariò requirit aliquam formam, per quam efficiatur pars, & membrum illius: fides autem & eius actus sunt, quæ constituunt & faciunt membrum Christi & Ecclesiæ: habet enim fides hoc peculiare præ aliis virtutibus theologalibus, quòd sit principium essendi in moralibus, quod fortè voluit significare Paulus ad Hebr. 11. dum fidem appellauit, *substantiam rerum sperandarum*; id est, principium essendi: in moralibus enim non contingit sicut in naturalibus, quia in naturalibus ab eodem sumitur principium essendi, & viuendi. nam anima simul dat esse & viuere, iuxta illud, *viuere viuentibus est esse.* At in moralibus res aliter se habet, quia non est idem principium essendi & viuendi. nam principium essendi est fides; gratia verò principium viuendi. Cùm enim principium essendi & viuendi in moralibus sit Deus in ratione vltimi finis, qui est quid extrinsecum respectu animæ, nequit ei vniri, & illam viuificare immediatè & se ipso, sed id præstat mediantibus habitibus fidei, spei, & gratiæ; atque ita cùm vnitur intellectui hominis per fidem, tribuit ei esse, faciendo illum membrum Christi, & Ecclesiæ; quando verò vnitur per gratiam, dat illi viuere supernaturale: cùm ergo fides sit principium essendi modo explicato, & quæ facit simpliciter membrum Christi & Ecclesiæ, manifestè fit, hæreticos esse extra Ecclesiam, nec esse membra & partes illius, cùm non habeant fidem.

Hebr. 11.

25. Nec obstat, quòd Baptismus est ianua Sacramentorum, per quam ingredimur Ecclesiam: ergo eo ipso quòd quis est baptizatus, est membrum Ecclesiæ. Respondetur, baptismum ex sua natura esse ianuam, quia ex se habet virtutem à Christo acceptam, non solùm imprimendi characterem, sed etiam conferendi fidem, per quam Ecclesiam ingredimur, & efficimur membra illius: vnde si Baptismus solùm imprimeret characterem, solùm esset signum sponsionis, & promissionis, qua promittimus nos seruaturos fidem & Ecclesiæ statuta.

26. Secundò deducitur, fideles existentes in peccato mortali esse membra Ecclesiæ, quod manifestè constat ex parabolis Euangeliorum, sagenæ missæ in mari ex omni genere piscium congreganti, & areæ continenti triticum & paleam: vineæ ferenti vuas & labruscas decem virginum, inter quas quinque erant sapientes, & quinque fatuæ. Constat etiam ex illo Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus*, &c. *si te non audierit, dic Ecclesiæ: quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus.* Ex quo loco conuincitur, eum qui peccauit esse intra Ecclesiam. nam si postea non audiat, præcipitur eiici: quòd si soli iusti essent membra Ecclesiæ, frustrà esset Sacramentum pœnitentiæ, quod solùm ministratur his, qui sunt de Ecclesia: nullus etiam certò sciret quinam essent de Ecclesia, incertum enim est quinam sit in gratia.

Matth. 18.

27. Neque obstat id quod obiiciunt hæretici. Si existentes in peccato essent membra Ecclesiæ, non esse rationem cur Ecclesia dicatur sancta, quod est contra D. Paulum ad Ephes. 5. asserentem. *Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam*, & Cantic. 1. *& macula non est in te.* Respondetur multis titulis Ecclesiam dici sanctam, vt infrà ostendemus; locum verò D. Pauli intelligi de Ecclesia triumphante, passus est enim Christus vt Ecclesiam talem exhiberet, qualis erat in gloria.

Ephes. 5. Cant. 1.

28. Obiiciunt ſecundò, quia fides hominis exiſtentis in peccato mortali non eſt vera fides, vt inquit Gregor. Gregorius homil. 29. ſuper Euangelia. *Vera fides non eſt ſi id quod verbis dicit, operibus contradicit.* Vnde peccatores appellantur membra mortua, quia Iacob 2. fides in illis mortua eſt, Iacobi 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Reſpondetur, quòd cùm peccator fidelis habeat veram fidem, & ratione illius dicatur fidelis & Chriſtianus, neceſſariò dicendum eſt, intra ſe habere aliquem gradum vitæ, & aliquam formam, nimirum fidem, qua mediante aliquo genere vitæ viuat: nihilominus quia opera quæ per charitatem non ordinantur in vitam æternam, non ſunt ſimpliciter bona, ſicut nec ſunt ſimpliciter viua, ita omnis virtus quantumuis ſit ſupernaturalis, quandiu per charitatem non ordinatur in vitam æternam, non dicitur ſimpliciter virtus, ſed mortua, & vita carens, quia gratia eſt forma viuificans actus & habitus virtutum. Vnde quamuis membrum mortuum non ſit niſi æquiuocè membrum, quia eſt mortuum, & priuatur omni ratione vitæ; nihilominus ſi ita ſit priuatum vita, vt adhuc aliquem gradum vitæ retineat, adhuc tunc eſt membrum ſimpliciter, & vniuocè; quia eſt viuens aliquo gradu vitæ. Peccator ergo licèt careat charitate, quia tamen non caret omni ratione vitæ, quia in actu fidei informi conſeruatur aliquis gradus vitæ, neceſſariò dicendum eſt, eſſe membrum Eccleſiæ ſimpliciter, quia habet principium eſſendi membrum intra ſe, cùm retineat fidem, per quam Chriſto aliqualiter coniungitur, & non careat omni motu vitæ ſpiritualis.

29. Tertiò deducitur, excommunicatos ſi ſint verè fideles, ſimiliter eſſe membra Eccleſiæ, ob eamdem rationem. Nec obſtat quòd in capite Canonic. 11. quæſt. 13. dicuntur à gremio ſanctæ matris Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis conſortio eliminari, & Matth. 18. habendos eſſe tanquam Ethnicos & publicanos. Et quia per excommunicationem priuantur excommunicati ſpirituali communicatione, quam habent membra Eccleſiæ. Reſpondetur, per omnia ſupradicta tantùm ſignificari, excommunicatos priuari communi conſortio fidelium: neque Chriſtus abſolutè dixit excommunicatum habendum Ethnicum ſimpliciter, ſed tanquam Ethnicum, nimirum quantum ad communicationem cum aliis.

Sed adhuc teſtat duplex difficultas.

30. Prima eſt, an Catechumeni ſint membra Eccleſiæ. Negant nonnulli, & probant ex Trident. ſeſſ. 14 cap. 2. vbi dicitur: *Eccleſiam in neminem exercere iudicium*; quin priùs fuerit ipſam ingreſſus per ianuam Baptiſmi, quod priùs docuerat Paulus 1. Cor. 5. 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare: eos enim qui foris ſunt, Dominus iudicabit*, vbi per homines foris exiſtentes, qui non poſſunt ab Eccleſia iudicari, nulli alij deſignari poſſunt, quàm non baptizati. Atque ita rectè Nazianzenus oratione Nazianz. in ſanctum baptiſma inquit. *Catechumenum eſſe in veſtibulo portæ Eccleſiæ quouſque per Baptiſmum ingrediatur.*

31. Verius tamen mihi videtur, Catechumenos inter Eccleſiæ membra eſſe numerandos, cùm habeant veram fidem, & ideo in capite *veniens*, de Preſbyt. non baptizato, dicitur: *Non per Sacramentum tantùm, ſed etiam per fidei Sacramentum, efficiuntur membrum Chriſti.* Deinde, quia extra Eccleſiam nullus penitus ſaluatur, vt dicitur in Concilio Lateranenſi cap. *firmiter*: at Catechumenus per contritionem, & votum in ea imbibitum ſuſcipiendi Baptiſmum, poteſt ſaluari abſque reali ſuſceptione Baptiſmi: ergo ad hoc vt aliquis ſit pars Eccleſiæ, non eſt illi neceſſaria actualis baptizatio. Denique, quia eadem eſt Eccleſia ante & poſt Chriſtum: at cùm ea fide & charitate quam habet Catechumenus, eſſet verum Eccleſiæ membrum ante Chriſti aduentum: ergo ſimiliter fatendum eſt eſſe membrum præſentis Eccleſiæ. Vnde loca in contrarium adducta explicanda ſunt de Baptiſmo in re, vel in voto: tum etiam, quoad externam gubernationem.

32. Secunda difficultas eſt de ſchiſmaticis, de quibus etiam plures dubitant eſſe membra Eccleſiæ, quæ eſt congregatio fidelium exiſtentium ſub regimine vnius Vicarij Chriſti in terris: vnde qui cathedram Petri, ſupra quam Eccleſia fundata eſt, deſerit, non eſt in Eccleſia. Alij verò oppoſitum tenent. Sed diſtinctione vtendum eſt. nam ſchiſmatici ſunt in duplici differentia, quidam ſunt qui ſeparant ſe ab vnitate Eccleſiæ conſtituendo aliam per ſe, & huiuſmodi ſchiſmatici ſimul ſunt hæretici, quia peccant contra fidem, ac proinde non ſunt membra Eccleſiæ. Alij verò ſunt ſchiſmatici formaliter, & præcisè, qui ſeparant ſe ab vnitate Eccleſiæ, non per fidem, ſed per charitatem, nimirum quia remouent obedientiam à ſummo capite Eccleſiæ, ſcilicet ſummo Pontifice, aſſerentes non eſſe rectè electum, & conſecratum; cùm tamen ab vniuerſali Eccleſia vt talis habeatur, & hi ſunt membra Eccleſiæ, quia ſemper retinent fidem, non enim negat in Eccleſia vnum ſupremum caput eſſe debere, ſed hunc in indiuiduo eſſe huiuſmodi caput, quod ſine hæreſi interdum poteſt negari. Nec ſufficit quòd neget obedientiam ſummo Pontifici, vt extra Eccleſiam conſtituatur, ſi aliunde confiteatur eſſe verum Chriſti Vicarium, & per fidem illi coniungatur: ſæpe enim nolumus Chriſto obedire, & tamen membra eius ſumus, & veri Chriſtiani, ſi fidem eius retinemus.

SECTIO IV.

Quibus ſignis, & notis, poſſit cognoſci vera Eccleſia.

33. OMnes Catholici conueniunt, proprietates Eccleſiæ ad numerum ſeptenarium reduci poſſe, videlicet quòd ſit vna, ſancta, catholica, Apoſtolica, viſibilis, ab Spiritu ſancto gubernata, & extra quam ſalus eſſe non poteſt. Quas omnes oportet paulo fuſiùs explicare. Primò dicitur *vna*, vt conſtat ex ſymbolo: *Credo vnam ſanctam Eccleſiam*, quod deſumptum eſt ex Paulo ad Epheſ. 4. Ad Roman. 13. & 1. Corinth. 12. Quomodocumque autem ſumatur Eccleſia, ſemper eſt vna vnitate numerica, licèt ſecundùm latitudinem maiorem, vel minorem partium habet extenſionem. Quemadmodum enim omnes homines totius regni ſub vno Rege, & omnes ciues ſub vno gubernatore, & tota familia ſub vno Patre, & totus grex ſub vno Paſtore, & totus exercitus ſub vno Duce, ſunt & dicuntur vnum numero, extrinſeca quadam denominatione, ab vnitate capitis, & ab vnitate finis in quem ordinantur: qua etiam ratione totum hoc vniuerſum eſt vnum numero ex vnitate gubernatoris, & vnitate finis: ſic Eccleſia eſt vna vnitate numerica, etiam militans, & triumphans, eſt enim collectio

Digitized by Google

collectio plurium substantiarum intellectualium, sub vno Deo, in vnum finem, id est, in vitam æternam ordinatum. Similiter Ecclesia quæ modò est in terris, est vna vnitate numerica cum Ecclesia primorum parentum ante lapsum, & post lapsum, propter vnitatem capitis, scilicet Dei, & propter vnitatem finis, scilicet vitæ æternæ. Est enim collectio multarum substantiarum intellectualium sub vno Deo, in eumdem finem vitæ æternæ ordinatarum. Et ob eamdem rationem Ecclesia à Christo fundata est vna numero, quia est ab vno principio, scilicet Christo, & ad vnum finem, nempe vitam æternam ordinata, & per vnica media, qualia sunt Sacramenta, & sub vno capite & pastore Christo, eiusque vicario.

32.

34. Secundò est & dicitur *sancta*, quod similiter est de fide, vt constat ex Symbolo: *Credo in vnam sanctam Ecclesiam.* Et desumitur ex 1. Petri 1. *Vos autem genus electum, gens sancta*, & 1. Corinth. 1. vbi Paulus omnes in Christo baptizatos sanctos appellat. Dicitur autem Ecclesia sancta, primò à potiori parte, semper enim in ea plurimi sunt iusti. Secundò à sanctitate capitis & finis. Tertiò à sanctitate mediorum, nempe legis, sacrificiorum, & Sacramentorum, quæ sunt causæ sanctitatis. Quartò, quia est Deo dicata; sic enim vestes, vasa, templa, altaria etiam dicuntur sancta, & denique quia extra illam non est sanctitas, nec salus, & in ea à quocumque illam quærente, sanctitas inuenitur.

1. Petr. 2.

35. Tertiò Ecclesia est & dicitur *Catholica*, id est, vniuersalis; Catholicum enim Græcè, idem est quod Latinè vniuersale: quod etiam est de fide, vt constat ex symbolo Apostolorum & Niceno. Dicitur autem catholica multipliciter, primò ratione loci, quia toto orbe diffunditur, iuxta illud Marci vltimo. *Docete omnes gentes euntes in mundum vniuersum.* & Psalm. 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum; & in fines orbis terræ verba eorum.* Secundò ratione temporis, quia quatenus est collectio omnium fidelium, cœpit ab initio mundi, & vsque ad finem duratura est. Tertiò, quia ad omnes gentes & nationes pertinet, ad Rom. 10. *Non est distinctio Iudæi & Græci.* Quartò ratione ordinationis, quia omnes diuino præcepto obligantur eam sequi, & amplecti, iuxta illud Marci vltimo. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et denique, quia catholicam & vniuersalem doctrinam semper retinet, quam Paulus ad Titum 1. communem fidem appellat.

Marc. vlt. Psalm. 18. Rom. 10. Marc. vlt.

33.

36. Quartò Ecclesia est & dicitur *Apostolica*, vt constat ex dictis symbolis. Dicitur autem Apostolica, quia Apostolorum prædicatione fundata est, & ædificata super Petrum Apostolorum Principem tanquam supra firmam petram, & quia legitima successione & traditione, deducta est ab Apostolis, vsque ad nos.

37. Maior autem difficultas est, an Ecclesia sit visibilis. Et prima ratio dubitandi est, quia si ex aliqua nota visibili, aut certo signo, posset vera Ecclesia dignosci, talis nota esset sensibilis, & manifestè agnosceretur, ex quo vlteriùs fieret non posse esse articulum fidei, quia res sensibilis nec est nec esse potest materia fidei. Secunda ratio, quia Ecclesia est fidelium congregatio: ergo solum constat ex his, qui veram habent fidem internam; sed fides interna, neque in se ipsa est sensibilis, neque in aliquo signo externo, ex quo possimus eam verè dignoscere. nam ipsa externa professio veræ fidei potest esse ficta, absque vera fide interna: ergo ex nullo capite Ecclesia visibilis est. Propter hæc argumenta communiter hæretici autumant, veram Christi Ecclesiam esse omnino occultam, id est, non dari aliquod signum sensibile, aut certam notam, ex qua possimus certò credere, quænam sit vera Ecclesia, à qua accipere debeamus veritatem rerum credendarum; quia, inquiunt, quis potest monstrare Ecclesiam, cùm sit occulta, & solum credatur; sicut in symbolo dicitur: *Credo sanctam Ecclesiam.*

38. Dicendum tamen est, Ecclesiam Christi habere aliquod signum ex quo possit certò cognosci. Quod non est ita intelligendum, vt homines illi, ex quibus componitur Ecclesia, sint res sensibiles, & hoc solo titulo & sensu, Ecclesiam vocari, & esse corpus mysticum visibile, atque sensibile; hoc enim non negant hæretici. Sensus itaque est, Ecclesiam esse quandam visibilem communitatem, quam ex aliquo sensibili signo possimus certò cognoscere esse veram Ecclesiam, ita vt etsi ipsa Ecclesiæ veritas non percipiatur vllo sensu, & consequenter non cognoscatur euidenter, nihilominus possit à fidelibus certo aliquo signo sensibili cognosci, ex eo quòd ex sacra Scriptura, & fide habeamus, congregationem illam hominum, quæ habet tale sensibile signum, esse veram Ecclesiam. Et probatur ex illis verbis Christi Matth. 18. *Dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* quibus verbis manifestè denotatur, posse fideles certò cognoscere quænam congregatio sit vera Ecclesia, quæ si non audiatur, debeat haberi pro Ethnico & publicano, qui illam audire renuetit. Idem habetur 1. ad Timoth. 3. *Hæc tibi scribo, vt scias quomodo oporteat te conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis.* Quibus manifestè significatur, non solùm Timotheum, sed etiam quoslibet fideles, posse certò cognoscere eam congregationem quæ est vera Christi Ecclesia, vera magistra veritatis, & qua ratione in ea conuersandum sit. Similiter apertiùs idem deducitur ex verbis illis Christi Matth. 5. *Non potest ciuitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio.* Quem locum Chrysostomus, Hieronymus, Cyrillus, Augustinus, & communiter Patres, intelligunt de Ecclesia, & ex illis eluitur ratio non parum efficax. Nam Christus reliquit Ecclesiæ infallibilem auctoritatem ad interpretandas res fidei, & designandum quænam ad eam pertineant, vt per ipsam tanquam per lucernam illuminentur fideles: nemo autem si prudens sit, quanto minus Christus æterni Patris sapientia & prudentia, lucernam accendit, & eam in occulto angulo abscondit, vt illuminare neminem possit. Cùm ergo manifestum sit, Christum tribuisse Ecclesiæ auctoritatem, vt per ipsius illustrationem conseruaretur in terris vna & vera fides, id quod obtineri non potuisset, nisi Ecclesia, quæ talem habet auctoritatem, cognosceretur, manifestè sequitur, Ecclesiam à Christo fundatam ita fuisse, vt eam ex aliquo certo sensibili signo, possent dignoscere ij, qui desiderant sequi sinceram Christi doctrinam.

Matth. 18. 1. Timoth. 3. Matth. 5.

39. Ad rationes hæreticorum in contrarium adductas rectè respondet Suarez disput. 9. sect. 7. quamuis vera fides interior sit, nihilominus per externa signa aliquo modo videri posse. nam quamuis non videatur ipsa forma qua membra Ecclesia interiùs vniuntur inter se ipsa, videtur saltem

ſaltem in ſuis ſignis: quod ſufficit vt videamus corpus Eccleſiæ, quæ illud componunt, & membra eius & infallibiliter iudicemus eſſe veram Eccleſiam, eo quòd certum ſit ex ſacris literis, congregationem in qua reperiuntur illa ſigna, retinere in ſe ipſa veram & internam fidem, & quamuis externa fidei profeſſio poſſit eſſe ſimulata & ficta in ſingulis ſeorſim ſumptis, non tamen in tota Congregatione, in qua ſunt illa ſigna, per quæ Chriſtus voluit vt cognoſceretur veritas Eccleſiæ, quæ quidem licèt obſcurè, certò tamen cognoſcitur ex notis illis ſenſibilibus: vnde fit quòd Eccleſia vt ſic, non ſit manifeſtè cognoſcibilis, ſed tantùm credibilis.

40. Inquires, quodnam ſit hoc ſenſibile ſignum, ſeu illa ſenſibilis Eccleſiæ proprietas, ex qua veritas Eccleſiæ dignoſcenda eſt: hoc eſt, quomodo illi qui fidem adhibent Scripturis ſacris ſaltem humanam, cognoſcere poſſint congregationem, in qua exiſtit veritas fidei, ſimul cum veritate Eccleſiæ fundatæ à Chriſto. Hæretici contendunt, ſi Eccleſia dignoſcenda eſt ex aliqua nota, nullam aliam eſſe veré, quàm prædicationem fidei, & vſum Sacramentorum: quæ duæ res ſunt ſenſibiles notæ propriè ipſius Eccleſiæ, id eſt, quæ in ſola vera Eccleſia exiſtere poſſunt. Contra hoc tamen eſt, quia nota vel ſignum, ex quo voluit Chriſtus vt poſſit Eccleſia dignoſci, debet eſſe aliquid quod non cum magna difficultate cognoſci poſſit ab iis, qui deſiderant cognoſcere veritatem Eccleſiæ, vt docuit Auguſtinus lib. 13. contra Fauſtum c. 13. Veritas autem doctrinæ, & Sacramentorum, quæ prædicatur in aliqua congregatione, non eſt res quæ ſine multa difficultate poſſit cognoſci; ſed potius cum maiori, aut æquali, quàm veritas ipſa Eccleſiæ. nam diuinitas, v. g. perſonæ Chriſti, duplex eius natura, ſcilicet diuina & humana, præſentia illius in Euchariſtia, & ſic de aliis myſteriis, non ſunt res ſenſibiles, quæ facilius poſſint cognoſci, quàm veritas Eccleſiæ, imò ſunt minus manifeſtæ hominibus: ergo veritas doctrinæ, & Sacramentorum, non eſt illa ſenſibilis nota, ex qua vera Eccleſia cognoſci poſſit, vt confingunt hæretici.

41. Dicendum ergo eſt, profeſſionem externam vnius fidei ſub obedientia ſucceſſoris D. Petri, eſſe ſenſibilem notam, ex qua certò dignoſci queat quænam ſit vera Eccleſia Chriſti: quod ex ſuprà dictis manifeſtè deducitur, nimirum Eccleſiam latere non poſſe, quia vt ciuitas poſita & ædificata eſt ſupra montem; mons verò ſupra quem Eccleſia eſt ædificata, non eſt alius, quàm firma illa petra, ſupra quam Chriſtus Matth. 16. affirmat ſe ædificaturum eſſe Eccleſiam ſuam, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Chriſtus enim ſuam fundauit Eccleſiam, quæ ita eſſet vnum corpus ſenſibile, vt per vnum caput viſibile regeretur, quod per ſucceſſionem perpetuò in illa conſeruaretur. nam in eodem loco dicitur Eccleſia perpetuò duratura; ergo ex hoc fundamento Eccleſiæ ſumi debet ſignum ſenſibile ex quo veritas Eccleſiæ cognoſcenda eſt. At ex hoc fundamento quòd per ſucceſſorem in Eccleſia perpetuò perſeueret, non aliter ſignum ſenſibile poteſt ſumi, quàm ſenſibili profeſſione fidei ſub obedientia eiuſdem ſucceſſoris D. Petri, qui ſimiliter in primatu ſupremæ dignitatis, eſt firmum quoddam Eccleſiæ fundamentum. Nam licèt profeſſio talis fidei ſub obedientia legitimi ſucceſſoris D. Petri, non ſit certum ſignum veritatis membri Eccleſiæ, quatenus talis profeſſio eſt in aliquo ſingulari homine, eo quòd poſſibile ſit vnum aliquem hominem fictè profiteri fidem, id eſt, abſque vera fide interna; nihilominus eadem profeſſio fidei, prout eſt in aliqua tota Congregatione eorum omnium qui talem fidem profitentur, certum ſignum eſt veritatis corporis Eccleſiaſtici ob rationem oppoſitam, nimirum quia impoſſibile eſt poſita Chriſti promiſſione, Eccleſiæ perpetuò duraturæ, non eſſe veram fidem in congregatione illorum, qui eam profitentur ſub obedientia legitimi ſucceſſoris D. Petri.

Matth. 16.

42. Nec obſtat, quòd in Eccleſiæ membris videtur non ſemper eſſe, nec fuiſſe conformis profeſſio externa vnius fidei. nam quotidie inter ipſos Eccleſiæ Doctores ſubortiuntur variæ quæſtiones, & diſſenſiones: ergo ex hoc ſigno non videtur dignoſci poſſe vera Eccleſia, cùm in membris eius non ſit tanta conformitas doctrinæ quoad profeſſionem fidei, vt ex tali vnius fidei profeſſione veritas Eccleſiæ certò cognoſci poſſet. Reſpondetur, controuerſias quotidie exortas inter Doctores Catholicos, nec eſſe, nec contingere abſque vnanimi & conformi extrinſeca vnius fidei profeſſione. nam de illis rebus ita diſſentiunt, vt ſimul firma fide credant, exiſtere in Eccleſia auctoritatem, per quam eorum cõtrouerſiæ terminari poſſint; ſimulque contrauertentes præſtò ſunt ad obediendum Eccleſiæ decretis, quam eſſe veram intelligunt. Sæpè etiam altercantur circa res illas, de quibus certò ſciunt, liberum eſſe altercari, & vnumquemque philoſophari, & opinari intra limites ſacræ Theologiæ, per quod certè non interrumpitur vnius fidei profeſſio. nam ſi ipſi qui variè vel contrariè opinantur, interrogentur, quid de fide credant? omnes vno ſpiritu, lingua, & ore in ipſum conſpirant, & id ipſum pronuntiant.

43. Alteram proprietatem Eccleſiæ, videlicet *quòd ſit ab Spiritu ſancto gubernata*, ob quam nec fallere, nec falli poteſt, non minus auerſantur hæretici, negantes eſſe in Eccleſia infallibilem aliquam auctoritatem ad proponendum quid fide diuina credendum ſit. Quòd autem in Eccleſia ſit infallibilis auctoritas, ad proponendum fidelibus obiecta illa quæ credi debent, eſt de fide certum. Et probatur primò. nam non eſt veriſimile quòd Deus dederit Eccleſiæ Iudaicæ hanc infallibilem auctoritatem, & eam non contulerit Eccleſiæ catholicæ, in qua multa, & longè pluta, atque difficiliora ſunt reuelata, & debent expreſsè credi; quòd verò in Iudaica Eccleſia fuerit hæc auctoritas infallibilis, manifeſtè conſtat ex Paralipom. cap. 19. vbi exorta quæſtione de lege, & de ceremoniis dicitur, accipiendam eſſe ſententiam à Sacerdotibus, & Aggæi ſecundo, inquit Dominus: *Interroga Sacerdotes legem.* & Malach. 2. *Quòd ex ore eius*, ſcilicet ſupremi Sacerdotis, *legem requirat, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Idem expreſsè habetur Deuteron. 17. Præterea auctoritatem hanc datam fuiſſe à Deo illi populo vſque ad aduentum Chriſti, nihil impediente malitia Sacerdotum, conſtat Matth. 23. *Super cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi: omnia quæcumque dixerint vobis, ſeruate & facite; ſecundum verò opera eorum nolite facere.*

Aggæi 2. Malach. 2.

Matth. 23.

44. Deinde ſecundò probatur ex illo Ioannis 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum, ſpiritum veritatis.* vbi promittitur Apoſtolis donum quoddam docendi veritatem, quod non eſſet terminandum cum ipſorum vita: quod indicant verba illa, vt maneat vobiſcum

Ioan. 14.

Digitized by Google

gatum, quod ipsi ab eo relictum est, ut Titio restituat, non videtur ad eum pertinere, quod ipse Titio ex testamento patris debet. Sed si ipse Titius ei legavit, quod ipse ei debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

1. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

2. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

3. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

4. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

5. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

6. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

7. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

8. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

9. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

10. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

11. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

12. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

13. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

14. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

15. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

16. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

17. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

18. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

19. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

20. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

21. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

22. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

23. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

24. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

25. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

26. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

27. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

28. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

29. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

30. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

31. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

32. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

33. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

34. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

35. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

36. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

37. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

38. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

39. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

40. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

41. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

42. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

43. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

44. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

45. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

46. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

47. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

48. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

49. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

50. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

51. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

52. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

53. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

54. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

55. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

56. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

57. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

58. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

59. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

60. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

61. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

62. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

63. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

64. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

65. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

66. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

67. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

68. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

69. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

70. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

71. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

72. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

73. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

74. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

75. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

76. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

77. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

78. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

79. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

80. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

81. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

82. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

83. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

84. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

85. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

86. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

87. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

88. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

89. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

90. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

91. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

92. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

93. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

94. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

95. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

96. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

97. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

98. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

99. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

100. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

101. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

102. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

103. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

104. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

105. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

106. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

107. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

108. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

109. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

110. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

111. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

112. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

113. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

114. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

115. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

116. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

117. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

118. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

119. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

120. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

121. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

122. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio debet, videtur ei legatum, quia non videtur ei remissum, quod ei legatum est, sed quod ipse debet. Quod si ei legatum est, quod ipse Titio debet, videtur ei remissum, quia ipse Titio debet, quod ei legatum est.

123. Si ei, qui Titio centum debet, Titius centum legavit, quae ipse Titio

autem Petrus *et Apostolorum*, non quia ab eis accepit responsionem, sed quia responsum dedit pro omnibus, sicut caput & Princeps illorum, & quia cæteri tuo silentio approbarunt, quod Petrus Deo reuelante fuerat confessus.

51. Vnde valde errant hæretici asserentes, per hanc promissionem, & traditionem clauium Petro promissam & traditam, nomine *clauium* non intelligi supremam potestatem gubernandi Ecclesiam, ei collatam, sed auctoritatem prædicandi Euangelium, & nudum ministerium verbi Dei, per quod fit remissio peccatorum: si enim nomine *clauium* aliqua potestas, & principatus esset Petro collatus, sine dubio Apostoli id agnouissent, nec fuisset exorta inter eos contentio quis eorum videretur esse maior. Et certè Christus respondisset, & sedasset contentionem illam, dicens: Nolite litigare vltrius, nam Petrum constituo Principem Ecclesiæ, quod Christus nunquam declarauit: ergo promissio illa clauium, non fuit alicuius Principatus, sed potiùs muneris prædicandi Euangelium.

52. Hæc tamen glossa hæreticorum est omnino chimærica, & sine fundamento, & contra humanam consuetudinem, quando enim vrbes traduntur alicui Principi, offeruntur ei claues ciuitatis, in signũ subiectionis, quod constat ex verbis adiunctis: *Quodcumque ligaueris super terram*, &c. Nam *ligare* in sacra Scriptura, fere idem est quod *præcipere*.
Matth. 23. Matth 23. *Alligant enim onera grauia, & importabilia.* Et contra hæreticos est egregium testimonium Isaiæ 22. vbi describitur depositio Summi Pontificis, & institutio alterius sub metaphora clauium:
Isai. 22. *Dabo clauem domus Dauid super humerum eius*, vbi per *claues* non intelligitur ministerium prædicandi verbum Dei, sed Ecclesiasticus principatus.

53. Eadem veritas Principatus Petri aperte colligitur
Ioan. 21. Ioan. 21. quando Christus dixit ei, *Pasce oues meas*, quibus verbis non imposuit ei officium prædicandi & docendi, vt volunt hæretici, autumantes, verbum *pascere* idem significare, ac cibum doctrinæ ministrare. Contrarium certa fide tenendum est, nimirum sub illis verbis, fuisse Petro collatam summam potestatem: nam *pascere* in sacra Scriptura, non significat quacumque ratione cibum ministrare, sed regendo, gubernando & dirigendo, vt constat Lucæ 12. de dispensatore fideli
Lucæ 12. & prudenti, *quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore.* Et, in communi vsu loquendi, per hanc vocem intelligitur actus pastoris; *pascere* enim idem est, quod pastorem agere, siue esse pastorem: actus autem pastoris non solùm est cibum præbere, sed ducere, & reducere, tueri, & præesse, regere, & castigare. Vnde *pascere* in Scriptura frequenter sumitur pro *regere*,
Psalm. 2. Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea.* In Hebræo habetur, *pasces eos*, & sæpe alibi.

54. Secundò præmittendum est, hanc dignitatem & auctoritatem, non solùm collatam fuisse Petro, sed etiam omnibus eius successoribus, quibus à Christo commissum est regimen vniuersalis Ecclesiæ. Quod similiter de fide certum est, & apertè colligitur ex perpetuitate Ecclesiæ, & eam probant ea quibus probari solet, Ecclesiæ regimen monarchiam esse. Ecclesia enim perennat post Apostolos eadem hierarchia quæ in Apostolis fuit à Christo constituta; à Christo autem, vt ostendimus, constituta fuit cum vno supremo omnium capite, & Principe Petro: ergo nunc perennat cum eodem capite successore Petri. Nec hæretici negantes hanc consonantiam, adducunt in oppositum aliquod fundamentum ex Scriptura, Patribus, aut ratione qua moueantur.

Quibus præmissis, sit prima conclusio. Vera 55.
Christi Ecclesia, in qua est auctoritas, iudex, & magisterium fidei, est illa hominum congregatio, quæ obedit Romano Pontifici; atque adeò nulla alia est vera Ecclesia in terris, nisi illa quæ nunc sub obedientia Vrbani VIII. vnam fidem profitetur. Hæc conclusio est de fide & probatur, quia hæc sola Ecclesia habet omnes proprietates & signa, quæ suprà adduximus, veræ Ecclesiæ. Est enim *vna*, quia ab vno Deo vocante, & sub vno capite, & ad vnum finem, nempe vitam æternam, & per vnica media, qualia sunt Sacramenta. Est etiam *sancta*, quia plures Sanctos continet, & efficit, & habet Sacramenta, & media ad salutem sanctissima. Est *Catholica*, omnes recipiens, qui salutem, velint consequi, & ad omnem locum se extendens, & vsque ad finem mundi sine interruptione est duratura, & idem semper docet, & docebit, absque vlla inconstantia, aut mutatione. Est etiam *Apostolica*, doctrinam sequens Apostolorum; *visibilis*, vt latè suprà ostensum est, & quia sub visibilibus sacramentis, & visibili cultu est instituta. Habet assistentiam Spiritus sancti, & est vnica via salutis: quæ omnia nulli sectæ conuenisse possunt, nec conuenire possunt, sed solùm Ecclesiæ Romanæ.

Et confirmatur, quia illa congregatio homi- 56.
num, quæ profitetur eamdem illam fidem, quam vera Christi Ecclesia profitebatur tempore Apostolorum, habenda est pro vera Christi, & Apostolica Ecclesia: at illa Ecclesia quæ profitetur fidem sub obedientia Romani Pontificis, est talis: quod apertè conuincitur. nam, vt constat ex epistola ad Romanos cap. 5. 15. & 16 in Episcopatu Romano fuit eo tempore, quo scribebat Paulus, vera fides, cum veritate Ecclesiæ Christi, quæ fides nunquam est interrupta in Ecclesia Romana, neque admixta alicui dogmati contrario; nam si hoc euenisset in ipso initio, restitissent fideles, qui superessent, & alij retinerent memoria falsum dogma denuo ortum, sicut & auctoris, & temporis amissionis fidei in vrbe Romana, cuius nullum est vestigium, vel signum: ergo fides illa quam Romani, & qui cum eis in religione vniuntur, est fides Apostolica; ac proinde Ecclesia vera, & congregatio illorum, qui vnam hoc tempore fidem profitentur sub obedientia Romani Pontificis. Ex quo fit, veritatem Ecclesiæ non esse in illis, qui in professione fidei discrepant à Romanis, quia in illis nequit assignari continuata successio Episcoporum post D. Petrum. At in omnibus aliis cognoscitur initium fidei, & Ecclesiæ, multo post Apostolos: ergo non est in illis Apostolica fides, & consequenter neque Ecclesiæ veritas.

Secunda conclusio. Ex Christi Domini præ- 57.
cepto, ac proinde de iure diuino ortum est, vt ille qui est Episcopus Romanus, sit D. Petri legitimus successor, non solùm in Episcopatu vrbis, sed etiam in vniuersali totius Ecclesiæ primatu. Probatur apertissimo testimonio D. Anacleti epist. 5. dicentis. *Hæc sancta Romana, & Apostolica Ecclesia, non* Anaclet.
ab Apostolis, sed ab ipso Saluatore obtinuit, & Primatum, & eminentiam potestatis super Ecclesias vniuersales. & eodem modo loquuntur Gelasius cum Concilio Episcoporum, & Nicolus I. in epistola ad Imperatorem, & confirmatur eadem veritas ex Patribus, asserentibus, fidem Romanorum, id est, illarum personarum, quæ habent in Romano solo proprium

Digitized by Google

proprium domicilium, mutari non posse. Ita testantur
55. Hieronymus lib. 3. Apolog. contra Ruffinum. Leo Magnus sermo. 1. de Apostolo Petro & Paulo. Sanctus Prosper, Irenæus, & plures alij: hoc autem in aliam causam refundi non potest, nisi in speciale decretum Christi, qui disposuit in illo loco semper fore, & esse veritatem Ecclesiæ, cuius semper esset Romanus Episcopus, cum vnione vniuersalis Pontificatus.

58. Obijcies primò. Quia quando Christus Dominus promisit, vel dedit Petro primatum Ecclesiæ vniuersæ, per verba illa: *Dabo tibi claues Regni cælorum*, aut per illa, *Pasce oues meas*, nullam fecit mentionem de vrbe, vel Ecclesia Romana: ergo ex Christi institutione non necessariò coniunctus est Pontificatus vniuersæ Ecclesiæ, cum Episcopatu Romano. Et confirmatur, nam certò constat, Petrum prius habuisse Pontificatum vniuersæ Ecclesiæ, quàm peculiarem illum Episcopatum; postea verò cathedram, siue sedem suam collocasse in Ecclesia Antiochena: ergo signum est primatum, siue Pontificatum supra vniuersam Christi Ecclesiam, non esse ex institutione Christi coniunctum necessariò cum peculiari Episcopatu alicuius loci; & consequenter, neque cum Episcopatu Romano.

59. Respondetur, Christum dedisse priùs Petro summum Pontificatum, non necessariò coniun-
56. ctum cum aliqua particulari sede; neque locis citatis memorasse Ecclesiam peculiarem, siue diœcesim cui connecteret tunc primatum vniuersi orbis. Deinde concedimus habuisse Episcopatum in sede peculiari Antiochiæ: asserimus tamen postea ex Christi præcepto, transtulisse ex Antiochena sede primatum, siue Summum Pontificatum, ad sedem Romanam, vt Romæ perpetuò duraret. Ita docet Innocentius III. cap. *per venerabilem*, & Marcellus Papa epist. 2. quæ habetur cap. *regamus*, 24. quæst. 1. vbi ait: *Petrum iubente Domino, sedem Antiochiæ, Romam transtulisse.* Idem testatur Leo Papa sermone SS. Petri & Pauli, nimirum peculiari Dei ordine factum, vt cathedra Petri Romæ collocaretur.

60. Obijcies secundò. Quia non est prorsus impossibile, vt Romana vrbs prorsus destruatur, ita vt non sit necessarius illius vrbis Episcopus; sicque non videtur impossibile, vt omnes Romani deficiant à fide, & per consequens separentur ab Ecclesia; atque adeò nulla sit Romana Ecclesia particularis, cuius Episcopus in primatu Ecclesiæ sit legitimus successor D. Petri. Respondetur, ex natura rei non esse id impossibile, vt Roma omnino desinat esse; esse tamen impossibile impossibilitate consequenti: nam Christus qui voluit determinatè, vt Summus Pontificatus in ea sede confirmaretur, præuidit etiam in solo Romano futuros fideles semper, respectu quorum posset
57. esse Episcopus, qui simul haberet summum Pontificatum: suppositâ verò hac præuisione, & prouidentia, illud est impossibile impossibilitate consequenti.

61. Denique obijcies, aliquando Romanam sedem fuisse mutatam: non ergo id est de iure diuino. Respondetur negando antecedens, nam sola præsentia Summi Pontificis fuit per aliquot annos in Gallia; verus tamen Episcopatus semper fuit Romæ: & Summi Pontifices semper perseuerauerunt Episcopi illius vrbis: neque per id tempus aliquis alius præter ipsos sedem illam occupauit.

Anacler.

SECTIO VI.

An Summus Pontifex in tradenda fidei, & morum doctrina, possit errare.

62. CONclusio est negatiua. Iudicium Romani Pontificis dum aliquid diffinit ad fidem, vel mores pertinens, etiam absque Concilio generali, est certum & infallibile, atque adeò Pontifex vt Pontifex, errare nõ potest in doctrina fidei, & morum, definienda. Ita communiter Theologi cum D. Thoma in hoc loco, & probatur manifestè ex verbis Lucæ suprà relatis cap. 22. vbi postquam cognouit Christus contentionem Apostolorum de primatu, apertè docet D. Petrum futurum superiorem cæteris Apostolis, cum prærogatiua nunquam deficiendi à fide, vt probant verba illa. *Simon, Si-* Lucæ 22.
mon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Vbi non potest dubitari, quin Christus Dominus locutus fuit cum Petro, eo modo, quo erat aliquid distinctum à reliqua Ecclesia, vt probat repetitio illa nominis *Simon, Simon*; & mutatio illa pronominis *vos*, cùm dixit, *Satanas expetiuit vos*, & subiungit: *ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quod etiam significat officium illud, *& tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.*

63. Præterea orationem illam Christi, non fuisse tantùm pro persona Petri particulari, sed etiam pro eius dignitate perpetuò duratura, per continuatam successionem, testantur manifestè plures Summi Pontifices in suis epistolis Decretalibus; & in primis D. Lucius, qui in epistola ad Episcopos Galliæ, & Hispaniæ sic scribit: *Ecclesia Romana Apostolica est, & omnium Ecclesiarum Mater, quæ à tramite traditionis Apostolicæ nunquam errare potest, secundum Domini pollicitationem: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* S. Felix Papa in epistola ad Benignum, dicens: *Ecclesia Romana, vt in exordio nostræ fidei accepit, illibata manet, iuxta illud, Ego rogaui pro te.* Et D. Gregorius lib. 6. epist. 37. ad Eugenium, vbi sic ait. *Ecclesia est fundata in soliditate D. Petri, cui dictum est: super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Id ipsum docuerunt plures alij Summi Pontifices, tum etiam & sancti Patres. Legatur Bernardus epist. 109. vbi reddens rationem cur maiores Ecclesiæ causas, illas præsertim quæ pertinent ad fidem, sint ad Petri sedem referendæ, hoc est, ad Romanam Ecclesiam, inquit. *Quia ibi resarciri debent damna fidei, vbi illa non potest sentire defectum; quia nulli alteri sedi dictum est: Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Igitur negari non potest, quin citatis verbis significetur oratio Christi, ne fides deficiat in sede Romana, ea ratione, qua differt à tota reliqua Ecclesia, & provt habet officium docendi, & pascendi vniuersos fideles.

64. Deinde probatur rationibus. Quia nisi fide diuina credamus, eiusmodi Pontifices esse legitimos successores Petri, nihil est quod possimus fide diuina credere. Consequentia est manifesta, quia quidquid credimus, est vel ex Scriptura, vel traditione, vel diffinitione Ecclesiæ; omne id credimus, quia credimus reuelatum esse Pontifici, & quia à Pontifice admittitur vt Canonicum, vel traditum diuina traditione. Antecedens verò probatur, quia non possumus fide diuina credere reuelationem

§

factam

factam esse Pontifici, quin eodem assensu credamus, illum esse verum Pontificem. Secundò probatur, quia ille secundùm fidem est verus Pontifex, cui Christus præcipit obedire in his quæ ad fidem, & mores pertinent: at de fide est, legitimè electo, & ab vniuersali Ecclesia recepto, præcipere Christum Dominum obedire in rebus ad fidem, & mores pertinentibus, quia de fide est fideles obligari ad obediendum ei, quem superiorem in Ecclesia agnoscunt, & vt talis ab Ecclesia acceptatur: ergo etiam est de fide legitimè electũ, & ab vniuersali Ecclesia receptum, esse verum Pontificem. Et confirmatur primò, quia si Pontifex electus definiat aliquam veritatem fidei, & eam credendam Ecclesiæ proponat, non potest errare secundùm fidem: ergo secundùm fidem est verus Papa. Confirmatur secundò, quia Ecclesia, maximè coniuncta suo capiti, errare non potest in rebus fidei: at vniuersalis Ecclesia cum suo capite fide diuina credit, Vrbanum VIII. esse verum Papam: ergo fide diuina id credendum est, aliàs Ecclesia cum suo capite posset errare tenendo pro vero Papa, eum qui verè non est. Vrgetur ampliùs, quia si non est de fide Vrbanum VIII. esse verum Papam, sed de eo potest quis dubitare; eadem ratione poterit dubitare de veritate, & legitimitate cuiuslibet alterius Summi Pontificis, imò & singulorum omnium: vnde nihil crederet fide diuina; ac proinde non solùm tenemur exercere hunc actum fidei. Hæc diffinitio est vera; sed etiam hunc: hic est verus Pontifex, quia ex assensu veritatis Pontificis, sequitur assensus veritatis definitionis.

65. Quòd autem non possit Pontifex errare in definiendis rebus, non solùm ad fidem, sed etiam ad mores pertinentibus, statuendo aliquid obseruandum, quod legi diuinæ, vel naturali sit contrarium, etiam est de fide: quia neque in Ecclesia deficere potest spiritus veritatis, nec Pontifex errare potest in pascendis ouibus: oues autem non solùm doctrina fidei, sed morum institutis pascuntur.

66. Obiicies primò, quia non repugnat posse aliquem eligi, & haberi Summum Pontificem à tota Ecclesia, qui tamen verè non sit; quia potest esse hæreticus, qualis refertur fuisse Anastasius cap. *Anastasius* 19. dist. tum etiam Honorius, vt refertur in Concilio Constantinopolit. VI. tunc autem si definiat aliquam veritatem, volens Ecclesiam suo errore maculare, non definiet infallibiliter: ergo negari non potest, quin possit Pontifex errare in proponendis, & definiendis rebus fidei. Respondetur, omissa pro nunc illa controuersia, an Anastasius & Honorius fuerint hæretici; non enim desunt Doctores id negantes, concedo tamen non repugnare Pontificem esse posse hæreticum, & de Marcellino constat obtulisse thus idolis. Inde tamen non sequitur, posse errare in diffiniendis rebus fidei, quia vel eius hæresis erit Ecclesiæ manifesta, & sic facile liberabitur ab illo; vel si sit occulta, vel non definiet, vel semper definiet verum, quia antequam diffiniat Deus illum à vita eripiet, aut alia via impediet definitionem, aut faciet vt verum pronunciet: hæc enim necessariò sequuntur ex promissione facta Ecclesiæ, non defecturum in ea spiritum veritatis.

67. Obiicies secundò, quia impotentia errandi tantùm est annexa vero Christi vicario, & successori Petri: sed non est de fide hunc Pontificem esse verum Petri successorem, cùm non sit de fide esse baptizatum, aut legitimè electum: ergo. Respondetur negando minorem, nam eo ipso quòd ab vniuersali Ecclesia receptus est, est verus Pontifex: ac proinde de fide est esse baptizatum, & legitimè electum, quia Ecclesia iuncta suo capiti non potest in hac vniuersali acceptione errare ob assistentiam Spiritus sancti, qui est spiritus veritatis. Vnde est magnum discrimen inter has propositiones: Sub hac hostia est corpus Christi, & hic est verus Pontifex, prior enim non est de fide, bene tamen posterior. Quia in priori nullus adest exterior effectus qui sit signum existentiæ corporis Christi. In posteriori verò vniuersalis Ecclesia recipit hunc Pontificem, tanquam verum Pontificem; ac proinde fide diuina tenendum est esse verum Papam, sicut quia vniuersalis Ecclesia recipit aliquam scripturam tanquam Canonicam, eo ipso est de fide, scripturam illam esse Canonicam.

Obiicies tertiò, quia vt Pontifex veritatem aliquam diffiniat, eget præuio consilio, & inquisitione, & Doctorum disputatione; sed in his potest esse Pontifex negligens: ergo potest errare. Hoc argumentum tangit grauem illam difficultatem, an Pontifex in diffiniendis, & proponẽdis rebus fidei, possit errare ex defectu diligentiæ & inquisitionis, quam facere videtur obligatus. In qua re dicendum est, iudicium Pontificis in rebus fidei esse infallibile, non solùm sub conditione, nimirum si ad diffiniendum præmittat debitam diligentiam; sed etiam absolutè, & vniuersim esse credẽdum, quandocumque proponit aliquid credendum à tota Ecclesia, id est, cum voluntate obligandi ad illud credendum; id enim, proprie loquendo, est docere aliquid ex cathedra Petri, & illud diffinire vt Summum Pontificem: nam Deus qui talem auctoritatem contulit sedi Apostolicæ, nequit permittere vt ex negligentia inquisitionis veritatis Pontifex aliquid falsò definiat, aliter enim cùm non constaret, an esset præmissum debitum examen, dubitare prudenter possemus de infallibilitate decreti, & per hoc redderetur inutilis, & vana diffinitio sedis Apostolicæ. Quamuis autem certum sit Deum non posse permittere, vt Pontifex ex negligentia falsò aliquid definiat: nihilominus potest esse difficultas, vnde hoc proueniat, an ex eo quòd Deus permittere non potest, vt sine sufficienti diligentia ad diffinitionem rerum fidei perueniatur; an verò ex eo quòd absque tali diligentia peruenire ad diffinitionem posset permittere, non tamen vt talis diffinitio contineat aliquid falsitatis. In qua difficultate prior modus dicendi videtur probabilior cum Valentia disp. 1. Cuius ratio est, quia Deus qui quasi ad conseruandum communem rerum cursum decreuit, vt homines ab homine docerentur, propter eumdem finem credendus est, ita regere mentem & linguam Pontificis, vt semper scopum veritatis attingat in materia fidei; in veritate autem huiusmodi perquirenda seruetur humana consuetudo, vt per idoneum rerum examen perueniatur ad infallibiliter definiendum. Quibus adde quauis ratione, & via decreuerit Deus regere Papam definientem; esse obligationem præcepti diuini, vt ille qui exercet officium diffiniendi, præmittat idoneam diligentiam, ne diffinitionem temerè aggrediatur; hoc enim redundaret in iniuriã Dei loquentis per tale organum, non quidem per antecedentem Dei locutionem, sicut fit in Canonicis scriptoribus, sed per gubernationem, & directionem suprà expositam. Vult enim Deus vt homines faciant quantum est in se ad veritatem inuestigandam. Nam cùm Pontifex non proponat 68.

noua fidei dogmata, sed iam proposita, abscondita tamen in lucem producat, tenetur pro subiecta materia diligentiam adhibere. Si autem de facto ad diffinitionem procedat, omissa hac debita diligentia, adhuc definiet infallibiliter veritatem; hoc enim non obstante, protegit Deus suam Ecclesiam, & ab errore liberat, impediendo Pontificem ne definiat, vel si definiat, vt verum pronuntiet: sic enim promissum fuit Petro eiusque successoribus, ne eius fides deficiat, quæ promissio non videtur conditionata, si diligentiam adhiberet.

69. Denique obiicies, quia plures Pontifices referuntur à Doctoribus in suis diffinitionibus erraſſe, vt Ioannes XXII. in Extrauag. *Ad conditorem*, & Extrauag. *Inter nonnullos*, & Extrauag. *Quia quorumdam*, de verborum significatione, & Ioannes XXI. sensit animas iustorum non visuras Deum ante diem iudicij, & sic de aliis. Respondetur quòd duobus modis potest Pontifex considerari, altero vt priuata persona, & particularis doctor. Altero verò vt Pontifex. Et concedimus Pontificem posse errare vt priuatam personam, non enim est firmum fundamentum vt asseramus habere Pontificem peculiare priuilegium vt non possit errare ex ignorantia, præsertim cùm non sit semper homo valde doctus. nam etsi illa Christi verba: *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua*, relata fuerint, & directa à Christo ad personam Petri particularem, cui datus est primatus super totam Ecclesiam, referri tamen nequeunt ad particulares successores Petri in Papatu: nam illi non possunt significari, aut intelligi per pronomen illud *te*, penes rationem priuatæ personæ, sed tantùm quoad dignitatem, & officium in quo cum Petro conueniunt, & ita experimur Pontifices aliquando contrarias opiniones & sententias tenere.

68.

Luc. 22.

Sectio VII.

An Concilia possint errare in rebus fidei definiendis.

70. VOx Latina *Concilium*, & Græca *Synodus*, à primaria sui impositione significant, conuentum plurium, qui causa consulendi congregantur. Ex vsu verò Ecclesiastico significant, Congregationem sacram, in qua de rebus sacris, id est, pertinentibus ad fidem, & mores consultatur. Concilium autem duplex est, vnum generale ex vniuersa Ecclesia congregatum, quod totam Ecclesiam repræsentat. Alterum verò non generale, quod scilicet non coaluerit ex vniuersa Ecclesia, sed ex quadam eius parte, quod quidem est triplex, Diœcesanum, Prouinciale, & Nationale. Diœcesanum est id, in quo cum Episcopo præsidente conueniunt vnius Episcopatus sacerdotes. Prouinciale verò id, in quo cum Archiepiscopo conueniunt Episcopi suffraganei, ad tractandum de his quæ communia sunt toti Prouinciæ. Nationale denique id, in quo cum Patriarcha, aut primate totius nationis, conueniunt Archiepiscopi, & Episcopi suffraganei. Concilium verò generale duplici causa potest cógregari, in primis ad prouidendum Ecclesiæ de capite certo & Catholico, v. g. in casu quo Cardinales nollent congregari ad electionem Pontificis, aut esset suspicio hæresis in Pontifice Romano, aut schisma in Ecclesia, ita vt non constaret quinam esset certus, & legitimè electus. Secunda causa est, ad diffiniendam aliquam rem fidei, vel ad condendas leges ad reformationem Ecclesiæ. In præsenti autem agimus de Concilio quod propter secundam causam congregatur.

71. Et conueniunt primò Doctores, cùm in Ecclesia existit Summus, & legitimus Pontifex, ad eum pertinere congregare Concilium generale, ita vt illud, si auctoritate Pontificis non congregetur, careat auctoritate, & illegitimum sit. Quòd si interdum Imperatores iusserunt conuocari Concilia, si ritè & rectè factum est, nunquam contigit sine præuio consensu, & expressa concessione, vel iussione Romani Pontificis. Secundò conueniunt, ad eumdem Summum Pontificem spectare, prouidere in Concilio generali per se, vel per Legatos, qui habeant auctoritatè præsidendi; aliter coactum Concilium irritum erit, quia Summus Pontifex, Ecclesiæ, & legitimus successor Petri, habet auctoritatem gubernandi Ecclesiam, & pascendi fideles scientia & doctrina; atque adeò eiusdem Pontificis proprium munus est, congregare, & gubernare Concilium illud, quod conuocatur ex tota Ecclesia ad decernendum aliquid ad materiam fidei pertinens. Conueniunt tertiò, Concilium conflari debere ex Episcopis, vel personis Ecclesiasticis & sacris; non verò ex laicis, vel secularibus: illis enim, & non istis, ex officio competit ius docendi fideles, & tales sunt iure ordinario Episcopi, & pastores Ecclesiarum, vt colligitur ex Paulo ad Eph. 4. vbi dicitur quod Christus *alios dedit Prophetas, alios Pastores, & Doctores*, &c. *ad ædificationem corporis Christi*. Itaque iure ordinario qui per se habent ius suffragij in generali Concilio sunt soli Episcopi. Ex priuilegio verò & consuetudine, habent etiam ius suffragij, quasi Delegatum, Cardinales, Generales Religionum, & Abbates. Quòd si Imperatores, vel Legati Imperatorum aliquando exiterunt præsentes in Concilio, dum agebatur de rebus ad fidem pertinentibus, id accidit, non vt suffragium illic ferrent in diffinitione fidei, sed vt diffinitionis factæ, & dum fiebat, testimonium suum adhiberent, eóque adhibito punirent postea, quotquot tali se diffinitioni opponerent.

Eph. 4.

72. Difficultas tamen est primò, an ante confirmationem Pontificis, definitio Concilij generalis sit infallibilis veritatis. In qua dicendum arbitror cum communi sententia, non habere infallibilem veritatem. Cuius ratio est, quia tantùm Petro, & eius successoribus concessa est Spiritus sancti assistentia, ne in rebus fidei erret: at Concilium quantumcumque generale, & auctoritate Pontificis congregatum, non est successor Petri, sed solùm Pontifex: ergo eius diffinitio non est infallibilis veritatis; ac proinde omnia Concilia quæ aliquam habent in Ecclesia auctoritatem, à Romano Pontifice sunt approbata.

73. Nec obstat, Concilium generale auctoritate Pontificis congregatum repræsentare totam Ecclesiam, quæ quidem errare non potest: hoc enim falsum est, quia illi Patres non sunt Ecclesia vniuersalis, quamuis illam repræsentent. Dices Episcopos in generali Concilio esse, verè, & propriè loquendo, iudices, & habere votum decisiuum, quem Pontifex non potest non sequi. Respondetur verum esse in Concilio generali in fidei diffinitionibus Episcopos esse verè, & propriè iudices, & constat Actorum 15. vbi Apostoli diffinierunt, dicentes: *Visum est Spiritui sancto, & nobis*. Quæ phrasis sine dubio denotat in loquente iudicandi auctoritatem. Et in multis Conciliis generalibus

Act. 15.

idem

idem videri poteſt. Nam Epiſcopi hoc modo ſubſcribebant: Ego N. Epiſcopus definiens, vel ſtatuens, ſubſcripſi, quæ phraſis apertè denotat actionem iudicis. Nihilominus non ſunt ita iudices, vt ſine ſuffragio Pontificis Romani eorum ſuffragium ſufficiat ad infallibilitatem decreti: nam ſuffragium Romani Pontificis eſt eſſentialiter requiſitum, vt Concilium poſſit aliquid infallibiliter definire. Itaque ſunt iudices vniuerſales Eccleſiæ, quatenus ſententiam in rebus fidei pronunciant, dependenter tamen à Pontificis approbatione: & quia ex poteſtate diuina data Pontifici, habent auctoritatem res fidei definiendi, non quidem abſolutè, ſed accedente Pontificis approbatione.

74. Sed maior difficultas eſt, an quando Pontifex per ſe ipſum non præſidet in Concilio, ſed per Legatum, diffinitio Concilij habeat infallibilem auctoritatem abſque confirmatione Romani Pontificis. Tribus autem modis poteſt Legatus mitti ad Concilium. Primò cum generali auctoritate proponendi, & diffiniendi cum eodem Concilio, quæ pro doctrina ſua iudicauerit expedire ad religionis Chriſtianæ augmentum, ſine limitatione materiæ, de qua ſola agendum ſit; atque adeò abſque certa etiam inſtructione, vel ſententia, quam debeat in Concilio proferre, nomine Summi Pontificis. Secundò mitti poteſt cum determinatione, & reſtrictione materiæ fidei, de qua debeat agi in Concilio, cæterùm abſque certa inſtructione, & ſententia quam Legatus debeat ſequi. Tertiò, non ſolùm cum reſtrictione materiæ, ſed etiam cum certa inſtructione ſententiæ, quam Legatus in Concilio debeat proferre, nomine Romani Pontificis.

75. Prima concluſio. Decretum Generalis Concilij nunquam eſt infallibile, abſque confirmatione aliqua Summi Pontificis incluſa ſaltem in ſuffragio ipſius per Legatum cum quo conſentiat maior Concilij pars. Ita communiter Doctores cum Turrecremata 3. lib. de Eccleſia cap. 64. & videtur eam diffiniſſe D. Marcellus epiſt. 12. dum inquit. *Apoſtolus inſpirante Domino inſtituit, vt nulla Synodus fieret præter auctoritatem Apoſtolicæ ſedis, quia ſummarum negotia cauſarum, auctoritate eiuſdem ſedis agenda, & diffinienda ſunt.* Vbi aperte ſignificatur, negotia Eccleſiaſtica vniuerſaliſſima, qualia ſunt fidei decreta, non ſolùm tractari, ſed etiam finiri debere auctoritate ſedis Apoſtolicæ: at licèt illa quæ diffiniuntur in Concilio ex ſola legitima Congregatione, & directione Concilij, videantur tractari auctoritate Apoſtolicæ ſedis, tamen conſtat non finiri illius auctoritate, niſi eius ſuffragium per ſe, aut ſaltem per Legatum conſentiat, cum maiori parte Concilij: ergo decretum huius maioris partis non eſt infallibile, abſque prædicta confirmatione Pontificis. Et confirmatur, quia ex fide conſtat, regimen Eccleſiaſticum, quando Eccleſia habet Summum Pontificem legitimum & certum, eſſe regimen monarchicum, id eſt, tale in quo vnus Summus Princeps præſideat, & habeat auctoritatem ſupra totum corpus Eccleſiaſticum: at ſi Concilium legitimè congregatum, & legitimè procedens, poſſit diffinire aliquid infallibiliter, abſque ſuffragio Summi Pontificis, ita vt diffinitioni Concilij idem Papa non poſſet contradicere, non eſſet regimen monarchicum, ſiquidem in rebus maioris ponderis, qualia ſunt decreta fidei, Summus Paſtor Eccleſiæ teneretur obedire, licèt talia decreta contra ipſius ſuffragium, & conſenſum firmarentur. Denique confirmatur ex verbis illis Chriſti ad Petrum, *Paſce oues meas*, in quibus data eſt Petro poteſtas ſuprema ſuper omnem Eccleſiam: at in officio paſcendi oues chriſtianas præcipuus actus eſt docere fidem: ergo in Eccleſia nulla eſt poteſtas docendi fidem abſque ſuffragio Summi Pontificis.

Ex quibus infertur primò, non eſſe infallibile 76.
decretum Concilij, etiamſi fiat à maiori parte ſi diſſentiant Legati, quia in tali decreto nulla reperitur confirmatio, aut ſententia Romani Pontificis. Secundò infertur non eſſe infallibile decretum etiamſi conſentiant Legati, contra inſtructionem tamen certæ ſententiæ, quam à Romano Pontifice accepetunt proponendam in Concilio: nam in his decretis nullum reperitur ſuffragium capitis Eccleſiæ, quia Legatorum ſuffragium, qui non ſequuntur inſtructionem, ſine vlla auctoritate ab ipſis profertur; ac proinde nequit reputari, quòd procedat à Romano Pontifice.

Secunda concluſio. Quando maior pars Con- 77.
cilij aliquid decernit, ſufficit ſuffragium Pontificis miſſum per Legatum cum inſtructione certæ ſententiæ cum qua maior pars Eccleſiæ conſentit: ſi verò Legatus mittatur cum auctoritate tractandi aliquam rem fidei in Concilio, ſine inſtructione tamen certæ ſententiæ, cum poteſtate verò proponendi, decernendi, & diffiniendi, ſolemniterque promulgandi, id quod fuerit diffinitum, non habet id infallibilem auctoritatem quouſque accedat confirmatio Romani Pontificis. Prior pars ex prædictis manet probata, quia perinde ſe habet, quòd Pontifex proferat in Concilio ſuam ſententiam, ac ſi abſens illam mittat ad Concilium per ſcripturam, aut per Legatum quaſi per internuntium, vt recte Bellarminus 2. de Conciliis, cap. 11. Nam etſi Pontifex quoties voluerit poſſit adiicere infallibilem diffinitionem, tamen quoties Synodali more vult aliquid diffiniri, hoc eſt cum Concilio, non vult illud diffiniri ſine Concilij maiori parte. Quapropter ſæpe Legati mittuntur inſtructi de ſententia Pontificis, & cum auctoritate, vt ſi cum ſententia Pontificis conſentiat maior pars, firmetur decretum, ſin minus, differatur donec Romanus Pontifex denuo conſultus reſpondeat. Secunda verò pars videtur mihi etiam certa cum Valentia diſp. 1. punct. 7. Quia Pontifex non poteſt delegare poteſtatem diffiniendi infallibiliter res fidei, quia hæc poteſtas conſiſtit in aſſiſtentia Spiritus ſancti, quæ cùm ſolùm promiſſa ſit Petro, & eius ſucceſſoribus; ſolus Petrus, & qui ei in Pontificatu ſuccedunt, habent hanc infallibilem aſſiſtentiam; ſicut illis ſolis promiſſa eſt, quæ aliis delegari non poteſt; eſt enim gratia pertinens ad donum Apoſtolatus.

Ex his infero, nullum Concilium quantumuis 78.
generale ante confirmationem Pontificis (niſi in eo præſideat Legatus cum inſtructione certæ ſententiæ, quam ſequatur maior pars Concilij,) habere infallibilem veritatem. Nec obſtat Patres Concilij ante Pontificis confirmationem anathemate damnare eos, qui ab eorum decretis diſſentiunt. Hoc enim faciunt quantum eſt in ſe, non quidem abſolutè, ſed ſub conditione, ſi à Pontifice dogma conſtitutum approbetur.

Tabula Cebetis, Graeci philosophi, cum
Latina interpretatione & notis Hermanni
Conringii.

Digitized by Google

Helmstadii, Typis Henningi Mulleri, Anno
MDCLXXIII. 8.

Tabula Cebetis, Graeci philosophi, cum
Latina interpretatione & notis Hermanni
Conringii.

proponitur venerandus in sacrificio Missæ ab vniuersali Ecclesia, per speciales aliquos ministros.

84. Obiicies primò, quia auctoritas Ecclesiæ in definiendo res, quæ credi debent, solùm extenditur ad proponenda illa, quæ iam fuerunt reuelata per Prophetas, & Apostolos: at quòd aliquis denuo defunctus, & denuo canonizatus, vel beatificatus, futurus esset post mortem sanctus, non fuit à Deo reuelatum: ergo ad id non extenditur auctoritas, & diffinitio Ecclesiæ. Respondetur distinguendo maiorem, auctoritas enim, & diffinitio Ecclesiæ, si censeatur extendi solùm ad illa, quæ actu, & explicitè iam fuerunt secundùm se ipsa reuelata, falsa est maior. Si verò dicatur auctoritas Ecclesiæ, vel eius diffinitio extendi ad illa solùm, quæ aliqua ratione fuerunt iam reuelata, videlicet vel actu secundùm se ipsa, vel saltem virtute in aliqua re ex qua assistentia Spiritus sancti tali iudicio necessariò sequatur, vera est maior. Hoc autem secundo modo se habet res de qua loquimur. Nam Deus reuelauit in auctoritate docendi, & pascendi Ecclesiam traditam Petro, & eius successoribus, includi auctoritatem explicandi legem naturalem toti Ecclesiæ, ad quam explicationem spectat canonizationis iudicium.

85. Obiicies secundò, quia Pontifex, cùm aliquem adscribit in catalogo Sanctorum, nititur coniecturis, & testimoniis humanis, quæ sunt fallibilia; ergo iudicium Summi Pontificis, nequit esse infallibile. Consequentia est certa, quia iudicium innixum tali testimonio, ex vi sua est dubium & incertum. Respondetur, testimonia humana esse fallibilia ex natura sua, Pontifex autem non nititur illis tanquam ratione diffiniendi, sed tanquam conditionibus quibusdam præuiis; sed nititur assistentia Spiritus sancti, qua mediante mens eius gubernatur, & dirigitur, vt ferat infallibile iudicium: ac proinde iudicium hoc, quatenus est à Spiritu sancto dirigente mentem Pontificis, ad proponendum vniuersæ Ecclesiæ aliquem, vt ab ea colatur, habet ex hoc certitudinem infallibilem: non enim potest Deus permittere, suppositia eius antiqua promissione, vt Ecclesia decipiatur in tali iudicio.

86. Denique obiicies, illud vulgare dictum quod tribui solet D. Augustino: *Multa corpora veneramur in terris, quorum anima torquentur in inferis.* Respondetur, quamuis admittamus Augustinum id dixisse, nihil contra nos: quia Augustinus non loquitur de corporibus, & reliquiis Sanctorum, quos Ecclesia vniuersalis colit; sed de his quæ fortè honorantur apud aliquos populos, absque auctoritate Pontificis, in quibus ex ignorantia potest is error accidere.

August.

87. Inquires, an liceat aliis ab his quibus facultas conceditur, venerari Sanctum beatificatum ritu in beatificatione præscripto. v. g. an quando conceditur facultas Sacerdotibus certæ Religionis ad celebrandam Missam de Sancto beatificato de quo è vita discessit, an clerici seculares possint in eius honorem sacrificium Missæ offerre, siue in sua Ecclesia, siue in aliis, siue ipso die, quo è vita discessit, siue quouis alio. Partem negantem defendit Turrianus disp. 17. dub. 8. Quia secundùm ius commune in cap. 1. de reliquiis, & veneratione Sanctorum, nullus potest cultum publicum alicui homini defuncto deferri sine licentia Pontificis. Ex eo autem quòd hæc facultas certæ Religionis Sacerdotibus expressè concedatur, non censetur concessa omnibus sacerdotibus, vt possint de eo Missam celebrare. Imò per talem formam concessionis, videtur subintellecta restrictio: aliàs nulla esset differentia inter Sanctum beatificatum, & canonizatum; si omnes indiscriminatim possunt de vtroque Missam celebrare.

Oppositam sententiam vt probabiliorem, & magis piam, sequitur Castropalao tract. 4. disp. 5. puncto 5. §. 5. quia sedes Apostolica concedens, vt in honorem alicuius Missa aliqua dicatur, simul declarat dignum esse, vt in eius honorem omnes dici possint, qua declaratione facta tollitur prohibitio relata in supradicto capite, in quo cauetur, *neminem esse venerandum sine auctoritate Romanæ sedis:* ac proinde neminem impediri ab exhibendo publicum religiosum cultum ex deuotione: nam in præfato capite tantùm impeditur is, qui non iudicatur à sede Apostolica dignus: eo autem ipso quòd Romana Sedes concedit Missam in honorem ipsius celebrare, illum pro Sancto veneratur; quandoquidem exhibet illi supremum cultum quem exhibere potest; atque ita hac concessione facta poterit quilibet pro deuotione eodem cultu Sanctum venerari. Et huic sententiæ affirmat subscripsisse Salmanticæ præcipuos, & grauiores Doctores illius vniuersitatis. Neque per hoc tollitur differentia inter canonizatum, & beatificatum. Nam de Sancto canonizato præcipitur saltem quoad speciem, credere illum in cœlis existere, & dignum esse, vt in eius honorem Missa, & officium celebretur; de Sancto verò beatificato id solùm permittitur.

88.

Solet etiam hîc dubitari, an in approbatione Religionum Pontifex errare possit. Et conueniunt Doctores, de fide esse Pontificem non posse errare in approbatione Religionis, quoad finem, & media quæ sibi proponuntur, itavt approbet tanquam consentaneam euangelicæ perfectioni religionem, quæ verè consentanea non sit: quia Pontifex non potest errare in his quæ ad fidem & mores pertinent vniuersalis Ecclesiæ. Difficultas ergo est, an secundùm leges prudentiæ, possit errare approbando aliquam Religionem, quæ licèt non sit contraria perfectioni euangelicæ, sit tamen minus Ecclesiæ conueniens. In qua difficultate quidam affirmant. Quidam verò negant, quæ sententia mihi magis placet, & eam defendit Valentia suprà punct. 7. semper enim Pontifex prudenter procedit in approbatione Religionis, nec vnquam licet oppositum iudicare, quamuis quia variantur circunstantiæ, interdum possit esse expediens, vt Religio priùs approbata, postea dissoluatur.

89.

DISPVTATIO III.

De actu Fidei.

SECTIO I.

An actus credendi pendeat ab affectu voluntatis.

REDERE secundùm August. lib. 1. de Prædestinatione Sanctorum cap. 2. nihil aliud est, quàm cum assensu cogitare. Sic enim ait: *Ipsum credere nihil aliud est, quàm cum assensione cogitare, non enim omnis, qui*

1.

August.

Digitized by Google

qui cogitat credit, cùm ideo cogitent plerique ne credant: sed cogitat omnis qui credit, & credendo cogitat, & cogitando credit. quæ verba difficilia sunt, & quod facessit negotium est illa particula *cogitare*, & pro quo supponat. Ratio difficultatis est, quia cum *cogitare* ibi non supponat pro actu potentiæ cogitatiuæ, quia credere non pertinet ad sensum, sed intellectum, & cogitatio semper includatur in assensu intellectus, & ipsum comitetur, vt constat in assensu scientifico conclusionis, quem semper præcedit cogitatio, & discursus, non videtur facile explicare, cur Augustinus definiens actum fidei, scilicet credere, per assensum intellectus posuerit verbum illud, *cogitare*. Pro quo obserua, quòd *cogitare*, propriè loquendo, est actus intellectus inquirentis veritatem, & nondum perfectè illam assequentis. Actus autem intellectus sunt in duplici differentia, quidam in quo non includitur cogitatio, & sine illa fiunt, v. g. assensus primorum principiorum, quibus propositis statim sine vlla cogitatione, aut inquisitione illis assentimur. Alij verò sunt actus intellectus, in quibus necessariò vel includitur cogitatio, vel antecedit. v. g. assensum scientificum conclusionis præcedit cogitatio, & inquisitio medij: ipse verò assensus scientificus cùm sit certus & euidens, non includit in sua ratione formali actum cogitationis, quia cogitatio se habet vt via, & sic imperfectionem includit: assensus verò scientificus se habet vt terminus & perfectio, quia est acquisitio veritatis cum euidentia. Contingit autem vt cogitatio intellectus includatur, & inuoluatur in ipso assensu, vt in assensu opinatiuo, vel quando est actus suspicionis, vel dubitationis: in his enim actibus cùm intellectus non conuincatur euidentia veritatis, neque illam assequatur, plenè non est omnino determinatus, sed est quasi in via ad veritatem, & in quadam suspensione. Videns ergo Augustinus, intellectum reddi certum per assensum fidei circa credibilia, & nihilominus non peruenire ad euidétiam veritatis inclusæ in illis, quia iuxta Paulum in ænigmate ambulamus, anhelantes, & desiderantes claram Dei visionem, ideo credere descripsit per assensum intellectus, in quo includitur cogitatio; ac si apertiùs diceret, actum fidei, scilicet credere, non esse sicut actum scientificum: nam quamuis credere sit assensus intellectus certus & firmus, sicut assensus scientificus, hic verò, quia est cum euidentia, non includit cogitationem, aut inquisitionem, quia iam intellectus peruenit ad euidentiam veritatis: at credere cùm innitatur auctoritate dicentis, aut reuelantis, & non ipsa euidentia veritatis, ideo est assensus includens cogitationem, seu ortus ex illa cogitatione congrua.

2. Idem verò Augustinus tract. 29. in Ioannem, & serm. 181. de tempore, distinguit actum credendi, per credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum: quam distinctionem explicat rectè Durandus in 3. dist. 23. quæst. 7. vbi ait, obiectum fidei tripliciter se habere ad actum credendi. Primo modo, vt quod creditur, secundò vt ratio credendi, tertiò verò vt finis. Dicit ergo, quòd credere Deum importat habitudinem actus fidei in Deum, tanquam in id quod creditur, credere verò Deo, importat habitudinem eiusdem actus ad Deum, tanquam in rationem credendi. Credere denique in Deum, importat habitudinem actus credendi in Deum tanquam in finem, quam fides ipsa demonstrat. Sed clariùs D. Thom. art. 2. explicat prædictam distinctionem. Nimirum obiectum fidei posse tripliciter considerari, vno modo materialiter, id est, pro illo quod terminat actum fidei: & iuxta hanc considerationem dicitur credere Deum, nam nihil terminat actum fidei, nisi Deus, vel id quod dicit ordinem ad Deum. Alio modo consideratur obiectum fidei formaliter, id est, pro ratione formali, quæ est ratio credendi, & iuxta hanc considerationem dicitur credere Deo, nam prima veritas, vt reuelàs est ratio formalis per quã credimus reuelatis. Tertiò denique obiectum fidei consideratur, prout dicit ordinem ad intellectum quatenus mouetur à voluntate; & iuxta hanc considerationem dicitur credere in Deum. Hic enim modus loquendi addit relationem in ipsum mer Deum tanquam in vltimum finem, ad quam relationem est necessarius aliquis actus voluntatis, per quem illa relatio fiat. Ex quo fit, ad hæc tria membra non esse necessarios plures actus; nam eidem actui potest competere triplex illa habitudo; Deus enim est obiectum materiale, & formale fidei, & præterea finis vltimus in quem ipsa fides referenda est. Quibus positis, sit

Prima conclusio. Assensus fidei pendet ab affectu voluntatis, qui pia affectio vocatur, non solùm quantum ad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Ita D. Thom. quæst. 1. art. 4. & q. 2. art. 1. & quæst. 4. art. 5. & D. Bonauent. in 3. dist. 23. art. 1. quæst. 2. & Recentiores communiter, & colligitur apertè ex verbis Christi Marci vltimo. *Prædicate Euangelium*, &c. *Qui crediderit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et ad Roman. 10. *Corde creditur ad iustitiam.* Cor autem inuoluit actum voluntatis. Vnde Augustinus tract. 26. in Ioannem ait: *Multa potest facere homo non volens, credere autem non potest nisi volens.* Idem colligitur ex Concilio Arausicano cap. 5. vbi asserit. *Affectum credendi esse initium fidei, quo in eum credimus, qui iustificat impium.* 3. Matth. vlt. Rom. 10. August. Conc. Arauf.

Et ratione probatur primò, quia de essentia obiecti formalis fidei est, vt sit omnino obscurum, nimirum diuinum testimonium non visum: ergo non potest determinare intellectum ad assensum, quia hic nequit determinari ab obiecto, nisi euidens sit: ergo debet moueri à voluntate. Secundò probatur, quia actus fidei, qui est initium nostræ iustificationis, debet esse liber, vt constat ex Trident. sess. 6. cap. 6. his verbis: *Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati diuina gratia, & adiuti fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum, credentes vera esse quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt*; sed non potest esse liber nisi interueniat actus voluntatis, à qua formaliter prouenit omnis libertas: ergo, &c. 4. Trident.

Secunda conclusio. Ad assensum fidei necessariò requiritur actualis affectus, nec sufficit habitualis. Vnde non satis est voluntatem non repugnare, sed vlterius requiritur vt volũtas per actum positiuum moueat intellectum. Probatur, quia intellectus non habet immediatam libertatem in suos actus, sed illos efficit necessariò, determinatus aut à voluntate, aut ab obiecto: ergo necessaria est aliqua causa positiua illius determinationis, cùm non possit esse ipse intellectus præcisè, quia non est potentia formaliter libera: ab obiecto autem determinari non potest, quia ex parte obiecti intellectus non determinatur nisi per euidentiam, quæ nequit esse in obiecto fidei; quia cùm obiectum sit obscurum, non valet conuincere intellectum, ac proinde est impotens 5.

ad illum determinandum: ergo neceſſe eſt vt determinetur per voluntatem.

6. Obiicies primò, quia vnaquæque potentia poteſt ferri in obiectum ſuum tibi ſufficienter propoſitum: cùm ergo obiectum fidei ſufficienter proponatur intellectui, non indiget imperio voluntatis ad hoc vt in illum feratur. Reſpondetur negando ſufficere propoſitionem obiecti, vt intellectus præbeat aſſenſum, niſi ab aliquo principio habente efficaciam determinetur, quia cùm non ſit potentia libera, nequit à ſe ipſa determinari, niſi ab alio determinetur.

7. Obiicies ſecundò, quia nulla potentia poteſt moueri niſi à ſuo obiecto: ergo vel obiectum formale fidei obſcurè propoſitum, eſt ſufficiens ad mouendum intellectum; ſicque neceſſarius non eſt affectus voluntatis, vel non eſt ſufficiens. In quo caſu talis defectus non poteſt ſuppleri à ſolo imperio voluntatis. Patet conſequentia, quia imperium hoc non ſe tenet ex parte obiecti formalis. Reſpondetur obiectum fidei obſcurè propoſitum ſufficiens eſſe ad mouendum intellectum, quando prudenter proponitur, ſi aliàs ſubiectum diſponatur per pium voluntatis affectum: nam cùm res fidei ſint valde difficiles, & ſupra omnem rationem naturalem, poſtquam quis eas audiuit, neceſſarius eſt peculiaris affectus voluntatis, quo intellectus determinetur ad aſſentiendum. Pro quo nota cum Ægidio diſp. 13. dub. 4. obiectum reſpectu noſtri intellectus tripliciter poſſe ſe habere. Primò, ita vt propter euidentem omnino veritatem ipſum penitus conuincat, & neceſſitet ad aſſentiendum. Secundò, vt nulla probabilis ratio appareat mouens illum ad aſſentiendum, in quo euentu nequit ei aſſentiri, quia obiectum intellectus eſt verum: ac proinde niſi ſit ratio, & medium, per quod appareat verum, nequit elicere aſſenſum, quia non poteſt operari niſi circa ſuum obiectum: ſicut voluntas non poteſt amare, quod ei non obiicitur, vt bonum. Tertiò, itavt appareat ratio aſſentiendi, obſcura tamen, & quæ intellectum non conuincat, nec ex ſe eum determinet; & tunc indiget determinari à voluntate, quæ intellectum applicat, vt illam rationem apprehendat, eáque ad aſſenſum moueatur: qua ratione in aſſenſu fidei voluntas mouet intellectum, vt fortiter apprehendat teſtimonium Dei, eóque ad aſſenſum moueatur, ea firmitate, & ratione, qua ei per ſe aſſentiri non poſſet.

8. Tertia concluſio. Hic affectus voluntatis eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Et in primis quòd non poſſit eſſe naturalis facilè demonſtratur, quia ſi eſſet ex viribus naturæ, iam initium noſtræ ſalutis eſſet ex nobis, & non ex gratia: quod eſt contra fidem. Sequela probatur, quia initium noſtræ ſalutis eſt fides; ſed initium fidei eſt hæc voluntas: ergo ſi hæc voluntas eſſet ex nobis, hoc eſt, ex viribus noſtris, iam nos per nos ipſos noſtræ ſaluti initium daremus. Et cùm hæc voluntas ſit vltima diſpoſitio ad donum fidei, ſi hæc voluntas viribus naturæ eliceretur, homo per eaſdem vires vltimò ſe diſponeret ad donum gratiæ, quod implicat, vt docet fides. Quòd verò ſit ſupernaturalis, videtur manifeſtè diffinitum in Concilio Arauſicano cap. 7. vbi dicitur: *Si quis ſicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipſum credulitatis affectum, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium, & ad regenerationem baptiſmatis peruenimus, non per gratiæ donum, id eſt, per inſpirationem Spiritus ſancti corrigentem voluntatem noſtram, ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, & naturaliter nobis ineſſe dicit, Apoſtolicis dogmatibus contrarius approbatur.* Conc. Araus. Quòd denique ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, probatur, quia actus fidei eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam: ergo ſimiliter illa voluntas, ſeu credulitatis affectus. Antecedens eſt manifeſtum ex illo Ioan. 6. *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum.* Ioan. 6. Nam ſtatim exponit, venire ad Chriſtum eſſe credere: *Sunt quidam ex vobis qui non credunt, propterea dixi: Nemo poteſt venire ad me, niſi ei datum fuerit à Patre meo.* Et poſtea ſubiungit: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in ipſum.* Et ad Epheſ. 2. *Saluati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis: donum Dei eſt, ne quis glorietur.* Epheſ. 2. Idem colligitur ex Concilio Arauſicano ſuprà relato, vbi aſſeritur. *Qui fidem qua in Deum credimus dicunt eſſe naturalem, omnes eos qui ab Eccleſia Chriſti alieni ſunt, quodammodo fideles eſſe definiunt.* Conc. Araus. Conſequentia verò probatur. quia ideo fides eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, quia poſitiuè confert ad iuſtificationem, vt medium per ſe ad illam conducens; ſed illa voluntas per ſe confert ad iuſtificationem vt medium: ergo eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Et confirmatur tam ex obiecto materiali huius actus, quàm ex obiecto formali. nam obiectum illius eſt ipſe actus credendi, qui, vt diximus, eſt ſupernaturalis ſecundùm ſubſtantiam. Ratio verò motiua eſt honeſtas illius obiecti, quæ etiam eſt ordinis ſupernaturalis.

9. Obiicies, quia videtur valde difficile explicare ad quem habitum pertineat eiuſmodi credulitatis affectus. Reſpondetur pertinere ad ſpecialem virtutem moralem ab aliis diſtinctam, quæ poteſt conuenienter appellari, habitus piæ affectionis ad res fidei, in ipſa vtique voluntate reſidens. Et in primis oſtendo hunc habitum eſſe in voluntate neceſſarium, quia ſicut intellectus per ſuas vires eſt naturaliter impotens ad eliciendum aſſenſum fidei, ita voluntas naturaliter eſt impotens, vt eliciat actum imperantem prædictum aſſenſum; quia, vt manet probatum, actus hic eſt ſupernaturalis, nec poteſt elici ex ſolis naturæ viribus: ergo ſicut in intellectu ponitur habitus fidei infuſus, quo perficiatur intrinſecè, & fiat potens elicere aſſenſum fidei; ita ſimiliter conſtituendus eſt in voluntate habitus infuſus, quo intrinſecè perficiatur, & fiat potens ad eliciendum actum illum ſupernaturalem. Quòd verò hic habitus ſpectet ad ſpecialem virtutem ab aliis diſtinctam, probatur, quia fertur in obiectum formale diſtinctum, ab obiectis formalibus aliarum virtutum, reſpicit enim in illo peculiarem honeſtatem ad nullam aliam virtutem pertinentem, nimirum quia ex ipſa honeſtate credendi imperat aſſenſum fidei: valde enim honeſtum eſt, humiſſimè adhærere primæ veritati, & ei ſubiicere noſtrum iudicium, & captiuare intellectum in obſequium fideiatque adeò voluntas quæ talem actum imperat, nequit non eſſe honeſta.

SECTIO

Sectio II.

An actus credendi possit inhonestè fieri.

10. Conclusio est negatiua. Actus fidei, sicut etiam quilibet actus supernaturalis, non potest vitiari, nec fieri malus, & peccaminosus. Ita Vasquez 1. 2. disp. 53. cap. 4. Suarez, Turr. & plures Recentiores in hoc loco, & Pontius 1. p. variarum relect. 2. & probatur primò apertissimo testimonio D. Augustini lib. de catechizan. rud. cap. 5. vbi ita ait. *Rarissimè quippe accidit, imò verò nunquam, vt quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus: si enim aliquod commodum expectando ab hominibus, aut incommodum deuitando, quorum offensionem, aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus, non vult fieri potius, quàm fingere: fides enim non est res salvandi corporis, sed credentis animi; sed planè sæpe adest misericordia Dei per ministerium catechizandis, vt sermone commotus iam fieri velit, quod decreuerat fingere.* Quibus verbis apertè sentit Augustinus, non veram habere fidem, sed fingere, qui ob consequendum commodum temporale, vel ob vitandum incommodum, vult fieri Christianus.

11. Deinde quòd actus fidei non possit esse intrinsecè malus, facilè ostenditur, quia actus fidei est supernaturalis secundùm substantiam, & consequenter ex gratia Christi: ergo implicat quòd sit intrinsecè malus. Patet consequentia, quia gratia Christi non datur nobis ad peccandum; neque Christus fuit mortuus, vt impetraret nobis actus quibus damnaremur, sed potiùs fuit mortuus vt nos à peccatis liberaret, & impetraret omnes actus supernaturales. Aliàs Deus esset auctor peccati, quia Deus est auctor specialis omnis entitatis supernaturalis: nam ad actus supernaturales non concurrit, vt causa vniuersalis & physica, sicut ad actus peccaminosos; sed concurrit vt causa specialis præueniendo, excitando, & adiuuando potentiam auxiliis supernaturalibus, & eleuando eam vt illos possit elicere. Esset etiam causa moralis, quia sæpe ad illos nos inuitat, & præcipit. Et hæc ratio similiter conuincit, affectum illum voluntatis, de quo egimus sectione præcedenti, imperantem assensum fidei, non posse esse intrinsecè malum, nec peccaminosum, quia similiter est in substantia supernaturalis, & ex Christi gratia procedens.

12. Quòd verò hic affectus, vel etiam assensus fidei, non possit vitiari ab extrinseco ex aliquo prauo fine, probatur, tum quia talis affectus prauus non transcenderet ordinem naturæ, ac proinde non posset imperare, seu mouere ad supernaturaliter volendum, & ex naturali motiuo. Tum etiam, quia actus imperatus voluntatis, qui est propter ipsum, hoc est, propter finem, non habet à præcedente actu rationem liberi, quæ ratio est fundamentum generis moris; ac proinde nec bonitatem, nec malitiam, sed tantùm à voluntate à qua immediatè elicitur; atque ita ab ea accipit quidquid habet bonitatis, aut malitiæ, & non ab alio. Quæ doctrina sumitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 18. art. 6. vbi in hoc distinguit actum externum ab interno voluntatis, quòd ille possit ab hoc moraliter informari, atque ita dum ab eo ad finem extrinsecum ordinatur ab eodem bonitatem accipere; actus verò internus voluntatis non potest ab alio imperante moraliter informari, nec bonitatem, aut malitiam ab eo accipere. Cuius rei rationem reddit, quia cùm actus externi in se non sint liberi, nec habeant ex se formaliter esse morale, necesse est vt vtrumque accipiant ab actu voluntatis eos imperante, cum quo constituunt vnum actum in genere moris. Secus verò est in omni actu voluntatis, qui quantumcumque ab alio imperetur, manet tamen in se formaliter liber; ac proinde proprium esse morale, & propriam bonitatem, aut malitiam; & ideo ab actu imperante nequit informari, nec bonitatem, aut malitiam sumere.

13. Obiicies ex D. Augustino de catechizandis rudibus cap. 17. *Multi fiunt Christiani ob commoda temporalia, aut ex alia prava voluntate, & ex simili voluntate validè suscipiunt baptismum*; ergo ex sententia Augustini actus fidei potest ab extrinseco vitiari ex aliquo prauo fine. Respondetur, Augustinum non sibi esse contrarium in hoc loco his quæ docuerat cap. 5. Vnde quando asserit aliquos velle fieri Christianos ob temporalia commoda, intelligendus est de externa professione, de quibus iam dixerat potius fingere susceptionem fidei, quàm verè esse fideles, quia sine vera fide possumus suscipere baptismum, & exteriùs velle videri Christiani, siue Christianam fidem profiteri. August.

14. Obiicit secundò, Ripalda de ente supernaturali disp. 50. sect. 2. Qui actus supernaturalis fidei potest fieri ex intentione turpi: ergo potest deturpari. Antecedens probat, quia existente voluntate cum omnibus requisitis proximè parata ad actum supernaturalem misericordiæ, v. g. & idem est de actu fidei, potest homo affectu gloriæ vanæ, aut alterius commodi temporalis, velle existentiam illius; quia intentio gloriæ vanæ, & actus misericordiæ non respiciunt obiecta contradicentia, nec incompatibilia; & aliunde actus misericordiæ potest conducere ad finem intentionis vanæ: ergo actus misericordiæ potest fieri ex fine turpi. Quod confirmat ex verbis illis Matth. 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Vbi Christus Dominus prohibet iustitiam nostram fieri ex appetitu laudis humanæ. Quibus verbis comprehendit, non solùm opera externa, verùm etiam interna virtutum. Matth. 6.

15. Huic obiectioni rectè respondet Hurtado disp. 46. sect. 3. in eo euentu affectum illum gloriæ vanæ, non posse imperare actum supernaturalem, sed ex illo sequi alios actus naturales malos, supernaturales autem nec esse, nec non esse ob tale imperium, sed esse cum illo, aut non esse, non secus ac si tale imperium non esset: quod explicat rectè per scientiam mediam. Nam Deus per hanc scientiam præuidet Petrum pulsatum hac vocatione supernaturali esse creditutum provt oportet ad salutem. Deinde Deus absolutè vocat Petrum ea vocatione, & Petrus credit infallibiliter, & credulitas adæquatè oritur à principiis supernaturalibus. Ponamus tunc Petrum exercere actum reflexum malum, quo vult credere ob gloriam inanem: hic actus per accidens est credulitati supernaturali, quia & sine illo visa est credulitas sub conditione extitura, nec ille eam inferret (cùm sit ordinis naturalis, & credulitas sit supernaturalis secundùm substantiam) nisi independenter ab illo esset exercenda. Et eodem modo philosophandum est de misericordia, & aliis actibus supernaturalibus. Vnde Christus

Dominus Matth. 6. tantùm loquitur de operibus externis virtutum, non verò de actibus internis ſupernaturalibus: hi enim nec ſunt, nec eſſe poſſunt ob tale imperium.

16. Obiicit tertiò, quia qui ex fine extrinſeco humanæ gloriæ venialiter tantùm malo, accedit ad confeſſionem ſacramentalem, cum vera attritione ſupernaturali, validè ſuſcipit abſolutionem: ergo reuera poteſt actus ſupernaturalis fieri ex affectu malo, ac per conſequens eſſe extrinſecè malus. Reſpondetur actum ſupernaturalem deteſtandi peccata, nullo modo vitiari poſſe; actus verò externus exponendi illa Sacerdoti, qui quidem actus eſt naturalis quoad ſubſtantiam, quia tantùm eſt vocalis expreſſio peccatorum, bene poſſe vitiari, ſi ex vitioſo affectu procedat.

17. Denique obiicit, quia poteſt Deus prohibere actus ſupernaturales; cùm enim Deus poſſit velle actui ſupernaturali carentiam exiſtentiæ, apertè ſequitur poſſe prohibere illum, quia ad prohibendum actum ſupernaturalem ſufficit Deo velle carentiam actus, & hanc voluntatem homini vt ſubdito intimare. ergo poteſt Deus illum prohibere; poteſtque homo mandatum hoc Dei, ſicut & quoduis aliud violare: ergo poteſt actus ille ſupernaturalis malus eſſe, & peccatum, & re ipſa erit, ſi eo tempore exerceatur. Reſpondetur quòd licèt concedamus poſſibile eſſe præceptum vetans actus ſupernaturales, tedderetur tunc impoſſibile actuum illorum exercitium; ac proinde eſſe impoſſibile vt actus illi mali reddantur ex talis præcepti violatione, quia Deus non poſſet non denegare gratiam, & auxilium præueniens neceſſarium ad eliciendos tales actus: aliàs Deus daret gratiam ad peccandum, quod eſt impoſſibile.

Sectio III.

An fides ſit certior quauis alia cognitione naturali.

18. CErtitudo prout de ea in præſenti loquimur, eſt firma adhæſio intellectus circa aliquod obiectum verum excludens omnem formidinem, dubitationem, ſeu periculum falſitatis. Et in hoc ſenſu ſit concluſio affirmatiua. Certitudo fidei eſt maior quauis alia cognitione naturali quantumcumque euidenti. Et videtur eſſe D. Auguſtini 7. Confeſſionum cap. 10. vbi ait. *Facilius dubitarem viuere me, quàm eſſe vera quæ audiui.* Auguſt. Conſonat Chryſoſtomus homilia 21. ſuper illa verba: *Fides eſt argumentum non apparentium*; id eſt, maiorem certitudinem de illis faciens, quàm de his quæ videntur. Et colligitur manifeſtè ex illis verbis 2. Petri 1. *Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cùm eſſemus cum ipſo in monte ſancto. Et habemus firmiorem propheticum ſermonem*, &c. 2. Petr 1. Et probatur rectè à Suario ſect. 5. quia certitudo fidei nititur altioribus cauſis, aut principiis, quàm quælibet ſcientia naturalis, nimirum prima veritate, quam impoſſibilius eſt fallere, vel falli, quàm naturalem ſcientiam hominis errare: deinde pendet ex lumine infuſo & diuino, quod longè præſtantius eſt, & excellentiorem certitudinem confert, quàm lumen naturale intellectus; atque adeò hoc ſæpe corrigitur per illud, etiam circa prima principia naturalia, vt conſtat in illo principio: *Quæcumque ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe*, quod in materia de Trinitate limitatur ad res finitas. Et denique quatenus fides pendet ex voluntate, nititur ſpeciali motione Spiritus ſancti, quæ etiam eſt magis efficax ad præſtandam excellentiorem certitudinem.

19. Obiicies, quia ille aſſenſus eſt certior, quo intellectus firmiùs adhæret obiecto, & minus dubitationis admittit: talis autem videtur eſſe aſſenſus ſcientificus reſpectu ſcientiæ, quia aſſenſus ſcientificus excludit omnem formidinem & dubitationem, cogit intellectum, & eſt omnino neceſſarius: at aſſenſus fidei poteſt eſſe cum aliqua dubitatione ſaltem repentina & indeliberata, & eſt omnino voluntarius & liber, nec intellectum cogens. Reſpondetur motus illos dubitationis inuoluntarios, non ſemper arguere minorem certitudinem aſſenſus, ſed tantùm minorem obiecti euidentiam. Quòd verò hæc cogat intellectum, aſſenſus verò fidei non cogat, ſolum probat certitudinem fidei eſſe alterius rationis à certitudine euidentiæ; non verò quòd ſit maior, aut perfectior, quàm certitudo fidei.

20. Ex his infertur, aſſenſum fidei diuinæ nulla ratione niti diſcurſu, ſed immediatè aſſentiri reuelatis propter teſtimonium primæ veritatis, abſque vllo reſpectu ad euidentiam, ſeu aſſenſum conſequentiæ: quia, vt prædictum eſt, aſſenſus fidei præſtantior, & certior eſt, quauis alia cognitione naturali quantumcunque euidenti: quod verum eſſe non poſſet, ſi niteretur diſcurſu; quia nullus aſſenſus poteſt eſſe certior ſua ratione formali qua nititur; nec in bona argumentatione aſſenſus concluſionis, poteſt eſſe certior aſſenſu conſequentiæ: certitudo enim principij eſt per ſe; certitudo verò concluſionis eſt ab alio, & per aliud deriuata, & ipſa deriuatione minuitur: ergo ſicut intra certitudinem luminis naturalis, minor eſt certitudo concluſionis, quàm principij, quia deriuatur ex principio vi conſequentiæ, & media forma ſyllogiſtica: idem dicendum eſſet intra latitudinem certitudinis ſupernaturalis, videlicet minorem eſſe certitudinem concluſionis. Patet conſequentia, quia aſſenſus fidei tanquam ratione formali nititur cognitione naturali bonitatis conſequentiæ illius ſyllogiſmi: ergo nó poterit eſſe certior illa, ſed multo minor, vtpote quæ deriuatur ab alio & per aliud, ac proinde ipſa deriuatione minuitur. Et confirmatur, quia eadem fide credimus propter teſtimonium primæ veritatis, Deum reuelaſſe ſe eſſe trinum & vnum, qua credimus hoc eſſe verum; ſed illud non credimus per aliquod diſcurſum: ergo neque hoc. Vnde quamuis in aſſẽſu fidei expreſsè vel tacitè, poſſit fieri hic diſcurſus, & interuenire iſtæ propoſitiones: Quidquid Deus dicit eſt verũ: Deus dicit ſe eſſe trinum & vnum: ergo eſt verum. Nihilominus aſſenſus fidei non eſt illius cõcluſionis, vt deductæ ex illis præmiſſis, ſed quatenus ſimul cum illis attingitur eodem aſſenſu per modum vnius obiecti, ob teſtimonium primæ veritatis.

Sectio IV.

An fides omni tempore fuerit neceſſaria ad ſalutem, & iuſtificationem.

21. CVm duplex ſit neceſſitas, alia medij, alia verò præcepti, nunc loquimur de neceſſitate medij, nam de neceſſitate præcepti infrà erit ſermo. Et in primis reiiciendus eſt error Manichæorum aſſerentium, nihil eſſe credendum, quod non poſſit

naturali

naturali lúmine clarè demonstrari, vt refert D. Augst. lib. de vtilitate credendi lib. 1. Quorum error manifestè repugnat rationi naturali, quia omnino tollunt hominum societatem & conuictum, qui in mutua fide consistit: tollunt etiam ordinem Tribunalium, qui fide testium nititur, & præterea omnem pietatem; quomodo enim vir posset esse certus hunc esse filium suum, si nihil est credèndum nisi quod manifestè apparet. Vnde si in humanis est necessaria fides, multo magis in diuinis. legatur Augustinus loco citato.

19.

22. Inter Doctores verò Catholicos Vega lib. 6. in Tridentinum cap. 20. existimat, in lege naturæ, & etiam hoc tempore, omnes qui ignorant inuincibiliter Euangelium, posse iustificari sola cognitione naturali ex parte intellectus, ita vt ex hac parte non sit necessarium lumen fidei, quo illustretur: ex parte verò voluntatis si seruent legem naturalem iustificabuntur. Quam doctrinam priùs tradiderat Sotus in prima editione lib. 2. de natura & gratia, cap. 12. & prudenter retractauit in editione secunda Salmantina. Vnde hæc sententia

20. nullo modo est admittenda.

23. Sit ergo conclusio. Nullus post Adæ peccatum potest iustificari absque fide supernaturali, hoc est, quæ nitatur auctoritate Dei reuelantis tanquam obiecto formali; ac proinde loquendo de lege ordinaria, post lapsum primi parentis: fides omni tempore fuit simpliciter necessaria necessitate medij ad iustificationem. Hæc conclusio videtur esse de fide, nam Paulus ad Galat. 5. ex professo probat ad iustificationem non sufficere circuncisionem, aut præputium, id est, opera ex lege, aut natura facta, sed requiri fidem supernaturalem. Inquit enim:

Gal 5. *In Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ per charitatem operatur.* & ad Hebr. 11.

Hebr. 11. *Fide Enoch translatus est: ante translationem enim testimonium habuit placuisse Deo; sine fide autem impossibile est placere Deo.* quòd verò loquatur de fide supernaturali ex gratia per Christum, constat ex initio & fine capitis 10. vbi dixerat: *Iustus autem meus ex fide viuit*, quam sic diffinit cap. 11. *est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*, vbi manifestè constat, non diffinire scientiam aliquam naturalem, quæ propter euidentiam non est rerum non apparentium. & subdit vt placeamus Deo necessariam esse fidem, qua credamus Deum esse remuneratorem iis, qui ipsum inquirunt: quod satis constat intelligendum esse de remuneratione supernaturali; quam fideles post hanc vitam sperant.

24. Secundò idem probatur ex Tridentino sess. 6.
Trident. cap. 6. vbi dicitur: *Cùm verò Apostolus dixit, iustificati per fidem, &c. ea verba in eo sensu accipienda sunt, quem perpetuus Ecclesia consensus tenuit, scilicet quòd ex fide dicamur iustificari. nam fides est initium & fundamentum nostræ salutis, & prima radix iustificationis nostræ.* Quòd autem Tridentinum loquatur de fide supernaturali, constat ex Canone 3. *Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Idem constat cap. 7. vbi dicitur: *Iustificatio fieri per sacramentum Baptismi, quod est sacramentum fidei, sine qua nulli vnquam contigit iustificatio.* Baptismus autem non est Sacramentum

25. fidei naturalis, sed Christianæ & supernaturalis. Idem sæpissimè docet D. Augustinus contra Pelagianos, & apertè habetur Ioann. 6. *Nemo potest*

Ioan. 6. *venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* vbi, vt suprà ostendimus, Christus agit de accessu per fidem.

Hæc autem conclusio ita intelligenda est, vt 25.
parulis antequam ad vsum rationis perueniant, sit fides necessaria in habitu; adultis verò etiam secundùm actum, vt gratiam iustificationis acquirant. nam nulli adulto & ratione vtenti potest iustificatio contingere, nisi iustificationem speret, & de peccatis doleat, ac Deum super omnia diligat: hæc autem nullo modo esse possunt sine actu fidei supernaturalis, quo credat & Deum esse, & posse omnia hæc bona illi conferre.

Obiicies ex hac doctrina sequi, qui inuincibiliter 26.
fidem ignorant, non habere sufficientia media ad salutem, & quantumuis bene viuendo conarentur salutem assequi, esse eis omnino impossibile: quod est omnino falsum, quia media simpliciter necessaria ad salutem omnibus adultis sunt possibilia: Deus enim vult omnes homines saluos fieri, ac proinde omnibus dat sufficientia media ad salutem, & à nullo exigit aliquid illi impossibile vt saluari queat: nec facienti quod est in se viribus naturæ, denegat gratiam suam. Respondetur, quòd etiam si admittamus dari posse in aliquibus infidelibus ignorantiam fidei inuincibilem, & concedamus vt concedendum est, omnibus adultis conferri in hac vita auxilia sufficientia ad salutem, non rectè inde infertur, infidelem ignorantem fidem inculpabiliter posse per cognitionem naturalem, vel per vires naturæ saluari: sed in eo euentu infidelem illum illuminaturum vel à solo Deo, vel per Angelum de fide supernaturali. Neque hoc esse nouum miraculum, vt contendit Vega, nec dicitur sine sufficienti fundamento: cùm enim Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & hoc fieri sine fide impossibile sit, rectè inferimus, Deum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, sua fide illuminaturum, eum qui ex parte sua impedimentum non ponit, sed quantum potest ad hoc se disponit: neque hoc est nouum miraculum, sed potiùs spectat ad prouidentiam Dei, non denegare gratiam propter merita Christi facienti quod est in se, non obiiciendo impedimentum gratiæ Dei. Imò facienti quod est in se viribus naturæ non ob meritum aliquod, hoc enim nullum est in sola natura ad gratiam, vt alibi latiùs docuimus.

Sectio V.

Quorum mysteriorum debeat quis actualem fidem habere ex necessitate medij.

QVia huiusmodi voces implicitè, & explicitè 27.
credere, passim inculcandæ sunt, priùs oportet illas explicare vt in quo sensu loquamur faciliùs innotescat. Implicitè ergo credere, est confusè in communi & indistinctè alicui rei assentire, vel quatenus virtute continetur in alia propositione quam distinctè credimus. Explicitè verò credere idem est, quod distinctè & in particulari. Vnde fides explicita dicitur, per quam res in se, & sub propria ratione creditur: fides verò implicita appellatur, per quam res in alio vniuersali, vel materiali obiecto contenta, creditur.

Et conueniunt Doctores, omni tempore fuisse 28.
necessarium, credere Deum esse, & remuneratorem esse, vt expressit Paulus ad Hebr. 11. Quia cùm

homo dirigatur in Deum per intellectum & voluntatem, cognoſcendo ſcilicet, & amando, vtumque inſinuauit Apoſtolus in illis verbis: *Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt: hoc enim ad intellectum fidei illuſtratum pertinet, & quia remunerator eſt, quod pertinet ad voluntatem.* Hebr.11. Secundò omni tempore fuit neceſſarium credere, Deum eſſe verum Deum, vnum, increatum, & omnipotentem, & habentem eſſe à ſe: aliàs non crederetur verus Deus, ſed quid aliud quod Deus non eſſet. Tertiò fuit etiam neceſſarium credere, Deum eſſe creatorem hominum, & omnium rerum. Ratio huius eſt, quia ad fidem pertinent cultus & Religio exterior, quibus profitemur Deum eſſe Dominum: ſi ergo quis non crederet Deum eſſe hominum conditorem, cui ratione creationis & dominij, honor & cultus debetur, nequaquam illum colendum & venerandum exiſtimaret: ac per conſequens ſublata fide huius articuli, quòd Deus videlicet ſit creator, omnis cultus omniſque religio tolleretur. Quartò Deo virtutem placere, & vitia odio eſſe; ac proinde eſſe vindicem peccatorum, & remuneratorem bonorum operum: aliàs non haberet de Deo cognitionem neceſſariam, quæ ipſum a vitiis ad virtutem conuertat, ſiue quæ in ipſo ſit nata excitare deteſtationem peccatorum. Quintò animæ immortalitatem & vitam futuri ſeculi. Ratio eſt, quia ſecundùm Paulum, omni tempore oportuit credere Deum eſſe remuneratorem ſe inquirentium: quod certè credi non potuit, niſi animæ immortalitas crederetur; fieri enim nequit, quòd quis habeat fidem rerum ſperandarum, & quòd credat ſe omnino interiturum, & ipſius animam ſimul cum corpore perituram. Denique etiam fuit neceſſarium omni tempore credere articulum iuſtificationis, & remiſſionis peccatorum: quia aliàs non poſſet homo Deum placare per pœnitentiam, & ab ipſo remiſſionem peccati poſtulare, ſi non crederet Deum in particulari iuſtificare. Difficultas ergo eſt de duobus myſteriis, nimirum de Trinitate diuinarum perſonarum, & Incarnatione Verbi diuini, an omni tempore fuerit neceſſarium neceſſitate medij ad obtinendam iuſtificationem hæc explicitè credere.

29. Prima concluſio. Ante Chriſti aduentum non erat neceſſarium ad iuſtificationem neceſſitate medij explicitè credere myſterium Trinitatis: aut Chriſtum futurum verum Deum & hominem, & ſua morte nos liberaturum à peccatis; fuit tamen neceſſaria fides implicita horum myſteriorum. Ita communiter Theologi cum D. Thoma in hoc loco quæſt. 1. art. 7. & quidem quòd fides explicita Chriſti non fuerit neceſſaria, ſatis manifeſtè colligitur ex ſacra Scriptura ad Epheſ. 3. vbi dicitur. Epheſ.3. *Myſterium Incarnationis Chriſti, & mortis ipſius, non fuiſſe agnitum ſuperioribus ſeculis.* & infrà ſubiungit Apoſtolus, ſibi commiſſum euangelizare gentibus, *inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi a ſeculis in Deo*; nunc autem manifeſtatum Sanctis eius: quæ verè dici non poſſunt, ſi hæc myſteria in lege antiqua fuiſſent ſufficienter reuelata, & omnibus credenda propoſita. Quod ſatis innuit Tridentinum ſeſſ. Trident. 6. cap. 6. dum ait, *quibuſdam Sanctis reuelatum fuiſſe ſpecialiter myſterium Incarnationis.* Quibus verbis ſatis ſignificat, reſpectu communis populi hoc myſterium fuiſſe occultum. Et confirmatur Actorum 10. vbi de Cornelio dicitur fuiſſe virum iuſtum, & religioſum, ac timentem Deum, cuius preces & eleemoſynæ aſcendebant coram Deo; & tamen tunc Cornelius non habebat explicitam notitiam Chriſti. nam poſtea à Petro fuit de illa inſtructus: ergo abſque explicita notitia Chriſti ante promulgationem Euangelij, potuit ſtare iuſtitia.

Quòd verò fuerit neceſſaria hæc notitia ad iuſtificationem neceſſitate medij, probatur, quia nullus vnquam fuit iuſtificatus, & de peccato ad gratiam tranſlatus, niſi per Chriſtum, vt dicitur in Tridentino ſeſſ. 6. Canone 1. Hæc autem gratia non poteſt deriuari ad homines, niſi per fidem Chriſti, vel explicitam, vel implicitam. Vnde Actorum 4. dicitur: *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos ſaluos fieri.* & 1. Ioann. 2. *Mortuus eſt propter peccata noſtra; non ſolùm autem noſtra, ſed etiam totius mundi.* & ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* & ad Hebr. 9. *In redemptionem earum prænaricationum, quæ erant ſub priori teſtamento.* legatur Auguſt. epiſtola 157. ad Optatum, vbi inquit: *Ante incarnationem Chriſti, & poſt incarnationem, neque vixerunt homines, neque viuunt, niſi per fidem ipſius incarnationis.* & Gregorius homilia 17. quod quando Chriſtus ingrediebatur Hieroſolymam, & pueri Hebræorum acceperunt ramos palmarum, qui anteibant, & qui ſequebantur Chriſtum, idem clamabant, dicentes, *Oſanna filio Dauid.* per quod, inquit Gregorius, fuit ſignificatum, *quod qui fuerunt ante incarnationem Chriſti, & poſt aduentum eius, omnes iuſtificati ſunt in fide ipſius.* **30.** Actor. 4. 1. Ioan. 2. Rom. 3. Hebr. 9. Auguſt. Gregor.

Inquires, in quo obiecto continebatur fides Chriſti implicita. Placet mihi in hac re modus dicendi Ægidij, poſt lapſum Adami ſemper fuiſſe ad ſalutem neceſſarium explicitè credere venturum aliquem mediatorem, cuius meritis poſſemus gratiam & ſalutem æternam conſequi, quamuis non eſſet neceſſarium explicitè credere per quem modum eſſet ſalutem hominum operaturus, ſed tantùm implicitè. Ita docet diſput. 14. dub. 9. num. 147. vbi citat plures alios Doctores. Quod probatur apertiſſimo teſtimonio D. Auguſtini lib. 18. de Ciuitate cap. 47. vbi cùm dixiſſet, quoſdam ante Chriſti aduentum etiam ex Gentilibus ſaluos fuiſſe, ſubiungit hæc verba: *Quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui diuinitus reuelatum fuit, vnus mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, qui venturus in carne antiquis ſatis annuntiabatur, quemadmodum nobis veniſſe nuntiatus eſt.* **31.** Auguſt.

Secunda concluſio, quamuis probabile ſit, etiam in lege gratiæ non eſſe neceſſarium ad iuſtificationem, vt quis explicitè credat myſterium incarnationis, & Chriſtum fuiſſe verum Deum & hominem, mortem & reſurrectionem eius, ſed ſufficere implicitè hæc credere, credendo explicitè Chriſtum eſſe mediatorem & ſaluatorem noſtrum; mihi verò probabilius eſt, poſt ſufficientem Euangelij promulgationem neceſſarium eſſe neceſſitate medij, illa omnia credere. Priorem partem amplectuntur plures & graues Doctores, poſteriorem verò ſententiam tenent D. Bonauent. in 3. diſt. 25. quæſt. 2. quem ſequuntur Valentia hic diſput. 1. quæſt. 2. punct. 4. & Sanchez in præcepta lib. 2. cap. 2. & plures alij. Et probatur ex illis verbis Ioann. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Quibus verbis cognitio Chriſti eodem modo dicitur neceſſaria, & via ad vitam æternam, ſicut cognitio Dei: hæc autem neceſſariò debet eſſe explicita. Idem docet Auguſtinus lib. de correctione & gratia cap. 7. cuius auctoritas & teſtimo- **32.** Ioan. 17.

nium

nium in materia iustificationis est magni ponderis: *Si enim*, inquit, *sicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi, & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui dicere poterunt se non audiuisse Euangelium Christi.* quæ verba interpretari nequeunt de fide implicita Christi, vt perperam nonnulli volunt: fides enim implicita Christi, sine prædicatione Euangelij haberi potest.

33. Hoc idem satis confirmat Ecclesiæ praxis, quæ specialiter requirit, vt antequam adultus baptizetur, explicitè, & distinctè instruatur de mysterio Incarnationis, ac de redemptione facta per eius passionem & mortem: quod satis apertè indicat, Ecclesiam sentire nulli adulto posse contingere iustificationem à peccatis sine fide explicita huius mysterij. Nec obstat si dicas, vnumquemque obligari ex præcepto, ad fidem explicitam huius mysterij. Nam cùm multa alia credenda sint de necessitate præcepti, nulla alia ratio assignari potest, cur hanc fidem explicitam requirat ante susceptionem baptismi, & non aliarum rerum credendarum, nisi quia sentit esse necessariam necessitate medij.

34. Obiicies ex Turriano disp. 27. dub. 4. quia cùm fides explicita Christi dicitur necessaria necessitate medij, vel hoc intelligitur ex natura rei, vel ex lege Dei: neutrum autem dicitur cum idoneo fundamento. Non primum, quia ad excitandam contritionem perfectam, & dilectionem supernaturalem, tam in lege antiqua, quàm in lege gratiæ, sufficit fides vnius Dei, & auctoris rerum supernaturalium: hæc enim sufficienter proponit obiectum, vt voluntas possit ex gratia Dei ipsum super omnia diligere, & perfectam contritionem de peccato habere: ac proinde ex parte cognitionis nihil deest ad actum voluntatis; ergo si detur gratia vt principium, poterit voluntas diligere Deum, & odio prosequi peccatum. Deinde neque potest dici hanc necessitatem oriri ex Dei lege, seu ipsius beneplacito; quia nullum est testimonium Scripturæ, ex quo id sufficienter probetur. Respondetur verum esse ex natura rei, posse actum perfectæ contritionis & charitatis erga Deum elici, absque præuia explicita fide Christi: non tamen posse suppositâ diuina lege, qua Deus decreuit, nulli infideli conferre actualia diuinæ gratiæ auxilia, prius quàm per fidem assentiatur iis quæ necessitate medij tenetur assentiri: quam legem deducimus ex argumentis adductis in probatione nostræ conclusionis.

35. Atque eodem modo philosophandum est de fide mysterij sanctissimæ Trinitatis, in quo sunt eædem opiniones. Dicimus ergo ante sufficientem promulgationem Euangelij, non fuisse necessariam ad iustificationem necessitate medij illius explicitam notitiam: secus tamen post Euangelij sufficientem promulgationem. Prior pars ferè ab omnibus admittitur; posterior verò probatur ex illis verbis Marci vltimo. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Super quæ verba D. Bernardus epist. 77. rectè notat, damnandum dici à Christo, qui non crediderit; non verò qui non fuerit baptizatus: quia fides, inquit, quandoque sola sufficit ad salutem, subintellige, si sit viua, & charitate formata; sine ea verò nihil sufficit: in illo autem loco D. Marci agitur de fide explicita Trinitatis: ergo hæc ex sententia Bernardi est necessaria necessitate medij.

SECTIO VI.

Quorum mysteriorum teneatur vnusquisque habere fidem ex necessitate præcepti.

CONueniunt primò Doctores, in omni tempore fuisse supernaturale præceptum credendi aliquid explicitè, quod colligitur apertè ex sacra Scriptura, vbi sæpe reprehenditur incredulitas & infidelitas tanquam graue peccatum. Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur*, & sæpe alibi. Omne autem peccatum supponit præceptum. Deinde, quia omne medium necessarium ad salutem cadit sub præcepto, vt docet communis regula Theologorum: prudens enim gubernator nihil magis subditis præcipit, quàm quod præcisè ad eorum salutem est necessarium: at credere aliquid explicitè, omni tempore fuit medium necessarium ad salutem, vt ostendimus sectione præcedenti. Conueniunt secundò illa omnia quæ fuerunt omni tempore media necessaria ad salutem, scilicet credere Deum esse finem supernaturalem, remuneratorem, & iustificatorem, & cætera quæ loco citato docuimus, semper fuisse etiam necessaria necessitate præcepti; quia si credere quodlibet illorum fuit medium necessarium ad salutem, dubitandum non est quin omissio eius voluntaria, sit sufficiens causa damnationis, & ex consequenti talis omissio peccatum; ac proinde contra præceptum. Difficultas ergo est de statu legis gratiæ, quid scilicet teneantur scire & credere *minores* in Ecclesia de rebus fidei? Vocantur autem *maiores* in Ecclesia, omnes qui habent curam specialem animarum, vt Episcopi, Parochi, &c. & quicumque habent munus docendi res fidei, licèt careant huiusmodi cura, vt Concionatores ex officio, &c. Alij verò omnes, etiam Reges, vocantur minores, & quod inquirimus est, quid teneatur credere explicitè populus in lege gratiæ. 36. Marc. 16.

Prima sententia est, quòd non tenetur explicitè credere aliquem articulum in particulari, sed satis esse implicitè & vniuersaliter credere quod credit Ecclesia. Ita Rosella in summa, verb. fides, & plures ex Canonistis. Secunda sententia est, quòd tenemur explicitè credere omnes & singulos articulos fidei, qui in symbolo Apostolorum continentur in duodecim articulis. Ita plures Recentiores, & videtur expressa sententia D. Thomæ suprà quæst. 1. Tertia sententia asserit, satis esse credere explicitè mysteria illa, quæ continentur in quatuordecim articulis fidei, quæ in Catechismo puerorum circumferuntur. ita Vazquez 1-2. quæst. 76. artic. 2. disp. 121. cap. 2. & Sanchez lib. 2. cap. 3. Quarta verò sententia asserit, teneri omnes fideles ad credendum explicitè aliquos articulos fidei, non verò omnes. ita D. Bonauentura distinct. 25. quæst. 3. & communiter Theologi antiqui; & si inquiras qui articuli sunt explicitè credendi, communior responsio est, eos tantùm esse explicitè credendos necessitate præcepti, qui publicè solemniter cantantur ab Ecclesia: huiusmodi sunt articulus Trinitatis, Incarnationis, Natiuitatis, mortis Christi, Resurrectionis, & Ascensionis ipsius. 37.

Et tanquam certum supponendum est, populum Christianum teneri credere explicitè omnia illa de quibus diximus fuisse præceptum in lege 38.

naturæ.

naturæ. nam ea lex etiam nunc vniuerſos obligat, & lex euangelica illam includit, & aliquid aliud ſuperaddit. Similiter etiam eſt certum, omnes fideles tenere ad credendum ſaltem in confuſo, quæ Eccleſia credit: quia ſine hac diſpoſitione nihil poſſet ſimplex populus firmiter credere, & quia eo ipſo quòd Eccleſia aliquid definit, obligat fideles ad credendum, ſaltem quantum ad ſpecificationem, id eſt, ſi vult populus exercere actum, debet eſſe aſſenſus illius rei.

39. Prima concluſio. Certiſſimè tenendum eſt, non ſufficere ad ſalutem in confuſo credere quidquid credit ſancta mater Eccleſia, ſed vlteriùs oportet explicitè credere aliquos articulos. Ita habetur expreſsè in directorio Inquiſitorum p. 2. quæſt. 10. vbi inter propoſitiones damnatas à ſummo Pontifice Gregorio II. hæc octauo loco refertur. Laicos non teneri ad credendos explicitè articulos fidei, ſed ſufficere credere quidquid credit Eccleſia. & in Tridentino ſeſſ. 5. decreto vltimo de Reformatione præcipitur Parochis, vt explicitè doceant populum ea, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: ſupponit ergo Tridentinum non ſatis eſſe in confuſo credere quidquid credit Eccleſia. Vnde prima ſententia abſolutè loquendo temeritatis nota eſt inurenda, quia in re grauiſſima diſcedit à communi Doctorum ſententia, & propter rationem adductam videtur periculoſa.

40. Secunda concluſio. Omnes fideles tenentur credere explicitè omnia myſteria fidei, quæ in ſymbolo Apoſtolorum continentur, ſaltem quoad ſubſtantiam. Ita videtur ſenſiſſe D. Auguſt. ſerm. Auguſt. 130. de tempore his verbis: *Symbolum eſt regula fidei, breuis, & grauis: breuis numero verborum; & grauis ponderi ſententiarum.* & ſermo 181. *Apoſtoli certam regulam fidei tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolorum duodecim ſententijs comprehenſam, ſymbolum vocauerunt, per quam credentes catholicam tenerent vnitatem, & hæreticam conuincerent prauitatem.* Eamdem ſententiam ſequitur Catechiſmus Pij V. vbi dicitur: *Quæ primum Chriſtiani homines tenere debent, illa ſunt quæ Sancti Apoſtoli diuino Spiritu afflati duodecim ſymboli articulis diſtinxerunt.* ergo illa ſcire & credere tenentur omnes; cùm enim ſit præceptum ſcire & credere explicitè aliqua myſteria, quæ in ſymbolo continentur, & nullibi conſtet præceptum ſpeciale circa aliquos articulos, & non circa alios, dicendum eſt eſſe de omnibus præceptum: aliàs non erit huius præcepti certa materia.

41. Inquires, an hoc præceptum ſit diuinum, an humanum. Et in primis certum eſt eſſe præceptum humanum, quia Apoſtoli ediderunt ſymbolum, vt ſummam quamdam rerum maximè neceſſariarum omnibus proponerent ad credendum. Conſtat etiam ex vſu & traditione Eccleſiæ, quæ à tempore Apoſtolorum ſemper iuſſit prædicari, & proponi ſymbolum fidei cunctis fidelibus tanquam neceſſariò explicitè credendum: neque aliter admittuntur homines ad baptiſmum, niſi priùs diſcant, & intelligant ſymbolum. Vnuſquiſque etiam tenetur ſcire legem, & religionem quam profitetur, ſaltem quoad ſubſtantialia: articuli autem fidei ſunt principia, & rudimenta noſtræ Religionis: quæ omnia ſatis oſtendunt eſſe præceptum in Eccleſia de diſcendo, & credendo ſymbolum. Valde etiam probabile eſt, eſſe præceptum diuinum addiſcendi, & credendi ſymbolum, quod videtur colligi ex verbis Catechiſmi ſuprà relatis. & quia obligatio iſta eſt vniuerſalis in Eccleſia, & cœpit ſimul cum ipſa Eccleſia, & ſancti Patres non tam videntur conſtituere præceptum, quàm illud ſupponere. nam hac de cauſa Apoſtoli conſtituerunt hos articulos, & non alios in ſymbolo, vt ſcilicet docerent eſſe præceptum credendi illos, eo quòd Chriſtus Dominus præceperat eis, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ; ſtatim autem atque voluerunt præceptum iſtud opere exequi, compoſuerunt ſymbolum: ergo iuxta mentem Chriſti has & non alias veritates collocarunt in ſymbolo: ac per conſequens de iure diuino eſt, diſcere & credere ſymbolum. Dixi *quoad ſubſtantiam.* nam non eſt neceſſarium omnia ita diſtinctè cognoſcere, niſi quantum ex verbis ſymboli ſic propoſiti percipi poſſunt. Vnde ſi myſteria contenta in ſymbolo ſcias prout continentur communiter in eo, ſufficienter huic præcepto ſatisfacis: ac proinde de myſterio Trinitatis, v. g ſufficeret ſcire & credere, eſſe tres perſonas inter ſe diſtinctas, quarum quælibet ſit Deus; neque obinde eſſe plures Deos, ſed vnum tantùm. Qua verò ratione vna eſſentia ſit in tribus perſonis, quomodo vna perſona ab alia procedat, & quomodo inter ſe diſtinguantur, hoc relinquitur Theologis. Itaque tenentur fideles aliquo modo, ſaltem quoad ſubſtantiam, intelligere articulos; non ita vt cognoſcant ſubtilitates, quæ in articulis continentur, ſed itavt apprehendant terminos, & intelligant aliquo modo quid ſignificent; & etiam ferant iudicium de rebus quas credunt, & illis aſſentiri præcisè propter Deum, dicentem: hæc enim omnia ſunt de eſſentia fidei. Fideles autem debent eſſe parati exire in actum fidei, & ex conſequenti tenentur ad ea omnia, quæ ſunt de eſſentia actus fidei. Præterea, quia nullus poteſt firmiter, & infallibiliter credere, qui non intelligit quod credit: ex quo fit neceſſarium eſſe ſcire ſymbolum lingua vulgari, quando homines non intelligunt linguam latinam; quia hoc non eſt ſcire res fidei more humano, ſed more phitacorum, vel amentium.

41. Obiicies, quia plura myſteria continentur in ſymbolo Apoſtolorum, de quibus non videtur dari præceptum ſciendi, & credendi explicitè. nam in ſymbolo continetur Deum eſſe creatorem cœli, & terræ: Chriſtum natum eſſe ex Maria Virgine, paſſum fuiſſe ſub Pontio Pilato, deſcendiſſe ad inferos, ſedere ad dexteram Patris: eſſe Eccleſiam ſanctam Catholicam, & communionem Sanctorum: ergo ſupradicta regula aſſignata non eſt firma. Reſpondetur, omnes fideles teneri ſcire & credere prædictos articulos quoad ſubſtantiam: vnde tenentur credere mundum ipſum à Deo factum, quia ſi hoc non intelligant, vix poteſt intelligi, qua ratione cognoſcant eſſe verum Deum, nec poſſint ipſi exhibere cultum & honorem debitum. Deinde tenentur ſcire & credere myſterium Natiuitatis Chriſti ex virgine; nomen enim Virginis abſolutè prolatum quemlibet ſtatum comprehendit; tum, quia hoc continetur in ſymbolo Apoſtolorum, & ex alia parte eſt res grauiſſima, & neceſſaria, vt fideles virginis dignitatem agnoſcerent, ob eius gloriam, & eorum vtilitatem. Hoc etiam maximè ſpectat ad honorem beatæ Virginis, & etiam ipſius Chriſti; valde etiam conducit ad bonos mores, quia maximè mouet ad virginitatem ſeruandam, & quia beatæ Virgini referuntur accepta fere omnia beneficia, quæ Chriſtus Dominus confert Eccleſiæ: vnde tenetur Eccleſia eam ſummo honore colere, ac proinde venerari, & credere illius virginitatem, & denique maximè ſpe-

cent

ctat hoc ad ſubſtantiam myſterij Incarnationis. Quòd ſi non tenemur ſcire Chriſtum paſſum fuiſſe ſub Pontio Pilato, & ſufficiat cognoſcere eſſe paſſum, hoc ideo eſt, quia non tenemur, neque eſt neceſſarium omnes circunſtantias paſſionis cognoſcere. Rurſus tenentur fideles credere aduentum Chriſti ad iudicium, quia Actorum 10. ait Petrus, ſe habere præceptum illud prædicandi, & quia huius myſterij cognitio ſummopere erat neceſſaria, vt homo in officio virtutis contineretur; & ſub fide huius articuli continetur fides præmij, & pœnæ æternæ. Idem probatur de articulo deſcenſus ad inferos, quia ſecus fruſtrà eſſet poſitus hic articulus ab Apoſtolis in ſymbolo, & quia fides illius iuuat valde ad cognoſcendam vim peccati originis, ratione cuius Pâtres licèt ſanctiſſimi, tam longo temporis ſpatio in limbo fuerunt detenti vſque ad deſcenſum Chriſti, & per illum commendatur nobis maximè humilitas Chriſti, & eius charitas erga iuſtos. Præterea tenentur credere aliqualiter Chriſtum ſedere ad dexteram Patris, nimirum habere in cœlo ſupremum locum vt homo eſt, & æqualem Patri vt Deus eſt: hoc enim pertinet ad dignam Chriſti æſtimationem, & debitum honorem exhibendum. Deinde articulus ille qui continetur in ſymbolo, credo ſanctam Eccleſiam, à nullo Chriſtiano quantumuis rudi re ipſa ignoratur, licèt his verbis, credo ſanctam Eccleſiam, ab omnibus non intelligatur. nam credere ſanctam Eccleſiam, nihil aliud eſt, quàm credere multitudinem fidelium Chriſtianorum ſub vno Romano Pontifice tanquam capite, extra quam nulli ſalus eſſe poteſt: nullus autem Chriſtianus eſt, qui ignoret eſſe multos fideles ſubditos Pontifici tanquam capiti: quare hic articulus licèt voce difficilis videatur, re tamen ipſa omnibus facillimus eſt, & hac via inſtruendi ſunt rudes: quilibet ergo tenetur credere vnitatem Eccleſiæ, id eſt, eſſe vnam congregationem fidelium ſub vno capite, extra quam nulla poteſt eſſe ſalus. Denique idem dicendum eſt de communione Sanctorum, quia non videtur ſpecialis ratio eximendi hunc articulum à generali obligatione ſciendi alios in ſymbolo contentos, & vnicuique facilè eſt credere ſubſtantiam illius, nimirum inter fideles eſſe ſpiritualium bonorum communicationem, quod à nullo quantumuis ruſtico ignoratur, quandoquidem omnes petunt ab aliis in ſuis orationibus adiuuari, & aliunde hoc eſt valde neceſſarium, vt charitàs inter fideles augeatur.

41.

43. Ex quibus infertur, regulam illam communem quòd tenemur explicitè credere Chriſti myſteria, quæ ſolemniter in Eccleſia celebrantur, & non alia, non eſſe veram: quia multa ſolemniter cantantur in Eccleſia magni ponderis, quæ non tenemur explicitè credere, vt circumciſionem, transfigurationem, &c. Alia verò tenemur explicitè credere, quæ non celebrantur ſolemniter, vt conſtat de articulo creationis, iuſtificationis, & aduentus ad iudicium.

44. Secunda concluſio. Ratione operationis, & orationis, tenentur fideles explicitè credere & ſcire, quæ ad rectè operandum, & orandum ſunt neceſſaria. Ita Auguſtinus de fide & operibus cap. 1. Quia eo ipſo quo quis profitetur aliquem ſtatum, tenetur ſcire annexa illi ſtatui, quia aliàs exponeret ſe periculo errandi. Vnde tenentur fideles ſcire & credere ea Sacramenta, quæ ſunt ab omnibus recipienda neceſſariò, vt Baptiſmum, Pœnitentiam, & Euchariſtiam. Baptiſmus enim debet cognoſci, vt ſciamus ipſo remitti peccatum originale, & membra Chriſti adaptari, & ad legem euangelicam obligari. Pœnitentiam, vt ſciamus quomodo poſſimus à peccato reſurgere. Euchariſtiam, quia eſt potiſſimum myſterium noſtræ fidei, & ad illius ſuſceptionem ſuo tempore obligamur: tenetur autem homo credere ſub hoſtia eſſe Chriſtum verum Deum & hominem, & non eſſe panem: aliàs non poterit colere Euchariſtiam honore debito, nec ad illam poterit ſe diſponere vt decet. Tenetur etiam quilibet fidelis cognoſcere aliquid de ſacramento Ordinis, quia tenetur ſcire aliquos, & non omnes, eſſe Sacerdotes, vt ſciat à quo ſit petenda abſolutio. Alia verò Sacramenta tenetur ſcire quando ea liberè recipit, quia tenetur ea recipere vt homo rationalis, & non vt bellua, & ex conſequenti tenetur ſcire diſpoſitionem requiſitam ad ſacramenta. Præterea tenetur ſcire præcepta Decalogi, quia abſque illorum obſeruantia nemo iuſtificatur, & etiam præcepta Eccleſiæ, quia horum cognitio neceſſaria eſt, vt quiſque ſciat quid debeat facere, quid vitare, & denique orationem Dominicam ad minus quoad ſubſtantiam, quia omnibus eſt datum præceptum orandi. Eſt autem diſcrimen quod præceptum quo obligamur credere Sacramenta baptiſmi, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, eſt diuinum poſitiuum: præceptum verò quo obligamur ad credenda & ſcienda decem præcepta Decalogi, & orationem Dominicam, eſt naturale: quia præceptum quo obligamur obſeruare Decalogum, & Deum orare, eſt naturale. Præceptum denique quo tenemur ad ſcienda quinque præcepta Eccleſiæ, eſt Eccleſiaſticum, quia oritur ex præcepto illa obſeruandi, quod præceptum Eccleſiaſticum eſt.

Tertia concluſio. Quamuis, per ſe loquendo, teneantur fideles ſcire diſtinctè ea quæ dicta ſunt, poſſunt tamen aliquando per accidens excuſari, ita vt ignorantes non peccent. Probatur, quia ſunt aliqui inter Chriſtianos quibus, vel propter negligentiam paſtorum, vel propter educationem nimis agreſtem, hæc non ſunt diſtinctè tradita: ergo negari non poteſt dari non paucos inter fideles, qui abſque culpa ignorant aliqua myſteria ex his, quæ ſunt neceſſaria, quia ab illis, quorum curæ mandati ſunt, ſiue Parochis, ſiue parentibus, ſiue Magiſtris, non ſunt inſtructi, nec admoniti, nec ipſi alios adire poſſunt à quibus doceantur. Qua ratione excuſantur habitantes in terris hæreticorum, & Turcarum, quia carent doctore, & quamuis illum inquirant, inuenire non poſſunt. Similiter excuſantur aliqui ſimplices, qui ſunt adeò hebetes ingenio, vt licèt audiant, non poſſint percipere, aut formare conceptum diſtinctum horum myſteriorum, vel ſi fortè formauerint, ſtatim obliuiſcuntur propter naturalem defectum memoriæ. Tunc enim his & ſimilibus, cenſetur moraliter impoſſibilis explicita cognitio illorum; ac proinde excuſantur: cùm enim iugum Chriſti ſuaue ſit, nullum obligat ad id, quod ſibi eſt moraliter impoſſibile. 45.

In qua verò ætate teneantur pueri ſcire ſymbolum ſub mortali, nulla poteſt certa regula aſſignari. Communiter tamen cùm quis peruenit ad vſum rationis, moraliter loquendo, tenetur ſcire articulos, non quidem omnes ſtatim, ſed progreſſu temporis debet addiſcere paulatim, & ad id tenentur parentes, Magiſtri, & Parochi: & quamuis pueri non poſſint efformare conceptum diſtinctum, & ita perfectum; tenentur tamen eo modo, quo poſſunt; 46.

Digitized by Google

ſunt ; atque adeò vnicuique illorum ſufficiet pro modulo ſuo myſteria fidei ſcire & credere : per ſe autem loquendo communiter & vt in plurimum, tenentur pueri & fœminæ, anno decimo completo, ſcire articulos fidei ; tunc enim iam effulget ſufficiens lumen rationis.

47. Et quamuis præceptum ſciendi ſupradicta, ita vt memoria retineantur res ipſæ quoad ſubſtantiam, obliget ſub mortali : præceptum tamen retinendi memoriâ ſymbolum fidei, præcepta Decalogi, & alias partes Catechiſmi, prout in Eccleſia recitantur, non obligat ſub mortali ; bene tamen ſub veniali graui, vt tenent communiter Doctores, quia eſt magna negligentia in rebus vtiliſſimis ad ſalutem : ergo ſaltem erit culpa venialis. Itaque vt rudes liberentur à culpa mortali, ſatis erit ſi ea quoad ſubſtantiam retineant, ita vt de ſingulis interrogati rectè reſpondeant, v.g. ſi interrogati, an ſit vnus tantùm Deus, & an ſit trinus, & ſic de aliis myſteriis, ſciant reſpondere affirmatiuè : ſi interrogati, an ſit peccatum furari, occidere, &c. ſciant etiam reſpondere affirmatiuè, etſi in oratione Dominica ſciant omnia bona tam corporis, quàm animæ ſint petenda à Deo.

48. Ex quo infertur, quomodo ſe debeat gerere Confeſſarius in audiendis confeſſionibus eorum, qui prædicta ignorant : ſi enim pœnitens non ſolùm verba, ſed etiam ſubſtantiam ignoret, pro prima vice, vel ſemel, & iterum poterit eum abſoluere, ſi doleat de negligentia præterita, & habeat propoſitum emendæ : ſi autem ſæpè admonitus nullam adhibuit diligentiam, tenetur differre abſolutionem quouſque ſuprà dicta ſciat : ſcientia enim harum rerum non eſt ſimpliciter neceſſaria neceſſitate medij, ſed tantùm præcepti ; atque ita de ignorantia illi oppoſita quoad abſolutionem, eodem modo iudicandum eſt, ſicut de quouis alio peccato. Simplices etiam poterunt facilè inſtrui à Confeſſario ; ſicque rariſſimè abſolutio deneganda eſt.

49. Denique inquires, quando obliget hoc præceptum fidei ? & poteſt procedere difficultas de obligatione directa, vel de indirecta. Si ergo loquamur de obligatione indirecta, tenentur fideles elicere actum fidei. Primò cùm tenentur conteri de peccatis ; non enim poſſunt contritionem habere, quin credant Deum poſſe peccata remittere. Idem eſt quoties quis obligatur ad eliciendos actus ſpei, & charitatis. nam hi etiam ſine fide exerceri non poſſunt. Secundò quoties obligatur aliquod Sacramentum recipere, conſequenter tenetur credere illius virtutem & efficaciam, nec quis poteſt debitè Euchariſtiam ſuſcipere, quin credat realem præſentiam, & exiſtentiam Chriſti Domini. Tertiò quoties vrget præceptum orandi, quod ritè exerceri non poteſt abſque fide, qua credamus Deum poſſe poſtulata concedere. Si verò loquamur de obligatione directa, primò tenentur infideles actum fidei elicere, cùm illis fides ſufficienter proponitur. Secundò, cùm fideles ad vſum rationis attingunt, & myſteria fidei ex obligatione credenda proponuntur : ſæpe verò excuſantur pueri in infantia baptizati, & inter fideles nutriti, ab hac obligatione pro aliquo tempore, quia non ſatis percipiunt hanc obligationem, & quia hæc myſteria non proponuntur illis tanquam reuelata. Tertiò quando vrget grauis tentatio contra fidem, quamuis hic modus reſiſtendi non ſit ſemper neceſſarius, cùm poſſit depelli tentatio facilius & conuenientiùs, cogitationem aliò diuertendo : quod præcipuè debent ſeruare ſcrupuloſi, qui ipſi actum fidei eliciant, exiſtimant ſe de fide dubitare, & tentationi conſentire ; qui conuenientiùs reſiſterent, imaginationes illas falſas contemnendo, & cogitationem aliò diuertendo. Denique Suarez diſp. 13. ſect. 5. credit & ſatis probabiliter, dari obligationem eliciendi actum fidei in articulo mortis propter periculum. Sententiam verò Ledeſmæ aſſignantis aliud tempus, nimirum ſemel ſingulis annis. & Soti, qui aſſignat dies feſtos, in quibus obligat præceptum fidei, vel etiam Niderij in ſuo præceptorio aſſerentis, teneri fideles ad eliciendum actum fidei de his myſteriis, quæ in aliquibus diebus feſtis celebrantur, in illis diebus, in quibus celebrantur, non approbo.

SECTIO VII.

An ſit præceptum de externa Fidei confeſſione, & quando obliget.

PRæmittendum eſt, in præcepto confeſſionis fidei quatuor inuolui. Primò vt non negetur Chriſtus, vel eius fides. Secundò vt non occultetur fides. Tertiò vt non confiteatur quis ſectam, vel religionem alienam, eo quòd ſi eſt aliena, iam aduerſatur noſtræ fidei. Quartò includitur directè, & poſitiuè confiteri fidem, quod poteſt eſſe neceſſarium, vel ex accidenti ratione ſcandali, vel per ſe, quia per ſe eſt neceſſarium ad diuinum honorem, vel vtilitatem proximi. Deinde præmittendum eſt, aliud eſſe occultare fidem, aliud negare. nam primum ſolum eſt quid negatiuum, ſcilicet non ſe oſtendere. Secundum verò poſitiuum, ſcilicet negare ſe eſſe fidelem. Vnde ſequitur quòd negare fidem verbis, aut factis, ſemper eſt malum, quia eſt agere contra præceptum negatiuum, quod obligat ſemper & pro ſemper : at occultare fidem non ſemper eſt malum, quia ſolùm eſt omiſſio actus, qui non ſemper eſt in præcepto ; quia præceptum affirmatiuum non ſemper obligat. Tota ergo difficultas conſiſtit in explicando quando quis dicatur negare fidem, & quando eam occultare ſit contra præceptum confeſſionis fidei. & quia tam negatio, quàm occultatio, poſſunt fieri aut verbis, aut factis, de his omnibus differendum eſt. 50.

Prima concluſio. Datur præceptum diuinum de non neganda fide externè. Vnde nunquam eſt licitum negare Chriſtum externè, etiam metu tormentorum, quamuis fides retineatur in corde. Hæc concluſio eſt de fide, & colligitur apertè ex illo Matth. 10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo.* Idem habetur Lucæ 9. & ad Timotheum 2. *Si negauerimus eum, & ipſe negabit nos.* & ratione probatur. nam in quouis præcepto affirmatiuo duo includuntur, vnum eſt affirmans, ſcilicet vt exequamur id quod continetur in præcepto. Alterum eſt negans, vt ſcilicet non agamus contra illud præceptum. Et quamuis ex ea parte qua includit aliquid affirmans non obliget pro ſemper, nihilominus ex ea parte qua includit aliquid negans obligat ſemper, & pro ſemper ; quia hæc eſt natura præcepti negantis, & quia nunquam licet malum facere, quod prohibetur præcepto negatiuo. nam quamuis non teneamur ſemper diligere Deum, tenemur tamen illum nunquam odio habere. Item quamuis non ſemper teneamur ſperare, vel colere Deum, tenemur tamen 51. Matth. 10. Timoth. 2.

tàmen ſemper non deſperare, vel Deum irreuereri. Sic ergo fides continet aliquid affirmans, ſcilicet vt confiteamur Chriſtum, & res fidei, & ex hac parte non obligat pro ſemper. Continet ſecundò aliquid negans, vt ſcilicet non negemus Chriſtum, & ex hac parte obligat pro ſemper, & conſequenter eſt intrinſecè malum negare Chriſtum. Confirmatur. nam Chriſtianus tenetur magis diligere honorem diuinum, quàm vitam propriam; quia talis negatio eſt mendacium valde perniciosum, & iniurioſum primæ veritati, ac religioni Chriſtianæ contrarium: ergo eſt intrinſecè mala, ac proinde tenetur quis non negare, etiam cum periculo vitæ.

52. Obiicies, quia ſaltem erit licitum vti verbis æquiuocis quibus exteriùs videamur negare Chriſtum, dummodo interiùs non negemus. nam quoties reus non interrogatur iuridicè, poteſt vti æquiuocatione; nullus autem tyrannus volens compellere ad negandum Chriſtum, interrogat iuridicè: licitum ergo erit vti æquiuocatione. Reſpondetur nunquam eſſe licitum vti æquiuocatione in hac parte, quantumuis interrogemur contra ius, quia ſi ex mea æquiuocatione auferatur honor debitus Chriſto, cuius honori ego teneor proſpicere in quouis euentu, tunc non licet vti æquiuocatione: non quia interrogor iuridicè, ſed quia teneor proſpicere honori diuino, quia licèt æquiuocatio ſit licita quando quis contra ius interrogatur, non tamen quando militat contra diuinum honorem, ſicut eſt in noſtro euentu.

53. Secunda concluſio. Nemini licet negare ſe eſſe Chriſtianum quando de hoc interrogatur, quia eſſet idem ac negare fidem. Pro quo nota, quòd dupliciter poteſt fieri hæc interrogatio: vno modo ſimpliciter intuitu religionis, ſicut interrogabantur Martyres à tyrannis, & hoc eſt interrogare formaliter de ipſa Chriſtianitate. Alio modo non formaliter, ſed quaſi materialiter, quia ſcilicet ille qui interrogat, non intendit inquirere Chriſtianitatem vt ſic, ſed aliam conditionem ad religionem non pertinentem. v.g. ſi bellum ſit inter Turcas & Chriſtianos, vel inter Indos. Si Chriſtianus interrogetur à Turca, vel ab Indo, an ſit Chriſtianus? non intendit inquirere formaliter, an profiteatur Chriſtianam religionem, ſed ſolùm an ſit de exercitu inimicorum. Noſtra ergo concluſio procedit in priori ſenſu. Vnde interrogatus primo modo peccat mortaliter, ſi neget ſe eſſe Chriſtianum etiam cum periculo vitæ. Ita D. Auguſt. tract. 113. in Ioann. Vbi affirmat, non ſolùm negare Chriſtum, qui negat Chriſtum eſſe, ſed etiam qui negat ſe eſſe Chriſtianum. & ob hanc cauſam Petrus dicitur negaſſe Chriſtum, iuxta illud, *ter me negabis*, quia negauit ſe eſſe diſcipulum Chriſti. Deinde quia cùm eſſe Chriſtianum & eſſe fidelem, ſumantur pro eodem, qui negat primum, conſequenter negat ſecundùm; atque adeò negat ſe credere in Chriſtum, & ſic Chriſtum eſſe Deum, & totam eius religionem.

54. Si verò quis interrogetur an ſit Chriſtianus ſecundo modo, non ſcilicet intuitu Religionis, ſed cauſa cognoſcendi naturam, aut aliam conditionem, non eſt intrinſecè malum id negare, quia non reſponderet contra nominis ſignificationem, ſed ad mentem interrogantis: vnde ſæpe ex accidenti nullum erit peccatum ſi vtatur æquiuocatione, vel ſolùm erit veniale dicere ſe non eſſe Chriſtianum, ſi non intercedat iuramentum, quia ſolùm eſt malitia mendacij. Hoc accidit primò quando Hiſpani interrogabantur ab Indis an eſſent Chriſtiani in odium nationis, vt hac ratione occiderent, non propter fidem, ſed quia eos debellabant, in eo euentu licebat Chriſtiano vti æquiuocatione, quia animus interrogantis erat occidere iniuſtè: quoties autem quis interrogatur non iuridicè, licitum eſt æquiuocatione vti: nec tunc erat vti æquiuocatione in rebus religionis, quia quærere an aliquis eſſet Chriſtianus, erat idem atque inquirere an eſſet Hiſpanus. Deinde licitum eſt, quoties quis interrogatur ad cognoſcendum ſtatum, quem habet in Republica ciuili, quod ſæpe accidit in aliquibus terris hæreticorum, in quibus aliqua ſunt officia, quæ vel ſolum poſſunt habere hæretici, vel ſolùm Catholici; tunc enim ſi timeatur iniuria, licitum etiam erit vti æquiuocatione ob prædictam rationem, quia non reſponderet contra nominis ſignificationem, ſed ad mentem interrogantis.

55. Tertia concluſio. Chriſtianus qui interrogatus de rebus fidei intuitu Religionis, vel ex odio fidei, ſi tacet, peccat mortaliter, quando ex ſilentio infertur ipſum negare Chriſtum ob fidem. Probatur. nam ſilentium in hoc euentu cedit in maximum dedecus ipſius Chriſti; quia in hoc euentu agitur de honore Chriſti, & de veritate noſtræ religionis. Vnde tacere eſt præponere amorem vitæ honori Chriſti, quod eſt graue peccatum. Ad dignoſcendum verò quando ex taciturnitate, vel ſilentio meritò inferri poſſit, aliquem negare fidem, vel eſſe Chriſtianum, nonnulli aſſignant hanc regulam. Quando quis interrogatur de rebus fidei à perſona publica, vt à iudice, quamuis interrogetur occultè & iniuſtè, communiter tacere eſt negare Chriſtum: ſi verò quis interrogetur à perſona priuata, cùm hoc non fiat ex odio religionis, ſilentium non erit quaſi negare Chriſtum.

56. Hæc tamen regula non omnino placet, quia licèt verum ſit, communiter loquendo, tacere coram tyranno, quando quis interrogatur, eſſe quaſi negare fidem; ac proinde peccatum contra confeſſionem fidei externam, quia meritò ſtantes iudicabunt illum carere fide. nam communiter ſolent Chriſtiani coram tyranno audacter eam confiteri, & quia tacens in tali euentu videtur dicere fidem Chriſti eſſe indignam externæ confeſſionis, ſaltem cum periculo vitæ. Tum etiam, quia qui interrogatur de fide à tyranno, interrogatur tanquam teſtis, vt explicet quid ſentiat de Chriſto, & ideo qui mortem patitur vocatur Martyr: ſi autem teſtis interrogatus à iudice taceat, videtur dicere reum eſſe dignum pœna; quia ergo hoc agit reſpectu Chriſti, Chriſtianus tacens interrogatus, ideo negare non poteſt quin grauiter peccet. Et hoc habetur expreſsè Lucæ 9. & Matth. 10. *Qui me negauerit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo, & qui me erubuerit coram hominibus*, &c. Vbi Chriſtus hæc duo diſtinguit, negare ſcilicet, & erubeſcere: hoc autem ſecundum contigit quando quis interrogatus intuitu religionis Chriſtianæ, non profitetur. Et denique quia tunc eſt articulus neceſſitatis in quo obligat præceptum confeſſionis fidei, quia tunc diſſimulare non poteſt eſſe ſine magno ſcãdalo, & iniuria fidei. Luc. 9. Matth. 10.

57. Nihilominus idem dicendum cenſeo, ſi quis interrogetur à perſona priuata, quando interrogatur ex odio religionis, quia Chriſtus non dixit, qui me erubuerit coram iudice, vel tyranno, ſed coram hominibus. Vnde qui occideretur à perſona priuata, in hoc euentu non minus eſſet Martyr, quàm ſi occideretur à iudice, vel à Tyranno: ergo qui tacet, non minus negat fidem, quàm ſi interrogetur à perſona publica. Quare regula generalis in hac materia eſt. Quoties quis intuitu Religionis interrogatur an ſit Chriſtianus, ſi tacet,

ccat, vel ita se gerat, vt tyrannus vel alij meritò concipiant ipsum negare fidem, peccat mortaliter contra præceptum confessionis fidei. Quæ regula colligitur ex iure quod Deus habet, ne auferatur, vel diminuatur honor sibi debitus: vel ex iure quod proximus habet sibi ex charitate debitum, ne sibi damnum, vel scandalum graue inferatur. Itaque hæc regula non est desumenda ex qualitate personæ interrogantis, quia nulla est omnino persona, quæ ob prauum finem iuridicè possit de fide aliquem interrogare, vt rectè obseruat Suarez disp. 14. sect. 3.

58. Quarta conclusio. Occultare fidem silentio, quando ex fidei manifestatione non sequitur specialis honor Deo, vel vtilitas proximo, laudabile est: quando verò confessio fidei externa est valde vtilis alicui communitati; vel aliqua persona extremè indiget mea confessione externa fidei, tunc occultare fidem silentio est peccatum mortale. Pro quo obserua, esse maximum discrimen inter hanc conclusionem, & præcedentem. nam tacere interrogatum, est peccatum negationis Christi; negatio autem Christi ita est intrinsecè mala, vt in nullo euentu possit esse bona; tacere autem non interrogatum, non est negare Christum, sed solùm occultare fidem; quod aliquando est bonum, aliquando malum, iuxta diuersitatem circumstantiarum. Modò probatur prior pars conclusionis, quia id fecerunt viri sanctissimi, vt de Beato Sebastiano, Syluestro, & aliis communiter circumfertur. Et ratio est, quia præceptum confessionis fidei, est affirmans: ergo non obligat absque vtilitate. Deinde, quia præcepta dantur de actibus virtutum: actus autem virtutum requirunt debitas circumstantias ad hoc vt obligent, quæ non dantur in hoc euentu.

59. Posterior verò pars ostenditur, quia bonum publicum & spirituale, præferendum est bono priuato corporeo, vt dicitur in Tractatu *de charitate*. Præterea, quia necessitatem alterius extremam etiam corpoream, teneor subleuare secundùm opinionem probabilem, cum graui meo damno, quanto magis spiritualem; vnde quando quis credit ex omissione suæ confessionis aliquos fidem amissuros, facta verò confessione firmos futuros, tenetur ad confessionem fidei ob bonum proximi. Idem est quando mea confessio futura est occasio, vt aliqui ad fidem conuertantur, tunc enim non solùm charitas obligat ad consulendum saluti proximorum, sed etiam ex fide teneor fidem in aliis promouere, quia fides non solùm obligat subiectum in quo est, vt fidei mysteriis firmiter assentiatur, sed etiam ad curandum alios sic firmiter assentiri.

60. Quinta conclusio. De fide certum est, ex genere suo licitum esse personæ priuatæ fugere quando interrogatur de rebus fidei, ne à tyranno examinetur, nec tormentis exponatur, hoc probant expressè Athanasius in sua Apologia, & Augustinus epistol. 189. ad Honoratum. Idem probant exempla Sanctorum in nouo Testamento, & in lege veteri Iacob fugit à facie Esau, Machabæi à facie Antiochi, & Christus Dominus præcepit fugere Matth. 10. Imò & ipse fugit in infantia ab Herode, & in adolescentia sæpe à Pharisæis. tum quia fugiendo fidem manifestas, non negas; & sæpe id conueniens est non solùm vt suæ imbecillitati prospiciat, sed vt aliorum saluti consulat, quando eius vita est valde vtilis ad firmandos alios in fide, conditionibus, exhortationibus, & administratione Sacramentorum. Quare etiam Prælati & Pastores hac ratione possunt fugere, vt se in commodius tempus reseruent, si interim ouibus prouisum sit aliis clericis ibi manentibus; tunc enim nec dimittunt oues, nec propriè fugiunt, cùm oues non maneant sine pastore, maximè si tyrannus in solos Pastores desæuiat, & reliquum populum permittat pacificè viuere. Nec obstat locus Ioann. 10. vbi Christus de bono pastore dixit: *Animam suam ponere pro ouibus suis*; *mercenarium verò dimittere oues, & fugere*. Hic enim locus intelligendus est extra casus prædictos, extra quos tenetur cum periculo vitæ non dimittere oues, nec fugere, cùm sint in graui necessitate, & periculo amittendi fidem: aliàs non pastor, sed mercenarius reputandus esset, vt rectè Suarez disp. 14. sect. 3. & Ægidius disp. 15. dub. 4. Ioan. 10.

61. Sexta conclusio. Nemini licet celare fidem signis per se contrariam religionem significantibus, quamuis non instet præceptum positiuum illam manifestandi. Vnde nemini licet fictè adorare idolum, thurificare illud, coram illo tundere pectus, vel genuflectere, & similia. Ratio est, quia huiusmodi actiones intrinsecè continent superstitiosum cultum, sunt enim primò & per se impositæ ad vsum religiosum, nec alium habent moralem vsum: omnis autem cultus superstitiosus est intrinsecè malus, vtpote contrarius religioni; ergo nemini licet hunc cultum fingere, seu simulare: quod intelligendum est de simulatione seriò facta, & non ioci, aut repræsentationis causa, vt sæpe fit in comœdiis. Hæc enim non est illicita, cùm non sit protestatio falsæ fidei, aut negatio illius, sed potiùs irrisio, & repræsentatio negationis.

61. Nec obstat, Apostolos post Christi Domini mortem exercuisse ceremonialia legis, quæ tamen in sententia D. Hieronymi ad Galat. 2. & 3. iam eo tempore erant mortifera; excusari verò à peccato, quia per prudentem simulationem illa exercebant, non autem intentione veri cultus exhibendi. Deinde, quia Naaman Syrus Regum quintus, conuersus iam ad veram fidem petiit ab Eliseo, vt sibi licentiam concederet adorandi simulatè idolum, cùm templum illius ingrederetur comitãdo dominum suum, nimirum vt cùm dominus suus in templo adoraret, ipse etiá genuflecteret ob domini sui reuerẽtiam, & si quid in hac parte peccaret Deum pro illo deprecaretur, cui Eliseus respondit: *Vade in pace*. quibus verbis approbauit simulatam, & fictam illam adorationem. Denique quia 4. Regum 10. videtur Iehu laudatus à Deo, eo quòd ad occidendos Prophetas Baal, finxit se velle sacrificare ipsi Baal: *Studiosè*, inquit, *egisti, quod rectum erat, & placebat in oculis meis*. 4. Reg. 5. 4. Reg. 10.

63. Respondetur, illo tempore quo Apostoli ceremonias legis veteris obseruarunt, adhuc non fuisse mortiferas, quamuis fuissent mortuæ: vnde licitum illis fuit eas exercere ex animo, & vera intentione colendi Deum. Ita D. August. epist. 19. ad Hieronymum. Sententiam verò D. Hieronymi conantur Theologi ad aliquem bonum sensum reducere. Naaman verò non petiuit licentiam simulandi adorationem idolo, sed solùm seruiendi domino suo, & genuflectendi, cùm ipse genuflecteret, & idolum adoraret, quod non erat illicitum; quia tamen dubitauit, an illud ministerium sibi in illa occasione liceret, ideò prædictam licentiam petiuit, cui dubio satisfecit Propheta illis verbis, *Vade in pace*, significans illud non esse illicitum. Denique Iehu, vt notat Augustinus lib. contra mendacium cap. 2. non fuit laudatus à Deo ob illam simulationem, sed quia

omnes

omnes Sacerdotes Baal occidit, & domum Achab omnino destruxit. Ex his

64. Infertur primò, non licere templa infidelium vel hæreticorum ingredi, præcipiente Principe talem ingressum, intuitu contemnendæ religionis: nullo tamen præcipiente eiusmodi ingressum non est illicitum templa infidelium ingredi seclusò scandalo, ad negotia secularia tractanda, vel curiositatis causa, ad templum ipsum videndum, vel ad confutandos errores infidelium, vel hæreticorum. nam talis ingressus ide se non est cultus religiosus, plures enim ingrediuntur templa sine animo deferendi cultum Deo, ac proinde licitè poterit hæc fieri ex bono fine: nunquam tamen licet ingredi ad communicandum cum infidelibus, vel hæreticis in ceremoniis & ritibus suæ falsæ religionis.

61. Infertur secundò, eodem modo philosophandum esse de comestione, vel abstinentia à certis quibusdam cibis, certis quibusdam diebus, cùm quis viuit inter hæreticos, vel transiit per eorum loca, nunquam licere comedere carnes sibi ab hæretico, vel infidele appositas diebus prohibitis, ad explorandum an sit Catholicus, si inde sequatur notabilis diminutio diuini honoris, vel scandalum proximi. Qui verò comederet carnes veritas sibi appositas, non animo explorandi, an sit Catholicus, non peccaret contra confessionem fidei, quamuis si non haberet iustam causam, infirmitatem scilicet, peccaret contra præceptum Ecclesiæ. nam esus carnium præcisè indifferens est ex se, neque est institutus ad professionem falsæ religionis, nec abstinentia ab illis fuit ab Ecclesia introducta ad discernendos Catholicos ab hæreticis, sed ad macerationem carnis.

61. 65. Inquires primò, an sit licitum fideli transeunti per Prouincias infidelium, vti vestibus propriis illorum ad vitandam mortem. Pro quo obserua tripliciter posse contingere, quòd infideles vtantur aliquo signo, vel habitu proprio. Primò sine intuitu religionis, sed solùm propter vsum diuersum prouinciæ. nam pro diuersitate prouinciarum reperitur diuersitas vestium. Secundò quodammodo in cultum religionis, hoc est, ad distinguendum fideles & infideles inter se; non tamen ad exhibendum religionis cultum, sed propter bonam gubernationem, aut ob alias causas. Tertiò quando lata est lex à Principe, vt quicumque in suo regno infidelis sit in testimonium & protestationem suæ Religionis tali veste vtatur: aliàs ab omnibus tanquam desertor illius reputetur. Et conueniunt Doctores licitum esse deferre habitum infidelium primo modo, id enim non indicat religionem, vel sectam, sed solùm nationem; & sic licitum est Catholico in Anglia, aut aliis Prouinciis hæreticorum, vti eorum vestibus.

63. Difficultas ergo est secundo, & tertio modo. In qua

66. Dicendum est primò quando vestis, vel signum non sunt per se instituta ad profitendam aliquam sectam, sed propter humanam politiam destinantur ad distinguendum fideles ab infidelibus, qui vtitur illis ex causa legitima, non peccat mortaliter contra fidei confessionem. Ita Suarez disp. 14. sect. 15. Ægidius disput. 15. dub. 3. & ratio est, quia hoc non est profiteri sectam alienam, sed propriam religionem occultare, quod sæpe licitum est: illæ enim vestes habent alium finem & vsum honestum, propter quem possint conuenienter deferri, & milites Christiani interdum in bello vtuntur vestibus infidelium, quibus ipsi distinguuntur à fidelibus, & præterea nullus damnaret Christianum captiuum, qui ad fugiendum occultè assumeret prædicta signa. Et denique, quia si Turca, vel Iudæus occultè conuerteretur ad fidem, statim esset obligandus deponere huiusmodi vestimenta, & se prodere, etiam si ea de causa esset occidendus, quod videtur durissimum. Dixi *ex legitima causa*, quia licèt res hæc non sit intrinsecè mala, est tamen de numero illarum quæ habent speciem mali; quare vt licitè fiat debet honestari ita vt vrgente necessitate fiat. nam qui sine necessitate id faceret, non censeretur vti illis rebus propter solum intrinsecum vsum, sed propter totum quod in eis est ex accommodatione hominum. nam moraliter vnusquisque censendus est vti rebus ad eum finem, ad quem omnes alij vtuntur. Deinde vitandum est etiam scandalum, non solùm extrinsecum, sed etiam propriæ conscientiæ, quod quidem generale est in omnibus operibus de se non malis.

67. Secundò dicendum est, non licere Christianis vti vestibus, aut signis deputatis à Principe ad professionem falsæ sectæ. Ratio est, quia, moraliter loquendo, vsus rei metiendus est ex primario fine ad quem instituitur: at vestes illæ primariò institutæ sunt ad protestandam falsam sectam; quare qui illis vtitur, censendus est talem fidem protestari: si autem Princeps infidelis animo vt occidantur Christiani propter fidei confessionem quam habent, edat legem, qua præcipiat vt Christiani certo vtantur signo, quo à cæteris Turcis, vel hæreticis distinguantur, adhuc fidelis qui eo signo ad vitandum mortis periculum vteretur, non peccaret. Ita Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 4. num. 29. Nam si vtens tali signo peccaret mortaliter, vel esset propter legem obligantem, vel quia lex illa, etiamsi sit iniusta, habet tamen vim interrogationis: fideles autem interrogati de sua religione tenentur illam confiteri. Neutrum autem horum conuincit, quia in primis non peccat vtens illo signo propter legis prohibitionem; quia ea lex est iniusta, contra ius naturale; expositione autem legis iniustæ nulla oritur obligatio. Imò quamuis lex esset iusta, adhuc fideles non tenerentur illi parere, quia leges humanæ non obligant ad sui obseruantiam cum periculo mortis. Deinde lex illa non habet vim interrogationis, quia vt omissio illius vestis reputaretur fidei negatio, debebat nullam aliam significationem habere; quia tamen alias significationes legitimas habet, ideo licèt constituatur à Principe pro negatione fidei, potest à fidelibus absque tali negatione vsurpari. Est enim magnum discrimen inter verba & signa. nam voces ex natura sua institutæ sunt, ad significandum & exprimendum internos mentis conceptus: quare si homo non vtatur vocibus propriis, & genuinis, sed vocibus sibi placitis, mentitur, quia abutitur propria significatione vocum. Res autem non sunt institutæ ad significandum ex natura sua, sed ex se habent suos proprios vsus, per accidens autem aliquando significant. Vnde prouenit vt non sit mendacium rebus abuti in significatione. v. g. habitus Monachalis secundùm communem existimationem, significat hominem eo habitu vestitum esse Monachum; atque ita hic habitus institutus est ad distinguendum Monachos à non Monachis: nihilominus si aliquis ad tuendam vitam deponat habitum monachalem, non mentitur; & si laicus induat vestem

monasticam, non mentitur: si verò quis interrogetur an sit Monachus, etiamsi sit indutus veste laicali, si sit Monachus, & negaret, mentiretur. Ex quo deducitur omittentem signum in nostro casu, seu in casu de quo loquimur, nec mentiri, nec negare fidem.

68. Inquires secundò, quinam sint qui speciatim teneantur confiteri fidem externam, ratione proprij muneris quo funguntur. Respondeo primò ad hoc primò teneri Parochos; omnes enim Parochi, & prouisi de beneficiis curam animarum habentibus, ex præcepto Tridentini intra duos menses à die adeptæ possessionis sui beneficij, tenentur publicè facere professionem fidei; est autem hæc professio facienda coram Vicario generali. Deinde illi qui habent Canonicatum, vel alias dignitates in Ecclesiis cathedralibus, tenentur etiam eamdem professionem facere coram Vicario, vel Episcopo, vtrumque habetur sess. 24. cap. 12. de Reformatio. Trident. & additur. *Et qui hoc non obseruauerit fructus non faciat suos.* Vbi nota, quòd si quis intra duos menses prædictos non faciat prædictam professionem, postea non cessat præceptum, quod omnes fatentur obligare sub mortali; quia quando aliquid præcipitur faciendum, & non præcipitur speciatim ratione temporis, vt in recitatione officij diuini, vel in ieiunio, sed ratione sui; si non fiat intra illud tempus, eo transacto manet eadem obligatio. Sufficiet autem, si prædicta professio fiat per Procuratorem, quia quoties quis obligatur ad aliquid agendum, quod potest præstare etiam per alium, non tenetur facere per se ipsum, nisi id exprimatur: in Tridentino autem non dicitur, vt prædicti confiteantur fidem per se ipsos. Deinde obserua, Canonicos & dignitates Ecclesiarum Collegiatarum, non teneri hoc præcepto, quia Tridentinum restringit illud ad Canonicos, & dignitates in Ecclesiis Cathedralibus. Ita Barbosa de officio & potest. Episcopi, allegat. 61. & similiter non comprehenduntur Coadiutores dignitatum, vel Canonicorum, durante coadiutoria; hi enim non dicuntur propriè prouisi de Canonicatu, vel dignitate. Ita Sarauia tract. de Iurisdict. quæst. 29. Denique nota, supradictos, si non faciant professionem, non teneri in conscientia ad restituendos fructus ante sententiam, vt rectè Sanchez in summa lib. 2. cap. 1. Nam leges pœnales ante sententiam non obligant in conscientia ad subeundas pœnas. Nomine verò fructuum quibus priuari debent, non intelliguntur distributiones quotidianæ, vt tenet Barbosa de Canonicis cap. 17. nec anniuersaria; hi enim non sunt fructus beneficij, sed ministerij personalis. Excusantur etiam omittentes prædictam professionem ex ignorantia inuincibili excusante à peccato, vt rectè notat Capuccinus de Priuileg. Mendicant. verb. Professio fidei, not. 2.

69. Secundò in eodem Trident. sess. 25. cap. 2. præcipitur omnibus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, vt in prima Synodo Prouinciali cui ipsi interfuerint, adiurent omnes hæreses. Tertiò ex decreto Pij IV. & V. tenentur ad eamdem fidei professionem faciendam, omnes Prælati Regulares quorumcumque Ordinum, etiam locales, qui in vnoquoque Conuentu aliis præsunt, vt sunt Priores, Guardiani, Rectores, &c. Cæterùm, vt notat idem Capuccinus, hoc non est in vsu quoad Prælatos Religiosos, & ita declarasse sacram Congregationem Eminentissimorum Cardinalium. Standum verò est in hac re consuetudini cuiusque Religionis, vt rectè Sanchez suprà cap. 5. Quartò ex motu proprio eiusdem Pij V. tenentur etiam ad eamdem professionem faciendam Magistri, lectores, Doctores, & omnes docentes Artes liberales, quomodocumque eas publicè doceant, & omnes illi, quibus ad hoc munus per aliquam vniuersitatem testimonium conceditur; in quo etiam standum est consuetudini, quia eiusmodi leges per contrariam consuetudinem solent abrogari.

DISPVTATIO IV.

De habitu Fidei.

SECTIO I.

Qualis sit habitus diuinæ Fidei.

CONVENIVNT Doctores, dari in intellectu habitum fidei, qui ex natura sua sit qualitas effectiua actus, quo credimus res à Deo reuelatas, propter auctoritatem Dei reuelantis, vt colligitur apertè ex Trident. sess. 6. cap. 6. & 7. Vbi post actum fidei dicit infundi iustitiam, quæ fidem, spem, & charitatem includit, & postea asserit, fidem non amitti per omne peccatum, quod necessariò intelligendum est de habituali. Et ratio huius est, quia cùm intellectus per suas vires non possit elicere actum supernaturalem, eget aliquo alio principio ad producendum talem actum, quod principium quando permanens est, à Doctoribus appellatur *habitus*: ponitur itaque habitus fidei in intellectu tanquam principium, quo possit elicere actus fidei supernaturales. Quòd autem hic habitus sit subiectiuè in intellectu, exploratum est apud omnes Theologos. nam actus ad quos eliciendos infunditur, sunt in intellectu, est enim facultas quædam, per quam intellectus assentitur his, quæ diuinitus reuelatæ sunt. 1.

Est ergo prima difficultas, an hic habitus sit vnicus, & vna simplex qualitas, & loquimur de habitu fidei qui ponitur in intellectu. nam, vt ex præcedentibus constat, præter hunc habitum requiritur alius in voluntate, quo elicitur actus à voluntate, à quo assensus fidei imperatur. Nonnulli enim, quos refert Turrianus disp. 38. cap. 5. existimant, præter habitum fidei nobis infundi species supernaturales. Alij verò præter eas species, & habitum fidei, infundi quoddam lumen supernaturale. 2.

Dicendum tamen est, habitum fidei vnum tantùm esse, & vnicam simplicem qualitatem; quia habitus sumunt suam vnitatem specificam ab obiecto formali: obiectum autem formale fidei vnum est, vt suprà ostendimus, quidquid enim credimus fide diuina, credimus immediatè propter idem omnino obiectum formale, nimirum propter auctoritatem Dei reuelantem; ac proinde per eosdem specie actus, & per eumdem habitum infusum. 3.

Obiicies primò, quia alij habitus intellectuales non consistunt in simplici habitu. nam habitus scientiæ, v. g. nihil aliud est, quàm variæ species, quæ res cognoscibiles ita repræsentant, vt intellectus clarè earum inter se connexionem videat: ergo idem dicendum est de habitu fidei. Respondetur negando antecedens, & quamuis illud admitteremus, in habitu fidei est longè diuersa ratio. nam quamuis ante actum fidei præcedant species necessariæ ad credendum; hæc tamen distinctæ sunt ab habitu fidei, quia non sunt supernaturales, 4.

naturales, aut infusæ, per se ac de lege ordinaria loquendo; quia res fidei apprehendimus modo naturali, & per analogiam ad eas res, quas sensibus percipimus. quod manifestè constat, quia potest quis sufficienter apprehendere res fidei, & adhuc manere infidelis non præbendo assensum. Similiter hæreticus quamuis fidem amittat, non ideo amittit species. Itaque, vt rectè notauit Vazquez 1. parte disput. 4. cap. 5. duo actus considerandi sunt, alter est apprehensio rerum fidei: alter verò assensus earum, & ad apprehensionem sufficiunt species; ad assensum verò cùm sit supernaturalis quoad substantiam, requiritur aliquod principium supernaturale, & hoc est habitus fidei.

Obiicies secundò, quia præter habitum fidei infunditur credentibus aliquod lumen, vt manifestè constat ex sacra Scriptura 1. Petri 2. *Vocauit nos in admirabile lumen suum.* & 2. ad Corinth. 4. *Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ*, & sæpe alibi. Respondetur negando requiri lumen distinctum ab habitu fidei, sed eumdem fidei habitum exercere illa duo officia: dicitur enim lumen quatenus manifestat obiectum; habitus verò quatenus permanenter informat potentiam, quod declaratur exemplo luminis gloriæ, cuius lumen fidei est quædam participatio: lumen enim gloriæ est etiam habitus potentiæ, quia permanenter informat potentiam, & dicitur lumen quatenus manifestat obiectum, scilicet Deum clarè visum; neque sunt ibi duæ qualitates. quòd si in sacra Scriptura sæpè appellatur lumen, ideo est, quia efficit, vt assentiamur obiectis fidei; ac proinde vt ea cognoscamus, quia omnis cognitio dicitur lumen, & quia Deus per gratias suas præuenientes excitat intellectum nostrum, vt perfectiùs apprehendamus rationes fidem suadentes, & impedit passiones quæ intellectum aliàs obscurarent, & à fide auerterent.

1. Petr. 1.
2. Cor. 4.

Obiicies tertiò, quia habitus practicus & speculatiuus essentialiter & specie differunt, teste Aristot. 7. Ethicorum cap. 7. ac proinde vnus & idem habitus intellectualis, non potest esse formaliter speculatiuus & practicus: sed habitus fidei est formaliter practicus & speculatiuus, quia sub eadem ratione formali credimus tam speculabilia, quàm operabilia; sicut enim propter auctoritatem Dei credimus Deum esse trinum & vnum, ita credimus Deum esse amandum, & adorandum: ergo habitus fidei non potest esse vnus simplex habitus, & vna simplex qualitas specie. Respondetur admittendo habitum fidei formaliter esse practicum, & speculatiuum, ob rationem in argumento adductam; negamus verò vnum & eumdem habitum non posse esse formaliter speculatiuum & practicum. Et quamuis aliquando colligatur distinctio essentialis inter habitus ex praxi, vel speculatione, non tamen semper. nam licèt quotiescumque aliquis habitus intellectualis secundùm suam adæquatam rationem versatur circa operabile, tunc sit essentialiter practicus, & quando secundùm adæquatam suam rationem versatur circa speculabile, sit essentialiter speculatiuus. Nihilominus quando habitus secundùm adæquatam suam rationem versatur circa speculabile, & circa operabile, simul est practicus & speculatiuus; quia vtrumque respicit sub ratione quadam superiori, & talis est habitus fidei, quia vtrasque veritates respicit vt à Deo reuelatas, tanquam circa obiectum adæquatum: potentiæ autem vel habitus ex solo respectu ad obiectum adæquatum differunt essentialiter.

6.
1.
3.
4.

Secunda difficultas est, an fides sit virtus intellectualis, vel moralis. Pro quo obseruandum est quòd Philosophi considerantes hominem constare intellectu & voluntate, duplex genus virtutum in illo constituerunt: alterum in intellectu, vt verum cognosceret: alterum verò in voluntate, vt ad bonum tenderet. Virtutes prioris generis appellant intellectuales, vt sunt habitus principiorum, scientia, & sapientia, per quas intellectus verum attingit. Posterioris verò generis virtutes vocant morales, quæ residunt in voluntate, aut appetitu sensitiuo, per quas coniunguntur cum suo bono proprio. Difficultas ergo hæc potest procedere de fide per charitatem formata, vel de fide informi, & iuxta vtramque considerationem discutienda est. 7.

Dicendum est primò, fidem tam formatam, quàm informem intrinsecè & ex natura sua esse virtutem intellectualem. Probatur de fide formata, quia est virtus perficiens intellectum in ordine ad verum, quod est bonum illius: omnis autem habitus intellectus ex se inclinans semper in verum, est virtus intellectualis; qua ratione habitus opinionis non est virtus intellectualis, quia ex se non semper inclinat in verum: fides verò inclinat intellectum ad perfectissimam cognitionem Dei, quæ pro hoc statu haberi potest. Quo argumento similiter conuincitur fidem informem esse verè & propriè virtutem intellectualem, quia virtus intellectualis propriè & strictè, solùm debet esse dispositio perficiens intellectum ad verum secundùm rationem veri, ita vt ex se semper & necessariò in verum inclinet: cùm ergo hæc ratio æquè & essentialiter conueniat tam fidei formatæ, quàm informi, sequitur manifestè vtramque propriè, & strictè, esse virtutem intellectualem. 8.

Obiicies ex Durando in 3. distinct. 23. quæst. 6. quia virtus ex Philosopho, est dispositio perfecti ad optimum, id est, habitus perficiens potentiam secundùm optimum actum quem potest habere: sed fides etiam formata non perficit intellectum ad optimum actum, cùm non faciat euidentiam in suo actu; intellectus enim versatur circa verum cum euidentia: fides autem caret euidentia, quæ est maxima perfectio intellectus: ergo, strictè & propriè loquendo, non est virtus intellectualis. Respondetur, verum esse virtutem esse habitum perficientem potentiam ad actum vltimatè perfectum, attenta tamen natura potentiæ, & conditione obiecti, atque etiam statu huius vitæ, & quia obiecta supernaturalia, circa quæ fides versatur, non possunt à nobis perfectius in hac vita cognosci, quàm per habitum fidei, non obstat ineuidentia vt virtus intellectualis non sit: quia ex natura sua est infallibilis & certissima, quia nititur testimonio primæ veritatis, quæ nec falli nec fallere potest; ac proinde est perfectissimus actus cognitionis, qui à nobis in hac vita haberi potest de obiecto supernaturali. 9.

Secundò dicendum est, fidem formatam non esse simpliciter intrinsecè & formaliter virtutem moralem, sed hoc habere ab extrinseco, nimirum à charitate. Probatur, quia virtus simpliciter & intrinsecè moralis, disponit habentem ad bonum simpliciter: sed fides formata disponit hominem in vltimum finem, & in vitam æternam, non per aliquid sibi intrinsecum, sed per charitatem 10.

quæ ſibi eſt ab extrinſeco: ergo. Dices hac ratione nihil plus habere fidem quàm ſcientiam, quæ ab extrinſeco poteſt perfici, ſcilicet ex imperio charitatis. Reſpondetur, eſſe magnum diſcrimen, quia ſcientia in ſuo genere eſt ſimpliciter perfecta ſine charitate; ex imperio autem charitatis eleuatur ad finem alterius generis, & perficitur non ſolùm extrinſecè, ſed per formam alterius generis. At fides confertur à Deo vt ordinabilis & perfectibilis, extrinſecè quidem per charitatem, ſed non tanquam per formam alterius generis & finis, quia fides & charitas verſantur circa finem ſupernaturalem, & ſunt eiuſdem ordinis, & generis ſupernaturalis.

11. Tertia difficultas eſt, an fides ſit prior aliis virtutibus moralibus. Hæc autem comparatio non fit inter fidem & virtutes intellectuales, quia cùm non pertineant ad conſecutionem vltimi finis, nullus datur ordo prioris & poſterioris; ſed comparatio fit inter fidem ex vna parte, & virtutes theologicas, & morales ex alia. Et cùm virtus tripliciter poſſit dici prior aliis; vno modo prioritate dignitatis: ſecundo modo ordine naturæ: tertio verò prioritate temporis. Difficultas hæc non procedit de prioritate primo modo, nam certum eſt charitatem hac ratione priorem eſſe, teſte Paulo: *Maior autem horum eſt charitas.* Neque procedit de prioritate ordine naturæ, quia etiam eſt certum hac ratione fidem priorem eſſe, quia cùm ſpes & charitas ſint ſubiectiuè in voluntate, non poſſumus ſperare, aut diligere, niſi cognitum per fidem, quia nihil volitum quin præcognitum. Et etiam fides, ſimpliciter loquendo, eſt prior ordine naturæ, quàm virtutes morales, licèt per accidens quandoque eiuſmodi virtutes ſint priores; nam interdum contingit vt per aliquam aliam virtutem oporteat priùs remouere id quod eſt homini impedimento quominus credat, vt timorem per fortitudinem, ſuperbiam per humilitatem, vt intellectus cedat difficultati credendi. Itaque difficultas procedit de prioritate temporis, an fides non ſolùm ſit prior natura, ſed tempore aliis virtutibus, ita vt aliquando prius tempore infundatur, quàm cæteræ virtutes.

12. In qua difficultate dicendum cenſeo cum Scoto in 3. diſtinct. 36. quæſt. 1. art. 4. & D. Bonauentura diſt. 23. quæſt. 4. habitum fidei nunquam infundi niſi ſimul cum ſpe & charitate, quia, vt conſtat Deuteronom. 32. *Dei perfecta ſunt opera.* & ideo omnes creaturæ ſunt à Deo conditæ cum ſuis perfectionibus eſſentialibus & accidentalibus ſibi naturaliter debitis: ergo ſimiliter in ſupernaturalibus, cùm Deus infundit bona ſupernaturalia, infundit illa perfecta; ſed perfectio debita fidei prouenit à charitate: ergo nunquam infunditur à Deo fides informis. Deinde, quia Deus neminem ſanat niſi integrè & perfectè: ergo neque infundit fidem informem. Patet conſequentia, quia per fidem informem ſolùm ſanatur homo ab infirmitate intellectus, non tamen à praua voluntate; quod eſſet ſanare hominem imperfectè. Atque ita videtur colligi ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi aſſeritur: *Vnde in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc ſimul infuſa accipit homo fidem, ſpem, charitatem.* Quibus verbis apertè docet, fidei, ſpei & charitatis habitum in iuſtificatione ſimul, id eſt, eodem tempore, infundi.

Deuter. 32.

Trident.

13. Obiicies primò, quia quando duæ formæ non ſunt ſibi inuicem eſſentialiter connexæ, poteſt recipi vna ſine alia, in ſubiecto diſpoſito ad vnam, & non ad aliam: ſed fides & charitas non ſunt intrinſecè connexæ. nam in peccatore fides manet ſine charitate; ergo poteſt infundi fides ſine charitate in ſubiecto diſpoſito ad fidem, & non ad charitatem, ſicut conſeruatur in ſubiecto ſine charitate. Reſpondetur negando conſequentiam. nam ideo habitus fidei poteſt conſeruari deſtructis habitibus ſpei & charitatis, quia ſemel producto debetur ei conſeruatio, quandiu per contrarium non deſtruitur: habitus autem fidei nihil habet contrarium præter actum & habitum infidelitatis; non tamen poteſt infundi de lege ordinaria niſi ſimul alij habitus infundantur.

14. Obiicies ſecundò, eodem inſtanti temporis quo primus charitatis actus exercetur, infunditur habitus charitatis: ergo ſimiliter eo temporis inſtanti quo primus fidei actus elicitur, infunditur habitus fidei. Patet conſequentia, quia actus fidei elicitus eſt tam proportionata diſpoſitio ad recipiendum habitum fidei, quàm actus charitatis ad eiuſdem habitum ſuſcipiendum: ſed poteſt quis elicere actum fidei ſupernaturalis antequam eliciat actus ſpei & charitatis: ergo in eo caſu priùs tempore infundetur habitus fidei. Reſpondetur negando antecedens, quia eſt longè diuerſa ratio. nam cùm actus charitatis ſit vltima diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, eſt etiam vltima diſpoſitio ad habitum gratiæ ſanctificantis, & charitatis: at actus fidei præcisè cùm neque phyſicè poſſit producere habitum fidei, nec moraliter, ſeu meritoriè; nec ſit vltima diſpoſitio ad remiſſionem peccatorum, ex nullo capite debetur ei habitus fidei productio, & exiſtentia.

15. Denique obiicies, quia poteſt recipi baptiſmus cum diſpoſitione ad fidem, & non ad charitatem: Sacramentum autem dat effectum cui non opponitur obex. Similiter hæreticus conuerſus ad fidem ſine pœnitentia peccatorum incipit eſſe verè fidelis, & membrum Eccleſiæ: ergo recipit fidem. Reſpondetur, Deum non dare ſalutem ſpiritualem dimidiatam; ac proinde Sacramentum Baptiſmi non conferre habitum fidei donec baptizatus ſe diſponat ad integram iuſtitiam. Et idem dicendum eſt de hæretico conuerſo ad fidem ſine pœnitentia peccatorum, non infundi in eo habitum fidei, donec veram pœnitentiam agat, & ſimul recipiat veram iuſtitiam & ſanctitatem.

16. Addo, quamuis hæc argumenta non conuincant, vt vidimus, faciunt tamen hanc ſententiam ſatis probabilem, & eam ſequuntur plures & graues Recentiores; ac proinde vtramque ſententiam æquè probabilem cenſeo; vnde ad rationes pro noſtra ſententia adductas reſponderi poteſt, Deum quantum eſt ex ſe ſemper hominem perfectè ſanare, quandoque tamen id non perficere ob noſtrum defectum. Ille autem locus Tridentini non vrget. nam, vt explicat Vazquez 3. part. tom. 2. diſput. 158. particula illa *ſimul* ſumi poteſt pro particula *pariter*, vel ſi ſignificat durationem, non ſignificat inſtans infuſionis gratiæ habitualis, ſed totam durationem iuſtificationis, vt iuſtificatio ſumitur pro ſerie diſpoſitionum à primo auxilio vſque ad infuſionem habitus charitatis & gratiæ.

SECTIO

SECTIO II.

An charitas sit forma fidei.

17. CONcluſio eſt affirmatiua, & de fide, & colligitur ex D.Paulo ad Galat.2.vbi dicitur: *Fides quæ per dilectionem operatur*; vnumquodque autem operatur prout eſt actu per formam: ſi ergo fides per charitatem operatur, charitas eſt forma fidei. Vnde Auguſt. lib.de cognitione veræ vitæ cap.17. inquit: *Fides ſpe nutritur, charitate autem animatur.* Præterea probatur ex 1.Corinth.13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Quod luculenter confirmat D Iacobus cap.2. *Quid proderit, fratres mei, ſi quis dicat fidem ſe habere, opera autem non habeat*; & deinde ſubiungit: *Fides ſine operibus mortua eſt in ſemetipſa.* Et infrà: *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita fides ſine operibus.* Pluribus autem titulis, & rationibus vocatur charitas forma fidei. Primò, quia tribuit illi pulchritudinem, tribuendo meritum: pulchritudo autem ſemper eſt forma. Secundò, quia tribuit illi robur, & firmitatem cõtra pericula tentationum, quibus fides ſine charitate periclitari ſolet. Tertiò, quia dat illi perfectionem, ordinando illam in vitam æternam. Quartò, quia confert illi operationem, & conſequenter vitam, nam vita in motu, & operatione conſiſtit: ſic quando res ſunt otioſæ cùm alioqui poſſint operari, vulgò dicuntur mortuæ; quare aquæ ſemper fluentes dicuntur viuæ, & arbores in hieme mortuæ, eo quòd nec flores, nec frondes, nec fructus emittant. Denique, quia fides eſt diſpoſitio ad charitatem, & quid præſuppoſitum, & ordinatum ad illam; quidquid autem ſe habet ad modum diſpoſitionis, habet ſe vt materia reſpectu formæ.

Gal.2. Auguſt. 2.Cor.13. Iacob.2.

18. Difficultas autem eſſe poteſt de modo quo charitas ſit forma fidei, quia forma, & id cuius eſt forma, debent eſſe in eodem ſubiecto: fides autem eſt in intellectu, charitas verò in voluntate; ergo charitas non poteſt eſſe forma fidei. Hoc tamen facilè intelligitur, nam charitas non informat fidem phyſicè, eam intrinſecè perficiendo: hac enim ratione fides deberet eſſe ſubiectum charitatis, quod eſt abſurdum, quando ergo dicimus fidem informari per charitatem, intelligendum eſt extrinſecè, & ratione quadam morali, ob rationes nuper aſſignatas. Ex quibus

15.

16. Infertur primò rectè diuidi à Theologis fidem, informatam, informem fidem formatam appellant, quæ ſimul coniuncta eſt cum charitate: informem verò quæ à charitate ſeiuncta eſt. Non quòd duos habitus fidei ſpecie diſtinctos in intellectu conſtituamus, ſed quia vnus, & idem habitus modò eſt perfectus, & poſtea imperfectus, modò formatus, & poſtea informis: ſicut idem ſecundùm rem eſt aër cùm à ſole illuminatur, & cùm eſt tenebroſus. Ratio huius eſt, quia habitus diuerſificantur ex diuerſo ordine intrinſeco ad obiectum, & non ab extrinſeco: cùm ergo tam fides formata, quàm informis, dicant intrinſecum ordinem ad primam veritatem reuelantem erit vnicus ſimplex habitus ſpecie; quare licèt per peccatum mortale tollatur extrinſecus ordo, qui eſt per charitatem, non tamen tollitur intrinſecus; & ſic manet idem habitus: nam habitus fidei per peccatum mortale nihil amittit perfectionis in eſſe habitus, ſed manet cum omni ſua perfectione intrinſeca; extrinſecè tamen manet imperfectus, quia tollitur ab eo ordo extrinſecus, dixi, eſt per charitatem.

19. Infertur ſecundò, fidei habitum non amitti per omne peccatum mortale. Ita eſt expreſsè diffinitum in Trident. ſeſſ.6. can.28. his verbis. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amuti, aut fidem quæ remanet non eſſe veram fidem, licèt non ſit viua; aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum, anathema ſit.* Idem colligitur manifeſtè ex ſacra Scriptura, Ioan.12. *Ex principibus autem multi crediderunt in illum, ſed non audebant illum confiteri, ne extra ſynagogam eiicerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm Dei.* Vbi apparet hos in Chriſtum verè credidiſſe, & nihilominus mortali peccato obſtrictos fuiſſe; atque adeò deſtitutos charitate. Quod etiam confirmatur teſtimoniis ſuprà relatis ex D. Paulo, & ex D.Iacobo. Et ratio huius eſt, quia non omne peccatum eſt contrarium fidei, nec deſtructiuum rationis formalis obiecti eius; quare licèt homo ſit in peccato mortali, nihilominus poteſt credere omnia reuelata, & quia reuelata ſunt, & hanc fidem mente & animo retinere. Trident. Ioan.12.

20. Infertur tertiò, fidem informem poſſe fieri formatam, ac vice verſa: nam eadem ſpecie, & numero fides quæ remanſit in Chriſtiano lapſo in aliquod peccatum mortale, manet in ipſo poſtquam gratiam, & charitatem recuperauit: ergo de informi fit formata; hoc eſt cum gratia & charitate coniuncta: ſi verò rurſus labatur in aliud peccatum mortale, retinet eamdem fidem quam habuerat ante lapſum: ergo deformata fit informis, id eſt, à gratia & charitate ſeiuncta.

21. Obiiciunt hæretici plura loca ſacræ Scripturæ, inter quæ præcipua ſunt, illud Pauli 1.ad Timoth.1. *Amittentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragauerunt*; ergo per quodlibet peccatum mortale amittitur fides. Et illud Iacobi 2. *Fides ſine operibus mortua eſt.* Sicut enim homo mortuus non eſt verus homo, itaque neque fides mortua vera fides. Reſpondetur D. Paulum non velle per omne peccatum contra conſcientiam amitti fidem, ſed quia peccatum aliquo modo debilitat fidem, quatenus aufert affectum erga Deum, & impedit gratiæ influxum, ideo aſſerit amittendo bonam conſcientiam naufragari circa fidem, quia multiplicando peccata ſæpe contingit cadere in hæreſim, per quam fides amittitur. Nec ex teſtimonio D.Iacobi aliquid conuincitur, quia charitas quamuis ſit forma fidei, non tamé eſt forma intrinſeca, vt diximus, & ſic nõ eſt de ratione fidei; habet verò ſe ſicut anima reſpectu corporis. Quare ſicut corpus manet verè corpus, ita fides ſine charitate; quod ſatis innuit Apoſtolus, nã poſtea quàm dixit, *Fides ſine operibus mortua eſt*, ſe explicat in vltimo capite, dicens: *Fidem ſine charitate eſſe, ſicut corpus ſine ſpiritu*, quod manet verum corpus, etiamſi ab eo ſpiritus ſeparetur. Vel aliter poteſt explicari, fidem dici mortuam in Scripturis ſine charitate metaphoricè, & per ſimilitudinem, non tamen propriè & intrinſecè: nam fides ſine charitate ſe habet ad inſtar rei mortuæ, eo quòd ſit otioſa, non eliciens operationem dignam vitæ æternæ. 1.Timoth.1. Iacob.2.

22. Obiiciunt ſecundò, pluta teſtimonia ſanctorum Patrum aſſerentium fidem ſine operibus non eſſe veram fidem. Sed facilè reſpondetur, Patres eo modo loquendi tantùm velle fidem ſine charitate eſſe ſterilem & infructuoſam, ac quandiu talis manet, inutilem ad ſalutem, quamuis quoad intrinſeca & eſſentialia, vera fides ſit.

Sectio III.

De ſubiecto Fidei.

23. NOn loquimur de ſubiecto proximo & immediato, iam enim ex ſuprà dictis conſtat eſſe intellectum, ſed de remoto, & mediato, quod eſt creatura intellectualis voluntate prædita. Et

Prima difficultas eſt, an Angeli in via, & Adam in Paradiſo habuerint fidem. Et conueniunt Doctores, Angelos in primo inſtanti ſuæ viæ habuiſſe cognitionem myſteriorum ſupernaturalium: cùm enim fuerint creati in gratia & charitate: charitas autem viatoris non poſſit eſſe ſine cognitione ſupernaturali, manifeſtè ſequitur Angelos in via habuiſſe cognitionem myſteriorum ſupernaturalium. Difficultas ergo eſt, an hæc cognitio in Angelis debeat dici fides in rigore loquendo, id enim negat Durandus in 3. diſt. 23. quæſt. 9. Quia Angelus euidenter cognoſcebat Deum eſſe qui ſibi proponebat myſteria ſupernaturalia; euidenter etiam cognoſcebat, Deum non poſſe mentiri, neque fallere: ergo ſimiliter cognoſcebat euidenter ſibi reuelata eſſe vera, hæc autem cognitio repugnat cum aſſenſu fidei, qui neceſſariò debet eſſe ineuidens & obſcurus: ergo Angelus in via, ſtrictè & propriè loquendo, non habuit fidem myſteriorum ſupernaturalium. Hoc tamen iam ſuprà reiectum eſt, vbi docuimus euidentiam in atteſtante rectè componi poſſe cum aſſenſu fidei diuinæ.

24. Dicendum itaque eſt, tam Angelos in via, quàm primum hominem in Paradiſo habuiſſe veram fidem. Ita communiter Doctores. Et ratio eſt, quia nunquam in viatoribus, ſiue hominibus, ſiue Angelis, gratia ſanctificans ſine fide reperitur, vt docuit Paulus ad Hebræos 11. dicens, *Impoſſibile eſt ſine fide placere Deo*; ergo cùm Angeli, & primus parens fuerint creati in gratia ſanctificante, conſequenter dicendum eſt eos habuiſſe veram fidem. Deinde cùm æternam beatitudinem ſperauerint, neceſſe eſt vt in eis præceſſerit fides; quomodo enim ſperare poterant æternam beatitudinem, niſi priùs eam agnouiſſent; ſed non cognouerunt quidditatiuè, aliàs intuitiuè Deum vidiſſent; nec etiam naturæ ſuæ viribus, cùm beatitudo in ſe, & ſua entitate ſit ſupernaturalis: ergo cognouerunt eam ex Dei reuelatione, ac proinde per fidem illi reuelationi innixam. Et eadem ratione probatur de primo Parente, quia cùm fuerit creatus in gratia, certum eſt non fuiſſe creatum cum viſione clara Dei; ac proinde in eo primo inſtanti habuiſſe actum fidei, vt reciperet gratiam cum diſpoſitione actuali: cùm ergo habuerit fidem actualem, conſequenter dicendum eſt, etiam habuiſſe habitum ſupernaturalem fidei.

Hebr. 11.

25. Secunda difficultas eſt de Dæmonibus ac damnatis, an in eis manſerit fides infuſa. In qua ſententia negans omnino tenenda eſt. Et de actu fidei ſupernaturali probatur, quia in eo ſtatu non conceditur Dæmonibus, neque damnatis, auxilium ſupernaturale ad eliciendos actus ſupernaturales, quia in pœnam ſuorum delictorum manent priuati omni auxilio ſupernaturali, actus autem fidei cùm ſit ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis, nequit elici abſque auxilio ſupernaturali. Deinde, quia actus fidei ordinatur, vt diſpoſitio ad iuſtificationem; ſed in eo ſtatu eſt impoſſibilis iuſtificatio; ergo. Et confirmatur, quia ad credendum fide diuina, requiritur in voluntate pia, & honeſta affectio: ſed damnati cùm ſint obſtinati in malo, & in odio Dei, nequeunt habere piam, neque honeſtam affectionem: ergo neque poſſunt habere fidem diuinam. Quo argumento ſimiliter probatur in damnatis non manere habitum fidei, quia tam excellens Dei donum ſupernaturale, radix & fundamentum iuſtificationis, non eſt decens, neque conueniens illi ſtatui, in quo nullus fidei diuinæ actus exerceri poteſt; ac proinde eſſet otioſus & inutilis; ceſſat enim ibi finis in quem ordinatur talis habitus, qui ex natura ſua ordinatur ad eliciendum actum fidei, vt quis poſſit iuſtificari, aut in acepta iuſtitia creſcere, quod in ſtatu damnatorum eſt impoſſibile; & in pœnam ſuorum peccatorum meritò priuantur hoc dono, ſicut & omnibus aliis ſupernaturalibus.

Nec obſtat illud D. Iacobi 2. *Credis quia vnus eſt Deus; bene facis: & Dæmones credunt, & contremiſcunt.* Vbi Dæmonibus tribuitur eadem fides infuſa, quæ & Chriſtianis. Reſpondetur, duobus modis poſſe intellectum moueri à voluntate ad credendum, vno modo ex pia affectione, quia voluntas piè affecta erga Deum mouet, & determinat intellectum ad aſſentiendum reuelatis propter teſtimonium Dei, qua ratione habitus fidei ſupernaturalis non manet in damnatis. Alio modo voluntas mouet intellectum ad credendum, quaſi per violentiam quandam, & coactionem, nimirum quia intellectus conuincitur ad credendum, quia videt tot miracula, & ſigna efficaciſſima: qua ratione Dæmones credebant Chriſtum eſſe Deum & hominem, & alia myſteria noſtræ fidei; hæc autem fides non eſt ſupernaturalis, ſed humana: vnde rectè Auguſtinus lib. 9. de ciuitate Dei, cap. 21. dixit, Dæmones cognouiſſe Chriſtum, non lumine fidei, ſed efficacia ſignorum. Præterea, quia vident apertè ſe à Deo eſſe damnatos, & propter ſua peccata puniri; ac proinde compelluntur credere Deum eſſe: & denique, quia in via habuerunt euidentiam in atteſtante aliquorum myſteriorum ſupernaturalium, quam notitiam adhuc retinent, & ſic habent fidem aliquam impropriè dictam. 26. Iacob. 2.

27. Obiicies ſecundò, quia Dæmones non amiſerunt fidem ratione infidelitatis; non enim conſtat hoc fuiſſe illorum peccatum; nec ratione ſtatus, quia hic nullam habet cum fide repugnantiam. Reſpondetur, quòd quamuis in ſtatu viæ habitus fidei non deſinat niſi per oppoſitum actum infidelitatis, cæterùm extra ſtatum viæ, poſſe deſinere, propter cauſas ſuprà relatas, Deo ſubtrahente concurſum, quo fides antea conſeruabatur, vt conſtat in Beatis, in quibus, vt iam oſtendo, non manet fides, & tamen non deſinit eſſe per aliquem actum infidelitatis.

28. Tertia difficultas eſt de Beatis, & animabus Purgatorij. In qua loquendo de Beatis dicendum eſt, cum communi ſententia Theologorum, fidem in illis non eſſe, quod colligitur apertè ex Paulo 1. Corinth. 13. vbi loquens de clara Dei viſione ait: *Cùm autem venerit quod perfectum eſt*, id eſt, clara, & perfecta cognitio patriæ, *euacuabitur quod ex parte eſt*, nimirum imperfecta fidei cognitio; & 2. Corinth. 5. docet: *Nos hîc peregrinari à Domino, quia per fidem ambulamus, & non per ſpeciem.* id eſt, non per claram Dei viſionem. Ratio huius eſt, quia perfectio illius ſtatus, excludit tam imperfectam cognitionem, qualis eſt ea, quæ per fidem habetur. Quæ ratio æquè procedit, tam de actu, quàm de habitu 1. Cor. 13. 2. Cor. 5.

habitu fidei: sicut enim actus fidei tollitur per claram Dei visionem, quia tam imperfecta cognitio non decet illum statum perfectissimum; ita similiter propter eamdem rationem aduenientе lumine gloriæ, correspondens habitui fidei, tollitur iste habitus, qui ex se est obscurus, & essentialiter imperfectus. Esset etiam ibi frustrà, cùm nunquam possit exire in actum.

29. Si verò loquamur de animabus existentibus in purgatorio, dicendum est, in illis manere fidem, cùm enim nondum clarè Deum videant, adhuc peregrinantur à Domino, ac proinde ambulant per fidem, tum etiam, quia cùm his animabus nondum aduenerit quod perfectum est, nec etiam debuit euacuari, quod erat ex parte, scilicet fides.

30. Quarta difficultas est, an qui discredit vnum articulum fidei, habeat fidem aliorum, hoc est, an per aliquem actum hæresis, corrumpatur habitus, qui circa alia obiecta potest ex se versari. In qua etiam dicendum est cum communi Scholasticorum sententia, hæreticos, siue fideles, qui voluntariè dissentiunt vni articulo, statim amittere fidem infusam circa omnes alios: quod colligitur apertè ex Tridentino sess. 6. cap. 15. vbi ait, *Asserendum est, non modò infidelitate, per quam & ipsa fides amittitur*, &c. Quibus verbis manifestè docet, fidem amitti per infidelitatem: omnis autem hæresis est vera infidelitas; ergo per quamuis hæresim, fides diuina omnino amittitur. Et ratio huius est, quia quando duo, vel plura proponuntur sufficienter intellectui ob vnam, & eamdem rationem formalem, non potest vnum amplecti, & alterum respuere: si enim vnum amplectatur, & aliud reiiciat, signum euidens est, ipsum assentiri ex alio formali motiuo. Cùm ergo articuli nostræ fidei, tam hi, circa quos errat hæreticus, quàm illi, circa quos non errat, proponantur sub vna, & eadem ratione formali assentiendi, scilicet propter auctoritatem diuinam reuelantem, non potest vnum amplecti ob rationem hanc, & alium reiicere. Ex quo fit hæreticum vni articulo assentientem, & aliis dissentientem, nullum credere fide diuina, cùm in omnibus eadem ratio formalis æquè inueniatur, nimirum prima veritas, seu diuina reuelatio, & propositio Ecclesiæ. Si enim hæreticus persuaderet sibi diuinam reuelationem, & propositionem Ecclesiæ Romanæ esse infallibilem; cùm omnes alios fidei articulos Ecclesia proponat tanquam à Deo reuelatos, nullum articulum hæreticus negaret.

Trident.

31. Ex quo infertur decisio alterius difficultatis, qua ratione expellatur habitus fidei per actum infidelitatis, vel hæresis; non enim expellitur demeritoriè, & dispositiuè, vt nonnulli volunt; quia possunt esse alia peccata maiora, & quæ maiorem pœnam mereantur, & nihilominus fides per illa non expellitur. Quare dicendum est ex natura rei habitum fidei corrumpi per actum infidelitatis, vel hæresis, tanquam per formam contrariam. Ita D. Thom. quæst. 5. art. 3. quem sequitur Vasquez 1.2. disp. 91. cap. 4. Ratio verò detumitur ex eodem D. Thoma, quia per talem actum omnino auferitur obiectum fidei: nam qui propositis ab Ecclesia omnibus articulis vt à Deo reuelatis, iudicat eam circa vnum falli, non adhæret illi vt proponenti infallibili, ac proinde si vnum iudicat verum, & non alium, non ducitur testimonio Dei ab Ecclesia infallibiliter proposito; ac proinde destruit totum obiectum, & rationem formalem credendi, vt prædictum manet. Nec obstat primò hæreticos post hæresim experiri se eadem facilitate credere ea quæ antea credebant, & quæ non negant. Nam hæc facilitas non prouenit ex habitu fidei, sed ex antiqua, & pristina consuetudine. Deinde secundò non obstat, quod habitus virtutum acquisitarum non corrumpuntur per vnum actum cõtrarium, potest enim quis habere habitum iustitiæ, & exercere actum iniustitiæ, non amisso habitu iustitiæ. Nam hoc est peculiare in fidei habitu, quòd non possit consistere cum actu contrario, eo quòd per quemcumque actum requiritur tota ratio credendi, & totum medium assentiendi: sicut si quis sciret decem conclusiones per vnum, & idem medium, tunc scientia vnius conclusionis, & error circa alias, non possent esse simul, quia respueretur ratio formalis sciendi. Ita similiter, quia omnia creduntur per vnum, & idem medium, repugnat quòd fides, & hæresis possint esse simul etiam circa diuersos articulos.

Denique vltima difficultas est, an fides sit maior in vno, quàm in alio. Quæ tamen facile explicatur, nam fides potest dupliciter considerari, vel ex parte subiecti, vel ex parte obiecti: si consideretur ex parte subiecti, potest intensiuè esse maior in vno, quàm in alio; quia cùm fides dependeat ab intellectu, & pia affectione voluntatis, intellectus qui acutiùs perceperit testimonia fidei, maiorem habebit assensum; voluntas etiam quæ magis erit affecta circa res diuinas, maiorem habebit deuotionem, seu promptitudinem in credendo, magis etiam mouebit intellectum ad assentiendum mysteriis fidei. Deinde, quia quamuis habitus fidei non fiat maior efficienter à suis actibus, potest tamen augeri dispositiuè per actus intensiores. nam talis dispositio ex natura rei postulat infusionem habitus; potest autem vnus habere plures, frequentiores, & intensiores actus fidei, quàm alius. Si verò fides consideretur ex parte obiecti, cùm fidei obiectum sit duplex, formale, & materiale: certum est quòd fides ex parte obiecti formalis non est maior in vno, quàm in alio, quia prima veritas reuelans, quæ est ratio formalis credendi, ex æquo se habet respectu omnium. Ex parte verò obiecti materialis, maior est fides in vno, quàm in alio. nam obiectum fidei materiale sunt res creditæ, & constat vnum plura mysteria fidei credere explicitè, quàm alium.

32.

DISPVTATIO V.

De Hæresi.

SECTIO I.

Quid sit Infidelitas.

INFIDELITAS, quæ vitium est fidei Christianæ oppositum, iuxta communem sententiam Theologorum duplex est: altera quæ reperitur in his, in quibus nulla datur fidei notitia: altera verò in his, qui fidei notitiam habent, sed illam vel contemnunt, vel contradicunt. Prior appellatur infidelitas negatiua, & dicitur carentia fidei ex defectu propositionis rerum fidei, qualis vt plurimum reperitur in gentibus. Posterior verò dicitur positiua, & est voluntarius discessus à fide, siue error in intellectu existens,

1.

Digitized by Google

exiſtens, ſed voluntarius; qualis reperitur in Iudæis, Turcis, & Hæreticis.

2. Infidelitas poſitiua eſt peccatum ex genere ſuo mortale; eſt enim per ſe grauis iniuria, non credere Deo dicenti, poſt ſufficientem propoſitionem rerum fidei, quia paruipenditur prima veritas: eſt etiam contraria præcepto diuino in re grauiſſima, & naturali etiam rationi, quæ præſcribit Deo eſſe credendum. Eſt etiam grauius peccatum, peccatis quæ fiunt contra virtutes morales, quia fides habet perfectius obiectum, nimirum ipſum Deum: at virtutes morales non verſantur circa Deum vt obiectum formale, ex quo fit peccatum contra virtutem fidei, grauius eſſe ex obiecto, peccatis cõtra virtutes morales. Eſt etiam peccatum grauiſſimum, & ideo in ſacra Scriptura dicitur peccatum per antonomaſiam Ioan. 15. *Si non veniſſem*, &c. *peccatum non haberent*. nam radicitus euellit fundamentum totius iuſtitiæ, quod eſt fides; conſtituit hominem in eo ſtatu, vt nihil quod placeat Deo efficere poſſit, & tandem eſt difficilioris curationis, vt ſatis ex ſe conſtat.

Ioan. 15.

3. Infidelitas negatiua, qualis eſt eorum, qui nihil audiuerunt de fide, per ſe non eſt peccatum. nam qui nihil audiuit de doctrina fidei, non poteſt humano modo, id eſt, deliberatè, & ex intentione, acquirere vlla ratione notitiam illius: vt enim ait Apoſtolus ad Rom. 10. *Quomodo credent ei quem non audierunt*; ergo non peccat hoc ipſo qui ea notitia caret. Patet conſequentia, quia non poteſt ignorantia aliqua eſſe culpabilis, niſi præcedat aliqua ſaltem cogitatio, vel dubitatio obligationis ſciendi quod ignoratur. Non tamen inde inferas, vt malè inferunt hæretici, omnia opera infidelium eſſe peccata, nec poſſe conſiſtere cum infidelitate operationem aliquam moraliter bonam. Nam certum eſt ſecundum fidem Catholicam, poſſe fieri a quibuſcunque Infidelibus aliqua opera bona moraliter, etiamſi verum Deum non cognoſcant, vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 6, Canon. 7. Vbi ſub anathemate damnatur is, qui dixerit, omnem actionem hominis ante iuſtificationem eſſe peccatum.

Rom. 10.

4. Eccleſia nullos Infideles poteſt cogere ad ſuſcipiendam fidem ſi baptizati non ſint, nullibi enim conſtat Chriſtum conceſſiſſe ei hanc poteſtatem: nec fuit expediens, nam in multis poſſet eſſe ſimulata ſuſceptio fidei. Vnde Paulus 1. Corinth. 5. *Quid mihi de his qui foris ſunt iudicare. nam eos qui foris ſunt, Deus iudicabit*. Vbi per eos qui foris ſunt, intelligunt Patres, non baptizatos. An verò Eccleſia poſſit cogere Infideles vt audiant prædicationem Euangelij, diſſenſio eſt inter Doctores. Et certum eſt Infideles non ſubditos nequaquam poſſe à Romano Pontifice, vel ab aliquo alio Chriſtiano Principe compelli ad fidem audiendam; hæc enim compulſio nequit eſſe ſine iuriſdictione. Deinde probabilius cenſeo, neque ſubditos Infideles poſſe compelli ad audiendam fidem, quia auditus fidei eſt medium per ſe ordinatum ad fidei ſuſceptionem, vt conſtat ex illo ad Rom. 10. *Ergo fides ex auditu*; ſed non licet adhibere vim, vt fides ſuſcipiatur: ergo neque vt audiatur. Habet tamen Eccleſia ius prædicandi Euangelium, & docendi omnes. Marci vltim. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et hæc poteſtas reſidet in Summo Pontifice, ad quem pertinet Eccleſiæ regimen, à quo etiam poteſt deriuari in alios. Vnde poteſt Princeps Infideles cogere, etiam vi & armis, ad auferendum impedimentum prædicationis, & vt concedant liberam facultatem prædicandi in ſuis regnis. Qua ratione licitum eſt cogere Barbaros, vt dent liberam facultatem docendi cõcionatoribus Euangelij, ſi fortè aliqui velint audire.

1. Cor. 5.

Rom. 10.

Marc. vlt.

5. Ex quibus infertur, neque licere filios infidelium inuitis parentibus baptizare: quod probat D. Thom. art. 10. quia ſi baptizetur puer inuitis parentibus, & relinquatur in poteſtate illorum, manet expoſitus manifeſto periculo deſerendi fidem: & ex alio capite non eſt licitum extrahere puerum à poteſtate parentum; hoc enim eſt contra ius naturale, quod habent parentes educandi, & nutriendi proprios filios. Nec obſtat ratio quam in contrarium adducit Scotus, quia ſi pater alicuius filij vellet illum occidere, aut nollet eum à periculo mortis in quo eſt, liberare, poſſet Princeps ad quem pertinet, impedire abuſum patriæ poteſtatis, eum liberare contra voluntatem parentis: ergo multo potiori iure hoc poterit ad liberandum puerum à morte æterna. Hoc, inquam, non obſtat, quia, vt rectè Vaſquez tom. 2. in 3. partem diſp. 155. non eſt à Chriſto data poteſtas Principibus ſupra Gentiles, vt impediant abuſum poteſtatis patriæ circa ſuſceptionem baptiſmi, ſed ſolùm circa gubernationem externam, & quæ ſecundùm legem naturalem illi ſunt contraria. Vnde in priori caſu licita eſt defenſio innocentis, quia infertur illi vera iniuſtitia: in poſteriori verò pater non infert iniuſtitiam filio. Capite verò tertio docet rectè puerum, de cuius vita omnino deſperatum ſit, poſſe contra voluntatem parentum baptizari, tunc enim nec eſſet periculum deſerendi fidem, nec neceſſarium extrahere filium à patria poteſtate.

6. An verò liceat cum infidelibus publicè diſputare. Conueniunt Doctores hoc iudicandum eſſe ex fine, & ex conditione diſputantium, & auditorum, & etiam ex modo diſputandi. Si enim finis bonus ſit, nimirum ad defendendam fidem catholicam, vel exercitationis gratia, vt fieri ſolet in ſcholis, diſputatio licita erit. Si verò diſputatio ſuſcipiatur ex voluntate perfida repugnandi fidei, illicita erit: vel etiamſi nullus bonus finis ex diſputatione ſperari poteſt, niſi tempus terere, & caput euertere altercando fruſtrà, quod plerumque fit diſputando cum hæreticis. Ex conditione etiam redditur illicita diſputatio, ſi quis ſit indoctus, & diſputet cum hæreticis: vel ſi qui diſputat laicus ſit, quibus ſub excommunicatione prohibitum eſt, cap. *quicumque*, §. *inhibemus*, de hæret. in 6. quæ excõmunicatio non eſt ipſo iure lata, ſed ferenda; & in locis in quibus hæretici graſſantur, videtur eneruata per contrariam conſuetudinem. Ex parte etiam auditorum ſi ſint ſimplices, plerumque redditur illicita talis diſputatio; ſemper enim imminet periculum erroris, præcipuè quia ſimpliciores facilius percipiunt vim argumentorum, quàm ſolutiones eorumdem. Tandem ex parte modi diſputatio redditur illicita, quando fit magis contentione verborum, quàm ſententiarum, & argumentorum pondere, vt rectè D. Thom. in ſolutione ad primum.

7. Denique obſerua infidelitatem diuidi in Paganiſmum, Iudaiſmum, & hæreſim: vt communiter tradunt Theologi cum D. Thoma art. 5. Quæ diuiſio non eſt generis in ſpecies, ſed generis in accidentia, quia Paganiſmus, Iudaiſmus, & hæreſis non differunt eſſentialiter, ſed ſolùm accidentaliter, penes magis, ac minus. Paganiſmus enim eſt, quando nullius myſterij reuelati fides habetur. Iudaiſmus, quando creditur veteri Teſtamento, non tamen nouo. Hæreſis, quando alicui veritati,

ſiue

siue ex nouo, siue ex veteri Testamento fides negatur. Vel vt ab aliis solet explicari, Paganismus est negatio fidei nunquam susceptæ. Iudaismus, negatio fidei in figura susceptæ. Hæresis verò, negatio fidei in se ipsa susceptæ. Hanc verò explicationem Suarez, & nonnulli alij Recentiores non approbant, & meritò: quia potest quis post susceptam fidem transire ad Paganismum, vel Iudaismum; quare conuenientior est prior explicatio prædictæ diuisionis.

Sectio II.

Quid sit Hæresis.

8. OMissis variis huius nominis acceptionibus, ex communi vsu hæresis, semper in malam partem accipitur pro errore in fide. quæ in hunc modum diffinitur. ***Hæresis est error voluntarius, & pertinax, hominis Christiani fidei catholicæ ex parte contrarius.*** In qua diffinitione quinque sunt quæ ad hæresim pertinent. Primum est *error*, est autem error existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero: errat enim qui falsum putat verum esse, & quod est verum putat esse falsum; atque adeò hæresis consúmatur in aliquo iudicio intellectus. Secundò dicitur ***voluntarius***, quia de ratione hæresis est vt voluntariè fiat, sicut de ratione fidei est vt sit voluntaria: & quia hæresis est peccatum grauissimum; peccatum verò sine voluntate dari non potest. Tertiò dicitur *pertinax*, quia hæresis non debet esse quantumcumque voluntaria, sed ita vt pertinax censeri debeat. Quartò dicitur *fidei contrarius*, non enim quilibet error est hæresis; nam errare in scientiis & opinionibus, non est hæresis: errare verò in his quæ fidei sunt, hæresis est. v. g. tenere & existimare falsum aliquid quod recipit Ecclesia, vel existimare verum quod est contrarium ei quod tenet Ecclesia vt de fide. Adhuc tamen nonnulli existimant quòd error iste non est hæresis, sed præterea opus esse, vt sit ex parte: nam dupliciter potest quis errare in fide, aut negando totam fidem Christi, & hoc asserunt, non est hæresis, sed Apostasia, vel infidelitas. Aut negando aliquam, vel aliquas veritates fidei Christianæ, & hæc est hæresis: non enim hæretici totam negant Religionem christianam, sed vnum, aut alterum articulum Ecclesiæ; & ob id dicunt hæresim contrariam esse fidei, non quidem secundùm se totam, sed ex parte. Tandem debet esse ***hominis Christiani***; an verò necessariò requiratur, vt sit hominis baptizati, infrà dicemus.

9. Modò examinandum est, qua ratione ad peccatum hæresis sit necessaria pertinacia; est autem pertinacia firma adhæsio erga aliquem errorem; atque ita adhærere plus nimio alicui errori, est esse pertinacem: hoc autem accidit quando aliquis adhæret alicui errori, sciens oppositum esse diffinitum ab aliqua regula infallibili, Ecclesia scilicet, vel Papa. Vnusquisque enim tenetur se subiicere in rebus credendis regulis prædictis, quòd si id non faciat, iam plus nimio adhæret suo errori, & inordinatè. Atque ita pertinacia est in intellectu, & voluntate, nam ex parte intellectus dicit assensum, & certitudinem magnam existimatam: ex parte verò voluntatis, dicit firmum propositum permanendi in errore: & quia ex hoc firmo proposito magis pendet pertinacia, ideo communiter docent Doctores, formaliter esse in voluntate.

10. Quòd verò ad essentiam hæresis necessaria sit pertinacia, docuit expressè Augustinus epist. 102. & refertur 24. quæst. 3. cap. *dixit Apostolus*, & idem habetur cap. *firmiter*, de summa Trinitate, & fide Catholica. Et ratio huius est, nam fides includit ex parte intellectus assensum veritatis, & ex parte voluntatis firmissimam electionem in rebus fidei: ergo hæresis includit firmissimam electionem in contrarium; quia hæresis omnino, & perfectè, opponitur fidei. Deinde probatur à priori, quia qui discredit res fidei absque pertinacia, magis eas credit, quàm discredat: nam ideo discredit, quia existimat non esse à Deo reuelatas; vnde si sciret eas esse à Deo reuelatas, eas crederet. Dices hoc etiam habere hæreticos. Sed contra hoc est, nam qui caret pertinacia, habet animum firmum credendi res omnes à Deo reuelatas, cùm primùm sibi sufficientes proponantur: & quia credit Ecclesiam esse regulam infallibilem proponendi, habet firmum animum credendi quæcumque proponit Ecclesia; in hoc verò firmo proposito, virtute credit veritates illas, quas explicitè ex ignorantia discredit: & quia hoc propositum est longè firmius, ideo diximus carentem pertinacia magis credere, quàm discredere res fidei, etiamsi sermo sit de rebus illis, quas discredit: hoc autem non habet hæreticus, vt ex se constat.

11. Inquires, qualis pertinacia requiratur ad hæresim. Nonnulli dicunt, requiri permanentiam in errore contra fidem, pro quo refertur Syluester verb. hæresis 1. quæst. 2. quod tamen ibi non docet: nam tantùm asserit id quod verum est, scilicet permanentiam prædictam, esse magnum signum pertinaciæ. Oppositum ergo tenendum est vt certum. Itaque de ratione pertinaciæ non est duratio aliqua præter solum instans, nam pertinacia solum dicit firmum propositum permanendi in errore: hoc autem reperiri potest in errore instantaneo, quod facilè ostenditur, quia firmior est actus fidei diuinæ, quàm hæresis, & tamen ille potest esse in instanti: ergo & hæresis. Deinde, quia nullus est actus intellectus, vel voluntatis in via, de cuius ratione sit duratio, vel permanentia. Et denique, quia certum est fidem amitti posse in instanti, quia generatur in instanti: at expelli non potest nisi per hæresim; ergo hæresis potest esse in instanti.

Sectio III.

An cum ignorantia vincibili, vel etiam affectata, possit esse peccatum hæresis.

12. CErtum est apud omnes, ignorantiam vincibilem neque affectatam, non excusare ab aliquo genere peccati, ex eo quòd non tollat omnem rationem voluntarij: quia cum ignorantia adhuc vincibili, re vera manet voluntarium, quod vocamus interpretatiuum, seu indirectum, quod voluntarium in multis peccatis sufficit. Verùm quia in aliquibus generibus peccatorum necessarium est voluntarium directum, & expressum, vt in his quorum malitia consummatur in actione, & affectu voluntatis; quæ quidem omninò impeditur ex quauis ignorantia, vt rectè ostendit Vasquez 1. 2. disp. 101. cap. 1. Examinandum est, an huiusmodi sit peccatum hæresis, quod ita in affectu aliquo expresso perficiatur, vt quauis ignorantia excusetur. est enim de hoc controuersia inter Doctores. Et satis communis sententia posita est in duobus

d by Google

duobus alterum eſt nullum errorem contra fidem ex ignorantia vincibili modo non ſit affectata eſſe hæreſim. Alterum eſt errorem in rebus fidei ex ignorantia affectata poſſe eſſe abſque peccato hæreſis.

13. Et hæc ſententia vera eſt & tenenda, quam defendunt Vaſq. 1.2.diſp.126. cap.2. Suarez diſp.19. ſect.3. & plures alij. Et priorem partem rectè probat Vaſquez; quia tunc aliquis cenſetur offendere alicuius auctoritatem, cùm ſcienter dictis illius aduerſatur: ſi enim quis ignoranter contra ſuum etiam magiſtrum opinetur, non dicitur aliquo modo auctoritati illius derogare, perfidio, & incredulitate, ſed ſolùm peccaret peccato ignorantiæ: ergo ſimiliter qui ignorans ſe opinati contra ſenſum communem fidelium, & Eccleſiæ aliquid contrarium illis credit, non ipſis incredulus, & infidelis eſt, ſed ignarus: at peccatum hæreſis non eſt peccatum ignorantiæ, ſed infidelitatis: ergo debet eſſe ſcienter, & quia per catholicam Eccleſiam proponitur nobis vera fides: tunc enim quis incredulus eſt fidei, & teſtimonio diuino, quando ſciens ſe contra Eccleſiam opinari, aliquem errorem ſequitur. Deinde idem probatur, quia peccatum hæreſis in eo conſiſtit, quòd quis neget, ſeu non aſſentiatur alicui articulo fidei taliter ſibi propoſito, vt teneatur eum credere, nec poſſit ſine temeritate dubitare, an ſit à Deo reuelatus: at qui errat circa articulum nondum ſibi ſufficienter propoſitum, quamuis id eius culpa contingat, non negat articulum, cui hîc & nunc teneatur aſſentiri: ergo non peccat peccato verè hæreſis, aut infidelitatis.

14. Obiicies, quia eiuſdem ſpeciei eſt peccatum ex ignorantia, ac ex malitia. v. g. qui ex ignorantia vincibili, ſeu craſſa committit homicidium, aut adulterium, eſt verus homicida, aut adulter; ſpecies enim peccatorum deſumuntur ex obiecto, non ex modo: ſed error contra fidem ex malitia, eſt peccatum hæreſis; ergo etiam ex ignorantia craſſa, ſeu culpabili. Reſponderur eſſe longè diuerſam rationem in aliis peccatis, ac in materia fidei, quia in illis peccatis ſcientia & cognitio, non mutat peccati obiectum, nec eſt circunſtantia tenens ſe ex parte illius, ſed tantùm eſt conditio requiſita, vt actus ſit liber & humanus, & ſolùm mutat modum operandi magis, vel minus voluntariè: cùm igitur ignorantia vincibilis non tollat voluntarium, vt conſtat; ideo manente ſubſtantia homicidij exterioris, manet etiam peccatum eiuſdem ſpeciei, ac ſi homicidium eſſet directè volitum, & ſcienter factum. In materia verò fidei mutatur obiectum ex ignorantia, vel ſcientia, quia obiectum fidei eſt diuina reuelatio ab Eccleſia propoſita, quæ in errore commiſſo ex ignorantia etiam culpabili occultatur; talis error non poteſt tunc contradicere tali reuelationi ignoratæ, ac proinde nec cum fide habere oppoſitionem: ſiquidem eam non habet cum illius obiecto: & conſequenter licèt maneat voluntarium ſufficiens, vt actus erroris ſit humanus, & peccatum; non tamen manet ſubſtantia hæreſis cum circumſtantiis requiſitis, vt talis error ſit verè peccatum hæreſis, & infidelitatis.

15. Poſterior pars, quòd error in rebus fidei etiam ex ignorantia affectata poſſit eſſe abſque peccato hæreſis, vt cùm quis non vult facere diligentiã debitam ad ſciendum quid doceat Eccleſia ne cogatur mutare ſententiam. Probatur, quia cum hac voluntate ignorandi, poteſt ſtare, & ſtat voluntas obediendi Eccleſiæ, quoties de eius diffinitione conſtiterit: imò hæc voluntas virtute in illa includitur: nam, vt rectè Suarez, ideo ille vult neſcire quid doceat Eccleſia, quia non vult ab illius ſententia diſcedere: ergo cum voluntate ſic affecta, ſtat vera fides, tam de aliis articulis, quàm de hoc, quòd Eccleſia errare non poteſt in diffinitionibus fidei: ſignum ergo eſt illam ignorantiam etiam affectatam, ab hæreſi excuſare: ac proinde à pœnis contra hæreticos impoſitas. Confirmatur, quia hæ duæ voluntates non ſibi contradicunt, nec opponuntur; poteſt enim quis affectare neſcire quòd doceat Eccleſia, ne cogatur aliud ſentire: quod non obſtat, ſed potiùs includit voluntatem obediendi Eccleſiæ, cùm illi clarè fuerit propoſitum.

16. Obiicies, quia hæc ignorantia non minuit, ſed auget peccatum, vt eſt communis ſententia Doctorum: ergo ſicut qui ſcienter credit aliquid contra fidem, eſt hæreticus; ita ſimiliter qui ex ignorantia affectata. Reſpondetur, verum eſſe ignorantiam affectatam non minuere grauitatem peccati; hoc tamen intelligendum eſt in ſua ſpecie; falſum tamen eſt transferre peccatum ad aliam ſpeciem hæreſis; ſolùm enim relinquit illud in ſpecie erroris contrarij obligationi ſciendi quid ſit reuelatum.

17. Dixi in concluſione ignorantiam affectatam poſſe eſſe abſque peccato hæreſis, quod intelligendum eſt quandiu ea ignorantia eſt verè antecedens, ſiue cauſa illius erroris, ita vt cognita veritate, ſiue poſito quòd hæc ei ſufficienter proponeretur, paratus ſit eam credere. Nam ignorantia concomitans, quæ ſimul eſt cum peccato, non tamen cauſa eius; qua homo ita eſt affectus, vt quamuis ſciret idem vellet, ac faceret: hæc, inquam, ignorantia, ſi tantùm ſit concomitans errorem circa fidem, non excuſat ab hæreſi, quia illa ignorantia talis eſt, vt ſecum habeat, & requirat voluntatem non mutandi ſententiam, quamuis conſtet Eccleſiam aliud docere.

18. Et ex his facile intelligitur id quod ſectione præcedenti incepimus explanare, qualis pertinacia requiratur ad peccatum hæreſis, pertinacia enim ad hoc peccatum requiſita ſumitur ex illa circumſtantia, nimirum ex ſcientia qua quis nouit ſuam opinionem contrariam eſſe ſenſui Eccleſiæ. Quoties enim aliquis ignoranter contrarium doctrinæ catholicæ opinatur, nondum dicitur pertinaciter contradicere auctoritati Eccleſiæ, & doctrinæ illius. Qui verò ſcienter contrarium ſentit, non eſt paratus corrigi ab Eccleſia; ac proinde verè pertinax contra illam cenſendus eſt, neque requiritur, vt quis pertinax, & hæreticus dicatur, vt directè ſentiat contra Deum ita dicentem, ſed ſufficit ſi aliquid credat contra id quod ſentit Eccleſia, in qua eſt diuina reuelatio & doctrina: hoc enim modo verè dicitur infidelis Deo, Eccleſiæ ſuæ veritates reuelanti, & verè hæreticus fidem diuinam à ſe expellens, qua aſſentimur primæ veritati reuelanti.

19. Inquires, an ad hoc vt aliquis incurrat hæreſim, ſit neceſſaria admonitio. Et conueniunt Doctores, ad rationem hæreſis non eſſe neceſſariam admonitionem, id eſt, vt poſtquam quis errauit, illum Eccleſia moneat, & deinde permaneat in ſuo errore; quia ante admonitionem poteſt eſſe pertinacia, ſiquidem ante illam poteſt quis ſcire ſuum errorem eſſe contra diffinitionem Eccleſiæ, & poteſt habere firmum propoſitum permanẽdi in eo errore. Difficultas ergo eſt, an errans ex ignorantia, ſi moneatur ab

Digitized by Google

ab Episcopo, vel Inquisitore, vel aliis viris doctis, & adhuc persistat in suo errore, credens non esse contra diffinitionem Ecclesiæ, an, inquam, iste sit verè hæreticus. Negant nonnulli, inter quos est Sanchez lib. 1. cap. 7. quia sola Ecclesia est regula veritatis. Alij verò quamuis sint Episcopi, vel Inquisitores, fallere & falli possunt. Alij autem oppositum tenent, inter quos est Suarez suprà num 21. quia talis in foro externo iudicandus esset vt hæreticus & pertinax, vt omnes admittunt: ergo etiam in foro interiori censendus est hæreticus. Patet consequentia, quia illud iudicium non nititur aliqua falsa præsumptione, sed veritate, qua iudicatur dissentientem mysteriis sic propositis, negare auctoritatem Ecclesiæ in proponendis rebus fidei infallibiliter.

16.

20. Et hæc sententia sano modo intellecta mihi probatur, nimirum quãdo id quod proponitur, non vt ab hominibus sua auctoritate dictum proponitur, sed vt diffinitum ab Ecclesia auctoritate diuina, ita vt auctoritas Ecclesiæ, & diffinitio eius, sufficienter proponantur; postquam enim sufficienter admonetur ab his iudicibus, id quod dicit esse contra regulam infallibilẽ, erit hæreticus si persistat in errore; neque excusatur si dicat se velle expectare diffinitionem Papæ, vel alterius Concilij: nam in rebus iam diffinitis, & vt sic sufficienter propositis, hoc non habet locum.

17.

21. Deinde hoc loco inquiri solet, an protestatio pertinaciam excludat. v. g. viget cõsuetudo apud Doctores in his quæ typis mandant, vel scribunt, vel affirmant, subiicere omnia correctioni Ecclesiæ. Difficultas est, an hæc protestatio, siue subiectio, excuset à pertinacia, & hæresi. Respondetur sub distinctione, excusare quidem cùm verba sunt dubia, aut materia circa quam erratur, obscura, & cuius non præsumebatur notitia: secus verò quando ex alia parte constat hominem docere aliquid contra id quod videt esse sufficienter ab Ecclesia propositum, quia facto ipso protestationem dissoluit. Vnde rectè Castro annotauit Lutherum fecisse hanc protestationem, & eam sæpe faciunt hæretici, vt suauius animos simplicium præuertant. In viris autem catholicis qui hoc dicunt ex animo, prodest hæc protestatio tam in foro interno, quàm externo: nam licèt errent in dictis, vel scriptis, ostendunt se non errare ex pertinacia.

18.

Sectio IV.

An dubius in fide sit hæreticus.

22. RAtio dubitandi est, quia de ratione hæresis, vt docuit D. Thomas 1 ad Cotinth. 11. lect. 4. est, vt quis adhæreat pertinaciter sententiæ fidei contrariæ. Vnde Hieronymus ad Titum 3. dicebat hæresim ab electione dici; eo quòd disciplinam, vel sententiam eligat hæreticus, quæ sibi melior apparet. Et August. lib. de vtilitate credendi, affirmat, illum esse hæreticum qui falsas, aut nouas gignit, aut sequitur opiniones: sed dubius in re fidei nullam sequitur opinionem, nulli adhæret sententiæ, & nullam eligit disciplinam, quia manet in sua dubitatione pendulus: ergo verè non est hæreticus, deinde, quia de ratione hæresis est, quòd sit assensus, vel dissensus falsus: dubius autem neque assentitur, neque dissentitur, cùm inter vtramque partem contradictionis suspensum habeat iudicium: ergo. Denique, quia fides, & hæresis opponuntur contrariè: contraria autem debent esse per rationes positiuas; sed dubitatio in fide nihil positiuum dicit in intellectu: ergo talis dubitatio non potest habere rationem hæresis; cùm enim fides sit in intellectu, tantùm illud erit formaliter & essentialiter hæresis, quod contrariatur fidei existenti in intellectu.

19.

Sit tamen conclusio affirmatiua, voluntariè dubitans de aliquo articulo fidei sufficienter ei ad credendum proposito, est verus hæreticus. Probatur ex Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 8. vbi de asserentibus, aut in dubium vertentibus, an anima rationalis sit immortalis, dicitur esse hæreticos: Idem habetur in Concilio Viennensi Clement. de Summa Trinitate. §. porrò, de vertentibus in dubium, an anima rationalis sit forma humani corporis, consonat illud Bernardi lib. 5. ad Eugen. cap. 2. *Fides ambiguum non habet; & si habet, fides non est.* & Hugo Victorinus lib. 1. de Sacris, p. 10. cap. 2. *Vbi dubitatio est, fides non est.* Probat autem rectè Suarez disp. 19. sect. 4. quia non omnis qui suspendit assensum vtriusque partis, dubitat de veritate rei; potest enim alicui repræsentari obiectum fidei, & rationes quæ ad eius assensum sufficienter mouerit tempore quo non obligatur fidei actum elicere; tunc enim pro sua libertate poterit absque culpa actum suspendere; non ergo omnis qui suspendit assensum, dubius est de veritate vtriusque partis. Itaque ad dubitationem peccaminosam, & voluntariam, aliquid ampliùs requiritur. Est enim necessarium vt talis suspensio oriatur ex aliqua cognitione, seu iudicio, per quam motiua ad credendum proposita insufficientia existimentur: at Christianus habens talem existimationem, & iudicium de veritate fidei, eo ipso errat in fide: qui enim dubitat, non alia ratione dubitat, nisi quia sufficientem rationem ad assentiendum non inuenit; ac proinde necesse est, vt cognoscat insufficientiam illam motiui, & in sua mente talem illum reputet & iudicet: tale autem iudiciũ erroneum est; ergo si cum pertinacia dubitet, verè hæreticus est. Et confirmatur, quia qui voluntariè dubitat de aliquo articulo sufficienter sibi ab Ecclesia proposito, verè iudicat articulum illum esse dubium: sed qui voluntariè iudicat aliquem articulum fidei esse dubium, habet voluntariè errorem fidei repugnantem: ergo verè est hæreticus, si aliàs articulus ille sit sufficienter ei propositus, vt supponimus; tunc enim deliberatè, & peccaminosè dubitat, quia iudicat res fidei sibi sufficienter propositas, non esse dignas certò, & infallibiliter credi.

23. Bernard. Hug. Vict.

Dixi *voluntariè dubitans.* Nam, vt rectè obseruat Sanchez lib. 2. de præcept. cap. 7. pro scrupulosis, eum qui patitur tales motus, non potest esse hæreticus, primò, quia quãdo quis ex huiusmodi tentationibus afficitur, magno dolore & mœrore vexatur, vt vexantur scrupulosi, signum est moraliter euidens, non consensisse in rebus contra fidem; quia dolor ille & mœror oritur ex amore rerum fidei, & ex odio rerum quæ illi aduersantur; nemo autem potest esse hæreticus absque pia affectione ad hæresẽs, communiter loquendo. Secundò, quia quando quis angitur scrupulis, & credit se fuisse lapsum in hæresim, re vera non est lapsus; quia si credit se fuisse lapsum in hæresim; ergo etiam in errorem: ergo iam credit res fidei cõtrarias esse errorem: ergo non potuit illi assentiri ex plena deli-

24.

Digitized by Google

Copyrighted, 1896, by R. F. Outcault.

Copyrighted, 1896, by R. F. Outcault.

nuntiare iudicibus personam quæ illud commisit. Est enim hoc crimen læsæ Maiestatis diuinæ, valde nociuum Reipublicæ Christianæ, & pernitiosissimum nō tantùm peccatori, sed etiam aliis; sicque necesse est statim per denuntiationem remedium adhibere. Difficultas ergo procedit, quādo hoc delictum ita est occultum, vt vnus tantùm sciat; tunc enim videtur denuntiatio inutilis, & nociua: inutilis quidem, quia ex tali denuntiatione non potest iudex procedere ad punitionem delicti, nec ad illius correctionem ex defectu probationis. Nociua verò, quia per illam denuntiationē infamatur frater in re grauissima, quod est maximū nocumētum.

31. Conclusio tamen est affirmatiua. Quantumcumque delictum hoc hæresis secretum, & occultū sit, itayt vnus solus sciat, tenetur illud denuntiare, dūmodo notitia illius extra confessionem habeatur. Ita Suarez disp. 10. sect. 4. Sanchez lib. 2. decal. cap. 32. Barbosa 3. part. allegat. 96. num. 51. & est communis inter Theologos. Et eam probant, quia hæc denuntiatio est valde necessaria Reipublicæ, quia per denuntiationem impeditur ne hæresis serpat, & alios inficiat: sæpe enim contingit, vt qui suam hæresim vni soli manifestat, illam cum pluribus seorsim occultè communicet; serpit enim hæresis occultissimè velut cancer: & ideo in magnam vtilitatem Ecclesiæ cedit, vt nunquam hæreticus sit à denuntiatione securus; ne hoc modo audeant sigillatim, & cum singulis tantùm agendo, fideles in suam hæresim inducere. Est etiam vtilis delinquenti, quia hæreticus timore denuntiationis, correctionis, & supplicij continebitur, tum à peccato committendo, tum etiam ab hæresis manifestatione, & etiam, quia hac via à peccato commisso reuocari potest. Nec est inutilis illa denuntiatio, quia iudex procedere potest ad inquirendum, nec tenetur denuntiator probare denuntiationem. Deinde iudex potest ipsum denuntiatorem in testem recipere, quia in hoc delicto denuntiator non est pars, nec quærit suum commodum; & si duo testes singulares existant, sufficiunt vt contra reum procēdatur, & vt aliqua pœna puniatur, etiamsi maior probatio non inueniatur. Potest autem denuntiatio fieri verbo, vel scripto, quòd si per epistolam fiat nomine proprio, debet esse subscripta: aliàs non poterunt Inquisitores ad inquirendum, & examinandum testes, procedere. Neque excusatur à prædicta obligatione, qui sub secreto iuramento etiam confirmato, hæresim agnouit: quia nemo potest obligari seruare secretum in detrimentum fidei, & boni communis; neque secretum, ac iuramentum in damnum tertij obligat; est enim illicita talis obligatio, & cōtra ius naturale, & iuramentum nullum, vtpote de re illicita; non enim potest esse vinculum iniquitatis.

32. Adde, nec esse obligationem præmittendi correctionem etiamsi sit spes correctione fraterna emendandum, vt obseruant communiter Doctores: nam licèt in aliquo casu possit sperari delinquentis emendatio correctione secreta, tamen, regulariter loquendo, non est spes fructus, nec præsumi debet, imò credi se correctum dissimulaturum, vt sic facilius delinquat, & errores diffundat. Et in hoc fundatur præceptum ab Inquisitoribus fidei oppositū, quod omnino seruandū est, quantumuis expectetur correctio in aliquo speciali casu, quia ob periculum boni communis potest Ecclesia id præcipere.

33. Nec obstant verba Christi Domini Matth. 18. Matth. 18. vbi loquens de peccatore occulto ait: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si te non audierit, dic Ecclesiæ.* id est, denūtia illum, qui ordo vtpote obligans ex præcepto diuino, quando peccatum est occultū omnino, seruādus est. Et ad Titum 3. ait Paulus: *Hæreticum hominem post vnam, & alteram correctionē deuita.* Tit. 3. Ex quibus verbis manifestè colligitur, hæreticos priùs esse admonendos, postea vitandos, seu denuntiandos, vt post sententiam vitentur. Respondetur, præceptum à Christo Domino latum de correctione fraterna præmittenda tantùm esse de peccatis quæ non vergunt in damnum commune & tertij, quod semper præferendum est bono priuato, ac particulari; ac proinde hæc denuntiatio non cōprehenditur sub illo præcepto de quo Christus ibi loquebatur: Paulus verò ibi loquebatur cū Tito, quia Ecclesia eo tēpore non habebat vires ad puniendum hæreticos in iudicio conuictos, sicque solum restabat eos deuitare; & excludere à cōmunicatione fidelium. Quare locus ille nō est ad rem, ibi enim loquitur de excommunicatione ad quam necessariò debet præcedere monitio, & cōtumacia.

Limitanda verò est præcedens doctrina, quando certissimè constaret hæreticum iam esse omnino emendatum, & remedium quæsitisse ad sui conuersionem, & damnum repatatum. 34. Ita tenet Castrus Palao tr. 4. disp. 1. punct. 4. quia in hoc euentu cessat peccatum, & periculum peruersionis aliorū; ac proinde cessare debet denūtiatio, quæ erat medium ad remedium, & emendationem. Adhuc tamen in hoc euentu tutius censeo cū Suar. suprà, esse obligationem denuntiādi; quia difficillimū est ferre firmum iudiciū de conuersione, & pœnitentia hæretici, qui sub ouina pelle lupū gerunt, vt errores suos clanculum faciliùs seminent; & quia præceptū denuntiationis non tantùm est ordinatū ad specialem correctionē delinquentis, sed etiam ad securitatē fideliū.

An verò patres teneantur denuntiare filios hæreticos, & filij parentes, negant nonnulli Doctores de filiis respectu parentum quando delictū est occultum, & id concedunt de parentibus respectu filiorum. 35. Et ita tenet expresè Simancas de Cathol. instit. tit. 29. oppositum est verius & communius, non solùm teneri patrem filium hæreticum etiam occultum denuntiare, sed etiam filium parentem. Ita Doctores suprà relati, quia præceptum Ecclesiæ & edictum Inquisitorum est generale, & neminem excipit; & vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus: & quia damnum commune semper speciali est præferendum; nec fit contra reuerentiam debitam parentibus eorum vtilitatem spiritualem quærere, & peccata impedire: & potius Deo, quàm parentibus obediendum est.

Obiicies, quia qui graue damnum timet, excusatur à denuntiatione: nam præcepta diuina, & Ecclesiastica cum tanto rigore non obligant: vnde qui ex denuntiatione timet iacturam grauem in re familiari, honore, vel vita, excusatur à denuntiatione facienda, idem est de eo, qui cum aliis crimen hæresis commisit, si enim ab ea desistat, non tenetur socios criminis denuntiare, quia obligaretur denuntiare se ipsum, ad quod nemo tenetur: sed si filius teneretur patrem hæreticum occultum denuntiare, teneretur se ipsum infamare, & bonis parentis seipsum priuare: ergo non est concedenda talis obligatio; esset enim nimis dura. 36. Respondetur negando consequentiam; nam, vt rectè Suarez, & plures alij obseruant, in eo euentu filius deferens patrem hæreticum, liberatur à pœnis, in hæreticorum filios iure statutis, in præmium delationis, ne filij ab hac denuntiatione deter-

reantur: & quia hoc quodammodo est illis debitum, propter insigne opus virtutis; atque ita pœna confiscationis propriæ, legitimè, & pœna infamiæ remittenda est. l. *quisquis* §. vltimo. Cod. ad legem Iuliam, quod diffiniuit Federicus Imperator in l. commissi nobis cœlitus. Et postea approbauit Innocentius IV. vt refert Peña in vltima parte directorij. Insuper est etiam hæc obligatio in marito respectu vxoris, & in vxore respectu mariti, quamuis respectu horum sit maior difficultas, quia reputantur vna caro, & sicut nullus tenetur se ipsum prodere, ita non est obligandus prodere sic coniunctum. Et ita tenet Barbosa loco citato, quæ sententia est valde probabilis; quia non potest præcaueri graue damnum euenturum amissionis bonorum.

SECTIO VI.

Qui possint ab hæresi absoluere.

37. ABsolutio hæresis reseruata est Summo Pontifici ratione excommunicationis illi annexæ. Quare videndum est, quibus à Pontifice facultas absoluendi ab hoc crimine concedatur; & difficultas procedit præcipuè de Episcopis, an quando hæresis est occulta, possint ab ea absoluere. Et ratio dubitandi est, quia in Trident. sess. 24. cap. 6. de Reformat. expresè conceditur eis hæc facultas his verbis: *Licet Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi sua per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ gratis absoluere, impositis pœnitentia salutari. Idem in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ, eis tamen, non eorum vicariis sit permissum.* In contrarium tamen est, quia hæc facultas Episcopis concessa videtur reuocata per Bullam Cœnæ in illa vltima clausula, vbi dicitur: *Cæterùm à prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus absolui potest, etiam prætextu quarumuis facultatum, & indultorum, quibuscumque personis Ecclesiasticis secularium, & quorumuis Ordinum, etiam mendicantium, ac militarium Regularibus, etiam Episcopali vel alia maiori dignitate præditis,* &c. Itaque tota difficultas procedit, an facultas concessa Episcopis per Tridentinum, sit per Bullam Cœnæ reuocata.

Trident.

Bull. Cœn.

Partem negãtem defendunt Rodriquez, Simancas, Becanus, & alij, quos refert & sequitur Fagundez in primum præceptum Decalogi, lib. 1. cap. 15. Nihilominus opposita sententia est longè verior, videlicet non posse hodie Episcopos ab hæresi occulta absoluere. Ita Molina, Suarez, Barbosa, & Sanchez, qui innumeros referunt. Et de hac re extant duæ declarationes duorum Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. vt testatur Nauarrus in summa Latina notiori, cap 17. num. 175. & duæ authenticæ declarationes Cardinalium, vt testatur Nicolaus Garcia de beneficiis, part. 11. c. 10. & Peña in direct. Inquisit. 3. part. quæst. 92. comment. 141. affirmat, senatum supremum sanctæ Inquisitionis Romę ita sæpiùs declarasse Et precipuũ fundamentum est, quia prædictum priuilegium dubium non est, quin possit à Pontifice derogari: quòd verò de facto fuerit derogatum, manifestè colligitur ex verbis Bullæ Cœnæ: *Etiamsi casus hi in genere, vel in specie prædictis facultatibus concedantur*; illud enim verbum *in specie* indifinitè

38.

positum omnes facultates etiam speciales comprehendit. Deinde, quia illud verbum infrà positum in eadem Bulla, *cuiuscumque Concilij generalis*, non videtur positum nisi propter decretum Tridentini: nullum enim est aliud Concilium quod talem facultatem concedat: aliàs superflua essent verba illa, alicuius Concilij decreta.

Nec dicas verba illa clausulæ Bullæ Cœnæ non intelligi de casibus occultis, sed de casibus publicis, & pro foro externo; quia ibi reseruatio non solùm pro foro externo, sed etiam pro foro interno facta est; & tantùm permittitur in articulo mortis absolutionem præstari posse. Vbi obserua, quòd licèt concederemus prædictam facultatem non esse reuocatam pro Episcopis, adhuc regulares non habent facultatem absoluendi ab hæresi occulta, præcipuè in Hispania, etiamsi in motu proprio Pij V. relato ab Emanuele Rodriquez tom. 1. quæstion. Regul. quæst. 61. art. 9. concesserit illis, quidquid Episcopis conceditur in prædicto Tridentini decreto, quia ex constitutione Pauli V. cuius meminit Barbosa suprà allegat. 40. num. 39. nullo modo possunt Prælati regulares etiam in foro conscientiæ Religiosos sibi subditos absoluere ab hæresi, sed Inquisitoribus remittere tenentur.

39.

DISPVTATIO VI.

De Blasphemia.

SECTIO I.

Quid sit blasphemia, & quale peccatum.

BLASPHEMIA est nomen Græcum, & idem est quod maledictio, vel execratio bonitatis alicuius; ac proinde blasphemare idem est quod malè loqui de aliqua bonitate per modum vituperij, vt docet D. August. lib. 2. de moribus Monachorum, cap. 11. Quamuis autem blasphemia significet cõtumeliam, seu conuitium, siue sit contra Deum, siue contra hominem; vsu tamen Catholicorum accipitur hoc nomẽ dumtaxat pro maledictione in Deum, qua quis derogat, & conuitiatur diuinæ excellentiæ; siue directè, vt quando maledicitur ipsi Deo: siue indirectè, vt quãdo maledicitur alicui rei in qua laudatur Deus, vt sunt Sancti. Cuius rationem reddit Augustinus loco citato, vbi ait: Quamuis blasphemia inter homines dici possit quorum dignitati derogatur; tamen quia hominum fama, & bonitas obscura est, ac proinde de ea dubitari possit; diuina verò bonitas clara sit, & per essentiam bona, ac proinde indubitabilis, hinc est, vt blasphemia tantùm erga Deum communiter vsurpetur.

1.

Est ergo blasphemia, *locutio falsa contra Deum per modum conuitij*. Nec est necesse addere, vel contra Sanctos, quia quæ contra Sanctos dicuntur, contra Deum dicta censentur. Nonnulli autem existimant redundare illam particulam *falsa*. nam ad peccatum blasphemiæ non videtur necessarium vt sit falsa locutio, quia falsitas solùm reperitur in enuntiatione; & nihilominus in locutione quæ non sit enuntiatio, potest esse blasphemia per malam imprecationem, aut desiderium: qui enim optat Deum non esse, non dicit ore ita esse,

2.

aut

aut non esse, & idem est in eo, qui in modum imprecantis malum, blasphemat. Nihilominus particula illa non redundat, nam aliud est sentire aliquid falsum de Deo: aliud verò illud proferre. Et quidem hoc posterius potest esse sine priori, nam bene potest aliquis dicere alium esse Iudæum per modum conuitij, quamuis sciat esse falsum, & hoc tam ex affectu, quàm ex intellectu: de essentia ergo blasphemiæ non est sentire, & existimare aliquid falsum; sed solùm proferre ore vel corde. Hoc autem falsum dici potest duobus modis, vel formaliter, vt cùm dicitur in aliqua propositione completa; vel virtute tantùm, & in actu quasi exercito, vt cùm ex modo dicendi quis tantùm significat aliquid falsum, vt cùm dicitur per modum desiderij, vtinam Deus non esset.

3. Itaque blasphemare, est dicere verbum contra Deum, negando quod inest in eo, vel tribuendo quod abest ab eo: nihil verò refert ad blasphemiam quòd quis malè loquatur de Deo, vel enuntiando, vel imprecando, vel optando; quoniam semper iudicatur blasphemus. Et ratio est, quia blasphemia opponitur laudi diuinæ, & cùm laus diuina nihil aliud sit, quàm manifestare diuinas excellẽtias & perfectiones, blasphemia erit eas diminuere: & cùm contingat laudem fieri multis modis, vel per modum enuntiationis, vel per modum ostendentis, vel per modum admirantis, vel per modum deprecantis, vel per modum imperatiui, &c. cùm ergo his modis contingat laus, cui blasphemia opponitur: hinc est vt parum referat ad rationem blasphemiæ, quòd fiat enuntiando, siue imprecando, siue optando, quouis enim modo opponitur laudi Deo debitæ, & est eiusdem speciei. Quemadmodum omnes laudes conueniunt in vna ratione specifica, nimirum in manifestatione diuinæ excellentiæ.

4. Est tamen difficultas, qualis intentio, seu affectus sit necessarius in voluntate ad blasphemiam, an sit necessariò requisita expressa intentio faciendi contra diuinam excellentiam. In qua re dicendum videtur, affectum inferendi iniuriam Deo, vel Sanctis, formaliter loquendo, non esse de essentia blasphemiæ, sed tantùm indirectè & virtualiter; tunc autem virtute reperitur hic affectus, quando actus sua natura est contumelioſus in Deum, vel Sanctos. Et ratio huius est, quia absque expressa intentione verba illa habent peculiarem oppositionem cum peculiari virtute Religionis ex peculiari materia: ergo ad essentiam talis peccati, non est necessarium expressum voluntarium, & peculiaris intentio inferendi damnum Deo. Quod manifestè constat in peccato contumeliæ inter homines, quod exteriùs consummatur in verbis, absque intentione expressa inferendi damnum proximo. Oportet tamen semper reperiri in blasphemia, id quod est de essentia peccati, vt possit homo animaduertere actum esse contumelioſum.

5. Est autem blasphemia peccatum ex genere suo mortiferum, si cum perfecta aduertentia verba blasphemiæ proferantur; quia inferre Deo, vel Sanctis contumeliam, nequit non esse iniuria grauis contra honorem ipsis debitum. Et nonnulli volunt esse etiam mortale, quamuis ex indeliberatione procedat, quando quis habet consuetudinem blasphemandi, & non conatur eam delere, videtur enim tunc blasphemia volita in causa. Nihilominus oppositum est verius, vt tradit Suarez tom. 1. de Religione, tract. 3. lib. 1. cap. 6. quia cum imperfecta libertate, qualis est cùm adest imperfecta deliberatio, nequit graue peccatum committi. Difficultas itaque est quando quis præuidet ex consuetudine futurum esse, vt dicat blasphemiã cum imperfecta deliberatione, an ex vi huius præuisionis, peccet ratione consuetudinis: & verius est adhuc non esse mortale peccatum ex imperfecta libertate, non solùm secundùm se, sed etiam neque in causa. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 127. *cap.* 3. vbi ait, blasphemiam in ebrietate non imputari, quia non censetur iniuria, nisi scienter fiat: ac proinde etiamsi præuideatur futura, nõ est peccatum in causa. Quæ doctrina est notanda pro simili difficultate de iuramento ex cõsuetudine, & imperfecta deliberatione. Ait verò S. Thom. art. 3. blasphemiam esse maximum peccatorum, quod verum est loquendo de blasphemia ex ea parte qua opponitur fidei, non verò loquẽdo de illa vt opponitur virtuti Religionis; sic enim ex genere suo minus peccatum est, quàm odium Dei, desperatio, & infidelitas: quia Religio est minus nobilis fide, spe, & charitate. Est verò blasphemia secundùm se peior omni alio vitio oppoſito cæteris virtutibus moralibus, quia Religio tenet primum locum inter illas.

6. Ex his infertur, blasphemiam formaliter per se primò opponi virtuti Religionis: nam cultus Idolorum directè, & formaliter est cõtra Religionem: ergo etiam blasphemia; id enim quod facto præstãt cultores Idolorũ, id ipsum verbo efficiunt blasphemi: sicut enim blasphemia contra parentes opponitur pietati, & blasphemia contra æquales opponitur iustitiæ; est enim cõtumelia, quæ est quædam iniustitia: ita blasphemia contra Deum opponitur Religioni; nam sicut ex iustitia tenemur honorare æquales, & ex pietate honorare parentes, sic ex religione honorare Deum. Vnde quando D. Thomas docet blasphemiam opponi confessioni fidei, intelligendus est de blasphemia hæreticali; blasphemia autem vt sic, nõ opponitur fidei, sed Religioni, qua parte Religio præcipit laudem Dei, sicut enim ad hanc virtutem spectat laudare Deum, sic blasphemia cùm sit contra laudem Dei, cùm sit contumelia in Deum, est oppoſita virtuti Religionis. Quia verò nonnullæ contumeliæ sunt etiam contra fidem, ideo ex ea parte opponitur confessioni fidei; non tamen opponitur formaliter, sed materialiter; quia de essentia fidei est sentire verum de Deo propter veritatem reuelantem; de essentia verò blasphemiæ non est sentire falsum de Deo, sed dicere falsum contra Deum: vnde mendacium materialiter se habet ad blasphemiam, nam blasphemia est locutio falsa, non tamen animo dicendi falsum, sed intentione inhonorandi Deum.

Sectio II.

Quotuplex sit blasphemia.

7. PRimò diuiditur blasphemia in eam, qua affirmamus aliquid falsum de Deo, vel qua negamus de Deo id quod verè est in ipso, vel qua tribuimus creaturæ id, quod est proprium creatoris: quamuis hæc tertia species possit reduci ad duas priores, nam Deo non solùm conuenit esse æternum, omnipotentem, &c. quomodocumque, sed etiam esse singulari modo, æternum & omnipotentem. Quare qui tribuit creaturæ omnipotẽtiam hanc, tunc tollit hanc singularitatem à Deo; ac proinde si quis diceret, tem hanc petinde esse veram,

ſicuti Deus eſt in ſe verus, intendendo æquales rationes veritatis, blaſphemus eſſet: quia tribueret creaturæ id quod eſt proprium Dei, & tolleret à Deo attributum veracitatis. Et tamen notandum, fieri poſſe vt per blaſphemiam dicat quis de Chriſto, id quod verè eſt in ipſo, & nihilominus eo modo, quo dicitur per blaſphemiam, ſemper eſt falſum, quia vt ſit blaſphemia, debet dici per modum cuiuſdam rei turpis, & per modum conuitij: in Chriſto autem nihil eſt turpe, & ignominioſum. Vnde blaſphemia erat id quod dicebat Iulianus, quando vocabat Chriſtum Galilæum. Hoc enim eſt diſcrimen inter Deum & homines, nam cùm Deus ſit eſſentialiter bonus, & ipſa bonitas per eſſentiam, nihil turpe habet in ſe, ſed id quod eſt optimum; & habere illa quæ ipſi non inſunt, vitioſum eſſet illi: at homines ſicut habent multa turpia à parte rei, ſic etiam carent multis rebus honeſtis. Ex quo fit vt non quoties obiicimus aliqua falſa hominibus, maledicamus illis, vt patet cùm ea quæ obiicimus, ſunt honeſta: nec rurſus quoties maledicimus hominibus, neceſſe eſt vt falſa dicamus, vt patet cùm illis obiicimus res turpes quas habent. Cæterùm quoties Deum maledicimus, neceſſe eſt vt falſum dicamus, quia nihil illi turpe obiicere poſſumus, niſi falsò. Duobus autem modis poteſt contingere, vt aliquid alicui falsò obiiciatur, vno modo, quia re verâ non habet id quod obiicitur: altero modo, quia quamuis illud habeat, non tamen ineſt illi eo modo quo nos ei ineſſe ſignificamus. Et hæc eſt prima conditio requiſita ad rationem blaſphemiæ. Et in hoc differt blaſphemia in Deum, à blaſphemia in alios homines: nam de ratione blaſphemiæ in alios homines non eſt vt contineat aliquid falſum, eo quòd in aliis hominibus multa ſunt vituperatione digna, quæ ſi proferantur per modum conuitij, erunt blaſphemiæ, licèt contineant veritatem: vt ſi Petrus commiſit inceſtum cum conſanguinea, & ego intuitu illum iniuriandi, tale peccatum in medium profero, peccco mortaliter. At in Deo nihil eſt vituperatione dignum; quare quando quis nominat tanquam rem turpem, id quod verè eſt in Deo, vel Sanctis, iſte falſum dicit; quia in Deo vel Sanctis nihil eſt turpe: nam licèt Chriſtus, & Sancti habeant membra verenda & pudica, non tamen eſt ignominioſum illis ea habere, & qui ea nominant, illa eis obiiciunt tanquam turpia & ignominioſa, ex quo fit vt mendaciter obiiciant, & ex conſequenti ſint blaſphemi. Et idem eſt de aliis locutionibus quæ vel conuitium, vel vituperium, vel irriſionem, vel derogationem, vel diminutionem honoris, ſeu excellentiæ continent in ſe, vel in modo dicendi.

8. Secundò diuiditur blaſphemia in eam, quæ eſt contra Deum, & in eam quæ eſt contra Sanctos: quod tunc fit quando quis mente, vel ore, aut negat Deo, vel Sanctis, quod eis conuenit: aut tribuit quod non conuenit: aut iniuriam facit, contumelioſum aliquid in illos dicendo, aut ſaltem modo contumelioſo.

9. Tertiò diuiditur blaſphemia in eam, quæ fit corde tantùm, & in eam, quæ fit ſimul corde & ore. Nonnulli verò Recentiores obſeruant, blaſphemiam externam non ſolùm conſiſtere in verbis, ſed etiam in factis: vt ſi quis in corde habeat tribuere aliquid Deo quod illi non conuenit, quamuis illud verbis non exprimat, ſi tamen aliquo facto exteriori intendat ſuam blaſphemiam interiorem exprimere, committet blaſphemiam externam, ſi non verbo, ſaltem facto. Hoc autem difficile videtur, nam blaſphemia propriè, & eſſentialiter conſiſtit in dicendo internè, vel externè aliquid contra Deum quod eius honori deroget: nec video quomodo factis poſſit loqui, niſi forte ſignis, vt loquuntur muti.

10. Quartò diuiditur in hæreticalem, & in ſimplicem, ſiue non hæreticalem. Blaſphemia hæreticalis eſt illa, quæ continet hæreſim, ſeu in qua per verbum indicatiui modi aliquid contra fidem aſſeritur, & ita expreſsè, aut virtualiter continet enuntiationem falſam; v. g. Deus eſt iniuſtus perſonarum acceptor: Deus eſt ignorans, & ſimiliter: non credo in Deum, diſcredo, nego, renego Deum, fidem, crucem, chriſma, &c. Hæc enim verba continent abnegationem fidei, & infidelitatem; blaſphemia verò ſimplex, ſeu non hæreticalis dicitur, quæ non continet enuntiationem contra veritatem fidei diuinæ, ſed aliquid vituperabile, non fidei contrarium, optando, aut imprecando contra Deum & Sanctos dicitur. v. g. maledictus ſit Deus, malum Deo contingat, tædeat Deum, velit nolit Deus, &c.

11. Eſt tamen difficultas, an omnia peccata blaſphemiæ ſint eiuſdem ſpeciei infimæ. In qua dicendum eſt. Primò blaſphemiam in Deum & Sanctos, ſpecie diſtingui, quia blaſphemia eſt contra laudem: ſed laus tributa ipſi Deo, & Sanctis, differunt ſpecie, eo quòd laus in Deum eſt à Religione; laus verò in Sanctos à dulia: ſed religio & virtus dulię ſpecie differunt; ergo etiam vitia oppoſita his virtutibus, & ex conſequenti blaſphemiæ contra Deum, & contra Sanctos ſpecie diſtinguuntur. Secundò dicendum eſt, blaſphemias hæreticales ſpecie differre à non hæreticalibus. Et ratio eſt, quia peccatum hæreſis ſpecie diuerſum eſt à peccato quod non continet hæreſim, neque eſt contra fidem, ſed contra aliam virtutem. Tertiò dicendum. Blaſphemias omnes hæreticales eſſe eiuſdem ſpeciei, ſicut blaſphemiæ ſimplices, ſeu non hæreticales, non differunt inter ſe ſpecie, quia omnes conueniunt in hoc quod eſt derogare diuinæ bonitati, ex quo fit vt omnes vnicam habeant rationem illi oppoſitam, & ex conſequenti ſolo numero diſtinguantur. Et idem proportione quadam dicendum eſt de blaſphemiis contra Sanctos propter eamdem rationem. Quamuis de Virgine ſicut etiam de Chriſto videatur eſſe diuerſa ratio; nam blaſphemiæ in Deiparam, erunt contra hyperduliam, & in Chriſtum Dominum contra latriam.

12. Nihilominus blaſphemiæ contra Deum poſſunt inter ſe ſpecie differre; non quidem per ſe, ſed quia ſimul coniunguntur cum alia malitia, vt docuimus de blaſphemia hæreticali: nam ſi blaſphemia ſimul oriatur ex alio motiuo, & affectu malo voluntatis, tunc quidem erunt multa peccata ſpecie diſtincta, v. g. ſi quis ex odio blaſphemaret Deum, tunc peccaret contra charitatem & Religionem. Item ſi ex deſperatione blaſphemaret, vel ſi ex ſuperbia; vel nimia ira, quia ageret ſimul contra ſpem, humilitatem, vel patientiam. Tunc autem blaſphemia oritur ex odio, quando vult inferre iniuriam Deo expreſsè, vt malum illius eſt ex diſplicentia deitatis. Tunc verò oritur ex ſuperbia, quando ideo blaſphemat, quia illi diſplicet ſe eſſe Deo inferiorem, & ſub illius poteſtate & imperio: tunc autem oritur ex ira, quando oritur ex appetitu vindictæ.

13. Ex his infertur, quomodo ſe debeat gerere blaſphemus in confitendis blaſphemiis. In primis enim

enim tenetur explicare an blasphemia fuerit hæreticalis, an processerit ex odio, vel alio motiuo mutante speciem, an fuerit contra Sanctos, an contra beatam Virginem, vel Christum Dominum: hæ enim omnes blasphemiæ differunt specie, vt prædictum est, & ex Tridentino species peccatorum necessariò sunt exprimendæ in confessione. Aliæ verò blasphemiæ cùm non mutent speciem, licet intra eamdem speciem aliæ sint maiores, aliæ verò minores, non sunt necessariò exprimendæ, vt suo loco docuimus de circumstantiis aggrauantibus; sicque sufficiet dicere numerum blasphemiarum, quin exprimatur quibus verbis.

Infertur secundò, audientem blasphemantem teneri statim competentibus iudicibus denunciare, & quidem blasphemans qui hæreticalem profert blasphemiam, statim tanquam hæreticus est denuntiandus dominis Inquisitoribus. Si verò non fuerit hæreticalis, denuntiandus est iudici Ecclesiastico, aut seculari. Quòd si blasphemia fuerit secreta, & non sit hæreticalis, potest omitti denunciatio, si ex correctione fraterna speretur fructus, quando esset omnino certa futura retractatio sceleris ob correctionem. Si verò sit hæreticalis, statim denuntiandus est, iuxta ea quæ suprà docuimus de peccato hæresis, in quo hoc est speciale propter eius grauitatem.

SECTIO III.

De quibusdam propositionibus, de quibus dubitant Doctores, an sint blasphemiæ.

15. CAietanus in summa verbo *blasphemia* asserit. Postquam Deus factus est homo, non esse blasphemiam dicere aliquid corporeum de Deo, eo quòd verè habet corpus; sicque non esse locutionem falsam, & consequenter neque blasphemiam. quod quamuis verum sit, nihilominus sæpe erit blasphemia dicere aliquid corporeum de Deo, quando scilicet nominantur partes Dei, vel Christi, quæ absque pudore nominari non possunt; eo quòd ex vsu loquendi, his locutionibus significatur esse in Christo aliquid dignum pudore. Obseruat autem Couarruuias, aliud esse nominare membra Dei, vel Christi; aliud verò iurare per membra Dei, vel Christi. nam licèt prius ex se non sit blasphemia, posterius tamen communiter est blasphemia, vt cùm quis dicit, per caput Christi, vel iuro per caput Christi. nam ex modo loquendi non tantùm adducitur Deus vt testis, sed etiam caput Christi exponitur vltioni, si id quod dico non est verum. nam vt quis iurat per vitam Patris, sensus est, moriatur pater si id quod dico non est verum: ergo eadem ratione cùm quis iurat per partes corporeas Christi. Similiter aliqui dicunt esse blasphemiam iurare per vitam Dei, quia ex vi huiusmodi loquendi solùm affertur Deus vt testis, & ideo illa verba vsurpantes puniuntur pœna iure Hispano decreta blasphemis. Nihilominus, communiter loquendo, oppositum videtur verius. Itaque si quis iuramenta prædicta efferret eo animo quo exposita sunt, tunc quidem esset blasphemus; sed communiter id non intendunt fideles, possunt enim prædicta verba efferri sine imprecatione. Imò in praxi iurare per membra honesta Christi & Sanctorum, vt per caput, per manus, per sanguinem, per oculos, vel per faciem Christi, regulariter loquendo, erit peccatum, & interdum poterit esse mortale. Ratio est, quia hæc distributio & appellatio membrorum Christi, regulariter loquendo, præ se fert quandam speciem contemptus & irreuerentiæ, quæ quanta sit, vt peccatum mortale, vel veniale constituat, ex animo illius qui iurat erit pensanda. Dixi *regulariter*, quia si adsit debita reuerentia, & alij comites iuramenti, nimirum veritas & iustitia, interdum tale iuramentum nullum erit peccatum; sed poterit licitè fieri: nec tunc sensus esset rem ita esse verum, vt aliter exponatur corpus Christi vltioni; sed sensus est, ita verum est quod ego dico, sicut verum est Christi corpus esse. Sed adhuc in hoc non intendunt omnimodam esse æqualitatem veritatis. Imò modò iam sensus communis hominum videtur esse, cùm dico per caput Christi ita rem esse verum, quam affirmo, sicut verum est Christum habuisse caput, nec aliud communiter volunt iurantes, & ex consequenti sine voluntate blasphemandi, non est cur in illos conferamus peccatum blasphemiæ.

Nauarrus cap. 12. affirmat esse blasphemiam maledicere cuicumque creaturæ, in quantum creatura Dei est, quod verum esset, si esset intentio formalis & expressa; communiter tamen non est blasphemia, quia deest talis animus: sæpe enim maledicimus creaturas, quatenus nobis malum causant, quod non est blasphemia, quia id non est tam creaturis maledicere, quàm malis quorum nobis causæ sunt: sic Iob cap. 3. *Pereat dies in qua natus sum.* quibus verbis non tam diei, quàm peccato originali, in qua natus fuit ea die, maledixit. 16. Iob 3.

Idem Nauarrus affirmat esse blasphemiam miscere cantilenas, aut res profanas, dum fit sacrum. Certum est esse peccatum mortale, vt constat ex Tridentino sess. 22. in decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ. Simpliciter autem non est blasphemia, nisi fiat expresso animo irridendi sacrum. Deinde sacram Scripturam detorquere ad prophanos sensus, putat idem Nauarrus esse blasphemiam, quod non est verum, nisi etiam fiat expresso animo irridendi Scripturam: hoc enim non est dicere aliquid falsum de Deo, vel de Scriptura. 17.

Conueniunt tamen Doctores, hæc verba esse blasphemiam, hoc fiet ad despectum Dei. Item hæc verba, *abnego, renego Deum*, quia sunt quoddam speciale conuitium in Deum, sicut & hæc, displiceat Deo, quia his verbis ostenditur in Deo posse esse tristitiam, quæ omnia sunt blasphemiæ. Adde asserere: *Pese a tal*, quod est frequens apud Hispanos, non esse blasphemiam, si desit animus expressus asserendi, *pese a Dios*. Rodriguez tamen tit. 34. concluf. 1. affirmat, asserere *pese a tal*, esse blasphemiam, si oculos dum illa verba profert, tollat ad cœlum. Sed quamuis attollat oculos ad cœlum, si desit animus expressus dicendi *pese a Dios*, non erit blasphemus, neque in foro exteriori præsumendus vt talis, nisi aliàs esset assuetus blasphemare. 18.

Graphis cap. de blasphemia, affirmat esse blasphemiam verba sacræ Scripturæ trahere amantes ad sua desideria, & detortis sacræ Scripturæ testimoniis vti, vt sua faciliùs persuadeant. Verius est esse peccatum mortale, non verò blasphemiam, nisi id fiat animo irridendi sacram Scripturam. Sotus affirmat esse blasphemiam dicere: hoc est verum, sicut Deus est veritas: vel, sicut Deus est Deus. Hoc tamen similiter est falsum, nisi adsit expressus 19.

Ad Ecclesiam. Ad Ecclesiam. Ad Ecclesiam.

TRACTATVS XVI.

DE SPE.

DISPVTATIO I.

De obiecto Spei.

SECTIO I.

Quodnam ſit obiectum materiale Spei.

1. LICET ſpes ſignificet tam affectum appetitus ſenſitiui, quàm voluntatis, ſiue naturalem, ſiue ſupernaturalem, & aliquando ſignificet etiam rem ſperatam, vt ad Rom. 8. *Spes quæ videtur, non eſt ſpes.* & ad Titum 3. *Spectantes beatam ſpem*; & aliquando etiam illum in quem ſperamus. & ſic in Pſalmis ſæpe ait Propheta Regius; *Dominus ſpes mea*: hîc tamen nullo ex his modis accipitur ſpes, ſed vt ſignificat actum & habitum ſupernaturalem ſperandi, de quo Iob 19. *Repoſita eſt ſpes mea in ſinu meo.* & 1. ad Corinth. 13. ait Paulus: *manent tria hæc, fides, ſpes, charitas.* In ſpe autem, & eſt res ſperata, & ratio ſub qua ſperatur, & ille cui res ſperatur, & ille à quo ſperatur. Quæ duo vltima ad obiectum materiale, vel formale ſpei poſſunt reuocari: nunc ergo de materiali eſt difficultas.

Rom. 8. Tit. 3. Iob 19. 1. Cor. 13.

2. Sit concluſio. Primarium obiectum immediatum materiale ſpei, eſt eſſentialis æterna beatitudo: adæquatum verò non eſt ſola eſſentialis beatitudo, ſed etiam eſt beatitudo corporis conſecuta ad beatitudinem animæ, & ob id obiectum ſecundarium dici ſolet: ſicut etiam alia multa, quæ in beatitudine ſperamus homines, etſi conſequenter ad illam, ſunt obiectum materiale ſpei. Prior pars eſt de fide ad Roman. 5. *Gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei.* ad Titum 1. *In ſpem vitæ æternæ.* & ad Epheſ. 1. *Vt ſciatis quæ ſit ſpes vocationis eius, & quæ diuitiæ gloriæ.* Et ratione oſtenditur. nam principaliter nobis promittitur æterna beatitudo, & principaliter eſt à nobis per bona opera quærenda, & petenda à Deo, iuxta illud Matth. 6. *Quærite primùm Regnum Dei.* Poſterior verò pars probatur, quia illa omnia ſperamus. Et quidem ex Metaphyſica conſtat, illud omne cui applicatur ratio formalis potentiæ, vel habitus, eſſe materiale obiectum reſpectu potentiæ, vel habitus: ergo ſimiliter omne illud, cui poteſt applicari ratio formalis ſpei, explicanda ſectione ſequenti, erit materiale obiectum ſpei. Multa enim præter beatitudinem eſſentialem induunt rationem ipſam formalem ſpei. Sicut enim beatitudo non eſt obiectum materiale adæquatum fidei, ſed primarium; ſic etiam eſt dicendum de ſpe. Et nihilominus ſicut Deus poteſt dici obiectum adæquatum materiale fidei, quia omnia quæ credimus, ad Deum referuntur: ſic de beatitudine eſſentiali in ſpe poteſt dici. & hoc tantùm vult D. Thom. cùm art. 2. indicat, beatitudinem æternam eſſe obiectum materiale ſpei adæquatum.

Rom. 5. Tit. 1. Epheſ. 1. Matth. 6.

3. Cùm autem dicitur beatitudo obiectum primarium immediatum ſpei, intelligitur tam obiectiua, ſcilicet ipſe Deus, quàm formalis, ſcilicet viſio, vel aſſecutio Dei: licèt, vt conſtat, ſi conferatur obiectiua cum formali, primarium obiectum ſit obiectiua, cùm ſit ipſemet Deus; & formalis ſit quid creatum, viſio nempe producta ab intellectu creato cum lumine gloriæ. Ex quo infertur deceptum fuiſſe Durandum in 2. diſt. 17. quæſt. 2. dicentem, obiectum immediatum ſpei tantùm eſſe formalem beatitudinem; Deum verò tantùm eſſe mediatum obiectum terminans actum ſpei media viſione, ad quam immediatè rendit actus ſpei. Oppoſitum docet expreſsè D. Thom. art. 2. in corpore, vbi docet, Deum eiuſque fruitionem eſſe obiectum noſtræ ſpei. Et colligitur manifeſtè ex illo Geneſ. 15. vbi Deus ait Abrahamo: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Conſonat D. Auguſt. lib. 22. de Ciuit. cap. vlt. *Præmium*, inquit, *virtutis erit ipſe, qui virtutem dedit, & qui ſe ipſum, quo melius, aut maius nihil poſſit eſſe, promiſit.* Idem autem eſt obiectum noſtræ ſpei, & merces bonorum operum. Et ratione probatur. nam fieret ex ſententia Durandi, ſpem non eſſe magis virtutem theologicam, quàm virtutem Religionis: quod eſt contra D. Paulum eam numerantem inter theologicas virtutes. Sequela probatur. nam non attingeret ſpes Deum vt obiectum *quod*, ſed vt obiectum *cui*, ſcilicet vt materiam alterius actus noſtri, qui eſſet proxima & immediata materia ſpei. Sicut Religio immediatè reſpicit actum noſtrum, ſcilicet cultum quem Deo exhibemus, vel quo Deum honoramus, & illo mediante reſpicit ipſum Deum. Secundò probatur. nam Deus non modò ratione viſionis, ſed ratione ſuæ intrinſecæ bonitatis, eſt ſummum bonum noſtrum: ergo vt ſic ſummè diligibile amore concupiſcentiæ. Imò obiectum beatificans nos eſt ipſe Deus, vt viſus & amatus in cœlo, quia viſio non beatificat nos niſi quatenus per eam poſſideamus Deum, nec Deus niſi quatenus viſus eſt: ergo vtrumque ſimul eſt immediatum obiectum noſtræ ſpei.

Geneſ. 15. Auguſt.

4. Obiicies primò, ex Durando, ſpes pertinet ad amorem concupiſcentiæ: ſed Deus prout eſt in ſe, non poteſt eſſe obiectum amoris concupiſcentiæ: ergo neque poteſt eſſe immediatum obiectum noſtræ ſpei. Maior eſt certa, quia non pertinet ad amorem amicitiæ, quia hic amor eſt charitatis; ſpes autem differt ſpecie à charitate. Minor probatur, quia Deus propter ſe, & propter ſuam bonitatem, eſt amandus, & non propter noſtram vtilitatem.

esse obiectum formale spei. Nec difficultatis nomine potest concipi futuritio, vel absentia obiecti, vel supernaturalitas, vt dixi, quia absolutè vt sic, potest esse obiectum desiderij, charitatis. Deinde, quia habitus spei habet etiam actum delectationis, delectatio verò non in futurum, sed in præsens fertur: ergo difficile illo modo, non potest esse obiectum formale habitus spei sumpti secundùm se, quamuis quatenus est principium actus sperandi, feratur in absens, futurum, & supernaturale Dei bonum, modo postea explicando. Quando ergo D. Thomas arduum explicat per difficultatem, non est ita intelligendus vt existimet id esse necessarium ex parte obiecti, sed quia spes habet pro obiecto beatitudinem ad quam homines lege communi non acceptantur, nisi post perpetratos labores.

9. Secunda sententia tenet, obiectum formale spei esse auxilium omnipotentiæ Dei, sicut testimonium primæ veritatis est obiectum formale fidei. Ita Vazquez 1. parte disp. 84. cap. 1. & disput. 239. quem sequuntur Meratius & Turrianus in præsenti. & probatur auctoritate D. Thomæ testimoniis allegatis pro superiori sententia art. 1. huius quæstionis. *Obiectum*, inquit, *spei est bonum arduum, futurum, possibile haberi: possibile autem est nobis aliquid dupliciter, uno modo per nosmetipsos, alio modo per alios. In quantum ergo speramus aliquid vt possibile nobis per diuinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum.* Idem repetit art. 5. *Spes respicit arduum alterius auxilio assequendum.* & in disputatis quæst. vnica de spe, ait. *Spes adipiscendi vitam æternam habet duo obiecta, scilicet ipsam vitam æternam quam quis sperat, & auxilium diuinum à quo sperat: sicut etiam fides habet duo obiecta, scilicet rem quam credit, & veritatem primam cui creditur.* & infrà, *Si igitur sicut formale obiectum est veritas prima, per quam assentimur his quæ creduntur, quæ sunt materiale obiectum fidei: ita formale obiectum spei est auxilium diuinæ potestatis, propter quod motus spei tendit in bona sperata, quæ sunt materiale obiectum spei.* Quid expressius? Deinde probat Turrianus, quia si beatitudo, vel Deus vt bonum, esset formale obiectum spei, nihil possemus sperare nisi propter beatitudinem formaliter, & illa præintellecta, & tamen potest quis sperare à Deo auxilium, etiamsi formaliter eodem actu non speret beatitudinem, & illa non præintellecta.

10. Sed neque hæc sententia placet. nam auxilium Dei dupliciter potest accipi. Primò pro virtute Dei auxiliatrice in actu primo, quæ est diuina omnipotentia. Secundò pro actu secundo, qui est actualis influxus Dei, & aliquid creatum: nullum autem ex his potest esse obiectum formale spei. Vtrumque probat rectè Ægidius disp. 19. dub. 4. quia obiectum formale actus voluntatis id solum esse potest, quod eam mouet ad rem aliquam appetendam, aut fugiendam: sed bonitas nostræ beatitudinis est quæ mouet nos vt eam appetamus, non verò auxilium diuinum, vel etiam Deus quà omnipotens. nam quamuis diuinum auxilium, siue Dei omnipotentia sint omnino necessaria, vt beatitudo sit mihi possibilis, & vt possim eam firmiter sperare: hæc tamen non se habent per modum finis, sed instar mediorum; media autem, vt constat, non sunt ratio appetendi finem: ergo diuinum auxilium siue Dei omnipotentia, vt parata nobis conferre illud, non potest esse formalis ratio mouens voluntatem ad appetendam beatitudinem, sed solùm quædam conditio requisita, vt possimus illam prout oportet sperare. Et confirmatur, quia concursus diuinus tantùm se tenet ex parte causæ efficientis, siue accipiatur in actu primo, vel secundo: ergo in ordine ad illum actum ad quem datur, non potest habere rationem causæ finalis.

Ad primam in contrarium desumptum ex auctoritate D. Thomæ respondetur, illis locis tantùm velle spem tendere in Deum, in nitendo eius auxilio, ad eum consequendum, & quod nihil aliud voluerit sanctus Doctor, clarissimè constat ex art. 4. huius quæstionis, vbi constituit beatitudinem obiectum amatum per spem; auxilium autem appellat amatum vt principium extrinsecum, ita enim ait: *Spes duo respicit, scilicet bonum quod obtinere intendit, & auxilium per quod illud bonum obtinetur: bonum autem quod aliquis sperat obtinendum, habet rationem causæ finalis: auxilium autem per quod aliquis sperat illud bonum, habet rationem causæ efficientis.* Idem. 11.

Ad secundam respondetur, quouis actu spei theologicæ sperare nos beatitudinem saltem implicitè; si enim speramus à Deo aliquid merè creatum, speramus illud vt medium conducens ad beatitudinem consequendam; & sic eodem actu implicitè speramus ipsam beatitudinem; quia electio medij est implicita volitio finis: aliàs si non speratur in ordine ad beatitudinem, non erit spes theologica, qua etiam ratione speramus auxilium diuinum, & dona gratiæ vt media ad obtinendam beatitudinem conducentia.

Prima conclusio. Obiectum formale spei est Deus, vt summum bonum amabile amore concupiscentiæ supernaturalis, & quasi incommodum amantis. Ita Scotus in 3. dist. 26. quem sequitur Suarez in hoc loco, & est communior inter Recentiores. & certè hæc videtur expressa sententia D. Thomæ quæst. 17. art. 8. vbi ait: *Spes & omnis appetitiuus motus ex amore derivatur; amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus: perfectus quidem amor est, quo aliquis secundùm se amatur: imperfectus verò quo quis amat aliquid non secundùm ipsum, sed vt illud bonum sibi ipsi proueniat: sicut homo amat rem quam concupiscit: primus autem amor pertinet ad charitatem, sed spes pertinet ad secundum amorem.* Ecce ex D. Thoma rationem spei in amore concupiscentiæ consistentem. Ratio igitur obiecti formalis virtutis spei, est Deus vt est summum bonum nostrum. Dixi *virtutis spei* secundùm se. nam circa tale bonum habitus spei potest elicere varios actus, scilicet amorem quatenus hoc bonum absolutè concipitur proprium, non considerando, an sit præsens, vel absens. Et etiam actum spei, vt in illud bonum fertur, vt absens & futurum, & gaudium, seu delectationem, vt fertur in illud bonum iam adeptum. Quare sicut quæuis alia virtus voluntatis secundùm se est principium horum omnium actuum similium, vt patet in charitate respectu sui obiecti, & in temperantia, &c. ad quamuis enim harum spectat simplex amor obiecti, intentio, electio, & quies in obiecto adepto, & odium oppositum: sic in spe ponendi sunt hi actus; cur enim hoc negandum est virtuti spei. licèt enim conditiones illę obiecti efficiant diuersos actus, ad eumdem tamen habitum sine dubio spectabunt, licèt virtus ab actu difficiliori denominationem sortiatur, & definiatur: quo pacto virtus spei ab actu sperandi nomen sortitur, & diffinitur, etsi non tantùm actum sperandi, sed alios prædictos eliciat. Conclusio ergo posita probatur. nam Deus sub illa ratione assignata est obiectum alicuius 12.

actus

Digitized by Google

actus honesti supernaturalis. nam cùm Deus sit summum bonum nostrum supernaturale, si diligatur vt sic, non erit indecens; erit ergo ille actus alicuius virtutis, non charitatis. nam charitas Deum respicit propter ipsummet Deum, & non quia mihi sit bonus: nec est etiam actus fidei, vt patet; erit ergo spei, cùm sit actus virtutis theologalis, & virtutes theologales tantùm sint charitas, fides, & spes.

13. Secunda conclusio. Deus modo dicto est obiectum formale adæquatum spei habitus, id est, Deus vt concipitur mihi bonus, siue secundùm se ipsum, siue secundùm bona creata & participantia ipsius bonitatem, est adæquata formalis ratio obiectiua, propter quam habitus spei. Quod eadem ratione est explicandum, qua dicitur bonitas diuina propter se, est ratio formalis obiectiua charitatis: sicut enim bonitas diuina propter se, est ratio diligendi Deum, & alia etiam propter Deum, & sic est ratio formalis charitatis adæquata: sic similiter bonitas Dei ipsius, vt est bona mihi in se, & etiam in aliis rebus, siue aliis rebus applicata, erit formalis adæquata ratio virtutis theologicæ spei. Quare sicut amare Deo propter ipsum, id est, super omnia alia etiam supernaturalia, ipsius omnipotentiam, sapientiam, & iustitiam: similiter & amare honorem & cultum externum ipsi Deo ex complacentia eiusdem bonitatis ad eamdem spectat charitatem: sic & sperare mihi Deum vt summum bonum supernaturale, & sperare salutem à Deo vt conducit ad beatitudinem supernaturalem, pertinet ad eamdem spei virtutem. Vnde breuiter dicitur Deus obiectum formale adæquatum habitus huius virtutis, vt est bonus subiecto amanti amore supernaturali: Deus verò non modò in se, sed etiam in suis effectibus, est bonus supernaturaliter nobis.

14. Obiicies, quia hic amor vel est amor proprius, vel oritur ex amore proprio, in quo ratio amandi est naturalis: ergo non potest ille esse à virtute spei supernaturali; cùm ipse amans & vtilitas illius sit ratio amandi, & non bonitas increata, vt debet esse in virtute theologica voluntatis. Respondetur, in omni amore quo nobis, aut aliis bene volumus, esse duplicem respectum; vnum ad rem quam nobis vel aliis optamus, qua ratione habet rationem amoris concupiscentiæ: alterum ad personam cui bene volumus, qua ratione habet rationem amoris amicitiæ; & vnus amor, per se loquendo, non oritur ex alio, & quamuis ille amor respectu nostri sit beneuolentiæ saltem virtute; est tamen supernaturalis ratione obiecti formalis supernaturalis, quamuis ratione subiecti sit in se quid naturale, quia hic & nunc consideratur secundùm potentiam obedientialem, & vt habet ordinem ad bonum supernaturale, & ad regulam supernaturalem; quia optat sibi perfectionem maximè supernaturalem. Itaque licèt hic amor modo dicto supponat naturalem, sicut gratia supponit naturam, non tamen ab eo specificatur, sed à ratione dicta supernaturali. Et ex his

15. Infertur primò. Quomodo actus virtutis spei distinguantur ab actibus charitatis ex distinctione obiectorum formalium. nam charitas habet pro obiecto diuinam bonitatem propter se; virtus verò spei eamdem bonitatem vt nobis bonam. Vnde spes sic potest definiri: *Virtus supernaturalis qua spectamus à Deo supernaturalem beatitudinem, & alia bona ad eam conducentia.*

Secundò infertur, an actus virtutis spei inter se distinguantur specie, cùm enim versentur circa rationem formalem assignatam, & quidam eorum sint amor, alij desiderium, alij delectatio, alij odium, alij tristitia, alij abominatio, dicendum est distingui, sicut in aliis virtutibus inter se distinguuntur similes actus specie, vt communiter dicitur: licèt enim habeant eamdem rationem formalem obiectiuam respectu habitus, tamen cùm diuerso modo tendant in illam, dicuntur distingui specie. nam cùm hi actus magis sint determinati, quàm habitus, possunt distingui ex rationibus peculiaribus, quæ non sufficiant ad distinguendos habitus: sicut dicitur de actu intentionis, & electionis, & actu amoris Dei & proximi. v. g. in charitate. Vel potest dici supradictos actus in spe & in quauis alia virtute tantùm specie accidentariò distingui, penes conditionis præsentis, vel futuri, quod examinare non est huius loci.

Sectio III.

An vera spe possimus alteri sperare beatitudinem.

16. DVpliciter possumus alterius beatitudinem sperare: vno modo, quia illam apprehendimus tanquam bonum nostrum, quatenus ex illius beatitudine saltem accidentaliter nostra beatitudo accrescit. Altero modo quatenus illi bona est. Et priori modo conueniunt Doctores, velle alteri beatitudinem esse actum spei. & colligitur ex D. Thom. art. 3. vbi ait: *Præsupposita vnione amoris ad alterum, iam aliquis potest sperare, & desiderare alteri vitam æternam, in quantum est ei vnitus per amorem.* D. Thom. Et ratio huius est, quia certum est nos posse sperare alteri bonum, quando bonum hoc apprehendimus tanquam nostrum; hac enim ratione non tam illi, quàm nobis bonum illud appetimus: ergo is appetitus ex amore concupiscentiæ, & non ex charitate & amicitia procedit: sicut qui seruo suo salutem appetit, quia sibi est conueniens, non tam bonum serui, quàm proprium appetit. Difficultas itaque procedit de actu quo speramus alterius beatitudinem, quatenus ipsi bona est.

17. Sit conclusio, appetere beatitudinem proximi quatenus illi bona est, non est actus spei, sed charitatis. Ita Vazquez 3. parte tom. 1. disput. 43. cap. 2. & videtur esse sententia D. Augustini in Enchiridio cap. 8. vbi ait: *Spes autem non nisi bonarum rerum est, nec nisi futurarum, & ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur.* August. & ratione probatur, quia spes est actus amoris concupiscentiæ, eo quòd per illum speremus bona nostra; ac proinde tendit in bonum, quatenus est bonum sperantis: sed beatitudo proximi quatenus ei præcisè bona est, non est bonum meum: ergo nec actus quo eamdem beatitudinem ei desidero, quia ipsi bona est, potest esse actus verè spei: aliàs si per spem theologicam possemus sperare aliis beatitudinem, talis spes non deberet dici solùm actus amoris concupiscentiæ, si etiam posset includere affectum beneuolentiæ erga alterum. Et confirmatur, quia qui beatitudinem alterius optat, quia illi bona & conueniens est, illius bonum optat, & non proprium, vt ex se patet: ergo non ex amore concupiscentiæ, sed beneuolentiæ & amicitiæ procedit; ac proinde erit charitas, quia spes esse non potest. Denique, quia per spem erigitur animus ad vincendas difficultates quæ possunt esse in consecutione boni sperati:

sed,

sed, vt rectè obseruat Turrianus disp.60.dub.4. hic affectus nequit esse respectu beatitudinis alterius, ex eo præcisè quòd consideratur vt bonum alterius, quia tunc non erigitur animus ad vincendas difficultates, quæ possunt alteri occurrere in consecutione propriæ beatitudinis: ergo talis affectus non est virtutis spei; erit ergo affectus charitatis, quæ sit virtus theologica, vel moralis. nam qui vult beatitudinem proximo, quia illi bona est, ex honesta quadam amicitia, non ex charitate virtute theologica procedit: si verò talis affectus proficiscatur ex motiuo supernaturali, erit charitas theologica.

18. Obijcies ex August.serm.11.de verbis Domini, Idem. vbi ait: *De nemine desperandum esse dum viuit*, vbi apertè supponit, posse nos desperare de salute aliorum: ergo eadem ratione poterimus sperare, quia contrariorum eadem est ratio. Respondetur ibi D. Augustinum loqui de spe in latiori quadam significatione, quatenus comprehendit bonum quodlibet speratum. Dices, quia nisi affectus iste pertineat ad spem, non potest explicari contra quam virtutem sit desperare de beatitudine alterius: nulla enim virtus designari potest contraria huic affectui, nisi tantùm spes, qua beatitudinem alteri speramus. Respondetur, attendendam esse rationem ob quam quis desperat de salute proximi, vt possit designari virtus cui contradicat talis affectus. nam si desperat, quia iudicat Deum non daturum ei sufficiens auxilium quo possit à peccatis suis conuerti, errat contra fidem. Si autem desperat ex eo quòd omnino certum iudicat proximum ex sua negligentia, aut malitia, nunquam facturum, vel omissurum necessaria ad salutem, peccat contra charitatem, vel iustitiam proximo debitam, temere de illo in re tam graui iudicando. Si denique desperat ex odio quo proximum prosequitur, talis desperatio est contra charitatem.

Sectio IV.

An operari intuitu æternæ retributionis sit actus spei honestus.

19. Trident. Conclusio est affirmatiua & de fide, diffinita in Trident.sess.6.cap.11.& Can.31. *Si quis dixerit iustificatum peccare, dum intuitu eternæ mercedis bene operatur, anathema sit.* & probant Patres Concilij ex illo Psalmi 118. Psalm. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* & ad Hebr. 11. Hebr.11.dicit Paulus: *Moysem respexisse in remunerationem.* Deinde, quia sacra Scriptura sæpe proponit præmium, vt moueat ad operandum. Deuteron. Deuter. 12. 12. *Obserua & audi omnia, quæ ego præcipio tibi, vt bene sit tibi, & filijs tuis post te in sempiternum.* & Apocalyps.vltimo, Apoc. vlt. *Qui iustus est, iustificetur adhuc*, &c.& statim subdit: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere vnicuique secundum opera sua.* & sæpe alibi spe mercedis nos excitat ad bene operandum, quod non bene fieret, si operari spe mercedis nobis illicitum esset. Et ratio huius est, quia honestum est homini suam æternam beatitudinem tanquam vltimum finem consequi; ac proinde etiam erit honestum illam intendere, & ad id media conuenientia eligere: hoc autem facit qui bene operatur propter spem vitæ æternæ: ergo proculdubio rectè & honestè facit.

20. Et ex hoc infertur contra hæreticos, licitè & honestè spem aliquam ac fiduciam nos concipere ex bonis operibus quæ scimus nos fecisse. Quod manifestè colligitur ex Apostol. Paulo 2. ad Timoth.4. vbi ait. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* vbi ex meritis suis concipiebat spem accipiendi coronam retributionis æternæ. Idem habetur Tobiæ 4. *Fiducia magna erit coram summo Deo eleemosyna, omnibus facientibus eam.* & 1. Ioan.3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus apud Deum.* 2. Timoth.4. Tobiæ 4. 1. Ioan. 3.

21. Obiiciunt hæretici, quia sacra Scriptura Ioann. 10. reprehendit mercenarios: at qui operatur spe mercedis, est mercenarius, ac proinde reprehendendus: vnde Bernardus lib.de diligendo Deo, inquit: *Non enim sine præmio diligitur Deus, etsi absque præmij intuitu diligendus sit; vacua namque vera charitas esse non potest, nec tamen mercenaria est.* Respondetur, ibi eos tantùm mercenarios reprehendi à Christo Domino, qui ita quærunt proprium commodum, vt illud præferant vtilitati spirituali ouium, quarum cura commissa est eis. D. autem Bernardus hortatur nos ad insignem charitatis affectum: non tamen ibi agit de iniusto aliquo amore mercedis, vt apertè patebit legenti contextum. Bernard.

22. Adde ex virtute spei licitum esse sperare mercedem aliquam temporalem bonis operibus consequendam. v. g. salutem propriam, vel filiorum, &c. ieiunio, oratione, & eleemosyna: cùm enim licitum sit illa à Deo petere, honestum etiam erit voluntatem Dei his bonis operibus inflectere. Nec obstat quòd hoc esset ordinare nobilius ad ignobilius, & rem superioris ordinis ad inferiorem. nam, vt docuit Trident. vbi suprà, ille actus operandi propter mercedem est bonus, dummodo in hoc principaliter intendatur vt Deus glorificetur: quod etiam est in actu spei, & in quouis alio bono actu. nam virtutes saltem principaliter sunt propter Deum, quod non tollitur, nisi addatur malus finis ex malitia voluntatis.

Sectio V.

An spes nostra sit certa.

23. Ratio dubitandi est, quia spes non solùm nititur auxilio diuino, sed etiam nostris meritis & operibus, quæ quidem incertitudinem habent. Deinde, quia habitus qui sunt in voluntate, sunt certi ratione certitudinis, quæ derluatur in illis à iudicio certo rationis: sed iudicium existens in intellectu à quo spes sumit suam certitudinem, est fallibile & incertum: ergo etiam spes. Minor probatur, quia iudicium ex quo spes sumit suam certitudinem, vel est hoc: Ego saluabor; vel hoc: Ego possum saluari ex gratia Christi. non primum, quia iudicium illud est fallibile, vt constat, præsertim cùm dicatur Eccles.iast. 9. *Nescit homo vtrùm odio, vel amore dignus sit.* Neque etiam dici potest secundum, quia cum hoc iudicio: Ego possum saluari ex gratia Christi, potest simul stare desperatio: non enim repugnat cum hoc iudicio quod est de possibili, actus voluntatis de facto. Eccl 9.

24. Obseruandum est, quòd certitudo propriè & formaliter pertinet ad intellectum, minus verò propriè ad voluntatem, & ad habitus in ea existentes, qui dicuntur certi, quia semper velut in plurimum consequuntur suum finem: quem-

Digitized by Google

admodum dicitur certa manus ſagittarij quando non aberrat ab ſcopo. Vnde ſicut intellectus cùm hæſitat, & eſt dubius inter verum & falſum, dicitur incertus; quando verò excludit omnem dubitationem & hæſitationem, dicitur certus, quia in verum determinatur. Ita voluntas quandiu fluctuat inter ſpem, & timorem, dicitur incerta; quando verò omnem timorem excludit, & in ſpe firmatur, dicitur certa. Hæc autem certitudo ſpei poteſt ad duo comparari; vel ad radicem vnde naſcitur, ſcilicet ad iudicium fidei, quod eſt in intellectu; vel ad ſubiectum in quo eſt.

25. Prima concluſio. Spes theologica ex natura ſua eſt certiſſima, & infallibilis. Eſt de fide, & probatur ex Paulo ad Hebræos 6. *Fortiſſimum ſolatium habemus, qui confugimus per propoſitam ſpem, quam veluti ancoram tutam habemus.* Quibus verbis ſignificat Apoſtolus, hoc fidelibus eſſe ſpem, quod eſt anchora naui: ſicut enim anchora nauim ſuſtinet, & inter vndas maris firmam tenet ne huc atque illuc impellatur: ſic etiam ſpes promiſſæ beatitudinis, animam à vitæ periculis ſecuram reddit, & inter fluctuationes huius ſeculi, & procellas, firmam continet, ac ſuſtinet, & cohibet, ne in peccatis demergatur. & ad Rom. 5. dicebat idem Paulus: *Spes non confundit*, id eſt, non fruſtratur euentu. & 2. ad Timoth. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt*, &c. & Iſai. 40. dicit Dominus: *Deficient pueri, & iuuenes, & in infirmitate cadent: ſed qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* & in Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. dicitur, in Dei auxilio, & miſericordia, omnes debere firmiſſimam ſpem collocare. Ratione verò probatur, quia ſpes Chriſtiana proficiſcitur à iudicio fidei, in quo nititur tanquam radice & fundamento: ſed iudicium fidei eſt infallibile: ergo & ſpes. Maior probatur, quia iudicium, ex quo naſcitur ſpes Chriſtiana, eſt: Gratia Dei mihi non deerit ſi ego velim; & etiam: Gratia Dei potens eſt me ſaluare; & nihil poteſt impedire ſalutem meam, ſi ego velim: velle autem poſſum cum Dei gratia, quæ mihi præſtò eſt. In his enim iudiciis fundat Trident. loco citato certitudinem noſtræ ſpei, dicens: *De perſeuerantia munere nemo ſibi certò aliquid abſoluta certitudine polliceatur, tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare omnes debeant, Deus enim niſi gratia illius defuerint, ſicut cœpit, ita perficiet.*

Hebr. 6. Rom. 5. 2. Timoth. 1. Iſai. 40. Trident.

26. Secunda concluſio. Spes noſtra per accidens, & ratione ſubiecti, poteſt eſſe dubia & incerta. Probatur, quia multi homines abutuntur ſua libertate, neque curant de meritis, quibus etiam nititur ſpes: ergo in his poteſt ſpes ſuo euentu fruſtrari. Ex quo patet ad rationem dubitandi in principio poſitam, quòd quamuis merita præcisè quatenus proficiſcuntur à libero arbitrio, non ſint certa; vt verò ſunt ab auxilio ex influxu diuino, firmiſſima ſunt. Vnde certitudo ſpei non oritur neque reſultat ex illo iudicio, ego ſaluabor, ſed ex hoc: Credo quòd ſaluabor per gratiam Chriſti, & merita eius, ſi ſeruauero mandata ipſius, & cùm hoc iudicium firmiſſimum ſit ex natura ſua, ita etiam ſpes erit firma. Et ſi dicatur, quòd ſimul cum hoc iudicio in intellectu, poteſt eſſe deſperatio in voluntate: ergo ab illo non mutuat ſpes ſuam certitudinem. Reſpondetur, ſtante illo iudicio ex parte intellectus, & voluntate efficaci ſeruandi & implendi mandata, nullo modo eſſe poſſe deſperationem in voluntate; quia hic actus componi non poteſt cum peccato mortali, nec cum negligentia in agenda pœnitentia de commiſſis.

Inquires, an hæc certitudo ſpei ſit abſoluta, vel potiùs conditionata. Vega lib. 9. in Trident. cap. 38. exiſtimat non eſſe abſolutam; quia ſpem eſſe certam, nihil aliud eſt, quàm habere hunc actum: Spero me conſequuturum beatitudinem, ſi in gratia deceſſero. Et videtur apertè colligi ex eodem Tridentino ex illis verbis: *Iuſtos debere ſperare æternam beatitudinem, ſi bene agendo perſeuerauerint vſque in finem.* Et ratione probatur, quia eo modo eſt ſperanda beatitudo, quo Deus illam promiſit: at Deus promiſit beatitudinem ſub conditione, ſi homo in gratia deceſſerit. & ita Paulus ad Roman. 8. addit conditionem: *Si tamen compatimur.* & Chriſtus Matth. 8. *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* ergo ita ſperanda eſt; & ex conſequenti certitudo fidei non erit abſoluta, ſed conditionata. Trid. Rom. Matth.

Dicendum tamen eſt primò. Certitudinem ſpei, & iudicium quod ſupponitur reſpectu eius in quo ſperamus, eſſe omnino abſoluta. Ita D. Thom. quæſt. 18. art. 4. vbi ait: *Certitudinem ſpei eſſe qualis eſt certitudo naturæ.* & in 3. diſt. 26. quæſt. 2. aſſerit: *Certitudinem naturæ eſſe abſolutam.* Et ratione probatur, tum quia ſperamus in Deo, cuius potentiam credimus ſuperari non poſſe; & eius voluntatem ad benefaciendum eſſe nobis paratam: tum etiam, quia certitudo ſpei nihil aliud eſt, quàm quædam determinatio inclinationis ipſius ad proprium actum circa proprium obiectum: ſicut certitudo naturæ nihil aliud eſt, quàm determinatio inclinationis rei naturalis ad proprium finem: ſed hæc determinatio naturæ eſt abſoluta, vt patet in lapido qui abſolutè, & ſine vlla conditione, habet inclinationem determinatam ad centrum: ergo etiam ipſa certitudo ſpei erit abſoluta. Præterea, quia ſi certitudo ſpei eſſet conditionata, nunquam poſſet ſpes deficere, quod eſt apertè falſum. Sequela probatur, nam ſicut non poteſt deficere veritas illius propoſitionis: *Quicunque perſeuerauerit vſque in finem, ſaluus erit*; ita neque veritas iſtius: *Si ego perſeuerauero vſque in finem, ſaluabor*; quia vtrorumque eſt certitudo fidei. Denique quia timor opponitur ſpei: actus autem timoris non eſt conditionatus, ſed abſolutus; nullus enim timet quòd ſi moriatur in peccato mortali, condemnabitur, quia de hoc eſt certus certitudine fidei: ſed quod timet eſt mori in peccato mortali, & quòd ſit condemnatus, quod quidem abſolutum eſt: ergo eodem modo non ſperat quòd ſi moriatur in gratia, ſaluabitur, quia hoc certum eſt certitudine fidei: ſed quod ſperat eſt, ex auxilio diuino vitam in gratia conſummare, & ſic ſaluari. D. Tho. 27

Dicendum eſt ſecundò loquendo de certitudine euentus, certitudinem ſpei & eius actum, non eſſe abſolutum, ſed conditionatum. Probatur, quia certitudo euentus in natura eſt conditionata, & non abſoluta, vt conſtat in lapide; non enim eſt certum quòd lapis perueniat ad centrum, niſi ſub conditione ſi non fuerit impeditus: ergo pari ratione dicendum eſt de ſpe, cùm vtriuſque certitudo ſit participata. Actus autem ſpei non debet ferri in illam conditionè, ſcilicet ſi bene agendo perſeuerauerit; ſed abſolutè fertur in æternam beatitudinem ex gratia, & meritis conſequendam, & ita intelligendum eſt Tridentinum. nam ſolùm voluit diffinire contra hæreticos, æternam beatitudinem, non ſolùm ex gratia, ſed etiam ex meritis prouenientibus ex illa, eſſe nobis reddendam; ac proinde ex meritis etiam ſperandam: appoſuit tamen illam conditionem, vt doceret eſſe nobis ex meritis

reddenda m,

reddendam, nisi in fine vitæ obicem peccati ponamus: quod quidem verum est. per quod patet ad primam rationem dubitandi.

30. Ad secundam respondetur, quòd illa propositio: Eo modo speranda est beatitudo, quo Deus illam promisit, potest habere duplicem sensum. Primus est, quòd sicut Deus promisit nobis beatitudinem ex meritis obtinendam, ita etiam nos debemus ex meritis, & non gratis sperare, & in hoc sensu vera est. Alter verò sensus est, quòd sicut Deus promisit beatitudinem sub conditione, ita nos debemus eamdem sub conditione, & non absolutè sperare, & in hoc sensu est neganda, quia spes in suo actu nullam conditionem apponit. Sicut enim Deus comminatur æternam damnationem sub conditione, scilicet, si peccauerimus. Et tamen adhuc noster timor non fertur in pœnam illam sub conditione, sed absolutè timemus damnari propter peccata. Ita similiter non speramus, quòd si moriamur in gratia, saluabimur; sed absolutè speramus saluari, propter bona opera ex Dei auxilio facta.

Sectio VI.

Quem ordinem seruet spes cum aliis virtutibus theologicis.

31. Dvplex ordo considerari potest inter virtutes theologicas: primus originis: secundus dignitatis. Et ante omnia supponendum est, spem siue informem, siue formatam, id est, cum charitate, vel sine illa, esse verè habitum virtutis, & quidem de formata res est de fide certa. De informi verò probatur, cùm etiam vt sic habeat obiectum honestum, & non differat specie ab spe formata, licèt sine charitate non habeat modum, & statum virtutis quem petit in homine Christiano, maximè virtus theologica supernaturalis. Vnde sine charitate non dicitur simpliciter virtus, quia in homine ad fidem supernaturalem ordinato, dum est inimicus Dei, & à fine supernaturali auersus, nulla virtus simpliciter denominetur, ita vt simpliciter faciat dici subiectum bonum. loquendo tamen secundùm essentiam, & metaphysicè, re vera virtus est etiam in peccatore; quia adhuc in illo habet suam intrinsecam essentiam, & obiectum honestum. nam potest peccator sperare gloriam, sperando merita, & remissionem peccati per futuram pœnitentiam. An verò habitus spei formatus intrinsecè in se habeat aliquid, quod non habeat informis, dicendum est, nihil habere, vt suprà docuimus de fide: esse enim formatum, tantùm dicit habere charitatem concomitantem, suppositâ bonitate habitus spei. Et iuxta dicta possunt facilè conciliari Doctores existimantes in peccatore non esse virtutes simpliciter, & alij dicentes esse posse. hi enim loquuntur metaphysicè, & quoad essentiam virtutum: alij verò loquuntur de statu & esse virtutum, eo modo quo debent esse in homine ad finem supernaturalem eleuato. Hoc posito, sit

32. Prima conclusio. Via originis, actus spes est posterior natura, quàm actus fidei. Ita communiter Doctores, & facilè ostenditur, quia actus spei est actus voluntatis; sed voluntas non tendit in bonum nisi præcognitum, & priùs ostensum per intellectum: ergo voluntas non sperat bonum, nisi sibi ostensum per fidem; nemo enim sperat bonum aliquod, nisi prius iudicet illud posse consequi. Qua ratione Paulus ad Hebr. 11. vocat fidem: *Fundamentum, & substantiam rerum sperandarum.* & Hebr. 11. Auguſt. Auguſt. in Enchirid. cap. 8. inquit: *Quid autem speraripotest, quod non creditur*; quasi dicat nihil. Difficultas autem est, an iudicium illud intellectus, quod debet præcedere spem, debeat esse necessariò fidei infusæ, an verò sufficiat iudicium fidei humanæ, Almain in 3. distinct. 23. quæst. 1. existimat, non esse necesse quòd sit à fide infusa & supernaturali, sed sufficere quodcumque iudicium de beatitudine: si enim quis probabiliter credat beatitudinem esse sibi possibilem, poterit proculdubio illam sperare firmitet ex meritis Christi: hæreticus enim caret habitu fidei, & tamen certissima fiducia sperat se fore beatum.

Opposita sententia est communis inter Theologos. Non posse dari actum spei infusæ & Christianæ, quin præcedat actus fidei infusæ & supernaturalis: vndè amissa fide, etiam amittitur spes; quare Paulus vocat eam substantiam rerum sperandarum, id est, fundamentum per quod subsistit spes nostra, & ædificium spirituale: quare sublato tali fundamento corruit spes, & totum ædificium. Præterea, quia spes oritur ex iudicio, quo quis iudicat beatitudinem sibi possibilem: ergo eo modo quo iudicat, eo modo sperat, ita vt sit proportio inter iudicare & sperare: ita vt si iudicat leuiter, vel firmiter, etiam speret leuiter, vel firmiter: sed spes infusa & Christiana, est firma, certa, & inconfusa: ergo iudicium à quo proficiscitur, debet esse eiusdem certitudinis & firmitatis; ac proinde debet esse à fide infusa, quæ certissima & infallibilis est. Vnde iudicium illud probabile sufficiet quidem ad spem quandam humanam & naturalem; non verò ad perfectam spem & infusam, de qua loquimur; ac proinde actus spei, qui reperitur in hæretico, & in illo qui probabiliter tantùm credit beatitudinem sibi possibilem, non procedit ab spe theologica, sed ab spe tantùm acquisita. 33.

Secunda conclusio. Via etiam originis, actus spei est prior actu charitatis. Probatur, quia charitas est forma spei, & spes respectu illius est veluti materia, seu dispositio, vt colligitur ex Tridentino sess. 6. cap. 6. vbi spem ponit inter dispositiones præcedentes iustificationem, siue infusionem charitatis, & quamuis videatur loqui de habitu istarum virtutum, nihilominus inde colligitur, idem necessariò dicendum esse de actibus. nam adultis nunquam infunditur habitus fidei, aut spei, nisi aliarum virtutum actus elicuerint. Nec obstat Augustin. in Enchirid. cap. 8. vbi ait: *Spes sine amore esse non potest. nam nemo* Idem. *propriè sperare dicitur, quod non amat, maximè quia amor est primus motus appetitus humani.* Nam rectè respondet D. Thom. artic. 8. duplicem esse amorem, alium perfectum, & alium imperfectum: spes autem & omnis motus appetitus, semper prouenit ex aliquo amore, quo scilicet amatur bonum spectatum; non tamen omnis spes prouenit à charitate, sed solùm motus spei formatæ, qua scilicet aliquis sperat bonum à Deo, vt ab amico. 34.

Si autem loquamur ordine dignitatis & perfectionis, conueniunt Doctores, charitatem esse priorem, testante id Paulo 1. Corinth. 13. *Nunc ma-* 1. Cor. 13. *nent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas.* hac etiam ratione appellatur forma omnium virtutum, & regina illarum. Itaque tota difficultas est & controuersia apud Doctores, inter 35.

fidem,& ſpem, quæ harum virtutum dicatur præſtantior,& perfectior.

36. Prima ſententia abſolutè docet, actum ſpei eſſe ſimpliciter perfectiorem fide, quia ſpes magis accedit ad charitatem, quàm fides, quia tam ſpes, quàm charitas ſunt circa bonum; fides verò circa verum, & ſpes eſt in voluntate ſicut charitas, & magis & immediatiùs diſponit ad charitatem, quàm fides. nam qui ſperat magis, diſpoſitus eſt ad amandum Deum, quàm qui ſolum credit. Præterea, quia ſpes tendit in Deum, & illum attingit vt eſt in ſe, fides autem ſecundùm quod in nobis eſt. nam inter intellectum & voluntatem hoc eſt diſcrimen, quòd operatio intellectus habet ſui complementum, ſecundùm quod res quæ intelligitur eſt in intelligente: at operatio voluntatis, ſecundùm quòd ipſa voluntas inclinatur in rem ipſam tanquam in terminum: cùm ergo ſpes ſit in voluntate,& fides in intellectu, præſtantior erit actus ſpei reſpectu Dei boni, quàm actus fidei reſpectu Dei veri. Et confirmatur ex D. Thoma 2.2.quæſt.66. art.6. ad primum,vbi ait, quòd operatio intellectus circa ea quæ ſunt infra nos, eſt perfectior,quàm operatio voluntatis, quia iſta habet perfectius eſſe in intellectu,quàm in ſeipſis. At verò operatio voluntatis eſt perfectior circa ea quæ ſunt ſupra nos, propter rationem oppoſitam, quia quæ ſunt ſupra nos, perfectius eſſe habent in ſe ipſis, quàm in nobis: cùm ergo ſpes pertineat ad voluntatem,& Deus circa quem verſatur ſit ſupra nos, illius actus erit perfectior, quàm actus fidei, qui terminatur ad Deum prout eſt in nobis in ratione cogniti. Et ideo D. Thom. loco citato art.3. inquit: *Virtutes morales acquiſitas eſſe præſtantiores in ratione virtutis, quàm intellectuales, quia illa verſantur circa bonum prout in ſe eſt: intellectuales verò circa verum prout eſt in intellectu.* Et denique,quia actus fidei ſecundùm ſe, & ſecluſo actu voluntatis, non eſt formaliter liber, aut bonus moraliter, ſicut actus ſpei.

D.Thom.

37. Oppoſitam ſententiam ſequuntur alij Doctores, cenſentes fidem eſſe præſtantiorem, & priorem ordine perfectionis, quàm ſpes. Quod probant. Primò, quia actus intellectus ſunt perfectiores actibus voluntatis. Secundò, quia fides non ſolùm eſt virtus moralis, ſed etiam intellectualis, & non ſolùm practica, ſed etiam ſpeculatiua: conſtat autem ex D.Thoma vbi ſuprà, virtutes intellectuales perficientes rationem ſimpliciter & abſolutè eſſe præſtantiores, quàm morales perficientes appetitum; quia obiectum vnde ſumitur ſpecificatio, eſt præſtantius:cùm ergo ſpes non ſit virtus intellectualis, ſed ſolùm moralis, perficiens appetitum rationalem, erit imperfectior. Tertiò, quia infidelitas, quæ eſt vitium oppoſitum fidei,eſt grauius peccatum,quàm deſperatio, quæ opponitur ſpei, ex D.Thom. infrà quæſt. 20. art.3. ergo fides erit præſtantior. Patet conſequentia ex Philoſopho 8. Ethicorum cap. 8. aſſerente: *Id eſt peſſimum,quod optimo opponitur.* Quartò, quia fides habet magis reſpicere Deum ſecundùm ſe, quàm ſpes, quia fides reſpicit illum ſecundùm proprietates quæ illi conueniunt, abſque ordine ad creaturas, quia reſpicit Deum vt eſt prima veritas, quæ eſt proprietas ipſius Dei ſine ordine ad creaturas: ſpes autem reſpicit Deum per ordinem ad nos.nam reſpicit illum vt bonum noſtrum,cùm pertineat ad amorem concupiſcentiæ. Quintò, quia cognitio quæ habetur de Deo per naturam, præſtantior eſt quàm ſpes de Deo habita etiam per naturam. nam cognitio & contemplatio eſt beatitudo quædam naturalis:ergo idem dicendum eſt de fide & ſpe ſupernaturali. Sextò, quia contemplatio quam beati habent de Deo cùm illum facie ad faciem intuentur, quæ ſuccedit fidei, perfectior eſt quàm comprehenſio, ſeu tentio eiuſdem,quæ correſpondet ſpei, vt diximus prima ſecundæ. Denique quia tam ſubiectum,quàm obiectum fidei,præſtant ſubiecto & obiecto ſpei; quia ſubiectum fidei eſt intellectus, & ſpei voluntas: præſtantior autem potentia eſt intellectus quàm voluntas, & obiectum fidei eſt verum diuinum, ſpei verò bonum diuinum: verùm autem præſtantius quid eſt, quàm bonum; quia eſt quid ſimplicius. Dices hac ratione etiam probari, fidem eſſe præſtantiorem charitate, quia fides eſt in intellectu, charitas in voluntate: fides verſatur circa verum, charitas verò circa bonum. Reſpondetur, quòd ratio facta procedit de fide & ſpe, quatenus vtraque includit diſtantiam & elongationem ab obiecto: fides enim eſt de non viſis, & ſpes de his quæ non habentur;charitas autem cùm dicat vnionem amantis & amati, & non petat diſtantiam & elongationem ab obiecto, ideo ratio adducta non militat contra illam.

Ariſtot.

38. Hæc ſunt rationes & fundamenta quæ pro vtraque ſententia adduci ſolent, quarum vis ſi rectè perpendatur, videntur relinquere rem valde dubiam;quia tantum probant fidem & ſpem, habere ſe tanquam excedens & exceſſum, & ſe inuicem ſuperare quantum ad aliquid: quænam verò illarum ſit perfectior ſimpliciter & abſolutè, cenſeo certò diffiniri non poſſe. Prior tamen ſententia videtur probabilior,& magis accedere ad veritatem: tum, quia ſpes tendit & attingit Deum in ſe ſub ratione ſummi boni noſtri;ac proinde pro hoc ſtatu magis nos coniungit cum Deo, & eſt propinquior vltimo fini; quandoquidem fides,valde extrinſecè proponit nobis illum finem: ſpes autem per amorem nos cum illo intimè coniungit:amor autem Dei ſupernaturalis pro hoc ſtatu, etiamſi ſit concupiſcentiæ, perfectior eſt cognitione Dei etiam ſupernaturali.

Sectio VII.

An ſpes ſit in voluntate tanquam in ſubiecto.

39. Concluſio eſt affirmatiua, & probatur manifeſtè ratione D. Thomæ quæſt. 18. art. 1. quia actus ſpei eſt quidam motus appetitiuæ partis,cùm eius obiectum ſit bonum;in homine autem eſt duplex appetitus, nimirum ſenſitiuus, & rationalis: actus verò ſpei theologicæ & ſupernaturalis, nequit pertinere ad appetitum ſenſitiuum; quia bonum quod eſt obiectum illius, non eſt aliquid ſenſibile bonum, ſed ſupernaturale & diuinum: ergo ſpes neceſſariò debet eſſe in appetitu ſuperiori, qui eſt voluntas. Et confirmatur. nam per ſpem tendimus in beatitudinem,quatenus ſummum bonum,id quod eſt obiectum voluntatis,ſicut verum eſt obiectum intellectus.

40. Ex quo improbatur error hæreticorum, conſtituentium fidem in intellectu, & aſſerentium, obiectum formale fidei eſſe verum, ac proinde confundentium obiectum formale fidei cum obiecto formali ſpei, quod probant ex illo ad Roman.4. *Abraham credidit Deo, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam.* Rom 4

tium. & subdit: *Qui contra spem in spem credidit*; credere autem est actus intellectus: ergo spes non distinguitur à fide. Secundò, quia sperare nihil est, nisi credere hoc futurum esse, vel absolutè, vel sub conditione aliqua, scilicet, si per me non steterit, saluabor: sicut sperare est iudicare me non consequuturum salutem; non enim est desiderare me non esse saluum, cùm etiamsi desperem, vellem ipsam salutem: sperare ergo non est velle: ergo est iudicare: ergo illius obiectum formale non est bonum, sed verum. Denique, nam spes est certa; certitudo verò est actus intellectus, cuius obiectum formale non est bonum, sed verum.

41. Falluntur tamen hæretici, quia obiectum formale fidei, non potest esse obiectum formale spei, quia istæ virtutes formaliter & essentialiter distinguuntur, vt constat ex Paulo 1. ad Corinth. 13. & probat August. in Enchirid. cap. 8. quia fides est de bonis & malis; de præteritis & futuris: spes verò vt sic, de bonis tantùm, & futuris; potest etiam quis amittere spem, non amittendo fidem: quia potest desperare, non quia iudicet Dei promissiones esse falsas, sed ob aliam inordinatam passionem. Item, quia omnes tenentur sperare se fore beatos, non tamen tenentur id credere fide theologica absque speciali reuelatione: ergo non sunt idem sperare & credere. Denique, quia hic actus est bonus & honestus, ego spero me fore beatum: hic autem actus, ego ero beatus, potest esse falsus, vt constat: ergo hic actus non est fidei Catholicæ; hæc enim non potest esse principium actus falsi: sed prior actus est spei; ergo bene potest quis exercere actum spei, absque eo quòd exerceat actum fidei: ergo non sunt idem sperare, & credere.

42. Ad primum, in contrarium respondetur, Paulum dicere ibi credidisse Abraham in spem, quia in fide promissionum Dei fundauit spem suam, contra spem quam natura præstare poterat; non tamen vult sperare & credere esse idem. Ad secundum, spem non consistere in aliquo iudicio. nam si in aliqua consisteret, maximè in hoc: Deus me potest saluare; in quo non potest consistere, quia simul cum hoc iudicio potest esse desperatio; non enim potest consistere in hoc: Ego saluabor. nam si hoc iudicium absolutum sit, non est de fide, vt diximus; quia sine reuelatione non potest quis credere fide diuina se esse prædestinatum, vt docuit Tridentin. *sess.* 6. Si verò iudicium illud sit conditionatum, adhuc cum illo potest esse desperatio. Ad tertium, iam in superioribus declaratum est, vnde sumatur certitudo nostræ fidei.

43. Et ex eadem doctrina confutatur sententia aliquorum Theologorum, quos suppresso nomine refert Suarez disput. 1. sect. 2. constituentium spem in intellectus iudicio, nimirum in eo quod fundatus in veritate Dei, non quidem in dictis; hoc enim iudicium ad fidem pertinet; sed in factis, hoc est, in eius fidelitate, quod est diuersum attributum; sicut enim ad fidem spectat iudicare Deum non mentiri in his quæ affirmat, quia est prima veritas: ita ad spem pertinet iudicare Deum futurum fidelem in suis promissionibus, atque ita summa Dei fidelitas est obiectum formale spei. Hæc tamen sententia falsa est. nam in primis absque fundamento distinguit illa duo attributa in Deo, quia adhuc in hominibus, fidelitas in promissis diuersa non est à fidelitate in dictis. Deinde quòd duplex illud iudicium procedat ab habitu fidei, facilè ostenditur. nam sicut fide diuina credimus Deum promisisse cum intentione implendi quod promisit, quia alias esset Deus mendax, quia esset contra eius veracitatem; ac proinde esset mentiri: ita similiter eadem fide credimus Deum esse constantem in promissis, & immutabilem: ergo duplex illud iudicium nitens Deo reuelante obscurè, ad fidem spectat, non ad spem. Vnde sacra Scriptura eodem modo affirmat, fidem niti in veritate Dei, & in fidelitate 2. ad Timoth. 2: *Si enim credimus, ille fidelis pera-* 2. Timoth. 2.
manet, se ipsum negare non potest. & ad Roman. 3. *Numquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit, id* Rom. 3.
est, fidelitatem; absit: est autem Deus verax; ergo siue veritas à fidelitate distinguatur, siue non, quodcumque sit iudicium illud, non poterit à fide distingui, sed ab eadem fide procedit.

SECTIO VIII.

Quandiu duret habitus spei, & per quid corrumpatur.

PRima conclusio. Virtus spei corrumpitur per actum infidelitatis, vel per actum desperationis; non verò per omissionem actus spei. Conclusio est certa, & ab omnibus Theologis sine controuersia admissa. Et prior pars constat, quia fides est substantia & fundamentum spei: ablato verò fundamento, ruit quod supra illud est. Secunda pars etiam est manifesta, quia aliæ virtutes theologales corrumpuntur per actum sibi contrarium, v. g. charitas corrumpitur per actum sibi contrarium, & fides per infidelitatem sibi contrariam: ergo & spes per desperationem, quæ est actus sibi directè contrarius. Tertia verò pars probatur, quia fides non amittitur per omissionem mortalem credendi, quando est obligatio credendi sub mortali; non enim illa omissio mortalis opponitur directè rationi formali fidei: ergo similiter in omissione actus sperandi etiam mortali philosophandum est. An verò spes corrumpatur per infidelitatem, vel desperationem dementiorie tantùm, vel dispositiuè, vel denique formaliter, philosophandum est, sicut in simili diximus supra de fide, tractatu præcedenti. 44.

Secunda conclusio. Spes non tollitur in hac vita per alia peccata lethalia. Est contra hæreticos, dicentes, spem nunquam esse sine gratia iustificante, & constituentes iustitiam in fiducia. Vnde consequenter, spes tollitur per quoduis peccatum mortale, per quod tollitur iustitia, quos impugnauimus in tractatu de gratia. & ratione probatur, quia vbi est fides, locum habet spes, nisi desperatione pellatur; sed cæteri peccatores habent fidem, & non desperationem: ergo habent spem. quod apertè docuit Tridentinum sess. 14. cap. 4. dum dicit: *Attritionem cum spe venia esse donum Spiritus* Trident.
sancti, nondum inhabitantis, scilicet per gratiam, quibus verbis apertè docet, actum spei esse posse in homine existente in mortali. Præterea, inquit, actum timoris supernaturalis esse in peccatore; ille autem timor elicitur à virtute spei, & denique quia in sacra Scriptura, sæpe per actus timoris & spei, vocantur peccatores ad pœnitentiam. Ex quibus 45.

Infertur primò in omnibus iustis huius vitæ esse virtutem spei, quia vbi est charitas, sunt etiam alia dona spiritualia: iusti autem manent in charitate, 46.

ritate, quæ eſt vera iuſtitia animæ; ergo etiam manent in illo fides & ſpes.

Secundò infertur, etiam in animabus purgatorij eſſe virtutem ſpei; hæc enim virtus non corrumpitur alij per infidelitatem, aut deſperationem. Deinde, quia illæ animæ actu ſupernaturali fidei cognoſcunt ſibi futuram beatitudinem, quam propter ipſam amant: ergo eam deſiderant; ac proinde habent verum actum ſpei. Nec obſtat primò, quia ſpes eſt de bono arduo, & difficili: animæ autem exiſtentes in purgatorio habent maximam certitudinem beatitudinis, quia habent conſummationem confirmatam in gratia. Reſpondetur, non eſſe neceſſariam cognitionem de obiecto contingenti, vt de illo poſſit eſſe ſpes: quare ſi alicui Deus etiam in hac vita reuelaret ſuam gratiam, & perſeuerantiam in illa, adhuc poſſet verè & propriè ſperare: eſt etiam obiectum illud arduum animabus purgatorij, quia concipitur vt excedens naturæ vires vt ſic; & quia per cruciatuum difficultates obtinendum eſt. Deinde non obſtat, quia oppoſitorum eadem eſt ratio: ſpes autem & deſperatio ſunt oppoſita; ſed deſperatio non poteſt eſſe in animabus purgatorij: ergo neque ſpes. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſpes & deſperatio, poſſunt dupliciter conſiderari, vno modo ſecundùm ſe, & ex natura ſua, & ſic apta ſunt fieri circa idem ſubiectum; quia conſiderando naturas illarum, non repugnat alteram, alteri ſuccedere. Alio modo poſſunt conſiderari in ordine ad tale ſubiectum, & ita in aliquo poteſt eſſe ſpes, in quo non poſſit eſſe deſperatio: ſic in animabus purgatorij poteſt eſſe ſpes, non tamen deſperatio; quia cùm illæ animæ ſunt in gratia confirmatæ, ratione ſui ſtatus repugnat eis deſperatio.

47. Tertiò infertur, in hæreticis non manere ſpem Chriſtianam & ſupernaturalem, quia, vt ſæpe diximus, fides eſt fundamentum omnium donorum & bonorum ſupernaturalium; ac proinde ſublata fide, corruit totum Chriſtianum & ſupernaturale ædificium: cùm ergo in hæretico non maneat fides ſupernaturalis, manifeſtè ſequitur nec eſſe in eo ſpem theologicam. Nec obſtat, quòd habitus non corrumpitur niſi per actum contrarium; hæreticus autem in quantum hæreticus, non habet actum contrarium ſpei, quia non deſperat: ergo in illo remanet habitus ſpei. Reſpondetur habitus non ſolùm corrumpi per ſuum contrarium, ſed etiam per defectum conſeruantis illum: ſpes autem non ſolùm in eſſe, ſed etiam in conſeruari, pendet à diuino influxu: Deus autem in hæretico non conſeruat illum, ſed potiùs ſubtrahit ſuum influxum, quo ſublato corrumpitur ſpes.

48. Quartò infertur, in damnatis non eſſe virtutem ſpei, quia hæc virtus oritur à iudicio, quo quis iudicat non eſſe excluſum à regno Dei, quo iudicio damnati carent; quia euidenter cognoſcunt ſe ob impœnitentiam finalem æternis cruciatibus addictos: vident etiam ſibi negatam gratiam ſufficientem ad actus ſupernaturales contritionis, & charitatis nec iam eſſe locum Sacramentis; ac proinde deſperant omnino ſe adhibituros eſſe media, quibus ſalus æterna obtinenda eſſet; atque adeò omnino deſperant.

49. Præcipua tamen difficultas eſt, an in animabus fidelium defunctorum, qui characteri baptiſmali inſigniti fuerunt, & propter ſua demerita ſunt damnatæ, an in his, inquam, ſit aliqua ratio ſpei. Ratio dubitandi eſt, quia Eccleſia in Miſſa defunctorum videtur pro eis orare: ſic enim ait, *Domine Ieſu Chriſte, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne abſorbeat eas Tartarus, ne cadant in obſcurum*, &c. Quod quidem animabus purgatorij commodè conuenire nequit. nam vel Eccleſia eſt certa animas purgatorij cùm in gratia deceſſerint, non eſſe abſorbendas à Leone, nec caſuras in obſcurum, & à morte & pœnis æternis eſſe liberandas, vel hoc incertum, & dubium habet: ſi eſt certa vt verè eſt certitudine fidei, animas illas eſſe ſecuras, vt quid petit quod de fide certiſſimum eſt, & quod de lege ordinaria eſt neceſſariò euenturum, etiamſi Eccleſia pro ipſis non oraret? alioquin etiam pro beatis deberet ſimiliter orare, quòd à beatitudine non cadant, & etiam quòd in die iudicij reſurgant, & manifeſtum eſt quòd pro hoc non orat, neque conuenit orare; eſſet enim omnino ſuperflua oratio, qua peteretur quod neceſſe eſt fieri: cùm ergo idem ſit iudicium in animabus exiſtentibus in purgatorio, videtur fruſtranea talis oratio. Neque etiam poteſt dici, Eccleſiam eſſe dubiam animas purgatorij in gratia decedentes finaliter eſſe ſaluandas, aut caſuras in obſcurum tenebrarum, quia hoc à nemine Catholicorum vnquam dubitatum eſt.

Hæc difficultas tota conſiſtit in explicando pro quibus oret Eccleſia in prædictis orationibus, & in primis ſupponendum eſt, Eccleſiam nunquam orare pro damnatis qui impœnitentes in peccato mortali deceſſerunt; hæc enim oratio non ſolùm eſſet contra fidem, ſed etiam contra decretum Dei. nam fide catholica credimus in inferno nullam eſſe redemptionem. ex quo patet quòd illa oratio non poteſt commodè applicari animabus exiſtentibus in inferno, ſed animabus exiſtentibus in purgatorio. 50.

Et primus modus dicendi eſt, quamuis certum ſit animas purgatorij de lege ordinaria, nobis etiam non orantibus, finaliter eſſe ſaluandas: nihilominus cùm Deus ſit omnipotens, & eius omnipotentia nullis legibus ſit ſubiecta, abſolutè conſiderata, poteſt Deus, ſi vellet, eas in gehennam mittere; & ideo Eccleſia orat, ne faciat id quod ſua omnipotentia abſoluta facere poteſt. Quòd ſi dicas, ex hoc ſequi, eſſe etiam orandum pro damnatis, vt ſaluentur de omnipotentia abſoluta, & pro beatis vt non damnentur, quia neutrum horum repugnat diuinæ omnipotentiæ. Reſpondent, quòd Deus beatis iam omnino & penitus condonauit offenſas, & ſuos amicos & conciues ab omni miſeria alienos fecit: damnatos verò tanquam prorſus in malo obſtinatos, à ſe abiecit; quare Eccleſia non vult pro illis orare. quod aliter contingit in exiſtentibus in purgatorio, adhuc enim ſunt viatores cùm retineant fidem, & ſpem, & capaces ſint non ſolùm ſuffragiorum, & noſtri operis, & auxilij: quod non contingit in damnatis & beatis. Nec ideo talis oratio eſſet otioſa, cùm ſit pro re neceſſariò euentura; quia Deus vult orari etiam pro his quæ alioquin facturus eſt: decreuerat enim poſt peccatum Adæ carnem ſumere, & etiam tempus quo erat venturus, & nihilominus gratæ fuerunt illi orationes ſanctorum Patrum pro ſua Incarnatione, & aduentu. 51.

Alij exiſtimant, Eccleſiam non orare vt animæ fidelium à pœna liberentur, neque vt finaliter ſaluentur, ſed vt citiùs & breuiſſimè à pœnis illis ſoluantur. Huic tamen expoſitioni videntur obſtare verba ipſa. nam petit vt à pœnis æternis libe- 52.

tentur,

rentur, & quòd in die iudicij Deus ſuſcitet illas ad beatitudinem. Quare tertius modus dicendi eſt, Eccleſiam non orare pro animabus, de quibus certa eſt eſſe in cœlo, vel in inferno; ſed pro his fidelibus, de quibus dubitatur; idque ſub conditione ſi ſunt capaces beneficij, quod pro illis à Deo petitur: & quia Eccleſia vt in plurimum dubia eſt de ſtatu defuncti, ideo ſub tacita conditione ſic precatur.

SECTIO IX.

An in Chriſto, & in beatis, ſit ſpes.

53. PRima concluſio. In beatis manet habitus ſpei quoad ſubſtantiam, quo in via fuerunt donati, quamuis ibi non eliciat actus ſpei beatitudinis eſſentialis. Ita Suarez diſput. 1. ſect. 8. & Hurtad. diſp. 108. ſect. 4. quorum ſententia videtur mihi valde probabilis, & poſterior pars eſt manifeſta, quia ſpes fertur in rem nondum habitam, vt docuit Paulus ad Rom. 8. *Quod videt quis, quid ſperat?* Rom. 8. Sed beati poſſident iam beatitudinem eſſentialem, quæ in clara Dei viſione conſiſtit: ergo circa beatitudinem eſſentialem non poſſunt elicere actum ſpei.

54. Prior verò pars in qua eſt difficultas, probatur, quia tunc manet habitus, quando poteſt ferri in ſuum obiectum formale, & exercere circa illud plures actus: at in patria poſſunt exerceri plures actus ſpei circa beatitudinem, quæ eſt obiectum formale huius virtutis: ergo manet ibi habitus ſpei. Minor probatur, quia beati poſſunt exercere amorem erga propriam beatitudinem ſupernaturalem, quatenus ipſis bona eſt, qui eſt amor concupiſcentiæ; & ſimiliter fruitionem, vel delectationem de propria beatitudine, qui actus per ſe ſunt ſupernaturales: nec poteſt aſſignari ratio cur actus prædicti ſint in beatis, & non habitus ad illos. Nec obſtat in patria non poſſe exerceri actum vllum concupiſcentiæ, quia concupiſcentia ſiſtit in ipſo amante vt fine cui; ac proinde dedecet ſtatum illum beatorum, quia eſt modus amandi valde imperfectus. Nam reſpondetur, actum illum non eſſe imperfectum poſitiuè, ſed tantùm negatiuè. Vnde nullam dicit imperfectionem repugnantem ſtatui beatorum. Deinde manet hic habitus in beatis ad actum ſpei beatitudinis corporis, quo carent, quem actum certum eſt eſſe in beatis ex ſacra Scriptura, deſiderant enim illam gloriam, & petunt. Præterea, quia beatitudo aliena eſt obiectum ſpei, vt ſuprà docuimus: beatus autem poteſt ſperare beatitudinem alienam, quatenus ex illa accreſcit propria beatitudo. Inſuper poſſunt beati deſiderare continuationem propriæ beatitudinis, qui affectus ortus à cognitione boni vt non exiſtentis, eſt deſiderium; ac proinde pertinet ad ſpem. Et denique, quia poſſunt beati ſperare adhuc aliquam gloriam accidentalem, v.g. nouas illuminationes, reuelationes, & alia huiuſmodi.

55. Obiicies primò ex D. Paulo 1. ad Corinth. 13. vbi manifeſtè aſſerit, ſpem eſſe euacuandam. Reſpondetur negando id dici à D. Paulo de ſpe, ſed de fide, prophetia, & linguis. Et quamuis id concederemus, intelligendus eſſet non omnino, ſed in parte, nimirum quoad actum magis notum ſpei, vt manet prædictum.

56. Obiicies ſecundò, quia in patria non poteſt exerceri habitus ſpei, quia ibi deeſt obiectum formale ipſius, nimirum arduum, & futurum à Deo: at viſio Dei ibi nec eſt ardua, nec futura: ergo non eſt conſtituendus talis habitus. Reſpondetur, obiectum ſpei in patria reſpectu vnius dumtaxat actus ſpei eſſe futurum, non verò comparatione omnium actuum, quia amor & gaudium poſſunt in patria exerceri circa propriam beatitudinem; tum etiam deſiderium continuationis, & beatitudinis aliorum: arduum verò pertinet ad ſpem, quatenus deſiderio fertur in rem futuram; non verò quatenus iam gaudet de ſuperata difficultate.

57. Secunda concluſio. Etiam in Chriſto Domino eſt habitus ſpei. Ita Doctores præfati, & in primis quòd in Chriſto viatore fuerit vera ſpes de gloria ſui corporis, docuit D. Thom. 3. part. quæſt. 7. art. 4. vbi ita ait: *Habuit tamen ſpem reſpectu aliquorum,* D. Thom. *quæ nondum erat adeptus, licèt non habuerit fidem reſpectu quorumcumque, quia licèt plenè cognoſceret omnia, per quod totaliter fides excludebatur ab eo; non tamen adhuc plenè habebat omnia, quæ ad eius perfectionem pertinebant, puta immortalitatem, & gloriam corporis, quam poterat ſperare.* Et ratio id manifeſtat, quia actus ille expectandi, ſeu deſiderandi gloriam corporis, erat per ſe bonus, & honeſtus, & ſupernaturalis, cùm eſſet de obiecto ſupernaturali, poſſibili, abſenti, & arduo, vtpote per labores, & ærumnas mortis, & crucis comparando. Deinde nunc in cœlo exiſtens exercet alios actus ſpei, nempe amoris concupiſcentiæ erga vnionem hypoſtaticam; cùm enim ſit tam excellens bonum, & adeò ipſi humanitati conueniens, digniſſima eſt vt tali amore proſequatur: & etiam gaudij, & delectationis de illa, tum etiam de beatitudine, & gloria animæ: tum denique ſpem, & deſiderium de gloria hominum futura, quia cedit in ipſius accidentalem gloriam, & honorem.

58. Dices hos actus in Chriſto, & beatis exerceri à charitate. Hoc tamen non eſt verum, quia charitas non poteſt elicere proprium amorem concupiſcentiæ, & alios actus, qui cum illo ſunt connexi; hi enim amores cùm habeant motiua, & honeſtates diuerſæ rationis, differunt eſſentialiter. Ex quo etiam refutatur reſponſio aliorum aſſerentium, poſſe voluntatem Chriſti, & beatorum, per alia dona ſupernaturalia ſufficienter eleuari, vt eos actus ſupernaturales eliciat. Nam hoc ſimiliter eſt falſum, quia alia dona ſupernaturalia, non ſunt principia elicitiua eiuſmodi actuum: hîc autem inquirimus principium eliciens proximè eleuans potentiam, & quòd ſit veluti facultas intrinſeca ad illos actus, & ad quem propriè pertineant, qui alius eſſe non poteſt, quàm habitus virtutis ſpei.

DISPVTATIO II.

De dono timoris.

SECTIO I.

Quodnam ſit obiectum timoris.

1. IN virtute ſpei duo genera actuum conſiderari poſſunt; alij proſecutionis, de quibus iam in præcedentibus dictum eſt: alij verò fugæ, nimirum odiū mali, ortum ex amore concupiſcentiæ, elicito ab habitu ſpei, & abominatio orta ex deſiderio, & triſtitia de malo proprio, orta ex delectatione concupiſcentiæ; & timor

etiam mali futuri. Quia tamen præcipua difficultas horum actuum conſiſtit in explicádo timore, ideo hic explicandus eſt. Timor autem tripliciter accipitur. Primò, pro paſſione appetitus ſenſitiui, qui reſidet in irascibili, qua mediante homo refugit malum imminens, & contrarium proprio commodo; & de timore in hoc ſenſu diſputat D. Thom. 1. 2. quæſt. 41. Secundò, ſumitur pro vitio quodam oppoſito virtuti fortitudinis, quod dicitur timiditas, & puſillanimitas, quo homo ſuccumbit, & deficit in re neceſſaria ad virtutem, & de hoc timore agit D. Thom. infrà quæſt. 125. Tertio modo accipitur timor, pro dono quodam Spiritus ſancti nobis cœlitus datus, vt ipſo quaſi fræno quodam frænetur, & coërceatur animus noſter, ne blãditiis, & illecebris carnis, & bonis temporalibus euaneſcat. Et de timore in hoc ſenſu agimus in præſenti.

2. Diuiditur autem timor, iuxta communem Theologorum ſententiam, in mundanum, ſeruilem, filialem, & initialem. Timor mundanus eſt is quo quis ita timet aliquod huius vitæ incommodum, vt ob id effugiendum, offendat Deum mortaliter. Timor ſeruilis tunc eſt, quando quis timet pœnas à Deo conſtitutas peccatoribus, & quo proinde mouetur ad rectè agendum, vt eas pœnas effugiat. Timor verò filialis tunc propriè dicitur, quando eſt de aliquo malo, quatenus ſcilicet in Deum redundat: quare propriè eſt de malo culpæ, hoc enim propriè eſt offenſa Dei. Timor denique initialis, qui etiam imperfectus ſolet dici, tunc eſt, quando quis ita timet Dei offenſam, vt ſimul etiam timeat pœnam. Ratio autem huius diuiſionis inde deſumitur, quia obiectum timoris eſt malum: ergo quotuplex fuerit malum, ita diuidetur timor; ſed malum poteſt quadrupliciter conſiderari: ergo etiam timor erit quadruplex. Quod vt intelligatur, eſt obſeruandum, quòd duplex eſt malum. Quoddam cuius timor retrahit nos à Deo, vt cùm homines metu amittendi bona temporalia deſerunt Deum, & hic timor dicitur mundanus, & humanus. Alterum malum eſt, cuius timor conuertit nos ad Deum; & hoc eſt duplex, ſcilicet malum culpæ, & malum pœnæ: quando ergo homo conuertitur ad Deum, quia timet eius iuſtitiam, & flagella, & ignem inferni; talis timor dicitur ſeruilis: Quando verò conuertitur ad Deum propter malum culpæ, quia conſiderat eius fœditatem, & quàm graue malum ſit à Deo ſeparari, tunc eſt timor filialis. Quando autem vtrumque timet malum pœnæ, & malum culpæ, dicitur timor initialis. qui timores apertè colliguntur ex ſacra Scriptura. De timore mundano & humano Matth. 10. Matth. 10. *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* quibus verbis damnatur timor mundanus. De timore verò ſeruili ſtatim ſubditur: *Timete eum, qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem mittendi in gehennam.* quibus timor ſeruilis laudatur, & 1. Ioan. 4. de eodem timore dicitur: 1. Ioan. 4. *Timor non eſt cum charitate, ſed perfecta charitas foràs mittit timorem.* De timore verò filiali dicitur in epiſtola ad Rom. 8. Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore*; id eſt, non accepiſtis timorem ſeruilem, vt fideles veteris Teſtamenti, quibus fuit lex poſita cum minis, & terroribus: *ſed accepiſtis* in lege Euangelica, *Spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater.* De quo etiam dicitur Pſalm. 28. Pſalm. 28. *Timor Domini ſanctus, permanens in ſæculum ſæculi*, vbi Auguſtinus & alij legunt, *caſtus*; iuſti enim comparantur ad Deum, ſicut ſponſa caſtiſſima ad ſponſum. Iuxta illud Pauli 1. Corinth. 10. 1. Cor. 10. *Deſpondi enim vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto*; ſicut enim honeſtiſſima ſponſa abſtinet ſe ab omni turpitudine, partim amore honeſtatis, & partim amore ſponſi: ita filij Dei timent peccatum, & illud auerſantur, ne Deum ſponſum animarum offendant; & ideo hic timor dicitur filialis, ſanctus, & caſtus. Denique timor initialis is dicitur, qui compatitur ſecum charitatem imperfectam, ac incipientem, de quo intelligitur illud Ioan. 1. cap. 4. *Timor non eſt in charitate*, quod intelligitur de timore ſeruili; *ſed perfecta charitas foras mittit timorem*, quod intelligitur de timore initiali. 1. Ioan. 4.

Difficultas ergo eſt, an timor filialis habeat pro obiecto immediato, & primario malum culpæ, vt eſt offenſa Dei. Et prima ratio dubitandi eſt, quia timor reſpicit malum arduum, & quod difficulter poteſt vitari; ſed malum culpæ cùm ſit voluntarium, poteſt facile vitari, cùm ſit in noſtra poteſtate illud committere, aut vitare: ergo malum culpæ non poteſt eſſe obiectum timoris filialis. Secunda ratio, quia timor filialis fuit in Chriſto, vt habetur Iſai. 11. *Et replebit eum ſpiritu timoris Domini.* Chriſtus autem non potuit timere culpam, quia erat impeccabilis: ergo timor filialis per ſe non reſpicit culpam. Et confirmatur, quia beati in patria timent Deum timore filiali, qui tamen certò ſciunt ſe non poſſe peccare: ergo talis timor non habet pro obiecto malum culpæ. 3. Iſai. 11.

Propter hæc argumenta, Durandus in 3. diſt. 34. exiſtimat, obiectum timoris non eſſe culpam, quatenus eſt offenſa Dei, ſed quatenus eſt ſeparatio ab ipſo Deo: dicit enim quòd peccato mortali duplex malum pœnæ correſpondet: alterum pœnæ damni conſiſtens in carentia diuinæ viſionis; alterum verò pœnæ ſenſus: atque ita timor ſeruilis habet pro obiecto immediato malum pœnæ ſenſus; timor verò filialis malum pœnæ damni. 4.

Prima concluſio. Obiectum proprium, & immediatum timoris filialis eſt culpa, vt eſt offenſa Dei. Probatur, quia timor filialis oritur ex charitate, qua diligimus Deum, nullo habito reſpectu ad noſtrum commodum, vel incommodum: ergo qui timet Deum timore filiali, non reſpicit aliquod malum proprium, ſed tantùm malum quod eſt contra bonum diuinum; hoc autem malum eſt culpa, vt præciſè eſt offenſa Dei: ergo vt ſic eſt obiectum timoris filialis. Præterea, quia timere ſeparationem à viſione Dei, procedit ex amore concupiſcentiæ, & ex proprio amore; & non ex perfectione charitatis: cùm ergo timor filialis oriatur ex perfecta charitate, ſequitur quòd non habeat pro obiecto ipſam culpam, prout ipſum ſeparat à Deo, quia hic timor oritur ex eo quòd homo appetit ſibi ſummum bonum. 5.

Ad primam rationem in contrarium reſpondetur, quòd quamuis actus peccati ſit delectabilis, aut vtilis ad aliquem finem, qua ratione nequit eſſe obiectum timoris, quia vt ſic non habet rationem inuoluntarij, quia eſt directè, & per ſe volitum; & conſequenter voluntariè elicitum; nihilominus quatenus habet adiunctam malitiam moralem, & offenſam Dei, poteſt eſſe obiectum timoris; quia, vt ſic eſt malum grauiſſimum, & communiter non eſt directè, & per ſe voluntarium, ſed potiùs inuoluntarium, quatenus peccãs vellet, ſi poſſet, actum illum exercere licitè, & ſine offenſa Dei; ac proinde ſolum eſt voluntarium indirectè, & interpretatiuè, eo quòd admittens voluntariè eum actum, cui ſcit coniunctam eſſe neceſſariò offenſam Dei, cenſetur illam velle. 6.

Secundum

7. Secundum argumentum tangit grauem difficultatem, qua ratione timor filialis fuerit in Chriſto, & ſit etiam in beatis, & primus modus dicendi eſt Medinæ, timorem in patria amittere nomen timoris filialis, quia iam non inuenitur peccatum quod timeatur, neque vt eſt ſeparatio à Deo, neque vt offenſa illius; & induere nomen timoris reuerentialis, quia nouo modo, & noua ratione tendit in Deum. Et quia adhuc extat difficultas in aſſignanda ratione, & obiecto immediato illius timoris, quia cùm timor conſiſtat in fuga mali, ſiue culpæ, ſiue pœnæ; & in ſtatu beatitudinis, cùm ſit omnium bonorum aggregatione perfectus, non appareat vlla ratio mali, difficilè videtur ex vna parte aſſerere, timorem illum reuerentialem beatorum eſſe propriè, & formaliter timorem, & ex alia aſſignare obiectum vnde habeat, & retineat ſuam rationem. Sed reſpondet Medina, timorem reuerentialem in beatis eſſe actum ſummæ reuerentiæ & charitatis: nam anima beata conſiderans Dei eminentiam, & celſitudinem infinitè diſtantem à ſua natura, tremit & reueretur. Hic tamen modus dicendi adhuc videtur diminutus, nec euacuare difficultatem: non enim explicat quo pacto retineat rationem timoris; nec exemplum quod adducit de ruſtico admiſſo ad amicitiam Regis, qui licèt non expectet malum à Rege, ſed potiùs experiatur clemẽtiam illius, & nihilominus timet illũ, non eſt ad propoſitum; quia ſatis eſt quòd ſeruus non ſit ſecurus de amicitia Regis, & quòd poſſit ei malum inferre, vt ex parte Regis ſit ſufficiens ratio ad incutiendum timorem: quod in anima beati aliter ſe habet, quia eſt ſecura de amicitia Dei, & certa de impoſſibilitate culpæ & pœnæ. Quod autem adducit de Ioanne Baptiſta non audente tangere verticem Chriſti, & D. Petro, dicente: *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum.* & Luc 5. & ex Matth. cap. 9. *Accepit omnes timor, & magnifi cabant Deum*; poſt factum illud miraculum. Non vrgent, quia verba Ioannis, & Petri, verba ſunt humilitatis, & religionis, & non timoris. Et Matth. 9. timor ſumitur pro admiratione. Matth 9.

8. Caietanus cui ſubſcribit Bañez in hac quæſt. art. 2. duo dicit in hac re. Primum eſt quòd omnipotentia Dei poteſt dupliciter conſiderari: vno modo quatenus poteſt inferre malum abſolutè: alio modo quatenus re ipſa cauſat illud, ſi eſt malum pœnæ illam inferendo, vel permittendo ſi eſt malum culpæ. Secundum eſt, quòd timor reuerentialis in patria habet pro obiecto immediato omnipotentiam Dei primo modo conſideratam, quatenus eſt cauſatiua mali abſolutè. Anima enim beati conſiderans diuinam eminentiam, quatenus eſt potens inferre malum pœnæ, & permittere malum culpæ, conſurgit in ipſa timor quidam reuerentialis: at conſiderata, quatenus eſt determinata per voluntatem, ad non inferendum malum vllum, non cauſat timorem, ſed ſecuritatem. Hic etiam modus dicendi multis non probatur, quia actus timoris, qui eſt propriè timor, non debet eſſe de malo impoſſibili: at anima cuiuſque beati certiſſima eſt ſibi non poſſe euenire malum aliquod. Nec valet ſolutio, quòd licèt verum ſit, quòd ille timor non ſit de malo poſſibili de lege ordinaria; eſt tamen de malo poſſibili de potentia abſoluta, quæ poſſibilitas ſufficiens eſt ad timorem. Contrà, quia timor ille reuerentialis, cùm ponatur in re, & de facto in anima beati, pertinet ad ſtatum ſuæ beatitudinis: quæ autem pertinent ad hunc ſtatum, ſunt diſpoſita per legem Dei ordinariam, & per ſuæ voluntatis determinationem: ergo in illo ſtatu non poteſt à beato timeri malum, niſi quòd cadit ſub diuina ordinatione; ac proinde ſine cauſa recurritur ad malum poſſibile ſecundùm potentiam abſolutam; hæc enim potentia eſt extra ſtatum beatitudinis. Deinde ſequitur, quòd talis timor non oriatur ex charitate, vt eſt Dei amicitia, ſed vt eſt amor concupiſcentiæ: quia talis timor eſt fuga mali poſſibilis, & conſequenter propter amorem ſui timetur.

9. Alij verò vt explicent qua ratione timor reuerentialis ſit in beatis, animaduertunt, timorem hunc provt eſt in beatis non conſiſtere in fuga mali etiam poſſibilis, quia amor hic cùm proficiſcatur à charitate exiſtente in ſuo perfectiſſimo ſtatu, vt eſt amor amicitiæ, non eſt cur rationem mali in illo ſtatu inquiramus: ſicut contingit in timore, qui ortum habet ab amore concupiſcentiæ, vt ſatis inſinuat D. Thom. 3. part. loco citato ſolut. ad 1. dicens, *Quòd timor reuerentialis ex natura ſua, & ſui ſtatus, non reſpicit malum, ſed bonum, quod ſignificamus cùm timorem illum reuerentialem appellamus.* Nam illa particula *reuerentialis*, eſt modificatiua, & declarat quòd talis timor ſit per modum reuerentiæ, & per modum proſecutionis, & exhibitionis, non verò fugæ: nam alij timores, vt patet in ſeruili, initiali, & filiali, quia ſunt in ſtatu pugnæ & militiæ, conſiſtunt in fuga mali, & ſic non poſſunt intelligi ſine ordine ad aliquod malum. Quia verò timor reuerentialis eſt in termino, & portu tranquillitatis, & in ſtatu amantium ſe amore amicitiæ, ideo non conſiſtit eius ratio formalis in fuga mali etiam poſſibilis, ſed in proſecutione boni; & hoc ratione ſtatus in quo eſt. Quare ſine cauſa eius obiectum formale, & immediatum exquiritur per ordinem ad diuinam eminentiam, vt potentem malum infligere, cùm hoc illi ſtatui repugnet, & iuxta hunc modum dicendi, timor ille reuerentialis ex duplici radice proficiſcitur. Prima eſt cognitio ſui ipſius; conſiderat enim beatus exiguitatem ſuæ naturæ, merita, & demerita. Deinde attollit conſiderationem ad attributum iuſtitiæ diuinæ; & dupliciter illam reſpicit, vno modo vt eſt punitiua, non à parte pòſt, vt exiſtimauit Caietanus, ſed à parte antè, quia potuit punire demerita, quod non fecit propter rationes altiſſimas, quæ ibi conſiderantur. Alio modo reſpicit ipſam iuſtitiam quatenus præmiat vltra condignum, vileſcunt enim in conſideratione propria merita, & quaſi nihil apparent in ordine ad præmium, & dicit: Non ſunt condignæ paſſiones ſæculi præteriti, ad præſentem iſtam gloriam; ex hac ergo *duplici* radice fit, & cauſatur in mente beati, quaſi quædam *contractio*, & coarctatio, & timor qui eſt reuerentialis. D. Thom.

10. Sed neque hic modus dicendi caret difficultate, quia talis actus potiùs videtur admiratio quædam beatorum de Dei magnificentia, & bonitate. Quare probabilior mihi videtur modus dicendi Suarez diſp. 1. ſect. 4. num. 20. vbi affirmat, donum timoris eodem modo poſſe manere in beatis, ſicut temperantia infuſa, & ſimiles virtutes, quæ in eis manent, non ſolùm in habitu, ſed etiam in actu, quoad ſimplices motus voluntatis, quibus complacent in ſuis obiectis, & honeſtatibus eorum, & deteſtantur etiam contrarias turpitudines. Quia, vt rectè obſeruat Hurtad. diſp. 113. ſect. 9. odium mali formaliter & expreſsè, eſt amor contrarij obiecti, v. g. odium tenebrarum, eſt formaliter amor lucis: cùm ergo timor ſit odium peccati, aut pœnarum,

pœnarum, est formaliter amor carentiæ pœnarum, aut peccati, quam carentiam amant beati, sicut viatores: vt enim homo iustus dum vitam agit vult, ne sit peccatum, & æterna pœna; ita beatus vult, ne sint eadem illa mala: quare tam viator, quàm beatus, amant eamdem peccati, & pœnarum carentiam, & odio habent ipsum peccatum, & æternas pœnas. Est autem discrimen, quòd viator vult ne sit peccatum cum cognitione repræsentante contingens esse vt peccatum sit; beatus verò cum cognitione euidenti repræsentante id non esse iam contingens: cùm ergo obiectum timoris sit carentia futuri mali, & hæc sit in beatis vt expositum est, manifestè sequitur in illis adhuc manere timorem. Quod apertè docuit August. 4. de Ciuit. cap. 9. vbi ait: *Timor verò ille castus, permanens in sæculum sæculi, erit & in futuro sæculo: nam quo alio modo potest intelligi permanere in sæculum sæculi, non est timor exterrens à malo quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest.* August.

Sectio II.

An timor mundanus semper sit malus.

11. Conclusio est affirmatiua, quia timor mundanus proficiscitur tanquam ex propria radice ex amore mundano: sed hic amor est iniquus & peccatum, quia per hunc amorem præfert, & anteponit homo creaturas creatori, & creaturis inhæret tanquam vltimo fini: ergo etiam timor mundanus, qui ex hoc amore oritur, erit ex natura sua peccatum. Difficultas tamen est in explicãdo quando amor mundanus sit peccatum. Adrianus quotlib. 2. quæst. 2. existimat, tunc amorem mundanum esse, cùm quis amat aliquam rem temporalem, & creaturam amore nimis intenso, & firmo; atque adeò huiusmodi amorem esse peccatum mortale, quamuis id quod diligitur sit bonum natura sua diligibile.

12. Est tamen notandum, quòd amor mundanus nihil aliud est, quàm immoderata affectio circa creaturas, quod tunc contingit quando voluntas diligit creaturas tanquam vltimum finem, ita vt illas præferat creatori, & parata sit propter illas creatorem deserere: quamuis enim voluntas nostra feratur in media, & in finem, non tamen eodem modo; quia in media fertur cum debito ordine & mensura, quatenus ad consecutionem finis sunt necessaria: at verò voluntas fertur in finem maxima intentione, quia est amabilis secundùm se, & propter se. Atque ita secundùm actum quo voluntas fertur in media, non dicitur amor, sed electio: actus verò quo voluntas fertur in finem, dicitur amor, quia est amabilis propter se. Ex quo fit, quòd cùm creaturæ sint veluti media ad finem, non debent amari nisi ordinatè & moderatè: itavt amor earum non tollat, neque euacuet amorem debitum vltimo fini, cui cùm sit bonus secundùm se, illi debetur amor. Vlteriùs etiam fit, amorem rerum temporalium si sit moderatus, non esse peccatum, neque debere dici amorem mundanum, quia talis amor cùm non excedat, neque transcendat limites rationis, neque præferat creaturam creatori, amor mundanus non est. Imò neque amor rerum temporalium, licèt sit inordinatus, semper est peccatum mortale, vt docuit Augustinus lib. 22. de ciuitat. Dei cap. 26. vbi ait, *Sæpe homines delinquere venialiter in nimia dilectione rerum temporalium*, quia multa peccata mortalia redduntur venialia ex leuitate materiæ, & defectu deliberationis requisitæ: at amor inordinatus vxoris, vel honoris, potest esse huiusmodi, quia potest esse ita repentinus, vt præueniat iudicium rationis. August.

13. Dicendum ergo est, amorem rerum temporalium quamtumuis sit intensissimus, per se loquendo, non esse peccatum mortale, nisi aliunde reddatur lethale ex aliqua circunstantia. Ratio huius est, quia intensio, vel remissio potentiæ in operando, non mutat speciem actui, neque facit ex bono malum: mentiri enim intensè, vel remissè, ad eamdem speciem pertinet: sed amor rerum temporalium si sit remissus, non est peccatum mortale; ergo intensio aduenies, nisi simul adsit aliqua circumstantia deprauans illam, non mutabit speciem: ergo secundùm se non reddit actum peccatum mortale. Præterea, quia timor mortis, vel alterius incommodi temporalis, quantumuis intensus non est peccatum mortale, nisi quando ex eo violatur aliquod præceptum diuinum: ergo pari ratione amor rerum temporalium quamuis intensus, de se non erit peccatum lethale, nisi violetur aliquod præceptum diuinum: timor enim mortis in Christo fuit intensissimus, vt ostendit sudor sanguineus in horto, & nihilominus quia per illum timorem non recessit à diuina obedientia, non fuit culpabilis: ergo pari ratione iudicandum est de amore, & August. lib. 14. de Ciuitate cap. 28. ait: *Quòd amor sui crescens vsque ad contemptum Dei*, id est, vsque ad transgressionem mandatorum, *ædificat ciuitatem Babylonis*. Vnde fit quòd si amor creaturæ non perueniat vsque ad contemptum Dei, & transgressionem mandatorum ipsius, non erit peccatũ mortale, neque mundanus. Quando verò ex amore rerum temporalium sequitur in re, vel in animi præparatione, violatio alicuius præcepti diuini, talis amor est mundanus, & peccatum, quia creaturæ amantur tanquam finis, & præferuntur dilectioni Dei. Idem.

14. Obiicies primò. Quia in animi præparatione tenemur abiicere omnia bona tẽporalia pro Christo si opus fuerit; vt constat Lucæ 14. *Omnis qui non renunciauerit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; sed qui nimis intenso amore afficitur erga creaturas, talis non habet animum paratum ad eas negligendas propter Christum: ergo talis amor est peccatum mortale. Respondetur, quòd dupliciter potest quis amare creaturam, vno modo vt ita intensè illius animo amor dominetur, vt paratus sit propter creaturam diuinam legem violare, & hoc modo est peccatum mortale; sicque intelligendus est D. Hieronymus contra Iouinianum, vbi ait: *Origo quidem amoris honesti erat, sed magnitudo deformis: nihil autem interest ex qua honesta causa quis insaniat; adulter enim est in suam vxorem amator ardentior: nam in alienæ omnis amor turpis est, in propria nimius*; non enim loquitur Hieronymus de omnibus qui ardenter & nimis diligunt suas vxores, sed de illis dumtaxat, qui ita ardenter illas amant, & vsque adeò amore insaniunt, vt eas constituant tanquam vltimum finem. Alio modo potest quis amare creaturam, itavt quamuis intensè illam amet, nihilominus amor illius non ita occupat suam voluntatem, vt eam deturbet ab amore diuino, qua ratione non est peccatum mortale. Luc. 14. D. Hieron.

15. Obiicies secundò, quia, vt experientia docet, amor noster quanto magis intenditur erga vnam rem, tanto magis remittitur circa alteram: ergo tanta intensione poterit quis diligere creaturas, vt

Deum

Deum nihil amet, aut valde tepidè; ac proinde tanta intensio amoris non poterit non esse peccatum mortale. Respondetur negando antecedens, quia intensio non tollit omnino amorem Dei, sed cum magna & summa intentione amoris circa creaturam, potest adhuc manere amor Dei; potest enim quis vxorem diligere valde intensè, & maiori intensione, quàm Deum, & nihilominus loquendo de amore appretiatiuo, præferat Deum ipsi vxori.

Sectio III.

An timor seruilis sit honestus.

16. Trident. Conclusio est affirmatiua, & videtur diffinita in Trident. sess. 14. cap. 4. vbi docet: *Attritionem qua detestamur peccata propter metum pœnæ æternæ, esse donum Dei, & fieri ex impulsu Spiritus sancti.* & sess. 6. canon. 8. *Si quis dixerit gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores peiores facere, anathema sit.* Et colligitur apertè ex sacra Scriptura quæ frequenter nos ad Luc. 12. hunc timorem excitat, Lucæ 12. *Ostendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Vnde Propheta Regius, Psalm. 118. enixè petebat à Deo Psalm. 118. hunc timorem: *Confige timore tuo carnes meas, à iudiciis enim tuis timui.* & Iob 9. *Verebar omnia opera mea, sciens quòd non parceres delinquenti.* Vnde Esaias Iob 9. Esaiæ 26. cap. 26. *Sicut quæ concipit, cùm appropinquaverit ad partum dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus apud te.* vbi iuxta editionem Septuaginta legitur: *A facie tua Domine concepimus, & parturiuimus spiritum salutis.* quibus verbis, vt notat Hieronymus in eum locum, timorem seruilem vocat Propheta *spiritum salutis.* Et ratione probatur, quia actus sumit suam speciem, & bonitatem ex obiecto; obiectum autem timoris seruilis est bonum, & honestum, scilicet pœna æterna faciens displicere peccatum, quod quidem per se bonum & honestum est: ergo etiam actus erit bonus. Deinde, quia amare virtutem, quamuis fiat propter retributionem, & honestum, vt diximus suprà: ergo similiter fugere peccatum, & illud odisse, etiam propter pœnas. Et confirmatur, quia si timor seruilis esset inhonestus, aut esset ratione radicis à qua oritur, aut ex parte obiecti à quo specificatur: non ex parte radicis, quia timor seruilis oritur ex duplici radice, prima est amor proprius, quia enim nostra amamus, his contraria timemus; amor autem proprius, vt dicit Augustinus, non ædificat ciuitatem Babylonis, id est, Diaboli, nisi quando procedit vsque ad contemptum Dei: ergo ex hac radice non est malus. Nec etiam ex parte obiecti, quia malum pœnæ vt causat displicentiam culpæ, quod est obiectum timoris, non est malum, & inhonestum, quia malum pœnæ ex se bonum est, & à Deo non solum permissum, sed etiam volitum. Vnde rectè Augustinus tract. 9. in epistolam Ioannis comparat timorem hunc seruilem setæ sutoris, inquiens: August. *Si nullus timor, non est qua intret charitas: sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur, sera prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem.*

17. Obiiciunt hæretici, timorem hunc non posse esse honestum, quia facit hominem ita vitare peccatum, vt tamen retineat voluntatem peccandi conditionatam, videlicet si posset id impunè facere. Et confirmatur, quia qui detestatur culpam propter pœnam, plus detestatur pœnam, quàm culpam, quod per se est inhonestum. Respondetur negando antecedens, quia dupliciter potest quis detestari culpam propter pœnam, vno modo vt simul habeat affectum erga culpam, ita vt velit eam committere si non timeret pœnam; aut si id impunè posset facere: & hac ratione timor habens affectum peccandi sibi coniunctum, malus est & inhonestus. Alio modo potest esse timor pœnæ causa sine qua non, cur culpa detestetur, ita tamen vt causet absolutam detestationem, ac timorem culpæ, ita vt nullo modo ametur, sed penitùs & omnino detestetur; qua ratione timor pœnæ à Deo inferendæ mouens ad absolutam detestationem culpæ, siue timor quo absolutè timetur, ac refugitur culpa, propter pœnam quæ à Deo infligenda est, si comitatur, laudabilis est, bonus, ac honestus. Ad confirmationem respondetur, illud solum esse verum quando quis ita timet pœnam, vt sit paratus peccare ad eam vitandam; tunc enim constituitur vltimus finis in creatura.

18. Inquires, an hic timor sit donum Spiritus sancti, ita vt ad timendum Deum vt iudicem & punitorem, sit necessarium auxilium diuinum. Et ratio dubitandi est. Primò, quia mala quæ imminent, naturaliter timemus, vt mortem, infirmitatem, &c. Ergo ad timendum opus non est auxilio diuino. Secundò, quia supposita fide, qua credimus paratum esse infernũ pro supplicio malorum, sine aliquo alio dono, vel auxilio volumus talem ignem vitare. Tertiò, quia peccatores, imò hæretici, odio habent pœnas inferni, easque maximè timent; in quibus tamen non videtur constituendum donum timoris ad huiusmodi pœnas fugiendas.

19. Dicendum tamen est, ad timendum pœnas naturales opus non esse aliquo dono Spiritus sancti, vel auxilio speciali, bene tamen ad timendas pœnas supernaturales. Ratio prioris partis est, quia huiusmodi pœnæ clauduntur intra limites naturæ, atque adeò ipsa natura sufficiens est ad eas auersandas: sicut enim amor cui illæ pœnæ contrariantur, naturalis est, & potest elici viribus naturæ, quia bona sunt naturalia, atque adeò possunt diligi amore naturali sine auxilio speciali; ita pœnæ possunt timeri sine dono Dei; timor enim pœnæ ex amore contrarij boni proficiscitur Posterior verò pars constat, ex illo Psalmi 118. *Confige timore tuo carnes meas.* Psalm. 118. Vnde notanda est illa particula *timore tuo*, petit enim Propheta hunc timorem pœnarum à Deo: ergo non nisi auxilio diuino haberi potest. Deinde, quia timor hic est præparatio ad gratiam iustificantem, & principium dilectionis Dei, iuxta illud Ecclesiast. 25. *Timor Domini initium dilectionis eius.* Eccli. 25. Præterea, quia sicut se habet intellectus ad verum supernaturale, ita voluntas ad bonum supernaturale: sed ad verum supernaturale datur in intellectu donum, scilicet fides: ergo etiam in voluntate debet constitui donum Dei ad donum supernaturale, & ad fugiendum malum ei oppositum. Et confirmatur, quia sicut se habet voluntas ad prosequendum bonum supernaturale, ita ad fugiendum malum oppositum: ergo sicut datur auxilium Dei ad prosequendum bonum supernaturale; ita similiter ad fugiendum malum oppositum.

Vbi obserua, quando dicimus hunc timorem esse

esse donum Spiritus sancti, non esse ita intelligendum quasi sit annumerandum inter septem dona Spiritus sancti, sed ideo dicitur donum ipsius, quia iuxta communem modum loquendi, omne quod est ab Spiritu sancto, vocatur donum eius, vt rectè annotat D. Thom. & probat ex Augustino lib. de
D. Thom. natura & gratia, cap. 7. vbi ait: *Quòd hic timor potest esse cum voluntate peccandi*; dona autem Spiritus sancti nequeunt esse cum tali voluntate, quia non possunt esse sine charitate. Quando ergo timor annumeratur inter septem dona Spiritus sancti, intelligendum est, de timore filiali, non de seruili, vt dicemus sectione sequenti.

21. Ad primam rationem dubitandi patet ex dictis. Ad secundam respondetur, non sufficere per fidem cognoscere pœnas supernaturales, vt eas timeamus provt oportet, sed vlteriùs requiritur donum timoris supernaturale, eo modo quo diximus, non sufficere fidem quæ ostendit dona supernaturalia vt ea diligamus, & speremus, sed vlteriùs opus est quòd voluntas eleuetur per charitatem, & spem, ad diligendum, & sperandum. Ad tertiam, peccatores non timere nisi timore naturali ac insufficienti, quòd si aliquando timent in ordine ad gratiam & iustificationem, quando scilicet timore concussi detestantur peccata, & disponuntur ad gratiam, hoc prouenit ex auxilio speciali Dei, & dono Spiritus sancti, si non inhabitantis, saltem mouentis. Ex quibus

22. Infertur primò, huiusmodi timorem elici ab habitu spei, nam vt manet prædictum, eadem virtus voluntatis inclinat ad amandum aliquod bonum, & ad fugiendum malum ei contrarium: cùm ergo dictæ pœnæ contrarientur speratæ à nobis beatitudini, quatenus eius consecutionem aut in perpetuum, aut saltem ad tempus impediunt, & cum ea consistere nequeunt; eadem virtus quæ inclinat voluntatem ad illam amandam, inclinat etiam vt has pœnas fugiat, ac sibi impendentes timeat: sicut eadem charitas quæ amat bonum fugit malum contrarium.

23. Infertur secundò quòd hic timor potest esse cum charitate; est enim actus bonus, & à virtute spei elicitus: sicut enim amor beatitudinis, vt est nobis conueniens, potest esse cum charitate, ita etiam timor contrarij: quando ergo Theologi dicunt timorem seruilem non posse esse cum charitate, intelligendi sunt de hoc timore, quando habet adiunctam voluntatem peccandi.

Sectio IV.

An timor initialis differat specie, & secundùm substantiam, à filiali.

24. Affirmat Durandus in 3. dist. 34. quæst. 1. quia hi duo timores habent obiecta specie distincta: nam obiectum immediatum timoris filialis est culpa, vt est offensa Dei: sicut obiectum timoris seruilis non est culpa, sed pœna; obiectum verò timoris initialis est vtrumque, scilicet offensa & pœna; ergo hi duo timores specie distinguuntur. Oppositam sententiam tenent communiter Thomistæ asserentes, timorem initialem non distingui specie à timore filiali, sed solùm accidentaliter tanquam perfectum & imperfectum: sicut charitas viæ essentialiter, & substantialiter est eadem cum charitate patriæ, & solùm differunt, quia in patria est omnino perfecta. Mihi tamen videtur sententia Durandi valde probabilis, ob rationem ab eo adductam. Deinde, quia timor filialis cùm ortum habeat ex perfecta charitate ex natura sua respicit culpam quatenus est contra bonum diuinum, & non sub alia ratione: at timor initialis cùm partim oriatur ex charitate, partim ex amore proprio, sequitur, quòd cùm non sit eadem ratio in vtroque, distinguantur specie. Denique, quia timor filialis ex se, & natura sua est donum Dei: at timor initialis quamuis sit à Spiritu sancto, non tamen est donum Dei, quia non facit nos exercere, & operati opera heroïca & extraordinaria, quin potiùs ex natura sua est imperfectus.

25. Restat explicare quomodo timor sit donum Spiritus sancti. Donum significat perfectionem quamdam cœlitus homini collatam, per quam redditur bene mobilis à Spiritu sancto, ad præstandas quasdam operationes, non solùm supernaturales, sed etiam heroïcas, & extraordinarias, & iuxta prædicta timor seruilis hac ratione non est donum Spiritus sancti, quia donum hoc modo sumptum, non potest esse sine charitate: quamuis si donum consideretur quatenus significat quidquid à Deo nobis confertur, possit dici donum Spiritus sancti, vt dicitur in Concilio Arausicano II. can. 4. vbi habetur: *Illud quod disponit peccatorem ad salutem,* Arausican.
non esse solùm à sua natura, sed ab Spiritu sancto, & in hoc sensu intelligendus est D. Bonauent. in 3. dist. 34. quæst. 1. quando ait, timorem seruilem esse donum ipsius Dei. Timor verò filialis, propriè, & in rigore est donum Spiritus sancti: per hunc enim timorem redditur homo bene mobilis à Spiritu sancto, & subiicitur in omnibus voluntati diuinæ. De timore initiali philosophandum est iuxta varietatem opinionum, qui existimant non differre specie à timore filiali, consequenter affirmant esse donum Spiritus sancti. Alij verò oppositum tenent in rigore loquendo de dono, quia timor initialis includit in suo conceptu formali timorem seruilem, cùm respiciat pœnam. Deinde, quia timor initialis habet pro radice proprium amorem: ergo ratione ipsius radicis retardatur animus, & non redditur facile mobilis à Spiritu sancto.

26. Inquires, an paupertas spiritus correspondeat dono timoris. Obserua beatitudines positas Matth. 8. non esse habitus distinctos à virtutibus theologicis, aut donis Spiritus sancti, sed actus elicitos à prædictis virtutibus vel donis. Per paupertatem autem spiritus intelligit Augustinus *humilitatem*; sicut enim superbi dicuntur inflati spiritu, ita humiles sunt pauperes spiritu: hæc enim dictio *spiritus* in sacra Scriptura sæpe sumitur pro vento: superbi ergo dicuntur inflati spiritu, id est, vento distenti; humiles verò pauperes spiritu, id est, vento & animi elatione. Ambrosius verò per paupertatem spiritus intelligit voluntariam abdicationem bonorum temporalium, & iuxta vtramque considerationem, paupertas spiritus est actus elicitus à timore filiali, cùm enim hæc paupertas consistat in contemptu propriæ excellentiæ, & abiectione rerum temporalium, oritur ex timore, quia quo magis quis Deum timet, magis se ipsum, & bona externa spernit.

***

Sectio V.

An extet aliquod præceptum de ſpe, & timore.

27. CIrca primum nonnulli arbitrati ſunt, præceptum ſpei eſſe negatiuum, & obligare ſemper, & pro ſemper, ſicut omnia alia præcepta negatiua, quamuis non detur niſi per modum affirmationis; atque adeò præceptum hoc non obligare nos ad habendum actum ſpei, ſed ad nunquam de Deo deſperandum. Fundamentum huius ſententiæ fuit, quia viri ſapientes, & timentes Deum, quando confitentur ſua peccata, nunquam ſe accuſant de omiſſione actuali huius præcepti, ſed tantùm de commiſſione, quando aliquē actum deſperationis habuerunt. Similiter confeſſarij tantùm interrogant pœnitentes, an in aliquo periculo, vel anguſtia conſtituti, de diuina miſericordia deſperauerint: ſignum ergo eſt hoc præceptum eſſe negatiuum, quamuis per modum affirmationis tradatur. Oppoſitum verò tenendum eſt, dari ſcilicet præceptum affirmatiuum de ſpe: quod apertè colligitur ex ſacra Scriptura 1. ad Timoth. 6. vbi
1. Timoth. 6. ait Paulus. *Diuitibus huius ſæculi præcipe, non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo*
1. Paral. 10. *viuo.* & 1. Paralip. 10. inter cætera peccata, ob quæ Saül fuit reprobatus, numeratur, *Quòd non ſperauerit in Domino.* Et ad Titum 2. *Apparuit gratia Dei*
Tit. 2. *Saluatoris noſtri omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobriè, & iuſtè, & piè viuamus in hoc ſæculo, expectantes beatam ſpem.* Vnde Auguſt. tract. 85. in Ioann. inquit:
Auguſt. *Quam multa nobis mãdata ſunt de ſpe, quis poteſt omnia colligere? quis enumerando ſufficere.* Et ratio huius eſt, quia omne medium neceſſarium ad ſalutem cadit in præceptum, vt diximus in tractatu de Fide: Actus autem ſpei eſt medium neceſſarium ad ſalutem, vt poſtea oſtendam. Difficultas ergo eſt, quo tempore hoc præceptum obliget. Duplex autem obligatio conſiderari poteſt, vna per ſe & directè, altera verò indirectè, & per accidens. Et quidem Doctores communiter fatentur, hoc præceptum obligare per accidens, quoties obligat quodcumque aliud præceptum, quod non poteſt ſeruari abſque actu ſpei, vt quando eſt neceſſarius actus ſpei ad ſuperandam aliquam tentationem, & etiam ſecundũ alios Doctores, quando obligat præceptum pœnitentiæ, vel debitæ orationis; quia præceptum obligans ad aliquem finem, obligat ſimul ad ponenda media neceſſaria ad illum finem: quod ſaltem verum eſt de actu ſpei implicito. Dixi *indirectè, & per accidens*, quia obligatio hæc non tam oritur ex præcepto ſpei, quàm ex præcepto illarum virtutum; ac proinde eius omiſſio non erit ſpecialiter contra ſpem, ſed contra virtutes illas; ſicque non eſt in confeſſione exprimenda. Quare falsò nonnulli ſummiſtæ aſſerunt, præceptum ſpei, imò præcepta aliarum virtutum theologicarum, eſſe præcepta generalia, quæ tantùm obligant in aliis præceptis: nam de charitate certum eſt dari præceptum ſpeciale, & idem fatendum eſt de ſpe: ideo enim dantur præcepta propria aliarum virtutum, quia ſunt propriè virtutes, & ſpeciales, quæ ratio idem conuincit de virtutibus theologicis.

Loquendo verò de obligatione per ſe, certum eſt præceptum hoc cœpiſſe obligare à prima conditione primi parentis; tunc enim Deus interpretatiuè reuelauit primo parenti huiuſmodi præcepta, quod poſtea traditione obſeruatum eſt. Nam præcepta naturalia cœperunt obligare à conditione primi parentis: idem ergo dicendum eſt de præceptis ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis; quia ideo præcepta illa naturalia obligabant, quia ſtatim ac homo conditus eſt, dicebat ordinem neceſſarium ad finem naturalem: ſed ſimiliter ex diuina lege dicebat ordinem ad finem ſupernaturalem: ergo. Quare Paulus de quouis ſtatu vniuerſaliter loquens, dixit: *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator ſit.*

29. Nonnulli cenſent præceptum hoc obligare cùm primùm quis rationis vſum attingit; eo enim tempore tenetur ſe ad Deum conuertere, quod fieri nequit quin in ipſum ſperet. Hoc tamen iam alibi reiectum eſt. Alij verò exiſtimant hominem teneri ad eliciendum actum ſpei, quoties graui tentatione deſperationis vexatur. Sed neque hoc eſt vniuerſaliter verum, quia ſæpe vtilius erit imaginationem aliò diuertere. Quare probabilius videtur quod ait Suarez diſp. 2. ſect. 1. Hoc tempus non poſſe deſignari poſitiuè, & omnino determinatè, ſed quaſi negatiuè & confusè: nimirum teneri hominem aliquando in vita ſpem exercere, nec huiuſmodi actum diu differre poſt perfectam propoſitionem beatitudinis, vel eius apprehenſionem: quod verò præceptum hoc obliget nunc, vel poſtea, relinquendum eſt prudentis arbitrio. Illud videtur certum obligationem huius præcepti maximè vrgere in fine vitæ, tum ob tentationes eo tempore ingruentes; tum etiam, quia tunc maximè debemus intentionem eò dirigere, quò nobis migrandum eſt.

30. Vt autem rectè obſeruat Caſtro Palao, regulariter homines præcepto huius virtutis ſatisfaciunt, cùm de peccatis dolent, quia nunquam, aut vix dolorem hunc concipiunt abſque actu formali ſpei, quo eriguntur ad peccata deteſtanda: item cùm propoſitum habent nunquam peccandi mortaliter; quia licèt hoc propoſitum aliquoties oriatur ex Dei perfecto amore, ſæpe illum gignunt ex amore imperfecto, conſiderantes æternam beatitudinem quam peccatis amittunt, ex cuius cõſiderationis vi eriguntur in ſpem vitæ æternæ, & peccata deteſtantur: quare non oportet hominem eſſe anxium de adimpletione huius præcepti, an eis ſatisfecerit, nec ne.

31. An verò ad iuſtificationem actus ſpei ſit neceſſarius neceſſitate medij ſimpliciter in adultis, primus modus dicendi eſt, actum ſpei formalem non eſſe ſimpliciter neceſſarium neceſſitate medij, cuius fundamentum eſt, quia actus ſpei non videtur neceſſarius ad conſequendam beatitudinem; nam abſque actu ſpei poteſt eſſe actus charitatis; poteſt enim homo abſque actu ſpei formali cognoſcere Deum per fidem eſſe ſummum bonum, & dignum ſumma dilectione; ac proinde eum ſummè diligere: ergo poteſt eſſe actus charitatis, abſque actu ſpei, & conſequenter meritum beatitudinis: quia actus charitatis in eo qui caret gloria, eſt meritorius illius, cùm ſit actus filij, & conſequenter, & hæredis gloriæ: ſi ergo ad conſequendam beatitudinem non eſt neceſſarius ſimpliciter actus ſpei, neque etiam erit ad iuſtificationem.

32. Oppoſita ſententia communis eſt inter Theologos: nam illud eſt neceſſarium neceſſitate medij ſimpliciter ad ſalutem, ſine quo ſalus comparari nequit: talis eſt autem actus ſpei. Vnde in

ſacra Scriptura ſæpè iuſtificatio tribuitur ſpei ad
Rom.8. Rom. 8. *Spe ſalui facti ſumus.* & in Trident. ſeſſ.6. cap. 6. & 7. & can. 5. numeratur ſpes inter diſpoſitiones neceſſarias ad iuſtificationem. Et ratio à priori eſt, quia nemo poteſt ſaluari quin credat Deum eſſe remuneratorem ſupernaturalem, & niſi ad Deum conuertatur ſuper omnia diligendo: implicat autem quòd intellectus iudicet Deum eſſe remuneratorem bonorum, & quod voluntas velit in eum tendere vt in finem, quin eo ipſo erigat ſe ad ſperandam remunerationem ex eius auxilio: nam eo ipſo iudicat futuram remunerationem, & tendit in Deum vt remuneratorem, quia vt ſic proponitur neceſſariò per fidem; ergo erigitur in eum, vt ſic comparandum per media ab ipſo ordinata; eo enim ipſo quo conuertitur in Deum vt finem vltimum, vult etiam in eum tendere per prædicta media: ac proinde erigitur voluntas ad conſecutionem talis finis per talia media.

33. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, inter ſpem & alias virtutes theologicas hoc intereſſe diſcrimen: nam aliæ virtutes theologicæ ſunt neceſſariæ ſimpliciter ad merendam beatitudinem, quia abſque charitate nullus actus poteſt eſſe proportionatus beatitudini; atque ita ad illam merendam neceſſarius eſt actus charitatis: ad charitatem autem neceſſaria eſt cognitio fidei; non enim poteſt amari Deus vt bonum ſupernaturale, niſi propoſitus voluntati per cognitionem fidei; ſicque ex natura rei ad merendum non videtur neceſſarium, vt fidem habeat de triplici obiecto ſupernaturali; eo enim ipſo quo quis cognoſcit Deum ſummum bonum, cognoſcit etiam eſſe dignum ſumma dilectione, & conſequenter præferendum eſſe omnibus rebus creatis; ac proinde poterit illum ſic amare. Nihilominus vix poteſt intelligi quo pacto aliquis adultus iuſtificetur per proprium actum, quin habeat etiam actum ſpei, quo ſperet ſibi peccata remittenda: at poſtquam quis ſemel iuſtificatus eſt, non videtur ita neceſſarium, vt in quauis iuſtificatione, vel actu merendi, præcedat actus ſpei explicitus circa beatitudinem, ſed ſat eſt, ſi virtualiter & implicitè, eo ipſo quo vult pœnitere, & conuerti in Deum, quamuis nihil cogitet de beatitudine.

34. Circa ſecundum, nimirum dari etiam præceptum affirmatiuum de actu timoris, ſatis conſtat ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ ſuprà adductis, quæ intelligenda ſunt, tam de timore filiali, quàm de ſeruili, nam de timore filiali di-
Deuter.10. citur Deuteronomij 10. *Quid Dominus Deus petit à te, niſi vt timeas Dominum Deum tuum*, &c.
Luc.12. De timore verò ſeruili habetur, Lucæ 12. *Timete eum qui poſtquam occiderit corpus, habet poteſtatem, & corpus, & animam perdere in gehennam.* Probabile etiam eſt, hæc præcepta non eſſe ſpecialia; ſicque non diſtingui à præceptis aliarum virtutum, quatenus exigunt timorem filialem & ſeruilem, vt per hos timores retrahatur homo à peccatis, tam contra charitatem, quàm contra alias virtutes; ac proinde ex defectu timoris nunquam committitur ſpeciale peccatum quod ſit neceſſariò in confeſſione explicandum, vt obſeruat Valentia diſp.2.q.4. puncto 2.

DISPVTATIO III.

De deſperatione, & præſumptione.

SECTIO I.

Cuius potentiæ actus ſit deſperatio.

ALMAYN. in 3. diſt.26. & in Moralibus, tract.2. cap.3. exiſtimat, deſperationem eſſe actum intellectus, & conſiſtere in iudicio, quo quis iudicat impoſſibile eſſe ſe conſequi beatitudinem, aut veniam peccatorum; ac proinde non neceſſariò requiri actum voluntatis ad deſperationem, imò poſſe dari ſine illo. Fundamentum eſt, quia quamuis ſpes ſit in voluntate, & voluntas eliciat actum ſpei provt tendit in beatitudinem, nihilominus prærequirit neceſſariò iudicium intellectus, iudicantis beatitudinem eſſe poſſibilem: ergo per hoc ſolum quòd in intellectu deficiat illud iudicium prærequiſitum, deficiet etiam ſpes, & conſequenter poterit eſſe deſperatio abſque aliquo actu voluntatis. 1.

Hæc tamen ſententia communiter relicitur à Theologis cum D. Thoma 1. 2. quæſt. 13. art.2. & quæſt. 40. art. 4. vbi ait, Quòd actus ſpei & deſperationis contrariantur per contrarietatem, quæ attenditur per acceſſum, & receſſum ab aliquo termino: ſicut contingit in generatione, & corruptione. Itaque ſpes dicit acceſſum quemdam voluntatis ad bonum arduum poſſibile, quod eſt illius obiectum. Deſperatio verò dicit receſſum eiuſdem voluntatis ab eodem obiecto, eo quòd eius conſecutio reputatur impoſſibilis: ergo ex ſententia D. Thomæ ſicut ad actum ſpei requiritur actus voluntatis, quo accedimus ad obiectum amatum; ita etiam ad actum deſperationis requiritur actus eiuſdem voluntatis qua ab eodem obiecto amato recedimus. Deinde, quia deſperatio eſt contraria ſpei, cùm autem ſpes in voluntate reſideat, neceſſe eſt vt deſperatio in eadem potentia conſtituatur. Denique, quia quando quis iudicat impoſſibile eſſe ſe conſequi beatitudinem, vel id iudicat quamtumcunque diuina gratia adiutus faciat quod poſſit, hoc autem iudicium eſt hæreticum, ac proinde nequit in illo conſiſtere deſperatio, niſi deſperationem cum hæreſi confundamus: vel id iudicat, quia decernit non apponere media neceſſaria ad ſalutem: hoc autem iudicium quamuis non ſit hæreticum, nihilominus non conſtituit deſperationem, quia aliud eſt quod in intellectu ſupponitur deſperationi, aliud verò id quod eſt formaliter ipſa deſperatio: illud namque iudicium præſupponitur ad deſperationem, non tamen conſiſtit in eo formaliter deſperatio, quamuis ex illo regulariter ſequatur. Et ratio huius à priori eſt, quia nullum ex his iudiciis neceſſariò requiritur ad deſperationem, ad quam ſufficit iudicium efformatum de difficultate beatitudinis conſequendæ. 2.

Turrianus diſp. 64. dub. 2. cenſet, ad deſperationis peccatum ſufficere liberum, & imprudens iudicium, quo quis iudicet ſe non conſecuturum beatitudinem quod probat, quia iudicium hoc aufert obiectum ſpei, & rationem formalem illius,

Digitized by Google

illius; atque adeò contrarium est prudenti, & debito iudicio, quod quilibet teneatur habere de futura consecutione beatitudinis ex gratia Dei; quare qui sic iudicat imprudenter, manet impotens ad sperandum: ergo peccat peccatum contra spem. Hæc tamen doctrina non est vera, quia aliud est habentem tale iudicium peccare contra spem, quod quidem verum est. Aliud verò peccare peccato desperationis formaliter; hoc autem est falsum: quia non omne peccatum contra spem est desperatio, aliàs præsumptio esset desperatio, cùm sit peccatum contra spem, & qui positivè vult nunquam sperare, similiter peccaret contra spem, quod etiam est falsum, quia per hunc actum præcisè non desperat, omitto quod ait Suarez sect. 1. fieri posse adhuc existente illo iudicio in intellectu, vt voluntas non desperaret; quia cùm non necessitetur à iudicio, quamuis iudicaret se non fore saluandum, posset nihilominus dicere, quod possum facere faciam: quod mihi non probatur, quia quantumuis voluntas vellet in eo casu facere quod in se est, nullatenus posset sperare illius rei consecutionem, quam iudicat impossibilem; quia obiectum spei est bonum apprehensum, vt possibile futurum. Et ex his

4. Infertur primò, resolutio illius difficultatis, an desperatio possit esse sine infidelitate. In qua pars affirmans tenenda est cum D. Thoma quæst. 20. art. 2. quod probat, quia remoto posteriori, non remouetur prius: sed spes est posterior fide; ergo remota spe potest adhuc manere fides, & consequenter non quicumque desperat est infidelis. pro quo obserua S. Doctor dupliciter quempiam posse habere errorem in intellectu: vno modo quando omnino ignorat id quod scire tenebatur, & sic facit contra illud. Altero modo ita quòd quamuis habet scientiam in vniuersali, non tamen in particulari secundùm circumstantias, v.g. qui fornicatur in vniuersali, scientia speculatiua scit, fornicationem esse malam: at in particulari respectu hîc & nunc, existimat & iudicat sibi bonum; & ideo Philosophus 7. Ethicorum dicebat, quòd syllogismus incontinentis habet quatuor propositiones, quarum prima est vniuersalis, scilicet, nulla fornicatio est admittenda. Secunda, delectabile est quærendum. Tertia, sed fornicare cum hac, est delectabile: ergo est sequendum, & subdit quòd passio ligat intellectum, quia distrahit illum, & sic non facit illum concludere sub prima propositione, sed sub secunda. Deinde nota, quòd iudicium existens in intellectu, cui in voluntate correspondet desperatio, potest esse vniuersale, scilicet non esse remissionem peccatorum pro verè pœnitentibus, quod iudicium est speculatiuum: vel potest esse particulare iudicando sibi in tali statu existenti non esse veniam sperandam, quod quidem iudicium propriè est practicum. Quibus animaduersis probatur desperationem esse posse sine infidelitate; quia cum scientia in vniuersali alicuius rei, potest esse error eiusdem in intellectu: ergo simul cum hac scientia in vniuersali, quòd misericordia Dei excedit omnia peccata, potest quis in particulari oppressus, & ligatus passione iudicare, sibi hîc & nunc non esse sperandum de misericordia Dei ob sua ingentia peccata, atque adeò desperare: ergo in eo euentu desperatio erit sine infidelitate. patet consequentia, quia ille certò credebat in vniuersum, Deum præstabilem esse super omnem malitiam, quamuis in particulari practicè erraverit.

5. Dices, fidem catholicam non solùm docere in vniuersali, Deum esse paratum ad miserendum, sed etiam in particulari docet cuilibet homini, & quolibet tempore patere ianuam suæ misericordiæ; sed qui desperat, iudicat in particulari sibi non esse paratam diuinam misericordiam: ergo est infidelis. Respondetur, iudicium particulare peccatoris quo mouetur ad peccandum, posse esse duplex: vel speculatiuum, vel practicum. v.g. quando peccator habet hoc iudicium: hæc fornicatio est conueniens, si illud habeat modo speculatiuo, referendo iudicium illud ad opus, tale iudicium erit hæreticum, & contra fidem: alio modo potest iudicare fornicationem sibi conuenientem practicè, quia quamuis sciat omnem fornicationem esse illicitam; habita tamen ratione circunstantiarum, hîc & nunc, practicè iudicat eam sibi conuenientem, quia habet corruptam existimationem in particulari, & ideò practicè errat dum eligit fornicationem, cùm tamen cognoscat esse peccatum, & ideo non errat contra fidem. Eodem modo philosophandum est in nostro euentu, quia si iudicium desperandi sit modo speculatiuo, quia iudicat misericordiam Dei non excedere sua peccata, tale iudicium erit hæreticum: si verò iudicium hoc sit practicum, quia oppressus passione succumbit pro sua pusillanimitate; talis desperatio erit sine infidelitate. Et quamuis hæc doctrina aliquibus Recentioribus non probetur, mihi tamen videtur sufficiens ad explicandum, quomodo possit quis peccare circa particulare obiectum prauum, & inhonestum motu appetitus sine peccato hæresis. Quamuis ex alio capite possit etiam ostendi, quomodo peccatum desperationis possit esse sine peccato infidelitatis: nam licèt certum sit, Deum concedere omnibus auxilia sufficientia ad salutem, non tamen est certum secundùm fidem catholicam auxilia congrua cuilibet in particulari dari; poterit ergo quis imprudenter iudicare, Deum sibi non collaturum auxilia congrua, & ob id desperare, absque eo quòd peccet contra fidem, quia non peccat contra aliquid à Deo reuelatum. Ita Turrianus vbi suprà.

6. Secundò infertur, in quo propriè consistat peccatum desperationis. Desperatio enim propriè consistit in quadam voluntatis fuga, & demissione, qua desistit à beatitudine, vel quouis alio obiecto spei, vt à se consequendo; in hoc enim propriè consistit contrarietas ad spem: nam sicut spes est erectio animi ad prosequendum bonum arduum, ita demissio animi desistens à prosecutione talis boni, est actus oppositus. Hinc tamen oritur alia difficultas, quodnam sit obiectum formale desperationis, an sit malum vt malum: cùm enim desperatio sit fuga voluntatis, videtur illius obiectum necessariò debere esse malum, atque adeò desperationem debere consistere in positiua nolitione beatitudinis. In contrarium verò est, quia, vt docet D. Thom. 1. 2. quæst. 40. art. 4. ad 3. desperatio supponit desiderium rei desperatæ, nullus autem potest desiderare sibi malum, vt malum proprium, sed bonum: ergo qui desperat beatitudinem, potius habet amorem illius, quàm odium. Deinde, quia fieri nequit vt quis positiuè nolit esse beatitudinem, quia ad hoc esset necessarium vt in ea conciperet aliquam rationem mali, quæ in beatitudine concipi nequit, cùm essentialiter includat absentiam omnis mali; ergo desperatio non potest consistere in positiua nolitione beatitudinis.

7. Dicendum tamen eſt, deſperationem eſſe fugam, & receſſum à beatitudine non ſimpliciter, ſed quatenus habet annexas difficultates conſequendi illam, & adhibendi media neceſſaria. Vnde deſperatio duplicem dicit reſpectum, vnum ad fugam, & receſſum beatitudinis: aliud verò ad voluntatem efficacem omittendi media neceſſaria ad ſalutem, eo quòd difficilia apparent, & contraria appetitibus deſperantis: & quatenus ille actus reſpicit beatitudinem, dicitur propriè deſperatio; ille enim propriè deſperat beatitudinem, qui non vult illam proſequi: quatenus verò reſpicit mediorum executionem quæ ad beatitudinem requiruntur, dicitur nolitio, quia abſolutè non vult media beatitudini neceſſaria exequi. Ita Ægidius diſp. 20. dub. 10. Et videtur apertè colligi ex D. Thom. 1. 2. quæſt. 15. art. 3. vbi docet deſperantem non recedere à bono, vt bonum eſt, ſed à bono quatenus conſecutionem iudicat impoſſibilem, aut non futuram: quia non vult applicare ea media, quæ iudicat neceſſaria ad conſecutionem illius.

Sectio II.

An qui ex reuelatione nouit ſuam damnationem, peccet deſperando.

8. D. Bonauent. in 1. diſt. 48 exiſtimat, Deum non poſſe alicui reuelare abſolutè propriâ damnationem. Quod probat, quia facta tali reuelatione conſtitueretur viator in ſtatu ſuſpenſionis; ex vna enim parte teneretur ſperare, quia viator eſt; & ex alia videret ſibi denegatam ſpem, cùm iam ſit condemnatus; ac proinde non poſſet ſperare: ex vna parte teneretur per ſe velle damnationem, quia teneretur conformare ſe voluntati diuinæ: & ex alia teneretur eam non velle, quia per ſe pendet à peccato quod tenetur non velle. Hæc tamen non conuincunt, quia tantùm probant de lege, & potentia ordinaria non poſſe alicui reuelari ſuam damnationem, & quòd ſi ordinario modo fieret intelligenda eſſet, non in ſenſu abſoluto, ſed comminatorio & conditionato, vt contingit Niniuitis, quibus facta fuit reuelatio de ſua ruina; ipſi verò intellexerunt eſſe comminatoriam, & ſic pœnitentiâ egerunt. Ad rationem ergo adductam facile reſpondetur, nos non teneri ad amanda omnia quæ Deus vult, quia non præcipit vt ea amemus; ſicque poſſumus triſtari de multis obiectis: qua ratione triſtamur de damnatione, & morte amicorum. Vel poteſt etiam dici, nos teneri ad amanda omnia quæ Deus vult eo modo quo ea vult: Deus autem damnationem noſtram abſolutè non vult, ſed ex præuiſo peccato: ſuppoſito ergo quòd quis moriatur in peccato, teneri velle ſuam damnationem, & conformari voluntati diuinæ.

9. Conueniunt ergo Doctores, de potentia abſoluta non implicare Deum reuelare alicui ſuam damnationẽ reuelatione abſoluta in vindictam ſui peccati. Ita D. Thom. quæſt. 23. de veritate, art. 8. Suar. diſp. 2. ſect. 2. Vaſquez 1. 2. diſp. 22. quia in hoc nulla videtur implicatio, nec repugnantia, quia tale obiectum futurum non minus eſt ſcibile, quàm quodlibet aliud futurum: ergo ſicut Deus poteſt communicare euidentem notitiam alterius futuri, ita etiam iſtius: ſicut enim Deus in communi reuelauit Antichriſtum eſſe reprobum, ita etiam poſſet eidem Antichriſto id reuelari. Dices repugnare hoc bonitati, & ſapientiæ diuinæ, nam homo ille ex tali reuelatione conſtitueretur in vehementi occaſione multiplicandi peccata, & de diuina miſericordia deſperandi. Reſpondetur, Deum non eſſe obligatum eam occaſionem impedire, aut à tali reuelatione ceſſare; nec ex illa reuelatione impediretur homo vt bene operari poſſet ſi vellet, vt infrà oſtẽdam: quia ea reuelatio non adimit libertatem, nec gratiam ſufficientem. Difficultas ergo eſt iam admiſſo hoc caſu, ſi Deus alicui reuelaret ipſum eſſe reprobum, an ille tunc poſſet licitè deſperare.

10. Prima concluſio, ſuppoſita reuelatione abſoluta de damnatione, homo non tenetur ſperare, imò neque poteſt ſperare. Probatur, quia ex D. Thoma ſuprà quæſt. 8. art. 3. Ideo in damnatis non eſt ſpes, quia non poſſunt apprehendere beatitudinem, vt ſibi poſſibilem, & quæſt. 20. art. 1. ad 3. ait: *Quòd damnati non ſunt in ſtatu ſperandi propter impoſſibilitatem aditus ad beatitudinem.* & addit, *quòd non imputabitur illis ad culpam quòd non ſperent.* ſicut neque in via eſt peccatum deſperationis in aliquo de illo quod non eſt natum adipiſci: cùm ergo hic homo non poſſit apprehendere beatitudinem vt ſibi poſſibilem, imò reputet ſibi impoſſibilem conſecutionem illius, ſequitur quòd non poſſit ſperare. Et confirmatur, quia nos non poſſumus ſperare beatitudinem Antichriſto, eo quòd nobis reuelatum eſt illum eſſe damnandum: ergo idem dicendum eſt de homine cui facta eſſet reuelatio ſuæ damnationis. Ratio verò à priori eſt, quia voluntas ſequitur iudicium rationis, ac proinde non poteſt abſoluto, & efficaci actu tendere in id, quod ſimpliciter iudicat impoſſibile, & nunquam eſſe futurum. D. Thom.

11. Adde poſita hac reuelatione, illum hominem non neceſſitari quoad exercitium ad actum deſperationis, ita vt neceſſariò deſperet de beatitudine, quia facta tali reuelatione adhuc manet liber ad eliciendum illum actum; ergo poterit ſe ſuſpendere, & ſic non deſperare: quamuis quoad ſpecificationem maneat neceſſitatus, ita vt non non poſſit in alium actum exire, niſi deſperationis.

12. Secunda concluſio, ſuppoſita hac reuelatione poſſet ille homo deſperare de beatitudine conſequenda abſque peccato. Ita D. Thom. & Doctores prælegati. Et probatur, quia ſecundùm D. Thomam ſuprà quæſt. 2. art. 1. Omnis motus appetitus conformis iudicio vero, eſt bonus: ſed ille homo in eo actu deſperationis, habet motum appetitus conformem iudicio vero: ergo in illo actu non peccat. Minor probatur, quia ille actus deſperationis conformatur huic iudicio vero: mihi hîc & nunc non eſt ſperanda beatitudo, vtpotè quia eſt mihi impoſſibilis. Et confirmatur, quia non eſt peccatum deſperare de ſalute Antichriſti ſuppoſita diuina reuelatione de illius reprobatione: ergo neque erit peccatum quod hic homo deſperet. Ratio verò à priori eſt, quia qui nullo modo obligatur ad aliquem actum eliciendum, poteſt velle eum non elicere: ſed talis homo nullo modo obligatur ad ſperandam beatitudinem: ergo poteſt poſitiuè nolle eam ſperare.

13. Obiicies, quia deſperatio eſt intrinſecè mala: ergo nunquam licet deſperare. Antecedens probatur, quia deſperatio eſt actus oppoſitus virtuti ſpei, ſicut infidelitas fidei, & odium Dei charitati: ergo ſicut iſti actus ſunt intrinſecè mali, ita & actus deſperationis. Reſpõdetur, non omnẽ deſperationem eſſe

esse intrinsecè malam, sed illam dumtaxat, quæ oritur ex falsa, aut imprudẽti existimatione potentiæ, aut misericordiæ Dei; non verò illam quæ proficiscitur ex certo & vero iudicio, quo quis per reuelationem agnoscit se non fore saluandum. Nunquam tamen licet beatitudinem contemnere, aut auersari: nam beatitudo nostra consistit in possessione ac fruitione ipsius Dei; atque adeò qui ipsam contemnit, ac auersatur, implicitè contemnit, ac auersatur ipsum Deum, quod nunquam licet.

14. Ex quo infertur, adhuc suppositâ prædicta reuelatione, teneri hominem ad obseruãdam totam legem Dei præter legem de desperatione, quia talis reuelatio nec adimit libertatem ad legis obseruationem: rectè enim componi potest cum auditione sacri & cæteris præceptis, nec habet necessariam connexionem cum furto, vel alio peccato. Deinde nec tollit obligationem præcepti, quia illa reuelatio non est abrogatio legis, ac proinde tenemur eam seruare, lex enim tandiu durat, quandiu non abrogatur. Vnde vlteriùs fit, illum cui facta esset talis reuelatio, posset & teneretur sperare, & petere à Deo auxilia specialia ad vitanda singula peccata: nam ex eo quòd sibi reuelata sit sua damnatio, non redditur impotens ad seruanda singula mandata.

15. Obiicies primò, quia si Deus reuelaret Paulo quòd esset occisurus Petrum, certè illum occidendo peccaret, non obstante reuelatione: ergo in nostro casu, non obstante reuelatione de damnatione, adhuc tenebitur sperare. Respondetur negando consequentiam, quia iam homo nõ manet liber ad sperandum, siquidem non manet in illo obiectum spei, neque iudicium quo iudicet sibi possibilẽ beatitudinem, quæ quidem sunt necessaria ad habendam spem; neque est eadem ratio de reuelatione homicidij; per hanc enim non tollitur libertas, sicut nec per præscientiam Dei: at reuelatio propriæ damnationis affert secum impedimentum respectu actus spei, cùm inducat ad iudicandum salutem æternam esse impossibilem, cum quo iudicio non potest compati spes.

16. Obiicies secundò, quia talis homo si est in articulo mortis constitutus, teneretur habere contritiõnem de suo peccato; obligatio enim huius præcepti præcipuè vrget in articulo mortis: ergo teneretur sperare gratiam, & consequenter gloriam. Patet consequentia, quia contritio est dolor de peccatis cum spe veniæ consequendæ per gratiam; & ipsa gratia est acceptatio ad gloriam. Respondetur in eo euentu posse & debere sperare gratiam, vt est donum quoddam supernaturale iustificans, non tamen vt est medium ad gloriam vltimatè consequendam. Dixi *vltimatè*, quia gratiam, vt est ius ad gloriam, posset sperare secundùm præsentem iustitiam. Vnde non rectè infertur, quòd teneatur sperare gratiam, & gloriam, tanquam in æternum duraturam; quia suppositâ illa reuelatione certò agnosceret, se esse damnandum, ac proinde se ante instans mortis gratiam amissurum.

SECTIO III.

Quid sit præsumptio, & quale peccatum.

17. PRæsumptio varias habet significationes: aliquando enim sumitur pro iudicio ex coniecturis, & argumentis desumpto, quo magis propendimus in vnam partem, quàm in aliam, quæ significatio valde frequens est apud Iurisperitos, qui hac ratione distinguunt præsumptionem in vehementem, seu violentam, probabilem, & leuem. Præsumptio leuis, seu temeraria solet dici, quæ colligitur ex leuibus, aut temerariis signis. Probabilis verò quæ habetur ex probabilibus signis: sicut violenta solet dici, quæ ex probabilissimis, seu vehementibus signis colligitur, & in hoc sensu cap. *literis*, de præsumptionibus, dicitur, præsumptio violenta, qua præsumitur fornicatio, ex eo quòd solus cum sola loco, & tempore suspectis inueniatur. Secundò sumitur pro inordinata existimatione propriæ excellentiæ, qua ratione est species superbiæ, & in hac significatione, & præcedenti, ad intellectum pertinet. Tertiò accipitur pro actu voluntatis, quo animus erigitur ad prosequendum bonum quod excedit eius facultatem, quasi non excederet, viribus suis innixus: quod si sit in materia virtutum moralium, videtur præsumptio vitium generale: nam si sit in materia fortitudinis, videtur coincedere cum audacia & temeritate: si verò sit in materia honoris, opponitur magnanimitati. Quartò sumitur pro actu opposito spei per excessum, sicut desperans opponitur eidem per defectum: quod si sit in materia pertinente ad spem theologicam, vt est beatitudo, gratia & diuinũ auxilium, hac ratione præsumptio propriè opponitur spei theologicæ, & de illa tractant DD. in hoc loco.

18. Est autem præsumptio in hac significatione, *spes obtinendi à Deo gratiam, & gloriam & reliqua dona supernaturalia inordinatè*, id est, aliter quàm Deus obtinenda statuit. Triplex autem præsumptio considerari potest: vnà, qua quis præsumit se propriis viribus sine Dei auxilio posse beatitudinẽ obtinere, & hæc fuit præsumptio Pelagianorum asserentium Christi gratiam nõ esse hominibus necessariam ad merendum, nec ad beatitudinem consequendam. Alia verò qua quis præsumit se sola Dei misericordia ac liberalitate, sine pœnitentia, & sine meritis, beatitudinem consecuturum: & hæc fuit præsumptio Lutheranorum. Tertia denique est, qua quis statuit dum bene valet in peccatis perseuerare, sperans à Deo se in fine vitæ gratiam consecuturum, qua conuertatur, & vitam obtineat æternam, ac proinde, nimirum de Dei misericordia præsumit, & ea abutitur ad peccandum. Et conueniunt Doctores quamlibet harum præsumptionum, esse graue peccatum, & valde periculosum, & ob sui grauitatem numeratur à D. Thoma quæst. 21. art. 1. inter peccata quæ peculiariter dicuntur esse contra Spiritum sanctum, quia directè ponit impedimentum gratiæ ipsius. Addit verò ibidem sanctus Doctor, maius peccatum esse desperationem, eo quòd desperatio lædit diuinam misericordiam, quæ est maximè Deo naturalis & propria: præsumptio verò magis est contra iustitiam.

19. Dubitant verò nonnulli, an per præsumptionem corrumpatur habitus spei. Et certum est hunc habitum tolli per primam & secundam præsumptionem, quia præsupponunt iudicium hæreticum quo fides amittitur, & consequenter etiam spes; difficultas itaque solùm esse potest de tertio modo præsumptionis. In qua dicendum est, per hoc peccatum non tolli, nec amitti habitum spei infusum, quia licèt iste actus sit contra præceptum spei, quo præcipimur sperare ordinatè à Deo; non tamen est ita contra actum spei, vt auferat obiectum illius. Nec reddit omnino inhabilem hominem ad sperandum. Imò existimo peccatum hoc non esse propriè contra spem, quia non sperat peccator se misericordiam consecuturũ mediis peccatis de præsenti commissis, sed pœnitentia illorum, quam existimat se facturum in fine vitæ diuina gratia adiutus.

TRACTATVS XVII.

DE CHARITATE.

DISPVTATIO I.

De Charitate ſecundùm ſe.

SECTIO I.

Quodnam ſit obiectum formale Charitatis.

1. VOx *Charitas* multipliciter ſolet vſurpari. Primò accipitur pro amore quodam honeſto, quo ſe diligunt ad inuicem creaturæ rationales, vel intellectuales. Vnde eſt illud 2. Machabæor. 14. *Alcimus autem videns charitatem illorum adinuicem.* Secundò ſumitur pro amore turpi Iudith 9. *Percutiet eum ex labiis charitatis meæ*, id eſt, ex labiis ſimulantibus amorem blandum & fictitium. Tertiò accipi ſolet pro effectibus ipſius amicitiæ, ſecundùm quod dicitur charitas conuiuium quoddam ſolitum exhiberi pauperibus à Chriſtianis, de quo videndus eſt D. Aug. contra Fauſtum c. 4. & Tertullianus in Apologet. contra gentes cap. 34. & ſexta Synodus generalis can. 74. Quartò principaliter ſumitur charitas pro amore diuino, & ſupernaturali, quo nos diligit Deus, & nos Deum redamamus: & hanc acceptionem ſequuntur ſacri, & ſcholaſtici Doctores, quibus non ita familiare eſt nomen amoris: nam, vt ait Origenes homil. 1. in Cantica, quandocumque in ſacra Scriptura fit ſermo de amore diuino, recedere debet omnis cogitatio dilectionis carnalis, & in hac acceptione charitas eſt virtus creata inhærens in voluntate ad diligendum Deum propter ſe; ac proinde per amorem amicitiæ; qua ratione Auguſtinus de moribus Eccleſiæ cap. 11. hanc virtutem diffiniens, inquit, *Charitas eſt virtus, qua Deum diligimus.* Poteſt verò nomine charitatis intelligi, vel actualis dilectio erga Deum: vel virtus habitualis, quæ illius dilectionis principium eſt. Vnde idem Auguſtinus charitatem actualem intelligens lib. 3. de doctrina Chriſtiana cap. 10. *Charitas*, inquit, *eſt animi motus ad fruendum Deo propter ſe ipſum, & proximum propter Deum.*

2. Hæc autem dilectio circa Deum duplex eſſe poteſt, concupiſcentiæ, & beneuolentiæ, vt ſatis ex ſupradictis conſtat. Dilectio concupiſcentiæ eſt illa qua diligimus Deum vt eſt bonus nobis. Beneuolentia verò illa, qua diligims Deum ſecundùm ſe, id eſt, qua volumus illi bonum, quatenus bonum illius eſt. Quæ duæ dilectiones hoc differunt, quòd in amore beneuolentiæ formale obiectum eſt bonitas abſoluta, qua Deus eſt bonus in ſe: in altera verò dilectione formale obiectum eſt bonitas Dei, veluti reſpectiua, qua eſt bonus nobis. Per charitatem autem non intelligitur illa dilectio Dei, qua Deum diligimus nobis, & propter noſtrum bonum: ſed altera quæ perfectior eſt, qua Deum diligimus abſolutè, & propter ſe, vt patet ex diffinitione adducta Auguſtini, & lib. 8. de Trinitat. cap. 8. vbi ait charitatem eſſe virtutem qua diligimus Deum propter Deum: nos autem & proximos propter Deum. Eadem ratione charitatem diffinit Gregorius homil. 27. in Euangel. Bernard. ſerm. 5. de modo bene viuendi ad ſororem, & tractat. de diligendo Deum, circa finem, vbi inquit: *Alius Deum diligit, quia nobis bonus eſt: alius, quia bonus ſemper eſt. prior mercenarius eſt, & cupit ſibi poſterior filius, & refert Patrem: prior propter ſe agit, ſolaque eſt in filio charitas, non quærit quæ ſua ſunt.* Ex quo teſtimonio Pauli videtur confirmari doctrina tradita, charitatem ſcilicet non eſſe virturem quæ ſuum bonum reſpiciat, ſed quæ ſolum reſpicit diuinum bonum, vel deſiderando Deo bona vt illius bona ſunt; vel deteſtando mala contraria, quatenus illi contraria ſunt. Deinde hæc etiam dilectio beneuolentiæ erga Deum duplex eſſe poteſt, ſcilicet naturalis, & ſupernaturalis, quæ duæ dilectiones eſſentialiter inter ſe diſtinguuntur, vt ex infrà dicendis patebit.

3. Quibus præmiſſis ſit concluſio. Formale obiectum charitatis, de qua diſputamus, eſt Deus quatenus eſt bonus in ſe, bonitate pertinente ad ordinem ſupernaturalium rerum, vel bonitate qua Deus principium eſt bonorum ſupernaturalium. Ita D. Thom. in hoc loco, quem ſequuntur communiter interpretes. Quòd formale obiectum debeat eſſe bonitas abſoluta, qua Deus eſt bonus in ſe, conſtat manifeſtè, quia quandocumque aliquis diligitur propter ſe, ratio formalis obiectiua debet eſſe bonitas illa, qua perſona quæ diligitur apprehenditur bona in ſe: dilectio autem charitatis formaliter eſt dilectio Dei propter ſe: ergo ratio formalis obiectiua illius, debet eſſe diuina bonitas abſolutè conſiderata, quatenus illa Deus eſt bonus in ſe. Quod verò ad conſtituendum integrè obiectum formale huius virtutis infuſæ & ſupernaturalis, addendus ſit ille reſpectus, quo diuina bonitas pertinet ad ordinem ſupernaturalem rerum, docet idem D. Thom. & ratio eſt, quia niſi diuina bonitas conſideretur ſecundùm illum altiorem gradum, quo pertinet ad ordinem rerum ſupernaturalium, ſicut principium, & finis illarum, ſed ſolùm conſideretur vt Deus eſt auctor naturæ, eſſe poteſt obiectum dilectionis naturalis in ſubſtantia: ergo vt conſtituatur integrum obiectum formale huius virtutis, aſſerendum eſt eſſe diuinam bonitatem, quatenus pertinet ad ordinem ſupernaturalium rerum.

Obiicies primò ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 6. vbi numerantur diſpoſitiones ad iuſtificationem, & inter illas aſſignatur dilectio Dei, qua homo diligit Deum vt fontem iuſtitiæ; ſed illa dilectio eſt charitatis

charitatis theologicæ : ergo charitas theologica ex Trident. habet pro obiecto Deum vt fontem iustitiæ, ac proinde Deum, vt bonum nostrum est. Respondetur negando minorem. nam ibi non est sermo de perfecta Dei dilectione theologica, vt rectè Vazquez 1.2.disput.203. cap.9. Sed tantùm loquitur Concilium de imperfecto quodam amore, & ideo dixit, incipiunt diligere, quasi sit principium quoddam dilectionis, & imperfecta dilectio. Sed quidquid de hoc sit, adhuc Deus vt fons iustitiæ, potest considerari in se absolutè, & ita diligi, ac proinde vera charitate theologica.

5. Obiicies secundò ex August. 1. Soliloqui. cap. 6. vbi docet, charitatem esse necessariam ad desiderandum diuinum aspectum, quod videtur pertinere ad amorem concupiscentiæ, quo amamus beatitudinem vt bonum nostrum. Hoc tamen parum vrget, quia etiam beatitudinem nostram possumus diligere propter Deum ipsum, & bonum ipsius, & ex complacentia ipsius Dei, qui est nostra beatitudo obiectiua, qua ratione ea dilectio est vera charitas theologica.

6. Sed maior difficultas est, an non solùm dilectio actualis sit creatum quid, nempe hominis operatio, sed etiam sit aliud principium habituale & permanens creatum, quod prædictæ dilectionis principium sit, & intelligatur nomine charitatis. In qua re fuit sententia Magistri in 1. dist. 17. & in 3. dist. 27. asserentis. Cùm Spiritus sanctus actiones honestas fidei & spei efficiat mediantibus virtutibus, dilectionem tamen erga Deum in nobis efficere per se ipsum, nulla alia mediante virtute; ac proinde ipsum esse charitatem per quam diligimus Deum propter se, & proximos propter Deum. Cuius fundamentum præcipuum est, testimonium illud Ioann. epist. 1. cap. 4. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* quem locum versans August. 8. de Trinit dicit, *quod dilectio qua diligimus Deum, non tantùm est ex Deo, sed etiam Deus ipse.* Et addit, hoc esse discrimen inter charitatem & alias virtutes, quòd aliæ virtutes sunt à Deo causaliter, charitas autem est Deus ipse; non secus ac Deus dicitur spiritus, & substantia.

1. Ioan 4.

August.

7. Hæc tamen sententia communiter reiicitur ab omnibus Theologis. Atque ita omnino dicendum est, præter actualem dilectionem Dei, esse in hominibus iustis charitatem permanentem, quæ sit principium dilectionis actualis. Et probatur primò ex Clementina vnica, de summa Trinitate, in qua approbatur sententia quæ asserit, in Baptismo infundi paruulis gratiam & virtutes, inter quas numeratur charitas, quæ tamen in paruulis non potest esse dilectio actualis: ergo esse debet aliud donum permanens, quod sine actu esse possit. Secundò probatur ex Trident. sess. 6. cap. 7. vbi diffinitur, *in ipsa iustificatione cum remissione peccatorum, simul infusa accipi fidem, spem, & charitatem, quæ inhæreat in cordibus eorum, qui iustificantur.* Vnde constat hæc verba esse intelligenda de charitate quæ sit forma creata, & quæ possit in anima inhærere. Constat præterea ea verba esse intelligenda non de actibus, sed de aliis donis, quæ cum remissione peccatorum conferantur. Deinde in eadem sess. Can. 11. diffinitur, *homines non iustificari per solam remissionem peccatorum, exclusa gratia, & charitate, quæ in illorum cordibus diffundatur, & inhæreat.* quæ diffinitio etiam habet locum in iustificatione quæ in baptismo adulti fieri potest per attritionem sine actu charitatis: ergo præter actum charitatis est aliud donum, quod nomine charitatis significatur, & in omni iustificatione infundatur.

Trident.

8. Vltimò eadem veritas probatur ex verbis Pauli, quibus Concilium vsum est; ait enim Paulus: *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis,* per quæ verba, vt rectè Augustinus, lib. de spiritu & litera, cap. 32. non potest intelligi sola increata charitas, qua Deus diligit nos, & quæ est ipse Deus, & Spiritus sanctus. Agit enim Apostolus de charitate, quæ diffundatur per Spiritum sanctum: ac proinde quæ ipse Spiritus sanctus non sit, sed potiùs creata forma, qua, vt Augustinus loquitur, Deus facit iustos dilectores. Quòd verò non possint ea verba intelligi de sola charitate, quæ est actus diligendi Deum, sed de aliquo alio dono, quod non efficiat nostra voluntas, sed à Deo recipiat, constat manifestè ex illo verbo *diffunditur*; tunc enim aliquid infundi dicitur, quando ab aliquo extrinseco prouenit in aliud, quod non agendo, sed recipiendo concurrat: neque enim potentia intellectiua dicitur in se infundere actus, quos producit in se: at verò actus diligendi Deum, non solùm prouenit actiuè ab humana voluntate, sicut à principio physicè agente, sed etiam sicut à principio morali & libero, quare non concurrit solùm recipiendo: ergo huiusmodi actus non propriè infunditur à Deo, saltem quatenus liber esse intelligitur. At Paulus manifestè supponit esse charitatem, quæ infunditur à Deo in cordibus eorum qui iustificantur, sicut pignus securissimum nostræ spei, quæ propter firmitatem huius pignoris, non potest nos confundere: ergo significauit in iustificatione infundi à Deo aliquod donum diuersum ab actuali dilectione. Consentiunt præterea Patres, dum sæpissimè charitatem numerant inter virtutes; constat autem lumine naturali, per virtutem non intelligi actionem honestam, sed qualitatem habitualem, cuius actionis sit principium: ergo ex sententia Patrum, præter actionem diligendi Deum, concedenda est virtus charitatis infusa, per quam voluntas nostra efficiat actionem supernaturalem diligendi Deum.

Rom. 5.

9. Ad testimonium sancti Ioannis, ex quo Magister argumentabatur, respondetur, in illis verbis exprimi duas distinctas laudes charitatis, quarum prima est, quod ratio charitatis nullam inuoluat imperfectionem: sicut eam includunt fides, & spes, & propterea charitas in Deo esse potest, & Deus est charitas: sicut est sapientia, omnipotentia, &c. Cùm tamen non sit fides, aut spes. Secunda laus charitatis est, quòd hominem efficit iustum, & Deo dilectum; ac proinde qui manet in charitate, in Deo manet. Illa ergo verba Ioannis, *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet*; non intelliguntur de eadem charitate: sed illa ptiora *Deus charitas est*, intelligenda sunt de increata charitate, qua Deus diligit se. Illa verò posteriora, *qui manet in charitate, in Deo manet*, intelligenda sunt de creata charitate, quæ per Spiritum sanctum infunditur, & accidentalis forma est. Vt enim sapienter Bernardus epistol. 11. & tractatu de diligendo Deum circa finem: *Charitas Dei substantialis, nobis accidentalem præstat charitatem.* Et hac etiam ratione exponendus est D. Augustinus.

1. Ioan 4.

Bernard.

***

Sectio II.

An charitas ſit propriè hominis amicitia erga Deum.

10. CONcluſio D.Thomæ eſt affirmatiua. Difficultas tamen eſt, an ſit accipienda in ſenſu proprio, ita vt charitas non metaphoricè, ſed propriè & realiter ſit amicitia hominis erga Deum. Et ratio dubitandi eſt primò, quia amicitia non reperitur propriè niſi inter æquales, quin potiùs ſecundùm Ariſtot. 8. Ethicorum cap. 5. & 6. ipſa amicitia eſt æqualitas; ſed inter Deum & nos nulla eſt prorſus ratio æqualitatis: ergo nulla eſt ratio amicitiæ. Secundò, quia amicitia conſiſtit in quadam redamatione, & mutua beneuolentia, per quam amici mutuo ſe diligant propter ſe, & non propter proprium commodum diligentis: atque hæc mutua beneuolentia eſſe non poteſt inter homines & Deum, quia homines poſſunt diligere Deum propter increatam bonitatem, qua in ſe bonus eſt: Deus autem non poteſt diligere homines propter creatam bonitatem, qua illi boni ſunt; Deus enim omnia diligit propter ſe ipſum: ergo inter homines & Deum, non poteſt eſſe illa mutua beneuolentia, quæ eſt de ratione perfectæ amicitiæ. Confirmatur, quia Deus dilexit nos ab æterno, nobis illum non redamantibus; & Paulus ad Roman. 5. ait: Rom. 5. *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quia cùm adhuc inimici eſſemus*, &c. Ecce Deus dicitur habere charitatem commendabilem erga omnes, adhuc ſibi inimicos: ergo charitas non includit mutuam beneuolentiam, quæ requiritur ad rationem amicitiæ. Tertiò, quia, vt docuit Ariſtot. eodem loco, amicitia debet eſſe mutua beneuolentia, quæ non lateat illos inter quos eſt; ait enim cap. 10. Ariſtot. *Amicitia eſt amor non latens*. beneuolentia autem Dei erga hominem, omnino latet hominem. Eccleſiaſt. 9. Eccl 9. *Nemo ſcit, an odio, vel amore dignus ſit*; ergo amor ille diuinus non eſt amicitia. Quartò ad amicitiam neceſſaria eſt communicatio bonorum: Pſalm. 15. Pſalm. autem 15. dicitur: *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. & expreſſiùs Pſalm. 49. Pſalm. 49. *Si eſuriero non dicam tibi, meus enim eſt orbis terræ*. Quintò amicitia, ſecundùm Ariſtot. 8. Ethic. cap. 6. non poteſt diu durare ad plures: ſed charitas eſt amor erga omnes; ergo non eſt amicitia. Sextò denique, quia amicitia eſt relatio realis, nam, vt ait D. Thom. art. 1. in corpore: *amicus eſt amico amicus*. D. Thom. Sed nulla eſt relatio realis in Deo ad creaturas: ergo inter homines & Deum non ſunt illæ conditiones, quæ ſunt neceſſariæ ad rationem propriæ amicitiæ.

11. His tamen non obſtantibus, vera & tenenda eſt ſententia D. Thomæ, inter homines iuſtos & Deum, eſſe veram amicitiam, eamque poſitam eſſe ex parte hominum in virtute charitatis, per quam diligunt Deum propter ſe ipſum. Probatur præcipuè ex illo Ioann. 15. Ioann. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis quæ præcipio vobis*; *& iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos*. Vbi planè ſignificatur, non ſolùm eſſe erga Deum impropriam amicitiam, quæ per ſeruitutem, & obedientiam erga Deum ſignificari poſſet; ſed etiam eſſe altiorem aliam amicitiam, quæ ſuper ſeruitutem & obedientiam ſit. Vnde Chriſtus Ibid. ait: *Vos autem dixi amicos, quia ſeruus neſcit quid faciet dominus eius*. Et D. Iacobus cap. 2. loquens de Iacob 2. Abraham, inquit: *Reputatum eſt illi ad iuſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt*. & Sapientiæ 7. Sapient. 7. *Infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei*. Deinde, quia in Trident. ſeſſ. 6. diffinitur iuſtificatio, *Renouatio interioris hominis: vnde homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus*. Trident. Quando autem teſtimonia ſacræ Scripturæ & Conciliorum commodè poſſunt cum proprietate intelligi, cum proprietate etiam intelligenda ſunt.

12. Secundò idem probatur, quia Ariſtot. eodem lib. 8. Ethic. cap. 10. manifeſtè aſſerit: *Filiorum ad parentes, & hominum ad Deum, eſſe amicitiam, ſicut ad aliquid excellens*. & lib. 10. cap. 8. concludit: *Sapientes, quorum ſapientia etiam extenditur ad vitam beatam, eſſe Dijs amiciſſimos. Nam ſi Dij*, inquit, *curam rerum habent: rationi conſentaneum erit ipſos congaudere quod eſt optimum*. Ariſtot. Ratio verò à priori ſumitur à conditionibus quæ requiruntur ad eſſentiam amicitiæ, quæ manifeſtè conueniunt charitati, quæ eſt hominum ad Deum, præſertim ſi ea perfecta & conſummata ſit, qualis eſt in beatis. Eſt enim charitas propriè amor beneuolentiæ erga Deum, cui amori ſi in homine ſit, certiſſimum etiam eſt reamorem Dei erga homines, iuxta illud Prouerb. 8. Prouerb. 8. *Ego diligentes me diligo*; ſicut ipſe promiſit Ioan. 15. Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis ſi feceritis quæ præcipio vobis*. Ex quo etiam teſtimonio probatur, hanc mutuam beneuolentiam, non eſſe occultam, nec latere: quia non ſolùm Deo nota eſt noſtra beneuolentia, ſed etiam nobis, ex ipſius teſtimonio per fidem cognita eſt beneuolentia erga dilectores ipſius; quare homo ita certus eſſe poteſt de diuina dilectione erga ipſum, ſicut de ſua erga Deum dilectione certus eſt, quæ cognitio ſatis eſſe videtur ad rationem amicitiæ. Præterea, quia etiam inter Deum & homines, eſt aliqua bonorum communicatio; ea ratione, qua ab homine præſtari & communicari poſſit: homo enim iuſtus obedientiam & cultum Deo præſtat, ab illo autem accipit in hac quidem vita, dona neceſſaria ad comparandam beatitudinem, & in fine vitæ felicitatem æternam.

13. Vt verò meliùs cognoſcatur ratio amicitiæ quæ erga Deum eſſe poteſt, notandum eſt ex Ariſtot. 8. Ethicorum cap. 7. præter amicitiam quæ inter æquales eſſe poteſt, eſſe aliud genus amicitiæ inter inæquales, in quo amicitiæ genere, vt docet ipſemet Philoſophus, diuerſæ eſſe poſſunt ſpecies amicitiæ, pro diuerſitate excellentiæ & inæqualitatis, quæ eſſe poteſt inter eos, qui mutuo ſe diligunt. Vt autem colligitur ex eodem capite, & ex cap. 10. inter Deum amicitia ſecundùm excellentiam, habet annexam aliquam æqualitatem, ſaltèm ſecundùm proportionem, ſecundùm quam amici pro dignitate debeant diligere & bona conferre, quod debitum reperiri poteſt inter eos, qui inæquales ſunt, dummodo ille, qui inferior eſt, non acceperit eſſe ſubſtantiale à ſuperiori: quando enim hoc contingit, in ſuperiori non poteſt eſſe ſimile debitum. nam propter beneficium iam collatum videtur liber eſſe à qualibet amicitiæ obligatione. Aliud ergo eſt genus amicitiæ, quod non habet annexam illam debiti æqualitatem, qualis eſt amicitia filiorum ad parentes, & creaturarum ad Deum: parentes enim & Deus, non poſſunt obligari propter opera beneuolentiæ filiorum, aut creaturarum. nam per beneficium productionis cenſentur ſatisfeciſſe pro omnibus aliis operibus beneuolentiæ. Ex quibus

14. Reſpondetur ad primam rationem dubitandi, æqualitatem non eſſe de eſſentia omnis amicitiæ. nam in genere amicitiæ ſecundùm excellentiam, poteſt

poteſt intelligi perfecta amicitia ſine vlla æqualitatis obligatione. Quod verò dixit Ariſtot. creaturarum ad Deum non eſſe amicitiam ratione excellentiæ, intelligendum eſt de illa amicitia, quæ habet obligationem alicuius æqualitatis, aut proportionis: non verò de amicitia ſupereminentiæ, vt etiam fatetur ipſe Ariſtot. cap. 7. & 12.

15. Ad ſecundam reſpondetur, inter eas quidem perſonas, quarum neutra eſſentialiter eſt propter alteram, beneuolentiam perfectæ amicitiæ eſſe debere, propter bonitatem qua ille qui diligitur, bonus eſt: quando verò perſona quæ diligitur eſſentialiter eſt propter diligentem, ſicut omnes creaturæ ſunt propter Deum, rationabilem amicitiam non poſtulare beneuolentiam per quam propter ſe diligatur perſona, quæ eſſentialiter ad alteram ordinata eſt; ſed potiùs rationem poſtulare, vt ea perſona diligatur, ea ratione qua ab altera diligibilis eſt: homines autem cùm ſint eſſentialiter propter Deum, propter eumdem diliguntur modo perfectiſſimo; & ideo dilectio hominum propter Deum ſufficiens eſt ad conſtituendam rationem amicitiæ. Ad confirmationem, amorem quo Deus ab æterno nos dilexit, non habuiſſe rationem amicitiæ, ſed tantùm beneuolentiæ; amicitia enim conſiſtit in amore mutuo; petit enim eſſentialiter redamationem.

16. Ad tertiam reſpondetur, licèt in hac vita nullus poſſit certò cognoſcere an à Deo diligatur, tamen in patria illud eſſe manifeſtiſſimum beatis; quare ſaltem in patria quando charitas erit perfecta, habebit propriam rationem amicitiæ. Præterea ſi non omnino certò, ſaltem rationabiliter & prudenter, ſæpe poſſunt iuſti iudicare ſe à Deo diligi, quæ prudens exiſtimatio ſatis eſt ad rationem virtutis. nam etiam inter homines mutua beneuolentia interior conſtare euidenter non poteſt, & nihilominus propria inter eos reperitur amicitia. Itaque prudens exiſtimatio de alterius beneuolentia, ſatis eſt ad rationem amicitiæ quantum eſt ex parte illius conditionis, cognitionis ſcilicet beneuolentiæ, quæ ad amicitiam neceſſaria eſt.

17. Ad quartam reſpondetur, in amicitia inter Deum & homines, eſſe ſeu reperiri communicationem neceſſariam, & ſufficientem ad veram rationem amicitiæ. nam quamuis hæc non reperiatur inter nudam naturam hominis, & diuinam naturam; reperitur tamen inter homines per gratiam eleuatos ad ordinem diuinum, qua ratione iam ſunt diuinæ conſortes naturæ, & participes eiuſdem ſtatus, ſiue conditionis, ac beatitudinis, & habet homo cum Deo quamdam vnionem, ſitque filius & hæres ipſius, & particeps eiuſdem beatitudinis. Neque huic amicitiæ deeſt mutua beneficiorum collatio. nam quamuis homines non poſſint conferre beneficia in Deum, tamen quoad poſſunt præbent ei laudem, honorem, & gloriam.

18. Ad quintam reſpondetur, quòd amicitia quæ eſt charitas, habet vnicum amabile de ſe, ſcilicet, Deum, ratione cuius extendit ſe ad plures, vt docet D. Thom. in ſolut. ad 2. & 3.

Ad ſextam, quòd etiamſi concedamus, amicitiam eſſe relationem realem in creatura erga Deum, non inde rectè infertur eſſe etiam realem relationem in Deum erga creaturam.

Eſt tamen obſeruandum, cùm charitas ſit beneuolentia circa Deum propter ſe, & præterea amicitia circa eumdem, diuerſiſſimè hæc duo de charitate dici. nam eſſe beneuolentiam Dei propter ſe, conuenit eſſentialiter charitati in primo modo dicendi per ſe; hoc enim modo cuilibet actioni conuenit reſpectus ad ſuum obiectum formale: eſſe verò amicitiam, non poteſt charitati eſſentialiter conuenire, quia ad rationem amicitiæ neceſſaria eſt beneuolentia, etiam in altera perſona quæ diligitur, quod non poteſt eſſe charitati eſſentiale, & ideo ratio completa amicitiæ conſequenter ſe habet ad rationem charitatis. Propter eamdem rationem amicitia vt amicitia, formaliter loquendo, non poteſt eſſe virtus, quamuis virtutem beneuolentiæ præſupponat: quia, vt noſtra beneuolentia ſit virtus, non pendet à voluntate alterius redamantis: quòd verò ſit amicitia, pendet à beneuolentia alterius; quare illud quod addit amicitia ſuper rationem beneuolentiæ, non poteſt pertinere ad formalem rationem virtutis. Iuxta quam differentiam faciliùs intelligitur, quomodo actus dilectionis non repugnet formaliter cum peccato habituali per quod homo eſt inimicus, quia ratio amicitiæ non eſt eſſentialis actui charitatis, ſed conſequenter ex illo oritur ex Dei beneplacito, qui præſuppoſita dilectione ex parte hominis, infundit gratiam ſanctificantem, qua homo à peccato mundatur, & efficitur Deo dilectus; ac proinde completè amicus, ea amicitia quæ inuoluit beneuolentiam mutuam ex parte Dei, & hominis.

SECTIO III.

An charitas ſit vna ſpecialis virtus.

PRima concluſio. Charitas vera virtus eſt, ita D. Thom. art. 3. quod efficaciter probatur ex diffinitione virtutis, quæ pertinet ad rectitudinem & honeſtatem morum. Hæc enim virtus eſt habitus à quo bonus efficitur homo, & quo homo ſuum opus bene efficit, vt Ariſtot. definit lib. 2. Ethicorum cap. 6. Simili ratione Auguſt. lib. 83. quæſt. q. 29. & 4. contra Iulian. cap. 3. rectiſſimè ait virtutem diffiniſſe ille qui dixit: Virtus eſt habitus naturæ & rationi conſentaneus; habitus verò charitatis ſine dubio eſt habitus bene operandi: ergo eſſentialiter eſt virtus. Imò charitas in hoc differt à reliquis virtutibus, præſertim fidei, & ſpei, quòd hæ virtutes eſſentiam virtutis habere poſſunt ſine illa perfectione, quam habent in ſtatu gratiæ, ſcilicet operandi meritoriè. At charitas quia neceſſariò connexa eſt cum gratia, eſſe non poteſt ſine eſſentia, nec ſine ſtatu virtutis, per quem ſcilicet poſſit operari meritoriè ad vitam æternam. 20.

Secunda concluſio. Charitas eſt vna ſpecialis virtus à reliquis diuerſa. Probat D. Thomas art. 4. quia diſtinctio & vnitas habitus ſumenda eſt ab obiecto formali; obiectum autem formale amoris eſt bonum vt bonum, & ideo inquit ſanctus Doctor, vbi eſt ſpecialis ratio boni, neceſſariò eſt ſpecialis amor, & ſpecialis virtus: bonum enim diuinum, cuius amor eſt charitas, ſpeciale quoddam bonum eſt: ergo charitas ſpecialis eſt virtus. Quod verò ait D. Thom. Deum prout eſt beatitudinis obiectum, eſſe ſpeciale obiectum charitatis, non ſignificat Deum prout eſt bonus nobis in quantum eſt noſtra beatitudo, eſſe obiectum charitatis: ille enim amor Dei non pertinet ad amorem amicitiæ Dei propter ſe, qualis eſt charitas, ſed ad inferiorem amorem concupiſcentiæ, prout diximus tractatu præcedenti. Significat ergo D. Thomas, Deum prout eſt bonus in ſe, ea bonitate quæ in ipſo præſupponitur vt ſit fons beatitudinis ſupernaturalis, 21.

naturalis, esse speciale obiectum formale charitatis theologicæ de qua disputamus.

22. Obiicies primò, quia charitas non habet vnum tantùm obiectum formale. nam licèt per illam diligatur Deus propter se, nihilominus tamen in Deo apprehendi possunt plures perfectiones ratione diuersæ, propter quas Deus diligatur, scilicet misericordia, iustitia, veracitas, sapientia, & aliæ similes: distinctio autem harum perfectionum videtur esse satis ad diuersitatem essentialem plurium charitatum: sicut similis distinctio rationis ex parte bonitatis diuinæ sufficit ad essentialem distinctionem charitatis, & spei. Respondetur, illam diuersitatem diuinarum perfectionum secundùm suas proprias rationes, non sufficere ad distinctionem plurium charitatum, quia omnes conueniunt in vna ratione increatæ bonitatis, qua Deus est bonus in se, secundùm quam rationem respiciuntur à charitate: sicut enim per hanc virtutem amatur Deus propter perfectionem essentialem, qua in se bonus est in quantum Deus: ita per eamdem diligitur Deus præcisè bonus in se bonitate iustitiæ, aut misericordiæ, dummodo hæc attributa considerentur quatenus per illa Deus est bonus in se; vel quatenus ex illis integratur vna ratio summi boni & perfecti, per quam Deus in se est summè perfectus, & summum bonum.

23. Obiicies secundò, quia amicitia non est specialiter virtus, vt tradit Aristot. 16. Ethicorum cap. 1. vbi ait, amicitiam non esse sine virtutem: sed charitas est quædam amicitia hominis erga Deum; ergo non est specialis virtus. Respondetur, amicitiam prout amicitia est, secundùm id quod addit supra beneuolentiam alterius, non esse specialem virtutem: nihilominus beneuolentiam erga alterum propter honestam rationem diligendi, specialem esse virtutem; atque hoc modo charitatem non quidem, formaliter loquendo, prout amicitia est, sed quatenus beneuolentia erga Deum propter se, esse specialem virtutem.

24. 1. Cor. 13. Obiicies tertiò. Nam, iuxta Apostolum 1. ad Corinth. 13. *Charitas credit, sperat, suffert.* & iuxta eumdem in alio loco, *est plenitudo legis*: ergo non est peculiaris virtus, sed quoddam aggregatum ex omnibus virtutibus: sicut iustitia aliquando accipitur pro omnium virtutum aggregatione. Respondetur, charitatem credere & sperare, non immediatè efficiendo huiusmodi actiones, sed imperando, & mediatè; & ideo esse specialem virtutem ad eliciendum actum amoris erga Deum, & ad imperandos actus aliarum virtutum, ea ratione qua sint grati Deo, & meritoriæ. Vbi notanda est differentia inter actus internos, & externos virtutum quæ à charitate diuersi sunt. nam charitas non potest efficere actus aliarum virtutum inter nos sine interuentu aliarum virtutum, illi enim actus non constant sine propriis obiectis, circa quæ charitas formaliter non potest versari: at verò actus externos mediante virtute executiua efficere potest sine aliis virtutibus. v. g. actum externum adorandi Deum, vel erogandi eleemosynam pauperi, ea ratione qua huiusmodi actus externi apprehenduntur quatenus sunt grati Deo: quando enim huiusmodi actus efficiuntur solùm ex illo intuitu, & non propter peculiarem rationem honesti, quam in se habent, non efficiuntur per voluntatem particularium virtutum ad quas per se pertinent, sed per voluntatem elicitam à charitate, id est, per solam placendi Deo intentionem.

SECTIO IV.

An charitas sit excellentissima virtutum.

CHaritas potest comparari cum aliis virtutibus theologicis, scilicet fide, & spe, & cum virtutibus moralibus, quæ non versantur circa Deum. Hæc autem comparatio dupliciter esse potest, vel in honestate, & bonitate morali, quæ est fundamentum laudis, & meriti apud Deum: vel secundò in esse naturæ, id est, in perfectione essentiali, quam charitas habet in genere qualitatis. 25.

Prima conclusio. Si fiat comparatio charitatis cum virtutibus non theologicis, longè præstantior est tam in genere moris, quàm in esse qualitatis. Prior pars probatur 1. ad Corinth. 12. vbi Paulus postquam locutus est de aliis virtutibus, ait: *Excellentiorem viam vobis demonstro*, id est, charitatem, de qua statim loquitur. & ad Colossens. 3. *Super omnia autem hæc charitatem habete*. Posterior etiam pars est manifesta, quia proprium ipsius obiectum est infinita Dei bonitas & perfectio; cùm tamen illarum virtutum quæ theologicæ non sunt, formale obiectum sit aliquid creatum. 26. 1. Cor. 12. Coloss. 3.

Secunda conclusio. Si comparatio fiat inter charitatem & alias virtutes theologicas, similiter vtroque modo charitas præstantior est, tam in genere moris, quàm in perfectione essentiali. Et prior pars ab omnibus admittitur. nam in bonitate & honestate, quæ est fundamentum moris & meriti, aliæ virtutes theologicæ participant, & accipiunt honestatem moralem à charitate, & ideò Paulus 1. ad Corinth. 13. enumeratis fide, spe, & charitate, apertè asserit, charitatem esse maiorem. Quod verò in genere naturæ charitas sit perfectior quàm spes, patet manifesta ratione. nam hæ duæ virtutes quamuis ex parte potentiæ sint æquales, siquidem pertinent ad voluntatem. Ex parte verò obiecti formalis sine dubio charitas excedit. nam licèt vtraque versetur immediatè circa Deum, charitas tamen illum respicit secundùm omnem eius perfectionem, hoc est, quatenus est summum bonum, & summè perfectus, perfectione integrata ex omnibus perfectionibus simplicibus, id est, quæ nullam inuoluunt imperfectionem admixtam: spes verò solùm respicit Deum quatenus est bonus nobis, qui quidem non potest esse bonus nobis, modo tam præstanti, quàm est modus in se: ergo etiam in perfectione essentiali, charitas est maior, quàm spes. 27.

Difficultas tamen est, si hæc comparatio fiat charitatis cum virtute fidei, non quidem in bonitate morali, sed in essentiali perfectione, quam hæ virtutes habent in genere qualitatis, & habitus. Nonnulli Recentiores arbitrantur in hac perfectione charitatem esse minus perfectam, quia species generis superioris, perfectiores sunt, quàm species generis inferioris; sed charitas species quædam est operationis voluntatis: voluntas autem est genus minus perfectum, quàm intellectus, sub quo continetur fides: ergo charitas minus perfecta est, quàm cognitio fidei. Maior probatur, quia differentiæ quæ contrahendo genus speciem constituunt, contineri debent in latitudine rationis genericæ: at differentiæ quæ continentur in latitudine generis inferioris, non possunt esse perfectiores, quàm differentiæ generis superioris: ergo species quæ ex huiusmodi differentiis constant, & habent essentialem perfectionem, non possunt esse perfectiores, quàm species quæ constituuntur per differentias 28.

differentias generis perfectioris : ergo charitas quæ ſpecies eſt generis minus perfecti, imperfectior ex natura ſua eſt, quàm cognitio fidei quæ ſub genere perfectiori continetur.

29. Dicendum tamen eſt, charitatem etiam in genere & in eſſentiali perfectione, præſtantiorem eſſe quam fidem. ita D. Thom. art. 2. & 12. & quæſt. 66. art. 6. vbi ait : *Eorum quæ ſunt infra nos, cognitionem eſſe perfectiorem, quàm dilectionem : eorum verò, quæ ſunt ſupra nos, dilectionem eſſe perfectiorem, quàm eorumdem cognitionem : atque hoc modo ex parte noſtri dilectionem Dei, eſſe magis perfectam, quàm eius cognitionem.* Quæ verba D. Thomæ ſunt neceſſariò intelligenda de eſſentiali perfectione, non verò de ſola bonitate morali : ſi enim de hac loquamur, dilectio plurium rerum quæ ſunt infra nos, ſcilicet omnium obiectorum virtutum, eſt perfectior in genere moris, quàm earum cognitio : ergo ſententia D. Thomæ intelligenda neceſſariò eſt de eſſentiali perfectione in genere naturæ. Et probari ſolet ex Paulo, & ſanctis Patribus, qui docent charitatem eſſe præſtantiorem virtutem, & maximum donorum quæ Deus confert. Huiuſmodi tamen teſtimonia facilè poſſunt exponi de maiori perfectione charitatis in genere moralis perfectionis, & meriti. Quando enim Patres tractant de excellentia charitatis, magis conſiderant, quid præſtet charitas perfectioni vitæ Chriſtianæ, quàm quantum excedat in perfectione eſſentiali, de qua illi non multum curant. Ratione tamen petita ex formali obiecto huius virtutis demonſtrari poteſt noſtrum dictum ; quia in his omnibus operibus, eſſentialis perfectio ſumenda eſt ex proprio & formali earum obiecto, & modo quo reſpiciunt obiecta ſua : at verò obiectum virtutis charitatis formaliter eſt præſtantius, quàm formale obiectum fidei ; obiectum enim formale charitatis eſt infinita perfectio qua Deus eſt bonus in ſe, ita vt in illo includantur omnes perfectiones, ex quibus integratur ſumma, & abſoluta perfectio Dei in ſe : obiectum verò formale fidei ſolum eſt veritas prima ea ratione, qua Dei ſapientiam & veracitatem amplectitur, non includendo formaliter alias Dei perfectiones, quæ tamen includuntur in bonitate qua Deus eſt bonus in ſe, propter quam diligitur per charitatem : ergo formale obiectum charitatis præſtantius eſt, formaliter loquendo, quàm obiectum formale fidei.

30. Simili ratione probari poteſt id quod ſuprà dicebamus, virtutem ſpei eſſe minus perfectam, quàm fidem in eſſentiali perfectione. nam virtus quæ innititur in aliqua diuina perfectione vt eſt in ſe, id eſt, ſine limitatione quæ ex parte creaturarum ſumatur, perfectior eſt illa cuius obiectum eſt Deus prout eſt bonus nobis : obiectum autem fidei eſt prima veritas ſecundùm ſe, & ſecundùm rationem infinitatis, qua in ſe eſt prima veritas, & infinita ſapientia : obiectum verò ſpei ſolùm eſt Deus vt eſt bonum noſtrum, ac proinde prout à nobis poteſt poſſideri, & non altiori modo : ergo ſpes minus perfecta eſt quàm fides. Minor ſola explicatione conſtat, quia fides ea ratione innititur in Dei ſapientia, quòd Deus in nulla re falli poſſit : ſed potiùs omnium habeat comprehenſiuam cognitionem, quod ſapientiæ attributum eſt omnium præſtantiſſimum quæ naturæ intellectuali poſſunt conuenire. At obiectum ſpei, etſi dicatur includere omnes diuinas perfectiones, illas tamen includit cum hac limitatione, vt per illas Deus nobis poſſit eſſe bonus, vel à nobis poſſideri, quæ ratio facit obiectum ſpei eſſe magis limitatum quàm obiectum fidei, & ideo impedit quominus virtus ſpei ab hoc obiecto tantam habeat perfectionem, quantam habet virtus fidei, quamuis ex alia parte fides pertineat ad præſtantiorem potentiam : ergo probabilius eſt illam eſſe perfectiorem in eſſe naturæ, licèt in bonitate morali præſtantior ſit virtus ſpei, quia habet ſuum meritum ex libertate, quæ eſt in ipſo actu ſperandi.

31. Si denique conſideremus modum, quo fides & charitas tendunt in ſua obiecta, non eſt præſtantior in fide, quàm in charitate, licèt enim fides ſit cognitio certa, eſt tamen obſcura, & caret perfectione euidentiæ, ex qua maximè ſumitur eſſentialis perfectio cognitionis. Quòd verò contineatur in genere intellectionis, quæ formaliter loquendo eſt perfectior, quàm genus volitionis abſtractè à ſuis ſpeciebus, id non eſt ſatis vt dicamus fidem eſſe præſtantiorem : aliàs ſimiliter dicendum eſſet actus opinionum, vel errorum, quia cognitiones ſunt in genere naturæ, eſſe præſtantiores quàm actus charitatis, quod eſt omnino improbabile. Imò ſequeretur etiam cognitionem ſenſitiuam corpoream, eſſe eſſentialiter perfectiorem charitate, quia continetur ſub genere cognitionis, quæ, formaliter loquendo, præſtantior eſt quàm genus actus apperendi in communi, ſub quo genere continetur charitas : ergo non ſemper ſpecies generis præſtantioris ſunt magis perfectæ, quàm omnes ſpecies alterius generis minus perfecti.

32. Et ex his reſpondetur ad fundamentum contrariæ ſententiæ negando maiorem propoſitionem, & ad probationem illius dicimus, differentias contrahentes aliquod genus debere contineri in latitudine illius, & debere illi proportionari in ratione actus & potentiæ, contrahentis & contrahibilis : fieri tamen poſſe vt perfectio actualis & eſſentialis differentiæ, maior ſit quàm perfectio formalis generis, & hac ratione poſſe contingere ex maiori perfectione differentiæ, vt ſpecies contenta ſub genere minus perfecto, perfectior ſit quàm aliqua ſpecies quæ continetur ſub genere magis perfecto.

Sectio V.

An & quomodo charitas ſit forma virtutum.

33. HÆretici irrident Doctores ſcholaſticos, eo quòd charitatem appellent formam virtutum : immeritò tamen, id enim non ex proprio cerebro faciunt, ſed ex communi vſu ſacræ Scripturæ, & ſanctorum Patrum paſſim aſſerentium, charitatem eſſe vitam animæ, & ſine charitate nihil boni ſimpliciter eſſe in nobis. nam 1. Ioann. 3. dicitur, *Qui non diligit, manet in morte.* & cap. 4. 1. Ioan. 3. *Qui manet in charitate, in Deo manet.* quaſi dicat, Idem cap. 4. quòd per charitatem habemus eſſe diuinum, ſicut per animam eſſe humanum. & Iacobi 2. *Sicut corpus ſine anima mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt.* Iacob 2. Vbi Apoſtolus loquitur de operibus charitatis, iuxta illud ad Galat. 5. *Fides quæ per dilectionem operatur.* Gal. 5. Vnde Auguſtinus lib. de cognit. veræ vitæ cap. 18. ait : *Quòd fides dilectione animatur, ſicut corpus anima viuificatur.* Iuxta quem modum loquendi Dionyſius cap. 2. de Eccleſiaſt. Hierarch. dicit : *Charitatem apoſtolicè formare habitus animæ noſtræ* Dionyſ. Bernardus ſermon. 2. de Reſurrect. *Fidem dilectione animari,* Bernard.

animari, & charitatem esse vitam fidei. & Gregorius
Gregor. homil. 27. in Euangel. *Virtutes nihil habere viriditatis, nisi maneant in radice charitatis.* Difficultas tamen est in explicando, quisnam sit effectus formalis quam charitas tribuit aliis virtutibus, an sit aliquid reale inhærens intrinsecè ipsis virtutibus & actibus earum: vel potiùs quid extrinsecum, seu denominatio extrinseca.

34. Nonnulli existimant, actus virtutum formaliter & expressè, procedentes ex imperio charitatis, habere ex illo imperio specialem modum essendi realem & intrinsecum, secundùm quem tendunt in proprium obiectum sub excellentiori modo, & ratione finis charitatis. Quem modum dicendi sic declarant, quòd quando quæritur an charitas sit forma virtutum, quæstio hæc non potest habere locum in ipsis habitibus virtutum vt præcisè sunt habitus virtutum; sic enim manifestum est ex informatione charitatis, & eius imperio, nihil reale & intrinsecum in ipsis habitibus virtutum; quia in suo esse non dependent à charitate, neque variantur in propria entitate ex consortio charitatis, sed solùm potest dici perfici aliquo modo intrinsecè ex parte subiecti, in quantum anima quæ est subiectum virtutis, perficitur, & meliùs disponitur per charitatem ad vtendum his habitibus: in ordine ad finem supernaturalem. Nec item quæstio procedit de actibus virtutum, qui solùm virtualiter & interpretatiuè imperantur à charitate, vt contingit quando quis retulit se & sua opera in Deum affectu charitatis, & postea nihil cogitans de Deo, nec de charitate, facit, v.g. opus temperantiæ, aut fortitudinis: hic enim actus censetur imperatus à charitate solùm virtualiter; & certum est non ordinari in Deum per aliquid reale & intrinsecum existens in illo, sed solùm per quamdam denominationem extrinsecam: quia quando talis actus producitur, charitas nihil operatur, aut efficit. Itaque quando dicitur charitatem esse formam virtutum, & virtutes habere specialem modum essendi realem, & intrinsecum ex imperio charitatis, solùm intelligitur de actibus virtutum qui formaliter & actualiter imperantur à charitate, vt contingit quando quis formaliter & expressè cogitans de fine charitatis, ex affectu illius mouetur ad eliciendum actum temperantiæ, vel fortitudinis. Probant hanc sententiam ex D. Thoma art. 1.
D. Thom. ad 3. vbi ait: *Charitatem informare effectiuè actus aliarum virtutum.* & appellat charitatem matrem illarum, in quantum ex appetitu finis concipit actus aliarum virtutum. Ex hoc tamen testimonio potiùs probatur oppositum, vt inferiùs ostendam. Deinde probant, quia actus temperantiæ, licèt sit elicitus ab appetitu sensitiuo, qui de se tantùm respicit bonum sensibile, tamen ex motione voluntatis & imperio prudentiæ habet, quòd realiter & intrinsecè ordinetur ad bonum rationis, quod per se & directè intenditur à prudentia: ergo similiter habitus in eodem appetitu sensitiuo existens, ex imperio charitatis habebit realiter & intrinsecè ordinari ad bonum diuinum supernaturale, quod per se respicitur à charitate. Et confirmatur, quia voluntas mouet realiter & physicè intellectum & appetitum sensitiuum ex parte principij, impellendo potentias & applicando eas ad sua obiecta; & per talem motionem causat in ipsis proprios actus & operationes, cum ordine reali & intrinseco ad propria obiecta: ergo similiter charitas quæ est in charitate, poterit mouere realiter & physicè, virtutes tam existentes in intellectu, quàm in appetitu, causando actus proprios ipsarum. Hæ tamen rationes nihil probant. nam imperium voluntatis in ordine ad potentias sibi subiectas, non consistit in aliqua qualitate physica & reali ipsis impressa, sed tantùm in subordinatione, vt prima parte sæpiùs explicatum manet.

Dicendum itaque est, informationem charitatis esse denominationem extrinsecam habitibus & actibus aliarum virtutum. Ita D. Thom. suprà quæst. 4. art. 3. ad 2. & quæst. 23. art. 8. ad 1. vbi docet, Virtutes non esse causam materialem charitatis. Vnde quando suprà docuit, informationem charitatis esse in genere causæ efficientis, non sentit à charitate effici aliquid in virtutes, sed quia ipsa, efficiendo suos actus, & imperando actus aliarum, dicitur quasi eas it formare, vt colligitur ex corpore articuli. Et probatur, quia charitas non informat physicè per se ipsam alias virtutes, quia non habet cum illis intrinsecam vnionem, sed solùm cum anima, aut voluntate: ergo non potest esse forma intrinseca illarum. Patet consequentia, quia omnis informatio est intrinseca formæ: ergo vbi informatio est intrinseca, ibidem etiam est intrinseca forma: ergo quamuis concedatur modus ille à charitate deriuatus, non potest esse informatio charitatis: ergo neque potest esse forma virtutum, quia illarum forma erit adæquatè solus ille modus distinctus realiter à charitate, quæ præcisè erit principium actiuum illius modi. Deinde, quia eo præcisè quòd actus virtutis per actum charitatis referatur in Deum, manet iam relatus, & dignus vita æterna: ad hoc autem vt ita sit relatus, satis est sola denominatio extrinseca ab actu referente. nam aliquod obiectum referri in finem, nihil est nisi amari propter illum finem: amari autem medium propter finem solùm est denominatio extrinseca ab amore in finem, quia medium esse amatum, nihil dicit præter amorem deriuatum ex amore in finem; amor autem est extrinsecus obiecto: ergo relatio virtutum in Deum nihil est, præter extrinsecam denominationem ab amore in finem. Dices, ex tali directione actiua resultare in obiectum modum realem passiuæ directionis. Hoc tamen voluntariè confingitur. nam eo præcisè quòd voluntas amet obiectum, est amatum per eumdem amorem, absque eo quòd aliquid reale ponatur in illo. 35.

Quare charitas dicitur forma reliquarum virtutum, vel quia earum actibus tribuit quamdam moralem dignitatem, & esse meritorium: vel quatenus illas ad altissimum finem quem habere possunt, hoc est ad Deum quatenus est bonus in se, & obiectum charitatis, eas refert: quem finem aliæ virtutes per se non respiciunt, & ideo illam perfectionem ordinationis dicuntur accipere à charitate, & hoc sensu dicuntur etiam ab illa informari, non quia ex imperio charitatis aliquid ponatur intrinsecum in actibus aliarum virtutum, sed quia extrinsecè à charitate denominantur, & efficiunt vnam cum illa operationem in genere moris. 36.

DISPVTA

DISPVTATIO II.

De habitu charitatis.

SECTIO I.

An charitas à Deo efficiatur in nobis per infusionem.

VT D. Thom. explicet charitatem à Deo fieri per infusionem, præmittit quæst. 24. art. 1. charitatem esse in voluntate sicut in subiecto. Nam virtus in ea potentia inhæret, quam adiuuat ad operandum: charitas autem cùm sit virtus diligendi Deum, solam voluntatem adiuuat ad huiusmodi actionem. nam dilectio Dei à sola voluntate potest procedere: ergo charitas in voluntate est sicut in subiecto, non verò in appetitu sensitiuo in quo non potest esse amor erga Deum, quatenus est summum bonum. Circa quod obseruat D. Thomas, cùm in aliis virtutibus, videlicet temperantiæ & fortitudinis valde probabile sit, in appetitu sensitiuo esse aliquos habitus, vt faciliùs obediat directioni voluntatis, tamen in virtute charitatis nulla ratione esse hoc asserendum, quia appetitus sensitiuus non potest operari nisi circa bona sensibilia: obiectum verò charitatis nulla ratione est sensibile, & ideo circa illud, neque appetitus potest operari, neque habere circa illum aliquem actum; cùm tamen habere possit circa obiecta temperantiæ & fortitudinis, quæ materialia sunt.

Deinde obseruandum est, per infusionem à Theologis intelligi actionem per quam in nobis aliquid efficitur ab extrinseco, sine nobis. Duobus autem modis operatur Deus in nobis, sine nobis. Primò sine nobis aliquid physicè efficientibus, sed solùm recipientibus id quod à Deo fit; & in huiusmodi sensu virtutes habituales fieri possunt à Deo in nobis per infusionem. Secundo modo operatur Deus in nobis sine nobis liberè, aut meritoriè operantibus, quamuis non sine physico influxu nostrarum potentiarum, qua ratione efficit Deus in nobis inspirationes, & excitationes gratiæ præuenientes nostrum liberum consensum; huiusmodi enim excitationes actus quidam sunt vitales intellectus & voluntatis, & ideo sine vitali influxu nostrarum potentiarum non sunt, sed quia efficiuntur sine cooperatione nostra libera & morali, dicuntur à Deo fieri in nobis per infusionem. Iam verò quando quærit D. Thomas, an charitas à Deo efficiatur per infusionem, sensus est, an ille solus in nobis efficiat charitatem; an verò nos per nostros actus hanc virtutem efficiamus, sicut efficimus illas virtutes quæ dicuntur acquisitæ.

Conclusio D. Thomæ est certa. Charitatem esse virtutem à Deo infusam sine nostra actione, per quam illa virtus efficiatur. & probatur ex Paulo ad Rom. 5. vbi ait: *Spes non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*; vel *infusa est in cordibus nostris*: vt legit Cyprianus lib. de exhortatione ad martyrium cap. 9. qua etiam ratione charitas à Deo esse dicitur. & eodem modo loquuntur communiter Patres, & Tridentin. sess. 6. cap. 9. dissiniens: *In ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum simul infusa accipi, fidem, spem, & charitatem.* Et ex hoc principio deducitur, charitatem esse virtutem per se infusam, id est, supernaturalem in essentia sua, quæ effici non possit in nobis sine influxu Dei supernaturaliter agentis. Ratio est manifesta, quia si virtus charitatis non esset supernaturalis modo explicato, illam possemus efficere per nostros actus, sicut efficiuntur aliæ virtutes: at ex fide constat charitatem effici non posse in nobis, nisi per supernaturalem Dei actionem: ergo hæc virtus in essentia est supernaturalis. Præterea, quia Deus per leges communes non inuertit modum naturæ in operando; inuerteret autem si virtutem quæ in substantia est naturalis, & effici posset & adquiri per actus nostros, ille per seipse infunderet communi lege in omnibus qui iustificantur: ergo dicendum est, virtutem charitatis in sua specie & essentia, esse formam supernaturalem.

Infertur secundò, actum diligendi Deum ea ratione qua est obiectum charitatis infusæ, esse in essentia sua supernaturalem, qui scilicet effici non possit ab aliqua creata voluntate sine supernaturali aliquo principio à quo adiuuetur in operando. Ratio est, quia vnum & idem est obiectum habitus, & actus charitatis: ergo necesse est actum esse supernaturalem circa illud obiectum, circa quod habitus supernaturalis est. Neque enim vlla potest esse ratio ob quam habitus accipiat supernaturalitatem à suo obiecto; quam tamen actus eodem modo non accipiat ab eodem obiecto: sed virtus charitatis supernaturalis est & infusa: ergo actus illius similiter est supernaturalis. Præterea quia fide certum est, esse quamdam Dei dilectionem quæ effici à nobis non potest sine supernaturali motione & adiutorio Spiritus sancti, vt dicitur in Concilio Arausicano, & in Trident. sess. 6. Can. 3. Hoc autem contingere non posset, nisi quia talis dilectio ex vi suæ perfectionis superat virtutem naturæ, quod quidem est illam esse in essentia supernaturalem. nam præter perfectionem illi essentialem, non potest alia accidentalis perfectio assignari, ob quam ad talem dilectionem gratia supernaturalis necessaria sit; ac proinde dicendum est, illam dilectionem quæ est dispositio ad iustificationem, esse in essentia supernaturalem, sicut hoc ipsum diximus de actu fidei, & spei.

Circa modum verò quo inter se comparantur habitus, & actus charitatis supernaturalis, difficultas esse posset, an actus qui est dispositio ad charitatem efficienter concurrat ad productionem habitus charitatis. Sed de hoc egimus 1. 2. in tractatu de Gratia; & an etiam habitus charitatis concurrat effectiuè ad primam dilectionem quæ est vltima dispositio ad productionem charitatis. Et certè D. Thomas in hoc artic. 3. ad 1. respondet, Deum conferre donum charitatis, iuxta conatum eius qui gratiam recipit; hunc verò conatum præueniri à Spiritu sancto mouente mentem nostram plus minusve, secundùm suam voluntatem: ergo ex mente D. Thomæ motio, per quam Spiritus sanctus mouet nostram voluntatem ad illum conatum iuxta voluntatem suam, non est idem donum quod charitas, quæ infunditur iuxta quantitatem huius conatus. Et iuxta hanc doctrinam recte intelligitur quod docet Trident. sess. 6. Iustitiam conferri à Deo secundùm mensuram, qua Spiritus sanctus partitur illam

ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cuiuſque diſpoſitionem. Duplex enim eſt actio Spiritus ſancti ad infundendam iuſtitiam, prior pertinet ad gratiam præuenientem omnem noſtrum conatum, & hæc eſt a ſola Dei voluntate volentis plus minuſve mouere noſtram voluntatem, vt diſponatur. Poſterior pertinet ad gratiam ſubſequentem, per quam Deus poſt diſpoſitionem, iuſtitiam, vel charitatem ipſam infundit, & hæc ſemper proportionatur quantitati diſpoſitionis præcedentis. Eodem modo intelligendum eſt quod docet Hieronymus contra Iouinianum, vnicuique dari gratiam ſecundùm menſuram donationis Chriſti: quod intelligit de gratia habituali, quæ infunditur iuxta diſpoſitionem; de actuali enim gratia præueniente certum eſt, diuerſam eſſe Dei menſuram, ſiquidem illam gratiam Deus tribuit ſingulis prout vult, ſine vllo reſpectu ad aliquam diſpoſitionem: vt enim D. Thomas docet in eodem artic. 5. licèt Deus Angelis voluerit conferre primam gratiam iuxta proportionem qua illi naturaliter erant inæquales hominibus, tamen in quibus æqualis eſt natura, confertur maior, aut minor iuxta beneplacitum diuinæ voluntatis.

SECTIO II.

An præter dilectionem Dei ſupernaturalem ſit alia naturalis dilectio Dei vt auctor naturæ.

6. PRima ſententia eſt, non eſſe vllam dilectionem benevolentiæ erga Deum naturalem, ſed potiùs omnem eſſe ſupernaturalem: illam verò quæ naturalis eſt, pertinere ad amorem concupiſcentiæ, per quem Deus diligitur propter beneficia, quatenus eſt bonum noſtrum. Cuius ſententiæ meminit D. Thom. parte 1. quæſt. 60. artic. 5. & videtur fuiſſe Alberti Magni tractat. de virtutibus. Eamdem ſecutus eſt Michaël Baius lib. de charitate cap. 4. qui contendit ex mente Auguſtini, nullam eſſe Dei dilectionem præter illam quæ infunditur à Spiritu ſancto. Et concludit, ſicut Deus non alia ratione eſt creator, alia verò beatificator: ſic non eſſe aliam creatoris, aliam verò beatificatoris dilectionem, ſed vnam & eamdem, licèt huiuſmodi voces diuerſæ, diuerſa Dei beneficia inſinuent, quibus ad amorem Dei prouocamur. Fundamenta huius ſententiæ infrà adducam.

7. Sit concluſio. Duplex eſſe poteſt dilectio Dei, naturalis, per quam propter ſe diligatur quatenus eſt auctor naturæ, & ſupernaturalis, per quam altiori modo diligatur propter ſe, quatenus eſt auctor beatitudinis, vel rerum ſupernaturalium. Ita D. Thom. art. 1. in corpore, & 1. parte quæſt. 60. art. 5. & ſæpe alibi, quem ſequuntur communiter interpretes.

Dionyſ. Et probatur primò ex Dionyſio cap. 4. de diuinis nominibus aſſerente: *Diuinum bonum eſt omnibus amabile & diligibile*; quod D. Thom. ad 1. exponit de dilectione Dei naturali. Similiter Baſilius in Regulis interrogat. ſecunda docet. *Sicut eſt inſitum diligere parentes, ita charitatem in Deum, eſſe inſitam, & naturalem quamdam rationis vim*; quod etiam eſt intelligendum de dilectione Dei quatenus eſt auctor naturæ.

Baſil. 8. Secundò probatur ex Bulla Pij V. in qua inter alias propoſitiones damnatur hæc 34. diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis, videlicet, quo Deus amatur vt auctor naturæ & gratuiti, quo amatur vt beatificator, bona eſt, & ad illudendum ſacris literis, & veterum teſtimoniis excogitata. Ergo non eſt ſana doctrina illa, ſecundùm quam non admittitur dilectio quædam Dei naturalis, præter ſupernaturalem & gratuitam. Reſpondent nonnulli, illam propoſitionem damnati, non quia per illam videatur negari amor Dei naturalis, ſed quia per illam negatur ſupernaturalis & gratuitus Dei amor: auctor enim eius propoſitionis non videtur agnouiſſe amorem Dei ſupernaturalem. nam in eadem Bulla damnantur propoſitiones 24. & 27. & aliæ ſimiles, quibus idem auctor aſſerebat, naturæ humanæ exaltationem ad conſortium diuinæ naturæ, dici debere naturalem, non verò ſupernaturalem, & integritatem primorum parentum non fuiſſe indebitam naturæ, ſed naturalem eius conditionem. Hic ergo auctor non agnouit amorem Dei ſupernaturalem: ſi verò propter hanc rationem illa diſtinctio negetur, meritò & hic condemnatur in ſenſu intento ab auctore illarum propoſitionum.

9. Hæc tamen reſponſio efficaciſſimè refellitur ex eadem Bulla, in qua damnatur hæc propoſitio 36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ oriatur, cùm iniuria crucis Chriſti defenditur ab aliquibus Doctoribus: ergo hic auctor quando reprobauit eam diſtinctionem non voluit negare amorem Dei gratuitum, ſed alterum naturalem qui ab aliquibus Doctoribus aſſeritur circa Deum auctorem naturæ. Idem etiam oſtenditur ex Michaële Baio lib. de charitate, cap. citato, in cuius principio eſt illa propoſitio 34. in Bulla damnata: in ſubſequentibus autem contendit, nullum eſſe Dei amorem qui non oriatur ex gratia, & qui infundatur à Spiritu ſancto, & qui propriè dicatur charitas: conſtat autem eam propoſitionem damnatam eſſe contra hunc auctorem in ſenſu ab illo intento: ergo ideo damnatur, quia videtur negare amorem creatoris diſtinctum ab amore quò Deus amatur vt beatificator. Quòd autem hic auctor eam diſtinctionem negauerit, ortum eſt ex alia ſua ſententia, quia putauit ordinationem creaturæ rationalis ad viſionem Dei eſſe ab illa inſeparabilem; atque ita negando eam diſtinctionem, non voluit negare amorem gratuitum Dei, ſed alterum amorem naturalem.

10. Et ex his ſumitur prima ratio pro noſtra concluſione, quia natura rationalis creari potuit cum ſola ordinatione ad beatitudinem naturalem ſine ordinatione ad ſupernaturalem, quæ conſiſtit in viſione Dei, vt in eadem Bulla diffinitur: at ſi natura rationalis eo modo creata fuiſſet, eius beatitudo poſita eſſet in cognitione & dilectione Dei naturali: ergo intra ordinem naturalem poſſibilis eſt cognitio, & dilectio Dei diuerſa ab illa, quæ pertinet ad ordinem ſupernaturalem. Secundò probatur, quia potentia appetitiua naturaliter proportionatur intellectiuæ, vt poſſit ſua virtute operari circa bona, quæ poſſunt cognoſci à virtute cognoſcitiua, cum qua illa coniuncta eſt: ſed potentia intellectiua creata virtute

tute propria potest cognoscere Deum auctorem naturæ, secundùm illum gradum bonitatis, qui necessarius est in auctore naturæ, vt auctor naturæ est: ergo voluntas quæ naturaliter coniungitur cum hac potentia intellectiua actu sibi proportionato, potest diligere Deum vt est bonus in se, eo gradu bonitatis qui cognosci potest esse in Deo vt est auctor naturæ. Cùm autem dicimus virtutem appetitiuam proportionati virtuti intellectiuæ, non significamus posse diligere omnia illa quæ per extrinseca principia reuelationis & auctoritatis possunt cognosci, sed posse diligere omnia illa quæ propria virtute intrinseca cognosci possunt ab illa potentia cum qua voluntas coniuncta est; cum hac enim intrinseca virtute quæ per se conuenit naturæ, proportionari debet virtus appetitiua; non verò cum aliis quæ ex accidenti, & ab extrinseco possunt aduenire: Deus autem quatenus est bonus in se bonitate auctoris naturæ, euidenter & naturaliter potest cognosci per principia intrinseca naturæ rationalis, & ideo naturaliter est ab illa diligibilis; quia potentia diligendi ex sua natura sequitur potentiam intellectiuam, quæ obiectum diligibile proponit.

11. Obiicies primò, quia nulla est Dei dilectio ad quam non sit necessaria gratia: ergo nulla est Dei dilectio quæ non sit supernaturalis; ideo enim ad aliquam actionem semper necessaria est gratia, quia ea supernaturalis est, & superans virtutem naturæ. Antecedens probatur ex Concilio Arausicano cap. 25. vbi dicitur: *Prorsus Dei donum esse diligere Deum*; quæ sunt verba Augustini tractat. 32. in Ioann. Propterea idem Augustinus lib. 2. contra duas epistol. Pelagianorum cap. 9. docet. *Initium dilectionis esse ex Deo*, & lib. 4. contra Iulianum cap. 3. hoc ipsum docet de amore Dei creatoris, scilicet esse donum ex Deo: ergo ex mente Augustini nulla est alia Dei beneuolentia propter se, præter illam supernaturalem quæ pertinet ad charitatem infusam. Respondetur negando antecedens, quia, vt diximus in tractat. de Gratia, iuxta communiorem Doctorum sententiam, aliqua dilectio Dei propter se, esse potest sine adiutorio gratiæ supernaturalis; quando scilicet nulla apprehenditur difficultas contraria huic dilectioni. Quando verò huiusmodi difficultates occurrunt, gratia necessaria est, etiam ad huiusmodi dilectionem naturalem Dei quatenus est auctor naturæ, quia scilicet huiusmodi difficultatibus natura infallibiliter succumberet, nisi gratiæ adiutorio fulciretur. Quod verò dicitur in Arausicano: *Diligere Deum esse prorsus donum Dei*, intelligendum est de dilectione quæ per se possit conferre ad beatitudinem: sicut illud quod in eodem Concilio asseritur, *nihil boni effici posse nisi ex gratia*, intelligendum est de opere bono quod ad pietatem Christianam pertineat, id est, conferat ad iustificationem, & salutem. Nec verò propterea dicendum est, posse hominem sine gratia diligere Deum super omnia, etiamsi possit illum aliquando diligere amore beneuolentiæ; illa enim particula *super omnia*, significaret hominem sine gratia posse diligere Deum, etiam super illa obiecta quæ difficultatem in operando habent: quare natura non potest Deum diligere hac ratione, etiam vt est auctor naturæ, nisi adiuuetur auxilio gratiæ. Addere etiam possumus, dilectionem Dei, vt auctor naturæ est, non esse semper super omnia, quia non est propter supremam rationem bonitatis, ob quam Deus diligi potest propter se: sicut D. Thomas exponit: *Amorem concupiscentiæ, quo diligitur Deus quatenus est bonum nostrum, non esse semper super omnia, quia non est propter summam rationem ob quam Deus diligi potest*; si quidem præstantior est illa, ob quam diligitur Deus quatenus est bonus in se. Simili modo præstantior est, formaliter loquendo ratio boni, ob quam diligitur Deus quatenus est auctor beatitudinis, quàm illa, ob quam diligitur vt est auctor naturæ.

12. Obiicies secundò, quia si esse posset aliqua beneuolentia naturalis erga Deum essentialiter diuersa à supernaturali, deberet esse aliqua distinctio ex parte obiecti formalis huius dilectionis, nam inter dilectiones non potest esse essentialis diuersitas, quæ non sumatur ex diuersitate obiectorum; sed in dilectione qua Deus diligitur propter se, id est, propter illam bonitatem qua in se bonus est, nulla ex parte obiecti amati potest assignari formalis diuersitas: ergo in hac dilectione Dei propter se, non potest esse illa diuersitas propter quam vna dilectio sit naturalis essentialiter diuersa ab illa quæ supernaturalis est. Respondetur concedendo hanc dilectionem Dei naturalem essentialiter esse diuersam à supernaturali, & distingui optimè posse ex parte obiecti: sicut D. Thomas eam distinguit locis citatis, & infrà quæst. 26. art. 3. In Deo enim qui est obiectum harum dilectionum, duplex ratio bonitatis & perfectionis intelligi potest. Prior est illa ratio boni, qua Deus est bonus in se, sicut necessarium est vt sit auctor naturæ, & contineat omnes perfectiones quæ in ordine naturali continentur. Posterior est alia ratio boni quæ in Deo præsupponitur, vt sit auctor non solùm naturæ & naturalium perfectionum, sed etiam supernaturalium, neque enim huiusmodi perfectiones ex Deo possent oriri nisi eminenter in eo continerentur. Ex quibus duabus rationibus distinguuntur essentialiter amor naturalis, & supernaturalis erga Deum: obiectum enim amoris naturalis est illa bonitas, qua Deus est bonus in se vt auctor naturæ, præcisè loquendo: obiectum verò supernaturalis amoris est ea bonitas qua Deus est bonus in se vt auctor naturæ & beatitudinis supernaturalis, in qua quidem ratione boni includitur tota illa quæ est obiectum amoris naturalis, & superadditur altior ratio boni, quæ intelligitur esse in Deo, vt possit elevare naturam ad supernaturalem ordinem. Ad diligendum autem Deum propter hanc rationem boni, necessarium est principium infusum & supernaturale, quo voluntas adiuuetur ad efficiendam illam actionem. Atque hoc sensu est intelligendum quod D. Thomas & Theologi frequenter docent, per amorem naturalem diligi Deum, vt est auctor naturæ; per supernaturalem verò, vt est auctor beatitudinis: quod quidem non intelligitur formaliter, quasi illi respectus auctoris naturæ, aut beatitudinis, sint formale obiectum harum dilectionum: hoc enim impossibile est. nam illi amores pertinent non ad beneuolentiam, & amicitiam erga Deum, sed ad amorem concupiscentiæ. Illud ergo intelligendum est fundamentaliter, id est, eam bonitatem, quæ in Deo præsupponitur vt sit auctor naturæ, esse obiectum amoris naturalis: illam verò quæ præsupponitur in Deo, vt sit auctor ordinis supernaturalis, esse formale obiectum amoris supernaturalis.

13. Circa huiuſmodi amorem naturalem difficultas eſſe poteſt, an ille cùm honeſtus ſit, ad aliquam peculiarem virtutem pertineat. Negat Caietan. quæſt. præcedenti art. 6. quod probat auctoritate D. Thomæ 1.2. quæſt. 62. art. 1. ad 3. vbi docet, non eſſe neceſſarias virtutes theologicas vt homo ordinetur ad finem naturalem. Contraria ſententia eſt verior, eſſe poſſe virtutem acquiſitam quæ principium ſit facilè diligendi Deum amore beneuolentiæ naturalis. Ita Scotus in 1. diſtinct. 17. quæſt. 1. & D. Thom. ſuprà quæſt. 17. art. 5. vbi docet: *Vbicumque eſt actus honeſtus, illum debere pertinere ad aliquam virtutem*; amor verò beneuolentiæ naturalis erga Deum eſt honeſtiſſimus, in cuius frequentatione difficultas non modica eſſe poteſt: ergo generare poteſt habitum, qui ſit propriè virtus. S. autem Doctor non negauit circa finem naturalem eſſe neceſſarias virtutes, ſed ſolùm negauit eſſe neceſſarias virtutes theologicas.

D. Thom.

Sectio III.

An & per quos actus charitas augeatur.

14. Circa primum, an charitas in hac vita augeri poſſit, fuit antiqua hæreſis Iouiniani, qui affirmabat omnes iuſtos eſſe pares in ſanctitate & iuſtitia; neque eſſe vllum augmentum in ſanctitate, nec futuram vllam inæqualitatem in beatitudine: ſicut refert Hieronymus 2. contra Iouinianum. Eumdem errorem poſt Lutherum ſequuntur hæretici huius temporis. Cùm enim ſentiant homines non eſſe iuſtos niſi per extrinſecam Chriſti iuſtitiam, & hæc vna & eadem ſit, conſequens eſſe videtur omnes iuſtos vna iuſtitia æqualiter eſſe iuſtos. Contra hunc errorem ſcripſerunt Hieronymus lib. citato, Auguſt. lib. de ſancta Virginitate. Ambroſius epiſt. 81. & damnatur manifeſtè in Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. & Canon 24. & probatur ex ſacra Scriptura Eccleſiaſt. 18. *Ne verearis uſque ad mortem iuſtificari.* Apocalyp. 22. *Qui iuſtus eſt iuſtificetur adhuc, & qui ſanctus eſt ſanctificetur adhuc.* 2. ad Corinth. 9. *Et augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ.* Ad Epheſ. 4. *Veritatem facientes in charitate creſcamus.* Ad Philippenſ. 1. *Hoc oro vt charitas veſtra magis, ac magis abundet*; ergo iuſtitia, ſanctitas, & charitas creſcere poſſunt in hac vita per operationes honeſtas. Idem probatur ex Patribus, præcipuè Auguſtin. epiſtol. 106. vbi ait, *Gratia meretur augeri, vt aucta mereatur etiam perfici.* & tract. 5. in epiſtol. 1. Ioann. *Charitas cùm fuerit nata, nutritur, cùm fuerit nutrita, roboratur, cùm fuerit roborata, perficitur.* & Gregor. homil. 15. in Ezechiel. *Vnaquæque virtus, quaſi quibuſdam gradibus augetur, & ſic per incrementa meritorum ad ſummum perducitur.* Quòd verò huiuſmodi augmentum iuſtitiæ & ſanctitatis, non ſolùm fiat per actus fidei, ſed etiam per opera aliarum virtutum, apertè teſtatur Iacobus cap. 2. *Videtis*, inquit, *quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantùm.* Et probatur manifeſtè argumento quo ille vtitur, quia, vt conſtat Geneſ. 22. Abraham qui iam iuſtus erat, vt patet ex cap. 15. magis Deo placuit obediendo præcepto Dei, dum filium vnigenitum offerre voluit: vnde rectè colligit Iacobus hominem ex operibus iuſtificari, & non ex fide tantùm, id eſt magis, ac magis iuſtificari. nam iuſtificatio Abraami de qua loquitur, non poteſt intelligi de prima illius iuſtificatione, ſed de ſecunda, quæ conſiſtit in augmento iuſtitiæ & ſanctitatis.

Eccl. 18. Apoc. 22. 2. Cor. 9. Epheſ. 4. Philip. 1. Auguſt. Gregor. Iacob 2.

15. Ad cuius intelligentiam nota, dupliciter poſſe intelligi augmentum in ſanctitate & iuſtitia: alterum dici poteſt augmentum phyſicum & reale, quo gratia & charitas augeatur in ſua intrinſeca entitate, in ratione formæ & qualitatis, eo modo quo aliæ formæ & qualitates creſcere poſſunt. Secundum poteſt dici augmentum morale, quo gratia & ſanctitas creſcant, ſi non in entitate intrinſeca qualitatis, ſaltem creſcant in ratione gratiæ, faciendo ſcilicet ſubiectum magis Deo dilectum, & acceptum ad maiorem gloriam: quod augmentum intelligi poteſt in gratia & ſanctitate ratione nouorum meritorum actualium, quæ oriuntur ex eadem ſanctitate, & per quæ homo acceptatur ad maiorem gloriam. Quod verò diximus de augmento charitatis, non tantùm eſt intelligendum de hoc ſecundo augmento morali, quod non dicit aliquam phyſicam mutationem in ipſa forma charitatis, ſed eſt intelligendum de primo illo augmento, quo gratia & charitas in ſua entitate creſcat, vt optimè docuit D. Thom. art. 4. ad 3. & art. 5. in fine corporis: idque clarè inſinuant illa verba Auguſtini, *Cùm fuerit nutrita, roboratur.* neque enim maius robur in charitate poteſt intelligi, niſi illa in ſua virtute agendi creſcat. Hoc ipſum diffinitur in Tridentino Canon 32. ſcilicet iuſtum per ſua opera meteri augmentum gratiæ; hoc enim poteſt eſſe aliquod augmentum gratiæ, quod poſſit reſpondere bonis operibus ſicut præmium. Alterum verò augmentum morale ratione nouæ operationis, non poteſt eſſe præmium illius, ſed potiùs eſt moralis quidam effectus, qui neceſſariò ſequitur ex opere meritorio: ergo ſtatuendum eſt, ſanctitatem & charitatem per bona opera etiam in ſua entitate creſcere.

Auguſt.

16. Circa actiones verò per quas ſanctitas & charitas augentur, certum eſt charitatem & ſanctitatem augeri ſtatim per actus charitatis intenſiores & feruentiores: ſi enim aliquæ ſunt actiones honeſtæ, per quas creſcat charitas, quod ſine errore negari non poteſt, neceſſariò hoc concedendum eſt actionibus charitatis feruentioribus. Vnde etiam fit per huiuſmodi actiones, non ſolùm creſcere gratiam, aut charitatem, in ratione ſanctitatis & gratiæ, quia ſint ratio vt homo acceptetur ad maiorem gloriam: ſed etiam phyſico modo & in entitate ſua, per nouos gradus, quibus hæc virtus fiat intenſior: per quos quidem gradus non creſcit charitas per phyſicam efficientiam, per quam actus feruentior efficiat maiorem intenſionem in eo habitu; ſed tantùm diſpoſitiuè, & meritoriè, vt communiter docent Doctores.

17. Eſt verò difficultas, à quo principio procedat illa maior perfectio quam habet actus feruentior, an ſcilicet procedat ab habitu præcedenti qui remiſſior eſt, vel ab augmento quod ratione huiuſmodi actus confertur: an potiùs ab aliquo alio principio extrinſeco. Nonnulli Theologi recentiores affirmant, procedere ab habitu præcedente, etiamſi ille remiſſior ſit. Docent enim habitum ſupernaturalem eſſe cauſam æquiuocam principalem actionis; ac proinde præſtantiorem in eſſentia, quàm ſit actus; & ratione huius maioris perfectionis eſſentialis, etiamſi intrinſecè ſit remiſſior, poſſe efficere actum

actum intensiorem quidem secundùm gradus, quoniam scilicet est imperfectior in essentia, & ideo contineri potest in virtute habitus minus intensi.

18. Hæc tamen sententia probanda non est. Constat enim habitum charitatis non posse virtute propria efficere actum intensiorem, quàm ipse sit. nam charitas in beatitudine, in qua est consummata & perfecta, efficit actum quàm maximè intensum potest; quia voluntas ratione visionis ex necessitate operatur sine libertate indifferentiæ, ac proinde totum quod potest per habitum infusum quem habet: qua de causa Augustinus sæpe docet in patria perfectissimè impleri præceptum diligendi Deum, toto corde, & viribus: sed in beatitudine habitus luminis gloriæ, & habitus infusus charitatis, solùm efficiunt actus æquales in intensione: ergo huiusmodi actus virtute propria, non possunt efficere nisi actus sibi æquales. Minor patet, quia in patria beatitudo est æqualis charitati & lumini gloriæ; consistit autem in actu visionis, & dilectionis Dei: ergo huiusmodi actus in patria æquales sunt in intensione habitibus luminis gloriæ, gratiæ, & charitatis, & tamen sunt maximi actus qui possunt ab illis habitibus procedere in intensione in qua sunt: ergo excessus ille quem habet actus feruentior in hac vita, non procedit sicut à causa efficienti, ab habitu magis remisso qui procedit.

19. Vnde respondetur ad rationem contrariæ sententiæ, etiamsi habitus infusus sit præstantior in natura, quàm actus; nihilominus habere aliquem terminum maximum, quem in efficiendo propriam virtutem non possit excedere; hunc verò terminum esse actum æqualem illi in intensione, vt ex prædictis constat.

20. Alij sentiunt excessum illum actus feruentioris physicè procedere ab augmento habitus, quod de nouo infunditur, & quòd actus feruentior de condigno meretur. Ita Bannes artic. 6. dub. 2. ad 7. Quemadmodum enim, inquit, in prima iustificatione vltima dispositio procedit efficienter à gratia, & antecedit vt dispositio. Eadem ratione id dici posse in actu feruentiori charitatis, qui disponit ad augmentum illius. Hæc tamen sententia improbabilior est præcedente, præsertim in doctrina D. Thomæ, quia augmentum charitatis, quod confertur propter actum feruentiorem, est præmium illius, sicut meriti de condigno, vt constat ex Trident. sess. 6. Canon. 32. Sed principium effectiuum alicuius bonæ actionis, non potest esse præmium de condigno eiusdem: ergo principium effectiuum actus feruentioris non est augmentum illud quod propter actum feruentiorem confertur. Minor traditur à D. Thoma 1. 2. quæst. 114. artic. 5. in corpore, & 3. parte quæst. 2. artic. 11. ex quo principio probat primam gratiam, & incarnationem Verbi, non potuisse cadere sub merito, quia sunt principium omnis meriti. Et ratio naturalis id suadet, quia præmium, & voluntas conferendi aliquid tanquam præmium, essentialiter supponunt, etiam in genere causæ efficientis, honestatem operis; ac proinde illas circunstantias in quibus hæc honestas reperitur, inter quas vna ex præcipuis sunt principia, & auxilia quibus quis operatur: neque enim æstimari potest honestas actionis, si non æstimetur principium cum quo quis facilè, aut difficilè operatur; principium verò effectiuum, non potest à se ipso præsupponi: ergo augmentum gratiæ non potest esse principium effectiuum actionis, propter quam datur sicut præmium. Ex in hoc principio innititur vulgare argumentum Augustini, & aliorum Patrum contra Pelagium: Homo adiuuatur, id est, vocatur à Deo vt bene operetur: ergo non quia bene operatur, sed potiùs sine vllo merito; quia scilicet illud quod datur vt præmium, essentialiter supponit principia operationis, & ideo non potest dari vt operetur homo, sed quia operatur. Quod verò dicitur de vltima dispositione in prima iustificatione, neque verum est, vt diximus 1. 2. neque est simile, quia illa vltima dispositio non est meritoria primæ gratiæ, neque potest esse meritoria de congruo, si effectiuè procedit à prima gratia iustificante: at verò actus feruentior hominis iusti de condigno est meritorius augmenti gratiæ, & ideo non potest effectiuè ab illo procedere.

21. Dicendum ergo est, in actu feruentiori charitatis, illos gradus qui sunt æquales habitui præexistenti, ab illo effectiuè procedere: posteriores verò gradus, effici ex voluntate adiuta speciali auxilio præuenienti, & concomitante. Ex qua doctrina suo loco diximus, idem esse dicendum necessariò in prima iustificatione. Si enim in augmento charitatis dispositio ad illud non procedit efficienter ab habitu charitatis, & ideo esse potest meritum de condigno illius, hoc non potest prouenire ex alio capite, nisi quia moralis dispositio, qualis est actus voluntatis, ex natura rei non potest procedere ab illa forma ad quam disponit: hoc autem auxilium præter gratiam præuenientem, qua mouetur voluntas ad operandum, etiam includit præsentiam diuinæ potentiæ cooperantis cum voluntate, & illam eleuantis in operationem, perinde, atque illam eleuaret habitus inhærens magis intensus, si in illa esset: Deus enim per potentiam suam cum voluntate, efficere potest quidquid cum eadem voluntate efficere potest per habitum infusum intensiorem.

22. Obiicies, quia hinc sequitur voluntatem non operari per modum causæ principalis illam maiorem intensionem, sed potiùs per modum causæ instrumentariæ, quia non operatur per formam inhærentem, quæ sit sufficiens ratio efficiendi illam maiorem intensionem. Consequens autem videtur falsum, quia voluntas in actionibus per quas meretur, habet rationem causæ moralis principalis; ideo siquidem operatur ex propria deliberatione. Respondetur concedendo voluntatem per habitum minus intensum quem habet, concurrere per modum causæ secundæ, præcipuè ad intensionem proportionatam eidem habitui: ad vlteriorem autem intensionem concurrere per diuinam motionem per modum causæ instrumentariæ à Deo eleuatæ: quod tamen non impedit, quominus voluntas quæ secundùm influxum plenum, habet rationem instrumenti; tamen secundùm rationem causæ moralis dicatur causa principalis, quatenus addit suam deliberationem, & determinationem suæ indifferentiæ.

***

Digitized by Google

Sectio IV.

An habitus gratiæ & charitatis creſcant ſolùm per actus ipſis intenſiores; an verò etiam per actus ſibi æquales.

23. PRima ſententia eſt, licèt omnes actus charitatis hominis iuſti mereantur augmentum gratiæ & charitatis, nihilominus hos habitus actu non creſcere, niſi per actus intenſiores, neque augmentum quod hi actus merentur homini conferri niſi in hac vita efficiat actum intenſiorem quam ſit habitus præexiſtens; ac proinde etiam quando hi habitus creſcunt per actus intenſiores, vel ferueniiores, augmentum non eſſe ſecundùm totam entitatem actionis, ſed ſolum ſecundùm exceſſum. hanc ſententiam tradit Bannes artic. 6. dub. 2. & 4. Vnde etiam dub. 5. concluſ. 6. docet etiamſi homo iuſtus plura opera virtutum exerceat, niſi efficiat actum intenſiorem, quàm ſit habitus, nihil magis præmij eſſentialis illum habiturum, quàm habuiſſet ſine illis operibus, aut quam habiturus ſit alter in quo fuerit actus vnus charitatis æquè intenſus ſine prædictis operib s aliarum virtutum. Idem defendit in relectione dè augmento charitatis quæſt. 3. quod probat aliquibus teſtimonijs D. Thomæ, præſertim in hoc articulo in corpore, vbi docet, charitatem non augeri per ſingulos actus, inquit enim: *Non quilibet actus charitatis, charitas actu augetur, ſed quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, in quantum ex vno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum ſecundùm charitatem, & habilitate creſcente homo prorumpit in actum ferueniiorem dilectionis, quo tenetur ad charitatis profectum, & tunc charitas augetur in actu.* Hæc tamen ſententia nullo modo tenenda eſt, & de mente D. Thomæ infrà dicemus. Bannes.

24. Sit ergo prima concluſio, Habitus gratiæ & charitatis ſtatim augentur per actus in intenſione æquales habitui præexiſtenti charitatis. Et quod attinet ad augmentum gratiæ, de qua potiſſimum in hac concluſione loquimur, in ea conueniunt communiter Doctores, & aliqui exiſtimant negari non poſſe ſine periculo errandi; quòd verò ea ſit D. Thomæ, conſtat in 1. diſt. 17. quæſt. 2. artic. 3. vbi ait: *Quando actus charitatis procedit ex tota virtute habitus infuſi, tunc vnus actus diſponit, & meretur augmentum charitatis, vt ſtatim fiat.* & in 2. diſtinct. 27. quæſt. 1. artic. 5. ad 2. *Non in quilibet actu meritorio eſt illa conditio, per quam ex actu conſequitur augmentum habitus, ſed ſolum in illo, qui quis accepta gratia vtitur ſecundum proportionem ſuarum virium, vt in nullo deſit gratia Dei per negligentiam.* Vnde Caietan. 1. 2. quæſt. 114. art. 8. circa 3. exponit, ſtatim gratiam augeri quando quis operatur ſecundùm proportionem virium ſuarum, vt in nullo deſit gratiæ per negligentiam: at quando iuſtus efficit actionem æqualem in intenſione habitui quem habet ſine vlla negligentia, vtitur virtute accepta, ſiquidem per illam efficit quidquid poteſt per illam efficere: ergo ex mente D. Thomæ quando quis efficit actum æquè intenſum atque eſt habitus per quem operatur, ſtatim aſſequitur augmentum gratiæ & charitatis. Denique quod D. Thomas & alij Doctores in controuerſiam vocant, an charitas augeatur per actus remiſſiores, aut remiſſos, non poteſt intelligi de quibuſlibet actibus; actus enim non poteſt dici remiſſior, aut remiſſus, comparatione habitus cui æqualis eſt; dicunt enim charitatem augeri per intenſiſſimum actum quem voluntas informata illa charitate poteſt efficere; hic verò eſt actus qui in intenſione æqualis eſt habitui. nam habitus ſupra ſuam intentionem virtute propria ſicut operatur habitus infuſus, non poteſt ſupra ſuam intenſionem aliquid efficere. D. Thom. Idem.

Iam verò probatur primò concluſio ex verbis Pauli ad Rom. 6. vbi loquens cum iuſtificatis ait: *Liberati à peccatis, ſerui facti eſtis iuſtitiæ. Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ: ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* In hoc loco Paulus per ſanctificationem manifeſtè intelligit augmentum maioris ſanctitatis, ad quam ſupponit non eſſe neceſſariam maiorem intenſionem quàm ſit in habitu iuſtitiæ acceptæ: ergo ex mente Pauli hæc maior intenſio non requiritur ad augmentum ſanctitatis. Maior propoſitio conſtat ex contextu; loquitur enim Paulus cum his quos dicit liberatos eſſe à peccato, & iam ſeruos eſſe iuſtitiæ, quibus non poteſt contingere ſanctificatio niſi per augmentum, quod dicitur ſecunda iuſtificatio. Vnde Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. hæc verba exponit de augmento ſanctitatis iuſtificati, inquiens: *Eamus de virtute in virtutem, quotidie renouentur, id eſt, exhibendo membra ſua arma iuſtitiæ in ſanctificationem, in ipſa iuſtitia accepta, creſcunt atque magis iuſtificantur.* Minor verò propoſitio, quòd ſcilicet Paulus aſſerat, maiorem intenſionem non eſſe neceſſariam ad augmentum, conſtat etiam ex ipſo contextu; poſiturus enim menſuram quam exigebat: *Humanum*, inquit *dico propter infirmitatem carnis veſtræ*, id eſt, cùm poſſem poſtulare maiora, rationem tamen habens infirmitatis veſtræ, rem humanæ infirmitati proportionatam poſtulo, vt: *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati; ita nunc illa exhibeatis ſeruire iuſtitiæ.* hoc eſt, vt inquit Chryſoſtomus in Pſalm. 111. *Vt quanto ſtudio vitium ſectabamini, tanto virtutem ſectemini.* & Ambroſius in eum locum: *Ea nos menſura ſeruire Deo præcipit, qua priùs diabolo famulabamur, nec plus à nobis exigit, ne præcepta quaſi grauia fugeremus.* Eodem modo exponit Anſelmus, & alij Patres. At vt quis ſeruiat iuſtitiæ ea menſura, qua priùs ſeruierat iniquitati, non eſt neceſſarium ſemper maiori & maiori intenſione operari: ergo hæc maior intenſio non eſt neceſſaria ad augmentum iuſtitiæ, de quo loquitur Paulus, & quod ex diffinitione Tridentini, credimus eſſe poſſe in hominibus iuſtis. 25. Rom. 6. Trident. Chryſoſt. Ambroſ.

Secundum argumentum ſumitur ex augmento iuſtitiæ Abrahæ, de quo agitur Iacobi cap. 2. & Geneſ. 22. Abraham enim augmento veræ ſanctitatis iuſtificatus eſt, quando ſacrificare voluit filium adimplendo diuinum mandatum. Inquit enim Iacobus: *Abraham ex operibus iuſtificatus eſt offerens filium ſuper altare.* Et inde colligit homines iuſtificari ex operibus, & non ex fide tantùm. Quæ verba neceſſariò etiam intelliguntur de iuſtificatione quæ eſt augmentum ſanctitatis, & dicitur ſecunda iuſtificatio, vt exponit Trident. eodem loco. Et ratione probatur, quia Abraham multo ante quàm filium vellet ſacrificare, iuſtus erat. nam 26. Iacob 2.

multo

multo antè fides reputata illi fuerat ad iustitiam, vt dicitur Genes. 15. & exponit Paulus ad Rom. 4. quare iustificatio de qua loquitur Iacobus, necessariò debet esse alia, quæ sit augmentum sanctitatis, quæ sola dicitur esse ex operibus, id est, ex meritis iustitiæ; id enim primæ iustificationi non conuenit: at verò ad illam maiorem iustificationem Abrahæ, non fuit necessaria maior intensio charitatis, quàm esset in habitu illius: ergo hæc maior intensio non est necessaria ad illud augmentum sanctitatis, quod per fidem credendum proponitur à Concilio. Minor probatur ex verbis Genes. 22. *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti filio vnigenito propter me, benedicam tibi*, &c. *quia obedisti voci meæ.* Quibus verbis Deus significare voluit causam, & qualitatem illius actionis, ob quas tam Deo grata fuit, vt Abrahæ conciliauerit maiorem gratiam apud Deum; proinde Deus significauit veram causam sufficientem illius maioris gratiæ; solùm autem expressit operis excellentiam, & obedientiam circa diuinum mandatum, non expressa maiori intensione actionis charitatis, quàm esset in habitu præexistente: ergo sine hac intensione maiori constare potuit sufficiens ratio augendi sanctitatem, ratione excellentiæ quam actus voluntatis Abrahæ habuit, ratione obiecti in quo versabatur. Confirmatur etiam eadem veritas ex Paulo 2. ad Corinth. 9. vbi cum per vocem seminis vellet significare fructus eleemosynæ, inquit. *Qui parcè seminat, parcè & metet:* & paulo infrà: *Qui administrat semen seminanti*, id est, Deus qui tribuit bona temporalia, vt fieri possint eleemosynæ: *Multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ: vt in omnibus locupletati abundetis*, non solùm incremento temporalium bonorum, provt conferunt ad vitam æternam, sed etiam incremento iustitiæ vbi Paulus opera charitatis exigit ad incrementum iustitiæ; & eleemosynis promittit illius incrementum, nulla mentione facta maioris intensionis.

27. Tertium argumentum desumitur ex Trident. sess. 6. cap. 10. vbi definitur: *Iustificatos euntes de virtute in virtutem, renouari de die in diem, id est*, inquit Concilium, *mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ per obseruationem mandatorum, in ipsa iustitia, cooperante fide bonis operibus, crescunt, atque magis iustificantur.* Vbi Concilium assignat qualitates quæ debent esse in actionibus ad maiorem sanctificationem, quarum vna est vt illæ sint honestæ, vt indicant illa verba, *exhibendo ea arma iustitiæ.* Secunda est; vt hæc fiant ex motiuo fidei, *fide*, inquit, *cooperante bonis operibus.* Neque tamen maioris intensionis hîc est mentio, imo verò videtur contrarium significari. Nam hæc renouatio à Concilio proponitur sicut res communis iustis, & quæ contingit de die in diem, hoc est, frequenter: operari autem semper maiori intensione quàm quis vnquam operatus fuerit, imò verò, & supra intensionem gratiæ quæ ex opere operato crescit, tantùm est perfectissimorum: ergo ex mente Concilij, illa conditio non est necessaria ad augmentum sanctitatis. Quod videtur desumptum ex August. serm. 16. de verbis Apostoli. August. *Iustificati*, inquit, *sumus, sed ipsa iustitia crescit, cùm per fidem qua per dilectionem operatur, proficimus, non expectando retributionem temporalem, sed promissum Dei, scilicet faciem eius.* Vulgata etiam est propositio eiusdem Augustini: *Charitas meretur augeri, & cùm aucta fuerit perfici.* quam refert D. Thom. art. 4. Per quam manifestè significat, charitatem quæ priùs producitur, postea operando mereri suum augmentum: sed non potest operari super suam intensionem; ergo ad merendum augmentum charitatis, quod statim conferatur, non est necessaria maior intensio, quàm sit in habitu præexistenti.

Quartum argumentum sumitur ex ratione, 28. quia ille qui vtitur donis gratiæ acceptæ, cum tanta perfectione, quanta illis vti potest, satis disponitur ad augmentum illorum bonorum: quod significauit Christus Matth. 25. in illa parabola talentorum, vbi remuneratur seruus, qui pro ratione talenti accepti lucratus fuerat similem quantitatem. Vnde Christus concludit: *Omni habenti dabitur; non habenti verò, & quod habet auferetur ab eo*, Matth. 25. id est, vt exponunt August. & Beda: *Bene vtenti dabitur maius donum*, quod indicant illa verba, *dabitur, & abundauit*; qui verò operatur æqualiter secundùm intensionem habitus charitatis quem habet, ea ratione vtitur donis acceptis, vt non possit cum maiori perfectione vti; ergo qui operatur æqualiter secundùm intensionem habitus quem habet, satis disponitur ad augmentum statim recipiendum. Quod argumentum non solùm probat augeri habitum gratiæ per actus æquales, vt nonnulli volunt, sed etiam augeri habitum charitatis. Vsus enim huius habitus operando cum æquali intensione est perfectissimus vsus qui esse potest, & ideò est sufficiens dispositio ad augmentum illius: neque enim maior dispositio ad augmentum illius exigi potest, quàm illa quæ per talem habitum fieri possit. Deinde similiter probat, non solùm huiusmodi habitus augeri moraliter in ratione gratiæ, aut amicitiæ cum Deo, sed etiam augeri physicè per maiorem intensionem qualitatis, quia ad huiusmodi augmentum proportionata dispositio est intensissima operatio, quæ ab habitu præexistenti oriri possit.

Secunda conclusio. Homines iusti per actus 29. æquales charitatis, ita crescunt in iustitia & sanctitate, vt per illos acceptentur ad maiorem gloriam cœlestem, quàm si perseuerauerint sint infallibiliter adepturi, etiamsi nunquam habeant alium actum intensiorem charitatis. Hæc conclusio sequitur ex præcedenti. nam sanctitatem & iustitiam, in qua probauimus crescere iustos per actus æquales, debemus affirmare esse rationem habendi maiorem gloriam: illa enim maior sanctificatio, de qua loquitur Paulus ad Roman. 6. & de qua Trident. intelligit illa vltima verba Apocalyps. *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc*, sine dubio est illa, secundùm quam futurum est præmium beatitudinis, vt indicant illa verba Pauli subsequentia. *Habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem verò* Rom. 6. *vitam æternam.* Et illa verba Apocal. *Qui sanctus est,* Apoc. vlt. *sanctificetur adhuc*, reddit rationem: *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, dare vnicuique secundùm opera sua.* At per actus æquales crescunt iusti in ea sanctitate, de qua huiusmodi testimonia loquuntur; ergo per actus æquales ita homo crescit in sanctitate, vt ratione huius augmenti ordinetur in maiorem beatitudinem.

Secundò idem probatur ex Paulo 1. ad Cor. 15. 30. vbi cùm multa dixisset de resurrectione, & de beatitudine futura, concludit. *Itaque fratres stabiles* 1. Cor. 15. *estote, & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper, scientes quòd labor vester non erit inanis in Domino*; scilicet, quia futurum est præmium de quo locutus fuerat. quæ verba Tridentinum sess. 6. cap. 16. etiam intelligit de præmio vitæ æternæ,

quod proponendum eſt iuſtis: at qui perſeuerat in primo feruore ſemper æqualiter operando, manifeſtè eſt ſtabilis, firmus, & immobilis; ergo qui operatur æqualiter ſecundùm intenſionem primi feruoris, iuxta ſententiam Pauli, in maius beatitudinis præmium ordinatur. Denique, quia Concilium Tridentinum ſeſſ. citata can. 32. diffinit.

Trident. *Iuſtificatum bonis operibus quæ ab eo per Dei gratiam fiunt, mereri augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ;* ſed qui operatur per actus charitatis æquales in intenſione, per Dei gratiam operatur; ergo meretur augmentum gratiæ & gloriæ. Quòd verò hoc augmentum gratiæ, & gloriæ infallibiliter ſit futurum, ſi iuſtus perſeueret, etiamſi nunquam efficiat alium actum intenſiorem, conſtat ex promiſſione Chriſti, Matth. 10.

Matth. 10. *Quicumque potum dederit vni ex minimis iſtis tantùm in nomine diſcipuli: Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Hoc eſt, tali operi debitam; ſed ſi iuſtus meretur per opera æqualia, aut minora augmentum gratiæ, & gloriæ, hoc augmentum eſt merces illorum operum; ergo ea opera non perdent mercedem ſuam talis augmenti.

31. Ad hoc argumentum Bañez tria reſpondet. Primum bonorum operum præmium non eſſe ſolam beatitudinem eſſentialem, quæ conſiſtit in viſione Dei, ſed etiam alia præmia accidentalia, in quibus ſaltem creſcet præmium eorum, qui ſine maiori intenſione operantur, quamquam beatitudo in ratione viſionis Dei non ſit maior futura; ac proinde Concilium non dixiſſe Iuſtos per omnia opera mereri augmentum beatitudinis eſſentialis, aut vitæ æternæ, ſed gloriæ quæ etiam amplectitur præmia accidentalia. Secundum addit, quamuis viſio Dei in ratione viſionis maior futura non ſit propter opera æqualia, futuram tamen eſſe maiorem in ratione præmij; collata enim propter diuerſos titulos operum ſimilium, conſequenter eſſe maius præmium, quàm collata propter vnum tantum opus. Tertium aſſerit, quamuis iuſti mereantur augmentum gratiæ, hoc tamen augmentum eſſe iuſtis reddendum, ſi per actum intenſiorem diſponantur ad illud.

32. Hæc tamen tria non ſufficiunt ad oſtendendum ſententiam quam impugnamus, non eſſe contrariam modo loquendi ſacræ Scripturæ, & Tridentini. nam licèt præter eſſentialem beatitudinem futura ſint alia præmia accidentalia, nihilominus in teſtimoniis adductis, & quando Patres de præmio bonorum operum loquuntur, manifeſtè eſt ſermo de præmio beatitudinis, quatenus beatitudo eſt; non verò de præmio accidentali: quoniam in locis ſuprà citatis ad Rom. 6. & 1. Corinth. 15. apertè loquitur Paulus de præmio vitæ æternæ, & ideo admonet adhibere membra noſtra ad ſeruiendum iuſtitiæ, & vt ſtemus firmi bene operando, quia labor noſter habiturus eſt præmium vitæ æternæ, & ideo non eſt futurus inanis. Quæ verba Trident. cap. 16. exponit de vitæ æternæ præmio: nullus autem prudenter admonet ad progrediendum in bonis operibus, quia ex illis futurum eſt idem præmium, quod aliàs ſine ſimilibus operibus propter præcedentia habendum ſit: ergo Paulus neceſſariò eſt intelligendus de nouo augmento præmij vitæ æternæ, conferendo ratione bonorum operum. Præterea Patres ita maiorem habent rationem præmij eſſentialis, vt comparatione huius, reliqua omnia dicant eſſe nihil, & nominatim Auguſtinus

Auguſt. ſerm. 16. de verbis Apoſtoli ait: *Quidquid Deus tibi promiſit, non valet aliquid præter ipſum Deum: omnino non faciaret Deus, niſi mihi promitteret ipſum Deum.* Inde colligit ex noſtris operibus non eſſe procurandum aliud præmium, quàm diuinum promiſſum: hoc eſt, vt ille inquit, quàm faciem Dei. Denique quia Trident. canon. 32. cùm loquitur de augmento gratiæ & gloriæ, neceſſariò intelligitur de illo augmento gloriæ, quod reſpondet augmento gratiæ; quod quidem eſt gloria eſſentialis, quæ inæqualis futura eſt pro inæqualitate gratiæ iuſtificantis; ergo Tridentinum neceſſariò eſt intelligendum de vitæ æternæ augmento, quando diffinit iuſtos per bona opera mereri augmentum gratiæ & gloriæ.

33. Quòd verò hoc præmium infallibiliter ſit futurum, etiamſi homo non efficiat alium actum intenſiorem conſtat; quia verba Chriſti non ſunt conditionata, ſi homo poſtea per actum magis feruentem diſpoſitus fuerit ad augmentum gratiæ & gloriæ, ſed abſolutè inquit: *Non perdet mercedem ſuam*; ergo hæc verba independenter ab illa conditione verificari debent: quod maximè verum eſt, quando verba ſunt promiſſoria, qualia ſunt verba prædicta. Cùm enim promiſſio abſoluta, & conditionata valde differant, promiſſor non poteſt ſine infidelitate verba promiſſionis abſolutæ conuertere in promiſſionem conditionatam: aliàs in nulla promiſſione poſſit eſſe aliquid firmum, ſi promiſſor poſſet interiùs intelligere id quod ex verbis promiſſionis intelligi non poteſt, vt in ſimili dicitur *l. quidquid adſtringente, ff. de verborum obligationibus.* Cùm ergo verba Chriſti ſenſum habeant abſolutæ promiſſionis, nulla ratione dici poteſt, illa eſſe intelligenda, ſi homo bene operetur poſtea per actum præſtantiorem, per quem diſpoſitus ſit ad augmentum gratiæ & gloriæ, quod pro quolibet opere promiſſum eſt.

34. Obiicit Bañez, quia de augmento habituum ſupernaturalium ea ratione debemus philoſophari, qua philoſophamur de habituum naturalium augmento, per quos tantùm poſſumus cognoſcere illa, quæ pertinent ad habitus ſupernaturales: ſed habitus naturales ſolùm creſcunt per actus ipſis intenſiores; ergo ſimiliter habitus ſupernaturales. Reſpondetur negando maiorem. nam virtutes infuſæ, vt ait D. Thom. non augentur effectiuè per actus, cùm tamen habitus acquiſiti effectiuè per ſuos actus augeantur. Vnde fit, vt huiuſmodi habitus non poſſint augeri proximè, niſi per actus intenſiores quàm ſint ipſi: cùm tamen infuſi etiam poſſint augeri per æquales. Cùm enim potentia, in qua eſt habitus infuſus, non poſſit efficere actum intenſiorem quàm ſit habitus, niſi extrinſecus per aliud principium adiuuetur, naturaliter ad augmentum habitus infuſi, non poteſt poſtulari actus intenſior, quem ille habitus efficere non poteſt, ſed naturalis diſpoſitio ad augmentum eſt ille actus, quo quis infuſo habitu vtitur pro ratione vitiũm ſuarum ſine negligentia.

35. Deinde obiicit, quia ſicut dilectio eſt diſpoſitio ad habitum charitatis, ita maior dilectio debet eſſe diſpoſitio ad maiorem habitum. nam fieri non poteſt, vt habitus intenſior non poſtulet intenſiorem diſpoſitionem, quàm habitus minus intenſus: at habitus qui præcedit augmentum charitatis ad ſui introductionem poſtulauit diſpoſitionem æqualiter intenſam, ratione cuius productus eſt; ergo ſubſequens augmentum per quod habitus ſit intenſior, neceſſariò poſtulat intenſiorem dilectionem, quàm fuerit diſpoſitio habitus præcedentis; ac proinde etiam quàm ipſe habitus qui in intenſione

sione illi dispositioni æqualis fuit. Respondetur quando cætera sunt paria, maiorem habitum postulare maiorem dispositionem, quàm ille, qui remissior est: si tamen ex alia parte sit inæqualitas, fieri posse vt eadem intensio, quæ est dispositio ad habitum æqualem, in alia circumstantia sit dispositio ad maiorem, quod contingit in re præsenti. nam in prima iustificatione ante actum charitatis non præsupponitur sanctitas, vt per talem actum homo mereatur de condigno infusionem habitus: postquam verò quis iustificatus est, & operatur per habitum quem habet, iam huiusmodi actus præsupponit sanctitatem à qua dignificetur, vt sit meritum de condigno: & ideo in prima iustificatione, actus solùm disponit ad certam habitus intensionem quam attingere potest sine merito de condigno: at verò in subsequenti actu iam incipit esse ratio condigni meriti, & ideò hic actus proximè disponit ad maiorem quamdam intensionem, quamuis non sit maior, quàm actus præcedens, nimirum quia est melior & dignior ratione sanctitatis à qua procedit, ad disponendum ad maius augmentum.

Sectio V.

An habitus gratiæ, & charitatis augeantur per actus remissiores, aut per continuationem eiusdem actus.

36. Controuersiam hanc difficilem reddit varietas sententiarum. Prima sententia est, iustos per actus remissos, neque mereri augmentum gratiæ, neque propter actus remissos vnquam hoc augmentum conferri. Ita Durand. in 1. dist. 17. q. 8. Secunda sententia est, iustos per omnes actus mereri augmentum gratiæ, illúdque statim assequi, non tamen augmentum charitatis, quod ratione actus remissioris in hac vita, aut in alia conferendus sit. Ita Victoria in relect. de augm. charit. p. 1. Tertia sententia tenet, iustos per omnes quidem actus charitatis mereri augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ; hæc tamen non augeri statim per actus remissos, sed tantùm quando homo per actus feruentiores disponitur ad huiusmodi augmentum, ita Bañes citatus sectione præcedenti. Quarta sententia affirmat, iustos per omnes actus charitatis mereri augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ; illud autem quod debetur actibus valdè remissis non conferri statim in hac vita, aut saltem non in ipso instanti quo efficiuntur actus remissiores. Ita Scotus in 4. dist. 21. quæst. 1. & planè hæc est sententia D. Thomæ in hoc art. vt suprà retulimus, vbi ait: *Omnem actum charitatis mereri augmentum illius, quamuis hoc augmentum non statim conferatur.* D. Thom. Quinta denique sententia tenet, iustos per omnes actus charitatis mereri augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ, & illud augmentum charitatis statim conferri, & succesſiuè crescere per continuationem temporalem eiusdem actus. Ita Gabriel, Maior, Almayn & alij, quos refert, & sequitur Suarez 3. p. t. 2. disp. 18. sect. 2. & 4.

37. Prima conclusio. Iusti per omnes actus charitatis quos post iustificationem eliciunt, verè ac propriè crescunt in iustitia, & sanctitate coram Deo, itavt per hoc augmentum crescant in amicitia cum Deo, & ab illo magis diligantur. Hæc conclusio videtur mihi certa, abstrahendo à modo quo huiusmodi augmentum sit, an scilicet fiat physicè, an verò alio modo infrà explicando. In hoc ergo sensu probatur primò conclusio ex verbis citatis Pauli ad Rom. 6. vbi Paulus agens de vero augmẽto sanctitatis, vt dicebamus, ad illud solùm exigit, vt iustus ita seruiat iustitiæ, sicut antea seruierat iniquitati, ad quod nulla intensio determinata est necessaria. Idem cõfirmatur ex iustificatione Abrahami, qui per voluntatem offerendi filium magis iustificatus est: at ad faciendam illam rem propter Deum, nulla determinata intensio fuit necessaria: si enim charitas vera sit, nempe voluntas implendi diuinam legem, vnus gradus talis charitatis si perseueret, & satis etiam ad martyrium; ergo ad crescendum in sanctitate nulla determinata intensio est necessaria. Secundò probatur hæc veritas ex August. serm. 5. de verbis Domini, vbi exponens illud Psalm. 111. *Dispersit, dedit pauperibus*, inquit: *Erogando pecuniam auges iustitiam: vide quid minuatur, & quid augeatur: minuitur pecunia, augetur iustitia: illud augetur quod in æternum es possessurus.* D. Thom. Vnde constat Augustinum loqui de augmento iustitiæ, quod augmenti beatitudinis causa futurum sit. Idem docet Basilius in Psalm. 83. circa illa verba: *Ibunt de virtute in virtutem. Quotidie*, inquit, *augent virtutem, qui vitam exercitio pietatis debitam amplexi sunt*; ipso ergo exercitio operum pietatis crescit sanctitas, & iustitia iusti. Basil. Eadem veritas constat ex diffinitione Trident. sess. 6. can. 10. vbi diffinit: *Iustificatos de die in diem crescere in iustitia, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma iustitiæ, cooperante fide bonis operibus*; Trident. quod, vt retulimus, sectione præcedenti, sine maiori intensione actus, quàm in habitu sit, fieri potest. Et de eisdem operibus intelligendum est, id quod dicit can. 24. *Bona opera non tantùm esse fructus iustitiæ, sed etiam esse causam augendi illam coram Deo.* Idem. Et ratione theologica probatur à simili, quia propter omnia peccata mortalia quæ post primum peccatum sequuntur, fit peccator in se peior, & Deo detestabilior, etiam si non in singulis operibus sit maior intensio, quàm in primo peccato; ergo homo sanctus per omnia opera sanctitatis, etiamsi non sint intensiora, fit in se melior, & sanctior, ac Deo magis dilectus. Neque enim in charitatis actibus potest esse minor vis ad promerendum gloriæ augmentum, quàm in malis peccatorum operibus ad merendum pœnæ incrementum.

38. Secunda conclusio. Iusti per omnes actus charitatis merentur augmentum gloriæ essentialis, ac proinde etiam gratiæ, & charitatis, de merito augmenti gratiæ & charitatis, apertè hanc conclusionem tradit D. Thom. art. 6. ad 1. & 2. art. 8. Et probatur ex verbis Christi Matth. 10. *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: Amen dico vobis non perdet mercedem suam.* Matth. 10. Circa hoc testimonium supponendum est. Primò in illo, per mercedem quæ promittitur, intelligi præmium beatitudinis essentialis, vt patet ex verbis Christi, Matth. 25. vbi regnum cœlorum tribuitur etiam propter hoc opus misericordiæ dandi potum sitienti: *Percipite*, Matth. 25. inquit, *Regnum quod vobis paratum est ab origine mundi: sitiui enim, & dedistis mihi bibere.* & infrà: *Quandiu vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Ex quibus verbis constat, Christum respexisse ad promissionem huius loci, *Qui dederit vni ex minimis istis*, &c. Vnde meritò de mercede beatitudinis intelligit hanc promissionem Trident. sess. 6. cap. vlt. Secundò est supponendum, Christum in hoc testimonio voluisse significare opus misericordiæ

cordiæ facillimum, & leuiſſimum, vt exponunt communiter Patres. nam ex parte perſonæ intelliguntur illa verba, *vni ex minimis iſtis*; leuitatem verò rei datæ ſignificant illa verba, *aqua frigida*, id eſt, qualis ex fonte accipitur, ex parte verò modi eius, qui confert, intelliguntur illa verba, *tantùm in nomine diſcipuli*. Vnde conſtat Chriſtum locutum eſſe de hoc opere abſtrahendo à qualibet determinata intenſione voluntatis iuſti qui operatur, vt apertè indicat illa excluſiua, tantùm in nomine diſcipuli.

39. Quibus præmiſſis, ex hoc teſtimonio conficitur efficaciſſimum argumentum. Nam in illo Chriſtus pro opere leuiſſimo promittit peculiare præmium eſſentiale, diuerſum ab illo quod conferendum eſſet iuſto, ratione ſanctitatis quæ in illo præſupponitur ad merendum per hanc actionem; ergo propter omnia opera charitatis ſimile præmium augendum eſt. Antecedens probatur, quia nullus exhortatur alterum ad faciendum aliquid per ſpem præmij, aliàs debiti, quod ſine tali nouo opere habendum ſit: loquitur ergo Chriſtus de nouo, & diſtincto præmio. Idem conſtat ex Trident. loco Trident. citato aſſerente: *Bonis operibus vſque adeò tribui in diuinis literis, vt etiam qui potum aquæ dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe ſua mercede cariturum.* Promitti autem tali operi mercedem aliàs debitam, & conferendam ſine tali opere, non eſt aliquid magnum tribui bonis operibus; ergo illa Chriſti verba de ſpeciali præmio neceſſariò intelliguntur. Idem etiam ſignificant illa aſſecurationis verba: *Amen dico vobis non perdet mercedem ſuam.* Neque enim aſſecuratio neceſſaria erat, ſi promiſſio intellecta non fuiſſet de peculiari præmio huius operis, ſed potiùs de alio maiori præmio, quod ratione gratiæ, & aliorum operum ſine quibus hominis iuſtitia non conſtat, conferendum certiſſimè eſt.

40. Secundò eadem concluſio poteſt confirmari ex 1.Cor.15. promiſſione Pauli 1. ad Corinth. 15. *Abundantes in opere Domini ſemper, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino.* Hæc enim verba vniuerſaliter ſunt intelligenda de omni opere bono, ſicut Tri- Trident. dentinum exponit cap. citato, inquiens: *Iuſtificatio proponenda eſſe Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono*, &c. expreſſit enim Concilium illam particulam *omni*, quæ in verbis Pauli implicita erat in illis vocibus, *abundate ſemper*, ſignificauit ergo Paulus nullum laborem hominis iuſtificaturum inanem, id eſt, ſine fructu præmij. Simile argumentum ſumitur ex eadem 1. ad Corinth. 8. 1.Cor 8. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet, ſecundum ſuum laborem: vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probauit: ſi cuius opus manſerit, mercedem accipiet.* At opera remiſſiora in iudicio probata manebunt, quia in eis nullus culpæ defectus inuenietur; ergo mercedem accipient. Simili modo argumentari Eccl.11. poſſumus ex promiſſione Eccleſiaſt. cap. 11. *Mitte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas*, id eſt, pauperes peregrinantes; *quia poſt multa tempora inuenies illum*, ſcilicet in retributione præmij. Quæ omnia cùm dicta ſint exhortando per ſpem præmij, ſunt neceſſariò intelligenda de præmio peculiari diſtincto ab illo, quod dabitur ratione præcedentis ſanctitatis. Vt enim dixi ſpes præmij iam debiti, non eſt apta ratio, vt quis per illam exhorteturad laborem nouum.

41. Tertiò probatur ex communi conſenſu Patrum, qui propter multiplicationem operum aſſerunt multiplicari præmium beatitudinis. Cyprianus epiſt. 26. ad quoſdam confeſſores qui diu detinebantur in carcere, ait: *Tot ſunt veſtra laudes, quot* Cypr. *dies, quot menſium curricula, tot incrementa meritorum.* Chryſoſtomus homil. 15. in Matth. inquit, *Si cer-* Chryſoſt. *ta eſt merces gemituum, & lacrymarum, quandiu & verbum, & ſtudium, aliaque quamplurima concurrerint; conſidera quanta ſit retributio conferenda.* Simili modo epiſt. 4. ad quoſdam Confeſſores: *Quando accedunt calumniæ verbera*, &c. *cogitate quàm coacerbata erunt retributiones.* Hieronymus 2. contra Iouinianum: *Apoſtolus die ac nocte operatur, & miniſtrat his qui* Hieron. *ſecum ſunt, qui vtique ideo hoc facit, vt plus laborans, plus aliquid mercedis accipiat.* Et infrà, *Qui plus, & qui minus ſeminat, ſcilicet per eleemoſynas, de parte ſunt dextra, & cùm vnius ſementis genus ſit, menſura, & numero differunt.* Auguſtinus lib. de ſancta virginitate, & cap 46. agens de fructu multiplici trigeſimo, ſexageſimo, & centeſimo, inquit: *Multa qui-* Auguſt. *dem ſunt dona, & alia alijs clariora, & aliquando vnius fructuoſius eſt donu paucioribus, ſed potioribus: alter inferioribus, ſed pluribus.* Quemadmodum autem *vel coaequentur, vel diſtinguantur, quis valeat indicare, dum tamen conſtet, & multa eſſe, & diuerſa, & in aeternum eſſe manſura.* Proſper 2. de vocatione gentium, ad finem. *Per laborem operum, per inſtantiam* Proſper. *ſupplicationum, per exercitia virtutum, fiunt incrementa meritorum.* Bernardus ſerm. de conuerſione ad Clericos cap. vlt. *Qui multa patiuntur, gaudeant,* Bernard. *vbi mercedis multiplicationem attendunt: gaudeant quod non tam perſecutio, quàm remuneratio augeatur: quia quo plura ſuſtinent pro Chriſto, eo copioſior merces manet apud ipſum, dummodo ſit iuſtitia in intentione, & Chriſtus in cauſa.* In quo teſtimonio ponderanda ſunt, *dummodo*, &c. Ex quibus conſtat, ad multiplicationem mercedis non eſſe neceſſariam maiorem intenſionem, ſed ſolùm intuitum iuſtitiæ ſi opera multiplicentur. His adiungi poſſunt Ambroſius 2. de Spiritu ſancto in prologo ad finem, & Beda 6. in Lucam, qui docent Chriſtum in illis verbis, Lucæ 21. *Capillus de capite veſtro non peribit,* Luc 21. ſignificaſſe, non ſolùm fortia geſta Sanctorum, ſed etiam tenuiſſimas cogitationes apud iuſtum Iudicem conſeruari, vt iuſta mercede donentur. *Quid,* Ambroſ. inquit Ambroſius, *mihi proderit, ſi Deus nouerit meos capillos? Illud mihi proficit, ſi bonorum operum teſtes, remunerationis gloria donet.* Et confirmatur ex Trident. citato can. 32. vbi diffinit: *Iuſtum per bona* Trident. *opera, quæ ab eo per Dei gratiam, & Chriſti meritum ſiunt, verè mereri augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit.* Vbi Concilium per illas voces, *quæ ab eo per Dei gratiam fiunt*, ſignificare voluit ea opera de quibus loquitur, ſcilicet quæ ita ſunt dona Dei, quæ etiam ſint ipſius iuſtificati merita: opera autem charitatis quamuis remiſſiora ſint, à iuſto fiunt per Chriſti gratiam; ergo ſunt meritoria augmenti gratiæ & gloriæ. Quæ diffinitio præter allegata teſtimonia deſumi potuit ex verbis Pauli ad Coloſſenſes 1. *Vt am-* Coloſſ 1. *buletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes*; opera enim remiſſiora charitatis Deo placent; ergo & ferunt fructum apud Deum. Notandum etiam eſt illud verbum Tridentini, *verè mereri augmentum gratiæ*, ex quo conſtat, eſſe intelligendum de augmento quod habeat propriam rationem præmij: huiuſmodi autem non eſt ſolùm illud augmentum morale, quod ex natura rei eſt coniunctum neceſſariò cum bonis operibus, ſed intelligendum eſſe de reali, & phyſico augmento gratiæ, quod à Deo per diſtinctam actionem fiat ad remunerandum opera iuſtorum: hic enim ſolus effectus nouus poteſt habere propriam

rationem

rationem præmij. Vnde etiam colligitur iustos per omnia opera mereri augmentum charitatis; beatitudo enim aut posita est ex parte in actu charitatis, aut hic actus est proprius effectus charitatis, & ideo necesse est illum esse maiorem in illis, in quibus beatitudo maior est; ergo omnia opera quæ merentur augmentum gloriæ, merentur augmentum gratiæ, & sanctitatis, & charitatis.

42. Tertia conclusio. Iusti per continuationem operum charitatis, verè merentur augmentum gloriæ, gratiæ, & charitatis, sicut etiam per multiplicationem similium operum. Hæc conclusio est contra Bañes qui dub. 3. concluſ. 2. asserit. Si contingat quòd aliquis continuat actum dilectionis cum eadem intensione, cum qua cœpit, nó meretur maius augmentum gratiæ, charitatis, aut gloriæ, quàm si in vnico instanti præcisè haberet eumdem actum. Addit verò, quamuis actus per continuationem non mereatur maius augmentum, mereri tamen illud ipsum quod meruit in primo instanti. Quæ sententia impugnatur. Primò, quia continuatio actus charitatis, v.g. per horam maioris laudis est, & maioris momenti apud Deum, quàm repetitio vnius, aut alterius actus æqualis in intensione; qui tamen duo, aut tres actus, breuissimo tempore durant intra spatium illius horæ. Quis enim putet digniorem esse maiori retributione illum qui diligere cœpit, & interrupta dilectione, iterum breuissimo tempore repetit similem actum, postea verò in tota hora nihil operatus est; quàm illum qui tota hora perstitit in continua dilectione, & contemplatione? atqui ille qui repetit vnum, & alterum actum in minori temporis mora, meretur augmentum gratiæ, charitatis, & gloriæ, vt concedit Bañes; ergo ille qui perstitit in continua dilectione, pari ratione meretur augmentum gratiæ, & gloriæ. Et confirmatur ex illo Ecclesiast. 2. *Ne festines in tempore ebductionis: sustine sustentationes Dei*, id est, quibus Deus expectatur: *Coniungere Deo, & sustine, vt crescat in nouissimo vita tua*, scilicet maioti felicitatis augmento, vt Ianſenius interpretatur: illud autem verbum sustinendi, nihil aliud nisi perseuerantiam significat. Simili ratione Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens, procedit, & crescit vsque ad perfectum diem.* quibus significatur solam semitæ longitudinem in via iustitiæ, esse rationem procedendi, & crescendi.

43. Secundò, eadem veritas probatur ex communi consensu Patrum; Cyprianus enim epist. citata, inquit: *Ad fastigia altiora, mora ipsa passionis ascenditur*, & infrà: *Quo longior vestra pugna, hoc corona sublimior.* Hieronymus 2. contra Iouinianum, ad obiectionem Iouiniani desumptam ex parabola duorum filiorum, Lucæ 15. Ad illud, inquit, quod dicis, inter fratrem qui semper cum fratre fuit, & qui postea pœnitens est receptus, nihil discrepare adiicio: *Aliud est pœnitentem esse, & lachrimis veniam deprecari: aliud semper esse cum patre*; quod Hieronymus colligit, ex responsione patris quæ refertur in ea parabola. Cùm enim alter filius temporis durationem obiecisset, inquiens: *Ecce tot annis seruio tibi.* Pater respondit, *fili omnia mea tua sunt.* Non ergo respondit sola temporis maiori duratione non esse digniorem illum qui in bono perstitit, sed potiùs insinuat maiorem perseuerantiam cæteris paribus augere coronam. Similiter Clemens Alexandrinus, lib. 4. stromat. pag. 6. *Sunt apud Dominum plures mansiones, & præclara remunerationes, pro horas numero non aquales.* Bernard. in sermone declamatorio circa illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*; agens cum quodam adolescente, qui vsque ad maiorem ætatem conuersionem differebat. *Computa*, inquit, *quid diebus singulis acquirere valeas, certus omninò apud Deum, nullum omnino bonum irremuneratum fore; & sicut non capillum de capite, sic nec momentum de tempore periturum.* Vulgaris est etiam idem Bernardus serm. 2. de Purificatione. *In via Dei non progredi, regredi est*; qui verò in eodem actu continuato perstitit, non regreditur in via Dei; ergo progreditur secundùm mentem Bernardi. Simili modo epist. 253. aliàs 254. docet: *Nullum esse medium tempus in quo quis neque proficiat, neque deficiat; in quo nec peior, nec melior sit.* Qui verò perstitit in actu continuato non deficit, nec fit peiot, vt patet; ergo proficit, & fit meliot; ac proinde dignior maiori retributione.

44. Quod verò Bañes asserit, per continuationem eiusdem operis, vel multiplicationem operum similium, mereri quidem iustum augmentum gratiæ, non tamen maius augmentum. Ratione manifesta impugnatur, quia de ratione augmenti est vt rei præexistenti aliquid addatur, vt docuit Aristot. 1. de generat. cap. 5. textu 34. ergo si iustus per opera remissa meretur augmentum gratiæ, necessariò meretur aliquid, quod adiiciatur gratiæ præexistenti; alioquin non meretur augmentum. Si enim aliquis per contritionem, vt quatuor, primò iustificatus est, per hanc contritionem non habet augmentum gratiæ, sed potiùs primò acquirit gratiam: sed per continuationem huius actus, vel per repetitionem similium, non meretur iustus aliud augmentum præter illud quod in primo instanti meretur; ergo per huiusmodi opera nullum prorsus augmentum meretur; in primo enim, vt constat, nullum augmentum gratiæ meritus est: atqui necessariò dicendum est iustum per hos actus mereri augmentum; ergo dicendum est etiam mereri aliquid, quod de noua addatur gratiæ præexisteuti.

45. Quarta conclusio. Augmentum gratiæ, & gloriæ quod iusti merentur per actus remissos, vel per eiusdem actus continuationem infallibiliter illis aliquando redditur, si in gratia perseuerauerint, etiamsi postea nullum efficiant actum intensiorem. Hæc etiam est contra Bañes, & probatur manifestè ex promissionibus Christi, qui non tantùm dixit, omnia opera mereri, sed etiam omnia opera consecutura esse suam mercedem, Matth. 10. *Non perdet mercedem suam.* Et Trident. *Non est sua merce carituru.* Loquebantur verò Christus, & Concilium de facillimo opere tribuendi potum aquæ tantùm in nomine discipuli, Ecclesiast. 11. *Post multa tempora inuenies illum.* Ecclesiast. 12. *Benefac iusto, & inuenies retributionem magnam, si non ab ipso, certè à Domino.* & 1. Corinth. 13. *Si cuius opus manserit, mercedem accipiet.* In quibus locis non tantum de merito ipso, quàm de consecutione mercedis sermo est. Ex quibus hoc argumentum formari potest: verba promissionis qualia hæc sunt, implenda sunt independenter à conditione quæ in ipsa promissione posita non sit: alioqui nulla promissio constare posset, si promissor subiungere posset conditiones antè non positas: in his verò promissionibus non ponitur vlla conditio subsequentis actus feruentioris, & in illis promittitur speciale præmium, etiam ratione operum leuium; ergo hoc præmium iustis necessariò conferendum est si in gratia decesserint, etiamsi postea nullum efficiant actum feruentiorem.

Vnde

45. Vnde conſtat, diuerſam eſſe rationem in conditione perſeuerantiæ in gratia, & in altera conditione actus feruentioris; illa enim prior conditio ſæpè à Deo expreſſa eſt, præſertim Ezechielis 18. & 33. hominem ſcilicet moriturum eſſe in ſua iniquitate, ſi poſt opera bona peccatum commiſit, neque egerit pœnitentiam. Deinde ex ipſa natura rei ea conditio in promiſſione gloriæ neceſſariò intelligitur, vt enim docet D. Thom. 2. 2. quæſt. 110. art. 3. ad 5. ex Seneca, & Tullio, Promiſſio omnis eo modo eſt intelligenda, ſi non mutetur ſtatus perſonarum, rerum, & negotiorum: ſi verò iuſtus poſt bona opera peccatum committat, mutatio fit in re maximè pertinenti ad negotium de quo agitur; neque enim promiſſio titulo amicitiæ implenda eſſe intelligitur, etiamſi ille, cui fit promiſſio, fiat inimicus, qualis Deo homo fit per peccatum. At verò conditio operis feruentioris, neque vnquam à Chriſto expreſſa eſt, nec ex eius promiſſione potuit intelligi; ergo ipſius promiſſio implenda eſt independenter ab hac conditione. Et confirmatur. nam illa verba Chriſti liberalem admodum continent promiſſionem, per quam magnum quid tribuitur bonis operibus, vt exponunt communiter Patres; ac proinde illa verba aliquem effectum ſortiri debent: at iuxta ſententiam quam impugnamus, nullum prorſus effectum habere poſſunt. nam ſi iuſtus poſt opera remiſſa non efficiat actum feruentiorem, non eſt habiturus augmentum gratiæ & gloriæ, quod meritus fuerat; ſi verò efficiat actum feruentiorem, nihil plus eſt habiturus titulo præcedentium operum, quàm habiturus eſſet ſi Chriſtus ratione illorum nihil promiſiſſet, neque iuſtus illa effeciſſet. ergo, &c.

47. Reſponderi poteſt, ex illa promiſſione hunc effectum ſequi, vt augmentum debitum actui intenſiori detur etiam ſicut debitum ob opus remiſſum; ac proinde cum maiori ratione præmij. Contrà eſt, quia vt dicit Concilium, liberalitas quædam magna eſt in ea promiſſione: conferre autem titulo duplicis operis illud quod debetur ſolùm ratione vnius, & quod vni operi infallibiliter dandum eſſet, non eſt remuneratoris valdè liberalis, ſed potiùs in remunerando parci; ergo in illa promiſſione aliquis alius effectus intelligendus eſt. Præterea falſum eſt, aliquod bonum eſſe maius præmium ex eo quod detur propter obligationem duplicis operis, vt patet à contrario: neque enim maiori pœna punitur ille, qui propter duo homicidia capite plectitur, quàm ille, qui propter vnum homicidium idem ſuſtinet malum; imò potiùs cum hoc videtur agi ſeuerius, qui tantum malum ſuſtinet propter vnum homicidium, quantum alter propter duo; ergo pari ratione non afficitur maiori præmio ille, qui quamuis propter plura opera, maius tamen bonum non recipit. Vnde in illa parabola laboratorum, illi, qui eumdem denarium receperant propter maiorem laborem, æquales tamen ſenſerunt ipſis eſſe factos alios, qui propter minorem laborem eumdem denarium receperant. *Æquales*, inquiunt, *nobis illos feciſti*. Quibus Paterfamilias non reſpondit ſe illis maius præmium dediſſe, nempe eumdem denarium titulo maioris operis, ſed reſpondit ſe ex ſua ſubſtantia velle dare vni ſicut alteri.

48. Denique hæc ſententia refellenda eſt ab abſurdo, eo ſolùm quòd poſſet eſſe valde nociua Chriſtianis moribus. nam licèt ex vna parte videatur mouere ad maiorem feruorem aſſerendo, illum eſſe neceſſarium ad augendum meritum; ex alia tamen parte mouere poteſt, vt ſæpiſſimè relinquantur bona opera iam inchoata. Si enim augmentum præmij non eſt futurum ex eo quòd quis perſiſtat in opere eodem feruore cum quo incepit, vt difficillimum eſt creſcente afflictione & labore, augere & feruorem ſupra promptitudinem cum qua quis incepit, quando multo minor erat difficultas: ita etiam paucißimi ſunt, qui etiam creſcentibus difficultatibus, non ſolùm nihil remittant de primo feruore, ſed etiam illum augeant. Vnde etiam ſequitur, ſæpiſſimè poſſe iuſtum relinquere inchoata illa opera, quæ incepit ſine vllo diſpendio meriti ſui, aut præmij; quia ſæpiſſimè poteſt iudicare ſe præſentibus difficultatibus non habere maiorem promptitudinem, quàm dum ſine difficultatibus opus incepit.

49. Vt autem hoc clariùs conſtet, obſeruandum eſt, quando virtus agendi operatur ſine vlla reſiſtentia, facillimum eſſe cum magna promptitudine, & tota virtute operari. E contrà verò eſſet difficile eamdem promptitudinem conſeruare, etiam aduenientibus nobis difficultatibus; & ideo magni habendi ſunt, qui ſemper conſeruant aliquam partem primi feruoris: conſtat autem pluris habendos eſſe illos, qui non ſolùm partem, ſed etiam totum feruorem conſeruant cum quo inceperunt. Iuxta ſententiam verò quam impugnamus, id non eſt ſatis ad augendum præmium, niſi etiam augeatur promptitudo ſuper omnem aliam, quæ aliquando in iuſto fuit. Hinc verò clarè ſequitur, eos qui ieiunia, aut alios labores cum promptitudine inceperunt, poſtea verò maioribus difficultatibus fracti, hæc opera reliquerunt, nihilominus eſſe habituros apud Deum tantum præmium, quantum illos, qui cum tota priori promptitudine perſeuerant in ieiunio, oratione, & laboribus, pro ſalute proximorum ſuſceptis: quod ſi verum eſt, vt Hieronymus argumentatur contra Iouinianum, quis non tenetur etiam electorum Dei, ſcilicet ad relinquenda, ſeu non perficienda opera ſupererogationis inchoata? Paulus autem vt huic occurreret tentationi, ad Galat. 6. ait: *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim ſuo metemus*; Galat. 6. non quidem illud ſolùm, quòd meteremus propter præcedentem voluntatem, etiam deficientes in opere inchoato; ſed quia ſi non deficiamus, id eſt, ſi perfecerimus opus inchoatum, maius accipiemus præmium, vt enim retulimus ex Chryſoſtomo, & Cypriano, *Quo longior eſt pugna, eo erit corona ſublimior*. &, vt ait Proſper, ex Auguſt. ſentent. 93. *Dum fidei conſtantia probatur, gloria retributionis augetur*. & ſentent. 99. *Quanto iuſti acriùs impetuntur, tanto glorioſius coronantur*. Probatur autem fidei conſtantia, ſi quis in illa perſiſtat tempore tentationis, & perſecutionis, cum tanta promptitudine, atque extra difficultatem tentationis; ergo gloria retributionis augetur. Proſper.

50. Obiicies primò. Teſtimonium ſancti Vincentij Ferrarienſis ſerm. 1. & 4. in Septuageſima, dicentis: *Meritum eſſentiale non computari ſecundum multiplicitatem operum, vel temporis durationem, ſed ſecundùm maiorem charitatem*. Quod probat teſtimonio D. Auguſtini aſſerentis: *Non numeroſitas operum, non diuturnitas temporum, ſed maior charitas, maiórque voluntas, augent meritum*. Quæ etiam verba ſunt apud beatum Laurentium Iuſtinianum in lib. cui titulus eſt, *Lignum vitæ*, in tractat. de charitate, cap. 3. Reſpondetur, veriſſimum eſſe meritum eſſentiale non proportionari immediatè, & per ſe multitudini operum externorum, de quibus Vinc. Fer. Auguſt.

hi

hi Patres loquuntur, neque durationi temporis eorum, sed maiori charitati & meliori voluntati; maior tamen charitas actualis, non solùm dicitur illa, quæ intensior est, sed etiam illa, quæ est magis extensa, aut respicit obiectum materiale præstantius: & hoc est quod intendimus non solùm ratione intensionis, sed etiam ratione extensionis augeri meritùm, vt vbi est maior extensio actus charitatis, si tamen cætera sint paria, esse maius meritum, quàm tantùm intensio: contingere possit vt vbi minor est extensio, & minor multiplicatio actuum charitatis, ratione maioris intensionis sit maius meritum, nempe extensione per intensionem compensata, & superata.

51. Obiicies secundò, quia in futura vita, maior beatitudo in illis est futura, in quibus inuenitur maior charitas: non ergo erit maior propter multiplicationem similium actuum. Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia ratione maioris multitudinis actuum, cæteris paribus, inuenietur in futura vita maior charitas, & ideò maior beatitudo debita operibus remissis, nihilominus proportionata erit charitati. Quod si in antecedenti huius argumenti significetur, in illis esse futuram maiorem beatitudinem, in quibus in hac vita est maior charitas actualis secundùm intensionem, negandum est antecedens; est enim petitio principij, cùm in antecedenti ponatur illud ipsum de quo est controuersia, & ad quod probandum argumentum conficitur; iam enim diximus præmium augeri non ex sola maiori intensione, sed etiam ex aliis capitibus.

Sectio VI.

Quando conferatur iustis augmentum gratiæ & charitatis, quod merentur per actus remissos.

52. Circa tempus in quo confertur augmentum debitum operibus remissis, similiter variè sentiunt Doctores. Aliqui enim putant conferri in futura vita. Ita Scotus, & videtur sententia D. Thomæ in 2. sententiarum. Alij verò docent conferri statim atque efficitur actus remissus, inter quos aliqui Recentiores quos infrà referam, existimant, actus remissos etiam in primo instanti mereri, & assequi statim certum quoddam augmentum. Alij verò putant, quando augmentum charitatis dicitur conferri statim propter opera remissa, duplicem sensum esse posse: prior est conferri in ipso primo instanti in quo intrinsecè incipit actus remissus, & in hoc sensu procedit sententia præcedens. Posterior sensus esse potest, hoc augmentum non differri vsque ad futuram vitam, neque vsque ad futurum tempus quo multiplicetur, vel intendatur, sed conferri statim atque actus finitur, vel quando per tempus continuatur, licèt non detur in primo instanti: & in hoc sensu posteriori defenditur ab aliis Recentioribus, & ita explicat D. Thomam in hoc articulo, vbi ait: *Licèt omnes actus charitatis mereantur augmentum illius, & gratia statim, tamen gratiam, & charitatem non augeri per omnes actus.* Quæ verba commodum sensum habere possunt, si dicamus augmentum gratiæ, & charitatis, quod debetur propter opera remissa, conferri in tempore, quo actus continuatur, vel in instanti, in quo perficietur. Itaque iuxta hos Doctores, D. Thom. non loquitur de augmento simul tempore comitanti, quod confertur homini operanti; hoc enim augmentum simul concomitans solùm nascitur ex actu proportionato in intensione, qui actus in eodem instanti in quo incipit, habet proportionatum augmentum habitus gratiæ, & charitatis; non tamen est intelligendus de augmento illo, quod debetur propter actum remissum; hic enim confertur quancto actus hic continuatur, vel quando perficitur. Alij verò medio modo opinantur, scilicet hoc augmentum conferri non statim, nec in futura vita, sed quando exercetur potentia postea per plures actus remissos, vel per aliquem actum intensiorem. Alij denique vtuntur alio temperamento, asserunt enim augmentum gratiæ conferri statim etiam in primo instanti; augmentum verò charitatis aut nunquam conferri, aut conferri in futura vita, ad efficiendam beatitudinem proportionatam gratiæ, quam iustus comparauerat in hac vita.

53. Inter has omnes sententias longè probabilior mihi videtur illa quæ asserit, hoc augmentum statim dari, ita Gabriel, Almayn, Corduba, Aragon, Valentia, Suarez, Vasquez, quos refert & sequitur Turrianus disp. 68. dub. 4. &

Probatur primò ex verbis 2. ad Corinth. 9. *Et multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum iustitiæ vestræ.* Paulus enim in his verbis loquitur de augmento iustitiæ præsenti, & physico; ergo ex sententia Pauli, augmentum quod debetur propter opera pietatis, statim confertur: quod autem loquatur de augmento præsenti, patet ex verbis subsequentibus, *vt in omnibus locupletati abundetis.* Quod verò loquatur non solùm de morali, sed etiam de physico augmento iustitiæ, patet etiam: quia loquitur, de augmento quod habet rationem præmij, vt indicant verba præcedentia: *potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vobis.* Vt autem suprà diximus, augmentum iustitiæ quod habet rationem veri præmij, & ad quod opus bonum, sicut meritum comparatur, physicum augmentum esse debet, quòd procedat ex voluntate Dei iudicantis, & remunerantis bonum opus. Confirmatur ex verbis, Matth. 19. *Omnis qui reliquerit patrem, aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Illud enim *centuplum*, intelligendum est de præmio huius vitæ, diuerso ab illo, quod futurum est in beatitudine: intelligitur autem de præmio spiritualium donorùm, vt exponunt Hieronymus, Beda, & alij Patres: *Qui reliquerit*, inquiunt, *carnalia, spiritualia recipiet, quæ ita erunt, quasi parua numero, centenarium numerum comparetur.* Hæc autem spiritualia dona, quæ alia esse possunt, nisi augmentum sanctitatis, quod scimus in aliis locis promissum esse propter opera bona? ergo propter omne opus quod fit propter Deum, confertur tanquam præmium etiam in hac vita, aliquod augmentum sanctitatis: si autem confertur in hac vita, certè confertur statim, quia nulla est ratio ob quam in aliud tempus differatur.

54. Secundò probatur ex Patribus, Gregorius lib. 4. in 1. Regum cap. 4. circa illa verba, capitis 9. *Et ascendrunt in ciuitatem*, docet illa alia verba Apostoli 1. ad Corinth. 3. *Vnusquisque mercedem accipiet secundùm suum laborem*, non solùm esse intelligenda

ligenda de futura æterna rettributione, ſed etiam de præſenti. *Quia omnipotens Deus pro merito operis, tribuit augmenta virtutis.* Vbi Gregorius apertè loquitur de augmento virtutis, quòd ſit præmium debitum propter meritum operis. Baſilius in Pſalm. 38. circa illa verba: *Ibunt de virtute in virtutem*, ait: Quotidie augeri virtutem in his, qui in operibus veritatis continuò exercentur, & S. Vincentius Ferrerius ſerm. 5. in Septuageſim. dicit, maiorem eſſe futuram beatitudinem, ſecundùm quod quis habuerit in hac vita de charitate: quod etiam indicat D. Thom. in 4. diſt. 49. quæſt. 1. art. 4. quæſtiunc. 4. iuxta quam ſententiam, augmentum charitatis quod debetur bonis operibus, ſolùm in hac vita confertur; ac proinde ſtatim, quia in hac vita nullum aliud tempus rationabiliter poteſt aſſignari, in quo illud augmentum conferri debeat.

55. Tertiò huic ſententiæ plurimum fauet Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. loquendo enim de augmento iuſtitiæ præſenti docet: *Iuſtificatos per obſeruationem mandatorum creſcere in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam acceptam.* nam licèt hæc verba exponi poſſent probabiliter de augmento morali iuſtitiæ habitualis in ratione iuſtitiæ; probabiliores tamen coniecturæ perſuadent hæc verba eſſe intelligenda de reali augmento iuſtitiæ habitualis; hoc enim augmentum vocat Concilium renouationem: hoc inquit poſtulari ab Eccleſia cùm orat, *da nobis fidei, ſpei, & charitatis augmentum.* Suprà etiam cap. 7. Iuſtificationem vocauerat animi renouationem, per quam cum remiſſione peccatorum fides, ſpes, & charitas ſimul infundantur: loquitur ergo Concilium de augmento ſimili iuſtificationi, præſertim cùm mortale augmentum iuſtitiæ non ſemper contingat per augmentum fidei, ſpei, & charitatis: & tamen Concilium exponit augmentum de quo loquitur poſitum eſſe in augmento fidei, ſpei, & charitatis. Et certè dubium non eſt, quin per hoc augmentum magis propriè & faciliùs, decretum Concilij intelligatur, quàm per augmentum morale: quod re ipſa nihil aliud eſt, quàm ipſa bona opera, quæ moraliter denominant hominem meliorem, quandiu per peccatum mortale non retractantur.

Trident.

56. Obiicies, quia ſi gratia, & charitas, augentur ſtatim in primo inſtanti, ſequitur per actum continuatum augeri in infinitum, aut melius eſſe operari diſcontinuando actus, & ſi aliqua duratio interrumpatur, quàm operari tota duratione per vnum actum continuum: vtrumque autem eſt abſurdum. Sequela probatur manifeſtè, aut enim actus in inſtantibus ſubſequentibus eſt ratio alicuius augmenti diuiſibilis ſicut in primo inſtanti, aut non: ſi eſt ratio alicuius diuiſibilis augmenti, apertè ſequitur in fine durationis eſſe augmentum infinitum, quia cùm inſtantia ſint infinita in potentia, ſi ex ſingulis augmentum eſſet maius, ſimiliter eſſent infinitæ partes in potentia æquales, & reſpondentes illis inſtantibus, quæ eſſent ſatis ad componendum augmentum infinitum; ſi verò actus in ſubſequentibus inſtantibus non eſt ratio alicuius augmenti diuiſibilis; eſſet autem alius nouus actus ratio maioris augmenti, manifeſtè ſequitur melius eſſe operari diſcontinuando actus, quàm continuando vnum in maiori duratione.

57. Huic obiectioni variæ ſolutiones adhiberi ſolent. Reſponderur tamen ex Suario in opuſcul. relect. de reuiuiſcen. meritorum, diſp. 2. ſect. 3. Actum charitatis à iuſto elicitum primo inſtanti in quo eſt, eſſe meritorium certi, & diuiſibilis augmenti gratiæ, charitatis, & gloriæ: continuatum verò poſt primum illud inſtans per aliquod tempus non mereri aliquid de nouo, niſi ratione continuationis per illud tempus, quæ continuatio cùm ſemper ſit finita, ſicut & tempus per quod actus continuatur, hinc fieri vt quamuis infinita inſtantia in eo tempore ſint, non niſi finitum gratiæ charitatis, & gloriæ augmentum mereatur. In quolibet enim actu duo conſiderat, vnum eſt entitas, ſiue ſubſtantia actus exiſtentis, quæ tota eſt primo illo inſtanti: aliud eſt eiuſdem actus continuatio per aliquod tempus: & primum quidem habet actus à primo inſtanti, quo in rerum natura eſt; ſecundum verò non niſi poſtea; quare quidquid ratione ſuæ entitatis, ac ſubſtantiæ meretur actus, illud meretur à primo inſtanti ſuæ productionis: quidquid verò poſtea de nouo meretur, tribuendum ſit præcisè eius per tempus continuationi.

SECTIO VII.

An augmentum charitatis, & gloriæ creſcant ex inæqualitate operum, quæ imperantur à charitate.

PRo intelligentia obſeruandum eſt, fieri poſſe vt ex charitate æquali in intenſione, & multitudine graduum, imperentur actus aliarum virtutum inter ſe inæquales: ſicut enim quis per charitatem intenſam vt quatuor, poteſt efficaciter velle mori pro Chriſto: ita ex eadem charitatis intenſione poteſt velle orare, vel tribuere aliquam eleemoſynam. Ratio huius eſt, quia intenſio actus circa quodlibet obiectum, poteſt creſcere; & ideo circa obiectum orandi, aut dandi eleemoſynam, poteſt eſſe actus tam intenſus, quàm eſt ille quo quis vult dare vitam pro Chriſto. Ex eadem ratione patet, eſſe poſſe magis intenſum actum ex quo imperatur aliquis actus facilior & minus perfectus, vt etiam docet Beatus Vincentius ſerm. 4. in Septuageſima. Vnde concludit, vt illi qui meritoria opera faciunt, ratione maioris feruoris ex quo operantur, maius meritum habeant gratiæ & gloriæ, quàm alij, qui maiora opera externa faciunt cum minori feruore. Imò niſi noſtra voluntas ad feruorem diligendi excitetur, quo opus imperatum, habet maiorem difficultatem, voluntas eſt remiſſior, quàm quando imperantur alia opera faciliora: virtutes enim finitæ cæteris paribus remiſſiùs operantur, quando obſiſtit aliquod contrarium: quare non eſt difficile intellectu, tantam vel maiorem intenſionem in voluntate faciendi aliqua opera faciliora eſſe poſſe, quàm in voluntate faciendi alia difficillima; fieri enim poteſt vt quis det potum aquæ frigidæ ex actu charitatis æquale illi, ex quo alius vult pati crudele martyrium pro Chriſto. Difficultas ergo eſt, an quando ex affectu æquali in intenſione procedunt opera inæqualia in bonitate & præſtantia, ex hoc capite creſcat meritum gratiæ & gloriæ, tametſi interior affectus charitatis æqualis ſit in his qui operantur.

58.

Prima ſententia tenet, ex præſtantia actus virtutis,

59.

tutis, qui imperatur à charitate, eſſe quidem maius meritum alicuius præmij accidentalis; ex eo tamen capite non eſſe maius meritum gratiæ & gloriæ, ſi affectus interior, per quem huiuſmodi opera imperantur, in intenſione ſit æqualis. Ita opinatur Bañes artic. 6. dub. 5. concluſ. 6. vbi reprehendit Franciſcum Victoriam, quia docuit, fieri poſſe vt plus mereatur ille, qui affectu minus intenſo totam ſubſtantiam relinquit, quàm ille qui affectu magis intenſo tribuit aliquam leuem eleemoſynam. Vnde in relectione de augmento charitatis, loquendo de æqualitate ſecundùm intenſionem concl. 5. ait: Si quis cum æquali intentione charitatis det potum aquæ frigidæ, alius verò cum eadem intenſione ſanguinem, & vitam pro Chriſto, hos æqualiter mereti, & obtinere gloriam eſſentialem æqualem. Fundamenta huius ſententiæ infrà diſſoluam.

60. Pro declaratione autem veræ ſententiæ notandum etiam eſt, quando dicitur, meritum augeri etiam ex præſtantia operis à charitate imperati, duobus modis hoc poſſe intelligi. Primò diuiſim, vt ſcilicet vna pars augmenti reſpondeat actui charitatis: altera verò reſpondeat actui alterius virtutis. Secundò poteſt intelligi copulatiuè, ita ſcilicet, vt ex actu charitatis imperantis, opus præſtantius, & ex præſtantia operis imperati, conferatur maius præmium, quàm propter actum alium charitatis æquè intenſum, per quem tamen imperetur opus minus præſtans, quàm imperetur per alium, etiamſi in illo augmento nulla ſit pars, quæ non reſpondeat vtrique actui, vel quæ reſpondeat actui imperato, ſicut cauſæ totali illius partis.

61. Prima concluſio, ex præſtantia actus imperati per affectum charitatis æquè intenſum non creſcit meritum gratiæ, aut gloriæ diuiſim, ſicut ex cauſa totali alicuius operis eiuſdem augmenti. Probatur ex doctrina D. Thomæ 1.2.quæſt.17. art. 4. vbi docet, ex actu imperante, & imperato in genere moris fieri vnum actum. nam actus imperatus per extrinſecam denominationem participat bonitatem actus imperantis, & dicitur eſſe actus charitatis quando imperatur ex affectu charitatis. E contra verò actus imperans, quia refertur ad actum imperatum ſicut ad obiectum, ex illo habet intrinſecam perfectionem & bonitatem. Præterea etiam, quia ad eumdem actum refertur ſicut ad effectum, qui ex efficaci imperio infallibiliter ſequitur, & ideò virtute continetur in illo: quare præmium quod debetur operi bono imperato, idem ipſum debetur actui imperanti; & ideo impoſſibile eſt præmium quod debetur actui imperanti, & imperato ita diuidi, vt certa quædam ſit pars quæ reſpondeat operi imperato, quæ non etiam reſpondeat actui imperanti; ergo meritum gratiæ, & gloriæ non creſcit diuiſim ex præſtantia operis imperati, ſicut ex cauſa immediata, & ſufficienti alicuius diſtinctæ partis.

62. Secunda concluſio. Altero ſenſu meritum gratiæ, & gloriæ, cæteris paribus, eſt maius ex præſtantia operis honeſti, quod à charitate imperante ſumitur. Hæc concluſio ſumitur ex D.Thom. D.Thom. 1.2.quæſt.114. art. 4. ad 2. vbi ait: *Quando opus eſt laborioſum ex ſe, ex magnitudine laboris; tunc magnitudinem laboris pertinere ad augmentum meriti*; quæ doctrina bene congruit cum eo quod docuerat quæſt. 21. art. 4. *Etiamſi non omnis actus honeſtus ſit meritorius per ordinem ad communitatem politicam; omnem tamen actum bonum habere rationem meriti apud Deum, quantum eſt ex parte actus.* Ex qua doctrina ſequitur manifeſtè, quando per charitatem imperatur aliquod opus magis laborioſum, ex hoc capite augeri meritum. Et videtur ab Eccleſia diffinitum. nam contra Iouinianum non ſolùm definiuit, in quibuſdam eſſe maiora merita, ſed etiam hæc merita eſſe maiora ex operibus aliquarum virtutum, quàm ex operibus aliarum. Patet hoc ex Concilio Thelenſi, in quo primum hæreſis Iouiniani damnata eſt: cùm enim Pontifex illam damnaſſet, vt conſtat ex illius epiſtola ad Eccleſiam Mediolanenſem, Ambroſio cum aliis Epiſcopis ex Concilio Thelenſi reſpondit epiſt. 81. *Agreſtis, id eſt, luporum vitulatus eſt, nullam virginitatis gratiam, nullum caſtitatis ordinem ſeruare, diuerſos diuerſorum gradus abrogare meritorum, quaſi vna ſit palma, aut non abundent tituli præmiorum*; ergo eo tempore ſicut veritas fidei habita eſt, maius eſſe meritum in virginitate & continentia, quàm in caſtitate coniugali: hoc autem eſſe non poſſet, niſi ex præſtantia aliquarum virtutum meritum beatitudinis augeretur. nam ſi hoc ſolum creſcit ex maiori intenſione actus imperantis, quando hæc eſſet maior, eſſet maius meritum in ſtatu virginitatis; æquale verò quando eſſet æqualis, & minus quando eſſet minor: quare nullus poſſet eſſe ſenſus illius Eccleſiæ diffinitionis. Per illam ergo ſignificatur, quando cætera ſunt paria, in opere virginitatis eſſe maius meritum, quàm in ſola continentia coniugali. Quòd verò id intelligatur de inæqualitate in præmio eſſentialis beatitudinis, patet ex ſubſequenti probatione: inquit enim Concilium: Virgo præfertur, dicente Apoſtolo 1.Corinth.7. *Qui iungit virginem ſuam, bene facit, & qui non iungit, melius facit: melior virginitas per quam regni cœleſtis hæreditas acquiſita, & cœleſtium meritorum reperta ſucceſſio*; ergo ratione præmij Regni cœleſtis, dicitur eſſe maius meritum virginitatis: quod eſſe non poſſet, niſi quando in charitatis affectu eſt æqualis intenſio, maius ſit meritum, ex præſtantia operis virginitatis, quod ab illo affectu æquali imperatur. 1.Cor.7.

63. Idem probatur ex Hieronymo, qui eodem tempore ſcripſit contra hæreſim Iouinianum tunc exortam; is autem lib. 1. contra Iouinianum circa principium, inquit: *Proferant aduerſarij ſententias, vt pateat quid noxium ſit. Dicit virgines, viduas, & maritatas, ſi non diſcrepent cæteris operibus, eiuſdem eſſe meriti.* Hunc errorem refellit Hieronymus, dicens, in virginibus eſſe maius meritum, quia virgines magis amantur à Chriſto, quàm caſti coniugati. Et paulo pòſt expendens illa verba; *Sunt qui ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum cœlorum*, inquit. *Si hi mercedem habebunt Regnum cœlorum; ergo qui ſe non caſtrauerunt, locum non poſſunt accipere caſtratorum.* Intelligit enim ſi cætera ſint paria, id eſt, ſi aliunde non ſit aliquis exceſſus per quem virginitatis præſtantia compenſetur. & infrà docet: *Virgines, & continentes futuros eſſe beatiores*, intelligi debet ſi cætera ſint paria. Denique, ait: *Fructus ſanctificationis, qui vel ad virginitatem, vel continentiam pertinet, vita penſatur aterna*; ergo D. Hieronymus Iouiniani ſententiam putauit refellendam, quia etiam in ſanctitate, & in beatitudine, & præmio, quod reſpondet maiori ſanctitati, futura eſt inæqualitas ratione virginitatis, & caſtitatis coniugalis, etſi non ſit diſcrepantia in cæteris operibus. Hieron. Idem. Idem.

64. Idem colligitur ex Auguſtinó, qui hæreſi 82. docet, hæretim Iouiniani ortam fuiſſe tempore iuuentutis ipſius Auguſtini, partem autem illius fuiſſe, virginitatem & continentiam caſtorum, coniugum atque fidelium meritis adæquari, proinde continentiam vtilem eſſe, non propter Regnum cœlorum, ſed ad fugandas moleſtas curas coniugij. Quem errorem impugnat Auguſtinus lib. de ſancta virginitate, præſertim à capite 20. vbi clarè docet, errorem eſſe, in vita æterna non eſſe futuram maiorem mercedem eorum, qui ſeruant continentiam: quod cap. 23. confirmat ex prædictis verbis, Matth. 19. *Sunt qui ſe ipſos caſtrauerunt propter Regnum cœlorum.* Deinde capite 24. ad argumentum Iouiniani reſpondet, licèt eorum qui operantur futurus ſit vnus denarius, hoc eſt, vnius & æqualis æternitatis, nihilominus quoniam futuræ ſunt plures manſiones, & diſtantia gloriæ à gloria, in virginibus futurum eſſe maius præmium, atque hac ipſa ratione excitat iuuenes ad virginitatem; ergo ex mente Auguſtini contra errorem Iouiniani eſt dicendum, ex præſtantia virginitatis futurum eſſe maius præmium, etiam eſſentialis beatitudinis: eadem autem eſt ratio de præſtantia cuiuſque honeſti boni operis ex charitate imperati.

Matth. 19.

65. Similiter probatur claris Scripturæ teſtimoniis. Nam primò in genere 1. ad Corinth. 3. dicit Paulus: *Vnuſquiſque mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*; ergo ille, qui ex æquali affectu charitatis mouetur ad præſtantiorem laborem, maiorem etiam mercedem recipiet. In ſpecie verò augmentum præmij Regni cœleſtis propter præſtantiam continentiæ ſupra caſtitatem coniugalem, Chriſtus ſignificauit, Matth. 19. *Sunt qui ſe caſtrauerunt propter Regnum cœlorum, qui poteſt capere capiat.* Quibus ſignificauit excellentiam, & difficultatem operis, nec eſſe præceptum illius, eſſe tamen excellentiſſimum Regni cœlorum præmium, maius quàm illorum, qui caſtitatem coniugij obſeruant.

1. Cor. 3.

Matth. 19.

66. Idem augmentum ſignificauit Chriſtus, Marci 12. & Lucæ 21. cùm dixit, viduam quæ vnum quadrantem miſit in gazophylacium plus cæteris miſiſſe, quia cæteri in rebus quibus abundabant; ea verò ex ſua penuria miſit totum victum ſuum: ſignificauit ergo Chriſtus opus illius viduæ fuiſſe magis Deo gratum, propter affectum præſtantiorem. Ad ſignificandum autem hanc præſtantiam affectus, rationem reddidit, quia illa ex ſua penuria quadrantem miſerat, hoc eſt, totum victum; ergo ex præſtantia, & difficultate operis imperati, in affectu imperante eſt maior bonitas, & maius meritum. Vtrumque rectè expreſſerunt Gregorius homil. 5. in Euangelia, & Beda circa allegata verba: *Quia Deus*, inquiunt, *affectum, & conſcientiam intuetur, neque perpendit quantum, ſed ex quanto*, id eſt, ex quanta diuitiarum copia; ergo apud Deum ex hoc capite creſcit meritum.

Greg. & Bed.

67. Manifeſtum eſt etiam teſtimonium 1. ad Corinth. 6. quo vtuntur Patres ſuprà citati: ibi enim non ſolùm docet Paulus meliùs facere illum, qui non iungit virginem ſuam matrimonio, ſed ad explicandum ex hoc meliori opere ſperandam eſſe maiorem beatitudinem, ſubdit: viduam facultatem habere ducendi alium in virum: *Beatior autem*, inquit, *erit ſi ſic permanſerit*, id eſt, vt Ambroſius exponit, melius eſſe vt ſe contineat, vt dignior ſit in futurum. Eadem ratione intellexit hoc teſtimonium ſanctus Cyprianus lib. de habitu virginum ad finem; ergo apud hos Patres ſenſus fuit propter inæqualitatem operis, futurum eſſe præmium inæquale. Tandem Auguſt. lib. de ſancta virginit. cap. 21. apertè docet, ſecundùm fidem diuinarum Scripturarum credendum eſſe, ſtatum fidelium coniugatorum ſi comparetur cum ſtatu continentiæ, impedimentum eſſe non ſolùm ad meritum vitæ æternæ, ſed etiam ad excellentem gloriam & honorem, qui perpetuæ continentiæ reſeruatur. Vbi Auguſtinus meritum vitæ æternæ, & gloriam accidentalem virginum, apertè diſtinxit, & docet, ſecundùm fidem in vtroque eſſe agnoſcendam inæqualitatem inter continentes, & coniugatos.

1. Cor. 6.

68. Denique ratione manifeſta probatur, quia quando affectus charitatis eſt præſtantior, maius eſt illius meritum eſſentiale reſpectu beatitudinis eſſentialis: ſed quando per æqualem affectus intenſionem opera inæqualia imperantur, maior eſt perfectio charitatis in affectuæ què intenſo, per quem præſtantius opus imperatur; ergo maius etiam in illo eſt meritum, cæteris paribus. Maior eſt certa. Minor probatur, quia diligere eſſentialiter eſt velle alicui bonum, vt bonum illius eſt: quare velle alicui maius bonum, maior eſt etiam illius dilectio; in illo enim actu, intrinſecus ordo eſt ad bonum deſideratum amico. Vnde in illo actu in quo eſt ordo ad maius amici bonum, intrinſeca eſt quædam maior perfectio dilectionis, licèt in gradibus intenſionis non ſit inæqualitas. Qui autem per affectum æquè intenſum imperat præſtantius opus, maius bonum vult Deo, quàm qui imperat opus minus perfectum; ergo quando per affectum imperatur opus præſtantius, in eo affectu eſt maior perfectio dilectionis; ac proinde maius meritum. Confirmatur eadem minor propoſitio. nam Geneſ. 22. Deus ſignificare volens præſtantiam voluntatis Abrahæ ratione cuius magnum ſanctitatis augmentum comparauit, ex obiecto illam ſignificauit, inquiens: *Quia feciſti rem hanc, & non peperciſti vnigenito filio tuo, propter me*, & Marci 12. & Lucæ 21. Præſtantia voluntatis illius viduæ ſignificatur, quia ex ſua penuria totum victum ſuum obtulit, cùm cæteri ex rebus quibus abundabant, obtuliſſent; ergo hæc obiecta neceſſariam habent connexionem, ratione ſuæ præſtantiæ & difficultatis, cum aliqua maiori perfectione affectus & voluntatis: ſed non habent neceſſariam connexionem cum maiori intenſione, quia per æqualem intenſionem fieri poſſunt opera inæqualia; ergo præter perfectionem intenſionis agnoſcenda eſt in affectu, quædam alia perfectio obiectiua, quæ ſit ratio augendi meritum. In ſpecie verò quòd hoc contingat in voluntate per quam quis vult pati mortem pro Chriſto, videtur eſſe manifeſtum, Ioan. 15. cùm Chriſtus ait: *Maiorem dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam ſuam*, &c. ergo ex Chriſti ſententia, magis diligit Deum, qui æquali intenſione pro illo fundit ſanguinem, quàm ille qui tribuit cum eadem intenſione aquã frigidam.

Geneſ. 22.

Ioan. 15.

69. Reſpondet Bañes dub. 5. in fine, appellatione maioris dilectionis ſolùm intelligi, maius ſignum dilectionis, & hanc dici eſſe expoſitionem D. Thomę in eum locum. Sed certè D. Thomas non dicit per illas voces ſignificari ſolùm ſignum dilectionis: *ſed per eas effendi efficaciam dilectionis, quæ eſt vt quis mortem ſuſtineat, quod eſt ſignum maximæ dilectionis.*

D. Thom

dilectionis. Quare non dixit esse maximum signum dilectionis, sed signum maximæ dilectionis: quod valdè diuersum est. Nimirum cognouerat sanctus Doctor ex expositione Augustini, dilectionem tunc esse maximam, scilicet in perfectione obiectiua, quando pro dilectione contemnitur vita, vt patet ex August. lib. de natura & grat. cap. vlt. vbi cùm dixisset, inchoatam charitatem esse inchoatam iustitiam, & perfectam charitatem esse perfectam iustitiam, addidit: *Charitatem tunc esse maximam, quando pro ipsa contemnitur vita.* Quod probat subtiliter ex verbis Christi, Matth. 20. Cùm enim duo fratres Iacobus, & Ioannes prima loca à Christo postulassent, & suæ ignorantiæ responsum accepissent, vt significaret illa prima loca merito martyrij esse comparanda: *Potestis*, inquit, *bibere Calicem, quem ego bibiturus sum.* Itaque etiamsi in affectu intensionis sit æqualitas, multo maius est meritum in voluntate bibendi calicem passionis, quàm in voluntate dandi potum aquæ frigidæ.

Matth. 20.

70. Obiicit primò Bañes testimonium Lucæ 21. sæpiùs repetitum, vbi vidua dicitur plus obtulisse, quàm reliquos, non certè alia ratione, nisi quia maiori charitatis affectu duo tantùm minuta misit in gazophylacium; ergo magnitudo meriti ex maiori solùm intensione pensanda est, non verò ex aliis capitibus. Confirmatur hæc ratio ex communi modo loquendi Patrum, qui sæpè docent meritum ex interno affectu pensari, non ex opere externo. Gregorius homil. 5. in Euangelia: *Externa*, inquit, *nostra, quantumlibet parua, Deo sufficiunt, cor namque, & non substantiam pensat*; hoc est, interiorem affectum, non magnitudinem doni, quod offertur. Eodem modo loquitur S. Vincentius suprà: *Communis*, inquit, *doctrina sanctorum Doctorum est, quod meritum gratia in hoc mundo, & gloria in alio, magis est ex feruore spiritus, quàm ex multiplicatione bonorum operum, quanto enim quis plus, vel minùs habet de charitate, tanto apud Deum est maior, vel minor.* Qui Patres magis videntur loqui de magnitudine affectus, & actionis internæ, per quas quis operatur, quàm de magnitudine gratiæ habitualis. Quare communis sententia esse videtur, meritum commensurari semper cum intensione interioris affectus, non verò crescere ex aliis capitibus.

Gregor.

Vincent.

71. Pro solutione nota, in actibus voluntatis duplicem esse posse perfectionem, alteram intensionis, alteram verò obiectiuam, hoc est, desumptam ex obiecto. Perfectio intensionis est in actu voluntatis ex maiori conatu principij operantis circa obiectum; consistit autem in maiori multitudine partium circa idem obiectum. Perfectio verò obiectiua est illa, quæ in actu voluntatis desumitur ex præstantia obiecti. Quæ iterum duplex est; altera essentialis, quæ desumitur ex essentiali perfectione obiecti; qua ratione charitas essentialiter est perfectior, quàm cæteræ virtutes, quia illius obiectum primarium & formale, præstantius est. Alia verò est perfectio obiectiua individualis, quæ sumitur ex maiori præstantia obiecti intra eamdem speciem; qua ratione voluntas dandi magnam eleemosynam est melior, quàm voluntas dandi eleemosynam minorem, si cætera sint paria: & in electione mediorum ad finem, illa est prudentior & melior, per quam eligitur medium præstantius, & efficacius ad finem. Atque hoc modo affectus charitatis imperantis opus præstantius, melior est perfectione obiectiua desumpta ex maiori obiecti præstantia intra eam speciem. nam licèt opera charitate imperata inter se distinguantur, tamen conueniunt in ratione boni Deo desiderabilis; sub qua ratione debent amari, quando per affectum charitatis imperantur. Vtraque autem obiectiua perfectio essentialis, aut individualis, est in qualibet parte actus. nam quælibet pars actus respicit totum obiectum: atque hoc differt hæc perfectio obiectiua actus, à perfectione intensionis, quæ, vt constat, non est in qualibet actus parte, sed in tota partium aggregatione; cùm tamen perfectio obiectiua quæ respicit totum obiectum, in qualibet actus parte reperiatur.

Ex his ad obiectionem respondetur, opus illius 71.
viduæ fuisse Deo magis gratum, ratione maioris præstantiæ obiecti; hanc tamen maiorem præstantiam obiecti, non tantùm esse in maiori intensione, sed etiam in præstantiori ordine ad obiectum, & de hac maiori perfectione locutum fuisse Christum quando illam significauit per obiectum, quia scilicet illa vidua ex sua penuria quadrantem obtulit. Eodem modo respondetur ad confirmationem, magnitudinem quidem meriti, respondere magnitudini affectus; hinc tamen malè inferri, respondere solùm maiori intensioni. nam præter hanc præstantiam, est etiam altera intrinseca in actu, desumpta ex præstantia obiecti. Aduertendum verò est quòd sanctus Vincentius docet, cùm perfectio affectus crescat per intensionem, & ordinem ad obiectum præstantius, fieri posse vt propter maiorem intensionem in magno excessu, maius sit meritum in voluntate intensa faciendi opus minus præstans, quàm in voluntate remissa faciendi opus præstantius: ad hoc tamen necessarius est notabilis excessus in intensione, quando in operibus imperatis est magna inæqualitas, quod sanctus Vincentius significauit, dicens: *Maius esse meritum in illo, qui quasi ignitus magno feruore opera minora efficit.* Vnde patet S. Vincentium intellexisse, meritum crescere ex præstantia operis imperati: si enim intellexisset non crescere, dixisset, quemlibet leuem excessum in intensione, esse satis ad maius meritum, etiamsi opera sint longè minora, & tamen docuit esse necessarium magnum excessum. Idem.

Secundò obiicit Bañes, quia ex opposita sen- 73.
tentia sequitur quidam error contra fidem, scilicet meritum essentiale magis principaliter respondere aliis virtutibus, quàm virtuti charitatis: si enim hoc meritum crescit ex præstantia operis à charitate imperati, fieri potest vt quis minori charitate, plus mereatur fundendo sanguinem pro Christo, quàm tribuendo minorem eleemosynam maiori charitate; aut etiam quàm alius, qui cum æquali charitate aliquod leue opus facit: si autem hoc concedatur, videtur illud absurdum sequi. nam si ille, qui per actum intensum vt vnum, efficit aliquod opus leue, tantùm meretur vnum gradum gloriæ: alius verò qui ex affectu æquè intenso patitur martyrium, meretur, v. g. quatuor gradus gloriæ: ergo ex his quatuor gradibus tres respondent actui fortitudinis patiendi martyrium, vnus verò actui charitatis habenti vnum gradum intensionis: hoc autem est meritum magis crescere per actus aliarum virtutum, quàm per actum charitatis. Respondetur, fieri posse vt aliquis charitate minus intensa patiatur martyrium, & nihilominus plus meretur quàm alius, qui maiori, aut æquali intensione dat leuem eleemosynam: neque tamen propterea

in Martyre illo meritum creſcere magis ex actu fortitudinis imperato, quàm ex remiſſa charitate imperante; totum enim meritum illi remiſſæ charitatis reſpondet, quod in illa eſt intrinſeca perfectio obiectiua, quatenus eſt, imperium operis præſtantioris martyrij. Vnde non bene infertur, meritum magis creſcere per alias virtutes, quàm per charitatem. nam licèt opus aliquod intenſum, & perfectum alicuius virtutis inferioris, dicatur eſſe magis meritorium, quàm aliquis leuis, & remiſſus actus charitatis; non ideo, abſolutè loquendo, aliæ virtutes ſunt magis meritoriæ: ſicut abſolutè dici non poteſt argentum habere maiorem valorem, quàm aurum, quia magna argenti copia maioris valoris eſt, quàm quædam auri particula: maior enim valor alicuius rei tunc bene colligitur, ſi quando intenſio, & extenſio, atque duratio ſunt æquales in illa; tunc enim maior eſt valor, quàm in altera; non verò quando propter exceſſum accidentale intenſionis, vel extenſionis, maior eſt valor in inferiori, quàm in particula rei ſuperioris. Addendum etiam eſt, iuxta probabiliorem ſententiam, opera virtutum infuſarum eſſe meritoria quando efficiuntur à iuſtis, etiam ſi actu non imperentur à charitate: atque ita fieri poſſe, vt maius ſit meritum in intenſo actu fidei, aut ſpei, quàm in aliquo actu remiſſo charitatis; nihilominus, abſolutè loquendo, dicendum eſt, in actibus charitatis maius eſſe meritum, quia, cæteris paribus, ſine dubio in actibus charitatis maius meritum eſt.

74. Obiicit tertiò, quia præmium eſſentiale beatitudinis, commenſuratur cum eſſentiali perfectione vitæ Chriſtianæ, vt videtur docere D. Thom. 1. 2. quæſt. 184. art. 1. ad 2. & 1. 2.ae quæſt. 114. art. 4. cùm docet, iuſtum principalius mereri per charitatem, quàm per alias virtutes: at eſſentialis perfectio vitæ Chriſtianæ poſita eſt in ſola charitate; ergo eſſentiale præmium beatitudinis ſolùm reſpondet maiori intenſioni charitatis: alia verò præmia accidentalia aliis virtutibus, in quibus eſt accidentalis perfectio vitæ Chriſtianæ. Reſpondetur, magnitudinem præmij eſſentialis reſpondere perfectioni charitatis, non actualis, ſed habitualis, in qua iuſtus deceſſit: charitatem verò habitualem etiam ſecundùm intenſionem creſcere, non ex ſola intenſione actus, ſed etiam ex præſtantia operis imperati: ſicut etiam creſcit ex continuatione, vel multiplicatione actuum remiſſorum.

75. Denique obiicit, quia ſi charitas creſcit ex opere imperato, ac proinde eſt maxima quando imperat actum martyrij, ſequitur in Martyribus maiorem fuiſſe charitatem, quàm in omnibus confeſſoribus, & ſancto Ioanne, & beatiſſima Virgine, quæ non eſt mortua per martyrium. Reſpondetur negando ſequelam. Primò, quia multi ex confeſſoribus habuerunt voluntatem, & deſiderium efficax moriendi pro Chriſto, & vt moriendi occaſio offerretur, qua ratione per hanc voluntatem ſine actuali morte, potuit in illis eſſe meritum æqualis beatitudinis. Secundò, quia cùm hoc meritum augeatur per multiplicationem operum, & per intenſionem circa opera minus præſtantia, ita etiam fieri poteſt vt multi confeſſores, maiorem habeant beatitudinem. Quando ergo voluntas moriendi dicitur eſſe maxima charitas, non eſt ſermo de habituali, ſed de actuali: & rurſus de eadem non eſt ſermo de magnitudine intenſionis, ſed tantùm de magnitudine obiectiua, quæ ſumitur ex difficultate operis imperati, in qua perfectione dilectio eius qui vitam pro amico ponit, eſt maxima, quia eſt principium maximi operis, quod pro amico fieri poteſt.

SECTIO VIII.

An charitas poſſit augeri in infinitum.

76. ERror fuit aliquorum hæreticorum aſſerentium, etiam in hac vita eſſe poſſe tantum iuſtitiæ, & charitatis augmentum, ſupra quod homo iuſtus creſcere non poſſit. Quæ ſententia damnata eſt in clementina *ad noſtrum*, de hæreticis, & in Trident. ſeſſ. 6. cap. 10. vbi adducitur illud Apocalypſ. vlt. *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*, & Pſalm. 83. *Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit.* & infrà: *Ibunt de virtute in virtutem.* & Prouerb. 4. *Iuſtorum ſemita quaſi lux fulgens, procedit, & creſcit, vſque ad perfectum diem*; id eſt, vſque ad viſionem claram Dei, & ad Philipp. 9. *Non quod iam acceperit*, &c. quem locum verſans Auguſt. dicit: *Nemo fidelium, quantumuis proficiens, dicat, ſufficit mihi.* Legatur Bernardus 2. de conſideratione, & epiſt. 153. vbi ait: *Nolle proficere, deficere eſſe.* Hinc ortum habuit vulgare proloquium: *In via Dei non progredi, eſſe regredi.* Et ratio huius eſt, quia quandiu ſumus in hac vita, ſumus in via, & peregrinantes, quaſi ambulantes, & progredientes; ergo non datur terminus huius progreſſus. Tota ergo difficultas eſt, an charitas ſecundùm ſe ſumpta habeat terminum augmenti, vltra quem non poſſit creſcere. Apoc. vlt. Pſalm. 83. Prouerb. 4. Philip. 9. Auguſt. Bernard.

77. Scotus in 1. diſt. 13. quæſt. 1. quem ſequitur Caietanus in hoc loco, exiſtimat, licèt charitas in hac vita nullum habeat terminum, tamen ex ſua natura habere certum terminum, & ex certa partium multitudine componi totam perfectionem intenſionis quam habitus charitatis habere poteſt. D. Bonauentura in 1. diſt. 17. 2. part. quæſt. 4. cenſet, licèt charitas, ex ſua natura poſſit magis ac magis creſcere in infinitum; in tali tamen ſubiecto, ſcilicet in homine habere certum terminum ſecundum augmentum, ratione finitæ capacitatis illius, & præterea ratione finitæ potentiæ actiuæ, cuius influxus neceſſarius eſt ad efficiendum actum charitatis.

78. Sit tamen concluſio. Charitas ex ſua natura in quolibet ſubiecto poteſt magis ac magis creſcere in infinitum; hoc eſt, in charitate nullus datur terminus augmenti, cui non poſſint addi aliæ partes charitatis. Ita D. Thom. art. 7. Nam licèt in fine corporis ſolùm concludat, nullum eſſe terminum in augmento charitatis, illud tamen colligit, quia charitas ex ratione ſuæ ſpeciei, nullum habet augmenti terminum. D. Thomam ſequuntur communiter Recentiores. Ratio huius concluſionis eſt vnica: qua probatur viſionem, & dilectionem ſupernaturalem, quæ immediatè circa Deum verſatur, nullum habere certum terminum ſui augmenti. Quæ ratio petenda eſt ex infinitate obiecti, circa quod verſantur illæ actiones, & ex infinitate cauſæ principalis à qua procedunt. Obiectum enim quod in ratione entis, & boni eſt infinitum in actu, eo ipſo eſt infinitè intelligibile, & amabile; quanta enim eſt ratio entis & boni, tanta eſt ratio intelligibilis & amabilis: obiectum autem quod infinito modo ex ſe eſt amabile, aut intelligibile,

ratio-

ratio eſt vt cuicumque intellectioni finitæ quæ circa ipſum verſatur, addi poſſit aliquod aliud augmentum: ergo intellectio & dilectio Dei creata, nullum ex ſua natura poſſunt habere terminum augmenti, ſed potiùs ex natura ſua ratione obiecti, circa quod verſantur, poſſunt creſcere vltra quemlibet terminum finitum.

79. Quòd verò hoc non poſſit impediri ex parte capacitatis hominis recipientis; neque ex parte potentiæ actiuæ, quæ requiritur ad huiuſmodi actiones vitales, probatur manifeſtè. Nam illæ potentiæ quæ eleuatæ ab agente ſuperiori efficiunt aliquid vltra ſuam exigentiam, quo magis à ſuperiore eleuantur, poſſunt maiorem effectum efficere: potentia autem paſſiua, vel actiua hominis, quæ aliquo modo concurrit ad habitum, vel actum charitatis, non concurrit modo naturali iuxta exigentiam ſuam, ſed ſupernaturaliter eleuata à Deo, à quo tamen magis, ac magis, adiuuari & eleuari poteſt: ergo ex limitatione potentiæ paſſiuæ, vel actiuæ, quæ eſt in homine, non poteſt præfigi aliquis certus terminus augmenti actus, vel habitus videndi, aut diligendi Deum.

80. A poſteriori verò confirmatur noſtra concluſio, quia actiones creaturæ rationalis honeſtæ ſupernaturales ex ſe ſunt via ad finem ſupernaturalem, & quo plures ſunt, maius præmium merentur in aſſecutione vltimi finis: huiuſmodi autem actiones nullum terminum habent vltra quem non poſſint magis, ac magis multiplicati: ergo vltimum præmium & finis creaturæ rationalis, nullum in ſuo augmento habet determinatum finem: atqui hoc ipſum debet contingere in actu charitatis, tum propter ſimilem rationem; tum etiam, quia vel actus charitatis eſt pars beatitudinis creaturæ rationalis, vel prima & præcipua illius proprietas: ergo huiuſmodi actus nullum habet certum terminum, vltra quem non poſſit augeri.

81. Obiicies primò, quia charitas determinatam habet ſpeciem, & naturam: ergo ex ſe poſtulat determinatum quoddam augmentum, quo tota ipſius perfectio compleatur. Reſpondetur, licèt charitas habeat determinatam naturam, non tamen ideo debere poſtulare determinatum terminum ſui augmenti; natura enim & eſſentia charitatis non variatur per multitudinem partium quæ continuantur, & eamdem naturam participant; ſed ex diuerſitate graduum eſſentialium, ex quibus conſtat quidditas & ſpecies illius: quod præcipuè locum habet in actibus qui ex ſua natura reſpiciunt obiectum, & principium infinitum: hi enim non ſolùm ex ſua natura non poſtulant terminum, ſed potiùs ex ſua natura poſitiuè poſtulant non habere terminum, vltra quem non poſſint augeri.

82. Obiicies ſecundò, quia ſi charitas poſſet magis ac magis creſcere in infinitum, tandem eſſe poſſet infinita in actu, quod implicat. Reſpondetur negando conſequentiam, ex hoc enim quòd charitas poſſit augeri in infinitum, non ſequitur illam poſſe eſſe infinitam in actu, ſed tantùm infertur nullam eſſe determinatam intenſionis quantitatem, ſupra quam non poſſit addi aliquod aliud augmentum. Dices, quia ſi charitas ex propria ratione non habet terminum augmenti: ergo poterit Deus creare charitatem actu infinitam, quia in rebus permanentibus, quidquid Deus poteſt facere ſucceſſiuè, poteſt facere ſimul: ſi ergo poteſt augere charitatem magis ac magis in infinitum, poterit etiam ſimul producere charitatem actu infinitam. Patet conſequentia, quia charitas quam poteſt Deus ſimul producere de potentia abſoluta, vel eſt actu infinita, vel tantùm eſt finita: ſi eſt actu infinita, iam poterit dari infinitum in actu extra Deum: ergo neceſſariò dicendum eſt quòd ſit finita intenſiuè, & ex conſequenti, quòd non poſſit augeri in infinitum. Reſpondetur, quòd ſicut ſucceſſiuè poteſt produci infinita gratia & charitas non in actu, ſed in potentia; ita etiam poteſt produci ſimul gratia & charitas infinita in potentia, non verò in actu: hoc eſt quòd poteſt Deus ſimul producere gratiam maiorem & maiorem in infinitum, itaut quacumque aſſignata poſſit producere ſimul etiam maiorem abſque aliquo termino; nulla tamen poterit deſignari determinatè quæ ſit actu infinita. nam ſicut inter charitates creabiles nullus datur finis, nec vlla vltima: ita nec datur perfectiſſima; ac proinde nec Deus inter eas videt perfectiſſimam: ſicut nec inter partes in quas continuum poteſt diuidi, videt minimam.

Sectio IX.

An & qua ratione charitas in hac vita poſſit eſſe perfecta.

83. QVod attinet ad quæſtionem an ſit, certum eſt ſecundùm fidem, in aliquo ſenſu charitatem eſſe poſſe perfectam, etiam in hac vita. Geneſ. enim 6. *Noë vocatur vir iuſtus, atque perfectus*; & Abrahamo datur conſilium, vt perfectus ſit. & in Euangelio dicit Chriſtus: *Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia quæ habes*, &c. quod teſtimonium non poteſt intelligi de ſola eſſentiali perfectione charitatis, aut de illa perfectione, quæ conſiſtit in abſoluta omnium mandatorum obſeruatione in rebus grauibus; ad hanc enim perfectionem iam acceſſerat adoleſcens ille, cui illud conſilium datum eſt. Præterea in epiſt. Ioann. cap. 1. & 3. in aliquibus dicitur, charitas eſſe perfecta: poſita autem eſt ea charitatis perfectio, non quidem in aliquo augmento, cui non poſſit aliquid addi; cùm enim habitus charitatis poſſit creſcere in infinitum, eius perfectio conſiſtere non poteſt in aliquo augmento, cui nihil deſit quod addi poſſit. Neque etiam conſiſtit in ea perfectione, vt iam ſine peccatis venialibus omnino perfectè diuina lex impleatur; hæc enim perfectio charitatis non præſentis vitæ eſt, ſed illius quæ erit in beatitudine, vt definitur in Mileuitano, cap. 6. 7. & 9. & Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. & Can. 23. Vnde Auguſt. lib. 1. de doctrina Chriſtiana cap. 39. concludit, in hac vita nullam eſſe perfectionem quæ ſit æqualis eum perfectione alicuius Sancti in beatitudine. Geneſ. 6. Matth. 19.

84. Vt ergo colligitur ex eodem Auguſtino, & Bernardo ſerm. 2. in feſto ſancti Michaëlis: charitas tunc eſt perfecta quantum in hac vita eſſe poteſt, quando ablata inordinata paſſionum cupiditate, eſt expedita ad exercitium ſuarum actionum; quando ſcilicet exercitio aliarum virtutum ita minuitur inordinatio paſſionum, vt iam non ſit impedimentum vllum ex his, quæ à corpore mortali auferri poſſunt. In quo ſcilicet ſtatu, quamuis aliqua peccata venialia ex imperfecta conſideratione oriantur ante plenam rationis aduertentiam, tamen cum plena conſideratione non committuntur, quia non ſunt paſſiones inordinatæ quæ ſuperent charitatis inclinationem. Per habitudinem autem ad hunc terminum, qui in hac

vita esse potest, tres gradus, vel status, possunt charitati conuenire, secundùm quos charitas est incipiens, aut proficiens, aut perfecta. Incipiens est charitas eo tempore, quo inordinatio passionum non est diminuta notabiliter per exercitium virtutum contrariarum. Proficiens verò est, quando ea inordinatio per illud exercitium notabiliter diminuta est, non tamen extincta, eo modo quo in hac vita mortali extingui potest, in qua scilicet vita non potest auferri ea inclinatio, quæ necessariò naturam nostram comitatur; potest tamen inordinatio passionum, & inclinationum, per contrariam honestam consuetudinem maxima ex parte remitti: quod quando factum est, charitas dicitur esse perfecta, id est, cui nihil deest ex illis, quæ in vita mortali habere potest. In hac tamen perfectione charitatis inter alia, vt Augustinus docet, illud comprehenditur, vt quantumuis aliquis sit perfectus, existimet se longè esse à perfectione, & à dilectione quæ Deo debetur.

85. Difficultas tamen est, an in hac vita possit esse tanta charitatis perfectio, vt in intensione excedat charitatem alicuius beati. In qua re si sermo sit de charitate habituali, certa videtur sententia quæ affirmat, charitatem habitualem in hac vita, maiorem esse in aliquibus iustis, quàm in aliquo beato, vt docet D. Thom. opusc. 61. cap. 17. Sunt enim aliqui in gloria cum sola charitate accepta in baptismo; cùm tamen in hac vita multi præter charitatem in baptismo acceptam, maiorem illam effecerint, vel suscipiendo alia sacramenta, vel per actus charitatis. Si tamen loquamur de vno & eodem homine, habitus charitatis non est intensior in patria, quàm in via; quia hic solùm augetur, vel ex propriis meritis, vel ex Sacramentis susceptis: in patria autem non est locus merendi, vel suscipiendi Sacramenta; neque est vnde varietur, aut mutetur habitus charitatis, secundùm propriam entitatem, & intensionem. Nec obstat quòd Deus præmiat vltra condignum, vt est communis sententia Theologorum, & colligitur ex illo Lucæ 6.

Luc. 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superefluentem, dabunt in sinum vestrum.* ergo credendum est de diuina pietate, quòd in patria dabit maiorem gratiam, & charitatem, quàm fuerit in via ex propriis meritis, vt possit homo intensius & perfectius frui Deo, quàm meruerit in via. Hoc, inquam, non obstat. nam quando dicitur Deum præmiare vltra condignum, sensus est, quòd si opera nostra considerentur secundùm propriam entitatem & substantiam, prout ex libero arbitrio procedunt, non sunt digna vitæ æternæ, quæ pro illis

Rom. 8. conferuntur, vt docuit Paulus ad Rom. 8. *Non sunt condigna passiones huius temporis*, &c. Dicitur etiam Deus præmiare vltra condignum, quia etiamsi opera nostra considerentur vt ex gratia procedunt, possent sufficienter præmiari per aliquem gradum gloriæ, & visionis beatificæ: Deus autem ex sua liberalitate ordinauit illa ad ampliorem gloriam, quæ sufficeret ad præmium de condigno; hæc verò Dei ordinatione supposita, & propria conditione & perfectione intrinseca ipsorum operum, quatenus ex gratia & impulsu Spiritus sancti procedunt, tota gloria quæ pro illis confertur, debita est de condigno & iustitia, iuxta illud 1. ad Timoth. 6.

1. Timoth. 6. *Reposita est mihi corona iustitiæ.*

86. Si tamen sit sermo de dilectione actuali, aliqua est difficultas. nam D. Thom. art. 7. ad 3. conatur explicare, quomodo augmentum charitatis in hac vita, non possit æquare charitatem patriæ. nam quantitas, inquit, dilectionis alterius rationis est in charitate patriæ, atque est in charitate viæ. Pro qua sententia allegari possunt Doctores qui sentiunt, dilectionem charitatis actualem in patria ratione visionis Dei specie differre à dilectione quæ est in via. Ita Scotus in 4. distinct. 49. quæst. 5. quem sequitur Caiet. parte 1. quæst. 82. art. 2. & potest hæc sententia confirmari ex communi modo loquendi Patrum, qui sæpe asserunt charitatem huius vitæ longè superari à charitate patriæ, qua ratione loquuntur Augustinus 1. de doctrina Christiana cap. 38. & de spiritu & litera cap. vltimo Chrysostom. homil. 34. in 1. epistol. ad Corinth. Theodoretus & Beda dum exponunt illud 1. Corinthiorum 13. *Charitas nunquam excidit.* Ex quibus constat, in patria dilectionem esse maiorem vno ex duobus modis, aut secundùm intensionem in eadem specie, aut secundùm perfectionem essentialiter diuersam: quod secundum magis insinuant Doctores citati.

1. Cor. 13.

87. Nihilominus quod attinet ad maiorem perfectionem intensionis, quæ crescit ex maiori partium multitudine, probabilius esse censeo, in aliquibus iustis dilectionem esse magis intensam, quàm in aliquibus beatis, quidquid sit de excessu in perfectione essentiali. Et probatur, quia in beatis actualis dilectio proportionata est habituali. Econtra verò in via fieri potest vt actualis dilectio sit magis intensa, quàm habitualis, ratione auxiliorum quæ conferuntur in via ad merendum, & operandum supra intensionem habitus; sed fieri potest vt charitas habitualis in hac vita in aliquo iusto sit intensior, quàm in aliquo beato: ergo similiter fieri potest vt sit intensior actualis dilectio; siquidem hæc superare potest habitualem: habitualis autem intensior esse potest, quàm habitualis & actualis dilectio alicuius beati, & constat manifestè in beatissima Virgine, quæ dum erat in via, habuit charitatem intensiorem, tam secundùm habitum, quàm secundùm actum, quàm omnes beati in cœlo existentes.

88. Quod verò dicitur de augmento charitatis diuersæ rationis quod est in patria, non derogat veritati nostræ sententiæ. nam licèt dilectio in hac vita esset essentialiter minus perfecta: si tamen habeat maiorem partium multitudinem, intensior dici potest. Quemadmodum quando in aliquo subiecto est frigus valde intensus, calor autem remissus, etsi calor essentialiter sit frigore perfectior, nihilominus est minus intensus, quando minorem habet partium multitudinem: ergo pari ratione licèt dilectio patriæ dicatur essentialiter perfectior, quàm dilectio viæ, nihilominus contingere potest, vt sit illa remissior.

89. Deinde probabilius etiam censeo, actum dilectionis in hac vita & in patria non differre essentialiter, neque esse inæquales in perfectione essentiali. quod desumitur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 67. art. 6. ad 2. vbi docet dilectionem speciem sumere non ex cognitione, sed ex re cognita: ac proinde in via & in patria eamdem esse charitatem, quia licèt cognitio sit diuersa res, tamen cognita est eadem. loquitur autem de habitu & actu, vt patet ex argumento ad quod respondet. Et ratio huius est, quia essentialis diuersitas in actibus voluntatis, præsertim quando conueniunt in genere proximo, sumenda est ex diuersitate formali obiecti: sed in dilectione patriæ & huius vitæ ex parte rei dilectæ, eadem est ratio formalis obiecti, scilicet ratio bonitatis, qua Deus est infinitè bonus in se:

ergo

ergo in his actibus non est diuersitas essentialis. Quare quod ait D. Thom. articulo præcedenti ad 3. in dilectione patriæ augmentum esse diuersæ rationis, non est intelligendum de diuersitate propriè specifica & essentiali, sed de dissimilitudine indiuiduali, & indiuiduali excessu, qui necessariò est in dilectione patriæ. Ea enim dilectio sicut nascitur ex aperta cognitione totius bonitatis Dei, id est, cuiusque perfectionis diuinæ in particulari; ita etiam tendit in diuinas perfectiones, sicut in peculiares Dei perfectiones, & non solùm confuso modo, sicut in hac vita. Præterea ex parte obiecti Deo concupiti est magna quædam differentia, quia per quamlibet dilectionem beatificam, beatus efficaciter vult Deo in omnibus placere semper sine vllo prorsus defectu, etiam veniali: quod tamen lege ordinaria iusti in hac vita præstare non possunt. licèt ergo in dilectione patriæ non fit necessariò maior perfectio essentialis, aut intensionis; in ea tamen necessariò est quædam maior perfectio indiuidualis, quæ extra beatitudinem non est.

90. Atque ex his respondetur ad testimonia Patrum. Quando enim dicunt, dilectionem huius vitæ superari à dilectione patriæ, illos non esse intelligendos de maiori perfectione intensionis, aut essentiali, sed de maiori illa perfectione indiuiduali, quàm iam diximus esse in patria. Vnde aliquando Patres exponunt perfectionem dilectionis patriæ per carentiam omnis peccati, etiam venialis. Alij verò adducunt contra nostram sententiam illud Matth. 11. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Qui autem minor est in Regno cælorum, maior est illo.* per quæ verba aliqui intelligunt excessum dilectionis beatorum, sed non bene; quia Christus in eo loco non agebat de magnitudine dilectionis, sed de munere prophetiæ & explicandi mysteria Christi, in quo munere etiam illi qui minores fuerunt tempore legis euangelicæ, superiores fuerunt Ioanne, qui nunquam prædicauit mysterium passionis Christi. Ita explicant hunc locum Iansenius cap. 47. Concordiæ. Salmeron tom. 4. part. 2. tract. 3. Vazquez 1. parte tom. 1. disp. 47. cap. 2. & huic explicationi fauent Cyrillus Hierosolymitanus, & Maximus Taurinensis homil. 3. Præterea non est improbabilis sententia illorum qui putant, Christum per illa verba, *Qui minor est in regno cælorum*, intellexisse se ipsum, qui eo tempore communiter minor existimabatur quàm Ioann. Baptista. Ita Tertullianus & August. tractat. 13. in Ioann. Beda 7. Lucæ. Chrysostomus, Theophyl. Euthym. in hunc locum. Denique licèt in eo loco fieret comparatio de excessu dilectionis, intelligi possunt illa verba de illo excessu indiuiduali, & de maiori firmitate in dilectione ratione status, quæ sine dubio maior est in quolibet beato, quàm tunc erat in Ioanne, cuius tamen firmitatem Christus paulo antè laudauerat illis verbis: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam.*

Matth. 11.

Idem.

Sectio X.

An & qua ratione charitas possit corrumpi, aut minui.

91. Quod attinet ad quæstionem an sit; nimirum an charitas possit amitti & corrumpi, res est secundùm fidem certa: charitatem posse amitti & corrumpi, Apocalyps. 2. *Sed habeo aduersùm te, quod charitatem primam reliquisti: memor esto itaque vnde excideris, & age pœnitentiam.* per quæ verba non tantùm significatur, feruorem charitatis relictum fuisse, vt aliqui exponunt; sed omnino charitatem fuisse amissam, vt Ambrosius & Aymon interpretantur; illæ enim voces, *vnde excideris*, grauem lapsum significant: sicut & illæ voces, *Age pœnitentiam*, quæ pro mortali peccato necessaria omnino est: non verò de sola remissione, aut de culpa veniali, quæ diuersis modis remitti potest. Deinde idem confirmatur ex testimoniis, quibus ostenditur, iustitiam & gratiam prius habitans per quodlibet peccatum graue amitti; inde enim infertur etiam per quodlibet peccatum mortale charitatem amitti, siquidem charitas non est sine iustitia & amicitia diuina. Vnde est illud Ezechielis 8. *Cùm auerterit se iustus à iustitia, & fecerit iniquitatem, morietur in illa.* Denique contra hæreticos huius temporis hoc extat diffinitum in Tridentin. sess. 6. cap. 14 & 15. & Can. 23. consentiunt Patres, præsertim Cyprianus lib. de lapsis. August. de prædestinat Sanctorum cap. 14. Chrysost. homil. 34 in Matth. Hieronym. 2. contra Iouinian. & Ambrosius in exhortatione ad pœnitentiam.

Apoc. 2.

Ezech. 8.

92. Quod verò dicitur Ioann. 10. de ouibus Christi: *Nemo rapiet eas de manu mea.* & 1. Ioann. 2. *Si fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum*, non intelligitur de omnibus iustis, sed de prædestinatis, quorum nullos peribit. Illud verò quod dicitur in eadem epistola cap. 3. & 4. *Omnis qui nascitur ex Deo, non peccat.* Aut, *omnis qui in Deo manet, non peccat*, intelligitur, vt exponit Augustin. de Gratia Christi cap. 21. fieri non posse vt quis in Deo maneat, aut in adoptione eiusdem, per quam homo nascitur filius Dei, & in simul efficiat opera prohibita.

Ioan 10. 1. Ioan. 2. 1. Ioan 3. & 4.

93. Circa modum verò quo charitas per peccatum corrumpitur, diuersæ sunt Doctorum sententiæ. Prima est, charitatem per peccatum corrumpi demeritoriè, non verò physicè ex natura rei effectiuè, aut formaliter. Ita D. Bonauent. in 3. distinct. 31. art. 1. & Scot. in 4. dist. 16. quæst. 2. Secunda sententia tenet, peccatum corrumpere charitatem effectiuè, & demeritoriè. Ita D. Thom. art. 10. Caietan. ibidem, & communiter Thomistæ. Cuius sententiæ fundamentum est, quia propter indignitatem & demeritum, peccator dignus est à quo gratia & charitas auferantur, & præterea inter peccatum & charitatem, datur formalis incompossibilitas ex natura rei: ergo peccatum vtroque modo charitatem expellit, nempe demeritoriè, & physicè effectiuè, vel formaliter. Quo autem sensu hæc incompossibilitas sit accipienda inter peccatum & gratiam, patebit ex dicendis.

94. Pro intelligentia ergo notandum est, charitatem duobus modis accipi. Primò pro solo immediato principio efficiendi dilectionem Dei: secundùm quam rationem est quædam peculiaris virtus. Secundo modo potest accipi, pro amicitia quæ est in homine erga Deum, secundùm quam rationem charitas non tantùm complectitur immediatum principium diligendi Deum, sed etiam illam formam per quam homo redditur Deo charus; hoc est ratione cuius à Deo diligitur: quos quidem duos effectus ab eadem secundùm rem formam oriri, aliqui Theologi opinantur: tamen D. Thomas 1. 2. quæst 110. art. 3. docet, oriri à duabus formis. Quare nunc videndum est, qua ratione peccatum actuale sit contrarium formæ gratiæ sanctificantis, & illi virtuti, quæ est immediatum princi

principium diligendi Deum, atque ex hoc eſt definiendum, qua ratione charitas per peccatum actuale expellatur, & corrumpatur.

95. Prima concluſio. Peccatum actuale non habet formalem, aut phyſicam repugnantiam cum habitu charitatis, ea ratione, qua eſt principium diligendi Deum: ac proinde charitas ſecundùm hanc rationem, demeritoriè corrumpitur per peccatum, non autem phyſicè, aut effectiuè. Hoc ſenſu vera eſt prima ſententia, quia actus non eſt formaliter incompoſſibilis cum habitu, vt docet D. Thom. hoc loco. Peccatum verò actus quidam eſt, charitas verò habitus; ergo peccatum non eſt formaliter incompoſſibile cum charitate: vnde neque poteſt illam formaliter corrumpere. Quæ doctrina non ſolùm vera eſt in habitibus acquiſitis, ſed etiam in infuſis. nam ex communi Doctorum ſententia in materia de fide, peccatum infidelitatis formaliter non repugnat habitui fidei: ergo peccatum mortale formaliter non repugnat habitui charitatis, ea præcisè ratione, qua ille eſt principium operandi. Inde autem infertur per peccatum mortale habitum charitatis non effectiuè, ſed demeritoriè ſolùm corrumpi; non enim poteſt aliqua forma effectiuè corrumpi per introductionem alterius, niſi illa quæ de nouo introducitur, ſit contraria formæ præexiſtenti, aut alicui diſpoſitioni ex qua illa phyſico modo dependet.

96. Reſpondent tamen nonnulli recentiores, quamuis peccatum ex natura rei immediatè non repugnet habitui charitatis, repugnare tamen ex natura rei, alicui diſpoſitioni ex qua habitus charitatis dependet in ſua conſeruatione. nam, vt peccatum eſt auerſio à Deo, contrarium eſt conuerſioni ad Deum per modum habitus, à qua conuerſione tanquam à diſpoſitione dependet conſeruatio charitatis. Hæc tamen reſponſio manifeſtè poteſt refelli, quia in homine duplex tantùm conuerſio habitualis ad Deum conſiderari poteſt. Altera realis & phyſica, quæ eſt formalis effectus habitus charitatis, vel potiùs ipſe habitus charitatis, à qua quidem conuerſione ad Deum habitus charitatis non dependet, ſed potiùs ipſe habitus eſt forma, per quam homo ad Deum conuerſus eſt habitualiter. Deinde ſi peccatum mortale huic conuerſioni ex natura rei repugnatet, neceſſariò etiam repugnaret habitui charitatis, qui ab illa conuerſione re ipſa non differt. Quare ſolutio allata, de huiuſmodi conuerſione phyſica & reali, non poteſt intelligi. Altera tamen conuerſio per modum habitus ad Deum poteſt eſſe moralis, quaſi relicta ex conuerſione actuali, quæ aliquando in animo fuit: cenſetur enim voluntas conuerſa ad aliquod bonum, quandiu non retractat actum præteritum, per quem illud dilexit, quæ moralis conuerſio non eſt aliqua phyſica entitas & realis, ſed ſola denominatio, vel reſpectus ad actum præteritum nondum retractatum. Si autem allata ſolutio de hac conuerſione intelligatur, facilius impugnatur. nam ſæpiſſimè charitas ab huiuſmodi conuerſione non dependet, v.g. illa, quæ ante vſum rationis per baptiſmum infuſa eſt, quæ quidem ſine vllo nouo actu in ſubiecto conſeruatur, quouſque per aliquod mortale peccatum expellatur; à quo tamen non expellitur, eo quòd illud repugnet alicui habituali conuerſioni, à quo illa dependeret.

97. Præterea, quia licèt forma quæ phyſico modo dependet ab aliqua diſpoſitione, effectiuè corrumpatur per formam, quæ phyſicam illam diſpoſitionem expellit; forma tamen quæ non phyſicè, ſed moraliter conſeruatur ab aliqua diſpoſitione, non poteſt phyſicè corrumpi à forma, quæ illi diſpoſitioni contrariatur: habitus autem charitatis phyſico modo non conſeruatur ab aliqua animi conuerſione actuali, vel habituali: ergo non poteſt phyſicè corrumpi per peccatum, quod quatenus eſt auerſio à Deo, illi conuerſioni repugnet: relinquitur ergo habitum charitatis ea ratione qua eſt immediatum principium diligendi Deum, non niſi demeritoriè per peccatum corrumpi.

98. Secunda concluſio. Charitas ea ratione qua eſt amicitia cum Deo, hoc eſt, qua inuoluit gratiam ſanctificantem, ratione cuius ſumus Deo chari, ex natura rei repugnat peccato mortali actuali; ac proinde phyſicè & effectiuè per illud corrumpitur. Hoc ſenſu intellecta concluſio, deſumitur ex D. Thoma art. vltimo, vbi ideo concludit, charitatem per quodlibet peccatum mortale corrumpi, quia quodlibet peccatum mortale eſt contrarium amicitiæ diuinæ. Præterea ſuprà quæſt. 23. art. 3. ad ſecundum docet, charitatem eſſe vitam animæ, eo modo quo anima eſt vita corporis: conſtat autem formam quæ eſt vita animæ, contrariam mortali peccato, eſſe gratiam ſanctificantem, quam D. Thomas ab habitu operatiuo diſtinguit; ergo D. Thomas nomine charitatis aliquando illam accipit, quatenus ea eſt amicitia complectens formam ob quam formaliter ſumus Deo chari.

99. Et probatur primò à poſteriori, quia peccatum actuale non minus contrariatur gratiæ ſanctificanti per quam ſumus Deo chari, quàm peccatum habituale; ſed hoc peccatum ex natura rei eſt contrarium gratiæ ſanctificanti: ergo eadem ratione peccatum actuale eſt contrarium, & repugnans ex natura rei. Maior propoſitio eſt nota ex terminis, quia non eſt minor macula quæ relinquitur per peccatum actuale, ſed potiùs habet perfectiori modo totam malitiam maculæ ſubſequentis: propterea enim macula quæ ſubſequitur, mala eſt, quia ex peccato actuali relinquitur; ac proinde peccatum actuale non poteſt habere minorem cum gratia repugnantiam, quàm macula peccati habitualis. Quod verò hæc macula ex natura rei ſit contraria diuinæ gratiæ iuſtificanti, patet: quia Deus per actum liberum verè tollit maculam peccati, non quidem ceſſando ab aliquo poſitiuo influxu, per quem maculam illam conſeruabat: ergo tollit efficiendo formam incompoſſibilem cum illa macula, qualiſcumque illa ſit.

100. Secundò probatur, ſi peccatum actuale ex natura rei non repugnat gratiæ ſanctificanti, ſequitur manifeſtè, Deum directè & per ſe eſſe cauſam maculæ peccati, & priuationis gratiæ, ea ratione, qua macula peccati eſt. Sequela probatur. nam priuatio formæ quæ non procedit ab homine directè expellente illam formam, ſed ſolùm demeritoriè, directè & per ſe efficitur à Deo, ſicut à iudice & vindice operationis humanæ: ſi enim peccatum actuale ex natura rei non contrariatur gratiæ, homo ſolùm demeritoriè eſſet cauſa expulſionis illius; ac proinde Deus eſſet cauſa directa, qui propter operationem humanam inhoneſtam, auferret gratiam ſanctificantem; ac proinde eſſet directa cauſa priuationis gratiæ, quatenus ex peccato cauſatur. Hoc autem eſſe falſum probatur, quia Deus verè odio habet maculam peccati, & propter peccatum habituale odio habet peccatorem, & tamen nihil odit eorum, quæ facit directè: ergo macula peccati non eſt effectus, qui per ſe & directè à Deo efficiatur. Vt ergo defendi poſſit, priuationem

gratiæ

gratiæ quatenus naſcitur ex peccato, eſſe maculam peccati, neceſſariò eſt aſſerendum, peccatum actuale ita gratiæ repugnare, vt neque Deus quidem poſſit gratiam conſeruare ſimul cum peccato mortali actuali. Vnde ſequitur Deum non eſſe cauſam per ſe non conſeruandi gratiam, quando eſt peccatum actuale; tunc enim non poteſt eam conſeruare.

101. Tertiò probatur à priori, quia labes & immunditia animæ ex natura rei eſt contraria propriæ ſanctificationi; ac proinde formæ ſanctificanti: peccatum autem actuale eſſentialiter eſt labes & immunditia animæ; ergo ex natura rei contrariatur formæ ſanctificationis, & iuſtificationis. Maior probatur ex Paulo 1. ad Theſſalonic. 4. vbi immunditiam & ſanctificationem, ſicut contrarias formas nominat, inquiens: *Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* 1. Theſ. 4. Conſentiunt Patres, Dionyſius cap. 12. de diuinis nominibus: *Sanctitas*, inquit, *eſt ab omni labe integra puritas.* Dionyſ. Chryſoſtomus in Pſalm. 144. *Sanctus eſt ille, purus, mundus, ab omni reprehenſione alienus.* Chryſoſt. Oroſius. Oroſius de libero arbitrio, *Sanctitas eſt viuere ſine peccato.* Atque hæc ſecutus D. Thom. infrà quæſt. 81. art. 8. docet: *Sanctitatem nullo modo importare immunditiam.* D. Thom. Atque hoc modo per ſanctificationem ſpecialem intelligenda eſt puritas & munditia ſpecialis, cui, vt conſtat, peccatum ex natura rei contrariatur. Vnde colligitur, ſanctitatem non eſſe rationem diligendi hominem iuſtum ſolùm ſecundùm quid, ea ratione, qua ſunt fides, vel alia dona, quæ cum peccatis reperiuntur; ſed potiùs eſſe rationem vt homo à Deo diligatur ſimpliciter, ſicut perfectè bonus, cui nihil ex debitis deſit; quoniam ſi eſt ſanctitas vera, vera animi puritas eſſe debet: ac proinde quæ eſſe non poſſit cum immunditia peccati mortalis.

102. Obiicies primò, quia homo non attingit effectiuè productionem charitatis: ergo neque poteſt effectiuè attingere corruptionem illius; ideo enim agens naturale non poteſt attingere corruptionem animæ rationalis, quia non poteſt attingere eius productionem. Reſpondetur negando conſequentiam. nam ad attingendam corruptionem alicuius formæ, non requiritur poſſe illam producere; ſed ſatis eſt poſſe producere aliquid illi formæ contrarium, ſi illa forma ſit talis, quæ extra ſubiectum conſeruari non poſſit: hinc enim fit, vt quando talis forma expellitur à ſubiecto per formam contrariam, eo ipſo deſinat eſſe in rerum natura. Quare ratio ob quam agens naturale non poteſt corrumpere animam rationalem, non ea eſt, quia non poteſt eam producere; ſed quia illa non dependet a ſubiecto; ac proinde licèt à ſubiecto expellatur, nihilominus in ſuo eſſe perſeuerat; poſſet tamen ab agente naturali corrumpi; ſi in ſua conſeruatione à ſubiecto dependeret.

103. Obiicies ſecundò, quia forma non operatur effectiuè in ſubiecto in quo eſt, ſed ſolùm formaliter, præſertim illa, quæ non eſt realis & poſitiua, ſed aliqua priuatio: peccatum autem qualis forma accidentalis eſt in anima, quæ quidem iuxta ſententiam D. Thomæ, non eſt poſitiua forma, ſed priuatio quædam; ergo peccatum non poteſt effectiuè corrumpere charitatem. Reſpondetur, quando peccatum dicitur effectiuè corrumpere charitatem, non ſignificari illud eſſe cauſam efficientem, ſed eſſe actionem & effectionem peccatoris, per quam ex natura rei charitas eſſe deſinat; ita tamen vt peccator ipſe ſit cauſa corrumpens per peccatum; ſiue illud ſit aliquid poſitiuum, ſiue priuatio debitæ actionis, vt contingit in peccato omiſſionis; ſiue debitæ bonitatis & rectitudinis, vt contingit in peccato commiſſionis. Argumenta enim, quæ adduximus de peccato omiſſionis & commiſſionis, probant, per illa phyſicè & ex natura rei charitatem corrumpi, ea ratione qua inuoluit gratiam ſanctificantem.

104. Obiicies tertiò, quia neque peccatum videtur poſſe formaliter charitatem corrumpere, aut expellere. nam, vt dicebamus in probatione noſtræ concluſionis, actus non eſt formaliter incompoſſibilis cum habitu; peccatum autem actus quidam eſt, charitas verò habitus. Et confirmatur, quia nulla poteſt aſſignari oppoſitio inter peccatum actuale & habitum charitatis, ſiquidem non eſt contraria, quia peccatum formaliter non eſt aliquid reale poſitiuum, neque in eodem genere cum habitu gratiæ & charitatis, quod tamen eſt neceſſarium ad oppoſitionem contrariam. Neque illa oppoſitio eſt relatiua, quia gratia & charitas qualitates ſunt abſolutæ. Neque priuatiua, aut contradictoria, quia peccatum actuale de quo diſputamus, non conſiſtit in priuatione gratiæ & charitatis; ſed vel in priuatione rectitudinis & honeſtatis debitæ ineſſe in operatione, vel in relatione diſconuenientiæ cum natura rationali: imò quamuis admittamus peccatum habituale ex parte ſitum eſſe in priuatione gratiæ, tamen non eſt poſitum in priuatione charitatis de qua agimus: ergo inter peccatum & habitum charitatis, nulla eſt prorſus oppoſitio ex natura rei, vt charitas effectiuè aut formaliter ex natura rei per peccatum poſſit corrumpi.

105. Reſpondetur, actum malum non eſſe formaliter incompoſſibilem cum habitu gratiæ ſanctificantis; omne enim peccatum mortale ex natura rei eſt contrarium formæ ſanctificationis, quæcumque illa ſit: ac propterea diximus, peccatum mortale non eſſe ex natura rei incompoſſibile cum habitu charitatis, ex ea præcisè ratione, qua hic habitus eſt immediatum principium diligendi Deum, ſed alia ratione, quatenus eſt amicitia, & inuoluit formam per quam ſumus Deo chari, & dilecti.

106. Ad confirmationem reſpondetur, licèt inter peccatum actuale & gratiam ſanctificantem, nulla ſit oppoſitio propriè dicta, eſſe tamen repugnantiam ex natura rei, quæ reduci poteſt ad oppoſitionem contrariam. Peccatum enim & formam ſanctificans, non minus inter ſe repugnant, quàm mundities & immundities poſitiua. Deinde, quia iſtæ formæ obiectiuæ, ſunt contrariæ reſpectu diuinæ voluntatis; ſanctitas enim eſt forma ratione cuius homo diligitur à Deo ſimpliciter, quatenus eſt purus & perfectus, ſine vlla macula mortali. E contra verò peccatum mortale neceſſariò eſt ratio diuinæ offenſionis, & ob quem homo odio habeatur, ſicut immundus & malus: quod ſatis eſt, vt forma ſanctificans nullo modo poſſit manere ſimul cum peccato actuali, quia eſſentialiter eſt forma proueniens à Deo ſemper diligente hominem, ſicut purum ac perfectum bonum.

107. Ex quibus omnibus intelligitur, quod ait D. Thomas in illa propoſitione copulatiua, charitatem per peccatum corrumpi effectiuè, & demeritoriè; non eſſe intelligendum de charitate ſecundùm eamdem rationem, ſed ſecundùm diuerſam: charitas enim diuinæ amicitiæ ſecundùm illam formam, per quam reddimur Deo chari, effectiuè corrumpitur per peccatum, quia ſecundùm illam

rationem

rationem ex natura rei peccato repugnat. Secundùm alteram verò partem qua est immediatum principium diligendi Deum, expellitur demeritoriè, quia secundùm illam ex natura rei formaliter non repugnat peccato. Est autem impossibile, vt vna forma secundùm eamdem sui rationem effectiuè, & demeritoriè per peccatum corrumpatur: si enim ea est incompossibilis cum peccato, poterit quidem per illud corrumpi effectiuè, non tamen demeritoriè; demeritum enim non refertur ad terminum, qui necessariò ex natura rei absque alio iudicio superioris nascitur ex actione hominis: si verò forma non sit incompossibilis cum peccato, per illud quidem potest corrumpi demeritoriè, non verò physicè, aut effectiuè; forma enim non corrumpitur per alteram aduenientem, nisi inter vtramque sit formalis repugnantia.

DISPVTATIO III.

De obiectis & ordine charitatis.

SECTIO I.

Quodnam sit obiectum materiale charitatis.

1. VATVOR enumerat D. Thomas quæst. 20. art. 1. ex charitate diligenda, seu circa quæ charitas versatur, ex August. 1. de doctrina Christiana cap. 23. nimirum Deum, proximos, corpus nostrum, & nos ipsos. Et ratio huius est, quia charitas respicit Deum secundùm quod est obiectum beatitudinis, & quatenus possumus communicare cum illo in beatitudine: sed quæ possunt communicare diuinam beatitudinem, sunt tantùm tria, nimirum directè & formaliter, vt participatur secundùm animam: indirectè & per quamdam redundantiam, vt participatur in proprio corpore: extrinsecè & ratione societatis, vt participatur in proximis; ergo propter primarium obiectum diligibile quod est Deus, possunt rectissimè numerari alia tria, scilicet nos ipsi, corpus proprium, & proximos. Inter hæc autem primum locum obtinet Deus, qui est præcipuum obiectum charitatis, quia, vt docet D. Thomas art. 1. in Deo relucet diuina bonitas per essentiam, quæ est obiectum formale huius virtutis; in eo etiam per essentiam est capacitas ad beatitudinem, quæ consistit in fruitione ipsius, in cuius communicatione fundatur dilectio charitatis, in qua etiam nos nostro modo cum Deo communicamus.

2. Secundò præter Deum etiam proximus ad obiectum charitatis spectat, vt constat ex verbis 1. Ioann. 4. *Si diligamus inuicem, charitas Dei in nobis perfecta est.* Consentit Augustinus lib. 8. de Trinitate cap. 8. asserens, ex vna eademque charitate, diligi Deum, nos, & proximos nostros propter Deum. atque ea est communis Scholasticorum sententia, cuius ratio est, quia velle Deo bonum vt bonum illius, est actus charitatis; possumus autem proximum diligere volendo illi bonum, quatenus idem bonum, Deo bonum est: ergo possumus diligere proximum per actum charitatis, id est, qui oriatur ab illa ipsa virtute per quam Deus diligitur. Minor probatur ex verbis Christi Matth. 25. *Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Si enim Christus bona sua reputat illa, quæ hominibus conferuntur, prudentissimè homines operantur, quando volunt bona hominibus, vt in illis eadem bona Deo tribuantur. Et confirmatur, quia proximus est quid Dei, particeps beatitudinis eius; ad perfectam autem amicitiam spectat, non solùm diligere eum, cum quo primariò & per se amicitia contrahitur, sed etiam ratione illius, quæ ad ipsum spectant.

Ioann. 4. Matth. 25.

Pro cuius intelligentia notandum est, proximos duobus modis posse honestè diligi. Primò propter solam Dei bonitatem, id est, ex desiderio diuini boni, quia bonum collatum in proximum quodammodo est bonum Deo; atque hæc dilectio manifestè pertinet ad theologicam virtutem charitatis. Alio modo potest diligi proximus, vel propter naturam rationalem quam habet nostræ similem, vel propter morum sanctitatem: in qua dilectione quoniam formale obiectum longè differt à formali obiecto charitatis, dicendum est, illam non esse actum elicitum theologicæ virtutis, sed alterius inferioris. Quòd verò hæc dilectio non sit actus charitatis, sumitur ex diuo Thoma infrà quæst. 103. art. 3. ad 2. vbi docet, in dilectione proximi, quando illa est actus charitatis, nihil in proximo diligi nisi Deum, & ideo eadem charitate, Deum & proximum amare posse; esse tamen alias amicitias differentes à charitate, secundùm alias rationes, quibus homines amantur. Consentiunt D. Bonauent. in 3. dist. 9. art. 2. quæst. 4. & rectè rem exponit Vazquez lib. 1. de Adoratio. disp. 6. cap. 2. & lib. 3. disp. 1. cap. 6. 3.

Inter proximos autem computandi sumus nos ipsi, atque adeò nos quoque sumus obiectum diligendum à nobis ex charitate: in nobis enim relucet diuina bonitas tanquam in imagine, nos quoque sumus aliquid Dei, & participes eiusdem beatitudinis. Nec obstat id quod ait Gregorius homil. 17. in Euangel. *Charitatem minus quàm inter duos esse non posse.* ergo homo non potest se ipsum diligere ex charitate. Respondetur D. Thomam interpretari hunc locum art. 1. de charitate, vt est amor amicitiæ; hæc enim proprie non est nisi ad alterum; non verò de charitate vt est absolutè dilectio, qua ratione bene possumus diligere nos ipsos dilectione charitatis. Adde adhuc hanc dilectionem posse dici veram amicitiam, etiamsi sit amor nostri, non quidem quatenus est erga nos ipsos, sed quatenus est erga Deum; quatenus nos ipsos per charitatem volumus Deo, tanquam rem quamdam amici. 4. Gregor.

Sentiunt autem aliqui Doctores, licèt actus diligendi proximum propter Deum sit à charitate elicitus, esse tamen specie diuersus à dilectione, qua Deus secundùm se diligitur, eo modo, quo intentio finis, & electio mediorum, essentialiter differunt, quamuis oriantur ab eadem virtute. Quod quidem verum est, si loquamur de dilectione, qua per charitatem proximus diligitur, vt est vtilis ad aliquod bonum, quod Deo desideramus: qua ratione interdum desideramus vitam eorum, quos putamus esse valde vtiles ad animarum conuersionem, aut ad aliud bonum quod desideramus Deo; huiusmodi enim proximi dilectio formaliter est dilectio cuiusdam medij vtilis ad bonum per intentionem Deo desideratum; ac proinde differt à desiderio diuini boni, sicut electio medij differt ab intentione finis. Alia tamen esse potest præstantior proximi dilectio, per quam ille diligitur, non sicut medium vtile ad aliquod diuinum bonum, 5.

Digitized by Google

bonum, sed sicut persona, cui, & in qua bonum Deo tribuere volumus: quæ dilectio proximum respicit aliquo modo sicut finem, cui immediatè: Deum verò sicut finem vltimum, cui idem bonum desideramus; atque hæc dilectio proximi non distinguitur essentialiter à dilectione Dei, vt docet D. Thomas art. 1. in corpore. Nam in tali dilectione totalis diligendi ratio est diuina bonitas, sicut finis cui bonum in proximo desideramus], & ideo ex nullo capite hæc proximi dilectio differt essentialiter à dilectione Dei. De eadem dilectione intelligitur quod docet D. Thom. Quando proximus diligitur, nihil in eo diligi nisi Deum. nam Deus est finis cui in persona proximi bonum desideramus: proximum verò solum diligimus vt personam in qua Deus vult à nobis accipere bonum, iuxta illud: *Quamdiu vni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25.

6. Dices adorare Sanctos propter Deum, & adorare Deum secundùm se, differunt specie. illud enim pertinet ad virtutem duliæ, hoc autem ad virtutem latriæ, quæ sunt virtutes specie distinctæ, vt docet D. Thomas infrà quæst. 103. artic. 3. ergo diligere proximum propter Deum, & diligere Deum secundùm se, erunt actus specie diuersi. Et confirmatur, quia videre lucem secundùm se, differt specie ab eo quod est videre albedinem propter lucem. nam visio albedinis non est eiusdem speciei cum visione nigredinis; ergo neque cum visione lucis, quæ est ratio communis videndi omnes colores. Respondetur negando consequentiam, quia dilectio proximi propter Deum tanquam propter rationem proximam, & immediatam diligendi, non habet aliud obiectum formale quàm ipsam bonitatem diuinam, quæ est ratio diligendi Deum secundùm se: at adoratio Sancti propter Deum habet pro ratione formali adorandi propriam excellentiam ipsius Sancti, secundùm quod propria illius est, & quia in ratione excellentiæ longè alia est excellentia diuina quàm cuiusque Sancti, ideo adoratio latriæ, qua Deus adoratur propter diuinam suam excellentiam, differt specie ab adoratione duliæ, qua adorantur Sancti propter excellentiam creatam, quam in se formaliter habent. Ad confirmationem respondetur, omnes visiones sensitiuas tendere sub eadem ratione lucis, in omnibus enim lux est ratio videndi; ac proinde ratione illius omnes esse eiusdem speciei.

7. Disputat verò D. Thomas, an hæc charitatis dilectio quæ circa proximos esse potest, extendi etiam possit ad peccatores, & inimicos nostros. Et sententia affirmans est omnino certa, & quod attinet ad inimicos, id docuit August. lib. 1. de doctrina Christiana, cap. 30. vbi ait cùm Dominus dicit, Diliges proximũ tuum, omnem hominem esse reputandum proximum: quod debet intelligi si spectemus naturam hominis, non verò culpam illius; hac enim ratione peccator vt peccator est, potiùs est odio habendus. Quod verò attinet ad inimicos, probatur ex illo Matth. 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his qui oderunt vos.* Ex quibus verbis constat, Deo esse gratum vt inimicis bonum velimus; ex illis enim verbis prudenter possumus iudicare, quando tribuimus bona inimicis, illa Deo in inimicis tribuere. Ex doctrina verò Augustini & Gregorij docent frequenter Doctores, amicos diligi in Deo, inimicos verò diligi propter Deum, hoc est, eos quos iustos esse putamus in Deo diligi, sicut personas quæ in Deo manent, & Deus in illis: reliquos verò solùm propter Deum, vt in illis voluntati eius placeamus, quamuis non iudicemus inimicos quibus speramus bona in Deo esse per charitatem. Matth. 5.

Dæmones autem & damnati, non sunt ex charitate diligendi, vt docet D. Thom. art. 11. Nam simpliciter non sunt capaces bonorum supernaturalium; ac proinde simpliciter nequeunt diligi amore perfecto charitatis, quamuis possint secundùm naturam diligi tanquam ad Dei gloriam pertinentes, quatenus in eis splendet Dei iustitia. Denique præter creaturas rationales etiam irrationales possunt diligi per charitatem, vt docet D. Thom. art. 2. ad 3. vbi notat, huiusmodi creaturas non posse amari per charitatem, sicut finis quibus desideramus bona, sed sicut bona concupita, quæ Deo & proximis desiderare possumus per charitatem; omne enim quod est bonum proximi, & ad eius beatitudinem potest conferri, potest etiam ex motiuo supernaturali illi amari. In specie verò docet sanctus Doctor, charitatem per eamdem charitatem diligi posse, ex August. lib. 8. de Trinit. cap. 8. & tract. 9. in epist. Ioann. Quod quidem primò verum est, quia omnia bona Dei & proximorum possunt per charitatem diligi, vt apprehenduntur esse bona Deo: charitas enim quam Deus maximopere commendat, apprehendi potest sicut bona Deo, ac proinde diligi per charitatem. Secundò specialiori ratione, quia quælibet virtus potest honestatem obiectiuam sui actus, & sui ipsius diligere; honestas enim quæ apprehenditur in actu, vel habitu virtutis, ex obiecto virtutis deriuatur, & ideo veluti ratio reflexa, potest amari per eamdem virtutem, per quam directè diligitur ipsum obiectum virtutis. 8.

Sectio II.

An, & qua ratione sint diligendi inimici.

TOta difficultas sita est in explicando, qualiter homo se debeat gerere cum inimicis, tam in actu interiori voluntatis, quàm in signis & actibus exterioribus. Nomine autem inimici intelligitur, qui iniustè & absque iusta causa nos odio prosequitur, vel iniuriam infert. nam qui ex causa iusta & rationabili, nobis molestus est malum aliquod inferendo, non debet censeri inimicus in rigore, quamuis secundùm vulgi opinionem, vt talis censeatur, iuxta illud Pauli ad Galat. 4. *Inimicus factus sum vobis, verum dicens.* Vbi Paulus more vulgi loquitur, non verò in rigore. Et quidem nonnulli, vt refert Magister in 3. distinct. 30. existimarunt, non esse præceptum diligendi inimicos, sed solùm consilium; aut si datur præceptum, non obligare omnes, sed tantùm viros perfectos, quorum fundamentum fuit, quia Christus quando Matth. 5. dixit, *Diligite inimicos vestros*; non intendit hoc præcipere tanquam rem ad salutem necessariam, sed solùm tanquam consilium ad opus supererogationis pertinens; ac proinde statim subdit: *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est.* quibus satis insinuat, diligere inimicos esse opus perfectionis, & consilij. Et confirmatur, quia in lege noua non sunt imposita noua præcepta super ea, quæ olim obligabant, præter præcepta fidei, & Sacramentorum: in lege autem veteri homines non tenebantur diligere inimicos, vt colligitur ex verbis ipsius Christi, *Audistis, quia dictum est antiquis*, &c. 9. Gal. 4. Matth. 5.

10. Prima concluſio. Non poteſt negari ſine præiudicio fidei, in lege euangelica eſſe præceptum de dilectione inimicorum: probatur ex communi conſenſu Doctorum explicantium illa verba Chriſti: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros*; non ſolùm vt continentia conſilium, ſed etiam præceptum. Nam poſtquam Chriſtus dixit: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.* & poſt illa verba: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos veſtros.* ſubdit: *vt ſitis filij Patris veſtri.* Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, dilectionem inimicorum eſſe neceſſariam ad aſſecutionem regni cœleſtis, & vt ſimus filij Dei; ac proinde dilectionem inimicorum obligare ſub mortali. Et ratio eſt manifeſta, quia ex præcepto charitatis tenemur diligere proximos; inimici autem quantumuis mali & peccatores, ſunt proximi, vt ex Auguſt. docuimus ſectione præcedenti: ergo.

11. Secunda concluſio. Præceptum hoc diligendi inimicos, non ſolùm habetur in lege euangelica, ſed etiam in veteri, imò ex ipſa lege naturali. Quòd habeatur in lege veteri, conſtat Exodi 23. Exod. 23. *Si occurreris boui inimici tui, ſeu aſino erranti, reduc ad eum: ſi videris aſinum odientis te iacere ſub onere, non pertranſibis, ſed ſublevabis eum.* & Leuitic. 19. Leuit. 19. *Non quæras vltionem, neque memor eris iniuidia conciuium tuorum.* & ad Rom. 12. Rom. 12. *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum.* Quòd verò habeatur in lege naturæ, patet, quia iure naturæ tenemur diligere proximos noſtros; inimicus autem verè proximus eſt, aliàs liceret malum inferre inimico. Ex quibus conſtat in præfatis verbis Matth. 5. non ſolùm tradi conſilium, ſed & præceptum. Nec obſtant verba ſuperaddita, *eſtote ergo perfecti*; quia poſſunt intelligi de perfectione eſſentiali charitatis, quæ ex præcepto neceſſaria eſt ad ſalutem, & licet intelligantur de perfectione conſilij, & ſupererogationis; poſſunt referri ad dilectionem inimicorum in ſpeciali, & extra caſum neceſſitatis. Deinde conſtat, præceptum hoc etiam obligaſſe in lege veteri. Vnde verba illa, *Auditis, quia dictum eſt antiquis, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*, non debent referri ad aliquod præceptum legis veteris, ſed ad prauam interpretationem Phariſæorum, qui docuerunt populum, licitum eſſe odio habere inimicos.

12. Maior difficultas eſt, an ex vi huius præcepti teneamur aliquando diligere inimicos in particulari; ex vna enim parte videtur quòd ſic; quia præcepta moralia dantur de actibus particularibus: ex alia verò parte videtur oppoſitum, quia non tenemur diligere alios homines in particulari: ergo neque inimicos. Conueniunt autem Doctores cum D. Gregorio 22. Moral. cap. 11. ex vi huius præcepti teneri nos non proſequi odio inimicum, volendo illi aliquod malum, ea ratione qua malum illius eſt. nam velle alicui malum hac ratione, qua malum illius eſt, repugnat formaliter & directè charitati; ac proinde, quamuis licitum ſit velle aliquando peccatoribus, aut inimicis malum, quatenus neceſſarium eſt ad illorum correctionem, vel ad vitandum ſcandalum proprium, vel aliorum ſecundùm ordinem diuinæ iuſtitiæ, non verò licet, quatenus malum illorum eſt.

13. Dicendum ergo eſt, regulariter, & per ſe loquendo, præceptum dilectionis inimicorum non obligare in ſpeciali, ſed tantùm in generali, quia non tenemur in ſpeciali & figillatim diligere omnes proximos: vna ad ſatisfaciendum huic præcepto, regulariter & per ſe ſatis erit in præparatione animi diligere inimicos, ſecundùm quod lex generalis charitatis poſtulauerit, præbendo illis neceſſaria ad vitam temporalem, & ſpiritualem, quando & vbi recta ratio dictauerit eſſe caſum neceſſitatis. Vnde Auguſtin. in Enchirid. cap. 73. affirmat, eſſe opus conſilij & egregiæ perfectionis, diligere inimicos, & benefacere eis in ſpeciali extra caſum neceſſitatis. Dixi *regulariter & per ſe*, quia per accidens poſſunt contingere plures caſus, in quibus tenemur in ſpeciali eos diligere, vt ſi fortè ſint in extrema, vel graui neceſſitate; tunc enim tenemur ex charitate ſubuenire illis, & ſimiliter ſi adſit periculum ſcandali proprij, vel alieni, in quo caſu tenemur ex charitate ad externam communicationem, & inimicum diligere quantum neceſſe fuerit ad vitandum ſcandalum. Ex quo fit, non licere inimicos excludere à beneficiis generalibus quæ toti communitati impenduntur ſecundùm inſtitutionem diuinam, aut Eccleſiaſticam; ac proinde ſi Sacerdos in Canone Miſſæ, quando dicitur, *& omnium circunſtantium*, diceret, *excepto inimico*, hoc eſſet contra inſtitutionem Eccleſiæ, & conſequenter contra legem charitatis, ſecundùm quam non licet inimicos excludere ab his beneficiis generalibus.

14. Inquires, an teneamur ſalutare inimicos, vel ſaltem eos reſalutare, quando ipſi ſua ſalutatione nos præueniunt. Et certum eſt, quòd ex eo quòd aliquis ſit inimicus, non conſurgit noua & ſpecialis obligatio diligendi illum, aut exhibendi ei ſigna dilectionis, & beneuolentiæ, per ſe loquendo, quia præceptum charitatis in ordine ad proximum, tantùm reſpicit illos in quantum communicant nobiſcum in natura capaci beatitudinis ſupernaturalis, & ad illam ordinantur, & eleuantur: vnde quando quis ſit inimicus, non ſuperaddit nouam obligationem, per ſe loquendo, quamuis per accidens poſſit, vt dixi, eam ſuperaddere ad vitandum ſcandalum proprium, vel aliorum; regulariter enim non eſt maior obligatio præcepti charitatis in ordine ad inimicos, quàm in ordine ad alios proximos. Quare non tenemur facere cum inimicis, quæcumque ex gratia & liberaliter facimus cum amicis, vel cum aliis, qui inimici non ſunt.

15. Vnde infertur, quòd, per ſe loquendo, non tenemur ſalutare inimicum, præueniendo illum, quia non tenemur ſalutatione noſtra præuenire alios proximos, ac proinde ſecluſo odio & ſcandalo, nullum erit peccatum ſalutatione non præuenire inimicum. Vnde illud Pauli, *honore inuicem præuenientes*, generaliter loquendo, magis eſt conſilium, quàm præceptum. Deinde non reſalutare inimicum ſalutantem nos, per ſe loquendo, non eſt peccatum mortale, ſed veniale tantùm; quia reſalutare proximum, non eſt res tanti momenti, vt inducat obligationem ſub mortali, quia ſolùm tenemur reſalutare ex quadam vrbanitate, quæ ad ſummum obligat ſub veniali. Per accidens autem, frequenter erit peccatum mortale non reſalutare inimicum, & nolle alloqui illum: quia hoc ſæpiùs prouenit ex odio, vel contemptu proximi, quod ſolet eſſe cauſa grauis ſcandali reſpectu aliorum: qui enim non vult reſalutare proximum, eo ipſo cenſetur eius inimicus. Vnde probabile eſt quod ait Syluester verb. *Charitas*, quæſtione 6. Si inimicus ſit cum aliis eiuſdem conditionis, & ſalutatis

salutatis aliis ipse excipiatur à salutatione, esse peccatum mortale: hoc enim nunquam fit sine graui scandalo, & offensione aliorum. In hoc autem non potest assignari regula certa generalis, sed relinquendum est iudicio prudentum, an hîc & nunc, teneamur salutare, aut resalutare inimicum, & cum alloqui; hoc enim pendet ex peculiaribus circunstantiis, iuxta quas aliquando erit expediens, nec salutare, nec alloqui; aliquando verò oppositum erit necessarium.

16. Denique inquires, an teneamur exhibere inimico signa dilectionis specialis, remittendo totaliter iniuriam, quando ipse venit, & vult nobiscum reconciliari. Et ratio dubitandi est, quia in oratione Dominica quotidie petimus, *dimitti nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*; nos autem à Deo petimus vt totaliter offensam remittat: ergo tenemur totaliter remittere. Vnde Marci 11. & Matth. 18. dicitur: *Si non remiseritis hominibus, neque Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* & Matth. 6. proponitur parabola Regis irati contra seruum nequam, qui noluit dimittere debitum conseruo suo, propter quod iussit tradi illum tortoribus, & subdit Christus, *sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis*, &c. Deinde, quia antequam inimicus petat veniam, tenemur deponere odium contra illum; sed ex eo quòd veniam petat, tenemur ad aliquid amplius: ergo tenemur tunc totaliter reconciliari illi.

Marc. 11. Matth. 18. Matth. 6.

17. Pro decisione huius difficultatis obseruandum est, ex iniuria quam intulit inimicus, frequentius tria contra illum resultare. Primum est, odium internum cum quadam animi indignatione & ira, seu appetitu sumendi, aut desiderandi vindictam de illo propria auctoritate. Secundum est, actio, siue ius ad petendam satisfactionem iniuriæ, & damni illati in rebus externis, aut honore, vel fama, vel propria persona. Tertium est, actio siue ius ad petendam vltionem iuridicam secundùm legem statutam pro delicto, quod inimicus commisit contra nos. Et quod attinet ad primum, certum est, vnumquemque teneri remittere iniuriam inimico quoad internum odium, & iram, & hoc quamuis inimicus non petat veniam: quod efficaciter probant argumenta superiùs facta. Et ratio est, quia odium & ira contra proximum ex se & ex sua natura, intrinsecè est malum repugnans charitati: per odium autem & iram non intelligitur quilibet motus subitus indignationis, sed motus deliberatus, quo quis vult, seu desiderat inimico malum quatenus illius malum est; aut vult illi malum inferre propria auctoritate, non seruato iuris ordine.

18. Quoad secundum verò, quando inimicus petit veniam, & ex animo se offert ad satisfaciendum pro iniuria, & damno illato, tenemur exhibere illi specialia signa dilectionis, vt docet D. Thom. infrà quæst. 83. art. 8. Vnde Augustin. in Enchirid. cap. 74. aiebat: *Quisquis roganti, & petenti, siue pœnitenti, non ex corde dimittit, nullo modo existimet à Domino sua peccata dimitti.* Et ratio est, quia si inimico veniam petenti, & offerenti satisfactionem, nullum detur signum reconciliationis, & dilectionis, præbetur ei vehemens occasio renouandi inimicitias, & aliis graue scandalum; meritò enim suspicabuntur adhuc in corde retineri odium, & iram aduersùs proximum. Quæ autem signa exhibenda sint, relinquitur iudicio prudentum; regulariter tenetur offensus ita se gerere, vt possit facilè intelligi, ipsum deposuisse odium, & velle ex corde reconciliari, oblata debita satisfactione, licèt possit contingere, vt non teneatur statim inimicum alloqui, neque ad pristinam familiaritatem admittere, vt fecit Dauid cum Absalone 2. Reg. 14. quando ad preces Ioab placatus fuit.

August.

Quoad tertium denique. Quando inimicus petit veniam, offensus non tenetur remittere damnum illatum in rebus externis, aut in fama, honore, vel persona, sine debita satisfactione. Ratio huius est, quia non tenemur hoc remittere amicis, si fortè contingat ipsos nobis damna inferre: ergo neque inimicis. Deinde, quia inimicus ex iustitia tenetur hæc damna resarcire: ergo licitè poterit offensus petere satisfactionem. Imò licebit accusare inimicum coram iudice, vt puniatur pœnis legis suo delicto debitis, dummodo sine odio fiat: aliàs frustrà constituerentur leges contra delinquentes. Deinde, quia accusatio facta secundùm iuris ordinem, sine odio, & cum zelo iustitiæ, est actus honestus à iustitia legali elicitus, & valde necessarius. Est tamen animaduertendum, esse valde periculosum, & rarò contingere sine peccato mortali odij interni, quòd quis post oblatam satisfactionem iniuriæ, & damni illati, procedat nihilominus contra inimicum ad punitionem personalem ipsius; hoc enim regulariter non fit ex puro zelo iustitiæ, sed potiùs ex odio & animo vindictæ, & cum aliorum scandalo: vindicatio enim publica solùm est licita, quando principaliter fit propter bonum publicum, vel propter emendationem ipsius peccantis, vt docet D. Thom. infrà quæst. 108. art. 1. Vnde quando inimicus iam est emendatus, nec timetur damnum Reipublicæ, ex eo quòd publicè non puniatur, conuincitur accusantem illum non intendere bonum publicum, nec correctionem inimici, sed potiùs vindictam priuatam, vt odio & passioni satis fiat, quod intrinsecè malum est. Nec repugnant huic doctrinæ argumenta superiùs facta, quia solùm probant quòd teneamur remittere offensam inimici quantum ad iram, & odium internum, & animum paratum ad perferendas quascumque iniurias, & damna, si oportuerit ad Christi gloriam, etiam nulla nobis oblata satisfactione.

19.

SECTIO III.

An in charitate seruandus sit aliquis ordo.

20. DVplex ordo in diligendo potest considerari; alter secundùm prius & posterius: alter verò secundùm magis & minus. In priori ordine continetur aliqua dependentia in dilectione vnius rei à dilectione alterius, aut aliqua prioritas secũdùm rationem, per quam idem actus potest respicere prius vnum obiectũ, quàm aliud. Posterior verò ordo secũdùm magis & minus, quatuor modis esse potest. Primò in modo tendendi & respiciendi obiectum, qua ratione finis diligitur magis, quàm medium, quod propter finem diligitur, & persona cui desideramus aliquod bonum, magis amatur quàm bonum quod illi desideramus; persona enim diligitur sicut res ad quam ordinatur bonũ illi concupitũ. Secundò ille ordo secundùm magis & minus, potest esse in intensione, id est, in maiori, aut minori multitu-

Digitized by Google

dine partium gradualium, ex quibus componitur intensio actus. Tertiò ordo esse potest ex parte obiecti maioris, aut minoris, quod personæ desiderantur; quo sensu illa persona dicitur magis diligi, cui plura aut maiora bona desiderantur, quàm alteri. Quartò ille ordo esse potest in efficacitate maioris, aut minoris, quo sensu magis, id est, efficacius, diligitur ille cui potius exhibetur effectus dilectionis, quàm alter, qui videlicet diligitur cum proposito implicito, aut explicito illi potius exhibendi effectus dilectionis, quàm alteri, si aliquando non esset potestas effectum dilectionis vtrique exhibendi: quod autem hac ratione magis diligitur affectiuè, ab aliis dicitur diligi magis appretiatiuè, & æstimatiuè.

21. Quod autem in charitate debeat seruari ordo, constat manifestè Matth. 22. vbi ponitur ordo inter præcepta charitatis, loquens enim de dilectione Dei, inquit: *Hoc est primum, & maximum mandatum*; de dilectione verò proximi asserit: *Secundum autem simile huic*. & Canticorum 2. dicitur: *Ordinauit in me charitatem*. & hæc est communis & certa sententia Theologorum. In charitate esse aliquem ordinem in diligendis obiectis, quæ per charitatem diliguntur, ita vt non omnia æquè diligantur, sed Deus præ cæteris, & inter proximos sit etiam ordo secundùm magis & minus, & secundùm varias rationes, & titulos coniunctionis, diligibilitatis, & obligationis.

Matth. 22.

Cant. 2.

22. Difficultas itaque est, qualiter ordo hic sit in ipsa charitate. Et ratio dubitandi est, quia habitus charitatis est forma simplicissima, & omnino indiuisibilis, & quæ attingit omnia obiecta sub eadem ratione formali: ergo nullus potest ordo in ipsa assignari, ordo enim esse nequit sine aliqua distinctione partium, quarum vna sit prior altera. Sic videmus in fide & aliis virtutibus moralibus, nullum ordinem assignari: ergo neque in charitate constituendus est aliquis ordo. Dicendum tamen est, in charitate deberi ordinem seruari, vt probant rationes adductæ. Quando autem dicimus in charitate esse ordinem, non intendimus, quòd in ipsa entitate & substantia ipsius, vel in ratione formali sui obiecti secundùm se considerata, sit aliqua distinctio, vel ordo, sed tantùm volumus quod habitus charitatis ex se, & ex sua propria ratione, & natura, habet ferri actualiter in obiecta materialia ordine quodam, quatenus magis, vel minus participant rationem formalem obiecti eiusdem charitatis. Sicut potentia visiua perfectius fertur in ea quæ sunt magis illuminata, & approximata, & habitus scientiæ magis inclinat in conclusiones, quæ immediatiùs deducuntur ex suis principiis: vnde ex duplici capite potest constitui ordo inter obiecta diligibilia per charitatem. Primò ex maiori, vel minori perfectione boni diuini. Secundò ex maiori vel minori coniunctione, & vnione, qua res diligenda est nobiscum coniuncta. Et ex priori capite Bonauent. serm 49. in Cantica obseruat, ordinem charitatis exposcere, vt magis diligamus eos, qui habent maiorem gratiam Dei, & vt magis gaudeamus de magna gratia alterius, quàm de parua propria. Ex posteriori verò affirmat, quòd tenemur secundùm ordinem charitatis maiorem solicitudinem impendere iis, qui nobis sunt magis coniuncti ratione proprij officij, vel aliis titulis.

23. Vnde falsum est, in fide, vel aliis virtutibus moralibus, non esse aliquem ordinem. nam, vt docet D. Bonauent. omnes virtutes, vnaquæque suo modo, seruant ordinem in propriis operationibus, quando quidem discretio omnibus virtutibus ordinem ac modum præscribit. Sic videmus virtutem misericordiæ ordinem seruare in eleemosynis, & in correctione fraterna; iustitia etiam certum requirit ordinem in restituendis rebus alienis, & ipsa fides principalius inclinat ad assentiendum articulis diuinitatis, quàm aliis. Nec contrarius est D. Thom. in hac quæst. art. 1. dum docet, speciali ratione conuenire charitati, habere ordinem in sua actione cum aliis virtutibus, eo quòd charitas respicit proprium obiectum sub ratione finis vltimi, qui est prior in operabilibus; atque adeò primò & principaliter fertur in Deum, tanquam in vltimum finem; secundariò verò & minus principaliter fertur, in alia obiecta magis vel minus, secundùm quod magis, vel minus coniuncta sunt vltimo fini: quod non habet locum in aliis virtutibus, quæ non habent pro obiecto finem vltimum, sed eligere media in ordine ad ipsum. Per hoc autem non intendit D. Thom. alias virtutes suo modo seruare ordinem in propriis actibus: imò de fide id expressè concedit, dum affirmat, quòd habere ordinem, maximè conuenit charitati, quasi diceret etiam aliis virtutibus conuenire, licèt non ita perfectè.

Sectio IV.

An Deus sit magis diligendus, quàm proximus.

24. CVm duobus modis possit contingere maior dilectio Dei, quàm proximi; altero appretiatiuè, seu æstimatiuè: altero verò intensiuè. Conueniunt Doctores, vnumquemque teneri diligere Deum appretiatiuè magis, quàm se ipsum, & cætera omnia, quod satis apertè colligitur ex facta Scriptura Matth. 10. *Qui amat Patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus*. & Lucæ 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem*, &c. *adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Per quæ tamen verba non significatur, esse necessarium positiuum odium contra parentes, aut propriam vitam; sed solùm significatur, quando aliqua creatura aduersatur dilectioni Dei, & obseruantiæ diuinæ legis, quam per charitatem Deo desideramus, esse potiùs Deo exhibendum effectum dilectionis obseruando eius legem, & mandata. &, vt Augustinus dicit tract. 51. in Ioann. *esse potius Deo dilecto moriendum, quàm illo offenso viuendum*. Quamuis tamen propter nullum bonum faciendum sit aliquid contra diuinam legem, nihilominus sæpe contingit, vt imminente periculo alicuius mali, cesset obligatio alicuius præcepti. v.g. confitendi aliquod peccatum, quod quis sine vitæ periculo confiteri non possit; in quo casu ratione huius periculi, tale peccatum taceri potest, non quia propter aliquem timorem liceat diuinam legem violare, sed quia in tali casu cessat obligatio talis legis, quæ non obligat cum tanto periculo. Difficultas ergo procedit de maiori dilectione Dei, intensiuè loquendo.

Matth. 10.

Luc. 14.

August.

25. Sit conclusio. Non tenemur diligere Deum magis intensiuè, quàm nos, & reliqua omnia. Ita D. Thom. art. 6. quem sequuntur Recentiores communiter, ac proinde in intensione quæ consistit in maiori partium gradualium multitudine, nullum esse ordinem in charitate, sed posse efficere actum æquè intensum circa omnia illa, quæ per charitatem diligi possunt, nec esse obligationem diligendi Deum maiori intensione

quàm

quàm alia obiecta. Et probatur, quia in habitu charitatis non sunt aliæ partes ordinatæ ad dilectionem Dei, distinctæ ab his, per quas creaturæ rationales, vel irrationales diligi possunt: ergo virtus charitatis tantam habet partium multitudinem, ac proinde intensionis, prout ordinatur ad dilectionem creaturarum, quantam habet prout ad dilectionem Dei: quare circa quamlibet creaturam quæ diligatur propter Deum, elici potest per charitatem actus ita intensus, atque est ille per quem diligitur Deus. Neque potest esse vllum probabile indicium ad colligendum actum, quo diligimus Deum debere esse intensiorem, quàm illum, quo diligimus creaturas per charitatem, aut per alium habitum. Quòd enim Deus sit maius bonum diligendum, non probat esse diligendum maiori intensione, sed maiori efficacitate, seu, vt dicitur, appretiatiuè. Præterea, quia præceptum charitatis non obligat ad diligendum Deum cum certo & determinato gradu intensionis, sed solùm ad diligendum Deum super omnia, etiam cum minima intensione; neque in actu charitatis potest dari summa intensio, sed quacumque data potest dari maior, & maior in infinitum: ergo præceptum charitatis non obligat ad diligendum Deum cum certo & determinato gradu intensionis: per hoc autem quòd diligatur creatura cum maiori intensione, quàm Deus, non tollitur quin dilectio Dei habeat aliquem gradum intensionis, imò & magnam intensionem: ergo per præceptum charitatis non tenemur diligere Deum magis intensè, quàm creaturam: aliàs ex opposita sententia sequeretur, peccare mortaliter parentes, qui affectuosiùs & vehementiùs diligunt proprios filios, & intensius dolent de illorum amissione, quàm de amissione Dei per peccatum mortale, quod est nimis durum, & contra communem sensum fidelium, qui regulariter experiuntur maiorem effectum in ordine ad filios, quàm in ordine ad Deum: neque de hoc formant scrupulum si vetè habeant animam nihil faciendi contra Deum pro illorum amore.

26. Neque obstat suffugium aliquorum asserentium, huiusmodi affectum vehementiorem, & hanc maiorem amoris teneritudinem, tantùm esse in appetitu sensitiuo, non verò in voluntate, ad quam pertinet intensiùs diligere Deum ex charitate. Contra hoc tamen est, quòd licèt illa maior teneritudo & vehementia amoris sensibilis, sit formaliter in appetitu sensitiuo, nihilominus redundat in voluntate quam appetitus naturaliter impellit, & secum trahit: quare si esset peccatum intensius affici per voluntatem in ordine ad creaturas, quàm Deum: similiter esset peccatum sic deliberatè affici per appetitum sensitiuum. nam voluntas & ratio tenentur illum cohibere, ne feratur in illicitum: quare si tenemur intensius diligere Deum, quàm creaturas, teneremur etiam ex præcepto charitatis dolere intensius de peccato mortali, quàm de quocumque malo temporali: quod tamen est manifestè falsum. Nihilominus est animaduertendum, nimiam intensionem in amore creaturarum, meritò acriter reprehendi à Sanctis, quia potest esse occasio præferendi creaturam dilectam Deo etiam appretiatiuè, quod non fit sine mortali.

Obiicies primò, ex Durando in 3. distinct. 19. quæst. 1. vbi oppositum tenet, ex verbis quibus traditur præceptum dilectionis Dei Deuteron. 6. Matth. 22. & Lucæ 10. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex omnibus viribus tuis*; id est, cum summo animi conatu & vehementia, taliter quòd nihil aliud diligamus plusquam Deum: diligere autem proximum intensius quàm Deum, est simpliciter illum diligere magis quàm Deum. Respondetur cum D. Thom. art. 6. ex his testimoniis tantùm colligi, obligationem diligendi Deum super omnia appretiatiuè, ita vt pro nulla creatura velimus Deum offendere, aut ei displicere: in hoc enim consistit totalitas cordis, mentis, & virium, qua præcipimur Deum diligere; neque aliud intendunt Sancti affirmantes, Deum esse diligendum super omnia.

Obiicit secundò, quia vix potest intelligi, quomodo Deus diligatur magis appretiatiuè, si diligitur minus intensiuè. nam maior dilectio appretiatiua in eo consistit, vt noster affectus difficilius separetur à dilectione Dei, quàm à dilectione creaturæ: hæc autem maior difficultas esse non potest sine maiori conatu, vehementia, & adhæsione immobili in dilectione Dei: cùm ergo maior intensio consistat in maiori radicatione, vel adhæsione potentiæ cum obiecto diligibili, sequitur, quòd non stat Deum diligere magis appretiatiuè, quin etiam diligatur magis intensiuè, & consequenter, sicut tenemur diligere Deum magis appretiatiuè, ita etiam magis intensiuè. Respondetur, non rectè explicare Durandum in quo consistat maior intensio dilectionis, & maior dilectio appretiatiua. Maior enim intensio consistit, vt diximus, in maiori partium gradualium multitudine, qua ratione ostendimus, non esse obligationem diligendi Deum maiori intensione quàm alia obiecta. Maior verò dilectio appretiatiuè in eo tantùm consistit, vt quis nihil diligat contra veram Dei amicitiam, seu vt simul non patiatur amorem amicitiæ Dei contrarium, siue intensiorem, siue remissiorem; licèt possit admittere intensiorem alium amorem, qui contrarius non sit amicitiæ Dei. 28.

Obiicit tertiò, quia charitas suapte natura, inclinat intensius ad diligendum Deum, quàm proximum. nam tota ratio diligendi proximum per charitatem est ipse Deus: ergo videtur manifestè implicantia, quòd proximus ex charitate diligatur intensius, quàm Deus. Patet consequentia, quia propter quod vnumquodque est tale, & illud magis. Respondetur, nullam esse implicantiam quòd dilectio ex charitate elicita sit intensior erga proximum, quàm erga Deum. Ratio est, quia potentia voluntatis instructa habitu charitatis, potest mediante illo conati vehementius ad diligendum proximum, quàm Deum. nam intensio actus non solùm prouenit ex propria, & intrinseca inclinatione habitus, sed etiam ex conatu potentiæ: vnde cùm habitus charitatis perficiat voluntatem ad modum proprium ipsius voluntatis, & in potestate voluntatis sit vehementius & intensius diligere proximum, quàm Deum. nam habitibus vtimur cùm volumus, & quantum volumus, ideo potest esse intensior dilectio circa proximum, quàm circa Deum. Vel secundò respondetur, hoc argumentum nullam habere vim si dicamus, per charitatem diligi proximum propter Deum, itaut in proximo nihil diligatur nisi Deus amore amicitiæ: per charitatem enim volumus bonum proximo ex complacentia ipsius Dei, vt bonum Dei est: vnde hoc actu charitatis non potest proximus intensius diligi, quàm Deus: si autem vera est sententia affirmantium, actum charitatis theologicæ posse versari 29.

circa proximum ex complacentia ipsius proximi, nulla apparet ratio, propter quam hæc dilectio proximi non possit esse intensior.

Sectio V.

An homo teneatur ex charitate plus diligere Deum, quàm se ipsum.

30. Conclusio est affirmatiua, quam tenent communiter Doctores cum D. Thom. art. 3. in assignanda verò ratione huius rei, non conueniunt. Ratio verò Sancti Doctoris hæc est, quia quælibet creatura naturaliter, magis inclinatur ad diligendum Deum, quàm se ipsam. nam quælibet pars naturaliter magis amat bonum totius, quàm bonum proprium particulare: sed bonum cuiusque rei creatæ comparatur ad bonum diuinum, sicut pars ad totum; Deus enim est summum bonum, cuius participatione omnia sunt bona, & sine quo nullum potest esse bonum; ac proinde est omne bonum, & totale bonum vniuersi: ergo naturaliter magis diligimus Deum tanquam bonum totale, quàm bonum nostrum particulare. Cuius signum est, quia à qua naturaliter ascendit ad replendum vacuum pro conseruatione totius vniuersi, licèt hoc sit contra suum bonum particulare, & manus motu naturaliter exponit se ad repellendum ictum pro conseruatione totius, & quilibet bonus ciuis exponit propriam vitam pro Republica cuius ipse pars est; ergo quælibet pars naturaliter plus diligit totum, quàm se ipsam.

31. Hanc verò rationem conantur infringere Scotus, Durandus, & nonnulli alij Doctores. Scotus enim in 3. dist. 27. existimat, falsum esse partem naturaliter se exponere periculo pro conseruatione totius; à qua enim non se ipsam exponit pro toto vniuerso: neque manus pro conseruatione totius, sed vtrobique exponitur pars non à se ipsa, sed vel à toto, vel ab aliquo alio agente extrinseco. Durandus verò in 3. distinct. 29. quæst. 2. censet rectè posse stare, quòd pars exponat se ipsam pro toto, quamuis non diligat magis totum, quàm se ipsam: homo enim licitè exponit vitam propriam pro amico, & pro pecuniis, non tamen ideo plus diligit amicum & pecunias, quàm propriam vitam. Similiter bonus ciuis exponit propriam vitam pro Republica, nec tamen magis diligit rempublicam, quàm se ipsum, quia in eo actu vult sibi maius bonum, scilicet bonum virtutis, quo nollet carere pro vniuersa Republica. Vnde Aristot. 9. Ethicor. cap. 8. ait, quòd vir studiosus in his & similibus actibus maximè diligit se ipsum.

32. Hæc tamen non eneruant vim rationis D. Thomæ. In primis enim non solùm prouenit ex appetitu naturali totius, quòd pars exponatur pro toto, sed etiam ex appetitu naturali ipsius partis, quatenus pars totius est; ac proinde non potest negari, quin ipsa naturaliter se exponat pro toto secundùm aliquam inclinationem intrinsecam sibi innatam. Vnde parum refert, quod etiam id prouenire ex appetitu naturali totius, quia, teste Aristot. 2. Physicorum, *Vnumquodque aptum natum est, agi, & moueri, sicut naturaliter agitur, & mouetur* Cùm ergo quælibet pars sponte & naturalissimè moueatur ad conseruationem totius etiam cum sui destructione, necessariò fatendum est, inesse parti naturalem inclinationem, qua magis diligat totum, quàm se ipsam. Deinde D. Thomas non intendit vniuersaliter quòd quicumque exponit vitam suam pro aliqua re, illam magis diligat, quàm se ipsum, vt minus rectè intellexit Durandus, sed solùm vult, qui exponit vitam pro aliqua re tanquam pro causa totali & adæquata, tunc magis diligere illam, quàm propriam vitam, & quia quando pars naturaliter exponitur pro toto causa totalis & adæquata, est conseruatio totius; non enim possumus assignare alium finem, ideo rectè colligit D. Thomas quòd quælibet pars in eo quod est pars, magis diligit totum, quàm se ipsam. Quando verò quis exponit vitam pro amico, vel pecuniis, causa totalis & adæquata non est amicus, vel pecunia, sed bonum virtutis, aut propria familia, ad cuius conseruationem pecuniæ ordinantur.

Aristot.

Deinde probatur conclusio, quia negari non potest, quin Deus naturaliter magis diligat se, quàm omnia alia: ergo non inclinat creaturam ad diligendum se ipsam magis, quàm Deum, sed omnia ordinat & inclinat in se ipsum tanquam in auctorem omnium rerum. Patet consequentia, quia omnis creatura, & omnis inclinatio naturalis ipsius, est effectus Dei secundùm dilectionem naturalem qua Deus diligit se ipsum; *Omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus.* Denique quia nulla inclinatio naturalis ipsius naturæ, potest esse ad malum; diligere autem nos ipsos plusquam Deum, est intrinsecè malum, & contra rectum rationis ordinem: ergo creatura non habet talem inclinationem naturalem. 33.

Vt autem veritas hæc perfectiùs intelligatur, animaduertendum est: quando dicimus quòd naturaliter magis diligimus Deum, quàm nos, hoc posse habere duplicem sensum. Primus est, quòd à natura sumus determinati ad diligendum Deum super omnia expresè & formaliter per actum illicitum, ita vt ab hac inclinatione non possimus actu cessare, vel saltem contrarium actum habere, & hoc sensu falsum est nos inclinari naturaliter ad diligendum magis Deum, quàm nos; constat enim plures magis diligere creaturam, quàm creatorem, imò & positiuè odio prosequi Deum. Secundus sensus est, quòd natura per se loquendo inclinat nos ad diligendum Deum super omnia per amorem, qui sit actus elicitus, & expresè & formaliter feratur in Deum, præferendo ipsum rebus omnibus, licèt per accidens ex malitia, vel ex corruptione naturæ, vel insufficienti applicatione obiecti, impediatur ne possit aliquando prorumpere in hunc actum: qui sensus verus est. nam ratio naturalis dictat illud esse magis diligendum, quod est maius bonum nostrum, Deus autem est maius bonum nostrum quàm nos ipsi; ergo natura ipsa inclinat ad diligendum Deum magis, quàm nos. Minor probatur, quia quodlibet bonum particulare est in Deo eminentiori modo, quàm in se ipso; ac proinde destructis nobis secundùm esse quod habemus extra Deum, adhuc conseruatur nostrum esse in ipso Deo excellentiori modo, quàm in nobis sit; destructo autem Deo à quo essentialiter omne bonum dependet, nullum bonum particulare posset conseruari: ergo nequit negari Deum esse maius bonum nostrum, quàm nos ipsos. 34.

Obiicies primò, quia tota ratio diligendi est conuenientia; eadem enim est ratio boni, & conuenientis: sed nihil est conuenientius vnicuique rei quam suummet esse: ergo nihil magis diligitur quàm res ipsa secundùm inclinationem naturæ. Respondetur verum esse nihil posse amari nisi sub ratione conuenientis; hæc autem conuenien- 35.

tia

tia per prius in Deo reperitur, quatenus est bonum vniuersale, & fons totius boni, quàm in quocumque alio bono particulari; nullum enim bonum creatum conueniens est appetitui, nisi in quantum per illud aliquo modo participatur summum bonum diuinum.

36. Obiicies secundò, quia ex nostra sententia sequitur, posse hominem solis viribus naturæ absque auxilio gratiæ, diligere Deum super omnia quatenus finis vltimus naturalis. Cuius contrarium docuimus 1. 2. Sequela probatur, quia homo naturaliter nullam creaturam magis diligit, quàm se ipsum, iuxta illud Ethicorum 9. cap. 8. Idem. *Amicabilia quæ sunt ad alterum, veniunt ex amicabilibus quæ sunt ad nos: & amabile bonum vnicuique proprium.* Si ergo naturali dilectione diligit homo Deum magis, quàm se, sequitur quòd naturaliter diligat Deum super omnia simpliciter. Respondetur hoc argumentum solùm probare, hominem suis viribus relictum diligere Deum super omnia amore quodam imperfecto, & ineffi-
37. caci; non verò amore absoluto & efficaci, impeditur enim ex infirmitate, & corruptione naturæ propter corruptionem animæ ad corpus, quod ipsam aggrauat.

Denique obiicies, quia quando occurrit necessitas exponendi vitam pro Deo, ipsa natura refugit mortem, vt constat in multis Martyribus, & etiam in Christo, quod est signum manifestum, naturam non inclinare ad diligendum Deum magis, quàm nos ipsos. Quòd si dicas, hoc non prouenire ex natura rationali, sed ex sensitiua, Matth. 26. iuxta illud, *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* Contrà, quia inde sequitur naturam sensitiuam non diligere Deum amore naturali plusquam se ipsam; quod ex eo constat, quia appetitus sensitiuus naturaliter inclinatur in malum rationis, ac proinde contra bonum diuinum magis, quàm contra se ipsum, iuxta illud Genes. 8. Genes. 8. *Sensus & cogitatio hominis, prona sunt ad malum*, &c. Respondetur ex naturali illa repugnantia moriendi pro Deo, non rectè inferri, quòd nos naturaliter magis diligamus nos ipsos, quàm Deum; certum enim est quòd naturaliter magis diligimus conseruationem vitæ, quàm conseruationem manus, vel pedis, & nihilominus si oportet manum, vel pedem abscindere, pro tuenda vita, naturaliter repugnamus abscissionem: hæc autem naturalis repugnantia oritur ex illo ipso amore intimo & naturalissimo, quo naturaliter amamus ipsum Deum. nam tota ratio illius repugnantiæ naturalis, est appetitus insitus participandi diuinum esse, & bonum quod per prius, & magis diligitur; quia est ratio diligendi cætera omnia: illa verò inclinatio ad malum, de qua fit mentio Geneſis 8. prouenit à natura corrupta.

Sectio VI.

De ordine Charitatis seruando circa alia obiecta creata.

38. ORdo qui in dilectione creaturarum seruari debet, quatuor sequentibus conclusionibus explicatur.

Prima conclusio. In bonis quæ ad obseruantiam diuinæ legis sunt necessaria, homo ex charitate tenetur magis se ipsum diligere, quàm quoslibet alios proximos, etiamsi illi sint patentes, vel communitas plurimorum in qua aliquis contineatur. Ita D. Thom. art. 4. in corpore, & ad 2. Omissis autem aliis rationibus, ratio à priori huius conclusionis est, quia ex charitate illud est magis Deo diligendum, quod ille vult magis sibi diligi, & anteponi omnibus aliis: Deus autem in his bonis, quæ ad obseruantiam diuinæ legis sunt necessaria, vult vt homo in propria persona primo loco suam legem obseruet, & propriam honestatem anteponat omnibus bonis mundi, iuxta illud Matth. 16. *Quam commutationem dabit homo pro anima sua.* & Matth. 16. Ioann. 14. *Qui diligit me, mandata mea seruabit.* Qui Ioan. 14. quidem ordo ex ipsa rei natura est necessarius; Deus enim nihil magis odio habet, quàm peccatum, & suæ legis transgressionem; ac proinde impossibile est, vt illi sit gratum aliquid facere cum peccato, & transgressione suæ legis; ergo ex natura rei in his, quæ ad obseruantiam diuinæ legis sunt necessaria, oritur, vt homo debeat potius in propria persona diuinam legem obseruare, quàm rationem habere aliarum rerum, quibus sine transgressione legis diuinæ, non possit exhibere effectus dilectionis.

Diximus autem hunc ordinem esse in bonis 39. quoad obseruantiam diuinæ legis sunt necessaria; in aliis enim bonis, huiusmodi ordo necessarius non est, scilicet vt homo potius illa sibi velit, quàm aliis, quin potiùs in ipso bono beatitudinis non est inhonestum, desiderium ad tempus illa carendi, si Deo ita placeret pro salute multorum proximorum, quin potiùs similem voluntatem in Moyse, & Paulo fuisse, sententia est plurium Doctorum, Augustini in Psalm. 105. Hieronym. in 1. cap. Ionæ, Chrysost. homil. 2. & 6. de laudibus Pauli, & in cap. 9. epist. ad Roman. vbi exponunt illa verba: *Optabam anathema esse à Christo pro fra-* Rom. 9. *tribus meis*; Quamuis enim hæc verba Pauli alium habeant sensum, sententia tamen Patrum quos retulimus, multum confert ad intelligendum huiusmodi desideria, nihil inhonestum continere, dummodo in animo sit propositum nunquam offendendi Deum, nec deserendi diuinam amicitiam transgrediendo alia præcepta: in horum enim obseruatione, homo ex charitate teneretur proprium bonum anteponere, non verò in cæteris bonis.

Hæc tamen conclusio non excludit quin ali- 40. quando, propter bonum temporale proximorum, omitti possit aliquod opus præceptum, v. g. sacrum in die festo, quando quis non potest illud audire sine periculo alicuius ægroti. In quo casu illud omitti potest, non quidem quòd temporalis vita alterius bono spirituali proprio anteponi possit, sed quia præceptum Ecclesiasticum in ea occasione non obligat, & ideo sine spirituali nocumento haberi potest ratio vitæ corporalis proximi.

Secunda conclusio. Proximus in bonis spiri- 41. tualibus plus ex charitate diligendus est, quàm bona nostra corporalia, ita docet D. Thom. art. 5. ex Augustin. lib. 1. de doctrina Christiana cap. 27. Et in responsione ad tertium rectè exponit, hunc ordinem charitatis non esse necessarium ex præcepto, sed consilij & perfectionis, quando proximus non est in necessitate spirituali; quando verò est in ea necessitate, illum ordinem esse necessarium etiam ex præcepto. Quod probatur ex verbis Christi, Ioann. 15. *Hoc est præceptum meum, vt* Ioan. 15. *diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Dilexit autem nos Christus, temporalem vitam tradendo pro nostra

vita ſpirituali; ergo nos etiam debemus pro fratribus animas ponere, vt colligit B. Ioannes epiſt. 1. cap. 3. Oportet tamen in ſingulis caſibus, neceſſitatem ſpiritualem proximi conferre cum detrimento corporali quod ſuſtinendum ſit pro bono ſpirituali illius, licèt enim in extrema neceſſitate ſpirituali proximi ei ſubueniendum ſit, etiam cum periculo vitæ temporalis; in minori tamen neceſſitate ea obligatio non eſt, niſi aliàs illa oriatur ex officio paſtoris ſpiritualis, vt contingere poteſt. Conſideranda etiam eſt ſpes remedij proximi, quæ ſi non ſit valdè probabilis, cum tanto detrimento non obligat. Ex quibus infertur extra extremam neceſſitatem, dummodo grauis ſit, eos quibus ex officio incumbit cura alienæ ſalutis, teneri eam procurare etiam cum periculo vitæ. nam alij obligantur in extrema cum periculo vitæ, hi verò in graui, cum ſtrictiùs obligentur. Vnde Paſtores animarum tempore peſtis, non poſſunt licitè deſerere oues ſuas, ſed tenentur illis Sacramenta miniſtrare, ad minus ſacramentum baptiſmi & pœnitentiæ, etiam cum periculo vitæ, niſi alios miniſtros idoneos ſubſtituerint: *Bonus enim paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis*, Ioan. 10. & ad id obligantur ex officio. Ioan. 10.

42. Tertia concluſio. Inter proximos aliqui ſunt magis diligendi, quàm alij, tam affectu interno, quàm externo. Hoc eſt, aliquibus potiùs effectus dilectionis exhibendus eſt in neceſſitate, quando omnibus exhiberi non poteſt. Hanc concluſionem fusè exponit D. Thom. ab art. 6. & eſt conformis D. Auguſtino lib. 1. de doctr. Chriſtiana, cap. 28. Ratio verò eſt manifeſta, quia, vt diximus, obſeruantia diuinæ legis eſt bonum quod Deo per charitatem deſiderare debemus: ſunt autem præcepta pietatis, quibus tenemur in caſu neceſſitatis potius ſuccurrere parentibus, quàm aliis, etiam quàm filiis: & iis potius quàm aliis, qui nobis non ſunt coniuncti. Quod etiam inde conſtat, quia odium aliquorum eſt maius peccatum, quàm odium aliorum, iuxta illud Leuitici 20. *Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* quæ pœna inflicta non eſt maledicenti aliis; ergo à contrario, alij aliis erunt magis diligendi. Et quamuis coniunctio ſpiritualis videatur ex obiecto cæteris præferenda, vt docet D. Thom. art. 8. Quia magis refertur ad Deum, qui eſt obiectum charitatis; nihilominus ex parte diligentis, coniunctio naturalis, ſeu carnalis, per ſe loquendo, cæteris præferenda eſt, quia fundatur in natura; ac proinde eſt firmior & ſtabilior, quàm coniunctio ſpiritualis: hæc enim cùm fundetur in gratia, quæ poteſt facilè amitti per peccata, non ita firma eſt. Vnde magis tenemur ſubuenire patri carnali, quàm ſpirituali, ab illo enim accepimus maximum, & præcipuum beneficium. Et ſimiliter filio carnali, quàm ſpirituali, quia filius eſt aliquid patris, & vnio filij carnalis magis firma: ac proinde in ordine ad bona temporalia, præferenda eſt coniunctio carnalis ſpirituali, ſi reſpiciantur gradus ſimiles: in diſſimilibus verò attendendæ ſunt circunſtantiæ. Et eodem modo philoſophandum eſt in ſpiritualibus, coniunctionem naturalem præferendam eſſe ſpirituali; atque adeò in neceſſitate ſpirituali magis ſuccurrendum eſt patri carnali, quàm patri ſpirituali. Leuit. 20.

43. Quarta concluſio, in bonis corporalibus aliquando bonum proximorum eſt magis diligendum, quàm proprium bonum, v. g. defenſio Reipublicæ, quàm propria vita, quando ſcilicet bonum commune ſine periculo vitæ defendi non poſſit. An verò inter perſonas priuatas obligatio ſit, vt, cæteris paribus, homo plus diligat proprium bonum, quàm proximi: an verò honeſtè poſſit vitam propriam exponere periculo ad ſuccurrendum periculo alterius, diſputant Doctores. Probabilius cenſeo, eſſe peccatum mortale quempiam mortem ſubire pro vita temporali hominis priuati ſibi æqualis, nullus enim poteſt dare eleemoſynam de alimento neceſſario ad propriam vitam, quia illa ſubtractio eſſet occiſio ſui, & ita colligitur ex D. Auguſt. tom. 4. lib. de Mendacio, c. 6. his verbis: *Si pro illius temporali vita, ſuam ipſe temporalem perdit, non eſt iam diligere ſicut ſe ipſum, ſed ſupra ſe ipſum, quod ſanè doctrina regulam excedit.* Et ratio huius eſt, quia proximo tenemur ſubuenire extremæ indigenti, quia proximus eſt; nos autem ſumus nobis ipſis magis proximi; ergo magis tenemur nobis ſubuenire. Et confirmatur, quia deterius peccatum eſt homicidium proprium, quàm alienum. Vnde qui nec ſibi, nec proximo ſubuenit, magis peccat ſibi non ſubueniẽdo, quàm proximo; ergo priùs tenetur ſibi ſubuenire. Quòd autem hoc peccatum ſit ex genere ſuo mortale, inde conſtat, quia in hac parte non poteſt dari paruitas materiæ. nam mors hominis parua materia non eſt. Vnde quando Chriſtus docuit, maiorem dilectionem neminem habere, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis, intelligendus eſt hic locus, pro vita ſpirituali proximi. Auguſt.

DISPVTATIO IV.

De actibus, & præcepto charitatis.

SECTIO I.

Quid ſit actus charitatis, & an ſine habitu inhærenti elici poſſit cum ſolo auxilio externo.

1. IRCA primum dilectio charitatis theologicæ nihil aliud eſt, quàm actus quo diligimus Deum, ita vt velimus illi bonum, vt bonum ipſius eſt, & ex complacentia illius. Hic autem actus ſupernaturalis eſt ſecundùm ſubſtantiam, vt conſtat ex Concilio Arauſic. II. cap. 25. vbi aſſeritur: *Prorſus donum Dei eſt diligere Deum: ipſe vt diligeretur dedit, qui non dilectus diligit.* & paucis interpoſitis diffinit: *Nullum poſſe prout oportet Deum diligere, niſi gratia eum, & miſericordia diuina præuenerit.* Illi enim actus ſunt ſupernaturales ſecundùm ſubſtantiam, ad quos huiuſmodi auxilia donantur tanquam neceſſaria ad agendum; ad actum namque intrinſecè naturalem cum ſolis auxiliis naturalibus fieri queat, neceſſaria non ſunt auxilia ſupernaturalia. Præterea, quia habitus charitatis ex ſua natura eſt ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis, ad Roman. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum.* & ad Epheſ. 6. *Pax, & charitas, cum fide à Deo Patre, & Domino Ieſu Chriſto.* ergo etiam actus charitatis in ſua entitate eſt ſupernaturalis. Conſequentia eſt manifeſta, quia habitus infuſi donantur ad efficiendos actus: ad efficiendos autem actus entitate naturales, opus non erant habitus entitate ſupernaturales: Arauſ. II. Rom. 5. Epheſ. 6.

Digitized by Google

naturales : cum quia vires, & habitus naturales ad eos efficiendos ſufficerent : tum etiam, quia actus eſſentialiter naturales, non poſſunt exigere eſſentialiter principia ſupernaturalia.

2. Circa ſecundum, non inquirimus an actus charitatis, ſeu dilectio Dei ſuper omnia poſſit elici ſine habitu charitatis. nam de hoc iam diximus 1.2. in tract. de Gratia, vbi docuimus actum contritionis in qua talis dilectio neceſſariò includitur, non procedere effectiuè ab habitu gratiæ & charitatis, cùm ſit vltima diſpoſitio ad illum. Difficultas ergo eſt, an voluntas quæ ſuis viribus relicta inſufficiens eſſet ad efficiendos actus ſupernaturales, & de facto regulariter illos efficit per auxilium ſupernaturale intrinſecum, vel habituale, vel actuale, an poſſit per diuinam potentiam eoſdem actus efficere, quin ei adſit aliquod inhærens auxilium ſupernaturale, ſiue per modum habitus, ſiue per modum actus, ſupplente diuina omnipotentia actiuitatem principij ſupernaturalis intrinſeci.

3. Negat Aluarez de Auxiliis diſp. 67. & cum eo communiter recentiores Thomiſtæ. Quorum præcipuum fundamentum eſt, quia nulla cauſa poteſt agere ſine virtute agendi, v. g. ignis nequit calefacere ſine calore; natura autem ex ſe, & ſuis viribus relicta, nullam habet actiuitatem immediatam in actum ſupernaturalem charitatis, ſed ei tota virtus agendi eſt principium ſupernaturale ſibi inhærens; ergo ſecluſo hoc principio inhærenti, repugnat voluntatem noſtram elicere actum charitatis ſupernaturalem. Maior propoſitio euidens eſt. nam repugnat effectus ſine cauſa. Minor verò probatur, quia voluntas eſt ordinis naturalis; actus verò ſupernaturalis: in potentia autem naturali ſine principio inhærenti ſupernaturali, non eſt virtus, aut vis, vt ab illa oriatur actus ſupernaturalis; ergo implicat actum ſupernaturalem oriri à voluntate creata abſque principio ſupernaturali inhærente.

4. Oppoſitam ſententiam tenet Scotus in 4. diſtinct. 49. quæſt. 11. & eſt communis inter Doctores tam antiquos, quàm Recentiores, quam ſequitur vniuerſa ſchola Societatis IESV, & mihi valde probatur. Sit ergo concluſio, diuina virtute non implicat actum charitatis theologicæ (& idem eſt de quolibet alio actu ſupernaturali) fieri à voluntate creata, ſine habitu, aut vllo auxilio intrinſeco, per ſolam eleuationem extrinſecam voluntatis, aut omnipotentiæ diuinæ. Et

Probatur primò, quia omnipotentiæ Dei nihil eſt negandum, niſi vbi apparet manifeſta repugnantia: in hoc autem quòd voluntas creata eliciat actum charitatis per ſolam eleuationem extrinſecam diuinæ omnipotentiæ, nulla oſtendi poteſt implicantia, ob quam id Deo negare debeamus, vt patebit ex ſolutione argumentorum. ergo.

5. Secundò probatur inſtingendo fundamentum contrariæ ſententiæ, quia voluntas creata habet immediatum influxum, & actiuitatem in actum charitatis, ſicut in alios actus ſupernaturales: & quicumque habitus ſupernaturalis ſolùm concurrit ad actum ſupernaturalem, vt principium efficiens; ergo Deus poteſt efficacitatem talis habitus, ſeu auxilij intrinſecè inhærentis ſupplere. Conſequentia eſt manifeſta, quia ex communi ſententia, Deus poteſt ſupplere efficacitatem cuiuſlibet cauſæ efficientis alterius, quæ non ſit potentia vitalis. Antecedens verò in quo eſt difficultas multipliciter oſtenditur. Primò ex ſacra Scriptura, 1. Corinth. 15. vbi ait Paulus. *Abundantius illis omnibus laboraui: non ego autem, ſed gratia Dei mecum.* Quibus verbis gratiæ diuinæ cooperationem immediatam noſtræ voluntatis ſubiungit, & gratiam non eſſe cauſam, & virtutem totalem, & adæquatam actus ſupernaturalis immediatam, ſed partialem manifeſtè exprimit: vt exponit Auguſt. de Gratia, & libero arbitr. cap. 5. *Ne ipſa voluntas ſine gratia Dei putetur boni aliquid poſſe, continuò cùm dixiſſet, gratia eius in me vacua non fuit, ſed plus illis omnibus laboraui, ſubiungit, atque ait: Non ego autem, ſed gratia Dei mecum. Id eſt, non ſolus, ſed gratia Dei mecum: ac per hoc nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo.* Deinde hoc ipſum docuit Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. vbi decernit: *Hominem gratia excitanti, atque adiuuanti liberè aſſentiendo, & cooperando diſponi: ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens.* & canon. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, ſed veluti inanime quiddam, nihil omnino agere, meréque paſſiuè ſe habere, anathema ſit.* Ergo ex diffinitione Concilij, voluntas cooperatur gratiæ Dei: quod autem nihil operatur, non poteſt eſſe principium cooperans. Deinde ex ſententia Concilij liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non ſe habet merè paſſiuè: ergo poſt ſuſceptam gratiam ex ſe aliquam actionem immediatam præſtat: aliàs ſi tantùm reciperet gratiam à Deo, & actionem operis ab ipſa gratia prouenientem, merè paſſiuè ſe haberet. 1. Cor. 15. Auguſt. Trident.

6. Atque hoc ipſum efficaciter oſtenditur ex attributis, ſeu diuiſionibus diuinæ gratiæ. Et in primis ex gratia excitante, hæc enim non diſtinguitur à ſancta cogitatione, & affectione voluntatis: excitatur autem ac mouetur voluntas per gratiam ad agendum, quia per ſanctam cogitationem percipit honeſtatem obiecti, quod amore proſequendum eſt, & per ſimplicem complacentiam afficitur in illud: ſed habitus nec percipit obiectum, nec in illud afficitur; ergo immediatè ſola voluntas excitatur, & mouetur, vt cum habitu actus pietatis operetur; ergo nequit negari quin voluntas ſit immediatè operatiua talis actus: aliàs fruſtrà excitaretur ad agendum. Ex gratia verò adiuuante, & cooperante faciliùs conficitur argumentum, quia, vt prædiximus, nequit gratia adiuuare voluntatem, neque illi cooperari, quin & ipſa voluntas aliquid operetur & agat. Denique ex aliis duobus attributis gratiæ complentis atque eleuantis naturam, idem conuincitur, quia gratia non poteſt complere naturam ad aliquid agendum, quin ipſa natura habeat virtutem aliquam incompletam talis actus: ſicut neque poteſt eleuari ad agendum actum ſupernaturalem, niſi ipſa immediatè agat.

7. Vrgetur ampliùs idem antecedens ex vitalitate actus ſupernaturalis, & ex ratione voluntarij, & liberi: quia actus charitatis non ſolùm eſt ſupernaturalis, ſed etiam vitalis; ac proinde principium immediatum illius debet eſſe, non ſolùm ſupernaturale, ſed etiam vitale: at habitus ſupernaturalis, vel quodcumque auxilium intrinſecè inhærens, non eſt ex ſe vitalis; ergo principium immediatum actus charitatis theologicæ, non ſolùm eſt habitus ſupernaturalis, aut qualitas intrinſeca, ſed etiam potentia vitalis. Minor probatur, quia principium vitale debet conuenire naturæ viuenti ab intrinſeco. nam viuere viuentibus eſt eſſe: habitus

habitus autem est ab extrinseco, quia natura non potest per intrinsecam illam suam actiuitatem illum obtinere. Ex ratione voluntarij idem patet, nam voluntarium est quod est à principio intrinseco cognoscente singula in quibus est actio: sed actus charitatis non est à principio agente intrinseco cognoscente, seu agente cum cognitione; quia habitus charitatis cognoscens non est, vt constat; ergo tandem ex libertate actus idem constat. nam talis libertas ad actum supernaturalem non potest inesse voluntati absque immediata actiuitate talis actus propria ipsius voluntatis; quia potentia libera essentialiter est actiua cum indifferentia ad agendum, & non agendum: habitus autem ex se non est immediatè, & proximè actiuus actus supernaturalis cum indifferentia ad non agendum; ergo solus habitus præcisè non potest esse proximè immediatè liber, absque immediata actiuitate voluntatis.

8. Denique idem assumptum confirmatur à paritate rationis, desumpta ab specie impressa naturali influenti immediatè in actum supernaturalem. nam species impressa naturalis immediatè concurrit, & efficit cognitionem supernaturalem, vt constat in actu supernaturali fidei theologicæ, ad quem concurrunt species non infusæ, nec intrinsecè supernaturales, sed dumtaxat species naturales acquisitæ instructione Ecclesiæ, vel eorum qui proponunt nobis mysteria fidei; neque eiusmodi species efficiunt actum fidei theologicæ, media aliqua virtute supernaturali ipsis impressa, & ab ipsis distincta, sed immediatè per se ipsas; ergo & potentia naturalis potest immediatè concurrere, & efficere actum supernaturalem: eadem enim est vtrobique ratio.

9. Tertiò probatur conclusio ratione à priori, quia actus charitatis non repugnat elici à voluntate creata immediatè eleuata a Deo decreto suæ voluntatis, vel per suam omnipotentiam, neque ratione vitalitatis, neque ratione supernaturalitatis, absque auxilio intrinsecè inhærente; ergo diuinitus id fieri potest. Antecedens quoad priorem partem probatur, quia vitalitas vt vitalitas est reduplicatiuè, non sumitur ab habitu, quia, vt prædiximus, habitus præcisè & ex se, non operatur modo vitali, sed sumitur præcisè à potentia vitali; ergo ad vitalitatem præcisè non est necessarius habitus, seu qualitas inhærens comparatione omnipotentiæ diuinæ. Quoad posteriorem partem sic ostendo, quia ad actum charitatis theologicæ, vel requiritur habitus, vel auxilium aliquod, quod cùm solum concurrat in genere causæ efficientis non vitalis, illius efficientia poterit à Deo suppleri, vt ostensum est. nam si auxilium illud est actus ipsius intellectus, vel voluntatis, de illo possit sumi argumentum; quia si is actus fieri potest sine habitu; ergo etiam alter actus. Si verò non est actus, sed qualitas quædam supernaturalis transiens, vt nonnulli Thomistæ loquuntur, cùm hæc solum concurrat in genere causæ efficientis, similiter poterit à Deo suppleri; ergo voluntas creata potest simul cum Deo concurrere ad producendum actum charitatis theologicæ. Confirmatur, quia cum partiali concursu immediato nostræ voluntatis in actum supernaturalem, potest componi quòd actus sit supernaturalis, videlicet quòd sit absolutè, & simpliciter supra omnes vires eiusdem voluntatis, tam eas quas voluntas potest exhibere, quàm eas quas potest exigere; hoc autem sufficit, vt talis actus sit supra omnes vires naturæ; ergo talis concursus siue influxus partialis immediatus, non repugnat supernaturalitati actus: sicut nec concursus partialis immediatus specierum naturalium, repugnat supernaturalitati actus fidei.

10. Et ex his patet solutio ad fundamentum contrariæ sententiæ, nititur enim falso principio, scilicet naturam non habere proprium influxum, & actiuitatem partialem immediatam in actus supernaturales, cuius contrarium sufficientissimè ostendimus. Itaque verum est effectum non posse oriri ab aliquo agente nisi in eo sit virtus, & potentia partialis, aut totalis, ad talem effectum: quamuis autem in nostra natura non sit totalis virtus ad eliciendos actus supernaturales, est tamen in ea partialis, ac proinde ab ea partialiter effectus oritur; connotando namque principium supernaturale, verè tanquam pars influit, & immediatè concurrit ad prædictos actus.

11. Obiicies primò, quia omne agens in tantum agit, in quantum est in actu; ergo voluntas nequit in actum prodire, nisi ipsa sit talis in actu primo, qualis est in actu secundo: sed sine principio supernaturali inhærente, non est in ordine supernaturali; ergo sine tali principio inhærente, non habet virtutem, aut potentiam agendi. Respondetur eodem modo, voluntatem sine habitu aut auxilio supernaturali non esse in actu primo adæquatè, & completè ad eliciendos actus supernaturales; atque adeò indigere habitu, aut auxilio supernaturali, vt virtus eius in actu primo adæquatè compleatur: & quamuis cum auxilio extrinseco non compleatur in actu primo intrinsecè, completur tamen extrinsecè, quod sufficit ad eliciendum talem actum.

12. Obiicies secundò, quia omnis causa naturalis est ex se intrinsecè improportionata ad efficiendum actum supernaturalem, etiam in genere causæ partialis; ergo ex se est intrinsecè impotens ad eum effectum in eodem genere; ergo nequit ex se conferre virtutem etiam partialem immediatam effectui supernaturali: vtraque consequentia est manifesta. Antecedens verò probatur, quia si talis causa ex se esset proportionata, deberetur ipsi complementum ad talem effectum producendum. Respondetur similiter, quamlibet causam naturalem ex se, & intrinsecè improportionatam esse ad eliciendum actum supernaturalem cum principio compartiali naturali, ac sibi debito: non verò cum principio compartiali supernaturali, ac sibi indebito: qua ratione asserimus voluntatem creatam proportionatam esse partialiter ad actus supernaturales eliciendos; non verò prioti modo, ex se enim naturaliter cum principio naturali, & sibi debito, semper est improportionata.

13. Obiicies tertiò, quia voluntas Dei extrinseca solum habet applicare omnipotentiam diuinam, vt sola operetur effectum, vel vt iubet creaturam, aliàs intrinsecè potentem illum efficere; ergo voluntas Dei extrinseca non potest applicare omnipotentiam ad iuuandam naturam intrinsecè impotentem efficere actum supernaturalem; ergo neque potest supplere actiuitatem principij supernaturalis intrinseci. Respondetur, duplici concursu posse voluntatem diuinam applicare suam omnipotentiam ad iuuandum creaturas, vel concursu generali ac debito, vel auxilio speciali & indebito. Priori modo semper supponitur ex parte creaturæ virtus absolutè, ac intrinsecè potens ad producendum effectum. Posteriori verò modo non supponit

supponit talem virtutem intrinsecè, & absolutè potentem, sed tantùm conditionatè; hoc est, quòd diuina omnipotentia assistat, suo speciali concursu, quod sufficit vt creatura reddatur absolutè potens producere effectum.

Sectio II.

Explicantur alij actus, & effectus Charitatis.

14. AB eadem virtute charitatis possunt prouenire plures actus, qui circa eamdem rationem sint inter se rectè ordinati, vt docet D. Thom. quæst. 28. & 29. art. 4. Ex quo principio exponit, fieri posse, vt contra eamdem virtutem sint plura vitia, secundùm diuersos actus, qui possunt prouenire ab eadem virtute, scilicet, quia peccatum non consistit in priuatione bonitatis habitualis, sed actualis, quæ pro diuersitate actuum virtutis multipliciter esse potest; & ideo etiam diuersa peccata esse posse contra vnam, & eamdem virtutem, vt explicatur 1. 2. quæst. 72. Possunt autem esse actus charitatis ad minimum octo essentialiter distincti, quorum quatuor versantur circa diuinum bonum: & quatuor alij circa oppositum malum. Nam circa diuinum bonum primò esse potest simplex complacentia, & inefficax desiderium. Secundò efficax intentio, & dilectio. Tertiò spes diuini boni. Quartò gaudium, & delectatio in bono. Circa malum verò diuinum esse potest simplex displicentia, quia malum Dei est. Secundò efficax detestatio eiusdem. Tertiò timor alicuius mali, v. g. peccati, quatenus est malum Deo, qui est proprius actus timoris filialis. Quartò denique esse potest dolor, & tristitia de malis, quæ contra Deum committuntur, & veluti præsentia apprehenduntur; qui dolor eodem modo distinguitur ab efficaci detestatione, atque gaudium de bonis diuinis distinguitur ab efficaci intentione, & dilectione. Præter quos actus circa media vtilia alij actus esse possunt, eodem ordine quo præcedentes sunt circa diuinum bonum Deo concupitum. Fundamentum verò huius distinctionis sumendum est ex his quæ in genere de actibus humanis dicta sunt. Cùm enim in genere illi actus essentialiter distinguantur, necessarium est in qualibet virtute eos retinere eamdem essentialem distinctionem. Simplex autem complacentia diuini boni, videtur esse beneuolentia, quam D. Thom. quæst. 27. docet, esse distinctam ab amore scilicet efficaci.

15. In eadem quæstione 27. art. 7. & 8. comparat D. Thomas inter se quosdam actus dilectionis in ratione bonitatis, & meriti. Atque art. 7. docet dilectionem proximi amici, secundùm quamdam rationem esse meliorem, quàm dilectionem inimicorum peccatorum. nam persona proximi amici per charitatem, habet maiorem rationem boni, etiam respectu Dei, quàm inimicus, qui non est Dei filius, sicut est iustus. Nihilominus secundùm aliam rationem dilectionem inimicorum ratione difficultatis, quæ in obiecto superatur, esse meliorem: quapropter tanta esse potest difficultas, vt dilectio alicuius inimici sit magis meritoria, quàm aliqua dilectio amici. Odium verò amicorum, cæteris paribus maius peccatum est, quàm odium inimicorum. nam licèt dilectio amici non semper sit melior, tamen si cætera sint paria, est magis debita, quod satis est vt odium amici semper sit maius peccatum, quia contrariatur dilectioni magis debitæ: vt enim dicitur 1. 2. Ratio peccati non tantùm crescit ex maiori virtute cui contrariatur, sed etiam ex maiori debito, quo actus illius debetur.

16. Altera comparatio est inter dilectionem Dei & proximi, de quibus docet D. Thomas dilectionem illam, qua proximus diligitur propter se, imperfectiorem esse, quàm dilectionem Dei, quod per se notum est, & euidens lumine naturali; dilectionem tamen proximi propter Deum, esse perfectiorem, quàm dilectionem Dei secundùm se. nam in priori dilectione Deus secundùm se etiam diligitur, & præterea proximus, quæ est aliqua maior perfectio indiuidualis, seu extensiua: si tamen cætera sint paria; ex alio verò capite frequentiùs dilectio Dei secundùm se est perfectior. nam quando Deus diligitur secundùm se, maiora bona Deo desideramus, quàm quando illum diligimus in proximo, illi scilicet desiderando illud bonum, quod in proximo illi tribuere possumus. Si tamen cætera sint paria, ratio D. Thomæ vera est, intelligitur enim de illa dilectione proximi magis perfecta, per quam proximus diligitur, sicut persona in qua Deus vult à nobis aliqua bona accipere. Sed hæc, vt dixi, intelligenda sunt, si ex parte boni Deo concupiti sit æqualitas, quæ in aliquibus actibus esse potest, in quibus scilicet idem omnino bonum Deo velimus aliquando secundùm se, aliquando verò in proximo, sicut in persona in qua Deus illud bonum à nobis accipit.

17. In quæst verò 29. agit D. Thomas de pace, quam docet non esse specialem virtutem, sed potiùs esse ordinatam concordiam, quæ proficiscitur ex virtute charitatis, provt extenditur ad proximos. Pro quo obserua, pacem, vt diffinit Augustinus, nihil aliud esse, quàm ordinatam hominum concordiam. Quæ concordia propriè & formaliter, non consistit in dilectione eiusdem boni absolutè considerati sine respectu ad alterum, qui idem bonum diligit; sed potiùs consistit in dilectione eiusdem boni, ob illam rationem, quod illud ab altero volitum sit. Velle enim consentire cum alterius voluntate, seu in re quam alter vult eo nomine, seu ea ratione, quia hoc est quoddam bonum proximi, & quod in proximo Deo quodammodo tribuimus, honestissimus est actus dilectionis, & in humana societate vtilissimus: quoniam tamen formale obiectum huius actus, non est diuersum ab illo, ratione cuius proximo cætera bona diligimus, ideo hic actus non potest pertinere ad distinctam virtutem; sed pertinet ad virtutem charitatis theologicæ, quando hoc bonum, scilicet consensum nostræ voluntatis, proximo tribuimus propter Deum.

18. Quæst. 30. agit D. Thom. de virtute misericordiæ, quæ propriè nihil aliud est, quàm voluntas subleuandi alienam miseriam; quamuis in eadem voluntate supponat affectum, seu compassionem illius. Differt autem misericordia à charitate, quia misericordia habet diuersum motiuum ab illa; motiuum enim charitatis est ratio amicitiæ. Nihilominus secluſa ratione amicitiæ, adhuc hoc ipsum quod est subuenire creaturæ rationali indigenti, est per se honestum, & consentaneum rationi, & ablata omni consideratione amicitiæ, & amoris, talis miseria per se monet hominem ad honestam compassionem, & hoc motiuum est quod per se pertinet ad specialem virtutem misericordiæ,

Digitized by Google

ricordiæ, vt luculenter docuit D. Auguſt. lib. de moribus Eccleſiæ Catholicæ, cap. 27. vbi ait. *Et quis non concedat ab omni miſeria liberum eſſe debere ſapientem? Cùm ſubuenit inopi; cùm eſurienti cibum præbet, potúmque ſitienti; cùm veſtit nudum, cùm peregrinum tecto recipit; cùm oppreſſum liberat; cùm denique humanitatem ſuam vſque ad ſepulturam porrigit mortuorum, etiamſi id faciat mente tranquilla nullius aculeis doloris inſtinctus, ſed adductus officio bonitatis, miſericors tamen eſt.* Et quamuis hoc leuamen poſſit exerceri à charitate; à virtute tamen miſericordiæ exercetur propter ipſum; à charitate verò propter Deum: ſicut licèt charitas poſſit ſuo motiuo præſtare omnia, quæ ad alias virtutes pertinent, vt conſtat in pœnitentia, Religione, &c. Adhuc tamen ponuntur hæ virtutes propter ſpecialia motiua formalia: & idem cenſendum eſt de virtute miſericordiæ. Et quamuis D. Thomas art. 1. ad 2. velit, propriam miſeriam eius qui miſericordia mouetur, non eſſe materiam miſericordiæ, ſed alienam, & idem docet de parentibus & cognatis, qui ſunt veluti vnum cum eo qui miſeretur; ac proinde erga nos ac noſtros, non eſſe miſericordiam. Hæc tamen intelligenda ſunt, vt rectè obſeruat Suarez diſp. 4. ſect. 1. de Miſericordia, vt attenditur in illa quædam perfectio, ratione cuius aliena miſeria tanquam propria reputatur, vel ratione difficultatis, quæ reſpectu aliorum reperitur, ad quam ſuperandam virtus hæc magis neceſſaria eſt: quamuis autem non ſit tanta difficultas in hoc quod eſt ſibi ipſi miſereri, ſemper tamen eſt difficile rectè & honeſtè miſereri, tam exceſſum, quàm defectum vitando; ac proinde hæc virtus erga ſe ipſum exerceri poteſt, iuxta illud Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ.*

Auguſt.

Eccli. 30.

19. Denique quæſt. 31. agit ſanctus Doctor de beneficentia, ſeu de actu externo benefaciendi, qui actus poteſt pertinere ad charitatem theologicam, ſi quis benefaciat alicui ex complacentia Dei; vel ad miſericordiam, ſi moueatur ex motiuo huius virtutis, nimirum ad ſubleuandam miſeriam alterius. Itaque beneficentia conſiſtit in faciendo alicui bene; quia tamen dupliciter poſſumus proximo facere bene, nimirum corporaliter, & ſpiritualiter, proinde beneficentia diuiditur in corporalem, & ſpiritualem, de quibus inferiùs erit ſermo.

Sectio III.

De præcepto charitatis, & quo tempore obliget.

20. NOn eſt dubium, an ſit præceptum diligendi Deum ſuper omnia, vel proximum ſicut nos: hoc enim à nemine negatur, ſed ſenſus eſt, an detur præceptum ſpeciale charitatis diſtinctum à præceptis Decalogi. Et ratio dubitandi videtur eſſe, quia finis legis non cadit ſub præcepto: dilectio autem eſt finis legis. nam finis præcepti eſt charitas, cùm nihil aliud ſit dilectio Dei, quàm ſeruare omnia mandata eius. Ioann. 14. *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* & cap. 15. *Si ſeruaueritis mandata mea, manebitis in dilectione mea.* Ex alia verò parte, hoc præceptum charitatis ponitur tanquam ſpeciale in ſacra Scriptura, Deuter. 6. & 11. Matth. 22. Marci 12. & Lucæ 10.

Ioan. 14. & 15.

21. Prima concluſio. Hoc præceptum dilectionis Dei non eſt primum Decalogi. Ita D. Thomas 1. 2. quæſt. 100. art. 3. ſed præambulum, & fundamentum aliorum. Et ratio eſt, quia in ſpeculabilibus prima principia non demonſtrantur, ſed ex illis inferuntur alia, fiúntque demonſtrationes: ita ſimiliter in practicis, ex per ſe notis inferuntur, & deducuntur alia, & ideo quæ per ſe notiſſima ſunt, non ponuntur in lege; ſtatim enim ac homo habet Dei cognitionem, agnoſcit eſſe diligendum: ſicut ergo Deum eſſe vnum, eſt præambulum ad præcepta Decalogi; quomodo enim quis conabitur præcepta ſeruare, niſi credat Deum eſſe, & quòd inquirentibus ſe remunerator eſt: ita ſimiliter præambulum eſt ad eadem præcepta, Deum eſſe diligendum. Vnde quando in Euangelio Matth. 22. dicitur de dilectione Dei, eſſe *primum mandatum*; ibi primum, idem eſt ac principale, & præcipuum: quia eſt circa finem, ſicut primum principium ad quod omnia alia reducuntur, & ideo appellat illud maximum. Quòd verò Chriſtus non intendat eſſe primum præceptum Decalogi, conſtat, quia Matth. 22. ſtatim ſubdit: *Secũdum verò mandatum ſimile huic eſt, Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*; hoc autem non eſt ſecundum præceptum Decalogi; ergo neque illud eſt primum.

Matth 22.

Secunda concluſio. Quamuis charitas ſit omnium præceptorum finis, nihilominus datur ſpeciale præceptum de illa, quod non cadit ſub aliorum vinculo, ſed ſeiunctis præceptis præmittitur, tanquam eorum præambulum. Vnde illud: *Diliges Dominum Deum tuum*, non includitur intra Decalogum, quia eſt in radice præfixum, in quod reducuntur omnia alia præcepta Decalogi primæ tabulæ: ſicut in aliud de dilectione proximi, reducuntur omnia præcepta ſecundæ tabulæ. Quia verò Deus diligitur in proximo, ſicut finis in medio, ideo ait Paul. ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem impleuit*; quia ibi includitur dilectio Dei. Rurſus qui diligit Deum, diligit etiam proximum propter Deum, ſicut medium in fine: & ideo etiam aliquando dicitur, in dilectione Dei conſiſtere totam legem. Nihilominus licèt charitas eadem ſit, habet tamen hos duos actus, dilectionem Dei, & dilectionem proximi; & ſic Matth. 22. duo præcepta dantur. Quod ſic oſtenditur. nam actus charitatis tam erga Deum, quàm erga proximum, eſt neceſſarius ad ſalutem; ſed omnis actus neceſſarius ad ſalutem cadit ſub præcepto ſpeciali; ergo. Deinde, quia dilectio Dei habet ſpecialem honeſtatem, quæ inter cæteras omnes virtutes maximè deceat naturam rationalem, & ad Dei gloriam maximè ſpectat; ergo cùm aliquarum aliarum virtutum actus ſint nobis præcepti, vt fidei, religionis, &c. multo magis nobis erit præceptus actus charitatis.

22. Rom. 13.

Ex quibus patet ad rationem dubitandi. nam finis præcepti non cadit ſub eodem præcepto, bene tamen poteſt cadere ſub alio, quia vnum præceptum poteſt ordinari ad aliud; & ſic omnia præcepta ad charitatem ordinantur. Vnde axioma illud: Finis præcepti non cadit in præceptum, verum eſt de fine extrinſeco, qui à materia præcepti diſtinguitur; falſum verò de eo præcepto, cuius materia eſt actus circa ipſum finem.

23.

An verò huic præcepto ſatisfiat amore Dei orto ex virtute ſpei, cuius obiectum formale eſt beatitudo, ſeu clara Dei viſio vt nobis conueniens, ſolet controuerti inter Doctores, & probabile eſt hoc amore huic præcepto ſatisfieri, quia hoc actu diligitur Deus ſuper omnia. Item eſt actus dilectionis theologicæ, & diligitur Deus vt vltimus

24.

finis

finis rerum omnium, in quem cætera omnia referuntur affectu; ergo nihil videtur deesse huic actui, vt per illum præcepto charitatis satisfiat. Probabilius tamen est, solo amore amicitiæ satisfieri huic præcepto, quia bonitas Dei infinita, eiusque in nos beneficia hoc exigere videntur, vt illum propter se amemus. nam cùm Deus sit amabilis propter se, iure naturæ videtur exigere, vt illum propter se diligamus. Deinde, quia ex vi huius præcepti, tenemur totum nostrum amorem ordinare ad ipsum, tanquam ad vltimum rerum finem; ergo tenemur ipsum diligere propter se, tanquam vltimum rerum omnium finem; aliàs non diligeretur super omnia appreciatiuè, si amor illius ad aliquod creatum ordinaretur. Quod tamen non obstat, quòd simul possimus illum diligere propter præmium beatitudinis quod nobis confert, vel vt nobis conueniens est, vt in superioribus explicuimus.

25. Deinde, an ex vi huius præcepti, teneamur habere aliquem actum charitatis supernaturalem, an verò impleri possit per dilectionem naturalem, & ex viribus naturæ elicitam, potest esse aliqua difficultas. Et certum est præceptum hoc vt spectat ad Deum finem naturæ, esse naturale: & vt ad Deum finem gratiæ, esse simpliciter supernaturale. Primum constat, quia lege naturæ tenemur ad amandum honestum super omne aliud bonum; ergo obligatio hæc maximè cadit in bonum maximè honestum, & quod est finis totius honestatis, quod est Deus: aliàs stando in lege naturæ, nó esset peccatum mortale, non diligere Deum super omnia, quod est absurdum. Deinde, quia sicut homo lege naturæ tenetur cognoscere, & colere Deũ actibus religionis, ita eadem lege tenetur illum diligere, nõ æquè ac se ipsum, aut infra se; ergo tenetur diligere illum supra se. Secundum etiam est manifestum ex suprà dictis, vbi ostẽdimus actum hunc esse supernaturalem secundùm substãtiam, ex quo fit præceptum quo hoc præcipitur, non posse viribus naturæ impleri; ac proinde esse simpliciter supernaturale. An verò Deus vt auctor naturæ est possit diligi amore naturali perfectè, & super omnia absque auxilio gratiæ speciali, diximus in tractatu de Gratia, disp. 1. de necessitate gratiæ.

26. Circa secundum, nimirum quo tempore obliget præceptum charitatis, obseruandum est, hoc præceptum cùm sit affirmatiuum, quantũ ad negationem quam includit, scilicet non odire Deum, vel proximum, obligare pro semper. Nihilominus quantum ad affirmationẽ, non obligat pro quocumque tempore, neque est diffinitum tempus pro quo obliget, neque enim ex Sanctis, neque ex sacra Scriptura tẽpus definitũ potest colligi. Hoc tamen habet commune cum aliis præceptis affirmatiuis, vt solùm obliget tempore necessitatis, scilicet in qua ipsum præceptum per se ipsum sine respectu ad aliquid aliud obligat ad eliciendum actum. Deinde potest esse necessitas propter aliud, quia sine illo non potest tunc impleri aliud præceptũ quod obligat. v. g. nunc non obligat præceptum orandi, tamen potest occurrere talis ac tam vehemens tentatio, vt ad eã vincendam sit necessarius actus orationis; tamen tunc potius obligat præceptum castitatis, ad resistendum tentationibus contra illam, quàm præceptum orationis; quia hæc tantùm obligat vt medium ad aliud. Quoties ergo est necessitas propter aliud, tunc non tam obligat præceptum charitatis, quàm illud à quo prouenit talis necessitas, quamuis ad vtrumque teneamur. Itaque inquirimus quo tempore obliget præceptum de actu charitatis eliciendo per se, vel ratione alterius.

27. Et primò præceptum hoc non obligat in primo instanti quo homo peruenit ad vsum rationis, vt volunt Nauarrus in summa Latina cap. 11. & Bañes infrà quæst. 44. art. 1. dub. 1. & nonnulli alij: nón enim videtur rationi consonum, & suauitati legis diuinæ, vt præceptum tam arctum, in tam tenera ætate obliget; quis enim vnquam nouit primum rationis momentum, & qui non excusetur, tunc ob ignorantiam inuincibilem talis præcepti? Valde tamen probabile existimo, quamuis in primo instanti vsus rationis non teneatur homo Deum amare super omnia, nihilominus cùm iam est perfectè sui compos, & habet plenam libertatem, & illi proponitur Deus diligendus super omnia, tunc teneri ex præcepto amare.

28. Secundò neque præceptum hoc obligat diebus festis, vt voluit Alensis 3. part. quæst. 22. membr. 5. art. 2. quia nullum est legitimum fundamentum ex quo possimus talem obligationem deducere; non enim ad hoc tenemur iure naturali, cùm nulla sit ratio naturalis, vnde hoc colligi possit: neque ad id tenemur iure diuino positiuo, non enim potest assignari, vbi extet tale ius diuinum: & idem est de præcepto ecclesiastico, quia non est vnde inferatur dari hoc præceptum ad eliciendos actus charitatis: at in materia graui ponere præceptum sine textu, & ratione sufficienti, non debet.

29. Tertiò, neque hoc præceptum obligat quando adultus recipit baptismum, vt voluit Sotus lib. 2. de Natura, & Gratia, cap. 22. & Nauar. suprà num. 7. Ratio est, quia tunc solùm tenetur homo se disponere ad dignè recipiendum baptismum, ad quem, vt fert communis opinio, sufficit attritio supernaturalis, nec vllus ex aliis Doctoribus obligat ad actum dilectionis.

30. Quartò. Neque tenetur quis elicere actum charitatis quando occurrit, vel aggreditur opus egregium, v. g. martyrium, vel quando recipit insigne aliquod beneficium, vel liberatur ab aliquo malo grauissimo. Loquimur de præcepto charitatis per se, & dicimus non dari tale præceptum per se respectu horum casuum. Est contra eumdem Sotum, quem sequitur Toletus lib. 4. suæ summæ cap. 9. Reiiciuntur tamen communiter, tunc enim ad martyrium satis erit se oratione muniri, auxilium, & fortitudinem à Deo postulando, præcipuè si homo sit in gratia: si verò sit in peccato mortali, nonnulli existimant teneri præmittere actum dilectionis Dei super omnia, aut contritionis peccatorum, & si voluntariè omittit, non salnabitur, nec illi proderit martyrium. Suarez p. 3. t. 3. quæst. 69. disp. 19. sect. 3. credit, sufficere tunc attritionem intercedente bona fide, & ignorantia obligationis contritionis. Sanchez verò tom. 1. Decalogi, lib. 2. cap. 35. absolutè docet, sufficere tunc se præparare per actum fortitudinis, nec distinguit de homine in peccato, vel in gratia existente, quia voluntas martyrij est virtualis dilectio Dei super omnia, & detestatio omnium peccatorum. nam homo per voluntatem martyrij contemnit propter Deum vitam, & diligit Deum pluspuam se; & ideo dat vitam ne Deum offendat; sicque virtualiter detestatur Dei offensam super omne detestabile, & hæc est singularis prærogatiua martyrij, vt rectè Tertul. in Apologet. in fine, inquiens: *Omnia huic operi delicta donantur.* Tertull. Deinde in receptione beneficij solùm tenetur homo ad gratiarum actionem; hoc autem non ad charitatem, sed ad religionem spectat, & clauditur sub præcepto orationis.

31. Quintò. Nec tenetur quis elicere actum charitatis in casu quo periclitatur honor diuinus, nimirum quia Deus blasphematur. Ad summum enim tenetur tunc ad actum externum dilectionis, non verò ad actum internum charitatis, de quo est quæstio; vel potiùs tenetur aliquid exteriùs agere, quod cedat in honorem & gloriam Dei; sicut tenemur exteriùs defendere honorem proximi, & subuenire illi in necessitate: actus verò isti exteriores solùm pertinent ad charitatem imperatiuè, elicitiuè autem ad religionem.

32. Dicendum ergo est primò, ratione affirmatiui præcepti charitatis, non posse ita determinatè, & certè tempus assignari, sed sicut in communi diximus de præcepto fidei, & spei, quòd tenetur quis aliquoties in vita exire in actus fidei; ita etiam de præcepto charitatis dici potest: ita vt si quis viueret diu omnino oblitus amoris Dei, censeretur transgressor huius præcepti. Vnde censeo dilationem trium annorum esse grauem, qui enim tanto tempore diuinam bonitatem non amat, eam videtur contemnere, nec liber est à periculo eam offendendi, & humanis rebus postponendi.

33. Secundò dicendum est, præceptum hoc diligendi Deum super omnia, etiam obligare instante morte, ita Suar. 3. part. tom. 4. disp. 5. sect. 4. & disp. 5. de Charitate, sect. 3. & plures alij, quod mihi valde probatur, quia lege charitatis propriæ tenemur tunc ad securitatem vitæ æternæ, & ad vitandum omnia pericula æternæ damnationis, quod fit per actum dilectionis Dei super omnia. Potest enim contingere, vt quis non sit ritè baptizatus, aut absolutus; actu verò dilectionis Dei super omnia vitantur omnia hæc pericula, & reddimur securi æternæ vitæ. Quamuis nonnulli velint obligationem hanc non esse per se, sed solùm per accidens, ratione periculi proprij.

34. Tertiò dicendum est, plures esse alios casus in quibus non ex vi sua præcisè, & propter se, sed ratione alterius obligat præceptum charitatis ad eliciendum actum supernaturalem. Ita Doctores communiter. nam quoties quis tenetur habere contritionem, vt si existenti in mortali occurrat aliquod periculum mortis, vel necessitas ministrãdi, vel recipiendi aliquod Sacramentum, quod petit contritionem vt dispositionem necessariam. Item quoties occurrit tentatio aliqua vehemens, vel difficultas maxima in obseruatione alicuius præcepti, & iudicatur medium necessarium ad vincendam illam: in his enim casibus exire tenetur in actum amoris Dei supernaturalis, quia sicut tunc tenetur vitare peccatum, ita etiam, & adhibere hoc medium, quod iudicat omnino necessarium.

35. De tempore verò quo obligat dilectio proximi, esse solet similis difficultas, in qua placet modus dicendi Suarez, quando transacto odio in proximum tenemur illi reconciliari; vel quando imminet periculum odij in illum, tunc per se obligare hanc legem diligendi proximum, & teneri nos diligere formaliter, & expressè. De reliquo verò satisfieri huic obligationi, seu præcepto, amore ipsius Dei, qui saltem virtualiter est amor proximi, & ratio huius est, quia ex charitate tantùm tenemur diligere Deum, vel proximum, quatenus talis dilectio in illorum bonum cedit; actus verò internus amoris præcisè, in bonum proximi non cedit, cùm illi sit incognitus: secus est respectu Dei cui omnia patent; quare licèt respectu ipsius Dei, teneamur amorem internum habere, tamen respectu proximi solum tenemur, quatenus est necessarius ad vitandum odium, vel ad exhibendum ei opera misericordiæ, & signa beneuolentiæ debita. Vnde quamuis præceptum dilectionis proximi sit similis præcepto dilectionis Dei quoad actum internum, hoc est idem cum illo, quia eodem actu quo diligimus Deum, diligimus & proximum. Nihilominus est ab illo distinctum & diuersum, secundùm opera externa.

DISPVTATIO V.

De Eleemosyna.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Eleemosyna, ac de eius effectibus.

ELEEMOSYNA, vt communiter tradunt Doctores, est alienæ miseriæ sublenatio. Estque actus, seu opus externum virtutis misericordiæ, si procedat ex voluntate præcisè, qua nobis aliena miseria displicet, ac eam remouere intendimus. Quamuis etiam possit esse actus charitatis, si ex motiuo placendi Deo procedat. Cùm ergo obiectum eleemosynæ sit aliena miseria, tam latè patens est eleemosyna, quàm latè patent miseriæ, quibus creatura rationalis obnoxia est: quæ quidem miseriæ, cùm aliæ sint corporales, aliæ verò spirituales, ideo misericordia, seu eleemosyna diuiditur in septem opera corporalia, & septem spiritualia omnibus satis nota, quæ his versiculis continentur. 1.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Consule, castiga, solue, remitte, fer, ora.

Sunt autem duo obseruanda. Primum est, per illud verbum *Consule* nõ solùm significari eleemosynam illam spiritualem, qua datur consilium indigenti, sed etiam eam qua docetur ignorans; sicque in his versibus quatuordecim opera misericordiæ contineri. Secundum est sepelire mortuos esse vnum ex septem operibus misericordiæ corporalibus, quod est de fide contra nonnullos hæreticos id negãtes, quod cõstat manifestè ex sacra Scriptura Tobiæ 12. vbi Raphael Angelus ad Tobiã sic ait: *Quando orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & abscõdebas mortuos in domo tua, & nocte sepeliebas eos: ego obtuli orationem tuã Domino.* & 2. Reg. 2. dixit Dauid. *Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum domino vestro Saul, & sepelistis eum.* & Christus Dominus Matth. 26. loquens de Magdalena, inquit. *Opus bonum operata est in me; mittens enim hic vnguentum in corpus meum, ad sepeliendũ me fecit.* & hanc veritatem confirmat perpetuus Ecclesiæ vsus, & dictat ipsamet ratio. Vnde rectè Ambr. lib. de Tobia, c. 1. *Nihil hoc officio præstãtius, ei conferre, qui tibi iam non possit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ.* 2. Tob. 12. 2. Reg 2. Matth. 26. Ambros.

Ex quibus infertur cum Bañes in præsenti art. 2. esse peccatum mortale hoc officium negligere erga proximum, cùm quis potest illud impendere absque suo magno incommodo, aut curare impendi, nec est alius qui id faciat, & tamen negligit, quia materia est grauis, & indicium crudelitatis, seu feritatis animi. Quare in sacra Scriptura reprehenduntur, & vituperantur qui corpora mortuorum insepulta relinquunt, Psalm. 78. *Posuerunt morticinia seruorum tuorum, escas volatilibus cœli: carnes Sanctorum tuorum bestiis terræ.* 3. Psalm. 78

Effuderunt

Digitized by Google

Effuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Hierusalem, & non erat qui sepeliret. Vnde quando in cap. *sacris*, de sepulturis, dicitur, *nihil obesse piis hominibus, talem, aut nullam sepulturam habere*, loquitur ibi Pontifex de damno in ordine ad consecutionem vitæ æternæ, & in eodem sensu intelligendus est Augustinus lib. de cura pro mortuis, vbi ait. *Sepulturam, & funeris pompam, solatia esse viuorum, non mortuorum præsidia.*

Auguſt.

4. Quod aliquam habet difficultatem est locus ille Lucæ 11. vbi Christus reprehendens Pharisæos inquit: *Væ, vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos: profectò testificamini, quòd consentitis operibus patrum vestrorum; quoniam ipsi quidem occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra.* Sed certè, vt Patres exponunt, Christus Dominus his verbis, noluit reprobare hoc officium charitatis, sed reprehendere hypocrisim Pharisæorum, qui actionem hanc vsurpabant ad tegendam suam hypocrisim; asserebant enim & gloriabantur, se nihil mali laturos esse Prophetis, si cum illis vixissent, qua specie illorum sepulcha ædificabant, & sub eo opere habebant prauum animum occultatum, quo Christi vitæ insidiabantur, & quo ostendebant se filios esse eorum qui Prophetas occiderunt, & eorum mores imitari in occidendis Prophetis. Itaque Christus non reprehendit ædificium sepulchrorum, sed animum quem sub ea pietatis, & religionis specie simulabant. legatur Vazquez lib. 3. de Adoratione, disp. 3. cap. 3.

Luc. 11.

5. Inter alios verò, duo effectus signanter tribuuntur eleemosynæ in sacra Scriptura. Primus est, vt per illam quis consequatur gratiam peccatorum. Tobias 12. *Eleemosyna est quæ purgat peccata.* Ecclesiastici 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Daniel 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* & Lucæ 11. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* super quæ verba Ambrosius serm. 30. ait: *Quamuis ergo pollutus, quamuis multis criminibus circumseptus, si eleemosynam feceris, innocens esse cœpisti.* Hoc autem non est ita intelligendum, vt sola eleemosyna sine charitate, & pœnitentia sufficiat ad iustificationem, vt nonnulli existimarunt, quorum errorem refellit Augustinus in Enchirid. cap. 72. & recentiores communiter refutant in hunc locum, & manifestè reiicitur ex verbis Pauli 1. Corinth. 15. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil sum.* Et ratio est manifesta, quia cùm quolibet actu eleemosynæ potest consistere affectus ad peccatum mortale: omnia ergo illa loca interpretantur Patres, vt eleemosynæ sit dispositio ad impetrandam sanctitatem, hoc est, auxilia, quibus plerumque homines efficaciter mouentur ad resurgendum à peccato: non verò quòd eleemosyna sit forma sanctificans, & certa, & infallibilis dispositio ad gratiam. Vel secundò, illi effectus tribuuntur eleemosynæ, non per se, sed per accidens; videlicet si procedat ex actu supernaturali dilectionis Dei, & proximi, cui propter Deum detur eleemosyna: tunc enim eleemosyna iustificat impium, eique dat ius ad gloriam, quia tunc exercetur supernaturalis amor Dei.

Tob. 12. Eccli. 3. Dan. 4. Luc. 11. Ambroſ. 1. Cor. 13.

Secundus effectus est, quòd beneficio eleemosynæ conseruatur gratia diuina, & præseruatur homo à peccato, & à morte spirituali; & qui misericordiam exercent frequentiùs, salutem adipiscuntur æternam, & rari sunt qui damnentur. Tobias 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & morte liberat: & non patietur animam ire in tenebras.* & Ecclesiastici 29. *Eleemosyna viri gratiam hominis, quasi pupillam conseruabit.* Vnde Chrysostomus homilia 33. ad Populum inquit: *Eleemosyna ex mortis manibus eripit, & lampades nostras non finit extingui, nec sordidis indutos vestibus in nuptiis videri.* Quod similiter intelligendum est modo suprà explicato, propter auxilia diuinæ gratiæ quæ eleemosyna impetrat à Deo, & quia qui iustis erogant eleemosynam, securius sperare possunt salutem æternam, quia sanctorum pauperum orationibus iuuantur ad illam impetrandam; hi enim sunt amici quos Christus Dominus faciendos præcepit de mammona iniquitatis, *vt cum defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula.*

Tob. 4. Eccli. 29.

Sectio II.

An & quando obliget præceptum eleemosynæ.

7. ELeemosynam cadere sub præcepto certa res est. Frequentissimè enim id docet sacra Scriptura, præcipuè Ecclesiastici cap. 4. Inter plura verò testimonia quæ videri possunt apud Recentiores, expressius est illud Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius: esurini enim, & non dedistis mihi manducare*, &c. *Amen dico vobis, quandiu non fecistis vni de minoribus iis, neque mihi feciſtis.* vbi ex sententia Christi, miseri illi damnantur, eo quòd opera misericordiæ erga pauperes non exercuerunt: nullus autem damnatur, nisi propter transgressionem præceptorum Dei. Legatur Nazianzenus super hæc verba oratione de pauperum amore, vbi ait: *An tu benignitatem non necessariam, sed tibi liberam esse putas? ac non legem, sed consilium. Hoc quoque ipse magnopere vellem, & existimarem: sed me simistra illa manus terret, & hadi, & probra, quæ in sceleratos homines ab eo, à quo illic collocati sunt, coniiciuntur, non quia aliud quidam ex his, quæ interdicta sunt admiserunt; sed quia Christum per pauperes minimè curarunt.* Deinde hoc ipsum recta ratio dictat, vt homo homini benefaciat ob affinitatem hominis cum homine, quæ sibi vendicat amorem mutuum. Vnde benefici vocantur humani, sicut immisericordes ab omnibus inhumani appellantur; atque ita præceptum eleemosynæ non solùm est diuinum, sed etiam naturale. Vnde rectè Cyprianus in sermone de opere, & de eleemosynis ait: *Neque enim promereri misericordiam Domini poterit, qui misericors ipse non fuerit: neque impetrabit de diuina misericordia aliquid in precibus, qui ad precem pauperis non fuerit humanus.* Denique quia hoc præceptum manifestè deducitur ex præcepto dilectionis proximi, quod impleri non potest, si proximo in necessitate constituto non succurras; non enim verbo & lingua, sed etiam opere, amor ostendendus est, iuxta illud 1. Ioann. 3. *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate.* Ac proinde non sufficit bonum velle proximo, sed deinde opus est ei benefacere. Tota ergo difficultas est de tempore quo hoc præceptum obligat.

Tob. 4. Matth 25. Nazianz. Cypr. 1. Ioan. 3.

8. Pro quo obserua, triplicem esse posse proximi necessitatem, extremam, grauem, & communem. Necessitas extrema est ex D. Thoma art. 5. qua quis sustentari

Digitized by Google

ſuſtentari non poteſt, niſi alius ei ſuccurrat: quod tunc contingit, quando proximus conſtitutus eſt in probabili, & moraliter certo periculo vitæ, niſi ei ſuccurratur. Neceſſitas verò grauis eſt, quando imminet notabile damnum proximo, à quo niſi adiuuetur, ſe liberare nequit. Denique neceſſitas communis dicitur, quam pauperes communiter patiuntur. Et conueniunt Doctores, hoc præceptum tunc maximè vrgere quando proximus in neceſſitate extrema eſt conſtitutus. nam ſi proximi neceſſitas eſt quæ cogit ad eleemoſynam, profectò illa vrgentiùs coget, & ſtrictiùs obligabit, quæ eſt omnium maxima, qualis eſt extrema. Quod ergo vertitur in dubium eſt, an extremè indigenti debeatur eleemoſyna ex ſola charitate, ſeu miſericordia, an etiam ex iuſtitia. Et pro vtraque parte ſunt graues Doctores, & rationes non contemnendæ. Prima ſententia affirmat deberi ex iuſtitia, ita D. Thom. infrà quæſt. 118. art. 4. ad 2. vbi ait, eſſe præceptum legale de eroganda eleemoſyna extremæ indigenti, quem ſequitur Caietanus ibidem art. 3. Aragon, Sarmiento, Turrecremata, & plures alij. Eamdem ſententiam ſequitur D. Baſilius oratione 13. Ambroſius ſerm. 81. Hieronymus, quem allegat, & ſequitur Gratianus 42. diſtinct.

9. Et ratione probatur primò, quia hæc bona temporalia contulit Deus hominibus ad vitæ ſubſidium, quibus iure naturæ omnia erant communia; ac proinde eſſet tunc iniuſtitia, ſi alicui interdicerentur ea, ſine quibus vitam degere non poſſet: poſtea verò ius gentium diuiſionem introduxit horum bonorum; quæ diuiſio nullo modo abrogare potuit iuri iuſtitiæ, ad bona ſimpliciter neceſſaria ad vitam; quia ius illud immediate collatum eſt à Deo, quo nemo poteſt auctoritate humana priuari; nec potuit diuiſio illa introduci cum violatione charitatis, vt rectè docuit D. Thom. art. 5. ex quo ſic concludit: & ideo res, quas aliqui ſuperabundanter habent, ex naturali iure debentur pauperum ſuſtentationi. Secundò probatur, quia quando vrget præceptum eleemoſynæ in extrema neceſſitate, bona quæ habet diues, non ſunt illius, ſed egeni, ad quem ſpectat dominium cum proprietate; & ideo extremè indigens poteſt inuito domino rapere ſibi neceſſaria, tam occultè, quàm apertè, ſi poſſidens non vult ſponte ei ſubuenire: imò & iudex poſſet eum cogere; ergo extremè indigens habet verum ius in rem illam; ac proinde diues ex iuſtitia tenetur erogare, ſeu potiùs reſtituere, tanquam rem non ſuam. Denique, quia qui denegat eleemoſynam pauperi extremè indigenti, peccat contra iuſtitiam. nam omne homicidium eſt contra iuſtitiam; detractio verò eleemoſynæ in eo euentu eſt homicidium, vt docuit ſanctus Ambroſius, quem allegat Gratianus

Gratian. 86. diſt. cap. Paſce. *Quiſquis enim paſcendo hominem ſeruare poterat, ſi non paſſis, occidiſti.* Vnde Eccleſiaſtici

Eccli. 34. 34. dicitur, *Panis egentium vita pauperis eſt, qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt.* Et iuxta hanc ſententiam qui denegat eleemoſynam extremè indigenti, tenetur ad reſtituenda omnia damna, quæ ex eius omiſſione ſecuta ſunt, v. g. ſi qui fame periit erat ſeruus, tenetur pretium iuſtum ſoluere domino: vel ſi reliquit filios quibus deberentur opera patris, tenebitur eiſdem reſtituere, & ſic in pluribus aliis caſibus.

10. Oppoſitam ſententiam tenent Suarez diſp. 7. ſect. vlt. Vazquez opuſc. de eleemoſyna, cap. 1. dub. 5. & plures alij. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia id in quo ſententia oppoſita nititur, nimirum diuites in extrema neceſſitate amittere dominium rerum ſibi ſuperfluarum, & fieri indigentium, falſum eſt, nec vlla ratione id probari poteſt. nam licèt iure naturæ illa bona ante poſſeſſionem nullius eſſent, ac proinde eſſent communia: facta tamen iam diuiſione, & accepta poſſeſſione, ſunt poſſidentis; nec ob indigentiam, alterius deſinunt eſſe ſua. Et hæc ſententia inualuit apud Recentiores communiter.

11. Vnde ad id quod adducitur ex D. Thoma, reſpondetur, ibi per debitum legale non intelligere propriè debitum iuſtitiæ, ſed debitum ad quod reddendum aliquis lege adſtringitur, quod non conuenit ſoli debito iuſtitiæ. Quando verò Baſilius, Ambroſius, & alij Patres affirmant, rapinam committere, qui ſtipem negat pauperi indigenti, loquuntur per quamdam exaggerationem vocantes rapinam, & furtum, quod eſt ex charitate debitum. Ad primum ex ratione petitum, patet reſponſio ex dictis, poſt rerum diuiſionem vnumquemque fieri verum dominum rerum ſuarum: nec proinde diuiſio hæc facta fuit cum violatione charitatis, quia ſemper manet obligatio in poſſidente, vt ea ex charitate egenis impertiatur. Ad ſecundum reſpondetur, verum eſſe egentem in extrema neceſſitate poſſe inuito domino rapere ſibi neceſſaria, tam occultè, quàm apertè; quia charitas quæ non quærit quæ ſua ſunt, ea facit tunc communia; & ideo poteſt egens eis vti abſque vlla domini iniuſtitia; cùm ipſe dominus in tali euentu ex præcepto charitatis teneretur elargiri: falſum tamen eſt ad id teneri ex iuſtitia, nec ad reſarcienda damna inde ſecuta, quia obligatio reſtitutionis ſolùm oritur ex iniuſta acceptione; vel ex re accepta, quorum neutrum ibi interuenit. Iudex autem non ſolùm imperare poteſt actus iuſtitiæ; ſed etiam miſericordiæ quando neceſſitas communis intercedit. Ad tertium reſpondetur, probare quidem mortem proximi eſſe tunc voluntariam omittenti eleemoſynam, non verò eſſe effectum ab illo ſecutum; quia nullo modo influit in illam: non quidem phyſicè, vt conſtat: nec moraliter, quia non facit iniuriam, cùm non teneatur ex iuſtitia. Ambroſius verò loquutus fuit in latiori quadam ſignificatione, quatenus homicida dicitur, qui quouis modo vult mortem proximi: & eodem modo exponendus eſt locus Eccleſiaſtici, nimirum in eo euentu, mortem proximi imputari alteri ad culpam.

12. Alia dubitatio eſſe poteſt, de quibus bonis ſit obligatio ſubueniendi extremè indigenti, an ex ſuperfluis, vel neceſſariis ſtatui. Dixi *ex ſuperfluis, vel neceſſariis ſtatui.* nam, vt expreſsè docet D. Thom. art. 6. Eleemoſyna non debet fieri de neceſſariis ad propriam vitam, vel ſuorum; id enim eſſet ſibi, vel ſuis vitam adimere. Excipiendus eſt Princeps, vel quælibet alia perſona, cuius vita eſt maximè neceſſaria ad ſalutem Reipublicæ; quia bonum commune præferendum eſt vitæ priuatæ, etiam propriæ. Similiter certum eſt, eleemoſynam debere fieri ex ſuperfluis: aliàs nullum eſſet præceptum eleemoſynæ. nam ſi hoc præceptum obligat, ad minus obligare debet ex ſuperfluis. Itaque tota controuerſia reducitur ad ea, quæ ſunt ſtatui neceſſaria, an ſcilicet ex neceſſariis ſtatui, teneatur homo vi huius præcepti erogare ſtipem extremè indigenti.

Dicendum eſt primò. Quamuis ex opitulatione patiamur aliquod graue damnum in dignitate, & fauſto externo, teneri nos ex bonis neceſſariis ad

ſtatum

ſtatum ſubuenire extremè indigenti, ita Vazquez cap.1.de eleemoſyna,num.10.Suarez diſp.7.ſect.4. Bañes dub. 2. qui oppoſitam vocat inhumanam opinionem, & eſt communis inter Recentiores. Et ratio huius eſt, quia recta ratio dictat, vt hæc inferiora damna feramus pro proximi vita; ergo tenemur illa pati, & carere ſplendore ſtatus, ne homo vita priuetur; hoc enim damnum non eſt proportionabile vitæ proximi; ac proinde tenetur quis illud ſubire.

14. Secundò dicendum eſt, ſi bona ſunt adeò neceſſaria, vt abſque illis non ſolùm minuendus ſit ſtatus, ſed neceſſariò ab illo ſit cadendum, non tenetur quis ex illis bonis opitulari extremè indigenti. Ita Doctores præfati, & apertè D. Thom. ſuprà, vbi ait: *Inordinatum autem eſſet, ſi aliquis tantum ſibi de bonis propriis ſubtraheret, & alijs largiretur, quòd de reſiduo non poſſet vitam tranſigere conuenienter ſecundum proprium ſtatum, & negotia occurrentia: nullus enim inconuenienter viuere debet.* quod limitat ſanct. Doctor ſi bona quæ dantur ita poſſint reparari, vt vitetur maximum incommodum. Ratio huius eſt, quia nemo tenetur vitam alienam conſeruare cum tam graui incommodo ac detrimento, quale eſt ipſum fieri miſerum.

D. Thom.

15. Præterea eſſe ſolet difficultas, an ſatisfiat huic præcepto mutuando, id eſt, an ſatifacias obligationi eleemoſynæ, ſi rem qua proximus indiget, mutues, vel dilata ſolutione vendas, vel dones ſub conditione, vt reddat acceptum ſi ad pinguiorem fortunam venerit. Abſolutè affirmat Nauarrus cap. 17. num. 61. & hanc ſententiam amplectuntur Vazquez dub. 6. num. 54. Leſſius lib. 2. de Iuſtit. cap.16. dub. 1. dummodo mutuum non ſit abſolutum, ſed conditionatum, nimirum ſi proximus ad pinguiorem fortunam deuenerit. Fundamentum eſt, quia præceptum eleemoſynæ ſolùm obligat ad opitulandum egenti; ſed qui ſua bona mutuat, ei opitulatur: ergo per mutuũ ſatisfacit obligationi huius præcepti; tunc enim ſatis ſufficienter depellitur miſeria proximi. Cæterùm longè probabilius eſt, illicitum eſſe ſubuenire pauperi, qui verè pauper eſt, mutuãdo etiam ſub illa conditione. Ita Suarez, Ægidius, Turrianus, Hurtad. & plures alij in præſenti. Nam Scriptura, & Patres nomine eleemoſynæ ſemper intelligunt gratuitam, & liberalem donationem, Luc.11. *Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis.* Et certè ſi hoc præceptum aliquando obligat ad donationem gratuitam, maximè in extrema neceſſitate. Deinde, quia ita tenetur opitulari, ſicut alter iure poteſt accipere: at qui in extrema neceſſitate eſt conſtitutus, poteſt accipere & conſumere, abſque vlla reſtituendi obligatione; ergo aliàs poſſet oriri bellum iuſtum ex vtraque parte. Imò ex oppoſita ſententia ſequeretur, hoc præceptum nunquam obligare ad gratuitam, & liberalem donationem. nam ſi in aliquo caſu obligare poſſet, maximè cùm proximus eget extremè, & re, & ſpe pauper eſt, quod certè eſt cõtra communem ſenſum fidelium.

Luc.11.

16. Dixi gratis, & abſolutè elargiendam eleemoſynam pauperi, qui verè pauper, ſeu ſimpliciter pauper eſt. nam ſi ſolum hic & nunc indiget meis bonis, & alibi habet alia bona quibus ſatisfacere poteſt, vel ſpem proximam habendi, in hoc euentu ſatisfiet huic præcepto mutuando; hic enim non eſt abſolutè pauper, nec ſimpliciter eget, niſi ſolum pro determinato aliquo loco & tempore: imò abſolutè diues eſt, quandoquidem alibi habet plura bona; ergo nemo tenetur illi abſolutè donare, ac proinde ſufficiet mutuare, vel commodare, vel vendere. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, diuitem non ſolùm teneri ad ſubueniendum, ſed ad opitulandum modo conſentaneo charitati: vnde quamuis mutuatione tollatur neceſſitas, non tamen valet mutuatio etiamſi ſit conditionata, quia eſt contra debitum modum iuxta regulas charitatis.

17. Ex his infertur primò, neminem teneri ex præcepto eleemoſynæ inquirere egenos, vt eis ſubueniat; neque ad id obligare hoc præceptum: ſed ſolùm vt ſit paratus illis ſubuenire cùm neceſſitas moraliter ſibi conſter, ac ſibi ſit nota: ad pauperes enim ſpectat neceſſitatem oſtendere & petere. Oportet autem vt diues non ſit nimis curioſus in inueſtigandis neceſſitatibus pauperum quæ ſibi proponuntur, an ſint veræ, necne. nam, vt rectè Auguſtinus epiſt.149. *In ſuſcipiendis hoſpitibus melius eſt interdum, malos hoſtes perpeti, quàm fortaſſe per ignorantiam, bonos excludere.* Quæ doctrina limitanda eſt primò, in Magiſtratibus & Prælatis; hi enim tenentur inquirere quomodo ſe habeant ſubditi, & illorum neceſſitates inueſtigare per ſe, vel per miniſtros, ne quis pereat egeſtate, quia illorum curam gerunt. Ita Nauar. cap.24.n.9. Vazquez cap.1.dub.3. & Suarez diſp.7.ſect.1. Similiter Epiſcopi tenentur inquirere, ne qua fœmina pudicitiam vendat ob inopiam; cùm enim curam gerant de ſalute animarum, vel ſuarum ouium, tenentur ſuo munere ſuis fortunis animarum infortunia vitare: quod ſi ſuæ facultates non ſint ſatis, tenentur diligentiam adhibere in procurandis eleemoſynis, vt obſeruat Hurtadus ex Bañes diſp.159. ſect.3. Secundò etiam limitanda eſt tempore peſtis; tunc enim vnuſquiſque tenetur diligentiam adhibere in inquirendis egenis, quia in eo euentu eſt moraliter impoſſibile quin multi pereant, niſi conquirantur; niſi iam prouiſum ſit à Magiſtratibus, vel ſi immineat probabile periculum intereundi. Secundò infertur, neque hoc præceptum obligare quando quis probabiliter credit eleemoſynam re ipſa fore ab alio erogandam; quia alio opitulante iam auxilium eius non eſt neceſſarium; hoc enim tantùm debetur egeno, reſpectu verò illius iam proximus non eſt indigus, nec in neceſſitate conſtitutus. Infertur tertiò Medicum, Chirurgũ, Pharmacopolam vi huius præcepti teneri ad curandum ægrotum, qui ſine illorum opera conſtitutus eſt in graui vitæ periculo, & gratis illis præbere pharmaca; & ſimiliter clericos teneri gratis ſepelire mortuos, qui non relinquunt vnde ſepeliantur.

18. Iam verò ſi loquamur de graui neceſſitate, dicendum eſt cum communi ſententia recentiorum omnium, eſſe obligationem ſub mortali ſubueniendi egeno de bonis quibus non egemus, neque ad vitam, neque ad dignitatem ſtatus: quod videtur manifeſtè colligi ex ſacra Scriptura Matth.25. vbi damnãtur in iudicio homines, quia nec cibum dederunt eſurienti, nec potum ſitienti, nec veſtitum nudo, nec receperunt peregrinum: quæ ſatis conſtat, non debere ſolùm intelligi in caſu neceſſitatis extremæ. Deinde, quia ratio naturalis dictat, vt bona ſuperflua quæ Deus inſtituit ad hominum ſuſtentationem, & quæ nobis neceſſaria non ſunt, diſpenſemus cum his qui grauiter indigent; eſſet etiam contra charitatem non depellere graue malum proximi, quando ſine vllo incommodo id poſſumus facere.

19. Obiicies primò, quia nullus tenetur ſe impotentem reddere ad altiorem ſtatum acquirendum,

ob ſubleuandam grauem proximi neceſſitatem; ergo quando bona ſunt neceſſaria ad acquirendum altiorem ſtatum, nemo tenetur pauperibus erogare, quamuis ad præſentem ſtatum conſeruandum neceſſaria non ſint. Antecedens probatur, quia cum graui iactura proprtia, nullus tenetur alieno malo ſuccurrere: amiſſio verò altioris ſtatus grauis iactura eſt. Reſpondetur neceſſaria ad ſtatum pati magnam latitudinem, quia non omnia quæ ad eum ſpectant, ſunt ei ita neceſſaria, quin ſine ſuo detrimento poſſit quis quibuſdam carere, præſertim rebus non ita magnis. Vnde quod attinet ad præceptum eleemoſynæ, ſuperflua ſtatui dicuntur ea, quæ non ſunt ei ita neceſſaria, quin ſine vllo illius detrimento poſſint ei ſubtrahi: quare in graui neceſſitate attendendum non eſt ad ſtatum futurum, ſed ad præſentem quem quis habet; ſi enim in ſtatu præſenti bona ſuperſunt, ita vt ſine illis abſque ſpeciali detrimento præſens ſtatus conſeruari poteſt, tenetur eleemoſynam facere.

20. Obiicies ſecundò, quia ex charitate nemo tenetur ad ſubueniendum proximo magis, quàm ſibi; ſed in graui neceſſitate non tenetur ſubuenire ſibi, ſed poteſt eam libenter pati propter Deum; ergo nec tenetur ſubuenire proximo. Reſpondetur, in his quorum homo eſt dominus, poſſe interdum ſine mortali, permittere ſe grauiter lædi; non verò in his, quorum non eſt dominus: nullus autem bonorum proximi dominus eſt; ac proinde ſi commodè poteſt, ex charitate tenetur illi ſubuenire.

21. Denique obiicies, quia ſi noſtra ſententia eſſet vera, maxima pars diuitum damnaretur, quandoquidem multi illorum eleemoſynas omittunt in neceſſitate graui. Reſpondetur, ſacram Scripturam plenam eſſe terroribus, & minis contra diuites auaros. Chriſtus Dominus affirmat, *facilius eſſe camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in Regnum cælorum.* Dominicus Bañes art. 6. dub. 6. exiſtimat, non ſolùm multos diuites damnari, ſed etiam ipſorum confeſſarios. Ioann. Sanchez diſp. 6. num. 10. affirmat, paucos diuites delinquentes ſe accuſare de tranſgreſſione huius præcepti, nec recordari huius mandati, magis quàm ſi latum non eſſet; nec confeſſarios de eius inuiolatione interrogare, cùm tam ipſi in perſcrutando an violetur, quàm pœnitentes in confitendo tranſgreſſionem, debeant eſſe ſoliciti. Poſſunt tamen diuites excuſari, vel quia ignorant grauem proximi neceſſitatem; vel quia ſibi probabiliter perſuadent alios opem laturos. Qui verò legitimè excuſentur, probè nouit Deus, qui ſcrutator eſt cordium. Diana 4. part. tract. 4. reſol. 115. inquit: quod cùm inter Doctores non conueniat, quando peccet mortaliter qui non facit eleemoſynam, non eſſe facile condemnandos diuites qui non faciunt, ſed monendos, vt faciant quantas maximè poſſint.

22. Addendum eſt, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in grauiſſima, interdum poſſe quempiam obligari ad ſubueniendum proximo ex bonis aliquo modo neceſſariis ad ſtatum, quod certè eſt mihi valdè probabile, & ita tenent Suarez diſp. 7. ſect. 4. & Hurtadus diſp. 159. ſect. 4. Et ratio eſt, quia id poſtulat charitas vt damnum grauiſſimum proximi præferam bono meo, quando id præſtare poſſum ſine magno incommodo: quod etiam docet Vazques cap. 1. num. 24.

23. Denique loquendo de neceſſitate communi, Valentia diſp. 3. quæſt. 9. punct. 4. Bellarminus tom. 3. lib. 3. cap. 7. & plures alij exiſtimant, teneri omnes ſub peccato lethali erogare egenis communiter indigentibus, omnia quæ ſuperfluunt ad naturam, & ſtatum. Nihilominus cum communi ſententia dicendum eſt primò non eſſe talem obligationem ſub præcepto. Ratio eſt, quia nullus tenetur alteri bona ſua erogare quando prudenter credit proximi neceſſitatem depellendam ab aliis, hoc autem contingit in neceſſitate communi. Secundò dicendum eſt in communibus neceſſitatibus pauperum, qui ſimpliciter habet ſuperflua, teneri aliquoties eleemoſynas facere: quare qui habet propoſitum formale, vel virtuale, nunquam dandi eleemoſynam niſi in extrema, aut graui neceſſitate, peccat mortaliter. Ita Caſtrus Palao, Ægidius, & Suarez citatus, qui affirmat eſſe ſententiam communem. Et probatur ex ſacra Scriptura, quæ abſolutè præcipit diuitibus eleemoſynas facere pauperibus qui ſunt in Republica, qui non ſunt niſi qui communes neceſſitates patiuntur. Vnde 2. ad Corinth. 8. dicitur. *In præſenti tempore veſtra abundantia, illorum inopiam ſuppleat.* 2. Cor. 8. & 2. ad Timoth. vlt. *Præcipe diuitibus, facile tribuere*, &c. & ſæpe alibi. Deinde, quia ob hanc obligationem frequenter docent Patres, ſuperflua diuitum eſſe bona pauperum, ipſiſque fuiſſe conceſſa, vt his diſpenſent. Tertiò, quia ſi omnes habentes ſuperflua, nunquam tenerentur dare eleemoſynas, his, qui ſolum communem neceſſitatem patiuntur, multi breui inciderent in grauem, aut etiam extremam neceſſitatem, quod eſſet graue malum, tam ipſorum, quàm etiam Reipublicæ. 2. Tim. vlt.

Illud autem obſeruandum eſt, cum eodem Suario, qui habet ſuperflua ſimpliciter, & propoſitum faciendi eleemoſynam, & ſæpe facit, quamuis ſæpe omittat, dummodo graues neceſſitates non prætermittat, non peccare lethaliter. Cùm enim hoc præceptum ſit affirmans, & procedat ex quadam humana æquitate, & vſus eius pendeat ex prudentia, hæc videtur dictare, vt quando non occurrit grauis neceſſitas, communes per ſe ſingulæ non obligent ita grauiter; ac proinde quòd diues non teneatur huic, vel illi determinatè elargiri, & conſequenter ſi bona fide procedat, & eleemoſynas faciat, ſtatui conuenientes, licèt aliàs in multis deficiat, non ſit cenſendus peccare mortaliter. 24.

SECTIO III.

Qui poſſunt facere eleemoſynam, & ex quibus bonis ſit facienda.

DVabus regulis fiet ſatis huic quæſito. 25.

Prima regula eſt, eleemoſyna debet fieri de bonis propriis illius, qui eam facit, vel quorum habet dominium, aut legitimam, & abſolutam adminiſtrationem; non ex alienis: nec ſufficit habere dominium, ſi illud habeat impeditum, ita colligitur ex ſacra Scriptura. Prouerb. 3. *Si valet, & ipſe bene fac. Honora Dominum de tua ſubſtantia.* & Iſai. 58. *Frange eſurienti panem tuum.* Et ratio huius eſt, quia eleemoſyna eſt largitio gratuita; nemo autem poteſt alteri largiri, & donare quod ſuum non eſt. Eccleſiaſtici 34. *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Nec enim eſt facienda iniuſtitia, vt ex charitate alteri ſubueniatur. Vnde rectè Auguſt. Prouerb. 3 Iſai. 58 Eccli. 34

in

Digitized by Google

in lib. 50. homiliarum homil. 7. *Fortè aliquis cogitat, & dicit: Multi sunt Christiani diuites, auari, cupidi, non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero; vnde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero: sed huiusmodi cogitatio ei diaboli calliditate suggeritur. nam si tribuat etiam totum pauperibus quod abstulerat, addit potius peccatum, quam minuat.* & sermo. 35. de verbis Domini. *De iustis laboribus facite eleemosynas, non enim corrupturi estis iudicem Christum, vt non vos audiat, cum pauperibus quibus tollitis: nolite velle eleemosynas facere de fœnore, & vsuris.*

26. Et ex hac regula infertur, ex iniustè acquisitis cum iniuria alterius, & quæ sunt restitutioni obnoxia. v.g. furto, rapina, vsura, non posse fieri eleemosynam, quoties aut in specie sunt aliena siue restituenda, aut qui est obligatus restituere dando eleemosynam fieret impotens restituere. Quia verò aliqua bona possunt comparari iniustè taliter vt quis peccet in acquisitione, verum tamen dominium comparet, quo pacto turpiter acquiritur id quod acquiritur ex meretritio, ex bonis sic iniustè acquisitis bene potest fieri eleemosyna, vt docent communiter Doctores; quia comparans illa verè est dominus illorum, & ita potest de illis disponere: quamuis enim mulier turpiter agat prostituendo pudicitiam, tamen non agit iniustè accipiendo mercedem prostitutionis suæ. Nec obstat illud Deuteron. 23. Deuteron. 23. *Non offeres mercedem prostibuli in domo Dei tui*; hoc enim prohibitum fuit solum propter scandalum ob sacrorum reuerentiam, vt docuit D. Thom. art. 7. Quare meretrix de pretio sui corporis, & iudex de pretio iniquæ sententiæ, postquam illa sui corporis copiam fecit, & hic iniquam sententiam tulit, possunt eleemosynas facere. De simoniacè acquisitis ob beneficium an diuersa sit ratio, & an hæc restituenda sint Ecclesiæ, etiam ante iudicis sententiam, dicetur inferiùs.

27. Secunda regula est. Nullus potest eleemosynam facere nisi habeat dominium, aut dispensationem alicuius rei. Ratio est, quia eleemosynâ alienatur dominium, & transfertur in pauperem, quod nullus potest efficere nisi dominus, aut administrator, cui commissa sit rei alienæ facultas. Et ex hac regula infertur, seruum, neque filium familias, nec vxorem, neque religiosum, posse eleemosynas erogare absque consensu domini, patris, mariti, aut Prælati. Circa quæ consulenda sunt quæ diximus in tract. de Restitutione, agentes de dominio rerum externarum, vbi hæc commodiorem habent locum. Illud verò obseruandum est, circa quantitatem quæ potest dari ab vxore nesciente viro, esse vigesimam partem lucri annualis. Ita Bannes in hoc loco art. 8. Malderus ibidem, Cenedo, Ledesma, Vega & plures alij, quos refert & sequitur Diana 1. part. tract. 1. Miscell. Res. 33. Vxor enim socia est bonorum mariti, quam tenetur vt sociam in decenti statu sustentare, ad quam decentiam pertinet has donationes, & eleemosynas facere, & hanc sententiam in praxi censeo esse tutam.

28. Deinde circa religiosos obseruandum est id quod eruditè tradit Vazquez, quam refert & sequitur Turrianus disp. 84. dub. 3. peccare contra votum paupertatis Religiosum, qui absque facultate superioris accipit pecunias, vel aliquid pretio æstimabile à seculari, vt ipse liberè disponat in eleemosynam, vel alia pia opera nomine eius qui dedit. Ratio huius est, quia donans per talem concessionem, post acceptationem factam à Religioso, aliquo iure priuatur, nec potest illam reuocare, nec licitè de bonis religioso concessis disponere, & hoc ius re vera transtulit in religiosum, nempe facultatem liberè disponendi de illis bonis: ergo sine consensu superioris non poterit illa facultate vti Religiosus, sine peccato contra votum paupertatis; quia nullum ius, nec dominium potest acquirere religiosus, absque facultate sui Prælati: quamuis enim non acceptet rem & dominium illius; acceptat tamen libertam dispositionem, & administrationem eius, quod per votum paupertatis est ei prohibitum.

Denique circa recipientes eleemosynam obseruandum est, simulantes paupertatem teneri ad restitutionem. Ratio huius est, quia qui decipitur circa conditionem propter quam donat, non liberaliter omnino donat: quare qui donat alicui, quia existimat illum esse pauperem, & re vera non est pauper, non verè liberaliter donat: sicut qui donat alicui quem putat propinquum, si non est propinquus, nulla est donatio. Et confirmatur, quia licèt charitas & amor Dei sit causa finalis faciendæ eleemosynæ in communi, ratio verò ob quam huic personæ particulari determinatè fiat, non est charitas Dei, sed paupertas ipsa ficta; qui enim vult facere eleemosynam propter Deum, non quærit diuites; his enim donationes fiunt, non eleemosynæ, sed pauperem quærit, & ei eleemosynam facit: ergo ratio & causa principalis, propter quam illi impertitur eleemosyna, est paupertas: ergo qui decipitur circa hanc conditionem, & rationem, non donat voluntariè & gratuitò, & consequenter simulatores & paupertatem fingentes tenentur ad restitutionem. Ita Diana 5. p. tract. 8. resol. 21. ex communi sententia. Vbi rectè obseruat ostiatim mendicantes excusari à restitutione, quia in his paruis & quotidianis eleemosynis, vt plurimum non habetur ratio paupertatis, sed tantùm charitatis & misericordiæ, & ratione paruitatis materiæ censetur dominus in hoc euentu non velle supradictis onus restitutionis imponere. Quando verò ob simulatam paupertatem facienda est restitutio eleemosynæ receptæ, nonnulli existimant faciendam esse donanti, quia eleemosyna illa adhuc manet sub eius dominio; alij verò faciendam esse verè pauperibus, quia qui illam dedit, abdicauit à se dominium ex affectu eleemosynæ; ac proinde iuxta eius voluntatem elargienda est alteri pauperi. Vtrumque probabile. 29.

DISPVTATIO VI.

De correctione fraterna.

SECTIO I.

Quid sit correctio, & cuius virtutis actus.

CORRECTIO duplex est, altera iudicialis, & altera fraterna. Iudicialis est, quæ prouenit à potestate publica in ordine ad bonum commune, vt docet D. Thom. artic. 1. quia in illa per se & primariò spectatur bonum, non ipsius delinquentis, sed aliorum, qui per peccatum vnius læduntur, & scandalizantur. Estque propriè actus iustitiæ vindicatiuæ. Correctio verò fraterna potest fieri à priuata auctoritate, & ordinatur ad bonum eius qui corripitur, & propriè & per 1.

Digitized by Google

per ſe reſpicit bonum ipſius delinquentis, cuius ſpirituali neceſſitati per hanc correctionem ſubuenitur. & de hac priuata correctione præcipuè agimus in præſenti. Quam eſſe virtutis actum nullus Catholicorum dubitat, teſtante Scriptura Prouerb. 27. *Melior eſt manifeſta correptio, quam amor abſconditus.* & Eccleſiaſtici 29. *Melius eſt à ſapienti corripi, quàm ſtultorum adulatione decipi.* Vnde de Deo ipſo legimus Prouerb. 3. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Et ratio eſt manifeſta, quia correctio per ſe ordinatur ad bonum honeſtum, & ad rectæ rationi conformem; nimirum ad bonum proximi, ſcilicet ad ſubleuandam miſeriam eius ſpiritualem; nulla enim maior miſeria excogitari poteſt, quàm peccatum, quod eum priuat vita ſpirituali, & æterna beatitudine, & reddit eum Dei inimicum, & reum æterni ſupplicij. Quare ſi erogare ſtipem indigenti eſt actus honeſtus & virtutis, quo pellitur fames corporalis; potiori iure erit correctio fraterna, qua peccatum expellitur ab anima. Vnde rectè Ariſtot. 9. Ethicor. cap. 3. inquit, *Prauum amicum corrigendum eſſe, ac magis iuuandum in moribus, quàm in pecunijs; diſſoluendamque amicitiam, ſi negligat correptionem.*

Prou. 27. Eccli. 29. Ariſtot.

2. Quod verò dubitant Recentiores eſt, ad quam virtutem hic actus ſpectet. Nonnulli volunt non pertinere ad ſpecialem virtutem, ſed ad diuerſas, prout peccatum corripiendum diuerſis virtutibus repugnat; quia quælibet virtus nos inclinat non ſolùm in nobis eius honeſtatem conſeruare, & contraria fugere, ſed etiam in aliis. Hoc tamen nullam probabilitatem habet. Inde enim ſequeretur, eum qui cùm facile poſſit non corripit furem, peccare contra iuſtitiam, & teneri ad reſtitutionem, & qui luxuriantem non impedit, peccare contra honeſtatem, quod eſt abſurdum. Ægidius diſp. 28. dub. 2. cenſet, obligationem corripiendi proximum oriri propriè ex charitate Dei, & proximi; quia ſicut charitas Dei & proximi nos obligat, vt data occaſione vtriuſque bonum procuremus; ita nos obligat vt impediamus ea quæ ipſis grauiter aduerſantur: at peccatum mortale tam Deo, quàm proximo grauiter aduerſatur; ergo charitas nos obligat vt illud impediamus, quod fit per correctionem fraternam. Nihilominus dicendum eſt correctionem eſſe actum miſericordiæ, & charitatis, iuxta motiuum à quo oritur: ſi enim ex amore Dei & deſiderio, quo quis vult Deum non offendi, corripiat proximum, tunc correctio imperatiuè procedit à charitate; ſi verò ex voluntate ſubleuandi illum à miſeria, tunc præſtat actum miſericordiæ. Et ex his colligitur quid propriè ſit correctio fraterna. *Eſt enim actus, ſeu opus, quo quis ſubuenit neceſſitati ſpirituali proximi, nitens eum à peccati malo liberare, per conuenientem aliquem, & idoneum ad id ſermonem.*

3. Quòd verò extet præceptum, tam diuinum, quàm naturale, de correctione fraterna, ex genere ſuo obligans ad mortale, omnes Catholici admittunt. Et prior pars eſt manifeſta Eccleſiaſtici 19. *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, non feci: aut ſi fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit, & ſi dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum, ſæpe enim fit commiſſio*, &c. *Corripe proximum antequam comminaris, & da locum timori Altiſſimi.* & Leuit. 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, ſed publicè (id eſt, clarè, & apertè) argue eum, ne habeas ſuper eo peccatum.* id eſt, ne ſis particeps peccati ipſius, non impediendo cùm facile poſſes. & Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe*, &c. vbi apertè iubemur fratrem peccantem corripere. Secunda pars etiam conſtat. nam vnuſquiſque tenetur opitulari fratribus grauiter egentibus, ſi poteſt abſque graui incommodo: at multo grauior eſt ærumna ſpiritualis, quàm corporalis; ergo tenetur illis correctione fraterna opitulari, ſi poteſt abſque graui incommodo. Denique quod hoc præceptum ex genere ſuo obliget ad mortale, etiam conſtat, quia grauius obligat, quàm præceptum eleemoſynæ corporalis, quia longè grauior miſeria eſt carentia boni ſpiritualis, quàm corporalis: illud autem obligat ad mortale, vt ſuprà dictum eſt.

Eccli. 19. Leuit. 19. Matth. 18.

4. Obiicies primò, quia nullus tenetur ad ſubleuandam miſeriam alterius, niſi tantùm illius, qui ſe ipſum liberare non poteſt: peccator autem abſque aliena ope, poteſt peccatum vitare, & à peccato reſurgere per ſuum liberum arbitrium, & auxilium Dei, quod omnibus præſtò eſt, ſi quidem liberè peccat, & in peccato manet. Reſpondetur, quòd ſi peccatum ſit ex fragilitate, aut graui tentatione, vel affectuum inclinatione, in bonum delectabile, non niſi difficulter poteſt peccator liberari ob peccati illecebras, ac prauum affectum ſuæ voluntatis; ac proinde eſt conſtitutus in tali neceſſitate, vt indigeat correctionis beneficio, vt per eam liberum ipſius arbitrium à malo auertatur. Et idem eſt dicendum, quamuis peccet ex malitia; quamuis ratiùs obligemur taliter peccantes corripere, quia rarò eſt ſpes emendationis, propter prauam determinationem ſuæ voluntatis, quæ difficilius à malo reuocatur; ſemper tamen eſt ſubueniendum per correctionem, ſi ſpes fructus ſit.

5. Obiicies ſecundò, quia rarò, vel nunquam ſolent confeſſarij interrogare, aut pœnitentem ſe accuſare de hoc peccato; ſignum ergo eſt, non extare tale præceptum obligans ſub mortali. Reſpondetur, timoratos conſcientiæ ſe accuſare de tranſgreſſione huius præcepti: ſimiliter confeſſarios agnoſcentes ſuam obligationem, interrogare quando & vbi id iudicant neceſſarium, quia obligatio huius præcepti non frequenter occurrit, nec obligat niſi concurrentibus peculiaribus circunſtantiis, de quibus poſtea erit ſermo.

6. Obligat autem hoc præceptum omnes generatim, & non ſolùm Prælatos. Vnde non excuſatur filius, nec ſubditus à correctione Prælati, aut ſuperioris, quia in Scripturæ locis ſuprà adductis, ſine exceptione omnibus hoc officium commendatur. Debent tamen id facere humiliter, vrbanè, ac modeſtè. Similiter peccatores tenentur alios corrigere, quando commodè & ſpe fructus poſſunt, quia ratione ſui ſtatus non excuſantur à dilectione Dei & proximi; nec ab obſeruantia diuinæ legis. Neque obſtat illud Pſalm. 49. *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum.* Vbi peccator alios corripiens, quaſi malè agens reprehenditur. & ad Rom. 2. etiam dicitur. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo, omnis qui iudicas; in quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis, quæ iudicas.* Nam in his locis non reprehenditur peccator, eo quòd enarret iuſtitias Dei, ſed quòd tali modo eas enarret, manendo in ſuis peccatis, & contraria omnia faciendo: vnde non vult peccatorem eſſe liberum ab obligatione corripiendi, ſed non debere peruerſè corripere: quod faceret, ſi non priùs per pœnitentiam, aut ſaltem per humilitatem ad bene & humiliter corripiendum, ſe diſponeret. Denique

Pſalm. 49. Rom. 2.

Prælati

Prælati, præcipuè Eccleſiaſtici, & ſuperiores Religionum præ aliis, ſtrictiùs obligantur ad corripiendos ſuos ſubditos. Imò tenentur inquirere in vitam ſubditorum, vt videant ſi quæ in his fortè corrigenda ſint: vnde rectè Gregorius lib. 2. regiſtri epiſt. 52. Gregor. *Quæ poteſt eſſe paſtoris excuſatio, ſi lupus oues comedat, & paſtor neſciat?* quod verum non eſſet, ſi non teneretur in vitam ſubditorum inquirere. Idcirco grauiſſimè comminationes fiunt in Scriptura contra Prælatos Ezech. 34. Ezech. 34. *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis: quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis.* & iterum: Ezech. 3. *ille quidem in peccato ſuo morietur, ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram.* Super quæ verba Auguſt. lib. 1. de Ciuit. Dei cap. 9. ait. Auguſt. *Ad hoc ſpeculatores, hoc eſt, populorum præpoſiti conſtituti ſunt in Eccleſiis, vt non parcant obiurgando peccata.*

7. Quod verò attinet ad materiam huius præcepti, conueniunt Doctores, eſſe peccatum mortale proximi. Peccatum verò veniale, poſſe eſſe materiam, ſed non in qua hoc præceptum grauiter obliget, niſi ſit diſpoſitio moralis, & proxima ad mortale. Vtrumque colligitur apertè ex verbis Matth. 18. Chriſti Matth. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* nemo enim periit niſi per peccatum mortale. Super quæ verba Auguſtin. ſerm. 16. de verbis Auguſt. Domini: *Quid eſt, lucratus eſt te, niſi quia perieris niſi lucraretur te? nam ſi non perieras, quomodo te lucratus eſt?* Quod verò dubitant Doctores eſt, an peccatum præteritum, vel futurum ſit materia correctionis fraternæ. Et certum eſt, ſi proximus peccauit, & inſuper eſt in periculo iterum labendi, tunc propriè eſſe obligationem correctionis, tum ob peccatum commiſſum, tum ob periculum ſimile committendi: tum etiam, quia honor diuinus ibi periclitatur. Difficultas itaque eſt, an ſit obligatio corripiendi fratrem quando peccatum commiſſum eſt, & nullum eſt periculum iterum relabendi, manet tamen in ſtatu peccati. Et ſatis communis ſententia docet, in eo euentu hoc præceptum non obligare, quia ipſe peccator tunc non tenetur ſe ipſum liberare à peccato habituali; quia homo ſtatim poſt peccatum non obligatur ad retractandum illud, & ad reconciliationem cum Deo: ergo neque alius tenetur illum corripere, & exhortari, vt reconcilietur cum Deo. Mihi verò oppoſita ſententia videtur valde probabilis, quia peccatum commiſſum, & non emendatum, ſecluſo periculo in aliud relabendi, eſt ſecundùm ſe materia grauis huius virtutis; ac proinde obligat quoties ſine graui incommodo eam poſſumus exercere; materia enim huius virtutis eſt miſeria grauis ſpiritualis fratris; ſicut egeſtas grauis, eſt grauis materia eleemoſynæ: at peccatum mortale habituale præcisè & ex ſe, ſecluſo periculo relabendi in aliud peccatum, eſt miſeria grauis, ſi quidem reddit hominem Dei inimicum, & obnoxium æterno ſupplicio. Ex quo patet reſponſio ad fundamentum contrariæ ſententiæ, quia materia pœnitentiæ eſt peccatum deteſtandum, non quia malum ſit peccatoris, ſed ſub alio conceptu: at materia correctionis eſt malum peccatoris, quod ſtatim obligat; quia eſt materia grauis. Falſum etiam eſt, me non teneri lege charitatis in aliquibus occaſionibus, ad faciendum aliquid, quod ipſe ſecum non tenetur facere, ſed poteſt licitè omittere. v.g. Ego tenetur ſubuenire proximo in graui neceſſitate corporali, & tamen ipſe poteſt in ea manere, nulla adhibita diligentia, ſed eam velle pati pro Chriſto ipſe poteſt velle eſſe ſine honore, quod ego illi optare non poſſum.

8. Circa peccata verò venialia eſt valde notanda doctrina Soti de tegendo ſecreto, memb. 2. quæſt. 2. concluſ. 3. quem ſequuntur communiter Recentiores, Valentia, Suarez, Ægidius & alij in præſenti, interdum poſſe quempiam obligari ad ea corrigenda, vt contingit in ſuperiore Religionis, qui ex officio & iuſtitia, tenetur curare, non ſolùm vt ſubditi vitent mortalia, ſed etiam vt ad perfectionem tendant; atque adeò vt vitent impedimenta, & etiam vt communis Religionis ſtatus conſeruetur, & ne diſciplina religioſa diſſoluatur; quia peccatum veniale licèt reſpectu vnius, vel alterius, non ſit graue malum; ſi verò defectus ſint generales communitatis, permittere peccata venialia, vel defectus contra regulas, & diſciplinam religioſam, vergere poteſt in magnum detrimentum perfectionis ipſius religionis; atque ita talis permiſſio eſt graue valdè malum ſtatus ipſius, quod Prælatus ex charitate & fide quam debet ipſi religioni, tenetur impedire. Quod Turrianus extendit ad obligationem quam ſuperior habet, reprehendendi aliquem fraterna correctione, propter aliquod genus peccati venialis nociuum Religioni. v. g. propter impudica aliqua verba, aut conſuetudinem iurandi, aut ſimile quid, quod Religioſum maximè dedecet. Itaque ſi ſuperior nimium ſe gerat negligenter in reprehendendis, & corrigendis defectibus generalibus communitatis, non excuſatur à mortali, iis enim diſſoluitur ſtatus religionis, quem Prælatus ex officio tenetur integrum conſeruare.

9. Cùm autem hoc præceptum correctionis fraternæ ſit affirmatiuum, certum eſt apud omnes, non obligare pro quouis tempore, ſed poſitis quibuſdam circunſtantiis, & conditionibus, quibus deficientibus ceſſat obligatio corrigendi. Prima eſt, ſufficiens notitia, id eſt, vt delictum proximi certò moraliter conſtet; nec ſufficit probabilis coniectura, vt colligitur ex verbis Chriſti, *ſi peccauerit in te frater tuus*, id eſt, coram te, ſeu te ſciente, vt communiter exponunt Doctores. Vnde Eccleſiaſtici 11. Scriptura rectè nos monet. *Priuſquam* Eccli. 11. *interroges* (id eſt, antequam rem certò ſcias) *ne vituperes quemquam, & cùm interrogaueris, corripe iuſtè.* Nec licitum eſt vnicuique exploratorem agere vitæ alienæ; eſſet enim contra illud Prouerb. 24. *Ne* Prou. 24. *quæras impietatem in domo iuſti, & non vaſtes requiem eius.* Sic exponit obligationem huius præcepti, Auguſtinus ſerm. 16. de verbis Domini. *Admonet*, inquit, *nos Dominus noſter, non negligere inuicem peccata noſtra, non quærendo quid reprehendas, ſed videndo quid corrigas.*

10. Secunda conditio, ſeu circunſtantia eſt, ſi conſtet fratrem eſſe emendatum, & iam à peccato reſipuiſſe; quia hoc præceptum non obligat niſi quando adeſt neceſſitas: ergo quando conſtat fratrem eſſe emendatum, & nullum eſſe periculum relabendi, nulla eſt obligatio; quia tunc frater non eget. & idem eſt quando probabiliter creditur, ipſum ſua ſponte acturum pœnitentiam, vel per correctionem alterius: ſicut ſuprà diximus non teneri quempiam exhibere eleemoſynam corporalem ei, cui nouit ab alio ſubuentum iri. Excipiuntur Prælati, qui poſſunt corripere iuridicè, & punire peccata præterita, & quibus iam proximus non eſt obſtrictus, propter bonum commune & aliorum exemplum. Nos verò loquimur de correctione priuata & fraterna; hæc enim ſolum ſpectat priuatum

priuatum bonum proximi, remouendo ab eo culpæ malum, quod non habet locum quando iam proximus resipuit.

11. Tertia conditio est, vt sit probabilis spes emendæ, & correctionem profuturam; quia correctio est medicina, quæ non debet adhiberi nisi cum spe probabili de eius vtilitate, aliàs talis actus esset otiosus: vnde Prouerb. 9. dicitur: *Noli arguere derisorem, ne oderit te.* quia, vt rectè D. Thom. art. 6. quod ex præcepto est necessarium, vt conducit ad aliquem finem, necessarium non est cessante tali fine; *ea enim quæ sunt ad finem*, inquit sanctus Doctor, *regulanda sunt prout exigit ratio finis*; at correctio fraterna non est ex præcepto necessaria, nisi quatenus conducit ad emendationem fratris: ergo cessante hoc fine, nimirum quando quis certò, aut probabiliter iudicat, eum non consequuturum; cessat etiam obligatio huius præcepti. Neque obstat, quòd quamuis finis legis cesset in aliquo particulari, non propterea cessat in eo legis obligatio. v.g. quamuis quis non indigeat maceratione carnis, quæ est finis legis de ieiunio, adhuc tenetur ieiunare in Quadragesima. Hoc enim verum est de fine extrinseco, & mediato legis, vt est carnis maceratio respectu ieiunij; non verò de fine immediato, & intrinseco, qualis est emendatio proximi, respectu correctionis; hæc enim est actus virtutis misericordiæ, quæ habet pro obiecto formali subleuationem miseriæ fratris existentis in peccato: quod obiectum nullum locum habet, quando quis iudicat correctionem non profecturam, nec secuturam emendationem. Sed quid dicendum si spes esset dubia? Respondetur, sufficere probabilem spem, quòd poterit prodesse, & non obesse: vnde in tali casu non cessat obligatio præcepti, quia charitas id postulat, vt in necessitate proximi fiat, quod fortasse potest illi prodesse, & non potest obesse. Si verò sit æqualis probabilitas, quòd correctio oberit, ac proderit, abstinendum erit à correctione; quia melius est fratrem non adducere in discrimen nouum, quàm eum in alio relinquere. Obseruat autem rectè Suarez sect. 3. non esse existimandum nocumentum proximi tristitiam aliquam, vel etiam iram, cum aliquali culpa. nam si tandem speretur emenda, corripi debet; quia hæc per accidens sequuntur, & propter maius bonum permitti possunt, quamuis curandum sit, quantum fieri potest, ne sequantur.

Prou. 9.

12. Quarta conditio est, vt sine graui meo incommodo, vel damno, possim corrigere: aliàs magnitudo damni me excusat à correctione. Et quinta denique opportunitas temporis: si enim quis credat differendo correctionem fore, vt proximus meliùs corrigatur, tenetur expectare tempus commodum, in quo possit fructus sperari. Cùm enim correctio fraterna debeat ex charitate referri ad vitam spiritualem proximi, nullo modo violatur ipsius præceptum, si differtur in tempus, quo proximo vtilior sit futura; iuxta illud Prouerb. 25. *Mala aurea in lectulis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo.*

Prou. 25.

Sectio II.

An ordo correctionis fraternæ à Christo Domino præscriptus Matth. 18. *cadat sub præcepto.*

13. VErba quibus Christus Dominus Matth. 18. præscripsit ordinem in correctione fraterna seruandum, sunt hæc: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum, vel duos, vt in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus.* In quo ordine quinque actus continentur. Primus admonitio secreta, *Corripe eum inter te, & ipsum solum.* Secundus correptio coram vno, vel duobus testibus. Tertius denunciatio. *Dic Ecclesiæ.* Quartus correctio Prælati. *Si Ecclesiam non audierit.* Quintus coactio per excommunicationem, *sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et de his omnibus dubitamus an cadant sub præcepto. Negant plures, inter quos sunt D. Bonauent. in caput 17. Lucæ, vbi ait: *Hic autem ordo congruitatis est, non necessitatis.* Bernardinus de Areualo tract. de correct. frater. per totum. Salmeron tract. 11. Maldonatus in caput 17. Lucæ, inquit enim, *Spectandum enim est Christi consilium, vt peccantem non acerbè accusemus, sed benignè corrigamus.*

Matth. 18.

14. Primum fundamentum huius sententiæ est, quia Christus in prædictis verbis non loquitur de peccato occulto, sed de iniuria illata, vt tradunt Augustinus sermo. 16. de verbis Domini. Chrysost. homil. 6. in Matth. D. Thomas in cap. 18. Matthæi, secutus glossam ordinariam, Maldon. ibidem, & satis manifestè deducitur ex ipso contextu, si inspiciantur antecedentia, & subsequentia, sermonem ibi esse de iniuria illata. nam accedens Petrus ad Iesum dixit: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Quæ verba de propria iniuria intelligunt plures interpretes: quod etiam confirmatur ex parabola Regis volentis rationem ponere cum seruis suis, & concludit Christus parabolam, dicens, *Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Vrgetur amplius Lucæ 17. vbi habentur hæc verba, *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum, & si pœnitentiam egerit, dimitte illi, & si septies in te peccauerit, & septies in die conuersus fuerit ad te, dicens pœnitet me, dimitte illi.* Quæ verba manifestè sunt de remissione illatæ iniuriæ, & continent eumdem ferè sensum, ac verba Matth. 18. & ex illis conficitur valde efficax argumentum: quia non obstante hoc præcepto, adhuc cùm quis passus est iniuriam, potest coram iudice statim petere recompensationem, non seruato ordine correctionis fraternæ, & oppositum videtur esse contra bonum publicum, & contra praxim & vsum: ergo talis ordo non assignatur à Christo sub præcepto, sed tantùm sub consilio.

Ibid.

Luc. 17.

15. Secundum fundamentum est, quia quamuis admittamus prædicta verba intelligi debere de omnibus peccatis, & non solùm de remissione iniuriarum, nihilominus Christus tantùm locutus est de publica delatione, & iuridica, quæ fit superiori tanquam iudici, non verò de secreta, & paterna quæ Prælato fit tanquam Patri: vt manifestè docet D. Thom. in hac quæst. art. 7. nam quærens, an admonitio secreta ex necessitate præcepti debeat præcedere delationem. Respondet de publica delatione peccati, cui applicat hæc verba Matth. 18. & concludit: vnde patet quòd potest esse de necessitate præcepti, quòd secreta admonitio publicam denunciationem præcedat. Et ratio est manifesta, quia Christus ideo voluit peccatum deferendum ad Ecclesiam, vt impœnitens arceatur à cæterorum communione: Ecclesia autem delatione occulta id non potest efficere, nec quempiam excommuni

Digitized by Google

communicare nec delicta occulta possunt licitè ita vulgari: signum ergo est Christum ibi non loqui, nisi de delicto publico, saltem vno, vel duobus testibus, quibus possit plenè probari, aut semiplenè; non verò vllo modo loquitur de denunciatione secreta ac paterna, quæ in delictis occultis fit Prælato, tanquam patri.

16. Nihilominus opposita sententia communis est inter Theologos, iuxta quam dicendum est, dari præceptum naturale seruandi ordinem prædictum in correctione, & illud explicuisse Christum Matth. 18. ac proinde ordinem correctionis à Christo præscriptum cadere sub præcepto. Hæc posterior pars, quòd hoc præceptum de ordine correctionis fraternæ non sit positiuum superadditum à Christo in lege euangelica, est communis consensus Theologorum asserentium, in lege noua non fuisse à Christo superaddita præcepta positiua, præter præcepta Sacramentorum: ergo Christus Dominus solùm explicuit hoc præceptum, sicut explicuit alia præcepta iuris naturalis. v. g. præceptum de dilectione inimicorum. Prior verò pars probatur, quia præceptum correctionis fraternæ, & ordo illius taliter seruari debet, vt in modo illud obseruandi, non etiam simul peccetur contra proximum. nam peccare contra fratrem nunquam licet: si autem corripiendo proximum læderetur eius fama absque iusta necessitate, eo ipso peccaretur contra proximum; ergo hoc præceptum ita seruari debet, vt non lædatur proximi fama, si ea illæsa possit obtineri finis correctionis; hoc enim postulat charitatis ratio, vt proximo subueniatur absque læsione famæ, si fieri potest: quod certè obseruatum est à Christo Domino præscriptum. Primò enim præcipitur, vt delinquens admoneatur secretò, vt si fieri possit, nullus alius sciat; quando verò oportet adhibere aliquem, prius adhibetur testis, quàm denuntietur, propter eamdem causam, vt consulatur famæ proximi. Prælatus quoque tenetur præmittere admonitionem ante excommunicationem: ergo ordo prædictus fundatur in charitate, & ipsa natura, seu dictamine rationis; ius enim naturæ postulat, vt fama proximi conseruetur, quantum fieri potest, illæsa. Quod egregiè confirmat D. Thomas exemplo medicinæ corporalis: medicus enim saluti, & incolumitati corporis curatione sua sic debet prospicere, vt quoad fieri possit id faciat, sine detrimento vllius membri, nisi fortè opus sit membrum aliquod minus præcipuum resecare pro tuenda salute ægri: vnde sicut Medicus corporalis grauiter peccat, cùm infirmum sanat, amputando ei membrum, aut dando ei medicinam periculosam, quando sine his incommodis, & modo magis certo & securo sanare potest: ita similiter Medicus spiritualis, quando potest sanare fratrem sine vlla, aut cum exigua læsione famæ, grauiter peccat contra charitatem, si sine alia necessitate eum tentet sanare cum graui læsione famæ illius, aperiendo eius occultum peccatum pluribus quàm necesse sit aperire; ipsa enim natura dictat, tum etiam charitas, ac iustitia, corrigendum esse proximum cum minori damno famæ & honoris quo fieri possit: quare si absque testium inductione corrigi potest, non sunt adhibendi testes; & si vnicus testis sufficit, duo non sunt adducendi, & si adductis duobus testibus emendatur, Ecclesiæ denuntiandus non est.

17. Ad primum fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd quamuis Christus videatur loqui de iniuria lata corrigenti, ex communi sensu Ecclesiæ ad omnia alia peccata, quæ committuntur nobis scientibus, extenditur illud præceptum, quod iuris naturalis & charitatis esse diximus. An verò ille ordo seruandus sit quando iniuria est illata, contra eum qui debet corripere, est controuersia inter Doctores. huic tamen difficultati sub distinctione fiet satis. nam in illo peccato potest considerari, & ratio iniuriæ eius, qui peccauit, & ratio miseriæ in eo qui peccauit. Priori modo is qui iniuriam, vel damnum passus est, licitè potest petere recompensationem, vt suprà docuimus agentes de dilectione inimicorum: posteriori verò modo seruandus est ordo præscriptus, si adsint circunstantiæ requisitæ, vt obliget præceptum correctionis, præcipuè quando is, qui intulit iniuriam, vult satis facere proximo pro illa, & tamen adhuc censetur manere in statu peccati.

Ad secundum fundamentum respondetur, concedendo, Christum ibi loqui de ordine seruando in correctione, antequam delictum proximi denuntietur Prælato tanquam iudici, vt magis constabit ex dicendis sectione sequenti. 18.

Sectio III.

An in Religionibus sit licitum reuelare Prælato peccatum occultum fratris, non præmissa correctione.

19. COnueniunt primò Doctores, ordinem correctionis fraternæ non ita esse in præcepto vt in quolibet euentu obliget; hoc enim habent omnia præcepta affirmatiua, quæ quidem non obligant pro semper: quare interdum sine peccato poterit omitti hic ordo, nempe quando ex illo non speratur fructus; quod expressè docuit D. Augustin. serm. 16. de verbis Domini, vbi differens de illo modo corripiendi à Domino imperato, inquit, *Discernere debemus aliquando illud, aliquando aliud esse faciendum: aliquando corripiendo fratrem inter te, & ipsum solum: aliquando coram omnibus*, &c. Et ratio huius est, quia præceptum hoc, vt rectè obseruat Valentia disp. 3. quæst. 10. punct. 5. Non quomodocumque est affirmatiuum, sed etiam valde speciale, vtpote præscribens quemdam corripiendi modum valde determinatum, qui proinde vt benè & accommodatè ad correctiones adhibeatur, exigit determinatas quasdam circunstantias, quæ facilè deesse possunt, vel mutari, in quibusdam casibus, vel personis. Augustin.

20. Conueniunt secundò. Denunciationem diuidi in euangelicam, & iudicialem: inter quæ hoc interest discrimen. Primò quòd per denuntiationem euangelicam non intenditur vindicta delicti, sed emendatio fratris; siue vt resurgat à peccato, siue vt præueniatur ne amplius cadat; & vltra hunc finem potest etiam extendi ad bonum tertij, & multo magis ad bonum commune ad euitanda aliorum nocumenta: iudicialis verò tendit ad delicti punitionem, quatenus id censetur necessarium ad bonum commune, ne delicta maneant impunita. Secundò, quia denunciatio euangelica iuxta aliquos, non versatur circa peccatum commissum præcisè, quia commissum est, sed quatenus aliquo modo pendet in futurum, hoc est, quatenus non est emendatum, & est periculum reincidendi: iudicialis verò versatur circa delictum præteritum, ex eo solum quòd commissum est, quamuis

peccator

peccator sit emendatus; quia adhuc semper manet reus pœnæ, quam vt luat denuntiari potest, si communi bono expedit. Tertiò quòd denunciatio iudicialis fit superiori vt iudex est, implorando officium eius, cum per illam intendatur punitio & coactio, quæ per se spectant ad officium iudicis: denunciatio verò euangelica fit superiori vt patri, ac proinde solet vocari denunciatio paterna, quia correspondet correctioni fraternæ. nam sicut hæc fit inter fratres inter se, ita quando non sufficit, fit recursus ad superiorem vt pater est, & solum intenditur emendatio, & non punitio: quod per se pertinet ad officium patris, & ideo per hanc denunciationem imploratur.

21. Vt ergo ad propositam difficultatem accedamus. Prima sententia absolutè docet, etiam in Religionibus antequam peccatum occultum fratris denuntietur Prælato etiam vt patri, necessariò debere præcedere præmonitionem secretam. Ita defendit Lorca in præsenti disput. 47. Citantur etiam Adrianus, Sotus, & Nauarrus. Sed Sotus & Nauarrus manifestè loquuntur de denunciatione publica, quæ fit Prælato tanquam iudici ad punitionem, de qua modò non disputamus. Adrianus verò non fauet huic sententiæ. Nam opuscul. de Correct. fraterna, versu *de huius decisione*, ait, quod tertiò dicit Richardus, *Cùm secreta monitio speratur profutura, quòd de necessitate debeat præcedere denunciationem publicam; sed non eam quæ fit Prælato: quoad secundam partem, nec est probabile, nec innititur veritati.* Quibus verbis Adrianus loquitur de æquali profectu: cùm enim æqualis speratur profectus per correctionem fraternam, nec est vllum periculum relapsus, verum est non licere vti nisi monitione secreta; quando verò profectus est maior per delationem paternam, & securior, non docet Adrianus eam esse illicitam. Fundamenta verò huius sententiæ infrà adducemus, & dissoluemus.

Adrian.

22. Opposita sententia communis est inter Doctores, quæ sequentibus conclusionibus explicatur.

Prima conclusio. Quando spes est certa, æquè profuturam monitionem fraternam ac delationem, tunc non est licitum deferre Prælato, etiam vt patri crimen occultum fratris, ante præmissam monitionem. Hæc conclusio certissima est, & facilè probatur, quia finis adæquatus huiusmodi delationis est emendatio criminis, & cautio à relapsu: ergo si hæc duo æquè comparantur monitu secreto, & correctione fraterna, illicitum est deferre Prælato delictum occultum fratris: esset enim species detractionis, cùm frater iniustè, & sine necessitate, & absque legitima causa infamaretur: quod esset contra charitatem, & ius naturale quod habet, vt eius fama conseruetur illæsa quoad fieri potest. Et confirmatur ex illis verbis Christi, *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* quasi dicat, nihil supereſt amplius, sed ibi sistendum est. Præterea, quia totus ordo correctionis fraternæ, & denuntiationis Prælato in delictis occultis eò tendit, vt frater plenè emendetur: ergo quando constat eum plenè emendatum, absque probabili aliquo recidiui periculo, non est vltrà progrediendum denuntiando superiori eius peccatum.

23. Secunda conclusio. Quando peccatum fratris est occultum, licitè & honestè potest denuntiari Prælato, absque eo quòd præcedat admonitio, concurrentibus his conditionibus. Prima, vt delatio fiat ei non tanquam iudici, sed tanquam patri. Secunda, vt Prælatus sit prudens, discretus, & spiritualis, zelo, & dilectione suarum ouium ornatus, & taciturnus, & insuper sit spes maioris vtilitatis fratris; quia nimirum speratur brenior, melior, & securior in futurum emendatio per Prælatum, quàm per priuatum. Hæc conclusio probatur primò auctoritate D. Thomæ quodlib. 11. art. vltim. vbi proponens hanc eamdem quæstionem: *Virum si aliquis sciat peccatum proximi, peccet mortaliter, referendo illud statim Prælato suo*; posteaquam absolutè dixit: *Si ego scio, quòd frater per me corrigitur, tunc non debeo hoc denuntiare Prælato.* Nihilominus statim subdit: *Si autem videtur, quòd hoc melius fiat per Prælatum, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus, & spiritualis, non habens rancorem, seu odium aduersùs illum subditum; tunc licitè potest hoc denuntiare sibi, & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit ei sicut Prælato (id est, sicut iudici,) sed sicut personæ proficienti ad correctionem proximi, & emendam.* & subiungit: *Quia varia sunt conditiones subditorum, & Prælatorum, ideo tenendum est hoc pro regula: quòd in omnibus illis seruanda est charitas, & quod melius & magis expedire videtur, etsi hoc intendat, scilicet emendam proximi, & seruet quantum potest bonum charitatis, tunc denuntiando non peccat.* Idem repetit solutione ad primum. *Si statim aliquis referat Prælato, adhibens debitas circumstantias, & considerans magis expedire, non facit contra præceptum Euangelij.* & in solutione ad 3. *Si aliquis referat Prælato culpam proximi, intendens, vel cautelam in futurum; vel aliquid huiusmodi, quod ad emendam proximi viderit expedire, non peccat.* Quid expressiùs? D. Thomam sequuntur, Sylvester verb. Correctio, Gabriel lectio. 74. in Canon. lit. V. D. Antoninus 2. part. tit. 9. cap. 6. Richardus in 4. dist. 19. Iulius Caluus in Synaxi curæ animarum, Angelus Clauasius in summa verbo denuntiatio, num. 10. qui asserit hanc sententiam esse D. Augustini, & omnium Doctorum ordinis Seraphici. Eamdem defendit Gerson 2. parte Alphab. 24. lit. T. Cardinalis Turrecrem. in cap. si peccauerit. 2. quæst. 1. Nicolaus Orbellius in 4. disput. 19. quæst. 1. Iacobus Grafis lib. 2. cap. 69. & plures alij. Et in hanc sententiam conspirat vniuersa Societatis schola.

D. Thom.

24. Secundò probatur auctoritate D. Bonauenturæ in caput 19. Lucæ, in ea verba: *Attendite vobis*, &c. vbi ait: *Ex quo datur forma, quod Prælato qui vult prodesse, etiam nulla præcedente correctione, potest, & debet culpa proximi accusari extra iudicium, si sit occulta, & in iudicio, si habeatur probatio certa.* Quid apertius? & hanc fuisse constantem sententiam D. Bonauenturæ, testantur verba Capituli generalis Barchinonensis: *Nullus frater dogmatizet, vel teneat, quòd cùm aliqui sint socij in crimine, non teneantur alter alterum reuelare superiori, qui potest, ac debet prodesse, & animarum periculis præcauere. nam ex sententia Bonauenturæ, & magistrorum Ordinis, & totius Capituli generalis definitum est, quòd hæc doctrina est pestifera in destructionem Ordinis, & regularis disciplinæ, cùm Prælati scire debeant subditi excessus, non solùm vt puniant, sed vt possint præcauere.* & rursùs: *Teneantur fratres per obedientiam exeuntes, in redditu suo secretè Guardiano excessus notabiles intimare: quòd si vnus frater excessus alterius scierit per duas vias, vtpote per confessionem, & alium modum, non propter hoc minus tenetur Guardiano dicere: quia hoc nullo modo sigillo confessionis præiudicat, quin potiùs si taceret, inobedientiæ genus incurreret.* Nec obstat si dicas, has constitutiones non excludere ordinem

Bonauent.

Digitized by Google

nem euangelicum : hoc , inquam , non obstat. nam in eisdem Constitutionibus habetur , *item dogmatizare quòd frater , qui fratrem corripit de aliquo excessu in occulto , non tenetur dicere Superiori suo , quamuis ab eo per obedientiam sit requisitus. Similiter quòd cùm aliqui sunt socij in crimine , non tenetur alter alterum reuelare superiori , qui potest & debet prodesse , ac periculis animarum præuenire , ex sententia totius Capituli generalis diffinitum est , hanc doctrinam esse pestiferam , & non sanam.* Vult ergo Capitulum, vt si quis alium ex Euangelij forma corripuerit , eum deferat Prælato , ad periculum præcauendum. Idem habetur in Constitutionibus Patrum Prædicatorum cap. 18. lect.6. *Si quis autem tale quid extra Monasterium commiserit , frater qui cum eo est , studeat eius excessum Prælato, quantocius corrigendum intimare.* & longè antiquior est hæc Constitutio in Religionibus. nam Smaragdus Abbas in Regula Sancti Benedicti, hanc constitutionem refert cap. 24. *Si quis eum , quem districtionem Monasterij non ferentem , fugam meditari cognouerit , non statim prodiderit, perditionis illius participem se esse non dubitet, & tandiu à conuentu fratrum sequestrandum, quandiu ille valeat reuocari.* & cap. 32. ex Paulo & Stephano Abbatibus sic inquit : *Si quis alterum quacumque parte viderit , quodcumque illicitum, vel sermone , vel opere facientem , & priori distulerit publicare ; cognoscat se esse nutritorem peccati , & per omnia æqualem peccanti, quia & anima sua & illius quem tegit, est durissimus inimicus.*

25. Ex his sequitur , quàm immeritò Lorca hanc sententiam vocat improbabilem. Est enim, probabilissima tot sanctorum Patrum & Doctorum Scholasticorum auctoritate fulcita , imò oppositam censeo non tam probabilem , & quæ facilè posset esse occasio ruinæ & subuersionis religionum. Dices hoc esse velle adducere aliud Euangelium pro Religiosis, ac pro laicis. Respondetur primò D. Thomam , D. Bonauenturam & cæteros omnes Doctores relatos , probè nosse Euangelium , & nihilominus tradidisse hanc doctrinam. Eamdem tradidit Innocentius 39. cap. *Qualiter & quando* 2. de accusationibus , vbi ait : *Prælatos curaturos , vt charitatiua monitio præcedat inscriptionem : inscriptio autem denuntiationem: denuntiatio autem accusationem.* & subdit. *Hunc tamen ordinem circa regulares personas non credimus vsquequaque seruandum , quando enim causa requirit , facilius & liberius possunt à suis administrationibus amoueri.* Ecce Pontifex constituit discrimen non solùm inter laicos , sed etiam inter Cleticos seculares , & religiosas personas in seruando ordine correctionis. Respondetur secundò cum Turriano , alium esse finem boni publici in Republica seculari, & alium religionis. nam in Republica seculari hic finis intenditur, vt publicæ paci & tranquillitati ciuium consulatur , quam tranquillitatem delicta publica perturbant ; nec omnia publica , & ita multa impunè permittuntur ; atque adeò non postulat bonum illius Reipublicæ , vt secreta peccata ad secularem Rectorem deferantur. At institutum religiosæ Congregationis est , non tantùm efficere bonum aliquem ciuem , sed virum perfectum, propter quod bonum Religionis fieri potest , vt cum aliquo detrimento famæ religiosi , possit fieri prædicta delatio : præceptum enim naturale non infamandi proximum , & ex charitate corripiendi , ita obligat , vt si aliquando maius aliquod bonum postulet: vt de fama illius non curemus , statim possimus illius crimen occultum superiori manifestare; hac enim ratione facilius quisque Religiosus abstinebit à peccato exteriori coram alio Religioso , & sic toti religioni maximum eueniet emolumentum , dum minor est licentia peccandi , & Religio meliùs consequetur suum finem , vt peccata etiam occulta quæ perfectionem vitæ religiosæ impediunt , quantum fieri potest, impediantur.

Ratio à priori huiusce rei est , non quia hoc præceptum non obliget omnes , etiam Religiosos ; sed quia affirmatiuum est , & in eo statu rarò occurrunt omnes circunstantiæ, cum quibus obligat ad illum ordinem. Deinde , quia ordo correctionis in tantum seruari debet , in quantum præcipit charitas: hoc enim præceptum est præceptum charitatis, quod obligat ex charitate : itaque regula in illo ordine seruanda est charitas ipsa, & quod magis expedit saluti spirituali fratris. At in casu de quo loquimur , perfectio charitatis hoc postulat, vt immediatè deferatur Prælato tanquam Patri peccatum occultum fratris ; quia speratur breuior, & melior correctio, & maior vtilitas spiritualis illius. Quomodo enim frater iuuenis in Religione corriget professum antiquum ? quam medicinam adhibebit ? quomodo auertet pericula relapsus , & occasiones ? igitur non solùm quando videt quod ipse nec scit , nec valet ; tunc enim manifesta est obligatio delationis , sed etiam quando sperat vtilius , & perfectius correcturum à Prælato , licitè potest deferre. 26.

Tertia conclusio. Quando frater non est plenè emendatus , & est probabile periculum relapsus, licitum est , & valdè expediens , deferre peccatum occultum superiori vt Patri , nulla præmissa monitione , dummodo in superiore concurrant circunstantiæ positæ in conclusione præcedenti. Ratio huius est , quia alio modo vix potest esse rationabilis spes emendationis perfectæ sine superiore , vt rectè obseruat Suarez disput. 8. sect. 6. num. 12. & probat , quia aut Religiosus peccat ex malitia , aut consuetudine ; aut ex fragilitate : si hoc modo peccat , oportet tollere occasiones , illis enim manentibus , non potest existimari firma emendatio : illæ autem tolli vix possunt absque superiore , qui potiùs defectu cognitionis eum frequenter constituet in occasione , committendo illi ministerium aliquod , in quo maior illi offeratur occasio peccandi , vel præbendo illi socium minus idoneum. Si verò peccat ex malitia & consuetudine , tunc per se patet difficultas emendationis : ergo tutius est illud immediate dicere superiori. 27.

Secundò probatur , quia quando non est probabilis spes emendationis media admonitione, omnes Doctores fatentur debere prætermitti , & manifestari Prælato peccatum occultum fratris modo supradicto: hoc autem frequenter contingit in peccatis grauibus religiosorum , in quibus vix speratur emendatio potest media monitione secreta & fraterna , vt luculenter docuit Caietanus opusc. 1. respons. 5. ad vltimum dubium , his verbis. *Non facilè credendum religiosum correctione fraterna emendandum , sed dubitandum potius fore , vt fingat se emendatum vt socium deludat, denuntiationemque vitet , & interim manebit in peccato , donec in scandalum aliorum prorumpat.* Quid certius ? Pone Religiosum luxuriæ deditum , hoc videat socius : si eum præmoneat secretò , & relapso adhibeat duos testes , iam commisit duo 28. Caietan.

Digitized by Google

peccata: hic deinceps callidè fugiat eum ſocium, & alium procuret à quo præmoneatur occultè primùm, & ſecundò coram teſtibus: qua ratione poterit deludere, & percurrere; omnes ſocios, & tandem in ſcandalum graue prorumpere cum grauiſſimo diſcrimine ſpirituali, & incommodo totius religionis. Eamdem doctrinam tradit Durandus in 4 diſtinct. 19. §. Concludendo dico, vbi ait: *Deficiente ſpe emendæ eſſe denuntiandum peccatum occultum ſuperiori tanquam patri.* & ſubdit: *huiuſmodi eſſe Religioſos, aliqua grauia committentes.* & reddit rationem; *quia effrontes fiunt, nec ad id ſolent deuenire niſi aliis peccatis præcedentibus, ac Monaſteria infame diſpendium coniiciunt, ſimulantque ſe emendari.* & ratio huius eſt, quia quo aliquis ex altiori & nobiliori ſtatu deiicitur, ac degenerat; periculoſior eſt lapſus, & multo difficilior emenda. Vnde Chryſoſtomus homil. 40. in Matth. *Quis*, inquit, *aliquando vidit clericum citò pœnitentiam agentem, ſed etſi deprehenſus humiliauerit ſe, non ideo dolet, quia peccauit, ſed confunditur, quia perdit gloriam ſuam.* Idem tradit Auguſtin. epiſtol. 137. *Ex quo Deo ſeruire cœpi, quomodo difficile ſum expertus melieres, quàm qui in Monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus deteriores, quàm qui in Monaſterio ceciderunt.* Dices hoc eſſe velle Religioſos eſſe incorrigibiles. Reſpondetur negando conſequentiam, quia non dicimus eos non poſſe corrigi abſolutè monitis priuatorum; ſed eos vix corrigendos perfectè à priuato; à Prælato verò breuiter, efficaciùs, & ſecuriùs.

Durand. Chryſoſt. Auguſt.

29. Deinde eadem concluſio probatur, quia ſi delictum vergat in damnum tertij, aut in detrimentum communitatis, licitum eſt quantumcumque ſit occultum, denuntiare immediatè Prælato, vt omnes fatentur: at grauia Religioſorum delicta redundant in maximum Religionis detrimentum; cedunt enim in aliorum Religioſorum ſcandalum, ac perniciem: quod eſt maximè timendum ob arctiſſimam familiaritatem; cedunt etiam in totius religionis infamiam; non enim ſolis delinquentibus ea delicta tribuuntur, ſed toti religioni, & cæteri Religioſi ſimiles reputantur, vt luculenter Auguſtinus epiſtol. 137. *Ad quid aliud ſedent iſti, aut quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, iactent, contendant; ſed non omnes poſſe manifeſtari. Et tamen etiam ipſi cum aliqua matrimonia inuenitur adulterata, nec proiiciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inflant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.*

Idem.

29. Denique probatur, quia bonum commune præferendum eſt particulari, & maximè in Religioſis, qui ſe totos religioni dedicarunt, omnia ſua iura in religionem transferentes; ac proinde fama Religioſi potius eſt religionis, quàm ſua? quia ipſe totus non eſt tam ſuus, quàm religionis: vnde ſi iniuriam aliquam patiatur, & per iudicem expediat illam repellere, aut vindicare; non ad ipſum, ſed ad monaſterium hæc cura ſpectat, vt tradunt Panormitanus, Felinus & alij in cap. *Cùm dilectus*, de reſcriptis. Commune autem religionis bonum poſtulat, delicta occulta denuntiari immediatè ſuperiori tanquam patri; nihil enim ita eos à lapſibus continebit, quàm timor ne in notitiam Prælatorum veniat. Vnde rectè Rodriguez tom. 2. quæſt. 7. art. 5. ait: *Conſiderent denuntiatores, quòd ſi probabiliter ſperent emendationem fratris reuelando ſuum peccatum Prælato vt patri, vt ab ipſo ſecretò corrigatur, non obſtat inde infamia fratri ſequenda, magis enim ponderat bonum animæ, quàm fama, eo quòd bonum animæ nulla alia correctione fraterna creditur adipiſcendum, quàm correctione Prælati fratrem ſecretò, & benignè, & prudenter admonentis.*

Rodrig.

Reſtat reſpondere ad argumenta contrariæ ſententiæ.

Primum deſumitur ex teſtimonio Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum*, &c. qui ordo cùm cadat ſub præcepto, omnino ſeruandus eſt. Reſpondent nonnulli his verbis tantùm dari conſilium, non præceptum, vt ſuprà retulimus ex D. Bonauent. & aliis. Reſpondent alij, Chriſtum non loqui de omnibus peccatis, ſed ſolùm de iniuria illata, quod Suarez tom. 4. de Relig. lib. 10. cap. 7. num. 13. iudicat admodum probabile; ſed quidquid ſit de his duabus reſponſionibus, reſpondetur tertiò hoc præceptum eſſe affirmatiuum, atque adeò exigere certas circunſtantias, defectu quorum poteſt mutari, aut omnino præteriri: quare ſicut poteſt omitti correctio quando eius dilatio creditur magis profutura delinquenti, ita ſimiliter poteſt exordiri, & incipere quis in correctione, à ſecunda, vel tertia, propter eamdem rationem, quia magis profutura ſperatur.

31. Matth. 18.

Secundum argumentum ſumitur ab auctoritate D. Thomæ art. 7. in reſponſione ad 5. vbi ait. *Ad quintum dicendum, quòd Prælato non eſt obediendum contra præceptum Domini, & ideo quando præcipit, vt ſibi dicatur quod quis ſciuerit corrigendum, intelligendum eſt præceptum ſanè, ſaluo ordine fraternæ correctionis: ſiue præceptum fiat communiter ad omnes, ſiue ad aliquem ſpecialiter.* & reddit rationem: *quia Prælatus non eſt index iudiciorum occultorum, ſed ſolus Deus. Vnde non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis.* Ecce D. Thomam expreſsè aſſerentem, non eſſe denuntiandum peccatum occultum Prælato, non ſeruato ordine fraternæ correctionis. Reſpondetur teſtimonium hoc non eſſe ad rem. nam D. Thomas apertiſſimè loquitur de publica denunciatione, quæ fit Prælato tanquam iudici; non verò de paterna & ſecreta, de qua diſputamus: quod conſtat ex reſponſione in corpore, ait enim: *Reſpondeo dicendum, quòd circa publicam denuntiationem peccatorum diſtinguendum eſt*, &c. & concludit: *vnde patet, quòd poteſt eſſe de neceſſitate præcepti quòd ſtatim ſecreta admonitio publicam denuntiationem præcedat.* Ecce concluſionem D. Thomæ, quod amplius exponit in reſponſione ad quintum. Nam verbis ſuprà adductis immediatè ſubiungit. *Vnde non habet poteſtatem præcipiendi aliquid ſuper occultis, niſi in quantum per aliqua indicia manifeſtentur, puta per infamiam, vel per aliquas ſuſpiciones; in quibus caſibus poteſt Prælatus præcipere eodem modo ſicut & iudex ſecularis, vel Eccleſiaſticus, poteſt exigere iuramentum de veritate dicenda.* Quid expreſſius? non ergo loquitur D. Thomas de denuntiatione facta ſuperiori tanquam patri, ſed tanquam iudici, & quæ ordinatur ad punitionem. Et eodem modo reſpondendum eſt ad alia iura, & nonnulla teſtimonia quæ adducit Lorca ex Baſilio & Auguſtino. Quando enim

32. D. Thom.

Digitized by Google

enim hi Patres commendant correctionem fraternam, intelligendi sunt si sit spes quòd illa sufficiat ad perfectam correctionem: vel tantùm volunt præmittendam esse ante denunciationem iudicialem.

33. Tertium argumentum est, quia ex nostra sententia sequitur, hunc ordinem corrigendi in statu religioso esse simpliciter meliorem: quod videtur absurdum; cùm Christus Dominus alium ordinem simpliciter præscripserit. Huic argumento rectè respondet Suarez cap. 10. num. 11. loquendo de communitate religiosa, verè & prudenter dici posse, non posse æquè benè gubernari, & conseruari, si omnes subditi persuadeantur, se non posse licitè denuntiare Prælatis lapsus fratrum, nisi tentando priùs illos emendare per secretam monitionem. nam in religioso statu habere tantùm curam priuatæ famæ fratris erga solum Prælatum, sine respectu ad maius bonum spirituale fratris, & sociorum, ac totius religionis, regulariter loquendo, non potest esse vtilius ad maiorem perfectionem.

34. Quartum denique argumentum est, quia fama subditi apud Prælatum magnifacienda est: ergo sine extrema necessitate non est prodigenda; subditus enim potius æstimat habere bonum nomen apud Prælatum, quàm apud cæteros, quia Prælatus plus potest ei nocere: ergo non satis est quòd correctio melius fieri possit per Prælatum, sed necesse est vt aliter fieri non possit. Respondetur primò cum Rodriguez suprà, magis ponderare bonum animæ, quàm bonum famæ. Respondetur secundò quando peccata sunt in præiudicium tertij, vel in perniciem communitatis, qualia sunt peccata grauia Religiosorum, bonum commune præferendum esse bono famæ priuati. Respondetur tertiò, infamiam quæ ex tali delatione sequitur Religioso, esse valde exiguam, si Prælatus sit qualis esse debet, & seruaturus secretum, & non diffamaturus subditum, vt supponimus: ac proinde propter maius spirituale commodum, illa perexigua infamia postponenda est, quæ facillimè apud Prælatum recuperatur, si frater velit se emendare, & sufficientia media ad non reincidendum adhibere.

35. Et ex his infertur, ex denuntiatione paterna, non posse Prælatum procedere iudicialiter, & delinquentem punire, vt tenent communiter Doctores; esset enim contra ius, peccatum secretò manifestatum ad correctionem per pœnitentiam euulgare. In delicto verò graui, præcipuè si probari potest; bene potest Prælatus procedere ad pœnitentiam aliquam secretam, quæ magis sit correctiua, & præseruatiua delicti, quàm punitiua, vt docet Sotus de tegen. secret. memb. 2. quæst. 4. Similiter poterit Prælatus subditum à loco, vel ministerio aliquo remouere, quando munus ex solo nutu superioris pendet, & potest fieri sine infamia illius; attentis prudenter omnibus circunstantiis. Similiter poterit superior cum suis consultoribus agere ea de re, quando id iudicatur necessarium ad remedium adhibendum, & coram illis aliquando monere & corrigere secretò ipsum delatum; quia in hac manifestatione vtilitatem spiritualem delinquentis respicit, vt tradit Turrian. disput. 89. dub. 4. Imò & designare subdito delinquenti socium fidelem, qui eius actiones exploret, & referat superiori, vt tradit Bannes 2. 2. quæst. 33. art. 3. dub. 1. Hoc enim spectat ad officium Prælati, qui tenetur vitam subditorum inquirere, quia eius curæ commissi sunt, & pro eis rationem est redditurus. Deinde si ei moraliter constet de delicto subditi, saltem per delationem vnius testis omni exceptione maioris, poterit grauiter subditum reprehendere, etiam coram duobus, vel tribus testibus, & pœnitentiam aliquam iniungere, & etiam sub excommunicatione ipso facto incurrenda præcipere, ne talem locum suspectum adeat, vel ne cum tali persona loquatur; hæc enim omnia, vt tradit Castrus Palao tract. 6. de charit. disput. 3. punct. 12. non excedunt paternam correctionem, & semiplena probatio delicti sufficiens est ad illa præstanda, vt etiam notauit Suarez de Relig. lib. 10. cap. 10. & 12. Deinde addit, si delictum sit in damnum communitatis, vel tertij, & via denuntiationis paternæ nequit ei remedium sufficiens adhiberi, posse Prælatum præcipere delatori vt relicta denuntiatione paterna ad iudicialem transeat: posse etiam creare fiscalem, qui denuntiatoris officium sumat, & facta per illum denuntiatione, examinate delatorem tanquam testem qui veritatem tenetur fateri, & facta hac testificatione procedere ad examinandum delinquentem, quod est valde notandum pro modo procedendi Prælatorum in delictis quæ vergunt in damnum & perniciem communitatis, vt ampliùs constabit ex dicendis sectione sequenti.

SECTIO IV.

An in aliquibus criminibus licitum sit immediatè deferre superiori vt iudici peccatum occultum fratris.

PRæmittendum est primò peccata esse in triplici differentia; quædam enim sunt, quæ solùm in damnum ipsius peccantis cedunt: qualia sunt illa, quæ solùm peccantem lædunt. v. g. peccata gulæ, iræ, superbiæ, &c. Alia verò sunt quæ in damnum tertij redundant, quia scilicet tertium lædunt; qualia sunt adulteria, homicidia, furta, &c. Alia denique, quæ in damnum, seu perniciem Reipublicæ, seu communitatis vergunt, vt proditio, hæresis, &c. quæ à Doctoribus appellantur crimina excepta. Et conueniunt primò Doctores loquendo de primo genere peccatorum, nimirum de his, quæ solùm sunt in damnum delinquentis, & nulli alij noxia sunt, quando sunt occulta, non posse denuntiari ante præmissam correctionem fraternam (loquor de denunciatione quæ fit Prælato tanquam iudici.) Difficultas ergo est, an in delictis omnino secretis, qualia sunt, quæ ab vno præter committentem sciuntur, sint iudicialiter denuncianda, si in damnum tertij, vel communitatis vergant. In qua dicendum est in his peccatis, & præcipuè quando sunt contra bonum commune, vt proditio, & hæresis, quæ est contra bonum fidei, & sollicitatio ad Venerem in confessione quæ est contra bonum Sacramenti, & idem est de aliis, quæ in edictis dominorum Inquisitorum apponuntur tanquam suspecta de hæresi, posse, & debere delinquentem Prælato, vt iudici denunciare ante vllam admonitionem fraternam, nisi certò ac firmiter quis credat, quòd per huiusmodi correctionem delinquens emendabitur. Regulariter verò loquendo, nunquam quempiam 36.

Digitized by Google

tam certum ac firmum esse posse de emendatione, vt non sit dubius contratij euentus; ac proinde tutiorem partem esse eligendam quæ præcipit denuntiari; ac proinde statim denunciandum esse vt bono communi prouideatur, maximè stante præcepto denuntiandi lato à iure, & ab Inquisitoribus, qui nolunt cuilibet particulari committere iudicium ferre, an per secretam correctionem delinquens possit emendari, vel sit emendatus; sed ipsi iudices esse volunt, quorum præcepto omnino parendum est, tam in peccato hæresis, quàm in aliis suspicionem hæresis habentibus, vt rectè Ioan. Sanchez in select. disp. 11. & plures alij.

37. Non tamen conuenit inter Doctores, quænam sunt delicta vergentia in damnum publicum; quidam enim annumerant plura peccata, alij verò pauciora. De qua re legendus est Sotus de tegendo secreto, membr. 2. quæst. 4. dub. 2. Nauarra lib. 2. de Restitut. cap. .. num. 50. & Recentiores communiter. Quod verò vertitur in dubium, est, an peccatum fornicationis apud Regulares, computandum sit inter crimina excepta, atque adeò absque præuia admonitione sit denuntiandum superiori tanquam iudici. Pro quo deinde obseruandum est cum Suarez in præsenti disput. 8. sect. 6. vt peccatum aliquod Religiosi iudicetur grauiter pernitiosum religioni, non esse necesse vt sit hæresis, aut proditio, sed satis esse, si ex illo graue scandalum oriatur ipsis Religiosis, vel si sit morale periculum, vt ex tali peccato grauis oriatur infamia corpori religionis. Cùm enim status religionis in perfectione ac dignitate secularium hominum statum longè superet, eo faciliùs Religiosorum sceleribus deturpatur; quo minora crimina ad eum commaculandum sufficiunt. Vnde fit, vt non solùm ex illis criminibus, quę apud seculare forum excepta sunt, commune Religionis bonum periclitetur, nimirum hæresi, proditione, homicidio, &c. Sed etiam ab his, quæ atrocia & grauiora in Religione reputantur, scilicet ex quibus graue scandalum oritur, siue apud seculares, siue apud Religiosos, & grauis infamia corpori Religionis.

38. Deinde obseruandum est, hoc peccatum, de quo loquimur, in duplici statu posse considerari: vno modo quando ita secretum & occultum est, vt nullus alius præterquam delinquens sciat, nec est aliquod probabile periculum, vt in aliorum notitiam veniat: altero modo quatenus est in via ad publicationem, ita vt probabile sit in aliorum notitiam peruenturum. Et pro parte negatiua citantur Bertus in praxi criminali, tit. de denuntiat. cap. 11. Rodriguez tom. 2. quæst. Regul. quæst. 5. art. 6. Sed certè alia fuit mens Rodrici, vt infrà ostendam.

39. Sit conclusio. Peccatum fornicationis inter Religiosos debet computari inter crimina excepta; atque adeò ante præmissam monitionem, quamuis sit occultum, debet denuntiari Prælato tanquam iudici, dummodo sit in via & periculo diuulgationis. Hæc conclusio videtur mihi certa. nam licèt pauci sint qui ex professo hanc quæstionem pertractent, nihilominus ferè omnes qui eam attingunt, in hac conclusione conueniunt. Eam defendit Alderete lib. 1. de tuenda disciplina cap. 5. dub. 4. num. 29. & 30. vbi citat D. Thom. in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 3. ad 2. & quodlibet. 11. art. 13. D. Antoninum 2. parte tit. 19. cap. 6. §. 6. Gabriel. in Can. Missæ lect. 74. lit. S. Summam Angelicam verbo Denunciatio. & Nauarr. cons. 2. de accusat. Idem tenent Miranda in ordine iudic. quæst. 11. art. 2. Ioseph. à sancta Maria tract. 1. cap. 3. Ximenez in declarat. Regulæ Minorit. cap. 10. quæs. 2. Aretinus in practica criminal. cap. 11. in additio. Valerius Carthusian. de differ. inter vtrumque forum, verbo Inquisitio, vbi ait: *Fornicationes in Religiosis vbi timeri potest publicatio, puto vergere in damnum totius religionis.* Valer. Carth. Cardinal. Turrecremata in cap. si peccauerit 2. quæst. 1. num. 29. ibi. *Considerandum est, vtrùm peccatum illud, sit infectiuum aliorum, sicut hæresis & fornicatio. Est sexta conclusio, quòd statim debet absque precedenti monitione denuntiari Prælato, vt prouideat gregi suo: oportet ergo in tali casu statim ad denuntiationem procedere.* Turrecr. vbi comparat peccatum fornicationis, peccato hæresis, quoad hoc quod est esse infectiuum, & etiam quoad delationem ante præmissam monitionem. Consonat Fagundez in præcepta Ecclesiæ, præcep. 2. lib. 4. cap. 4. sic inquiens. *Et verò Alderetus peccatum contra castitatem numerat inter peccata, quæ vergunt in damnum commune Religionis. Et meritò: quia impedit ministeria ipsius Religionis, cum fructu exercenda in proximos.* Fagundez. Idem tenet Hurtadus disput. 163. num. 103. ibi, *At quis erit tam demens, quin existimet fornicationem Religiosi vergere in commune damnum?* Hurtad. Nec dissentit Doctissimus Pater Suarez 4. de Relig. lib. 10. cap. 12. num. 5. vbi reprobat sententiam Angles quæst. de correct. art. 3. asserentis. In peccatis atrocibus & nimis grauibus & contagiosis, qualia sunt peccatum nefandum & sacrilegæ fornicationis in persona religiosa, via Inquisitionis posse procedi, & processum formari sine speciali infamia. Infrà verò num. 16. subiungit doctrinam valde notandam. *Si autem persona illa quæ manifestat Prælato alium delinquentem, velit sustinere munus accusatoris, & denuntiantis, tunc procedere quidem potest iudex ad interrogandum in particulari de tali persona: sed tunc iam non procedit via inquisitionis, sed via denunciationis, vel accusationis. Solet autem interdum quando persona, quæ rem manifestat iudici, aut Prælato, non vult sustinere munus denunciatoris, nec se offerre ad probandum si potest esse testis sufficiens, & omni exceptione maior, ad faciendam semiplenam probationem. Solet, inquam, creari à iudice fiscalis, qui causam promoueat, & munus accusatoris suscipiat, & priorem denunciatorem vt testem præsentet, vt ita fiat semiplena probatio, & possit procedi ad interrogationem rei, & aliorum testium; tunc autem iam relinquitur via inquisitionis, & fit transitus ad aliam accusationis.* Suarez. & concludit id quod attinet ad præsens institutum. *Hoc tamen non fit in omnibus criminibus, sed in his quæ contra commune bonum, aut contra Religionem, aut fidem vergunt.* Denique eamdem sententiam sequitur admodum R. P. Zacharias à Salutio, diffinitor Generalis nostræ Seraphicæ Religionis Capuccinorum, vir planè eruditissimus, & non vulgaris sanctitatis, vt eius præclara opera, & scripta testantur, in suo directorio iudiciali de criminibus exceptis, cap. 12. per totum.

40. Et ratione probatur, quia duobus modis potest aliquod peccatum tendere in perniciem publicam: vno modo, quia habet pro obiecto proximo bonum publicum, & quia ex genere suo est contagiosum, & infectiuum aliorum, & contaminat ipsam Rempublicam: altero modo respectu scandali quod inter laicos ex eo peccato oritur, & infamiæ, quæ in Religionem redundat, quoties in illorum

Digitized by Google

illotum notitiam venit. Vtroque autem modo peccatum hoc, de quo loquimur, tendit in perniciem religionis; est enim peccatum viscosum, quod multos passeres implicat. Est etiam valde contagiosum & infectiuum, vtpote quod in aliorum subuersionem tendit; qui enim hoc vitio obstrictus est, nititur plures corrumpere, & socios sui criminis habere, securos, ac fideles. Deinde est valde scandalosum, tum quia nullo alio vitio Religio redditur tam infamis, quæ prauorum peccatis arcetur ab exercendis spiritualibus ministeriis cum proximis, qui timent ne sibi inferantur damna, quæ audiunt in vicinorum domibus. Tum etiam, quia laici quæ intuentur in vno, suspicantur in cæteris, & toti Ordini detrahunt honorem, vt suprà retulimus ex D. Augustin. epistol. 137. Vnde tot Religiosi perfecti, ieiunantes, orantes, diuinas laudes die noctuque decanentes, corpora sua frequentibus castigationibus, cilitiis, disciplinis, in seruitutem spiritus redigentes, ob nimiam quam patiuntur verecundiam cum hæc peccata vulgantur, nec audent domo egredi, nec eleemosynas petere, & etiam nec faciem leuare. Itaque nullus prudens negari poterit, peccatum hoc esse contra bonum commune totius religionis: quando verò peccata vergunt in perniciem publicam, vel in damnum communitatis, omnes fatentur debere denunciari Prælato tanquam iudici ante præmissam monitionem: ergo idem & ob eamdem rationem necessariò fatendum est de hoc peccato, quando est periculum publicationis. Eo vel maximè, quia in hoc peccato, regulariter loquendo, parua, aut ferè nulla est spes emendationis per monitiones secretas. Tum etiam, quia ipse delinquens sua culpa liberè voluit inferre damnum toti Religioni, & sic iure & via defensionis, licitum est illud repellere per medium denuntiationis. Nec mutatio loci solet esse remedium; ignis enim hic non ita facilè extinguitur, sed illum secum portat quocumque vadat, & ferè semper ad id deseruit, vt qui vnum locum infecit, alia plura inficiat, & vt scandala multiplicentur, & infamia religionis accrescat.

41. Inquires, vnde dignoscetur peccatum hoc esse in via ad publicationem, quandoquidem tunc tenemur denuntiare. Respondetur, hoc pendere ex circunstantiis loci, & personarum. Valerius vbi suprà, tradit hanc regulam. *Quando hoc peccatum est adeò secretum, & cum tali persona, vt verisimiliter credatur nunquam detegi.* Notandum est hoc verbum *nunquam detegi*, quod certè esset mirabile; si enim omnia peccata deteguntur, si nihil est occultum quod non reueletur, quanto magis peccatum hoc: est enim ignis ex quo fumus semper egreditur; nec desunt qui notent ingressus & egressus in domo suspecta, vel ancilla, vel alia amica cui secretum hoc reueletur; quàm verò difficile sit mulieres seruare secretum, quis non videat? Ideo fortè peccatum hoc significatur à sancto Iob nomine sulphuris. *Aspergatur*, inquit, *in tabernaculo eius sulphur.* Quantumuis enim virgula sulphuri incendatur in cubiculo clauso & remoto, nescis vnde? per timulas, per aperturas, per foramina, egreditur odor pestiferus, nares omnium offendens. Sic contingit in hoc peccato; habet enim naturam sulphuris. Eamdem regulam tradit Alderetus suprà. *Tunc impendere morale periculum publicationis, vbi vnus, vel alter secularium, aut Religiosorum crimen resciret.*

Valer.

Iob 18.

Neque huic sententiæ contrariatur Rodriguez in ordine iudiciali cap. 3. num. 6. Quamuis enim doceat, peccatum hoc ex natura sua non tendere in perniciem Reipublicæ. Nihilominus subiungit nostram conclusionem, inquiens: *Esse ei prouidendum, perinde, ac si contra communitatem esset, si periculum publicationis immineat: atque adeò procurandum, ne ex eo in Religione infamia oriatur.* Rodrig.

43. Denique in hac re valde placet doctrina Patris Zachariæ suprà vbi ait, delinquentes in hoc peccato esse in duplici differentia: quidam qui fragilitate potius quàm peccandi libidine in hoc crimen incidunt, quos non captata, sed oblata occasio illis peccandi ansam præbuit. Quidam verò qui ex malitia peccantes diu in animo delictum versant, & vndique lapsus occasiones quærunt, ingrediuntur domos suspectas, præcedunt colloquia praua, literæ amatoriæ, donuscula, & alia id generis, & hos posteriores, vtpote peruersa peccandi libidine animo corruptos, & aliorum subuersores, ac corruptores, absque vlla præuia admonitione iudici denuntiandos esse censet; quia fraterna correctio, non tam illis prodesse, quàm obesse existimat; quia ea non meliores, sed peiores fiunt. Priores verò non statim denuntiandos esse, sed fraterna priùs admonitione corripiendos, eo quòd modus peccandi ea illis profutura satis persuadeat.

DISPVTATIO VII.

De bello, rixa, & duello.

SECTIO I.

Quid sit bellum, & an licitum sit.

1. BELLVM, vt nonnulli volunt, inter quos fuit Festus, dicitur à belluis, quia in illo imitantur homines pugnas bestiarum: vel, vt placet D. Hieronymo epist. 117. ad Fabiolam, dicitur per antiphrasim quasi nihil belli, vel pulchri habeat, sed potiùs grauissima mala secum trahat: sicut Parcæ dictæ sunt à Poëtis per antiphrasim, propterea quòd non parcerent. Vel denique deducitur à bello, & bono; quia ex fine bono & pulchro fit, qualis est propulsare iniuriam, & pacem obtinere. Et sumi potest pro voluntate nocendi vi & armis parti aduersæ; vel pro ipso conflictu & actuali congressione hostium, quæ dicitur pugna. Est autem bellum duplex, vel aggressiuum, vel defensiuum; quando enim propulsatur iniuria quæ moraliter est in fieri, bellum illud appellatur defensiuum: quando verò per bellum intenditur satisfactio iniuriæ illatæ, dicitur bellum aggressiuum.

2. Quòd verò bellum non solum defensiuum, sed etiam aggressiuum, non sit intrinsecè malum, vt volunt nonnulli hæretici, sed etiam licitum & honestum, si concurrant conditiones requisitæ, est de fide expressum in sacra Scriptura, tam in veteri, quàm in nouo Testamento. Sæpe enim iussit Deus bella fieri. Numer. 25. *Locutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ,* &c. & 1. Regum 15. *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius.* Singularem opem tulit præliantibus, imò & pro eis præliatus est Exod. 17. *Cùm leuasset manus Moyses, vincebat Israël.* Deuteron. 1. Num. 25. 1. Reg. 15.

Deuter. 1. ron. 1. *Pro vobis ipſe pugnauit.* 2. Paralip. 20. *Nec paueatis hanc multitudinem; non enim eſt veſtra pugna, ſed Dei.* Nonnunquam laudantur qui bella geſſerunt. Geneſ. 14. *Abrahæ reuertenti ex cæde Chodorlahomor dictum fuit: Benedictus Abraham Deo excelſo, qui creauit cœlum & terram, & benedictus Deus excelſus, quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt.* Ioann. Baptiſta Lucæ 3. rogatus à militibus quid ipſis eſſet agendum vt euadere poſſent à ventura ira, non reſpondit vt arma abiicerent, & militiam deſererent, vt rectè obſeruat Auguſt. lib. 22. contra Fauſtum, ſed potiùs ait illis: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris.* Actorum 10. Cornelius centurio dicitur, *vir religioſus, ac timens Deum*, cùm tamen actu militaret, ac caput eſſet militum: nec quando baptizatur & inſtruitur à D. Petro fit aliqua mentio deſerendæ, aut deſertæ militiæ: quæ tamen primò fuiſſet deſerenda, ſi Chriſtianis eſſet illicita. Et denique ad Hebr. 11. dicitur: *Sancti per fidem, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum.*

2 Paralip. 20. Luc. 3. Actor. 10. Hebr. 11.

3. Et quod attinet ad bellum defenſiuum, ipſamet ratio naturalis dictat, vnicuique iure naturæ licitum eſſe, vim ſibi iniuſtè illatam vi repellere: quod vt Reſpublica faciat, ſæpe eſt ei neceſſarium ſuſcipere bellum: aliàs boni omnes vbique ſubiecti eſſent violentiis iniquorum, & hi in illos omnia impunè poſſent; poſſetque vna gens ſibi vicinam bonis omnibus, liberis, vxoribus, &c. ſpoliare, neque liceret ei reſiſtere: quod eſt valde abſurdum. Si enim homo priuatus quando iniuſtè aggreditur ab alio, poteſt illum occidere, ſi non poſſit alia ſe ratione tueri. nam vim vi repellere omnia iura permittunt, quia ius propriæ defenſionis eſt naturale & neceſſarium: cur ergo cùm integer exercitus vrbem inuadit iniuſtè, non poteſt ex vrbe egredi exercitus, & exercitum iniuſtum adoriri, ſicut poteſt homo ſingularis ſingularem hominem? Et eadem ratione probatur, bellum aggreſſiuum licitum eſſe. nam cuilibet Reipublicæ conceſſum eſt, vt ſe incolumem ſeruet, & iniurias faciendas propulſet, ac iniuriatores frænet, & contineat: ad quod ſæpe neceſſarium eſt, iniurias acceptas vindicare, & punire: aliàs malefactores audaciores redderentur, multiplicarent crimina, & nouas iniurias, ſi ſemel illata iniuria, ſcirent nullam ſibi punitionem eſſe inferendam; ſicque nulla Reſpublica tuta eſſe poſſet.

4. Nec argumenta hæreticorum ſunt alicuius momenti. Primum ſumitur ex aliquibus locis ſacræ Scripturæ malè intellectis. Iſaiæ 2. de tempore legis gratiæ dicitur: *Conflabunt gladios ſuos in vomeres, & lanceas ſuas in falces: non leuabit gens contra gentem gladium, & non exercebuntur vltra ad prælium.* Idem habetur Michææ 4. & Matth. 5. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo, ſed ſi quis percuſſerit te in vna maxilla, præbe ei & alteram.* & ad Roman. 12. *Non vos defendentes chariſſimi, ſed date locum iræ.* Reſpondetur Eſaiam & Michæam apertè loqui de pace futura tempore aduentus Chriſti. In aliis verò locis ſolum prohiberi priuatim vindictam ſumere, non verò publica auctoritate, ſeruatis debitis circunſtantiis; illa enim verba diriguntur ad priuatas perſonas in ordine ad priuatas iniurias, non verò ad Principes, & perſonas publicas, qui ex officio tenentur vindicare iniurias. Illud verò: *Si quis te percuſſerit in vna maxilla, præbe illi & alteram*; non ſignificat alteram eſſe re ipſa præbendam, ſed nos debere animo eſſe paratos ad patienter quoque ferendam alteram, ſi quis rurſus percuſſerit, vt rectè explicat Auguſt. epiſt. 5. ad Marcellinum, exemplo Chriſti. *Tametſi,* inquit, *non prohibuit percutienti alteram partem, ſed potius prohibuit, ne qui fecerat, iniuriam augeret, dicens: Si malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, cur me cædis? Nihilominus paratus venerat non ſolùm in faciem percuti, ſed etiam pro his à quibus iſta patiebatur, crucifixus occidi; pro quibus ait in Cruce pendens: Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.*

Matth. 5. Rom. 12. Auguſt.

5. Iam explicandæ ſunt conditiones requiſitæ ad iuſtum bellum, quæ communiter reducuntur ad tres. Prima eſt legitima auctoritas. Secunda iuſta cauſa. Tertia debitus modus. Primò ergo requiritur legitima auctoritas, hæc autem ſolùm reſidet in Principe, vel Republica quæ non recognoſcit ſuperiorem. Quod intellige de bello aggreſſiuo. nam in purè defenſiuo diuerſa eſt ratio, cùm cuilibet à natura conceſſum ſit ius ſe defendendi, & iniurias propulſandi. In bello autem aggreſſiuo ſolùm habent hanc auctoritatem ſupremus Princeps, vel Reſpublica ſuperiorem non recognoſcens; cùm enim bellum interdum liceat iure naturæ, neceſſe eſt poteſtatem illud inducendi eſſe apud aliquem: quod verò hæc poteſtas reſideat apud Principes & Reſpublicas ſupremas, ex eo conſtat, quia poteſtas indicendi bellum, eſt poteſtas iuriſdictionis, cuius actus pertinet ad iuſtitiam vindicatiuam, quæ eſt maximè neceſſaria, tam in Principe, quàm in Republica, ad coërcendum malefactores, vt prædictum eſt: non enim reſidere poteſt talis poteſtas in Republica iniuriante, quia ipſa ſui ipſius vindex eſſe non poteſt: ergo neceſſariò debet reſidere in Republica iniuriata, cui ratione iniuriæ acceptæ ſubditur Reſpublica iniurians. Hinc fit Rempublicam non habentem ſupremam auctoritatem, & Principes qui habent ſuperiorem in temporalibus, non habere auctoritatem inferendi bellum propter illatam iniuriam; poſſunt enim petere ius à ſuperiore ſuo, quia quoad hoc ſe habent vt priuata perſona, quæ ob hanc cauſam indicere bellum non poteſt. Eſſet etiam talis belli indictio contra ius ſupremi Principis, cui hæc auctoritas & facultas, præcipuè competit. 1.

Secundò requiritur iuſta cauſa, ſiue iuſtus titulus bellandi; tot enim mala ſecum affert bellum, & ipſum comitantur, vt ſolùm ex cauſæ iuſtitia poſſint honeſtari: aliàs qui ſine cauſa iuſta bellum aggrederetur, non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam peccaret: ac proinde teneretur omnia damna reſtituere, vt per ſe eſt notum. Cauſa autem iuſta, ſiue iuſtus titulus ad bellandum, triplex aſſignatur à Doctoribus, nimirum iniuriam imminentem impedire, quod ad bellum defenſiuum pertinet: illatam reſarcire, & illam vindicare, quod ad bellum aggreſſiuum ſpectat; iniuria verò debet eſſe grauis, & damnis belli proportionata, eſſet enim contra rationem ob leuem iniuriam grauiſſima mala inferre. In ſpecie verò cauſas iuſtè inferendi bellum, rectè aſſignat Molina diſput. 104. & 105. Prima eſt iniuſta aggreſſio Reipublicæ. Secunda ad occupandum, ſeu recuperandum quæ Principi debentur. Tertia rebellio ſubditorum. Quarta notabilis aliqua iniuria illata Principi, aut ſuæ Reipublicæ. Quinta violatio fœderis initi magni alicuius momenti. Sexta contra eum, qui hoſti præſtat auxilium ad iniuſtũ bellum. Septima ſi negentur ea, quæ iure gentium omnibus licent, v.g. tranſitus neceſſarius per alienas terras, hic enim ſi abſq; cauſa iuſta negetur, præbet iuſtam 6

cauſam

Digitized by Google

causam bellandi. Ratio horum omnium est, quia bellum est actus iustitiæ quo bellans intendit ius suum illæsum seruare; ergo vt bellum iustum, & honestum sit, necessariò prærequirit vt alterius ius lædatur; læditur autem in casibus supradictis; ergo in omnibus illis licitum erit bellum.

7. Est tamen difficultas, an omnino debeat esse certa causa iusta belli, vt Princeps possit iustè illud inferre. Et conueniunt Doctores quando vnus ex Principibus, qui de Regno aliquo contendunt, est in legitima possessione, non posse ab altero à Regno deturbari, ex eo quòd existimet Regnum ad se pertinere, nisi simul valeat claris probationibus id conuincere; eo quòd in dubio melior est conditio possidentis, & ratione possessionis, quam iustè habet, efficacius ius tenet, quàm alius, qui possessione caret. Quod si probationes claræ sint, ipse tamen non vult acquiescere, tunc poterit alter debellare, quia potest præsumere procedere ex malitia, vel ignorantia, quæ illi præiudicare non debent.

8. Difficultas ergo procedit, quando neuter est in possessione, & vnus habet instrumenta, & scripturas probantia Regnum sibi competere, & id testibus quoque comprobat: alter verò Rex suas scripturas habet, & testibus similiter ius suum ad Regnum similiter probat. In hoc ergo euentu, Vazquez 1. 2. tom. 1. disp. 64. cap. 3. docet, in hoc euentu quando causa vtriusque Regis probabilis est, non posse vnum Principem alteri inferre bellum, etiam si sibi videatur probabilius suum ius: & reddit rationem, quia omnis controuersia quæ inter opiniones versatur, iudicio dirimenda est, non potentia & armis; hic enim est mos barbarorum; ergo ius Regni iudicio est examinandum. Deinde docet si aliquis eorum controuersiam habeat de comitatu, v. g. subdito alicui Regno, standum esse iudicio illius Regis sub cuius Regno Comitatus ille continetur, v. g. oritur controuersia inter Hispanum, & Gallum de aliquo Comitatu, vel vrbe, quæ subiecta est Imperatori, cuius vltimus possessor non habebat in illam ius supremum, quia hoc pertinet ad Imperatorem, tenentur hi Reges in eo tribunali causam agere, quia ad eum spectat dicere ius in ea causa. Deinde docet si controuersia sit de aliquo Regno nulli alteri subiecto, de cuius successione agitur, standum esse iudicio Regni, hoc est, eorum qui Rege emortuo habent ius regnum gubernandi. Quod confirmat, quia tempore S. Vincentij Ferrerij, ita factum est in Aragonia, vt testantur historiæ. Denique addit, quoties vnus ex Regibus prudenter habet suspectos iudices illius Regni, posse causæ diffinitionem in iudices arbitros reuocare, & alterum obligari ad acquiescendum huic iustæ petitioni, hoc enim ius quilibet habet, vt seruetur sibi iustitia. Quòd si alter Rex requisitus, nolit rem deferri ad iudicem, tunc ratione illius iniuriæ, æquum erit Regi requirenti spoliare alium à Regno. Sicut enim iudici integrum est applicare parti petenti, seu actori, rem, quando reus renuit ad iudicium venire, & ex eo quòd non comparet, pro conuicto iudicatur, nimirum ius suum infirmum esse: ita Rex nolens ad iudicium venire, meritò ab altero Rege iudicatur conuictus, & illius ius infirmum esse: quare potest sibi regnum applicare, cùm non habeat iudicem superiorem, qui hoc munus exequatur; hoc enim iure naturæ ei concessum est, & Principem manere sine remedio contra iniuriam illatam esset contra rationem. Vazquium sequuntur plures Recentiores, & hæc sententia videtur valde probabilis.

9. Sed non minus probabilis est opposita sententia, nimirum Regem non teneri ad expectandam regni sententiam, sed posse eum stare suo iudicio. Ita Molina disp. 100. §. 59. Suarez disp. 13. sect. 6. num. 6. quia Rex habet in regno dominium supremum, ac proinde non subiicitur regno in disceptatione; caput enim nō tenetur subiici cæteris membris. Et confirmatur, quia Rex in aperto iure non tenetur expectare regni sententiam; ergo neque in iure probabili. Patet consequentia, quia ideo potest in aperto iure, quia ipse est dominus supremus: sed iure probabili est etiam dominus supremus, in sua prudenti æstimatione; ergo potest prudenter se gerere vt dominus supremus, & consequenter præstare licitè illud quod iudicat probabile.

10. Nec obstat quod arguit Vazquez, ex hac sententia sequi tunc fore bellum iustum ex vtraque parte, & consequenter circa eamdem rem, posse vtrimque dari iustum titulum bellandi; quod secluſa ignorantia non videtur possibile, quia nulla virtus potest habere actus sibi contrarios, aliàs secum pugnaret, & bonum bono contradiceret; ergo iustitia quæ vni præbet iustum titulum possidendi regnum, & oppugnandi in eo existentes, non potest tribuere iustum titulum oppugnatis ei contradicendi: & iustitia vindicatiua quæ vni præbet ius puniendi delinquentes, nequit tribuere ius delinquentibus resistendi punitioni. Respondetur cum Sancio in select. disp 44. num. 60. Regem oppugnantem opinione probabili ductum, esse iustum oppugnatorem, non absolutè, & omnibus modis iustum, sed probabiliter tantùm, adeò vt dicatur oppugnator iustus probabiliter, & non absolutè iustus oppugnator: aduersùs tamen oppugnatorem iustum probabiliter poterit dari iustus defensor, qui reputat quoque probabiliter se habere ius: nec ob id dicimus à parte rei iustè oppugnare & iniustè; & alium iustè defendere, & iniustè; sed solùm secundùm assensus opinatiuos contrarios. nam à parte rei & coram Deo, aut iustus oppugnator est, aut iniustus, & non vtrumque simul. Nec semper debellare est actus iustitiæ punitiuæ, sed aliquando est etiam actus iustitiæ acquisitiuæ iuris proprij, seu est actus iustitiæ commutatiuæ rem propriam acquirentis.

11. Tertia verò sententia quæ mihi magis probatur, est ipsius Suarij sect. 6. num. 6. Posse supremum Principem, si bona fide procedat, expendere ius suum per prudentes & doctos viros, quorum iudicium si per illud sibi constat, de iure suo sequi potest; sicque non teneri stare aliorum iudicio, & reddit rationem, quia de hoc iure ita iudicandum est sicut de iusta lite; in recto autem iudicio duo intenduntur: vnum est examen causæ, & cognitio iuris vtriusque partis, cui negotio necessaria non est iurisdictio, sed scientia potius & prudentia, hæc autem necesse non est vt arbitris committatur. Alterum verò est executio iuris iam patefacti, ad quam requiritur iurisdictio; hanc verò per se habet supremus Princeps, quando aliàs sibi constat satis de iure: quare non est cur tunc teneatur expectare alterius arbitrium. ita rectè Suarez vbi suprà.

12. Illud autem obseruant ferè communiter Doctores, quocumque tempore offeratur Principi æqualis omnino satisfactio, non posse iustè vlteriùs in bello procedere, quia ab eo tempore cessat

Digitized by Google

ius inferendi bellum; cùm enim bellum non voluntate, sed sola necessitate suscipiatur, oblata omnino debita satisfactione, ac condigna, iam tunc cessat necessitas bellandi: quod verum est, etiam si bellum sit inchoatum.

13. Quam verò probabilitatem de iustitia belli debeat habere miles, vt possit ac teneatur militare. Respondeo si sit subditus Regis, non tenetur inquirere de iustitia belli antequam militet, sed si habet dubium negatiuum, hoc est, si nulla specialis ratio de iniustitia belli ei repræsentatur, potest auctoritate sui Principis militare: imò tenetur si præcepto cogatur nulla facta inquisitione, quia bellum indictum à Principe supremo, præsumi debet iustum, vt rectè Suarez num.9. Si verò subditus non sit, certum est non teneri obedire, nec militare; potest tamen bellare eodem modo ac subditus, si nulla specialis ratio de iniustitia belli ei occurrat: licitum enim est vnicuique alterum iuuare in re quæ præsumitur iusta, præcipuè cùm non leue emolumentum inde capiat. Quando autem oritur dubium positiuum, quia causis apprehensis non potest ferri iudicium practicum de iustitia belli, tunc tam subiecti, quàm externi tenentur ab armis abstinere, donec deposito dubio, forment dictamen practicum sibi licere pugnare. Denique quando causa est iniusta, nulli licet militare, nec aliis Principibus opem ferre, nec pecunias, nec arma, nec milites dare. Quæ doctrina cùm vera sit, & apud omnes certa, ergo non video quomodo possint excusari Princeps, vel Respublicæ auxiliantes Holandos, nec milites in hoc bello contra Hispanos pugnantes. Sunt enim Holandi rebelles tam Deo, quàm suo Principi naturali, quos non tributorum impositio, vt ipsi confingunt, sed hæretica perfidia à suo legitimo Principe disiunxit. Sæpe enim eis oblata sunt moderatissima tributa, & nihilominus non acceptant, sed persistunt in sua perfidia rebelles Deo & hominibus: quomodo ergo possunt tuta conscientia iuuari? Nec apud Deum rectum iudicem qui verus scrutator est cordium, erunt alicuius momenti, quidam prætextus, & excusationes friuolæ, quas sæpiùs audimus, ne videlicet Hispanus sit potentior; hæc enim est Machiauelli ratio: bellum enim suscipi non potest nisi ad repellendam vim, & ad satisfactionem iniuriæ illatæ: quòd verò Rex Hispaniæ sit legitimus dominus Holandorum, nulli infert iniuriam, nulli vim, cùm sit legitimus hæres.

14. Tertiò requiritur ad iustum bellum, modus debitus, hoc est, vt in eo debitus modus seruetur, tam in initio belli, quàm in prosecutione illius ante partam victoriam; & etiam post victoriam partam, & quidem ante initium belli tenetur Princeps examinare iustam causam illius, & parti aduersæ eam proponere, ac petere satisfactionem condignam, quam si pars aduersa offerat, tenetur Princeps acceptare, & à bello desistere. Quòd si compensationem debitam nolit facere, tunc iustè poterit bellum inchoare. Post inchoatum bellum toto tempore ante partam victoriam licitum est Principi, & ex eius mandato Ducibus, & militibus, inferre hostibus omnia illa mala, quæ vel ad satisfactionem, vel ad comparandam victoriam necessaria iudicabuntur. Post partam denique victoriam licitum erit inferre omnia illa mala vsque ad plenam satisfactionem, & Reipublicæ tranquillitatem, nimirum ad reparationem acceptæ iniuriæ, ad illius vindicationem, ad pacem & securitatem firmandam, vt communiter docent Doctores.

15. Hinc infertur, tam in ipso pugnæ congressu, quàm post victoriam partam, licitè posse occidi omnes nocentes ac rebelles, si eorum mors necessaria iudicetur ad vindicandam iniuriam, & securitatem, & pacem in posterum stabiliendam, nisi fortè sub promissione vitæ se dederint; tunc enim pactum seruandum est. Si verò nocentes multi sint, quamuis spectato iustitiæ rigore possent omnes occidi, nihilominus omnes non sunt morte afficiendi, nisi vrgente grauissima causa, quia hoc redolet maximam crudelitatem. Præsumuntur verò nocentes omnes qui possunt arma sumere, exceptis peregrinis, & hospitibus; hi enim non numerantur inter hostes, nisi socij sint belli.

16. Innocentes autem, quales iure naturali sunt pueri & mulieres, dummodo de mulieribus contrarium non constet, & quales etiam iure positiuo sunt Ecclesiastici, Monachi, & Religiosi, dum arma sumpsisse non constet, directè & per se occidi non possunt. Fundamentum enim belli est iniuria; hanc autem innocens nulli infert. Per accidens verò & præter intentionem ante partam victoriam possunt occidi, si hostium ciuitas non possit aliter oppugnari, nec victoria consequi. Sæpe enim innocentes ita immixti sunt nocentibus, vt nequeant hi expugnari & vinci, nisi cum occisione innocentium, vt contingit in incendiis ciuitatum in euersione artium, qui enim habet ius ad finem belli, habet etiam ius ad media, quod, vt dixi, intelligendum est ante partam victoriam. nam post illam, nullo modo interficere innocentes.

17. Similiter licitum est in bello hostes libertate priuare, & in seruitutem redigere, quoties in recompensationem iniuriæ factæ fuerit necessarium, vel in satisfactionem damnorum quæ victor passus est. Excipiuntur verò Christiani capti ab aliis Christianis, & eorum filij; quamuis possint aliquantulum detineri, dum pecunia aliqua in præmium capientium mittitur, quo priuilegio non gaudent Christiani apostatæ à fide: cùm enim in fauorem fidei introductum sit, non debet prodesse iis qui fidem abiurarunt, gaudent tamen illo hæretici, qui aliquo modo Christum confitentur.

18. Quod verò attinet ad bona hostium, si immobilia sint, certum est non esse capientium, sed debere Principi applicari; omnia, inquam, illa quæ necessaria sunt ad reparationem iniuriæ acceptæ, vindicationem illius, & securitatem in posterum. Bona verò mobilia in actuali conflictu capta sunt ipsorum capientium, nec computari debent in partem satisfactionis rei pro qua bellum geritur, vt hac ratione milites ad pugnam excitentur, & animosiores fiant. Excipiuntur autem ab hac regula bona Ecclesiæ, & Ecclesiasticorum innocentium, quæ ob delictum ciuitatis occupari non possunt. Per accidens verò tam Ecclesia, quàm bona eius possunt diripi & deuastari, si hoc fuerit necessarium ad finem belli consequendum. Sicut etiam possunt hostes ex Ecclesia extrahi, & in illa occidi, quando ipsi Ecclesia abusi sunt, tanquam arce, vel castro, ad repugnandum. nam in hoc euentu amittunt priuilegium immunitatis. Limita nisi Ecclesiam munierint præcisè ad defensionem Ecclesiasticorum, & aliorum innocentum. Quando verò ciuitas militibus datur in prædam, tenentur summi Duces militibus præcipere, ne aliquid iniustum faciant, videlicet ne occidant innocentes, quando id necessarium non

est:

Digitized by Google

est ad victoriam obtinendam; neque committant adulteria, nec stupra, violando Virgines, nec aliquid faciant contra sacra templa.

19. Dubitant verò primò Doctores, an quando bellum est iustum, liceat Christiano Principi vocare infideles in auxilium suum, & conueniunt, per se & formaliter loquendo, hoc non esse illicitum; bene tamen ex accidenti aliquando poterit esse, propter scandala quæ inde oriuntur in christiana Religione: & quia Infideles sæpè plura faciunt, ex quibus maxima solent inferri fidelibus detrimenta, & quia hoc modo infideles maiores vires acquirunt contra Ecclesiam Dei. Absolutè tamen licet Christiano Principi auxilium ferre Principi infideli contra alium infidelem, quando bellum est iustum; in hoc enim nulla apparet deordinatio.

Præterea dubitant, an illi, qui obsides dati sunt, possint occidi quando qui obsides dederunt, non implent pollicitationem, sed certum est interfici non posse, quando ipsi innocentes sunt, nisi aliàs essent nocentes, & illorum culpa digna morte.

20. Tertiò dubitant, quibus sit licitum militare, & conueniunt Doctores, in bello iusto posse omnes pugnare, & adiuuare, nisi ei sit specialiter prohibitum, cùm exerceant actionem honestam. Iure verò positiuo omnibus clericis in maioribus ordinibus constitutis prohibitum est bellum, 23. quæst. 8. Per quod non prohibetur, clericos interesse bellis iustis, vt spiritualiter subueniant militibus, & religiosè excitent & hortentur ad bene viuendum, ad fortiter pugnandum, & ad victoriam obtinendam. Excipiuntur aliqui casus in quibus tam clericis, quàm Religiosis licitum est pugnare, videlicet quando id esset necessarium ad conseruandam propriam vitam, vel ad defensionem Reipublicæ; in hoc enim euentu non solùm possunt pugnare, sed etiam ad id tenentur; nec in hoc casu incurrunt irregularitatem si aliquem occidant, vt docet Molina disp. 109. contra Nauar. in summa, cap. 27. num. 21. Sicut enim irregularitas non incurritur propter defensionem propriæ vitæ, ita multo minus pro defensione Reipublicæ simpliciter necessaria. Nec obstat stilus curiæ Romanæ, vbi irregularis iudicatur Clericus, qui occidit aliquem in defensione Reipublicæ. Nam sæpè solet postulari dispensatio ad maiorem securitatem, & propter opinionem magis tutam.

21. Restat specialiùs explicare peccata, quæ in bello tam Principes, quàm Duces, & milites solent committere; & in primis Princeps qui iniustum bellum aggreditur, peccat contra iustitiam, & tenetur restituere omnia damna inde secuta. Et eodem modo peccat si stipendia militibus debita suis temporibus non concedat, atque adeò tenetur resarcire omnia damna quæ milites pressi necessitate patiuntur, & aliis inferunt. Deinde Duces peccant contra iustitiam, dum non contentis suis stipendiis, exigunt maiora stipendia à Principe, quàm sit numerus militum quos habent, vt aliqua sibi reseruent; & plura stipendia accipiant, & sibi retineant, in quo præter peccatum furti, nimirum quòd ea à Principe iniustè subripiunt, grauissimorum damnorum sunt causa. nam Princeps credens tot milites adesse, non procurat alios submittere, ob quam causam non solùm non reportat victoriam, quam verè reportaret, sed sæpè ciuitas ab inimicis occupatur, vel milites grauiter cæduntur, & alia innumera mala inde oriuntur. Præterea peccant contra iustitiam, & tenentur ad restitutionem, cùm pretium aliquod accipiunt ab oppidanis alicuius oppidi, ne apud illos diuersentur: cùm enim oppidis valde sit molestum milites hospitij gratia recipere, solent oppidani diuertenti iam Duci occurrere in via, & pretium aliquod offerre, vt apud alios hospitetur, ad quod Dux ius non habet; solùm enim potest in oppido in quo est, exigere ea, quæ secundùm patriæ consuetudinem debentur. Alij verò Duces transeuntes cum suis militibus, solent tenere loca vicina suspensa, nec manifestant quò sint diuersuri, vt sic vnusquisque oppidus accedat, & certam quantitatem soluat, ne illuc milites transeant: qua ratione populus apud quem diuertit exercitus, grauatur iniustè, sicut etiam ab aliis iniustè accipitur illa summa, & licèt Ducibus concessa sit electio vnius populi præ alio, non tamen conceditur, hanc electionem venalem facere, & sibi pretium retinere. Milites denique tenentur seruare illud Lucæ 3. *Neminem concutiatis, & contenti estote stipendiis vestris.* Luc. 3. Quare non possunt ab hospitibus accipere præter id quod à Rege constitutum est, aliàs peccant contra iustitiam, & tenentur restituere, & idem est si faciant alia damna per domos, agros, &c. Item si petant à ministro qui hospitia militibus distribuit, tres, vel quatuor schedulas pro diuersis domibus, vt hac ratione à dominis illorum domorum pretium aliquod vel pecuniam extrahant, vt ab onere hospitij liberentur; cùm tamen ipsi hospitium in alia domo habeant, in quo euentu tam ipsi, quàm minister qui schedulas dedit, tenentur ad restitutionem. Præterea peccant si stationem, & pugnam deserant, quamuis adsit euidens mortis periculum, ob id enim stipendia accipiunt, & ob bonum commune ad id se obligarunt, quod eo magis seruare tenentur, quo maius fuerit periculum, vel inopia militum. Denique peccant castra deserendo sine Principis, aut Ducis supremi facultate, quia sub hac obligatione sunt conducti. Vnde non parum Reipublicæ & Principi damnum prouenit, qui tot sumptus fecit milites sustentando, & asportando absque vlla vtilitate; quare peccant mortaliter, & contra iustitiam. Limita nisi miles aliquibus annis suo officio satisfecerit; tunc enim æquum est ex rationabili causa, vt ei licentia discedendi concedatur, quia, vt rectè Molina, hoc viam aperit, vt alij se militiæ dedicent.

SECTIO II.

Quid sit rixa, quidve duellum, & an hoc licitum sit.

22. RIxa differt à seditione, & duello; quia seditio est bellum vnius partis Reipublicæ aduersùs aliam, vel aduersùs suum Principem. Rixa verò ex D. Thoma quæst. 41. art. 1. est mutua inter duos, paucosve percussio, orta ex ira; & oritur sæpe ex contentione, ob quam contendentes sæpe veniunt ad manus, quia in eis excitatur bilis quæ se ad manus diffundit. Denique duellum requirit peculiares conditiones, quæ ad rixam necessariæ non sunt. Est ergo rixa ex genere suo peccatum mortale ad minus ex parte inuadentis, nisi leuitas materiæ excuset, vt quando rixa committitur pugnis inter pueros, fœminas, & homines abiectos sine periculo, & voluntate inferendi graue damnum: secus est inter viros honestos, in quibus rixari pugnis erit peccatum mortale. Dixi, *ex parte inuadentis.*

dentiæ. nam ex parte alterius aliquando poterit esse sine peccato, si eam non potest fugere sine graui damno & incommodo; nunquam tamen licet prætergredi metas inculpatæ tutelæ.

23. Denique duellum propriè est pugna inter duos ex condicto suscepta; hoc est designando arma, tempus, & locum. Quare quando duo sibi occurrentes, aut simul consistentes, casu aliquo, oborta occasione, subitò inter se pugnant, non est propriè duellum, nec incurrunt pœnas in duellantes statutas. Duellum autem aliquando suscipitur cum certa solemnitate, datis fideiussoribus, & adhibitis sponsoribus, seu patrinis, qua ratione appellatur solemne, seu publicum. Quod si fiat sine his cæremoniis, dicitur à Græcis Monomachia, id est, singulare certamen, vulgo *de fafio*. Dicitur autem singulare, non quòd inter duos solos fiat, sed quia priuata auctoritate initur. Vnde ad duellum necessariò requiritur, vt pugna sit ex pacto præterito, siue ex deliberatione, per quam condictus sit locus. Si enim pugnent non ex pacto præcedenti, sed ex accidentali aliqua occasione, iã non est duellum, sed rixa, vt prædictum est. v. g. duo inimici nihil pacti de pugna se offendunt in agro, in via, vel in foro, & tunc alter alteri pugnam offert, quam ille acceptat in eodem loco, non condicentes alium locum, illa quidem est rixa, & non duellum. nam ad duellum necessariò requiritur locus condictus à duellatoribus. Nec est necesse, vt in indiuiduo locus certus assignetur; sufficit enim si ita paciscantur: Pugnemus mutuo vbicumque nos inuenerimus; iam enim ex tunc pugna est deliberata, & reiecta ad aliud tempus, & locus condictus vrbs, ager, forum, aut regio, vbicumque scilicet se inuenerint.

24. An verò duellum aliquando licitum sit, pendet ex causa ob quam duellum suscipitur. Si enim nulla sit legitima causa, semper est illicitum, & intrinsecè malum; quia vterque se exponit periculo mortis, & ex alia parte non habet rationem defensionis. Plures autem causæ occurrere possunt ad duellum, de quibus dubitari potest an sint legitimæ.

Primò quidem duellum fieri potest eo animo, vt Deus illo medio ostendat veritatem, & sumat vltionem de aliquo asserente falsum, & quidem eo fine initum, vt Deus illo medio ostendat veritatem, est grauissimum peccatum mortale, quia hoc est tentare Deum, sicut tentaretur per indicia aquæ feruentis, vel ferri candentis; esset enim petere miraculum, vt ostenderetur veritas, quod non licet, & ratio à priori est, quia est contra rationem vt ad veritatem aliquam manifestandam, sumatur tanquam medium, quod non est medium: imò quòd posset conuerti in damnum veritatis, & confirmationem mendacij; cùm possit accidere, vt qui defendit veritatem, succumbat in certamine; & qui mendacium sequitur, victor euadat.

25. Secundo modo duellum fieri potest, ad ostendendas vires proprias, & dexteritatem in armis, quod fieri solet inter equites descendentes in arenam ad singulare certamen; & tunc si hoc fine fiat, est etiam peccatum mortale. Hoc enim modo peccauit Goliath prouocans Israëlem ad singulare certamen: Dauid autem non peccauit illud admittens, quia id præstitit peculiari instinctu Spiritus sancti, cùm non descenderit ad illam arenam ad ostendendas proprias vires, sed vt Deo obediret, & eius causam defenderet, & ratio est aperta ex doctrina nuper allata. nam temerarium est, & contra rectam rationem, ad solam virium ostensionem, offerre se periculo mortis, contra virtutem fortitudinis.

Tertio modo potest suscipi duellum, vt quis defendat suum honorem, quem existimat lædi grauiter, si oblatum duellum non acceptet, eo quòd ab omnibus habendus sit ignauus, hoc est, *vn cobarde, o vn Gallina*. Et hac etiam ratione conueniunt omnes esse peccatum mortale acceptare duellum, quamuis in assignanda ratione non conueniant. Eaque mihi videtur efficacior, & quam tradit Ægidius disp. 32. dub. 2. Quia occisio alterius quando non fit iuridicè, & legitima auctoritate, est omnino illicita, nisi quando est necessaria, vt nos & nostra tueamur contra iniustum inuasorem, nobis, vel rebus nostris vim inferentem: sed in dicto casu prouocans non inuadit vitam, nec alias res prouocati vim inferendo; quia prouocans nullam infert vim corpori prouocati, aut bonis eius, siue diuitiis, vt constat: nec etiam eius famæ, aut honori, quia hoc debet fieri per detractionem, aut contumeliam quas prouocans non adhibet, sed solùm aliquid facit, quo alter ne peccet necessitatur recusare duellum, ob quam recusationem in animis adstantium per accidens, & ex horum malitia minuitur æstimatio prouocati; ergo hic illicitè vult illum occidere, vel exponere se tali periculo, prout facit acceptando, & demum committendo duellum. Dices, quia quamuis prouocare ad certamen semper sit illicitum, non tamen acceptare; quia in casu de quo loquimur, habet rationem defensionis honoris; tunc enim non acceptare esset fugere, ad quod nullus nobilis tenetur. Respondetur negando consequentiam. nam fugere est deserere locum in quo aliquis est, & terga vertere ne feriatur, ad quod vir nobilis non tenetur cùm iniustè inuaditur: at non acceptare, est nolle ire in locum conditum: & bene potest quis non deserere locum quem tenet, & nolle in agrum exire. Nec honor pendet ab acceptatione, quia nullus potest honor amitti ex obedientia legi Dei & Ecclesiæ; maximè cùm tam graues pœnæ & infames, sint decretæ in duellatores. Quare si quis ostendat se recusare certamen, non ex timore prouocantis, sed ex timore grauitatis peccati, & pœnarum, nullum honorem amittit. Maximè, quia, vt rectè Hurtadus disp. 170. sect. 10. num. 91. licitè potest dicere, gladium pugno apprehendens; Ego hoc ense me defendam à te vbicumque me petieris, quod hîc si me aggressus fueris præstabo; exire autem in locum condictum, non est hominis Christiani obedientis legi Dei & Ecclesiæ. 26.

Quartò potest quis alterum ad duellum prouocare, vel illud ab alio indictum acceptare, ad defendendam propriam vitam, vel ob defensionem bonorum temporalium magni momenti. v. g. Quando quis videt se iniustè in iudicio accusari, & moraliter certò præuidet ob iniquitatem iudicis & accusatoris, se fore ad mortem damnandum, vel ad amissionem bonorum temporalium magni momenti, an possit accusatorem prouocare in singulare certamen, vel illud ab eo indictum acceptare, vt ita possit defendere suam vitam, honorem, & bona temporalia, aliàs peritura. Et prima sententia est negans, quam tenent Abulensis 1. Regum 17. quæst. vltima, Salon. 2. 2. quæst. 64. art. 3. contr. 3. Quorum fundamentum est, quia si id esset licitum, ideo esset, quia in tali casu accusator, & calumniator verè inuadit innocentem, quamuis non proprio gladio; gladio tamen iudicis: & cùm 27.

possit

Digitized by Google

possit inuasus innocens se tueri medio aliquo, videtur sic calumniatus: saltem in duello posse occidere inuasorem conantem expoliare eum vita, vel honore: hæc autem ratio est nullius momenti, nam ex ea sequitur primò, vt si quis ignorantia inuincibili bona fide alium falsò intenderet accusare, vel accusaret, posse accusatum prouocare illum in duellum, & ibi eum occidere: quod est falsum. Sequela probatur. nam in hoc etiam casu, accusator hic inuadit accusatum, inuasus autem potest occidere inuadentem, etiamsi id fiat ex ignorantia inculpabili. Secundò, quia si Dominus mittat seruum vt me aggrediatur & occidat, ego quidem seruum illum possum occidere, si non possum me aliter defendere, non autem dominum, licèt verè & actu dominus sit qui me vult occidere gladio serui sui; ergo similiter licèt ille calumniator velit me occidere, & inuadat gladio iudicis, ego non possum illum aggredi. Hæc tamen ratio non est efficax. nam si ego non possum aliter defendere meam vitam, nisi priùs occidam dominum conantem meam mortem per suum seruum, qui vbi dominus morte affectus fuerit, cessabit inquirere me ad occidendum, licitè possum impedire inuasionem futuram per occisionem domini illam imperantis; præsertim quando iudicarem periclitari euidenter meam vitam, vbi expectauero inuasionem actualem serui; & ratio est, quia radix inuasionis, & cur mea vita adducatur in discrimen euidens, est dominus præcipiens: ex alia verò parte ego iudico auulsa radice seruandam esse meam vitam, & aliàs radice permanente adducendam esse in periculum euidens, si expectetur seruus; ergo inclinat natura hîc, & nunc cum prædictis circunstantiis, vt euellam radicem, indeque conseruem meam vitam, quando aliter illam conseruare non possem.

28. Quare opposita sententia est probabilior, quam sequuntur Nauarrus cap. 11. num. 39. & cap. 15. num. 9. & Nauarr. lib. 2. de Restit. cap. 3. dub. 13. num. 189. Sanchez lib. 2. Decalog. cap. 39. Ratio huius est, quia hoc, verè & propriè loquendo, non est duellum, sed licita & iusta defensio, quam ius naturale in rebus magni momenti concedit. nam in re ipsa nihil differt velle me occidere proprio gladio, an alieno, nempe iudicis falsis criminationibus. Et confirmatur, quia in hoc casu qui duellum acceptat, vel inuitat ad illud, non inuitat ad malum, sed ad minus malum; quia non eligit periculum mortis absolutè, sed certum periculum mortis, infamiæ, aut amissionis bonorum, commutat in periculum dubium, & incertum.

29. Simile dubium exagitari solet quando iniquus iudex, ei qui falsis criminationibus accusatur, dicat se eum pro conuicto habiturum, & ad mortem damnaturum, nisi duellum suscipiat, vel acceptet. Castrus Palao defendit partem negantem, quam probat. nam in hoc casu is cui à iudice duellum offertur, vel est dignus condemnatione secundùm allegata & probata, vel non: si primum, quamuis nullam ei irroget iniuriam iudex condemnationem debitam in duellum commutans, irrogat tamen grauem iniuriam accusatori, cum quo duellum inire debet, cùm absque causa legitima probata permittat illum manifesto vitæ periculo exponi: & quamuis accusator in illud periculum liberè consentiat, etiamsi iudex ei iniurioſus non sit, est tamen Reipublicæ cuius administrationem gerit, cùm absque causa legitima periculo vitæ permittat exponi sibi subditum. Si verò dignus non est condemnatione, qui est casus de quo loquimur, & nihilominus iudex vult eum condemnare, & loco condemnationis offert duellum, adhuc censet Castrus, non posse illud acceptare, nisi fortè ille cum quo duellum ineundum est, sit dignus condemnatione, & in duellum eius condemnatio commutetur.

30. Oppositam sententiam tenent Doctores suprà relati, quia in illo euentu videtur habere ius, vt aduersùs iudicis iniuriam, & iniquam sententiam se defendat, mutans certam mortis sententiam in dubium duelli; maximè, quia in eo casu magis se ipsum, quàm alium diligere potest: quare potest tuta conscientia huiusmodi innocens acceptare, & prouocare ad duellum, non solùm in causa criminali vitæ, sed etiam famæ, vel honoris, cùm honor & fama æquè ac vita æstimetur; & in causa bonorum temporalium magni momenti, non quidem ea praua intentione, qua duellum sibi offertur à iudice, sed intentione se defendendi.

31. Denique tunc duellum licitum est, quando bellum iustum resoluitur in duellum duorum, vel trium, vel aliquorum, quia in eo euentu duellum succedit loco belli. Ita communiter Doctores: quare Princeps bellum iustum gerens, quando videt se viribus imparem esse ad bellum committendum, & timet ne in pleno bello succumbat, sperat autem si duello res committatur, victoriam obtenturum, potest acceptare duellum, & ad illud prouocare inito pacto, vt belli alea certamini paucorum ex vtraque parte committatur; hac enim ratione vitantur plures cædes, & plura damna vtrimque contingentia in bello, & omnia reducuntur ad paucos: si enim bellum iustum est, etiam tunc licitum erit duellum, quod tunc est pars illius: tota enim ratio ob quam duellum prohibetur, est, ne iustitia innocentis pereat; hæc autem magis potest perire in pleno bello, quàm in duello. Similiter licitum est Principi indicere, vel acceptare duellum ad debilitandos hostium animos, & roborandos proprios milites, quando id videt esse sibi ad bellum necessarium ob rationem adductam; quia duellum est pars duelli, & ad victoriam consequendam sæpe conueniens: quare ex eisdem conditionibus, quibus honestatur bellum, ipsum etiam duellum honestatur.

32. Obseruandum tamen valde est, duellantes absque legitima causa incurrere in pœnas latas à Trident. sess. 25. cap. 19. vbi primò excommunicat omnes Imperatores, Reges, Duces, & Dominos, qui in suis terris, vel ciuitatibus facultatem faciunt duelli, & non solùm excommunicat eos lata sententia, sed etiam priuat dominio eorum locorum, in quibus vel permittitur, vel fit duellum. Secundò eodem modo excommunicat patrinos, & priuat etiam omnibus bonis, & perpetuæ infamiæ nota inurit. Tertiò excommunicat ipsos pugnantes, & priuat omnibus bonis, & perpetuæ infamiæ pœnam infligit; & in pugna occisos priuat Ecclesiastica sepultura. Item excommunicat omnes spectatores, ac etiam omnes qui consilium, vel auxilium dederunt ad duellum. Quæ pœnæ confirmatæ sunt ab aliis Summis Pontificibus. Circa quas illud aduertendum est, excommunicationem esse ipso facto, vt constat ex illis verbis, *eo ipso sint excommunicati*. Et quamuis nulli reseruetur ex vi Concilij, tamen à Gregorio XIII. Pio IV. & Clem. VIII. est Pontifici reseruata; quilibet tamen confessarius electus per Bullam Cruciatæ, poterit ab ea absoluere semel in vita, & semel in articulo mortis.

Imò

Digitized by Google

Imò Bonacina tom. 3. disp. 11. quæst. 3. punct. 49. Gaspar Hurtado de peccatis, disp. 29. diff. 30. expressè affirmant Religiosos virtute suorum priuilegiorum concedentium casus Papæ extra Italiam, posse absoluere ab excommunicatione ob duellum incursa. Aliæ verò omnes pœnæ præter pœnam excommunicationis & interdicti, requirunt sententiam iudicis, vt incurrantur.

DISPVTATIO VIII.

De Scandalo.

SECTIO I.

Quid sit Scandalum, & quotuplex.

1. SCANDALVM, vt colligitur ex D. Hieronymo super illa verba Matth. 15. *Scis, quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt*; est quidquid in via obiectum est in quod quis possit pede impingere. Item ipsa offensio pedis, atque ruina, & casus dicitur scandalum, quatenus hæc omnia solent esse effectus alicuius offendiculi. Hinc à Theologis quidquid in hac vita qua ad patriam pergimus, ita fit, aut dicitur ab aliquo, vt sit in altero occasio ruinæ spiritualis, scandalum appellatur, & communiter diffinitur à Theologis cum D. Thom. quæst. 43. art. 3. *Scandalum est dictum, vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ.* Dicitur *dictum, vel factum*, quia, vt rectè Adrianus quodlib. 1. art. 1. scandalum solùm potest consistere in actibus externis, & coram aliis factis, tanquam obex, nimirum in via obiectus: aliàs nequeunt aliis esse occasionem ruinæ, sub quibus etiam intelligitur omissio alicuius operis præcepti. Dicitur verò *minus rectum*, vel quia in se malum est, vel quia habet speciem mali.

Matth. 15.

D. Thom.

2. Deinde scandalum duplex est: aliud generale; speciale aliud. Scandalum speciale dicitur in quo per se intenditur & directè, ruina proximi. Generale verò quod est per accidens ruina proximi. Præterea tam scandalum generale, quàm speciale est duplex: alterum actiuum, passiuum alterum. Actiuum est quod iam diffiniuimus. Passiuum verò dicitur, scandalum eius qui scandalizatur: quod potest oriri, vel ex scandalo actiuo, in quo casu scandalum passiuum coniungitur cum actiuo ex quo nascitur: vel oriri potest ex opere bono alterius non habente speciem mali, qua ratione erit scandalum passiuum tantùm, & dicitur scandalum acceptum, sed non datum; quia non præbetur occasio, sed sumitur. Denique scandalum passiuum tantùm adhuc est triplex. nam vel oritur ex malitia; vel ex infirmitate, seu fragilitate; vel ex ignorantia, v. g. ex opere bono alterius potest quis sumere occasionem ruinæ; vel malitia sua, quia opus illud interpretatur in malam partem, & malitia, & prauitate sua inducitur ad peccandum; & hoc appellatur scandalum Pharisæorum, vel potest sumere occasionem ex ignorantia. nam quamuis opus bonum sit, nihilominus qui illud videt, ignorat esse bonum, & ea ignorantia inducitur; vel denique potest sumere occasionem ex opere aliàs licito sua infirmitate & fragilitate, qua inducitur ad peccandum, & dicitur scandalum pusillorum. Quod amplius hoc exemplo illustratur, ex ornatu mulieris licito, prauus labitur ex malitia; ignorans ex ignorantia; fragilis ex fragilitate.

Loquendo verò de scandalo actiuo, difficultas est satis controuersa inter Recentiores, an ad speciale peccatum scandali requiratur, vt qui alterum scandalizat expressè & directè, intendat eius ruinam. An verò sufficiat suo dicto, vel facto alteri occasionem ruinæ præbere, licèt non habeat intentionem expressam, & directam præbendi occasionem ruinæ. Pro cuius maiori intelligentia obseruandum est, dupliciter posse quempiam ruinam proximi intendere, vno modo directè intendendo ruinam illius, quatenus malum, & ruina illius est; & hac ratione Dæmones casus nostros intendunt. Alio modo potest intendere ruinam proximi indirectè, hoc est, intendendo actionem ex qua præuidet proximum casurum; nullo tamen modo id expressè intendendo, sed solùm interpretatiuè, quatenus vult facere id, ex quo videt alterum sumpturum occasionem peccandi. Et conueniunt Doctores, quemlibet inducentem alterum ad peccandum quouis modo ex his duobus prædictis, teneri in confessione id expressè, & directè exprimere. Quare qui consulit proximo aliquod peccatum, peccat eadem specie peccati, qua ipse proximus peccat, & qui suo prauo exemplo alium ad peccandum prouocat, similiter peccat illa specie peccati, qua peccat is, cui prauum exemplum præbuit, & contrahit specialem malitiam in confessione manifestandam, item qui peccat publicè coram multis, contrahit malitiam generalem scandali etiam in confessione exprimendam, quia suo prauo exemplo mouet ad malum. nam quamuis per accidens possit contingere vt nullus ex illo moueatur; per se tamen est vt aliqui moueantur. Vnde qui suo prauo consilio, vel exemplo mouet alterum ad aliquod peccatum, v. g. ad furtum, & simul cum illo furatur, duo peccata committit necessariò in confessione distinctè exprimenda, videlicet & se furatum esse, & alium ad furtum induxisse, quod re vera secutum fuit. Idem est de eo, qui inducit fœminam ad fornicandum, quia manifestata copula non manifestatur inductio; est enim diuersum peccatum. In viris autem existimo id non esse necessarium, quia subintelligitur dum contrarium non exprimitur, quia regulariter vir inducit. Si verò fœmina virum induxerit, opus erit vtrumque explicare; non enim subintelligitur, quia fœminæ regulariter non inducunt viros.

3.

Restat ergo difficultas, an ad speciale peccatum scandali requiratur directè intendere ruinam, vel mortem spiritualem proximi, an verò satis sit consilium, seu inductio indirecta, modo suprà explicato. Quæ difficultas, vt rectè obseruat Ægidius disp. 32. dub. 5. magis est speculatiua, quàm practica, & quidem posse esse speciale peccatum scandali sine expressa intentione ruinæ proximi, defendit idem Ægidius num. 45. Nauarrus in Manuali, cap. 6. num. 19. & Suarez in præsenti, disp. 10. sect. 2.

4.

Opposita sententia, nimirum non contrahi malitiam scandali particularis, nisi quando expressè, per se, & directè intenditur proximi ruina, videtur probabilior, quam tuentur Vasquez 1. 2. disp. 102. cap. 4. Sanchez lib. 1. Decalog. cap. 6. Turrian. in præsenti, & alij plures, quorum sententia mihi probatur, & fundamentum à priori est, quia sicut sunt aliquæ virtutes quæ in voluntate consummantur, quæ requirunt speciale motiuum, v. g. charitas, obedientia, misericordia: non enim est actus charitatis

5.

Digitized by

charitatis nisi fiat ex motiuo huius virtutis; neque actus formalis obedientiæ exercetur, nisi obediatur superiori, quia ipse præcipit: ita eodem modo philosophandum est de actibus contrariis his virtutibus: non enim est peccatum contra charitatem, seu misericordiam, nisi sit contra formale obiectum harum virtutum, nec est inobedientia formalis quoties quis præcepta superioris transgreditur: aliàs omnia peccata essent inobedientiæ formales, sed tunc solùm quando transgreditur præceptum ex intentione transgrediendi, seu contradicendi superioris mandato: ita similiter non peccatur contra beneficentiam, & misericordiam formaliter, quando peccatum proximi intenditur, nisi etiam intendatur quatenus ruina, & malum illius est; hoc enim modo, & non aliter, misericordiæ, seu charitati formaliter opponitur.

6. Deinde probatur, quia ex opposita sententia sequeretur, eum qui alicui suaderet homicidium, (& idem est de furto) grauius peccare, quàm qui hominem occideret. Sequela est manifesta, quia peccaret contra iustitiam, quæ ipsa persuasione committitur: item contra charitatem, quæ debetur proximo, cui consulimus peccatum: homicidium verò, vel furtum ab ipso factum, esset solùm contra iustitiam: at peccatum contra iustitiam simul & charitatem, grauius est, quàm contra solam iustitiam, vt per se liquet: quod planè videtur esse contra communem sensum. Præterea, quia ex duplici capite scandalum est peculiare peccatum, aut ratione peccati quod est scandalum passiuum; aut ratione ruinæ spiritualis quam patitur scandalizatus: ex nullo autem capite accipitur particularis malitia scandali, quia scandalum passiuum non est vnum specie, sed multiplex; atque adeò non pertinet ad vnum vitium, sed ad plura: cùm ergo scandalum actiuum sit in eadem specie cum passiuo, & passiuum non sit in vno vitio particulari, ita nec actiuum. De ruina speciali idem probatur, quia illa non prohibetur aliqua virtute particulari: ergo neque constituit particulare vitium; non enim est contra iustitiam, quia scienti & volenti non fit iniuria; neque contra charitatem proximo debitam, quia nolumus illam ruinam, quia malum proximi est, & ex eius displicentia, nec contra correctionem fraternam, quia obiectum formale huius virtutis est emendatio proximi. Sicut enim qui exemplo suo mouet alium ad opus virtutis, non exercet correctionem fraternam; ita neque peccat contra hanc virtutem qui facto suo mouet alios ad peccandum. Denique, quia peccatum ob ruinam propriam non habet specialem malitiam contra charitatem propriam. nam propria ruina est circunstantia communis omnium peccatorum, quæ propterea non potest esse contra virtutem aliquam specialem; ergo eodem modo philosophandum est de scandalo. v. g. inducere aliquem ad peccatum furti, tantùm esse peccatum furti. nam ex ruina alterius indirectè volita, non habet peculiarem speciem; quia talis ruina est circunstantia generalis cuiuslibet peccati, ad quod inducitur proximus; eo enim ipso quòd inducitur ad peccatum homicidij, furti, &c. inducitur ad ruinam, sicut ad inobedientiam generalem.

7. Obiicit primò Suarez disp. 10. sect. 1. quia Scriptura & Patres, non minus reprehendunt sic operantes tanquam scandalosos, quàm consulentes, vel inducentes directè; ergo omnes peccant eadem specie peccati. Respondetur negando consequentiam, rectè verò à Patribus reprehendi scandalum illud quo quis verbo, vel exemplo inducit alium ad peccandum in qualibet materia, quia hoc est intrinsecè malum, & peccatum. Non verò disputant Patres, an præter peccatum illud quod est in illa materia, sit peculiaris alia ratio malitiæ distinctæ.

8. Obiicit secundò, quia actio non re, sed specie tantùm mala contrahit malitiam scandali per voluntarium indirectum; ergo multo magis actio re vera mala: sicut enim actus in apparentia tantùm malus, contrahit ex ruina proximi cuius est causa, illam malitiam; ita actus de se malus contrahet augmentum malitiæ simile. nam si circunstantia illa potest actum de indifferenti facere malum, à fortiori poterit de eodem malo facere peiorem in eodem genere malitiæ. Respondetur, nos non negare quamlibet actionem siue sit in re, siue in specie tantùm mala contrahere nouam malitiam in confessione necessariò manifestandam, nimirum peccati illius ad quod inducit. Sed quod negamus est, malitiam illam, quam contrahit, esse specialissimam illam malitiam scandali contrariam charitati; hæc enim nunquam contrahitur, nisi expressè, & directè ruina proximi intendatur.

9. Denique obiicies, quia cùm charitas nos obliget, vt quantum commodè possumus impediamus peccatum proximi, multo magis nos obligat, ne sponte demus ei occasionem peccandi, sed non impediendo peccatum proximi, cùm facile possumus, peccamus speciali peccato contra charitatem; ergo eodem modo peccamus dando ei sponte occasionem peccandi. Respondetur, antecedens esse verum loquendo de peccato omissionis; potest enim esse peccatum contra misericordiam seu charitatem, si quacumque ratione omittatur actus debitus voluntariè, siue directè, siue indirectè, quia est ibi peculiaris malitia contra charitatem, seu misericordiam proximo debitam: at peccatum commissionis in materia, de qua loquimur, esse non potest, si quis indirectè tantùm velit ruinam spiritualem; quia non habet peculiarem oppositionem cum virtute aliqua peculiari, sed sortitur rationem generalem circunstantiæ, vt manet prædictum.

10. Illud autem est valdè animaduertendum, hoc scandalum nunquam contingere nisi ruina spiritualis proximi succedat, vel probabiliter timeatur successura, loquor de scandalo, seu ruina alterius indirectè volita. Nam qui directè vult proximum cadere, vel ad id suadet, etiamsi ille firmus perseueret, proculdubio commisit peccatum scandali. Vnde fit plures coram aliis peccantes, excusari à peccato scandali, vel quia virtuosi sunt quod non timent lapsus; nec peccatis aliorum mouentur, nec immutantur delinquentium exemplo, vel quia sunt vitiosi, & adeò deperditi, quòd inde non inducantur ad peccandum, sed ipsi sint parati delinquere etiam illo genere peccati, quo alium peccare intuentur, vt rectè obseruat Sancius in select. disp. 46. num. 11. ex quo infert fornicantem, aut vineam ingredientem causa furandi vuas coram eis, qui ad furandum, vel fornicandum ita parati erant, vel coram viris adeò probis, vt neutri ad id incitentur, non peccare aliquo scandali peccato, neque eam circunstantiam teneri in confessione fateri. Inde tamen non inferas eum qui in die Veneris coram aliis carnes comedit, nó debere

censeri scandalum dare; quia ex illa actione potius excitatur in videntibus horror & detestatio, seu admiratio conscientiæ, tam deperditæ, quàm propositum carnes comedendi. Item nec Religiosum frequentantem domum mulieris suspectæ non debere censeri aliis Religiosis scandalum dare, quia non mouentur inde ad peccatum, sed potiùs ad detestandam illam libertatem. Non, inquam, id inferas, quia quando quis publicè, & absque circumspectione peccat, tenetur eã circunstantiam scandali fateri ratione periculi cui se exponit, incitando alios suo prauo exemplo; rarò enim contingit, ex suprà dictis actionibus, non præberi videntibus occasionem alicuius ruinæ spiritualis.

Sectio II.

An opus consilij, vel præcepti omitti debeat ad vitandum scandalum.

11. COuarru. regul. peccatum, part. 1. num. 4. existimat, quòd quamuis propter scandalum passiuum nunquam sint omittenda præcepta iuris naturalis, bene tamen præcepta iuris positiui. Nihilominus sit prima conclusio: nullum præceptum etiam iuris positiui, omittendum est propter vitandum scandalum passiuum. Vnde quoties quis opere aliquo præceptum adimplet, siue sit legis naturalis, siue positiuæ, non dicitur præbere occasionem ruinæ, nec illi imputatur peccatum, siue alius peccet ex scandalo malitiæ, vel ignorantiæ, vel fragilitatis: ac proinde non tenetur, nec potest omittere actum illum, vt vitetur scandalum passiuum alterius. Ita Vazq. opusc. de scandalo, quæst. 43. art. 7. dub. 1. Ponce lib. 5. de matrim. cap. 18. §. 2. & probatur primò ex cap. *Qui scandalizauerit*, de regul. iuris, ibi. *Vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* quod desumptum fuit ex D. Gregorio homil. 7. in Ezech. & Beda in cap. 9. Marci. Secundò probatur ex Innocent. III. cap. 2. de renuntiatione, vbi ait: *Tu saltem pro vitando tam graui scandalo proximorum, ab huiusmodi tibi etiam prohibitis non cessasti, cùm Scriptura testimonio debueras didicisse, quòd illa opera quæ sine peccato mortali omitti non possunt, non sunt pro vitando scandalo omittenda: nec committenda quæ sine peccato mortali committi non possunt.* Ratio verò à priori desumitur ex diffinitione scandali: *Dictum, vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ*; sed adimpletio præcepti, neque est mala, neque habet speciem mali; ergo non censetur scandalum dare qui præceptum sibi impositum adimplet; & consequenter tunc non est scandalum datum, sed acceptum, quale fuit scandalum Pharisæorum. Et certè si alius, qui est meus inimicus, omittat sacrum, eo quòd ego accedo ad audiendum illud, non teneor nec possum licitè sacrum omittere vt alter sacrum audiat; ergo ad vitandum scandalum nunquã sunt omittẽda præcepta. Quare fœmina quæ scit se turpiter ab aliquo amari, non tenetur sacrum omittere die festo, quia adimplendo præceptum non censetur præbere occasionem peccandi, quamuis alius inde sua malitia occasionem accipiat; tunc enim scandalum est tantùm acceptum, non verò datum.

Innocent.

12. Obiicies primò. Quia præceptum naturale strictius & fortius obligat, quàm positiuum; sed præceptum vitandi scandalum est naturale; ergo propter illud dimittenda sunt omnia præcepta iuris positiui. Respondetur, vitare scandalum passiuum non esse in præcepto naturali absolutè, aut quomodocumque, sed sub quibusdam circunstantiis; & præcipuam esse vt nobis interim non occurrat aliquod præceptum etiam positiuum: quia etiam consilia, vt postea dicemus, non sunt omittẽda propter passiuum scandalum ortum ex malitia alterius; hæc enim nobis nocere non debet, vt propter illam omittamus opera consilij. nam præceptum quod nobis impositum est, de proximo nostro est quasi secundariè cuiusdam obligationis; prius enim quis debet curã gerere de propria salute, quàm de aliena. Itaque quando dicitur, præceptum positiuum non debere postponi præcepto vitandi scandalum passiuum proximi, non præfertur præceptum positiuum præcepto naturali, tanquã illud sit strictius & fortius, sed quod asserimus, est occurrẽte præcepto positiuo, cessare circunstantiam necessariam de vitando scãdalo, etiamsi hoc præceptũ naturale sit.

13. Obiicies secundò, quia vita spiritualis proximi longè excellentior est, quàm vita corporalis: sed ad tuendam vitam corporalem illius omitti debet obseruatio præcepti positiui, v. g. audiendi sacrum; ergo etiam ad conseruandam vitam spiritualem ipsius. Respondetur esse diuersam rationem. nam qui scandalizatur, patitur damnum sciẽs & volens, ac proinde recta ratio non postulat, vt quis omittat præceptum sibi primariò impositum ob vitandum scandalum secundariæ obligationis. At innocens inuitus patitur damnum vitæ corporalis, atque ita recta ratio expostulat, vt pro defensione illius omittatur præceptum positiuum audiendi sacrum. Dices, quia si aliquis vellet se ipsum corporaliter occidere, tunc omittendum esset præceptum audiendi sacrum, vt mortem illius impediremus; ergo quamuis quis sciens, & prudẽs velit se occidere spiritualiter per peccatum, idem faciendum est. Respondetur negando consequentiã, quia ad conseruandam vitam temporalem alterius obligamur virtute misericordiæ, quæ primò, & per se obligat: quæ obligatio cùm fortior, & strictior sit, obligatione audiendi sacrum, ideo eius obseruantia præferenda est; impedire verò peccatum alterius, & eius vitam spiritualem conseruare, nullus tenetur primò, & per se, sed secundariò; ac proinde non tenetur ob eam causam obseruantiam præceptorum omittere; neque id est medium proportionatum, vt peccatum proximi impediatur. Quod adeò verum existimo, vt nunquam liceat peccatum adhuc veniale committere, v. g. mentiri etiam leuiter, ad euitandum scandalum. nam nunquam est medium conueniens ad hoc, etiam cuiuscumque leuis peccati perpetratio.

14. Secunda conclusio, quotiescumque opus est bonum, nec habet speciem mali, est tamen mihi vtile spiritualiter, aut temporaliter, etiamsi non sit in præcepto; si alter sua malitia sumat ex eo opere occasionem peccandi, nõ teneor dimittere opus illud, ad vitandum peccatum alterius, nec præbeo illi occasionem peccandi. Si verò scandalum passiuum oriatur ex ignorantia, vel fragilitate illius, tunc omittendum est opus consilij, aut differendum: aliàs censebitur quis eo opere præbere occasionem scandali. Prior pars constat exemplo Christi Domini, qui scandalum Pharisæorum non curauit, dicens Matth. 15. *Sinite illos quia cæci sunt, & ducet cæcorum.* Et ratio à priori est, quia non est æquum vt malitiæ alterius, cum damno nostro occurramus, nec id expostulat recta ratio. Posterior pars similiter est manifesta, quia rationi consonum videtur, & id charitas expostulat, vt aliquid condonetur

Mat.

Digitized by Google

netur ignorantiæ & fragilitati fratris; atque adeò vt opus quod non est in præcepto relinquatur, donec succurratur eius ignorantiæ, aut infirmitati, qua ratione accipienda sunt illa verba Pauli
1.Cor.8. 1.Corinth.8. *Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* vbi Chrysostomus:
Chrysost. *Si quid etiam eorum quibus vesci licet, offendit, ab illis quoque abstinebo, neque vno, aut altero die, sed toto tempore vitæ meæ.* Admonendus tamen est frater qui ex ignorantia scandalizatur: si verò post admonitionem adhuc perseueret ignorantia, non est desistendum ab opere bono, quia iam tunc ignorantia transit in malitiam.

15. Obiicies, quia opus consilij aliquando omittendum est propter correctionem fratris: si enim quis per correctionem potest impedire peccatum alterius, tenetur omittere sacrum quod non est in præcepto, vt illum corripiat; ergo similiter tenetur omittere opus consilij ne scandalizetur, etiam si scandalum futurum sit ex malitia. Patet consequentia, quia quamuis peccatum futurum esset ex malitia, adhuc propter correctionem omittendum esset opus consilij. Huic obiectioni respondet Vazquez suprà num. 24. esse diuersam rationem. nam de corripiendo fratre extat præceptum misericordiæ, qua tenetur quis impedire fratris peccatum. At de remouendo scandalo passiuo ex opere bono accepta solùm oritur obligatio ex illa virtute, circa quam frater peccaturus est. v. g. castitatis, si ex aspectu fœminæ peccatum oriretur, cui scandalo succurrendum est, auferendo opus bonum, ex quo ille sua malitia sumpsit occasionem, ad quod quidem nulla extat obligatio, nec ad id constringit charitas. Cuius rei rectè Sancius in select. disp. 32. num. 10. discrimen assignat, quia virtutes quæ sunt ad alterum vt iustitia, & misericordia, habent primariam obligationem benefaciendi proximo; vel impediendi illius malum. Virtutes verò quæ sunt in ordine ad se, & respiciunt moderantiam propriarum passionum, habent primariam obligationem exequendi virtutem in se, siue impediendi malum in se; secundariò verò impediendi malum proximo: cùm ergo misericordia sit virtus in ordine ad alterum, & primaria illius obligatio sit damnum proximo vitare, inde fit illam obligationem implendam fore, cum proprio damno, orto scilicet ex non auditione facti. At vt quis teneatur secundariam obligationem implere, non est æquum vt constringatur cum proprio damno, maximè si frater cuius damnum esset impediendum, ex malitia sit peccaturus. Ex quibus

16. Infertur primò. Fœminam non teneri domi manere propter scandalum futurum alterius sua malitia, sed posse exire, vel ad audiendum Sacrum, etiamsi non sit in die eræcepti, vel etiam honestæ recreationis gratia. Si verò scandalum futurum esset, non ex malitia, sed ex infirmitate, vel ignorantia teneturnon exire: quod intelligendum est semel, vel iterum. nam lex charitatis suadet vitare scandalum fratris ortum ex infirmitate, cum modico damno. At semper domi se continere non tenebitur, quia cum magno detrimento suo nemo obligatur proximi damnum vitare. Quæ doctrina intelligenda est de fœmina illa, quæ neque in ornatu, neque in motibus, habet aliquid quod præseferat speciem mali. nam si opus illud haberet speciem mali, esset scandalum actiuum, quod nunquam licet. Neque ornatus habet speciem mali quantumuis illustris, si sit iuxta consuetudinem aliarum fœminarum quæ honestæ sunt, vt rectè obseruat Turrian. disp.96. dub.2. Durum enim esset priuare fœminam libertate propria, & iure quod habet egrediendi à domo, standi ad ostium, vel fenestram, inuisendi vicinas, vel amicas, ob malitiam adolescentis eam turpiter amantis. Quòd si nulla necessitate, vel vtilitate, sed solùm vanitate ducta aspectu viri eam turpiter amantis se offerret, proculdubio peccaret mortaliter; quia quilibet ex charitate tenetur frattis ruinam vitare, si commodè potest, & ita tenent expressè Vazquez suprà dub.2. num.27. & Sanchez lib.1. Decalog. cap.6. num.17.

Infertur secundò vendentem, seu subministrantem rem indifferentem, hoc est, quæ communiter in bonum vsum ordinatur, ei qui ex illa sumit occasionem peccandi, non peccare peccato scandali, quoties non constat ei de abusu petentis. Si verò credat proximum malè ea vsurum, tenetur, si commodè potest, eam illi non vendere, nec subministrare. Ita Suarez disp. 10. sect.4. Rationem prioris partis reddit, quia venditor non intendit peccatum alterius, nec facit opus ex quo per se sequatur, & aliàs ignorat alterum id velle ad malum vsum; quare tenetur præsumere velle ad bonum. nam iuxta regulam iuris, *In dubiis vnusquisque præsumitur bonus.* Posterior pars etiam constat, quia vnusquisque tenetur ex charitate vitare peccatum proximi, si commodè potest; etsi sit in præiudicium tertij non tantùm ex charitate, sed etiam ex iustitia, quæ obligat ne præbeamus instrumenta aliis ad inferendam proximo iniuriam, quia hoc esset moraliter cooperari iniuriis. Dixi, si commodè potest. nam si absque suo detrimento non potest ab eorum venditione, vel subministratione cessare, non peccat subministrando; quia in tantum peccare potest, in quantum media illa venditione, vel subministratione censetur esse causa peccati alterius; siquidem subministratio ex se mala non est. Quando verò talis subministratio est ei vtilis, vel necessaria, non censetur esse causa peccati alterius, sed potiùs vti iure suo, & libertate, & illud permittere. Si verò vendat res quæ communiter in malum vsum destinantur, vel semper, vel occasione temporis, v. g. venenum, non potest illud vendere nisi his, de quibus constet vel præsumatur, illud non velle ad malum vsum: quod ex qualitate personarum, & aliis circunstantiis, colligendum est. 17.

Tertiò infertur, peccare lethaliter qui facit, vel petit aliquid ab eo, qui paratus erat ad illud faciendum, seu ad peccandum, quando opus est ex se malum, siue iure naturali, siue positiuo; vt si corpus à fœmina petat, homicidium à grassatore, quia cùm res sit ex se mala, semper offertur aliqua materia ex qua hìc & nunc paratus, occasionem peccandi desumit. Similiter peccat qui administrat cœnam, aliàs non ieiunaturo, vt rectè Castrus Palao disp.6. punct.9. Quia si ille alibi non esset soluturus ieiunium, & quis nulla causa intercedente cœnam subministraret, proculdubio peccaret, quia aliquo modo concurrit ad peccatum alterius: sed quòd alibi proximus soluturus sit ieiunium, non immutat concursum illius, qui in subministratione cœnæ consistit; ergo eodem modo concurrit. Quamuis oppositum satis probabile sit, vt tenet Lessius lib.4. de Iust. cap.2. dub.4. Quia illa actio de se mala non est, sed tantùm, quia mouet, & adiuuat in mala operatione, quod non contingit quando ipse operans, eodem modo malè operaturus 18.

raturus esset, seclusis, vel positis actionibus subministrantis.

19. Denique infertur, plures excusari à mortali facientes, vel subministrantes opus indifferens cum iusta causa, vt iure suo vtantur. v. g. Qui domos locant vsurariis etiam publicis, dummodo alienigeni non sint, iuxta prohibitionem cap. 1. de vsuris, in 6. & locantes domos meretricibus ad habitandum, etiamsi aliis commodè locare possint, vtuntur enim iure suo, nec censentur cooperari peccato illarum, cùm locus se habeat extrinsecè, & nimis remotè ad peccandum. Similiter Christiani capti à Turcis nauigantes metu mortis contra nostros, vel præparantes necessaria ad bellum, aut auxilium ferentes ad munienda castra. nam præstant opus ex se indifferens ex iusta, & sufficienti causa, nimirum vitandæ mortis, vel grauis nocumenti. Denique famulus concomitans herum dum ad meretrices accedit, si ab huiusmodi concomitatu desistere nequit absque graui detrimento, vtitur enim iure suo, faciens opus ex se indifferens, modò vt non placeat eis peccatum, cùm etiam faciant obsequia, v. g. cibos condire, mensæ ministrare, lectum concubinæ sternere, ianuam domus illi aperire, deferre munuscula, & internuntia, vel domino ascendere volenti per fenestram, pedem illius sustinere, scalam apponere, &c. licèt enim aliqua ex his obsequiis videantur valde coniuncta peccato, non tamen sunt suapte natura & ex se peccatum; ac proinde seiungi possunt à peccato per finem diuersum: quare non tenetur famulus ab his abstinere cum tanto incommodo, vt à domino expellatur è domo, penuriam patiatur, vel alia grauia incommoda sustineat.

Et ex prædictis possunt solui plura alia dubia 20.
quæ spectant ad peculiares materias, de quibus hoc loco nonnulli recentiores disputant, & nos remittimus ad sua propria loca, ne longiùs Tractatus hic diffundatur.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS XVIII.

DE RESTITVTIONE.

DISPVTATIO I.

De Restitutione in communi.

SECTIO I.

Quid sit Restitutio, & cuius virtutis actus.

1. RESTITVTIO, vt sumitur ex D.Thom.q.62.art.1. est actus statuendi iterum aliquem in dominium rei suę, vel sub dominio alterius à quo ablata est : quare in hunc modum potest diffiniri. *Restitutio est redditio, siue recompensatio iustitiæ, ad æqualitatem iuris, seu rei ad rem, qua alius per iniuriam caruit.* Dicitur *redditio iustitiæ*, per quod restitutio differt essentialiter à simplici donatione, vel ea, quæ fit ex gratitudine animi pro beneficio accepto : hæc enim fiunt gratis, & non ex debito. Restitutio autem fit ex debito & obligatione ; non enim restituitur nisi debitum, siue alienum : quod est obseruandum propter eos, qui gratis donationibus putant se satisfacere debitis & laboribus suorum ; in quo tamen decipiuntur. Dicitur, *ad æqualitatem iuris, seu rei ad rem*, vt intelligatur quòd talis æqualitas pertinet ad iustitiam commutatiuam, vt si ius habeas ad mille, totidem tibi restituantur, & nihil minus. Dicitur, *qua alius per iniuriam caruit*, quia cùm restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, debet esse circa alium, quare eiusdem ad se ipsum non potest esse iniustitia, quia nemo potest pati iniustum volens. Ex quo

2. Infertur primò, redditionẽ alicuius rei alienæ ab alio ablatæ, esse propriè restitutionem ; ablatæ, inquam, siue licitè, siue iniuria : licitè, per commodatum, per mutuum, per precariũ, per depositum, &c. *Commodatũ* est, quando non transfertur dominium, sed eadem numero res redditur. v.g. quando commodatur pallium, vel alia res similis. *Mutuum* dicitur, quando transfertur dominium rei mutuatæ ; neque eadem numero est reddẽda ex obligatione. v.g. pecunia quæ mutuo datur alicui. *Precarium* differt à commodato, quia redditur domino quando illi placuerit repetere. *Depositum* dicitur, quod sub custodia alicuius ponitur. Redditio igitur commodati, precarij, mutui, depositi, vel alio modo iustè accepto, dicitur restitutio : & etiam quando per iniuriam res est ablata. v.g. per furtum, per rapinã, &c. vel damnum est datum contra iustitiam : & ita restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, reddens vnicuique suum debitum, siue debitum sit dominium, siue vsus, siue possessio : siue debeatur ex debito, siue ex contractu, siue alio modo ex iustitia commutatiua. Est etiam actus iustitiæ, quo damnum proximo datum, restituitur, vel vitatur.

3. Secundò infertur, quomodo restitutio differat à satisfactione ; differunt enim tanquam superius, & inferius : quia omnis restitutio est satisfactio ; non tamen omnis satisfactio est restitutio : qui enim satisfacit pro se, vel pro anima purgatorij, nõ dicitur restituere, sed satisfacere. Deinde anima purgatorij satis patitur, & etiam alij in hac vita, si pro ipsa non satisfaciant, non intrat in Cœlum : at qui non potest restituere, quamuis non restituat in re habens propositum restituendi si posset, non retardatur per hoc ab ingressu in cœlum ; ergo differt satisfactio à restitutione. Præterea satisfactio pro peccatis, si sit ex opere operantis, debet esse ab homine existente in gratia ; restitutio verò potest impleri ab homine existente in peccato mortali. Satisfactio etiam, vt constat, potest esse pars sacramenti Pœnitentiæ ; restitutio verò nequaquam. Tandem satisfactio est ad arbitrium boni viri ; restitutio verò per se debet fieri ad æqualitatem.

4. Tertiò infertur, ad rationem restitutionis non esse necessarium, vt res eadem quæ redditur, fuerit sub dominio eius cui confertur ; sed satis esse si illa quando redditur, substituatur loco alterius, quæ si esset in rerum natura, eadem esset reddenda domino sub cuius dominio aliquando fuit ; quando enim quis in pecuniis satisfacit pro damno illato. v.g. pro fructibus furto acceptis & consumptis, dicitur fructus illos restituere, quia licèt non reddat eosdem fructus, qui sub dominio alterius fuerunt, loco tamen illorum reddit pretium, quia illos eosdem numero non potest restituere. Est igitur restitutio, vel redditio eiusdem rei ab alio ablatæ, vel quæ loco illius substituatur, quia eadem res ablata reddi non potest.

5. Nonnulli solent hîc disputare magis curiosè, quàm vtiliter, an homini mortuo, & resuscitato per miraculum, sint ex iustitia restituenda bona temporalia, quæ ante mortem habebat ? & sententia negãs placet contra nonnullos Iuristas, inter quos est Ioannes Andreas in cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & maleficiatis, scilicet non esse ex obligatione restituenda ; iam enim amisit dominium cum vita, & constat apertis exemplis : homini enim resuscitato non restituitur vxor quam antea habebat ; per mortem enim dissoluitur vinculum matrimonij : neque Religiosus professus resuscitatus restituitur religioni, licèt fuerint vota perpetua : neque etiam restituitur Ecclesia Papæ resuscitato ; neque diœcesis Episcopo resuscitato ; ergo neque bona temporalia homini resuscitato sunt ex obligatione iustitiæ restituenda, dummodo mors fuerit naturalis, & vera.

6. Circa secundum, cuius scilicet virtutis actus sit restitutio, notandum est ex D.Thom. 2.2. quæst. 58. quòd iustitia potest sumi largè, & sic omnis actus cuiuscumque virtutis, dicitur iustitia, quatenus omnis actus virtuosus dicit conformitatem, & æqualitatem cum dictamine rectæ rationis, quo

Matth 5. pacto sumitur iustitia Matth. 5. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam*, id est, virtutem, & Matth. 3. Matth 3. *Sic decet nos implere omnem iustitiam*, vbi Christus loquebatur de humilitate. Secundò sumitur iustitia strictè, & dicit actum quo redditur vnicuique quod ei debetur; & sic diffinitur à Iurisconsultis. *Perpetua & constans voluntas, ius suum vnicuique tribuens*, id est, volitio, siue voluntatis actus firmus, dandi vnicuique quod ei debetur: & ita iustitia respicit alterum cui debitum est reddendum. Respicit etiam medium rei, id est, neque excedens, neque deficiens: si enim debes Petro centum, debes restituere centum ex iustitia, neque plus, neque minus: quod medium idem est apud omnes in materia iustitiæ. In aliis verò virtutibus obiectum est medium secundùm rationem, v. g. obiectum temperantiæ non est idem apud omnes, quia quod vni sufficit, alteri deficit, & quod alteri superfluit, alij est necessarium. Ratio ergo debet signare attentis circunstantiis, quodnam hîc & nunc, sit obiectum temperantiæ respectu cuiusque: & ita aliæ virtutes dicuntur versari circa passiones moderandas, iustitia verò circa actiones, quibus redditur debitum ad æqualitatem omnimodam, & ex natura sua eamdem apud omnes.

7. Hæc autem iustitia strictè sumpta duplex est: vna distributiua, & altera commutatiua. Distributiua dicitur, quæ seruat proportionem in distributionibus, & æqualitatem secundùm proportionem geometricam. Commutatiua verò est, quæ seruat æqualitatem in commutationibus, & actionibus inter singulas partes Reipublicæ inter se, & hæc æqualitas dicitur secudùm proportionem arithmeticam. Distributiua residet in Principe, vel eius vicem gerente, distribuente officia, & munera reipublicæ, respiciendo merita ciuium & partes; & ita iuxta proportionem meritorum eorumdem, facit hanc distributionem; ac proinde hæc iustitia ordinat Principem in ordine ad ciues, tanquam superiorem ad priuatum. Commutatiua verò disponit hominem priuatum ad priuatum vt sic, nullo alio addito respectu: & in hac iustitia respicitur æqualitas omnimoda absolutè, & per se. Distributiua verò respicit conditiones personarum, v. g. an aliquis sit diues, an pauper, an nobilis, an ignobilis, an doctus, vel indoctus: & iuxta proportionem conditionum distribuit munera, & onera: & ita finis iustitiæ commutatiuæ est facere æqualitatem inter datum & acceptum; distributiuæ verò est facere æqualitatem inter proportionem, & proportionem: sicut enim se habet proportio inter partes & merita; sic etiam seruanda est proportio inter præmia, & munera. Sit ergo

8. Prima conclusio. Restitutio, propriè loquendo, est actus tantùm iustitiæ commutatiuæ. Et probatur, quia in actu iustitiæ distributiuæ per se, & immediatè intenditur æqualitas geometrica secundùm comparationem vnius ad alterum, vt etiam indicat ipsum nomen distributionis: sed in actu restituendi per se & immediatè, nunquam intenditur æqualitas geometrica, sed arithmetica, nimirum vt ille cui fit restitutio, tantumdem habeat, quantum ab illo ablatum est; ergo actus restituendi per se est iustitiæ solus commutatiuæ. Confirmatur ex cap. vltim. de iniuriis, & damno dato, vbi ait Pontifex: *Si tua culpa damnum datum est, iure satisfacere teneris.* quæ verba apertè significant obligationem satisfaciendi pro damno, oriri ex iure alterius, ac proinde ex iustitia. Quòd verò id pertineat ad iustitiam commutatiuam, constat in restitutione rei furto ablatæ, cuius detentio eamdem habet malitiam, atque prima illius acceptio: prima autem acceptio rei alienæ apertè est contra iustitiam commutatiuam; ergo contra eamdem est illius detentio.

Obiicies primò. Nam ille, qui contumeliis alium afficit, tenetur illi satisfacere aliquo actu honoris, v. g. petendo veniam, vel aliquo alio modo illum honorando: at hic actus non videtur esse actus iustitiæ, sed virtutis obseruantiæ, cuius opus est singulis reddere honorem debitum; ergo restitutio non semper est actus iustitiæ. Respondetur negando minorem. nam licèt actus honorandi quatenus debitus est ratione virtutis, aut alterius excellentiæ, pertineat ad virtutem obseruantiæ; ille tamen actus quando debetur pro contumelia præcedenti, actus est iustitiæ commutatiuæ, debitus ad resarciendam iniuriam illatam. nam licèt homines non habeant ius iustitiæ ad positiuum honorem, qui ab aliis præstari debeat; habent tamen proprium ius, ad actum negatiuum aliorum; hoc est, vt illi non possint ipsum contumelia afficere: quare si quis contra hoc præceptum iniurioſus sit aliis, debet ex iustitia eis satisfacere, exhibendo illum honorem, qui ad satisfactionem satis esse iudicetur. 9.

Obiicies secundò, quia quando aliquis restituit ad resarciendum damnum illatum contra iustitiam distributiuam, actus restituendi per se pertinet ad eamdem iustitiam distributiuam; quia ad eamdem virtutem pertinet non inferre aliquod damnum, & illud resarcire si illatum sit: cùm ergo ad iustitiam distributiuam pertineat non inferre damnum in distributione boni communis, ad eamdem virtutem pertinebit, resarcire hoc damnum illatum; ergo non semper restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ. Respondetur negando assumptum; non enim semper ad eamdem virtutem pertinet, non inferre damnum, & illud resarcire. nam rectè fieri potest, vt obligatio non inferendi damnum sit iustitiæ distributiuæ, non verò obligatio illud resarciendi; quia scilicet mutatur ratio iuris in vtraque obligatione. quamuis enim ex distributione mala oriatur obligatio restituendi, hoc non est immediatè ex mala distributione, sed quia ea supposita debetur alicui ex commutatiua iustitia, quod ei est restituendum. v. g. distribuit quis malè bona communia, & cui debebat dare plus, dat minus, est iniquus distributor; & ita facta tali distributione, manet inæqualitas resarcienda, & reparanda per iustitiam commutatiuam; quia ante distributionem non manet debitum particularis læsum; facta verò distributione, iam est læsum, quia scilicet acquisiuit nouum ius, ac proinde damnum ei illatum resarciendum est per iustitiam commutatiuam, quæ obligat, vt ille qui læsus est, tantum accipiat, quantum nocumenti passus est. Neque est mirum, quòd peccatum contra vnam virtutem sit per aliam resarciendum, vt in peccatis contingit, quorum satisfactio fit per virtutem pœnitentiæ. Præterea, quia, vt dixi, non manent res eodem modo post violationem iustitiæ distributiuæ in illa mala distributione, atque erant antea. nam antea concipiebatur status tanquam boni diuidendi, & distribuendi per ordinem ad æqualitatem geometricam: at post violationem iustitiæ distributiuæ, tantùm manet damnum recompensandum; 10.

Digitized by Google

dum, & ideo tantùm manet iustitiæ commutatiuæ obiectum; restitutio enim non est distributio, sed recompensatio damni illati.

11. Secunda conclusio, modus faciendi restitutionem aliquando potest pertinere ad iustitiam distributiuam, vt quando quis multis debitis opprimitur, & non potest omnibus creditoribus integrè restituere, tenetur enim tunc ita restituere, vt eadem proportione minuat solutionem, qua sese excedunt debita. In quo casu seruatur æqualitas iustitiæ commutatiuæ, quia soluitur aliquid æquale parti debiti, in quo est arithmetica æqualitas, & modus iustitiæ distributiuæ; prout vnicuique creditori aliquid soluitur, seruata proportione debiti, vt quando cui debebat centum, v. g. reddit quinquaginta, & cui debebat quinquaginta, reddit viginti quinque: qua ratione in primis seruat æqualitatem arithmeticam; reddit enim vigintiquinque, quia debet vigintiquinque, & reddit quinquaginta, quia debet re vera quinquaginta, licèt plus etiam quoque debeat: ergo seruat æqualitatem arithmeticam ex parte, non verò omnino, quia non potest. Deinde seruat modum distributiuæ, & æqualitatem geometricam, cùm eadem proportione diminuat solutionem, qua debita sese excedunt: hoc autem est per accidens. Nihilominus per se loquendo in restitutione semper debet seruari æqualitas arithmetica; finis enim restitutionis est, vt ille à quo est aliquid ablatum, tantumdem habeat, quantum ab illo acceptum est. Quod si fieri non potest, curandum est, vt saltem illi cui debetur quantitas dupliciter maior, soluatur pars debiti duplo maior: qualitas autem obligationis & virtutis ad quam pertinet, colligenda est ex illo, ad quod homo primò & per se tenetur; præceptum verò restitutionis nisi impediatur impotentia debitoris, per se obligat ad æqualitatem arithmeticam seruandam.

Sectio II.

An restitutio sit necessaria ad salutem, & an ex præcepto affirmatiuo, vel negatiuo.

12. Dvpliciter potest esse aliquid necessarium ad salutem: vno modo, necessitate medij, alio modo necessitate præcepti. Est tamen hæc differentia inter hæc, quòd id quod obligat in ratione medij, obligat etiam in ratione præcepti; omnia enim media necessaria ad salutem sunt præcepta: alias non peccaret quis non adhibendo media necessaria ad salutem. Illud verò quod obligat in ratione præcepti tantùm, non obligat in ratione medij, cùm sine positione illius possit salus æterna obtineri. Potissima verò differentia inter has duas necessitates est, quòd ea quæ obligant in ratione medij, positiuè concurrunt ad consecutionem vitæ æternæ: quare sine fide, aut baptismo, aut pœnitentiæ Sacramento, nemo potest saluari. Quæ verò obligant in ratione præcepti, solùm concurrunt negatiuè ad assecutionem finis supernaturalis, remouendo prohibens. v.g. auditio sacri in die festo, in tantum est necessaria ad salutem, in quantum peccatum mortale impedit assecutionem vitæ æternæ, & auditio sacri remouet peccatum, quod committeret qui sacrum non audit. Ex quo fit, quòd si id quod est necessarium vt medium, omittatur ex ignorantia omnino inculpabili, vel ex impossibilitate, salus æterna non obtinebitur: quare si paruulus non baptizetur ex quacumque causa, non saluabitur: si attritus non absoluatur, damnabitur sine dubio, quia quod est necessarium necessitate medij, si non ponatur à parte rei, non habebitur finis.

Prima conclusio. Restitutio est necessaria ad salutem necessitate præcepti, non verò medij. Prior pars est de fide, & colligitur ex Cano. citato de iniuriis & damno dato, vbi inquit Pontifex: *Si culpa tua datum est damnum, vel iniuria irrogata, iure super his satisfacere teneris.* Idem dicitur cap. 1. & 2. eodem titulo, verbis desumptis ex cap. 21. & 22. Exodi. Idem etiam probatur Ezech. 37. vbi venia peccatorum promittitur, susceptis quibusdam conditionibus, quarum vna est, *Si rapina reddita fuerit domino suo.* Vulgaris etiam est regula Iurisprudentum desumpta ex Augustino epist. 44. ad Macedonium. *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* & ratione etiam constat, quia restitutio debet fieri iure naturali: ergo obligat in ratione præcepti, quia ius naturale, & præceptum naturale idem sunt; ac proinde quod obligat iure naturali, obligat etiam præcepto naturali. 13. Ezech. 37. August.

Secunda pars etiam probatur, quia quod est necessarium vt medium, licèt omittatur sine culpa, aut aliter, non per hoc obtinebitur finis, quomodolibet medium non ponatur: at sine positione restitutionis potest obtineri finis supernaturalis. Deinde, quia fieri potest restitutio ab existente in peccato, etiam validè, etiamsi fiat per actum peccati, & mala intentione; in quo casu sine dubio impletur præceptum restitutionis. Et denique restitutio in re non dat primam gratiam per quam quis fit amicus Dei: ergo non est necessaria necessitate medij. Et licèt dolor de peccato præterito non restituendi, quo quis dolet se non restituisse cùm posset, & teneretur, sit necessarius ad primam gratiam, tanquam dispositio ad gratiam habitualem; hoc tamen non est peculiare respectu peccati non restituendi, sed in omnibus peccatis mortalibus commissis idem est dicendum. Ex quo tamen non colligitur, opera aliarum virtutum esse necessaria necessitate medij, vt sæpe alibi explicatum est. 14.

Circa secundum, an scilicet hoc præceptum sit affirmatiuum, vel negatiuum, obseruandum est. Ad rationem præcepti affirmatiui, vel negatiui, primò & per se non esse attendendum ad modum quo ponitur, an scilicet sit affirmatiuus, vel negatiuus; sed ad materiam primò & per se præceptam, licèt enim modus sit affirmatiuus; si tamen primò & per se materia præcepta sit negatio, præceptum erit negatiuum. v.g. si præceptum non furandi tradatur hoc modo: Rem proximi tui relinque, hic modus est affirmatiuus, & tamen substantia præcepti re vera est negatio, & ita præceptum non furandi est negatiuum, quamuis explicetur aliquando modo affirmatiuo: vt, Rem alienam serua domino suo. Similiter si præceptum affirmatiuum in substantia tradatur forma negatiua, non tollit esse affirmatiuum. v. g. si præceptum audiendi sacrum in die festo, quod est affirmatiuum, tradatur his verbis: Non omittas sacrum in die festo: non obstante hac forma verborum negatiua, præceptum hoc est affirmatiuum, quia in eo primò & per se præcipitur positiuum, scilicet auditio sacri, siue præsentia moralis in illo. Difficultas ergo est, an in præcepto restituendi primò & per se præcipiatur materia positiua, an verò negatio 15.

gatio talis materiæ: vel clariùs, an sicut in præcepto non furandi, primò & per se præcipitur negatio accipiendi, siue non accipere rem alienam, inuito domino rationabiliter; ita in præcepto restituendi præcipiatur primò & per se negatio retentionis rei alienæ inuito domino rationabiliter, ex qua negatione sequatur tradere rem alienam domino suo: an verò restituere, primò & per se sit rem tradere domino, ex quo sequatur negatio retentionis rei alienæ.

16. Secunda conclusio. Præceptum restitutionis, quamuis quoad formam verborum sit affirmatiuum, re vera tamen in substantia negatiuum est. Prior pars constat, quia restituere, vel reddere domino rem suam, affirmatio est, cùm præcipiatur actio in illa forma loquendi. Sicque intelligendus D.Thom. est D.Thom. 1.2. quæst. 72. art. 6. docens, *non restituere esse peccatum omissionis*. Secunda verò pars probatur ex eodem D. Thoma in hac quæstione art. 8. vbi docet: *In præcepto restitutionis importare præceptum negatiuum.* & ratione probatur. nam per hoc præceptum prohibetur rem alienam inuito domino rationabiliter, retinere: vnde præcipitur negatio retentionis. Et confirmatur, quia per præceptum non furandi, importatur primò & per se, non accipere rem alienam inuito domino rationabiliter, & ita secundùm omnes est negatiuum: ergo similiter præceptum non retinendi eamdem rem, quod est restituere, erit negatiuum: sicut enim non furari, & non accipere rem alienam, spectat primò & per se ad præceptum negatiuum; sic etiam & non retinere eamdem primò & per se, erit præcepti negatiui: ergo negatio illa non retinendi est eiusdem præcepti, atque negatio non vsurpandi; qui enim furatur & non restituit, continuat eamdem vsurpationem moraliter: ergo sicut prima non vsurpatio est materia primò & per se præcepti negatiui, similiter & continuata non vsurpatio, erit materia eiusdem præcepti; ac proinde sicut vsurpatio est contra præceptum negatiuum, similiter etiam retentio. Ex quo fit

17. Primò, præceptum restituendi non esse partim affirmatiuum, & partim negatiuum; sed absolutè negatiuum, licèt ad hoc requiratur actio positiua reddendi alienum suo domino: aliàs qui non restitueret, duo peccata committeret, vnum omissionis actionis restituendi contra præceptum affirmatiuum: alterum commissionis, scilicet retinendi contra præceptum negatiuum.

18. Secundò etiam fit, præceptum restituendi spectare ad septimum præceptum Decalogi, non furandi. nam sicut furari est vsurpare rem alienam inuito domino rationabiliter: ita non restituere est veluti continuatio talis vsurpationis. Vnde non restituens cùm tenetur, peccat contra illud præceptum. Dixi spectare ad septimum præceptum, quando scilicet materia est pecunia, vel pecunia æstimabilis, vel similis: si enim sit restitutio famæ, spectat ad octauum præceptum, quod prohibet non infamare, & similiter si restitutio sit facienda, quia quis falsam doctrinam docuit, cùm teneatur ex officio ex iustitia docere veritatem, spectat ad præceptum non mentiendi.

19. Tertiò etiam fit, qui non restituit, toties de nouo peccare non restituendo, quoties proponit non restituere: sicut qui proponit de nouo peccare, & similiter quoties se offert occasio restituendi, & non restituit, illam occasionem aduertens, & dominus est rationabiliter inuitus. quæ regula ad discernendum numerum peccatorum pœnitentis, quando per multum tempus desinit restituere, attendenda est à Confessariis pro integritate confessionis, & regula patet ex terminis, non enim potest alia regula assignari ad cognoscendum nouum peccatum, quod committitur quando quis non restituit; quia non semper actu peccat qui non restituit, vt constat; peccat ergo actu de nouo in casibus dictis.

Obiicies. Regulam hanc non videri satis firmam, quia præceptum ieiunij, quamuis secundùm formam videatur affirmatiuum, in re tamen est negatiuum, obligans ad non manducandum nisi semel in die, supposito quòd quis velit comedere integra comestione sufficiente, præter refectiunculam sumi solitam, & tamen, qui multoties comedit in die ieiunij, non toties peccat contra præceptum. Nonnulli existimant præceptum ieiunij esse affirmatiuum, & non negatiuum. Hoc tamen falsum est. nam sine dubio præceptum ieiunij Ecclesiastici seruaret qui in tali die nihil comederet: ergo signum est, hoc præceptum non esse de semel tantùm in die comedendo. quare reiiciendi sunt qui dicunt, non seruare præceptum Ecclesiasticum, qui nihil comedit in die ieiunij, seruat enim illud abundantissimè. Alij verò censent, toties peccare contra præceptum ieiunij, quoties comedit in die præter comestionem vnam integram, & refectiunculam dictam: sicut toties quis peccat in die ieiunij, quoties carnes comedit sine causa excusante, vt omnes admittunt, quia est præceptum negatiuum. Et ita de pluries comedente in die ieiunij tenent Syluius 2.2. quæst. 147. art. 6. Couarruu. variar. resol. lib. 4. cap. 20. num. 13. Hoc tamen nimis rigidum videtur, etiamsi concedamus præceptum ieiunij esse negatiuum; quia cùm hoc præceptum positiuum sit, ex communi vsu & sensu fidelium, Ecclesia non prohibet vlteriorem comestionem quomodocumque consideratam, sed solùm pro vt quis per illam transgreditur ieiunij limitem assignatum, qui est vnica comestio cum refectiuncula, & ita tenet ferè communis sententia Theologorum. 20.

Sectio III.

De radicibus obligationis restituendi.

21. DVæ sunt radices generales restitutionis ex Caiet. in præsenti art. 6. quem communiter Recentiores sequuntur, vel ratione iniustæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ. Et quidem quòd ratione rei acceptæ sit obligatio restituendi, facilè probari potest, quia si res est aliena, & eadem perseuerat, pertinet ad dominum illius: ergo ex hoc capite obligatio est reddendi illam suo domino. nam iuxta regulam 46. de regulis iuris: *Locupletari non debet quis cum alterius iniuria.* Deinde quòd ratione acceptionis iniustæ sit obligatio restituendi, etiam est manifestum, quia tunc est obligatio recompensandi damnum, siue nocumentum illatum.

22. Differt autem primò inter restitutionem ratione iniustæ acceptionis, & restitutionem ratione rei acceptæ: quia quando quis tenetur restituere ratione iniustæ acceptionis, semper manet obligatus restituere; quando verò ratione rei acceptæ, si casu pereat, vel sine culpa eius qui retinet, ad nihil tenetur, quia in hoc casu nullum damnum intulit, & res domino periit; in primo verò casu damnum intulit.

Secunda

Digitized by Google

21. Secunda differentia est, quia qui tenetur tantùm ratione rei acceptæ, solùm tenetur ad fructus stantes, vel in se, vel in alio, vt si dono habuerit agrum fructuosum, vbi resciuit esse alienum, tenetur vltra agrum ipsum ad fructus qui extant, & ad valorem eorum quos receperit, quatenus non consumpsit proprios, quos consumpsisset, si alienos non habuisset: at qui ex iniusta acceptione, etiam tenetur ad fructus perceptos, & ad eos, qui percipi potuissent.

22. Tertia differentia est, quia qui tenetur ex iniusta acceptione, etiam tenetur ad damna secuta, & lucra quæ cessauerunt in damnificato: ad quod non tenetur, qui ex sola ratione rei acceptæ obligatur.

23. Nonnulli etiam claritatis gratia, duas alias restitutionis faciendæ radices assignant, ex quibus similiter resultat obligatio, dandi, vel faciendi aliquid ex iustitia. Prior est lex, ad quam reducitur iudicis sententia, vnde ex lege aliquando tenentur homines ex virtute iustitiæ ad restitutionem, & ita ex lege præscriptionis, sicut transfertur dominium, ita tollitur, vel imponitur obligatio restituendi. Posterior potest esse voluntas, siue ea sit vltima, quo pacto si rem tuam mihi testamento relinquas, tenetur mihi tuus hæres eam restituere: siue sit non vltima, ex qua omnis species contractuum vim habet obligandi ex iustitia. Quando autem communiter docent Doctores omnem obligationem restituendi prouenire ex prioribus duabus radicibus, nempe vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis: nomine iniustæ acceptionis intelligunt, quamcumque rei alienæ iniustam vsurpationem, siue læsionem in quibusuis bonis, siue internis, siue externis: vel, quod idem est, quemcumque concursum ad peccatum contra iustitiam, damno tamen secuto, vel iniuria facta; numquam enim ad restitutionis obligationem sufficit voluntas, vel qualiscumque conatus ad accipiendum, aut nocendum, quia si nihil accepisti iniustè in re, aut damni intulisti ratione iniustæ acceptionis, nihil restituere teneris. Sicut enim minister iustitiæ qui iustè quidem, sed non ex zelo iustitiæ, sed ex odio malefactorem occidit, cùm contra iustitiam non peccet, sed contra charitatem, nihil tenetur restituere: vnde nulla obligatio solius charitatis ratione ad restitutionem contrahitur: sicut neque ex peccato contra quamcumque virtutem aliam à iustitia commisso: quo fit vt si ratione tantùm charitatis teneris impedire furtum, vel damnum quodcumque proximi, non tenearis ad restitutionem vllam, si non impedias; quia non peccas contra iustitiam, sed contra charitatem; dummodo tibi ex officio non incumbat tale damnum impedire; quia iam inde iustitiæ obligatio contrahitur, & ex consequenti si non impedias, facis contra iustitiam, & teneris ad damnum resarciendum.

24. Alia ratione Doctores dicunt, obligationem restituendi oriri ex tribus causis, ex re, ex delicto, & ex contractu. Per delictum autem significant, iniustam acceptionem rei alienæ, vt enim diximus obligatio restituendi ex delicto nunquam nascitur, nisi illud sit contra virtutem iustitiæ: magni autem momenti est ex quo primò oriatur obligatio restituendi; illa enim quæ solum nascitur ex re accepta solum obligat, vt sine detrimento illius qui restituit illam rem, vel illud in quo ex illa ditior factus sit: cùm tamen ex delicto & ex contractu multo maior oriatur restituendi obligatio. Contingit autem interdum vt obligatio restituendi simul oriatur ex duplici radice, nempe ex re aliena, & ex acceptione iusta, vel iniusta: quando enim apud furem durat res accepta, obligatio restituendi ex duplici capite oritur, scilicet ex re quæ alterius est, & ex iniusta acceptione per quam accepta est. Pari modo qui accipit rem commodatam, tenetur ex re accepta, & ex contractu, per quem illam accepit. Agemus autem in sequentibus, Primò de obligatione, quæ oritur ex re accepta. Secundò de obligatione, quæ oritur ex delicto iniustitiæ. Tertiò de obligatione quæ oritur ex contractu, per quem res accipitur certo quodam tempore domino reddenda.

Sectio IV.

Qualis obligatio restituendi oriatur ex re accepta.

REs aliena dupliciter potest haberi, aut bona, aut mala fide. Tunc habetur bona fide, quando ignorantia inuincibili, & prudenti iudicio sine peccato possidetur tanquam propria. Tunc verò res mala fide habetur, quando saltem culpabili ignorantia possidetur. Et conueniunt Doctores, ex re accepta bona fide oriri obligationem restituendi, quod tunc propriè contingit, vt diximus, quando quis sine vllo peccato, aut contractu, rem habet alienam. v. g. quia ignoranter illam accepit, in quo casu sine dubio res aliena restitui debet domino; nemo enim cum alterius iactura locupletari debet, vt dicitur de regulis iuris, regula 48. & ratio est manifesta, quia contrectatio rei alienæ intrinsecè est mala, quando fit sine voluntate domini; is enim qui rem alienam habet, nisi illam restituat, illam detinendo impedit quominus dominus vti possit re sua, & aliqua ratione contrectat rem alienam; ac proinde est iniustus, nisi illam restituat. 25.

Circa modum verò huius obligationis statuenda est hæc regula generalis, à Doctoribus communiter recepta. Quandiu res aliena durat in propria substantia illam debere restitui: si verò ea bona fide consumpta fuerit, restitui debet illud, in quo quis locupletior factus sit ex re aliena. Ratio prioris partis regulæ est, quia alienum inuito domino retineri non potest; dum enim res aliena extat, manet in iure sui domini veri, & consequenter ei debet restitui apud quemcumque inueniatur, & quantumcunque bona fide ab altero possideatur; nisi possessio esset tam diuturna & qualificata, vt legitimè operata esset rei præscriptionem. Vbi nota fieri posse, vt non præscripta re principali, eo quòd sit immobilis, & requirat longius tempus, præscribantur à possessore fructus ex ea percepti, præscripti, & possessi cum titulo per triennium, aut quatriennium, iuxta regulam præscriptionis rei mobilis. 26.

Secunda verò pars, videlicet quòd totum, in quo factus est ditior, restituendum sit, ex eo constat, quia id totum est quasi fructus rei, ac loco rei & fructuum consumptorum regulariter succedit: ergo vbi primum cognoueris esse alienum, teneris restituere: vt enim rectè Cicero 3. de officiis: *Illud natura rationalis non patitur, vt aliorum spoliis, nostræ facultates, copiæ, opesque, augeamus.* & probatur ex lege, *nam hoc natura.* ff. de condictione indebiti, his verbis: *Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento, locupletiorem fieri.* 27.

Ex

Digitized by Google

28. Ex quo infertur primò illum, qui bona fide rem alienam alteri donauit, ad nullam restitutionem teneri, quoniam huiusmodi donator nec iam habet rem alienam, nec ex illa factus est locupletior. Idem iudicium est de illo, qui rem sibi donatam bona fide consumpsit, nec tamen propterea aliquid ex suis bonis seruauit, & de illo, qui bona fide vendidit rem alienam, eodem pretio, quo illam emerat, vel certè illam consumpsit bona fide in alenda familia, cùm illam emisset ordinario pretio, quo aliam rem similem debuisset emere ad alendam familiam; in his enim casibus consumptor rei alienæ ex illa non fit locupletior. Ex quo principio bene infert Caiet. art. 6. illum qui ignoranter cum amicis edit aliquam rem furtiuam, ad nullam restitutionem teneri, si nihilominus idem domi insumpsit, quod insumpsisset, quamuis ab amicis inuitatus non esset. Atque hac ratione iudicandum est de aliis similibus casibus.

29. Contraria verò ratione ex eadem regula colligitur, illum qui bona fide rem alienam, donatam accepit, si postea illam vendat, obligari ad restitutionem pretij, nimirum quia in eo pretio ditior fuit ex re aliena. Idem iudicium est de illo, qui bona fide rem emit alienam, & postea maiori pretio in eodem loco rem vendit; fit enim ditior ex re aliena in quadam pretij parte, quam partem debet restituere. Dixi, si eam in eodem loco maiori pretio vendat. nam si sua industria in alium locum rem detulit, vt maiori pretio venderet, non obligatur ad restitutionem illius partis, quæ potius est fructus suæ industriæ, quàm rei alienæ. Vbi

30. Obserua primò fieri posse, vt quis ex re aliena ditior fiat in re maioris valoris, quàm sit res aliena. v. g. quando quis vtitur bona fide veste aliena sibi donata, qua de causa conseruat vestem aliam pretiosiorem quàm consumpsisset, si res aliena sibi donata non fuisset: in quo casu si cognoscatur dominus vestis consumptæ, non est ei reddendum totum pretium vestis pretiosioris conseruatæ, sed tantùm pretium æquale rei consumptæ; iustitiæ enim æqualitas solùm pretium æquale postulare potest: tum etiam, quia excessus pretij, qui ex aliena veste consideratur, non oritur ex re aliena quæ deterior est, sed ex præstantia alterius vestis, quam dominus habebat.

31. Secundò obserua, probabile esse eum, qui rem alienam à fure bona fide emptam, siue eodem pretio quo emerat, siue maiori pretio vendat, non teneri restituere domino illud pretium, neque etiam illud plus in quo locupletior factus est. Ratio prioris partis est, quia sic vendens nihil tenetur domino ratione iniustæ acceptionis, vt constat, nec ratione rei acceptæ, cùm eam iam distraxerit; neque in hoc casu pretium succedit loco rei; hoc enim non est vniuersaliter verum, nisi in solis vniuersalibus iudiciis, vt sunt hæreditas, fideicommissum, dos, &c. & ita tenet Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 5. & Rebellus part. 1. lib. 1. quæst. 3. Ratio verò posterioris partis est, quia illud plus non est fructus rei, sed industriæ illam ementis iustè vno pretio minori, & vendentis etiam iustè alio maiori pretio; fructus autem industriæ ad possessorem bonæ fidei ex communi sententia, & non ad dominum rei spectat, vt iam dico. & ita tenet Molina de iustitia tom. 3. tract. 2. disput. 721. quem sequitur Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. cap. 17. §. 3.

32. Ad explicandum autem in quo censeatur aliquis factus locupletior, vt debeat illud restituere, difficultas esse potest, an fructus percepti ex re aliena, quæ bona fide detinetur, restitui debeant, sicut diximus de valore, in quo quis ex re aliena ditior fuit. Fructus autem rei quidam sunt merè naturales: alij ex mera industria, & alij mixti, qui ex natura rei, & ex industria oriuntur. Merè naturales dicuntur arborum fructus, ligna siluarum, herbæ prædiorum, & similes quos res ipsæ producunt sine vlla hominis industria. Fructus verò ex mera industria sunt illa lucra, quæ ex pecuniis per cambia, & similes industrias oriuntur. Fructus denique mixti & medij sunt illi, qui præter rei efficacitatem ex re mediante industria proueniunt, vt segetes, fruges, &c.

33. De fructibus quæ oriuntur ex mera industria, v. g. quos aliquis lucratur ex pecuniis alienis, certum est illos nullo modo debere restitui, vt docet D. Thomas infrà quæst. 78. art. 3. dum disputat de lucro illius, qui per negotiationem ex pecunia vsuraria aliquid lucratur. De fructibus verò qui constant ex natura & industria, vel ex sola natura, dicendum est, eos omnes debere restitui in ea quantitate, in qua quis locupletior factus est, deductis expensis, quæ eorum gratia fiunt, & deducto valore industriæ eius qui eos fructus percipit, vt colligitur ex lege *si à domino*, ff. de petitione hæreditatis. Et ratio huius est, quia fructus rei potiori iure censentur esse ex eadem re, quàm pretium in quo ditior fit ille qui bona fide rem alienam consumpsit; sed huiusmodi pretium ratione rei acceptæ domino rei debet restitui: ergo pari ratione illi debet restitui valor fructus, in quo possessor rei alienæ fit locupletior. Deinde, quia fructus ex eo quòd ex re aliena procedunt, cedunt in dominium alterius; res enim domino fructificat.

34. Quoniam verò fieri potest, vt res aliena, quam bona fide quis habet, nullus ferè fructus faciat, ob negligentiam possessoris, si hoc contingat antequam res cognoscatur esse aliena, nulla prorsus est obligatio restituendi illos. nam possessor bonæ fidei qui negligit, vel rem quam putat esse suam, aut illius fructus, non tenetur ratione alicuius contractus, nec ex aliquo delicto iniustitiæ, quale esse non potest quando ignoratur res esse aliena: nec etiam tenetur ratione rei acceptæ, quæ, vt constat, nulla est, si periit ex negligentia possessoris: nullum ergo est caput vnde oriatur obligatio restitutionis; negligentia enim possessoris bonæ fidei solum est peccatum contra debitam custodiam rei familiaris, non verò peccatum iniustitiæ contra alterum, si quidem res quæ ex negligentia destruitur, omnino ignoratur esse alterius. Si verò negligentia custodiendi rem, vel fructus illius, contingat postquam quis cognoscit alienam esse rem, quam antea bona fide habuerat, distinguendum est. nam si possessor sit in mora culpabili restituendi, planè tenetur restituere non solùm fructus, qui ex ipsius negligentia perierunt; sed etiam fructus quos dominus ex illa percepisset, si res illa debito tempore fuisset restituta: quæ obligatio non oritur ex re accepta, aut ex contractu, sed ex delicto iniustæ detentionis, ex quo oritur obligatio restituendi perinde ac ex iniusta acceptione. Si verò res cognoscatur esse aliena, nec tamen statim restituitur, quia vel ignoratur dominus, vel quia ille nimium distat, obligatio est eo tempore conseruandi rem alienam communi diligentia atque illius fructus, qui si pereant ex culpabili negligentia possessoris, restituendi sunt.

35. Ex negligentia tamen colendi rem, vel locandi,

vt

Digitized by Google

vt ex ea emolumenta crescant homini, non videtur oriri obligatio restituendi; quia possessor bonæ fidei ex quo incipit agnoscere rem esse alienam, non obligatur vt sit procurator alterius, sed solùm veluti depositarius, qui solùm tenetur ex dolo, vel lata negligentia, quæ coniuncta est cum peccato negligendi rem alienam; tenebitur tamen possessor malæ fidei. Vnde qui furatus est mulam conducibilem, & sua negligentia non conduxit, tenetur restituere, quando dominus mulæ illam erat conducturus.

Sectio V.

An res aliena reddi possit illi à quo bona fide accepta est, an verò necessariò sit domino restituenda.

36. Obseruandum est, ementem posse emere vel bona, vel mala fide. Et conueniunt Doctores, qui bona fide rem emit, vel accepit à fure, vel à malæ fidei possessore, licitum ei esse eidem restituere, præsertim ad recuperandum pretium, si saltem sit coniectura verisimilis quòd domino reddenda erit: quòd si talis coniectura non subsit, nec aliter pretium recuperare valeat, in hoc consistit tota difficultas, an sit vero domino restituenda, etiam cum periculo amittendi pretium. Obseruandum etiam est, duobus modis posse aliquem bona fide rem furtiuam à latrone, vel malæ fidei possessore accipere; vel gratis, seu titulo gratuito donationis: vel titulo oneroso venditionis, aut permutationis. Fagundez lib. 7. Decalogi cap. 20. secutus Lessium lib. 2. cap. 14. dub. 5. sequitur partem affirmantem. Sit tamen

37. Prima conclusio. Emens rem à fure bona fide, non tenetur eam domino reddere, sed potest reddere furi, vt contractum venditionis rescindat, & pretium accipiat; quem contractum tenetur fur in conscientia rescindere, acceptando rem, & reddendo pretium. Ita Nauarrus cap. 17. num. 9. & Petrus Nauarra de restit. lib. 4. cap. 2. & est benignior & communior sententia. Et probatur, quia non debet aliquis ex iustitia magis prospicere bonis alienis, quàm propriis; restituere autem domino rem bona fide ab alio acceptam cum periculo amittendi pro ea datum pretium, esset magis prospicere alienis bonis, quàm propriis: ergo nullus ad illud obligatur. Et confirmatur, quia nec ratione charitatis, nec ratione iustitiæ, teneris cum detrimento pretij, rem domino reddere, si illud recuperare vales, reddendo eam furi, vel malæ fidei possessori. Nam charitas in primis non obligat cum tam graui detrimento, nec ad reponendam rem alienam in meliori statu, quàm antea erat: quando autem rem bona fide emisti in manu furis erat; satis ergo erit eam in eodem statu rursus ponere. Deinde nec ratione iustitiæ, quia non teneris esse procurator domini, vt rem bona fide ante acceptam ad eum deferas, vel mittas, vel significes vbi sit: sicut non teneris ex iustitia alteri etiam extremi indigenti per operationem tuam succurrere, nec ipse vllum ius iustitiæ ad eam habet, seclusò contractu, vel quasi contractu. Ex quo fit vt si pereat ex defectu tuæ medicationis, vel alterius operationis, non contrahas obligationem restituendi damna subsecuta ex ipsius morte.

38. Deinde probatur ex lege 31. ff depositi. vbi Iurisconsultus apertè ait: *Si dominus non veniat ad petendam rem suam*, scilicet in iudicio, *rem depositam esse restituendam ei qui deposuit, quamuis malè illam habuisset.* quæ quidem lex à fortiori procederet, si depositarius aliquod detrimentum pateretur, eo quòd furi non redderet: si ergo depositarius non peccat reddendo rem alienam furi, vt seruet fidem depositi in prædicto casu, quanto magis emptori licebit rem bona fide emptam reddere furi, ad se seruandum indemnem antequam dominus eam petat; cùm ex natura contractus emptionis, emptor seruandus sit indemnis; atque adeò sub hac conditione implicita contrahit, vt si fortè res aliena sit, venditori restitui possit pro recuperando pretio, si aliter recuperari nequit. Et confirmatur, quia contractus venditionis fuit nullus, siquidem fuit inuoluntarius quoad substantiam respectu ementis; qui si sciret illam esse alienam, nullo pacto emeret, eo vel maximè, quia vt contractus sit validus, requiritur, vt venditor transferat dominium rei venditæ in emptorem, & emptor dominium pecuniæ in venditorem: at fur non potuit transferre dominium rei furatæ in emptorem illius: ergo contractus venditionis fuit nullus, & consequenter emptor potest rescindere illum reddendo rem, & accipiendo pretium.

39. Obiicies primò, quia ius in re, & proprietas quam dominus rei habet, aliquam obligat personam, quæ debeat rem illi restituere; sed nullam personam magis obligare potest, quàm illam, quæ possidet rem alienam: ergo hæc persona immediatè debet rem domino restituere: nec satisfacit rem illam alteri tradendo, cùm ipse primariò teneatur ratione possessionis. Confirmatur, quia si fur postquam vendidit rem disparuisset, teneris eam domino restituere in conscientia, & ad id per iudicem etiam cum detrimento pretij compelli deberes. nam ex eo quòd fur disparuit, nihil iuris dominus amisit. Confirmatur secundò, quia dominus si conscius fieret, posset per iudicem impedire, ne eam furi, sed sibi restituatur, etiam ante recuperatum pretium: si autem vllum ius haberes ad restituendum furi, tali iure priuari non posses.

40. Respondetur, ratione rei acceptæ subesse obligationem restituendi vero domino, prætermisso immediato malæ fidei possessore, quando idem is qui bona fide accepit ab eo graue detrimentum non recipit; tunc enim ad illud vitandum licitum est eam reddere proximiori rei possessori, etiamsi fur sit, vt per eum domino restituatur. Ad primam confirmationem dicimus, quòd si fur non compareat, iam non potest contractum rescindere, vnde tenetur domino reddere. Ad secundam quòd iudex facit secundùm allegata & probata, & quia ille probatur habere rem alienam, ideo propter bonum publicum compellitur à iudice, vt restituat: ante compulsionem verò ad id non tenetur, quia ad multa compelli potest quiuis per iudices ad bonam gubernationem. Iudex enim ex officio potius attendit vt suum cuique reddatur, quàm ad damna priuata emptoris; cùm tamen emptor antequam à iudice compellatur, licitè possit procurare proprium damnum euitare.

41. Obiicies secundò, quia sublata bona fide manet emptor possessor malæ fidei: hic autem si res extat, tenetur illam statim domino restituere. Respondetur verum esse, manere possessorem malæ fidei, in eo quòd non possit sibi eam retinere; non verò quòd obligetur eam immediatè domino reddere.

Obiicies

42. Obiicies tertiò, quia si posset tuta conscientia eam furi reddere, vt pretium recuperet, posset similiter eam alteri vendere ne pretium amittat; vtrobique enim eadem est ratio, quod tamen est falsum. Respondetur negando sequelam, quia iam res constitueretur in deteriori statu.

43. Obiicies quartò, quia qui rem furtiuam reddit furi, cooperatur cum iniusta retentione illius, si probabiliter credat quòd eam domino non restituat. Respondetur negando antecedens, quia qui reddit latroni vt recuperet pretium, vtitur iure suo; cùm potius teneatur sibi consulere, quàm domino rei, cum damno bonorum suorum.

44. Denique obiicies, quia res apud possessorem bonæ fidei est in meliori statu, quàm apud furem; hic verò melior status, & conditio, domino rei accrescit. Respondetur, supponi falsum cùm supponitur res furtiua esse in meliori statu apud emptorem bonæ fidei, quàm in manu furis: imò videtur esse in peiori statu, quia facilius suadere poteris furi, vt rem quam furatus est restituat, quàm ei qui bona fide iusto pretio eam emit, si iacturam facturus sit; cùm difficiliores ex natura rei rationes habeat. Quod si supponant emptorem esse probiorem, nemini sua probitas debet esse damnosa ad contrahendam obligationem, quàm si probus non esset, non contraheret. Accedit quòd melior hic rei status si detur, non est fructus rei; atque adeò domino rei non debetur.

45. Secunda conclusio. Qui mala fide rem emit à fure, aut à quocumque alio malæ fidei possessore, sciens, vel dubitans esse alienam, tenetur eam domino restituere, non furi, etiamsi pretium recuperari non possit aliter, quàm reddendo furi. Ita Nauarrus suprà, & Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 3. & est communior sententia. Probatur, quia ex sola bona fide habetur quòd contractus possit rescindi; ergo existente mala fide teneris restituere: vnde quomodocumque pereat apud te, restituere teneris. Deinde, quia emptor malæ fidei, qui à latrone rem emit, sciens, vel dubitans eam esse furtiuam, velit nolit suscipit obligationem illam qua latro ipse obstringebatur: ergo tenetur eam domino restituere amisso pretio. Vbi nota, non posse pretium petere à domino rei; esset enim cogere eum rem propriam emere: quod puguat cum lege naturali, & ratione recta.

46. Tertia conclusio. Probabile est & tutum in praxi, ementem mala fide posse reddere illam furi, si non possit aliter recuperare pretium. Ita Alensis 4. part. 86. memb. 3. art. 5. Angelus verbo restitutio 1. §. 6. & probatur, quia magis tenetur vnusquisque consulere sibi, quàm alteri: ergo iste emptor non tenetur seruare dominum indemnem cum æquali suo damno. Item nemo tenetur restituere vero domino, si ex tali restitutione sequatur sibi maius, vel æquale damnum, ac sequeretur domino ex non restitutione. Deinde, quia quamuis emptor emerit mala fide & iniustè; illa tamen iniustitia non fuit causa quòd verus dominus spoliaretur: ergo non tenetur emptor ad restituendum ipsi domino immediatè, sed satis erit quòd restituat latroni, vt ipse reddat vero domino, qui illum tali re spoliauit. Confirmatur, nam vera restitutio est constituere rem in suo statu quam habebat ante meam actionem iniustam, quia per talem reductionem nulla per me manet inæqualitas facta. Denique, quia ipse fur principaliter tenetur tanquam causa totalis, & adæquata primò spolians, ad faciendam illam restitutionem: ergo sufficiens modus restituendi est, tradere latroni rem, vt ipse per se ipsum satisfaciat. Ex his

47. Infertur primò, eodem modo philosophandum esse de fructibus; quod intelligendum est de fructibus extantibus: ex consumptis verò id tantùm, in quo quis factus est locupletior. Ad iudicandum verò id, in quo quis factus est ditior, occasione rei alienæ bona fide possessæ, & consumptæ, debet spectari punctum in quo cessat bona fides. nam si ea durante id quoque in quo factus est ditior expendisti, & quando ea bona fide cessat nihil illius habes, non diceris factus locupletior, nec aliquid teneberis restituere, vt si inutiliter expendisti, vel lautiùs viuendo, vel sumptus, vel eleemosynas faciendo, quas non eras facturus, carens illa re, vel pretio, vel fructibus illius, in nihilo certè factus es ditior, & ita nihil teneris restituere.

48. Infertur secundò, si quis grato animo accipiat rem alienam, teneri ad restitutionem faciendam vero domino, cùm primùm cognouit rem esse alienam: nec posse illam reddere ei qui donauit sibi, nisi moraliter sit certus quòd fur eam domino restituet. nam in hoc euentu cessat ratio restituendi eam furi ad recuperandum pretium.

49. Infertur tertiò, quòd quamuis non liceat emere scienter rem alienam animo retinendi illam; licere tamen ad illam restituendam domino vero. In quo casu si res paruo pretio ematur, & probabile sit non posse rem illam alia via recuperari, manet in emptore ius vtiliter gesti, vt in foro exteriori cogatur dominus rei soluere pretium illud emptori, quia emptor in hoc casu negotium domini rei prudenter, & vtiliter gessit: secus si pretium adeò esset magnum, vt non censeretur illud negotium gestum in vtilitatem domini.

50. Vbi obserua, suprà dicta esse intelligenda de rebus alienis, quæ propriis non sunt ita permixta, vt discerni possint. Quæ enim ita permixta sunt, vt discerni non possint, transeunt in dominium eius cuius rebus permixta sunt, & periit obligatio restituendi; quia in talibus non est ratio, nec causa, cur potius hæc pars, quàm alia censeatur aliena. Vnde si quis bona fide pecunias furtiuas accepit, easque cum propriis commiscuit, idem est de oleo, tritico, &c. non tenetur domino pecuniarum comparente, ad restitutionem. Ita Vazquez de restit. cap. 6. dub. vlt. Sanchez in summa lib. 2. cap. 23. & est communis sententia, quæ certè semper mihi difficilis visa est; cùm enim mihi certò constet rem meam esse huic permixtam, pecuniam, oleum, triticum, &c. cur non possum ex mixto illo partem meam extrahere; videtur enim hoc rationi naturali aduersari: si ergo ego habeo ius ad illam, alter etiam tenetur restituere, & ita docet Lessius lib. 2. cap. 20. dub. 18.

51. Denique infertur, decisio illius difficultatis, an miles fugiens è bello Maurorum, & extrahens torquem aureum ab alio Christiano demortuo in acie, teneatur eum restituere hæredibus. Respondetur cum Fagundez lib. 7. cap. 20. teneri, deducto pretio laboris & periculi, si cui se exposuit. Cuius ratio est, quia Mauri cum iniustum bellum contra nos gerant, non possunt dominium spoliorum habere, sed adhuc permanet, & perseuerat in antiquis dominis, illorumque hæredibus, & ita tenet etiam Molina tomo 1. disput. 118. qui rectè obseruat disput. 119. licitum esse Catholicis emere à Turcis, vel piratis hæreticis res furto ablatas, quando verisimile est illas nunquam deuenturas esse ad manus suorum dominorum, ita vt si proprius dominus comparuerit, illam accipiat reddito sibi pretio

Digitized by Google

pretio pro illis dato, vel sibi retineant si non comparuerit; hæc enim est rationabilis voluntas dominorum. E contra verò qui extrahunt à pitatis naues onustas mercibus à Catholicis captas, tenentur eas dominis restituere, vel hæredibus eorum, vel pauperibus in defectum illorum, deducto pretio laboris & periculi, cui se exposuerunt.

51. Quoniam verò contingere potest, vt qui bona fide rem possidet, incipiat dubitare an sit aliena: si adhibita diligentia circa rei proprietatem, non potuerit veritatem cognoscere, rectè potest totam rem habere & consumere. Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia in retentione & potestate retinendi rem illam, ex iustitia præferri debet ille, qui præstantior est in iure, seu ius præstantius & efficacius habet: sed quando inter aliquos est dubitatio de iure proprietatis alicuius rei, possessor bonæ fidei habet maiorem rationem iuris: ipsa enim possessio bonæ fidei est ius quoddam, quod non habet alter, de cuius proprietate dubium est: ergo quando est dubium de proprietate, ille qui bona fide rem possidet, quousque per sententiam, aut per aliam viam de proprietate constet, iustè potest rem illam habere, & illa vti. Et confirmatur ex vulgari iuris regula, *In pari causa, melior est conditio possidentis*; sed quando inter aliquos est dubitatio de proprietate rei, interim par est illorum causa: ergo inter illos melior est conditio possidentis, vt scilicet possit rem habere, cum onere tamen restituendi quando veritas constiterit. Qui verò rem mala fide accepit dubitans esse alienam, tenetur adhibere diligentiam ad assequendam veritatem; quod si facta diligenti inquisitione non possit veritatem inuenire, tenetur restituere cum fructibus ad ratam dubij, inter eos quorum esse dubitat, sicut malæ fidei possessor: si verò persona sit ignota, restitutio debet fieri pauperibus.

52. Similiter possessor bonæ fidei dubius de proprietate rei, post adhibitam debitam diligentiam, si cognoscit nullum esse periculum, ne inueniatur dominus, & illam exigat ab emptore, honestè potest rem illam alienare, vel vendere; hæc enim venditio nec est iniuriosa emptori, cui cognoscitur nullum posse euenire periculum; nec etiam est iniurioſa domino rei, si fortè illa aliena sit: quando enim adhibita diligentia possessor bonæ fidei dubitat an sit res sua; quemadmodum potest illam consumere, potest illam distrahere. nam ratione possessionis præfertur vt prædicta re vti possit. Si verò agnoscit esse periculum, ne aliquando inueniatur dominus rei, qui illam tanquam suam vendicet, non potest qui illam habet eam vendere non admonito emptore de periculo euictionis: huiusmodi enim periculum defectus quidam est rei; qui nocere possit emptori, & ideo illi manifestandus: secus venditio esset dolosa, ex qua oriretur obligatio resarciendi omnia damna, quæ ex tali venditione orirentur.

53. Ex quo etiam infertur, quando liceat emere ab alio rem de qua quis dubitat an illius sit. Aut enim dubitatio est de sola proprietate, non autem de possessione bonæ fidei, aut certè de vtroque simul est dubitatio. v.g. si quis dubitet, an venditor mala fide illam rem habeat, & vendere velit. Si dubitatio tantùm sit de proprietate, non verò de bona fide & possessione venditoris, honestè quis potest rem illam emere; sicut enim venditor in dubio ratione possessionis, potest rem habere: sic etiam potest ius suum in alterum transferre, titulo iusti pretij & venditionis. Si verò quis dubitet etiam de bona fide venditoris, non potest illam emere, vt in posterum tanquam suam habeat; huiusmodi enim dubium coniunctum habet periculum inferendi iniuriam domino rei. Quòd si quis cum prædicta dubitatione rem emat, primum quidem debet adhibere diligentiam, vt veritatem agnoscat: si verò adhibita diligentia dubium adhuc perseueret, iudicandum est de illo perinde ac de aliis, qui simul dubitant de proprietate & possessione, qui non possunt rem totam retinere, sed debent distribuere illius valorem inter illos de quibus est dubitatio.

Sectio VI.

An ad obligationem restituendi ob iniustam acceptionem, necessaria sit culpa iniustitiæ mortalis.

54. Secunda radix restitutionis, vt suprà diximus, est ex iniusta acceptione, quando res aliena est accepta contra iustitiam ex parte accipientis, & re vera in acceptione (commisit formaliter iniustitiam accipiens: siue per quam proximus est re ipsa læsus, vel damnum illi est datum. Dixi *re ipsa*. nam si damnum in re non est factum, licèt fuerit voluntas illud faciendi, non obligat ad restitutionem: requiritur ergo vt proximus fuerit re ipsa contra iustitiam læsus. Ex quo fit, ad obligationem restituendi quæ oritur ex iniusta acceptione, necessariam esse culpam aliquam quæ propriam habeat rationem peccati, & turpitudinis. nam, vt rectè Aristot. 5. Ethicor. cap. 6. & 9. iniuriam agere, est sponte lædere, & cum scientia eius quod fit: quod quidem non potest contingere sine peccato, & reprehensione eius qui operatur. Et ratio est, quia quando huiusmodi nocumenta inferuntur sine peccato, obligatio restituendi non oritur ex contractu, qui nullus est; nec ex re accepta, cùm ea non exter, sed potiùs destruatur: nec etiam ex iniustitia voluntaria eius, qui infert nocumentum; ergo quando nullum est peccatum, nulla est obligatio restituendi, etiamsi quis causa sit physica nocumenti quod aliis infertur.

55. Pro cuius tamen intelligentia notandum est, culpam dupliciter à Doctoribus dici, scilicet theologicam, & iuridicam. Culpa theologica est operatio libera contra legem, ac proinde facta cum ea aduertentia & cognitione, quæ requiritur ad turpitudinem, & peccatum. Culpa verò iuridica dicitur negligentia, vel omissio eius quod faciendum esset ad impediendum damnum alicuius; siue hæc negligentia accidat cum peccato, siue absque peccato, ratione inaduertentiæ, aut ignorantiæ: ex qua culpa iuridica ratione contractus sæpe est obligatio restituendi, etiam sine peccato & culpa theologica, vt infrà dicemus. Ad restitutionem tamen cuius necessitas non oritur ex contractu, sed ex solo nocumento, peccatum & culpa theologica semper necessaria est.

Et ex hoc principio quod generale est in hac materia,

56. Colligitur primò, illum qui infert nocumentum ex ignorantia inuincibili, non teneri ad restitutionem, quia huiusmodi ignorantia quis excusatur à peccato, sine quo non potest esse obligatio restituendi ex nocumento illato. Ex ignorantia autem inuincibili operatur ille, qui nulla ratione cogitauit in sua operatione esse aliquod periculum contra alterum, alioquin non operaturus si simile periculum esse agnouisset: vel certè si de periculo cogitauit, adhibuit tamen remedia quæ secundùm prudentiam debuerunt adhiberi, vt damnum al-

terius impediretur ; vulgare exemplum est, si quis contra feram tormentum bellicum explodat,& interficiat dormientem aliquem, quem tamen suspicari non potuit in eo loco iacere.

57. Idem dicendum quandocumque ignorantia nocumenti est inuincibilis, etiamsi sit concomitans operationem externam,excusari à peccato, nec inducere obligationem restituendi. Dicitur autem ignorantia comitans, quando eodem modo quis nocumentum inferret,si illius periculum agnosceret. Et ratio huius est,quia ignorantia inuincibilis & comitans nocumenti quod quis infert, excusat externam operationem;huiusmodi enim ignorantia quamuis non faciat nocumentum esse inuoluntarium; facit tamen esse non voluntarium : ad rationem enim voluntarij necessaria est scientia eius quod fit, qualis scientia tollitur per ignorantiam etiam concomitantem.

58. Secundò colligitur, quando resarciri debeant nocumenta quæ inferuntur à dormientibus,aut ab his qui aliquibus temporis interuallis priuantur vsu rationis. In quo distinguendum est, aut enim huiusmodi homines tempore vigiliæ & vsus rationis, cognouerunt periculum nocendi aliis:vel certè de tali periculo nihil cogitare potuerunt.Si nihil cogitauerunt ex quo possent periculum timere,ab onere restitutionis excusantur;quia sine vllo peccato damnum inferunt. Si verò ratione alicuius præcedentis euentus cogitauerunt de periculo nocendi aliis, distinguendum est rursus : aut enim adhibuerunt remedium,de quo prudenter satis iudicatur esse ad impediendum nocumentum, v.g. faciendo claudi cubiculum,aut quid simile;vel certè neglexerunt simile remedium adhibere : si non omiserunt remedium prudens,à peccato & à restitutione excusari debent : si autem neglexerunt,ad restitutionem tenentur ; non quidem quia operatio nocendi tempore somni, ebrietatis, aut amentiæ,actualem habeat malitiam;sed quia omisit adhibere debitum remedium ex quo nocumentum ducit originem.

59. Inquires qualis debeat esse culpa,vt ex illa oriatur obligatio restituendi,an scilicet illa debeat esse contra iustitiam,& communis sententia Doctorum docet,necessariam esse culpam iniustitiæ, quæ sumitur ex D.Thoma art.7.ad 3.asserente, *non omnem qui non impedit nocumentum alterius,teneri ad restitutionem,sed solùm quando illud incumbit ex officio.* Cuius rei optimam rationem reddit Nauarr.cap.17.n.11. quia obligatio restituendi ex delicto,necessariò debet oriri ex peccato,quòd sit ablatio boni alieni:est enim restitutio,redditio eius quod ablatum est:solum autem peccatum iniustitiæ formaliter est ablatio alieni boni, non verò alia peccata ; ergo ex sola culpa iniustitiæ potest oriri obligatio restituendi, & ideo radix huius restitutionis dicitur ex iniusta acceptione, quia sine iniustitia, non est obligatio restituendi ex delicto.

60. Ex quo fit primò iudicem qui fert sententiam contra aliquem reum ex odio,non tamen transgrediendo leges iustitiæ, quas in iudicio seruare debet,ad nullam teneri restitutionem:quia obligatio restituendi ex delicto, non oritur ex solo peccato contra charitatem, nisi peccatum etiam iniustitiæ coniunctum ei sit. Secundò fit,ex negligentia culpabili subueniendi proximis in extrema, aut graui necessitate,quamuis ex tali negligentia aliqua nocumenta proximis eueniant, non oriri obligationem restituendi ; quia cùm talis obligatio subueniendi non oriatur ex iure quod proximus habeat, sed ex lege misericordiæ, peccatum contra illam non est iniustitiæ;ac proinde nec inducit restituendi obligationem. Idem iudicium est de his,qui vident nocumenta proximis ab aliis inferri, nec tamen impediunt, non teneri ad restitutionem, nisi ex officio huiusmodi damna deberent impedire.

61. Denique inquires, quanta debeat esse culpa iniustitiæ,vt ex illa oriatur obligatio restituendi.Respondeo,secluso omni contractu, & officij obligatione,culpam hanc debere esse mortalem : quare si quis excusetur à culpa mortali in illatione damni grauis,excusabitur ab obligatione restituēdi etiam sub veniali, quamuis culpa ex se mortalis propter defectum aduertentiæ plenæ fuerit venialis : quia damnum graue ex obligatione proueniente ex peccato restituendum, petit grauem culpam sibi proportionatam suapte natura, & completam in ratione iniuriæ, qua non existente liber omnino erit à restitutione;quia tunc secutum est damnum veluti fortuitò.Ita Nauarra lib.2.cap.1.num.248.sicut quando sine culpa etiam leui est damnum datum; est enim tunc omnino fortuitò datum.Fateor quidem in casu dicto,quando graue damnum illud datum est cum culpa tantùm veniali, aliquos docere probabiliter,esse obligationem restituendi sub peccato veniali. Quando verò damnum est, si datum est plena aduertentia,& peccato veniali, erit obligatio restituendi sub veniali ; quia tunc culpa & damnum sunt proportionata. Quando denique quis excusetur à graui culpa inferens damnum graue proximo, ex circunstantiis est colligendum, & quantitate damni:illud sit certum, in eo casu ad obligationem restituendi sub mortali, requiri grauem culpam,siue teneatur quis de leui, vel leuissima,siue lata negligentia : quæcis enim requirit in eo casu culpam grauem theologicè loquendo. Vnde omissio diligentiæ quæ non est mortalis,excusat ab obligatione restituendi. Itaque maneat stabilitum, ad obligationem restituendi damnum graue datum ex culpa,requiri peccatum graue : sic enim iniuria completè fit, propter quam est obligatio restituendi;ac proinde ex quacumque causa excusetur à graui culpa,excusabitur etiam ab obligatione restituendi.

62. Et ex hac doctrina infertur solutio illius difficultatis, an damna quæ à brutis animalibus inferuntur, necessariò sint ab eorum dominis resarcienda : hoc autem dupliciter potest contingere, vno modo domino sciente, aut aliqua ratione timente damnum, negligente autem remedium,per quod eiusmodi damnum impediri posset.Secundo modo domino ignorante, & sine vlla negligentia ipsius in custodia prædictorum animalium.Et priori modo certum est,dominum teneri ad resarciendum damnum illarum, quia ea quæ nostræ custodiæ sunt commissa,sunt veluti instrumenta nostra, ita vt à nobis fieri censeantur, quæ à nostris rebus fiunt; nobis quidem scientibus, non tamen impedientibus ; quod, vt aduertit Siluester verbo restitutio 2. non solùm est verum in dominis, sed etiam in capitibus familiæ, debent enim impedire ne fiant damna ab his qui sub ipsorum curam extant.

63 Si verò secundo modo, hoc est,sine domini negligentia damnum inferatur,iure Canonico & Ciuili statutum est,dominum animalis quod aliquod detrimentum infert,debere totum damnum resarcire,aut animal ipsum pro nocumento tradere. Ita habetur cap. vlt. de iniuriis,& damno dato, & Institut.de noxalibus actionibus, & sæpe alibi. nempe quando seruus infert damnum,aut esse à domino resarciendum, vel seruum ipsum esse tradendum

Digitized by Google

dum pro damno. Existimant verò nonnulli prædictam obligationem oriri ex iure naturali. Verius mihi videtur solùm obligare ex lege positiua humana, quæ huiusmodi actionem tribuit his qui damna patiuntur, vt apud iudicem petere possit satisfactionem, ac proinde in foro conscientiæ non obligari ante iudicis sententiam. Ita Nauarra 2. de Restit. cap. 1. num. 35. & probatur, quia ex lege naturali non magis obligatur ad resarciendum nocumentum ille, sine cuius culpa habet animal quod nocumentum inferat, quàm alius qui per se ipsum sine culpa infert nocumentum; aut quia illud ignorat; vel quia defectu libertatis non est capax malitiæ: sed quando homo sine sua culpa damnum infert, non tenetur ad restitutionem, v. g. infantes, amentes, furiosi, & similes: ergo illi quorum animalia sine ipsorum culpa damnum inferunt, ex sola rei natura, non tenentur ad compensationem.

Sectio VII.

De obligatione restituendi, quæ oritur ex contractu.

63. NOn loquimur de hac obligatione ratione iniustitiæ commissæ circa pretium, aut materiam contractus, sed solùm de obligatione restituendi orta ex negligentia. Contractus autem alij sunt per quos transfertur dominium vnius in alterum, v. g. mutuum, venditio, permutatio, donatio, etiamsi vox *contractus*, minus propriè accipiatur. Alij verò sunt per quos non transfertur dominium, sed res traditur, vel ad aliquem vsum, v. g. commodatum, precarium, & locatum; vel ad solam custodiam, vt depositum, & pignus. Præterea mandatum quando in eo intercedit traditio alicuius rei, in qua aliquid fieri debet. Ex quibus contractibus alij referuntur in vtilitatem solius accipientis; scilicet mutuum, donatio, commodatum, & precarium. Alij respiciunt vtilitatem solius dantis, scilicet depositum, & mandatum. Alij respiciunt vtilitatem vtriusque contrahentis, scilicet venditio, locatio, & pignus. Et quia fieri potest, vt in deposito ratione custodiæ aliqua merces detur, in eo casu depositum ad vtilitatem vtriusque contrahentis refertur, & de illo iudicandum est perinde atque de locato. Quo etiam modo iudicandum est de contractibus, per quos artificibus dantur res alienæ, vt in illis aliquid faciant propter pretium constitutum; in illis enim vtriusque contrahentis vtilitas respicitur. Magni autem momenti est, an contractus respiciat vtilitatem vnius contrahentis, an verò vtriusque; quia iuxta diuersos gradus vtilitatis, variantur etiam gradus obligationis restituendi.

64. Tres autem sunt causæ, ex quibus perire potest res aliena antequam domino restituatur, scilicet dolus, culpa, & casus fortuitus. Dolus est machinatio ad decipiendum aliquem adhibita; nomine autem machinationis, intelligitur operatio, vel omissio operationis coniuncta cum aliqua calliditate & astutia, ad tegendam intentionem circumueniendi, vel decipiendi alterum, cum qua intentione aliquis operatur.

65. Culpa verò dicitur hîc, negligentia prouidendi id quod quis prouidere & cauere tenetur; quæ quidem à dolo distinguitur, quia dolus necessariò est cum astutia & intentione decipiendi; culpa verò est negligentia sine illa voluntate: quæ quidem negligentia esse potest cum præscientia periculi, & sine illa, ac proinde interdum est coniuncta cum peccato, & delicto contra iustitiam: interdum verò ratione ignorantiæ, aut inaduertentiæ, quod dicitur culpa theologica, esse potest; negligentia enim ipsa prout abstrahit à peccato, dicitur culpa iuridica. Casus verò fortuitus dicitur inopinatus euentus, cui homo non potest resistere. l. 18. ff. commodat. v. g. incendia, naufragia, latronum aut piratarum incursus, vt in eadem lege explicatur.

66. Culpa verò tripliciter à Doctoribus dicitur, scilicet lata, leuis, & leuissima, hoc est, magna, mediocris, & minima, quas bene explicat Nauarrus c. 17. num. 176. Culpa lata dicitur, negligentia cauendi id quod omnes vt plurimum cauent, leuis verò, est negligentia cauendi illud quod saltem diligentes cauere solent, leuissima autem culpa, est negligentia quæ in homines valde diligentes non cadit: vel quæ à diligentissimis caueri potest. Illustratur hoc exemplo. Si quis librum commodatum relinquat in loco patenti, circa quem multi transire solent, dicitur negligere per culpam latam, & maximam. Si verò in arca illum deponat, quam tamen clauis non claudat, dicitur esse in culpa leui. Si autem curam habeat obserandi arcam claue, non tamen manu experiatur, an clauis fideliter obseraverit, dicitur esse in culpa leuissima, quam homines cautiores & magis diligentes, cauere solent. Atque hoc modo per habitudinem ad tres gradus diligentiæ & prudentiæ, explicandi sunt tres gradus culpæ latæ, leuis, & leuissimæ in aliis negotiis, in quibus lata culpa est negligere illud, quod vt plurimum prouident omnes, qui sunt eiusdem qualitatis & professionis: leuis verò culpa est, negligere id quod cauent diligentiores eiusdem professionis; leuissima verò est negligere id quod saltem diligentissimi, & prudentissimi cauent. His præmissis, sit

67. Prima conclusio. Ex nullo contractu oritur obligatio restituendi rem alienam, quæ periit ex casu fortuito, nisi ea obligatio in ipso contractu explicetur. Probatur ex iure Canonico cap. vlt. de commodato, & cap 2. de deposito, & ex iure Ciuili l. 27. ff. de regulis iuris, & l. 18. ff. commodati, & l. 22. Codice de negotiis gestis. Et ratio est, quia quando in contractu aliud non exprimitur, contrahentes tantùm censentur respicere ea quæ sunt in ipsorum potestate, quales non sunt casus fortuiti, & ideo obligatio restituendi rem quæ destruitur ex casu fortuito, non potest oriri ex contractu, nisi in illo expressè declaretur. Posse tamen in contractu exponi eam obligationem; esseque validam in foro conscientiæ, traditur in iuribus citatis, cuius ratio est, quia quisque potest sua sponte alteri se obligare ad suscipiendum periculum. Ex alio etiam capite potest oriri hæc obligatio, scilicet ex delicto iniustitiæ contra illa, quæ ponuntur in contractu. v. g. ex mora culpabili restituendi rem acceptam, vel ex vsu iniusto rei acceptæ: si enim quis accipiat commodatum argentum alterius, vt hospites ad cœnam inuitet; portet verò argentum in alium locum, & in naufragio illud amittat, planè ad restitutionem tenetur, vt dicitur l. 18. ff. commodati. Et tunc obligatio oritur ex delicto iusti vsus argenti; actus enim illud deferendi præter voluntatem domini in alium locum, causa est vt illud pereat ex casu fortuito naufragij, atque hoc modo ex aliis casibus iudicandum est. Quod tamen est intelligendum, quando mora, vel actus iniustus, est causa vt res aliena pereat per casum fortuitum:

quando enim esset similiter peritura apud dominum, actus iniustus vtendi re ipsa non infert damnum quod ex iustitia restitui debeat. nam simile damnum futurum esset non intercueniente mora, aut actu iniusto.

68. Secunda conclusio. In quolibet contractu est obligatio restituendi rem alienam si ea pereat ex dolo, aut lata culpa eius, qui rem alienam habet. Probatur ex his, quæ circa depositum iure Canonico & ciuili definita sunt. nam in depositio obligatio custodiendi rem acceptam est minor, quàm in aliis contractibus, si nullum detur pretium pro custodia: sed in depositio obligatio est rem depositam restituendi ex dolo & lata culpa depositarij; ergo eadem obligatio est in omnibus aliis contractibus. Minor probatur ex cap. 2. de depositio, & ex l. 23. ff. de regulis iuris. Quòd verò ea restituendi obligatio oriatur etiam ex culpa lata, cum qua sit coniuncta negligentia custodiendi rem alienam, eo modo quo quisque custodire solet res suas, etiam constat. nam cùm in depositio obligatio custodiæ sit minor, quàm in aliis contractibus; esse tamen debet tanta custodia, quantam quis in suis rebus adhibere solet, vt dicitur l. 32. ff. depositi, & ipsamet ratio dictat, non esse bonæ fidei custodem illum, qui rem depositam alienam minus diligenter custodit quàm propria bona. Nihilominus in iuribus citatis sæpe dicitur in depositio solùm præstari dolum, quia hoc nomine etiam intelligitur lata culpa quæ dolo æquiparatur. l. 226. ff. de verborum significatione.

69. Tertia conclusio. Quando contractus liberè reuocari potest ab illo qui rem suam alteri tradit, tunc illè qui rem alienam habet, ad restitutionem solum tenetur ex dolo & lata culpa, nisi aliquid aliud in contractu explicetur. Probatur ex l. 23. ff. de regulis iuris. vbi Iurisconsultus: *Contractus*, inquit, *quidam dolum tantùm recipiunt, scilicet depositum & precarium*, ex quibus depositum est in vtilitatem solius dantis, vt res illius custodiatur; precarium verò in vtilitatem accipientis, vt vti possit re aliena dependenter à voluntate domini, & conueniunt hi duo contractus, quòd reuocari possunt pro voluntate domini qui rem suam alteri tradit, vt diffinitur iure Canonico cap. 3. de precariis, & cap. 2. de depositio. Ex quo patet causam proximam, ob quam ex his contractibus solum oritur obligatio restituendi ex dolo & lata culpa, non esse solam vtilitatem contractus, in qua depositum & precarium valde differunt; sed potiùs illam dependentiam, per quam res aliena detinetur, dependenter à voluntate domini, quod in precario Vlpianus apertè docet, l. 8. ff. de precario. quæ quidem licèt humano iure constituta videantur, nihilominus in foro conscientiæ ante vllam sententiam iudicis obseruanda sunt. nam contrahentes illa debent facere ex obligatione iustitiæ, quæ in contractu posita sunt. Quando enim nihil aliud explicant in contractu, illum perficere censentur secundùm formam iuris: in iure autem explicatum est ex precario & depositio obligationem restituendi solum oriri ex dolo & lata culpa; ergo hoc ipsum in foro conscientiæ seruari debet, nisi aliqua maior obligatio in contractu explicetur.

70. Vbi obserua, communiter Doctores docere, propterea in depositio esse obligationem restituendi tantùm ex dolo; quia solùm respicit vtilitatem dantis, quæ quidem causa remota est prædictæ obligationis; ex eo enim quòd depositum ordinetur in solam dantis vtilitatem, oritur, vt reuocari possit à depositore quando illi placuerit; & idem contingit in precario: quapropter dominus rei censetur adhuc habere curam rei suæ; & ideo ille qui propter hos contractus rem alienam accipit, solùm tenetur ex dolo & lata culpa, contra rationem bonæ fidei, qua res aliena custodiri debet: non enim salua fide minorem in depositio, quàm in suis rebus diligentiam quis præstare debet; ac proinde ex huiusmodi negligentia, perinde atque ex dolo & fraude, oritur obligatio restituendi.

71. Quarta conclusio. Quando contractus liberè reuocari non potest, si respicit vtilitatem vtriusque contrahentis, accipientem obligat de culpa lata & leui; si autem sit in vtilitatem solius accipientis, obligat accipientem etiam in culpa leuissima. & probatur iure Canonico, ex cap. 1. de commodato, & iure Ciuili l. 5. & 18. ff. commodati, & l. 1. ff. de obligationibus. Deinde probatur prior pars, quia æquitas contractus postulat, vt accipiens strictius teneatur, quàm si contractus non celebraretur in eius vtilitatem: sed quando non celebratur in eius vtilitatem, tenetur de dolo & lata culpa; quia tenetur prudenter se gerere secundùm communem hominum prudentiam: ergo cùm celebratur in vtilitatem vtriusque, æquitas contractus postulat, vt accipiens debeat adhibere maiorem diligentiam; atque adeò vt ad restitutionem obligetur non solùm de lata, sed etiam de leui. v.g. si depositum tradatur depositario, non solùm propter vtilitatem deponentis, sed etiam propter vtilitatem ipsius depositarij, tunc depositarius non solum teneretur de lata, sed etiam de leui. nam, vt prædictum est, de lata teneretur, etiamsi depositum non cederet in eius vtilitatem. Et ex eadem ratione constat secunda pars, quia æquitas contractus postulat, vt in illo casu ille teneatur de leuissima; quia si fieret contractus in vtilitatem vtriusque, teneretur tantùm de leui; cùm autem strictiori vinculo teneatur, sequitur quòd si contractus in vnius tantùm vtilitatem celebretur, is teneatur de leuissima; quia in eo casu æquitas postulat, vt strictius teneatur, quàm si in vtilitatem vtriusque celebraretur.

72. Est tamen difficultas, an huiusmodi leges obligent in conscientia, præcipuè quando obligat contractus ex culpa leui, aut leuissima. In qua dicendum censeo contra Sotum, solam culpam iuridicam obligare in contractu ad restitutionem. Primò, quia istæ leges non sunt pœnales, sed sanciunt id quod naturali æquitati est consentaneum præstare circa rem alienam: nec dubium esse potest, legislatorem potuisse tales leges ferre, quæ obligarent in foro conscientiæ. Secundò probatur à priori, quia illa quæ in contractu ponuntur ex iustitia fieri debent, etiamsi non subsequatur alia ratio obligationis: ipse enim contractus ex se est obligatio mutua, vel causa mutuæ obligationis: sed quando contractus respicit communem vtilitatem, vel tantùm illius qui rem alienam accipit, in illo constituit obligationem restituendi ex culpa leui, aut ex leuissima. nam contrahentes quando aliud in contractu non explicant, contrahere censentur secundùm formam iuris, in quo apertè expressum est, quosdam contractus obligare ex culpa leui, aut etiam ex leuissima pro ratione vtilitatis: ergo hæc obligatio ex sola contractus natura oritur sufficienter, quamuis nulla culpa theologica subsequatur ex qua pereat res aliena, quapropter l. 1. ff. de obligationibus, obligatio ex contractu distinguitur ab obligatione ex delicto, quoniam scilicet sine vllo delicto, vim suam habet. Et ex his

Infertur

73. Infertur primò venditorem qui rem venditam apud se habet ante traditionem, si illa pereat ex culpa illius leui, teneri ad illius restitutionem; non autem si pereat ex culpa leuissima, aut ex casu fortuito; quia in venditione vtriusque contrahentis vtilitas respicitur.

Infertur secundò similiter illum qui habet pignus ad securitatem sui debiti, si illud pereat, obligari ex culpa leui, non tamen ex leuissima, ob eamdem rationem, quia, vt docet Nauarrus cap. 17. num. 105. contra Caietanum, in contractu pignoris vtriusque contrahentis vtilitas respicitur.

Infertur tertiò, artifices qui res alienas accipiunt, vt in illis aliquid efficiant pro mercede, teneri ad restituendum si res alienæ quas habent, pereant ex culpa ipsorum leui, non autem ex culpa leuissima; perinde atque ex contractu locati, vt patet ex leg. 13. ff. locati. A qua regula excipiuntur nautæ, caupones, stabularij, qui etiam ex culpa leuissima tenentur, vt dicitur l. 2. eodem titulo; ad reprimendam enim improbitatem istorum, ne possint cum furibus conuenire, tanta obligatio illis imposita est.

Infertur quartò, artifices omnes quando sine mercede laborant in rebus alienis, non teneri nisi ex dolo, & lata culpa; quia tunc in contractu solum respicitur vtilitas dantis, sicut in deposito.

Sectio VIII.

Quando teneantur ad restitutionem qui ex periculo vt res propriæ conseruentur, negligunt alienas, quas debebant restituere.

74. Hæc difficultas maior est, quando restitutio debetur ex contractu, quàm quando debetur ex delicto: quando enim ex delicto præcedenti obligatio est restituendi, quocumque modo res pereat, vel illius pretium debet domino restitui, etiamsi perire permissa sit ad saluandas res maioris pretij, vt constat ex iure Canonico cap. 1. de commodato, vbi definitur: *Commodatarium teneri etiam ex casu fortuito, si præcedat culpabilis mora restituendi.* Vnde infertur potiori iure id esse dicendum, si præcedat iniusta rei acceptio. Quando verò res quæ perire permittitur, debetur ex contractu, res est magis ambigua, ad quam diffiniendam, comparandum est pretium rei quæ negligitur, cum pretio aliarum rerum quæ conseruantur, considerandus etiam est gradus culpæ, ex quo quis tenetur ex contractu.

75. Prima conclusio. Quando contrahentes tenentur etiam ex culpa leuissima; tunc non tenentur ad restitutionem, quamuis negligant res alienas, vt conseruent res proprias maioris pretij; tenentur tamen si eas negligant vt conseruent res proprias æqualis, aut minoris pretij. Prior pars probatur, quia nulla est nec leuissima culpa, negligentiæ, aut imprudentiæ, relinquere rem minoris pretij, vt res maioris pretij conseruetur: at quando sine vlla culpa perit res commodata, v.g. tunc commodatarius ad restitutionem non tenetur: liber ergo manet, quamuis rem commodatam negligat, pro conseruanda re maioris pretij. Secunda etiam pars constat, quia non solùm leuissima, sed etiam maior culpa est, negligere rem pretiosiorem, pro re minus pretiosa; hoc enim homines communiter prudentes non faciunt: ergo commodatarius, qui tenetur ex culpa leuissima, tenetur etiam ad restitutionem, quandocumque rem commodatam maioris pretij negligit, pro conseruanda re minoris valoris. Denique tertia pars, quòd etiam sit hæc obligatio quando res commodata negligitur, pro alia æquali, constat ex l. 1. ff. de obligationibus; quia commodatarius maiorem diligentiam præstare debet in custodiam rei commodatæ, quàm in rebus suis, vt dicitur in eadem lege: qui autem rem commodatam negligit pro alia æquali, non maiorem, sed minorem custodiam præstat erga rem commodatam: ergo tenetur ad restitutionem. Quare l. 1 ff. commodati, commodatarius dicitur teneri ad restitutionem, si in incendio cùm posset rem commodatam saluam facere, suam prætulit. quod saltem est intelligendũ, quando cætera sunt paria: ergo quando est æqualitas inter rem commodatam & propriam, commodata potiùs conseruanda est, ac proinde sine obligatione restitutionis, negligi non potest.

76. Secunda conclusio. Quando contrahentes tenentur de dolo & culpa leui, non autem de leuissima, vt conductores, sine obligatione restituendi possunt negligere rem alienam, vt conseruent rem propriam maioris, aut æqualis pretij; tenentur tamen ad restitutionem si rem alienam negligant pro conseruanda re minoris pretij. Prima pars probatur ex ratione præcedenti, quia hæc omissio nulla vel leuissima culpa est. Et ex eadem ratione colligo, non esse restituendi obligationem quando res conducta æqualis, pro alia æquali relinquitur; in hac enim omissione nihil est quod non faciant homines prudentes: ergo in illa non est leuis culpa, sine qua tamen ex locato non est obligatio restituendi. Et ratio à priori est, quia quando contractus est vtilis vtrique contrahenti, non est ratio ob quam res aliena præferri debeat; cùm tamen ea ratio sit in commodato, quia non fit propter vtilitatem commodantis. Vltima verò pars, quòd scilicet ad restitutionem teneantur, si rem maioris pretij negligant, constat ex dictis. nam contrahentes qui obligantur etiam ex culpa leui ex contractu, debent præstare custodiam quam præstant prudentiores, qui tamen non relinquunt res maioris pretij, pro rebus minoris valoris.

77 Tertia conclusio. Si loquamur de deposito, distinctione vtendum est. nam si depositarius qui solùm tenetur ex dolo & lata culpa, spem non habeat recipiendi à depositore pretium rei suæ, negligere potest rem depositam, vt conseruet propriam, etiam minoris pretij: si tamen habeat certam spem, non potest rem depositam negligere, sine mala fide, & obligatione restitutionis. Prior pars est manifesta, quia depositarius, qui nullam ex contractu depositi vtilitatem percipit, non tenetur cum damno suo rem depositam conseruare: ergo quando non potest illam conseruare sine periculo rei propriæ; nec habet spem recipiendi pretium suæ rei à depositore, non tenetur negligere rem propriam etiam minoris valoris, vt conseruet rem depositam. Secunda pars etiam probatur, quia depositarius depositum debet custodire, quando sine vllo damno id potest: sed quando spem habet certam recipiendi à depositore pretium rei minoris, pro conseruando deposito, sine vllo suo damno potest illud conseruare: ergo tenetur; secus enim non bona fide depositum custodit.

78. Alius casus in quo etiam necessarium est intelligere obligationem restituendi, ex contractu est, quando solutio alteri debita mittitur per aliquem ex cuius malitia, aut negligentia fit, vt res non detur creditori. In quo casu aliquando alia solutio

Digitized by Google

est necessaria, aliquando minimè. Pro cuius intelligentia notandum est, illum, per quem mittitur solutio, interdum designari ab ipso creditore; interdum verò à debitore eligi. Solutio etiam aliquando debetur ex delicto iniustitiæ, aliquando verò ex solo contractu. Rursus debitum ex contractu, aliquando est personale & indeterminatum; aliquando verò est reale, hoc est, ex iure in re, vel saltem est determinatum: hoc est, alicuius rei determinatæ in individuo. v.g. venditæ, nondum tamen traditæ emptori. Denique quando debitum est reale & determinatum, & ille per quem solutio mittitur, eligitur à debitore, aliquando in electione talis personæ est negligentia & culpa ex qua obligat contractus, levis scilicet, aut levissima: aliquando verò non est vlla culpa ex qua contractus obligat.

79. Dicendum ergo est primò, quando ille, per quem debitum mittitur, à creditore designatur, quamuis solutio creditori non tradatur, nulla est alia obligatio restituendi, ex l. 10. & 12. ff. commodati. Ratio est, quia quandocumque aliquis designatur à creditore per quem solutio transmittatur, ipsa rei traditione ius & dominium totum transit in creditorem, qui solutionem accipit per personam à se designatam, & ideo licèt res postea pereat, periculum est creditoris, non debitoris. Idem iudicium est quando creditor & debitor inter se statuerunt aliquod signum, vt debitor tradere posset solutionem personæ quæ tale signum afferret, in quo casu debitor ipsa traditione rei liberatur ab omni debito; illa enim conuentio præcedens signi statuti, illam vim habet. Admonet tamen prudenter Medina tract. 2. disput. 396. si ex debitoris manifestatione signum cognitum fuerit ab illo, qui fraudulenter debitum petit nomine alterius, tunc debitorem non liberari; violatio enim secreti signi, causa est vt creditor solutionem non accipiat. Quando tamen debitor signum non manifestat, illud tamen cognoscitur ab aliquo. v.g. qui casu præteriens illud audiuit, & postea nomine creditoris debitum petit, tũc debitor omnino est liber ab obligatione.

80. Secundò dicendum est. Quando internuntius per quem debitum mittitur, eligitur à debitore, si solutio debebatur ex delicto, nec creditori tradatur, necessaria est alia solutio. Ratio est, quia tunc solutio quousque tradatur creditori, adhuc est sub dominio debitoris, & ideo quocumque ex casu pereat, debitori periit, non verò creditori.

81. Tertiò dicendum est, quando internuntius eligitur à debitore, & debitum est ex contractu personale & indeterminatum, si illud re ipsa creditori non tradatur, quacumque ex causa illud contingat, necessaria est alia secunda solutio. Ita Nauarrus in summa cap. 17. num. 67. & probatur ex cap. 7. de pignoribus, vbi debitor quidam, qui sine culpa elegit famulum quem putabat fidelem, dicitur teneri ad secundam solutionem, quoniam famulus cum pecuniis illi datis aufugerat. Et ratio est, quia quando debitum est personale & indeterminatum, quamuis tradatur personæ quæ eligitur à debitore; dominium illius totum est apud debitorem, quousque illud tradatur creditori, vel personæ ab illo designatæ, quæ illius nomine solutionem recipiat: quando autem casu, vel malitia res aliqua destruitur, detrimentum patitur dominus talis rei, nisi ratione alicuius contractus periculum ad alium pertineat: ergo quando debitum est indeterminatum & personale, quacumque ex causa contingat illud non tradi creditori, necessaria est alia secunda solutio. Quod etiam verum est, quando per confessarium restitutio fit rei cuius dominium est apud debitorem; si enim debitor postea intelligat confessarium ex malitia, vel ex alia causa, re ipsa non soluisse debitum, procurare debet vt creditori alio modo re ipsa satisfiat.

82. Quartò dicendum est, quando debitum est reale & determinatum ac ex contractu, & mittitur ad creditorem per internuntium à debitore electum, si illud re ipsa non tradatur creditori, necessaria est alia restitutio, si in electione internuntij intercedat culpa ex qua obligat contractus; si verò in electione huiusmodi culpa non sit, non est necessaria alia restitutio. Prior pars est manifesta, quia contractus, v.g. commodati, quando est in vtilitatem solius accipientis, ex sua natura obligat ad restitutionem rei commodatæ si illa pereat ex culpa leuissima commodatarij: quando autem in electione internuntij per quem res mittitur, est aliqua negligentia, si internuntius cum re commodata fugiat, vel illam amittat, res commodata periit ex culpa leuissima commodatarij, admissa scilicet in electione internuntij: ergo commodatarius ad aliam solutionem tenetur. Similiter in contractu locali tenetur conductor ex culpa leui, si negligens sit in electione illius, per quem rem conductam mittit, ex l. 11. ff. locati.

83. Contraria verò ratione, si nulla sit culpa in electione famuli, per quem res commodata mittitur, quamuis famulus fugiat, dominus non tenetur ad aliam restitutionem. v.g. si rem mittat per famulum quem sæpe expertus sit fidelem in aliis negotiis, ita dicitur ff. commodati. In deposito verò quando est in vtilitatem solius dantis, si res mittatur sine dolo & lata culpa, per illum quem depositarius credit rem depositam traditurum, eo scilicet modo, quo rem suam etiam eidem traderet, tunc ad nullam aliam restitutionem tenetur; quia depositarius solùm præstat custodiam bonæ fidei, quam in suis rebus adhibere solet.

Sectio IX.

Quomodo qui non acceperunt, teneantur ad restitutionem.

84. QVando restitutio debetur sine vllo delicto ex re accepta, aut ex contractu, facilè est explicare personas quæ ad restitutionem tenentur; ex his enim radicibus solùm obligantur illi, qui aut rem habent alienam, aut ex illa facti sunt locupletiores, aut pro contractu se obligauerunt. Quando verò restitutio debetur ex delicto iniustitiæ, res est obscurior. nam præter causam quæ immediatè & physicè damnum infert, sunt aliæ nouem causæ, quæ ex sola cooperatione ad restitutionem etiam obligantur, quarum tres quidem obligantur ex solo concursu negatiuo, quia cessant ab operatione per quam damnum alterius impediretur. Aliæ quatuor concurrunt positiuè, non physico, sed morali modo, scilicet iubendo, consulendo, consentiendo, aut laudando illos qui damnum inferunt. Aliæ verò secundariò concurrunt physico modo, vel præbendo recursum illis qui damna inferunt, vt absconditi possint occidere, aut furare; vel habeant opportunitatem vt possint damna inferre. Alij concurrunt participando in actione damnificandi non tantùm immediatè, vt quando multi conueniunt ad furandos fructus, sed etiam mediatè,

Digitized by Google

diatè, verbi gratia, præbendo instrumenta, ensem scilicet, quo fiat homicidium, vel scalam, vt quis furari possit, vel interim explorando an veniant qui possint videre, & impedire damnum. Quæ nouem genera causalitatis continentur his verbis,

Iussio, Consilium, Consensus, Palpo, Recursus, Participans, Mutus, Non obstans, Non manifestans.

Et non est dubium, quin ex illis omnibus oriatur obligatio satisfaciendi, quotiescumque ex aliquo illorum sequitur nocumentum, ex cap. vlt. de iniuriis, & ex l. 11. ff. eodem titulo, & l. 36. ff. de furtis, & l. 1. ff. de seruo corrupto, vbi sæpè repetitur illa regula iuris Canonici: *Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur.* Nos verò dicemus. Primò quando oriatur obligatio restituendi ex sola cooperatione negatiua non impediendi damnum iniustum alicuius. Secundò, quando sit obligatio restituendi ex causalitate morali. Tertiò, quando sit ea obligatio ex causalitate physica remota efficiendi aliquid, quod iuuat ad efficiendum nocumentum.

§. I.

Quando teneantur ad restitutionem causæ cùm non impediunt aliorum damna cùm deberent.

85. REgula vniuersalis est in hac re. Tunc huiusmodi causas teneri ad restitutionem, cùm non impediunt damna, quæ possent, & deberent ex iustitia impedire, per illam actionem, quam omittunt. Ratio regulæ est, quia omissio quando non est contra iustitiam, id est, quando non est actus debiti ex iustitia, non potest habere rationem ablationis; ac proinde non potest inducere obligationem restitutionis, quæ necessariò supponit aliquam ablationem boni alieni. Ex quo principio certum est, Gubernatores ciuitatum, & alios ministros iustitiæ, qui ex officio conseruare debent iustitiam, & æqualitatem inter ciues, teneri ad restitutionem damnorum quæ propter ipsorum negligentiam inferuntur. Simili ratione custodes montium, vinearum, & similium rerum, qui ex officio præstant custodiam, restituere tenentur non solùm damna quæ ipsis scientibus ab aliis inferuntur; sed etiam illa, quæ propter ipsorum absentiam & negligentiam, inferuntur: ij enim contra iustitiam omittunt actiones debitas ex iustitia, per quas damna impeditentur.

86. Contraria verò ratione, personæ quæ ex nullo contractu, aut officio, specialiter obligantur ad habendam curam rerum alienarum, non tenentur ad restitutionem, quamuis negligant aliorum damna, quæ facile possent impedire: omissio enim in his personis, quamuis sæpè sit peccatum contra charitatem debitam proximo, non tamen est contra iustitiam. Vnde secundùm probabilem sententiam, confessarius ex ignorantia non obligans ad restituendum pœnitentem, non tenetur restituere illi, cui debuerat restitui: quia confessarius non tenetur ex iustitia prospicere rebus creditoris sui pœnitentis, sed tantùm ex religione. Ita Suarez 3. part. tom. 4. disp. 32. sect. 6. Sanchez lib. 7. Decalogi cap. 6.

Obiicies, ad restitutionem tenentur qui sunt causa alicuius damni proximi: sed illi, qui non impediunt damna cùm possent, & deberent ex charitate, censentur esse causa illorum damnorum, qua ratione Ambrosius apud Gratianum cap. 21. dist. 86. in illis verbis, *Si non pauisti, &c. occidisti*, manifestè significat, esse causam homicidij illum, qui non præbet cibum quando ex charitate debet: ergo omnes qui non impediunt damna, quæ facile possent impedire, tenentur ad restitutionem. Respondetur distinguendo, illos qui sunt causa positiua alicuius damni iniusti, teneri ad restitutionem: illos verò, qui solùm sunt causa negatiua, non semper teneri, sed solùm quando sunt causa per negationem actionis debitæ ex iustitia; quia tunc solùm ipsorum omissio est ablatio boni alieni. Quod verò dicit Ambrosius, causam esse mortis illum, qui in necessitate cibum non præbet, solùm significat esse causam culpabilem contra charitatem, vt homicidium imputari possit ad culpam: non verò esse causam culpabilem contra iustitiam, sine qua culpa obligatio restituendi non est. Ambros.

88. Supersunt duæ facultates. Prima, an delinquentes qui iuridicè interrogati in iudicio nolunt manifestare veritatem, ex huiusmodi omissione teneantur ad restitutionem pœnæ, quam soluissent si confessi fuissent veritatem, quam ex iustitia manifestare tenebantur, suppositâ iuridica interrogatione Superioris. Affirmant plures, inter quos est Molina de Iust. disp. 95. quia obligatio restituendi oritur ex omissione actionis, quæ debetur ex iustitia, qua ratione debetur manifestatio veritatis, quando reus iuridicè interrogatur.

89. Contraria sententia communior est, quam defendit Nauarrus cap. 18. num. 48. Sanchez lib. 10. de matrim. disp. 8. videlicet, quamuis huiusmodi delinquentes teneantur resarcire damna quæ intulerunt, non tamen teneri restituere pœnam quam per negationem veritatis fugerunt. Primò, quia pœna non debetur ante sententiam criminis declaratoriam, vt tradit communis sententia. Deinde, quia opus illud, quo sententia impeditur, non est contra iustitiam commutatiuam, sed contra veritatem, & obedientiam, & iustitiam legalem, quæ virtutes non obligant ad restitutionem. Denique, quia licèt reus iuridicè interrogatus ex iustitia teneatur confiteri veritatem, hæc tamen obligatio non est ratione iuris, quod habeat persona cui pœna applicatur, sed ex alio capite, nempe ex iure quod habet iudex ad publicam correctionem, vt illi manifestentur crimina, etiam à delinquentibus quando iuridicè interrogantur: quapropter omissio manifestandi veritatem in tali casu, non est iniuriosa personæ cui pœna esset applicanda, sed iudici: & ideo ex tali omissione non oritur obligatio iustitiæ soluendi pœnam illi personæ, cui applicaretur, si veritas manifestaretur.

90. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, obligationem restituendi oriri ex omissione iniusta, quando actio quæ omittitur debetur ex iustitia illi personæ, quæ sperabat commodum ex illa actione: at in nostro casu manifestatio veritatis non debetur ex iustitia personæ cui applicaretur pœna imposita, sed solùm iudici, vt prædictum est: quapropter eius omissio non est iniuriosa personæ cui pœna applicaretur, & consequenter ex tali omissione manifestandi delictum, non oritur obligatio restituendi pœnam, quæ soluì deberet ex sententia, si delictum manifestaretur.

91. Similis difficultas potest esse de teste, an teneatur ad restitutionem ex omissione testimonij. In qua dicendum est, testem qui sciens vocari à

iudice fugit, vel occultat se fraudulenter ne testificetur, peccare mortaliter contra charitatem; non tamen teneri ad restitutionem, cùm ante intimationem mandati iudicis, nullum ius in eum pars acquisierit. Imò etiamsi post intimatum mandatum iudicis fugiat, vel fraudulenter testificando declinet, censeo esse valde probabile non teneri ad restitutionem, quamuis grauiter peccet contra charitatem. Ita Lessius lib. 2. cap. 30. dub. 8. num. 59. & Molina disp. 83. Tunc enim non est iniustus, sed inobediens, & contumax.

92. Et ex hoc infertur, quid dicendum sit de publicis ministris, qui ex officio debent denuntiare aliquos delinquentes, an teneantur ad restitutionem pœnarum, quas delinquentes non soluunt, eo quòd prædicti ministri, vel ex amicitia, vel pretio aliquo corrupti, eos non accusant. Placet sententia Nauarri cap. 26. num. 34. & Cordub. in summa, quæst. 66. non teneri ob rationem suprà adductam, quia obligatio restituendi aliquod commodum, non potest oriri ex iniusta omissione, nisi omittens ex iustitia teneatur personæ, cui illud commodum restituendum sit. Ministri autem publici ciuitatum, quamuis ex officio ex iustitia accusare debeant certos quosdam delinquentes, si illorum notitiam habeant; nihilominus non obligantur personis quibus pœnæ applicantur, sed solùm communitati, à qua officium habent, & cum qua contrahunt, quando suscipiunt officia; ergo non obligantur ad restitutionem pœnarum, quæ non soluuntur, eo quòd delinquentes non manifestentur. Tenentur tamen resarcire damna quæ sequuntur, ex huiusmodi eorum improbitate, si delinquentes faciliùs damna inferant, eo quòd cognoscant publicorum ministrorum negligentiam, aut improbitatem; atque hac ratione sperent aliquo pretio ab illis impetraturos se esse, vt delicta non accusent: cùm enim hæc officia instituta sint ad impedienda damna particularium ciuium, necessariò restituendi obligatio oritur ex omissionibus iniustis, quæ occasionem præbent vt damna inferantur.

93. Et eodem modo philosophandum est de iudice iniustè reum non damnante, & de procuratore fiscali non accusante, probabile esse non teneri ad restitutionem pœnæ pecuniariæ fisco, vel parti læsæ soluendæ. Ita Tannerus 2. 2. disp. 4. quæst. 6. dub. 2. & Lessius suprà cap. 13. dub. 10. num. 73.

§. II.

Quando morales causæ teneantur ad restitutionem damnorum.

94. PEr causas morales intelligimus, quæ concurrunt ad damna aliorum, mouendo voluntatem eorum, qui damna exequuntur; huiusmodi sunt, præcipiens, consulens, consentiens, & laudans, ad quas reuocantur illi, qui per mandatum, vel per aliquod pretium alios mouent ad inferenda damna. Pro quo nota, præceptum, mandatum, & consilium in hoc differre, quòd præceptum esse non potest nisi à Superiore, qui potestatem habeat obligandi; consilium verò & mandatum, etiam sunt inter personas æquales, & consilium solùm refertur in vtilitatem eius cui datur. Mandatum verò in vtilitatem mandantis; est enim munus gratuitò susceptum aliena gratia. Quòd si quando ab altero petimus, vt aliquid gratia nostra faciat, promittimus pretium, iam non est mandatum, sed potiùs contractus locationis.

95. Quod verò attinet ad obligationem restituendi, eadem ferè est ratio, quando damnum oritur ex consilio, mandato, aut conuentione locationis pretio interueniente, vniuersaliter enim in his causis, tunc est obligatio restituendi, quando ipsarum actio re ipsa influit ad damnum quod alteri infertur, è contra verò nulla est obligatio restituendi, quandocumque consilium, mandatum aut præceptum, nullum effectum habent in voluntate eorum qui damna inferunt. Vnde Doctores rectè colligunt, quandocumque damna futura non essent, nisi præcederet præceptum, consilium, aut alia similis actio causæ moralis; tunc esse obligationem restituendi, quia in his casibus manifestum est, consilium, aut præceptum, causam esse damni: quod illatum non fuisset, nisi præceptum, aut consilium, mouisset voluntatem executoris.

96. Quomodo verò iudicare debeamus, huiusmodi causas nullo modo influxisse ad damna; ac proinde non teneri ad restitutionem, non conueniunt Doctores. Plures, inter quos est Nauarr. cap. 17. num. 17. affirmant, quandocumque sine operatione harum causarum, nihilominus esset futurum idem damnum, indicium esse causas prædictas, nihil mouisse voluntatem causæ exequentis, ac proinde non teneri ad restitutionem. Alij verò Theologi improbant hanc doctrinam, asserunt enim fieri posse, vt causa præcipiens, vel consulens, re ipsa influat in damnum, etiamsi causa exequens idem damnum inferret, quamuis à præcipiente, vel consulente, non moueretur; ac proinde morales causas sæpe obligari ad resarcienda damna, quæ sine ipsarum operatione morali, illata fuissent à causa exequenti.

97. Nihilominus prior sententia probabilior videtur, & probatur. nam si mandato, laude, consilio, inuites ad facinus aliàs ad illud paratissimum, quamuis pecces grauiter contra iustitiam, tamen consilium tuum, & mandatum fuit inefficax, quia damnum non sequitur ex te, tanquam ex causa, sed ex executore, aliàs paratissimo ad illud; ergo non teneris ad restitutionem. Deinde si quinque iudices rem grauem essent diffinituri, & tres primi eorum iniusta ferrent suffragia, licèt duo alij eos in iniquitate sequerentur, & peccarent contra iustitiam; nihilominus non tenerentur restituere, sed tantùm tres primi; quia iam iniustitia à tribus primis est commissa, neque ad iustitiam, vel iniustitiam duo vltimi aliquid profuerunt; ergo cùm consulentes, vel mandantes ad iustitiam executoris non concurrerint, cùm damnum independenter ab illis illatum sit, non tenebuntur restituere.

98. Sed quid si Petrus sit paratissimus occidere Ioannem die Iouis, & Franciscus roget & instet, vt occidat illum die Martis, tenebitur ne Franciscus restituere sicut Petrus? Affirmãt Doctores secundæ sententiæ, quia sunt causæ totius actionis vt hîc, & nunc exercetur; neque potest esse causa accidentium mortis, qui non sit etiam causa substantiæ ipsius mortis. Censeo tamen cum eodem Lessio, non teneri Franciscum restituere damna illata ex substantia mortis Ioannis, sed tantùm illa damna, quæ nata sunt ex anticipatione mortis illius. Ratio est, quia quod est causa, vt differatur mors alicuius per tres dies, non est causa substantiæ mortis, licèt hîc & nunc sit causa illius. Et confirmatur, quia si quis occidat eum, qui iustè damnatus erat

ad

Digitized by Google

ad mortem, quam erat certò subiturus, non tenetur restituere nisi damna, quæ ex anticipatione mortis damnati orta sunt. | Idem est in nostro casu.

99. Quando verò adhibita prudenti diligentia, non potest aliquis dignoscere, an ipsius operatio aliqua ratione influxérit in damnum alterius, tunc existimo esse obligationem restituendi; quia cùm certum sit adhibuisse mandatum, vel consilium, possessio stat pro parte recipientis damnum. Quando autem causa præcipiens, vel mandans, vel quæ per pretium mouet causam exequentem ad aliquod delictum, reuocat præceptum, mandatum, vel conuentionem, antequam delictum inferatur, non tenetur ad restitutionem, quamuis causa exequens re ipsa nocumentum postea inferat: quia causa moralis reuocando præceptum, vel mandatum, eo ipso reuocat causalitatem, & impedit quominus causa exequens possit operari ex præcepto, vel mandato ipsius; ac proinde cùm iam nullo modo influat in damnum, liberatur ab obligatione restituendi. De consulente verò solet esse maior difficultas: nihilominus eodem modo philosophandum est, si sufficienter reuocet consilium non teneri ad restitutionem, cùm non sit causa merè naturalis, & physica necessitate influens, sed tantùm moralis, quæ per contrariam, & liberam voluntatem impediri potest.

100. Et ex eadem doctrina diffiniendum est, an ex ratihabitione nocumenti iam illati, possit oriri obligatio restituendi? & partem affirmantem tenet Nauarrus suprà num. 138. Nihilominus contraria sententia verior, & communior est; quia actus ratihabitionis nocumenti, quamuis sit peccatum, nihilominus cùm sit tempore posterior, nullo modo potest influere in nocumentum præcedens; ergo nec inducit obligationem restituendi; hæc enim non oritur nisi ex culpa damnum sequatur.

§. III.

Quando teneantur ad restitutionem causæ quæ physicè cooperantur ad nocumenta aliorum.

101. CAusæ cooperantes, quædam sunt quæ tantùm remotæ concurrunt ad nocumenta aliorum. v. g. qui dant arma, vel alia instrumenta, per quæ postea delicta perficiuntur. Aliæ sunt, quæ immediatè influunt cum aliis in totum damnum, vel in aliquam partem illius, vt quando multi concurrunt ad homicidium, vel furtum, vt vnusquisque sibi accipiat partem quam poterit. Circa causas prioris generis manifesta est obligatio restituendi, quando sine ipsarum operatione remota damnum non eodem modo inferretur, si ipsarum operatio remota culpabilis, & iniusta sit. Duo enim sunt necessaria ad hanc obligationem restituendi, scilicet influxus in nocumentum, & peccatum; quorum altero deficiente, non est restituendi obligatio; ex operatione enim remota, quæ non est peccatum iniustitiæ influens in damnum alterius, oriri non potest obligatio restituendi.

102. Quando verò causæ cooperantes immediatè influunt in nocumentum, alia ratio est habenda. nam talis cooperatio ab iniustitia non excusatur, & quidem si in nocumento non sint diuersæ partes, quarum vna tribuatur vni causæ cooperanti; alia verò alteri, sed potiùs totum damnum procedit à qualibet causa, sicut à partiali principio, tunc ex consensu omnium Doctorum, quælibet causa cooperans insolidum tenetur ad restitutionem totius damni, nempe quia quælibet causa influit saltem partialiter in totum damnum. Consentit diffinitio Iuris ciuilis l. 11. §. si duo. ff. de furtis. In qua dicitur, quando plures portant aliquod pondus, quod nullus per se portare sufficeret, tunc omnes teneri in solidum ad restitutionem totius damni.

103. Quando verò in damno plures sunt partes, quæ respondent diuersis causis exequentibus, vt contingit in damno quod multi milites inferunt in iniusta deuastatione alicuius vrbis, res est difficilior. nam licèt consentiant Doctores in simili casu, causas cooperantes debere resarcire omnes partes damni, quarum sunt causa culpabilis; dissentiunt tamen in modo iudicandi, quæ scilicet iudicari debeant causæ damni, quod ab aliis immediatè infertur. An scilicet in bello iniusto singuli milites sint causa totius damni; ac proinde saltem secundariò teneantur singuli ad restitutionem totius damni. Affirmant Caietanus in præsenti art. 7. & Couarr. 2. part. variar. 12. num. 2. quorum fundamentum est, quia quisque tenetur ad restitutionem damni cuius est causa culpabilis, saltem remota: sed quando multi concurrunt ad aliquod damnum, quia multorum præsentia est necessaria, vt in bello iniusto, singuli sunt causa saltem remota totius damni, etiam illarum partium; quia quando multorum præsentia est necessaria, præter causam exequentem & primariam, scilicet Ducem, multi alij requiruntur priuati vt damnum inferri possit; tunc quia nullus priuatus auderet aggredi, nisi crederet esse socios à quibus in necessitate defendi posset: & in casu belli nullus re ipsa inferret damnum, nisi essent alij à quibus occuparentur personæ ciuitatis, quæ priuatum quemlibet possent efficaciter impedire: nec est ratio, ob quam in tali multitudine, causalitas sit potius in quibusdam, quàm in aliis; ergo est in omnibus & singulis; ac proinde omnes saltem sunt remoti cooperatores, & tenentur ad restitutionem totius damni.

104. Contrariam sententiam tenent Nauarrus cap. 17. num. 20. & Lessius cap. 13. dub. 4. scilicet, ducem per quem exercitus gubernatur ad restitutionem totius damni teneri; non verò gregarios milites, nisi ad restitutionem partis damni, quod per se exequuntur, vel quod sine ipsis illatum non fuisset. Quæ sententia videtur probabilior, quia nullus censetur esse causa damni, nec teneri ad restitutionem illius, sine cuius actione damnum eodem prorsus modo ab aliis illatum fuisset: sed singuli milites sunt huiusmodi comparatione damnorum, quæ à reliquo exercitu inferuntur, in quo tanta est multitudo, vt sine quolibet particulari certissimum sit damnum eodem modo inferendum fuisse, excepta quadam parte damni, ad quam quilibet immediatè, aut mediatè aliquo modo concurrunt; ergo omnes particulares milites excusantur à restitutione aliorum damnorum, quæ ab exercitu inferuntur.

105. Maior tamen difficultas est in explicando, quo ordine teneantur ad restitutionem causæ, quando plures cooperantur in idem damnum. Pro quo nota causas damni quasdam teneri primariò ad restitutionem, quasdam verò nonnisi secundariò.

Primariò

Primariò dicuntur obligari causæ, quæ obligantur per se, & non propter omissionem alterius causæ. Secundariò obligari dicuntur illæ causæ, quæ solùm tenentur ex suppositione, quòd aliæ non restituant: & multum refert, an aliqua causa primariò, an verò secundariò teneatur. nam si restituat causa quæ primariò obligatur, aliæ causæ quæ secundariò tenentur, liberæ omnino manent, è contra verò si restituat causa quæ secundariò tenetur, causa quæ magis præcipuè obligatur, quamuis nihil debeat soluere creditori; debet tamen satisfacere causæ alteri quæ restituit, quod sequentibus conclusionibus explicatur.

106. Prima conclusio, quando inter causas cooperantes aliqua est quæ habet rem alienam, vel quæ ex re aliena sit facta locupletior, illa primariò tenetur ad restitutionem ante omnes alias causas, saltem in ea parte lucri, in qua facta est locupletior, ita Doctores communiter, & ratio est, quia res aliena, vel effectus in quo quis fit ex re aliena locupletior, nullo iusto titulo detineri potest, & ideo in omni euentu res huiusmodi restituenda est, quod est apertum iudicium primæ obligationis restituendi ante omnes alias causas.

107. Secunda conclusio, si inter causas cooperantes sit aliqua præcipiens, illa tenetur ad restitutionem ante causas exequentes, vel alio modo coadiuuantes. Ita D. Thom. in responsione ad secundam. & ratio est, quia causa præcipiens si non physico modo, certè moraliter est causa principalis, quæ per personam sibi subditam tanquam per instrumentum operatur; ipsa ergo principalius damnum efficit, & primaria obligatione restitutionis tenetur.

108. Tertia conclusio, quando inter causas cooperantes quædam sunt immediatè exequentes, aliæ verò quæ moraliter concurrant per consilium, mandatum, aut aliud pactum cum causa exequente, tunc causæ exequentes tenentur non solùm ante alias causas coadiuuantes remotè, sed etiam ante causam consulentem, vel mandantem. Ratio huius est, quia causa moralis quæ non operatur per præceptum, sed per aliam actionem, ad quam nullo modo vrget causa exequens, est causa multo principalior physico, & morali modo, quàm consulens, vel mandans; ac proinde præponitur in obligatione restituendi. Nec refert si damnum aliquod incurrerit ex consilio. nam consilium nisi fraudulentum sit, non obligat consulentem: & damnum quod quis ex culpa sua sentit, sibi debet imputari, l. 6. de regulis iuris, & regula 203. ff. eodem titulo.

109. Inter causas verò morales nullus ordo esse videtur in obligatione restitutionis; quia nulla est ratio ob quam causa consulens prius, aut posterius obligetur, quàm causa quæ præbet aliquod instrumentum, vel alia ratione concurrit remotè.

110. Quarta conclusio, quando causa quæ principalius obligatur damnum integrè restituit, aliæ causæ quæ minus principaliter obligantur, ad nullam restitutionem tenentur; è contra verò, quando causa quæ secundariò obligatur, damnum restituit, aliæ causæ quæ magis principaliter obligantur, illi debent satisfacere in ea parte damni, in qua principaliùs obligantur. Ratio huius est, quia causæ quæ secundariò obligantur ad restitutionem, solùm tenentur in defectu causæ quæ principaliùs obligatur: quare si illa restituat, ad nihil tenentur; non creditori cui integrè damnum satisfactum est; nec restitutori qui per se ad illam restitutionem tenetur. Contraria ratione constat, si causa quæ minus præcipuè obligatur restituat, aliam causam debere eidem satisfacere, quia per illam solutionem liberatur ab obligatione primaria restituendi, quam habebat, vt dicitur l. 46. ff. de negotiis gestis. Itaque si præcipiens causa pro damno satisfaciat, causæ exequentes, vel coadiuuantes, nihil illi soluere debent; è contra verò si causæ exequentes restituant, causa præcipiens illis debet satisfacere, quia ante illas tenetur: aliæ tamen causæ consulentes, vel remotæ, omnino liberæ manent. Si verò vna ex causis exequentibus restituat, si alia sit æqualis in executione, ei debet satisfacere: non quidem totum in integrum soluendo, sed mediam solùm partem, quia prior causa quæ in actu restitutionis peruenit, ad dimidiam solutionem per se tenebatur: quare illi tantum est satisfaciendum pro altera parte, quam scilicet soluit propter defectum alterius.

Eadem ratione iudicandum est, quando creditor remittit obligationem restituendi alicui ex causis, quæ in solidum ad restitutionem tenentur: si enim creditor obligationem remittat causæ principaliori, velit nolit, liberæ manent reliquæ ab obligatione restituendi; quia scilicet solùm tenentur in defectu causæ præcipientis, quæ non deficit si debitum illi remittitur; è contra verò, si obligatio remittatur causæ minus præcipuæ, causa principalis, v. g. præcipiens, nihilominus ad restitutionem tenetur, ob rationem contrariam; quia causa principalior per se tenetur independenter à causa minus præcipua. Quòd si obligatio remittatur vni ex causis immediatè exequentibus, aliæ causæ æquales adhuc tenentur ad restitutionem; non quidem totius damni, sed solùm illius partis, quam per se debent soluere, vel quam soluissent, si conuenissent ad restituendum cum altera causa, cui remissa est obligatio restituendi. 111.

Sectio X.

Quando ad restitutionem teneantur qui alios impediunt, ne assequantur bona, quæ alioqui assequerentur.

ALius vulgaris nocendi modus est, impediendo alios quominus assequantur bona quæ sperant, & quæ consequerentur nisi alij impedirent: quæ quidem bona in duplici sunt differentia. Quædam enim debentur ex iustitia commutatiua, vel certè ex iustitia sperantur, tanquam fructus propriarum rerum, vt arborum, aut vineæ. Alia verò sperantur ex gratitudine, vel beneficentia aliorum, per donationem, vel gratuito legato. Quando bona sunt prioris generis quæ ex iustitia debentur, res est manifesta, ad restitutionem teneri illos, qui impediunt quominus aliis res illis debitæ tradantur; siue hoc faciant per consilium, aut preces, siue per quamlibet aliam actionem. Idem iudicium est de his, qui impediunt fructus, quos dominus rei sperat, v. g. eradicando plantas, vel quid simile faciendo. In qua re optima est regula D. Thomæ art. 4. ex quo alij desumpserunt: id quod restituitur propter impedimentum huiusmodi, non debere esse æquale bono, quod speratur; quod enim tantùm est in spe, adhuc est cum aliquo periculo: quare restitutio non debet esse tanta, quantum est bonum quod speratur, sed debet esse æqualis æstimationi illius spei, habita ratione periculi, & impensarum quæ necessariæ sunt ad colligendos 112.

Digitized by Google

colligendos fructus, aut habendam rem quæ speratur, & simili regula vtendum est, quotiescumque restitutio fit pro re quam nondum quis iactu habebat, sed tantùm in spe.

113. In aliis verò rebus quæ non debentur ex iustitia. Communis Doctorum sententia, est, si quis impediat consecutionem horum bonorum sine vi, & fraude, ac deceptione eius à quo huiusmodi bona sperantur, si illud fiat ex intentione proprij commodi, vel alterius amici; non verò ex solo animo nocendi illi qui impeditur, nullam esse obligationem restituendi, v. g. si quis videat aliquem velle relinquere legatum alteri, & precibus ab illo obtineat vt mutet testamentum, & potiùs sibi illud relinquat, vel hæredi totam hæreditatem, nullam esse obligationem restituendi: quod enim speratur à libera volũtate alterius, si per mutationem eiusdem liberæ voluntatis impediatur, planè id fit absque vlla iniustitia; ac proinde sine vlla obligatione restituendi.

114. Secundò similiter est certum, si aliquis impediatur per metum, & vim illatam, aut per fraudem, hoc est, per deceptionem & mendacia, quibus decipiatur, ne donet aliquod bonum cui volebat donare, eum, qui sic per metum, vim, aut deceptionem impedit, teneri ad restitutionem pro ratione valoris spei qua quis ab altero sperabat. Ratio est manifesta, quia licèt quis non habeat ius ad rem, quam alter ex gratuita voluntate, sine obligatione iustitiæ illi vult donare; habet tamen ius, ne alij per media iniusta, hoc est, per metum aut fraudem, impediant illos à quibus ex beneuolentia aliquid speratur.

115. In eo tamen est difficultas, an sit obligatio restituendi, quando quis impedit sine vi quidem, nec fraude; ex odio tamen, & ex directa intentione nocendi illum, qui prædicta bona sperabat, affirmant graues Doctores, inter quos est Scotus in 4. dist. 15. q. 2. art. 3. & probatur ex l. 1. §. idem. ff. de aqua pluuia, vbi dicitur: si quis fodiens in suo agro, vicini fontem auertat, non teneri, si id faciat non animo nocendi vicino, sed vt suum agrum meliorem faciat. Simili ratione l. 2. §. idem, eodem titulo dicitur, non obligari illum qui torrentem auertit, ne aqua ad suum agrum perueniat, quamuis inde sequatur aliquod nocumentum alterius, dummodo id non faciat animo, vt alteri noceat, sed ne sibi noceat. In quibus legibus ex solo animo nocendi, discernitur obligatio restituendi, quæ tamen dicitur non esse, si animus ille absit; ergo pari ratione in cæteris negotiis, qui alteri impedimento est, ne assequatur bonum quod alioqui haberet, ad restitutionem tenetur, si id faciat sine sua vtilitate, eo tamen animo, vt illi noceat.

116. Nihilominus contraria sententia est multo probabilior, quando impedimentum est alicuius boni quod alicui non debetur ex iustitia, nec adhibetur aliqua vis, aut fraus, nullam esse obligationem restituendi, etiamsi id fiat sinistra intentione nocendi, & impediendi bonum alterius, quia bonum alterius est. Ita Caiet. art. 2. & Nauarr. cap. 17. & probatur, quia fieri non potest vt causa minus principalis alicuius nocumenti teneatur ad restitutionem, quando causa principalis & proxima, operatur pleuè voluntariè sine iniustitia, & onere restituendi: causa enim minus præcipua & remota, non influit in effectum nisi per voluntatem causæ principalis & proximæ: sed quando quis precibus, aut consilio obtinet ab alio, ne conferat aliquod bonum, vel mutet voluntatem quam antea habebat illud conferendi, tunc causa minus principalis operatur per illum qui decreuerat tale bonum conferre, tanquam per causam magis præcipuam & proximam; ergo fieri non potest vt illa causa remota teneatur ad restitutionem, quando causa proxima nulla ratione tenetur: at licèt quis operetur animo alteri nocendi, quando precibus & consilio ab alio impetrat, ne conferat aliquod bonum, ille qui decreuerat bonum conferre, sine vlla iniustitia mutat voluntatem; quia non tenebatur ex iustitia illud conferre; ergo ex huiusmodi ratione impediendi bonum alterius, non potest oriri obligatio restituendi.

117. Quod verò intentio sinistra nocendi non possit esse radix obligationis, alia ratione constat, quia obligatio restituendi necessariò supponit externam ablationem boni alieni: sed sinistra intentio nocendi non facit operationem externam esse ablationem boni alieni: si aliàs eadem ipsa operatio procedens ex alia intentione, non erat ablatio rei alienæ; ergo sinistra intentio nocendi, quando non est causa externæ operationis quæ ex se sit iniusta, non potest inducere obligationem restituendi.

118. Ad leges in contrarium adductas respondetur, per animum nocendi ex quo desumitur obligatio restituendi, ibi non intelligi solùm internam intentionem, sed etiam coniunctam operationem, ex qua sine vtilitate operantis in proprio fundo, sequitur nocumentum in alio: quod nocumentum etiam in foro conscientiæ, & ante sententiam resarciendum est in casibus in illis legibus expressis. nam inter alias seruitutes quibus fundi vicini per communem vtilitatem sibi seruiunt, vna est, vt superior seruiat inferiori, & è contra, ad transmittendam aquam, quando sine nocumento alterius fieri potest: seruitus autem ius quoddam est iustitiæ, & ideo dominus fundi superioris ex iustitia tenetur non impedire aquam sub terra fluentem ad puteum alterius, nisi propter aliquam ipsius vtilitatem quam percipiat ex puteo aperto, vel ex fundamentis reædificandis: quando verò sine huiusmodi vtilitate impedit aquam fluentem ad alterius fundum, dicitur operari animo nocendi; atque in eo casu teneri ad restitutionem.

119. Et ex hac doctrina infertur, quando teneantur ad restituriones hi qui in testamẽtis sunt causa vt testatores alio modo disponant de rebus suis quàm decreuerant, vel quàm disposuerant in præcedenti alio testamento. Videndum enim est, an testator disposuisset de rebus suis sicut debebat ex iustitia, an verò aliquid ex liberalitate reliquisset. Si testamentum ordinatum fuerat secundùm regulas iustitiæ, ille qui causa est vt mutetur voluntas testatoris, ad restitutionem tenetur ratione iniusti impedimenti. Si verò bonum quod ex testamento aliquis sperabat, illi relinquebatur ex beneuolentia, videndum est an ille, qui mutare facit animum testantis, adhibuerit aliquod medium iniustum, v. g. vim, metum, aut fraudem: si enim aliquid ex his intercedat, obligatio est restituendi. Quò etiam pertinet persuasio viri, ex qua vxor timere posset minus benè esse in posterum tractandam, si conualescat, nisi in testamento voluntati eius consentiat. Quando verò nulla ex his causis intercedit, consilio autem & precibus mutatur animus testatoris, nulla est obligatio restituendi: quamuis alioqui magnum bonum tollatur ab alio, à quo beneficium sperabatur. Quando verò reneantur

Digitized by Google

neantur ad restitutionem, qui sunt causa vt contra iustitiam distributiuam non cõferatur alicui, quod illi ex iustitia distributiua debetur, constabit ex infrà dicendis.

Sectio XI.

Quid, & cui sit restituendum.

119. CIrca personam cui facienda est restitutio, resolutio est facilis, illi enim facienda est, à quo aliquid est ablatum: huiusmodi autem non est semper dominus rei, sed ille, qui ius habet rem aliquam habendi, siue illud sit propter dominium, siue propter aliquem vsum, vel detentionem rei, quam iure detinere potest: qua ratione si res pignore obligata per furtum accipiatur, non est restituenda domino cui pro contractu pignoris rem suam alteri debet, sed restituenda est illi cui obscuritatem debiti rem alienam habet.

120. Simili ratione res per furtum accepta à depositario, vel à conductore, non domino, sed depositario, aut conductori, restituenda est: quia licèt aliquis non sit dominus rei, si tamen ex voluntate domini, vel aliqua alia ratione iustè rem habet alienam; habet etiam ius illam habendi, & illius iniuria est actus accipiendi rem illam; ac proinde eidem est restituenda. Iuxta quam doctrinam si res furto accipiatur à filiofamilias, vel à pupillo, vel ab aliquo Religioso, cui ex voluntate patris, tutoris, aut Prælati, rem aliquam habeat, sine dubio eisdem est restituenda: quia illi ad quos pertinet primarium ius habendi rem prædictam, consentientes vt illa habeatur à filio, vel à pupillo, suum ius illis communicant, ac proinde illis fieri debet restitutio.

121. E contra verò si filius, pupillus, aut Religiosus, rem habeant iniustè sine requisita voluntate patris, tutoris, aut Prælati, eodem modo iudicandum est atque quando res accipitur à quolibet alio iniusto detentore. Difficultas tamen esse potest, cui sit restituenda res quæ accipitur ab altero, etiam cum culpa illius, v. g. cui sit restituendum pretium acceptum pro simonia, vel pro re aliqua spirituali.

122. In qua re probabile mihi videtur, ex iure naturali, secluſa lege positiua, & sententia iudicis, huiusmodi pretium si retineri non possit ab accipiente, necessariò esse restituendum danti; post sententiam tamen iudicis debere restitui ei cui per sententiam applicatur. Ita Nauarr. lib. 4. de restit. cap. 2. & ratio est, quia quando ille qui turpiter dat aliquod pretium, re ipsa non transfert dominium in accipientem, sed retinet apud se ipsum; cùm enim illud pretium habeat aliquem dominum, nec hic sit accipiens, qui scilicet impeditus est quominus possit acquirere dominium pretij accepti per simoniam, necessariò asserendum est dominium eiusdem pretij esse apud dantem; ac proinde illi esse restituendum, quousque per sententiam iudicis pretium applicetur Ecclesiæ, cui acceptatio simoniaca est iniuriosa: atque id ipsum esset faciendum etiam ante sententiam, si constaret illum qui dat pretium pro re spirituali, re ipsa priuari dominio illius, quod tamen efficaciter probari non potest.

123. Obiicies, quia ille qui turpiter dat huiusmodi pretium, per ipsam voluntatem dandi aufert à se dominium; ergo illi non debet fieri restitutio. Confirmatur, quia turpitudo ipsa actus dandi, reddit indignum illum cui debebat fieri restitutio; ergo pretium illud debet alteri restitui.

124. Respondetur negando antecedens. nam licèt ille qui turpiter dat pretium pro re spirituali, voluerit auferre à se dominium, & in alium transferre; tamen re ipsa à se non aufert; quia accipiens per legem impeditus est, vt in ipsum dominium transferatur; & ideò necesse est idem dominium adhuc permanere apud dantem. quare eidem est restituendum. Ad confirmationem respondetur, turpitudinem actionis dandi, esse quidem rationem vt danti negetur actio petendi pretium in iudicio, & vt propter suam turpitudinem puniri possit; nihilominus ante sententiam non facere hominem indignum vt ei debeat fieri restitutio, quia non aufert dominium rei à dante; ac proinde nec aufert radicem debiti, nec obligationis.

125. Circa easdem circunstantias restitutionis est alia difficultas, quid & quantum sit restituendum, quæ tamen ex præcedentibus diffinita est. Si enim res aliena accepta in specie duret, ea ipsa est restituenda: quoniam illius dominium apud alterum est. Si verò illa sit consumpta, soluendum est illius pretium: si autem res malè accepta erat vsu consumptibilis, & fur miscuit cum propriis, ita vt dignosci non possit, iuxta communem sententiam, non tenetur eamdem numero restituere, sed sufficiet æquiualentem dare: sic enim ad æqualitatem damnum reficitur.

126. Sed maior difficultas est, quando restituendum est pretium rei, an sit restituendum iuxta quantitatem maiorem quàm habuit in potestate iniustè detinentis, an verò secundùm valorem, quem res habuit à tempore iniustæ acceptionis. Et conueniunt omnes, si res perseuerat eadem in specie cum melioratione, aut incremento, cum illo reddendam esse suo damno. v. g. tempore Augusti iniustè possides triticum, & perseuerat idem vsque ad mensem Maij, cum melioratione, & incremento pretij, teneris triticum restituere secundùm talem meliorem statum, neque satisfacies si pretium quod valebat tempore Augusti reddas domino: & idem est in similibus casibus. Ratio est, quia res illa, vt supponimus, semper perseuerat sub dominio prioris domini: ergo ad illum pertinet maior perfectio rei. nam qui habet ius in rem, habet etiam in id quod illam consequitur: nec credo quòd de hoc possit esse dubitatio. Imò etiamsi res illa à domino vendenda fuisset, secundùm debiliorem statum, si apud illum permansisset, vel quouis alio modo fuisset rem distracturus, quo tempore minus valebat, idem iudico dicendum: quia postquam perseuerat in eius dominio, ipsius est felicitas, quòd secuata fuerit in meliorem fortunam.

127. Si autem res accipiat aliquod detrimentum in potestate iniustè detinentis, quod non esset suscepturа in potestate domini; hoc etiam restaurandum est; ita enim postulat æqualitas iustitiæ: quòd si eodem modo futura esset deterior sub potestate domini, satis erit eam restituere cum eodem detrimento; sic enim æqualis fit recompensatio. Quando verò dubium est, quo tempore dominus esset rem illam venditurus, aut distracturus, satis erit si restitutio fiat secundùm medium pretium illius temporis, id est, non maximum, nec minimum; sed quod medium sit inter hæc duo extrema. Ratio est, quia sicut potuit vendi pretio supremo, & secundùm valorem supremum existens res in statu meliori; ita etiam in infimo vendi potuit,

potuit, & existens in statu viliori: quia ergo neutrum ex his constat, rectè colligimus ratione illius periculi, sufficienter reddi rem ad æqualitatem si assignetur pretium medium secundùm statum mediocrem, vt ita euitentur extrema supremi & infimi.

Sectio XII.

Quo tempore, quo ordine, & quibus expensis facienda sit restitutio.

118. Circa primum, reuocandum est in memoriam quod suprà diximus, obligationem restituêdi aliquando oriri ex solo contractu, aliquando verò ex delicto iniustitiæ, vel acceptione rei alienæ. Si obligatio restituendi oriatur ex contractu, non est statim restituendum, sed tempore in contractu constituto, si certum aliquod tempus in contractu determinetur, vt in locato, & commodato: vel certè restituenda est res aliena, quando à domino petitur si tempus in contractu nullum determinatur, vt contingit in deposito, & in precario. Si verò obligatio restituendi oriatur ex delicto iniustitiæ, aut ex acceptione rei alienæ, aliter dicendum est, restitutionem scilicet esse faciendam statim, cùm primum fieri potest, nisi ad differendam restitutionem sit aliqua causa excusans, quas infrà exponemus: quòd probatur ex vulgari regula iuris Ciuilis. *In omnibus obligationibus in quibus dies non ponitur, præsens dies debetur.* regula 14. ff. de regulis iuris & l. 41. §. Quoties ff. de verborum obligationibus. Et ratio naturalis est, nam quicumque est dominus alicuius rei, ius habet semper habendi eamdem rem, nisi ex ipsius voluntate apud alterum esse concedatur: sed quando nullus est contractus ex quo liceat rem alienam habere, nulla est voluntas domini, vt res ipsius apud alterum sit; habet igitur ius rem suam semper habendi, ac proinde qui illam habet, vel illam destruxit, quocumque tempore obligatur illam statim restituere.

119. Quod verò dicitur, statim esse implendam obligationem restituendi, rectè obseruat Caietanus in hoc art. 8. ex quo cæteri videntur assumpsisse, quando ex breui dilatione restitutionis, creditor nullum damnum patitur, non esse obligationem interrumpendi opus inceptum honestum. v. g. factum, vel aliud, etiam si religiosum non sit. v. g. lectio, prandium, vel somnus, & propterea additum est, quando commodè fieri potest restitutio; quod intelligendum est nisi creditor damnum patiatur, in quo casu incommodum creditoris maius, vel æquale, vel parum minus, præferendum est incommodum debitoris, vt aliquando oporteat relinquere etiam somnum, ad implendam huiusmodi obligationem.

120. Circa secundum notandum est, debitum aliud esse reale, per quod res aliqua determinatè obligatur: aliud esse personale, Quod item est duplex: aliud certum, scilicet quod determinatè, & certè creditori debetur, vel cuius creditor non ignoratur. Aliud verò dicitur incertum, quod quamuis certò debeatur, ignoratur tamen ille cui debetur. Præterea debitum certum, aliud est ex titulo oneroso ex aliquo contractu, aut ex damno iniustitiæ illato: aliud verò debitum est ex titulo gratioso & liberali, scilicet ex liberali, & gratuita promissione. Vtrumque autem debitum interdum est sine hypotheca quæ ad debiti securitatem constituta sit: interdum verò pro securitate talis debiti vel datur aliquod pignus, vel res aliqua obligatur per hypothecam, vt ex illa satisfieri possit creditori, si debitor sit in mora iniusta, vel non habeat bona ex quibus debitum soluatur.

121. Prima conclusio. Debitum reale primo loco soluendum est, ac proinde quamuis non supersint alia bona ex quibus satisfiat aliis creditoribus, totum reale debitum est præferendum, non solùm quando huiusmodi debiti creditor, sed etiam quando creditor incertus est. Ratio huius rei est optima, quam tradit Caietanus in summa verbo Restitutio, cap. 18. quia quando res per dominium alteri est obligata, nec est sub dominio debitoris, alij creditores, nullum ius habere possunt, vt ex illa re quæ alterius creditoris est, ipsis satisfiat, etiamsi creditor cuius res est, omnino ignoretur; ac propterea pauperibus, aut alicui causæ piæ restituenda sit: volumus dicere, quòd si quis furatus est equum, cuius dominus ignoratur, etiamsi habeat alia debita certa erga alios creditores, quantumuis notos & certos; in eo euentu primo loco equum esse restituendum, vel pauperibus, aut alicui causæ piæ; creditor enim non habet ius vt ex re quæ alterius creditoris est, ipsi satisfiat.

122. Secunda conclusio. Debitum certum præferendum est, & integrè soluendum, ante omnia debita incerta, quorum creditor ignoratur. Probatur, quia quando debita sunt incerta, solùm possunt restitui pauperibus, aut alicui causæ piæ, in quibus non potest esse tantum ius, & ratio habendi solutionum, quantum est in creditore, qui cùm præferendus sit pauperibus, ius habet, vt ipsius debitum ante omnia incerta debita soluatur. In qua re rectè etiam obseruat idem Caietanus, errare debitores qui cùm non possint omnibus creditoribus satisfacere, assequuntur compositionem pro debitis incertis, ex retinent partem quæ respondent debitis, etiamsi certis creditoribus non satisfaciant; quæ iniustitia ex eo est manifesta, quia creditores certi ex iustitia præferri debent incertis: & ideo per compositionem fieri non potest, vt propter remissionem debitorum, retinere possint bona quæ alioquin certis creditoribus debentur, antequam incerta debita soluantur. Atque hoc verum est, etiamsi ad securitatem debiti incerti, aliqua res obligata fuerit per hypothecam, vel debitum incertum.

123. Confirmatur, quia incerta debita solùm sunt eroganda pauperibus ex dispositione Reipublicæ, & non quia ex natura rei sint illis debita ex iustitia; & iure eiusmodi debita sunt sub prudenti dispositione reipublicæ & Principis, cùm ad nullam priuatam personam pertineant illa bona, & inter Christianos Principes talis dispositio spectat ad Pontificem, vt suo loco dicetur: meritò autem Pontifex censetur non disponere de illis bonis in subsidium pauperum, cum damno certæ determinatæ personæ, cui aliàs aliquid debetur; hæc enim censetur iusta & prudens dispositio, si disponatur de debitis incertis, post solutionem eorum quæ sunt certa.

124. An verò inter debitores certos, priùs soluendum sit venditori cui pretium nondum est solutum re vendita extante, itavt tunc venditor habeat ius prælationis, sententia affirmans est satis probabilis, quam tenent Nauarr. cap. 17. num. 49. &

Lessius lib. 2. cap. 15. dub. 2. quia res dura, & à ratione aliena esse videtur, vt res mea quam à me emisti non soluto pretio, extans in sua specie, aliis assignetur; & ego re mea & pretio fraudet; ergo vel pretium rei meæ venditæ mihi dandum, vel res restituenda est. Et confirmatur, quia venditor non transtulit dominium domus, cùm nec pignus, nec fideiussionem acceperit, nec fide emptoris contentus sit; ergo domus, vel pretium eius, est venditori restituendum.

135. Nihilominus oppositа sententia est probabilior, quam tenent Couarr. 1. variarum cap. 7. Nauarr. lib. 4. cap. vlt. & Turrianus disp. 19. dub. 1. quia iure naturali non potest assignari ratio talis prælationis, neque etiam iure positiuo, quia verè res illa transit in dominium ementis: at ex contractu emptionis & venditionis, nullo iure potest colligi prædicta prælatio.

136. Tertia conclusio. Illa quæ debentur ex titulo oneroso, scilicet ex delicto, aut contractu, soluenda sunt ante illa quæ debentur titulo gratioso. Ita Nauarr. suprà num. 52. quod non solùm est verum, quando promissio gratiosa, ex qua oritur debitum, est postquam debitor iam non est omnibus soluendum; sed etiam quando promissio præcedit impotentiam soluendi: huiusmodi enim promissiones necessariò includunt tacitam conditionem tradendi, scilicet rem promissam, nisi aliquid obstet, per quod tradi non possit, vel nisi mutentur circunstantiæ, quæ ad huiusmodi traditionem pertinere possint: si ergo promissio fiat quando iam non est potentia soluendi integrè aliis creditoribus, talis promissio non potest obligare in præiudicium aliorum creditorum. Nec similiter quamuis promissio fiat ante impotentiam soluendi omnibus; quia huiusmodi impotentia adueniens post tempus promissionis, variat circunstantias pertinentes ad eamdem promissionem, in quibus promissio non obligat, eo quòd res non perseuerent in eo statu, in quo erant tempore promissionis: si autem debitum ex titulo gratioso oriatur, scilicet ex donatione iam facta cum traditione rei ante impotentiam soluendi creditoribus, huiusmodi donatio erit valida, & debitum quod ex illa oritur, est præferendum, quia scilicet est debitum reale: quod, vt diximus, debitis personalibus præfertur. Si verò donatio sit post impotentiam soluendi, illa omnino est reuocanda, tanquam facta in fraudem creditorum, vt patet ex toto titulo ff. de his quæ in fraudem creditorum.

137. Quarta conclusio. Inter debita quæ oriuntur ex titulo oneroso, illa pro quibus res aliquæ obligantur per hypothecam, vel per contractum pignoris, præferenda & soluenda sunt, ante alia debita personalia, quæ scilicet securitatem non habent pignoris, aut hypothecæ. Ita Doctores allegati, & ratio est, quia creditor cui aliqua res obligatur per contractum pignoris aut hypothecæ, præter ius personale quod habet in personam debitoris, habet quoddam ius in re obligata, vt ex illa in particulari sibi satisfiat: quod tamen ius alij debitores non habent. Quando autem plures creditores in eadem re habent huiusmodi securitatem, ille qui habet expressam hypothecam, præfertur illis, qui tantùm habent tacitam, & quando cætera sunt paria, præfertur antiquior; atque in huiusmodi obligatione, qui prior est in tempore, est etiam potior in iure.

138. Supersunt verò tria in quibus est aliqua controuersia.

Primum est, an inter debita ex delicto, & contractu oneroso, aliquis sit ordo seruandus in solutione. Caietanus verbo Restitutio cap. 4. Nauarr. suprà num. 25. censent, debita ex contractu primo loco esse soluenda ante debita ex delicto, ex iure naturali: quia non sunt accipienda aliena inuito domino, vt restituantur etiam alia aliena malè accepta; ergo non sunt restituenda domino inuito, quæ illi debentur ex contractu, vt soluantur debita ex furto. Deinde, quia illa quæ dantur per contractum, magis voluntariè conferuntur, vt accipiens obligetur ex iustitia, quàm illa quæ sine voluntate domini iniustè accipiuntur.

Probabilior est sententia asserentium inter debita ex delicto & ex contractu, nullum esse ordinem, sed inter se concurrere, vt æqualiter solui debeant. Ita Aragon in præsenti dub. vlt. Nauarr. lib. 4. cap. vlt. dub. 8. Quia nullum est caput ex quo debitum ex contractu præponi, aut postponi debeat, debito ex delicto. Quod enim aliqui asserunt, per contractum dubitorem fieri locupletiorem, nullius est momenti, quia obligatio soluendi non oritur ex eo quod quis sibi acquirit, sed ex eo quod ab alio aufert: quod potiori iure in delicto inuenitur, quàm in contractu. Quod verò alij subiungunt, de maiori voluntate per quam res datur in contractu, quàm extra contractum, non probat debitum ex delicto postponi, aut præponi debere; quia actus restituendi non oritur ex modo iniuriæ, nec ex illo in quo iniuriæ inter se differunt; sed ex eo quòd bonum alienum accipitur sine gratuita domini voluntate, in quo debita ex contractu oneroso, & ex delicto conueniunt; ac proinde concurrere debent in solutione. 139.

Ad fundamentum Caietani respondetur, esse manifestam petitionem principij, eo quòd assumit non esse accipienda inuito domino aliena, vt restituantur malè parta, & acquisita: & quidem si nomine alieni intelligeret id quod verè alienum est, neque est sub dominio creditoris, verissimum assumeret Caietanus, nihil tamen probaret, quia præsens dubium est, de restitutione facienda ex bonis quæ sunt sub dominio debitoris: de his autem loquendo assumit Caietanus, non esse assumenda, & accipienda aliena, vt restituantur debita ex delicto. Vnde manifestè assumit quod erat illi probandum, nempe bona ista quæ sunt sub dominio debitoris, ita pertinere ad creditorem ratione contractus, vt ex illis non possint solui debita ex delicto. Imò pro parte aduersa posset fieri idem argumentum, scilicet non esse accipienda aliena, vt soluantur debita ex contractu: atque adeò prius esse soluenda debita ex delicto. Itaque nulla potest assignari ratio diuersitatis. 140.

Secundum dubium est, an temporis antiquitas sit ratio vt antiquiora debita soluenda sint ante alia quæ in cæteris conueniunt, & sententia negans est longè probabilior, nempe ex temporis antiquitate, nullum oriri ordinem seruandum in solutione. Ita Nauarrus suprà num. 51. & constat manifestè, ex Cod. de bonis auctoritate iudicis possidendis, & l. pro debito, vbi dicitur, potiores esse creditores habentes pignus, quàm solùm chirographarios, qui non habent pignus, vel hypothecam: & additur, quòd si specialiter, vel generaliter nemini probentur res obligatæ, ac fine successore, communis debitor vel eius hæres decessit, æquali portione pro rata debiti quantitate omnibus creditoribus consuli potest. Quapropter quod 141.

circa

circa rem præsentem dicitur, priores in tempore esse potiores in iure, intelligendum est in iure pignoris & hypothecæ; non autem in debitis merè personalibus.

142. Tertium dubium est, an quando debita sunt in eodem gradu & ordine, possit debitor benevolentiæ gratia, vni soluere totum debitum, etiamsi inde oriatur, vt alij creditores careant solutione, vel omnino, vel ex parte, quam haberent si conuenirent cum alio creditore, qui in integra solutione præponitur. Simile dubium est, an creditor sciens debitorem iam non habere bona, quæ sint satis ad satisfaciendum omnibus creditoribus, possint prevenire petendo à debitore solutionem, & hanc retinere, non obstante aliorum debitorum detrimento. In qua re

143. Respondeo primò in iudicio publico licitum esse solutionem à debitore petere, & illam iudicis auctoritate recipere, etiamsi creditor cognoscat impotentiam debitoris ad satisfaciendum omnibus creditoribus, & ratio est, quia in iudicio solùm habetur ratio eorum quæ allegantur & probantur; & quæ ex allegatis, & probatis constituuntur, rata sunt: quando ergo vnus ex creditoribus magis vigilat, & à iudice illi applicatur integra debiti solutio, poterit solutionem retinere.

144. Respondeo secundò debitorem non posse præponere in solutione aliquem ex creditoribus quos scit concurrere in eodem gradu in ordine solutionis, sed debere inter illos seruare æqualitatem proportionis; ita vt illa sit in solutionibus proportio geometrica, quæ est inter ipsa debita, vt suprà dicebamus. Ita Nauarr. num. 52. & probatur ex l. 24. ff. de his quæ in fraudem creditorum. Vbi solutio quam tutor tradit gratificationis gratia, reuocatur, quasi facta in fraudem aliorum creditorum, & ratio est, quia contra æqualitatem iustitiæ est in rebus debitis non operari æqualiter erga illos, in quibus est æqualitas iuris: ergo contra iustitiam est aliquem ex illis præponere in integram solutionem, cùm tamen alij propterea cogantur debita solutione carere.

145. Illud verò primum addendum est, si debitor creditori non exigenti, aut nescienti eius impotentiam, solutionem offerat, atque ille recipiat, in posterum, creditorem tuta conscientia posse illa retinere. Et ratio est, quia huiusmodi creditor non tenetur aliis creditoribus ratione rei acceptæ; acquirit enim illius dominium; & aliàs ea res non dum erat aliis creditoribus obligata: nec præterea tenetur ratione alicuius delicti: nam ignorantia paupertatis debitoris est ratio vt creditor sine vlla culpa accipiat: nulla ergo est ratio ob quam creditor qui solutionem accepit, debeat illam communicare cum aliis creditoribus.

146. Secundò addendum est, in his quæ debentur ex delicto, si timeatur aliquod aliud damnum, quod originem ducat ex præcedenti delicto iniustitiæ, illud esse posse rationem vt debitum soluendum sit creditori, cui imminet tale damnum, ante alios creditores, quibus illud non imminet. nam quisque tenetur impedire quominus ex suis actionibus damnum aliis sequatur. Vbi nota si præter leges communes sint aliquæ particulares leges per quas debita quædam aliis præferuntur, debita soluenda esse iuxta decreta legum, quæ in re particulari in foro conscientiæ, & ante sententiam iudicis suum effectum habent.

* * *

Lud. à Caſaraugusta Tom. poſter.

§. Vnic.

Quibus expensis debeat fieri restitutio.

147. DIfficultas hæc alia ratione proponi solet, scilicet in quo loco fieri debeat restitutio: circunstantia enim loci debiti in restitutione, consideratur propter expensas quæ sæpè necessariæ sunt ad restituendum alienum in tali loco; sæpè enim dominus est absens, nec post ad illum res mitti sine expensis, & aliquando nec conseruari potest vsque ad aduentum illius.

Respondendum est ergo cum distinctione. Quando restitutio debetur solùm ratione rei acceptæ sine vllo peccato iniustitiæ, tunc restitutionem esse faciendam expensis creditoris sine vllo debitoris detrimento. Et ratio est manifesta, quia ex sola re accepta possessor bonæ fidei, tantùm tenetur illud restituere in quo fit ditior; ex nullo ergo capite tenetur pati damnum expensarum, quæ necessariæ sint ad restitutionem. Obseruat autem D. Thom. artic. 5. ad 3. quando dominus est absens, esse illum admonendum vt significet quid fieri velit de re sua; interim autem debere rem alienam conseruare: quòd si debitor prudenter credat, creditorem velle vt ad ipsum mittatur, est quidem ad illum mittenda, sine vllis tamen expensis debitoris. Si autem propter nimiam distantiam res non possit ad dominum mitti, nec ab eo haberi possit responsum quid velit fieri, tunc res aliena tradi potest, vel consanguineis ipsius creditoris, vel certè pauperibus: quod verum est quando prudenter existimari potest id velle ipsum creditorem.

148. Quando verò obligatio restituendi oritur ex aliquo delicto, alia est ratio. Pro cuius intelligentia notandum est, expensas quæ fiunt in restitutione, alias esse quas dominus rei non esset facturus ad habendam rem suam in tali loco, in quo casu expensarum necessitas planè oritur ex delicto eius qui accipit rem alienam. nam si tale delictum non interueniret, eiusmodi expensæ non essent necessariæ. Aliæ verò sunt expensæ quas dominus rei facturus erat ad habendam rem in loco in quo ipsi restituitur, iuxta quam distinctionem dicendum est, quando obligatio restitutionis oritur ex delicto, restitutionem esse faciendam illis expensis debitoris, quarum necessitas oritur ex tali delicto: alias verò expensas quas alioqui dominus rei facturus erat, soluendas esse ex bonis creditoris. Ratio huius est, quia quisque debet resarcire damnũ quod sequitur ex culpa ipsius: sed necessitas expensarum quas dominus non erat facturus, apertè sequitur ex delicto eius, qui accipit alienum; ergo hic debet resarcire huiusmodi damnum. Quòd verò non debeat soluere illas expensas quas alioqui dominus facturus erat, v. g. quando creditor migrat de vna ciuitate in aliam, in quam delaturus erat rem ab ipso acceptam, eiusdem expensis quibus debitor rem ad dominum mittit, cõstat ex eadem ratione: quia in hoc casu ille qui accepit rem alienam, non est causa necessitatis illarum expensarum; quare nec debet illas soluere. Contraria ratione, si quis non restituit debitum suo tempore, & deinde creditor migrat in alium locum, qua de causa sunt necessariæ expensæ ad mittendas pecunias debitas, in tali casu debitor morosus debet expensas soluere, qui per suam moram est causa, vt necessaria fuerint nouæ expensæ, vt debitum creditori traderetur.

Digitized by Google

Si verò ad mittendum debitum sint necessariæ plures expensæ quàm valeat ipsum debitum, iam sufficiens ratio est vt restitutio differatur, vel vt alia ratione fiat.

149. Si autem obligatio restituendi oriatur ex contractu, diuersissimè respondendum est, iuxta diuersam naturam contractus. Nam res quæ debetur ex deposito, si nulla interueniat culpa depositarij, restituenda est expensis creditoris, si illæ sint necessariæ ad huiusmodi restitutionem: quia contractus depositi solùm obligat, vt bona fide depositum custodiatur, non verò vt aliquid expendatur ad restituendum depositum. In commodato verò quoniam ordinatur præcipuè in vtilitatem accipientis, si aliquæ expensæ non magnæ necessariæ sint ad restitutionem rei commodatæ, solnendæ sunt ex bonis debitoris, vt constat ex l. in rebus ff. commodati. Præterea in eadem re magni momenti est, an creditor, vel debitor discesserit ex loco solutionis. nam si creditor discesserit, & obligatio restituendi est ex contractu, restitutio facienda est ex bonis creditoris; secus verò si debitor ex loco solutionis discesserit. Ratio horum est, quia quando ex contractu est determinatus locus, in quo sit facienda restitutio, etiam si debitor sine culpa ex illo loco discedat, tenetur tamen ad solutionem in eo loco. Quapropter si restitutio in alio loco fieri debeat, huiusmodi expensæ non debentur à restituente. nam ex contractu solùm obligatur ad soluendam rem in loco determinato ex contractu.

Sectio XIII.

De causis excusantibus à restitutione.

150. Licèt præceptum restituendi statim obliget, aliquæ tamen esse causæ ob quas quis excusetur à restitutione, vel actus restituendi sine peccato differatur.

151. Prima causa est, quando debitor nullo possit restituere, neque de præsenti, neque de futuro, quia neque habet, neque sperat habere; tunc enim liber est ab obligatione restituendi: sic enim excusatur à restitutione, quantumuis damnum fecerit contra iustitiam, vel aliquid acceperit.

152. Secunda, quando restitutio facta statim, afferret aliquod nocumentum creditori, in quo casu prudentissimè differtur restitutio, vt docet D. Thom. art. 5. ad 2. quia restitutio in vtilitatem creditoris ordinatur, ex qua ratione infertur restitutionem differri posse, non solùm quando nocere potest creditori, sed etiam quando nullam potest ei vtilitatem afferre: atque hæc est causa ob quam breuis dilatio restitutionis non est peccatum, quia debitor sæpè existimare potest, huiusmodi breuem dilationem nullum posse affere domino nocumẽtum, & ad hanc causam potest etiam referri nocumentum iniustum alicuius personæ, si futurum timeatur ex restitutione. Qua ratione depositarius, qui habet depositum ensem, potest illum negare depositori, quem videt contra aliquem iratum, & vti velle ense depositio ad alterius iniuriam.

153. Tertia causa est frequentior, incommodum scilicet, seu nocumentum ipsius debitoris, propter quod sæpissimè potest differri honestè restitutio. Quia tamen non quodlibet incommodum est sufficiens ratio differendi restitutionem, explicandum est quando propter hanc causam omitti possit: quando verò non obstante huiusmodi incommodo, restituendum sit. Primò ergo, quando ex omissione restitutionis creditori sequitur tantum damnum, quantum ex restitutione sequitur debitori, tunc non obstante tali damno facienda est restitutio. Ita Caiet. art. 3. & Nauarr. c. 16. num. 44. & ratio est manifesta, quia æqualitas iustitiæ postulat, vt cæteris paribus potiùs conseruetur bonum eius, qui sine culpa, & voluntate patitur, quàm eius qui culpabiliter, & voluntariè in tali periculo se coniecit: iustitia etiam postulat vt, cæteris paribus, res seruiat illi cui debetur, quàm alteri. Quòd si debitor aliquod damnum patitur ex restitutione tunc debita, si creditor ex omissione æquale, aut maius damnum patiatur, illi facienda est restitutio, iuxta quam regulam ex communi Doctorum sententia, quando accusator iniustus facit vt sententia mortis plectatur aliquis sine culpa, si non possit illum alia ratione liberare, debet illum liberare etiam cum periculo propriæ vitæ, quia melior est conditio innocentis, qui iniustè patitur damnum, quàm iniusti accusatoris.

154. Quando verò damnum quod sequitur ex restitutione est notabiliter maius, quàm damnum quod creditori sequitur ex dilatione, tunc ratione talis incommodi differri potest restitutio. Ita Doctores allegati, & Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. artic. 4. & probatur ex cap. de pœnitent. & remissionibus, vbi Pontifex respondet, non esse negandam pœnitentiam fœminæ, quæ vt impediat damnum auferendæ hæreditatis, non manifestat proprium crimen adulterij commissi, aut filij fraudulenter suppositi ad decipiendum virum. Cuius canonicæ diffinitionis illa solum potest esse ratio, quia obligatio impediendi damnum non vrget, quando illud non potest impediri sine grauiori alio damno, mortis scilicet, aut infamiæ, de quibus videtur esse sermo in Canone allegato. Et idem est quotiescumque ex restitutione sequitur damnum multo grauius, quàm illud, quod per restitutionem resarcitur, & ratio huius est, quia iustitia quæ ad seruandam æqualitatem obligat ad restitutionem, non obligat vt illa fiat cum tanta inæqualitate, hoc est, cum multo maiori detrimento. Iuxta quam doctrinam, quando aliquis tenetur ad restitutionem alicuius summæ, nec potest commodè vendere res suas propter defectum emptorum, tunc potest honestè differre restitutionem quousque sit melior occasio vendendi bona sine tanto detrimento, ob rationem scilicet traditam; quia maius detrimentum honesta causa est differendi restitutionem, vbi est obseruandum, quando creditor ex huiusmodi dilatione aliquod damnum patitur, minus tamen quàm debitor pateretur si restitueret; tunc tempore solutionis, habendam esse rationem prædicti nocumenti, vt illud etiam resarciatur. nam cùm creditor illud patiatur ob maiorem vtilitatem debitoris, ius habet in tempore solutionis, etiam damnum illud resarciatur.

155. Nec obstat, quia id quod est peccatum, & intrinsecè malum, propter nullum incommodum est faciendum; detinere autem alienum est intrinsecè malum, perinde atque accipere; ergo propter nullum incommodum id fieri debet. Respondetur, detinere alienum domino rationabiliter inuito, & quando habet ius habendi rem suam, esse intrinsecè malum, nec præter vllam causam fieri posse. Detinere tamen alienum ad vitandum detrimentum multo grauius, non esse detinere alienum domino rationabiliter inuito, nec quando

ille

Digitized by Google

ille ius habet rem suam habendi; ac proinde illud non esse intrinsecè malum, sed potiùs honestum, & vtile.

156. Quamuis tamen in hoc Doctores conueniant, controuersia tamen est, an bona fortunæ restituenda aliquando sint cum detrimento famæ, aut vitæ: & similiter bonum fama restituendum sit aliquando cum damno vitæ. Affirmant nonnulli, quando esset magna summa restituenda, vel fama alicuius nobilis personæ, cum detrimento vitæ hominis priuati; quia fieri potest, vt bonum generis inferioris adeò crescat in suo genere, vt superet bonum generis superioris: sicut in bonis fortunæ, multitudo argenti superare potest æstimationem minoris quantitatis auri, licèt hoc in suo genere maius sit bonum, ita Sotus lib. 4. de iustitia, quæst. 6. art. 3.

157. Contraria tamen sententia est multo probabilior, scilicet bona generis inferioris non esse restituenda necessariò, cum detrimento notabili bonorum generis superioris; ac proinde bona fortunæ non esse restituenda necessariò, cum notabili infamia; nec fama cum detrimento vitæ, nec cum graui illius periculo. Ita Caiet. art. 6. & est communis sententia; in casu verò particulari adulteræ, quando alia via non potest damnum impedire, non teneri se infamare, docet Innocentius in capite allegato de pœnitent. & remiss. Et probatur, quia, vt fatentur Doctores contrariæ sententiæ, nullus tenetur ad restitutionem cum maiori detrimento suo, quod sequatur ex restitutione: sed detrimentum in bonis generis superioris, semper est maius, quàm detrimentum in bonis generis inferioris: quia detrimentum in maiori aliquo bono, necessariò est maius detrimentum; bonum autem vitæ alicuius est maius quàm quælibet fama, aut diuitiæ; nullum enim bonum potest vitæ æquiualere: similiter honor & fama, maius bonum sunt, quàm diuitiæ multæ, Prouerb. 22. & quàm thesauri multi, Ecclesiast. 31. Denique sunt maxima inter bona externa, vt ait Aristot. 4. Ethicorum, cap. 3. ergo damnum in fama, aut honore maius est, quàm damnum diuitiarum, & damnum vitæ, quàm alia damna; ac proinde damna in bonis fortunæ resarcienda non sunt cum notabili detrimento famæ, neque cum detrimento vitæ. Argentum autem & aurum vniuocè conueniunt etiam in specie infima pecuniariæ æstimationis, ex quo fit, vt quamuis aurum sit minòr in quantitate, sit maioris valoris, quàm argentum in maiori quantitate: at bona fortunæ ea ratione non conueniunt cum fama, aut cum vita hominis; & ideo fieri non potest vt æstimatio bonorum fortunæ, attingat æstimationem vitæ, aut bonæ famæ.

158. Duo tamen sunt hîc obseruanda, primum est, quando quis non potest rem alienam restituere sine sua infamia, potest tamen illius valorem per aliquam tertiam personam soluere, tunc sine dubio ad hoc secundum teneri: quia incommodum infamiæ solùm excusat ab illa restitutione, quæ sine infamia fieri non potest: non verò à restitutione valoris, qui sine detrimento famæ restituitur. Secundò est obseruandum, esse necessarium vt damnum sit in se notabile & alicuius momenti, alioqui enim si leue sit, etiamsi in bonis generis superioris, non excusat.

159. Et ex dictis infertur solutio alterius difficultatis, quando scilicet teneatur quis ad restitutionem tantæ summæ pecuniarum, vt ratione restitutionis sequatur casus ab statu honorifico, qui sine diuitiis conseruari non potest. In qua re dicendum est, si huiusmodi status acquisitus sit per ipsa bona iniustè acquisita, v. g. per iniustum contractum vsurarium, bona aliena esse restituenda etiam cum amissione status acquisiti, vt enim optimè docet Caietanus suprà, non est cadere à suo statu, sed recuperare quem antea habebat. Si verò status honorificus alia via acquisitus fuerit, & ex casuali amissione aliorum bonorum contingat, aliena bona iam non posse restitui sine amissione status, tunc honestè differri potest restitutio illius partis, quæ ad conseruationem status necessaria sit: quia, vt manet prædictum, nullus tenetur ad restitutionem cum detrimento maioris boni, quàm creditor patiatur ex dilatione restitutionis. Quæ doctrina notanda est pro multis nobilibus, qui in vanos sumptus consumunt bona, & volunt excusari à restitutione debitorum, asserentes se id habere necessarium ad suam sustentationem congruam, & debitam suæ dignitati, qui non sunt absoluendi, nisi se abstineant ab illis vanis, & mutent propositum; sunt enim in peccato mortali.

160. Quarta causa est cessio bonorum. Cedere bonis dicitur, qui fatetur se non posse soluere, & tradit bona sua, vt ex eis debita soluantur: quòd si cedens retineat aliqua bona quibus possit soluere debita, in conscientia non liberatur à restitutione: si tamen re vera omnia bona tradat, & non sufficiant, liberabitur tanquam impotens pro tunc ab obligatione restituendi: postea verò si habeat bona, & possit, tenebitur integrè restituere, ex l. 1. Cod. Qui bonis cedere possint. nam tunc obligatio antiqua reuiuiscit, & tenetur restituere integrè, ex Couarru. 2. variarum, cap. 2. & Nauarr. lib. 4. Quidquid sit de foro externo, nam cessio illa non est solutio debitorum, neque per cessionem intelliguntur creditores condonare, nisi exprimant. Obserua tamen cum Toleto lib. 1. cap. 26. posse illum qui cedit bonis, sibi retinere, & occultare necessaria suæ sustentationi, vxoris, filiorum, & aliorum in primo gradu; neque qui hoc sciunt, tenentur reuelare quantumuis pœna non reuelantibus imponatur: & potest quis talia bona custodire, & accipere vt seruet; & potest iurare se nescire vbi sint talia bona, intelligendo interiùs, ita vt teneatur reuelare: qui casus est frequentissimus pro his qui habent bona apud aliquem, quibus indiget ad sui necessitatem, vel suorum, in dicto casu.

161. Quinta causa est, compensatio creditoris ex bonis debitoris: si enim ego debeam cētum Petro, & Petrus sibi ex meis bonis loco debiti illa centum à me sumat, ego liberor à restitutione, vt autem hæc compensatio licitè, & sine iustitia fiat à creditore, debet esse debitum certum. nam si esset incertum, compensatio illa esset contra iustitiam, & teneretur sibi compensans restituere ei cuius bona in recompensationem accepit; quia non habet ius spoliandum alium re quam possidet, quia in dubio melior est conditio possidentis. Requiritur etiam vt res quæ in compensationem accipitur, sit ipsius debitoris, & non alterius: & quomodocumque fiat recompensatio, si debitum sit certum, & fiat ex re ipsius debitoris, non erit contra iustitiam, si debitum est soluendum tempore quo fit recompensatio, si aliter commodè res non possit recuperari à

creditore. v. g. quia si petatur à debitore, negabitur, vel si petatur per iustitiam, nihil obtinebit creditor, quia non habet probationem, vel ob aliam causam; vel quia creditor magnos faciet sumptus, vel incurret aliud damnum. Cum his ergo conditionibus, licitè secretò poterit sibi recompensare. Erit verò peccatum, licèt non contra iustitiam, sed contra aliam virtutem, si fiat cum scandalo, vel cum infamia, & qui sibi recompensat, & non contra iustitiam, quamuis feratur excommunicatio qua præcipiatur, vt res debitoris reuelentur, potest licitè etiam cum iuramento tacere, & sibi retinere; quia intelligitur excommunicatio respectu illorum, qui non habent certum debitum: & qui iurat se nihil scire, vel non habere in eo casu, intelligitur de rebus quas teneatur reuelare: hic verò non tenetur, quia erat sibi debita ista re-

162. Vbi nota, hoc etiam esse verum, quamuis à debitore per vim, & ipso nolente & repugnante, vel dormiente, quod debet extorqueatur. Ratio est, quia sic resarcitur damnum, & debitum creditori, quod præcipitur præcepto restitutionis externæ, & reducitur inæqualitas ad æqualitatem; hoc enim præceptum potest impleri etiam non liberè, & per resistentiam, & per actum non humanum, sed per vim; licèt ex alio capite possit tunc quis peccare internè, nolens satisfacere quod debet: in quo differt præceptum restitutionis à præcepto aliarum virtutum, cui satisfieri debet actu libero humano: & constat in impletione voti, iuramenti, & sacramentalis pœnitentiæ; debet enim id quod præcipitur, fieri liberè. Vnde qui per vim Sacro assisteret die festo, non satisfaceret præcepto audiendi Sacrum; si tamen liberè assisteret, & volens audire Missam, quamuis haberet intentionem illa Missa non implendi illud præceptum, impleret illud, vt alibi docuimus: quia tali præcepto per Ecclesiam, tantùm præcipitur auditio Missæ, vel assistentia libera attenta, & idem est de horis Canonicis: vnde Clericus qui ratione Ordinis sacri, vel beneficij, vel voti, tenetur recitare Horas, si liberè & attentè recitet, quáuis dicat, Nolo satisfacere obligationi ex præcepto hac recitatione, re vera satisfaciet; quia facit quod præcipitur: sicut qui debet debitum & soluit, quamuis dicat: Nolo satisfacere debito solutione hac, re vera satisfacit si creditor illa solutione sit contentus: nó verò si faceret donationem, & vt talem creditor acceptaret; contractus enim pendent ex voluntate contrahentium: non autem est ita in nostro casu, quia quando debitor non recordatur sui debiti, & donat, re vera satisfaciet debito; quia dum aliud nó exprimit, intelligitur velle potius suo debito satisfacere, quàm donare; & sic quando quis debet debita incerta, si dat pauperibus, etiamsi non recordetur sui debiti, satisfacit obligationi ex iustitia, secundùm quam tenebatur, illa debita incerta dare pauperibus.

163. Sexta causa est, remissio creditoris. Vt autem intelligamus quando remissio re ipsa tollat obligationem restituẽdi, præsupponendum est, remissionem gratuitam debiti, re ipsa esse quandam donationem; ac proinde illa esse necessaria ad valorem remissionis, quoad veram donationem necessaria sunt. Ad hoc autem vt donatio, vel remissio gratuita valida sit, necessaria est plena voluntas eius qui donat, vel remittit: quapropter ignorantia & metus, quando sunt causa, vt homo non operetur plenè voluntariè, sunt etiam causa vt donatio vel remissio non sit valida, nec tollat obligationem restituendi. Idcirco quando creditor remittit debitum, deceptus falsa repræsentatione paupertatis, vel necessitatis debitoris, tunc remissio non est valida: neque quando operatur ex metu carendi tota solutione, nisi velit esse contentus parte illa quæ offertur; quæ enim fiunt ex ignorantia & metu, non sunt plenè voluntaria, qualis debet esse gratuita remissio, est tamen obseruandum ex Syluestro verbo Restitutio 7. quæst. 2. aliquando ad impetrandam remissionem pro altero, intercedere aliquem tertium, qui promittit suam diligentiam, vt creditori soluatur vna pars debiti, si velit reliquum dimittere. In quo casu quamuis creditor remittat ex metu carendi integra solutione, nihilominus remissio est valida, quia licèt hoc sit quasi donatio respectu debitoris, est tamen debita ex pacto oneroso cum alio tertio, qui se obligat ad procurandam vnam partem solutionis; in contractu autem oneroso non est necessaria tam plena voluntas; nec pactum est iniustum comparatione illius personæ, qui suam operationem promittit, ratione cuius illa remissio est valida.

Septima causa est, sententia iudicis; hæc enim si sit iusta secundùm allegata & probata, quamuis in re sit iniusta per quam quis priuatur officio, vel beneficio publico, & datur alteri, excusat ab obligatione restituendi illum, cui datur, vel adiudicatur tale publicum officium, vel beneficium; etiamsi reuera sciat illam sententiam in re fuisse iniustam, dummodo ille non fuerit causa talis sententiæ, quia bona publica subiecta sunt dispositioni Reipublicæ; ergo cùm persona publica legitimè secundùm allegata & probata, priuet possidentem his bonis, manet in conscientia securus ille, cui sunt adiudicata: quare priuatus neque secretò poterit se recompensare, cùm sit priuatus legitima possessione, & dominio illius officij publici, vel beneficij; hoc enim videtur petere pax & tranquillitas publica, ad tollendas lites superfluas, & contentiones priuatas. In bonis verò fortunæ particularibus adiudicatis per sententiam legitimam secundùm allegata & probata, in re tamen iniustam, tantum quis priuatur possessione, non verò dominio rei; quia non est credendum Rempublicam hoc velle: quare in huiusmodi bonis in eo casu, ille qui scit certò se esse verum dominum, poterit secretò se recompensare, & possidens tenetur restituere, si iniustitiam sententiæ certò sciat, vt rectè Sotus 3. de iustitia, quæst. 4. art. 5. Aragon. 2. 2. quæst. 6. art. 5. 164.

Sectio XIV.

De aliis quatuor causis excusantibus à restitutione.

Octaua causa, per quam quis liberatur ab obligatione restitutionis alieni, & solutionis debitorum, est ingressus Religionis, si non habeat vnde soluat quando ingreditur. Pro cuius intelligentia notandum est, iure antiquo validam fuisse professionem debitoris, etiam facti impotentis soluere propter talem ingressum, quamuis si in seculo maneret, posset soluere; non enim inuenitur ius antiquum irritans talem professionem, & ratio est, quia persona debitoris non est sicut seruus respectu creditoris, sed libera omnino manet; ergo valida erat traditio, qua se suamque personam tradebat Religioni, 165.

Religioni, licèt ex alio capite malè faceret: teneretur tamen iſte ſine dubio ſi poſſet ſoluere ante ingreſſum,& prouidere vt ſoluantur debita,vt patet ex ratione naturali. Poteſt etiam licitè ingredi religionem non ſolutis debitis incertis, etiam nomine proprio, ſi tunc non haberet vnde ſolueret, quamuis manens in ſeculo eſſet ſpes habendi vnde poſſet ſoluere. Et ratio eſt, quia nihil eſt tam pium,quàm ſe religioni tradere: ergo propter ſoluenda illa debita incerta pauperibus, non tenetur ſe abſtinere ab ingreſſu religionis: ergo tunc poteſt licitè ingredi etiam non ſolutis illis debitis incertis.Ita Sanchez lib.4.Decalogi,cap.19.vbi rectè notat, ſi talis debitor ea bona incerta deberet non nomine proprio, ſed quia alius illi ea reliquit diſtribuenda pauperibus; tunc enim de tali debitore dicendum eſſe, quòd de debitore certi creditoris,de quo ſtatim. Et quidem cuilibet ſint debita,& de præſenti non poſſint ſolui, neque ſit ſpes ſoluendi, etiamſi maneat in ſeculo, poteſt ſtatim ingredi Religionem;quia tunc ingreſſus ille nihil obſtat ſolutioni.

166. Quod etiam eſt verum,quando debita ſunt certa,& non poteſt ſoluere de præſenti, quia non habet vnde ſoluat:ſi verò differat ingreſſum,probabiliter ſperat ſe habiturum manendo in ſeculoaliquo tempore. Et ratio huius eſt,lucrum maximum ſpirituale, quod ex ingreſſu in Religionem percipit ingrediens, quo lucro non tenetur ſe priuare propter ſoluenda debita, ſed ſi tũc habet aliqua bona, ſufficiet ea tradere, vt ex his quod poſſit ſoluatur. Imò licèt debitor iuraſſet creditoribus ſe ſoluturum,adhuc poſſet ingredi, quia illud iuramentum intelligitur ſine tanto damno debitoris, vt docet Sanchez citatus, & qui oppoſitam ſententiam ſequuntur in tali caſu, prius debere ſoluere debita, intelligendi ſunt quando breui tempore manens in ſeculo poſſet ſoluere; tunc enim poſſet ſine damno ſuo ſpirituali graui. Dicitur autem breue tempus in hoc caſu, ſpatium duorum vel trium annorum;ſi tamen longius tempus eſſet expectandum,eſſet graue damnum ſpirituale, & ita propter ſoluenda debita certa non teneretur differre ingreſſum. Idem dicendum eſt, ſi intra illud breue tempus eſſet ſoluturus, cum maxima tamen difficultate. nam illa maxima difficultas facit moralem impotentiam reſtituendi; quia ſpes illa ſoluendi intra illud tempus dilationis ingreſſus, re vera eſt expoſita maximæ incertitudini propter contingentiam rerum quæ poſſunt impedire acquiſitionem bonorum. Idem dicendum eſt, ſi debitor eſſet dubius, an ſi differret ingreſſum aliquo breui tempore, haberet bona ad ſoluendum;in tali enim dubio poteſt ſtatim ingredi, & non ſe priuare tanta vtilitate ſpirituali moraliter certa.

167. Hoc autem quod diximus non poſſe ingredi non expectato illo breui tempore, intelligitur de debitis certis ex contractu, vel delicto. nam ſi debita ſint ex promiſſione etiam firmata iuramento, non tenetur expectare breue illud tempus: illa enim promiſſio etiam iurata,intelligitur ſine tanto damno ſpirituali promittentis. Et is in hoc caſu ingreſſus in religionem, non tenetur laborare in religione ad ſoluenda debita; eſſet enim res duriſſima imponere tale onus ſupra onus religionis, licèt alij oppoſitum dicant. Si tamen acquireret bona, tenetur Religio deductis expenſis neceſſariis tali religioſo, ex lucro per laborem illius acquiſito, ſoluere illa debita: non enim ſuccedit religio cum præiudicio creditorum priorum ante ingreſſum religionis. Quando verò dicitur religioſum acquirere monaſterio, intelligitur ſi non habeat debita relata, non ſoluta ante ingreſſum.

Hucvſque dicta intelligenda ſunt iuxta ius antiquum ante Sixtum V. qui anno 1587. inhabiles reddidit ad religionem & profeſſionem: ſtatuens, nullam eſſe profeſſionem, vel ingreſſum in Religionem eorum,qui habent debita, & non habent ſufficiens ad ſoluendum: quem tamen motum proprium temperauit poſtea Clemens VIII. Ita vt profeſſio valida ſit ſicut erat antiquitus; pœnas tamen appoſitas à Sixto V. in ſuo rigore reliquit. Et Motus proprius Sixti V. intelligitur, quando debita eſſent ingentia, non verò de paruis debitis: neque intelligitur de debitis incertis contractis nomine proprio: neque ex pœna debita ad quam quis condemnatur propter aliquod delictum: neque etiam quando ſi non ingrederetur, non haberet vnde ſolueret; neque de illis qui ſine ſua culpa facti ſunt impotentes ad reſtituendum: neque de debitis ex ſola liberali promiſſione. 168

Nona cauſa per quam obligatio reſtitutionis tollitur,eſt præſcriptio, quæ nihil aliud eſt, quàm acquiſitio dominij rei alienæ per continuationem poſſeſſionis tempore lege diffinito, vt dicitur l.3. ff. de vſucapionibus, quæ quidem acquiſitio non ſolùm in foro externo,ſed etiam in foro conſcientiæ vim habet excuſandi debitorem, vt nihil iam ſoluere teneatur, quamuis poſtea certò cognoſcat rem quam per vſucapionem acquiſiuit,re ipſa fuiſſe alienam;finis enim talis dominij eſt vt in poſterum litibus imponatur finis, & ſecura conſcientia res detineatur; quapropter Tullius inquit, *vſucapionem eſſe finem ſolutionis, & litium omnium.* & ideo neceſſarium eſt cognoſcere, quæ conditiones requirantur,vt per continuatam poſſeſſionem dominium acquiratur,quæ quidem ſunt quinque. 169.

Prima eſt capacitas actiua ex parte poſſidentis, & paſſiua ex parte rei poſſeſſæ,vt illius dominium per poſſeſſionem acquiri poſſit: qua de cauſa religioſus qui eſt incapax dominij,etiamſi multo tempore rem aliquam bona fide retineat, non præſcribit, quia eſt incapax dominij acquirendi per præſcriptionem,& per quamlibet aliam viam. Multæ etiam res ſunt quæ non poſſunt præſcribi, quia in legibus excipiuntur à generali illa poteſtate per quam res aliæ per poſſeſſionem acquiruntur, huiuſmodi ſunt homo liber, ſeruus fugitiuus, res eccleſiaſticæ, quæ non poſſunt haberi à ſecularibus: vt dicitur Inſtitut. de vſucapionibus. Ad illas etiam referuntur res furtiuæ, quarum dominium acquiri non poteſt per præſcriptionem,non ſolùm à furibus, ſed neque ab his qui bona fide à furibus bona aliena accipiunt, vt dicitur eodem titulo §. furtiua. 170.

Secunda conditio eſt, poſſeſſio continuata rei alienæ: vt enim dicitur regula 3. de regulis iuris, ſine poſſeſſione præſcriptio non procedit. Eſt autem poſſeſſio, *detentio quædam rei nomine proprio illam detinentis, & potentis illius habere dominium, aut proprietatem.* In qua deſcriptione illa particula *detentio* non ſignificat aliquam actionem materialem,quæ exerceatur circa rem poſſeſſam. nam licèt in principio quando poſſeſſio acquiritur, aliqua ſenſibilis actio præſupponatur, per quam homo ſibi vſurpet rem poſſeſſam; poteſt tamen poſſeſſio continuari per habitualem detentionem, etiam in abſentia rei poſſeſſæ: quæ quidem ſi detineatur nomine & auctoritate alterius,v.g. locata, aut depoſita, non tamen poſſidetur ab illo à quo immediatè 171.

diatè aut materialiter detinetur, sed potiùs per hunc possidetur ab illo cuius facultate & auctoritate detinetur: vel, vt alij Doctores definiunt: *Possessio est detentio rei corporis, animi, & iuris adminiculum.* Dicitur *corporis adminiculum*, quia præcedere debet aliqua sensibilis actio; *animi* verò quia necessaria est intentio vsurpandi sibi rem per talem actionem, & tandem *iuris*, quia debet esse res talis, quæ non prohibeatur haberi quoad proprietatem ab illo, à quo detinetur & vsurpatur.

172. Tertia conditio est, bona fides illius qui detinet & possidet rem alienam, vt enim dicitur regula 2. de regulis iuris: *Possessor malæ fidei, ille tempore non præscribit.* Quamuis enim iure ciuili, in præscriptione longioris temporis huiusmodi bona fides non requireretur; iure tamen Canonico, omnis possessio malæ fidei excluditur à præscriptione, vt patet in regula citata, & cap. 5. & vlt. de præscriptionibus. Cæterùm quamuis in principio quando acquiritur, ad bonam fidem necessaria sit credulitas, per quam quis existimet se acquirere dominium rei quam accipit, nec cum dubio in principio sit bona fides; tamen post acquisitam possessionem, bona fides conseruatur & est vtilis ad præscriptionem, etiam cum dubio de proprietate rei; quia in pari dubio, melior est conditio possidentis, vt cum communi sententia suprà docuimus.

173. Quarta conditio est, titulus aliquis ad acquirendum dominium talis rei, qui probabiliter, id est, bona fide putetur titulus validus, v. g. titulus ex donatione, vel venditione, vel testamento, vel successione ab intestato, vel emptione, &c. & non est necesse vt hic titulus sit verus in se & à parte rei ad hoc vt sit validus, sed vt probabiliter & prudenter putetur verus, v. g. si venditor re vera non habebat potestatem vendendi; secundùm prudentiam tamen putabatur habere, quæ quidem conditio est necessaria in proprietate, quæ dicitur brevioris temporis; non verò in præscriptione temporis longioris. nam per tempus cuius principium in possessione constare non potest, etiam sine titulo, per possessionem acquiritur dominium.

174. Vltima conditio est, tempus à lege designatum. In rebus enim mobilibus, aut se mouentibus, cum titulo & possessione bonæ fidei ad acquirendum dominium, sufficit tempus trium annorum, vt dicitur Institut. de vsucapionibus, in principio. In rebus autem immobilibus, inter præsentes requiritur spatium decem annorum, & inter absentes annorum viginti, modò res possideatur aliquo titulo: quòd si titulus desit, requiritur spatium triginta annorum. Est tamen notandum, aliquando contingere, vt quis vsucapiat fructus rei bona fide possessæ, etiamsi propter defectum alicuius conditionis, non acquirat rem ipsam: ipsa enim possessio bonæ fidei rei fructiferæ est titulus sufficiès ad acquirendum dominium fructuum per vsucapionem.

175. Decima causa excusans à restitutione est Bulla compositionis, quando enim restitutio est sub obligatione facienda pauperibus in bonis incertis, liberat à tali obligatione prædicta Bulla, dando eleemosynam in ea taxatam, scilicet pro duobus mille marauedinis, restituendo duo regalia pro vna Bulla, vsque ad summam centum mille marauedinorum, & ita pro hac summa sunt accipiendæ quinquagintæ Bullæ, & sic excusatur quis ab obligatione restituendi pauperibus illa centum millia marauedinorum. Si autem maior summa sit restituenda, adeundus est Commissarius generalis Cruciatæ pro compositione talis summæ.

Est tamen notandum, comparente domino bonorum incertorum pro quibus facta est compositio, bona remanentia restituenda esse domino, excepta eleemosyna data pro Bulla; hac enim conditione facta est compositio, & videtur conforme rationi, vt rectè Molina disp. 748. & Torres disp. 41. dub. 1. licèt non desint graues Doctores asserentes, in tali casu non esse restituenda domino comparenti semel facta compositione. Ita Henriquez 7. de Indulgentiis cap. 24. & Bannes 2. 2. quæst. 62. art. 5. dub. 8. Quia in præscriptione, ea legitimè semel facta non est obligatio restituendi, etiam comparente domino: ergo similiter in hoc casu propter dispositionem Principis Ecclesiæ in Bulla compositionis. Deinde, quia hæc bona data sunt pauperibus, & secundùm probabilem sententiam etiam domino comparente, non sunt ex obligatione illi restituenda, quod est probabile & securum. 176.

Sunt tamen duo casus, in quibus quamuis creditor sit certus, prodest tamen Bulla compositionis. Primus est quando legatarius institutus in bonis dictis, est negligens intra annum integrum in petendo suo legato; in hoc enim casu debens legatum, accipiendo Bullam compositionis, liberatur ab obligatione soluendi integrè legatum. ita declarat ipsa Bulla, volens in hoc punire negligentiam legatarij. Secundus casus est, quando creditor est certus, ad eum tamen mitti non potest debitum, vel non potest inueniri. 177.

Circa fructus beneficiorum malè habitos est etiam notandum, non prodesse hanc Bullam si fructus sint debiti propter residentiam, & non residet, ex Trident. sess. 23. cap. 1. Sed tenetur non residens pro rata temporis non residentis restituere; tantùm igitur prodest propter fructus malè habitos; quia non recitauit diuinum Officium, ad quod ratione beneficij tenebatur, & in eo casu præter duo regalia pro Bulla danda sunt alia duo regalia Ecclesiæ vbi est beneficium. Similiter propter fructus malè habitos, quia beneficium accepit non canonicè, & collatio est nulla. Et quando à principio legitimè habuit beneficium, sed postea cùm esset excommunicatus, & negligens in quærenda absolutione, fructus percepit: super distributiones verò malè acquisitas nulla prodest compositio, quia huiusmodi accrescunt præsentibus. 178.

DISPVTATIO II.

De restitutione ex acceptione personarum.

SECTIO I.

Quid sit acceptio personarum, & ad quam virtutem pertineat.

INCIPIMVS iam agere de restitutione in particulari cum D. Thoma quæst. 63. vbi docet, acceptionem personarum esse peccatum ex suo genere mortale contra iustitiam distributiuam, & reperiri in distributione bonorum communium, non solùm secularium, sed etiam ecclesiasticorum, quando distribuuntur sine debita proportione. Præterea etiam reperiri in exhibi 1.

Digitized by Google

exhibitione honoris & reuerentiæ,ob solum diuitiarum titulum,& in actibus iudicandi,quando Iudex contra merita causæ, aufert ab vno vt det alteri litiganti. Quæ doctrina paulo fusiùs explicanda est.

2. Circa primum esse videlicet quoddam peccatum, quod in Scripturis sacris dicitur acceptio
Iacob 2. personarum, res est ex fide certa.Iacob. cap.2. *Si personas accipitis,peccatum operamini, redarguti à lege*
Eccli. 42. *quasi transgressores.* Ecclesiastici 42. *Ne accipias personam*, &c. esse autem hoc peccatum graue ex suo
Eccli.20. genere,sumitur ex illis verbis Ecclesiast.20. *Est qui persona acceptione perdit se.* Diffiniri autem potest huiusmodi peccatum hac ratione. *Acceptio personarum est distributio boni communis facta sine æqualitate debita proportionis.* In qua descriptione, illæ voces, *distributio boni communis*, ponuntur, quia actus iustitiæ distributiuæ, & peccatum illi contrarium, non potest reperiri nisi in actu per quem id quod est bonum commune, applicetur alicui parti communitatis, vt docuit Aristot. 5. Ethicorum cap.2.& 3.

3. Pro cuius intelligentia notandum est, bonum aliquod duobus modis dici posse commune; primò, quia est res in qua plures habent suam propriam partem per dominium priuatum, & cum iure vt ex ipsius voluntate diuidatur, & separetur quando alicui placuerit non habere suam partem cum aliis coniunctam: qua ratione hæreditas relicta pluribus, dicitur bonum illis commune; atque hoc bonum commune non est materia iustitiæ distributiuæ, quæ distinguitur à commutatiua; sed potiùs est materia commutatiuæ iustitiæ,cuius munus est, seruare ius proprium & priuatum singulorum. Aliud verò est bonum commune in quo particulares personæ non habent proprietatem alicuius certæ partis, sed potiùs communitas copulatim sumpta, habet illius dominium; nec priuati habent potestatem,vt sine communitatis consensu,possit aliqua pars applicari priuatæ personæ, eo solùm nomine quo illa velit habere suam partem separatim: huiusmodi sunt multa bona, quæ ad publicos & communes vsus in ciuitatibus esse solent; atque hæc bona sunt propria materia iustitiæ distributiuæ, quæ si applicantur alicui personæ,seruari debet æqualitas pro dignitate,& qualitate,quæ attenditur in tali applicatione.

4. In aliis verò particulis eiusdem descriptionis, continetur propria differentia huius peccati,scilicet carentia inæqualitatis proportionis debitæ; quando enim in distributione non est eadem proportio quam petit dignitas eorum inter quos fit diuisio, tunc distributio est inhonesta & iniusta. Dicitur autem acceptio personarum, vel respectus personarum; quia in illa non attenditur æqualitas,iuxta quam debet fieri distributio, sed aliæ personarum qualitates, quæ ad eam non pertinent, v.g.amicitia,commoditas distribuentis, & similia: vt enim ait Augustinus lib. 2. contra duas epistol. Pelagian. cap. 7. Acceptio personarum dicitur, quando ille qui iudicat, relinquens causæ meritum, alteri contra alterum suffragatur, & Arist. 5.
Not. Ethicor. cap.2. *Iustum in distributionibus pro dignitate esse oportere,omnes fatentur.* Quando ergo distributio boni communis non est pro qualitate,& dignitate quæ attendi debet in tali distributione, tunc est acceptio personarum.

5. Obiicies primò, quia in actu iudicandi iniusto, in fauorem vnius cum detrimento alterius, est peccatum acceptionis personarum, in quo tamen actu nulla est partitio boni communis, sed applicatio tantùm illius priuati de quo litigatur: vnde nec talis actus est contra iustitiam distributiuam, sed tantùm contra commutatiuam,v.g. contra dominium priuatum illius, contra quem fertur sententia:ergo acceptio personarum non solùm reperitur in distributione boni communis, nec semper est contra iustitiam distributiuam.

Pro responsione notandum est, in iudicio iniusto duo esse consideranda, scilicet rem peculiarem de qua est lis, & commune officium iudicis, qui auctoritatem habet ad iudicandum: quæ quidem auctoritas commune bonum est eorum,inter quos potest iudicare, quamuis peculiaris res de qua est lis, priuatum sit bonum vnius personæ; atque hac ratione in vno & eodem iudicio iniusto,per respectum ad diuersa bona, esse potest duplex malitia, scilicet iniustitiæ commutatiuæ, contra iustitiam commutatiuam,& dominium priuatum quod quis habet in re, de qua est iudicium, & iniustitiæ distributiuæ per respectum ad commune officium iudicis, & contra ius distributiuum, quod etiam habet priuata persona ad actionem iudicis, tanquam ad commune bonum per quod defenditur ius & dominium priuatum cuiusque. Ex quo patet responsio ad argumentum. nam præter rem priuatam de qua est iudicium, quæ sæpiùs solum est materia iniustitiæ commutatiuæ, est etiam commune bonum auctoritatis iudicij, quæ non applicatur secundùm debitam proportionem ad defendendum ius de quo est lis,& controuersia. 6.

Obiicies secundò, quia ex sententia D.Thomæ art.3. Actus honorandi diuites propter solas diuitias, est acceptio personarum:qui tamen actus non est contra iustitiam distributiuam, sed contra virtutem obseruantiæ, per quam exhibentur signa honoris & reuerentiæ: quia huiusmodi actus non habent malitiam ex distributione alicuius boni communis facta sine æqualitate proportionis: qui enim exhibet signa honoris,nullum bonum commune distribuit: ergo falsum est acceptionem personarum esse peccatum contra iustitiam distributiuam, nec reperiri nisi in distributione inæquali bonorum communium. Quod autem actus honorandi diuites propter diuitias sit acceptio personarum,sumi videtur ex Iacobo cap.2. nam post illa verba, *Nolite in personarum acceptionem habere* Iacob 2.
fidem, statim subdit. *Si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens, in veste candida: introierit autem & pauper in sordido habitu; & intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei: Tu sede hic bene; pauperi autem dicatis: Tu sta illic,aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis iudices cogitationum iniquarum?* & paulo pòst. *Si personas accipitis, peccatum operamini.* Quibus verbis significari videtur actum præferendi diuitem in sede, & exhibitione honoris, esse acceptionem personarum, & contra iustitiam esse minus honorare pauperem, eo quòd ab altero in diuitiis superetur. 7.

Respondetur ex Caietano ad tertium in priuatis actibus honorandi per signa, quæ sunt priuati actus procedentes ab illo qui exhibet honorem, esse non posse acceptionem personarum propriè dictam, quæ sit contra iustitiam distributiuam; quia iniustitia esse non potest in distributione rerum, quarum dominium est ipsius agentis, sicut aliarum actionum. Interdum verò in omni omissione honoris esse coniunctam iniuriam contumeliæ, qua de causa illa sit contra iustitiam commutatiuam: 8.

Digitized by Google

mutatiuam: quamuis enim homines non habeant ius affirmatiuum, vt propter ſuam excellentiam alij ex præcepto affirmatiuo iuſtitiæ obligentur ad exhibendum honorem; eſt tamen in illis ius negatiuum, quo alij ex negatiuo præcepto iuſtitiæ obligantur, vt non poſſint alios contumeliis afficere. Ex quo iure ſæpe oritur neceſſitas exhibendi ſignum honoris; quia illius omiſſio æquiualeret contumeliæ, quæ eſt contra iuſtitiam commutatiuam: nullus tamen caſus reperiri poteſt in quo in actibus exhibendi ſigna priuata, & conſueta honoris, poſſit eſſe iniuſtitia diſtributiua, quæ propriè dicitur acceptio perſonarum; ſicque intelligendus eſt D. Thom. quando ſcilicet pauper in honeſtate excellentior non tractaretur debito honore, in quo caſu honorare diuitem propter diuitias, eſſe acceptionem perſonarum impropriè dictam.

9. Ad teſtimonium D. Iacobi, ſi diligenter conſideretur contextus, rectè poteſt intelligi de acceptione perſonarum propriè dicta; non tamen eſt intelligendus de ſola collatione ſedis materialis, in qua diues pauperi anteponatur; ſed de collatione ſedis Eccleſiaſticæ, quæ ſimul dignitatem eccleſiaſticam habet annexam, in qua præferre diuitem ſolo diuitiarum titulo, relicto paupere inſtructiore & ſanctiore, ſine dubio eſt peccatum graue acceptionis perſonarum contra iuſtitiam: hac ratione intellexit hunc locum Dionyſ. Carthuſ. ex Alberto magno in eumdem locum, & D. Thom. quodlib. 10. ad 2. Cùm enim obiecisſet in primo argumento locum D. Iacobi, ex quo probat anteponere diuitem pauperi, eſſe peccatum acceptionis perſonarum. Reſpondet, in his quæ ad fidem Chriſti pertinent, peccatum eſſe diuitem pauperibus præponere, non tamen in his quæ mundi conuictus requirit. Eamdem expoſitionem clarius ſuadet Auguſt. epiſtol. 29. poſt medium, vbi diſputans de eodem loco Iacobi, inquit: *Nunquam eſt arbitrandum leue eſſe peccatum, acceptionem perſonarum, ſi diſtantia ſedendi, & ſtandi, ad honores Eccleſiaſticos referetur.* & ratio eſt, quia D. Iacobus apertè loquitur de peccato mortali, quòd ſit impedimentum conſecutionis gloriæ, per quod quis dicatur legis tranſgreſſor, & ratione cuius dicatur eſſe omnium reus, ille qui in tale peccatum incidit: at verò in Conuentu Eccleſiaſtico materialem ſedem conferre diuiti, pauperi conferendo aliam inferiorem, vel non eſt peccatum, vel certè non eſt peccatum graue.

Auguſt.

SECTIO II.

Quando ſit peccatum acceptionis perſonarum in collatione beneficij Eccleſiaſtici.

10. PRæmittendum eſt, ex virtute Religionis & iuſtitiæ commutatiuæ, eſſe naturalem obligationem non conferendi beneficia Eccleſiaſtica, niſi in perſonas idoneas ac dignas: huiuſmodi autem ſunt illæ, quæ penſatis omnibus poſſunt præſtare officium, quod Eccleſiaſtico beneficio coniunctum eſt. Eſt autem beneficium Eccleſiaſticum, *ius quoddam percipiendi fructus bonorum Eccleſiæ, competens clericus ob diuinum officium.* In qua deſcriptione per illas particulas, *ob diuinum officium*, explicatur propria differentia beneficij Eccleſiaſtici, quod vt tale ſit, neceſſariò debet eſſe ius competens ob diuinum officium; quod conſiſtit in officio orandi & laudandi Deum, & offerendi ſacrificium, vel ſeruiendi Sacerdoti qui illud offert, ratione cuius officij coniunctum eſſe ſolet ius percipiendi reditus, non quidem tanquam pretium diuini officij, quod, vt conſtat, nullo pretio æquali æſtimari poteſt, ſed in ſuſtentationem perſonæ, quæ illud officium exercet: officium enim diuinum quaſi proprietatem coniunctam habet, ius ſuſtentationis, quod per voluntatem ſuperioris determinatur, vt ſuſtentatio percipiatur ex certis bonis Eccleſiæ; niſi clericus volens cedere huic iuri, velit omnino ſeruire gratis, & contentus ſit propriis bonis, aut eleemoſynis, quas ſperat ex pietate fidelium.

Eſt autem hoc beneficium triplex: aliud habet cum munere ſacrificandi coniunctam curam animarum, & iuriſdictionem ſpiritualem in foro exteriori, vt Epiſcopatus, aut aliquæ Abbatiæ, vel Prioratus, qui iuriſdictionem Epiſcopalem interdum habent. Alia verò ſunt beneficia, quæ ſine iuriſdictione in foro externo, coniunctam habent curam animarum in foro exteriori. Alia denique quæ ſine iuriſdictione & cura animarum, ſolùm habent coniunctam obligationem orandi, & laudandi Deum, cum obligatione reſidendi & ſeruiendi Eccleſiæ in choro; vel cum ſola obligatione recitandi horas Canonicas, ſine obligatione reſidendi in choro. Ex qua diuerſitate diuinorum officiorum, cognoſcenda eſt qualitas quæ in perſona Clerici requiritur, vt cenſeatur eſſe digna beneficio Eccleſiaſtico. nam pro diuerſitate officij Eccleſiaſtici, propter quod beneficium inſtitutum eſt, diuerſa admodum qualitas requiritur in perſonis, quæ ad beneficia promouentur. 11.

Prima concluſio. Graue peccatum eſt, Eccleſiaſtica beneficia conferre perſonis, quæ pro qualitate officij dignæ non ſunt. Ita teſtatur Innocentius cum Concilio generali, in cap. *Graue nimis*, de præbendis, vbi illos explicat eſſe idoneos ad beneficia, qui Deo & Eccleſiis velint, & valeant gratum impendere famulatum. Et probatur, quia cùm beneficium Eccleſiaſticum ſit bonum quoddam inſtitutum ad ſuſtentationem Miniſtri diuini officij, ex ſua natura ſupponit in perſona poteſtatem proportionatam, vt ſeruire poſſit officium. Ex qua ratione conſtat in Collatione beneficij in perſonam non dignam, duplicem eſſe rationem peccati mortalis, ſcilicet contra virtutem religionis; quia non conſtituitur Miniſter aptus diuino officio, & contra iuſtitiam commutatiuam, quia illud quod eſt propria ſuſtentatio Miniſtri idonei, contra Eccleſiæ voluntatem datur miniſtro non digno, nec potenti præſtare officium, cui talis ſuſtentatio annexa, & debita eſt. 12.

Hinc infertur, ob Collationem beneficiorum in perſonam non dignam, oriri obligationem reſtituendi Eccleſiæ bona quæ indignis clericis conferuntur, quæ quidem obligatio primo loco eſt in ipſa perſona indigna, quæ percipit fructus Eccleſiæ, cùm ipſa non præſtet officium, cui tantùm reditus beneficij debentur. Secundo verò loco eſt hæc obligatio in illis qui conferunt beneficia in perſonas indignas. Tertio autem loco eſt in illis perſonis, quæ cum peccato concurrunt, vt beneficia Eccleſiaſtica iniuſto modo conferantur. 13.

Secunda concluſio, duobus modis quis eſt indignus ad beneficia. Primò ille, qui defectu alicuius qualitatis re ipſa eſt incapax beneficio, ac proinde collatio in ipſo non eſt valida. Secundò defectu alicuius qualitatis, quæ licèt non ſit ratio incapacitatis recipiendi beneficium, nec vt in eo deſit poteſtas, nec vt collatio illius fuerit inualida; 1

facit

facit tamen vt non ſit ea poteſtas, quæ ad congruum miniſterium neceſſaria eſt. Quando ergo aliquis eſt indignus priori modo, niſi obtineat nouam collationem validam, tenebitur beneficium relinquere, & reſtituere omnes fructus perceptos. Ratio eſt, quia ſine vllo titulo illos percepit.

15. Quando verò eſt indignus poſteriori modo, non eſt tanta obligatio: quia licèt non exerceat omnia officia, quibus beneficium eſt annexum; ſi tamen præſtita fuerint aliqua, v.g. officium recitandi ſine aliis officiis, retinere poterit partem fructuum perceptorum, qui reſpondeant præſtito officio: reſtitui autem debent alij fructus, qui reſpondeant aliis diuinis officiis non præſtitis, quæ miniſter indignus ratione ſuæ impotentiæ præſtare non potuit. Quod verò attinet ad obligationem relinquendi præbendam, videndum eſt, an ſit aliqua ſpes habendi maiorem ſcientiam & aptitudinem ad præſtandum officium, vel an opera alterius iuuari poſſit ad ſupplendam ipſius impotentiam: ſi enim hæc concurrant, retineri poteſt præbenda; ſin minus relinquenda, vt Eccleſia dignum miniſtrum habeat: ſi eſt aliqua probabilis ſpes alterius miniſtri magis idonei. nam ſi illa non ſit propter miniſtrorum inopiam, retineri poterit.

16. Vbi nota ex decreto Tridentini cap. 1. de Reformatione, nullam & inualidam eſſe prouiſionem beneficij, in perſonam minus idoneam, in beneficiis quæ in Eccleſiis Cathedralibus annexum habent officium legendi ſacram Scripturam, aut Theologiam, & niſi ille in quem confertur beneficium, poſſit per ſe ipſum illud munus præſtare: quod peculiare eſſe videtur & ex decreto poſitiuo in collatione huius particularis beneficij; in aliis enim ſi perſona non ſit incapax, & inhabilis, minor dignitas non impedit, quo minus collatio beneficij valida ſit.

17. Quamuis tamen certa ſit obligatio conferendi omnia beneficia eccleſiaſtica in perſonam dignam & idoneam. An tamen ſit obligatio illa conferendi in perſonam digniorem ex his quæ aptæ ſunt, non eſt ita manifeſtum. Aliqui enim opinantur, ſi beneficia conferantur in perſonam idoneam & dignam, non eſſe graue peccatum illa non conferre in perſonam digniorem & digniſſimam. Sit tamen

Tertia concluſio, quamuis collatio beneficij in perſonam dignam, prætermiſſa digniori, valida ſit; peccatum tamen mortale eſt relinquere digniorem, quæ iuxta leges & ſtatuta ſine alio incommodo poſſet ad idem beneficium promoueri. Ita D. Thom. art. 2. quem communiter ſequuntur Doctores, & probatur primò ex cap. vnico lib. 3. Decretal. tit. 12. vt Eccleſiaſtica beneficia ſine diminutione conferantur, in illis verbis: *Non ex affectu carnali, ſed diſcreto iudicio, debuiſſe Eccleſiaſticum beneficium in perſonam magis idoneam diſpenſare.* Oppoſita enim beneficij collatio, tanquam grauis culpa reprehenditur in eo capite ab Innocentio in Concilio generali. Secundò probatur ex Tridentino ſuprà vbi dum agit de electione ad Epiſcopatum ait: *Peccatis aliorum communicare illos, qui ius aliquod habent præſentandi, & promouendi ad Epiſcopatum, niſi diligenter procurauerint illos promouere, quos digniores & Eccleſiæ magis vtiles, iudicauerint.* Id ſtatuitur eſſe obſeruandum in promotione ad beneficia parochialia cap. 18. eiuſdem ſecundi decreti. Hoc idem conſtat ex Auguſt. epiſt. 26. dum inquit, non eſſe leue peccatum acceptionis perſonarum ſi diues eligatur ad ſedem honoris Eccleſiæ, relicto paupere qui magis inſtructus & ſanctus ſit.

18. Denique probatur ratione, quia ex natura rei bona communia & publica, quando diſtribuuntur, dari debent pro dignitate & ſeruata proportione: obiectum enim iuſtitiæ diſtributiuæ eſt diſtribuere bona communia, ſeruata proportione: aliàs nulla eſſet virtus iuſtitiæ diſtributiuæ, nec illius obligatio, ſed beneficia Eccleſiaſtica ſunt bona quædam publica Eccleſiæ ad ſuſtentandos idoneos miniſtros: ergo ex natura rei debent conferri ſeruata proportione dignitatis, vel aptitudinis ad ſeruiendum officium. Cùm enim beneficium bonum quid ſit indiuiſibile, quod Eccleſia non vult diuidi, ſed integrum dari ad ſuſtentationem certi miniſtri; hac proinde non poſſit ſimul pluribus dari, neceſſarium eſt ex iuſtitia diſtributiua debere dari illi, qui penſatis omnibus aptior ſit ad ſeruiendum officium.

19. Obiicies, quia quando beneficium datur miniſtro digno & idoneo, non fit iniuria Eccleſiæ, quæ redditus beneficij conſtituit ad ſuſtentationem Miniſtrorum; debita enim æqualitas eſt inter perſonam, quæ habet qualitates neceſſarias ad præſtandum aliquod officium, & inter fructus & ius beneficij quod datur ad ſuſtentationem Miniſtri præſtantis tale officium: nec præterea fit iniuria his qui digniores & aptiores ſunt ad præſtandum idem officium, nam licèt maiorem habeant aptitudinem; nullum tamen habent ius acquiſitum in tale beneficium: ergo nulla iniuria illis irrogatur, quamuis illis non conferatur. Reſpondetur, quando beneficium non datur digniori, vel magis idoneo, duplicem iniuriam committi: alteram contra communitatem cuius eſt quaſi procurator, & diſpenſator ille, qui diſtribuit bona communia; quod officium minus fideliter gerit: aliam verò contra digniorem qui prætermittitur, cui ex iuſtitia diſtributiua beneficium dari debet, ſi penſatis omnibus notabiliter eſt magis idoneus ad officium, cui tale beneficium coniunctum eſt.

20. Eſt tamen difficultas, an obligatio conferendi beneficia dignioribus, tantùm ſit in beneficiis quæ annexam habent curam animarum, vel aliquam aliam iuriſdictionem: an verò etiam in aliis beneficiis, quæ illam curam, aut iuriſdictionem non habent, & ſimplicia dicuntur. Nonnulli negant, quia in Concilio Tridentino, quando illa obligatio declaratur, tantùm fit mentio Epiſcoporum, & beneficiorum parochialium. Ita Nauarra 2. de reſtitut. cap. 2. num. 146 & Aragon in hoc art.

21. Quarta concluſio. Probabilius cenſeo, ſemper eſſe obligationem eligendi digniorem, etiam in electione ſimplicis beneficij; quia re vera hæc ſunt bona communia, ac proinde diſtribuenda pro meritis. Limita primò in inſtitutore Capellaniæ, hic enim non obligatur ad deſignandum digniorem; cùm enim non teneatur ex iuſtitia diſtributiua ad elargienda ſua bona, poterit liberè cui voluerit dare. Quæ ratio non militat in aliis patronis, qui ex præſcriptione, aut priuilegio habent ius præſentandi; hi enim tenentur digniores præſentare, vt rectè Turrianus diſp. 12. dub. 5. Secundò limitanda eſt in reſignante beneficium in manu Pontificis, vt eligat determinatè perſonam aſſignatam à reſignante; hic enim non confert beneficium vt bonum commune, ſed bono proprio ſe expoliat; ac proinde ſufficit ſi dignum aſſignet, & ita ſeruatur in praxi.

22. Notandum autem eſt primò, cùm officia annexa huiuſmodi beneficiis, minorem ſcientiam ac prudentiam requirant, quàm illa quæ habent iuriſdictionem,

ctionem, aut curam animarum, posse contingere, vt ex multis qui in æquales sunt ad curam animarum; æquales tamen sint ad officium recitandi, & seruiendi in Ecclesia; ac proinde nullus sit inter illos qui ex iustitia distributiua præferri debeat: qua ratione iustificantur plures distributiones beneficiorum simplicium, quamuis non dentur illis, qui aptiores essent ad curam animarum.

23. Secundò notandum, in omnibus beneficiis Ecclesiasticis præcipuam qualitatem esse morum honestatem, & deinde scientiam & prudentiam pro ratione officij; quia morum honestas maximè confert ad qualitatem orationis, & laudis diuinæ, quod est primum officium diuinum omnibus beneficiis commune, & ideo morum honestas primo loco in Ecclesiastico ministro quærenda est, vt ei dignè beneficium conferri possit. Quia verò ad officia Ecclesiastica aliæ etiam qualitates necessariæ sunt, prudenter aduertit D.Thom. fieri posse, vt aliquis præditus sit maiori sanctitate, aut scientia, qui tamen non sit ita dignus ad beneficium Ecclesiasticum, si ab alio excedatur in alia qualitate prudentiæ, aut dexteritatis in negotiis, aut etiam potentiæ secularis; quando scilicet pensatis omnibus qualitatibus, ille qui minus sanctus, aut minus doctus est, tamen est magis idoneus ad Ecclesiasticum officium. Et ratio est, quia in distributione horum bonorum, non est consideranda sola qualitas absoluta Ministri, sed potiùs maior aptitudo ad seruiendum Ecclesiæ cum maiori vtilitate.

24. Adde, quamuis in multis beneficiis simplicibus, ex iustitia distributiua, necessarium non sit considerare qualitatem scientiæ, quæ necessaria non est ad Ecclesiasticum officium illis annexum, v. g. Theologiæ, aut iuris Canonici: nihilominus ex dispositione superioris fieri potest, vt huiusmodi scientiæ necessariò sint considerandæ, v.g. quando huiusmodi beneficia proponuntur vt per examen in concursu multorum illa distribuantur; tunc enim excessus scientiæ alioqui non necessariæ ad tale officium, fundamentum est iustitiæ distributiuæ, vt beneficium conferri debeat digniori, consideratâ qualitate talis scientiæ. Et eodem modo philosophandum est in electionibus non solùm beneficiorum, sed etiam cathedrarum, semper esse obligationem eligendi, vel dandi suffragium digniori.

25. Circa electionem verò personarum in officiis secularibus, probabilius censeo, Reges non teneri ad eligendum digniores, sed satisfacere suæ obligationi, si dignos eligant pro dictis officiis, dignioribus omissis: cùm enim hæc officia secularia possint vendi, sequitur non esse bona communia distribuenda pro meritis: quod rectè probat Vazquez in tractatu de beneficiis, quia Princeps secularis per sese deberet gubernare Rempublicam si posset; quia tamen non potest exactè id munus per se ipsum solum exequi, assumit ministros, ac proinde satis est si assumat idoneos.

Sectio III.

An ex peccato acceptionis personarum oriatur obligatio restituendi.

26. Conclusio est affirmatiua, ex violatione iustitiæ distributiuæ in Cathedris, & in beneficiis Ecclesiasticis, oriri obligationem satisfaciendi. Ita Nauarra suprà num. 144. Bannes & Aragonius in præsenti. Et

Probatur primò à simili, quia inæqualitas facta contra iustitiam commutatiuam ex iustitia debet resarciri per æqualem satisfactionem; nulla autem ratio esse potest, ob quam simili modo resarciri non debeat inæqualitas facta contra iustitiam distributiuam, & contra ius distributiuum: ergo ex hac inæqualitate oriri potest obligatio satisfaciendi. Minor probatur, quia obligatio satisfaciendi ob inæqualitatem commutatiuam, non solùm oritur ex actibus iniustis per quos auferuntur bona, quæ iam sunt propria aliorum; sed etiam ex actibus iniustis per quos alij iniustè impediuntur, ne assequantur proprietatem bonorum quæ sperant ex aliorum beneuolentia: nempe, quia talis actus impediendi, quamuis non auferat aliquid proprium, est tamen contra aliquod ius alterius: sed similiter inæqualitas quæ est contra ius distributiuum, impedit ne alij assequantur proprietatem bonorum ad quæ habent ius distributiuum: ergo ex hac inæqualitate oritur obligatio satisfaciendi.

27. Confirmatur, quia illi qui habent ius distributiuum in aliquam rem, maius habent ius in rem illam, quam illi qui donum aliquod sperant ex beneuolentia aliorum; quibus tamen satisfaciendum est si per fraudem, vel per deceptionem benefactoris impediantur ne assequantur proprietatem talis boni: ergo potiori iure satisfaciendum est illis, qui iniustè impediuntur, ne assequantur bona ad quæ habent ius distributiuum.

28. Secundò probatur, quia quando aliquis iniustè priuatur aliquo bono, quod commodum illius sit, & dignum æstimatione, ex iustitia illi debetur compensatio: sed in distributione iniusta contra iustitiam distributiuam, quamuis non auferatur bonum distribuendum; quia scilicet illud nondum est proprium illi cui debetur ex iustitia distributiua; aufertur tamen ipsum ius distributiuum, quod sine dubio est aliquod bonum eius in quo est, dignum aliqua æstimatione; per quod scilicet tali homini debetur ex iustitia distributiua; quandoquidem per distributionem iniustam talis boni desinit esse commune, si quidem alteri appropriatur per distributionem: ex quo fit vt iam perseuerare non possit ius distributiuum ad tale bonum, cùm tamen illud ius esset ante iniquam distributionem in illo, cui bonum esset distribuendum: ergo ratione huius iuris ablati iniustè, aliqua debetur compensatio, quæ, vt docet D.Thom. iam non pertinet ad iustitiam distributiuam, sed ad commutatiuam, vt diximus disput. præcedenti sect. 1. Recole ibi dicta, tanquam necessaria ad intelligentiam huius difficultatis.

29. Obiicies primò, quia obligatio dandi aliquid alteri ex titulo oneroso esse non potest, nisi quando ab illo aliquid aliud æquale accipitur, vel auferatur ex bonis propriis illius: sed ab illo qui patitur solùm iniuriam distributiuam, nihil aufertur ex bonis propriis illius: ergo nulla illi debetur satisfactio. Respondetur negando minorem, quia in iniusta distributione, ille cui non datur bonum commune debitum ex iustitia distributiua, re ipsa spoliatur iure distributiuo, quod iam habebat ad illud bonum.

30. Obiicies secundò, quia restitutio non potest esse debita, nisi præcedat aliqua ablatio, vt indicat ipsum nomen restitutionis: sed quando distributio solum est contra iustitiam distributiuam, nulla

præcedit

præcedit ablatio: ergo nulla potest oriri obligatio restituendi. Respondetur negando minorem, quia, vt manet prædictum, ille qui patitur iniuriam distributiuam, verè spoliatur distributiuo iure, ratione cuius illi debebatur bonum quod alteri datur.

31. Circa quantitatem distributionis, quando bonum non habetur actu, sed tantùm in spe, considerandum etiam est, an aliud beneficium vel stipendium publicum assecutus sit ille, qui in illa distributione iniustè prætermittitur: si enim vtrumque stipendium simul habere non possit, non est obligatio ratione prioris iniuriæ integrè restituendi, sed solùm ex parte: vt scilicet pésatis omnibus, ille qui iniustè prætermittitur, non habeat minus quàm habuisset, si distributio secundùm iustitiam fieret.

32. Adde contrariam sententiam esse probabilem, quam sequuntur graues Doctores, inter quos sunt Couarru. 2. variar. §. 7. Nauarrus cap. 17. n. 73. quia Respublica in his se habet sicut œconomus, quem constat non facere iniuriam dignioribus operariis omissis, si eligat dignos ad laborandum in vinea domini sui: ergo sicut hic œconomus nihil tenetur restituere operariis dignioribus, ita neque electores cathedrarum aut beneficiorum, quando digni prouidentur. Et ratio est, quia leges naturales secluso præcepto positiuo, non obligant ad perfectionem accidentalem, sed ad essentialem. Vnde nec iustitia, nec prudentia, nec prouidentia ad id obligat: cùm ergo in hac materia obligatio essentialis ex parte electorum sit, vt dignis cathedræ, aut beneficia conferantur, & accidentalis perfectio sit, vt dignioribus dentur: qui confert ea dignis nec peccat mortaliter, quia lege naturæ ad id non tenetur, neque ad restitutionem obligatur.

DISPVTATIO III.

De restitutione ex homicidio.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit dominium, & quomodo acquiratur.

1. DOMINIVM, in communi loquendo, *est ius gubernandi, vel disponendi de re aliqua tanquam sua*, id est, subiecta sibi & astricta, *ita vt possit de ea disponere proprio iure*; qua ratione Deus dicitur habere creaturarum omnium dominium, quia vt placuerit ei, potest de eis disponere; sunt enim illæ subiectæ, quia ab ipsomet Deo sunt creatæ, conseruantur, gubernantur, & omnino dependent. Sic etiam Rex dicitur in suo regno habere dominium, & quinis dicitur dominus suarum possessionum; licèt dominium Dei perfectius, & plenius sit, omnibus aliis dominiis. Breuius diffinitur à Bartolo in l. *Si quis vi. §. differentia.* ff. de acquirenda possessione: *ius per se disponendi de re corporali, nisi lege prohibeatur.* Quam diffinitionem communiter amplectuntur Iurisperiti.

2. Diuiditur autem dominium, in dominium iurisdictionis, & in dominium proprietatis. Dominium iurisdictionis, est potestas in subditos ad eos gubernandos. Id est, est potestas præcipiendi, vetandi, permittendi, iudicandi, puniendi, præmiandi, & talo dominium iurisdictionis potest esse, vel seculare, quale est in Imperatore, in Rege, Ducibus, & aliis huiusmodi, respectu populorum sibi subditorum in negotiis secularibus: vel potest esse Ecclesiasticum, quale est dominium Papæ, Episcoporum, & aliorum habentium subditos in spiritualibus. Dominium proprietatis, est potestas, vel ius disponendi de re aliqua tanquam sua. Hoc autem dominium potest esse, vel perfectum continens proprietatem rei, & emolumenta illius: vel potest esse imperfectum, scilicet quando aliquis tantum est dominus rei, siue substantiæ rei, sine aliquo emolumento illius: aliquando etiam est aliquis dominus emolumenti, non verò proprietatis rei, & dicitur dominium vtile tantùm: sicut & aliud dicitur dominium directum tantum, & dominus directus dicitur proprietarius, qua ratione omnis ille qui est dominus cuius vsusfructus alteri est concessus, dicitur proprietarius & dominus directus: dominiũ verò vtile tantùm continet rei vtilitatem, vt est in vsufructuario: aliquando verò vtile dominiũ coniungitur cum directo, & tũc vtile dominium consolidatur cũ directo, vt sæpe contingit.

3. Dominium plenum, vel perfectum, est ius in re ad omnem eius dispositionem in lege non prohibitam, quod dominium comprehendit directum simul & vtile. Dicitur ius in re, quia ius ad rem tantùm non est dominium, vt constat; debet ergo esse ius in re. Dicitur ad omnem eius iussum vel dispositionem, scilicet ad donandum, vel vendendum, seruandum, destruendum, &c. dicitur nisi in lege prohibeatur. nam aliquando potestas illa plena disponendi, impeditur per aliquam legem, & ita pupillus est verus rei dominus, & tamen per legem impeditur alienare: sic etiam bona vinculata sunt sub vero domino, & tamen per legem non possunt alienari: hoc igitur impedimentum non tollit veram rationem dominij: sicut sæpe per votum, vel iuramentum impeditur quis, ne vtatur re sua, & tamen hoc non obstat dominio, quia tali impedimento sublato, sine collatione noui iuris, sequitur plena dispositio ad arbitrium veri domini.

4. Ad acquisitionem dominij, quando hoc ab vno ad alium est transferendum, communiter loquendo, requiruntur duo, scilicet titulus, & traditio ex l. *traditionibus.* C. de pactis, vbi sic habetur, *traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur.* & in l. *nunquam.* ff. de rerum dominio acquirendo: *Nunquam nuda traditio transfert dominium, sed ita, si venditio, aut aliqua causa iusta præcesserit, propter quam traditio sequeretur.* Ex qua duplici lege constat, vtrumque requiri, scilicet titulum, & traditionem quando ab vno ad alium dominium est transferendum. Titulus verò dicitur, id in quo fundatur dominium vel ius, v.g. emptio, vel donatio, vel successio hæreditaria, & alia huiusmodi. Et supposito titulo, & secuta applicatione rei per traditionem, resultat dominium. Et quamuis ordinariè, traditio vel apprehensio, requiratur; nihilominus in quibusdam casibus ad translationem dominij non requiritur, vt in beneficiis in quæ acquiritur dominium, vel quasi dominiũ, siue ius per collationem, ex cap. *Si tibi absenti,* de præbend. in 6. & in hæreditate, quæ fit hæredibus ex testamento, vel ab intestato, ex l. *cùm hæredes.* ff. de acquirenda possessione; sed sufficit acceptari verbo, vel facto. Et in legatis in quæ legatarius dominium acquirit statim atque acceptatur. Et quando aliquid venditur, vel donatur, vel relinquitur ciuitatibus, Ecclesiis, piis locis, vel in redemptionem captiuorum, ex l. vltima. C. de sacrosanctis Ecclesiis, & sic de aliis, quibus exceptis, communiter iure communi requiritur traditio; iura verò peculiaria Regnorum consulenda sunt. Ad adquirendum verò dominium

rei,quæ ante non erat sub dominio alicuius,sufficit apprehensio talis rei,nisi in contrarium sit aliquod statutum particulare in aliquo loco, vt patebit ex infrà dicendis circa piscationem, venationem, inuentionem thesaurorum,& aliarum rerum.

5. Et ex his infertur, quomodo vsusfructus differat à dominio:quia vsusfructus tantùm est *ius rebus alienis vtendi,& fruendi,salua earum substantia*.Dicitur *vtendi*, in quo distinguitur vsusfructus à iure quod habet creditor in pignus, vel hypothecam; vel depositarius: nullus enim ex his potest re hypothecata,vel pignorata,vel depotita vti,inuito domino: quòd si vtatur eo inuito, debet restituere æstimationem vsus.Dicitur *fruendi res*,id est,percipiendi fructus rei.nam ius vtendi præcisè non includit fructus rei.Vsufructuarius ergo colligens rei fructus, fit plenè dominus talium fructuum, qui percipiuntur ex illa re:quare si ante perceptionem fructuum moriatur,non pertinent ad hæredes, sed ad dominum rei, vt habetur Instit. de rerum diuisione.§.is verò. Ratio est. nam fructus quando adhærent fundo,censentur vnum quid in fundo, & solo:vnde spectant ad dominum fundi,vel soli.Dicitur *ius fruendi rebus alienis*. nam dominus rei non dicitur absolutè vsufructuarius,etiãsi percipiat fructus rei.Dicitur tandẽ *salua rerũ substantia*,quia vsufructuarius debet rem integrã seruare proprietario.

6. Deinde infertur,quomodo differat vsus ab vsufructu: quia vsus est *ius vtendi re aliena, salua eius substantia*,id est,applicare sibi vsum rei.Addit verò frui suprà vti, potestate alienandi fructus, & sic minus est vti,quàm frui.Denique vsus sumitur pro facultate vtendi, & dicitur vsus iuris: actus verò vtendi,siue vsus actualis,dicitur vsus facti.

7. Denique. An in rebus quæ vnico actu, vel vsu consumuntur, distinguatur vsus à dominio, non modò essentia,sed subiecto,ita vt possit esse in vno vsus,& in altero dominium,pars affirmans omnino tenenda est,& constat in fratribus minoribus, qui quidem nullum habent dominium, sed merum vsum rerum; ac proinde separatur de facto etiam in subiecto vsus à dominio,in omnibus quæ habẽt fratres minores. Et ratio est.nam dominium est facultas vtendi rebus, siue in omnem vsum,si sit dominium illimitatum;vel ad aliquem vsum, si sit limitatum, & vtroque modo est independens à voluntate alterius,ita vt prior dominus non possit reuocare: quare esse dominum alicuius rei, non est posse rem destruere quouis modo, sed posse liberè & independenter ab alio,& sic potest concedi vsus prædictarum rerum,vt ante consumptionem liceat domino reuocare rem illam,& hoc modo conceditur vsus minoribus:ergo in his rebus separari potest vsus à dominio, & de facto in illis separatur: sicut conuiua & seruus, non acquirunt dominium ciborum qui illis apponuntur, sed merum vsum facti.Et confirmatur,quia ad dominij trãslationem requiritur,& voluntas dantis & acceptantis:sed potest quis has res acceptare,itavt nollet dominũ,sed tantùm vsum à domino reuocabilẽ,& sic acceptant minores: ergo potest dominium separari ab vsu,ex Nicolao III.in cap.*exiit qui seminat*,& Clemente V. Clementina 1.& sic tenent communiter Doctores.

Sectio II.

An homo habeat dominium suæ vitæ, & membrorum.

8. Conclusio est negatiua hominem habere quidem ius custodiendi vitam suam,& vtendi illa & suis membris; propriè tamen non esse dominum vitæ suæ & membrorum.Ita communiter Doctores.Et probatur,quia res quæ cadit sub dominio alicuius,necessariò est illi subiecta,& quasi ordinata ad vtilitatem & commodum eiusdem; sed fieri non potest, vt substantia ipsa hominis subdita sit eidem homini, nec ordinata ad illius vtilitatem, cùm potiùs ipsa sit finis cui omnis vtilitatis:ad huiusmodi enim subiectionem,necessaria esset distinctio inter rem quæ habet dominium, & inter illam, quæ est materia dominij,& sub eodem dominio;potius igitur natura rationalis est sub dominio solius Dei,quoad vitam & substantiam suam: aliæ verò creaturæ irrationales ex sua natura sunt sub dominio naturæ rationalis, ad cuius vtilitatem ex sua natura ordinantur. Et ex eadem ratione colligitur, hominem non habere dominium suorum membrorum, sed tantùm habere ius illis vtendi: quia humana substantia & vita, vt probatum est, non est sub dominio hominis;fieri autem non potest vt humana substantia extra hoc dominium sit, nisi etiam aliquæ partes in quibus essentialiter illa consistit, extra idem dominium sint; nulla autem esse potest ratio ob quam aliquæ partes sint extra hoc dominium,potius quàm aliæ: ergo omnes pari ratione sunt extra illud.

Obiicies primò, quia homo in multis casibus 9.
potest vti vita & membris suis cum periculo mortis, v.g. assistendo ægroto cum periculo contagionis; vel primo loco occurrendo in acie inimicis,& aliis multis modis:est ergo dominus suæ vitæ, qua vti potest cum periculo etiam destruendi substantiam.Respondetur,quamuis homo habeat facultatem vtendi sua vita cum prædicto periculo, nón tamen habere facultatem illa vtendi, directè & per se destruendo; dominium autem hanc etiam facultatem includit,vtendi re per se,& directè destruendo eius substantiam.

Obiicies secundò, quia nullus potest plus iuris 10.
in alium transferre,quàm ipse habeat, ff.de regul. iuris,regula 54.sed homo habet potestatem transferendi in alium dominium suum, saltem loquendo ex natura rei, secluso impedimento legis positiuæ,v.g. per venditionem, vt dicitur Deuteronomij 25.ergo homo habet dominium sui. Respondetur,ex natura rei loquendo, posse hominem dominium suarum operationum in alium transferre, vt illæ seruire debeant; non tamen dominium suæ vitæ,aut substantiæ: nec enim ipse hoc dominium habet vt transferre possit;nec etiam domini in suis seruis dominium habent vitæ,& substantiæ, vt dicitur §.vltimo,Instit.de his quæ sui iuris.

Ex quo colligitur,nulli licere se ipsum occidere: 11.
quod constat,tum ex fide:tum etiam ex ratione naturali, illo enim præcepto Exodi 20. *non occides*, Exod.20.
etiam prohibetur occisio sui ipsius: vt enim docet August. 1.de ciuitate cap.17.& 20. *qui se ipsum occidit,hominem occidit*,& est homicida,& comprehenditur in illa sententia Ioannis, *Omnis homicida non habet vitam æternam*, & ideo in Concilio Bracharensi I.cap.34. ad puniendum huiusmodi delictum statuitur,vt pro his qui se occidunt,nulla fiat commemoratio in sacrificij oblatione:neque cum orationibus eorum|corpora sepeliantur.lege Augustinum suprà,vbi docet,nullam esse causam ob quam aliquis possit occidere se ipsum: eos autem qui referuntur se ipsos occidisse, qui tamen propterea non reprehenduntur,id feciſſe ex speciali iussu Dei, ex quo præcepto tolluntur circunstantiæ in quibus fundatur malitia peccati occidendi se ipsum.

Notanda verò est differentia inter actum occi- 11.
dendi

Digitized by Google

dendi se ipsum, & occidendi alterum. nam cùm actus occidendi alterum,etiam priuata auctoritate, aliquando sit honestus titulo iustæ defensionis;nihilominus actus directè occidendi se ipsum priuata auctoritate, nunquam est honestus. Et ratio à priori est,quia actus occidendi se ipsum,necessariò est disconueniens naturæ rationali, ac proinde inhonestus: destructio enim ipsius naturæ rationalis per se est eidem naturæ disconueniens.nam quemadmodum ipsum esse naturæ rationalis, est magis conueniens eidem naturæ, quàm alia obiecta intrinseca; ita contraria ratione, destructio vitæ rationalis per se est disconueniens, & ideo quocumque fine fiat priuata auctoritate,est peccatum.

13. Dices ex hac ratione sequi, actum occidendi se ipsum ex manifesto Dei præcepto, non esse honestum;destructio enim naturæ rationalis non potest non esse disconueniens eidem naturæ: cùm ergo malitia posita sit in huiusmodi disconuenientia, destructio naturæ rationalis necessariò est mala in quocumque euentu. Respondetur negando actum occidendi se ipsum ex præcepto Dei, qui est dominus vitæ,esse disconuenientem naturæ rationali,quatenus natura rationalis est; hæc enim essentialiter est sub dominio Dei, sub qua ratione non est illi disconueniens destrui ex præcepto domini cuius est, sed potiùs congruit illi ea ratione qua subdita est Deo habenti prædictum dominium, qui mortificare & viuificare potest. Quamuis si in natura rationali consideretur sola communis ratio existentiæ,aut vitæ,non videatur illi conuenire actus occisionis, per quem destruitur; bene tamen si consideretur quatenus est sub dominio eius cuius auctoritate occiditur, & ex cuius præcepto agens operatur.

14. Solent hîc inquirere Doctores, qua ratione homines qui damnantur ad mortem, possint cooperari ad ipsorum mortem sine peccato occidendi se. Aliqui respondent, posse cooperari illis actibus, qui solùm per accidens ordinantur ad mortem,quæ natura sua sunt indifferentes, vt ex ipsis mors sequatur,aut non sequatur,quales sunt actus eundi ad supplicium, supponendi caput, etsi miles: non tamen posse concurrere illis actibus qui per se, ac necessariò ordinantur ad mortem, quales sunt actus iugulandi,bibendi venenum, proiiciendi se in ignem, & similes. Alij concedunt etiam posse concurrere per omissionem actionum quæ necessariæ sunt ad vitam, v.g. voluntariæ abstinentiæ à cibo, etiamsi ille sit præsens, quando aliquis damnatus est, vt fame interficiatur. Alij etiam concedunt,posse damnatum cooperari actione positiua bibendi venenum. Quæ sententia videtur probabilior,pro cuius intelligentia nota,huiusmodi actus positiuos,aut negatiuos, ex quibus necessariò sequitur mors, quosdam esse, qui notabilem continent crudelitatem si exerceantur ab ipso qui damnatur. Alij verò sunt qui huiusmodi crudelitatem non habent; atque hac de causa iudex publica auctoritate præcipere potest damnato, vt aliquos actus exerceat, qui non continent modum crudelem punitionis; qualis est actus bibendi venenum, qui non continet maiorem crudelitatem,quàm actus illud accipiendi per vim externam,imò videtur habere minorem.

15. Dicendum ergo est, damnatum cooperari posse ad suam mortem illis actibus ad quos sine iniustitia damnari potest, qui scilicet non continent aliquem modum pœnæ crudelis; non tamen posse cooperari aliis actibus, quos iudex præcipere non potest ratione nimiæ crudelitatis, nullo modo necessariæ ad punitionem delicti. Ratio est, quia quando mors mandatur executioni ratione punitionis, ideo actus interficiendi non est peccatum, quia non fit auctoritate priuata hominis exequentis, sed publica auctoritate superioris mandantis: quando ergo fieri potest ab ipso damnato auctoritate superioris damnãtis,non potest esse peccatum; sed quando sententia non est crudelis,v.g. quando non potest commodè damnatus interfici, nisi per venenum,damnatus ipse operari potest auctoritate superioris mandantis: ergo in tali casu ipsius cooperatio nullam habet malitiam.Simile videtur esse iudicium quando per huiusmodi actum damnati mors suauiter sequeretur,quàm alia quæ futura esset,si ipse non cooperaretur: in tali enim casu superior honestè permittere potest, vt damnatus interficiatur per ieiunium.

16. Ex contraria ratione constat, non posse damnatum cooperari illo actu, qui contineret modum sententiæ crudelis,si exerceretur ab ipso damnato; qualis est actus iugulandi se;quia superior non potest illum actum iustè præcipere; quia actus iugulandi se multo maiorem continet crudelitatem, & multo grauiorem pœnam, quàm illa iugulatio ad quam damnatus nonnisi passiuè concurrit.

17. Et ex dictis constat, hominem posse ad suam mortem concurrere sine peccato,tribus modis.Primò priuata auctoritate mediatè solùm atque indirectè,exponendo vitam suam periculo propter aliquam rationabilem causam.Secundò immediatè & directè ex Dei præcepto, ac proinde ex diuina auctoritate sub cuius dominio homo continetur. Tertiò etiam immediatè & per se ſauctoritate publica humana, à qua aliquis iustè puniri potest, quando hic concursus non contineret aliquam rationem pœnæ valde grauis, & maioris, quàm sit culpa; ipsa enim subiectio qua quis subditur illi, à quo puniri potest per mortem iustam, est ratio, vt concursus ille ad mortem, non sit peccatum, quando fit ex præcepto talis superioris. Quando verò homo non operatur aliqua ex his duabus auctoritatibus, non potest sine peccato immediatè & per se concurrere ad mortem suam. Atque hac de causa ille, qui damnatus est ad mortem à ministro publico exequendam,non potest se interimere aliqua alia morte præueniendo supplicium; illam enim non exequeretur publica auctoritate, sed ex propria sola voluntate, ac proinde esset intrinsecè mala. Adde, quando quis occiditur auctoritate sententiæ iustæ, etiam occidi auctoritate & consensu Dei, qui dominium habet vitæ illius; ab illo enim deriuantur potestates quas superiores habent, vt puniant aliquando etiam per mortem; at Deus vult per huiusmodi potestatem occidi illos malefactores.

Sectio III.

An liceat alium occidere.

18. Conclusio est negatiua,& de fide Exodi 20.vbi continetur illud præceptum Decalogi,*non occides*:quod de occisione iniusta intelligendum est. Et ratio naturalis est manifesta,quia quilibet homo ratione liberæ voluntatis, per se loquendo, habet ius conseruandi suam vitam,& vtendi suis potentiis. nam quidquid sit de ipsa vita,saltem suarum potentiarum dominus est, quod ius & dominium per mortem impeditur,& auferturac proinde homicidium

Digitized by Google

micidium est peccatum contra iustitiam commutatiuam. Quæ ratio diligenter consideranda est, ex ea enim prouenit vt in illis casibus homicidium sit peccatum, in quibus durat ratio iuris quod homo habet ad conseruationem suæ vitæ; nec illud ius superatur ab alio præstantiori iure. Econtra verò hominis occisio in pluribus casibus non est culpabilis, nec, propriè loquendo, homicidium, in quibus scilicet, non durat illud ius conseruandi vitam propriam, sed superatur ab alio iure præstantiori, ratione cuius homo possit interfici, qui casus in sequentibus explicandi sunt.

19 Primus casus est vulgaris, de quo agit D. Thom. art. 2. quando homicidium fit auctoritate publica per iustitiam punitiuam, iuxta illud Exodi 22. *Maleficos non patieris viuere*, vt enim docet Augustinus 1. de Ciuitate cap. 2. contra præceptum non faciunt, qui gerentes personam publicæ potestatis, sceleratos interficiunt. Et ratio naturalis est, quia in communitate Reipublicæ ius quoddam est publicum, puniendi malefactores, qui nocent eidem communitati; ac proinde vtendi ea punitione, quæ censeatur vtilis bono communi, & cuius timore similia delicta impediantur: pœna autem mortis in aliquibus delictis prudenter iusta censetur; ac proinde non obstante iure quod alioqui malefactores habent super suam vitam, honestè interfici possunt auctoritate publica, ex qua etiam ratione infertur, quod docet D. Thomas art. 3. hunc modum occidendi per iustitiam punitiuam, solum esse licitum his, qui habent publicam auctoritatem, secundùm formam illis traditam auctoritate legum.

Exod. 22.

20. Ex quo infertur, nihil teneri restituere illum qui occidit malefactorem auctoritate Principis post latam mortis sententiam, v.g. contra latronem manifestum, vel homicidam condemnatum, post quam sententiam quisque de licentia Principis, potest illam exequi, cùm illud homicidium non sit contra iustitiam auctoritate publica, & sententia lata præcedente; auctoritate enim priuata illicitum esset, & contra iustitiam. nam lex non facit quemlibet executorem pœnæ criminis. Vnde faceret contra iustitiam occidens vxorem in adulterio deprehensam propria auctoritate, & ante sententiam, & teneretur restituere, si aliquid per ipsam esset restituendum. nam in eo casu lex ciuilis tantùm facit immunem à pœna maritum occidentem illam ante sententiam; tamen sine dubio esset peccatum, & contra iustitiam, cùm id faciat priuata auctoritate. Vbi nota, non licere Principi dare facultatem occidendi malefactores ante sententiam. nam iure naturali debet quis antequam condemnetur audiri, nisi in casu raro, quando crimen est euidens, & atrox, & periculum grauis damni: in quo casu ordo iustitiæ peteret statim malefactorem illum esse occidendum, nulla expectata sententia, tanquam inuasorem publicum contra Rempublicam, vel contra Regem; tunc enim cuicumque liceret occidere.

21. Secundus casus est, quando occiditur tyrannus qui Rempublicam sine iusto titulo, & non consentientem inuasit, & oppressit: quia hic nullum ius habet, & ita non potest dici Princeps, sed hostis bellum gerens contra Rempublicam. Vnde quicumque priuatus de Republica illa, posset illum occidere, quamuis sæpe non expediat, ne excitentur tumultus, vel ne peior succedat: vt rectè notat D. Thom. in 2. dist. 44. quæst. 2. art. 2. & de Regimine Principum lib. 1. cap. 6. Si verò esset tyrannus habens verum ius in Regnum, vel statum, vel dominium; esset verò tantùm tyrannus, qui regeret tyrannicè, tunc nulli priuato liceret illum occidere; esset enim contra iustitiam, & in eo casu si tyrannus ille habeat superiorem, recurratur ad hunc, cuius auctoritate occidi poterit: si autem superiorem non habeat, neque tali remedio, vel simili possit vti, neque à Republica debellari: Deus est orandus, & tenentur ciues illi obedire in honestis, iuxta illud 1. Petri 2. *Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, & ita in Concilio Constantiensi sess. 15. diffinitur, esse hæreticum asserere, licere priuatæ personæ tyrannum occidere: loquitur enim de tyranno hoc secundo modo, non verò de tyranno primo modo explicato, vt rectè Nauarra c. 3. n. 319. 1. Petr. 2.

Sotus verò 5. de iustitia quæst. 1. ait, si quis priuatus aggrediatur à tyranno secundo modo dicto, ita vt conetur tyrannus priuatum illum occidere, vel vsurpare rem familiarem, licere priuato tyrannum occidere, si aliter non possit ab eo vitam suam, vel rem familiarem magni momenti tueri, quod intelligitur cum moderamine inculpatæ tutelæ: sicut posset occidere quemuis alium particularem id intentantem; quia in eo casu Princeps ille non se gerit vt Principem & regentem, sed vt particularem nocentem contra ius. Vnde vt contra inuasorem iniustè liceret contra illum procedere. Addit verò Sotus, si esset aliàs bonus Princeps, & non tyrannus, & per iram subitam inuaderet priuatum, in eo casu non licere priuato inuaso à tali Principe illum occidere, quia tunc Principis vita, vtpote personæ publicæ, cuius vita maximè Reipublicæ interest, esset præferenda vitæ illius particularis. 22.

Vazquez de Restitutione cap. 3. dub. 1. hoc tantùm admittit de tali Principe inuadente iniustè rem familiarem particularis. nam tunc iniustum esset Regem aliàs bonum occidere, pro re familiari propria subditi. Si verò Rex vellet iniustè particularem occidere, licere priuato illum occidere ad se defendendum, si aliter non possit mortem euadere: quia quamuis vnusquisque teneatur vitam Principis tueri cum periculo propriæ vitæ. nam hoc petit bonum publicum; hoc intelligitur quando Princeps est expositus periculo vitæ sine sua culpa; vel quando non est in Principis potestate illud periculum euadere: non verò quando liberè potest ipse Princeps cessare ab eo periculo, in hoc enim casu non est præceptum defendendi Principem, sed quiuis particularis habet ius se tuendi, & occidendi illum, & ita tenet Corduba lib. 1. quæstion. quæst. 38. vbi ait, hanc esse communem sententiam. 23.

Sectio IV.

An pro defensione vitæ liceat alterum occidere.

CONclusio est affirmatiua, quando quis non potest aliter vitam propriam tueri, nisi occidendo iniustum aggressorem, licitè potest illum occidere vt se ipsum defendat. ita communiter Doctores. Et probatur ex iure Canonico cap. 18. de homicidio, & cap. 3. de sententia excommunicationis; in vtroque enim sic ait Pontifex: *Vim vi repellere, omnes leges, & omnia iura permittunt*; vt enim dicitur l. 3. ff. de iustitia & iure. *Quod quisque ob tutelam corporis fecerit, iure fecisse æstimatur.* Quibus verbis indicatur ratio naturalis, ex qua constat, ius illius 24.

Digitized by Google

lius qui alterum non lædit, esse præferendum iure iniusti aggressoris: quando ergo quis non potest se defendere, nisi occidendo iniustum aggressorem, nulla in occisione est culpa; quia in aggressore pro illo casu cessat ius conseruandi propriam vitam; sine cuius destructione non potest conseruari ius alterius innocentis, cui periculum imminet ab aggressore, vt explicat D. Thom. art. 7.

25. Obiicies, quia vita corporalis propria postponenda est vitæ spirituali alterius: sed si iniustus aggressor occidatur, cum vita corporali amittit simul spiritualem: ergo non licet illum occidere solùm propter conseruandam vitam corporalem propriam. Respondetur, quando proximus est in extrema necessitate spirituali, esse illi succurrendum, etiam cum magno detrimento nostro temporali: quando verò ille non est in extrema necessitate, videlicet quia ipse potest sibi subuenire, sine damno alterius, eam obligationem non esse, & hoc contingit in casu iniusti aggressoris, qui ex sua libera culpa alium aggreditur, & potest suum periculum impedire, non aggrediendo alterum; ac proinde contra nullam esse virtutem illum occidere, etiam cum damno spirituali illius, si alia ratione vita defendi non possit.

26. Difficultas verò est, an in huiusmodi casibus liceat directè velle, & intendere mortem iniusti aggressoris ad defendendam propriam vitam. D. Thom. art. 7. in corpore, docet, esse illicitum quòd homo intendat alium occidere vt se ipsum defendat; quo etiam modo loquuntur aliqui Thomistæ, qui significare videntur, esse quidem licitum velle aggressorem transfigere, non tamen directè velle eius mortem. Nihilominus contraria sententia videtur certa, scilicet quemadmodum est honestum in executione repellere aggressorem illum occidendo, pari ratione esse honestum directè illud velle, & intendere ad repellendum illum, & conseruandam propriam vitam. Ita Doctores communiter, & ratio est manifesta, quia id quod honestè fit ratione alicuius finis, honestè etiam intenditur propter eumdem finem: intentio enim & voluntas suam habet honestatem ex re volita, & ex ratione volendi, quæ est finis: sed iuxta consensum omnium, actus executionis occidendi ad repellendum iniustum aggressorem est honestus: ergo voluntas directa erga talem actum similiter est honesta: quandoquidem obiectum & circunstantia nullam malitiam includat; nec moraliter distingui possint actus transfigendi aggressorem, & illius mors, aut occisio. quare si voluntas esse potest circa actum transfigendi, quod sine dubio est necessarium, vt huiusmodi actus liber sit; simili modo honestum esse videtur, velle aggressorem occidere, quando sine occisione repelli non potest.

27. Nec D. Thomas credendus est contrarium sensisse, vt Sotus aduertit: quia solùm significat, non esse licitum velle occidere vtcumque, propter defensionem: si enim aliquis non sit aggressor, non potest quis velle illum occidere ratione defensionis, nihilominus licitum esse velle occisionem alterius tanquam repulsionem eiusdem, quando occisio necessaria est ad huiusmodi repulsionem.

28. Dicitur verò iniustus aggressor, vel inuasor, omnis ille qui vult alium iniustè occidere, vel mutilare etiam antequam hoc faciat: imò si ita præsumitur facturus, etiamsi non actu faciat dum præsumatur prudenter & rationabiliter facturus: idem enim est actu inuadere iniustè, & parare ad id insidias, si aliud non sit remedium ad se liberandum ab illo iniusto inuasore. nam moraliter idem est, ac si actu aggrederetur, & ita mulier concluſa cum marito quem ipsa scit velle illam occidere, si videat ipsum pugionem parare, & ponere illum ad id in aliquo, v.g. sub lecto; potest ipsa maritum dormientem occidere, secundùm Sotum, & Nauarrum, quos sequitur Vazquez dub. 7. & similiter liceret mulieri venenum quod scit à marito parari in mortem eiusdem vxoris, conuertere in maritum, & dare illi, si nullum sit remedium aliud ad euadendam mortem ab alio iniustè inferendam certo: quòd si maritus, vel alius iniustus aggressor moriatur in suo peccato, sibi imputet, cùm sua culpa se in tali periculo posuerit, quòd innocens non tenetur vitare cum tanto sui damno inculpabiliter.

29. Similiter licitum est occidere illum quem scio futurum falsum testem contra me, propter cuius testimonium ego condemnabor ad mortem, nisi à me prius occidatur, antequam contra me falsò testificetur. nam parum interest an gladio, an alio instrumento, vel lingua me aggrediatur ad mortem iniustè inferendam. In quo displicet Vazquez oppositum dicēs, scilicet in hoc casu esse contra charitatem, & contra iustitiam, & ita esse obligationem restituendi si à me occidatur: quia, inquit Vazquez, licèt iste depositurus falsò contra me peccet contra iustitiam & ius, non tamen contra ordinem iuris, & ita non potest dici inuasor: quia non facit propria auctoritate, neque vt priuata persona, sed auctoritate iudicis seruando ordinem iuris. Hæc tamen doctrina plus habet acuminis, quàm soliditatis. nam cùm re vera falsò iste sit scienter testificaturus, non seruatur ab ipso ordo iuris, & mihi iniuriam facit, & contra iustitiam, & ita est iniustus aggressor, & vt priuata persona facit: ergo re vera tanquam iniustum inuasorem meum licitum est mihi illum occidere si non habeam aliud remedium: aliàs non liceret occidere iudicem iniquum, quem scio corrumpere testes, vt me occidat publicè: quod tamen sine dubio licet, quando hoc modo tantùm possum euadere mortem ab ipso mihi iniustè inferendam: in quo casu non procedit vt iudex, sed vt priuata persona colore iudicis: cùm enim contra iustitiam faciat, propria facit auctoritate, & vt priuata persona in re. Eodem modo philosophandum est de teste.

30. Circa eumdem casum est alia difficultas, an pro defensione rei familiaris alicuius momenti, actus occidendi iniustum aggressorem sit honestus, ac proinde sine malitia homicidij. Negant nonnulli. Sed opposita sententia est communis, & probatur primò ex cap. 6. de sententia excommunicatio. vbi etiam pro defensione bonorum temporalium dicitur esse licitum, vim vi repellere, quando aliter illa defendi non possunt Ratio colligitur ex dictis, quia nulla est obligatio negligendi bona temporalia propter bonum proximi, quando ille non est in graui necessitate: sed qui iniustè accipere vult bona alterius, non est in casu necessitatis; potest enim se à periculo liberare cessando à peccato, à quo libera voluntate cessare potest: ergo in huiusmodi casu, nullus tenetur propria bona negligere, ne proximus careat vita.

31. Potiori ratione actus occidendi iniustum aggressorem pro defensione castitatis omni culpa caret, quia, teste August. lib. 1. cap. 1. *Multo est immanius, aliquem violenter ſtuprum perpeti, quàm eum à quo vis infertur interim.* Simili ratione pro defensione honoris iniustus aggressor occidi potest, v.g. quando miles aliquis nobilis ab alio inuaditur, nec

fugere potest sine ignominia, tunc enim potest pro defensione sui honoris aggressorem occidere, si aliter à rixa noluerit cessare. In quibus casibus aduertunt Doctores, vt actus occidendi titulo defensionis sit honestus, necessariam esse actualem & præsentem aggressionem, per quam aliquis iniustè violentiam patiatur. Si enim iam damnum illatum sit, nec adhuc duret actualis aggressio, actus occidendi non esset licitus; quia non potest habere rationem defensionis, nec actionis repellendi vim, sine quo actus occidendi honestus non est.

32. Vnde non licet duellum ad vlciscendam, vel vindicandam iniuriam iam factam, neque illam iam vindicare, neque ad id insequi illum, qui fecit iniuriam, dum non eam continuat: quare non est licitum eum qui iam vulnerauit, insequi colore tuendi honorem, vt falsò docuit Nauarr. cap. 15. num. 3. alias liceret etiam quando quis alapam recepit, inimicum fuste cædere; vel fuste cæsus posset insequi percussorem, & occidere: vel poterit aliud malum facere in retributionem quod est Euangelium & Decalogum euertere; iniuria ergo iam recepta, non licet repercutere percussorem, sed tantùm repellere iniuriam imminentem: malum tamen iam illatum non est licitum vindicare, sed pati illud patienter, & Deo relinquere, iuxta illud, *mihi vindictam, & ego retribuam.*

33. Notat tamen Vazquez, non modò esse licitum occidere latronem quando aufert res momenti, sed etiam ipsum fugientem, si aliud non sit remedium ad recuperandam rem familiarem. In quo est differentia inter latronem fugientem cum furto, & illum qui infamauit: quia latro fugiens cum furto continuat furtum, vnde ad repellendam illam continuationem, cùm aliter res non possit recuperari, potest occidi: at iniuria in honore iam est facta, vt supponimus, & ita non esset defensio, sed vindicta: quidquid vulgus imprudens honorem putet.

SECTIO V.

An in aliquo casu liceat occidere innocentem.

34. EXplicandi sunt nonnulli casus in quibus licita est occisio innocentis.

Primus est, quando ille concomitanter incedit cum aliis malefactoribus, qui iustè interficiuntur, nec possunt separari ab aliquo innocente, qui cum illis occiditur, v. g. quando in bello iusto ictibus bombardarum occiduntur, non tantùm nocentes inimici, sed etiam reliqui alij cum illis, in quo casu innocentis occisio culpa caret: quia ius Reipublicæ quæ iustum bellum gerit ad puniendos malefactores, censetur esse maioris momenti, quàm ius hominis priuati innocentis. Ad cuius actus honestatem duæ conditiones videntur necessariæ. Prima, vt actus occidendi innocentem, non sit separatus, & quasi per se ordinatus ad mortem solius innocentis; hoc enim modo nunquam licet. Secunda est, vt id fiat, vel actione ordinata ad occisionem alterius, vel ad tollendum impedimentum, vt malefactores interfici, aut capi possint.

35. Secundus casus est, an liceat Reipublicæ innocentem occidere, quando tyrannus vult destruere aliquam ciuitatem, nisi vel ipsa ciuitas innocentem aliquem occidat, vel tradat ipsi tyranno occidendum. Sotus lib. 5. de iust. quæst. 1. art. 7. sentit, nullatenus Rempublicam posse, neque occidere, neque tradere tyranno, hoc enim est intrinsecè malum, cùm non sit Respublica domina vitæ innocentis; sicut si traderet illi virginem violandam. Fatetur tamen non esse improbabile licere in eo casu tradere tyranno innocentem occidendum; quia cùm in eo casu innocens ille pro communi bono teneretur se tradere morti infligendæ ab alio, poterit à Republica ad id obligari, & si non obediat, poterit morte puniri; quia actus ille exeundi ad tyrannum est bonus in eo casu, & expediens bono communi.

36. Turrianus disp. 26. dub. 2. tuetur oppositam sententiam, quia id est intrinsecè malum & inhumanum, & superans hominum facultatem: sicut si Respublica præciperet innocenti, vt se in eo casu occideret. Addit tamen innocentem obligari mori pro salute Reipublicæ per medium conueniens, v. g. ad pugnandum cum aliis humano modo; non verò hoc modo, scilicet tradendo se occidendum, quæ sententia videtur probabilior.

37. Tertius casus est, quando quis vult euadere mortem sibi ab alio iniustè inferendam, an possit licitè innocentem repertum in via, per quam non potest transire, nisi innocentem equo conculcando & occidendo, an, inquam, hoc licitum sit. Respondetur esse contra iustitiam occidere innocentem conculcando illum equo; habet enim innocens ius tunc ad suam vitam, cùm nullam faciat ibi iniuriam fugienti: ergo contra illud ius facit fugiens occidens talem innocentem, nisi certò sciat eques quòd & se poterit saluare, & innocentem. & ita tenet Turrian. suprà, & Nauarra lib. 2. cap. 3. part. 2 diff. 2.

38. Maior difficultas est in quarto casu, an liceat matri morituræ prægnanti, quando aliter non potest mortem euadere, aliquid sumere ex quo fœtus in vtero gestatus occidatur; an, inquam, in eo euentu sit contra iustitiam, procurare missionem sanguinis, vel aborsum, vt ipsa euadat, etiamsi fœtus sit moriturus. Qui casus duas habet partes. Prima de missione sanguinis. Secunda de procuratione abortus.

39. Circa primum secundùm aliquos non est licitum matri sanguinis missionem procurare cum periculo vitæ filij concepti; quia est contra vitam spiritualem filij si moriatur in vtero, cùm ibi non possit baptizari, & ita morietur sine baptismo; succurrendum verò est vitæ spirituali æternæ proximi, etiam cum periculo propriæ vitæ corporalis. Ita Nauarra suprà.

40. Nihilominus verius est, ante animationem fœtus, illud esse licitum matri: quia mater habet prius ius ad suum sanguinem, quàm habeat proles ad matris sanguinem, vt proprium alimentum futurum: non enim cum tanto sui detrimento, tenetur matri consulere proli futuræ. Præterea vbi solùm agitur de corporali vita filij & matris, etiam post animatum fœtum, licitum est matri sanguinem mittere; quia mater habet ius ad suum sanguinem, tanquam scilicet seruientem sibi; neque tenetur illum intra se retinere cum tanto sui periculo, vt conseruet vitam filij: sicut neque post natum filium tenetur mater retinere lac, etiamsi necessarium sit vitæ prolis iam natæ ex vtero. Deinde iudicante Medico etiamsi matri non applicetur remedium ad sanguinem mittendum, fœtus nihilominus non esset viuus nasciturus, tunc bene & licitè posset remedium illud applicari ad sanguinem fundendum; tunc enim iam non agitur de vita corporali prolis.

Secundò

41. Secundò dicendum est, non teneri matrem pro saluanda vita spirituali filij, pati mortem corporalem, scilicet ad hoc vt filius baptizetur, quando ipsa timet probabiliter se esse in peccato mortali: non enim tenetur vitam spiritualem propriam contemnere pro vita spirituali alterius. In casu verò in quo mater esset moraliter certa de sua vita spirituali, est tota difficultas, an tunc teneatur pati mortem corporalem pro vita spirituali prolis, cuius decisio pendet ex communi quæstione, an pro salute spirituali proximi, teneatur quis propriam corporalem vitam perdere. Et multi affirmant esse scilicet obligationem. Alij verò dicunt hoc esse verũ, quando quis ex iustitia tenetur vitæ spirituali alterius consulere, v. g. in Pastoribus Ecclesiarum tempore pestis, ne fideles subditi sine Sacramento pœnitentiæ moriantur. Alij autem docent, quamuis in aliis casibus sit talis obligatio, negant tamen in nostro casu: & vtraque sententia est probabilis, & tuta.

42. Circa alteram partem, an liceat matri prægnanti medicinam sumere, ad quam sequatur abortus, cùm nullum aliud remedium se offerat ad euadendam mortem. Couarr. Relectio. de homici. 2. p. §. 5. Nauarrus cap. 25. num. 62. existimant, licitum esse ante fœtus animationem, sed non post.

43. Dicendum tamen est primò, nulli licet directè procurare abortum per media primò, & per se tantùm ordinata ad illum, siue ante, siue post fœtus animationem. Ita Turrianus suprà, & Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 20. & colligitur ex his quæ communiter docent Doctores, non esse licitum primò, & per se procurare sterilitatem, quia est intrinsecè malum generationem impedire, ad quam humanum semen primò, & per se ordinatum: effusio igitur voluntaria humani seminis, nunquam est licita, nisi addatur generationis fœtus inter personas legitimas: vnde neque propter salutem, neque propter vitam propriam seruandam, est licita.

44. Inquires, cur aliquando liceat alicui ad seruandam vitam, quam aliàs non potest seruare nisi mutilando se, & abscindendo manum, vel brachium: cur, inquam, liceat se mutilare in eo casu? & non sit licitum emittere à se semen, quando censetur eius effusio necessaria ad vitam propriam. Respondeo difficile esse assignare rationem quæ satisfaciat, quamuis doctrina posita sit verissima. placet ea quam adducit Sanchez: hoc scilicet esse propter periculum consensus in delectationem veneream, propter nimiam delectationem in tali effusione, ob quam causam natura non permisit hominibus liberam administrationem seminis humani, etiam ad tuendam vitam corporalem propriam. Quæ ratio non militat in abscissione alicuius membri, quando censetur necessaria ad saluandam vitam totius corporis.

45. Secundò dicendum est, quando factus est animatus, licitum est applicare medicinas matri per se ordinatas ad vitam, & salutem illius, v.g. missionem sanguinis, vel humorum, vel balneum; & nullum aliud est remedium, etiamsi indirectè sequatur mors fœtus; licitum igitur est in eo casu subtrahere alimentum lactis, vel sanguinis, quo alitur ipse fœtus, etiam cũ morte ipsius fœtus innocentis: quia, vt rectè probat Sanchez, humanæ actiones specificantur ab eo quod operans primò & per se intendit, & non ex effectu per accidens, & præter intentionem secuto. Et confirmatur, qũia pollutio est tam intrinsecè mala, quàm fœtus animati occisio; & tamen quamuis nunquam liceat procurare pollutionem, licitum tamen est eam permittere, v.g. quando datur opera rei licitæ necessariæ, ex qua præter intentionem, & per accidens sequitur pollutio: ergo similiter licitum erit applicare medicinas primò & per se ordinatas ad salutem matris, & necessarias, etiam si per accidens sequatur mors fœtus. Denique quia maius ius habet mater ad medicamentum salutiferum cum periculo mortis fœtus, quàm habeat fœtus cum periculo mortis matris. nam mater non pendet à fœtu, fœtus verò pendet à matre, maximè cùm si moriatur mater, rarissimum sit fœtum viuere.

46. Non tamen est licitum applicare matri medicinas præfatas, quando non periclitatur vita matris ex malis humoribus, vel ex abundantia sanguinis: vnde si tales medicinæ sumantur ad abortum fœtus, vel impediendam generationem; quia aliàs si detegatur peccatum matris, occidetur à marito, vel à propinquis. In hoc ergo casu non licet sumere medicinas, vel applicare, propter vitandam mortem matris cum periculo mortis fœtus: sicut neque postquam natus est, licitum est illum occidere vel suffocare, ne reueletur peccatum. Ratio est, quia tunc fœtus non est aggressor, vt ita dicam, sed mater ipsa est causa sui periculi prouenientis ab extrinseco. Vnde patet minus licitum esse procurare abortum ad vitandam infamiam, vel propter periculum quod mater est experta aliquando in ipso partu. In his ergo casibus, neque per accidens, neque indirectè licèt fœtum occidere, vel exponere mortis periculo; esset enim talis mors voluntaria, etiam per accidens intenta.

Sectio VI.

Quanta debeatur restitutio pro homicidio.

47. Homicidium, vel ablatio alicuius membri, esse potest cum consensu eius qui occiditur, aut deformatur. In quo casu nulla est necessaria restitutio ratione damni illati: quamuis enim ille qui occiditur, non possit ius alteri conferre, vt sine peccato ipsum occidat; potest tamen remittere obligationem restitutionis, quæ in aliis bonis facienda esset: homo enim liberam habet potestatem disponendi de his bonis; ac proinde faciendi vt ille à quo occiditur, liber maneat ab obligatione restitutionis, quod facit quando consentit morti, aut vulneri ipsius: obligatio ergo restitutionis pro homicidio solum est in aliis casibus, in quibus homo contrà ipsius consensum occiditur, aut vulneratur.

48. In homicidio autem, aut vulneratione, duplex est damnum: alterum dicitur reale, vel in bonis fortunæ, & rei familiaris: aliud dicitur personale in bonis vitæ, aut membri ablati. Damnum in re familiari in primis sunt expensæ, quæ in curatione fiunt, ratione medicamentorum, aut Medici. Secundò ad idem damnum pertinet impedimentum lucri, quod ex morte impeditur, v. g. quando occiditur aliquis artifex, qui per suas operas aliqua esset lucraturus; simili ratione ad damnum reale pertinet, impedimentum fructuum, quibus ille qui occiditur, frueretur, nisi per mortem impediretur; huiusmodi sunt fructus beneficiorum Ecclesiasticorum, & similes.

Digitized by Google

Ex quibus omnibus constituenda est summa quæ debetur ex homicidio solum ratione damni realis in re familiari, vt rectè docet Caietanus verbo *restitutio* cap. 4. & Doctores communiter, & ratio est manifesta, quia hæc omnia per iniuriam impediuntur; ac proinde ex iustitia restitui debent. Quòd si obiicias ex l. *ex iudiciorum*, ff. de accusationibus; *hæredes defuncti non possunt petere ciuiliter damna, quæ morte defuncti prouenium; quia pœna pecuniaria ex delicto non transit ad hæredes, lite non contestata.* Si autem, quod diximus, verum esset, possent hæredes defuncti petere restitutionem illam, cuius oppositum docet ius allatum. Respondetur illud ius non loqui de restitutione facienda, vel pœna resarcienda in conscientia ante sententiam iudicis, de qua nos loquimur, sed tantùm de pœna pecuniaria, ad quam per iudicem condemnandus est reus, ad quam non habent ius hæredes defuncti ante sententiam.

50. Hæc autē restitutio, de qua loquimur, integrè si possit est facienda: quare totum lucrum quod erat obtenturus vulneratus, vel mutilatus, vel occisus iniustè, est restituendum exceptis expēsis quæ esset facturus: nam homicida, vel vulnerans, impediuit iustè laborem; quare totum est restituendum. Quoniam verò ex longitudine temporis in quo quis viuere possit, lucra huiusmodi maiora & minora esse possunt, ad hoc vt prudenter summa aliqua constituatur, consideranda est sanitas & ætas illius qui occiditur, & aliæ circumstātiæ, ex quibus pendet spes maioris lucri; atque inter summum tempus in quo viuere aliquis posset, & illud tempus in quo occiditur, constituendum est medium quoddam: atque hoc modo ex fructibus, aut laboribus, quæ respondent illi medio tempore, deductis expensis, constituenda est certa summa, quæ pro homicidio restitui debeat. Inter expensas autem meritò numerantur illa, quæ occisus consumsisset in sua sustentatione, qua propter hæc deducendæ sunt ex summa quam ille qui occiditur habiturus erat ex fructibus, & operationibus.

51. Aliud damnum dicitur personale, in quo est maior controuersia, an pro illo sit aliquid restituendum præter illud quod redditur ratione damni illati in re familiari: nā multi Doctores affirmant, aliquid esse superaddendum præcisè ratione vitæ, aut membri ablati. Nihilominus oppositа sententia est probabilior & probatur primò, quia si restitutio deberetur in pretio pecuniarum, aut in alio genere bonorum, pro membro, aut vita ablata, etiam deberetur ab his qui pœnam talionis patiūtur: quod est falsum. Sequela probatur quia restitutio non debetur solo titulo punitionis, aut sententia iudicis, sed omnino ex naturā rei, vt læsus à quo est ablatum aliquid, rem suam accipiat; vel illius compensationem: at quamuis ille, qui lædit, patiatur pœnam talionis, hoc est, ablationem partis corporis, quod ipse ab alio abstulit; nihilominus ille qui læsus est, nihil amplius accipit pro re ab ipso ablata; ergo si restitutio deberetur per membrum ablatum, eadem prorsus ratione deberetur ab his qui patiuntur in proprio corpore talionis pœnam; ab his autem non deberi, omnes concedunt.

52. Secundò probatur, quia si quando aliquis occiditur, simul etiam patiatur iniustitiæ damnum spirituale, v.g. si occidatur tempore quo creditur esse in peccato mortali, v.g. in adulterio: aut si aliquis iniuriosè impediat sacerdotem ministrum Sacramentorum, quominus illa possit ministrare alicui indigenti in periculo mortis; in his casibus ratione damni spiritualis iniustè illati, non debetur aliqua compensatio in bonis generis inferioris: quod non potest oriri ex alio capite, nisi quia bona spiritualia maiora sunt; nec potest pro illis aliqua ex iustitia deberi compensatio in bonis fortunæ; ergo pari ratione pro bono vitæ ablatæ, ex iustitia non debetur compensatio in bonis alterius generis.

53. Denique, quia compensatio ex iustitia deberi non potest pro bonis, cum quibus non potest esse aliqua æqualis commutatio; sed restitutio, compensatio quædam est debita ex iustitia; ergo non potest deberi pro bonis generis superioris, cum quibus esse non potest æqualis commutatio; sed vita comparatione bonorum fortunæ est huiusmodi; ergo pro vita non deberur restitutio in pretio pecuniarum. Maior probatur, quia recompensatio qua filij tenentur erga parentes, pro vita ab ipsis accepta, inter alias causas propter hanc etiam, non pertinet ad iustitiam; quia pro vita nihil æquale parentibus reddi potest, idem etiam constat ex damno quod fit iniustè in bonis spiritualibus; atque hæc est ratio ob quam pro deformitate membri ablati, nihil est soluendum, quia corpus æstimationem non suscipit.

54. Obiicies, quia obligatio restituendi oritur ex damno illato; ergo quo maius est damnum, oritur obligatio maior restituendi: maius autem damnum est ablatio vitæ, quàm rei familiaris. Respondetur ex maiori damno oriri maiorem obligationem restitutionis, si illud sit in rebus pro quibus restitutio æqualis esse possit: si tamen damnum sit in bonis cum quibus nulla æqualis compensatio esse potest, ex illo non oriri obligationem restitutionis quæ ex bonis fortunæ facienda sit: huiusmodi autem est damnum, quod in bonis vitæ infertur, quod reparari non potest secundùm se, nec æqualiter resarciri per bona fortunæ.

Sectio VII.

Quibus personis fieri debeat restitutio, quæ debetur ex homicidio.

55. TRia genera personarum in præsenti considerari possunt: nempe debitores, quibus tenebatur ille qui occiditur. Deinde illi qui aliquid sperabant ex beneuolentia, aut pietate eius qui occiditur, v. g. amici, aut consanguinei, qui ab illo alebantur. Denique hæredes, quibus ex testamento, vel ab intestato, debentur bona defuncti iniuriosè occisi.

56. Circa debitores omnino certum est, homicidam debere illis satisfacere, si ante homicidium cognouit huiusmodi creditores: & præterea etiam cognouit fore, vt creditores non assequantur solutionem suorum debitorum si debitor occidatur. Ratio est manifesta, quia in hoc casu homicidium non solùm est iniuriosum ei, qui occiditur, sed etiam creditoribus, quorum bonum debitum ex iustitia præuidetur esse impediendum; in huiusmodi igitur homicida soluere tenetur totum id quod soluisset ille, qui occiditur; si tamen cognoscat damnum quod ex homicidio sequitur creditoribus.

57. Circa alios creditores, qui ab homicida non cognoscuntur, & quibus ratione suæ ignorantiæ non est iniuriosus, res est aliquantulum obscurior. Mihi tamen placet sententia affirmans, esse obligationem

Digitized by Google

gationem soluendi illis debita quæ debitor occisus soluisset, nisi fuisset interfectus: quod intelligendum est si occisus debita illa soluisset ex lucris quæ per homicidium impediuntur, & in restitutione soluenda sunt. Ratio est, quia creditores ante alios hæredes ius habent, vt ipsis satisfiat ex bonis defuncti; ergo quando ex homicidio aliqua debetur restitutio, nec sunt aliqua bona defuncti ex quibus debita soluantur, inter creditores defuncti distribuenda sunt illa quæ ratione homicidij titulo restitutionis debentur. Hæc tamen obligatio restituendi creditoribus quos homicida priùs non cognouit, non nascitur ex iniuria illis illata, sed ex illa obligatione, qua defunctis ipsis tenebatur; ea enim obligatio causa est, vt restitutio quæ debetur titulo homicidij, inter creditores distribui debeat, nisi ex aliis bonis soluantur.

58. Circa secundum genus personarum, videlicet qui sperabant ex beneficentia eius qui occiditur, quales sunt illi, qui à defuncto sustentabantur. Communior responsio est, illis esse satisfaciendum, & quidem de parentibus, filiis, aut consanguineis, qui alendi essent ab illo qui occiditur, communis est sententia affirmatiua; de aliis verò, quibus erat certum secundùm prudentiam occisum iniustè, daturum aliquid, est maior difficultas. Placet tamen id quod docet Vazquez, ex quo idem desumpsit Nauarr. lib. 4. cap. 1. debere etiam homicidam illis restituere. Ratio est, quia qui per vim impedit alium à consecutione boni illi conferendi, tenetur tale bonum restituere, vel æquiualens, vel secundùm æstimationem, illi qui vim patitur; ergo cùm iniustus homicida vim faciat occiso, & & aliis, quibus occisus erat aliquid daturus, tenetur his restituere; ergo iuxta qualitatem certitudinis futuritionis talis boni, metienda erit quantitas restitutionis faciendæ. Hoc autem intelligitur si hoc præuideatur, vel specialiter, vel in communi: licet igitur hi, quibus impedit per vim homicida consequi bonum quod erant habituri ex occiso, non sint amici, neque necessarij hæredes ipsius occisi, quia per vim impediuntur, illis est obligatio restituendi, iuxta ea quæ superiùs docuimus de impediente alium per vim à consecutione boni, vel beneficij; quia licèt absolutè non habeat ius iustitiæ ad tale bonum; habet verò ius iustitiæ vt non impediatur per vim à consecutione illius.

59. Atque id ipsum patet à paritate rationis, quia obligatio alendi parentes, filios, aut consanguineos, non est iustitiæ, sed pietatis; ergo si ex homicidio obligatio nascitur his satisfaciendi, pari ratione affirmandum est, hanc obligationem etiam oriri erga illos, qui aliquid sperabant ex libera voluntate eius qui occiditur.

60. Obiicies, quia hæredes succedunt in omnibus bonis, & iuribus defuncti, de quibus ille ante mortem non disposuit: sed ille, qui occiditur, quamuis ex suis lucris esset aliis benefacturus; quia tamen per mortem impeditur, re ipsa de illis non disponit: ergo ipsius hæredes succedunt in omnibus his lucris; ac proinde nihil videtur dandum his qui hæredes non sunt. Respondetur, hæredes succedere necessariò in bonis quæ defunctus habuit ante mortem; non tamen in illis quæ debentur titulo lucri impediti, quæ defunctus nondum habet, sed potiùs hæc esset distribuenda inter illos, quorum prædictum lucrum fuisset, pro ratione spei singulorum; ac proinde quando constat, illos qui non sunt hæredes, aliquid fuisse habituros ex lucris defuncti; tunc illis esse satisfaciendum pro ratione spei; reliqua verò quæ supersunt, esse distribuenda inter hæredes.

Ex quo infertur, quando quis ex beneficentia eius qui occiditur, sperabat aliquod bonum iam habitum ab illo qui occiditur, illud bonum re ipsa pertinere ad hæredes: homicidam autem si cognouit impedimentum alterius proueniens ex homicidio, debere illi satisfacere pro ratione spei, etiamsi nulla restitutio debeatur titulo lucri impediti; in eo enim casu homicidium iniuriosum est etiam illi, qui ex liberalitate defuncti sperabat aliquod bonum ab illo habitum; ac proinde illi est satisfaciendum. 61.

DISPVTATIO IV.

De obligatione restitutionis ex stupro, & adulterio.

SECTIO I.

Quid & quando sit restituendum ratione stupri.

STVPRVM ff. ad legem Iuliam de adulteriis, & ex D. Thom. q. 154. art. 6. aliquando sumitur latè, scilicet pro omni specie luxuriæ, siue cum masculo, siue cum fœmina cuiuscumque status: & hoc modo omne peccatum luxuriæ erit stuprum; aliquando verò sumitur strictè & propriè, scilicet pro actu luxuriæ cum virgine, id est, cùm fœmina quæ nunquam fuit deflorata à viro, neque cognita, neque claustrum illius violatum est; neque integritas carnis rupta: esse enim virginem materialiter, est non esse à viro cognitam: vnde hæc virginitas non consistit in aliqua tela intacta, neque in hoc vt sit difficultas in penetratione claustri. nam prædicta tela secundùm Medicos peritos non inuenitur, & virgines multæ iam grandæuæ quæ virum non cognouerunt, facilè poterunt penetrari, & tamen re vera virgines sunt; neque aliquid sanguinis in penetratione, vel ruptione claustri, contingere emittere: quod aduertere debent confessarij, & alij viri docti, si accedat ad eos aliquis matrimonio coniunctus, inquiens se non inuenisse fœminam intactam, neque virginem quam accepit; quia inquit se facile penetrasse claustrum, & sine missione sanguinis, vel humoris quasi sanguinei in fœmina. Curent ergo sic consulti, vt declarent hoc non esse sufficiens indicium, vt fœmina non fuerit inuenta virgo: quia facultas illa potest ex alio capite oriri, scilicet ex dilatatione partium maximè in fœminis grandæuis, re vera virginibus accedentibus ad maritum cum integritate materialiter prædicta. Formalis verò virginitas, est propositum abstinendi ab omni actu veneteo etiam licito. 1.

Ex quo infertur, licèt semel amissa virginitas materialis, siue integritas carnis dicta, non possit recuperari; tamen virginitas formalis quoad formale potest reparari per contritionem, si fuit amissa per peccatum; & per propositum de nouo nunquam experiendi illam delectationem veneream, etiam per matrimonium, non contrahendo illud; 2.

illud; vel si contrahatur habendo tamen propositum dictum: & sic scimus multos Sanctos matrimonio iunctos seruasse virginitatem. Stuprum ergo, propriè loquendo, & formaliter, consistit in fornicatione prima virginis, siue defloratione illius. Fornicatio tamen prima alicuius viri primò cognoscentis fœminam aliquam non virginem, non habet rationem stupri; neque habet malitiam distinctam specie à malitia simplicis fornicationis, vt est commune inter Doctores.

3. Difficultas tamen est, an fornicatio cum fœmina virgine liberè consentiente, tantùm sit fornicatio simplex, vel habeat aliquam aliam malitiam distinctam à simplici fornicatione, & ita fœmina in confessione teneatur aperire se nunquam cognouisse antea virum: quod necessariò dicendum est, si demus esse circunstantiam mutantem speciem peccati, iuxta doctrinam Tridentini, circunstantias mutantes speciem in peccatis esse necessariò aperiendas in confessione, & partem affirmantem tenet Caiet. 2. 2. quæst. 54. artic. 6.

4. Dicendum tamen est, malitiam stupri non distingui à malitia simplicis fornicationis, nisi fiat stuprum per vim, vel dolum, vel per violentiam, vel metum iniustè illatum ipsi virgini; & ita non tenetur fœmina in confessione explicare se fuisse virginem. Ita Recentiores communiter cum Vazquez 1. 2. disp. 112. & de Restit. cap. 3. §. 1. dub. 1. Sanchez 7. lib. de matrim. disp. 14. Suarez 3. part. tom. 4. disp. 22. sect. 4. Probatur, quia fornicatio cum virgine ipsa liberè consentiente, nullam habet aliam malitiam, nisi quia est contra temperantiam; sicut etiam in viro virgine primo fornicante; ergo præcisè cognoscere virginem ipsa consentiente, tantùm erit simplex fornicatio; & nulla fit iniuria virgini ipsi consentienti, neque etiam fit iniuria parenti virginis: puella enim domina est sui corporis, & vsus illius.

5. Si autem ex alio capite fiat aliqua iniuria patri, v. g. quia abducatur à domo paterna per vim ad eam cognoscendam; tunc certum est fieri patri iniuriam: sicut etiam fit ipsi virgini si per violentiam, vel dolum, vel per minas violetur, vel etiam per preces mixtas minis. nam tunc præter simplicem fornicationem, etiam esset malitia iniustitiæ; & ita eam violans esset ei iniuriosus & iniustus: his tamen præcisis, tantùm esset, vt dixi, simplex fornicatio. Quare quando virgo consentiens violatur, nullam tenetur facere restitutionem illi, neque illius parentibus stupfator, quia nulli facit iniuriam, vt rectè etiam notat Molina tract. 3. disp. 106. non enim facit damnum aliquod ipsi patri. nam filia non est possessio patris, sed ipsa liberum habet vsum sui corporis. Vnde si fœmina sine culpa stupratoris, ex alio capite diffametur, & difficilius contrahat matrimonium, & cum maiori dote quàm si esset virgo, non tenetur violans aliquid restituere; si verò violator virginem à se defloratam infamauit iniustè, & propter hoc sit passa illa damnum, ita vt egeat ad sui collocationem maiori dote, vt æquè bene nuberet ac si non esset defloratа, in eo casu hæc maior dos esset ab eo restituenda, vt ita bene collocetur: sicut etiam ad id tenetur violator si ad id iuridicè condemnetur à iudice, sequente aliam opinionem, scilicet iniuriam fieri parentibus, etiam ipsa liberè consentiente. nam est sententia iusta, iuxta probabilem opinionem; quare illi sententiæ tanquam iustæ debet parere violator.

6. Quando verò per vim, fraudem, vel metum, vel falsas pollicitationes, vel preces minis mixtas, fœmina est violata; tunc damnum secutum propter hoc restituendum est à violatore hoc modo, ordinariè loquendo, vel eam ducendo in vxorem, si ipsa velit, & non sint grauia inconuenientia; vel dando dotem sufficientem vltra patrimonium quod ipsa à parentibus debuisset habere ad contrahendum æquè bene, ac si non esset violata; quodlibet ex his potest eligere violator.

7. Quando verò virgo violata stuprata fuit, si ex hoc nullum damnum in re ipsi fœminæ secutum est, quia violata est secretò, & ideo æquè bene nupsit, nihil tenetur violans secundùm probabilem sententiam restituere ante iudicis sententiam, & ita tenet Vazquez dub. 3. Nauarr. cap. 16. num. 19. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 2. quia re vera restitutio facienda est tantùm ratione damni illati, & pro violatione claustri nihil est restituendum, cùm sit incomparabilis: atque adeò non sit pretio æstimabilis; nec pro damno illato, cùm damnum nullum secutum sit, cùm æquè bene nupserit, vt supponimus, nec vir eius defloratione deprehenderit.

8. Ille autem, qui virgini vim intulit, & tamen mortua est antequam nuberet, tenetur hæredibus restituere, quamuis oppositum censeat Vazquez, existimans nihil esse restituendum virgini stupratæ, si moriatur antequam nubat; eo quòd illa obligatio erat personalis, id est, debitum, respiciens tantùm virginem: quare ea mortua, moritur etiam debitum. Hæc tamen doctrina non placet, quia incredibile est quòd ego debeam aliquid ex iustitia commutatiua, & non teneat restituere hæredibus mei creditoris, quando creditor mortuus est. nam iura realia non extinguuntur, sed transeunt ad hæredes. Cauere autem debet violator ne fundamentum debiti explicet, & consulere honori defunctæ restituendo hæredibus id quod debet, dicendo se hoc illis soluere, quia ad id tenetur ex iustitia; si verò puellam cognouit quæ virgo putabatur, & re vera non erat, si aliàs fama eius non est læsa, nihil illi debet restitui: quod verum est, inquit Vazquez dub. 2. etiamsi puellæ vis sit illata, quia illi nullum damnum illatum est; neque in corpore, cùm virgo non sit; neque in fama, cùm integra maneat.

9. Inquires, an qui vouit simplex votum Religionis, aut castitatis, & postea defloruit virginem sub fide data matrimonij, teneatur illam ducere, de hoc iam diximus in tract. de matrim. teneri illam ducere; quia maior est obligatio reparandi damnum illatum quàm implendi promissionem, licèt promissio sit antiquior. Et confirmatur, quia si quis promisit Petro dare centum, & postea infert damnum aliorum centum Ioanni; vel quia furatus est ab eo centum, si non possit, nisi centum soluere, quia tantùm centum habet, tenetur reparare damnum illatum, & relinquere promissionem. Deinde, si quis vouisset eleemosynam, & postea damnum intulisset proximo, nec posset vtrumque soluere, tenetur damnum illatum reparare, omissa voti implerione. Ratio est manifesta, quia qui damnum intulit, est rei alienæ vsurpator: at nullus potest vsurpare rem alienam, vel inferre damnum ad soluendam promissionem. Adde promissionem debere adimpleri ex propriis, non ex alienis; qui autem post damnum illatum vult soluere promissionem, quam priùs fecit, virtualiter vult ex alienis adimplere. Alia dubia hîc tractari solita, spectant ad materiam de sponsalibus.

SECTIO

Sectio II.

Quid sit restituendum ratione adulterij.

10. PRo nudo adulterio, licèt iniuria sit grauissima, nulla restitutio debetur marito, aliàs grauiter offenso: quia adultera nihil tenetur restituere viro, licèt peccet contra iustitiam; nec etiam adulter, quia, vt supponimus, nullum damnum illatum est in fama, aut honore, aut re familiari: & sic experimur confessarios nunquam obligare pœnitentes, vt restituant in hac occasione. Quare hic discursus non est legitimus formaliter: ille peccauit contra iustitiam; ergo tenetur restituere. Nam confessarius iniustè negans absolutionem pœnitenti, peccat contra iustitiam; & tamen nihil tenetur restituere. Idem est de committente iudicium temerarium, & de occidente alium, qui certò & proximè erat moriturus, constat etiam ex l. *transigere.* Cod. de transactionibus, & l. *Mariti*, §. *Plectitur* ff. ad l. Iuliam de adulteriis, vbi prohibetur marito aliquid accipere pro iniuria adulterij commissi cum vxore sua: imò si hoc faciat, de lenocinio possit accusari & damnari, & ratio est, quia illa iniuria est obiectum iustitiæ vindicatiuæ per potestatem publicam exercendæ. Nec obstat quòd vxor est possessio viri; ergo tenetur adulter restituere pro abusu vxoris: sicut tenetur qui vtitur equo alterius inuito domino. Hoc enim nihil conuincit de iniuria facta marito, sed de valore abusus corporis vxoris: nihilominus adhuc negandum est, quia maritus non potest alteri concedere vsum vxoris, quia illud ius non est delegabile. An verò si fiat pactum inter virum, & adulterum, vt pro adulterio det adulter viro viginti, teneatur adulter illa viginti dare, sunt qui negant, & affirment: vtrumque probabile, in foro autem exteriori non admittuntur talia pacta, sed reprobantur, quia vir argueretur de lenocinio: in foro autem interiori pars affirmatiua videtur probabilior.

11. Est tamen prima difficultas, an adultera teneatur filium ex adulterio susceptum detegere. In qua dicendum est, ordinariè loquendo, non esse obligandam adulteram ad detegendam prolem conceptam non esse legitimam, quando publicè pro legitima habetur; etiamsi sequatur damnum marito, & aliis legitimis filiis, quibus detrahitur id quod datur proli illegitimæ, ita Vazquez de testament. cap. 5. & ratio huius est, quia impositio talis obligationis magis esset nociua, quàm vtilis, propter odium quod potest adultera in maritum concipere, & è contra, & quia datur occasio sufficiens timendi mortem, vel damnum aliud grauissimum à marito, & esset se adulterum, & prolem publicè infamare. Nec restitutio bonorum inferiorum fortunæ facienda est cum tanta iactura famæ, quæ bonum est superioris ordinis, quàm pecunia, vel pecunia æstimabile.

12. Deinde filius publicè habitus legitimus, non tenetur credere matri sibi dicenti, se non esse legitimum, nisi mater hoc probet signis de se demonstratiuis veritatis: huiusmodi signa essent, clara & certa similitudo vultus, & maritum tempore conceptus fuisse absentem; quod etiam est verum, etiamsi mulier esset deprehensa in adulterio, quando maritus non erat absens, & proles fuit concepta. nam tunc præsumendum est esse legitimam, vt rectè Molina tract. 3. disp. 101. nisi grauissimæ circunstantiæ essent in oppositum, v. g. si maritus sterilis iudicaretur; & neque ipse, neque ipsius familia prolem, vt legitimam cognoscerent.

In eo verò casu, quando proles re vera est illegitima, & scit mater quæ semper certa est, debet curare vt marito, & aliis legitimis filiis fiat recompensatio illius partis, quæ obuenit proli illegitimæ ex bonis mariti, & detrahitur filiis legitimis; debet ergo hoc recompensare, v. g. rem familiarem magis curando, & augendo; vel sibi subtrahendo de cultu, vel de bonis paraphernalibus & propriis, si habeat, plus relinquendo legitimis. Si verò hoc non possit fieri, non tenetur se manifestare spurio, vt renunciet paternæ hæreditati; quia ille non tenetur matri credere, etiam hoc iuranti: potest enim timere propter aliam causam moueri matrem ad dicendum hoc. Quod quidem intelligendum est, moraliter loquendo: nam si ponatur casus in quo esset spes moraliter certa se profuturam tali monitione, & impedienda grauissima damna futura, teneretur mater vel per se, vel per alium, monere spurium, & etiam si ex hoc exponeretur mater periculo famæ, & vitæ, v. g. si illegitimus esset successurus in aliquo Regno, & esset ex tali successione manifestum periculum inficiendi subditos hæresi. ad euitandum ergo hoc damnum publicum, teneretur mater declarare talem prolem esse illegitimam: præferendum enim est bonum publicum, particulari.

13.

14. Secunda difficultas est, an adulter teneatur restituere prædicta damna, sicut tenetur adultera. In qua dicendum est, adulterum obligari credere adulteræ dicenti suam esse prolem, si ad hoc credendum habeat motiuum sufficiens secundùm prudentiam, & restituere in conscientia sumptus pro prole factos à patre putatiuo. v. g. alimenta, vel si dedit dotem, & compensare damnum factum legitimis. Ratio est, quia adulter fuit causa moralis omnium horum damnorum ex iniusta illa actione adulterij, ex qua generatio prolis illegitimæ est secuta. Potent tamen adulter aliquando excusari, vel in totum, vel in partem à restitutione; vel quia adultera ex suis bonis propriis damnum compensauit, vel compensatura creditur; vel quia restitutio non potest fieri sine vitæ periculo, & graui iactura famæ, in quibus casibus liberabitur à restitutione, vel in totum, vel in partem; quia cum tanto sui damno non tenetur restituere aliorum damnum temporale, siue pecuniarum, vbi nota, adulterum teneri alimenta præstare filio spurio, & ideo solus ille tenetur alimenta restituere viro, cui iniuria per adulterium facta est; quare hæc alimenta non tenetur restituere adultera nisi in defectum adulteri. Ita communis sententia Doctorum. excipe ab hac regula expensas, quæ in lactatione filij insumuntur, quia has tenetur mater facere, quia tenetur filium lactare.

15. Quòd si dubitet adulter, an proles sit sua, ad nihil tenetur, secundùm Nauarrum & Lessium, quia in dubio filius legitimus iudicatur, & fauendum est potiùs in dubio ipsi innocenti; & in dubio nemo tenetur restituere; melior enim est conditio possidentis.

16. Tertia difficultas est, an sit licitum filios illegitimos aliquando exponere. Respondeo licitum esse interdum filios illegitimos maximè spurios exponere, quando est necessarium ad occultandum crimen matris, vel vitandam grauem infamiam; cum cautione tamen, ne frigore, vel alio

modo

Digitized by Google

modo proles expositа moriatur. Curandum etiam est, vt priùs baptizetur, & vt cedula in collo appendatur de baptismo, & quidem si re vera parentes sint pauperes, & soluti, non videtur quare non liceat prolem exponere, ne parentes pauperes propter prolem emendicare cogantur: obseruat autem Layman, si hospitale sit pauper, & proles expositа sit parentum diuitum, teneri parentes restituere hospitali alimenta si id possint sine periculo famæ: si verò hospitale sit diues, credendum esse, etiam esse fundatum pro expositis diuitum, & ita non esse obligationem recompensandi aliquid hospitali. Sed certè nunquam auditum est hospitalia etiam abundantia esse instituta pro diuitibus. Vnde existimo in eo casu recompensandum esse hospitali.

17. Denique obserua, adulterum si nihil promisit adulteræ pro actu turpi cum ea habito, nihil teneri restituere: quia vsus corporis, secluso contractu & promissione, non est pretio æstimabilis: requiritur ergo vt interueniat aliqua ratio contractus, vt etiam militat in fornicatione inter solutos. Si verò adulter aliquid dedit adulteræ, vt re vera validè potest; tunc illa debet illud dare marito; quia quæ adultera acquirit, marito acquirit: non enim illa habet potestatem in suum corpus sicut libera & soluta, sed vir talem potestatem habet in corpus vxoris, & ita quæ acquirit vxor per corpus, marito acquirit habenti dominium in illud, cui etiam interest administratio bonorum. Hoc tamen intelligitur, si non sit periculum ex hoc detegendi suum peccatum.

DISPVTATIO V.

De obligatione restituendi ex furto & rapina.

SECTIO I.

Qua ratione acquiri possit dominium alterius hominis.

1. IVRE naturæ, vnus homo non est dominus alterius hominis, quia homines ex se sunt iure naturæ pares, ex eodem parente; & ad eundem finem conditi, quare nullus iure naturæ est seruus alterius hominis; & ita in statu innocentiæ nulla fuisset seruitus. Iure tamen gentium posse vnum hominem esse sub dominio alterius, non solùm per dominium iurisdictionis, sed etiam per dominium proprietatis, constat ex sacra Scriptura Exod. 21. & Leuit. 25. Vnde seruitus non est contra naturam, ita vt sit contra rectam rationem, vel præceptum naturale; sed quia est contra primam hominis conditionem, qua omnes erant futuri recti, & sine peccato conditi; & ita tunc seruitus vnius hominis respectu alterius esset contra iustitiam: supposito verò peccato seruitus est secundùm rationem: quare serui nomen culpa meruit, non natura; & ratio huius est, quia licèt considerata sola rei natura, homines naturaliter sint liberi, fieri tamen potest vt libera potestas cuiuscumque transferatur in alium, aut per propriam hominis voluntatem, aut per iustam voluntatem superioris. Hoc autem dominium non est vt per illud homo sit dominus vitæ, aut membrorum serui; homo enim non potest maius habere dominium alterius, quàm ipse possit habere supra seipsum: quare sicut homo non est dominus propriæ vitæ, sed potius illa tantùm est sub dominio Dei; ita nec potest dominium suæ vitæ in alium transferre: nec est aliquis alius titulus per quem dominium vitæ acquiri possit, nisi Deus qui dominus est vitæ & mortis, velit huiusmodi dominium communicare: quod non videtur implicare contradictionem.

Dominium ergo vnius hominis super alterum, 2.
nihil aliud est, quàm ius in alio homine ad moderatas operas illius, & ad illa bona quæ ab illo acquiruntur: non tamen est potestas disponendi de altero etiam destruendo eius substantiam, quod est dominium quod in aliis rebus habere potest. Prædictum autem dominium duobus modis acquiri potest.

Primò, auctoritate superioris per sententiam punitiuam, ratione alicuius delicti; qua ratione per iustum bellum acquiri potest dominium eorum qui Christiani non sunt, & in bello capiuntur, ex l. *hostis*, ff. de captiuis, & ita fuit introductum ex compassione naturali. Possent enim illi occidi iustè, & mors in seruitutem commutatur, & sic innocentes & paruuli sæpe in captiuitatem rediguntur iustè, tanquam membra Reipublicæ hostilis & inimicæ iniustè bellum gerentis, licèt non peccauerint paruuli illi, & innocentes, & licèt iure ciuili, hostes qui capiuntur in bello, serui fiant; consuetudine tamen introductum est, vt hi qui Christiani sunt, etiam hæretici, titulo belli serui non fiant aliorum Christianorum, propter honorem Christianæ libertatis. Acquiritur autem huiusmodi dominium per iustitiam punitiuam, & per sententiam Principis, qui iustum bellum mouet ad sumendam vindictam, & satisfactionem pro aliqua iniuria præcedenti.

Secundo modo, dominium acquiritur alterius 3.
hominis, per liberam voluntatem illius vendentis se ipsum, aut patris vendentis filium, quem habet in sua potestate, vt patet l. 2. Cod. de patribus qui filios distraxerunt, & l. 1. & 4. ff. quibus ad libertatem proclamare liceat. Posse autem aliquem per venditionem efficere seruum se ipsum, patet ex Deuteron. cap. 25. Ratio verò est, quia quisque habet potestatem transferendi in alterum ius illud quod ipse habet, vtendi membris suis, & operandi propter lucrum proprium: quisque enim est dominus suæ libertatis, sicut & suæ famæ, & pecuniæ, & potest suam libertatem vendere: sicut fecit S. Paulinus ad redimendum filium cuiusdam viduæ. Ad hoc autem requiritur causa iusta; aliàs esset veluti quædam prodigalitas: sicut in consumendis pecuniis contingit, quando sine causa excusante consumuntur, & magis æstimatur libertas quàm aurum.

Quamuis autem ex natura rei, ad hunc modum 4.
transferendi dominium, sufficeret consensus hominis liberi, non existentis sub potestate alterius; iure tamen positiuo, adiunctæ sunt quædam conditiones, sine quibus per venditionem ille qui liber est, seruus effici non potest. Prima est, vt ille qui venditur sit 25. annorum. Secunda vt huiusmodi venditio non fiat per ipsum qui venditur, sed per alium qui illum vendat, quasi seruum. Tertia, vt ille qui venditur, & venditioni consentit, sciat se esse liberum. Quarta, vt re ipsa participet de pretio quo emitur. Quæ conditiones

explicantur

Digitized by Google

...ditatem, & ...ditatem, & ...ditatem, &

iustè fugere, sed etiam accipere posse aliqua ex bonis domini propter iniuriam illatam præcedentis seruitutis: & denique licere etiam occidere illos, qui impedire voluerint ipsorum fugam; habent enim huiusmodi homines ius suum integrum, perinde atque alij liberi homines, & potestatem eundi in locum in quem voluerint, & repellendi vim ab aliis illatam, vt illorum fuga impediatur.

11. Et ex his infertur, resolutio illius quæstionis, an liceat ire ad captiuandos Æthiopes, vel Barbaros, & vendere eos, & facere negotiationem, vt apud Lusitanos est in vsu: si enim non sit aliquis titulus ex dictis, certum est non esse licitum, sicut neque licitum est tales priuare sua libertate, vt ad fidem conuertantur. nam fides est omnino libera; nec enim potest credere quis nisi volens: non ergo licet eos priuare libertate, & redigere in seruitutem, propter hoc, quia scilicet multi eorum conuertentur ad fidem: aliàs cuicumque Principi Christiano liceret facere bellum aduersùs quoslibet infideles ex hoc præcisè, quia infideles sunt, & quia multi ad fidem conuertentur; illud etiam est certum, non esse licitum capere Æthiopes veluti venatoriè, & quasi essent animalia, vel feræ sub nullius dominio, ac proinde primò occupantis: neque etiam sic captos dum hoc constet emere, vel vendere; neque etiam quando quis dubitat de captiuitate iusta. Hoc tamen non obstante, negotiatio ista Lusitanorum circa mancipia condemnanda non est; quia credendum est esse iustum titulum, cùm videamus Episcopos doctissimos, & piissimos in illo regno illam tolerare, & non condemnare; neque etiam alios viros doctos eiusdem regni, legendus est Molina 2. de iustit. disp. 33. & Fagundez in septimum præceptum Decalogi lib. 7. cap. 12. n. 13. vbi assignat rationes huius iustæ negotiationis, & quando sit licita, & quando non.

Sectio II.

Quibus modis acquiratur dominium rerum exteriorum.

12. Inter res externas, quarum dominium proprium acquiri potest, quædam sunt sine domino proprio, quæ vel nunquam fuerunt ab aliquo occupatæ; vel si aliquando dominum habuerunt, ab illo tamen sunt relictæ; vel aliqua ratione desierunt esse sub priuato dominio alicuius. Aliæ verò sunt res, quæ antequam ab vno acquirantur, existunt sub dominio alterius; ac proinde earum dominium acquiri non potest, nisi illud ex vno in alium transferatur.

13. Circa res quæ nullius sunt domini, regula certa est, fieri illius à quo primò occupantur, nisi aliquod impedimentum sit, quamuis illarum priuatum dominium acquiri possit: quod enim nullius est domini, iure gentium occupanti conceditur. l. 1. & 4. ff. de acquirendo dominio. Dixi, *nisi impedimentum aliquod sit*, quia sunt res aliquæ omnibus communes, quæ non permittuntur fieri alicuius priuati, vt illarum vsus facilior sit: huiusmodi est Mare, & alia quæ referuntur Instit. de rerum diuisione, in principio, quæ dicuntur bona communia omnibus gentibus. Alia verò dicuntur bona publica ciuitatis, quæ nullius priuati fieri possunt: earum enim proprietas est totius communitatis, sine cuius consensu priuatum eorum dominium acquiri non potest, quales sunt viæ publicæ, fontes publici, & similia.

14. Cùm autem res quæ nullius domini sunt, fiant illius à quo occupantur, necesse est intelligere, qua ratione bona quæ priùs sunt alicuius domini, desinant esse illius, & incipiant esse communes. Pro quo notandum est, res quæ non sentiunt, nec habent vim fugiendi à dominis, non desinere esse sub illorum dominio, nisi ab illis derelinquantur, & voluntariè abiiciantur animo illas non habendi; atque hac ratione illa quæ in tempestate proiiciuntur in mare, non desinunt esse sub proprio dominio; quia non abiiciuntur animo illas non habendi, vt dicitur l. 9. ff. de acquirendo dominio; ac proinde eodem loco dicitur, furtum committere, qui sibi vsurpat huiusmodi res in littore expulsas, vel in ipso mari.

15. Excipiuntur tamen res illæ, quæ in thesauris reponuntur, quæ per antiquitatem tantam, vt dominij illarum non possit esse memoriam, desinunt esse alicuius domini priuati, & incipiunt esse communes, & fiunt illius à quo inueniuntur. nam licèt huiusmodi res non abscondantur animo illas abiiciendi, ne tamen illarum dominium sit incertum, lege constitutum est, vt per antiquitatem fiant communes, & per inuentionem illarum acquiratur proprietas, quando inueniuntur in locis communibus.

16. Aliæ verò sunt res animatæ, quæ vim habent se mouendi & exeundi à potestate domini, quorum tria sunt genera, scilicet mansueta; vt gallinæ: alia verò sunt ex sua natura fera, quæ nunquam per consuetudinem mansuescunt: alia verò sunt quasi media, ex sua quidem natura fera; quæ tamen per consuetudinem mansuescunt, & exire solent, & redire ad locum, in quo à domino continentur, vt columbæ, & similia. Si animalia ex suo genere sint mansueta, nunquam desinunt esse sub proprietate prioris domini, sine illius voluntate; si verò ex natura sua fera sint, domini esse desinunt cùm primum ab eius potestate fugiunt, nec facilè ab illo capi possunt. Illa autem animalia quæ consuetudinem habent redeundi ad locum, durant sub potestate domini prioris quandiu retinent redeundi consuetudinem; fiunt autem communia, cùm primum eam perdunt, nec habent loci memoriam, vt ex infrà dicendis magis constabit.

17. Alio modo dominium acquiritur per translationem illius ex vno in alium, ad quem modum acquirendi dominium iam suprà diximus duo esse necessaria: alterum ex natura rei; alterum verò ex dispositione, scilicet titulus, & traditio rei: hic autem titulus, vel est gratuita donatio, vel onerosus contractus, in quo vnum pro alio detur; nec sufficit interior voluntas dominium transferendi, sed etiam exterior significatio talis voluntatis, & externa acceptatio illius in quem transfertur dominium, vel alterius nomine ipsius. Neque requiritur vt contractus sit iustus; quando enim aliquid emitur pretio iniusto, nihilominus dominia commutantur, cum obligatione tamen satisfaciēdi illi, qui ex contractu patitur nocumentum. Traditio autem quæ est necessaria ad transferendum dominium, aliquando dicitur vera; aliquādo verò dicitur ficta: vt quando traduntur claues, vt emptor fiat dominus bonorum, quæ continentur in horreo cuius claues traduntur. Præter hos etiam duos modos, per quos dominium transfertur ab vno in alterum, potest etiam transferri per præscriptionem, de qua iam dictum est suprà.

Sectio

Sectio III.

An Clerici habeant aliquorum bonorum dominium.

18. TRia genera bonorum possunt distingui in clericis ex Nauarro quæst. 1. de redditibus, videlicet, *Patrimonialia*, quæ ipsi hæreditate, industria, donatione, vel alio modo quo laici solent, sibi acquirunt. *Quasi patrimonialia*, quæ ipsi sibi acquirunt suis propriis ministeriis absque beneficio, vt celebrando, concionando, canendo, &c. *Merè Ecclesiastica*, & sunt ea quæ beneficij titulo recipiuntur, v.g. Canonicatus, Decanatus, &c. Et primò conueniunt Doctores, Clericos seculares habere verum dominium bonorum patrimonialium, & de his posse ad libitum disponere validè, sicut alios seculares de bonis propriis; quia per clericatum, vel ordinem, non fiunt incapaces dominij; neque se obligant ad patrimonialia in pias causas expendenda. Idem dicendum est de bonis quasi patrimonialibus; hæc enim dantur veluti stipendium & merces, ratione operis præstiti, vt eis pro arbitrio disponant. Similiter idem est dicẽdum de bonis merè Ecclesiasticis, quoad eam partem fructuum, quæ congruè eorum sustentationi est necessaria: vnde si ex hac parte velint sibi quid detrahere, possunt de eo disponere sicut de bonis patrimonialibus, vt docuit idem Nauarr. suprà: sicut enim poterant hæc bona in suos vsus conuertere; ita possunt iis se ipsos fraudare parciùs viuendo; & consequenter poterunt ea donare cui voluerint: difficultas ergo præsens est, de ea parte bonorum merè Ecclesiasticorum, quæ excedit latitudinem congruæ sustentationis.

19. Sit conclusio. Ecclesiastici sunt verè domini prædictæ partis superfluæ, & omnium suorum prouentuum, ita vt si in profanos vsus ea expendant, non teneantur ex iustitia pauperibus restituere, vel aliis piis operibus: peccant tamen mortaliter si non expendant hanc partem de qua disputamus, in pauperes, vel pia opera contra charitatem, & præceptum eleemosynæ, siue misericordiæ. Hæc sententia est communis hoc tempore, quam defendunt plures Doctores quos refert, & sequitur Vazquez de redditibus, cap. 1. dub. 1. videlicet post beneficia creata, & post factam diuisionem, Ecclesiasticos esse veros dominos suorum prouentuum. nam ante diuisionem alia erat ratio, quando Clerici viuebant vt Religiosi in communi, & omnia bona erant communia, & singulis pars quotidie dabatur ab Episcopo ad necessariam sustentationem, & quod supererat, dabatur pauperibus. Verùm hic modus viuendi elapso tempore est mutatus, & beneficia instituta sunt & præbendæ, & certi prouentus assignati singulis beneficiatiis, ex quibus seorsim, & copiosè possent viuere pro suo arbitrio; ac proinde modò iam sunt beneficiarij absolutè domini omnium prouentuum ipsis assignatorum.

20. Et probatur ex iure in cap. vnico, de clerico non residente, vbi supponitur hoc ita esse; quia tantum obligat ius illud restituere si non resideat, nisi propter infirmitatem iustam vel necessitatem, vel euidentem Ecclesiæ vtilitatem, excusetur à residentia; ergo ex eo capite clerici residentes fiunt domini quotidianarum distributionum; & idem est de aliis prouentibus. Dicere verò dici dominos quoad fidelem administrationem, est contra proprietatem verborum; administrator enim non est dominus. nam Abbates sunt administratores, & tamen non sunt domini suorum prouentuum. Fauet etiam Tridentin. sess. 22. cap. 3. de reformat. vbi decernit, *Quotidianarum distributionum dominium non acquirere, qui personaliter non residet, sed fabricæ, vel alteri pio loco esse assignandum.* Ergo à contrario ex ipsomet Concilio, si resideat personaliter, & competens seruitium impleat, re vera acquirit dominium, & sess. 23. cap. 1. de reformat. docet, *Episcopos vltra tres menses absentes à sua Ecclesia, nisi vrgente necessitate, non facere fructus suos pro rata temporis, sed teneri dari fabricæ, vel pauperibus*; ergo si non absint, facient fructus suos. nam etiamsi adsint, tenentur dare pauperibus, vel fabricæ aliquid: & tamen ponitur à Concilio obligatio illa, vt scilicet si absentes sint restituant; ergo signum est sacram Synodum sentire, si non sint absentes à sua Ecclesia, & faciant seruitium, facere fructus suos: & consequenter esse dominos talium fructuum, nec teneri restituere: ac proinde sine iniustitia aliqua obligante à restitutione, possunt validè consumere eos fructus in vsus quos voluerint; quia tunc non expendunt alienum. Nec est credibile fideles qui dederunt bona Ecclesiis, voluisse obligare suos Superiores Ecclesiasticos ad restitutionem; præsertim cùm deuotio fidelium dantium illa bona maximè attenderit ad Ecclesiæ amplificationem, & cultum Dei, & vt Ecclesiastici pro ipsis orarent, & etiam in redemptionem suarum animarum. Denique, quia si Ecclesia voluisset eos obligare, re vera id expressisset locis citatis: & etiamsi Ecclesiastici non essent domini bonorum Ecclesiasticorum in ea parte de qua disputamus, sine dubio rescinderet donationes factas de talibus bonis, & obligaret restituere; quod tamen non facit: signum ergo est sentire esse dominos, aliàs cogeret restituere, sicut cogit vt legata impleantur, & vt administratores dent prouentus Ecclesiasticos.

21. Quòd verò Ecclesiastici peccent mortaliter consumendo in magna quantitate partem illam excedentem congruæ sustentationi, expendendo in vanis, vel ditandis amicis, vel propinquis, (quibus tantùm si pauperes sint, vt pauperibus est dandum) est commune inter Doctores, & constat ex præcepto Ecclesiæ in Trident. sess. 25. cap. 10. de reformat. interdicente omnino ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, & familiares ditare, & augere. *Præcipit autem sacra Synodus, vt quod de Episcopis dictum est, idem etiam intelligatur de quibuscumque, beneficia tam secularia, quàm regularia Ecclesiastica habentibus*; & cùm sacra Synodus omnino interdicit, præceptum ponit, vt ex materia de legibus suppono, & propter hanc causam bona Ecclesiastica dicuntur res Dei, id est, ad cultum Dei ordinata, & patrimonium Christi: & ob eamdem causam in iure sæpe Ecclesiastici dicuntur dispensatores talium bonorum, & procuratores pauperum: vnde fortè Ecclesia mota fuit ad imponendum hoc præceptum.

22. Tenentur ergo Ecclesiastici sine dubio, huiusmodi bona sub peccato mortali in extrema vel graui necessitate pauperum, consumere: quod etiam est verum in secularibus habentibus superflua. Insuper etiam tenentur extremas, graues, & communes inquirere: quod non tenentur laici;

Digitized by Google

neque tenentur illo præcepto Ecclesiastico, quia non loquitur cum eis, sed cum Ecclesiasticis, imò contendit Vazquez tract. de eleemosyn. cap. 4. dub. vltim. In Ecclesiasticis hanc obligationem non modò esse iure positiuo, sed naturali, & diuino, in quo non potest Papa dispensare, sed quidquid de hoc sit, certum est de iure positiuo, esse obligationem in Ecclesiasticis consumendi superflua dicta in vsus pios sub mortali, obseruat autem rectè Vazquez, etsi Ecclesiastici possint licitè seruare aliquo tempore ista bona superflua ad aliqua pia facienda, v. g. ad ædificanda collegia, hospitalia, & alia similia; cum grano tamen satis hoc faciendum esse, scilicet vt non obliuiscantur necessitatum præsentium, & occasione operis futuri pij, relinquant implere obligationem præsentem.

23. Ex quibus infertur, esse mortale in Ecclesiasticis ex dictis bonis, ditare consanguineos. Similiter peccare mortaliter ita consumere in venatoribus, aucupibus, parasitis, & aliis huiusmodi: quod quidem in seculari tantùm esset peccatum veniale, & prodigalitatis ex se, in Ecclesiasticis verò est mortale, saltem ex iure positiuo, si sit magna quantitas quæ consumitur ad arbitrium viri prudentis, attentis circunstantiis.

24. Secundò infertur, solutio argumentorum quæ pro contraria sententia adduci solent, illa quidem procedere de bonis Ecclesiasticis ante factam illam diuisionem suprà explicatam, & de parte pauperibus assignata: quæ tamen modò in multis locis non apparet; vel quia ex ea facta sunt hospitalia pro ipsismet pauperibus, vel alia pia opera in beneficium pauperum: vel etiam esse consumptam in pauperibus præteritis. Neque etiam obstat, Ecclesiasticos non posse testari. nam in Hispania bene possunt, exceptis Episcopis. Ratio verò ob quam fuit prohibitum Ecclesiasticis ne possint testari, est ne Ecclesiastici studeant in acquirendis bonis temporalibus, & ne obliuiscantur in vita eleemosynarum, & piorum operum, in quibus tenentur consumere redditus Ecclesiasticos superfluos.

Sectio IV.

Quid sit furtum, & quæ quantitas ad peccatum mortale sufficiat.

25. Furtum à Theologis sic definitur. *Ablatio, seu acceptio iniusta & occulta, rei alienæ, inuito domino rationabiliter.* Nomine *ablationis* intelligitur etiam quælibet iniusta detentio, & damnificatio; qui enim non restituit rem alienam, aut damnum datum cùm possit, moraliter loquendo, inuito domino aufert. Dicitur *rei alienæ*; quia qui occultè rem suam aufert, aut de damno sibi illato compensatur, furtum non committit; ac proinde licitum est famulo quando aliter non potest, pro debito sibi stipendio compensare, modò nihil amplius sumat, quàm id quod debitum sibi erat. Dicitur *inuito domino rationabiliter*: vnde qui ab amente, ebrio, & furioso, gladium furatur, ne illo aliquem percutiat, furtum non committit: sicut nec vxor quæ secretò à marito pecunias aufert, ne profundat in vanis, si illas in vsum propriæ familiæ conuertat: & qui in extrema necessitate, aut eius periculo, secretò ab altero aufert id quod sibi necessarium est, quamuis inuitus sit dominus rei; quia tunc non est rationabiliter inuitus. Denique additur illa particula *occulta*, ad differentiam rapinæ. nam rapina supra furtum addit, vt fiat per violentiam, sciente domino, & vim patiente, etiamsi non fiat publicè: at in furto sufficit fiat ignorante domino.

Ex quo infertur, furtum, & rapinam differre 26.
specie. Ratio est, quia iniustitia sumitur ex parte inuoluntarij quod proximus patitur; nullus enim sciens, & volens iniustum patitur: at qui patitur inuoluntarium ipso nesciente, alio modo patitur iniustum, ac quando scienter fit illi violentia; ergo in ratione iniustitiæ differunt specie furtum, & rapina; quamuis inuoluntarium ex ignorantia non differat specie, ab inuoluntario simpliciter, & scientet vtcumque, vt patet ex tractatu de voluntario, & inuoluntario. Nihilominus si sumantur ex parte obiecti, differunt specie, vt rectè Vazquez agens de furto, & rapina. nam aliud genus iniuriæ fit illi à quo scienter per vim aufertur aliquid; & aliud si fiat ipso ignorante: patet etiam in defloratione virginis, in qua violentia constituit speciem distinctam.

Est autem furtum ex suo genere peccatum mor- 27.
tale contra iustitiam, nisi ratione paruitatis materiæ malitia sit tantùm venialis. Ratio est, quia in materia furti reperitur grauis deformitas ad naturam rationalem vt sic, absque eo quòd necessarium sit aliam speciem peccati, vel aliam materiam inueniri. v. g. furari à proximo centum nummos aureos eo inuito rationabiliter, grauem deformitatem dicit ad naturam rationalem in ratione furti; ergo malitia furti ex genere suo mortalis est, & quamuis inter peccata quæ contra proximum committi possunt, furtum sit peccatum minus graue; quia bona fortunæ sunt infima inter omnia bona hominis; ratione tamen circunstantiarum grauissimum peccatum esse potest, & quamuis seuerius in Republica puniatur quàm alia peccata, quæ in proximum committuntur; ideo id fit, quia magis pacem ciuium & Reipublicæ perturbat, & hominum commercia, ac societatem offendit.

In assignanda verò quantitate sufficienti in fur- 28.
to ad peccatum mortale, diuersimodè opinantur Doctores; sed vix regula certa assignari potest: quapropter communiter Recentiores docent materiam hanc grauem, & sufficientem relinquêdam esse arbitrio viri prudentis attentis circunstantiis. Ratio huius est, quia furtum est peccatum iniustitiæ, qua infertur proximo iniuria in re familiari: vnde impossibile est, vt eius malitia grauis intelligatur sine persona cui grauis iniuria fit: & ita quãtitas notabilis in materia furti non potest præscindi à persona, respectu cuius est notabilis; & si nõ sit notabilis non erit furtum graue in ratione furti, quamuis aliũnde peccet furans, mortaliter in materia iniustitiæ: vel quia proximus per furtum rei leuis impeditur à lucro notabili. v. g. quando acus accipitur à sartore, & ita impeditur à lucro vnius diei, in quo euentu non datur materia grauis furti; licèt ex alio capite graue damnum inferatur proximo. Cùm ergo malitia furti intelligi non possit sine persona cui grauis iniuria fit; iuxta varietatem personarum, diuersa etiam quantitas materiæ assignari debet; quia materia quæ respectu vnius personæ est grauis, respectu alterius potest esse leuis. Deinde, quia si per impossibile intelligamus nullum inferri damnum proximo, ex eo quòd ab illo pecunia eripiatur, nullum esset peccatum ab illo illam eripere; ergo damnum illatum

Digitized by Google

illatum debet esse mensura delicti. Et confirmatur, quia, vt rectè Molina tom. 3. disp. 685. res hæc difficilis non potest ex quantitate pecuniæ, quia valor pecuniæ non est idem respectu omnium gentium: ergo qualitas furti non potest sumi ab ipsa pecunia. nam surripere in Hispania quatuor regales esset mortale, non autem apud Indos, apud quos minoris valoris sunt, quàm in Hispania, ob magnam copiam argenti, imò vnum regale est infima omnium monetarum.

29. Quare probabilior & rationi conformior sententia esse videtur asserentium, esse mortale furari tantam pecuniæ quantitatem, quæ sufficeret ad soluendum pretium vnius operarij laborantis per totum diem. Ita Molina expresè loco citato. Et ratio est, quia damnum quod proximo infertur, auferendo ab eo sustentationem vnius diei, est notabile: ergo hoc erit sufficiens ad peccatum mortale. Ex quo infertur, peccare mortaliter qui in Hispania, Italia, Gallia, & Germania, furantur quatuor regales: quia, regulariter loquendo, in his locis per hoc furtum infertur notabile damnum proximis. Quare respectu hominum mediocriter diuitum, prædicta quantitas videtur sufficiens ad constituendum mortale in furto, quia in se considerata est notabilis, & respectu harum personarum non videtur exigua, cùm videatur sufficiens ad alimentum & sustentationem vnius hominis mediocris fortunæ pro vno die. Respectu verò pauperum personarum, abstrahendo ab aliis circunstantiis, quantitas duorum regalium & dimidium, videtur esse mortalis: hæc enim quantitas est sufficiens ad alendum mediocriter hominem pauperem pro vno die.

30. Obiicies, quia eques, seu vir nobilis in sua sustentatione expendit quotidie vnum numum aureum, Comes expendit tres, Dux quinque, Rex decem: ergo iuxta regulam positam non erit peccatum mortale furari ab his dimidiam partem harum quantitatum, tunc enim quis mortaliter peccat, quando quantitatem illam furatur, quæ sufficiat ad alimentum & sustentationem alterius. Respondetur negando consequentiam, quia, vt rectè Fagundez lib. 7. Decalogi. c. 2. n. 18. respectu harum personarum hæc quantitas in se considerata est bonum notabile: nam quamuis respectu illorum videatur exigua, tamen in se spectata, & respectu aliarum obligationum hominis etiam ditissimi, est notabile bonum, & videtur magna; & pro illo stipendio inseruit famulus, aut miles, plures dies. Quare placet sententia Suarij tom. 3. de Religione lib. 8. cap. 6. & Turriani in hoc loco respectu cuiuscumque esse quantitatem notabilem sufficientem ad mortale vnum numum aureum, quia licèt sit decima pars alimenti Regis, possent tamen cum illa parte decima, tres milites quotidie ali.

Sectio V.

An ex minimis furtis nascatur peccatum mortale cum obligatione restitutionis.

31. Conueniunt Doctores, qui furatur rem minimam animo furandi magnam quantitatem, peccare mortaliter in ea animi deliberatione, seu in eo actu interno, & postea committendo singula furta etiam peccare mortaliter. Ratio huius est, quia ille intendit subripere res alienas, & in magna quantitate: ergo peccat mortaliter; quia illa voluntas furandi non specificatur ab illo furto paruo, sed à furtis magnis quæ facere intendit. Et eodem modo philosophandum est, & ob eamdem rationem, de illo qui habet intentionem furandi à pluribus minima, cùm intentione perueniendi ad notabilem quantitatem. Nec obstat, quòd qui à diuersis minima furatur, nemini inferat damnum notabile. Hoc, inquam, non obstat, quia verè communitatem lædit, & respectu illius damnum notabile infert; quia omnia illa furta minima simul iuncta, respectu totius communitatis, efficiunt vnum magnum. Deinde, quia est intrinsecè malum ex alienis rebus velle ditescere inuitis dominis. Et denique, quia eo modo pernicies Reipublicæ pararetur, præberetur enim ansa hominibus ditescendi ex alieno, & furtis studendi; & paterent ingentia hostia rapinarum in mensuris, & ponderibus decurtatis, & iusto minoribus: quod in omni Republica bene instituta semper fuit exosum, & apud Deum abominabile. Prouerb. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Prouerb. 11.

32. Ex quo infertur, si excommunicatio maior feratur, pro furante tantùm intelligi de illo, qui & in re & effectu magnã quantitatẽ surripit: quia excõmunicatio maior tantũ incurritur pro actu mortali externo furti manante ab interno, vt ex materia de censuris suppono. Et similiter non intelligitur de furto externo non graui, licèt ex eo consequenter damnum graue proximo sequatur ex alio capite, quia excommunicatio illa pro furto, intelligitur de furto graui in ratione furti: in eo autem casu nõ est furtum graue vt sic. Et Tridentin. sess. 25. cap. 3. de Reformatione, præcipit, vt pro rebus deperditis, vel sublatis, nisi pro re non vulgari, non apponantur excommunicationes: & ita grauiter peccant Episcopi, vel illorum vices gerentes, & alij iudices Ecclesiastici, illud decretum violantes.

33. Quòd verò non solùm peccet mortaliter qui furatur rem minimam, animo furandi magnam quantitatem, sed etiam postea committendo singula furta minima, tenent Sanchez tom. 2. Decalogi lib. 7. cap. 21. Nauarra lib. 3. cap. 1. num. 50. Lessius lib. 2. cap. 12. & ratio est, quia illa prana intentio est mortalis; ac proinde quidquid ex ea fit, mortale peccatum est: cùm autem singula parua furta ex illa intentione procedant; hinc fit, vt quolibet actu externo renouetur prior intentio; & consequenter in quolibet furto mortaliter peccetur.

34. Secundò etiam conueniunt Doctores, etiam peccare mortaliter, qui rem leuem furatur, & scit ex tali furto proximum esse grauiter affligendum, vel irascendum; non quidem in ratione furti, vt patet, sed contra charitatem: vel, vt vult Vazquez dub. 4. esse peccatum scandali; & ita furantem peccare grauiter in eo casu eadem specie peccati, quam committit ille proximus iuxta doctrinam communem de scandalo. Hanc verò doctrinam rectè limitat Fagundez suprà, esse quidem veram de eo qui furatur rem minimam cognoscens probabiliter dominum illius ob iracundiam prorupturum in blasphemias, periuria, aut alia peccata mortalia: tum, quia tenemur ex charitate vitare peccata mortalia in proximis quando id commodè, & sine magno detrimento nostro, facere possumus: tum etiam, quia sine causa offendiculum sumus aliis, & causa peccandi. Si verò solummodo proximus sit grauiter affligendus, vel mœstitia afficiendus, probabilius existimat non esse mortale, quantumuis dominus id

ægrè ferat: quia irrationabilis est dominus tam grauiter ferendo rem tam leuem, & quia furans potest rationabiliter præsumere, id non tam molestè ab eo esse ferendum: quod ego censeo esse verum, nisi experientia contrarium ei constaret; tunc enim grauiter peccaret contra charitatem, tam grauiter contristando fratrem pro re minima, & esset velle voluntariè apponere scandalum pusillis.

35. Obseruat autem rectè idem Fagundez: si furto rei paruæ mortale sacrilegium adiungatur, ratione adiuncti esse peccatum mortale, vt si furetur modicum olei sancti chrismatis, vt infundat in suam lucernam ad se illuminandum; vel Agnum ex sacra cera, vt inde candelam efformet ad studium; fit enim magna iniuria rei sacræ & sanctificatæ, dum conuertitur ad illicitos vsus: furari verò modicam ceram benedictam ex Altari ad se illuminandum, vel modicum frustrulum vestimenti sacri Sacerdotis, vt attritæ vesti assuatur, tantùm esse veniale: in his enim rebus non fit iniuria rei sacræ, cùm non sint sanctificatæ, & consecratæ.

36. Difficultas tamen est, quando quis non habet animum ampliùs furandi, sed ex occasione oblata committit alia furta minima, an peccet mortaliter in illis. In qua dicendum est, accipientem sæpe paruas quantitates, quamlibet ex se tantùm sufficientem ad veniale, si non habeat animum accipiendi plures illas quantitates leues facientes quantitatem notabilem ad mortale, non peccare mortaliter antequam perueniat ad quantitatem mortalem; vbi autem primum ad eam pertingit, mortaliter peccare, & teneri ad restitutionem: si tamen in vltima re furto ablata faciente notabilem quantitatem cum præcedentibus, hoc aduertat; & memor sit furtorum præteritorum. Ratio huius est, quia iam in illa volitione, vult materiam grauem furti continuatam cum præcedentibus, & vt obiectum illius actus, & notabile damnum proximi, & est retentio rei alienæ notabilis inuito domino rationabiliter: nam licèt re vera ex multis venialibus peccatis non possit fieri vnum mortale, tamen in vltimo furto potest materia continuari, & damnum cum aliis præcedentibus, & ita materia magna, & damnum graue fieri, & sic illa materia respectu vltimi actus est grauis, & volitio illa aduertendo materias præcedentes, & parua furta antecedentia, erit volitio rei alienæ grauis inuito proximo rationabiliter; siue proximus sit idem, siue diuersi sint: dùmodo per illum actum compleatur materia notabilis sufficiens ad prudenter iudicandum, eam esse materiam grauem: licèt fortè rationabiliter possit iudicari, maiorem quantitatem requiri ad iudicandum eam esse sufficientem ad mortale, si accipiatur à multis, quàm si accipiatur ab vno: damnum enim respectu multorum, minus & leuius iudicatur, quàm respectu vnius tantùm. Quod maximè obseruandum est, pro furantibus modica sæpe ex bono communi Reipublicæ, vel multorum; dum enim peruenitur ad notabilem quantitatem, furtum graue committitur, & damnum graue fit, non singulis, sed omnibus facientibus vnum corpus, & vnum dominum, & veluti vnam personam habentem multa membra personalia: & ita restitutio facienda est singulis secundùm suas partes ablatas sub mortali, donec desinat esse grauis quantitas: sicut si acciperet ex vno cumulo diuersarum personarum quantitatem magnam.

37. Obserua tamen cum Vazquio de Restitut. cap. 5. §. 1. dub. 5. & Molina disp. 688. interdum non peccare famulum mortaliter, si minima furetur à domino, quando inter furtum & furtum longa sit intercapedo, seu distantia: licèt aliàs in vltimo furto composito cum præcedentibus, daretur materia grauis: tunc enim non continuaretur moraliter vnius furti cum alio. Vbi etiam obserua, pro furtis esculentorum, & poculentorum quæ à famulis & ancillis committi solent, non ita facile existimanda esse peccata mortalia, etiam si sensim perueniant ad notabilem quantitatem, si ipsimet consumant: non verò si vendant, quia præsumendum est, dominos non esse omnino inuitos de substantia acceptionis; sed tantũ de modo accipiendi: quæ regula præsertim seruanda est pro furtis filiorum, vxorum, & similium, qui per verecundiam, vel timorem non audent petere; tunc enim acceptio rei non est contra voluntatem domini, sed tantùm modus accipiendi; ac proinde dominus non est inuitus de substantia rei, sed de modo. Limita, nisi accipiant ad vsus, ad quos dominus noluisset concedere, vt ad ludos, meretricia, &c. tunc enim esset verum furtum, quia non solùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam esset inuito domino.

38. Quod verò aliqui docent, in vltimo furto ex se leui, faciente tamen grauem materiam cum præcedentibus cum quibus continuatur, obligari sub mortali ad restitutionem; non verò esse peccatum mortale illam vltimam acceptionem, quod docet Nauarr. in summa cap. 17. n. 14. & plures alij: hoc, inquam, difficile videtur, quomodo possit intelligi obligatio grauis restituendi illius, quod in acceptione non fuit mortale, per se loquendo: ergo sine dubio illa vltima acceptio erit peccatum mortale in casu dict. Videndus est Sanchez 7. Decalogi cap. 21. Molina diput. 686. & alij ab ipso relati.

Sectio VI.

An in extrema, vel vrgenti necessitate, sit licitum aliena surripere.

39. Conueniunt primò Doctores, existentem in extrema necessitate, non posse aliena accipere, nisi priùs petierit adiuuari, si speret obtenturum, si conuenienti modo petat, & manifestet miseriam suam: quòd si certò sciat, vel probabiliter, non esse ei succurrendum, posse alienum vsurpare propria auctoritate; quia tunc vel non erit inuitus dominus, vel non erit rationabiliter inuitus; cùm ipse teneretur dare rem illam, & quia in extrema necessitate sunt omnia communia, atque adeò non rem alienam, sed communem ille accipit: cùm enim iure gentium res diuisæ sint, sub illa conditione sunt applicatæ, vt si vrgeat extrema, vel vrgens necessitas, licitè possint accipi.

40. Hinc fit, si quis in tali necessitate existens, accipiat aliquid sibi necessarium, non posse à domino illius rei prohiberi, quia iure suo vtitur: quod potest tueri cùm iniustè ab altero inuadatur; imò si necesse fuerit seruato moderamine iustæ tutelæ, posset inuasorem occidere. Quæ doctrina vera est, quando is à quo res accipienda est, non est in simili necessitate: nam si in illa esset, furtum, & rapinam committeret, qui illam acciperet.

41. Quamuis autem non sit ita certum, valde tamen probabile videtur, in vrgenti necessitate positum, cùm aliter sibi non potest consulere, posse rem alienam accipere. Ita Vazquez de Eleemosyna cap. 1. dub. 7. & Lessius lib. 2. cap. 12. dub. 11. &

ratio est, quia in vrgenti necessitate ille à quo res est ablata, tenebatur subuenire ei: ergò ille alter patiens vrgentem necessitatem, bene potuit sibi illo modo prouidere. Antecedens probatur, quia extra extremam necessitatem, potest pati proximus vrgens & graue damnum: ergo lege charitatis tenetur qui potest illud auertere: ergo si non vult, potest patiens rem accipere. Et confirmatur, quia quando Christus Dominus dixit reprobis Matth. 25. Matth. 25. *Ite maledicti in ignem aternum, quia esurini, & non dedistis mihi manducare: sitini, & non dedistis mihi bibere: nudus eram, & non cooperuistis me*; non damnat eos quòd solùm extremè famelico, aut sitibundo, aut nudo non occurrerint; sed quòd vrgenter & grauiter laboranti non succurrerint: nam tatissima est extrema necessitas cibi, vestis, aut potus. Idem habetur Ezech. 16. Ezech. 16. illis verbis. *Hac fuit iniquitas Sodoma sororis tua, superbia, saturitas panis, & abundantia; & manum egeno, & pauperi non porrigebant.*

42. Nec obstat, quòd in cap. *si quis*, 3. de furtis, sic habetur: *Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem, aut panes, pœniteat hebdomadas tres: & si reddiderit, non cogatur ieiunare.* ergo qui in vrgente necessitate alienum capit, adhuc peccat. Respondet D. Thomas quæst. 66. art. 7. ad 1. Decretalem hanc loqui in casu in quo non esset vrgens necessitas.

43. Contrariâ verò ratione, existens in extrema necessitate, non potest ab altero accipere, quæ illi sunt necessaria necessitate naturæ pro se ipso, aut pro sua familia; esset enim occidere alium: nemo autem potest vitam suam conseruare alium occidendo, quâuis id posset facere iustè se defendendo.

44. Difficultas tamen est, an qui accipit rem in extrema, aut vrgenti necessitate, teneatur restituere si ad pinguiorem fortunam venerit. Affirmant Couarru. 2. p. variar. §. 1. num. 4. Nauarr. cap. 17. num. 61. Quia sufficienter satis fit cuilibet necessitati mutuando: ergo non est obligatio donandi. Oppositam sententiam tenet Scotus in 4. dist. 15. quæst. 2. Sarmiento 2. p. moni. 4. num. 5. quia iure naturali, illud quod ablatum est, factum est proprium: non ergo debet restitui. Deinde, quia Eleemosyna non est mutuatio, sed donatio: ergo quæ ex iusta Eleemosyna accepta sunt, non debent restitui.

45. Nihilominus dicendum est, qui existit in extrema, aut vrgenti necessitate, accipit aliquid ab eo qui tenebatur dare, nihil tenetur restituere, quando tempore quo accepit nihil omnino habebat formaliter vel virtualiter, ex quo posset sibi consulere: si autem quando accepit habebat aliquid, licèt vsus illius esset impossibilis, tunc tenetur restituere; potest enim contingere hominem aliàs diuitem esse in extrema aut vrgenti necessitate, quod potest accidere, si sit extra patriam, aut in vinculis, aut captiuus; in his enim casibus, quamuis hîc & nunc hic sit in extrema, aut vrgenti necessitate, quoad vsum suarum rerum; tamen quia reuera habet bona, si accipiat aliquid vt sibi prouideat mutuo accipit, & ideo tenetur restituere. Ratio prioris partis huius dicti est, quia ille acquisiuit verum dominium illius rei: ergo non tenetur restituere cùm re sua vsus sit. Ratio verò posterioris, quia ille alter à quo accepit non tenebatur dare, sed mutuare: ergo si accepit propter necessitatem instantem, tenetur restituere. Sed de his latiùs egimus alibi.

46. Alia difficultas esse potest, an creditori existenti in extrema necessitate, teneatur debitor in eadem existens, soluere debitum. In qua primò dicendum est, si res eadem maneat in propria specie, & debitor primò incidit in extremam necessitatem, licèt illa durante postea creditor incidat in eamdem, non tenebitur restituere debitor rem in propria specie manentem. Ita Vazquez cap. 2. de Eleemosyna dub. 9. Ratio est, quia à tempore extremæ necessitatis excusatur à restitutione illius, vsque ad tempus pinguioris fortunæ; ergo non tenetur restituere; quod etiam verum est, quamuis res furto ablata sit. Secundò dicendum est, si res stat eadem specie, & creditor incidit priùs in extremam necessitatem, aut creditor, & debitor simul inciderunt, tunc creditori esse reddendam. Ita Vazquez citatus, quia cùm res maneat in propria specie, nunquam dominium illius amisit verus dominus, & incidens in illam necessitatem extremam conseruauit illud. Deinde, quia non potest spoliari iustè possessione illius rei, maximè existens in illa necessitate; quamuis opposita sententia sit satis probabilis, quam tenet Caietan. 2. 2. quæst. 62. art. 5. Videlicet, in hoc casu posse debitorem debitum retinere, cùm sit in eadem necessitate; & aliàs iustè possideat, nec tenetur se expoliare re quam habet, & qua potest suæ necessitati consulere, vt satisfaciat alienæ. Denique dicendum est, si res esset iam consumpta, vel si non stat in specie, translatum esse dominium in debitorem per mutuum, venditionem, &c. ac proinde si debitor priùs incidat in extremam necessitatem, & postea creditor incidat in eamdem, non tenetur debitor restituere: & idem est si ambo simul incidissent in hanc necessitatem, quia habet verum dominium, & legitimam possessionem, ac proinde non tenetur expoliare se re illa.

SECTIO VII.

Quando peccent filij à parentibus accipiendo.

SVpponendum est, quadruplex esse genus peculij quod filiis potest competere ex communi sententia Doctorum, scilicet castrense, quasi castrense, aduentitium, & profectitium. Peculium castrense est, quod comparatur in militia, vel occasione illius: huiusmodi sunt stipendia militum, prædæ ex hostibus partæ, donatiua ducum, legata occasione militiæ, mobilia data à quocumque eunti ad militiam: item quæ accepta sunt in palatio Principis, & quæ acquisiuit in custodia alicuius præsidij, & omnia lucra ex aliquo contractu prouenientia ex talibus bonis. 47.

Peculium quasi castrense dicitur, omne illud quod ex beneficio Ecclesiastico acquiritur, & quidquid acquiritur post clericatum; etiamsi aliàs esset aduentitium, vt expresè habetur Authentica *Presbyteros*. Cod. de Episcopis, & clericis. Et etiam quidquid acquiritur officio publico, non mechanico, v.g. officio Iudicis, Aduocati, Tabellionis; professione alicuius artis liberalis: & quod datur intuitu talis officij, vel executionis illius, v. g. libri dati à parente, vel alio, illi qui professus est liberalem artem, & quod liberalitate Principis accipitur, & etiam quod datur filio familias, vt sit tanquam castrense, vel vt ipse tantùm, & non pater, habeat vsum fructum; & dicuntur hæc bona quasi castrensia, quia gaudent priuilegio castrensium, licèt reuera non sint castrensia. 48.

Digitized by Google

49. Peculium aduentitium est, quod datur filio familias donatione, successione, aut aliter; non tamen intuitu parentum: vel quod acquirit industria, aut negotiatione, aut casu euenit illi; vt si inueniat thesaurum. Similiter mortua matre ante patrem, bona materna sunt aduentitia filio respectu patris: non tamen si pater moriatur ante matrem, eius bona sunt aduentitia filio respectu matris; quia hoc ius oritur ex patria potestate, quam non habet mater in filium. Denique profectitium bonum est, quod prouenit à parente viuo, vel principaliter eius causa datur; neque est castrense, aut quasi castrense: huiusmodi sunt ea bona, quæ conceduntur filiis à parentibus, vt ea administrent; & quæ dantur eisdem filiis ob amicitiam patris.

50. Et primò certum est, filium familias habere plenum dominium in peculio castrensi, vel quasi castrensi, etiam dum est sub patria potestate, ac proinde tam proprietatem, quàm vsumfructum, & administrationem talium bonorum, esse apud filium: & ita habetur expressè in Iure Cod. de castrensi peculio. quare de his bonis potest filius disponere, ac si esset paterfamilias, eo modo quo voluerit, vel per donationes, vel contractus, testamentum, & vltimam voluntatem. Ad testamentum verò requiritur vt sit pubes, id est, expleuerit quatuordecimum annum: nam ante hoc tempus non potest testari. l. *Qua ætate.* de testament. Ex quo fit patrem in dictis bonis filij, nihil sibi posse vsurpare, nisi necessaria ad alimenta filij, quando pater ex suis bonis aleret; & si vsurparet, teneretur ad restitutionem: quòd si filius non speret patrem restituturum, potest vti compensatione secreta, vel mortuo patre, ab aliis cohæredibus.

51. Secundò etiam est certum, in bonis aduentitiis filium esse dominum directum, vel proprietarium, non verò vsufructuarium, quando est sub patria potestate: quare filius non habet vsumfructum, neque vtilitatem, nisi pater velit dare, in quo casu filius non tenetur conferre illum vsumfructum in suam legitimam, quando cum fratribus diuiditur hæreditas; quia patrem condonare talem vsumfructum filio in bonis aduentitiis, non est donare patrem de suis, sed non vsurpare de bonis filij: quod est valde notandum pro casu frequenter occurrente, an talis filius tunc teneatur aliis fratribus aliquid restituere, vel minus de sua legitima accipere. Quando etiam dans ea bona cum ea conditione, vt filius, & non pater fruatur vsufructu; tunc non habebit pater, sed filius vsumfructum: & similiter si tale peculium detur filio repugnante patre; nam tunc filius, & non pater accipit vsumfructum, vel vtilitatem. Idem etiam est si vsusfructus sit relictus filio; tunc enim pater non capit illum, sed filius: quia super vsumfructum, non potest dari alius vsusfructus, cùm vsusfructus sit ipsamet vtilitas, & commoditas rei, sicut dicunt Iuristæ, seruitutis non dari seruitutem, deinde si parens fiat hæreticus, filius habet vsumfructum in bonis aduentitiis; & tunc filius eo ipso fit sui iuris, & redit ad eum vsusfructus, vt notat Simancas de catholicis institutionibus tit. 9. n. 81. in his omnibus casibus, est vsusfructus & vtilitas in filio, etiam sub patria potestate existente, sicut in bonis castrensibus, vel quasi castrensibus, & consolidatur vsusfructus cum dominio directo, non obstantibus tamen prædictis exceptionibus, attendenda est consuetudo loci, & inspiciendum ius municipale, siue proprium regni. Extra dictos verò casus, filius non potest disponere de bonis aduentitiis, cùm administratio, & vtilitas spectet ad patrem; potest tamen filius causa mortis de dictis bonis disponere, patre consentiente. Ex l. *Tam is.* ff. de mortis causa donat. non tamen potest testari de his, etiam consentiente, nisi ad pias causas, ex cap. *licèt pater*, de sepulturis in 6. de castrensibus verò, vel quasi castrensibus potest testari, vt prædictum est.

52. Tertiò denique est certum, filium in bonis profectitiis, nullo modo habere dominium directum, nec vsumfructum; neque habere auctoritatem administrandi talia bona, nisi in patris vtilitatem; quare non poterit alienare aliquid, vel sibi assumere sine patris consensu, respectu cuius dicitur bonum illud profectitium, alioquin erit furtum, & tenebitur ad restitutionem. Ex quo fit, propter peccatum patris, non posse confiscari bona castrensia, aut quasi castrensia filij. Et idem est de bonis aduentitiis, quia dominium horum pertinet ad filium: sicut nec propter peccatum filij, possunt confiscari bona profectitia; quia dominium & vsusfructus horum pertinet ad patrem.

53. His positis, peccant lethaliter filij sumendo à parentibus inuitis rem notabilis pretij, cum onere restituendi. Ita communis sententia Doctorum, & habetur Prouerb. 28. *Qui subtrahit à patre suo aliquid, & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est.* Et ratio huius est, quia parentum res, alienæ sunt à filio quantum ad dominium, & administrationem: qui autem vsurpat rem alienam, inuito domino, peccat lethaliter cum onere restituendi. Obseruat autem rectè Lessius lib. 2. c. 12. dub. 13. non idem censeri notabile in furtis filiorum, & vxoris, quod censetur tale in furtis externorum; sed maiorem quantitatem requiri, quæ quidem quantitas non est eadem respectu omnium, sed varia, pro conditione status personarum, & locorum. Vnde potest contingere, quòd filius furans duos aureos non peccet mortaliter, & qui furatur sex argenteos lethaliter peccet, v. g. si pater sit valde diues, non est censendus filius peccare mortaliter, si ab eo auferat duos, vel tres aureos, vt licitè gaudeat cum suis amicis iuxta alios suæ qualitatis, etiam inuito parente, quia non est rationabiliter inuitus; non enim est rationabile, vt parentes velint filios ita strictè viuere, vt non gaudeant quandoque cum suis amicis in ludis honestis, iuxta alios adolescentes suæ qualitatis. Si verò pater sit mediocriter pecuniosus ac diues, non est censendus filius lethaliter peccare si ab eo clam accipiat valorem argenteorum septem, vel octo. Si denique pater sit mechanicus pauper, existimo valorem quatuor argenteorum, sufficientem esse ad lethale. Si autem pater sit adeò diues vt singulis annis habeat redditus septem, vel octo millium aureorum liberorum, non esset censendus peccare mortaliter filius, qui ab eo singulis annis acciperet centũ aureos. videndus Lessius suprà, &c. 12. tunc enim pater esset irrationabiliter inuitus; & aliàs filius debet viuere secundùm qualitatem suã, & ad multa indigebit illa pecunia: nec tenetur filius nobilis postulare singula quæque. quod limitandum est si haberet plures alios fratres, & præcipuè sorores; non enim concedenda ei est tam laxa licentia.

Prouerb. 28.

54. Similiter peccat lethaliter filius cum onere restituendi, si ea quæ ei pater dedit ad emendos libros, & res honestas, vel causa studij, vel ad soluendum pretium cõductionis domus, cõsumat in turpibus & inhonestis, v. g. in meretricibus, comessationibus, ludis, & cõpotationibus illicitis; modò parẽtes inde tale damnũ accipiant, vt idcirco plus cũ eis

expen

expendendum sit: secus verò si id solum cessit in filiorum incommodum. Et ratio est, quia pater non transfert dominium nisi in res illas determinatas, & quia pater cogitur de nouo facere expensas. Si tamen filio dentur centum aurei vt Salmanticæ studeat, bene potest sine onere restitutionis, honestè ludere decem, vel aliter consumere. Ita communiter Doctores in materia de ludo; quia hoc est secundùm æquitatem naturalem, & aliàs pater esset rationabiliter inuitus.

55. Sunt tamen aliquæ causæ excusantes aliquando filium ab huiusmodi restitutione. Prima si credat alios fratres tantumdem clam accepisse. Secunda si credat parentem rogatum facilè id concessurum; tunc enim non acciperet inuito domino. Tertia si accipiat in extrema, aut vrgenti necessitate; quia huic necessitati tenetur pater prouidere. Quarta si pater condonet; donatio enim à patre facta filio, mortuo patre confirmatur; dummodo non excedat summam de qua pater liberè potest disponere. Quinta si filius gerat negotia patris, & protestatur se velle patri cum mercede seruire. Tunc enim poterit deductis expensis, quas pater facit in illo alendo, pro suo labore & industria, tantumdem accipere, quantum daretur extraneo, nisi intendat facere gratis: quod si ob reuerentiam paternam non audeat protestari, sufficiet intentio interna lucrandi. Ratio huius est quia bona tunc acquisita à filio sunt fructus suæ industriæ, & non sunt totaliter profectitia; quia licèt cum bonis & pecunia patris fuerint acquisita; tamen cum industria & labore filij facta sunt etiam comparata; ac proinde inter aduentitia etiam computantur. Vbi obserua, vsumfructum istius lucri non posse sibi vendicare filium ante mortem patris, vel suam emancipationem; quia pertinent ad patrem cum censeatur inter bona aduentitia.

56. Quia verò Religiosi, respectu monasterij inter filios computantur, ideo de furtis Religiosorum philosophandum est, ac de furtis filiorum, & quia monasteria ordinariè egena sunt, & Religiosi votum paupertatis habent, non cum filiis ditissimorum parentum, sed cum his qui mediocriter pecuniosi sunt, debent computari, vt inde colligamus, quæ quantitas respectu illorum, circa danda, & accipienda, vel approprianda sibi de rebus monasterij, ad furtum mortale sufficiat. Vnde, sicut diximus, non peccare lethaliter filios, si à parentibus clam suffurentur quantitatem quinque argenteorum: ita dicendum est de Religiosis, nisi alia minor assignata sit à superioribus, vt rectè Sanchez lib. 7. de Religione, cap. 21. & Graphis p. 1. decis. lib. 3. cap. 5. Non enim credendi sunt Prælati, minus inuiti erga suos subditos, quoad res furtiuas acceptas, quàm patres erga filios; nec minus liberales de Christi patrimonio, quod proprio labore non acquisierunt, nec à parentibus hæreditarunt. Limita in minimis furtis esculentorum & poculentorum, quando in proprium vsum conuertuntur; hæc enim non continuantur, etiamsi perueniant ad quantitatem assignatam pro lethali. Primò, quia, vt iam suprà annotauimus, hæc minima furta, etiamsi sensim perueniant ad illam quantitatem, non ita efficiunt peccatum mortale; quia domini non solent esse inuiti in his comestibilibus. Secundò, quia postea ex ordinario cibo tantumdem minus comedent hora consueta, quanto plus occultè ex comestibilibus clam ad edendum surripuerunt. Et denique, quia, vt diximus, Religiosi inter filios computantur: patres autem circa filios rationabiliter non sunt inuiti circa hæc comestibilia.

Oppositum dicendum est de Religiosis, quibus causa studiorum assignatur certa summa in sustentationem annualem; hi enim si de his alimentis aliquid in illicitos vsus expendant, non solùm inualidè expendunt, sed etiam illicitè, vt rectè Sanchez suprà, & Lessius cap. 18. dub. 11. quia Religiosi etiamsi sint Prælati, non habent dominium absolutum bonorum religionis, sed restrictum ad bonos & licitos vsus, vt constat ex cap. *Monachi*, & cap. *cùm ad Monasterium*, de statu Monachorum, & ita tenet communis sententia. 57.

Sectio VIII.

Quando mortaliter peccet vxor ex bonis mariti capiendo, & disponendo.

58. COnueniunt Doctores, peccare lethaliter vxorem, & contra iustitiam, inuito marito partem notabilem accipiendo, illorum bonorum, quorum dominium, vel administratio est apud maritum; quia tunc vxor iniustè priuat maritum dominio rei, aut administratione illius, quæ ex iustitia illi competebat: peccat ergo, & tenetur restituere.

59. In aliquibus autem casibus, non peccat mortaliter accipiendo aliquid vxor.

Primò si quantitas non sit notabilis, spectatis opibus & facultatibus, quod relinquitur arbitrio docti & prudentis; plus enim dandum est vxoribus, quàm filiis: imò duplo maius, vt notat Rebel. 1. p. lib. 3. quæst. 15. sect. 13.

Secundò si maritus rogatus concederet.

Tertiò si det in extrema necessitate de superfluis naturæ, & in graui de superfluis statui: cùm enim tunc ad id teneretur maritus, irrationabiliter esset inuitus, si id prohiberet.

Quartò si det ex bonis quorum liberam habet administrationem, vt ex paraphernis, vel lucris sua industria acquisitis: quod intelligendum est de iure communi; consulendæ tamen sunt leges municipales, id est, leges particularium Prouinciarum, Regnorum, seu ciuitatum.

Quintò ad impediendum damnum mariti, vt fecit Abigail 1. Regum 13. & etiam ad impediendum damnum spirituale, largiendo eleemosynas moderatas, vt Deus conuertat maritos, & ne illos puniat ob flagitia, quæ committunt.

Sextò potest accipere pro rebus familiæ necessarijs, pro victu, vestitu, medicinis, &c. Cùm enim ad hæc teneatur maritus, si ipse nolit his rebus prouidere, potest mulier.

Septimò si maritus sit prodigus & dissipator, profundens bona in meretricibus, ludo, & compotationibus, & similibus, tunc ex bonis mariti potest clam accipere, vt sibi & liberis consulat; quamuis enim ludus sit contractus fortuitus, nam qui potest perdere, potest lucrari; nihilominus si regulariter perdat, & vxor reclamet, iam maritus esset dissipator.

60. Octauò potest facere eleemosynas, donationes, & remunerationes, etiam inuito marito, secundùm consuetudinem aliarum mulierum suæ qualitatis; est enim maritus irrationaliter inuitus contrarium prohibens, vt docent communiter Doctores; quia consuetudo tribuit jus, non secus ac priuilegium, vel lex, quo iure maritus illam non potest priuare. Maritus etiam tenetur competenter alere vxores; nomine

Digitized by Google

nomine autem alimentorum veniunt eleemosynæ, donationes moderatę, & honestæ recreationes, vt rectè Molina tom.1.de iust.disp.264. qui displicet, peccare vxores contra obedientiam, si mariti expressè id prohibeant; quod non videtur verum, quia illud præceptum esset iniustum, prohibens id quod iustè facere possunt, modò non excedant iustam moderationem. Neque vxor, neque maritus tenentur soluto matrimonio, ea quæ minutatim in eleemosynas dederunt, accipere in partem suam; hæc enim pertinent ad sumptus ordinarios, & rectam bonorum administrationem, nisi prudentiæ limites excedant, vt docent Molina citatus, & Sanchez lib.6.de matrimon.cap.38. Nec obstat D. Augustinus, & refertur in cap. *Quod de Deo* 33. quæst.5. vbi coniugatam alloquens inquit: *Nihil de tua veste, de tuo auro, argento, vel quacumque pecunia, aut rebus terrenis tuis, sine arbitrio viri tui facere debuisti.* Nam intelligendus est, de donationibus immoderatis, vt explicant Nauarra de Restit.cap.1. num.83. & Nauarrus cap.17.num.154.

Augusti.

61. Nonò. Si pater vel mater vxoris sint pauperes, ita vt miserè viuant secundum suum statum, si maritus nolit succurrere, poterit vxor. Similiter si habeat prolem ex alio matrimonio, quæ similiter egeat, quia iure naturæ tenetur eis subuenire si potest, & etiam si frater vel soror vxoris, simili paupertate laborent, probabile est vxorem posse illis simili ratione succurrere. Idem dico de viro, si parentes miseros habeat, aut filios ex alio matrimonio, aut fratres, vel sorores simili paupertate laborantes. Obseruat autem Molina, id quod ita insumptum fuit, soluendum esse de communibus bonis vtriusque coniugis, si matrimonium contractu dimidietatis fuit celebratum, vel de bonis communibus superlucratis, si quæ sunt ab illis constante matrimonio acquisita: si verò non sunt, tenetur vterque parentem suum de suo alere, & quæ sic dederunt, referre in suam partem, cùm ad partitionem cum hæredibus deueniatur.

62. Denique potest vxor accipere si maritus sit amens. nam in hoc casu deuoluitur administratio ad vxorem, nisi lex, aut Magistratus aliter decernant. Idem dico si maritus sit absens. Ita Lessius lib.2. cap.12. dub.14. & est communis sententia contra Nauarrum.

Sectio IX.

Quomodo obligentur cooperantes ad furtum, quando quilibet seorsum paruum damnum facit, omnes tamen magnum.

63. Casus est communis, multis vineam deuastantibus, accipiens quilibet singulas vuas. Pro resolutione obserua, si vnus fuit causa damni quod alter etiam fecit, quia vel consulit, vel imperauit, & simul sunt furati, obligari ad restitutionem talem consulentem, vel præcipientem, iuxta quantitatem ab vtroque acceptam. Constat, quia ex vna parte peccauit consulens, vel præcipiens, dando consilium vel præcipiendo, & ex alia parte per se accipiens. Vnde si per secundum actum accepta est quantitas, quæ cum priore faciat quantitatem notabilem, erit peccatum mortale, iuxta suprà dicta, & obligatio restituendi.

64. Deinde si quilibet faciat damnum paruum, & vnus non est causa damni alterius, distinguendum est: vel vnus scit de damno ab aliis facto; vel ita vt simul omnes inferant, & sciant fieri damnum notabile, & in his casibus omnes peccant mortaliter, & vnusquisque sub mortali tenetur restituere suam partem. Ita Vazquez de Restitut.cap.9.§.1. dub.5. & probatur, quia si aduertas magnum damnum à pluribus per minima furta inferri, & ipse nihilominus furaris, iam cum illis cooperaris, & auxilium præbes: ergo peccas mortaliter cum onere restituendi. Deinde, quia omnes simul sunt causa damni notabilis, & non est maior ratio de vno quàm de alio, vt mortaliter peccet: peccant ergo omnes lethaliter, ratione damni grauis voliti.

65. Quamuis non sit improbabile, eum qui alteri nullo modo suo exemplo, vel hortatione est causa accipiendi; etiamsi sciat illos accipere, non peccare mortaliter modicum quid accipiendo, nec teneri sub mortali restituere. Ita Lessius cap.12. dub.9. quia iste non est causa vt alij furentur, vt suppono, & aliàs modicum quid accepit: ergo non peccat mortaliter, nec tenetur restituere. Ratio huius est, quia cognitio vt sic, non potest esse causa peccati, nisi vt dirigitur à voluntate in aliquem prauum finem: ergo cùm quis videat multos furari leuia, & ipse leuia furetur, non peccat lethaliter; cùm illa cognitio non dirigatur in aliquem malum finem.

66. Si verò damnum paruum inferens, nesciat damnum factum ab aliis, certum est hunc non peccare lethaliter, neque teneri sub mortali restituere; quia graue damnum non fecit aduertens, & damnum illud est illatum ab vnoquoque diuisim, & non à pluribus collectiuè; ac proinde nullus peccauit lethaliter, nec sub mortali tenetur restituere.

67. Circa restitutionem sub mortali, quando quis modica accepit, & peruenit ad quantitatem notabilem, dubitari solet, an teneatur omnem illam quantitatem restituere sub mortali; an verò eam tantùm, quæ cum aliis facit notabilem quantitatem, v. g. accepit quis quatuor argenteos per vices singulas, furando solidum vnum, donec tandem peruenit ad quantitatem illam quatuor argenteorum. Difficultas est, an sub lethali teneatur restituere quatuor illos argenteos sub mortali; vel sufficiat restituere vnum argenteum tantùm, vt liberetur ab obligatione sub lethali. Et placet sententia grauium Doctorum asserentium, sub mortali tantùm teneri restituere eam quantitatem, v.g. vnius, vel duorum argenteorum; quia ea sublata in eo quod supereſt, non manet quantitas sufficiens ad mortale. Vnde sicut si illa quantitas sumeretur, non esset peccatum mortale: ita etiam neque si retineatur: quæ ratio videtur omnino conuincere. Et confirmatur, quia antequam acciperet vltimum argenteum, non tenebatur eos restituere sub mortali: ergo neque modò. Patet consequentia, quia retinere illos tres argenteos, non est peccatum mortale, sicut nec accipere, vt supponimus.

***

DISPVTA

DISPVTATIO VI.

De restitutione ex venatione, piscatione, & aucupio.

SECTIO I.

Quomodo acquiratur dominium in res animatas.

1. CONVENIVNT Doctores, animalia domestica & mansueta, vel facta mansueta, cùm antea essent siluestria, & possidentur ab aliquo, esse ea possidentis; ac proinde quamuis dominorum possidentium potestatem euaserint, non licere ea capere, & capientem teneri ad restitutionem: vt constat ex Instit. de rerum diuisione. Et ratio est, quia per illam fugam huiusmodi animalia non acquirunt illam quasi libertatem, quam habebant antequam caperentur à primo domino: sunt enim iam domestica; vnde dominus illorum est possidens; quare si à lupo, vel vulpe fuerint capta, tunc qui eximeret à lupo, vel vulpe, teneretur domino restituere. Et idem dicendum est de aliis animalibus siluestribus iam mansuefactis & assuetis redire ad dominum, quando effugerint, ex Instit. suprà dicta.

2. Ex quo fit, eum qui positis illecebris in suo columbario, columbas alterius eò traducit, teneri ad restitutionem, si faciat cum fraude: si verò sine fraude hoc fiat, meliùs eas alendo, vel aptando locum meliorem, non tenetur restituere. Consulenda tamen est consuetudo. nam dicitur in quibusdam locis vsum esse, vt omni arte licitum sit, alienas columbas procurare, vt veniant ad locum quem quis parauerit, eas meliùs alendo, & sic relinquant priùs columbarium.

3. Relinquere verò censebuntur priùs columbarium, si bis, vel ter accesserint ad columbarium alterius; iam enim ex hoc videtur prior dominus dominium amisisse. An verò habentes columbaria peccent, & illicitum sit ea habere, & teneantur restituere damnum, quod illæ columbæ causant. Dicendum est licita esse, vt tenet communis sententia cum Nauarro cap. 17. num. 126. nisi alicubi aliqua lege prohibeantur: quod satis confirmat vsus, nec notabile damnum experitur; quia huiusmodi columbæ comedunt grana & semina prana, quæ solent sata suffocare, & ita secundùm aliquos, tantum prosunt, quantum nocent, & etiam tantum solent vesci granis cadentibus ex spica. Et nisi essent columbaria, crescerent columbæ siluestres; pauciores enim caperentur, & cedunt in cibum Reipublicæ. Semper tamen habentes columbaria, curare debent, ne desit cibus, sic enim columbæ minus nocebunt. Si hæc ergo animalia amittant redeundi vsum, fiunt occupantis, ex Instit. relata. quia tunc iam habent libertatem quasi naturalem, & amittitur prius dominium, & fiunt primò occupantis: quare si columbæ columbarij Petri, se aggregent columbario Pauli, fiunt Pauli, dum amittunt consuetudinem redeundi ad columbarium Petri: quæ consuetudo, vt prædictum est, amittitur, si bis, vel ter, tempore consueto non redeant: quod tamen prudentis arbitrio mensurandum est.

4. Ex quo etiam fit, si animalia siluestria capiantur ab aliquo, & euaserint illius potestatem ante mansuefactionem, licere cuicumque ea capere. & fieri capientis: iam enim primus capiens amisit dominium, & secundus capiens acquirit: quare si ceruus siluester ex loco vbi custoditur vel est clausus, effugerit, ita vt difficile possit capi à possidente, fit primò capientis. Si verò facilè sit capiendus, censetur esse sub priori domino. Similiter si examen apum ita euolet, vt difficile possit prosequi ab eo, à quo antè possidebatur, poterit à quolibet capi; etiamsi antea tuum esset, vel à tua arbore pendeat: sicut enim auis non ideo fit tua, quia ex arbore tua pendeat; ita neque examen apum tuum erit, ex eo quòd ex arbore tua pendeat, licèt posses tunc prohibere ne alter tuam arborem conscendat, vel ne intret in tuum agrum: si tamen in tuum alueare fugiat, tuum erit, ex Instit. de rerum diuisione, & in ff. l. 3. 4. & 5. de acquirenda possessione: semper tamen consuetudo locorum attendenda est.

SECTIO II.

An Principes licitè possint prohibere venationem, & piscationem.

5. PLures quos refert Couarruu. 1. pa tte variarum, docent, illicitum esse prohibere venationem, vel piscationem in locis publicis; quia iure naturæ & gentium, hæc animalia sunt veluti libera, & quasi habentia naturalem libertatem; ac proinde sunt primò capientis, & ideo non possunt à Principe impediri in locis communibus.

6. Oppositа tamen sententia, scilicet licitè posse Principes hoc prohibere, etiam in locis publicis ex consensu populi, siue gratis dato, siue per contractum, est communis: quia potest populus cedere suo iuri. Similiter possunt prohibere talem venationem, vel piscationem, si iudicetur necessaria ad Reipublicæ, vel Principis onera sustinenda. Imò ad solam recreationem sine consensu populi, possunt Principes prohibere hoc ipsum in quibusdam locis; quia cùm pro Republica laborent, possunt hoc sibi reseruare; spectat enim ad Principes, & eorum dignitatem, hoc posse facere. Nihilominus in omnibus locis populi non videntur hoc posse facere ad suam meram recreationem sine consensu populi, nisi propter hoc remittant aliquid de tributis; esset enim nimis inhumanum sibi & suæ recreationi tantùm consulere, & priuare populum omni huiusmodi recreatione, quæ conceditur iure naturæ. Et sicut potest Princeps sibi reseruare venationem, vel piscationem in casibus dictis, similiter potest hoc priuilegium dare aliis, dummodo hoc fiat sine detrimento notabili aliorum, & tale etiam ius potest Princeps per consuetudinem legitimè præscriptam acquirere. Caueant tamen damna quæ huiusmodi feræ solent agris vicinis inferre; tenerentur enim ad restitutionem, nisi subditi condonent; vel si vendant, vel dent agros suos cum hoc onere, &, vt volunt nonnulli, tenetur etiam soluere decimas, quæ soluendæ erant ex illis agris: quamuis alij oppositum sentiant, decimas scilicet non deberi, nisi perceptis iam in re fructibus. Ex quibus

7. Infertur primò, esse licitum cuicumque, si aliàs non sit iustè prohibitum, propter aliquam ex prædictis causis, venari in agro alieno, dummodo cauea-

ueatur talis agri damnum, & licèt quilibet habeat ius prohibendi venationem in suo prædio, ex §. *Fera*. Instit. de rerum diuisione: si tamen ex hac prohibitione feræ ita multiplicentur, vt damnum aliis inferatur, nulla esset talis prohibitio: imò prohibens teneretur ad restitutionem.

8. Infertur secundò. Resolutio illius difficultatis, an peccet & teneatur ad restitutionem, qui venatur vel piscatur contra prohibitionem iustam, siue sit prohibita ratione status personæ, v. g. ratione Clericatus, & Monachatus prohibetur venatio cum magno strepitu Clericis, & Monachis, ex Concilio Aurelianensi, vbi Episcopus huiusmodi venationem frequentans, suspenditur tribus mensibus: Presbyter duobus à communione, Diaconus ab officio. Quæ pœna cùm sit grauis, videtur supponere talem venationem esse peccatum mortale. Venatio verò sine strepitu, v. g. cum retibus, laqueis, vel paucis canibus, non videtur clericis prohibita; siue fiat propter necessitatem; siue propter exercitium; siue propter moderatam recreationem; etiamsi prohibitio sit ratione temporis, v. g. in die festo, vel ieiunij, ex dist. 80. hæc enim prohibitio intelligitur quando propter talem venationem omitteretur sacrum, vel ieiunium, vt tradit Nauarrus cap. 13. num. 11. & etiam si prohibitio fiat propter communem vtilitatem, ne scilicet tale genus animalium extinguatur, vt solet venatio prohiberi mensibus, quibus animalia sunt grauida: vel quando facilè capiuntur, vt tempore niuis; vel cum certis instrumentis, vel modis quibus facilè multa animalia capiuntur, ita vt feræ extinguantur omnia, & etiamsi prohibitio fiat ratione loci, cui est immunitas data à Principe, vel quia est locus alienus.

9. Difficultati ergo propositæ respondet Lessius lib. 2. cap. 6. dub. 9. Quando prohibitio est tantùm ratione status, personæ, vel temporis, frequenter tantùm esse veniale, facere contra illam prohibitionem, sublato scandalo, vel periculo occisionis, vel mutilationis humanæ. In quo euentu animal captum non est restituendum, quia talis venatio non est iniusta, neque ex ea sequitur grauis enormitas, præcisè ratione status personæ, vel temporis: neque etiam prohibitio ratione vtilitatis publicæ facit talem venationem mortalem, nisi damnum notabile Reipublicæ sequeretur, & in hoc etiam casu neque animalia capta, sunt in conscientia restituenda; non enim tali lege prohibetur ipsa acquisitio animalium captorum; sed tantùm prohibetur vsus talis venationis, qui non videtur notabiliter Rempublicam lædere. nam iure gentium, licitum est occupare animalia, quæ nullius sunt, & feræ non sunt res Reipublicæ: ergo non sunt restituenda sub obligatione: quamuis si venator multum lædat, Reipublicæ teneretur iniuriam illam restituere, quia aufert ius venandi: valorem ergo talis feræ tenebitur restituere, non verò feram ipsam captam, vel animal. Quando verò tale ius grauiter lædatur, vel quando leuiter, iudicio prudentis mensurandum est.

10. Similiter, si venatio fiat in alieno fundo, vel silua, inuito domino talis fundi, vel siluæ, non tenebitur restituere animal captum: cùm enim animal siluestre in eo casu non sit domini prædij, sed nullius, tale animal est primò occupantis. nam huiusmodi animalia non sunt fructus agrorum, vel siluarum, ac si essent arbores, cùm ex aliis procreentur: quare etiamsi ager vel possessio sit talis, vt fructus illius in venatione consistant: imò & venatio ipsa alteri sit locata, non propter hoc animalia illa sunt domini siluæ, vel conductoris eiusdem siluæ, vel agri, quandiu animalia illa suam habent libertatem naturalem: conductor ergo tunc tantùm habet ius venandi in tali silua, vel agro, quo iure caret qui non est dominus, vel conductor, vel vsufructuarius, & propter hoc ius alius inuito domino, vel conductore, non potest licitè venari in tali loco, ex §. *fera*. Instit. de rerum diuisione: non tamen tenetur restituere, qui venatur inuito domino, vel conductore feram captam, nisi damnum aliquod ex alia parte faciat; vel destruendo segetes, vel sepimenta; vel animal illud esset à domino capiendum certò moraliter, & priuatur hac spe.

Quando verò nihil horum est, parum interest 11.
dominum esse inuitum; cùm hoc sit irrationabiliter; ad nullam ergo restitutionem tenetur, & idem est de venante in loco publico prohibito, etiam assignato iustè Principi, vel alteri ad venandum, nisi faciat graue damnum, quod tenetur restituere, non verò animal captum. Et quamuis lex prohibens venationem, sæpe sit sub graui pœna; communi tamen prudentum iudicio, non censetur grauiter obligare, licèt domini ibi soleant venari; quia feræ nullius sunt, nec Princeps petit restitutionem illarum, sed pœnam tantùm si venator deprehendatur, quæ pœna non debet esse corporalis, v. g. mutilatio, vel flagellatio, iuxta communem sententiam; sed tantùm pecuniaria, vel incarcerationis per aliquos dies, etiamsi venator vteretur aliqua arte ad educenda animalia extra siluam; non enim in hoc peccat contra Iustitiam. Et quando animalia egrediuntur ex talibus locis, possunt capi à quocumque licitè: nec propter hoc possunt puniri, quia tunc iure gentium, sunt primò occupantis. Et idem dicendum est si capiantur in loco concluso; ita tamen amplo, ac si non esset concluſus, in quo feræ eamdem videntur habere libertatem naturalem, & propter hoc fiunt primò occupantis. Ad resoluendum verò quando animalia ex se communia sunt incluſa in aliquo loco humana industria, ita vt non possit quis ea venari, quia sunt sub dominio domini illius loci, attendatur secundum arbitrium prudentis, an fera per illam inclusionem sufficienter intelligatur apprehensa & capta à domino loci; tunc enim qui occideret eam in eo loco, & caperet, esset fur. nam si in tali loco ita sit animal captum, vt non possit egredi, videtur esse domini loci, & ab eo apprehensum per tale locum: sicut si caperet per laqueum, egressum tamen ex illo loco, fit primò occupantis.

SECTIO III.

An fera à me vulnerata, & postea ab alio capta, sit vulnerantis, vel capientis.

CONclusio est, in hoc casu feram illam esse ca- 12.
pientis, & non vulnerantis: quod intelligendum est, quando ego qui vulneraui non essem insecuturus illam, & sine dubio capturus. nam tunc esset mea; si enim ego vulneraui quantum fuit satis ad capiendum, & eam sequor, & est moralis certitudo comprehensionis, iam illa fera est in mea potestate & dominio, & quasi à me capta; quare alius non potest me præuenire. Quòd si dubium esset, an ego essem capturus, fit capientis, & non

mea;

mea ; quia adhuc tunc videtur habere suam libertatem naturalem,& ita fit primò occupantis. Et videtur decisio iuris ex l *Naturaliter*. ff. de acquirendo rerum dominio, vbi dicitur, feram recepisse naturalem libertatem, quando difficilis est eius prosecutio.

13. Ex quo etiam infertur resolutio alterius casus, an fera capta meo laqueo sit iam mea, & sub meo dominio, an verò illius qui superuenit, & à meo laqueo extraxit. Nonnulli, inter quos sunt Couarru. & Nauarrus existimant esse eximentis à laqueo, propter legem *in laqueum*, de acquirendo rerum dominio. Verius tamen videtur iuxta prædicta, talem feram captam laqueo à me posito, & ibi existentem, esse meam, & sub meo dominio; iam enim antea est apprehensa per instrumentum meum, & est ei ablata libertas naturalis, & ad meam potestatem venit, sicut si manibus eam haberem. Allata verò lex in oppositum debet intelligi, quando fera esset laqueum euasura, & se esset ab eo extricatura; tunc enim possit ab alio capi, quia nondum ita perfectè illam habebat. Si verò contingat feram quam ego prosequor, incidere in tuum laqueum,ambo habemus ius capiendi,tu quia habes eam in tuo laqueo;ego verò, quia feci in illum incidere: in eo ergo casu fit primò occupantis.

14. Et quod diximus de huiusmodi animalibus captis, v. g. laqueo, idem est dicendum de nassa in medio fluminis; si enim pisces iam sint in ea, mei sunt: quare si alius auferret, teneretur ad restitutionem. Si verò nassam à me positam plenam piscibus extraheres, & eos mihi seruares, & deinde ponas nassam, quæ de nouo piscibus implebitur, pisces isti secundo loco capti erunt primò occupantis: tui quidem,quia tua industria capti:mei autem si priùs occupauero, quia instrumento meo sunt capti.

15. Secundò infertur resolutio alterius difficultatis, an pascere animalia in loco pascuæ, vel siluæ, iustè à Republica prohibito ad bonum commune, sit contra iustitiam, & inde resultet obligatio restituendi. In qua dicendum est, pascere contra iustam Reipublicæ prohibitionem, si sit ciuis eiusdem Reipublicæ, tantùm videri veniale, nec teneri ad restitutionem, nisi magnum detrimentum communitati censeatur illatum. Ita Lessius lib. 2. cap. 5. dub. 14. Et ratio est, quia aliter non fit notabilis iniuria communitati, nisi stirpes multæ notabiles incidantur, vel grandiores arbores ædificiis idonei, sternantur. Idem dicendum est de incolis vnius loci in silua alterius, si habeant loca compascua, vel siluas cæduas, si alteri in alterorum siluis, hic inde lignentur, videntur enim communitates sibi inuicem condonare, contenti sola pœna apposita, neque curant de alia restitutione. Consuetudo tamen locorum & personarum particularium attendenda est, & vsus inspiciendus. Et quod diximus de pascuis, dicendum etiam est in lignis cædendis in siluis, propter eamdem rationem: sæpe enim, vt dixi, delinquentes solam pœnam luunt.

DISPVTATIO VII.

De restitutione ex incertis debitis, & inuentis.

SECTIO I.

An debita incerta debeant restitui pauperibus.

CONVENIVNT Doctores. Primò quando probabiliter dubitatur inter duos cuius res sit, deberi rem ex consensu partium alicui applicati, aut inter illos æqualiter diuidi: quia ita saluatur æqualitas & iustitia. Conueniunt secundò antequam hæc bona incerta pauperibus dentur, debere fieri debitam diligentiam, vt vero domino tradantur, & nisi hæc diligentia fiat, debere res tradi domino vero, quamuis traditæ sint pauperibus. Difficultas ergo est,quando hæc bona non habent dominum, etiam post debitam diligentiam factam, cuinam sint applicanda, & per quem debeat hæc applicatio fieri. 1.

In qua difficultate dicendum est, quando hæc sunt fidelium viuorum,aut defunctorum,esse danda pauperibus in eius animæ vtilitatem. Ita D. Thom.quæst.62. art.5.& ita habetur iure Pontificio,ex cap.*Cùm tamen*,de vsuris, & cap. *Non habetis* 14. quæst. 5. ad Pontificem enim pertinet disponere de his bonis in Ecclesia, cùm sit caput & Princeps illius: quare hæc bona non fiunt primò occupantis, cùm per Papam sint applicata pauperibus. Et hoc modo redditur domino res meliori modo possibili. Non tamen est necessaria auctoritas Prælati ad dandum hæc bona incerta pauperibus, vt rectè Vazquez de Restitut. cap. 5. §. 1. dub.1. quia nulla lege habetur, quòd sit necessaria hæc auctoritas. Nec obstat caput *cùm sit*, de Iudæis. Vbi dicitur, quòd Iudæus faciat restitutionem media auctoritate Episcopi. Nam tantùm vult, vt Iudæus conuersus ad fidem obligatus ad debita, siue ex vsuris, siue aliter, faciat restitutionem media auctoritate Episcopi,ne creditores iniuriam aliquam patiantur. 2.

Neque est necesse, vt hæc bona incerta pauperioribus dentur, sed sufficiet dari pauperibus; quia cùm de iure Ecclesiastico pauperibus debeant elargiri, non debentur dari necessariò pauperioribus. Cùm autem pauperi applicantur, qui absolutè pauper est, & victum quærit ex eleemosynis, si postea compareat dominus illorum bonorum, & nihil extet illorum apud pauperem cui applicata sunt, non tenetur domino restituere: quia, vt suppono, illa consumpta sunt bona fide, & nihil omnino remanet illorum in eadem materia, vel æquiualenti: si verò remaneat, restituendum est vero domino, quia non sunt applicata illa bona irreuocabiliter, hoc est, absolutè, sed dum dominus illorum non comparuerit. Poterit autem debitor si pauper sit, sibi rem applicare, quando est euidens necessitas, & fit de consilio Prælati, vt docet Caietanus suprà quæst.62. art.5. 3.

Quando verò bona sunt inuenta,& facta debita diligentia, illorum dominus ignoratur, neque est spes illum inueniendi, videntur talia bona iure 4.

naturæ eſſe occupantis,& inuentoris; quia ſecundùm hoc ius, non eſt ratio propter quam hæc bona potius ſint huius,quàm illius; ac proinde de illis philoſophandum eſt, ſicut de theſauris dicemus infrà. Ita Nauarra 4 de Reſtitut. cap.2.dub.9. & Toletus lib.5. cap. 18. vbi ait, communem ſententiam oppoſitam dicentem, hæc inuenta eſſe danda pauperibus, nullam habere rationem, neque legem humanam hoc diſponentem, & præcipientem. Nam cap. *Cùm tamen*, de vſuris,loquitur de debitis ex vſuris, quando ignoratur dominus; hæc enim debita ſunt danda pauperibus ex diſpoſitione Pontificis: quare hæc diſpoſitio tantùm eſt in illa materia particulari, & non comprehendit inuenta. Quòd ſi aliquando in iure dicitur fur qui non reſtituit inuenta,intelligitur, ſi non faciat diligentiam ad inueniendum dominum, vel quando retinet cum animo non reſtituendi,etiamſi appareat dominus, & hæc ſententia eſt probabilis, & tuta. Si tamen per Papam alicui hæc bona applicentur, vel per Principem, debent dari illis, quia lex ſuperioris debet ſeruari. Quòd ſi Pontifex alicui hæc bona applicet, & Princeps aliis perſonis, debent dari illis quibus per Papam applicata ſunt;quia Papa eſt ſupremus Princeps in Eccleſia,& eam gubernat in ordine ad finem ſpiritualem, & ſupernaturalem immediatè: Princeps verò ſecularis in ordine ad bonum politicum & ciuile, gubernat ſuum Regnum.Finis autem Papæ eſt excellentior, & eſt caput Reipublicæ Chriſtianæ; ac proinde illius leges in ordine ad finem ſupernaturalem,omnibus legibus Principum ſeculatium anteponendæ ſunt.

SECTIO II.

Quomodo acquiratur dominium in theſauros.

5. SVpponendum eſt, metalla auri & argenti, & ſimilia inuenta in loco priuato,eſſe domini loci illius tanquam fructus terræ cuius eſt dominus. Ex legibus tamen humanis quædam pars ſolet applicari domino talis agri, & quædam pars Regi,& pars etiam inuentori. Iure tamen naturæ, quæ inueniuntur in loco communi,ſunt primò occupantis. Quamuis autem venæ auri, & argenti, & aliorum metallorum magnæ æſtimationis, iure communi, vel gentium applicentur Regibus, vel per leges particulares Regnorum,quia ita expedit bono communi, nihilominus quando aliqua lapidicina inuenitur in agro Petri, v. g. eſt Petri, etiam per leges humanas, quia huiuſmodi venæ lapidum non ſunt tantæ æſtimationis, & ita computantur cum ipſomet agro,& veniunt in acceſſionem agri: at venæ auri,vel argenti,&c.non veniunt in acceſſionem agri ex iure humano Inſtit. de rerum diuiſione. Et quia venæ iſtæ ſunt à natura in bonum publicum,& non priuatum deſtinatæ, & difficillimè inueniuntur; ob quam cauſam licèt quando inueniuntur in agro Petri,eſſent ipſius Petri ſecundùm ius naturæ tanquam fructus ipſius agri, & quando inueniuntur in loco communi, eſſent primò occupantis ſecundùm idem ius: nihilominus iuſtis de cauſis per leges humanas applicantur huiuſmodi metalla inuenta, ſiue in loco publico,ſiue priuato, Regibus, & Principibus, & in hoc differunt huiuſmodi venæ repertæ in talibus locis, à theſauris inuentis in eiſdem locis, nam theſauri abſconditi in illis, non ſunt fructus illorum locorum; theſaurus enim nihil aliud eſt, quàm vetus quædam depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat, & nomine pecuniæ intelliguntur aliæ opes, v.g.catenæ,gemmæ,nummi aurei,vel argentei,& ſimilia, & de his theſauris eſt difficultas, an ſint primò inuenientis, vel cuius ſint.

In qua re dicendum eſt, loquendo de theſauris 6.
propriè dictis, & non de illis qui deponuntur in aliquo certo loco ad cuſtodiam, quorum dominus facilè ſciri poteſt,iure naturali & gentium, eſſe inuentoris occupantis, ſi inueniantur in loco communi;quæ enim nullius ſunt,fiunt primò occupantis. Ius tamen humanum circa theſauros diſpoſuit, in Inſtit. de rerum diuiſione, & l. vnica. Cod. de theſauris. Ex quo iure theſaurus inuentus in loco communi,totus eſt inuentoris, inuentus verò fortuitò in fundo alieno diuiditur,ita vt dimidium ſit inuentoris,& dimidium domini fundi. Si verò de induſtria ſit quæſitus & inuentus ſine conſenſu domini,totus erit domini:quamuis non ſit obligatio in conſcientia totum dandi domino. nam illa diſpoſitio iuris eſt pœnalis,puniens iniuriam quam inuentor intulit domino fundi,vt ſatis aperte colligitur ex verbis legis, videlicet, *Quòd talis compellatur totum domino reddere.* Illud enim verbum *compellatur*, indicat legem eſſe pœnalem, & compulſionem iudicis eſſe expectandam.Sicque ante ſententiam ſufficiet dare dimidium domino fundi. Quando verò dominus conſenſit,vt quæreretur in ſuo agro theſaurus, tunc ſtandum eſt pacto inter ipſum dominum & inuentorem inito.Quòd ſi nullum fuit pactum,erit totus inuentoris,quia videtur in eo caſu dominus condonaſſe.Vbi obſerua,quando ager in quo inuenitur theſaurus, habet duos dominos,videlicet directum, & vtilem, in eo caſu illud quod eſſet dandum domino,diuidendum eſſe inter dominum directum,& vtilem. Quando verò theſaurus inuenitur arte magica, non eſt inuentoris,ſed applicatur fiſco in pœnam delicti, ex l.vnica citata,quæ lex cùm ſit pœnalis,non obligat ante iudicis ſententiam.

Circa hæc tamen omnia inſpicienda ſemper eſt 7.
diſpoſitio legum, quæ ſeruantur in aliquo Regno, ſiue ſint ipſius iuris communis, ſiue particularis ipſorum Regnorum.An verò leges decernentes,vt totus theſaurus inuentus ſit Regis, reſeruata tantùm quarta parte inuentori, ſeu quinta, obligent ante iudicis ſententiam, negat Leſſius c.5.dub.17. num.66.quia cùm iure naturæ theſaurus ſit inuentoris,videtur nimis durum, vt totus Regi applicetur.Oppoſitam ſententiam tenent Couarru.& Salon 2.2. quæſt. 66. art.5. & alij quos ipſe citat, & Molina tom.1.diſp.56. quorum ratio eſt, quia licèt ſtando in ſolo iure communi & gentium,theſaurus ſit primò inuenientis;nihilominus ius ciuile rectè ſtatuere potuit, vt qui theſaurum in fundo alieno reperiret, teneretur dimidiam partem porrigere domino fundi, & qui de induſtria inueniret,teneretur eidem totum tribuere, vt prædictum eſt: cur ergo non poterit ſtatuere vt theſauri inuenti pertineant ad Regem ad ſuſtinendum pondus Reipublicæ; maximè cùm iure naturali teneantur defendere ſua Regna, & populos, & poſſint ad id iuſta tributa imponere: quare exiſtimo ſtandum eſſe in hac re diſpoſitioni legum ciuilium.

Illud autem habet maiorem difficultatem, an 8.
qui ſcit in agro alieno latere theſaurum, poſſit licitè & ſine obligatione alicuius reſtitutionis,emere agrum illum communi pretio,ac ſi ibi non eſſet

theſaurus.

thesaurus. In qua difficultate nonnulli Doctores censent hoc non esse licitum, sed esse contra iustitiam, & obligari ad restitutionem. Primò, quia emptio illa fit domino ignorante, & cum damno illius notabili; non enim seruatur æqualitas inter pretium & rem: ergo emens tenetur manifestare domino agri: sicut vendens tenetur manifestare vitium occultum rei vendendæ, quod emens ignorat. Et nullus dubitat, si sciretur à te in tuo agro esse thesaurum, magis æstimandum esse agrum illum ad vendendum. Similiter si quis veniat, & vendat rem pretiosissimam vili pretio, & ego qui volo emere scio valorem, teneor dare valorem rei, & non tantùm communem, iuxta ignorantiam venditoris: ergo similiter sciens in alieno agro esse thesaurum ignorante domino, tenetur dare pretium æquiualens, iuxta valorem thesauri, deductis expensis: ac proinde facit contra iustitiam emens agrum communi pretio, & tenetur ad restitutionem.

9. Nihilominus opposita sententia est verior, videlicet posse iustè emi agrum illum communi pretio, à sciente ibi esse thesaurum: quod inefficaciter probatur ex parabola illa Matth. 13. de thesauro abscondito in agro, quia ibi non dicitur hoc fieri. Sæpè etiam in parabolis ponitur quod iniquè agitur, vt discamus in bonis diligenter & prudenter operari, vt in parabola vilici iniquitatis, & etiam, quia ibi thesaurus, vel est Christus Dominus, vel prima gratia, & sic non est ad rem parabola illa. Ratio verò efficax huius sententiæ est, quia dominus agri in isto casu non est dominus thesauri, quia thesaurus non est fructus agri, & ante manifestationem nihil thesauri ad eum pertinet, etiam ex dispositione iuris: ergo inueniens thesaurum, vel sciens ibi esse, nullam facit domino agri iniuriam non manifestans illi thesaurum: ergo stando in iure naturæ, siue casu, siue ex industria inueniatur thesaurus, totus est inuentoris: sicut & alia bona communia sunt primò occupantis: ergo qui emit agrum illum communi pretio, iustè emit, etiam existente qualibet dispositione iuris humani ex relatis.

10. Ex quo patet solutio ad rationes sententiæ oppositæ; non enim obligatur emptor ad manifestandum domino agri thesaurum ibi latentem, cùm thesaurus non sit domini agri, cùm non sit fructus ipsius. Contrarium autem euenit in aliis emptionibus in argumento relatis. nam habens lapidem pretiosum, & vt talem cognitum, verè est dominus illius valoris, & ita emens tenetur monere venditorem ignorantem talem valorem, & emere pretio proportionato. Et quamuis nemo habeat ius ad quærendum thesaurum in agro alieno, inuito domino agri, quia nullus habet facultatem fodiendi agrum alienum sine voluntate dòmini, & quid faceret, proculdubio faceret contra ius domini; nullam tamen facit iniuriam non manifestando thesaurum; quia ante manifestationem ius illud non cognoscitur distinctum à dominio agri, vt patet; quia etiamsi non esset thesaurus, nullus habet facultatem fodiendi agrum alienum sine consensu domini. Ex quo infertur differentia inter agrum habentem venam auri, vel argenti, &c. vel aquæ, cognitam tamen ab emente; quia vena auri, & fontis, censetur fructus agri, & ita magis valet: quare emens & sciens, tenetur dare maius quàm commune pretium. Quando verò nihil sciens emit, & postea inuenit, nihil amplius tenetur dare: quia ita communiter solent vendi huiusmodi res communi pretio, & vendentes non censentur inuiti rationabiliter: at thesaurus in agro non censetur fructus ipsius agri, & ideo oppositum est dicendum.

Et quod diximus de thesauro inuento in re immobili, idem est dicendum si inueniatur in re mobili, ac proinde, vt rectè Lessius, si miles qui ab hoste susceptit saccos lana plenos, in quibus hostis laminas auri apposuit: si hic miles ignorans vendat saccos illos communi pretio lanarum, emens potest sibi retinere laminas, & iustè emit saccos communi pretio; quia miles non erat dominus laminæ aurei; eam enim non occupauit, & ignorabat. 11.

Sectio III.

Quæ dicantur haberi pro derelictis.

12. AD intelligendum quando aliqua bona habeantur pro derelictis, ita vt sint primò occupantis, & non sit obligatio restituendi, attendendum est ad dominum quem antea illa bona habebant, quando scilicet ea ita abiecit, vt iam amplius ea nolit vt sua, ex §. penult. Instit. de rerum diuisione. Vnde quæ in mari abiiciuntur ad leuandam nauim, non habentur pro derelictis. Quare consuetudo quæ solet esse, vt talia bona sint Principis, vel Reipublicæ, vel littoris in quo inueniuntur, est iniqua, si possit probabiliter cognosci dominus volens talia bona recuperare; est enim contra ius naturale, quia accipitur alienum, & contra ius domini rationabiliter inuiti, Cod. de furtis. Et si talia bona sint Christianorum, ea occupantes baptizati, incurrunt excommunicationem Bullæ cœnæ Domini: quod est verum, etiamsi talia bona essent peritura, si tu non eripuisses. nam ex lege *Pomponius*, ff. de acquirendo dominio, semper res manet domini, quantumcumque periclitetur, donec sit consumpta, si cupiat eam vt suam manere: sicut quando domus liberatur ab incendio, domus est domini, & non liberantis ab incendio. Quare quando Nauarrus docet, posse nos retinere talia bona si cum aliquo periculo vitæ nostræ ea eripuimus, intelligendus est quando probabiliter creditur hoc dominum permittere, quia res suæ essent perituræ, & esset periculum recuperandi maximum; tunc enim tale periculum ad minus esset compensandum. Pro derelictis etiam habentur, quando dominus sciens vbi sint talia bona, nihil curat de eis; vel quando parui æstimat, vel propter magnos sumptus in recuperatione.

13. Loquendo igitur de huiusmodi bonis derelictis, certum est iure naturæ esse primò occupantis, sicut thesauri; iam enim tunc sub nullius dominio sunt, & iudicandum est de eis sicut de thesauris. Attendendum etiam est, an alicubi sint aliquæ leges humanæ talia bona applicantes ad aliquem, & ex circunstantiis iudicandum erit, an debeant restitui illi cui applicantur.

14. Ex quibus infertur, ea quæ per alluuionem, aut aquarum inundationem flumina deferunt, non esse habenda pro derelictis, huiusmodi sunt trabes, ligna & similia, quia domini adhuc habent dominium illorum, cùm non amiserint illud; ac proinde si accipiantur, dominis sunt restituenda: vt docent Nauarrus cap. 17. num. 176. & Vazquez dub. 20. qui etiam obseruat, si peregrinus moriatur sine testamento, deberi bona illius applicari in opera pia, & etiam quamuis decedat testamento facto, in quo legata relinquat non designato hærede; ille enim cui legata relicta sunt, nó est hæres; ac proinde reliqua bona defuncti in pia opera in

Digitized by Google

vtilitatem ipsius defuncti insumenda sunt. Si verò peregrinus moriatur in hospitalibus, bona illius iuribus locorum particularium, ipsi hospitali adiudicantur, videlicet mobilia illa quæ secum detulit in hospitali.

DISPVTATIO VIII.

De restitutione ex turpi lucro, ludo, & vectigalibus.

SECTIO I.

An meretrix teneatur restituere quod ex meretritio accepit.

1. CONVENIVNT Doctores, meretricem non teneri restituere quod accepit ex copia facta sui corporis, & ita habetur l. 1. ff. de condictione ob turpem causam, vbi dicitur, quòd licèt meretrix malè faciat se prostituendo, tamen non malè recipit, nec turpiter: imò datur actio in foro exteriori ad hoc lucrum, quod probat Vazquez; quia illud quod datur meretrici, datur liberaliter, & ideo non tenetur restituere. Hæc tamen ratio non est vera, quia non datur nisi ex iustitia, & ex pacto saltem virtuali; scilicet, dabo tibi hoc pretium, si dederis vsum corporis tui, & ideo in foro exteriori datur actio meretrici ad repetendum pretium. Meliùs ergo probatur, quia est acquisitio legitima dominij rei; ac proinde non est obligatio restituendi. Et deinde, quia fornicatio vt est quid delectabile, est pretio æstimabilis; ac proinde licitè accipit meretrix pretium pro vsu sui corporis, quamuis peccet tradendo. Nec obstat, quòd emens beneficium, tenetur illud restituere. Quia ius positiuum obligat ad restitutionem beneficij empti; quia fecit emptorem incapacem retinendi beneficium: nulla verò lex facit meretricem incapacem lucri habiti ex meretritio, imò secluso iure positiuo, emptor beneficij posset illud retinere, quamuis grauissimè peccaret emendo, vt docet Vazquez cap. 7. dub. 1.

2. Quòd si à principio nihil fuit pactum inter meretricem & virum, tenetur vir dare meretrici, quod meretrices illius qualitatis solent lucrari; hæc enim est mensura harum rerum venalium. Si verò meretrix fraude, vel mendaciis, plus extorsit ab adolescente quàm iustitia pateretur, tenetur restituere: quia vendidit vsum corporis maiori pretio, quàm secundùm iustitiam poterat. Similiter mulier quæ se finxit virginem, & pro defloratione accepit centum, centum tenetur restituere; eo modo quo qui vendidit aurum fictum pro vero, & accepit centum pro illo. Nec obstat, quia quæ nubit, potest accipere arrhas, & retinere, quamuis se fingat virginem: ergo & mulier quæ non nubit, potest retinere centum, quamuis se virginem fingat. Respondetur tamen negando consequentiam, quia arrhæ dantur pro prima copula quando mulier vidua non est, modò sit defiorata, modò non; dantur etiam in signum perpetuæ amicitiæ, & quasi in signum possessionis matrimonij: quod non habet locum in muliere quòd non nubit. Ex quo

3. Infertur primò, quamlibet fœminam pro copia sui corporis, quamuis non sit meretrix, posse accipere pretium iustum, & retinere; quia vsus corporis ad libidinem est pretio æstimabilis, vendibilis, & locabilis, siue sit meretrix, siue non, & quæ meretrix non est, nullo iure est inhabilis ad illud pretium retinendum; quia illa actio est titulus sufficiens ad transferendum dominium, & de facto transfertur: iustè ergo retinetur. Imò quamuis mulier iurasset, se non accepturam pretium pro copia corporis sui, quamuis peccaret lethaliter recipiendo propter violationem iuramenti; adhuc tamen si acciperet, validè retineret, quia illo iuramento mulier non est facta incapax dominij talis pretij.

4. Secundò infertur, donatum à Religioso suæ concubinæ, vel meretrici, in pretium peccati, deberi in conscientia restitui Monasterio, vt docet Vazquez cap. 7. dub. 3. quia quod Religiosus acquirit, fit monasterij; atque adeò non potest Religiosus de illa re disponere, quia est res aliena, & quamuis superior det facultatem subdito, vt expendat in quoslibet vsus, hoc non obstat; quia intelligendus est in vsus licitos. Quòd si habeat facultatem disponendi de bonis, & eleemosynis ab ipso acquisitis, vel de aliis, quamuis intelligantur in pia opera esse eroganda; nihilominus si non habeat restrictam facultatem, posset ex eis puellæ defloratæ satisfacere, vel paruulos ex ea susceptos alere: vt docet idem Vazquez, cuius ratio est efficax, quia hoc opus iam esset pium, & ideo iustè res daretur sine obligatione restituendi ab accipiente.

5. Tertiò infertur, quæ pupilli, aut minores dederunt meretricibus esse restituenda per illas tutoribus, aut curatoribus minorum; quia non possunt alienare sine licentia curatorum, aut tutorum: ergo quæ sine illorum licentia data sunt per minores, debentur curatoribus restitui. Contraria verò ratione valida sunt, quæ donat Clericus beneficiatus meretrici, aut concubinæ: quia est dominus rei quam dat, nec meretrix, aut concubina, est incapax talis donationis; ac proinde iustè retinet.

SECTIO II.

An quæ dantur ob maleficium patrandum, sint restituenda.

6. PRima sententia tenet, illud quod titulo donationis occasione huiusmodi operis traditur, non esse restituendum: illud verò quod titulo oneroso accipitur, tanquam pretium operis mali facti, aut faciendi, restituendum esse. Ita Medina Cod. de Restitutione, quæst. 20. Fundamentum esse potest, quia operatio quæ nullo pretio digna est, ac proinde nec vendibilis, non potest esse ratio iustè aliquid retinendi, tanquam pretium illius; sed operatio quæ est peccatum, nullo pretio digna est, quin potiùs est digna supplicio: ergo non potest esse ratio iustè retinendi pretium pro illa acceptum. Secundò, quoniam promissiones ob maleficia ipso iure sunt nullæ, vt patet ex cap. vlt. de pactis & ex l. 13. ff. de verborum obligationib. vbi dicitur: *Si flagitij faciendi causa, concepta sit stipulatio, ab initio non valet.* ergo pari ratione contractus oneroſus ob maleficium, non est validus; ac proinde nec sufficiens ad transferendum dominium pretij collatum: si autem dominium non transferatur, pretium retineri non potest; ergo pretium acceptum ob quamlibet operationem prohibitam, seu maleficium, necessariò est restituendum.

7. Nihilominus opposita sententia communis est inter Doctores; videlicet illa quæ accipiuntur tanquam pretium alicuius maleficij, seu operationis prohibitæ, non esse necessariò restituenda in foro

conscientiæ, & ante iudicis condemnationem. Et probatur primò ex l. 4. ff. de condictione ob turpem causam, vbi dicitur, pretium acceptum propter operationem prohibitam, iustè posse retineri. In tradenda autem ratione ex qua huiusmodi pretium iustè accipiatur, non omnes conueniunt; illa tamen verior videtur, quia opus malum non obstante malitia morali, quam habet in materiali sua entitate, habet qualitates quibus sit vtilis, aut delectabilis, ratione quarum sit vendibilis, & æstimabilis pretio, & ratione quarum vendi posset, ac si non haberet malitiam moralem, vt manet prædictum sectione præcedenti: malitia autem moralis prædictas qualitates non tollit; ac proinde neque impedit, quominus eadem operatio sit vendibilis, & iusto pretio æstimabilis. Quæ ratio in quolibet genere peccati eamdem vim habet, & ideo considerata qualitate operis, in quolibet peccato potest esse pretium, quod sine iniustitia retineatur. Vbi nota, quòd quemadmodum in aliis contractibus, per dolum, & fraudem, vel deceptionem contentis, violatur iustitia cum onere restituendi: eadem ratione quando venditur aliqua operatio prohibita, potest violari iustitia cum simili onere restituendi: ex quo fit, vt non possit pretium retineri, quando illud accipitur à persona, quæ non possidet pretium quod dat: quod etiam in qualibet alia venditione verum est. Doctores tamen in re præsenti, peculiariter illud animaduertunt, vt significent obligationem restituendi, qua tenentur illi, qui à filiis familias pretium accipiunt propter aliquam operationem prohibitam; est enim huiusmodi pretium restituendum, vt iam etiam nos annotauimus. Quando verò in conuentione non deficit potestas disponendi de re quæ datur, nec intercedit dolus, aut fraus, quæ sit causa contractus, nulla est restituendi obligatio; quamuis res detur tanquam pretium operis alioqui prohibiti. Et confirmatur, quia dantes, & accipientes, non sunt incapaces dandi, & accipiendi: ergo nulla resultat obligatio restitutionis.

8. Ex quo infertur, Monialem non teneri restituere acceptum propter sacrilegium: nec iudicem propter iniustam sententiam: nec assassinum propter homicidium, quando quod acceptum est, iustitiæ mensuram non excessit. Si verò sint aliquæ leges inhabilitantes iudices, aut homicidas, aut malefactores, ad recipiendum aliquid ob maleficium, tenebuntur tunc restituere; quia sunt incapaces recipiendi tale pretium, nec dominium illius in illos translatum est. Ex hoc verò quòd leges prohibeant aliquid præcisè, non inhabilitant personas ad actus prohibitos validè exercendos; prohibere enim vt sic, non est inhabilitare. Iure tamen positiuo tenetur iudex, vel quilibet officialis restituere in conscientia, quidquid vltra debitum stipendium recipitur; quia leges taxant stipendia iusta iudicum, vel aliorum officialium.

9. Et ex dictis respondetur ad fundamentum contrariæ sententiæ. nam licèt operatio prohibita ratione malitiæ nullius æstimationis digna sit, tamen ratione suæ vtilitatis, vel commoditatis, vel periculi, quod sæpe habet annexum, materia est vendibilis sine obligatione restituendi, id quod pro illo accipitur. Ad secundam rationem respondetur, promissionem faciendi aliquid prohibitum, vel dandi aliquod pretium propter maleficium futurum, antequam illud actu exerceatur, non habere adhuc valorem; quia non potest quis obligari ad faciendum malum, nec ad perseuerandum in promissione rei dandæ ob maleficium; potest enim discedere à promissione, si maleficium adhuc subsecutum non sit: hoc tamen non impedit, quominus ex iustitia dari debeat res promissa, si operatio propter quam promittitur, subsecuta sit antequam quis significet se velle discedere à conuentione.

10. Pro cuius tamen intelligentia notandum est, actus dandi & accipiendi pretium pro operatione prohibita, antequam illa subsequatur, participare malitiam operis pro quo pretium datur, vel accipitur: qui enim dat pretium illud, dat veluti medium ad malum finem, scilicet ad malam actionem impetrandam. Ex quo fit actus dandi & accipiendi tale pretium, antequam actio illa opere compleatur, necessariò esse peccatum, atque hanc esse causam ob quam semper sit liberum vtrique contrahentium discedere à contractu: nec qui promisit pretium pro re prohibita, tenetur illud dare, non exigendo operationem prohibitam pro qua pretium promisit. Si verò iam pretium datum sit, & nihilominus ille, qui dedit, velit à contractu discedere, ne fiat illud peccatum propter quod pretium dederat; is qui pretium acceperat, non potest illud retinere; quia nec hîc intercedit donatio ob quam possit retinere, nec subsequitur operatio ob quam acceptum est: idque non ex negligentia, vel malitia eius qui pretium dedit, sed potiùs ex eiusdem probitate, ne peccatum subsequatur. Si autem pretium detur & accipiatur, postquam completa est operatio prohibita, pro qua datur, tunc actus dandi & accipiendi pretium non est malus, sed iustus, & honestus, & ex parte dantis debitus ex iustitia. nam tradita re quæ venditur, obligatio subsequitur dandi pretium; nec impedit hanc obligationem causa turpis ob quam datur, quia quando operatio præcedit, actus subsequens dandi pretium non potest ordinari in operationem prohibitam tanquam in finem; finis enim posterior est in executione quàm media. Similiter acceptio eiusdem pretij pro homicidio iam perfecto, non est acceptio rei ad faciendum malum, quod iam peractum est, vt supponimus: vnde nullam malitiam potest ille actus habere, perinde atque acceptio pretij pro qualibet alia re honesta.

11. Duæ tamen supersunt difficultates explicandæ. Prima est, an quemadmodum propter operationes prohibitas contra alias virtutes, potest accipi pretium sine onere restituendi, similiter idem sit asserendum in operibus quæ sunt contra iustitiam, aliqui enim has operationes excipiunt. Ita Caiet. in summa verbo Restitutio cap. 4. dum asserit, iustitiam esse materiam inuendibilem. Et videtur colligi ex August. epist. 54. vbi docet, Aduocatum debere restituere quod accipit pro iniusto patrocinio: nec posse retinere mercedem iniquitatis. Et ratione probatur, quia opus iniustitiæ non est magis vendibile, quàm opus debitum ex iustitia: sed pretium acceptum propter huiusmodi opus, necessariò est restituendum: ergo potiori iure pretium acceptum pro opere iniusto, verbi gratia, pro homicidio, sententia iniusta, & aliis operibus contra iustitiam, retineri non potest.

12. Contraria verò sententia est probabilior, pretium acceptum propter huiusmodi opera, non esse necessariò restituendum. Ita Nauarrus cap. 17. num. 36. Vbi rectè docet in re præsenti, esse non posse differentiam inter opera contra iustitiam, & alia peccata. Idem tenet Nauarra lib. 4. cap. 2. dub. 12. & probatur à simili, quia ex communi sententia Doctorum, pretium acceptum pro adulte-

Digitized by Google

rio retineri poteſt: adulterium autem eſt contra iuſtitiam. Ergo malitia iniuſtitiæ ex ſe non magis impedit, quominus pretium validè accipiatur, quàm malitia aliorum peccatorum, contra alias virtutes. Deinde, quia in operibus iniuſtitiæ maiori ex parte intercedit aliquod periculum vitæ, aut famæ, v.g. in homicidio, & adulterio, & in actibus inferendi alia damna, aliquando etiam intercedit aliquod damnum, &, quod caput eſt, ſemper intercedit onus æſtimabile obligationis reſtituendi damnum, quæ obligatio naturalis primo loco obligat executorem operis iniuſti, &, vt conſtat, magnum affert nocumentum: ergo opus iniuſtum cuiuſuis generis ſit, materiam in ſe continet ſufficientem, ob quam pretium acceptum in conſcientia retineri poſſit, antequam accedat iudicis condemnatio.

13. Ad illud quod in oppoſitum adducitur ex Auguſtino, reſpondetur, præcipuè intelligendum eſſe de Aduocatis, qui cùm iniuſtè patrocinentur, decipiunt litigantes, vt putent habere cauſas probabiles, quæ deceptio iniurioſa eſt litigantibus, & ratio vt reſtitui debeat pretium acceptum pro iniuſto patrocinio. Ad rationem in contrarium ex difficultate ſequenti patebit ſolutio.

14. Poſterior difficultas eſt, an pretium acceptum pro aliquo bono opere debito ex præcepto, vel ne fiat aliquod malum prohibitum, ſit neceſſariò reſtituendum. In qua dicendum eſt, pretium acceptum pro opere debito ex iuſtitia, vel ne fiat peccatum contra iuſtitiam, neceſſariò eſſe reſtituendum etiam in foro conſcientiæ ante ſententiam iudicis: pretium verò acceptum pro operibus debitis ex aliis virtutibus, v.g. pro ieiunio, non eſſe neceſſariò reſtituendum, niſi fortè operationes ſint bona ſpiritualia quæ ſine ſimonia vendi non poſſunt, quale eſt opus baptizandi. Ita Nauarrus ſuprà num. 34. & ratio prioris partis videtur manifeſta, quia pretium acceptum vltra æqualitatem quæ eſt obiectum iuſtitiæ, iniuſtè acquiritur, ac proinde cum obligatione reſtitutionis, ſed pretium acceptum pro opere debito ex iuſtitia, vel ne fiat iniuſtitia, planè accipitur vltra æqualitatem, quæ eſt obiectum iuſtitiæ: ergo iniuſtè accipitur & cum obligatione reſtitutionis. Minor probatur, quia quando aliqua operatio, vel ceſſatio à mala operatione debetur ex iuſtitia, etiam ſine pretio debetur ad ſeruandam æqualitatem dati & accepti. ergo pretium quod ſuperadditur, neceſſariò eſt vltra æqualitatem dati & accepti. quare iniuſtum ac reſtituendum eſt. Dixi hanc obligationem eſſe quando opus alioqui ſine pretio debetur ex iuſtitia, ſunt enim quædam opera quæ à publicis miniſtris ex officio & iuſtitia fieri debent, non tamen ſine conſtituto pretio, qualia ſunt opera Notariorum & ſimilium.

15. Quòd verò pretium acceptum propter opera debita ex aliis virtutibus poſſit retineri, patet ex contraria ratione, quia quando huiuſmodi opera non debentur ex iuſtitia, non debentur ad ſeruandam æqualitatem cum iuribus aliorum. ergo quamuis ſuperaddatur pretium pro quo huiuſmodi opera fiunt, non læditur æqualitas iuſtitiæ, ac proinde cùm iniuſtitia non intercedat in foro conſcientiæ, non eſt obligatio reſtituendi id quod accipitur pro opere alias debito.

16. Vbi nota contra Vazquium pro iniuſta ſententia poſſe plus accipi, quàm pro iuſta, quia ſententiæ iniuſtæ nullum poteſt eſſe pretium, ac proinde illud erit quod inter ſe partes conuenerint: ſicut homicidij iniuſti nullum poteſt eſſe pretium, ſed illud in quo partes conueniunt & idem eſt de defloratione virginis. Nec obſtat D. Thom. ſuprà quæſt. 32. art. 7. & quæſt. 62. art. 5. aſſerentis ea quæ contra legis prohibitionem, aut turpiter acquiruntur, debere reſtitui. Nam D. Thom. loquitur de legibus inhabilitantibus, non verò de legibus prohibentibus præcisè.

Et quamuis valde probabile ſit iudices & miniſtros publicos accipientes munera lege poſitiua humana ſolùm ſibi prohibita teneri ad reſtitutionem nulla expectata condemnatione quando dantur, ex mera liberalitate, vel amicitia, vel gratitudine. Oppoſita tamen ſententia non minus probabilis eſt, quam tenet Molina tom. 1. de iuſt. diſp. 88. & communiter omnes qui exiſtimant leges pœnales non obligare in conſcientia ad pœnam, niſi poſt latam ſententiam iudicis, & ita etiam tenet Leſſius lib. 2. cap. 29. dub. 8. licèt mortaliter peccent accipiendo ea munera contra leges ea prohibentes & periuri ſint ſi iuramento ſe ad illa non accipienda obſtringant. 17.

SECTIO III.

An per ludos lege prohibitos transferatur dominium, ita vt non ſit obligatio reſtituendi.

LVdus nihil aliud eſt, quàm dictum, vel factum, ad oblectationem acceptum. Vnde ſic diffiniri poteſt. *Eſt contractus, mediis aleis, aut chartis pictis quo colludentes inter ſe paciſcuntur quòd ex ſorte chartarum licitè habuerint.* ludus autem ſecluſis legibus humanis, ſtando in iure naturali, non eſt illicitus, nec peccatum, imò ſi exerceatur cum debitis circunſtantiis, eſt actus virtutis Eutrapeliæ, id eſt, iucunditatis, & affabilitatis: quia cùm homo tam quoad corpus, quàm quoad animam, ſit limitatæ virtutis, indiget aliquo leuamine. Sæpiùs verò ex accidentibus & adiunctis, graue peccatum eſt, & ideo acriter à Sanctis reprehenditur, & Iob 3. dicitur: *Nunquam cum ludentibus miſcui me*, & Ierem. 15. *Non ſedi cum ludentibus in conſilio.* Frequenter enim in ludis miſcetur periuria, blaſphemiæ, rixæ, odia, & ſimilia, vel quando ludus fit cum detrimento notabili vxoris & filiorum, ſubtrahendo eis alimenta debita; vel etiam cùm quis ob ludum impotens ſit ad debita ſoluenda: in his enim caſibus nullus dubitat eſſe peccatum lethale. Et quamuis nonnulli exiſtiment, grauiter peccare ludentes, præcipuè propter lucrum notabile acquirendum, & non propter animi laxitatem. Verius tamen eſt, poſſe ludum inſtitui & exerceri præcipuè propter ſolum lucrum, ſeruata aliàs iuſtitia & veritate. nam negotiari propter lucrum nullo adhibito malo fine, neque eſt malum, neque peccatum. 18. Iob 5. Ierem. 15.

Cùm autem ludus ſit quidam contractus humanus, tres conditiones requirit, vt iuſtus & honeſtus ſit, iuxta communem Doctorum ſententiam. Prima, vt ludentes habeant liberam rei diſpoſitionem quam in ludum deponunt: vnde qui per ludum non poteſt transferre dominium, nec alienare rem ludo perditam, iure naturæ, non poteſt ludere, & lucrans tenetur lucrum reſtituere. Secunda, vt alter alterum non trahat ad ludum per iniuriam, vt fraude, metu, minis, &c. Si enim ſic fuit tractus à lucrante, tenetur etiam lucrans reſtituere, cùm ſit cauſa damni alterius per iniuriam. Tertia denique, vt non vtatur fraudibus contra leges ludi. 19.

Et

20. Et ex prima conditione infertur, ſeruos, filiosfamilias,& vxores,non poſſe ludere cùm enim hi non habeant dominium,nec liberam rerum adminiſtrationem, nequeunt validè in alterum dominium transferre; ſicut nec validè poſſunt donare, niſi filijfamilias habeant bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia: quòd ſi hæc non habeant, tam illi, quàm vxores paruam ſummam ludant, inſpecta qualitate perſonarum, vt ſuprà dicebamus: ſic enim nec filij, nec vxores peccant ludendo;nec lucrantes tenentur reſtituere, etiamſi pater vel vir nolit, vt filius, vel vxor quantitatem illam moderatam ludant: ſemper enim intelligendi ſunt nolle in totum fores illis claudere, ſed ad moderandum: quòd ſi expreſsè contradicant etiam ad rem minimam,adhuc exiſtimo poſſe filios,& vxores illam ludere; hoc enim pertinet ad leuamen naturæ,& tunc pater, vel vir, non eſſet rationabiliter inuitus, & ob eamdem rationem cenſeo Religioſos non poſſe ludere, quia non poſſunt transferre dominium, niſi valdè moderatè, & de licentia ſui Prælati, quam licentiam ſuperior nequit concedere, niſi cum eadem moderatione: aliàs peccaret mortaliter; vteretur enim ſua facultate non in ædificationem, ſed potiùs in perniciem & deſtructionem, ſed de hoc iterum infrà, vbi obſerua, lucrantem ab iis,qui non ſunt ſui iuris ad perdendum notabilem quantitatem, non teneri totam reſtituere, ſed ſufficere reſtituere illam, quam non poterant perdere, ſeu exceſſum illum: quia contractus ille ludi non eſt omnino nullus, ſed tantùm quoad illum exceſſum, ita doctè Sanchez lib. 1. Conſiliorum,cap. 8 dub.7.

21. Vbi etiam obſeruat, quòd quamuis filiusfamilias, ſtando in ſubtilitate iuris, non poſſit ludere die ſequenti, quod præcedenti lucratus eſt; quia quidquid acquirit filius, patri acquirit: at ſtando in æquitate conſcientiæ,ſi ludat cum eodem à quo lucratus eſt, & perdat; poteſt alter compenſare id quod perdiderat, nec teneri ad id reſtituendum: quia ex æquitate naturali pater qui ſentit illud commodum, debet etiam ſentire hoc onus, niſi filius lucrum primum prodigè inſumpſiſſet, & diſſipaſſet: cùm enim non ceſſerit in patris vtilitatem, æquum non eſt vt pater damnum ſentiat: imò poſſe filium ludere & perdere totam illam quantitatem lucro acquiſitam cum quocumque voluerit,cenſet idem Sancius dub. 8.

22. Circa ſecundam verò conditionem, quamuis Molina diſp. 516. exiſtimet, quando quis minis, vi, vel metu trahitur ad ludum,tunc victorem non teneri ad reſtitutionem; oppoſitum tamen exiſtimo probabilius, quia tunc contractus fuit per iniuriam extortus, ac proinde ratione iniuriæ ex qua damnum alteri obuenit, tenetur ad reſtitutionem damni ex illo ſecuti, & ita tenet Leſſius lib. 2. cap.26. & Sancius ſuprà dub.9. Nec obſtat, quia talis abſolutè voluntariè luſit, & ſolùm ſecundùm quid inuoluntariè: voluntarium autem mixtum ſufficiens eſt ad transferendum dominium, præcipuè in contractu oneroſo; vt conſtat in eo qui inuitus vendit domum iuſto pretio. Nam, vt rectè Leſſius, cùm contractus ille vi, vel fraude fuerit extortus, poteſt reſcindi, & res alienata recuperari. nam ratione iniuriæ eam patienti competit actio in rem, & in perſonam. Idem dicendum eſt, quando quis nimiis importunitatibus trahitur ad ludum, quibus non poteſt reſiſtere hæc nota, ita vt aliàs haberetur nimis agreſtis, & durus. nam cùm ludus recreationis gratia inſtitutus ſit, debet eſſe omnino ex libera voluntate, vt per illum dominium transferatur. Sic verò tractus, ſiue minis, ſiue precibus importunis,non tenetur ipſe lucrum reſtituere. Nec obſtat, quia ludus cùm ſit quidam contractus, debet in eo ſeruari omnimoda æqualitas, ita vt vel vterque, vel neuter ludentium lucrari poſſit. Nam,vt rectè Sancius dub. 11. ex culpa alterius ludentis, optimè poteſt hæc inæqualitas in ludo reperiri. v. g. ſi quis falſis chartis ludat, nequit lucrari; ponit enim impedimentum lucro ex parte ſua: quod tamen non obſtat, quin colluſor lucrari queat,cùm impedimentum ex parte ipſius non apponatur; ſimiliter qui facit iniuriam in numero pactorum, vel calculorum, non poteſt lucrari; bene tamen colluſor:qui enim facit iniuriam, ſponte ſubit hoc onus; ac proinde ſibi ipſi imputet, ſi commodum ex ludo reportare non poſſit, & hoc cenſeo probabilius, licèt oppoſita ſententia probabilitate non careat.

23. Ex tertia verò conditione infertur, vtentem fraudibus contra leges ludi, teneri non ſolùm ad reſtitutionem eius quod lucratus eſt, ſed etiam ad reparationem damni quod incurrit, qui alioquin lucraturus erat: vt communiter tenent omnes Doctores; quare qui aliquid in ludo lucratur, eo quòd chartas ſuffuratus eſt, vel taxillos adulteratos ſuppoſuit; vel quia reiicit, vel occultat chartas; vel ſibi numerat plura puncta; vel alteri pauciora: item qui ſignat chartas, vt eas cognoſcat, vel ita eas ordinat,vt ſors felicior ſemper ſibi contingat, tenetur ad reſtitutionem eius quod ſic lucratus eſt, & etiam lucri, quod probabiliter impediuit in colludente: qua obligatione non tenetur is qui iuxta leges ludi tacito ludentium conſenſu receptæ, vtitur licitis cautelis: quare qui habet potiores ludi partes, & neceſſariò victor euaſurus eſt, poteſt augere ſponſionem, ſeu auctionem, & licitè lucrabitur: hæc enim cautela licita eſt,iuxta leges ludi tacito ludentium conſenſu approbata, eſt etiam æqualis vtrique ludenti: at ſimulans peritiam; vt alterum alliciat, tenetur lucrum reſtituere, niſi bona fide neſciens alterius inſcitiam ludat: ſi enim ſciat notabiliter excedere alium in arte ludendi, tenetur lucrum reſtituere: tunc enim contractus non eſt æqualis. Idem eſt de eo qui ſe fingit ludi ignarum; manifeſtumque ſuum exceſſum occultat, vt colludentem decipiat: quod etiam conſtat ex ſponſionibus, quæ quidem vt licitè ſint, vterque debet eſſe dubius de futuro euentu. nam ſi alter eſſet certus, teneretur lucrum reſtituere.

24. Difficultas tamen eſt, an qui ludo vetito aliquid eſt lucratus, teneatur ad illius reſtitutionem. Affirmant nonnulli, inter quos eſt D. Bonauent. in 4. diſt. 25. Communis tamen ſententia negat, videlicet acquiſita ludo prohibito, vt aleis, & chartis, licitè poſſe retineri; nec eſſe obnoxia reſtitutioni ante iudicis condemnationem, & ratio eſt, quia contractus ludi iure naturæ habet vim transferendi dominium; ex eo autem quòd iure poſitiuo, ludus ſit prohibitus, non impeditur dominij tranſlatio. nam, vt ſuprà dicebamus, aliud eſt contractum eſſe illicitum; aliud verò eſſe irritum. nam multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent. Nec obſtat illud quod in contrarium adducitur ex l. *Aleatorum*. Cod. de Aleatoribus. *Nulli liceat in publicis, vel priuatis domibus, vel locis ludere, neque in genere, neque in ſpecie; & ſi contra factum fuerit, nulla ſequatur condemnatio, ſed ſolutum reddatur*. Nam hæc verba, *ſolutum reddatur*, exponuntur

per verba sequentia: *& competentibus actionibus repetatur ab his qui dederint*, &c. & sic intelliguntur post iudicis sententiam. Et ex eisdem verbis infertur, quando is, qui ludo amisit, itavt habeat ius repetendi coram iudice; si repetat extra iudicium & priuatim, alterum non teneri restituere; nec posse compensationem occultè facere, quia tantùm tenetur restituere facta iudicis condemnatione, quæ verba significant tantùm repetitionem in iudicio.

25. Oppositum censeo esse dicendum de Clericis & Religiosis, ludentibus ludis prohibitis, ex cap. *Episcopus*, dist. 35. & cap. Clerici 2. de vita & honestate Clericorum. Qui Canones renouati sunt per Trident. sess. 22. cap. 1. de reformatione, & intelliguntur, non de quibusuis Clericis, sed de beneficiariis, & de sacro Ordine insignitis; non verò de solis minoribus Ordinibus initiatis. Intelliguntur etiam, quando sæpè his ludis incumbunt; non verò quando semel, vel iterum citra scandalum ludunt: quia, vt colligitur ex dicto capite, *Episcopus*, prohibetur ibi grauiter hæc consuetudo; quia valdè dedecet virum Ecclesiasticum frequenter ludere; non verò ita est indecens eius statui semel, vel iterum ludere, ex quo fit, vt illud sit mortale, non verò istud. Et multo magis hi ludi sunt indecentes statui Religiosorum, vt rectè notat Sanchez dub. 28. ex doctrina Soti, Salcedi & aliorum, vix posse excusari à mortali, nisi rarò id fiat ob recreationem honestam.

26. Vbi obserua primò eum, qui fecit iuramentum, vel votum absolutè, de non ludendo ampliùs, obligari ad abstinendum à ludo, etiam modicæ quantitatis si id expressit, vel saltem intendit: quia quamuis prædictus ludus sit actus virtutis; votum tamen vel iuramentum emissum de abstinendo ab eo, est validum; cùm sit de potiori bono: sicut votum de abstinendo à matrimonio validum est, licèt matrimonium sit res bona, & sacramentum: si autem finis iurantis sit vitare iacturam, & prodigalitatem pecuniæ; tunc ex quantitate pecuniæ ludo expositæ, iudicanda est culpa ludi, an sit venialis, aut mortalis: si denique iuramentum sit de non ludendo cum certa & determinata persona, vel in domo certa, vel determinato ludo; hæc iuramenta non obligant cùm sint de re indifferenti, nisi ex tali ludo, vel cum tali persona, aut in tali loco, aliqua occasio peccati, vel amissionis maioris summæ pecuniæ, timeretur; tunc enim materia talium iuramentorum, iam non maneret indifferens.

27. Obserua secundò, subministrantes domum, mensam, aleas, & chartas indifferenter omnibus ad ludendum ludo prohibito, esse peccatum mortale: nec Principes posse concedere ad id licentiam; imò nec permittere, quia licèt ludus ex se sit res indifferens, moraliter tamen semper ibi destinatur ad prauum vsum. nam vel blasphematur, vel dilapidantur bona, vel rixæ excitantur, vel ibi ludunt minores, vel furta committuntur; & rarissimè absque peccato mortali exercetur; ac proinde peccant exponentes domum supra dicto ludo; & Principes id permittentes, vel non prohibentes. Nec obstat licitum esse ministrare, & vendere res indifferentes, etiam cum cognitione praui vsus: ergo etiam erit licitum præbere instrumenta ludentibus, cùm ludus ex se indifferens sit: sicut est licitum locare domum, vel vendere ornamenta meretrici. Hoc, inquam, non obstat, quia quamuis licitum sit ministrare indifferentia, cum cognitione praui vsus, quando non ministrantur in ipso exercitio, v. g. locare domum, ac vendere ornamenta meretrici; quia hæc non ita directè, immediatè, & proximè, sunt adiumento illi ad peccandum. Contrarium tamen euenit in nostro casu, vbi domus, & instrumenta ad ludendum, ministrantur in ipso exercitio, & magis directè, immediatè, ac proximè: quare censeo hoc esse valdè scrupulosum, & rarò à mortali excusari prædicta ministrantes, vt rectè Sanchez in summa lib. 1. cap. 7. num. 39.

Sectio IV.

An fraudantes tributa, aut vectigalia, peccent mortaliter, & teneantur ad restitutionem.

28. QVamuis, propriè loquendo, tributum, & vectigal inter se differant, vt colligitur ex Paulo ad Rom. 13. vbi ait, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, & cui vectigal vectigal*; tributum enim significat pensionem, quæ subditis soluenda imponitur iuxta cuiusque facultates, præsertim prædiales ad Principis dignitatem, vel communia impendia sustinenda. Vectigal verò significat pensionem pro rebus quæ exportantur, vel importantur in ciuitatem, vel prouinciam, vel pro transuectione mercium, per pontes & flumina; vel à transeuntibus per aliquam viam, seu locum pro custodia viarum; vel ex rebus venditis, aut permutatis, vt notat Lessius cap. 33. in initio. Nos tamen indiscriminatim loquimur de tributis, & vectigalibus, in ampliori significatione. Rom. 13.

29. Vt autem tributum, seu vectigal sit iustum, tres conditiones præcipuè requiruntur. Prima, vt imponatur ab eo qui habet legitimam auctoritatem. Secunda, vt sit causa iusta imponendi. Tertia, vt debita proportione imponatur. Gaudent autem facultate imponendi tributa solùm hi, qui in suo regimine non agnoscunt superiorem. v. g. Concilium generale, imò & Summus Pontifex à quo Concilium robur accipit, Imperatores, Reges, & Respublicæ non agnoscentes Superiorem; Potentatus etiam mixtum habentes imperium, vt Dux Sabaudiæ, & alij similes: cuicumque etiam Reipublicæ, seu communitati, licèt sibi ipsi imponere tributa ad communes, & necessarias populi necessitates subleuandas: aliàs qui sine legitima auctoritate tributa imponunt, excommunicantur in Bulla Cœnæ Domini. Causa autem iusta ad imponenda vectigalia, vel est necessitas publica, vt ad bellum iustum inferendum, ad tuendum Regnum, vel Rempublicam, & ad redimendam eam ab aliquo onere, vel debito, & prouidendum de necessariis victui & annonæ; vel ad compensationem sumptuum, & damnorum acceptorum, ad quas reducuntur aliæ causæ, quæ à Doctoribus communiter assignantur: vt quando Principis patrimonium non est sufficiens ad sustentandam ipsius auctoritatem: vel ad collocandam filiam eius in matrimonio: vel ad filium eius è captiuitate redimendum. Denique tributa debent imponi in his rebus, & cum tali proportione, vt pauperes non grauentur præ diuitibus; & ne vltra necessitatem propter quam sunt imposita prorogentur, nisi superueniat aliqua necessitas æqualis, vel maior.

30. His igitur conditionibus seruatis difficultas est, an fraudans tributa lethaliter peccet, & ad restitutionem

tutionem teneatur? Negat Nauarrus cap.23.n.55. cuius fundamentum est, quia hæc vectigalia frequenter imponuntur per statutum, nullum continens verbum præceptiuum, sed tantùm per verba ordinationis, videlicet vt quis soluat vectigal illud sub pœna cadenda in commissum: imò etiam si verbis præceptiuis imponerentur, non obligarent sub mortali, sed satis esset soluere illam pœnam impositam. Nihilominus vera, & communis sententia tenet, huiusmodi tributa obligare in conscientia ante omnem iudicis sententiam; sicque ea defraudantes peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. & colligitur aperte ex illis verbis Christi Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*, & ad Rom.13. *Cui tributum tributum.* Et ratio est, quia tributa non sunt pœnæ, vt minus verè existimat Nauarrus, sed sunt institutæ tanquam præmium & merces Principis, pro labore quem sustinet in conseruanda, & gubernanda Republica: sicut datur merces mercenario; ac proinde lex vectigalium est iusta, quia vectigalia iure naturali debentur, quamuis determinatio quantitatis sit de iure humano: quod autem iustè debetur, non potest absque iniustitia defraudari; ergo vectigalia defraudans peccat lethaliter contra iustitiam, & consequenter tenetur ad restitutionem. Quod confirmatur exemplo decimarum: sicut enim decimæ debentur Prælatis Ecclesiæ ob gubernationem spiritualem: ita vectigalia debentur Principibus secularibus ob gubernationem temporalem; ergo sicut facta determinatione decimæ partis soluendæ Prælatis Ecclesiæ in stipendium sustentationis, tenentur singuli decimam illam soluere: ita similiter facta determinatione vectigalis, tenentur singuli lege iustitiæ, illud Principi soluere; quia vtrobique est eadem ratio.

Matth 22. Rom.13.

31. Vbi obserua primò illos, qui bona fide sine fraude, & dolo vendunt merces suas in absentia exactorum, vel transuehunt ex vno loco in alium, palam, & per rectum iter, non peccare mortaliter non soluendo tributum; nec teneri ad restitutionem: esset enim nimis durum vt teneretur quis inquirere exactorem, etiamsi ille percipiat gabellas ex causa onerosa locationis, quia, vt recte Sanchez lib.2. cap.4. dub.10. hoc tributum est talis naturæ, vt non debeatur nisi petatur: quamuis non sit omnino improbabile illos qui consultò occultant merces, ne ab illis tributum exigatur, non peccare, nec teneri illud soluere donec petatur: oppositа tamen sententia tutior, & longè probabilior est.

32. Qui verò dubius est de iustitia vectigalis impositi, & dubitatione proposita, & collata cum viris doctis, adhuc remanet æquè dubius, non tenetur soluere in conscientia: quia subditus est possessor suæ libertatis, & immunitatis à vectigalibus; in dubio autem melior est conditio possidentis, nec obstat in dubio præsumendum esse pro Rege, quia hoc non est verum, nec procedit quando agitur de ipsius interesse, vt docet Ioan. de la Cruz relatus à Diana 4.part. tract.1.resol.40. similiter quamuis consuetudine possit induci, vt soluatur vectigal pro his quæ quis ad vsum proprium & suæ familiæ defert; quia tamen hæc consuetudo non videtur valde consona iuri naturali; iniustum enim & irrationabile est, plus grauare minus grauandos, scilicet pauperiores, qui certè plus grauantur si vectigal imponatur rebus portatis ad vsum, cùm pluribus indigeant, & plura vehant ad vsum ipsorum; non ita facilè sunt condemnandi, nec obligandi ad restitutionem, si huiusmodi vectigalia defraudent pro rebus ad vsum impositа, vt rectè Corduba in summa quæst.95. dub.2.

Denique obseruandum est, Clericos & Religiosos, immunes esse quoad personas, & omnia bona, quæ non causa negotiandi deferunt, à quibuscunque vectigalibus & gabellis; & ab eis ea exigentes contrahere excommunicationem, quod intelligendum est de clericis beneficiariis, aut in sacris constitutis. nam quamuis stando in iure communi, omnes Clerici etiam primæ tonsuræ, gaudeant hac exemptione, iam consuetudine introductum est, vt si actu beneficium non habeant, non sint exempti ab onere gabellarum. Nomine autem Regularium etiam intelliguntur Nouitij; vt rectè Molina disp.671. quia Nouitius verè est de familia monasterij, & pars communitatis exemptæ. Quando verò ob publicam vtilitatem cum consensu cleri imponitur gabella super eius bona, superior laicus non potest illos ad soluendum compellere, nec possunt conueniri coram iudice seculari, sed coram iudice Ecclesiastico, à quo debent ad soluendum compelli: quòd si in contrarium extat consuetudo, non est dicenda consuetudo, sed corruptela per sacros Canones reprobata. nec obstat quòd quamuis iudices laici non possint punire Clericos in persona; possunt tamen in eorum bonis quæ quidem sunt temporalia, & Clericum respiciunt, non vt Clericum, sed vt dominum temporalem. Non enim falsum est, vt rectè Suarez contra Regem Angliæ lib.4. cap.24. Nam eo ipso quòd persona Clerici exempta est à laicali iurisdictione, exempta sunt etiam eius bona. Vnde minus approbo consuetudinem nostri Regni occupandi bona temporalia Ecclesiasticorum, videtur enim pugnare cum cap. vnico, de Clerico coniugat. in 6. vbi decernitur, *quòd persona Clerici non possit in rebus molestari; ne per vnam viam concedatur, quod per aliam denegatur*, vt rectè etiam annotauit Diana 1.part. tract.2. resol.41.

33.

DISPVTATIO IX.

De restitutione rerum spiritualium

SECTIO I.

An qui induxit alium ad peccandum, teneatur restituere.

1. PARTEM affirmantem sequitur Scotus in 4. dist.15. quæst.3. art.1. sicut qui inducit alium ad furandum, vel aliud damnum faciendum, si tale damnum sequatur, tenetur ex iustitia illud resarcire; ergo multo magis qui damnum intulit spirituale, faciens vt alter perdat gratiam per peccatum mortale. Nihilominus oppositа sententia communis est, & tenenda: videlicet, eum qui vi, metu, vel fraude alterum ad peccatum induxit, teneri ex iustitia ipsum suæ libertati restituere, tollendo illam vim: si verò sine vi vel fraude ad peccatum induxit, non teneri ex Iustitia curare, vt conuertatur, nisi lege charitatis.

Prior

Digitized by Google

Prior pars est manifesta, quia eo modo reducitur inæqualitas facta ad æqualitatem. nam minari, vel inferre vim sine legitima auctoritate, est contra iustitiam; ergo ex iustitia tenetur illam auferre, vt inæqualitas ad æqualitatem reddatur. Ex quo

2. Infertur primò decipientem alium, falsam doctrinam docendo, teneri docere verum, & ex iustitia liberare illum à deceptione: sicut qui puellam ad libidinem induxit, dicendo non esse peccatum, tenetur ex iustitia deceptionem auferre; quia facit contra ius alterius, quod habet vt non decipiatur; & sic tollitur quasi vis in deceptione facta.

Infertur secundò qui ex officio tenetur docere veritatem, vt Doctor, Confessor, Prædicator, Medicus, si falsam doctrinam doceant, vel Medicus noxium medicamentum, teneri ex iustitia retractare doctrinam, & vtilem consonamque veritati, docere.

3. Posterior pars etiam est manifesta, quia ille non facit iniuriam, & cùm sine vi induçat, non abstulit aliquid ab inuito: quia inductus sciens & prudens peccauit; ac proinde non est illi illata iniuria, ex quo fit, si sine deceptione, ita vt alter sciat quid faciat, alium induxerit ad peccandum, ex hoc præcisè non teneri illi aliquid restituere ex iustitia; cùm alter sciens, & volens voluerit amittere gratiam, quamuis ex charitate vel alia virtute, teneatur ad corrigendum illum ex præcepto correctionis fraternæ positis conditionibus requisitis: alias sequeretur, dantem consilium alteri, vt dissipet sua bona liberè, teneri ad restitutionem bonorum dissipatorum ipsi dissipanti: quod tamen nemo dixit, neque est in vsu apud sapientes confessarios; scienti enim, & volenti nulla fit iniuria, & dominus liberè sua bona dissipauit; ergo similiter in proposito.

Sectio II.

An impediens alium ab ingressu Religionis, vel extrahens illum à Religione, teneatur aliquid restituere.

4. Scotus vbi suprà quæst. 3. censet, teneri ad restitutionem, id est, reducere illum ad Religionem si professum, vel verè iam religiosum extraxit: & idem docet de impediente alium volentem ingredi affectu nocendi Religioni, teneri scilicet inducere illum ad Religionem. Alij verò existimant, illum qui extraxit professum, teneri vel reducere illum, vel se ipsum Religioni tradere; etsi hoc non possit recompensare, vel pecunia, vel alio modo. Alij denique, teneri vel se ipsum offerre, vel alium similem: sicut communiter dicitur de extrahente mancipium à potestate domini.

5. Conueniunt tamen Doctores, retrahentem iusta causa alium à Religione, vel illum extrahentem ne post ingressum profiteatur, ad nihil teneri; quia non violat aliquod ius, vt si ille qui vult ingredi, non sit vtilis Religioni; vel ob imbecillitatem, ob malam indolem; vel ratione alterius impedimenti; vel quia habet parentes, fratres, sorores, in graui necessitate constitutos. Conueniunt secundò, si hoc fiat precibus, vel alio simili modo, non esse contra iustitiam respectu volentis ingredi; quia scienti & volenti non fit iniuria; neque etiam respectu Religionis, quia illa in hoc casu non habet aliquod ius in volentem ingredi: & idem est de extrahente, simili modo nouitium à Religione. Itaque tota difficultas est de eo qui malitiosè, & per fraudem impedit alterum ne ingrediatur Religionem, vel illum à Religione extrahit. In qua idem dicendum est quod suprà diximus de impediente per vim, vel fraudem alium à consecutione boni, vel donatione respectu volentis dare; tenetur enim restituere secundùm spem boni futuri; vel damni ex illa vi, vel fraude secuturi: habet enim ius donatarius, vel hæres instituendus à volente, ne ab hoc impediatur per vim, vel fraudem; licèt adhuc non intelligatur habere ius ad bona absolutè: ita similiter iudicandum est respectu Religionis, in illo, qui per vim, vel fraudem impedit alium à Religione, vel ab ea extrahit nouitium: vnusquisque enim habet ius iustitiæ, ne per iniuriam, & fraudulenta media, impediatur à consecutione boni quod alter illi conferre vult, & in eo illi fit maxima iniustitia, & iniuria, ex quo fit, teneri ad restituenda omnia damna temporalia secundùm eam quantitatem, qua fructus in spe communiter æstimari solent, consideratis circunstantiis bonorum mutabilitatis humanæ, & aliis impedimentis, quæ hìc interuenire poterant: non tamen tenetur ingredi Religionem, quia hic ingressus debet esse omnino voluntarius, & ex diuina vocatione, & non ex necessitate: quamuis si vocatus à Deo ingrederetur, & esset æqualiter Religioni vtilis, sufficienter satisfaceret.

6. Secundò dicendum est, extrahentem à Religione iam professum, teneri restituere Religioni, si quid ex testamento vel donatione erat obuenturum Religioni, & propter hoc non obuenit: quia Religio habebat ius in illa bona ratione illius Religiosi, quod impeditur iniustè per consilium alterius, seu ex tali extractione. Ita Vazquez cap. 8. dub. 2. & Turrianus disp. 15. dub. 2. Ratio huius est, quia Religiosus post professionem ex iustitia pertinet ad Religionem; hæc enim iustitia immediatè oritur ex ipsa professione, quæ est contractus quidam oneroſus, vltro citróque obligatorius, quo professus obligatur ad permanendum in Religione, laborandum & seruiendum in omnibus in quibus iussus fuerit, iuxta Religionis institutum: & Religio ipsa obligatur ad retinendum & alendum eum, vt tradunt Sanchez 7. de matrim. disp. 15. & Suarez 3. de Religione lib. 6. cap. 2. ergo fit contra iustitiam priuando Religionem iurisdictione in illum, siue possessione iurisdictionis; ac proinde qui extraxit illum professum, tenetur curare reducere illum Religioni, vt redeat ad iurisdictionem superioris: sicut qui iniustè extraxit alium à carcere, tenetur curare vt ad carcerè redeat. Quòd si Religiosus ille vtilis erat Religioni, si non suppleatur per aliũ Religiosum eiusdem Religionis damnum temporale, tenebitur restituere dans consilium. v. g. si habebat cathredam in Vniuersitate, & ex illa sumptus percipiebat Religio, quos perdidit propter egressum illius. Quamuis satis probabile sit, lucra quæ acquireret professus manendo in Religione, docendo, vel concionãdo, non teneri consulentem, aut suadentem fugam, ea restituere; quia hæc lucra nondum erant acquisita: vnde sicut Religiosus sine iniustitia poterat nõ acquirere hæc lucra, non concionando, vel legendo: ita qui sine vi, & fraude suasit prædictam omissionem, consulendo fugã, non est causa iniusta ex qua immediatè oriatur illud damnum, & obligatio restituendi. Ita Fagund. lib. 7. Decalog. c. 32. n. 9.

DISPVTA

DISPVTATIO X.

De restitutione famæ.

SECTIO I.

An homo sit dominus suæ famæ.

1. NON agimus de fama, vt à Iurisperitis definiri solet: *Illæsa dignitatis status legibus, & moribus comprobatus:* vel, vt alij volunt: *Fama est id quod à maiori parte populi publicatur.* Nam fama priori modo non fundatur in honestate, sed in capacitate ad publicos honores; & quia eam non habet, dicitur infamis: posteriori verò modo sumitur tantùm pro rumore, & sermone externo. Hac ergo fama relicta, apud Theologos in hunc modum rectè diffinitur: *Multorum æstimatio de aliquo concepta circa eius vitam & mores.* Vnde bona fama est bona existimatio multorum de moribus, & vita alterius: mala verò fama est mala existimatio multorum de moribus, & vita alterius. Fama autem potissimè oritur ex virtute, & sapientia alicuius, & ex operationibus quæ ex sapientia, & virtute procedunt. Secundariò verò ex eloquentia, nobilitate, robore, pulchritudine, potentia, &c. Ex quo fit, famam & infamiam formaliter consistere in iudicio, & æstimatione interna hominum, bona, vel mala circa aliquem eiusque vitam, & mores, quamuis, vt prædiximus, sermo, siue rumor ille externus, quo nostram æstimationem erga aliquem declaramus, fama communiter dici soleat.

2. Differt autem fama ab honore, quia honor ex D. Thoma infrà quæst. 103. art. 1. nihil aliud est, quàm testificatio quædam excellentiæ alterius, verbis, vel signis facta: vel, vt vult Aristot. 1. Ethicorum. Exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis. Vbi nomine virtutis, excellentiam aliquam superioritatis, quam in alio recognoscimus, intelligit Philosophus. Sicque fama consistit in interna opinione, seu æstimatione excellentiæ, & rerum præclarè gestarum alterius: honor verò in externa significatione nostræ æstimationis, qui verbis, aut signis externis fieri potest: & præcipuè signis, vt corporis submissione, capitis inclinatione, & similibus, ex quo fit, honorem esse quid excellentius fama; quia includit æstimationem excellentiæ alicuius, & præterea addit eius testificationem: ac proinde Aristot. 4. Ethicor. cap. 3. dixit: *Honorem esse maximum inter bona externa*, quod probat, quia principatus, & diuitiæ propter ipsum appetuntur. Ex quibus etiam facile intelligitur quid sit dedecus: est enim testificatio malæ opinionis, seu æstimationis alterius, verbis, vel signis manifestata.

Aristot.

3. Prima conclusio, homo est verè dominus suæ famæ, sicut & aliarum rerum externarum. Ita D. Thomas quæst. 64. art. 5. & quæst. 73. art. 4. ad 2. vbi ita ait: *Certum est in cuiusque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in detrimentum alterius.* D. Thomam sequuntur communiter Recentiores, contra Caietanum, & alios oppositum dicentes. Et probatur primò, quia fama acquiritur sicut & aliæ res externæ, & est fructus proprij operis; ergo homo est illius dominus, sicut & cæterorum quæ acquirit. Secundò, quia homo condonat sæpè licitè famæ restitutionem; ergo verè est dominus illius, aliàs non posset condonare, cùm nemo possit disponere de re aliena: & quamuis condonemus iniuriam in abscissione membri, & etiam satisfactionem pro damno; non tamen propriè condonamus abscissionem membri, quia non sumus domini membrorum: at propriè condonamus famæ restitutionem; ergo sumus domini illius. Tertiò, quia sæpè nos infamamus ad petendum consilium, ad humiliationem nostram, & ad remedium superbiæ: vt fecit S. August. in libro suarum confessionum; ergo verè sumus domini. Quartò, quia quando alium iniustè infamamus, tenemur ei restituere famam, si non condonet, etiamsi opus sit cum infamia nostra. Et denique, quia vel homo est dominus suæ famæ, & honoris; vel alter: si ipse; ergo potest de illa disponere: si alter; ergo ille alter non peccat contra iustitiam auferendo ab illo honorem: quod tamen est falsum.

Thom.

4. Secunda conclusio, tunc peccat quis contra iustitiam se infamando, quando simul infamat alios: vnde Religiosus peccat contra iustitiam se infamando, si infamat Religionem: vt peccat mercator qui comburit merces proprias, & alienas. Similiter Episcopus, Prælatus superior, & quælibet persona publica, regulariter loquendo, peccat contra iustitiam se infamando; cùm enim illius fama sit necessaria proximis, vel ad bonam gubernationem; tunc propter damnum secutum in proximo, peccat contra iustitiam se infamando, & tenetur illi damnum restituere.

5. Obiicies, quia fama plus æstimatur, quàm vita; ergo cùm homo non possit disponere de vita, multo minus poterit de fama. Sed quidquid sit de veritate antecedentis, negatur tamen consequentia, propter rationem dictam; videlicet, quia homo potest disponere de rebus quas acquirit, & quorum est dominus; non autem de vita quam non acquisiuit, nec sub eius dominio est.

6. Ex quibus infertur, nos esse propriè dominos nostræ famæ, & ita posse nos infamare: & quamuis quando non est iusta causa, non sit licitum famæ iacturam facere, iuxta illud Ecclesiastici 41. *Curam habe de bono nomine*; ex hoc tamen non sequitur, nos non esse verè dominos illius: sicut sumus domini aliorum bonorum temporalium, & tamen non possumus licitè sine iusta causa ea prodigere. Vnde præcisè loquendo, qui sine iusta causa se ipsum infamaret, non peccaret contra iustitiam; sed tantùm contra magnanimitatem, quæ versatur circa moderationem seruandam in appetitu famæ & honoris: sicut etiam & liberalitas versatur circa moderationem appetitus diuitiarum.

Eccli. 41.

SECTIO II.

Quid sint detractio, & contumelia: & quodnam peccatum ex suo genere.

QVando quis occultè infamat alium, dicitur detrahere, siue mordere occultè famam illius: ac proinde *detractio est iniusta lasio, aut denigratio bonæ famæ alicuius*, ex D. Thoma suprà q. 63. art. 1. vel, vt alij volunt, *detractio est alienæ famæ iniusta diminutio.* Vnde ad detractionem duo requiruntur. Primum est, vt aliquid ita dicatur, vt fama apud alios existens, vel denigretur, vel violetur.

Secundum

Secundum est, vt fiat occultè, saltem ex intentione detrahentis; si enim quis in præsentia detrahat, non erit detractio, sed contumelia. In hoc ergo differt detractio à contumelia, quòd detractio fit occultè, & in absentia: & quia detractio directè lædit famam, & contumelia honorem. Ex quo fit contumeliam, cæteris paribus, esse grauius peccatum detractione, cùm in præsentia, & magis contra voluntatem patientis fiat: sicut rapina est maius peccatum furto; illud enim fit cum manifesta violentia, furtum verò clam & sub dolo. Octo autem modis potest fieri detractio, quatuor quidem directæ, & quatuor indirectæ. Directè imponendo crimen falsum, amplificando crimen verum, pandendo crimen occultum, sinistrè interpretando crimen alterius factum. Indirectè, negando rectè facta, vel dotes alterius; extenuando bona alicuius, tacendo bona illius; frigidè laudando factum alterius.

8. Ex suo genere detractio est peccatum mortale, leuius homicidio, grauius furto ex D. Thoma quæst. 73. art. 3. Nam fama maius bonum est pe-
Prouerb. 22. cunia Prouerb. 22. *Melius est bonum nomen, quam*
Eccli. 41. *diuitiæ multæ.* & Ecclesiastic. 41. *Bonum nomen præponitur mille thesauris.* Est autem minus peccatum quàm homicidium. nam eo grauius est peccatum, quo maius est nocumentum quod infert hominibus. Vnde cùm maius sit bonum vitæ quàm bonum famæ, cùm hoc sit bonum reparabile, illud verò nequaquam, manifestè constat detractionem esse peccatum leuius homicidio. Quòd autem detractio ex suo genere sit peccatum mortale, etiam
Matth. 5. patet Matth. 5. *Qui dicit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis*; lædit enim hominem in graui, & notabili illius bono, nempe fama quod, vt diximus, excedit bonum pecuniæ. Aliquando tamen potest esse detractio veniale peccatũ, vel ex defectu aduertentiæ plenæ, vel ex leuitate materiæ, quæ attentis personis est pensanda, & habita ratione damni secuti. nam quod est leue damnum respectu vnius personæ, respectu alterius erit graue. v. g. dicere de homine vili, esse mendacem, erit veniale: dicere verò hoc idem de graui viro, vel Religioso, erit mortale; quia respectu huius maximum est dedecus, & graue damnum: sicut dicere de aliquo graui viro esse Iudæum, vel esse illegitimum; leuitas ergo, vel grauitas materiæ detractionis, consideranda est in ordine ad personam quæ infamatur. nam dicere de aliquo milite esse concubinarium, vel de alio esse superbum, regulariter loquendo, non erit mortale; quia miles non patitur detrimentum, cùm non sit turpe illi in mundo esse concubinarium, sicut est profitentibus vitam religiosam, aut sacerdotium, aut virtutem. Deinde dicere de aliquo quòd est superbus, non est dicere peccatum de illo, sed inclinationem ad peccatum; ac proinde non videtur mortale.

9. Detractio etiam quædam est, per quam falsum crimen alicui imponitur; alia verò per quam occultum crimen, verum tamen, reuelatur illius, qui habebat bonam famam, propter ignorantiam talis criminis apud alios, & erat in possessione bonæ famæ, quæ illi tollitur manifestatione talis peccati occulti, & ita est minus peccatum quàm prima. Nunquam tamen est licitum crimen falsum alicui imponere; aliquando verò licitum erit detegere crimen verum occultum. v. g. ad petendum consilium à prudente, modò fiat cautè quantum fieri possit, nec adhibeantur plures consiliarij quàm sit opus: quod Prælati maximè aduertere debent. Licita etiam est huiusmodi reuelatio, criminis veri occulti, quando censetur necessaria ad euitandum graue damnum proximi, vel etiam ipsius criminosi, vt rectè Lessius lib. 2. c. 11. dub. 9.

10. Contumelia verò est contra honorem, sicut detractio contra famam; ac proinde est *iniusta honoris imminutio facta aduertenter*; vel, vt alij volunt: *est peccatum quo vel dictis, vel factis & irrisionibus, in præsentia alicuius, honorem illius violamus.* Est ergo contumelia sicut rapina respectu furti, & ideo fit contra præsentem, & in eodem actu potest esse malitia detractionis & contumeliæ, v. g. si occultum vitium alicui obiicias in præsentia aliis audientibus. Est etiam peccatum mortale ex suo genere; & ideo ad Rom. 1. contumeliosi dicuntur, dati in *reprobum sensum.* Potest verò esse veniale, propter Rom. 1.
defectum plenæ aduertentiæ, vel ob leuitatem materiæ attentis circunstantiis personarum, vt de detractione dicebamus.

11. Contumelia ergo fit, vel verbo, vel facto, vel scripto: quando fit verbo, dicitur conuitium, improperium, maledictum. v. g. quando quis alteri defectus moris, vel naturæ, per contemptum, & loco opprobrij, obiicit, vocando alium furem, gibbosum, cæcum, spurium, mendacem: siue hoc sit verum, siue falsum: quando per contemptum dicitur; licèt ioci causa sæpè non soleat esse peccatum, nisi alter contristetur, vel irascatur; tunc enim erit contra charitatem. Aliquando etiam licèt propter correctionem, vel disciplinam, iuxta illud Pauli ad Galat. 3. *O insensati Galatæ, quis vos* Gal. 3.
fascinauit, &c. Aliquando etiam conuitium inferentem, licet altero conuitio veluti repercutere: quod tamen debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ: & quando fuerit necessarium propter bonum contumelioſi ad infringendum tumentem illius animũ, ne conuitiis & cõtumeliis insolescat, & assuescat: iuxta illud Prou. 26. *Respõde stulto iuxta* Prouerb. 26.
stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur; vel quando fuerit necessarium ad iniuriam repellendam, vt cùm dicitur alicui, fur; & alter respondet, mentiris: ad quod requiritur maxima prudentia; semper enim illicitum est propria auctoritate iniurias vindicare; vel falsum testimonium alicui imponere; vel defectum siue publicum, siue occultum per modum vindictæ conuitianti obiectare. Itaque tantùm licet, vt si me latronem, aut Iudæum appellet, dicere eum esse mendacem; & ad Infirmandam eius fidem illius mendacia detegere: non tamen licet si me concubinarium appellat, eum latronem vocare: sicut illicitum est percutientem repercutere: hoc enim esset vindicare, iniuriam non repellere, vt rectè notat Fagundez ex Soto lib. 8. cap. 2.

12. Quando contumelia fit scripto, animo infamandi, dicitur libellus famosus; & componens illum, vel edens, vel inueniens, & non lacerans, sed manifestans, in iure punitur capitis. l. 1. §. *si quis.* ff. de iniuriis, & l. 1. Cod. de famosis libellis. Quod intelligitur, si crimen obiectum in libello sit tali pœna dignum, quod debent aduertere confessarij, vt non absoluant habentes huiusmodi libellos famosos: & præcipuè in Regno Aragoniæ, & Nauarræ, vbi circunfertur liber quidam famosus in quo notantur multi Iudaismo; qui tamen falsò hac nota inuruntur: vt patet experientia in multis examine facto per iudices integerrimos, & æquissimos, & summa diligentia. & in iudicio contradictorio.

13. Contumelia fit facto, quando quis propter contemptum verberat alium, vel fuste, aut arundine percutit;

percutit : vel loco concludit ; vel aliud facit quod honorem lædat : & huc ſpectat irriſio, illuſio, ſubſannatio, &c. Obſeruat autem rectè Caietanus 2. 2. quæſt. 72. omnes contumelias, etiamſi per eas diuerſa ſpecie peccata obiiciantur, eſſe eiuſdem ſpeciei ; quia honor contra quem eſt contumelia, vnus eſt ſpecie : quare diuerſitas ſpecifica peccatorum ſe habet in contumelia materialiter. Vnde non erit neceſſarium in confeſſione explicare verba contumeliæ, quibus diuerſa ſpecie peccata obiectantur alicui : vt ſi quis propter contemptum in faciem alicui dixerit, eſſe furem, mendacem, ebrium, maledicum, &c. An verò ſit circumſtantia aggrauans, ex circunſtantiis colligendum, & iuxta varias opiniones de neceſſitate confitendi has circunſtantias reſoluendum eſt. Illud tamen exiſtimo, detractionem contra patrem, vel Prælatum, quamuis ſit circunſtantia valde aggrauans, non differre ſpecie ab aliis detractionibus ; quia fama hominis, contra quam eſt detractio, non differt ſpecie ; ac proinde circunſtantiam hanc non eſſe neceſſariò aperiendam in confeſſione. Vide Dianam p. 1. tract. de Circunſt. reſol. 28.

Sectio III.

Quando peccet audiens detractorem, & qui refert detractionem auditam.

14. COnueniunt Doctores, eum qui inducit alium ad mortaliter detrahendum, verbo, vel ſignis peccare lethaliter, & grauius quàm ipſum detractorem : non enim ſolùm peccat affectu & voluntate detrahendi, ſed etiam eſt cauſa detractionis alterius : ac proinde cauſa ſui peccati & alterius, & teneri ad reſtitutionem famæ, detractore non reſtituente : ſicque intelligendus eſt D. Bernard. lib. 2. de conſideratione ſub finem, vbi ait : *Detrahere, vel detrahentem audire, vtrum horum deteſtabilius ſit, non facile dixerim.* Difficultas ergo eſt, quando quis merè audit ſine vlla inductione ad detractionem mortalem. Et hoc modo etiam conueniunt Doctores, ſi non induxit, lætatur tamen, peccare mortaliter contra charitatem ; non tamen teneri ad reſtitutionem, niſi ſolùm delectetur de eloquentia detractoris, vel de curioſa cognitione factorũ proximi, & non ex odio ; ſed ob vanitatem & ociositatem ; tunc enim frequenter poterit eſſe veniale peccatum. Itaque difficultas procedit de eo qui merè audit, ſine vlla complacentia mali proximi.

15. In qua re dicendum eſt cum communi ſententia, eſſe mortale in eo caſu audire detractorem, ſi infamia ſit grauis, & facile poſſit eam impedire ſi ſperetur fructus : ſi enim non ſperetur, non vrget præceptum correctionis fraternæ ; tenetur tamen recedere à detractore ſi poſſit. In caſu tamen dicto in quo merè audiens non impediat detractorem, & peccet mortaliter contra charitatem, quæ obligat vt graue damnum proximi impediamus, ſi commodè & ſine noſtro magno detrimento poſſumus ; non tamen tenebitur reſtituere : quia non peccat contra iuſtitiam, niſi ſit Prælatus, aut ex officio ad id teneatur ; ac proinde ſuperior qui non impedit ſubditum, de altero ſubdito detrahentem cùm facilè poſſit, tenetur ad reſtitutionem in defectum inferioris ; id enim ex officio illi incumbit, ac proinde ſi non impedit, cenſetur cauſa mortalis damni.

Priuatæ verò perſonæ, ſæpiùs excuſantur à mortali, ſi nimia verecundia, vel animi puſillanimitate non obſtèt detractori ; vel quia ſæpiùs non eſt ſpes fructus ; vel quia audiens non debet in dubio præſumere loquentem malum, niſi habeat ſufficientes coniecturas in contrarium ; præſertim cùm ipſe neſciat, an delictum quod ab alio narratur, ſit publicum, vel occultum ; an iuſtè, vel iniuſtè narretur. Vbi obſerua, eum qui audit defectum perſonæ incognitæ, peccare curando perſonam agnoſcere niſi bono fine, & iuſta de cauſa hoc intendat, v.g. ad electionem rectè faciendam, vel ob ſimilem cauſam ; tunc enim non erit peccatum : ſi verò non ſit talis cauſa, erit mortale, vel veniale, iuxta quantitatem damni famæ grauis, vel leuis. 16.

Maior difficultas eſt, an qui refert peccata grauia alicuius, dicens, ſe audiuiſſe ab aliis, peccet mortaliter. Caiet. quæſt. 62. art. 2. quem ſequitur Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 193. docet, non eſſe peccatum graue, ſi tantùm dicat vt audita, & non vt certa ; ſic enim non videtur famam alterius grauiter lædere, niſi id faciat animo notabiliter infamandi : vel quæ audiuit aliter referat, nimirum amplificando, vel aliquid addendo ; vel quando perſona eſt talis, cuius dictis ſolent homines communiter fidem adhibere. Si verò ex ratione ex auditu ſequatur graue damnum famæ proximi tantùm ex leuitate audientium, cenſent Sotus, Nauarr. Corduba & Valentia relati à Turriano dub. 9. excuſari referentem ſe audiuiſſe tale crimen à peccato graui & reſtitutione ; quia tantùm dedit leuiſſimam occaſionem, & ideo ſolùm eſſe veniale, quod non inducit obligationem reſtituendi. Alij verò affirmant & eſſe mortale, & obligationem reſtituendi in referente, ſciente, vel opinante, audientes credituros ex leuitate, quia præbet ſcandalum aliis ; ac proinde peccat peccato quod ipſi cõmittunt, quando præuidit, vel potuit præuidere, peccatum aliorum ad quod occaſionem dedit ; & conſequenter ille referens tenetur reſtituere famam quam iniuſtè abſtulit. 17.

Probabilius tamen exiſtimo, eum qui audita refert coram illis quos probabile eſt ex ſua leuitate credituros, peccare mortiferè contra charitatem ; non tamen contra iuſtitiam, ſicque non teneri ad reſtitutionem. Quòd autem contra charitatem peccet, probatur, quia qui aduertit ex ſuis dictis, vel factis, proximum eſſe grauiter lædendum, tenetur id auertere ſi commodè poſſit, quamuis hoc damnum ex alterius culpa proueniat : ergo ſi id non facit, peccat mortaliter. Quòd autem non peccet contra iuſtitiam, docet Caiet. 2. 2. quæſt. 73. art. 3. Nauarrus cap. 18. num. 48. Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 5. Quia non fuit cauſa efficax damni ; ſed merè per accidens, & materialiter : quia illius narratio ex natura ſua non eſt talis, quæ fidem faciat, ſed hoc prouenit ex malitia audientium ; non verò ex malitia relatoris : ergo non peccabit contra iuſtitiam. 18.

In hoc loco ſolet etiam inquiri, an reuelare ſine cauſa vni viro graui & prudenti, crimen graue occultum alterius verum, ſit infamare & peccatum mortale. Caiet. ſuprà exiſtimat non eſſe mortale, ſicut non eſt peccatum graue etiam ſine cauſa, reuelare patri peccata filiorum, vel confeſſario ; quia in dicto caſu, inquit Caietanus, non læditur fama, vel ſi lædatur, leuiter læditur. Idem tenet Nauarr. num. 33. & Nauarra lib. 2. cap. 4. num. 334. Alij docent eſſe peccatum mortale, quia bonum nomen apud virum grauem, quantumuis prudentem, 19.

Digitized by Google

multum æstimatur; & ita si fama apud illum lædatur, grauiter videtur lædi. Ita Molina tom. 2. disp. 29.

20. Vtraque opinio probabilis est, probabilior tamen videtur secunda, nimirum esse peccatum mortale: quilibet enim mallet suum crimen notum esse tribus, aut quatuor minoris auctoritatis, quàm vni viro grauissimo: quare qui sine graui causa emendationis fratris, reuelant crimen occultum alterius, quantumuis prudenti viro, non excusantur à lethali: quia alius apud illum graue patitur famæ & honoris detrimentum. Et intelligitur casus dictus, quantumcumque vir ille sit taciturnus, & credatur non reuelaturus aliis. Si tamen quis solatij capiendi causa hoc faceret, quia iniuriam ab alio recepit, fortè non esset lethale: quia valde difficile est tunc iniuriam non communicare.

Sectio IV.

An in aliquo euentu possit quis sibi falsum crimen imponere.

21. Conueniunt Doctores, ad euitanda tormenta leuia, esse peccatum mortale crimen sibi falsò imponere, propter quod quis esset occidendus; non verò si ad illa euitanda, crimen occultum verum pandat: quia quilibet tenetur suam vitam conseruare, etiam cum aliquo dolore & incommodo: ergo peccat mortaliter, qui vt euitet leuia tormenta, crimen capitale sibi falsò imponit: censetur enim in hoc casu sibi mortem inferre, huiusmodi crimen falsò sibi imponendo. Quòd verò ad euitanda tormenta leuia, possit suum crimen occultum pandere, est manifestum; quia vnusquisque potest se iudici præsentare, vt pœnas peccatorum in hac vita luat: ergo à fortiori non peccabit mortaliter, si ad euitanda tormenta leuia peccatum occultum pandat. Similiter ad parentem, vel amicum à morte, vel atrocibus tormentis liberandum, non est peccatum mortale, quempiam sibi falsum crimen imponere, quando in negotio non proceditur iuridicè, & non interuenit iuramentum: quia possum sine peccato mortali mihi crimen falsum imponere, ad euitanda hæc tormenta, cùm sim dominus meæ famæ, quando aliud malum graue non timetur; sed interitus parentum & amicorum æquiualet summis cruciatibus: ergo possum vt eos ab illis liberem, mihi falsum crimen imponere.

22. Est tamen difficultas, an ad euitanda grauissima tormenta possit quis sibi falsum crimen imponere, propter quod est certò perimendus. Negat Nauarrus suprà, quia ille imponendo sibi falsum crimen, affert sibi mortem: ergo peccat mortaliter. Hoc tamen non obstante satis probabile est non peccare mortaliter. Ita Lessius dub. 7. Ratio est, quia si esset peccatum mortale, vel id esset, quia mendacium est pernicioſum, vel quia peruertitur iudicium: quòd autem non sit mendacium pernicioſum, probatur, quia neque alteri affert aliquod malum, quod tantum sit vt ille ex charitate, aut iustitia, teneatur illud cum tanto suo incommodo auertere, vt suppono: neque etiam sibi infert malum quod notabiliter præponderet tantis tormentis, cùm crimen fatendo, breui morte prolixam & acerbam redimat: ergo mendacium illud non est pernicioſum. Quòd verò non sit peruersio iudicij, satis constat, cùm nec peruertat iudicem, neque accusatorem, nec testes.

Ad fundamentum Nauarri respondet Lessius negando consequentiam; quia ille non affert sibi mortem, sed fugit à tormentis: sicut non sibi affert mortem qui vt incendium fugiat, in præcipitium ruit. Hæc tamen solutio omnino non satisfacit, quia hîc non imminet mors incendij, sed tantùm tormenta, quæ non afferunt mortem: incendium autem illud erat mortem allaturum, & ideo potest ab illo fugi, etiam cum certo præcipitio: quod est vitam aliquantulum conseruare, & fortè ex præcipitio non ita certè mors esset euentura. Quare respondetur, posse illum pati mortem vt grauissimos cruciatus redimat: sicut potest infirmus ne sustineat grauissimos dolores in abscissione crurium: si autem imponendo sibi falsum crimen, grauis inde infamia sequeretur, v.g. religioni, vel familiæ, non video quomodo iste non peccaret mortaliter, quapropter teneretur quælibet tormenta potiùs subire, quia non est dominus famæ aliorum; ac proinde non posset eam dissipare falsum sibi crimen imponendo. 23.

Altera difficultas est, an ad euadenda grauia tormenta, possit peccatum alterius occultum, vel aliud secretum manifestare, vnde mors sit illi obuenturа. In qua dubitatione vera est sententia affirmans, quam sequuntur Nauarrus cap. 18. num. 54 Lessius lib. 2. cap. 18. dub. 8. quia nullus tenetur cum tanto incommodo alterius famam seruare. Deinde quia quilibet habet ius ad manifestandum id, quod in sua cognitione occultum latet, si ex occultatione illius graue damnum sibi obueniat. Similiter idem est dicendum, quando manifestare crimen occultum est necessarium ad euitandum nocumentum temporale, vel spirituale, proximo innocenti immĩnens; quia vt auertas malum tuum, potes id facere: ergo vt auertas proximi malum, similiter potes; quia teneris diligere proximum tuum sicut te ipsum. Ex quo fit vt quando agitur de officio, beneficio, aut matrimonio, vel de Religione suscipienda, si scias aliquod iustum impedimentum ex quo prudenter graue malum timeatur; vel alicui iniustè parari mortem iniustam; vel quando malum timetur à fure, ab imperito Medico, à traditore, posse à te rem manifestari: imò si nosti innocentem extremo supplicio afficiendum, teneri monere iudicem reuelando homicidam, ne innocens pereat. 24.

Hæc tamen doctrina limitanda est primò, modò alia via prouidere non possis: si enim potes antea quàm crimen alterius occultum pandas, teneris, v. g. si per correctionem fraternam sufficienter damnum vitabitur, non licebit tunc crimen occultum aperire, prætermissa correctione; esset enim contra charitatem, quia tenemur malo obuiare cum minima læsione proximi quantũ fieri potest; id enim exigit lex charitatis. Secundò limitanda est, si rem in confessione agnouisti, nam rem in confessione cognitam nunquam licet manifestare, etiam minimum peccatum veniale, etiam ad euitanda quæcumque mala, propter reuerentiam debitam Sacramento, in quo non datur paruitas materiæ. quare reuelare minimum peccatum veniale, semper est mortale sacrilegium. Tertiò limitanda est in aliquibus casibus, in quibus esset mortale reuelare crimen occultum, etiam ad euitanda grauissima tormenta: vt si esset secretum Regis, vel Reipublicæ, propter summa incommoda quæ inde manarent, vt tenent Nauarrus & Lessius citati. 25.

Inquires quid dicendum sit, si crimen alterius 26.

sub

ſub ſecreto, & ſigillo iuramenti nobis ſit commiſſum. Reſpondeo adhuc poſſe nos licitè manifeſtare, ſi graue damnum nobis, vel alteri innocenti obueniat: vt rectè Sanchez lib. 13. de matrimonio diſput. 13. quia criminoſus non habet ius tuendi ſuam famam, cum detrimento famæ, vel bonorum proximi innocentis: nullus enim tenetur tueri famam proximi nocentis, cum damno graui proximi innocentis: tum etiam, quia lex naturalis ſeruandæ charitatis, vincit legem de ſeruando naturale ſecretum, & iuramentum, ex quo fit, in denunciationibus ſponſaliorum, ſcientem impedimentum occultum dirimés, teneri illud manifeſtare, etiamſi ſub ſecreto ſit ſibi commiſſum, & iurauerit ſe non manifeſtaturum, & ſolus ipſe nouerit: quia tale impedimentum tendit in damnum vel alterius, vel vtriuſque contrahentis, & etiam prolis; tum etiam in iniuriam ſacramenti, idem dicendum eſt, ſi ſit impediens tantùm; quia ſimiliter vergit in iniuriam ſacramenti, & damnationem vnius, vel vtriuſque contrahentis, vt recte Sanchez citatus.

27. Inquires vlteriùs, quid ſi vi, aut dolo ſecretum extorſerit, an poſſis ad vitanda grauia tormenta, aut mortem, illud reuelare, negat Sotus lib. 5. de iuſtit. quæſt. 5. artic. 2. Affirmat Leſſius lib. 2. cap. 11. dub. 8. Quod videtur probabilius, quia licèt iniuſtè fur equum eripuerit, poſſet eo vti in neceſſitate etiam cum morte ipſius equi: imò cum morte ipſius domini, vt euadat mortem hoſtis inſequentis; ergo ſimiliter idem eſt dicendum in noſtro caſu. & ratio eſt, quia peccatum iniuſtitiæ iam commiſſum & tranſactum eſt, & tranſacto peccato ius habet, vt in tanto periculo conſtitutus, ſecretum illud reuelare poſſit.

28. Eſt tamen valde notandum, nunquam eſſe licitum etiam ad euitanda tormenta quantumuis grauia, & propriam mortem, vel alterius, crimen falſum alicui imponere; quia omne mendacium pernitioſum ex ſe, & ex ſua natura, eſt omnino malum & peccatum, quod nulla ratione honeſtari poteſt; ac proinde ſemper eſt illicitum, etiam ad euitandam quamcumque mortem, vt docet communis Theologorum ſententia. Neque in contrarium obſtat auctoritas Caſſiani, quem refert, & reiicit Syluester, verbo *mendacium*, num. 2. Nam Caſſianus tantùm voluit ſignificare, licitum eſſe aliquando vti amphibologiis, quæ licèt mendacia videantur, re vera tamen non ſunt.

29. Denique inquires, an qui reuelat crimen proximi notum, & publicum in vno loco, in alio loco in quo eſt occultum, dicatur infamare, & obligetur reſtituere. Publicum autem dicitur, vel quod per ſententiam iudicis declaratum eſt; vel quod multi vnius populi agnoſcunt. Et videtur in dicto caſu eſſe mortale; quia in loco in quo crimen eſt occultum, habet ille bonum nomen & famam; ergo contra iuſtitiam videtur, illud peccatum reuelare in eo loco. Sotus vbi ſuprà docet, non eſſe contra iuſtitiam, eſſe tamen contra charitatem, in caſu quo illud notum eſſet tantùm per rumorem; in quo conſtituit aliquam differentiam, ac quando eſt notum per ſententiam iudicis: quia ſententia hæc iuridica ſuapte natura extenditur ad omnem locum, & id intendunt iudices, vt res ab omnibus ſciatur, & fiat publica, in bonum publicum, & aliorum emendationem; & ita in hoc caſu neque eſſe contra iuſtitiam, neque contra charitatem: rumor verò non habet hanc vim, ſed tantùm in loco vbi eſt.

30. Turrianus diſp. 53. dub. 10. diſtinguit, ſi defectus ille reueletur in loco aliquo diſtante ad quem, moraliter loquendo, non eſſet ventura notitia illius, tunc eſſet contra iuſtitiam: at verò ſi facile talis notitia ſit peruentura, ſiue publica eſſet in alio loco per ſententiam, ſiue tantùm per rumorem; neque eſſet contra iuſtitiam, neque obligationem reſtituendi, & quidem ſine ſcrupulo videmus publica delicta in aliquo loco, ſiue per ſententiam, ſiue tantùm per rumorem, ſæpè typis mandari in libris qui mittuntur in regionem longinquam, in qua talia delicta erãt omnino incognita: ſignum ergo eſt peccata publica in vno loco, non eſſe contra iuſtitiam, neque contra charitatem illa reuelare in loco in quo erant occulta: ſicut contingit in peccatis commiſſis aliquo tempore antiquo, quæ in hoc ſine ſcrupulo reuelantur. Quando verò quis ob crimina quæ olim perpetrauit fuit infamis, & per vitam laudabilem famam recuperauit, probabile eſt eſſe peccatum contra charitatem illa crimina apud eos qui ignorabant commemorare, non tamen erit contra iuſtitiam. Et ratio eſt, quia ille iam recuperauerat famam; ergo contra charitatem in illa læditur. Quòd verò non ſit contra iuſtitiam patet, quia quamuis habeat ius ad famam quam à tempore honeſtæ vitæ comparauit, non tamen habet ius ad famam pro illo tempore, quo illa iuſtè priuatus eſt; ergo non erit contra iuſtitiam illum infamare pro illo tempore.

SECTIO V.

Quando, & quomodo fama ſit reſtituenda ſub obligatione, & quando ceſſet talis obligatio.

EX ſuprà dictis conſtat, eſſe mortale peccatum ex ſuo genere, famam ſine cauſa auferre, & contra iuſtitiam; ſicut & auferre bona temporalia, vel vitam à proximo, & ita eſſe obligationem reſtituendi: ſiue ablatio iniuſta famæ fiat reuelando crimen occultum verum, ſiue imponendo falſum, & conueniũt Doctores, nullam eſſe obligationem famam reſtituendi, quando audientes detrahentem nullam illi fidem adhibent, ſed putant falli; quia in re non fuit infamia ſecuta, & obligatio reſtituendi non eſt, niſi damno in re ſecuto; ac proinde nulla eſt inæqualitas facta ad æqualitatem reducenda: ſicut neque eſt obligatio reſtituendi quando quis falsò crimen alteri imponit, qui tamen in eo genere infamatus erat, ita vt iudicio prudentis nullum damnum inferatur ex hoc, vel tantùm leuiſſimum. v. g. ſi quis falsò dicat de meretrice cum aliquo rem habuiſſe, cùm habuerit cum aliis. Ita Turrianus diſp. 53. dub. 1. 31.

Sit ergo concluſio, ſi quis falsò alium infamauit, tenetur ſi ſit neceſſarium, ad reſtituendam famam, dicere ſe falſum dixiſſe, ſiue fuiſſe mentitum. Ita omnes cum D. Thoma ſuprà quæſt. 62. art. 2. Quia damnum famæ recompenſandum eſt multo magis quàm damnum pecuniæ. Imò etiam tenetur addere iuramentum, ſi hoc ſit neceſſarium, vt Sotus & Nauarrus docent. Quòd ſi reſtitutio famæ fieri non poſſit, ſine iactura famæ reſtituentis, tunc videndum eſt quænam fama ſit ſuperior, & iudicandum eſt ſicut ſuprà dicebamus de obligatione reſtituendi pecuniam, vel alia damna, cum graui damno reſtituentis, non exiſtenti ſimili damno in eo cui datum eſt: & probabile putat Turrianus cum Valentia, & Nauarra non eſſe 32.

obligationem reſtituendi leuius damnum cum alterius malitia ſocij.

33. Quando vero inuitatæ crimen occultum veram reuelarum eſt, modus reſtituendi ſumam iuxta alios quos etiam ibi, vt dicat tenetur ſe eſſe mentitum, eſt in hoc ſenſu, quod ſecreti peccatum quod in Scriptura ſolet dici *mendacium, Filius, Vi quod ſi ſigna tantum, & quaſi mendacium*, id eſt, peccatum, ita Nauarrus, 2. de Reſtit. cap. 4. num. 379. Alij vero dicunt, ibi hoc eſſe mendacium non eſſe ſimile, quia eſſe dicere mendacium, quod intrinſecè malum eſt, quia hoc modo ſignificat ſignificatur ſe falſum dicitur, ſe proinde eſſe mendacium. In Tobiæ lib. 3. cap. 8. Alij dicere tenetur dicere ſe male dixiſſe, vel indebitè iudicaſſe. Alij vero melius eſſe tacere, ne aliquo modo reſtituendi ex peccatis, innocentes in manuſtos infamia, vel auditores indecent crimen ita facile, licet iniuſtè reuelatum. Vnde patet quam difficilis ſit reſtitutio famæ, quæ tam facile læditur, & ſæpe aurem fori reſtitutio fama certa quibus quia ſtas infamatus, vel certum quibus certum ſuperſtes reuelandum ab alio, cui primò dixit infamans, 9. g. ſi teneatur alicui credere hanc alia reſtitutionem, & reuera ita reuelauit, non ſi credidiſſet, ſed denter non reuelaturum, etiam ſi ille poſtea teſtatus alia, tantum reuelatur primus infamator quantum illis qui reuelauit famam reſtituere; ſecundus autem reuelator tenebitur eiam coram aliis, qui huic dixit famam reſtituere. Quid ſi reſtituere ſua non poſſit ſibi fieri aliquo ex modis prædictis, vel non ordinate proferre, erit tandem obligatus ad infamatur laudandi infamatum coram quibus diffamauit, ſic recuperare ſuam iniuſte priuatæ.

34. Sunthæc ſententia quæ à multis communiter tenetur abſolutè, ſi fama ita ſit recuperata; vel ſi infamia ſuit occulta, tenus enim tantum damnum. Ita Turrianus diſp. 33. dub. 3. Dicendo, quando alia via reſtituere, ſumam recuperauit diligentia infamatus, vt volunt nonnulli, cuiuſmodi ſunt tamen ſententia ſecundum Turrianum dicet, in hoc ritimo caſu infamatorem teneri famam reſtituere, ſi infamatus non ſit conſentus alio modo ſicut qui abſoluit eum, non ſatisfacit ſi poſtea reſtituit confeſſus, ſed ſatisfacit, poſtea, ſi dicendo poſtea eſſe contentus. Præterea excuſatur quis à reſtitutione famæ, quando dedit iuſtè infamatus infamans ab eo iniuſtè, infamatur, inquam, iuſtè in eodem genere peccati, vel ſimili. Dixi *iuſtè*, nam ſi iuſtè ab alio infamatur, non libertat primus infamans ab obligatione, vt patet à ſimili in re de qua ſuperius abſoluit ab obligatione abſoluit ab obligatione reſtituendi. Similiter ſi in alio genere iuſtè alio infamatur, non liberatur à reſtitutione famæ, qui prius in alio genere infamauit, vt ex ipſa naturali ratio dictat. Ita Turrianus diſp. 4.

35. Probabile etiam eſt exonerari quempiam à reſtitutione famæ illi qui vicillim teneretur famam reſtituere, ſi non vult, vtique enim quid quam ſatisfacere. Ita Toletus lib. 5. cap. 7. Lellius dub. 15. Molina diſput. 49. licet alij negent, quod ſuperius Turrianus dub. 3. virumque tamen eſt probabile.

36. Denique excuſatur quis à reſtitutione, ſi latet in fama reſtituit iniuſtam ſibi illatam, dummodo ita alicuem non lædat in illa reſtitutione ac proinde dentibus de Religioſo, non libertat ab obligatione reſtituendi, etiamſi Religioſus remittat, quando ea illa reſtitutione ceſſat infamiæ damnum ipſi Religioſo. Similiter ſi ex iniuria parti facta ſequatur infamia libertatem, patet non poſſe remittere talem iniuriam, cum damno fame illiatum; ac proinde detractor tum libertat ab obligatione reſtituendi famam, etiamſi parti remittat.

37. Quod ſi per detractor excuſetur à reſtitutione famæ propter aliquem cauſam ex præfatis, non tenetur pecunia recompenſare; ſi ſatisfacere, quia fama pretiolior eſt quam pecunia, & proinde ex natura ſua non ſatisfacit damno pecuniario, nili damna ſequantur famam, vel in contrarium inter partes: ſtquæ exponendus eſt D. Thomas quando dixit, famam pecunia recompenſari, id eſt, damnum temporale temporale ex infamia ſecutum. Ita Sylueſter, Banez, Nauarrus, &c. Nauarrus refert de Sylueſtro Turrianus dub. 7. contra alios multos oppoſitum dicentes, ſolicet in eo caſu faciendum eſſe ſatisfactionem per pecuniam. Verius tamen eſt quod à diffamatione eiam vita non compenſatur, neque eſt compenſatio pecuniaria, quia nihil eſt æquale pretiuſa ſequa fama, quare per pecuniam non redditur æquale, ac proinde neque potelt eſſe obligatio iuſtitiæ ad ſatisfaciendum per pecuniam, ſed enim obligatio religio æquitatis, quam impoſſibilis eſt ſerè per pecuniam. Vnde ſi quis famam diffamauit in fama, ſi infamauit nolo famam reſtituere, non poteſt ſibi recompenſare in bonis fortunæ infamatus, quod ex alio ſententia ſecundum eſſe licere conſequenter loquendo.

Reſtat dubitandum, quomodo ſit faciendæ ſatisfactio, vel reſtitutio honoris abſit per contumelium, & ſuppono contumeliam eſſe contra iuſtitiam, licet enim ego non teneat honorare proximum honorem, contra iuſtitiam tamen facio ſi illum honorare nego contumeliam ſibi inferre, ſicut hanc inuitatum, & inæqualitatem reſtaurat, & ad æqualitatem reducet; ſicut quamuis non teneat conferre tuum, vel res tuas proximo indigenti, tenetur tamen ex iuſtitia eas aſſerre. Quo poſito reſtitutio ſatisfactio proprie accipiendo, ſecundum quidem debet fieri, non modo exhibendo honorem abſentem, ſed veniam etiam petendo; hoc enim modo honor reſtituitur, & collitur iuſtitiæ proinde per contumeliam cauſata. Patricius verò diſp. 11. q. 6. dub. 1. n. 2. ait, quæ ſentiens, ſatisfieri exhibendo honorem, ſic enim fit æqualitas, petendo veniæ laudandi eſt. Ego tamen ſententia hæc obligationem, ſine petendo honoris abſit exhibitionem ſat æqualitas, vnde patet quid ſatisfactio, ſeu reſtitutio honoris ſit, nempe honorem abſulerem verbis, vel factis, vel ſcriptis contumeliolis, & quando ſit neceſſaria declaratio ſatisfactionis ſolicet. Quod ad ſecundum inducitur primo venia ad honorem recompenſandum, ex inter æqualia faciendo eſt, & in inferioribus reſpectu ſuperiorum non ſuperiorum non deer venia inter pares inferiorum, & ita eſt non ſum obligandi ad illam.

39. Illud denique nota, obligationem reſtituendi famam præcipue, non tantum ad hæredes ſtringit, qui infamauit; neque hæredes tenetur pecunia recompenſare, cum fama non ſit compenſabilis pretio aliquo. Alia verò damna temporalia facta ex eo quod defunctus infamauit, teneretur illius hæredes reſtituere ex hæreditate, vt dicet Torres relatus.

SECTIO

Sectio VI.

Quando iudicium temerarium de peccato alterius, vel dubitatio, vel suspicio, sit peccatum.

40. Dvbitatio non est assensus, sed suspensio iudicij. Suspicio verò est debilis assensus iunctus cum formidine oppositæ partis: & ferè nihil suspicio differt ab opinione, sed est veluti opinio debilis. Iudicium verò est firma animi sententia siue assensus, & varij gradus sunt suspicionis, & opinionis, est enim leuis suspicio, violenta, & certa, quæ magis propriè dicitur violenta præsumptio, excludens tunc ferè omnem dubitationem, & includens integram persuasionem, & tam dubitatio, quàm suspicio, & iudicium, potest esse, vel prudens nitens sufficientibus indiciis, seu coniecturis ad dubitandum, vel suspicandum, vel iudicandum de alterius malitia, vel improbitate. Potest etiam esse imprudens, & cum temeritate, quando scilicet non sunt sufficientia indicia ad talem dubitationem, suspensionem, vel iudicium, & certè maiora indicia requiruntur ad suspicandum quàm ad dubitandum: & maiora ad iudicandum, quàm ad suspicandum, vt rectè Molina tract. 4. disp. 15. & secundùm qualitatem suspiciònis, sic maiora vel minora indicia requiruntur, & maiora indicia sunt necessaria ad iudicandum de aliquo in externo foro, quàm tantùm internè: & in externo maiora requiruntur ad condemnationem. Ac proinde Salomon 3. Reg. 3. mulierem illam falsò asserentem filium esse suum, & consentientem diuidi, non dicitur condemnasse, quamuis esset violenta suspicio ex circunstantiis, illam non esse veram matrem, & quamuis iudicium temerarium, suspicio, & dubitatio, sint in intellectu; ad hoc tamen vt sint peccata, requirunt necessariò consensum voluntatis; non enim potest esse peccatum sine voluntario & libero, vt constat ex 1.2.

41. Et ex his colligitur, quando iudicium, vel suspicio, vel dubitatio de improbitate proximi, sint peccata; quando scilicet sunt sine sufficientibus indiciis relatis, si ex alio capite non sit odium, neque detractio externa; quia tunc si hæc sint, etiamsi adsint sufficientia indicia, erit peccatum, ratione illius odij & detractionis. Quando verò sunt indicia sufficientia, non habet proximus ius vt de illo rectè iudicetur, vel non suspicetur malè, vel dubitetur de illo, & ad tollendos scrupulos de sufficientia indiciorum ad iudicandum, suspicandum, vel dubitandum, optimum & sanum consilium est, cohibere assensum iudicij, suspicionis, vel dubitationis, de improbitate alterius.

42. Deinde infertur, temerè iudicare de proximo, esse contra iustitiam, & ex suo genere peccatum mortale, vt patet ex illo Christi Domini, *Nolite iudicare, & non iudicabimini*, & Iacobi 4. *Qui iudicat proximum suum, detrahit legi.* Et ratio est, quia proximus habet ius ad bonam famam, si non sint in oppositum indicia sufficientia; nullus enim præsumendus est malus, donec talis demonstretur: & si materia fuerit grauis, erit iudicium temerarium mortale: si verò leuis, erit tantùm veniale; vel etiamsi fuerit materia grauis, non est tamen plena aduertentia, sed semiplena tantùm. Matth. 7. Iacob 4.

43. Per suspicionem autem fama parum, & leuiter læditur, & ita leue damnum infertur, propter imbecillitatem suspicionis, & admixtionem dubitationis, ac proinde nunquam erit peccatum mortale, quamuis peccatum de quo est suspicio sit grauissimum, & quamuis valdè probabile sit, suspicionem rei grauissimæ, v.g. hæresis, proditionis, vel incestus, esse peccatum mortale, vt tenent Sotus, Lessius, Molina & alij. Nihilominus quod dixi videtur probabilius, nimirum nunquam fieri posse vt suspicio sit mortalis, sine odio, vel contemptu, vel alio simili affectu, vel damno propter eã illato, videlicet quia propter hoc suspicans alium non eligit, & eodem modo philosophandum est de dubitatione temeraria, sicut diximus de suspicione temeraria.

44. Denique infertur, quando quis temerariè vel iudicauit de aliquo, vel suspicatus est, vel dubitauit, & aliis dixit, teneri tunc restituere: sicut diximus de infamante, quando idem in aliis generauit iudicium, vel suspicionem, vel dubitationem: & ex circunstantiis iudicandum est de qualitate peccati, iuxta grauitatem, vel leuitatem peccati dicentis aliis Quando verò tantùm internè sine manifestatione, de alio temerariè sensit, vel suspicatus est, vel dubitauit, debet relinquere tale iudicium, vel suspicionem, vel dubium; & sic satisfaciet apud se ipsum id quod apud se ipsum abstulit.

Digitized by Google

TRACTATVS XIX.

DE CONTRACTIBVS.

DISPVTATIO I.

De Contractibus in genere.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit contractus.

1. NOMEN *contractus* tripliciter sumi solet. Primò propriè, & in rigore. Secundò impropriè. Tertiò latè contractus propriè provt differt à pacto, & quacumque alia conuentione, diffinitur ab Vlpiano *l. Labeo.* ff. de verborum significatione, *Est vltro citróque obligatio.* Subaudiunt communiter Doctores, *ex partium voluntate, & pactione consurgens.* Id est, contractus est pactum ex quo ex vtraque parte oritur obligatio. Quæ diffinitio traditur per effectum, id est, per mutuam obligationem, quæ ex pacto partium resultat. Pactum verò, si propriè sumatur, latius patet quàm contractus, & diffinitur. *Duorum, aut plurium in idem placitum & consensus.* Ex quo

2. Infertur primò, diffinitionem contractus ab Vlpiano adductam, non esse essentialem, quasi obligatio prædicetur de contractu, sicut prædicatur animal de homine; quia contractus non est ipsa obligatio, sicut homo est animal: sed est diffinitio descriptiua, quasi ab effectu, vt sit sensus. Contractus est actio, siue conuentio ex qua oritur mutua obligatio ex vtraque parte contrahentium, vt patet in diffinitione illa iræ ab effectu, cùm dicimus. *Ira accensio sanguinis circa cor.* sensus enim est, ex ira oritur sanguinis accensio.

Secundò infertur, promissionem antequam acceptetur, non dici pactum, eo quòd non sit plurium, vel duorum in idem consensus & conuentio, sed solùm intercedat offerentis promissum: postquam verò acceptata est, iam dicitur pactum, quamuis non propriè contractus, eo quòd ex vna tantùm parte contrahentium, scilicet promittentis, obligatio resultet: & propter eamdem rationem donatio, qua res gratis alicui traditur, eo ipso quòd acceptata est, rationem habet pacti, quia similiter est duorum in idem consensus & conuentio. Nec obstat, quòd mutuum est verè, & propriè contractus, & tamen non ex vtraque parte, sed ex vnius, videlicet mutuatarij parit obligationem. Nam, vt rectè Salon. 1. 2. quæst. 77. art. 1. ex mutuo etiam, quamuis gratis fiat, oritur mutua obligatio, scilicet vt mutuatarius adueniente tempore fideliter restituat, & quòd mutuans non possit mutuum ante illud repetere.

3. Si tamen contractus sumatur minus propriè, idem est quod pactum, & tunc sic diffinitur. *Contractus est consensus legitimus super re aliqua plurium, vel duorum conuenientium, ex quo obligatio aliqua in vtraque parte contrahentium, vel in altera tantùm nascitur.* Qua ratione promissio acceptata, & alia similia pacta, quæ non includunt vtriusque partis obligationem, contractus appellantur. l. *Si donationis.* Cod. de his quæ vi metusve causa fiunt. Vnde quando aliqui Doctores negant esse contractus, loquuntur de contractu propriè sumpto, provt inuoluit obligationem vtriusque partis, & per eamdem particulam reiiciuntur pacta, ex quibus non oritur, sed potiùs dissoluitur obligatio antea contracta, quæ proinde potius distractus, quàm contractus appellantur. v. g. cùm duo sponsi futurarum nuptiarum, vel quiuis alij ex quouis contractu obligati, ad aliquid efficiendum vel præstandum, sibi mutuo remittunt illam obligationem.

Obiicies, quia quando quis donat aliquid alicui per traditionem, talis donatio non potest esse contractus, quia eo ipso quòd res per donationem traditur, nulla resultat obligatio iustitiæ, neque in ipso donatario, neque in donante, qui ad nihil aliud deinceps tenetur: falsum ergo est, donationem esse contractum impropriè sumptum, vt est idem quod pactum. Respondetur distinguendo. nam donatio vel sumitur, vt incipit à traditione rei datæ, vel vt incipit à promissione rei dandæ: priori modo verum est non esse contractum, etiam impropriè sumptum, provt idem est quod pactum, præsertim si ille, qui ita donauit, de euictione non teneatur: posteriori verò modo est contractus, impropriè sumptus, quia licèt ex promissione acceptata non resultet obligatio aliqua ex parte donatarij, oritur tamen ex parte donantis, eo quòd illa promissio quamuis oriatur ex liberalitate donantis, ac proinde fuerit actus liberalitatis, & non iustitiæ; nihilominus ex eo quòd alter acceptauit, resultauit obligatio iustitiæ, qua promittens eo ipso ex iustitia adstrictus manst, ad implendum id quod sola liberalitate ductus promisit. 4.

Cæterùm in diffinitione contractus, nomine obligationis intelligitur obligatio ex iustitia commutatiua. Est autem iustitia commutatiua, *virtus moralis, qua in commutationibus, vel quasi commutationibus versatur, constituendo æqualitatem, quæ inter vtramque partem contrahentium debet existere*; vel, quod eòdem recidit, est virtus quæ dirigit ordinem eorum, quæ inter duas personas adinuicem cernuntur. Nam cùm triplex ordo reperiatur in nobis, scilicet ordo partium inter se, & ordo totius ad partes, & ordo partium ad totum: hinc triplex quoque cernitur iustitia, scilicet legalis, distributiua, & commutatiua. Legalis quidem partes ad totum: distributiua totum ad partes: commutatiua partes inter se dirigit, ne scilicet vna plus habeat quàm habere debet, & ne sit causa 5.

cur

cut vna minus habeat, quàm habere debet in commutationibus & contractibus humanis. Hæc autem obligatio ex iuſtitia duplex eſt, vna naturalis tantùm, non verò eſt ciuilis, hoc eſt, quæ oritur ex ipſa natura rei, nec iuris poſitiui ſtatuto impeditur, iure tamen ciuili non fouetur eo quòd propter illam obligationem non velit concedere actionem aduersùs illum in quo talis obligatio naturalis exiſtit, v.g. Si rem vendidiſti maiori pretio quàm valebat, ſed non vltra dimidium, teneris ex iuſtitia reſtituere exceſſum iuſti pretij: ſed nec ius ciuile, nec Canonicum, concedit emptori actionem contra te, ne ſcilicet lites multiplicentur. Altera obligatio eſt ſimul naturalis & ciuilis, illa ſcilicet, quæ ſiue ex natura rei oriatur, ſiue ſuppoſito iure ciuili, ſiue Canonico, ab eo tamen fouetur, concedendo liberam actionem læſo contra eum; qui illa obligatione adſtringitur, v.g. ſi vltra pretium lege taxatum triticum vendidiſti, ex iuſtitia teneris reſtituere exceſſum pretij, & emptori datur actio aduersùs te, vt illum exceſſum ei reſtituas: idem eſt ſi vendidiſti rem vltra dimidium iuſti pretij.

6. Ex prædicta etiam diffinitione contractus infertur, quomodo inter ſe differant contractus, & quaſi contractus; in hoc enim licèt conſurgat obligatio ex vtraque parte, non tamen conſurgit ex pacto & conuenientia partium, ſed ex aliquo officio, & facto licito & honeſto: huiuſmodi eſt officium tutoris, curatoris, negotiorum geſtoris, iudicis, Aduocati, teſtis, Medici, artificis, & ſimilium, qui omnes obligantur quaſi ex contractu, cùm pactum quidem non interſit; id enim æquum eſt, & iuſtitia poſtulat. Et volunt nonnulli obligationem reſtituendi quaſi ex contractu in præfatis officiis, non tam fundari in ipſa quaſi contrahentium voluntate debita, quamuis non expreſſa; ſed in legitimis ac iuſtis legibus, aut recepta conſuetudine, quæ ita tamen vim obtineat legis, vt ius iuſtitiæ commutatiuæ erga alterum tribuat.

7. Tertio modo ſumitur contractus adhuc latiùs, pro quocumque pacto, ſiue ex eo oriatur obligatio, ſiue non. Et in hoc ſenſu donatio etiamſi à traditione incipiat, appellatur contractus; quia licèt tunc nulla oriatur obligatio, vt prædiximus, quatenus tamen ea transfertur dominium, interueniente conſenſu tam donatoris ad donandum, quàm donatarij ad acceptandum, pactum eſt atque contractus in hac lata ſignificatione. Et ſimiliter acceptilatio, ſcilicet quando debitor interrogat ſuum creditorem, habeat ne ſolutum, vel velit debitum remittere? & creditor reſpondet, acceptum habeo, ſeu remitto, & ea de cauſa extinguitur debitum præcedens. nam quamuis ex huiuſmodi acceptilatione nulla reſultet obligatio, quin potiùs diſſoluatur præterita, qua debitor creditori tenebatur; quia tamen fit interueniente conſenſu creditoris debitum condonantis, & debitoris condonationem acceptantis, meritò ſortitur rationem contractus in hac tertia ſignificatione.

8. Circa ſecundum, ſcilicet quotuplex ſit contractus? Sotus 6 de iuſtitia, quæſt. 2. art. 1. ponit ſeptem ſpecies, ſi propriè loquendum ſit, quas in hunc modum colligit. Nam in bonis externis tria ſpectari poſſunt, videlicet dominium rei, vſusfructus eiuſdem, aut vſus nudus. Circa dominium triplex contractus verſari poteſt. nam ſi res pro re alienetur, dicitur permutatio, ſeu cambium. Si pro pecunia transferatur, dicitur emptio, cuius correlatiuum eſt venditio: ſi verò in alterum transferatur res vt tantumdem reddatur, dicitur mutuum. Circa vſum nudum totidem verſantur, ſi enim gratis detur vſus rei, dicitur accommodatio: ſi concedatur vſus rei, non gratis, ſed pro vſu alterius rei, dicitur permutata accommodatio: ſi detur vſus rei pro pecunia, dicitur locatio, cuius correlatiuum eſt conductio. Vſus verò fructus habet aliam ſpeciem, quæ dicitur *emphyteuſis*, latinè *melioratio*, quando ſub certa penſione in perpetuum, vel ad longum tempus, rem immobilem in alterum transfers, non quidem quoad dominium directum, iſtud enim apud te manet, ſed tantùm quoad dominum vtile.

Alij generaliùs ſic colligunt ſpecies contractus ſumpti in latiori ſignificatione. Dicunt enim, in contractu tria poſſunt conſiderari, ſcilicet perſonæ contrahentes, res, & actio. Ex parte perſonæ diuiditur contractus in diuinum, & humanum. Diuinus eſt, qui cum Deo fit, vt in profeſſione Religionis: humanus verò qui fit cum homine. Ex parte rerum alij fiunt circa bona animi, alij circa bona corporis, alij circa bona externa. Circa bona animi fiunt multis & diuerſis modis, v. g. inter præceptores & diſcipulos, inter conſulentes & petentes conſilium, &c. Circa externa bona diuidi poteſt contractus ad diuiſionem bonorum externorum, vt circa diuitias, honores, &c. ex parte demum actionis diuidi poteſt contractus, per proprios, improprios, & impropriiſſimos. Impropriiſſimi ſunt, quando ex neutra parte oritur obligatio, ſed potiùs diſſoluitur quæ fuerat priùs contracta, cuiuſmodi eſt acceptilatio, qua quis liberatur à debito, per fictam ſolutionem ſimulante creditore ſibi debitorem ſoluiſſe. Ad improprios præter alia reuocantur etiam illæ obligationes, quæ dicuntur quaſi contractus, cuiuſmodi ſunt quæ ex aliquo officio conſurgunt, v. g. ex tutela, &c. vt prædiximus. Inter proprios verò præcipuè numerari poſſunt ſeptem illi ex Soto adducti, ad quos reuocari poſſunt omnes alij contractus. 9.

In primis enim ad primam ſpeciem, ſcilicet permutationem, reduci poſſunt quatuor illa genera contractuum quando innominati exiſtunt, quæ recenſentur in l. *Naturalis*. ff. de præſcriptis verbis, ſcilicet do vt des, v.g. do equum vt des triticum: do vt facias, v.g. do triticum vt colas agrum: facio vt des, v.g. colo tibi agrum vt des mihi triticum: facio vt facias, v. g. colo tibi agrum vt domum mihi ædifices. Et ſub affirmatiuis intellige etiam negatiuos, vt, facio vt non facias: do vt non facias. Ad ſecundam ſpeciem, ſcilicet emptionem, reducuntur contractus ſocietatis, & aſſecurationis. Interdum etiam ex permutatione & venditione fit contractus mixtus, quando res vna permutatur pro alia viliori, ac pro certa inſuper pecunia ſupplente defectum vilioris, tunc enim contractus mixtus, ſeu compoſitus, reducitur in ſimplices ex quibus conſtat. Ad mutuum reducuntur montes pietatis. Ad emphyteuſim, reuocantur contractus feudalis, & alij, de quibus in ſequentibus. 10.

Diuiditur etiam contractus latè ſumptus in eos, in quibus transfertur dominium directum, vt emptio, mutuum, donatio, & in eos quibus non transfertur, quales ſunt commodatio, locatio, & reliqui. Item contractus diſtribuitur in lucratiuos, & onerоſos. Lucratiui ſunt, quibus abſque vllo onere, aut recompenſatione ex iuſtitia, ſed merè gratis aliquid alicui remittitur, promittitur, vel datur: vt donatio, acceptilatio, commodatum quoad vſum rei. nam licèt commodatarius teneatur rem commodatam reddere, tamen vſus merè gratis concedi- 11.

ditur. Onerosi contractus dicuntur, per quos ex vtraque parte onus imponitur, vt in emptione inter ementem & vendentem, & sic in aliis.

12. Item contractus quidam sunt respectiui, alij non respectiui. Respectiui dicuntur, in quibus ex vtraque parte resultat obligatio. Non respectiui verò sunt, in quibus ex vna tantùm parte resultat obligatio, & sunt contractus minus propriè, vt sunt acceptilatio, stipulatio, & promissio, quando ex vna tantùm parte obligationem includit. nam si mutuam promissionem contineat, contractus erit respectiuus. Inter respectiuos verò numerandi sunt omnes contractus pertinentes ad illa quatuor genera, scilicet, do vt des; do vt facias, &c.

13. Rursus quidam dicuntur contractus bonæ fidei, alij contractus stricti iuris. Illi sunt in quibus fides, aut obligatio extenditur, & iudex multa potest ex æquo & bono arbitrari, vt sunt emptio, locatio, commodatum, depositum, &c. stricti verò iuris sunt, in quibus iudex ad verba adstringitur, vt in stipulationibus, in contractu feudali, & emphyteutico. Quòd verò non solùm in iure, sed etiam in foro conscientiæ, in quibusdam contractibus aut quasi contractibus amplior, in aliis verò strictior facienda sit interpretatio. Probatur: quia, vt rectè Sarmiento lib. de select. interpretat. cap. 3. sicut alia est natura adamantis, vel sapphiri, quam nulla ratione tu possis extendere: alia verò auri, ceræ, &c. quæ extensionem suapte natura possunt recipere, ita similiter de natura contractuum philosophandum est: lumen enim naturale dictat, si quis non adimpleat datam fidem in contractu venditionis, quo se iustè, & iusto pretio recepto, eam tradere obligauit, eam obligationem eo extendendam esse, vt ad omnia damna ex mora subsecuta sit obligandus. Econtra verò liberalis promissionis obligationem, quæ contractus est stricti iuris, potius restringendam esse, quàm extendendam; non enim æquum est, vt suæ libertatis pœnam donator patiatur.

14. Præterea, contractus quidam dicuntur nominati, alij verò innominati, vt habetur in l. *Iurisgentium*, ff. de pactis. Nominatus contractus ille est, qui in nomine generali & communi pactionis, aut contractus non stat, sed transit in proprium & specificum nomen contractus. Innominati verò dicuntur, qui nomen generale conuentionis retinuerunt, sed proprio & specifico contractus nomine carent, cuius species sunt illæ quatuor paulo antè enumeratæ, scilicet do vt des, do vt facias, &c.

15. Denique diuiditur contractus, seu pactum, in nudum, & vestitum. Pactum nudum est, quod ab omnibus iuris solemnitatibus destitutum est, & in sola conuentione consistit, omni alio fundamento carens, & talis est omnis contractus innominatus, antèquam ex altera parte sit impletus, nisi accedat ei forma stipulationis, vel iuramentum. Pactum vestitum dicitur, quod solemnitatibus iuris roborãtur, vel aliqua circunstantia ornatur, ex qua iure ciuili robur habeat. Vestitur autem sex modis, primò re ipsa, vt si ex altera saltem parte sit impletum. Secundò verbis, vt si accedat forma stipulationis. Tertiò scriptura, vt si literis fatearis tibi esse satisfactum, etiamsi satisfactum non sit, quod dicitur Acceptilatio. Quartò specifico nomine contractus, qua ratione omnes contractus, qui consensu perficiuntur; imò omnes contractus nominati, sunt vestiti, si in suo genere sint perfecti. Quintò iuramento. Sextò cohærentia cum aliquo contractu vestito; vt si vendam tibi domum mille aureis, cum pacto vt illam adhuc inhabitem, & tibi pro inhabitatione dem hanc vestem, hoc pactum accessorium, per se est pactum nudum; quia tamen cohæret cum venditione quæ est pactum vestitum, censetur etiam vestitum, quia accessorium sequitur naturam principalis.

Sectio II.

An omnis contractus pariat obligationem in foro interno & externo.

16. COnueniunt primò Doctores, ex omni contractu propriè dicto, nasci obligationem, & ex obligatione oriri actionem, seu ius ad petendum. Obligatio est vinculum, quo contrahentes adstringuntur ad aliquid faciendum, vel non faciendum. Actio autem est ius prosequendi aliquid in iudicio, quod sibi debetur, v.g. quia Paulus vendidit Petro equum, manent inuicem obligati, Paulus ad tradendum equum, & Petrus ad tradendum pretium. Et ex hac mutua obligatione nascitur mutua actio, & ius in vtroque, in Paulo ad exigendum pretium à Petro, & in Petro ad postulandum equum à Paulo.

17. Conueniunt secundò, quemlibet contractum etiam nudum ac innominatum, parere obligationem naturalem, seu in foro conscientiæ, quia ad obligandum se sufficit animus verbis expressus & acceptatus: omnis autem contractus includit animum expressum se obligandi; ergo si sit acceptatus, & aliàs non sit irritus à iure, pariet obligationem saltem in foro conscientiæ.

18. Conueniunt tertiò, contractus qui dicitur pactum nudum, dum non vestitur, sed nudus omnino manet, etiamsi pariat obligationem in foro conscientiæ, non tamen illam parere in foro ciuili, vt constat ex l. *Iurisgentium*. §. final. ff. de pactis. Vbi dicitur, *nuda pactio obligationem non parit*. habet enim publica potestas ius ad contractus irritandos: sic irritat contractum impuberis alienationem fundi dotalis, & plures alios qui iure naturæ validi essent, nisi iure positiuo irritarentur: sicut enim homines priuati possunt contractibus aliquas conditiones apponere, quibus subsistentibus, & non aliter, validi sint, multo magis poterit id præstare Princeps, ita vt illis conditionibus non seruatis, contractus sit inualidus, vel saltem irritari possit: quod fecit ius ciuile ne lites multiplicentur, quod tamen, vt prædiximus, non est licitum in foro conscientiæ, in quo vtraque pars tenetur fidem & promissum seruare, altero volente & præstante: quia etsi ius ciuile nolit assistere his contractibus concedendo actionem, ne lites multiplicentur, vt dixi, non tamen eis resistit eos irritando. Ius etiam Canonicum talem actionem concedit, quia cùm in foro conscientiæ obliget, & hoc ius sit conditum ad salutem animarum, talem actionem concedit.

19. Difficultas ergo est de contractu nudo si iuramento confirmetur, qualis obligatio ex illa oriatur. Sit conclusio ex contractu nudo iuramento confirmato, oritur obligatio in vtroque foro, tam interno, quàm externo; tam iure canonico, quàm ciuili.

Prior pars ex dictis est manifesta, quia stando in solo iure naturæ ac gentium, antequam ius ciuile introduceretur, nulla erat differentia inter contractus nominatos & innominatos, neque inter pacta nuda

nuda & vellita; ac proinde in conficienda fide, ſpecluta ipſa res natura, ex omnibus orientur obligationes vere civiles ad vitandam litium multiplicitatem, licet ex pactis nuda nolurint concedere quilquilones & actiones ac actionem, nihilominus vim quam habebant ſtando in iure naturæ, ab eis non abſtulit.

20. Secunda pars probatur, quia ex pacto nuda conſentiæ actio iure Canonico, vt etiam præſidium, & contra exceptionem fraternis: ergo pactum ratione eo eadem pacto nudo iuramento confirmato, deſtituta actio iuxta iure Canonico.

Tertia etiam pars patet, quia ex contractu iure civili initio, & non ex contra bonos mores, datur actio iure civili: quando iuramento confirmatur ergo potiori ratione ex pacto nudo iuramento confirmato; quia pactum nudum ex ſe parit obligationem naturalem in foro conſcientiæ, quod non habet contractus initio, ſed ſolum ex interpretatione conſtitutionis.

21. Inquires, an iuramentum vitra vim obligandi ad tem ſecundum rem quandam, habeat etiam vim confirmandi contractum, cui adjungitur, vel pactus relinquat illum in ſua priſtina natura quam habebat. Reſpondeo iuramentum vitra vim obligandi ad ſecundum veritatem in iuramento, interdum ex iure habere etiam vim ad confirmandum contractum, quibus adjungitur quod verum eſt etiam in contractibus qui ſolum juramento iure Canonico & civili ſunt initio. In priore Doctores quos refert & ſequitur Sanchez lib. 3. Decalogi cap. 15. per totum. Et prior pars manifeſte colligitur ex diuerſis modis loquendi tam in iure Canonico, quam civili, quando agitur de iuramento confirmante contractum: ac de non confirmante: quia quando agitur de iuramento confirmante, ſi dicit *firmatur & inuiolabiliter ſeruandum*, vt in cap. *Quanto de iureiurando*, in *antiqua ſtatuta*, & in *Authenticis Sacramenta puberum*, dicitur *iuramentum eſt inuiolabiliter obſeruandum*, quæ dictiones, *firmatio, & inuiolabilitas*, ſignificant firmitatem contractus, & eſt omnino firmum & inuiolabilem & in eo caſu interpretando in ſenſu firmitatis reclamatio nouæ alienationis fundi donati iuramento affirmatam. At quando iuxta loquitur de iuramento non confirmante contractus, non loquitur eodem modo de eodem firmitatis ex parte in cap. *Debitores*, de iureiurando ubi affirmat: *iuramenti non confirmat pactum, conſequentiam ſibi reſervat reddere vſuras ſtatutas, ſeruare iuramenti formam, quia licet iuramentum non confirmet contractum, & pactum nudum ſit, iuramentum tamen ſeruandum eſt.*

22. Nec obſtat, quod iuramentum iuxta communem Doctorum ſenſum ſequitur naturam actus: accedit tamen eodem ſequitur naturam principalis: propterea non ſuper obligationem ex ea apponitur, ſed tantum addit vinculum religionis, remanebit vero ſuis limitibus ex quo iuramentum non confirmat contractus, ſed illos reliquit in ſua priſtina natura. Reſpondetur actionis illud limitandum eſſe, in omnibus illis contractibus in quibus actus, ſeſſione iuramenti eſt inualidus, aut infirmus, & valorem & firmitatem recipit ex iuramento, tunc enim non ſequitur naturam actus cui adhæret, ſed potius eius obligationem ſuget. Ita Sanchez ex Vincentio Mauricio ſupra num. 7. vt patet in adhæſione fundi donati a filio a muliere, quam confirmat iuramento confirmanti, vt patet ex cap. *Cum dilectæ*, citato.

Secunda pars etiam eſt manifeſta, quia præſidium alienatæ fundi donati, renunciatio fuerat conſtituendi, & conſtituti non minus eſt de ſubſtantia actionis auctoritate & decreto iudicis, quando ſunt res immobiles, ſunt iure litis, & tamen confirmatur iuramento. Et confirmatur, quia eſt maior ratio actus obligationis ex contractu iure politico iuramento, nihilominus ſi eſſet accidens iuramentum, adhuc contractus ille iure naturæ eſt validus, ac proinde actionem illud iure politico, purgatur ratione iuramenti, & contractus ad finem iuramento reſtringitur. Hanc vero vim quam habet iuramentum confirmandi contractus, non præcedit ſolum vinculo iuramenti, quia vt recte idem Sanchez num. 9. ſuperius dixit, iuramentum non reſtringitur eſt ad confirmandum veritatem, ſe ſolidat tantum ſuadet obligationem ad faciendum veram rem iuramenti, & quod recte notat vbi ſupra, ex vim confirmandi in contractibus; ſuppoſito quod quilibet illos non confirmet, ſufficiet quando per iuramentum ac morem fori exterioris annexo ea ſua natura habeant, ſuper eos confirmandi contractus: quæ quando eſt iuramentum vim habet ex vim confirmandi. Ex concluſione, licet, cum vim iuramento tribuere.

24. Neque obſtat 1. iuramentum habere præciſam vim, vt ſit aſſertorium de præſenti, quia hæc ſolloudi iuramentum non affecit ipſos contractus, nec in illis cadit ſed tantum affectus veritatem de præſenti, hæc enim non confirmatur celebrari: quia etiam ergo iuramentum promiſſorium de futuro, non confirmat contractus iuxta ſe ſtantes tali conditione. An vero fidelibus ſimplex iuramentum, quo contractus promiſſorum ſe ſtantes confirmatur, vel potius requiratur iuramentum nouum prædictos contractus renouandi, ſolet dici diſtinctus inter Doctores, in quo plures ſententia eſt dicit Sanchez num. 19. in promiſſionibus de futuro iuramentum confirmatorium, ſi ſimplex iuramentum non renſtandi, vt eſt promiſſio ſolemni vitæ, aut ſolemni tam ſimilium in hodi præcepta credita, in hoc caſu ſufficit iuramentum ad promiſſionem confirmatum, ſaltem enim inomentanea ſolutione, ſi ſit ſolemnis vouetur vbi ſuſtinet Bonac. & Victor in loco, & ipſi ſolentes, poſſunt in indicio repetire, nec eis iuramentum excluditur beneficium de cauſa repetitionis ſolemnitatis: non denotandum de futuro inclodendum promiſſionem non renouandi, ex vi promiſſionis de futuro contractus vouum, vel non renouendi teſtamentum, & limitandi illiquem hæredem, iuramentum confirmatorium, quia in his nequit diffingi promiſſio non renouendi principali promiſſione, ita, ex vinio promiſſio non renouandi contractus, non eſt diſtincta à voto, quia votum de re eſt perpetuum, & iuramentum non renouendi teſtamenti, cum eſt ſe non renouendi contractus, quia nequit fortiri effectum niſi mortuo teſtatore, quo tempore iuramentum renouari non poteſt, ac proinde ideo eſt ac promiſſio non renouendi iuramentum.

25. Ad cognitionem vero quando contractus firmentur iuramento, quando vero minime, opinio eſt regula quam addicit Sanchez citatus num. 24. Nimirum, quotes iuramentum in contractibus appoſitum adeo pecuæ ſecuri poteſt, nec ſuppoſito iuramento in eo in caſu iuramentum præſtatur, & non ſolum promiſſionem fecundi iuramentum confirmet, ſed etiam vitra promiſſionem, quæ ſaltem equipollet promiſſioni non renouendi contractus; cuius iuramentum ſimat

firmat contractum cui adiicitur. Et ex hac regula

Infertur primò, quoties contractus prohibiti sunt iure naturali, gentium, & diuino, non firmari iuramento; quia tunc impleri non possunt sine peccato: iuramentum autem non est vinculum iniquitatis, ac proinde nec esse opus relaxatione huius iuramenti, quia non est necessaria relaxatio, vbi non est obligatio.

26. Infertur secundò, quoties contractus sunt prohibiti per ius, siue Canonicum, siue ciuile immediatè ob bonum publicum, & publicam vtilitatem non firmari iuramento, tum, quia pacisci in præiudicium boni communis, est renunciare iuri alieno & in præiudicium illius, quod nemo potest facere, & ideo in cap. *Si diligenti*, de foro competenti, dicitur, irritum esse pactum iuratum, quo Clericus renuntiat priuilegio fori, vt apud iudicem laicum conueniatur, eo quòd hoc priuilegium sit concessum principaliter Ordini, & statui Clericorum. Tum etiam, quia quoties lex ordinatur immediatè ad bonum commune, obligat ad sui obseruantiam sub peccato, ac proinde iuramentum de actu illo ita prohibito, non obligat, tanquam iuramentum rei peccaminosæ. Si verò contractus sit prohibitus ob priuatum & particulare bonum & vtilitatem contrahentis primariò, quamuis secundariò in bonum commune redundet, tunc confirmatur contractus iuramento, dummodo non detur peccatum & turpitudo ex parte eius in cuius fauorem iuramentum fit. Ratio huius est, quia huiusmodi leges latæ sunt immediatè in fauorem & bonum priuatum alicuius, nec obligant ad culpam; vnusquisque autem potest renunciare proprio fauori sibi priuatim concesso. quod præcipuè efficit quando iuramentum adhibet. Dixi, dummodo non detur peccatum & turpitudo ex parte eius in cuius fauorem iuramentum fit, tunc enim licèt iuramentum obliget, contractum non firmat, vt quando est iuramentum soluendi vsuras, aut quando promissio metu, aut dolo est extorta.

27. Denique infertur, quando contractus iure prohiberur in odium & pœnam eius cuius gratia fit, si iuramentum ei adiiciatur, non confirmari, sed irritum adhuc manere; iuramentum verò seruandum esse nisi legitima auctoritate relaxaretur, vt si quis vsurario iurauit se ei vsuras soluturum, vel latroni sibi vim inferenti promisit, se ei daturum centum ne ab eo interficeretur. Ratio est, quia in his contractibus datur turpitudo ex parte illius in cuius fauorem iuratur, & sic nullum ius acquirit; ex iuramento verò oritur naturalis obligatio seruandi illud erga Deum, ne Deum testem falsum faciamus, & irreuerentia irrogetur Deo, in cuius veluti præsentia ratione iuramenti promissio facta fuit; quod iuramentum impletur momentanea solutione, & statim potest relaxatio impetrari, & ea impetrata, veniri contra contractum, & repeti in iudicio res soluta. Secus verò est quando iuramentum confirmat contractum, tunc enim non solùm confert obligationem, sed etiam dat actionem in iudicio,

28 nec potest relaxatio impetrari, nec esse locus contrauentioni, & transit obligatio ad heredes vtriusque contrahentis, quia tunc acquiritur ius tertio ex illo contractu per iuramentum confirmato. Atque hinc facile est assignare differentiam inter iuramentum confirmatorium, & per se stans: quia in iuramento per se stanti vnica tantùm obligatio oritur, videlicet Religionis erga Deum, quem in testem suæ promissionis attulit. In iuramento verò confirmatorio contractus oritur duplex obligatio, altera Religionis erga Deum: altera iustitiæ erga illum cum quo contraxit, cui manet adstrictus vinculo iustitiæ. Deinde iuramentum per se stans relinquit contractum in sua natura; ac proinde si inualidus erat, inualidus manet: iuramentum verò confirmatorium non relinquit illum in sua natura, sed confirmat, & post iuramentum quamuis antea esset inualidus, firmus manet.

SECTIO III.

An contractus errore, aut dolo celebratus, validus sit.

28. ERror potest esse, vel circa substantiam rei, vel circa qualitatem eius. Deinde potest vel dare causam contractui, aut non dare causam, sed solùm incidere in contractum; ac proinde potest esse antecedens actum faciendum, & inducens ad illum faciendum, ita vt ipso non existente, actus nequaquam fieret: vel potest esse concomitans ipsum actum qui fit, quia ita comitatur illum, vt eo non existente adhuc actus fieret. Et conueniunt Doctores, errorem antecedentem qui dat causam contractui circa substantialia cuiusuis contractus, reddere illum nudum iure naturæ, quamuis iuramento confirmetur, nec indigere relaxatione. Ratio est, quia error circa substantialia, tollit consensum necessarium, & reddit omnino inuoluntarium. Quod sic ostendo, quia de substantia contractus est consensus contrahentium, sine quo obligatio ex contractu oriri nequit: at dum est error antecedens quoad substantiam rei, non adest consensus contrahentium: ergo neque valet contractus. Minor probatur, quia cum errore antecedente quoad substantiam, adest ignorantia, seu carentia scientiæ rei, de qua est contractus: at cum tali ignorantia nequit esse contrahentium consensus, cùm nihil possit esse volitum quin fuerit præcognitum: ergo, &c. Et idem dicendum est, si error & dolus sit concomitans, si sit circa substantiam rei, & non dans causam contractui; quia ad valorem contractus requiritur consensus & voluntas positiua, quæ non datur quando datur error concomitans circa substantiam rei, quia licèt huiusmodi error non efficiat illum actum inuoluntarium, efficit tamen illum non voluntarium.

29. Ex quo infertur, eum qui vendidit vitrum existimans esse gemmam, comperto errore teneri contractum rescindere, vel pretium ad æqualitatem reducere, & qui emit torquem aureum, & postea inuenit esse argenteum, & exteriùs deauratum, & qui emit mensam credens esse ex argento solido confectam, & inuenit ligneam solis laminis argenteis coopertam; datur enim error in substantia. Similiter quando alicui donatur aliquid titulo eleemosynæ, qui re vera non est pauper, sed pauperratem fingit, tunc nulla est donatio; quia paupertas est circunstantia substantialis pertinens ad obiectum eleemosynæ, quæ est subleuatio miseriæ in egente. Idem est quando aliquid donatur alicui titulo consanguinitatis, aut amicitiæ, si re ipsa neque consanguineus, neque amicus sit; hæc enim actio ex sua substantia pertinet ad pietatem, vel amicitiam, & est circunstantia substantialis eius actionis; ac proinde ea deficiente vitiatur donatio, & non subsistit. Similiter si Episcopus conferat beneficium cum ignorantia beneficij, nulla est collatio, ob eamdem rationem, quia est error circa substantiam. Idem est dicendum de impetratione beneficij.

beneficij, oblata petitione Pontifici, in qua exprimitur, vel subticetur causa, qua expressa, vel non expressa, non concederetur, tunc illa impetratio est nulla: & idem est de absolutionibus à censuris, quæ impetrantur à iudicibus; in huiusmodi enim impetrationibus circunstantia est substantialis, & ita facit nullam impetrationem, vt rectè Pontius ex Vazquio lib. 4. cap. 20.

30. Difficultas ergo est de errore circa qualitatem accidentalem in contractibus, excepto matrimonio, de quo iam diximus suo loco, si talis error sit antecedens dans causam contractui; nam si sit concomitans, conueniunt Doctores, non reddere contractum inualidum, quia cum tali errore stat consensus contrahentium circa substantiam; & quamuis non stet circa accidentia, tamen cùm dolus & error circa illa sit concomitans, neque dans causam contractui, fit vt adhuc existenti tali errore, existat cõsensus in ordine ad substantiã contractus. Et prima sententia tenet, tunc contractum esse validum & obligare, quia quamuis error & dolus causam illi dederit, & nullo modo fieret nisi adesset talis error, cùm tamen sit circa qualitatem rei, & circa substantiam illius, non sustulit consensum absolutum, nec fecit actum omnino inuoluntarium, sed simpliciter voluntarium circa substantiam rei, tollendo consensum secundùm quid circa eius accidentia. Oppositam sententiam tenet Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 7. quia vbi dolus antecedens est, & dans causam contractui, totaliter excluditur voluntas absoluta, & consequenter consensus; ac proinde contractus non potest esse validus.

31. Hanc verò sententiã conatur conciliare Pontius cap. 21. Pro quo obseruat, circunstantiam accidentalem contractus duobus modis posse considerari in ordine ad voluntatem contrahentis. Primò vt solùm concomitanter se habeat, vel quia nihil de illa cogitauit, neque de oppositio: vel quia ita affectus erat, vt etiamsi cogitaret, nihilominus actũ perficeret. Secundo modo, ita vt animus contrahentis feratur in substantiam contractus, & simul in circunstantiam tanquam in conditionem à qua vult pendere contractum. Et in priori sensu, inquit, validum esse contractum, quamuis contingat deceptio circa circumstantiam illam. Et in eo loqui priorem sententiam ob rationem ibi assignatam: aliàs nullus ferè qui cum alio contraheret, posset esse in conscientia securus, eo quòd iuste timere posset, circumstantiam aliquam sibi latuisse, quam si sciret, animum non haberet contrahendi.

32. Et ex hac doctrina infertur, si quis motus paupertate alterius eleemosynam largitur, quem tamen latent aliæ circunstantiæ, vt esse infidelem, &c. quas si cognouisset, nulla ratione elargiretur, tunc validam esse eleemosynam, cùm sit ibi verum obiectum illius, nimirum subleuatio miseriæ proximi, cui accidentale est quòd sit hostis, vel infidelis. Similiter si quis vouit ieiunare sexta feria, si in illam incidat dies natalis Domini, tenetur ieiunare, quia circunstantia illa extrinseca est illi voto. Idem est si Episcopus conferret beneficium homini capaci, aliàs improbo simulanti sanctitatem, cui si sciret non conferret: vel ordinaret aliquem, quem si sciret non habere ætatem, vel afferre literas dimissorias falsas, non ordinaret: in his enim casibus error ille tantùm concomitanter se habuit.

33. In posteriori autem sensu vera est secunda sententia ob rationem ibi assignatam, quia sine consensu non est validus contractus; sublata autem ea circunstantia, quam ille adesse credit, aufertur omnino consensus: ergo contractus est inualidus. Patet consequentia; quia, vt supponimus, illa circumstantia pertinet ad obiectum consensus: ergo illa cessante, necessariò debet cessare consensus, & consequenter etiam contractus.

Quamuis autem hæc doctrina vera sit, nihilominus, vt rectè obseruat Castrus à Palao tom. 3. tract. 14. disp. 2. punct. 5. ex ea non satisfit difficultati. nam licèt quoties error qualitatis ita dedit causam contractui, vt secum trahat voluntatem ad consentiendum in substantiam contractus, sub illa qualitate, contractus sit nullus; quia tamen potest contingere, vt error qualitatis non ita trahat voluntatem ad consensum in substantiam, vt eodem actu indiuisibili feratur in substantiam & qualitatem, sed potest illam trahere ad consentiendum in solam substantiam, ita vt ille error tantùm excitet & impellat voluntatem ad contrahendum, non tamen sit obiectum contractus. Restat explicandum, an in eo casu talis error qui causam dedit contractui, irritet illum. 34.

Placet sententia eiusdem Castri. Quoties error est causa contractus excitatiua tantùm, & impulsiua, non verò obiectum illius, contractum non esse iure naturæ nullum. Ratio est, quia cùm non versetur circa substantiam & materiam contractus, sed circa accidentia, & potius pertineat ad rationem motiuam & impulsiuam, quam ad obiectum, reliquit substantialem & necessarium consensum ad contractum requisitum, quod constat manifestissimis exemplis; sæpe enim quis matrimonium contrahit deceptus errore, quo nobilem, & diuitem, & virginem esse coniugem existimabat, qui nullo modo contraheret errore detecto, & tamen certum est contractum valere. Idem est in contractu emptionis & venditionis. sæpe enim emis vinum, triticum, oleum, &c. existimans esse sana & perfecta, cùm tamen non sint, quæ nullo modo emeres errore detecto; & tamen ob talem errorem non redditur contractus nullus, sed rescindendus, & sic in multis aliis exemplificari potest: ergo error qualitatis non semper intrat in essentia consensus ad contractum requisiti. Quare semper iudicandum est, errorem qualitatis esse excitatiuum, & non constitutiuum consensus, nisi quando expresse & sub ea conditione, & non aliter, consenseris, ita vt sit obiectum consensus. 35.

Ex quo infertur primò in omni contractu cui dolus dedit causam, iure naturæ & in foro conscientiæ, teneri decipientem ad reparandam inæqualitatem: quòd si noluerit, posse deceptum in eodem foro compensatione occulta sibi consulere, & eodem modo philosophandum est si decipiatur ab aliquo tertio, conscio ipso contrahente, vel participe doli: si verò non sit particeps, nec conscius, tunc obligatio resarciendi damnum erit primariò in decipiente, secundariò verò in illo, in cuius fauorem alius deceptus est. 36.

Infertur secundò stando in iure positiuo, si dolus dedit causam contractui circa substantialia, contractum esse omnino irritum, & decepto dari actionem aduersùm decipientem, vt reddatur tantumdem quàm antea habebat, & res in pristinum statum restituantur, vel si velit perseuerare in contractu, vt quanto minoris res valuit, ac pretium dedit, tantumdem sibi reddatur. Si verò dolus sit circa qualitates & circunstantias, & dederit causam contractui, validus est contractus iure positiuo, 37.

siue

ſiue contractus ſit bonæ fidei, ſiue ſtricti iuris, quia error verſans circa cauſas motiuas, & circunſtantias contractus, reliquit ſanum conſenſum circa ſubſtantiam eius, vt prædictum eſt, ac proinde nulla eſt cauſa quare ipſo iure nullus ſit. Datur tamen actio decepto, tum vt contractus reſcindatur, quia iniuriosè conſentit; tum etiam vt decipiens reparet inæqualitatem, ſi deceptus velit ſtare contractui. In contractu verò bonæ fidei deceptus vltra dimidium iuſti pretij, habet ius, vel vt contractus reſcindatur, vel vt ad æqualitatem reducatur: ſi verò non decipiatur vltra dimidium iuſti pretij, contractus tenet, deceptor verò tenetur in conſcientiæ foro contractum ad æqualitatem reducere.

SECTIO IV.

An contractus cui metus iniuſtè illatus cauſam dedit, ſit validus.

38. AD intelligentiam huius difficultatis conſulenda ſunt quæ diximus in tractatu de matrimonio, diſputantes de conſenſu coacto, vbi oſtendimus, quando detur metus grauis cadens in conſtantem virum, quando verò leuis in virum conſtantem non cadens. Et præterea quando metus ſit iuſtè, vel iniuſtè illatus, ne eadem repetere cogamur. Præſens ergo difficultas eſt de metu ab extrinſeco iniuſtè illato, an inualidet contractus: & poteſt procedere vel de iure naturali, vel de iure poſitiuo. Loquendo de iure naturali, Vazquez, quem ſequitur Pontius lib. 4. cap. 6. & 7. diſtinguit inter contractus lucratiuos & oneroſos, & affirmat, oneroſos eſſe ipſo iure naturæ validos, quia eſt titulus ſufficiens ad illorum valorem, ſcilicet dati & accepti. Lucratiuos verò, in quibus nihil rependitur, eſſe nullos, quia in his nullus alius eſt titulus ad transferendum dominium præter voluntatem, quæ cùm non ſit liberalis & gratuita, ſed metu coacta, non eſt ſufficiens ad transferendum dominium.

39. Sit tamen prima concluſio. Contractus metu graui iniuſtè illato celebratus, ſiue ſit oneroſus, ſiue lucratiuus, iure naturæ irritus non eſt, ſed venit irritandus. Ita Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 4. & diſp. 14. & alij innumeri ab eo relati. Et probatur, quia ex tali iure ad validitatem contractus ſolùm requiritur ſufficiens conſenſus; hic autem datur in eo modo contrahentibus, nam qui metu coactus conſentit, abſolutè conſentit voluntariè: nam quamuis huic nolitio ſit adiuncta, non eſt vera nolitio, ſed tantùm noleitas; quia cùm conditio nolitionis non ſit impleta, nolitio non poteſt eſſe efficax, & ſic volitio ſemper efficax manet. Et confirmatur, quia metus leuis non reddit irritos contractus iure naturæ, vt infrà oſtendam, & conſtat ex l. *vani timoris*. ff. de regulis iuris, & l. *Metum*. ff. de eo quod metus cauſa. Sed per metum leuiſſimum etiam ſit iniuria contrahenti, cùm eius voluntas iniuſtè cogatur: ergo ſi hæc iniuria non reddit irritum contractum: ergo neque etiam grauis debet irritare, cùm vtrobique iniuſtitia reperiatur.

40. Obiicit tamen Pontius primò, quia in contractibus lucratiuis metu iniuſto factis, v.g. in donatione & promiſſione, deeſt titulus ſufficiens vt transferatur dominium in alterum cui promittitur, aut donatur. nam in primis non eſt titulus rei pro re, cùm non ſit donatio ob cauſam; neque eſt titulus ipſius donationis, aut promiſſionis, quia non donatur voluntariè & liberaliter, ſed coactè; non enim natura patitur, vt quis liberaliter omnino diſponat de ſuis rebus, & tamen coactè; neque eſt æquum vt commodum ex iniquitate reportet, cùm quis ea via illud intendit. Reſpondetur, ad valorem contractus ſolùm requiritur iuſtus titulus & voluntarius conſenſus, qui abſolutè per metum non tollitur, neque excluditur titulus donati & promiſſi, & licèt iniurians ex contractu meticuloſo etiam lucratiuo, acquirat dominium, nihilominus parum vtilitatis ei accreſcit ex illo contractu, cùm teneatur reſcindere ſi ſolubilis eſt, & res in priſtinum ſtatum reſtituere. Vnde quamuis talis donatio non ſit omnino liberalis & gratuita, ſed coacta; quia tamen non eſt ſimpliciter inuoluntaria, ſed potiùs ſimpliciter voluntaria & libera. Ideo ſimpliciter & abſolutè valida eſt; ac proinde in l. vltima Cod. de his quæ vi. eodē modo donationes & venditiones per vim extortæ, præcipiuntur infirmari. Ex quo fit, eum qui donat coactè, ex vi talis donationis ſimpliciter & abſolutè velle fieri accipientis, neque ſibi vmquam reddi; quamuis ſimplici affectu velit non dare, & ſibi reddi, neque in hoc eſt aliqua contradictio, vt conſtat in proiiciente merces in mare, qui ſimpliciter & abſolutè vult merces proiicere, & nunquam ſibi reddi; ſimplici verò affectu, nec vult proiicere, neque à ſe abdicare.

41. Obiicit ſecundò, quia ex communi ſententia, is qui iniuſtè aliquid extorquet per vim & metum à donante, tenetur in foro conſcientiæ ad reſtitutionem: ergo neque transfertur dominium, neque valet contractus: aliàs ſi iure naturali valeret, & dominium transferretur, non eſſet obligatio reſtituendi ante ſententiam vel poſtulationem reſciſſionis. Hæc tamen obiectio facilè diluitur ex doctrina eiuſdem Pontij cap. 7. num. 8. vbi affirmat, nulla ratione pugnare iſta duo, & contractum eſſe validum, & eſſe obligationem reſcindendi, ſi alter velit; quia hæc duo ex diuerſis capitibus oriuntur: nam valor contractus oritur ex iuſto titulo, & ex voluntario ſimpliciter; & ex valore contractus poſt traditionem ſequitur ex natura rei, rem eſſe ſub dominio alterius. At obligatio reſcindendi contractum ſi alius velit, oritur ex coactione iniuſtè illata, qua factum eſt contra ius alterius, quæ obligatio non impedit illum eſſe dominum rei traditæ: vnde patiens metum ob iniuriam ſibi illatam, habet ius reſcindendi contractum factum, quia habet ius vt ſibi ſatisfactio detur, & iniuria facta reparetur, quæ non poteſt alia via reparari niſi reſcindendo contractum, & reddendo res in ſuum priſtinum ſtatum: & ille, qui metum incuſſit, propter iniuriam quam intulit, amittit ius in rem quam metu extorſit, & ideo tenetur eam reſtituere, & dans poteſt eam ſubripere: quare hæc non obſtant dominio per contractum acquiſito.

42. Tertiò obiicit, quia ſequitur remota lege poſitiua, vſurarium non teneri ad reſtitutionem, quia etiam in contractu vſurario dici poſſet ibi interuenire donationem excelſus; quod tamen nullus admittit, & non ex alio capite, niſi quia inuitus donat: ergo ratio inuiti deſtruit naturam donationis. Reſpondetur negando ſequelam, nam in vſuris eſt diuerſa ratio, quia ibi deficit titulus, datur enim in pretium mutui, quod dignum pretio non eſt.

43. Quòd verò contractus oneroſus ex metu graui celebra

celebratus iure naturali validus sit, probatur, quia in his contractibus solùm requiritur titulus & simpliciter voluntarium, v.g. vt venditio sit valida iure naturæ, solùm requiritur simpliciter voluntarium, & titulus pretij pro re; iustitia enim horum contractuum ex æqualitate rei pro re petenda est. Ab hac autem doctrina excipiendum est matrimonium, ad quod iuxta plurium sententiam etiam iure naturali requiritur voluntarium perfectum, vt dicemus suo loco. Excipiendum est etiam votum, ad quod vel iure naturæ, vel ex Ecclesiæ traditione & consuetudine vim legis habente, requiritur voluntarium perfectum; quare factum per metum iniustè illatam, irritum est.

44. Loquendo verò de iure positiuo, sit secunda conclusio. Eodem modo philosophandum est de contractibus tam onerosis, quàm lucratiuis, non esse iure positiuo irritos, sed venire irritandos. Ita Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 6. & Sanchez suprà, & probat ex aliquibus iuribus, vbi facta per metum veniunt rescindenda, & specialiter in l. vltima, Cod. de his quæ vi, dicitur, *venditiones, donationes, transactiones, quæ per potentiam exortæ sunt, præcipimus infirmari.* ergo erant aliquo modo validæ & firmæ, & iuris remedio infirmandæ sunt, & in cap. *Abbas*, de his quæ vi, similiter dicitur, *renuntiationem factam per metum debere in irritum reuocari*, & in Instit. de excepr. in princip. dicitur, *Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti quod non debueras promittere, palàm est iure ciuili te obligatum esse*, &c.

45. Obseruat autem rectè idem Sanchez, ad rescissionem contractus sufficere, quòd ab aliquo tertio sit metus illatus, quamuis is qui tecum contrahit non sit conscius iniuriæ, quia adhuc contractus absolutè coactus est, ac proinde infirmus & rescindendus. Et probat manifestè ex l. *Item si cum exceptione. §. in hac actione.* ff quod metus causa. Vbi dicitur, *in hac actione non quæritur, verùm is qui conuenitur, an alius metum fecit; sufficit enim hoc dicere, metum tibi illatum, vel vim.* quamuis, vt obseruat Lessius, is qui bona fide contraxit cum metu præueniente à tertio, non teneatur ad restitutionem, antequam alter qui metum passus est, actionem intentet, quæ ex iuris positiui beneficio sibi competit.

46. Excipiuntur autem in iure plures contractus metu graui facti, qui eodem iure positiuo irriti sunt, v.g. contractus matrimonij quamuis iuramento sit firmatus, ex cap. *Cùm locum*, & ex cap. *Veniens* 2. de sponsalibus. Votum solemne in Religione ex cap. *Perlatum*, de his quæ vi, quod etiam ad quodlibet votum extenditur. Testes adhibiti in testamento si coacti sint, l. *Qui testamento. §.* vltim. ff. de testamen. Promissio, vel traditio rerum Ecclesiæ ex metu, cap. *Peruenit*, de iureiurando. Assignatio tutoris, vel curatoris metu facta l. 1. §. vlt. ff. de auctorit. tutorum. Absolutio ab excommunicatione, suspensione, vel interdicto, vel eorum reuocatio per vim vel metum extorta, cap. vlt. de his quæ vi, in 6. An verò sponsalia per metum facta, promissio, & solutio dotis metu extorta, constitutio Procuratoris ad negotia, si fiat ex metu, iurisdictio data, vel prorogata per metum, renunciatio beneficij ex metu graui facta; an, inquam, hæc omnia sint ipso iure irrita, vel veniant rescindenda sicut reliqui contractus, controuersia est inter Doctores, quibusdam affirmantibus, quibusdam verò negantibus. Vtrique verò probabiliter.

47. Tertia conclusio. Et si ea quæ per metum leuem facta sunt, sint aliquo modo valida, neque iure Ecclesiastico, neque ciuili, veniant rescindenda actione quod metus causa, quia hæc actio in iure solùm datur ob metum grauem ad tollendas occasiones litium, nihilominus probabilius censeo, omnes contractus tam lucratiuos, quàm onerosos factos per metum leuem in foro conscientiæ, rescindi posse, si eos rescindere velit metum passus, & repetere ea quæ tradita sunt, & qui ea obtinet teneri restituere. Ratio huius conclusionis est, quia aliquando hic metus non minus perturbat & impellit hominem, ac metus grauis. Deinde, quia cogens tali metu contrahere iniustitiam infert, si quidem per metum extorquet, ac proinde tenetur iniustitiam illam repellere, & res in pristinum statum reducere. quare licèt metus illatus non cadat in virum constantem, quia leuis est; nihilominus, quia iniurioſus est, patiens illũ non tenetur stare contractui, nec inferẽs metum potest accepta ex tali contractu retinere. Ita Lessius & Sanch. relati. Ex quo

48. Infertur primò, ea quæ solo metu reuerentiali facta sunt, posse rescindi, & eum qui inde commodum percepit, teneri ad restitutionem, quia quamuis hic metus grauis non sit, est tamen iniurioſus, & causa actus. Ita Nauarr. cap. 17. num. 152. & Nauarra lib. 3. cap. 1. dub. 7. Molina, Sanchez, Lessius & Rebellus. Vnde filius qui ob metum reuerentialem timens patris indignationem, promisit eidem soluere eius legata, vel debita, non tenetur ad illa soluenda: nec mulier mariti morientis, si ob eumdem metum reuerentialem idem promittat; vel si filius vel vxor consentiant in aliquem contractum patris, vel mariti, vel promittant aliquid vel fideiubeant, quia non audent contradicere timentes iurgia, & austerum conuictum, & generaliter nullus tenetur stare contractui per metum leuem celebrato, sed potest se tueri exceptione iniuriæ factæ, stando in iure naturali, & is, qui aliquid ex tali contractu accepit, tenetur restituere, quod si nolit, poterit alius vti occulta compensatione, & si contractum iuramento confirmauit, debet prius relaxationem ab Episcopo impetrare. Et idem dicendum est de consentiente precibus importunis, quæ etiam inuoluntarium mixtum constituunt, dummodo preces tales sint, vt illarum molestia facilè & sine difficultate nõ possit repelli, nisi is qui concessit facilè condonet, vel nolit fieri restitutionem.

49. Infertur secundò, quibus concedatur beneficium restitutionis in integrum, quando aliquod notabile damnum ex contractu acceperunt. Primò enim hoc beneficium conceditur minoribus, qui nondum vigesimum quintum annum compleuerunt, etiamsi contractus factus sit auctoritate tutoris, vel iudicis; hoc enim tantùm præstat, vt contractus sit validus, non verò tollit beneficium restitutionis in integrum. Secundò conceditur Ecclesiis & locis piis. nam hæc instar minoris habent quadriennium à celebrato contractu, vel quasi contractu, ex cap. 1. & 2. de restit. in integrum, & nomine Ecclesiæ veniunt hospitalia, Monasteria & alia loca pia. Tertiò Reipublicæ cuiusuis oppidi. l. 4. C. quibus ex causis. Quartò supremis Principibus quoad bona principatus alienata. Quintò vniuersitatis studiorum. Ex quo fit, minorem cui fuit solutum pretium, posse in conscientia petere restitutionem in integrum, quia lex est iusta, & concedit huiusmodi repetitiones in pœnam eorum, qui contrahunt cum minoribus, ob damnum quod inde redundat communitati. Ille verò qui soluit, non tenetur iterum soluere ante sententiam iudicis, quia prima solutio valida fuit iure naturæ.

Sectio V.

An contractus, vel quasi contractus, celebratus sine solemnitatibus & forma iuris, sit validus.

50. SOlemnitas iuris, alia est substantialis, alia accidentalis. Inter quæ hoc est discrimen, quòd ob defectum solemnitatis substantialis, pereat actus substantia, non verò ob non seruatam solemnitatem accidentalem: vel, quod idem est, solemnitas substantialis est illa, cuius omissio efficit contractum inualidum; solemnitas verò accidentalis, quæ non tollit validitatem contractus.

51. Sit conclusio. Quamuis probabile sit contractum celebratum sine solemnitatibus substantialibus requisitis à iure, validum esse in foro conscientiæ, non verò in foro externo; probabilius iudico in vtroque foro non valere, excepto testamento causa pietatis facto, ita vt nullam obligationem etiam naturalem pariat. Ita Suarez lib. 5. de legibus cap. 24. & Lessius lib. 2. cap. 19. lib. 3. num. 35. Prior pars probatur, quia si contractus nihil continet contra naturalem iustitiam & æquitatem, suapte natura validus est quousque rescindatur, quia lex irritans illum, fundatur in falsa præsumptione, existimans, v. g. electionem esse alicuius indigni, alienationem in damnum Ecclesiæ, hæreditatem fraudulenter esse relictam: ergo si electio est digna, & alienatio cedit in vtilitatem Ecclesiæ, & in testamento nulla est fraus commissa, non videtur ius velle talem actionem irritare. Posterior pars ostenditur, quia sicut contrahentes possunt apponere in contractibus aliquas conditiones, ita vt illis prætermissis non inducatur obligatio, ita ius positiuum potest modum ac formam in contractibus præscribere, ita vt non seruata illa forma, contractus sit inualidus: hoc enim pertinet ad commune bonum; ac proinde verum non est, leges contractus irritantes fundari in falsa præsumptione, potiùs enim fundantur in solida veritate ad vitandas fraudes & pericula, quæ in contractibus communiter accidere solent.

52. Nec obstat, quòd cessante fine legis cessat etiam legis obligatio, quia cessat ipsa lex: sed ratio propter quam iura præscribunt solemnitates in contractibus est, vt in illis vitentur fraudes: ergo cessante fraude, cessant iura præcipientia solemnitates in illis; ac per consequens & obligatio seruandi prædictas solemnitates, & consequenter ex contractibus minus solemnibus in quibus deficit fraus, resultabit obligatio in conscientia. Respondetur, cessante fine legis in vniuersum & in communi, cessare obligationem legis, quia tunc cessat per se finis legis: cessante verò fine legis in aliquo casu particulari, non cessat legis obligatio, quia tunc solùm cessat finis legis per accidens: sic matrimonium celebratum absque Parocho & testium præsentia, inualidum est, semper tamen aduertenda sunt verba legis, an scilicet reddant actum nullum in se, an verò solum reddant illum nullum in exteriori foro, ita vt ex illo nihil in iudicio vel extrà probari possit.

53. Ex quo infertur, accepta per contractum lucratiuum, sine debita solemnitate substantiali factum, restituenda esse etiam ante iudicis sententiam, quia cùm sit inualidus defectu solemnitatis substantialis, nullo iusto titulo retineri possunt. Accepta verò contractu oneroso retineri posse titulo compensationis, dummodo sine fraude & inæqualitate inter habentes facultatem alienandi celebratus sit, quia retinens non facit iniuriam ei à quo recepit, nec ei damnum infert, cùm tradiderit æquale.

54. Maior difficultas est in explicando, quomodo cognoscetur quando solemnitas sit substantialis. Ad quod Castrus Palao tract. 3. disp. 1. punct. 9. tradit quatuor signa. Primum, quoties ius dicit hoc esse seruandum pro forma, tunc enim forma stat pro famosiori significato, ac proinde pro forma quæ dat esse rei. Vbi nota in iure aliud esse prohibere, aliud irritare; non enim ex eo quòd actus prohibeatur, ideo inualidus est, vt constat in matrimonio quod tenet omissis denunciationibus. nam Tridentinum præscribit denunciationes vt matrimonium bene fiat, non tamen irritat absque denunciationibus factum. Tertium si loquatur conditionaliter. Quartum quoties lex tribuit facultatem actus faciendi, & simul modum præscribit; tunc enim talis modus censetur inductus vt forma substantialis, nisi quando datur potestas, & simul præcipitur forma apponi, talis forma sit quæ de iure communi inest accidentaliter, & non substantialiter. Vnde Episcopus excommunicans non seruata forma à iure requisita cap. 1. de sentent. excommunic. in 6. hoc est, sine scriptura & sine expressione causæ, validè excommunicat, quamuis illicitè.

DISPVTATIO II.

De promissione, & donatione.

Sectio I.

Quid sit promissio, & quas conditiones requirat.

1. QVM promissio possit fieri tam Deo, quàm hominibus, hîc non loquimur de promissione Deo facta, de hac enim disputant Theologi in materia de voto, sed de ea quæ hominibus fit. Hæc autem est duplex. Altera quæ dicitur simplex promissio; altera onerosa, quando fit promissio mutua ex vtraque parte, & solet dici contractus promissorius, de qua similiter modò non disputamus, sed solùm de promissione simpliciter, & propriè sumpta, vt dicit contractum gratuitum. Quæ diffinitur à Rebello tom. 1. lib. 18. cap. 1. *Quòd sit datio fidei firma, vera, deliberata, & spontanea de re licita.* Per illam particulam, *datio fidei firma*, differt promissio à proposito. Vt enim rectè Lessius lib. 2. cap. 18. lib. 1. non sufficit dicere, ego faciam, significando solum animum & voluntatem faciendi, sed vlteriùs requiritur vt fides detur & obligetur, id est, vt homo alteri se obliget. Similiter non est satis dicere: ego promitto me hoc facturum, si solùm intendat significare animi sui propositum, non autem dare fidem, vt sæpe fit, nisi ex tali modo loquendi alter deciperetur cum notabili suo detrimento; tunc enim teneretur sub mortali implere quod verborum specie promisit. Præterea nec sufficit dicere: ego promitto me facturum quidquam iusseris, si id dicas vt affectum tuum & animi promptitudinem ad alteri placendum testeris, non verò vt te illi obliges. Hæ enim & similes formulæ loquendi, sæpe vsurpantur ad testandum propositum, non verò ex intentione

se

se absolutè obligandi, quod requiritur ad promissionem. Per cæteras verò particulas explicantur conditiones ad promissionem requisitæ.

2. Prima conditio est, vt sit verbis, vel signis externis facta, quæ conditio communis est omnibus contractibus humanis. Et ratio sumitur ex natura ipsius contractus, qui quidem sunt hominis degentis, & constituentis Rempublicam hanc politicam & externam, quæ ex natura sua sine externis signis esse non potest. Vt enim rectè Basilius homil. 3. in illud. Attende tibi ipsi, inquit. *Qui nos condidit Deus, in hoc impertiit sermonis vsum, vt alius alij sui cordis arcana reuelet, communisque natura intuitu suo, quisque proximo ex abstrusissimo recessu pectoris, quasi ex intimo quoquam conclaui, sua consilia cogitationesque depromat. Si enim ipsi viueremus anima omnium oculis conspicua, atque nuda, inter nos mox conueniret per mutuam cogitationum intelligentiam. Nunc quando anima carnis adoperta velamine, multifarias comminiscitur secum ac versat cogitationes, & verbis opus habet, & nominibus, vtque in reconditione mentis secessu delitescunt, in apertum euniget.* Quod etiam rectè confirmat Vazquez tom 4. in 3. partem tract. de Matrimon. disp. 4. cap. 4. Quia promissio non potest inducere obligationem, nisi fidelitatis, vel iustitiæ: ante manifestationem autem per signum aliquod externum neutram inducit. nam tam fidelitas, quàm iustitia sunt in alterum: ergo donec illi manifestentur cui seruandæ sunt, nulla est obligatio, neque potest esse fidelitas aut iustitia: neque alteri erit quis infidelis aut iniustus, quando verba ut signa non agnouit.

Basil.

3. Obiicies, quia in promissione tota obligatio oritur ex voluntate promittentis; quantumuis enim sit externa manifestatio, si internus consensus deest, nulla nascitur obligatio: ergo rectè potest homo se obligare antequam manifestet animum suum alteri; est enim obligatio promissionis obligatio legis priuatæ quam sibi imponit promittens, ac proinde independens ab aliqua alia voluntate. Et confirmatur, quia si promissio interna iuramento firmatur obligat: ergo per actum internum potest quis se alteri obligare. Respondetur, quòd quamuis radix obligationis sit consensus, nunquam tamen consensus merè internus parit obligationem, nisi externis signis manifestetur, dum enim quis contrahere vult, aut se alteri obligare, planè subintelligit id se velle secundùm modum sibi connaturalem & humanum, qui est per verba vel signa externa, quæ si deficiant ex interno tantùm consensu, nunquam consurgit obligatio erga alterum. Ad confirmationem, obligationem oriri tunc non ex ratione consensus præcisè, sed ratione iuramenti Deo facti, quod habet rationem voti. Cùm enim Deus inspector sit cordis, sufficit actus merè internus, vt quis possit Deo obligari.

4. Secunda conditio est, vt promissio sit deliberata, hoc est, libera, ea saltem libertate, quæ ad peccatum mortale sufficiat. Ratio huius est, quia promissio debet esse actus simpliciter humanus, quia per illam homo imponit sibi grauissimam obligationem, quam si postea transgrediatur, peccabit mortaliter: ergo necesse est vt in assumenda illa obligatione vtatur tanta libertate, quanta ad mortaliter peccandum sufficeret: aliàs hæc obligatio nec esset humana, nec moralis. Quòd verò hæc libertas sufficiat, manifestum est. nam hęc satis est ad alios contractus humanos, & etiam ad valorem iuramenti, & voti, & ad culpam periurij & contra votum: ergo obligationem promissionis; est enim de his omnibus consimilis ratio. Nec obstat quòd in cap. *Diuersium*, de Pœnitent. dist. 1. Quod desumptum fuit ex Consulto ff. de regulis iuris l. 49. vbi dicitur. *Quidquid calore iracũdia fit vel dicitur, nõ prius ratum esse, quàm si perseuerantia apparuerit, iudicium rationis fuisse*; & idem colligitur ex aliis iuribus. Sed facilè respondetur, eas leges intelligendas esse quando ira priuat vsu rationis: calor enim iracundiæ interdum talis est, vt rationis vsum pro nunc ita perturbet, vt liberum iudicium non relinquat, in quo euentu procedunt iura quæ facta calore iracundiæ non recipiunt, nisi transacta passione rata habeantur.

5. Tertia conditio est, vt sit spontanea, hoc est, libera à metu & coactione. An verò promissio cui metus iniustè illatus causam dedit, valida sit, explicuimus disputatione præcedenti, sect. 4. agentes generatim de omnibus contractibus.

6. Quarta est, vt promissio sit vera, & non ficta, hoc est, non oretenus & verbis solùm facta, sed animo promittendi & se obligandi: hæc enim duo requiruntur, animus promittendi, & voluntas se obligandi, quæ si desint, promissio non erit valida ad obligandum, neque ex iustitia neque ex fidelitate, vt ostendimus in tractatu de matrimonio disp. 1. sect. 3. & ampliùs confirmatur ex D. Gregorio 26. Moral. cap. 7. & refertur in cap. *Humana aures* 22. quæst. 5. *In huiusmodi actibus humanis, non tantùm esse verba consideranda, sed voluntatem & intentionem, quia non debet intentio verbis deseruire, sed verba intentioni.* Idem habetur in l. *Obligationem* 1. ff. de act. & obligat. vbi generaliter traditur: sine animo se obligandi nullam oriri in contractibus obligationem. Ex quo infertur, quoties aliquis exterius promittit animo non se obligandi, non manere in conscientia obligatum ad efficiendum quod promisit, quantum est ex vi promissionis. nam hæc obligatio inducitur per veram promissionem, quæ non est, cùm deest interior intentio, quæ est veluti forma & anima ipsius promissionis; ac proinde ibi non est vera promissio, sed ficta. Deinde infertur quamuis promissio confirmetur iuramento, si id fiat fictè & simulatè sine animo iurandi, aut se obligandi, adhuc promittentem non manere obstrictum, secluso scandalo & iniustitia, ratione damni inde alteri subsecuti. Cuius ratio est, quia iuramentum ex vi & religione sua præcisè nequit in foro conscientiæ obligare vltra intentionem iurantis: quare qui fictè & simulatè iurat sponte sua, & non coactus ab eo qui potest compellere ad iurandum, si non intendit iurare, ad nihil ex vi iuramenti obligatur. nam actus humani & morales pendentes ab hominis voluntate, vltra intentionem illius non extenduntur.

Gregor.

7. Quinta conditio est, vt sit acceptata. nam ante acceptationem promissio non obligat, vt tenet communis sententia Doctorum. Et ratio est, tum quia ante consensum promissarij, nequit promittens illi obligari ex iustitia. nam etiam postquam promissarius acceptauit promissionem, potest tolli talis obligatio si alter nolit acceptare: tum etiam, quia ei qui non acceptat promissionem, neque de illa curat, non est obligatio habendi fidem. Quare promissio hanc à natura habet insitam conditionem, si promissarius voluerit, vel acceptet. Hanc verò doctrinam limitat Molina tom. 2. de iustitia, disp. 263. in promissione facta alicui loco, vel personæ ob causam piam, ad quam inquit non requiritur acceptatio; quia ius ciuile non potuit impedi-

re validam donationem ob causam piam, quæ pertinet ad potestatem ecclesiasticam Oppositam sententiam sequitur Sanchez disp. 6. lib 1. de matrim. quia acceptatio iure naturali est necessaria vt promissio obliger, & non tantùm iure ciuili.

8. Vltima denique conditio est, vt promissio sit de re licita. nam quæ est de re illicita, iure naturali est irrita & nulla. Et ideo in cap. *In malis* 22. quæst. 4. dicitur. *In malis promissis rescinde fidem*, & infrà. *Impia est promissio qua scelere adimpletur.* Quare ante operis patrationem, nec promissor, nec promissarius tenetur, imò promittens tenetur reuocare. nam nemo ad peccatum obligari potest. Patrato autem opere malo, tenetur promittens soluere promissum, non solùm ex fidelitate, sed etiam ex iustitia; quia non fuit promissio gratuita, sed onerosa, nimirum locatio & conductio operarum, vel contractus innominatus: do vt facias. ergo si fecit, tenetur alter ex iustitia præstare quod promisit: quamuis enim peccatum non sit pretio æstimabile ex se; est autem ratione laboris, periculi, damni, & delectationis: quare opere præstito merces accipi & exigi potest, quia debetur iure naturali; nec peccat petendo & accipiendo, quia non se obligat ad peccatum, nec approbat malum, imò potest factum detestari, sed tantùm vtitur iure suo.

9. Et ex his infertur, promissionem externam legitimè acceptatam si materia sit grauis, obligare sub mortali; quia qui promittit, non solùm affirmat se aliquid facturum, sed vlteriùs se obligat alteri, ac proinde tribuit illi ius ad exigendum. Promissione namque datur ius ad rem, quod etiam ad hæredes promissarij transit, sicut & obligatio promissoris, ad ipsius hæredes traiicitur. Item promissarius dicit sibi rem deberi, & potest debitum exigere, vel condonare, quod est signum esse debitum iustitiæ. Obseruat autem rectè Sanchez suprà disp. 5. num. 24 Ad inducendum peccatum mortale in promissione, non sufficere materiam quæ satis esset in furto, sed esse necessariam quantitatem & materiam quadruplo maiorem, quia obligatio promissionis liberalis, minor est quàm obligatio furtiq neque enim qui fidem non seruat in promissione liberali, aufert rem alienam, sicut qui eam furatur, ac proinde multo minor est iniuria; sicque multo grauiùs queruntur homines de re furto ablata, quàm de fide in liberali promissione violata. Et ex hac doctrina rectè Fagundez lib. 3. de præceptis Ecclesiæ præcep. 1. cap. 8. infert, eum qui alterum promisit Missam vnam applicare pro illo, & non pro alio, non teneri sub mortali eam illi applicare, quia hîc non est considerandum bonum spirituale ipsius Missæ promissæ, sed valor temporalis, seu potiùs stipendium temporale ipsius, & iuxta valorem huius stipendij considerandam esse materiam promissionis; materia autem stipendij temporalis vnius Missæ non est sufficiens, ad inducendum peccatum mortale in promissione, vt satis constat. nam adhuc in furto non est materia sufficiens.

Vltimò infertur, quomodo promissio differat à [illegible]ctione, pollicitatione, pacto, & stipulatione. [illegible] promissio non transfert dominium, donatio [illegible] habet vim transferendi illud. Promissio est [illegible] cum acceptatione, pollicitatio autem est [illegible] promissio nondum secuta acceptatione. quare omnis pollicitatio est promissio, non verò econtra. Pactum est duorum vel plurium consensus & conuentio in idem, ex qua oritur obligatio siue vtrinque, siue ex vna parte tantùm: promissio verò gratuita, obligationem tantùm parit in promittente. Tandem stipulatio est contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedenti interrogatione creditoris, & responsione debitoris, vt suprà docuimus. Hoc autem non semper contingit in promissione.

11. Denique explicandæ sunt causæ ob quas cessare possit obligatio promissionis, quod his regulis fit. *Prima* est, consensus vtriusque contrahentis. nam cùm hic contractus sit humanus, dissolubilis est, & sicut voluntate contrahentium potuit fieri, ita & dissolui. *Secunda* regula, quando elapsus est terminus implendæ promissionis, manet liber ille, qui non fuit causa dilationis, nisi contractus promissionis absolutè sit factus. Ratio huius est, quia ad hunc finem assignatus est terminus, vt alter contrahentium propter alterius causam liberè possit discedere à contractu. *Tertia* regula est. Superueniens aliquod impedimentum, vel magna mutatio in rebus, quæ tempore contractus fuit ignorata, & quæ si fuisset nota, impediret contractum, dissoluit illum. quæ regula etiam deseruit ad dissoluendum contractum mutuæ promissionis. Impedimentum autem potest esse, vel in potentia implendi promissionem ex defectu materiæ, quia is qui promisit non habet materiam, v. g. si promisit certam quantitatem pecuniæ, & eam non habet, tunc enim differtur obligatio, si hoc impedimentum est ad tempus, seu omnino extinguitur si moraliter iudicatur perpetuum: vel potest esse impedimentum iuris, vt si fiet lex annullans contractum promissionis, tunc enim promissor non obligatur ad talem contractum, quia quando promiserat, non erat tale impedimentum: nec tenetur à Principe petere dispensationem, vt possit implere promissionem. Quando verò post celebratum contractum aduenit noua causa, quæ à principio posset impedire, iusta est causa dissoluendi, tunc enim facta est magna mutatio in rebus, ac proinde non est mirum si cesset obligatio promissionis. nam propter talem causam meritò vnus ex promittentibus est rationabiliter inuitus. Quare in iure paria sunt rem de nouo fieri, & de nouo apparere, cap. *Pastoralis*, de exceptionibus, & l. vltima Cod. de sponsalibus. Vbi etiam obserua promissionem vni factam non dissolui per promissionem alteri factam, etiamsi iuramento confirmetur, hoc enim contra priorem promissionem non obligat, quia tale iuramentum cadit supra ius per priorem promissionem tertiæ personæ acquisitum: quod verum est quamuis ex aliqua causa primus contractus dissoluatur. nam, vt rectè Sanchez lib. 1. de Matrimonio disp. 50. quod ab initio validum non fuit, solo temporis tractu non conualescit, regula *non firmatur*, de regulis iuris in 6. Sed posterior illa promissio fuit nulla. ergo nunquam inducit obligationem: quod limita nisi contrahentes in secunda promissione contraxerint sub conditione si possent in futurum.

SECTIO II.

Quid sit donatio, & quando fiat validè, vel inualidè.

1. DOnatio, ex Aristot. 4. Ethicorum cap. 2. *Est datio irredibilis.* Atque ita communiter diffinitur à Doctoribus, *Datio liberalis.* hoc est, actio sufficiens ad transferendum rei dominium omnino gratis, & absque vlla retributione, quia aliàs non esset donatio, sed vnius pro alio commutatio. Ad donationem

nem autem requiruntur omnes conditiones quas ſectione præcedenti diximus requiri ad promiſſionem humanam. Et præterea requiritur, vt is qui donat, habeat dominium, & adminiſtrationem, cum facultate alienandi: qui enim tantùm habent dominium, non poſſunt donare, quia donatio pertinet ad regimen & diſpoſitionem bonorum. Similiter qui tantùm habent adminiſtrationem, niſi ſecundùm mentem domini, vel in eius commodum: nec qui carent facultate alienandi, niſi prout eis ius, vel ſuperior permiſerit.

13. Ex quo fit, vt non poſſit donare. *Primò*, is qui caret vſu rationis, vt amens, furioſus, vel qui non eſt ſui compos; non enim cenſetur habere liberam bonorum ſuorum adminiſtrationem, vt non vratur libertate & ratione, qualis requiritur in contractibus. *Secundò*, prodigus, qui à Magiſtratu poſitus eſt ſub curatore, quia adempta eſt ei adminiſtratio; ac proinde donatarius tenetur ei reſtituere ſi aliquid ab illo acceperit. *Tertiò*, impubes, talis eſt maſculus qui nondum expleuit annum 14. & fœmina quæ nondum 12. vt patet l. finali C. quando tutores, vel curatores eſſe deſinant. Poteſt tamen impubes ad cauſas pias donare. *Quartò*, filiusfamilias etiamſi pubes ſit, non poteſt donare ſine conſenſu expreſſo, vel tacito patris, niſi habeat bona caſtrenſia, vel quaſi caſtrenſia. Si verò de his bonis donauerit profusè, ita vt ſentiat damnum notabile, poteſt petere reſtitutionem in integrum, vt docet Leſſius lib. 2. cap. 17. dub. 9. *Quintò*, minor 25. annis ſi curatori ſubſit, donare nequit de bonis ſuis, quæ neque caſtrenſia, neque quaſi caſtrenſia ſunt, abſque conſenſu expreſſo, vel tacito & debito curatoris; cenſetur autem conſenſus tacitus, vel debitus, reſpectu donationum quas alij paris conditionis viri ſecundùm morem ſolent donare. Si verò profusè donat, quamuis peccet, cenſet Leſſius cap. 18. dub. 11. hoc peccatum non eſſe mortale, nec teneri ad reſtitutionem donatarium, donec à curatore repetatur, vel ipſe donator petat reſtitutionem in integrum. *Sextò*, vxor non poteſt donare abſque conſenſu mariti. Nec ſuperiores Regularium ad vſus profanos, quia conuentus qui eſt dominus iſtorum bonorum, nec conſentit in tales donationes, nec poteſt conſentire eo quòd per Canones hæc poteſtas ſit illi adempta. Et denique nec ſubditi Regulares poſſunt donare niſi ad cauſas pias, & ex conſenſu Prælatorum expreſſo, vel tacito, vt iam in ſuperioribus explicuimus.

14. Præterea ex iure poſitiuo vt valida ſit donatio, requiritur inſinuatio. Eſt autem inſinuatio in hac materia, manifeſtatio donationis coram iudice competente, ita vt donans manifeſtet ſe velle donare tali perſonæ talem rem. Quare ſecundùm ius commune l. *Sancimus*. C. de donationibus, donatio facta ſine inſinuatione quæ excedat ſummam 300. ſolidorum, inualida eſt quantum ad exceſſum; valida verò quantum ad illam ſummam. nam vtile per inutile non vitiatur. Et in eodem titulo l. penult. ſtatutum fuit, vt valida eſſet donatio abſque inſinuatione, ſi non excedat ſummam 500. ſolidorum. Valent autem 500. ſolidi, teſte Claro quæſt. 15. n. 1. ſcutis Hiſpanicis 700. Quæ doctrina etiam intelligenda eſt de remiſſione debiti excedétis prædictam ſummam, inualidam eſſe quoad exceſſum. nam remiſſio debiti eſt vera donatio, & à iure inter donationes computatur. l. *In ædibus*. ff. de donationibus. Quod verò vltra prædictam ſummam donatum eſt, retineri poteſt donec à donatore, vel eius hæredibus repetatur, quia prædictæ leges non videntur reddere donatarium inhabilem, ſed tantùm tribuere donatori facultatem pro arbitrio repetendi; ac proinde quandiu non reperit, poſſunt retineri. nam ſcienti & volenti non fit iniuria: nec tenetur donatarius, etiamſi donator ignoret ſe poſſe repetere, illi dicere; ſed poteſt retinere rem donec aliunde reſipiſcat & repetat. Eſt autem adeò neceſſaria inſinuatio in donatione excedente dictam quantitatem, vt abſque ea inualida ſit, quamuis donator renuntiet legi & inſinuationi: non enim liberum eſt donatori omittere ſolemnitatem à iure præſcriptam tamquam formam, argumento legis *nemo poteſt*. ff. de legibus. Si verò quis donet alicui vltra prædictam ſummam ſine inſinuatione, & ponat clauſulam in inſtrumento, quæ dicat ſe tot facere donationes, quot fuerint ſummæ, infra ſummam conceſſam, ita vt faciat plures donationes quorum nulla excedat ſummam conceſſam, talis clauſula nihil efficiet; quia manifeſtè cenſetur poſita contra finem legis. Si autem diuerſis temporibus eidem fierent donationes diuerſæ, validæ eſſent, etiamſi omnes ſimul excederent ſummam conceſſam. l. *Sancimus*. §. *& ſi quis cauſam*. C. de donationibus.

15. Excipiuntur verò nonnulli caſus in quibus donatio abſque inſinuatione valida eſt, etiamſi prædictam quantitatem excedat. *Primò*, ſi iuramento confirmetur, vt docet Clarus ſuprà, qui dicit modò hanc eſſe communem ſententiam. *Secundò*, ſi donatio fiat ad redemptionem captiuorum. *Tertiò*, ſi ad reparationem ædium incendio, vel ruina deſtructarum. *Quartò*, cùm magiſter militum dat militi mobilia, quantumuis ea ſit magni pretij. *Quintò*, quando donatio eſt remuneratoria obſequiorum, vel beneficiorum; hæc autem propriè non eſt donatio. Vnde quando ſimpliciter prohibetur donatio, non cenſetur prohibita ea quæ ſit ob merita præcedentia, cùm propriè donatio non ſit. Ita Sanchez lib. 6. de matrim. diſp. 6. *Sextò*, quando donatio eſt ad pias cauſas. nam licèt fortè ius ciuile non permittat niſi quingentos ſolidos validè donari, hoc tamen ſeruandum non eſt in præiudicium piarum cauſarum: Principes enim ſeculares non poſſunt aliquid ſtatuere in præiudicium bonorum operum & ſalutis animarum, quod re vera fieret, ſi in cauſis piis eſſet neceſſaria talis inſinuatio.

16. Explicandæ verò ſunt ſpeciatim aliquæ donationes, an ſint validæ, necne. Et primò donatio facta alicui clerico loco tituli ad Ordines ſuſcipiendos, cum obligatione tamen & pacto vt ſtatim ſuſceptis Ordinibus ei renuntiet, & reſtituat donatori bona donata, talis donatio tam in foro exteriori, quàm interiori valida eſt, & ſic donatarius non poteſt renuntiare, nec tenetur etiam poſt beneficium obtentum, iuxta Tridentinum ſeſſ. 21. cap. 1. fuit enim pactum turpe, & promiſſio contra ius publicum, & conſequenter turpis & nulla; ac proinde ex tali promiſſione nulla eſt nata obligatio; quare ex vi illius donatarius ad nihil remanſit obligatus in conſcientia, & conſequenter in vtroque foro erit tutus propter fraudem & iniuriam quam fecit donator Eccleſiæ, illam illudens, & decipiens: quidquid dicat Corduba quæſt. 32. qui exiſtimat in foro interiori non valere prædictam donationem vltra intentionem donantis, ac proinde teneri donatarium in conſcientia iuxta promiſſionem factam ei renuntiare.

17. Secundò donatio facta per Epiſcopum intra viginti dies ante obitum, inualida ac nulla eſt in foro exteriori, quia præſumitur facta cauſa mortis, & in fraudem iuris Cameræ Apoſtolicæ, etiamſi fiat in

fauorem cuiuſcumque cauſæ piæ. At in foro interioti prædicta donat o valida eſt, quod maximè procedit cùm donatio facta fuit extra infirmitatem, cùm ſcilicet ſanus eſſet Epiſcopus; quare adhuc ſi publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Epiſcopi defuncti, manet tutus in conſcientia.

18. Tertiò, donationes factæ per Epiſcopos & clericos cognatis ad eorum ſtatum augendum, quamuis in foro exteriori nec puniantur, nec irritentur: at in foro animæ illicitæ ſunt per Trident. ſeſſ. 25. cap. 1. de Reformat. vt docuimus tract. præcedenti.

19. Quartò, donatio omnium bonorum præſentium & futurorum iure communi eſt inualida, tanquam contraria bonis moribus, quia per talem donationem homo offert ſibi poteſtatem teſtandi, niſi talis donatio fiat Eccleſiæ, vel in aliquam piam cauſam; tunc enim non poteſt cenſeri contra bonos mores; nec ius ciuile quo talis donatio prohibetur, poteſt impedire officia pietatis. In foro verò conſcientiæ talis donatio valet & tenet, vt docet Rebellus lib. 18. quæſt. 8. vbi ait, ſi nulla concurrat vis, nec fraus, nec iniuria creditorum, nec aliquid aliud per quod aliquod præiudicium fiat alicui, nec etiam donator remaneat in penuria, & paupertate ad ſe alendum, his ceſſantibus non peccare mortaliter donatorem faciendo talem donationem, vel eam iurando, nec ſimiliter donatarium eam acceptando. Nec obſtat quòd talis donatio eſt contra bonos mores, ac proinde iuramento firmare non poſſe, quia lex quæ ipſam prohibet, eſt iuſtiſſima, & in re graui diſponens. Nam, vt rectè Leſſius lib. 2. cap. 18. dub. 13. hæc donatio non eſt contra bonos mores: ſicut id quod eſt illicitum; ſed ſolùm, quia expedit in Republica paſſim eſſe libertatem teſtandi. Vnde cùm abſque vllo peccato, poſſit quis omnia ſua donare, ſi iuramento promittat ſe non reuocaturum, valet donatio. Ex quo fit, donationem omnium bonorum præſentium tantùm, validam fore; quia non adimit ſibi poteſtatem teſtandi de futuris, & ſimiliter ſi donator reſeruet ſibi aliquid ex bonis ſuis ſaltem vſumfructum, quia de hoc teſtari poterit. Hæc verò intelligenda ſunt de donatione inter viuos. nam ſi loquamur de donatione cauſa mortis, valida eſt donatio omnium bonorum tam præſentium, quàm futurorum, vt ſæpe fieri ſolet inter coniuges, quia adhuc non obſtante tali donatione, poterit donator teſtari, & alium hæredem inſtituere, qui licèt poſtea teneatur dare donatario iuxta conuenta in donatione, nihilominus poterit detrahere falcidiam, id eſt, quartam partem, atque eam ſibi retinere.

20. Quintò, donans Eccleſiæ vel Monaſterio omnia bona ſua, retento ſibi vſufructu, ſi poſtea filios habeat, non reuocatur donatio in totum, ſed tantùm quantum ad eorum legitimam, argumento legis *ſi totas*. C. de inoffic. teſtam. vbi donatio omnium bonorum facta filiis emancipatis, per patrem credentem alios filios non habiturum, reuocatur tantùm quoad legitimam: quare cùm Eccleſia ſiue Monaſterium habeatur loco filiorum, in eo euentu donatio ſibi facta debet tantùm quoad legitimam reuocari. Addit verò Valerius different. 10. in foro conſcientiæ Eccleſiam non poſſe aliquid penes ſe retinere, ſed teneri omnia bona reſtituere filiis poſtea natis, propter præſumptam intentionem donatorij; vel potiùs propter defectum voluntatis & intentionis, debemus enim exiſtimare ſi filios habuiſſet talem donationem non feciſſe, nec facere debuiſſe.

Sextò, donatio inter virum & vxorem, iure communi inualida eſt, & ad arbitrium donantis reuocabilis, ne mutuo ſe amore expolient, vt habetur in cap. final. de donatio. inter virum & vxorem, & conſtat ex l. 3. §. ſciendum autem. ff. de donatione inter virum & vxorem, ibi, *Ipſo iure, quæ inter virum & vxorem donationis cauſa geruntur, nullius momenti ſunt.* Non verò eſt omnino nulla, quia confirmatur morte, trahiturque retrò, quia eo tempore ceſſat ratio prohibitionis, videlicet ne mutuo ſe amore ſpolient, & poteſt alter alterum liberè inſtituere ipſique legare; ac proinde ex tacita & præſumpta voluntate, cùm donationem in vita donator non reuocauerit, cenſetur tunc relinquere ac legare, niſi appareat contrarium voluiſſe: quare idem eſt ac ſi in teſtamento ea donatio relicta eſſet. Quod quidem verum eſt concurrentibus his conditionibus, vt tradit Sanchez lib. 6. de Matrim. diſp. 14. *Prima*, vt præceſſerit in vita donantis traditio rei donatæ, quia cùm talis donatio ſit inualida, non eſſet, quo confirmaretur deficiente traditione, ea autem accedente iam eſt actus, res, & voluntas, qua poſſit confirmari. *Secunda*, vt coniux donans priùs decedat. nam ſi donatarius priùs obeat, euaneſcit penitus donatio. *Tertia*, vt non excedat quingentos aureos abſque inſinuatione. nam ſi hanc ſummam excedit, & non adhibetur inſinuatio requiſita, morte non confirmatur ad minus quoad exceſſum, vt prædictum manet. *Quarta*, vt donans in eadem voluntate perſiſtat vſque ad mortem, nec tacitè, nec expreſsè reuocet. Vnde coniux cui alter aliquid tradit cauſa donationis, non tenetur illud reſtituere, ſed poteſt tuta conſcientia retinere, & expectare donec morte confirmetur ſi donator præmoriatur. Neque tantùm donatio inter coniuges inualida eſt, ſed etiam donatio ante contractum matrimonij facta in matrimonij contracti tempus, idem enim eſt rem fieri tempore inhabili, vel prohibito, & conferri ad tempus inhabile, vel prohibitum, & ita habetur expreſsè in l. *Quòd ſponſæ* 4. C. de donat. ante nupt. ibi. *Quod ſponſa ea lege donatur, vt tunc dominium eius adipiſcatur cùm nuptiæ fuerint ſecutæ, ſine effectu eſt.* Et idem eſt ſi donatio inter coniuges fiat per interpoſitas perſonas, vt ſi vir det aliquid cuidam vt donet vxori, paria enim ſunt per ſe, vel per alium facere. nam qui per alium facit, per ſe ipſum cenſetur facere. An verò donatio inualida inter coniuges, ſicut confirmatur morte naturali donantis, ita confirmetur morte ciuili, v. g. exilio, ſeruitute, profeſſione in Religione, dubitant Doctores, & pars affirmans videtur verior, quam ſequitur Molina tom. 1. de iuſtitia tract. 2. diſp. 288. dummodo donans efficiatur ſeruus pœnæ, vt ſi damnetur ad metallum, non verò ſi efficiatur ſeruus hominis. & profeſſio fiat in Religione, quæ non ſit capax poſſidendi bona in communi: ſecus verò quando Religio poteſt illa poſſidere, vt tradit Sanchez diſp. 17. 21.

Sunt verò nonnulli caſus in quibus valida eſt donatio inter virum & vxorem, quos latè refert idem Sanchez à diſput. 3. *Primus* eſt, ſi fiat inter Imperatorem & Imperatricem, ex l. penultima. ff. de donat. *Secundus*, quando ex donatione coniux donatarius non fit ditior, licèt donans reddatur pauperior; tunc enim videtur ceſſare cauſa prohibitionis, quia cùm recipiens non fiat ditior, propriè non ſpoliat alterum. l. *Si ſponſus* 5. verſ. *Conceſſa donatio*. Vnde ſi vir donet aliquid vxori, & ipſa inutiliter expendat, valet donatio; nec tenetur reſtituere id quod inutiliter expendit. 22.

Tertius

Tertius quando donans non efficitur pauperior, licèt donatarius efficiatur ditior, tunc enim donans nulla re expoliatur, cùm pauperior non fiat. *Quartus* quando vxor donat viro gratia honoris, vel dignitatis adipiscendæ, vel causa studiorum, vel licentiæ, aut doctoratus obtinendi, vel pro militia, vel nobilitate acquirenda. *Sextus* si vir constante matrimonio remittat vxori promissam dotem, vel partem eius, vel vsuras dotis non solutæ, de quarum solutione conuentum erat. *Septimus* si vir donet vxori quid annuum ad alimenta, modò donatio non excedat fructus dotis. *Octauus* quando est donatio remuneratoria; hæc verò propriè non est donatio. *Nonus* constante matrimonio potest vxor renuntiare lucris acquirendis in fauorem viri, vt habetur l.60. Tauri, quæ hodie est 9.tit.lib.5. Recopilationis, & idem est de viro respectu vxoris ob eamdem causam; nequeunt tamen renuntiare lucris acquisitis, quia eorum iam habent verum dominium, vt docet Molina disp.289. & disp.235. quia talis renuntiatio esset vera donatio, ac proinde inualida.

23. Quod verò attinet ad vestes, annulos, & similia, quæ vxoribus tradi consueuerunt à maritis, an censeantur donata, vel tantùm ad vsum concessa, quando de animo mariti non constat, distinguendum est inter vestes quotidianas, & inter pretiosas, & festiuas, & priores quidem censentur donatæ, quia hoc pertinet ad obligationem quam habet maritus erga vxorem, atque ita expensas quas facit vt suæ obligationi satisfaciat, non potest repetere, l.penultima.ff.de impensis. Posteriores verò non censentur donatæ, sed ad vsum concessæ, & ideo soluto matrimonio restituendæ sunt marito, vel hæredibus, nisi vir expresè diceret se donare, tunc enim manifestè constaret de eius voluntate; vel aliàs esset consuetudo in aliquo Regno, vel regione, vt censerentur semper donatæ. nam tunc censerentur dari iuxta consuetudinem; vel quando vir donans valde nobilis & diues est: quare semper est consideranda qualitas personarum, & consuetudo regionis. Loquendo autem de sponsalitia largitate, quæ nihil aliud est quàm donatio facta inter sponsos de futuro, matrimonij ineundi spe & causa, si matrimonium non sequatur, distinguendum est. Aut non contrahitur ob solius donantis culpam, & tunc donans siue sit sponsus, siue sponsa, perdit sponsalitiam largitatem quam dederat, & fit accipientis, & si aliquid acceperit, tenetur integrè restituere; vel si quid promisit, tenetur soluere; si verò ob donatarij culpam, tenetur restituere donanti, quod ab ipso recepit. Si autem casu non consummetur matrimonium, v.g. alterius morte, si sponsa recepit à sponso sponsalitiam largitatem, & osculum interceſſit, acquirit dimidiam eius partem, & tenetur alteram donanti restituere; si verò solus amplexus absque osculo intercedat, nihil comparat sponsa: si autem sponsa donauerat sponso, nihil sponsalitiæ largitatis acquirit sponsus per osculum, sed tenetur integrè restituere, l. *Si à sponso*. C. de donat. ante nupt. sponsus enim ob osculum nihil amittit, nec in nullo grauatur; at sponsa ruborem ac verecundiam patitur, & non ita facile nuberet, hoc matrimonio non secuto: osculo verò vel copula intercedente ante sponsalia, nihil per ea lucratur sponsa, quia actus culpabilis ac pœna dignus, non est aliquo legali præmio afficiendus. l. *sine hæreditas*. ff. de negot. gest. Vt autem sponsa lucretur hanc sponsalitiæ largitatis medietatem per osculum, vel integram per copulam, non requiritur animus donandi in sponso, sed satis est si de animo contrario non constet per expressam inter eos conuentionem; quia vbi non inuenitur oppositum pactum, iura applicant per osculum medietatem sponsalitiæ largitatis, & per copulam totam integram.

24. Septimò, donatio patris in filium nondum emancipatum inualida est, ac proinde pro arbitrio patris potest reuocari, l.2.C.de inoffic. donat. dum enim filius est sub potestate patris, censetur veluti vna persona ciuilis cum patre, atque ita censetur pater sibi donare; confirmatur tamen tum morte donantis, si res antea fuit tradita, tum iuramento. Donatio verò patris in filium emancipatum valida est, quia in hunc cessat patria potestas. Donatio verò matris in filium valida est, quia filius non est in potestate matris, sed patris: sicut etiam donatio patris in filium naturalem illegitimum; hic enim iure Cæsareo non est sub patria potestate; excipiuntur verò nonnulli casus in quibus donatio patris in filium sub patria potestate constitutum statim valet. *Primò* si aliquid detur in dotem, vel ad matrimonium. *Secundò* si donet bona mobilia proficiscenti ad bellum. *Tertiò* si professuro aliquam disciplinam libros donet. *Quartò* si vsumfructum quem habet in bonis aduentitiis filij, condonet filio.

Restant duo explicanda.

25. Primum est, quibus casibus possit donatio reuocari, & quidem si donatio sit inter viuos, potest primò reuocari ob ingratitudinem, etiamsi sit acceptata res tradita. l.finali.C.de reuocandis donat. v.g. si donatarius iniurias atroces in donatorem effuderit, vel manus impias in eum intulerit, vel in periculum vitæ iniecerit, vel iacturam non leuem bonis eius attulerit, vel donationi conditionem appositam non impleuerit, vel si inopia oppressum non aluerit; quod est valde notandum pro parentibus qui omnia donant suis liberis, & postea negliguntur, in his tamen omnibus requiritur iudicis sententia, quia est pœna: quare ingratitudo probanda est, & ita ante sententiam non tenetur donatarius ad restitutionem. *Secundò* potest donatio reuocari ratione prolis susceptæ, vt si quis prole carens magnam partem suorum bonorum donauit, & postea proles ei nascatur. l. *si vnquam*. C. de reuocandis donat. quia præsumitur donatio facta sub conditione, nisi nascantur filij, vt iam prædiximus. *Tertiò* reuocatur si sit inoffi ciosa, id est, contra officium pietatis paternæ in filios, vt cùm tantùm donat, vt filij priuentur sua portione legitima, quæ si facta est alicui ex filiis, reuocatur solùm vsque ad legitimam aliorum: si verò extraneo animo defraudandi filios, reuocatur tota; si verò non fiat eo animo, reuocatur quoad legitimas filiorum: sicut si facta est Ecclesiæ vel piæ causæ, solùm reuocatur quoad legitimas filiorum. Donatio autem mortis causa facta potest reuocari. *Primò* si pœniteat donatorem, sicut potest testamentum & legatum, l. *Qui mortis causa*. ff. de mortis causa donat. *Secundò* si donatarius moriatur ante donatorem, tunc ipso iure censetur reuocata. *Tertiò* si dedit intuitu alicuius instantis periculi, ex quo metuit mortem incurrere, eo ipso quòd periculum mortis euaserit, tacitè censetur donatio reuocata.

26. Secundum est, an donatio facta ad certum vsum, vel finem, vel suscepto onere, si illud onus, vel finis non præstetur, sit valida, & quidem si donator intendat donatarium ad illum finem, vel vsum

obligare, donatio erit irrita fine non præstito, si ille finis sit causa principalis donationis; quare si parens dedit filio pecunias eo fine dumtaxat vt emat libros, si non emit, tenetur restituere. Si verò solum intendat allicere animum, vel præbere media ad illum consequendum, non est irrita donatio, etiamsi finis non consequatur, vt si quis legauit puellæ centum vt nubat, nec aliud expressit, & illa ante nuptias obiit, legatum non est restituendum, sed transit ad hæredes puellæ: imò nec teneretur restituere, etiamsi manens in seculo coleret cælibatum, vel ingrederetur Religionem, quia non censeretur per legatum voluisse maius bonum impedire, nisi aliunde contrarium constet, & ob eamdem causam fœminæ accipientes munera à suis amatoribus spe consequendi ab ipsis, quod prauè concupiscunt, si non consentiant, non sunt obnoxiæ restitutioni; quia nullus est amator qui non verecundaretur & erubesceret, si præfata munera sibi remitterentur; verè enim ea donant, licèt ob prauum finem, & prædictæ fœminæ non recipiunt ea sub pacto, siue tanquam pretium impudicitiæ, sed tanquam incitamentum, ita Rebellus p. 1. lib. 3. quæst. 7.

DISPVTATIO III.

De mutuo, & vsura.

SECTIO I.

Quid sit mutuum? Quid & quotuplex vsura, & quo iure prohibita?

1. MVTVVM dicitur ab eo, quod de meo fit tuum, l. *mutuum*. ff. si certum petatur, & Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, & sic diffinitur in hunc modum. *Traditio rei quoad dominium, quæ statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi aliam futuro tempore eiusdem rationis.* Dicitur *traditio*, quia mutuum de numero est eorum contractuum, qui re & traditione ipsa perficiuntur. Cæteræ verò particulæ exprimunt conditiones requisitas ad mutuum. *Prima* est, vt materia illius sit res vsu consumptibilis, & colligitur manifestè ex l. citata, vbi dicitur, obligationem mutui in his rebus consistere, quæ pondere, numero, & mensura consistunt, v. g. vino, oleo, frumento, pecunia & similibus. *Secunda* vt res mutuata transeat in dominium mutuatarij, quod etiam colligitur ex iuribus citatis, in quibus etiam dicitur: *mutuum damus recepturi non eam speciem quam dedimus*, alioquin commodatum erit, aut depositum, sed idem genus, id est, per contractum mutui ita transfertur res in dominium mutuatarij, vt ex vi contractus hic non maneat obligatus ad reddendam eamdem rem numero, aliàs talis contractus potius esset commodatum, aut depositum, non verò mutuum. *Tertia* vt mutuatarius maneat obligatus ad reddendam rem eiusdem rationis, vt etiam dicitur l. citata: *Mutuum damus recepturi non eamdem speciem quam dedimus, sed idem genus.* nam si aliud genus, veluti pro tritico vinum reddamus, non erit mutuum, sed alius contractus. v. g. si pro tritico reddendum sit vinum, erit permutatio: si verò reddenda sit pecunia, erit venditio. Quarta vt inter dationem rei mutuatæ, & solutionem illius intercedat tempus, quod si assignatum fuerit expresse, aut virtualiter, tunc erit obligatio soluendi; & si intra illud tempus mutuatarius non soluat, poterit obligari ad restitutionem damnorum, si ex dilata solutione aliqua illata sint mutuanti: si verò terminus solutionis non fuit assignatus, soluendum est mutuum, cùm mutuans petierit, & tunc mutuum quantum ad hoc transit in similitudinem precarij, ita habetur iure Castellæ, l. 2. tit. 1. part. 5. vbi dicitur, *Y debese le dar el plazo, que pusieren entre si quando la cosa fue prestada. Y si el plazo no fue puesto, debese le dar voluntad del que la presto, diez dias despues que fue prestada.*

Vnde infertur qua ratione mutuum differat a commodato, in commodato namque solùm traditur vsus rei commodatæ, non verò dominium, vt habetur Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio. Vnde si res mutuata pereat, licèt casu, & citra culpam mutuatarij, ipsi periit, non verò mutuanti; quia in mutuo non solùm datur vsus rei, sed dominium, in quo differt à re commodata, quæ si pereat citra culpam commodatarij, commodanti periit, eo quòd per commodationem solum detur vsus rei, non verò dominium. Differt vlteriùs mutuum à commodato, quia eadem res numero reddenda est commodanti; de ratione verò mutui non est, nisi quòd reddatur alia eiusdem rationis & qualitatis. Præterea per eamdem particulam eiusdem rationis, & qualitatis differt mutuum ab aliis contractibus emptionis, venditionis, & permutationis, in quibus non redditur alia res eiusdem rationis & qualitatis, sed diuersa: vt cùm damus pecuniam, vt nobis reddatur triticum, dicitur emptio: cùm verò è contra damus triticum, vt nobis detur pecunia, dicitur venditio; & tandem cùm damus oleum, vt nobis detur vinum, vel quid simile, dicitur permutatio. Quæ sunt valde notanda, quia vbi non est aliquod mutuum, vel expressum, vel tacitum, vsura esse non potest; quia materia propria, & sedes vsuræ est mutuum: quare si aliquis vendat numerata pecunia rem aliquam catiùs pretio rigoroso, licèt committat iniustitiam, & excessus supra iustum pretium sit obnoxius restitutioni, non est vsura, quia hìc nullum interuenit mutuum. 2.

Vsura autem, provt in præsenti de ea loquimur, rectè diffinitur à Caietano in summa verb. vsura, *lucrum ex mutuo.* Quæ diffinitio accommodata est, & sufficienter explicat naturam vsuræ, & eam approbat Molina tom. 2. de iustitia, disp. 303. & colligitur ex cap. 1. & sequentibus 14. quæst. 3. in quibus vsura dicitur, *quod sorti accedit*; vel quod supra mutuum exigitur, nulla alia ratione. Quare non est necessarium addere particulam illam *pretio æstimabile*, quam addit Nauarrus. Nam quamuis verum sit lucrum accedens sorti debere esse pretio æstimabile, hoc tamen sufficienter significatur verbo *lucrum*, nullo alio addito; lucrum enim propriè solum dicitur de rebus pretio æstimabilibus. nam id quod pretio æstimabile non est, propriè non dicitur lucrum sed metaphoricè. Ex quo fit superfluè addidisse Couarruu. *temporale*, quoniam id quod non est temporale, non est pretio æstimabile. Neque etiam est necessarium addere particulam *vi mutui*. nam quamuis verum sit lucrum quod accedit sorti, debere accedere vi mutui, & non alio titulo, vt sit vsura: hoc tamen sufficienter exprimitur illa particula *ex mutuo*: quod enim ex alio capite accedit, vt ratione lucri cessantis, damni 3.

emer

emergentis, aut alio titulo, non dicitur lucrum ex mutuo vt mutuum est, sed ex alio capite. Neque etiam necessarium est addere particulam *veri*, vel *palliati*, quam addit Nauarrus, mutuum enim vtrumque comprehendit. Nec denique necesse est addere particulam *principaliter intentum*, *vel speratum*, quam addit Toletus; si enim lucrum intendatur, vel speretur ex mutuo, non alio titulo, sed in compensationem ipsius mutui tanquam sit illi aliquo modo debitum, quamuis secundariò; & minus principaliter intendatur, committitur vsura: si verò intendatur, & speretur non vi mutui, sed ex gratitudine, vel ex alio fine, licèt intendatur tanquam finis principalis, non est vsura, vt ex dicendis magis constabit.

4. Et ex his infertur sensus diffinitionis vsuræ, nimirum esse lucrum proueniens ex contractu qui dicitur mutuum, non aliunde, neque alio titulo, sed causa mutui. Infertur etiam qua ratione diffinienda sit vsura quatenus significat actum ipsum, siue peccatum vsuræ: *Est enim actus, siue voluntas, quâ quis intendit lucrum ex mutuo.* Illud verò obseruandum est quod attinet ad vsum terminorum, quibus in hac materia vtimur. Is enim qui mutuum dat, dicitur mutuans; qui verò accipit mutuum, dicitur mutuatarius: res verò mutuo data dicitur sors, in quo sensu accipitur 14. quæst. 3. cap. *Plerique*, & alibi sæpè in Iure Canonico: quod nomen derivatur ex contractu societatis, in quo vnusquisque sociorum sortem suam siue partem mittit, eamque tempore partitionis extrahit, & deinde accipit partem lucri quæ vltra sortem ad ipsum attinet, dici etiam solet sors capitale, aut principale; lucrum verò, seu accessus vltra sortem dicitur vsura, si accedat vi mutui.

5. Diuiditur autem vsura in realem & mentalem, quas aliqui exteriorem & interiorem appellant: alij verò conuentionalem, & non conuentionalem. Vsura realis, siue conuentionalis est illa, in qua intercedit pactum aliquod, siue conuentio de lucro vltra sortem ratione mutui. Hoc autem pactum est duplex, aliud expressum, aliud tacitum, siue implicitum. Expressum est, quando mutuans verbis expressis conuenit cũ mutuatario, vt det illi aliquid vltra sortem, & hac lege illi mutuat. Tacitum verò quando fit conuentio non verbis expressis, sed rectis & palliatis, quibus innuit se velle aliquid vltra sortem; vt si dicat: Ego tibi mutuabo centum, sed nosti consuetudinem: aut ego confido pecuniam meam non reuersuram ad me vacuam: vel noui te esse virum gratum, aut quid simile: mutuatarius autem taceat, vel nutu significet se consentire; vtraque ergo vsura dicitur realis siue conuentionalis. Vsura mentalis est, quando nullo intercedente pacto, neque explicito, neque implicito de reddendo aliquid vltra sortem, quis ea mente, & intentione mutuat, vt lucrum recipiat ex mutuo, non ex gratitudine mutuatarij, seu liberalitate, sed timore, ne alia via ei mutuum denegetur; quam tamen intentionem nullo modo verbis, vel nutibus exprimit, sed interiùs retinet. De qua vsura intelligitur textus in cap. *Consuluit*, de vsuris, vbi consultus ponit, an in iudicio animæ censendus sit vsurarius, qui cessante omni conuentione, mutuum dat eo animo, vt inde lucrum recipiat. Et respondet in foro animæ esse habendum pro vsurario, & esse compellendum in eodem foro, vt restituat quæ ex mutuo hoc modo accepit.

Rursus aliqui subdiuidunt vsuram realem, in apertam, & palliatam. Apertam dicunt esse illam, in qua intercedente pacto expresso, intenditur lucrum ex mutuo. Palliatam verò illam, in qua interuenit pactum implicitum. Ita explicat vsuram realem Toletus lib. 5. cap. 30. quam etiam appellat exteriorem explicitam; palliatam verò implicitam, vbi addit, vsuram exteriorem dupliciter posse palliari, vno modo ratione pacti, quando pactum non est expressum, sed tacitum. Alio modo ratione mutui, scilicet quando mutuum non est formale & expressum, sed virtuale, & occultatur sub specie alterius contractus: vt cùm quis vendit rem dilata solutione carius summo pretio, in hoc casu latet mutuum sub specie contractus venditionis; qui enim hoc modo vendit, quasi mutuat summum pretium emptori, vt transacto illo tempore reddat sortem, & vltra illam excessum supra summum pretium. 6.

Cæterùm non solùm vsura realis diuidenda est in apertam & palliatam, sed etiam mentalis, quia hæc diuisio ex mutui diuersitate explicanda est, vt docet Molina disput. 303. & Nauarr. in summa, cap. 17. Quando enim mutuum est formale, & intenditur lucrum ex illo, siue intercedat pactum expressum, siue tacitum, dicitur vsura aperta. Quando verò mutuum non est formale, sed solùm virtuale latens sub alia specie contractus, lucrum intentum dicitur vsura palliata: sicut contingit in exemplo adducto, de eo qui vendit rem cariùs iusto pretio dilata solutione. Quare in vsura mentali, est aperta & palliata: aperta quidem, quando ex mutuo formali solo animo intenditur lucrum nullo pacto intercedente: palliata verò, quando quis ex venditione dilata solutione, licèt expressè non exigat nisi iustum pretium, animo tamen intendit propter dilationem solutionis aliquid supra iustum pretium. 7.

Quibus positis difficultas est, an vsura sit peccatum, & quo iure prohibita. 8.

Prima conclusio, vsura illicita est atque peccatum, ita omnes Catholici, & extat diffinitum à Clemente V. in Concilio Viennensi, vt constat ex Clementina *ex graui*, de vsuris, vbi dicitur: *Si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat, exercere vsuras non esse peccatum, decernimus velut hæreticum puniendum*, & Psalm. 14. inter alia quæ requiruntur, vt aliquis habitet in Tabernaculo Dei, quod est æterna beatitudo, vnum est, *quòd pecuniam suam non dederit ad vsuram.* Psalm. 14. Idem habetur Ezech. 18. vbi inter conditiones iusti dicitur, quòd ad vsuram non accommodauerit, & infrà inter alia quæ refert detestanda, propter quæ Deus mortem minatur, est dare ad vsuram.

Secunda conclusio, vsura prohibita est iure naturali, diuino, & humano, ita communiter Doctores, & de iure naturali probatur, quia accipere lucrum pro mutuo est contra iustitiam commutatiuam, ad quam pertinet constituere æquale inter datum & acceptum; iniustitia autem prohibita est iure naturæ. Antecedens probatur, quia contra iustitiam commutatiuam est, in quacumque rei commutatione vel contractu, plus exigere, aut recipere, quàm valeat res quæ datur, v. g. in contractu emptionis, plus exigere pro re vendita, quàm ipsa valeat: sed qui pro mutuo exigit lucrum, & exigit mutuum titulo mutui, plus accipit quàm dedit. nam in mutuo reddenda est res eiusdem valoris, & qualitatis; ergo qui accipit lucrum 9.

titulo

titulo mutui, plus accipit quàm dedit, nimirum lucrum vltra sortem; ergo committit iniustitiam. Dices lucrum accipi non pro re mutuata, sed pro vsu ipsius rei qui est pretio æstimabilis. Contrà, quia non solùm est iniustitia accipere lucrum pro re mutuata, sed etiam pro vsu eiusdem. nam in mutuo non solùm datur vsus rei mutuatæ, sed etiam dominium transfertur in mutuatarium, in quo differt mutuum à commodato; quare res mutuata, & vsus ipsius iam non est mutuantis, sed mutuatarij: accipere autem aliquid pro vsu rei quæ non est accipientis, est manifesta iniustitia; quia est accipere pro re non sua, sicut qui pro vsu rei alterius quam ille non commodauit, vellet accipere pretium, iniustus esset.

10. Idem probatur ratione qua vtitur D. Thomas in hoc loco, quia iure naturæ prohibitum est in omni commutatione idem bis vendere, aut vendere id quod non est; qui autem accipit lucrum pro mutuo, idem bis vendit, quia accipit æquale sorti, & vlterius lucrum: aut vendit id quod non est, si accipiat lucrum pro vsu, cùm talis vsus non distinguatur à dominio, neque detur sine illo. Nomine autem venditionis non intelligit D. Thom. venditionem propriè dictam, cùm hæc non sit in mutuo, sed exactionem alicuius vltra sortem. Dices lucrum non exigi pro sorte, neque pro vsu illius, sed pro interuallo temporis, pro quo qui mutuauit, se priuauit vsu & dominio pecuniæ. Contrà, quia de ratione mutui est, quòd dominium rei mutuatæ, & vsus illius, transferatur in alium pro aliquo tempore, quod ad minus est spatium decem dierum iuxta suprà dicta; quare pro tempore mutuationis non potest qui mutuat, accipere lucrum vi mutui. Dices vlteriùs non esse illicitum aliquid pro commodato accipere vltra ipsum commodatum. v. g. potest quis pro vsu equi, aut vestis, accipere pecuniam, non obstante quod in commodato reddenda est eadem numero res; ergo neque erit illicitum aliquid pro mutuo accipere vltra ipsum mutuum, quia etiam vsus pecuniæ est pretio æstimabilis. Contrà, quia, vt ex dictis constat, pro vsu commodati potest accipi lucrum, quia datur sine dominio; non verò pro vsu mutui, quia nunquam datur sine dominio, aliàs non esset mutuum.

11. Quòd verò vsura sit prohibita iure positiuo diuino, constat ex testimoniis adductis, & ex illo Exodi 25. *Si pecuniam mutuo dederis populo meo, non vrgebis eum quasi exactor, neque vsuris opprimes*, & Lucæ 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes.* Nec obstat illud Deuteron. 23. *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno.* Vbi vsura permittitur filiis Israël respectu alienigenarum, quod non permisisset Deus si esset peccatum. Nam, vt rectè Couarr. 3. variarum cap. 1. in eo capite concessa fuerunt à Deo bona inimicorum ipsis Iudæis, ac proinde iustè potuerunt lucrum illud exigere, non quia licitum sit ex mutuo vsuram accipere, sed quia occasione mutui potest mutuans recuperare propria bona, & hæc expositio videtur desumpta ex D. Ambrosio lib. de Tobia cap. 15. vbi exponens hunc locum ita ait. *Fratribus non fœnerabis ad vsuram, sed ab alienigena exiges: quis erat tunc alienigena, nisi Amalech, nisi Amorrhæus, nisi hostis*, & addit, *ab eo vsuram exige, cui meritò nocere desideras*, & concludit, *ergo vbi ius belli, ibi & ius vsuræ.* Quamquam D. Thomas in responsione ad 2. censet in eo capite, vsuras solum fuisse permissas, quem plures alij sequuntur, & denique illas etiam esse prohibitas iure positiuo canonico, manifestè constat ex toto titulo de vsuris in decretalibus in 6. & Clementinis, de iure verò Cæsareo infrà dicemus.

Exod. 25. Luc. 6. Deut. 23. Ambros.

12. Eodem modo philosophandum est de vsura mentali, esse scilicet peccatum mortale ex suo genere, siue sumatur pro actu exteriori mutuandi, animo accipiendi lucrum, siue pro actu interno dandi mutuum hoc animo; est tamen difficultas, quinam animus vel spes accipiendi lucrum ex mutuo efficiat vsuram mentalem. Nauarrus cap. 17. censet non sufficere quemcumque animum recipiendi lucrum ex mutuo, sed esse necessarium quod principaliter intendatur. nam si minus principaliter intenditur, talis animus non efficiet vsuram mentalem, tunc autem intenditur principaliter quando mutuans sic est affectus, vt si non speraret reportare lucrum, non mutuaret: quando tamen ita est affectus, vt licèt speret lucrum ex mutuo, illo tamen cessante nihilominus mutuaret, non dicetur tunc lucrum principaliter intendi, sed minus principaliter, & esse causam impulsiuam solùm, non efficientem vsuram mentalem. Alij verò aliter rem hanc explicant, tunc scilicet lucrum ex mutuo principaliter intendi, quando est finis mutui: vnde existimant semper esse vsuram mentalem, dare mutuum eo fine vt inde lucrum reportetur. Si autem lucrum non se habet vt finis, sed vt causa motiua solùm & impulsiua, etiamsi illo deficiente non daretur mutuum, talis contractus non esset vsura mentalis.

13. Secunda conclusio, qui mutuat licèt intendat lucrum vt finem principalem mutui, non committit vsuram mentalem, nisi illud intendat ex vi mutui, & vt iniustum aliquid, siue spectetur primariò, siue secundariò, siue principaliter, siue minus principaliter, ita Molina disp. 305. & Turrian. disp. 61. dub. 1. & probatur, quia si Petrus, v. g. mutuet Paulo, intendens hoc beneficio comparare eius beneuolentiam, & postea titulo amicitiæ speret ab illo aliquid vltra sortem, non committit vsuram mentalem, licèt tale lucrum principaliter intendat, modò illud non intendat tanquam pretium mutui ex obligatione ciuili; qui enim hoc modo intendit lucrum, nullam committit iniustitiam. nam qui dat lucrum vltra sortem titulo amicitiæ, gratis dat sciens & volens, absque aliqua coactione vel iniuria. nam scienti, & volenti nulla fit iniuria; ergo qui mutuat sperando lucrum ex mutuo titulo amicitiæ, vel gratitudinis, non committit vsuram mentalem, licèt talem finem principaliter intendat, & confirmatur, quia si quis speraret lucrum ab alio cui nihil mutuauit, titulo amicitiæ vel gratitudinis, nullam committeret iniustitiam; ergo postquam mutuauit, potest à mutuatario sperare tale lucrum ex mutuo eisdem titulis, cùm non sit peioris conditionis postquam mutuauit, quàm antea. Ex quo

14. Infertur primò, intendentem lucrum ex mutuo tanquam illi debitum ex ciuili obligatione, siue principaliter, siue minus principaliter intendatur, peccare peccato vsuræ mentalis, quia verè ex mutuo intenditur aliquid vltra sortem inuito rationabiliter domino: sicut qui furatur propter mœchiam, non solùm est mœchus, sed etiam fur, quamuis furtum intendat secundariò eo quòd sit malum furari. Ita similiter qui intendit lucrum tanquam pretium mutui, licèt secundariò intendat, peccat peccato vsuræ mentalis, quia intendere lucrum tanquam pretium mutui est malum & prohibitum iure naturæ.

Infertur

Infertur secundò, mutuantem spe lucri, ea ratione vt non esset mutuaturus si lucrum non speraret, non committere vsuram mentalem, dummodo non speret lucrum tanquam pretium mutui, sed ex gratitudine, vel amicitia mutuatarij: quare rectè stare potest, quòd mutuans non esset mutuaturus cessante spe lucri, & quòd non committat vsuram mentalem, si tantùm intendat lucrum ex gratitudine, vel beneuolentia: sicut etiam potest stare quòd lucrum sit causa finalis etiam principalis mutui, & quòd contractus non sit vsurarius, si intendatur titulo gratitudinis.

Sectio II.

An pro obligatione non repetendi mutuum pro aliquo tempore determinato possit mutuans aliquid exigere vltra sortem.

15. EX dictis sectione præcedenti constat, mutuatarium non teneri reddere mutuum intra spatium decem dierum à die receptionis: quare mutuans tenetur ad minus mutuare per decem dies. Difficultas tamen est, an pro obligatione non repetendi mutuum pro aliquo temporis spatio determinato vltra decem dies, v. g. pro obligatione non repetendi per annum, possit aliquid accipere vltra sortem citra peccatum vsuræ, non quidem pro mutuo; hoc enim esset vsura, sed pro illa priuatione non repetendi dictas pecunias per illud tempus vnius anni, vel duorum. Affirmat Petrus de Ledesma in summa part. 2. tract. 8. cap. 35. concluſ. 4.

16. Conclusio tamen sit negatiua, non licèt citra peccatum vsuræ accipere aliquid pretio æstimabile vltra sortem, pro obligatione non repetendi mutuum pro quouis tempore determinato. Ita Molina disp. 308. Turrian. disp. 61. dub. 3. & plures alij qui oppositam sententiam iudicant periculosam, vtpote quæ latissimam viam vsuris aperit, quæ iure naturali diuino, & humano damnatæ sunt; quilibet enim mutuum daret pro certo tempore cum obligatione non repetendi intra illud, & exigeret aliquid vltra sortem semper pro tali obligatione, & confirmatur, quia, vt rectè Turrianus, ex opposita sententia sequeretur omnem vsuram citra vsuram esse licitam, v. g. quia in venditione pecunia credita, in qua assignatur tempus solutionis, semper est obligatio non petendi solutionem ante assignatum terminum; ergo si ratione illius posset aliquid iustè exigi, & plus quo longius esset tempus, sine vsura fieret venditio pecunia credita maiori pretio quàm esset summum pretium rei numerata pecunia, quod certè est contra communem sensum Doctorum asserentium, ratione dilationis solutionis nihil posse exigi.

17. Nec valet si dicas, non accipi lucrum pro mutuo, vel pro vsu illius, sed pro obligatione non repetendi, quæ est distincta à mutuo, & pretio æstimabilis. Nam obligatio illa non petendi solutionem pro aliquo tempore, est intrinseca mutuo; ac proinde illicitum esse ratione illius aliquid exigere vltra sortem; obligatio verò non petendi solutionem tanto, vel tanto tempore, intrinseca est huic, vel illi mutuo, sicut mutuare tantam, vel tantam pecuniam, atque ita ratione illius similiter illicitum est aliquid vltra sortem exigere. Doctores verò quando affirmant, propter onerosam obligationem ciuilem licitum esse aliquando aliquid exigere vltra sortem, intelligendi sunt de superaddita obligatione contractui. Nostra verò sententia vera est, nisi pro illo temporis spatio, per quod mutuans obligatur non petere, priuetur aliquo lucro quod posset comparare licitè vsu pecuniæ, quo priuatur: vel nisi illi obueniat aliquod damnum eo quòd priuetur vsu pecuniæ propriæ pro illo tempore: in his enim casibus ratione lucri cessantis, vel damni emergentis, licet aliquid recipere vltra sortem, vt infrà dicemus, non tamen ratione obligationis non repetendi.

18. Obiicies primò, quamuis mutuans teneatur non repetere pro spatio temporis per quod mutuauit, non tamen tenetur inducere supra se obligationem ciuilem, ratione cuius possit compelli à iudice non repetendi; ergo pro hac obligatione quæ est distincta à naturali, qua tenebatur non repetere, potest aliquod lucrum accipere, quia est pretio æstimabilis. Et confirmatur, quia etiam mutuatarius tenetur obligationi naturali ratione gratitudinis, remutuare; & nihilominus obligatio ciuilis qua se obligaret ad remutuandum, esset pretio æstimabilis, & propter hanc rationem, vt infrà ostendemus, mutuans non potest obligare mutuatarium ad remutuandum citra vsuram; ergo pari ratione licèt mutuans teneatur obligatione naturali non repetere pro tempore per quod mutuauit, si tamen inducit supra se obligationem ciuilem non repetendi, poterit pro illa aliquod lucrum recipere.

19. Respondetur obligationem ciuilem superuenientem obligationi naturali, qua quis tenetur ex iustitia in foro conscientiæ aliquid facere, non censeri nouam obligationem, vel onus pretio æstimabile, distinctum à prædicta obligatione; ac proinde cùm mutuans teneatur in conscientia non repetere mutuum pro tempore quo mutuauit, supposito quòd voluit mutuare, obligatio ciuilis superaddita non est pretio æstimabilis; & consequenter pro illa non potest accipere lucrum vltra sortem. Ad confirmationem respondetur, diuersam esse rationem de obligatione ciuili, quæ superuenit obligationi naturali gratitudinis, ac de illa quæ aduenit obligationi naturali ex iustitia, & in foro conscientiæ. Nam obligatio naturalis qua quis tantùm ex gratitudine tenetur mutuare, non obligat in conscientia, cùm consistat in quadam decentia morali tantùm; atque ita, regulariter loquendo, potest prætermitti absque peccato: quapropter obligatio ciuilis ei superaddita, censetur diuersa & pretio æstimabilis. At obligatio naturalis qua tenetur mutuans non repetere mutuum pro tempore per quod mutuauit, non censetur diuersa ab obligatione ciuili, & ideo pro tali obligatione non esse licitum lucrum accipere.

20. Obiicies secundò, quia illa obligatio qua se obligaret mutuans non repetere mutuum nisi transacto anno, distincta est à mutuo, atque vsu illius, & pretio æstimabilis; ergo potest mutuans pro tali obligatione aliquid vltra sortem accipere. Et confirmatur, quia obligatio mutuandi intra annum futurum mille aureos, est pretio æstimabilis; ergo etiam obligatio qua mutuans se obligat illos non repetere intra eumdem annum, vel aliud tempus determinatum: non enim hæc est minor obligatio, quàm illa alia. Respondetur negando pro obligatione etiam ciuili non repetendi posse aliquod lucrum accipi, ob rationem iam adductam.

Ad

Ad confirmationem concedimus obligationem qua quis se obligat ad mutuandum intra aliquot tempus esse pretio æstimabilem; obligationem verò non repetendi mutuum pro tempore quo quis mutuauit, non esse pretio æstimabilem. Ratio disparitatis est, quia mutuatarius non tenetur ex iustitia, & in foro conscientiæ mutuare; sed solùm ex gratitudine: quare obligatio ciuilis mutuandi aduenies huic obligationi, est pretio æstimabilis, quia censetur diuersa. At obligatio ciuilis aduenies obligationi, qua tenetur mutuans non repetere, non censetur diuersa; atque ita non est pretio æstimabilis, sicut neque illa.

Sectio III.

An mutuans possit licitè obligare mutuatarium, vt tantumdem sibi remutuet, vel aliam quantitatem.

21. ADrianus in tract. de vsuris. §. incipiente, censet, contractum initum cum mutuatario de remutuando esse licitum cum duabus conditionibus. *Prima* est quòd indigentia mutuantis sit æqualis. *Secunda* verò quòd mutuatarius possit mutuare absque aliquo suo damno.

22. Sit tamen conclusio. Mutuans non potest obligare mutuatarium, vt sibi remutuet tantumdem, vel aliam quantitatem, obligatione ciuili sine peccato vsuræ. Ita communiter Doctores, quia hæc obligatio ciuilis remutuandi est pretio æstimabilis, & distincta ab obligatione, qua tenetur mutuatarius reddere mutuum; ergo non potest sibi imponi citra vsuram. Antecedens probatur, quia hæc obligatio est quoddam onus pretio æstimabile distinctum ab obligatione mutui: mutuatarius enim ex vi mutui, solùm tenetur reddere ex iustitia sortem principalem. Consequentia verò est manifesta, quia accipere aliquid vltra sortem vi mutui ex obligatione ciuili, vsura est. Et confirmatur, quia etiam intercedentibus illis duabus conditionibus quas exigit Adrianus, non licet sine vsura obligare mutuatarium ad remutuãdum, quia adhuc existentibus illis non tenetur ex iustitia, & in foro conscientiæ remutuare, sed solùm ex gratitudine: obligatio autem ciuilis superaddita obligationi gratitudinis, vt dicebamus, est pretio æstimabilis, & ab illa distincta.

23. Obiicies primò, quia mutuatarius naturaliter manet obligatus ratione mutui ex gratitudine ad remutuandum, vt per se est manifestum; ergo mutuans potest illum obligare. Consequentia probatur, quia hæc non videtur noua obligatio distincta ab illa quam habebat. Respondetur, quòd quamuis mutuatius manet obligatus ad mutuandum, non manet ex iustitia & in foro conscientiæ, vt prædictum manet, sed solùm ex gratitudine; ac proinde non potest illi imponi obligatio ciuilis, quæ est distincta ab obligatione gratitudinis, & pretio æstimabilis.

24. Obiicies secundò, quia qui mutuat, confert beneficium in mutuatarium; ergo licitè potest illum obligare ad compensandum illud beneficium: sicut enim potest licitè illum obligare ad reddendum mutuum, ita ad reddendum beneficium quod accepit. Et confirmatur, quia mutuans potest obligare mutuatarium ad reddendum quantum accepit sine vsura; ergo potest illum obligare ad similem actionem, quam ipse prior fecit, & consequenter ad remutuandum. Respondetur, quòd licèt mutuans fecerit beneficium mutuatario, nihilominus non potest illum obligare vi mutui ad dona, seu beneficia præstita compensanda aliis similibus beneficiis, ob rationem sæpiùs repetitam; quia obligatio illa reddendi simile beneficium non est ex iustitia, sed solùm ex gratitudine: obligationi autem gratitudinis non potest superaddi obligatio ciuilis citra vsuram. Neque est eadem ratio de redditione debiti principalis; cùm enim mutuatarius ex iustitia teneatur reddere debitum principale, rectè potest mutuans illum obligare obligatione ciuili ad reddendum tale debitum, & omnia alia præstanda, quæ requiruntur vt mutuans se seruet indemnem. Ad confirmationem concedimus mutuantem posse obligare mutuatarium ad reddendum principale totum quod accepit sine vsura, negandum tamen est posse illum obligare vt faciat similem actionem mutuandi, quia actio mutuandi sufficienter compensatur ipsa actione soluendi æquale, intra limites iustitiæ commutatiuæ; quare non potest licitè pro illa exigi aliud pretio æstimabile. Dixi *intra limites iustitiæ commutatiuæ*, quia ratione gratitudinis rectè potest exigi simile beneficium. Dices, quia pro actione bona ad quam quis non tenetur, potest accipere pretium. v. g. stipendium pro actione docendi; ergo similiter pro actione mutuandi, ad quam non tenetur, potest mutuans pretium vltra sortem accipere. Respondetur si sermo sit de actionibus bonis, quæ non fiunt in commutatione, qualis est prædicta actio docendi, verum esse pro illis posse accipi pretium, quando sunt pretio æstimabiles; cùm enim non fiant in commutatione alterius, non compensantur alia actione nisi stipendio. Si verò sermo sit de actionibus quæ fiunt in commutatione pro æquali, qualis est actio mutuandi, non licèt pro illis pretium vltra sortem accipere; quia talis actio sufficienter compensatur solutione mutui.

25. Obiicies tertiò, quia licitè potest mutuans non alia ratione velle mutuare pecuniam, v. g. nisi mutuatarius triticum ipsi vicissim remutuet de præsenti; ergo poterit ipsum etiam obligare licitè ad remutuandum de futuro, vel pecuniam, vel aliquid aliud. Consequentia est manifesta à paritate rationis. Antecedens verò probatur, quia posset licitè denegare beneficium mutuandi ingrato; quare si sciret illum nolle vicissim triticum remutuare de præsenti, licitè posset propter hanc causam nolle pecuniam mutuare. Propter hoc argumentum Sotus lib. 6. de Iustitia, art. 2. & nonnulli alij Recentiores existimant, talem contractum mutui sub conditione remutuandi, siue de præsenti, siue de futuro in pactum deducta, semper esse vsurarium, quia eadem videtur vtriusque ratio. Molina verò disput. 303. quem sequitur Turrianus disp. 61. dub. 9. probabilius censet, in mutuo de præsenti talem contractum vsurarium non esse, quod certè est expressa sententia D. Thomæ in hac quæst. 78. art. 2. ad 4. vbi ait: *repugnare mutuo obligationem ad mutuum faciendum in posterum*, quia talis obligatio æstimari posset, & subiungit, *licet tamen simul mutuanti vnum, aliquod aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum in posterum faciendum.* Quod potest duabus rationibus ostendi. *Prima*, quia etiam si esset onus aliquod pretio æstimabile obligare alterum ad remutuandum de præsenti, nihilominus posset esse æqualitas; quia etiam alius obligatur ad mutuandum de præsenti; mutua enim subintelligitur conditio, mutuum dabo, si

volueris

voleris mutuare;ac proinde non esset vsura: sicut non esset vsura, si quis obligaret alium obligatione ciuili, vt sibi mutuaret in futurum decem mensuras tritici, v. g. ea lege, vt vicissim ipsi obligetur ad remutuandum ei tantumdem vini, aut olei, si onera essent æqualia: est enim æqualis contractus vtrimque, & vna obligatio ciuilis compensatur alia; neque aliquis eorum accipit lucrum pro mutuo, sed pro obligatione mutuandi, qua neuter tenebatur se obligare ad mutuandum, neque absolutè, neque supposito quòd velit mutuare. *Secunda* ratio est, quia mutuum de præsenti factum modo prædicto, non habet onus aliquod pretio æstimabile: aliàs enim ex hoc tantùm quòd quis velit de præsenti mutuare, posset pro eo onere aliquod pretium exigere, quod est omnino falsum, ex quo facile diluitur obiectio in principio facta, esse scilicet diuersam rationem in mutuo de præsenti, ac in mutuo de futuro; quia in mutuo de præsenti non est onus aliquod pretio æstimabile, neque distinctum ab ipso mutuo remutuare, atque ita qui mutuat sine labe vsuræ, potest exigere remutuationem de præsenti. At obligatio qua obligaretur mutuatarius ad remutuandum de futuro, est onus graue, & pretio æstimabile, quod ipse non tenetur gratis ferre. nam quamuis si mutuandum est, teneatur gratis mutuare, non tamen tenetur gratis sibi imponere obligationem in futurum remutuandi, ac proinde si extorqueatur ex mutuo vltra sortem, erit vsura.

Sectio IV.

An liceat citra vsuram mutuanti obligare mutuatarium ad faciendum ea quæ aliàs erat facturus.

26. Enšss est, an mutuans ratione mutui possit obligare mutuatarium, vt v. g. ex sua officina emat merces quas aliàs necessariò erat empturus ad vitæ subsidium, velut in suo molendino molat ad vitæ sustentationem, & supponimus cætera omnia esse paria, scilicet vt nec mutuans carius vendat, quàm alij, neque eius officina, vel molendinum longiùs distet: si enim aliquis excessus sit in his ex quo mutuatarius magis grauetur, quàm grauaretur ad aliam officinam accedens, certum est interuenire vsuram.

27. Conclusio est negatiua, nimirum non licere, sed in prædictis casibus, & aliis similibus interuenire vsuram, & probatur, quia talis obligatio est pretio æstimabilis; est enim quædam seruitutis species; omnes autem species seruitutis sunt pretio æstimabiles; ergo qui deducit in pactum huiusmodi obligationem, committit peccatũ vsuræ, quia acceptat aliquid vltra sortem pretio æstimabile ex mutuo.

28. Oppositam sententiam tenet Adrianus suprà §. iuxta prædicta. Pro qua

Obiicies primò, quia vbi nullum damnum infertur, neque iniuria mutuatario, nulla est vsura: in prædicto autem casu nulla iniuria, neque damnum infertur mutuatario, quia, vt supponimus, nõ carius emit, neque in aliquo grauatur magis quàm grauaretur accedendo ad aliam officinam. Respondetur concedẽdo nullã esse vsuram, vbi nullum damnum infertur, in prædicto autem casu damnum, & iniuriam inferri mutuatario, nempe grauamen emendi ex officina mutuantis, quod est pretio æstimabile.

29. Obiicies secundò, quia vsura est lucrum ex mutuo, sed in prædicto casu mutuans nihil lucratur, quia solùm accipit iustum pretium, vt supponimus, pro suis mercibus; ergo in eo euentu nulla intercedit vsura. Respondetur in hoc casu, mutuantem aliquod lucrum accipere vltra sortem, nimirum obligationem emendi ex officina mutuantis, quæ ipsi est valde vtilis, & mutuatario onerosa. Quare manet obligatio restituendi hanc iniuriam mutuatario, liberando illum à tali obligatione in posterum, hoc enim modo restituitur ei sua libertas, quæ iniustè fuerat ablata.

Et ex hac doctrina infertur primò, vsuram esse, 30.
mutuare auditoribus pecunias cum pacto vt frequentent gymnasium mutuantis, etiamsi doctrina ipsius sit illis valde vtilis; hoc enim non tollit quin talis obligatio sit pretio æstimabilis. Similiter vsuram esse mutuare colono cum pacto, vt agrum, vel vineam mutuantis colat, soluta ei iusta mercede, quia talis obligatio est pretio æstimabilis. Deinde vsuram esse palliatam, vendere credito merces cum pacto, vt emptores ad officinam mutuantis accedant, quoties empturi sunt, etiamsi illis merces non vendantur carius quàm alij vendunt, neque vltra iustum pretium, quia talis obligatio est pretio æstimabilis. Et in hoc sensu intelligendus est Syluester verbo vsura 1. num. 7. cùm dicit, esse vsuram credito vendere, vt plures emptores ad suam officinam trahat; hoc enim intelligendm est, si vendat credito cum pacto, vt emptores veniant ad suam officinam. Si enim venderet credito eo solùm animo, vt plures emptores ad suam officinam alliceret, non deducendo hoc in pactum, nullam committeret vsuram.

Inquires primò, an sit vsura mutuare, vel credito vendere, ea conditione in pactum deducta, vt mutuatarius veniat ad officinã mutuantis vel vendentis, empturus quod aliàs emere tenebatur minori pretio, quàm quiuis alius sibi venditurus erat talem rem. Respondetur quòd si mutuans detrahat de pretio quo erat empturus eamdem rem à quocumque alio, quantitatem quæ æquiualeat grauamini & obligationi, quæ imponitur mutuatario, non erit vsura, quia in hoc casu nihil exigitur à mutuatario, vltra sortem ratione mutui, sed ratione mercium, & obligatio quæ illi imponitur, compensatur sufficienter detractione pretij, si autem detractio pretij nõ æquialeat obligationi, est vsura imponere talem obligationem, quare compensanda est ratione excessus, soluendo pro illa quãtum prudentis viri iudicio æstimatum fuerit, & tenetur in posterum, vt dicebamus, liberare mutuatarium à tali obligatione, quoad talem excessum. 31.

Inquires secundò, an mutuans possit obligare 32.
mutuatariũ citra vsuram, ad ea quæ ipse tenebatur facere in conscientia. v. g. Petrus debet Paulo viginti aureos, & petit mutuo ab illo alios viginti, inquirimus an possit Paulus illi mutuo dare viginti, ea lege vt soluat alios viginti, quos aliàs debebat ex iustitia. Respondeo, rectè hoc fieri posse citra vsuram, quia tale lucrum non accipitur ex mutuo titulo mutui, sed aliunde, videlicet titulo iustitiæ; quare nullum grauamen imponitur mutuatario, ad quod aliàs nõ teneretur in conscientia, & ex iustitia. Quod verum est, concurrentibus his cõditionibus. *Prima* quòd mutuans non petat à mutuatario, quòd soluat debitũ ante tempus, quo tenebatur soluere; si enim obligaretur vi mutui, vt soluat quod tenebatur soluere ante tempus, est lucrum, & grauamen pretio æstimabile, ad quod aliàs non tenebatur mutuatarius in conscientia, & consequenter vsura.

Digitized by Google

Secundo quòd debitum fit liquidum & certum num fi dubium eſt, vtrum ex eâ obligatæ mutuatarium ad illud ſolvendum, quia in hoc caſu repertantur in eum pecuniæ aſſumibile, & illicet condonatio ni-hi quod mutuatarius tuo citra id debitum prætendere poſſit. Non tamen eſt vitra obligationem mutuatarium ex mutuo, vt conſtituit inſtrumentum, vel quòd ſi mile, ſimilitudine pars poſſit compoſiti in mutuatum ſiqui ad ſolvendum quod aliàs debebat ex conſcientia. non obligatio civilis ſuperadita obligationi conſcientiæ quæ ſtricior eſt, non contradicit, ac proinde poteſt impetri mutuatario ratione mutui inſtrumentum.

33. Et quo ſit *primo* non ſolùm poſſe obligari mutuatarium propter rationem ſuperius adductam ad id quod aliàs debebat ex iuſtitia, ſed in vniuerſum eſt debendum quòdquid debebat in conſcientia, ſive debeatur iuſtitia, ſive ex alia virtute, ex Religione, vel ex charitate, & ex vtroque poſſit promitti ex voto aliqui loco pij, vel pauperi, vel ex fiduciæ pauperi tenetur indigenti, ad quod tenetur ex charitate. *Secundò* ex eadem doctrina infertur, quòd reſpondendum ſit ad caſum contentum, an ſolùm debitum mutuatum poſſit obligare Medicū vt curet aegrotum, diſtinguendum eſtin eſt, quòd ſi ex vi Medicus tenetur id facere in conſcientia, quia egritudo eſt periculoſa, non adeſt alius Medicus, vel non tenetur in conſcientia, ſi primus, poteſt obligari ad hoc ratione mutui; ſi verò ſecundum, non poteſt. Inferitur *tertiò* mutuatum obligare mutuatarium licitè, ve dictum eſt de alio quocumque mutuatum tenente. Eſto, ab inferendo illi damno, quod infert contra iuſtitiam aegritudo aut quidquid aliud tenetur in conſcientia.

34. Eſt tamen difficultas, an poſſit mutuatarius obligari ratione mutui ad reſtituendum interim ei ſi latam à creatore, quatenus ad debitum, quia ſi ſanitas interim accepta à debeat reſtitui, quod ſanitas mutuata illi non poſſit. *Primus* Sanctus Antonius. *Secundus* ex Sinneſtena ſecunda tenione iuris, quod habet affirmiua ad mutuandum litem ſuſtam, vt ſibi ſuo competitatio proinde ſuſtinenda acceptæ, de dem omnes adminiſtrent, eſſe vitram exigere à mutuatario, vt reſtituat debitum illatum per inducta quotidianum ad damnum quod paſſus eſt à ſibi debitore ſuſtitia, & ſimiliter vitram eſſe, exigere mutuatarium ſimilitudinem parte poſt interceſſionis iudicis quæ ſententiæ ad mutuatarium tenuerum ibi debitum ſuſtitia. Itaque debitum poſſit ad ſi vitra mutuatum non poſſe, vt mutuatarius teneatur petitum, quæ poterat impetri per ſententiam iudicis quæ ſuſtinentiam mutuatarius ſuſtinuit.

35. Et quo difficultate ſecunda ex quæ tenenda eſt cum Medina, &c. Non licet illud quod habet officium ad congeſtum ſuiſqſtionem, eſt pecunia aſſumibile, ſeu ſua ſatisfactio, quæ facienda eſt illi ex vi iuſtitiæ; ergo non poteſt illicè condonari obligatio mutuatarius ratione mutui ad remittendum tale ius.

36. Quòdcum ſententiam tenente Nauarro in ſum. c. 17. n. 36. Sotus lib. 6. de iuſtitia art. 2. Pro qua

Obiicies primò, quia licet bonæ, vel fama ſeru, v. g. poſſit alicui pecunia ex natura ſua, licet amicitiæ ſolet condonari pretium quo affimantur, ergo licet licitè poteſt mutuatus intendere amicitiam à mutuatario ratione mutui, ita etiam condonationem pecuniæ, quæ mutuatarius poterat huic exigere à iudice, & quam per ſe poterat remittere ſine amicitiæ. Reſpondeo, quòd licet hæc amicitia ſolet tenuiri aliquid pretio affimabile, vel condonari; non tamen licet ex pacto ratione mutui, intendere talem condonationem, quemadmodum quòdvis mutuatarius tenetur amicitiæ poſſit dare dilectionem mutuatori, non tamen licet illud intendere ex mutuo, interueniente pacto, vel obligatione civili.

Obiicies *tertiò*, quia ſi pecunia ante iudicis ſententiam non debetur in foro conſcientiæ, ergo ex remiſſione illius nullum lucrum accreſcit mutuanti, & conſequenter non eſt vitra petere remiſſionem illius ratione mutui. Reſpondetur negando conſequentiam, quia non poteſt licitè petere à mutuatario, vt remittat ius quod habet ante iudicis ſententiam ad exigendum pecuniæ ſuperintendentem. nam tale ius eſt pretio affimabile, & ex remiſſione illius infertur damnum mutuatario, & vitilitas accreſcit mutuanti.

37.

SECTIO V.

An poſſit mutuans citra reſpectum obligare mutuatarium, vt reddat tantundem in quantitate formali, & non in materiali in omni euentu, vbi habita ratione rei valentis.

38. QUæſtio materialis rei conſiſtit in nomen, pondere, & menſura. Formalis verò ſolùm in valore: qui poteſt in moneta eſſe id valens quod habitat materialis, vg minor quantitas auri, argenti, vel æris, in numero, & pondere, poteſt habere æquale valorem, & econtra: vel vna maior quantitas in eo vno volumine, eſt ergo difficultas an ſi quis mutuo accipit, v. g. centum ſcuta aurea, poſſit illum obligare ſe in tanto euentu, vt ei reddat non ſolùm illum valorem quem habebat illa ſcuta tempore mutui, ſed illum quem habebunt in numero, & pondere, & ciuſdē omnino rationis, ac erat illis aut maiuſcis, & contentibus Doctores mutuandi poſſe illicè obligare mutuatarium, vt reddat tantundem valoris monetæ quam mutuo accepit, ſed ſolùm quòd ſi reddat in eadem materia, vt quia accepit mutuum, vt ſi mutuauit alicui centum quæ tunc temporis in auro, vel argento erat illi obligatus non ſolùm in reddat eandem valoris, ſed in reddat in eadem materia, in hoc enim nulla infert iniuſtitia, quia ſolùm obligatur mutuatarius, vt reddat eandem, & eiuſdem qualitatis quam accepit, quæ ſibi vtilior eſt, quam idem valor in alia materia vtilior, quia materia pondera, & menſura vtilitatem non contrahit, & ad idem illius, ac proinde mutuatarius tenetur, & ob eandem rationem dicit, quòd mutuate alicui pecuniam aream vt reddatur argentum, vel aureus, quia mutuo vtilitatem ex nomen auro, vel argento, & ſimiliter aurum ex nomen collegitur poſſe commutari pecuniam aream, vel argentum pro aere, & accipi exercitum valoris quem habet aurum, vel argentum, ſupra nomen aurum aream, ratione maioris vtilitatis; qui exercitia affimandus eſt proportionaliter.

39. Sic ergo poſita concluſio, ſi mutuans non contenuit eum mutuatario quando illi mutuauit, quòd redderetur eius debitum in eadē materia, ſed ſimpliciter mutuauit, vt redderet tantundem, non poteſt obligare mutuatarium, vt reddat alii tantundem in valore, non tamen in materia, numero, & quantitate materiali, etiamſi mutuatus mutuauerit nomuram argentum, vel aurum, & poſt mutuatarius nomen creuerit in valore. Ita Molina diſp. 311. & Valen

ratio eſt, quia quando aliquid non exprimitur in contractu mutui, vel in alio, præſumi ſolum attenditur ſecundum jus, & ſic, affirmationum quæ habet tempus coërctum, tanta communem vſum, ergo mutuantius ſine pactis præmia exigere, non poſſit, ſolum ipſemet reddere eandem vtique quam habebat tempore contractus, in quoſcunque mutuis tempore, quantum ſit inferiorilibus, & in quo contractu non fuit facta conditio, vt mutuatius reddere eandem valorem in eadem materia. Nec refert quod in mutuatione non reſtituatur mutuatium accepit tempore contra ſeuras iuris, vel aliquorum, & quia ſic non eſt reddidit quia nihil in ipſo contractu dicitur, quod obligaret ad illa reddenda in valore & in materia, iuxta communem ſenſum fruſtra eſt, quod dicitur ſolum teneri ad reddendum eandem valorem ad quem attendit taxa communis, & ſenſum communem: contra quod ſequum, valorem quem habebat eandem illa taxa non vel augmentat, ſepore contractus. Neque valor ſit ſecus, mutuatium priuari illo incremento pretio, quod habebat ſi eam quid ſit retinere, ergo poſſet obligari mutuatius, vt reddat eandem materiam valoris, ſalem ratione loci ceſſantis. Hoc, inquam, non obſtat, cum quia nihil poteſt accipi pro loco ceſſante, aut damno emergente, niſi id expreſſe aut virtualiter, an implicite deducta fuerit in pactum. Tum etiam quia ſi premiæ valor deceſſiſſet, ita quam tranſit in dominium mutuatarij, teneretur mutuatius reddere mutuatium eandem valorem quem accepit tempore mutui, ergo pari ratione ſi valor premiæ accreſcit, non tenetur illum reddere mutuatium, quia ſicut ex tempore accreſcit reddendi eandem valorem ſi premia decreſcat. Cuius rei tanta a priori eſt, quia in mutuo non ſolum datur materia, ſed vt ego teneor, vt dominium penes me mutuatium ſi premia decreſcit, illi tanquam dominio ſuo reſpondet, & ſimiliter accreſcit, etiam tanquam dominio accreſcit.

40. Obiicies, quia in mutuo reddita eſt res eiuſdem quantitatis & materiæ, ergo ad quantitatem numerum & genus, vel ſaltem, debet illam reddere non ſolum in valore, ſed in materia, conſtat quia ſic ſe habent res eiuſdem rationis, & qualitatis. Et confirmatur, quia non ſolum materia arcta, ex reddita per mutuatium arca, vel genere, eſt diuerſa qualitatiua. Et etiam mixtio eſt materia affirmationis; ergo non tantum debet reddi materia qualitatiua, ſed eiuſdem poteſt obligari ciuis vltam, vt reddat materiam mutuatam in eadem materia. Reſpondetur, quod in contractu mutui non ſit res eiuſdem rationis reddendi mutuatium in eadem materia, neque ratio reddi res eiuſdem rationis & qualitatis, dum modo reddat mutuatius eiuſdem valoris, quamvis ſit diuerſæ materiæ, nam in contractu mutui de in ipſo non deducitur, ſaltem ad valorem quo ſe habet mutuatius premia non vero ad materia, nihil aliud expreſſimus. Ad confirmationem conceſſimus mutuatium etiam non eſſe rantæ affirmationis, ſicut arca, vel argentea, ita vero qui mutuat abſolute, & non obligat mutuatium ad reddendum in eadem materia, ſic ipſo tanta communem ſenſum, tenetur. Ad rationem vltimo de affirmationis, quem habet alia mutuata ſpecie arcæ, & conſequenter non poſſit obligare mutuatium, vt reddat debitum in eadem materia, nam in tali caſu fuerit vtin eadem materia reddendi, licet ſit veluti non expreſſitia, propter ipſius deſiderata, non in hoc tamen poteſt in ſpecie conſiderare obligat mutuatium, quod ſolum vt reddat valorem, ſed etiam materiam, quamvis in fore exteriori non poſſit.

41. Hæc autem doctrina vera eſt, etiſi mutuatius ſit in mora culpabili ſolvendi, nam in hoc caſu non tranſfert ſpecie dominus accrefcat valor monetæ, & ſua eſſet non ſolum, teneatur reddere quoniſi non ſolum valorem quem habebat premia tempore mutui, ſed etiam excellum valoris, qui accreuit ob ſpecium fuit in mora culpabili ſolvendi, & eandem omnino quantitatem illius monetæ, quam tenebatur reddere ſpecie ſolutionis, & ratio huius eſt, quia translato tempore ſolutionis, quando mutuatius eſt in mora culpabili ſolvendi, non tenebatur ſolum dominum ſalis premiæ, quod ſolum illud habet pro tempore mutuatiæ premiæ non accreſcit mutuatio, ſed mutuantij, & ob eandem rationem, ſi decreſcit premia in valore, mutuatium mutuatius fuit in mora culpabili ſolvendi, decreſcit etiam mutuatij, & tenetur mutuatius reddere eſt incommodum, cuius eſt commodum reportare.

42. Obiicies ſecundo, ſi quis mutuauit alicui aliquos nummos, qui pro aliquo tempore, & poſtea post tempus ſolutionis minuunt materia modi, non ſatisfacit mutuatius reddendo eandem materiam, quod accepit, ſecundum menſuram modi; ſed tenetur reddere eandem materiam, & quantitatem ſecundum modi, ergo qui accepit mutuo certa ſcuta aurea, non ſolum tenetur reddere eadem quantitate valoris tempore mutui, ſed etiam eandem quantitatem pondere & numero, licet poſtea ſcuta aurea crescerint in valore, & tenebatur reddere tanquam conſequitur, ſi enim diſſar ratio, quia valor nitidi conſiſtit in quantitate materiæ mutui, vel minoris quia accepit mutuo quantum modius nitidi nunc nullus quantitatis, e g. ſi poſtea minuatur menſura modij, tenetur reddere tot modios quantitatis modij tempore, aliàs non tantum redderet quam accepit. At valor premiæ non conſiſtit in quantitate materiæ, ſed in affirmatione ex Principis, vel Reipublicæ inſtitutionquare ſi poſtea crescit in valore monetæ, reddendo tantum idem valor, licet non reddat eandem quantitas numeri, pondere, & menſura.

43. Secundo concludo, ſi mutuatius mutuauit alicui aliam aurum, vel argentum, & deduxit in pactum, vt ſibi redderetur non ſolum valor, ſed etiam eadem materia, & valde aliud verſus reddit mutuatius tenetur reddere non ſolum valorē, ſed etiam eandem materiam quam mutuauit, & ſi poſtea accreuit premia ſuæ, vel argentea in valore. *Prior* pars conſtat ex dictis, nimirum mutuantem poſſe obligare mutuatium non ſolum ad reddendum valorem, ſed etiam materiam, qui eſt materia affirmationis & veritatis. *Secunda* etiam pars conſtat, nam ſicut aurum, vel argentum, & deduxit in pactum, vt ſibi redderetur non ſolum valor, ſed etiam eadem materia, & valde aliud verſus reddit mutuatius tenetur reddere non ſolum valorē, ſed etiam eandem materiam quam mutuauit, & ſi poſtea accreuit premia ſuæ, vel argentea in valore. *Prior* pars conſtat ex dictis, nimirum mutuantem poſſe obligare mutuatium non ſolum ad reddendum valorem, ſed etiam materiam, qui eſt materia affirmationis & veritatis. *Secunda* etiam pars conſtat, nam premia materia accreſcit, non vt ego mutuauit, licet eadem decreſcit, nihil aliud in præmiſſis deduxit, vt ſatius dictum.

44. Tertia concluſio, ſi mutuatius deduxit in pactum, vt non ſolum mutuatius teneretur reddere eandem ſpeciem aliquod valorem & materiam, ſed etiam quod excellum valoris, & quantitatem materialem in numero, & pondere in quocunque euentu, licet creſcat in valore, poteſt obligare mutuatium, vt reddat valorem, & materiam excellum & eandem quantitatem materialem, circa vſuram. Ita Molina ſupra, & Nauarr. cap. 17. num. 254. & ratio eſt, quia in hoc caſu creſcit ſuorum excellus valoris quod habeant nummi, ſi pecuniam apud ſe retinerent, ſimpliciter mutuando hoc patet exemplo, creſcit valor ſcuti ceſſantis, poteſt obligare mutuatium circa vltam, vt reddat non ſolum valorem,

sed etiam numerum, & quantitatem monetarum quas mutuasti, & hoc debuisti in pactum cum mutuatario. Ita quippe cautus, & diligentiæ in valore monetæ, non tenetur mutuarius reddere eandem valorem quem habebat tempore mutui, sed sufficit quod reddat eadem pecuniæ numero, pondere, & mensura: tum, quia pactum fuit de illis reddendis numero, pondere, & mensura in tempore mutui contractum erunt. quia fuit mutuatio non ascribi, sed mutuanti, ita decrescere debet ipsi mutuanti, & non mutuatario. Quod tamen intelligendum est, si mutuans ellet habitans apud ſe pecuniam quam mutuabat atque ut tempore utilitatis, quo erat. in valore: ſi enim eſſet illam conſumpturus ante illud tempus, non poterit in foro conſcientiæ exigere à mutuario excellum valoris, & tenetur omnino quantitatem mutuatam in numero, & pondere quam mutuauit, ſed ſolum quantum habebat tempore mutui, quia in hoc caſu ceſſat titulus lucri ceſſantis.

Inquiries, an in ipſo ſolo valorem pecuniæ eſſe minuendum ante tempus ſolutionis, puſſe licite & ſine vlla mutuantis pecuniam abſolutam, ex pacto reddere idem valor in minori quantitate monetæ. Reſpondeo licite poſſe etiam in hoc caſu mutuari pecunia reddenda in eodem valore, quem habebat tempore mutui, licet poſtea in valore decreſcat, & hoc ſolet mutuans. Et ratio eſt, quia huiuſmodi lucrum non prouenit ex mutuo, ſed ex cauſa extrinſeca & per accidens, ex qua etiam pecunia prouenire poſſet creſcente monetæ mutuatæ: ſicut ex ſententia D. Thomæ 2. 2. q. 77. art. 4. ad 4. licite poteſt quis vendere ſuum pecus carius propter ſui augmentum vel ipſi ſimile, quamuis ſcit beneficiorum tempore futurum vt valeatur, & multis annis valiturum, ſi illud quod ſe trahit ex ipſa mutuatione non tendat directe in ipſius pecuniæ augmentum: quia ſic eſſet uſuraria. Sed ſi tendat, licite poterunt exigere in pacto. Nec obſtat, quia ſi non mutuaret pecuniam, decreſceret ibi ſtatus habendi minus pecuniæ quam antea habebat, ergo ſi poſſet reddere idem valor à mutuatario quem habebat tempore mutui, ſequeretur, quod locum mutuans ex mutuo, & conſequenter damnum vitaret. Hoc, inquam, non obſtat, quia hoc per accidens euenit, & vide latius apud poteres ex eo tuto, ſed ex cauſis extrinſeca, vt mauet prædictum.

Sectio VI.

An ſit licitum citra vſuram mutuare triticum, aut aliquid aliud, cum pacto vt reſtituatur in eadem menſura, etiamſi pretium eius tempore reſtitutionis creuerit.

46. NOn ſola difficultate diſtinguendum eſt. Aut enim eſt dubium, num ex quo mutuo datur tempore ſolutionis ſolo plus minuſue valiturus. Aut eſt moraliter certum, nunc plus eſſe valiturum. Aut denique moraliter eſt certum, non eſſe nunc minus valiturum, ſed eſt dubium an plus ſit valiturum.

47. Prima concluſio, ſi dubium eſt an tempore ſolutionis ſit valiturus tempore ſolutionis, licite poteſt fieri citra vſuram, mutuatio tritici, vel quia ſimile in tempore ſolutionis, vel Augultus, & ex conſequenti reddatur in ſpecie, & quantitate in menſe Aprilis, vel Maij in quo plus poterit valere, licet de facto valeat etiamſi non eſſet ſeruatus triticum vſque ad illud tempus. Ita Molina diſp. 311. & ſatis eſt, quia quando eſt dubium, an plus, vel minus valeat, ve valitura ſit tempore ſolutionis, æquale eſt periculum aſcenſus, & deſcenſus valoris, ergo in hoc caſu poſſet poteſt quis mutuare triticum menſe Septembri, vt tenuerent reddatur mense Martio quia ex parte mutuatoris contrahitur ſub onere commodum, & æquale periculum. Vnde, vt ſi quis in præcedito caſu de numero quatuor, vel ſex modios tritici in menſe Septembri, reddendos in menſe Martio, tenetur mutuatarius reddere tot modios tritici, quot ſufficiant ad emendum quantum acceſſerit pretium illius in menſe Martij.

48. Secunda concluſio, ſi eſt moraliter certum modios tritici eſſe plus valituros in tempore ſolutionis quam tempore mutui valebant, & mutuans nō erat ſtruturus triticum quod modo mutuauit, ſed ſolum erat ſtruturus triticum quod modo mutuatum valet, ea conditione vt reddatur tantundem in tempore in quo plus eſt valiturum, ita communis Doctorum, & ratione probatur, quia vltra eſt tutiorem mutui partis, vt reddatur eadem in numero quod modo plus eſt valitura. nam in hoc caſu reperitur lucrum ex mutuo præciſe tritici mutui, & ob illud, & aliud mutuans non tenetur petere periculo denouo valoris, & huiuſmodi contractus virtualiter eſt vsurarius, quia reperitur lucrum ex mutuo præciſe tritici, vt tantundē reddatur in menſe Maij futuro, quando moraliter eſt certū ex circunſtantiis occurrentibus, plus valituri eſſe quæ præſtabilia tunc, & ſi manus fuit ſterilis, vel quid ſimile. Nam quamuis eiusmodi mutuatur ſunt licita, non tamen hoc modo. Mutuauiſti tot modios tritici vt tantundem reddas quando plus valuerint, ne aperta vſura ſapere ſed modo prædicto eſt vſura. Et ratio eſt, quia ſolutionis tempus in quo eſt certum moraliter plus valituros, eſt tempus periculoſum, & ſic non eſt tempus de reddenda re mutuata, quando plus eſt valitura.

49. Dixi, ſi mutuans non erat ſtruturus triticum vſque ad tempus ſolutionis, ſiquidem erat ſtruturus eſſet plus eſſe valiturum, quia ſi illud erat ſtruturus triticum vſque ad illud tempus, ſatis eſt vt tantundem reddat ratione lucri ceſſantis, quia ſi apud ſe teneret triticum vſque ad illud tempus, eandem valorem habentem, ſed ſolum permandato mutuans illo incremento valoris ratione beneficij mutui, quando ille lucrum ceſſat ex ſua ſtatuit in pauperem illum indigentē, licet contingat in præſenti caſu. Quod etiam intelligi tam eſt, quando mutuans non erat ſtruturus triticum vſque ad tempus ſolutionis, nullus eſſet ſcrutus ſumptus in conſeruando, in hoc enim caſu tantum de quantitate illius debet detrahi, quando eſtimatus ſumptus, & ſimiliter ſi tunc illo tempore ſuper ad tempus ſolutionis, eſtimat non ſolum de ſumptu, corruptione, nec enim tantum eſt detrahendū de quantitate tritici, quantus proficit ſuis inſtitutis: ſed nec tale periculum eſt mutuis reportare ſuo tempore mutuo, quia mutuans, nihil detrahetur præciſe de quantitate: quod periculum contingens in præſenti eſt ex circunſtantiis loci, & temporis, & ex quod accommodatur exeunte ſolo in illo loco, & enim conſiderata circunſtantia loci & temporis, hoc frequenter non euenit, ſed raro, non creditur triticum ſolutionem fore periculo.

50. Obiicies primo, quia ſi mutuata mutuatarius tritici nunc præſtare termino ſolutionis, ſed indemnitate mutuata pecuniæ periculo, quod mutuans, absque pecunia vitaa expectare tempus in quo tri-

ticum

ticum plus valet, & tunc exigere ſolutionem in eadem quantitate & menſura, in qua accepit mutuatarius tempore mutui: ergo poterit mutuare triticum menſe Septembris, v.g. vt tantumdem reddatur menſe Maij, licèt ſit certum moraliter in illo eſſe plus valiturum. Antecedens ab omnibus admittitur, poſſe ſcilicet mutuantem exigere in hoc caſu mutuum, expectando tempus maioris valoris abſque iniuſtitia, ſi tamen nulla vi, aut fraude impediat ſolutionem, quam ante illud tempus exhibere voluiſſet mutuatarius, licèt fortè peccet contra charitatem, & nimis cupidam ſe oſtendat expectando tale tempus. Conſequentia verò probatur, quia ſi nullus eſſet terminus præfixus, poteſt expectare tempus, in quo magis valeat triticum: ergo poterit etiam à principio contractus mutuare aſſignando menſem Maij pro termino ſolutionis, licèt tunc eſſet moraliter certum plus triticum valiturum, quia non eſt maior ratio vnius, quàm alterius. Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam. Et ratio diſparitatis eſt, quia in primo caſu mutuans vtitur iure ſuo, petendo quando vult, & ſicut petit menſe Maij, poterat mutuatarius ſoluere antè ſi vellet, in tempore in quo minus valeret: ſi autem non ſoluit, ſibi imputet, mutuans etiam exponitur in prædicto caſu tam commodo, quàm incommodo. At quando in principio contractus præfigitur pro termino ſolutionis tempus, in quo plus eſt valiturum, committitur vſura, quia reportatur lucrum ex mutuo, & aliàs mutuans non exponitur periculo decrementi valoris, ſi certum eſt moraliter illo tempore triticum eſſe plus valiturum. Quod intelligendum eſt, quando tale tempus præfigitur pro termino ſolutionis, ita vt non poſſit mutuatarius antè neque pòſt ſoluere, ſed in illo tempore determinato. Nam ſi aliquis mutuaret triticum ea lege vt aſſignaret pro termino vltra quem non poſſit differri ſolutio, tempus determinatum, licèt in tali tempore eſſet certum plus eſſe valiturum, poſſet tamen antè ſoluere ſi vellet, rectè poſſet mutuans petere triticum in menſe Maij in quo plus valet, ob prædictam rationem; quia vtitur ſuo iure, & exponitur periculo detrimenti, poterat enim mutuatarius antea ſoluere.

51. Obiicies ſecundò, quia valor tritici conſiſtit in quantitate ipſius, vnde ſi quis mutuat alicui quatuor, vel quinque modios tritici alicuius menſuræ, & poſtea decreſcit menſura modij, tenetur reddere tot modios iuxta menſuram antiquam: ergo qui accipit mutuo menſe Septembris, v.g. quatuor modios tritici menſe Maij, tenetur reddere in eadem quantitate, licèt certum ſit moraliter tunc tempotis eſſe plus valituros. Reſpondetur, antecedens eſſe verũ in ordine ad menſuras diuerſas, quæ creſcunt & decreſcere poſſunt, dummodo cætera ſint paria, ita quòd ille qui accepit mutuo ſex modios tritici in menſura maiori, teneatur reddere eoſdem in eadem menſura, cæteris paribus. At in caſu de quo loquimur, quando eſt certum moraliter plus eſſe valiturum triticum tempore ſolutionis, non poteſt ſine vſura mutuari, vt tantumdem reddatur eo tempore quo eſt plus valiturum, quia in hoc euentu potius eſt habenda ratio valoris tritici qui datur, quàm quantitatis: quare in hoc euentu mutuatarius ſatis facit ad æqualitatem reddendo minorem quantitatem tritici quàm accepit, quæ tamen habeat eumdem valorem quem habebat triticum tempore mutui.

52. Obiicies tertiò, quia qui ſciret valorem monetæ eſſe minuendũ ante tempus ſolutionis, poſſet citra vſuram, vt manet prædictum, mutuare monetam reddendam poſtea in maiori quantitate, quia hoc lucrum non prouenit ex mutuo vt mutuum eſt, ſed ex cauſa extrinſeca & per accidens: ergo eadem ratione qui certò moraliter ſcit valorem tritici eſſe futurum maiorem in menſe Maij, quàm menſe Septembris, poterit ſine vſura illud mutuare vt tantumdem reddatur menſe Maij: hoc enim prouenit ex cauſa extrinſeca & per accidens. Reſpondetur negando conſequentiam. Ratio diſparitatis eſt, quia quando quis ſcit notitia particulari & priuata, eſſe minuendum valorem monetæ, adhuc ſuppoſita tali notitia cenſetur hoc per accidens euenire, quia quandiu non eſt promulgata lex, poteſt mutari decretum, & poteſt creſcere in valore, ſicut & decreſcere. At in noſtro caſu, ſuppoſito quòd omnibus eſt moraliter certum propter ſterilitatem plus eſſe valiturum triticum menſe Maij, quàm valet menſe Septembris, iam non eſt per accidens plus eſſe valiturum, quia moraliter non poteſt contrarium accidere, & mutuans in hoc caſu non exponit vt alicui periculo, ſed ſolùm lucro certo.

Tertia concluſio, ſi in menſe Septembris, v.g. propter anni ſterilitatem, valor tritici ad ſummam pretij taxati peruenit, licitè poteſt quis & ſine vſura mutuare triticum vt tantumdem reddatur menſe Maij. Hæc concluſio eſt manifeſta. Et ratio eſt, quia in menſe Maij pretium non poteſt creſcere, cùm eadem ſit vtriuſque menſis taxa, ac proinde mutuans nullum poteſt reportare lucrum, ex eo quòd ſibi reddatur triticum menſe Maij. 53.

Inquires an abſque labe vſuræ poſſit dari triticũ vetus vt reddatur nouum. Reſpondetur vſuram eſſe dare triticum vetus mutuo, cum pacto vt poſtea reddatur nouum. Ita Nauarrus num. 224. quod intelligendum eſt quando triticum vetus ſubiacet periculo corruptionis, ratione enim talis periculi minus æſtimatur, quàm nouum. Si verò triticum vetus non ſubiacet huiuſmodi periculo, & tantum valet de præſenti, quantum creditur valiturum nouum tempore ſolutionis, non erit vſura mutuare triticum vetus vt reddatur nouum. 54.

Sunt tamen duo obſeruanda. *Primum* eſt quod diximus de tritico, eodem modo eſſe intelligendum de mutuo vini, olei & aliarum rerum ſimilium. *Secundum* eſt, aliud eſſe mutuare triticum, vt rectè aduertit Sotus ait. 2. Aliud verò valorem tritici, quod modò trado, emere, & aliud poſtea mihi in alio tempore reddendum: vt ſi quis dicat, v.g. Do tibi decem modios tritici pretio nunc currenti, vt in tritico reddas idem pretium menſe Maij, hic enim contractus non per regulas mutui, ſed per regulas emptionis & venditionis examinandus eſt. Quare ſi tempore quo mutuum datum eſt triticum, ſinguli modij valebant quatuor regalibus, & poſtea menſe Maij valeant octo, poterit quinque modiis ſoluere decem antea acceptos, hoc enim non eſt mutuum, ſed emptio anticipata ſolutione iuſta tritici pro pretio valituro tempore Maij, in quo non mediocre beneficium exhibetur ei cui hoc modo datur triticum. Quod eadem ratione intelligendum eſt, ſiue dicatur, Do tibi, ſiue mutuo tibi. nam licèt contrahens verbo mutuandi vtatur, reuera eſt emptio anticipata ſolutione: vnde non tam dat triticum, quàm pretium tritici, & illo emit triticum poſtea reddendum. Et eodem modo dare triticum quando plus valet vt reddatur in tritico æqualis valor in tempore quando eſt minus valiturum, eſt contractus emptionis iuſtus anticipata ſolutione, vt rectè Molina vbi ſuprà. 55.

Sectio VII.

An mutuans ratione periculi rei mutuatæ in se suscepti illam assecurando possit aliquid vltra sortem citra vsuram accipere.

56. Sensus est, an is qui mutuat alicui certam pecuniæ quantitatem in alium locum transferendam, & in se suscipit periculum, ita vt seruet mutuatarium indemnem, ea lege vt si pecunia pereat, sibi pereat, & non mutuatario, possit aliquid vltra sortē accipere pro tali periculo in se suscepto. Ratio dubitandi est textus in c. *Nauiganti*, de vsuris, vbi sic habetur: *Nauiganti, vel ad nundinas eunti, certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus.* Ex quibus verbis videtur colligi, mutuantem non posse citra labem vsuræ accipere aliquid vltra sortem, etiam prætextu talis periculi in se suscepti pecuniæ, in alium locum eam asportando.

57. Sit tamen prima conclusio, etiam post prædictam decretalem, non est vsura, neque iniustitia in foro animæ interioti mutuantem accipere iustum lucrum vltra sortem pro periculo in se suscepto pecuniæ mutuatæ. Probatur, quia suscipere periculum talis pecuniæ in alium locum transferendæ, cùm possint pecuniæ perire ratione periculi maris, vel terræ, est pretio æstimabile; ergo mutuans citra vsuram ratione talis periculi in se suscepti, potest aliquid vltra sortem accipere. Et confirmatur, quia mutuatarius potest inire contractum assecurationis cum alio à quo non accepit mutuo pecuniam, vt fatentur omnes, & pro tali assecuratione accipere aliquod lucrum iuxta quantitatem periculi, vel pecuniæ: ergo potest etiam mutuatarius eumdem contractum celebrare cum mutuante, & illi aliquod lucrum præstare vltra sortem principalem ratione periculi in se suscepti. Consequentia est manifesta, quia mutuans ratione beneficij mutui, non est deterioris conditionis, quàm si non mutuasset.

58. Ad textum in contrarium respondetur, Pontificem ibi prohibuisse omne lucrum, etiam aliàs licitum, quod recipi solebat titulo periculi in se suscepti à mutuante, vt omnem prorsus occasionem exercendi vsuras palliatas sub vmbra & titulo periculi in se suscepti auferret, vt rectè Nauarr. in commentariis ad prædictum caput. Vsurarij enim cùm viderent omnes vsuras esse prohibitas, nauticam tamen licere ratione periculi in se suscepti, pecuniæ mutuatæ aliò transferendæ periculum illud in se suscipiebant mutuantes, siue verè esset tale periculum, siue non, siue pecunia per mare, siue per terram esset transmittenda, quamuis mutuatarius non indigeret tali transmissione, vel assecuratione; neque vellet cum mutuante huiusmodi pactum inire, quia tamen indigebat pecuniis, & videbat illos alia ratione non esse mutuaturos, coactus consentiebat, & hoc titulo multæ vsuræ exercebantur. Vt igitur Pontifex omnem prorsus occasionem exercendi vsuras auferret, decreuit prædicto textu esse vsurarium censendum, etiam illum qui titulo periculi in se suscepti aliquid acciperet vltra sortem, etiam si esset iustum pretium. Quod intelligendum est quoad præsumptionem fori exterioris, hoc enim significat verbum *censendus*, quod denotat præsumptionem. sicut Pius V. in quadam constitutione edita super contractus censuum, iudicat omnes huiusmodi contractus in posterum celebrandos sine omnibus conditionibus quas ipse ibidem assignat, esse fœneratitios; quamuis multi ex illis iniri possint sine iniustitia ex iure naturali. quare ibi duo intetueniunt contractus, vt obseruat rectè Molina disp. 318. Alter mutui, ratione cuius nihil vltra sortem mutuans potest licitè accipere. Alter verò innominatus, faciam, seu suscipiam in me periculum pecuniæ quam tibi mutuo do, vt des, seu si des mihi tantum, vel tantum, qui est iustus contractus, ratione cuius iustè accipitur aliquid vltra sortem, & ab effectu dicitur contractus assecurationis.

59. Alio modo potest exponi textus ille, vt intelligatur quando mutuans ea lege & conditione mutuum dat, vt mutuatarius secum ineat assecurationis contractum, & aliter nolit mutuum dare, nisi penes se maneat periculum rei quam mutuo dat, & ea de causa aliquid à mutuato accipit vltra sortem, etiam si sit iustum pretium talis assecurationis. Ratio huius est, quia grauamen illud, nimirum vt mutuatus teneatur celebrare contractum assecurationis, cum mutuante, est pretio æstimabile, non minus quàm vt teneatur quis molere in molendino mutuantis. Quæ expositio est satis communis, & valde probabilis, quidquid in contrarium dicat Nauarrus loco citato.

60. Ex quo infertur fideiussorem posse citra vsuram aliquid accipere vt alterius fideiussor existat, vt docet Molina disp. 319. quia obligatio illa quam in se suscipit, est pretio æstimabilis, nō solùm quando timet cogendū fore soluere pro debitore, sed etiam quando nihil tale timet, sicut suprà dicebamus obligationem molendi in mutuantis molendino mercede consueta ac iusta esse pretio æstimabilem, quamuis mutuatarius necessariò in aliquo molendino moliturus sit eadem mercede, nec difficilius ei sit accedere ad mutuantis molendinum, quàm ad alia: quamuis parum licitum sit accipere quando nullum timetur periculum.

Sectio VIII.

An sit vsura mutuare cum pacto, vt teneatur mutuatarius accipere partem mutui in mercibus, aut in debito, aut in alio loco.

61. Prima conclusio, vsuram committit qui mutuat mille, v.g. vel centum, cum pacto, vt matuatarius accipiat dimidiam partem, vel aliam in mercibus, præsertim si mutuatarius talibus mercibus non indigeat, neque aliàs illas erat empturus; vel si cùm dantur mutuatario cariùs: in quo casu non solùm tenetur restituere mutuans excessum iusti pretij, sed etiam grauamen illud quod imponit mutuatario, vt accipiat partem mutui in mercibus, atque obligare vt emat ex sua officina, & consumat partem mutui. Quare sicut esset vsura mutuare pecuniam alicui cum obligatione, vt partem pecuniæ mutuatæ consumeret emendo aliquid ex officina mutuantis etiam iusto pretio, vt diximus suprà, quia grauamen illud est pretio æstimabile; eadem ratione obligare mutuatarium, vt accipiat partem mutui in mercibus est vsura; quia est illum obligare vt emat ex officina mutuantis, & consumat partem

mutui

mutui. Si autem obliget vt accipiat partem mutui in mercibus, quibus aliàs non indigebat, & quas empturus non erat, non solùm tenetur restituere grauamen illud quod est pretio æstimabile; sed etiam omnia damna & incommoda, quæ possunt prouenire mutuatario ex receptione mercium, vt si corrumpantur, vel vendantur minori pretio quàm acceperat, quia ei ad nullum vsum deseruiunt. Et vlteriùs non solùm in prædicto casu est vsura obligare mutuatarium ad accipiendam partem mutui in mercibus, propter dictam rationem, sed etiam quando mutuatarius talibus mercibus indigebat, & illas aliàs empturus erat, propter grauamen illud quod est pretio æstimabile.

62. Illud verò obseruandum est, quòd si quis petat mutuo ab alio centum, v. g. & mutuans non habeat nisi quinquaginta in numis, & dicat se daturum mutuo centum, dimidiam partem in moneta, & dimidiam in mercibus iusto pretio taxatis, quia non habet totam quantitatem in moneta, dummodo non obliget mutuatarium ad accipiendam partem mutui in mercibus, in hoc casu non committit vsuram; quia non obligat mutuatarium vt accipiat merces pro parte mutui, neque illas vendit vltra iustum pretium, sed solùm repræsentat illi materiam in qua potest mutuare, & mutuatarius omnino liberè & sua sponte vult accipere partem mutui in mercibus, quamuis illis non indigeat.

63. Ex quo deducitur, non esse condemnandos vsuræ, neque iniustitiæ mercatores, qui vendunt credito alicui merces iusto pretio, quem sciunt statim illas venditurum pretio viliori numerata pecunia; quia talis contractus est iustæ venditionis, & dummodo non vendat merces vltra iustum pretium, nullam illi infert iniuriam. Ita Caietanus verbo *vsura*, cap. de vsura implicita, casu 10. & Nauarr. cap. 17. num. 244. Quod intelligendum est, nisi mercator illas credito vendat, etiam iusto pretio, animo illas iterum emendi minori pretio pecunia numerata: in hoc enim casu committeret vsuram palliatam, quia animus illius esset mutuum pecuniæ ea via palliare, ex quo incrementum vltra sortem reportaret. Huiusmodi autem venditiones mercium prædicto animo factæ appellantur vulgo *moatras*, qui contractus damnantur lege Castellæ 29. tit. 4. lib. 3. nouæ collectionis, vbi strictè præcipitur iudicibus vt puniant huiusmodi contractus. Vbi etiam obserua satis probabile esse, quòd quamuis mutuans citra vsuram non possit obligare mutuatarium vt illas merces sibi reuendat, nihilominus secluſa hac obligatione, licitum erit mutuanti, sicut & aliis, emere illas vili pretio, dummodo iustum sit; quia idem est pretium iustum respectu omnium emptorum. Et ratio huius est, quia si alter easdem merces emeret infimo pretio pecunia numerata, nullam committeret iniustitiam: ergo neque eam committit mercator, qui priùs eas vendidit. Consequentia est manifesta, quia mercator non est factus deterioris conditionis ad emendum, per hoc quòd vendiderit illas merces.

64. Secunda conclusio, vsura est obligare mutuatarium vt accipiat partem mutui in debito, quod facile solui non potest, nisi cum labore & expensis mutuatarij. Ratio est, quia grauamen illud est pretio æstimabile, vnde tam grauaminis æstimatio, quàm expensæ factæ in debiti recuperatione, sunt restituendæ mutuatario. Si tamen debitum est liquidum, & facile & sine labore & expensis potest recuperari à mutuatario, non erit vsura dare partem mutui in tali debito, quia nullum grauamen imponitur pretio æstimabile mutuatario: perinde enim esset in hoc casu illum obligare vt acciperet tale debitum pro parte mutui, atque vt acciperet pecuniam mutuantis, quam habet apud hunc, vel illum hominem à quo illam facile & sine expensis potest recipere: & potest mutuans citra vsuram obligare ad hoc mutuarium, si vult accipere mutuum; sicut potest illum obligare vt enumeret pecuniam quam mutuo accipit.

65. Tertia conclusio, vsura est mutuare pecuniam, triticũ, vel quid simile, cum obligatione vt mutuatarius soluat in alio loco, si illi prouenit aliquod grauamen, vel damnum pretio æstimabile, ex eo quòd soluat mutuum in alio loco, v.g. si faciat aliquas expensas in deferendo mutuo in locum illum, vel aliud grauamẽ recipiat, à quibus excusatur mutuans ratione mutui, quia aliàs esset facturus tales expẽsas. Et ob eamdem rationem est vsura mutuare pecuniã, vel triticum, quod mutuans habet in hoc loco, v.g. vt soluatur in alio, si ex eo mutuatarius recipit aliquod grauamen pretio æstimabile; vel si triticum plus valeret in alio loco, quàm in illo, in quo accipit mutuatarius. Imò satis probabile est, quamuis facile & æquè commodè possit soluere ac in loco in quo accipit, vsuram committi, sicut suprà dicebamus de obligatione emendi ex officina mutuantis, obligare illum ex pacto ratione libertatis qua priuatur, quare relinquendus est suæ libertati.

66. Ex quibus infertur, mutuantem citra labem vsuræ non posse mutuare cum pacto, vt mutuatarius præstet munus à lingua ab obsequio, vel à manu. Munus à lingua est alloqui Principem, vel quemuis alium, in fauorem mutuantis, illum laudare, in gratiam ipsius psallere, & his similia quæ lingua executioni mandantur. Munus ab obsequio est, comitari mutuantem, vel vxorem illius, illi inseruire, eius negotia agere, & similia, quæ in obsequium alicuius exhiberi solent. Munus à manu est, aliquid elargiri, siue sit pecunia, siue quoduis aliud pretio æstimabile. Itaque vsura committitur obligando mutuatarium ex vi mutui obligatione ciuili, vt hæc tria præstet, cùm sint pretio æstimabilia; quia, vt sæpiùs dictum est, obligare mutuatarium ad aliquid præstandum vltra sortem pretio æstimabile, vsura est.

Sectio IX.

An sit vsura fructus pignoris pro mutuo dati vltra sortem accipere.

67. Conclusio est affirmatiua. Vsuram committit qui percipit fructus pignoris pro mutuo dati vltra sortem. Probatur ex cap. 1. & 2. de vsuris, in quibus decernitur, quòd si aliquis alicuius possessionem data pecunia mutuo acceperit in pignus, si sortem suam deductis expensis de fructibus iam perceperit, teneatur possessionem debitori restituere. Ex quibus capitibus colligitur expressè, fructus pignoris in sortem principalem esse computandum. Et ratio est, quia tunc fructus percipiuntur ex re aliena. dominium namque pignoris est apud illum qui rem dedit in pignus; ac proinde non possunt recipi vltra sortem sine vsura. Quod etiam intelligendum est, non solùm in mutuo formali, sed etiam virtuali, videlicet quando datur pignus interim dum pretium rei venditæ non soluitur; vel

Digitized by Google

dum res empta non traditur. Et vniuerſaliter quotieſcumque fructus pignoris percipiuntur pro dilatione temporis, quia in his euentibus eſt mutuum virtuale, & non alius titulus ratione cuius poſſint percipi in mutuum. Quare creditor tenetur huiuſmodi fructus in partem ſortis computare, imò & fructus etiam quos ſua negligentia non recipit: vt ſi vineam, aut agrum non excoluit, aut ſi domum non locauit, deductis tamen expenſis, vt diffinitur in citatis capitibus; & non ſolùm expenſis, ſed etiam illo quod induſtria peculiari mutuantis tale pignus fructificauit; hoc enim non tam eſt fructus pignoris, quàm induſtriæ peculiaris mutuantis. Ita Sotus 6. de iuſtit. quæſt. 1. art. 2. vbi ait. Si debitor ſterilem agrum quem colere non intendebat, creditori dederit in pignus, & creditor ſua induſtria & labore ex eo colligat modicos fructus, tunc ſorte creditorem non teneri computare in ſortem fructus ſuæ induſtriæ: ſecus verò in fructibus magni momenti. Nauarr. verò num. 216. meritò hoc improbat, quia fructus tam magni, quàm parui, verè ſunt fructus agri illius; ac proinde ad dominum agri ſpectant, & conſequenter eſſe computandos in ſortem, quando expenſas excedunt deductis eiſdem expenſis, & valore laboris & induſtriæ cultoris.

68. Excipiuntur autem duo caſus. Prior habetur in cap. *conqueſtus*, de vſuris, vbi dicitur, quòd ſi feudaturius dat in pignus rem quã feudo habebat, proprio domino, tunc fructus talis rei non debent ab ipſo domino in ſortem computari, dummodo ſeruitium feudi interim remittat. Ratio autem huius nulla alia aſſignari poteſt, niſi ipſa lex feudi; quia videlicet à principio huiuſmodi contractus cum hac conditione celebrari cœpit explicitè, vel implicitè, vt ſi res feudo data redderet in poteſtatem domini etiam per modum pignoris, fructus illius pro illo tempore ad proprium dominum pertineret. Ita Sotus loco citato.

69. Poſterior verò caſus habetur in cap. *ſalubriter*, de vſuris. vbi decernitur, quòd quando ſocer non dat ſtatim genero dotem promiſſam, ſed pignus fructificans, interim dum non ſoluit dotem, non tenetur gener fructus pignoris quos recepit dum dos non ſoluitur, in ſortem computare, ſed illos poteſt licitè recipere citra vſuram, & poſtea integrã dotem: cuius hanc rationem reddit Pontifex, videlicet, *quia frequenter dotis fructus non ſufficiunt ad onera matrimonij ſupportanda*. Quæ quidem deciſio, & decidendi ratio malè torquet iuris interpretes, quia fructus pignoris non alio titulo hoc caſu recipi videntur, niſi quia expectatur ſolutio, quod eſt vſura. Neque etiam ratio Pontificis contrarium conuincere videtur: tum quia fructus pignoris tales eſſe poſſunt, vt ſuperent onera matrimonij, & ſumptus quos maritus ratione vxoris ſolùm facit. Tum etiam, quia ſi maritus ſtatim dotem acciperet, teneretur etiam ad onera matrimonij ſuſtentanda, vel ex ipſa dote, vel ex propriis bonis: ergo ſi poſtea accipit integram dotem, & ſimul fructus pignoris vltra illã, non titulo ſuſtentationis vxoris & oneris matrimonij, cùm etiam ſoluta ſtatim dote eadem onera ſubire deberet, ſed titulo expectationis ſolutionis recipit.

70. Quare interpretes in varias huius textus diuiduntur interpretationes, quas refert Couarr. lib. 3. variar. cap. 1. duæ tamen videntur probabiliores. *Primus* modus dicendi eſt, propterea genetum non teneri in prædicto caſu fructus pignoris in partem doris computare, quia ipſo quòd ſocer non ſoluta ſtatim dote dat genero pignus fructiferum. dum non ſoluit dotem, vult dare liberaliter omnino & gratiosè dori tales fructus, vt interim ex illis ſupportet onera matrimonij, ſiue tales fructus excedant onera, ſiue non; quia non vult dare vxorem niſi ſimul aliquid præſtet ex quo poſſit gener onera matrimonij ſuſtentare, & ex illis & ex dote poſtea ſoluenda conſtituitur vna integra dos. Vnde gener illos non recipit titulo expectationis ſolutionis, ſed quia liberaliter vult ſocer illos dare, vt interim ſuſtentet ex illis vxorem; vel quia dantur in partem dotis. Iuxta quam interpretationem optima eſt ratio decidendi Pontificis, videlicet quia frequenter fructus dotis non ſufficiunt ad onera matrimonij ſuſtentanda; ſic enim intelligenda eſt. Cùm communiter non ſufficiant fructus ad onera matrimonij ſuſtentanda, & ſocer moueatur ad dandam dotem, vt gener ſuſtentet ſtatim onera matrimonij, fructus pignoris dati vſque ad ſolutionem dotis, non ſunt computandi in partem illius, quia cenſentur dari à ſocero liberaliter, vel ſuperaddi doti vt ex illis ſuſtentet vxorem: & pro hoc modo dicendi plures refert Caietanus in commentariis de vſuris. *Secundus* eſt ſolùm ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis poſſe generum accipere fructus pignoris, non computando eos in ſortem. Ita Couarr. 3. variarum cap. 1. Quod certè negari non poteſt. Nihilominus tunc habenda eſt ratio quantitatis lucri ceſſantis, & damni emergentis, vt æqualitas ſit inter fructus qui percipiuntur, & inter lucrum ceſſans & damnum emergens. Et iuxta hunc modum dicendi obligatur gener ad computandos fructus in ſortem quando nec lucrum ceſſat, nec damnum emergit ex dilata ſolutione. Prior tamen modus dicendi videtur conformior menti Pontificis. Et eodem modo philoſophandum eſt, quando loco pignoris datur genero penſio aliqua pecuniæ, poteſt enim illam accipere, vel ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis, vel etiam poteſt exiſtimari dari liberaliter ad ſuſtentanda onera matrimonij, vel in partem dotis, iuxta prædicta.

71. Poteſt tamen primò dubitari, an vidua anno viduitatis poſſit accipere fructus pignoris dum ſoluitur dos. Nonnulli exiſtimant, tantum poſſe illos accipere ratione lucri ceſſantis & damni emergentis. Alij verò cenſent pro alimentis poſſe illos recipere; hoc enim videtur rationi & iuri conſonum, vt hæredes defuncti alant vxorem illius eo tempore quo dotem non reſtituunt. Turrianus verò diſp. 71. dub. 5. docet, in hoc ſtandum eſſe conſuetudini, iuxta quam in fauorem viduæ introductum eſt, etiam apud tribunalia, vt alimenta dentur eo anno in quo hæredes non poſſunt cogi ad ſoluendum lucrum ceſſans, quia ex lege habent illud tempus vt poſſint ſoluere dotem. l. vnica. §. cùm autem C. de rei vxuriariæ actione, vbi dicitur, vltra annum ſi dotem non ſoluerint, teneantur ad vſuras, id eſt, ad lucrum.

72. Secunda dubitatio eſt de Rege, an quando accipit ab alio Principe in pignus mutui ciuitatem, vel regnum, poſſit licitè accipere ſine vſura redditus ciuitatis vltra ſortem mutui, videlicet vectigalia. Partem negantem tuentur Caietanus & Sotus ſuprà. Verius tamen eſt, rectè poſſe, vt tenet Mercado opuſc. de vſuris cap. 7. Quia vectigalia ideo dantur Regi, quia habet curam gubernationis ciuitatis: ergo qui accipit ciuitatem in pignus, cùm eamdem habeat curam, eodem titulo poterit vltra ſortem mutui accipere vectigalia; ſunt enim hi fructus induſtriales reſpondentes officio & curæ

Regis

Regis, atque adeò citra labem vsuræ possunt licitè recipi vltra sortem.

73. Tertia dubitatio est, an proprietarius citra vsuram possit non computare in sortem fructus pignoris pro mutuo à feudatario, aut emphyteuta, acceptos. Sed de hoc iam dictum est initio sectionis. Pro cuius explicatione amplius obserua, quòd feudum in hunc modum describitur: *Concessio rei alicuius immobilis, quæ pro immobili habeatur quoad dominium vtile, pro seruitio aliquo exhibendo, retenta tamen proprietate.* Itaque quando feudum ipsum datur in pignus ei qui habebat dominium, potest ipse dominus accipere fructus illius, non computando eos in sortem mutui, quidquid dicat Couar. 3. variarum, cap. 1. non computando eos in sortem mutui; non quidem vi mutui, sic enim esset vsura, sed vi naturæ contractus feudi & emphyteusis, vt manifestè probat textus suprà adductus in cap. *Conquestus*. Cuius rei rationem reddit Molina disp. 323. Nam quemadmodum quando contractus feudi & emphyteusis primò fuerunt instituti, fuerunt instituti cum quibusdam conditionibus, quibus violatis, amitteretur dominium vtile, & rediret ad proprietarium; ita similiter instituti potuerunt cum ea conditione, quòd si proprietatio res feudalis aut emphyteutica traderetur in pignus, pertinerent ad eum fructus illius, nec teneretur computare illos in sortem, modò seruitium seu pensionem remitteret. Quòd autem re ipsa sic instituti fuerint, constat ex vsu & ex prædicto textu. Vnde in hoc euentu, vt rectè Nauarrus num. 218. dominium vtile consolidatur cum directo, quoties res feudi redit ad dominum, ita vt in eo casu, qui habet dominium directum, gaudeat & vtili.

Sectio X.

An ratione lucri cessantis liceat aliquid exigere vltra sortem mutui.

74. Supponendum est primò in virtute & potentia pecuniæ aliquid contineri pretio æstimabile, quod possit cadere sub emptionem & venditionem, ac proinde possit appellari lucrum, à quo percipiendo si dominus pecuniæ impediatur, potest propriè & verè dici illi lucrum cessare. Omnes enim concedunt, quòd si mutuatarius est in mora soluendi, tenetur mutuanti compensare non solùm damnum emergens, sed etiam luctum cessans: ergo negari non potest, quin in virtute & potentia pecuniæ aliquid contineatur pretio æstimabile, quia aliàs nihil teneretur soluere mutuatarius pro lucro cessante, etiamsi esset in mora soluendi. Neque obstat commune proloquium desumptum ex Aristot. 1. Politicorum, cap. 7. scilicet *pecuniam esse sterilem*, ex quo sequi videtur nihil continere pecuniam in sua virtute pretio æstimabile præter suum valorem: aliàs non esset sterilis, sed fœcunda. Hoc enim non obstat. nam, vt rectè Caietanus quæst. 62. art. 4. in duplici statu potest considerari pecunia. *Primò* quatenus est destinata à possidente negotiationi, ex qua speratur tantùm lucrum prouenturum, quia sic solet aliis negotiatoribus euenire tantam industriam apponentibus, quantam hic credebatur appositurus. *Secundò* potest considerari prout nondum est negotiationi destinata, sed secundùm se. *Primo* modo dicitur pecunia fœcunda, & continere in se aliquid pretio æstimabile. *Secundo* verò modo est sterilis, & nihil continet in se pretio æstimabile; in quo sensu est intelligendus Aristot. loco citato.

75. Supponendum est secundò, non esse idem pretium fructus existentis in potentia etiam proxima alicuius rei, atque existentis in actu; non solùm quia existens in potentia sine expensis & labore non percipitur, sed etiam quia ex natura rei id quod est in potentia minus æstimatur, quàm id quod est in actu. Quod hoc exemplo declaratur. nam qui fata destruit & conculcat, non tenetur restituere totum fructum speratum, etiam deductis expensis, sed partem eius ad arbitrium prudentis: ergo non tanti æstimatur fructus in potentia, ac ipsimet in actu.

76. Prima conclusio. Quando quis inuitus cogitur ad mutuandum, non solùm licitè potest pacisci de lucro cessante, sed etiam qui illum cogit, siue per vim, siue per metum, siue improbis precibus, aut conuitiis, tenetur etiam secluso pacto restituere lucrum cessans; supponimus enim illi lucrum verè cessare, quia habebat pecuniam destinatam negotiationi. Ita communiter Doctores; & ratio est, quia mutuans in hoc casu iniustè impeditur à lucro: ergo non solùm potest de tali lucro licitè pacisci, verùm etiam qui est impedimentum illius per vim, tenetur ad restitutionem in foro conscientiæ. Confirmatur, quia qui est in mora soluendi, tenetur restituere lucrum cessans secluso quocumque pacto, vt docet D. Thom. quæst. 61. art. 4. ad 2. ergo idem tenetur facere, qui per vim tale lucrum impedit etiamsi non sit in mora soluendi; non enim minorem iniustitiam, sed potiùs maiorem committit.

77. Secunda conclusio. Etiamsi mutuans vltrò & sponte mutuet, poterit deducere in pactum licitè & citra vsuram lucrum cessans, & supposito tali pacto, tenebitur mutuatarius reddere lucrum cessans. *Prior* pars probatur, quia tale lucrum cessans est pretio æstimabile, & mutuatarius est in causa vt cesset mutuanti vi mutui: ergo licitè poterit mutuans petere compensationem illius per pactum in quocumque euentu siue inuitus, siue sponte mutuet. *Posterior* pars manifestè colligitur ex priori. nam pactum licitum inducit obligationem, eo quòd includat soluendi promissionem: ergo si mutuans potest licitè etiam quando sponte mutuat, deducere in pactum lucrum cessans; mutuatarius supposito tali pacto, tenebitur etiam in foro conscientiæ reddere luctum cessans.

78. Obiicies primò, ex D. Thom. in solut. ad 1. vbi absolutè videtur negare, posse pro lucro cessante aliquid recipi vltra sortem. quod hoc modo probat, quia mutuans nondum habet lucrum illud quod dicitur cessare, & potest ab eo habendo multipliciter impediri: ergo non potest vendere lucrum cessans, neque aliquid pro eo vltra sortem accipere. Respondetur D. Thomam solum loqui de lucro quod est in potentia remota pecuniæ non expositæ negotiationi, pro quo neque etiam pacto præcedente, potest aliquid mutuans recipere vltra sortem; quia hac ratione sumpta pecunia est sterilis & infœcunda, nihilque continet in potentia quod sit pretio æstimabile. Non autem loquitur de lucro cessante, quod continetur in potentia proxima pecuniæ negotiationi destinatæ.

79. Obiicies secundò, ex Soto suprà art. 3. quia lucrum cessare, est mutuantem à lucro cohiberi; nullus autem cohibetur nisi inuoluntariè; hoc autem fit vel per vim, vel per metum, vel per ignorantiam, vt docet Arist. 3. Ethicorum. Nullum autem horum

horum reperitur in illo qui ſponte mutuat : ergo non cohibetur à lucro ceſſante , & conſequenter non poteſt pro illo aliquid accipere. Reſpondetur, mutuantem non ita voluntariè obligari ad mutuandum , vt nihil velit exigere ratione lucri ceſſantis ; hoc enim falsò ſupponitur à Soto,& aſſumit id quod erat probandum ; cùm enim illud lucrum ſit pretio æſtimabile , rationabiliter poteſt aliquid exigere,ſi ex mutuo lucrum illud ceſſat;ac proinde nolle mutuare , niſi ratione lucri ceſſantis aliquid detur.

80. Tertia concluſio. Si mutuans non deduxit in pactum lucrum ceſſans,non poteſt pro illo aliquid recipere vltra ſortem , ſi mutuatarius non eſt in mora ſoluendi,neque ipſe mutuatarius tenetur lucrum illud reſtituere, licèt re ipſa ceſſet mutuanti. Hæc concluſio communis eſt apud Doctores. Et ratio eſt,quia cùm nullum præceſſerit pactum,non eſt obligatio reſtituendi damnum etiam emergens, vt dicemus ſectione ſequenti : ergo multo minus erit in lucro ceſſante. Conſequentia eſt manifeſta à paritate rationis.

81. Quarta concluſio. Mutuans licèt inuitus mutuet , non poteſt tantùm lucrum ceſſans etiam deductis expenſis exigere à mutuatario,ita vt tantum velit ſibi ratione lucri ceſſantis reſtitui , quantum alius mercator cum tanta pecunia in eadem materia lucratus fuerit etiam deductis expenſis,ſed aliquid vltra ſortem ad arbitrium prudentis. Ita D. Thom.quæſt.62.art.4.& Caiet. ibidem. Et probatur ex his quæ dicebamus ſuprà,non eſſe idem pretium fructus exiſtentis in potentia etiam proxima alicuius rei, atque exiſtentis in actu ; fructus enim in potentia multis modis impediri poteſt , quare hoc relinquendum eſt arbitrio prudentis.

82. Illud verò obſeruandum eſt, neceſſarium eſſe tale lucrum verè ceſſare ratione mutui,id eſt, ex eo quod quis mutuauit , vt ratione illius poſſit mutuans in prædictis caſibus aliquid vltra ſortem recipere citra vſuram : ſi enim aliunde habeat pecuniam non expoſitam negotiationi , vnde tale lucrum comparet,non dicetur illi ceſſare lucrum ratione mutui , & conſequenter mutuatarius etiam præcedente pacto,non tenebitur in hoc caſu reſtituere tale lucrum,cùm iam habeat aliam pecuniam otioſam, quam commodè in mutuatæ locum poſſit ſupponere,& eidem lucro deſtinare. Dixi *commodè*. nam , vt obſeruat Leſſius ex Nauarro n.212. quamuis habeat aliam pecuniam repoſitam in alios euentus,vt ad alendam familiam , &c. quam proinde non vult propter lucrum in aliquod diſcrimen coniicere , bene poteſt pro lucro ceſſante paciſci, quia re vera illa mutuatio eſt cauſa cur lucrum illud ipſi pereat , quod per illam pecuniam ſperabat.

Sectio XI.

An mutuans poſſit aliquid accipere vltra ſortem citra vſuram ratione damni emergentis.

83. Damnum emergens dupliciter ſumi poteſt: *vno* modo latè , qua ratione detrimentum & iactura cuiuſcumque boni , quòd quis patitur in bonis,non ſolùm acquiſitis , ſed acquiſibilibus ſua etiam induſtria , quatenus deſiſtit ab acquiſitione alicuius lucri, quod poterat licitè comparare , dici poteſt damnum emergens : quo pacto etiam lucrum ceſſans, quando quis ex eo quod mutuet deſiſtit ab aliquo lucro,quod poterat pecunia mutuata ſua induſtria comparare , dici poteſt damnum emergens. *Alio* modo ſumitur preſsè & propriè damnum emergens , pro iactura & detrimento quod quis patitur in bonis acquiſitis tempore mutui,vel quæ habere debebat toto tempore quo durat mutuum; qua ratione propriè dicitur damnum emergens ruina domus quam mutuans habebat,& quæ ex eo quòd mutuet alicui pecunias quas habebat ad illam reficiendam,ruit,aliàs perſeueraturа ſi reficeretur. Item ſi mutuans haberet pecuniam ad emendum triticum tempore meſſis in familiæ ſuſtentationem,& ex eo quòd mutuet talem pecuniam , emit alio tempore maiori pretio triticum, quod tempore meſſis minori poterat emere, detrimentum illud quod patitur in ſumendo plus de ſuis bonis , quàm aliàs inſumere debebat , dicitur propriè damnum emergens. Similiter ſi ex eo quòd quis deſiſtat à proſecutione litis iuſtæ , cuius ratione amittit aliquid quod debebat habere , tale detrimentum dicitur propriè damnum emergens. Denique omne detrimentum quod mihi prouenit alicuius rei ad quam habebam ius in re vel ad rem ex eo quod mutuem , dicitur propriè & ſtrictè damnum emergens.Et in hoc ſenſu in præſenti eſt ſermo de damno emergente. nam damnum emergens latè ſumptum poteſt coincidere cum lucro ceſſante,de quo iam dictum eſt.

84. Prima concluſio. Licitè poteſt mutuans accipere aliquid vltra ſortem ratione damni quod patitur ex eo quòd mutuatarius ſit in mora ſoluendi poſt terminum præfixum ſolutioni , ſiue hoc deducat mutuans in pactum expreſsè , ſiue non : imò ipſe mutuatarius tenetur in conſcientia huiuſmodi damnum reſarcire. Ita communiter Theologi. Et in primis probatur , ſi tale damnum deducatur in pactum , quia quando mutuans mutuat ad certum tempus cum tali pacto , ſignificat ſe inuitum eſſe quòd mutuum retineat mutuatarius vltra talem terminum , & aliàs deducit in pactum vt ſoluat damnum quod ſibi poteſt euenire ex eo quòd non habeat pecuniam in tali termino , qua poterat illi damno ſubuenire : ergo qui hoc modo recipit mutuum , tenetur in conſcientia ſi ſit in mora ſoluendi & mutuanti obueniat tale damnum,illud reſarcire , & conſequenter iuſtè poteſt mutuans in hoc caſu accipere aliquid vltra ſortem pro damno quod inuitus patitur : quod enim tenetur mutuatarius reddere in conſcientia, licitè poteſt recipere mutuans. Confirmatur,quia mutuatarius retinendo iniuſtè debitum , eſt cauſa damni quod patitur mutuans : ergo tenetur in conſcientia illud reſarcire ; quicumque enim ſua culpa & iniuſtè eſt cauſa alicuius damni , tenetur in conſcientia illud reſtituere. Conſequentia probatur ex textu in cap. *Prouenit* , de fideiuſſoribus , vbi decernitur , quòd cùm fideiuſſor pro principali debitore ſoluit,tenetur debitor ad omnia damna quæ patitur pro huiuſmodi ſolutione reſarcienda. Et ratio Pontificis eſt , *ne detrimentum patiatur , vnde videtur præmium meruiſſe* ; ergo eadem ratione mutuatarius cùm eſt in mora ſoluendi , tenetur mutuanti reddere damnum inde ſecutum ; ratio enim poſtulat vt non patiatur detrimentum , vnde præmium & laudem meruit,præſertim ſi hoc in pactum deduxit.

85. Idem eſt ſi mutuans non deduxit tale damnum in pactum , & re ipſa ſequatur ex eo quòd mutuatarius fuerit in mora ſoluendi poſt terminum præfixum ſolutioni , quia ſufficit pactum implicitum quòd

quod est in ipsa præfixione termini solutionis: eo enim ipso quòd assignat terminum solutionis mutuans, tacitè & implicitè censetur interuenire pactum de resarciendo damno quod contigerit mutuanti, ex eo quòd mutuauerit post terminum præfixum solutioni, si mutuatarius sit in mora soluendi, vt rectè Molina disp. 315. eo quòd mutuatarius sit causa illius damni, iniustè debitum retinendo.

86. Secunda conclusio. Pro damno emergente etiam ante terminum solutioni præfixum, licitè potest mutuans aliquid vltra sortem recipere, si hoc deducat in pactum cum mutuatario. Ita communiter Theologi cum D. Thoma quæst. 78. art. 2. ad 1. vbi ait. *Mutuantem licitè posse deducere in pactum damnum emergens absolutè.* Ratio huius est, quia tale damnum emergens est pecunia æstimabile, & distinctum ab ipso mutuo, & vsu pecuniæ: ergo præcedente pacto licitè potest & sine vsura exigi tale pretium à mutuatario: æquitas enim iustitiæ non patitur, vt mutuans vltra mutui beneficium quo se priuat vsu pecuniæ suæ ad tempus, dispendium aliud patiatur, præsertim si illud deducat in pactum cum mutuatario.

87. Hoc tamen intelligendum est, quando huiusmodi damnum euenit mutuanti ex eo præcisè quod mutuauit, & pecuniis mutuatis careat: quare si mutuans apud se retineat alias pecunias otiosas, quibus possit tale damnum reparare, non tenebitur mutuans illud damnum restituere; quia illi non contingit ex eo præcisè quod mutuauit, vt explicatum est sectione præcedenti. Ex quo infertur, pro damno emergente quod contingit mutuanti ex eo quod mutuauit ante terminum solutionis quando debitor non est in mora soluendi, si non est deductum in pactum, non teneri mutuatarium aliquid soluere vltra sortem in foro conscientiæ, vt rectè Nauarr. num. 211. & ratio est, quia si damnum emergens in pactum deduceretur, fortasse mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere, neque illi fortè cum tali onere expediret recipere mutuum: ergo vt mutuatarius teneatur resarcire damnum emergens, debebat hoc in pactum deduci à mutuante explicitè, vel saltem implicitè: aliàs sibi imputet mutuans; ac proinde non præcedente pacto, mutuatarius non censetur causa, neque occasio talis damni, ea ratione, vt teneatur ad restitutionem illius.

88. Inquires, an si mutuans mutuet, nullo præfixo termino solutionis, & ex mutuo aliquod damnum emergat mutuanti, teneatur mutuatarius tale damnum in aliquo casu resarcire. Respondetur sub distinctione, vel enim mutuatarius est in mora soluendi in hoc casu, vel non. Si est in mora soluendi, tenetur resarcire damnum inde, secutum mutuanti. Non tamen erit mutuatarius in hoc casu in mora soluendi, nisi postquam mutuans ab illo petierit debitum; postquam verò iam petiit, iam mutuatarius est in mora soluendi. Et ratio est, quia qui mutuat nullo præfixo termino solutioni, mutuat vsque dum ipse velit petere, vel mutuatarius velit soluere; quare postquam petiit mutuans, iam est transactus terminus solutionis, & mutuatarius censetur esse in mora soluendi. Si autem mutuatarius non est in mora soluendi, sicut non censetur esse ante repetitionem mutui, philosophandum est iuxtà prædicta: vel enim mutuans deduxit in pactum, quòd mutuatarius teneretur soluere damnum, quod illi proueniret ratione mutui, quandiu ipse mutuans non petierit mutuum; vel mutuatarius non redderet, vel non. Si deduxit in pactum, tenetur mutuatarius restituere tale damnum, ac proinde licitè potest illud recipere mutuans vltra sortem. Si verò non deduxit in pactum, neque tenetur tale damnum reddere mutuatarius in conscientia, neque mutuans licitè potest illud recipere.

Ex his infero cum Lessio cap. 20. dub. 13. licitum esse ratione periculi sortis, vel difficultatum, aut expensarum, quæ in recuperanda retinentur, aliquid vltra sortem exigere. nam coniicere se in tale periculum est pretio æstimabile, vt si mutuet homini non satis noto, aut dubiæ fidei, aut si probabiliter timeat magnas molestias in recuperanda sorte: ergo rectè potest pro eo pretium exigere; iustum enim est pro eo quod pretio est æstimabile, si pretium exigatur. Requiritur autem vt periculum sit verum ex quo probabiliter timeatur incommodum; nec refert si postea fortè damnum nullum eueniat, quia non pro ipso damno futuro, sed pro periculo damni pactus est. Requiritur etiam vt non plus exigat ratione huius periculi, quàm ipse alteri vellet dare pro talis periculi redemptione. 89.

Secundò infertur, licitum esse pacisci, vt mutuatarius si ad terminum statutum non restituerit, aliquid soluat in pœnam suæ moræ vltra sortem: cùm enim debitor qui est in mora soluendi peccet contra iustitiam retinendo alienum, seu alteri debitum, dignus est pœna; ac proinde ex partium conuentione potest illi apponi: sicut solet imponi pœna ei qui à contractu resilierit. Requiritur autem, vt debitor verè sit in culpa. nam si casu factus sit impotens, non tenetur ad pœnam, & etiam quòd hæc pœna sit moderata, & quòd mora sit notabilis, & non tantùm vnius diei, aut vnius hebdomadæ. Debetur autem hæc pœna in foro conscientiæ ante iudicis sententiam, quia debetur vi pacti inter contrahentes initi; cùm autem sit pœna conuentionalis, non debetur antequam pars petat: sicut nec legalis debetur ante iudicis sententiam. Quamuis oppositum non sit improbabile, vt existimat Diana part. 1. tract. 8. resol. 29. Nimirum hanc pœnam soluendam non esse ante iudicis sententiam, pro qua citat Sancium, Nauarrum, Lessium & alios; quia hæc videtur intentio contrahentium, nisi aliud exprimatur. 90.

Sectio XII.

An vsurarius teneatur ad restitutionem.

91. Conclusio est affirmatiua & communis inter Doctores, per traditionem vsurarum non transferri dominium in mutuantem; ac proinde teneri ad illarum restitutionem, tam in vsura reali, quàm mentali. Et probatur ex textu in cap. *Consuluit*, de vsuris, ibi: *vsurarium mentalem esse inducendum in animæ iudicio*, id est, in foro conscientiæ, *ad restituenda quæ accepit per vsurã mentalem*; ergo vsurarius mentalis non acquisiuit verum dominium rei acquisitæ per vsuram: aliàs non teneretur ad illam restituendam in foro conscientiæ. Ex quo sequitur, potiori iure vsurarium realem non acquirere dominium rei per vsuram comparatæ, & teneri in vtroque foro ad illam restituendam. Et ratio huius est, quia traditio talis rei non est omnino voluntaria, vt autem transferretur dominium in mutuantem per talem traditionem, deberet esse omnino voluntaria; cùm nullus alius titulus præcedat ex parte mutuantis, ratione cuius possit ad illum

Digitized by Google

illum pertinere, nisi titulo donationis gratuitæ vel gratitudinis; ibi autem mutuatarius tradit vsuram inuoluntariè & coactè, quia videlicet mutuans non vult alia ratione mutuare nisi sub vsuris; nec est titulus liberalis donationis, neque gratitudinis; ac proinde ex vi talis traditionis, non transfertur dominium in mutuantem: ex quo sequitur in vtroque foro teneri ad restitutionem.

92. Obiicies, qui vendit aliquam rem necessitate compulsus alioquin non venditurus, inuoluntariè eodem modo illam tradit emptori, & nihilominus verè transfert dominium in illum per talem traditionem: ergo eadem ratione mutuatarius per traditionem vsurarum, transfert dominium in mutuantem, quamuis traditio non sit omnino voluntaria; non enim traderet vsuras, nisi quia mutuatarius non vult mutuare sine illis. Respondetur negando consequentiam. Et ratio disparitatis est, quia in prædicto casu est titulus ex parte emptoris, nempe solutio iusti pretij, ratione cuius potest acquirere dominium rei venditæ etiam aliquo modo inuoluntariè; traditio namque etiam inuoluntaria aliquo modo, sufficit ad transferendum dominium, quando ex parte illius cui fit traditio est aliquis titulus iustus: at ex parte mutuantis vt acquireret dominium, traditio deberet esse omnino voluntaria, cùm non sit alius titulus.

93. Vt autem exactè intelligatur, qua ratione vsurarius mentalis teneatur ad restitutionem, oportet obseruare quatuor modis posse aliquid recipi, vel dari vltra sortem nullo pacto præcedente. *Primò* si mutuatarius ex gratitudine, vel liberalitate det, & mutuans tanquam hoc modo datum accipiat. Hac ratione datum & acceptum licitè retinetur, & sine obligatione restitutionis. *Secundò* si det mutuatarius inuoluntariè, quia timet sibi denegaturum, nisi aliquid daret vltra sortem, & quod hac ratione recipit mutuans, tenetur restituere, quia talis traditio cùm sit inuoluntaria, & aliàs ex parte mutuantis non sit aliquis titulus, non est sufficiens ad transferendum dominium in mutuantem, & in hoc casu intelligendus est textus in cap. *Consuluit*. *Tertiò* si mutuatarius dat aliquid vltra sortem prædicto modo inuoluntariè, mutuans verò non habuit intentionem vsurariam, & recipit quod illi datur vltra sortem, existimans sibi dari gratuitò omnino, vel titulo gratitudinis, & in hoc casu mutuans non tenetur restituere quod accepit vltra sortem, quandiu sibi non constiterit tale lucrum fuisse datum inuoluntariè; ignorantia enim mutuantem securum reddit, dum rationabiliter existimat mutuatarium liberaliter omnino, vel titulo gratitudinis dedisse. Cùm primum verò sciuerit mutuatarium donasse inuoluntariè, & ratione mutui, tenetur restituere; quia talis voluntas cùm fuerit coacta, non fuit sufficiens ad transferendum dominium in mutuantem. *Quartò* si mutuatarius ex gratitudine dat, aut liberaliter, mutuans verò existimat sibi dari ratione mutui & inuoluntariè, & hac ratione accipit; in quo casu quandiu mutuans ignorat & sibi persuadet, mutuatarium liberaliter non donasse, tenetur restituere, quia conscientia erronea quandiu durat & non deponitur, obligat ad restitutionem, quidquid sit de rei veritate.

94. Obiicies secundò, quia simoniacus mentalis non tenetur ad restitutionem rei temporalis quam accepit pro spirituali, nisi præcedat aliquod pactum explicitum vel implicitum necessarium ad simoniam realem, vt probat textus in cap. *Mandato*, de simonia: ergo neque vsurarius mentalis tenetur ad restitutionem illius quod vsurariè accepit. Respondetur, Sotum lib. 9. de iustitia quæst. 8. art. 1. & alios complures, eodem modo philosophari de simoniaco mentali quantum ad obligationem restitutionis, atque de vsurario mentali. Sed quidquid de hoc sit, respondetur negando consequentiam; est enim diuersa ratio de vsurario mentali, atque de simoniaco: vsurarius enim mentalis ex eo tenetur restituere, quia accipit rem inuoluntariè sine aliquo titulo, traditio autem inuoluntaria sine alio titulo, non est sufficiens ad transferendum dominium. At qui accipit pretium pro re spirituali ab eo, qui vult eam emere solo affectu, non accipit inuoluntariè; quia accepit ab illo qui volebat emere; emere autem & vendere sunt contractus omnino voluntarij; quare licèt tam vendens, quàm emens peccent contra Religionem, quia vendunt & emunt rem non vendibilem, non tamen peccant contra iustitiam; ac proinde licitè potest retinere & sine iniustitia simoniacus mentalis, quod accepit & in foro exteriori & interiori, cùm enim hoc sit peccatum mentale non subiacet legibus, quibus prohibetur simonia sub restitutione.

95. Inquires, an vsurarius teneatur restituere rem solùm per vsuram acquisitam, an etiam id quod per illam acquisiuit. Et conueniunt Doctores, teneri restituere rem acquisitam per vsuram, vel aliam eiusdem valoris. Difficultas ergo solùm est de rebus quas acquirit per rem vsurariam. Ad quod respondetur sub distinctione cum D. Thom. quæst. 78. Aut enim quod acquiritur per rem vsurariam, est proprius fructus ipsius, vel non. Si enim est proprius ipsius fructus, non solùm tenetur restituere rem vsurariam, sed fructus ipsius. Si verò non sit proprius fructus rei per vsuram acceptæ, sed industriæ vsurarij, non tenetur tales fructus restituere, sed solùm rem per vsuram acceptam. Exemplum primi: si quis domum, vel agrum per vsuram acquisiuit, ex quibus aliquos fructus percepit, non solùm tenetur domum & agrum restituere, sed etiam fructus, deductis tamen expensis, & illo quod correspondet particulari industriæ vsurarij. Imò si sua negligentia huiusmodi res non fructificauerunt, tenetur etiam restituere fructus quos posset percipere, & sua negligentia non percepit. Exemplum secundi sit, si quis lucratus est aliquid pecunia vsurariè, non tenetur illud restituere, sed solùm pecuniam; quia non est fructus pecuniæ, sed industriæ vsurarij. Dices etiam fructus agri & domus esse fructus industriæ humanæ, nisi enim vsurarius sua industria agrum coleret, vel domum locaret, nullos perciperet fructus ex illis: ergo ob eamdem rationem non tenetur illos restituere. Hoc tamen falsum est, non enim sunt fructus humanæ industriæ eodem modo, sicut est lucrum quod acquirit vsurarius mediante pecunia vsuraria. In agro enim est vis fructificandi ex se, quamuis sit conditio necessaria vt fructificet, vt colatur: quapropter fructus dicuntur ipsius effectus, & non colentis, qui se habet solùm vt conditio sine qua non. At in pecunia non est vis fructificandi ex se, neque lucrum est proprius effectus ipsius, sed industriæ negotiantis, & ipsa pecunia se habet solùm vt instrumentum ad negotiationem, qua mediante industria negotiatoris vt causa principalis, acquirit lucrum.

96. Ex quo infertur, thesaurarium alicuius Principis, vel Procuratorem, seu famulum alicuius domini,

mini,inſcio ipſo,poſſe cum domini pecuniis, quas ad expendendas,vel conſeruandas habet, negotiari,& lucrum in ſuam vtilitatem vertere;huiuſmodi enim lucrum eſt fructus induſtriæ, concurrente pecunia tanquam inſtrumento, quod ex ſe infœcundum eſt. Idem eſt de vendente tritticum alienum eo tempore quo carius valet; hic enim ſatisfacit emendo, & reſtituendo tantumdem æqualis bonitatis eo tempore quo minus valet,ſi dominus illius vſque ad illud tempus erat illud ſeruaturus, quia ſeruat dominum indemnem, etiamſi retineat ſibi lucrum,quod fuit partum ſua induſtria.

97. Adde vſurarium non ſolùm teneri reſtituere vſuras, ſed etiam damnum emergens, & lucrum ceſſans,quæ patitur mutuatarius eo quòd illas ſoluit;quia vſurarius eſt cauſa talis damni & ceſſationis lucri, retinendo pecuniam ſiue vſuram inuito domino: ſicut ſuprà dicebamus de damno, quod prouenit mutuanti poſtquam mutuatarius eſt in mora ſoluendi. An verò non ſolùm vſurarius, ſed etiam tabelliones conficientes inſtrumenta, quorum virtute vſurarius poteſt compellere mutuatarium vt ſoluat vſuras, teneantur ad reſtitutionem. Diſtinguendum eſt, vel enim tabelliones conficiunt inſtrumenta apertè vſuraria, ea ratione vt ex illis manifeſtè conſtet contractum eſſe vſurarium, vt ſi dicant in inſtrumento, Petrum, v. g. Ioanni mutuaſſe centum ea ratione & conditione, vt reddat centum & viginti: vel ea conficiunt ſimulando vſuras, vt ſi dicant in inſtrumento, Petrum mutuaſſe Ioanni centum & viginti, cùm re ipſa non mutuauerit niſi centum, vt mutuans poſtea accipiat viginti vſuratiè. Si conficiantur primo modo inſtrumenta,non tenentur ad reſtitutionem, licèt peccet mortaliter, quia tales contractus ſunt ipſo iure nulli & inualidi, ac proinde nullam vim neque ius tribuunt vſurario in foro exteriori ad repetendum vſuras. Si verò conficiantur poſteriori modo, non ſolùm peccant conficiendo talia inſtrumenta, ſed obligantur ad reſtitutionem vſurarum, quia ſunt cauſa damni; eo quòd medio tali inſtrumento poteſt compelli mutuatarius ad ſoluendas vſuras: quod intelligendum eſt ſi re ipſa recipiantur vſuræ virtute talis inſtrumenti.

98. Denique inquires,quibus pœnis ſubiaceant vſurarij. Reſpondetur, vſurarium manifeſtum & notorium,multis pœnis ſubiacere iure Canonico taxatis. Dicuntur autem manifeſtè vſurarij facto, vel iure: facto quidem qui palàm, ita vt nulla tergiuerſatione negari poſſit, ad vſuram dant: iure verò qui crimen coram iudice ſunt confeſſi, vel per illius ſententiam de hoc crimine ſunt condemnati, vel per idoneos teſtes in iudicio conuicti. Has verò pœnas Siluester in ſumma verbo *vſurarius*, ad vndecim reducit; principaliores verò ſunt. *Prima* quòd ſint infames. *Secunda* vt non admittantur ad ſactam communionem Altaris, hoc eſt, ad perceptionem Euchariſtiæ. *Tertia* nec ad oblationes offerendas, & qui oblationes eorum acceperit ipſo facto eſt ſuſpenſus ab officio ad arbitrium Epiſcopi,& compellitur reddere. *Quarta* nec ad confeſſionem peccatorum donec re ipſa ſatisfecerit, vel idoneam cautionem dederit. *Quinta* nec ad ſepulturam Eccleſiaſticam, & qui eum ſcienter ſepelire præſumpſerit, ipſo facto eſt excommunicatus ad arbitrium Epiſcopi. *Sexta* teſtamenta ipſorum ſunt irrita, niſi ante mortem ſoluerint, vel legitimam cautionem dederint. Aliæ pœnæ videri poſſunt apud Siluestrum loco citato.

Lud. à Ceſarauguſta Tom. poſter.

SECTIO XIII.

An liceat pecuniam mutuo petere ſub vſurâ à parato illas exercere.

PRima concluſio. Non licet petere ab vſurario expoſito mutuo pecunias formaliter & expreſsè ſub vſuris ſine peccato,dicẽdo,v.g. Da mihi mutuum ſub vſuris. Hæc cõcluſio eſt ſatis communis, & videtur eſſe D. Thomæ quæſt. 78. art. 4. Nauarrus cap. 17. n. 262. Couarru. 1. p. §. 1. & eſt ſatis communis. Et probatur primò,quia qui petit mutuum ſub vſuris etiam à parato illas exercere,inducit ad peccatum;quia inducit ad faciendum id quod eſt peccatum: ergo non poteſt licitè peti mutuum ſub vſuris etiam à parato illas exercere. Deinde,quia nemo poteſt ab alio licitè petere,quod ipſe nõ poteſt niſi malè facere;quia eſt petere peccatum: ſed nemo poteſt licitè mutuare ſub vſuris: ergo. Neque obſtat quòd ſit paratus illas exercere,cùm enim dare mutuũ ſub vſuris ſit intrinſecè malũ,non poteſt ad illud induci etiã paratus ſine culpa: quemadmodum nõ licet paratũ ad peccandũ,ad illud inducere,quia quantum eſt ex parte inducentis,iã vult peccatum. 99.

Secunda concluſio. Valde probabile eſt indigentem pecunia ob aliquam neceſſitatem, licitè poſſe exigere pecuniam ſub vſura ab illo, qui intelligit aliter non eſſe daturum mutuo,niſi ipſe illi vſuram offerat; quare poterit dicere,Da mihi mutuo centum,& reſtituam tibi centum & decem: vel,Da mihi mutuo centum,& vide quantum vis tibi inſuper reſtituam. Ita Molin. diſp. 335. Sanchez lib. 3. Decalogi cap. 8. n. 27. Et ratio huius eſt, quia obiectum huius petitionis non eſt actio vſurarij dantis mutuum; hæc enim actio ita eſt intrinſecè mala, vt in nullo euentu honeſtari poſſit, ſed eſt mutuum ipſum quod petitur; quòd autem petatur ſub vſuris, eſt permiſſiuè. nam verba petitionis in eo caſu diuerſum ſenſum habent,ab eo quem ſonant. nam ſenſus illorum verborum eſt,Da mihi mutuum,ſed quia certus ſum te illud mihi non daturum niſi ſub vſuris, id tibi permitto vt meæ neceſſitati conſulam; quod obiectum ſub hac forma & conditione non eſt intrinſecè malum, ſed licitè peti & deſiderari poteſt; quia hoc non eſt deſiderare alterius peccatum,quod ex charitate teneatur impedire. 100.

Tertia concluſio. Licet petere mutuum ab illo quem ſcio ſine vſuris non eſſe mutuaturum, dummodo petam abſolutè mutuum, præſertim ſi tale mutuum eſt vtile petenti. In hac concluſione omnes conueniunt. Et probatur ex quodam principio vero,& in caſibus moralibus maximè obſeruando, videlicet quòd quando petо ab aliquo, quòd ipſe poteſt bene,vel malè facere,& ſua culpa malè facit, licitè peto, & ſua culpa imputatur illi peccatum, non verò petenti: ſed quando ego peto mutuum etiam à parato dare vſuras,peto rem quam ipſe poteſt bene,vel malè facere,& ſua culpa atque malitia malè facit: ergo peccatum non imputatur petenti, ſed vſurario. Et confirmatur,quia vſurarius poteſt licitè illum actum facere, & mutuum dare gratis, & ſine vſuris ſi voluerit; quare res quæ petitur poteſt licitè & illicitè ab eo fieri, & ex malitia illius prouenit vt illicitè fiat: vnde petens mutuum ab vſurario,offert illi materiam,quam ille poteſt licitè & illicitè præſtare;ſi autem non vult niſi illicitè & ſub vſuris, id ſibi imputet. nam qui petit, ſolum permittit illius opus, & non cooperatur ad illius peccatum. 101.

Tertia concluſio. Mutuatarius licitè poteſt accipere mutuum quod petit abſolutè, mutuans verò 102.

noluit dare nisi sub vsuris. Ratio huius est, quia in hoc casu mutuatarius passiuè solùm se habet, & non actiuè; non enim suadet quod malum est, sed quod licet: ut autem mutuans non vult dare nisi sub vsuris licitè potest mutuatarius illas permittere, & dare mutuanti nolenti alio modo mutuare, quamuis mutuans exigendo & recipiendo peccet. Sicut qui dat numos latroni illos exigenti, & aliter malum aliquod minanti, non peccat; neque dando, neque permittendo, propter vitandum tale damnum.

103. Obiicies, quia qui soluit vsuras promissas, præbet materiam mutuanti, quam ipse non potest licite recipere, sed illicitè: ergo peccat, quia præbet materiam peccati. Respondetur negando consequentiam, quia mutuatarius adhuc quando soluit vsuras, non præbet materiam necessariam peccati, neque suadet peccatum: non enim obligat vsurarium vt accipiat, sed stando promissis dat vsuras, quas adhuc oblatas ex promissione potest mutuans recipere, vel non recipere: vnde si recipit, sua culpa recipit, cùm possit non recipere. Quare mutuatarius etiam soluendo vsuras, neque consentit peccato, neque præbet materiam necessariam peccati.

104. Illud tamen est obseruandum, aliquam debere esse necessitatem ex parte mutuatarij, vt possit ratione illius mutuum accipere sub vsuris, ab illo qui non vult alio modo dare; quæ necessitas erit quæcumque, licèt non sit multum grauis, lege Sancium lib. 3. Decalogi c. 8. vbi inter causas iustas assignat in vito nobili torneamentum, ludos, aut festum aliquod, & spectacula honesta quando alij eiusdem qualitatis, & status, ad ea exhibenda concurrerent; omnia enim hæc ad status decentiam pertinent. An verò accipere vsuras sine necessitate sit peccatum, Caiet. in summa verb. vsura cap. vlt. Nauarr. cap. 17. Sotus lib. 6. de iustitia quæst. 1. art. 5. censent solùm esse veniale, nisi excessus vsurarum sit tantus vt sit peccatũ prodigalitatis, & notabile detrimentum rei familiaris ac filiorum: in hoc enim casu esset peccatũ mortale ex hoc capite accipere vsuras.

105. Rursus inquires, an iuramentum præstitum vsurario de soluendis vsuris, iurantem obliget. Respõdeo obligare absque dubio, vt tenent communiter Doctores, & habetur expressè in cap. de iureiurando, ibi, *debitores ad soluendas vsuras in quibus se obligarunt cogi non debent: si verò de ipsarum solutione iurauerint, sunt omnino cogendi reddere iuramentum.* Cuius ratio est, quia ex tali iuramento consurgit obligatio erga Deum in testem adductum & fideiussorem, ex qua parte manet iurans obligatus Deum facere fideiussorem fidelem implendo promissionem Dei nominis testimonio confirmatam, quoties promissio potest adimpleri absque peccato, qualis est promissio solutionis vsurarum. nam quamuis vsurarius peccet exigendo & recipiendo vsuras, iurans verò non peccat illas soluendo, imò exercet actum virtutis, suppositâ promissione, est enim actus Religionis erga Deum, & fidelitatis erga homines. Vbi obserua obligationi huius iuramenti satisfieri momentanea solutione, & statim post solutionem absque relaxatione iuramenti posse solutum repeti in iudicio, quia iuramentum fuit dumtaxat de soluendis illis vsuris, atque ita illis solutis iam est iuramento satisfactum, quæ solutio repetitionem non excluſit. Si verò iuramentum daretur de non repetendis vsuris non posset licitè repetere nisi impetrata priùs relaxatione illius, quia id iuramentum potest licitè seruari, ac proinde obligat. Si denique vsurarius petat iuramentum de non petendo relaxationem iuramenti quo quis se illi obligauit ad soluendas vsuras & non repetendas in iudicio, tale iuramentum si fiat irritum erit & non obligatorium, cùm factum sit in præiudicium tertij, nimirum iurisdictionis superioris, qua ratione votum de non petenda dispensatione non est validum, quia est in præiudicium Prælati, aufert enim illi suam iurisdictionem, & sic publicam iustitiam offendit.

DISPVTATIO IV.

De emptione, & venditione.

SECTIO I.

Quid sit emptio, & venditio.

CONTRACTVS emptionis & venditionis simul cum pecunia cœpit. nam, vt docet Iurisconsultus l. 1. ff. de contractibus, & habetur Instit. de emptione & venditione, à principio inter homines solùm fuit vsus permutationis, qua vinum pro tritico, vel oleo, bouem pro equo, & sic de cæteris, commutabãt. Cæterùm, quia sæpe multi non indigebant rebus quibus alij abundabant, vt ad huius vitæ sustẽtationem ac societatem humanam, faciliùs commutationes fierent, introducta fuit pecunia, quæ auctoritate publica certum valorem haberet, atque adeò esset pretium, & veluti mensura cæterarum rerum: vnde resultauit contractus emptionis & venditionis ex duabus partibus coalescens, quarum vna est pactio mercis pro pretio, & dicitur venditio. Altera verò pactio pretij pro merce, & dicitur emptio. Diffinitur autem venditio à Soto 6. de iustitia quæst. 2. art. 1. Distractio rei pro pretio, id est, contractus, quo res pro pretio alienatur. Emptio verò rei pro pretio contractio. hoc est, contractus quo comparatur dominium pro pretio, quam diffinitionem colligit Sotus ex l. *Cùm mancipatum*, §. vltimo ff. de contractu emptionis. Vbi habetur: nemo potest videri eam rem vendidisse, de cuius dominio id agitur ne ad emptorem transeat, sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus. Diffinitionem verò Soti meritò improbant Molina & alij Recentiores, constat enim ex variis legibus, in quibus habetur, emptionem & venditionem consensu perfici, verbis vel signis expresso, quamuis pretium nondum sit numeratum, nec res tradita, nec dominium translatum. nam quamuis res vendentis non sit, venditio validè fit, & tamen dominium non transfertur etiam accedente traditione, licèt vendens teneatur de euictione: quare ratione venditionis solum est, vt quantum est ex se sit dominij, aut quasi dominij translatiua pro pretio accedente traditione, esto aliunde id impediatur. 1.

Aptius ergo definitur venditio: *Pactio mercis pro pretio.* Emptio verò, *pactio pretij pro merce.* Itaque tria requiruntur ad substantiam huius contractus, pactio, seu mutuus consensus, merx, & pretium. Pactio ponitur loco generis; cæteræ verò particulæ loco differentiæ. Dicitur enim pactio, quia ex emptione & venditione resultat vnum integrum pactum, seu integer contractus, consensum duorum complectẽs, ita vt alterum sine altero intelligi nõ possit. Hæc enim duo, emptio scilicet, & venditio, mutuo se respiciunt sicut relata; quare hic contractus consistit in nuda pactione, seu conuentione partiũ, nec ad eius substãtiam est necessaria traditio rei, aut pretij; quia, vt diximus, solo consensu perficitur, atque ita inter absentes etiam, sine 2.

per

Digitized by Google

per nuntium, siue per literas celebrari potest: nec requiritur Scriptura, nisi partes ante, vel in contractu id ita velint ad maiorem securitatem, & tunc censentur suspendere consensum donec conuentio scripto sit consignata & redacta. Vt autem per hunc contractum dominium transferatur, requiritur traditio rei; ac proinde non secuta vtrimque traditione, adhuc censetur incompletus. nam quamuis secundùm substantiam completus sit, nihilominus non habet vltimum suum complementum ad quod contrahentes peruenire intendunt; atque ita quando emptioni, aut venditioni pœna aliqua apponitur, intelligenda est de actibus vtrimque completis per traditionem rei, nisi aliud exprimatur.

3. Quando verò emptio ita perfecta est, vt non requiratur scriptura ex iure aut voluntate contrahentium, an tunc licitum illis sit discedere à contractu, non conueniunt Doctores, vt videre est apud Molinam disp. 338. lege verò Castellæ licitum est sub conditione, vt si emptor discedat, amittat arrham: si verò venditor, duplum soluat. Dicitur verò *arrha* id quod dari solet in signum contractus celebrati, & quasi pignus quod stabitur contractui: imò quamuis venditio scriptura perficienda sit, si arrhæ nomine aliquid datum fuerit, & venditor velit à venditione recedere, Institut. de emptione & venditione, dicitur, posse recedere sine pœna, & additur: ita tamen eis recedere impunè concedimus, nisi arrharum nomine aliquid datum fuerit, & si emptor recedat, perdit quod dedit: si verò venditor, duplum restituere compellitur. Vnde etiam fit, quando tributum aliquod soluendum est ex contractu emptionis & venditionis, statim post conuentionem partium incipere deberi gabellario, aut domino directo, qui eo tempore existebat, etiamsi res non sit tradita, aut pretium non sit solutum, modò consensus sit absolutus: si verò venditio est conditionalis, tributum hoc non debetur ante impletam conditionem, eo quòd contractus adhuc pendeat, & deficiente conditione possit reddi nullus. Præterea, quia quamuis pendente conditione neutri contrahentium licitum sit altero inuito ab eo contractu discedere, nihilominus mutuo consensu possunt illum dissoluere. Imò, etiamsi traditio rei venditæ facta esset pendente adhuc conditione, ac proinde translatum dominium in emptorem, nihilominus si contractus mutuo consensu dissoluatur, tributum illud ex eo contractu non debetur, quia venditio adhuc non fuit pura & perfecta. Quia tamen natura conditionalis contractus ea est, vt conditione impleta retrotrahatur illius vis ad tempus quo fuit celebratus, ac si tunc temporis consensus fuerit absolutus, ideo tributum debitum ratione illius venditionis, debet solui priori gabellario, qui erat tempore contractus, non verò successori, qui est dum impletur conditio, si ante conditionis adimpletionem mutati sunt gabellarij.

4. Deinde dicitur mercis. Vocatur verò *merx*, quælibet res vendibilis, siue mobilis, siue immobilis, & in vniuersum quæ pecunia æstimari & comparari solet. Denique dicitur pro pretio, hoc est, pro nummo, seu pecunia, quæ, vt suprà dicebamus, mensura & pretium est rerum omnium, quæ in contractus humanos veniunt, & quæ quidem merx esse non potest, aut instar mercis vendi, nisi ratione materiæ, vel circunstantiæ quæ ipsius rationi sit extrinseca, vt rectè obseruat Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 1. Nimirum, quia vetus, quia pulchra, quia commoda ad transferendum, quia absens, quia difficilis recuperatu, &c. Si autem emptor & venditor non conueniant in pretio, sed venditor dicat fuisse maius, emptor verò minus, tunc venditio est nulla, nisi aliunde de pretio inter vtrumque constituto, constet. Si verò venditor assereret pretium fuisse minus, & emptor maius, valida esset venditio, & standum minori pretio. Præterea etiam venditio est nulla, si error fuit in substantia rei venditæ, quamuis circa rem conueniant, vt si venditum fuit aurichalcum pro auro, stannum pro argẽto, vel acetum pro vino, quod intelligendum est quando à principio, tempore scilicet celebrationis contractus, fuit acetum: secus verò si post celebratum contractum vinum acuit, & in acetum conuertitur.

Cùm verò ad contractum emptionis & venditionis, exigatur res aliqua & pretium, inquiri potest, an sufficiat contrahere pro pretio iusto, vel necessarium sit speciatim assignare hoc vel illud pretium determinatè. Cui difficultati respondendum est sub distinctione, vel aut pretium est lege taxatum, vel non: si enim venditio esset rei cuius pretium lege taxatum sit, contractus venditionis perficitur, hoc ipso quòd contrahentes dicerint se contrahere sub iusto pretio, quia in hoc casu iustum pretium iam lege determinatum est: quamobrem contrahere sub iusto pretio, idem erit ac celebrare contractum sub determinato pretio. Si verò lege taxatum non sit, necessaria erit designatio certi pretij. Cuius ratio est, quia venditio non censetur perfecta ex hoc tantùm quòd vendens dicat se velle vendere iusto pretio, etiamsi emens simul affirmet se velle emere iusto pretio, quando pretium, vt dixi, lege determinatum non est. nam, vt sectione sequenti dicemus, pretium ex communi æstimatione pendens, habet latitudinem infimi, medij, & supremi, & in hoc euentu fieri posset vt vendens nollet vendere nisi pretio supremo, & quòd emens nollet emere nisi pretio infimo: ergo non censetur adhuc perfecta venditio: atque adeò in hoc casu requiritur, vt pretium determinatè assignetur à contrahentibus hoc, vel illud. nam ex illo modo contrahendi neuter possit obligari. Vnde fit, vt si contractus in hunc modum celebretur, Vendo tibi hanc rem, aut emo eam à te pretio iusto: vel, Vendo tibi hanc rem quanto pretio volueris, aut fueris arbitratus eam valere: vel, Emo à te hanc rem quanto pretio volueris, aut arbitratus fueris, inualidum esse talem contractum. l. *Quod sæpe. §. illud.* ff. de contrahenda emptione. l. *in vendentis.* C. de contrahenda emptione. Si autem determinetur certa persona, atque dicatur, quantum talis fuerit arbitratus, validus est contractus: contrahentes verò sub tali forma obligantur ad spectandum an tertius ille velit assignare pretium. nam contractus sub conditione initus, inducit obligationem spectandi euentum; in hoc verò contractu licèt videatur assignatum pretium saltem cõfusè, non tamen ita assignatum est, vt absolutè possit dici perfecta venditio, nisi sub conditione; quia fieri potest vt tertia illa persona aut non possit, aut nolit assignare pretium.

5.

SECTIO II.

Quodnam sit iustum pretium rerum venalium.

6. COnueniunt primò Doctores, pretium rei non esse desumendum à valore, nobilitate, & perfectione specifica eiusdem rei, sed in ordine ad humanos vsus; quia sæpe res in sua natura viliores, in ordine ad humanos vsus meliores sunt, & magis æstimantur: vnde Augustinus 11. de ciuitate cap. 16. ait. *Quis domui suæ panem habere quàm mures, mumos*

quàm pulices non malit; cùm tamen ordine naturæ viuentia non viuentibus præponantur. Vnde etiam fit, vt nonnulli carius equum, quàm seruum, gemmam, quàm ancillam, emant, vtilitatis, vel voluptatis, non naturæ ordinem in æstimatione sequentes.

7. Conueniunt secundò, duplex esse pretium rerum, vt etiam docuit Aristot. 5. Ethicorum cap. 7. Aliud naturale, aliud legitimum. Pretium naturale dicitur quòd lege taxatum non est, sed ex communi æstimatione pendet, vt sit iustum. Pretium verò legitimum quod lege, aut præcepto superioris constitutum est, attenta materia & circunstantiis, quæ possunt conducere ad assignandum maius, vel minus pretium. Differunt autem hæc duo pretia, quia pretium naturale cùm pendeat ex multorum iudicio & æstimatione, & non ex lege ac decreto superioris, non consistit in indiuisibili, sed habet certam quamdam latitudinem adhuc intra naturam & considerationem iusti pretij, ac proinde diuiditur à Doctoribus in supremum, seu rigorosum, medium, seu moderatum, & infimum, seu pium, v.g. si pretium medium alicuius rei sit decem, supremum, seu rigorosum, erit vndecim cum dimidio, & infimum octo cum dimidio. Similiter si medium sit centum, supremum erit centum & quinque, infimum verò nonaginta quinque, & interdum plus, aut minus, iuxta qualitatem rerum quæ venduntur & communem æstimationem, vt air Couarr. 2. variarum, cap. 3. ex quo fit, vt sine violatione iustitiæ commutatiuæ possit quis vno & eodem tempore vendere cariùs eamdem rem vni, quàm alteri, & quod sine vsuræ vitio possit vendere carius credito, quàm pecunia numerata, v.g. si vni vendat pretio rigoroso, alteri verò medio, aut infimo. Nec obstat iustitiam in æqualitate consistere. nam ex Aristotele, quod iustum est æquale est; ac proinde hæc tria pretia inter se inæqualia, cum vno alio æqualitatem habere non posse. Hoc, inquam, non obstat, quia æqualitas inter rem & pretium non debet esse mathematica, cùm hæc haberi non possit, sed moralis; iustitia enim virtus est humana & moralis, ac proinde latitudinem habere potest. At pretium legitimum consistit in indiuisibili, quia hoc pretium constituitur per Principem, vel Magistratum, qui consideratis circunstantiis, ex quibus æstimatio rerum pendet, constituunt quanti res vendi debeat, ne emptores decipiantur, vel cogantur soluere pro cupiditate venditorum: quod autem potestas publica decernit ex officio in negotiatione ad tollendas fraudes & pauperum expilationes, omnino seruandum est. *Secundò* differunt, quia quando pretium lege taxatum est, non licet amplius accipere, sed restituendum esse si quid suprà exigatur: at quando pretium est naturale, licitum est rem triplici illo pretio vendere, prout occasio tulerit.

8. Solet autem aliquando taxati pretium versùs maximum, vt pluris res vendi non possint in gratiam emptorum, bene tamen minoris: vt quando taxatur modius tritici decem, non potest vendi vndecim, bene verò nouem. Aliquando versùs minimum, & hoc in gratiam venditoris id est, quòd non possit vendi minoris, bene verò plutis: vt contingit in venditione census, qui vendi non possunt minoris quàm sit à lege taxatum, bene verò pluris. Est tamen difficultas, an si res habeat secundùm communem hominum æstimationem minus pretium quàm sit à lege taxatum, possit licitè vendens secundùm pretium à lege taxatum vendere, si excedat latitudinem pretij iusti naturalis. Respondeo non posse in eo euentu reportari à venditore pretium à lege assignatum, quando res secundùm communem æstimationem minus habet pretium, vt rectè obseruat Medina in summa cap. 14. §. 25. quia Magistratus illa lege non vult illud debere esse pretium in quocumque casu, sed non posse esse maius, & hoc in fauorem emptoris, non verò decernit non posse esse minus: quare quando pretium minus censetur iustum ex circunstantiis occurrentibus secundùm communem æstimationem, licitum non est vendere pretio taxato per legem. Nec inde sequitur iniustam esse legem, cùm assignet iniustum pretium; quia lex in hoc casu non assignat pretium simpliciter, sed tantùm decernit ne sit maius aliquod pretium illius rei; circa minus verò relinquitur iudicium communi æstimationi. Econtra verò quando res secundùm communem æstimationem digna est maiori pretio, quàm sit à lege taxatum, non potest licitè reportari. nam propter bonum publicum potest Princeps determinare pretium in gratiam emptorum, ne maius aliquod sit; contra quam legem vim non habet communis æstimatio, nisi apertè constaret iniustitia legis, quod non est facilè iudicandum. Et idem est de pretio taxato versùs paruitatem, quamuis secundùm communem æstimationem minus aliquod pretium iudicetur iustum, ob eamdem rationem, quia ob bonum commune potest lex statuere pretium versùs paruitatem in fauorem vendentis, sicut potuit in fauorem emptoris versùs magnitudinem.

9. Alia difficultas est, quodnam sit iustum pretium alicuius rei in principio venditionis, quando nec lege, nec communi æstimatione taxatum siue assignatum est. Respondeo hoc ex circunstantiis iudicio peritorum assignandum esse, attenta necessitate & vtilitate rei, penuria aut copia illius, emptorum & venditorum frequentia. Ex quo infertur, quomodo quædam gemmæ, insignes canes, falcones, aues Indicæ, picturæ veteres, & similia vendi possint. Quidam enim existimant licitè posse vendi quanti inter contrahentes conuenerint. Ita Nauarra de Restit. lib. 3. cap. 2. n. 11. & plures alij. Verius tamen videtur, res tales non posse vendi pro arbitrio venditoris, sed iuxta æstimationem intelligentium, vel certè iuxta æstimationem ipsius venditoris, consideratis expensis, labore, & industria, iuxta quæ debet pretium definiri, & non ex sola conuentione contrahentium, sed iudicio probi & periti mercatoris. Ita Nauarrus c. 23. n. 78. quem sequitur Lessius dub. 3. & Molina disput. 348. Ratio est, quia valor omnium rerum venalium sumitur in ordine ad vtilitatem ad humanos vsus, quæ vtilitas limitata est: ergo non est licitum tanti vendere, quanti vendi potest, & confirmatur, quia non ideò res tanti valet, quia venditori placet eam tanti vendere, sed quia prudentum iudicio omnibus consideratis tanti æstimatur: ergo nó potest eam vendere quanti lubet: quare certior regula haberi non potest in eiusmodi rebus, quàm iudicium intelligentis. Ex quo facilè intelligitur sensus illius proloquij, *In rebus suis vnusquisque est moderator & arbiter*, & alterius desumpti ex l. 1. ff. ad Trebellian. & l. *si seruum*. ff de condictione furtiua: *Tantum valet res, quanto vendi potest*. Nam, vt rectè expl cat Molina disput. 350. sic debet intelligi, vt res tantum valeat, quantum sine vi aut fraude, id est, licitè & intra limites iusti pretij, iure vendi possit.

10. Tertiò denique potest esse difficultas, an qui accepit rem alterius ad vendendam illam, & vendidit pretio summo, possit domino reddere tantùm pretium medium. In qua dicendum est, totum pretium tradendum esse domino, vt rectè Turrian. disp. 56. Nisi in peculiari casu adsint certa signa, ex quibus prudenter

prudenter possit colligi domini donatio quoad excessum pretij supra medium.

Sectio III.

An tempore magnæ sterilitatis & inopiæ seruanda sit lex, seu pragmatica frumenti, vel licitum sit vendere illud secundùm communem æstimationem.

11. EX doctrina tradita sectione præcedenti, non videtur difficilis resolutio huius quæsiti, adhuc tamen magis speciatim examinandum est. Et prima sententia absolutè docet, legem & taxam frumenti omnino esse seruandam sub pœna peccati mortalis, & obligationis restituendi, etiam tempore sterilitatis. Ita Salon. tom. 2. de iust. quæst. 77. art. 1. contro. 9. & plures alij recentiores. Et probatur primò, quia in Principe residet potestas condendi legem, quæ cogat vt res vendatur minori pretio, quàm valeat secundùm æstimationem communem, & ex natura rei: ergo lex decerneus pretium frumento etiam in annis sterilibus, & in quocumque rerum euentu est iusta. Antecedens probatur, quia potest Princeps materiam in qua est moneta constituta deteriorem reddere, & in eam deteriorem materiam maiorem valorem inducere, qua voluntate supposita, constituitur inter monetam & mercem æqualitas, ita vt qui eam non seruet, peccet contra iustitiam commutatiuam: ergo similiter potuit Princeps iustè iubere vt pro tanta quantitate argenti detur tanta quantitas frumenti, quia ita expedit bono communi. Et confirmatur, quia bonum cõmune præferendũ est bono singulariũ: ergo cùm bonũ cõmune Reipublicæ id efflagitet, licitè cõstitui potest talis lex, non impediente quòd vergat in aliquorum detrimentũ; lex enim non respicit peculiares casus, sed ea quæ vtplurimum & frequenter euenire solent, & iuxta hæc lex constituitur cui omnes parere tenentur, licèt carius aliquis emerit, aut aliquis annus sterilitatis emerserit.

12. Secunda sententia est huic opposita, quam defendit Molina disp. 364. Nauarr. cap. 12. num. 88. Rebellus p. 2. de obligat. iustitiæ lib. 9. quæst. 2. sect. 3. videlicet si frumentum antea lege erat taxatum pretio moderato, superueniente postea magna sterilitate ob pluuiæ defectum, aut aliqua alia ratione, non esse obligationem vendendi triticum pretio tẽpore abundantiæ taxato; & probatur primò, quia lex taxans eo modo pretia rebus tempore sterilitatis est iniusta, nec est in Principe talis potestas, tũc enim pretium lege assignatum est iustum, quando commensuratur valori rei in latitudine pretij secundùm communem æstimationem: aliàs potestas Principis non esset ad ædificandam, sed potiùs ad euertendam Rempublicam, si pro libito posset pretia rebus assignare, & ideo vt iustè decernat, debet considerare circunstantias, penuriam fructuum, vel abundantiam, multitudinem, & paucitatem emptorum, & alia similia, quia potestas Principis non se extendit ad irrationabilia & iniusta. *Secundò*, quia lex ista sterilibus annis non expedit bono communi: nam quamuis videantur grauari pauperes qui non possunt emere frumentum cum tanta commoditate; hoc non obstat, quia si æquitas atque iustitia ex ipsa natura rei spectatis circunstantiis postulat vt pretium crescat, ne domini rerum damna patiantur, non est multum curandum si per accidens pauperes difficultatem patiantur in emendo frumento. Et confirmatur, quia nulla æquitas pati videtur vt reliquæ merces tempore raritatis earum, & iuxta emptorum multitudinem crescant iuxta penuriam illarum; & tamen agricolæ frumentum quod tantæ vtilitatis est in Republica, quodque tanto labore & sumptibus parant, non finantur vendere eo pretio quod ex ipsa rei natura penuria illius exigit, & abundantia emptorum, ob quam causam agricultura, experientia ipsa testante, magna ex parte minuitur. Denique quia commune est legibus humanis vt in illis aliquando locum habeat Epiicheia, quæ nihil aliud est quàm emendatio legis: ergo cùm hæc lex de taxa frumenti sit ciuilis, & humana, etiam in aliquo peculiari casu admittet emendationem, nec vllus alius sese offerre potest, quàm is in quo sterilitas premit, & alimenta desunt. Et confirmatur, quoniam præsumendum est voluntatem Principis non esse, vt tanta superueniente sterilitate, lex quæ tempore abundantiæ lata erat, vim adhuc retineret, neque si id Princeps vellet, tunc esset lex rationabilis ac iusta; ac proinde in conscientiæ foro non obligaret.

13. Hæ sunt rationes quas pro vtraque sententia adducit Pontius 1. p. variarum quæst. 1. scholast. Quæ etiam ostendunt vtrãque sententiam esse probabilem & tutam, quamuis ipse tutiorem censeat primam, in quam ego etiam inclinor, cum ea limitatione quam adducunt Reginaldus in praxi tom. 2. lib. 25. cap. 16. num. 270. vbi ait: Quantumuis decursu temporis merces pluris æstimentur communiter quàm sit à lege taxatum, non ideo licitum est secundùm illam æstimationem vendere contra hanc taxationem, quamquam mutari debeant leges quando circunstantiæ notabiliter variantur; quòd si Princeps in eo esset notabiliter negligens, lex inciperet esse iniusta, nec in conscientia obligaret. Et Lessius dub. 3. num. 14. vbi affirmat, mutatis circunstantiis si Princeps esset negligens in pretio legitimo mutando, posse res vendi pretio vulgari. Nec ab hoc sensu alieni sunt Doctores primæ sententiæ, vt rectè obseruat idem Pontius ex Salone, Nauarra & aliis, inter quos legatur ipse Nauarra suprà, vbi ita habet: Quamuis; vt Doctores notant, leges mutari debent cùm notabiliter circunstantiæ variantur, adeò vt si Princeps esset negligens notabiliter; iam inciperet lex esse iniusta, & in conscientia non obligaret; neque aliud probant rationes secundæ sententiæ. Ex his

14. Infertur primò, per scientiam ac tolerantiam Principis, interdum tolli, vel suspendi taxæ obligationem, si enim sciat Princeps taxam non seruari ab omnibus, vel à maiori parte populi, cùm alioquin sine incommodo transgressores punire possit, & nihilominus tacet, pro tunc censendus est tacitè dispensare in lege; iuxta regulam iuris in 6. *Qui tacet, consentire videtur.*

15. Secundò infertur, taxam frumenti clericos etiam ac Religiosos adstringere, itaut non possint vendere triticum maiore pretio, etiamsi collectum sit ex diuinis; nam licèt clerici sint exempti à iurisdictione seculari quoad negotia ecclesiastica, & quoad forum & tributa, nihilominus, quia sunt partes Reipublicæ & vasalli Regum, quos proinde ipsi tenentur custodire atque defendere, Regis & ciuilibus legibus non derogantibus dignitati Ecclesiasticæ directè subiecti sunt, & quãuis gratis daremus leges ciuiles non posse directè obligare Clericos, nihilominus taxantes pretia obligarent illos inditectè, quia iure naturali tenentur iustum pretium seruare; huiusmodi autem est quod lege taxatur.

16. Tertiò infertur, non esse licitum tritico mundo & sincero miscere aliqua mala inutilia, vel inferiora, vt glebulas, baleas, hordeum, &c. & vendere pretio legitimo, quando scilicet triticum habet pretium à Republica taxatum, sed peccare mortaliter cum onere restituendi, etiamsi defectus sit notorius emptori; quia lex taxat triticum, quale ex area adduci solet, non quale facit industria fraudolenta: ergo si mixtum est ex industria, minori pretio debet vendi, quàm sit lege taxatum. Non tamen est improbabile si pretium non est taxatum à Republica, & triticum ex illa admixtione non esset minus bonum, quàm id quod ab aliis venditur, eodem pretio vendi posse, quia illa fraude nullum damnum infert emptori; non enim est aliqua ratio cur non possit suum triticum ad eum statum reducere, in quo est triticum aliorum, & tunc illud vendere eodem pretio quo alij; & idem est de alijs rebus, v.g. dum vino valde præstanti miscetur aliud tenue, vel aqua, ea tamen moderatione, vt non sint deteriora quàm quæ ab aliis passim venduntur, vt docet Lessius dub. 11. existimat tamen, & meritò, talem posse puniri tanquam specierum vendendarum adulteratorem, & emptorum deceptorem, nam tales mixtiones sunt in Republica valde odiosæ, & auctores infames. Non tamen licet pro tritico aliquid vltra taxam exigere, quamuis sit notabiliter melius quàm quod communiter vendi consueuit; sicut nec licet emptori in pretio descendere, eo quòd triticum sit deterius quàm communiter vendi consueuit, modò sit sanum & integrum, quia taxa potest & vult propter bonum commune rebus sic inæqualibus idem pretium constituere, & oppositum esset ostium aperire violationi legis: multi enim assererent suum triticum esse notabiliter melius alio quod communiter vendi consueuit. Ob defectum verò in bonitate, vt si triticum putridum sit, aut corrosum vermibus, ita vt notabiliter deterius sit tritico vendi consueto, tenetur venditor in pretio descendere quantum proportione quadam minus valet, quia lex tritico communi est accomodanda, vt rectè Molina disp. 364. Obseruant autem nonnulli Doctores, & rectè, si quis ex industria ponat triticum in loco humido, & turgeat, & plures impleat mensuras, peccare mortaliter & ad restitutionem teneri; quia facilius corrumpitur, & est minus sanum, & minus datur emptori: imò etiamsi id non fieret ex industria venditoris, adhuc teneretur minori pretio vendere, & emptorem monere, ne si fortè seruare illud velit, corrumpatur. Similiter non licet agricolæ, vel alij cui mensura frumenti stat maiori pretio quàm sit lege taxatum, eo pretio illud vendere, quia lex commune bonum attendit, & communiter accidentia: nec semper agricolæ & mercatores lucrari debent, sed interdum etiam perdere.

17. Quartò infertur, licere triticum in farina vel pane cocto carius vendere, quàm in grano taxatum fuit, quantum valent valo res industriæ, sumptus, molitionis, decoctionis, &c. imò & moderatum lucrum inde capere: quòd taxari debet à Magistratibus, & si non taxetur, arbitrio boni viri & vsu fori metiendum erit: nec de hoc potest alia certior regula constitui. Et quamuis Rectoribus ciuitatis communiter non liceat impedire, ne panes, vinum & similia aliunde asportentur, & in ciuitate vendantur, donec propria ciuium vendita sint; aliquando tamen id licet, vt Magistratus viderint communi bono expedire. Communiter tamen non est taxandum aliud pretium pro externis, aliud pro incolis: hoc enim esset contra charitatem, vel etiam contra iustitiam, vt colligitur ex cap. 12 de emptione & venditione. An verò in aliquo euentu licitum sit carius vendere externis, quàm indigenis, infrà dicetur.

SECTIO IV.

An aliquando liceat vendere pluris rem quàm valeat, aut emere minoris.

18. SEnsus est ex quibus causis naturale pretium rei augeri vel minui soleat. Pro quo obserua cum Valent. disp. 5. quæst. 20. punct. 2. aliud esse ex vi ipsius venditionis absolutè plus exigere, quàm valeat res, aut minus ex vi emptionis dare. Aliud verò in ipsa venditione & emptione, aliquid plus petere, quàm res valet. Nam primum semper est illicitum, esset enim contra æqualitatem iustitiæ, quæ postulat vt neque grauetur venditor accipiendo minus, quàm dat, neque emptor dando plus quàm accipit. Cùm enim venditio sit quædam cómutatio rei pro pretio, & emptio quædam comutatio pretij pro re, non potest esse iusta, si ex vi eius perturbatur iustitiæ æqualitas: quare in hoc sensu non procedit præsens difficultas, sed in posteriori. nam tempore venditionis & emptionis præter ipsum titulum valoris rei quæ venditur, aut pretij pro quo emitur, possunt etiam concurrere per accidens varij alij tituli, ob quos vel venditor possit accipere plus quàm res valeat, vel emptor minus dare, qui in præsenti explicandi sunt.

19. Primò ergo variatur pretium ex abundantia, vel inopia mercium. Nam quæ abundant, minùs æstimantur, quæ verò rara sunt, & minus in promptu, parui fiunt, quod enim rarius est, difficilius haberi potest, & è contra. Vnde Hieronymus epist. 85. ad Eugenium. *Quod rarum est, pretiosum est.* Vnde etiam fit, vt pretia rerum augeantur ex abundantia emptorum, quia quando emptores abundant, merces minus censentur abundare, & magis æstimari: sicut etiam quando sunt pauci mercatores, pretium minuitur, quia censetur tunc copia mercium, & inopia emptorum. Hæc verò doctrina intelligenda est quando pretium rei non est lege taxatum, nam si lege taxatum sit, licitum non est maius pretium reportari.

20. Hinc etiam soluitur illa difficultas, an in subhastatione, aut simili modo vendendi, liceat rem vendere maiori pretio quàm sit communi æstimatione taxatum. In qua dicendum est cum D. Thom. quæst 77. art. 1. quem sequuntur communiter Doctores. Si commune pretium solum pendeat ex communi æstimatione, secluſa vi & fraude, tuta conscientia posse vendentem illud pretium accipere. cuius rei rationem reddit Nauarra 3. de Restitut. cap. 2. dub. 5. Quia quando non est vis, aut metus, sed solùm æmulatio ementium, crescit pretium rei ex copia emptorum. Quòd si pretium lege taxatum sit, illicitum esse in eo casu pretium aliquod exigere vltra pretium legis, hoc enim, vt suprà dicebamus, consistit in indiuisibili, nisi posset præsumi donatio ex cessus.

21. Ad hanc etiam causam reducitur, quando mutatur pretium eo quòd merces rogatæ vendantur, iuxta illud, *merces vltroneæ vilescunt*; quando enim venditor rogat, perinde est ac si esset illius rei abundantia; sicut etiam quando emptores rogant, censetur rei penuria. Atque ita in fine nundinarum

merces

merces minoris venduntur quàm initio. Similiter scholastici in patriam reuersuri finitis studiis libros suos minoris vendunt: milites etiã spolia capta cùm nó possunt retinere, viliſſimè vendere solent. Quòd si quæras in hoc euentu quanti merces vilescant. Communiter Doctores respondent, vilescere pro tertia parte, ita Lessius dubit. 4. Nec desunt Doctores censentes vilescere pro medietate, ita Rebellus quæst. 1. num. 36. & Caiet. verbo emptio cap. 1. vbi affirmat, pallium quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato posse emi duobus.

22. Secunda causa augendi vel minuendi pretium est abundantia pecuniæ; nam tunc pecunia vilescit: sicut enim abundantia merciũ facit eas decrescere in pretio, sic etiam pecuniæ abundantia facit easdem in pretio accrescere; atque adeò in causa est, vt pecunia ipsa in se vilescat ad res ea emendas, & comparandas. Longè enim minus valet hodie pecunia in Hispania ad comparandas res propter illius abundantiam, quàm valeret octoginta annis antea. Multo etiã minus valet pecunia in nouo Orbe vbi est maior illius abundantia, quàm in Hispania. Obseruat autem rectè Molina disp. 406. maiorem necessitatem pecuniæ in vno loco, quàm in alio siue ad merces ibi emendas, siue ad quálibet aliam negotiationem, similiter facere pecuniam plus valere in vno loco, quàm in alio; tunc enim pecunia habet se instar mercis legè minimè taxatæ, cuius valor modò accrescit, & modò decrescit, pro vt illius est maior, vel minor indigentia in vno loco, quàm in alio: quare sicut copia, aut penuria alicuius mercis, maior vel minor illius necessitas, maior vel minor copia mercatorum eam quærentium, facit eam in valore crescere, aut decrescere. eodem modo philosophandum est de pecunia. Quod est notandum pro cambiis, quia ita similiter maior, aut minor copia pecunię in vno loco quàm in alio, vel indigentia illius, vel copia efflagitantium illam ibi ad cambium in diuersa loca, causa est vt plus pecunia vno tempore valeat in vno loco, quàm in alio, aut vt diuersis temporibus etiam in eisdem nundinis, plus aut minus valeat in eodem loco pro vt in principio, medio, aut fine nundinarum, plures, aut pauciores sunt qui ea indigent, aut eam velint ad cambium dare. Neque obstat valorem pecuniarum taxatum esse in Republica, nam hoc solum est ad commutationem in eodem loco pecuniarum pro pecuniis, & ad res in eo ipso loco emendas & soluenda pretia rerum; hoc tamen pretium lege taxatum non impedit, vt pecunia habeat hunc alium inconstantem valorem, aut commutationem pro aliis in diuerso loco. Hæc Molina vbi suprà.

23. Tertia causa est vendendi modus: sic qui vendit ex officio vt mercator, pluris vendere potest quàm ab aliis vendi soleat, quia, vt rectè Lessius dub. 4. pretio æstimabile est, quod curas & cogitationes suas in rebus conquirendis, conseruandis, & distrahendis assiduè impendant, aliasque multas occasiones lucrandi omittere cogantur. Hinc fit, vt pluris æstimentur res dum vendendæ sunt à mercatore, quàm dum venduntur à milite, vel mechanico, qui fortuitò rem obtinet & vendit, & ob prædictam causam potest Princeps aut Respublica assignare pretium aliquod pro his qui vendunt ex officio. Ita vt illud omnino negetur aliis, in quo casu is qui non vendit ex officio, non potest vti peculiari illa concessione: si verò nec à Principe, nec à Republica talis peculiaris concessio fiat iis qui vendunt ex officio, ille qui vendit aliquid ex occasione, si tantum exigat, quantum solent mercatores, nullam facit iniuriam emptori, modò res sit æquè bona; quia potest eam vendere pretio currenti, etiamsi ipse curas & impensas non habuerit quas mercator; non enim est necesse ipsum subiisse omnia incommoda, ex quibus æstimatio creuit. Nec obstat quòd minoris in manibus eius æstimentur, quia non ideo minoris æstimantur, quia re vera minus valeant suppositа voluntate & opportunitate vendendi, sed quia tales nolunt vel nesciunt opportunitatem expectare. Quibus adde, non ideo posse mercatorem pluris vendere quàm lege vel communi æstimatione sit præscriptum, quia in constitutione pretij habita est ratio officij ipsius mercatoris. Ad hoc etiam caput reducitur, quando res minutim venduntur; res enim minuta maiori pretio venditur, quàm in magna quantitate, vt tenent communiter Doctores, quia prior ille modus plus valoris, & expensarum, & minus vtilitatis vendenti affert.

24. Quarta causa esse solet, nouitas, vel antiquitas rei, quia omnia noua placent, & fructus præcoces amplius appetuntur: vel quia antiquissimæ, sic statuæ & monetæ antiquissimæ, pluris æstimantur ob raritatem, vel curiositatem.

25. Quinta causa est, lucrum cessans, vel damnum emergens, de quibus iam diximus suprà disp. præcedenti, quia tunc non tantùm venditur res nuda, sed etiam commodum venditoris, quo non tenetur gratis se priuare, etiamsi res habeat pretium legitimum: vt si quis constitueret rem seruare in tempus, vel transferre in locum vbi plus lucraretur, potest de illo lucro pacisci detracta æstimatione laboris, curæ, periculi, & expensarum, in conseruatione, vel transportatione.

26. Sexta causa est, peculiaris quædam affectio qua venditor prosequitur rem aliquam, ob quam potest aliquid vltra commune pretium exigere. Quod intelligendum est de affectione qua quis afficitur, propter aliquam causam rationabilem iudicio hominum prudentum; tunc enim iustum est aliquid reportare ratione damni, quod patitur dominus in priuatione eius rei, id est, ratione carentiæ affectionis, qua rationabiliter prosequebatur rem. v. g. si quis cum delectatione vteretur equo propter peculiarem modum ambulandi, si ad instantiam emptoris priuetur illa rationabili delectatione, & patiatur damnum carentiæ illius, rectè poterit aliquid vltra commune pretium exigere: nam peculiaris illa affectio ex communi hominum iudicio censetur rationabilis, & damnum quod quis rogatus patitur in priuatione illius, est pretio æstimabile. Non verò est intelligendum, quando secundùm commune iudicium talis affectio non esset rationabilis, nec alicuius æstimationis.

Sectio V.

An lædens intra dimidium iusti pretij peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem.

27. Conclusio est affirmatiua, & communis inter Theologos & iuris peritos, & probatur, quia iustitia postulat æqualitatẽ; sed in hac læsione violatur grauiter æqualitas: ergo & iustitia, & consequenter cõmittitur peccatum lethale cum onere restitutionis. Aliàs si liceret lædere in pretio, simi-

liter licitum eſſet lædere in pondere & menſura, quod eſt contra illud Deuteronom. cap. 19. *Non habebis in ſacculo diuerſa pondera maius & minus.* Et confirmatur, quia ſi res tantùm valet decem, quo titulo venditor recipit duodecim; emptor enim noluit donare, ſed emere iuſto pretio. Denique confirmatur, quia ſecluſa lege poſitiua, vtraque læſio, hoc eſt, intra & vltra dimidium, eſſet iniuſta, & obligaret ad reſtitutionem: lex autem poſitiua hoc non immutauit, ſed tantùm conceſſit actionem in foro externo decepto vltra dimidium: ergo in conſcientia vtraque eſt iniuſta cum onere reſtituendi.

28. Cùm autem pretium quando à lege taxatum non eſt, triplex ſit, ſupremum, infimum, & medium, vt venditio dicatur vltra dimidium, habenda eſt ratio pretij ſupremi; vt verò emptio dicatur infra dimidium, habenda eſt ratio pretij infimi. Ratio prioris eſt, quia pretium ſupremum eſt iuſtum in latitudine iuſti pretij: ergo vt venditio ſit iniuſta per medietatem excedentem iuſtum pretium, debet exceſſus computari per comparationem ad ſummum gradum, quo vendens potuit iuſtè ex conuentione vendere. Ratio verò poſterioris eſt eadem, quia ſimiliter pretium infimum iuſtum eſt, & emens potuit iuſtè ex conuentione emere pretio infimo: ergo vt emptio dicatur infra medietatem iuſti pretij, ſimiliter defectus ſumendus eſt ex comparatione ad infimum pretium iuſtum.

29. Et tamen obſeruandum, quando quis vltra dimidium iuſti pretij vendit, aut emit infra dimidium, dari in foro exteriori actionem contra eum qui iniuſtitiam committit, & obligari ad vnum è duobus, vel ad reſtituendum exceſſum, aut defectum pretij, vel ad reſcindendum contractum, l. 1. C. de reſcindenda venditione. cap. cùm dilecti, & cap. cùm cauſa, de emptio. & vendit. Quando verò res empta infra dimidium iuſti pretij alienata eſt ab emptore, datur venditori actio aduersùs primum emptorem, vt ſaltem augeat pretium vſque ad latitudinem iuſti; non verò datur actio aduersùs tertium poſſeſſorem, vt rectè Molina diſp. 449. niſi defectu primi emptoris; tunc enim datur actio contra illum, vt ſcilicet rem reſtituat, vel augeat pretium, vel ſi bona fide rem conſumpſit, ignorans primum venditorem defraudatum fuiſſe, reddat quantum ex illa factus eſt locupletior. Præterea quando res vltra dimidium iuſti pretij fuit vendita, & emptor ita eam alienauit, vt iterum eam habere non poſſit, quamuis Gomez 2. variar. cap. 2. cenſeat, non dari actionem emptori contra venditorem. Verius videtur cum Couarruu. 2. variarum c. 4. & Turrian. in hoc loco, in eo caſu adhuc dari emptori actionem contra venditorem, quia ſecundùm naturale ius, tenetur venditor reſtituere exceſſum pretij: & cùm in iure non ſit negata ei actio, in foro exteriori iudicandum eſt ſecundùm naturale ius, quamuis lege Caſtellæ 56. tit. 5. partit. 5. aliter dicendum ſit, vt docet Molina diſp. 349.

30. Denique quando reſtituenda eſt res empta prius vltra, aut infra dimidium iuſti pretij; eligente venditore reſciſſionem contractus, ſi res ſit vendita vltra dimidium, emptor non obligatur ad reſtitutionem fructuum, quia, vt rectè Turrianus diſp. 57. dub. 3. ipſe dedit pro re non ſolùm pretium iuſtum, ſed maius aliquid; ac proinde iuſto titulo acquiſiuit dominium illius: imò paſſus eſt damnum, & conſequenter fructus illius rei verè ſunt huius, qui iuſto titulo eſt dominus illius: ergo ſi poſtea is qui iniuſtè vendidit, velit eligere reſciſſionem contractus, nulla poteſt aſſignari cauſa ob quam is qui emit pretio maiori, teneatur reſtituere fructus illius: quando verò res empta eſt infra dimidium iuſti pretij, & poſtea emptor eligit reſtituere rem, tunc tenetur ad reſtitutionem non omnium fructuum, ſed tantùm aliquorum pro rata iuxta quantitatem defectus pretij vſque ad latitudinem pretij iuſti, vt rectè Molina vbi ſuprà. hoc enim videtur æquitas poſtulare, vt ſi emens nolit ſoluere defectum iuſti pretij, ſed reſcindere venditionem, non gaudeat omnibus fructibus ipſius rei, ſed tantùm illis qui non reſpondent titulo quo acquiſitum eſt dominium ipſius rei.

SECTIO VI.

An ſit licitum res carius vendere credito, quàm valent numerata pecunia.

31. SVpponendum eſt id quod iam ſuprà notauimus, pretium iuſtum naturale alicuius rei, etiam pro vno & eodem tempore, non conſiſtere in indiuiſibili, ſed habere latitudinem, quæ latitudo his terminis explicatur à Doctoribus, vt aliud ſit pretium infimum, aliud medium, aliud rigoroſum, ſiue ſummum, qui omnes gradus continentur intra latitudinem iuſti pretij, etiam pro eodem tempore in quo differt à pretio lege taxato, quod ſemper eſt vnum & idem quandiu durat lex, etiam variatis aliis circunſtantiis, ex quibus pretium naturale rerum ſolet accreſcere.

32. Prima concluſio. Licitum eſt & citra vſuram vendere rem carius credito, quàm numerata pecunia, dummodo talis exceſſus non excedat limites iuſti pretij ſummi & rigoroſi. In hac concluſione omnes conueniunt, & ſit exemplum: ſi merces pretio infimo valeant decem, v. g. medio vndecim, rigoroſo duodecim, & mercatores illius vendant numerata pecunia infimo pretio, aut medio, poterunt licitè eaſdem credita pecunia pretio rigoroſo vendere. Et ratio eſt, quia detrahere de pretio rigoroſo eſt gratia, qua mercator pro ſua voluntate vti poteſt quibuſcumque voluerit, & cum aliis non: ſi ergo vult vti hac gratia cum ementibus pecunia numerata, & non cum ementibus pecunia credita, non propterea committit iniuſtitiam; quia etiamſi talem rigorem valet ſeruare cum ementibus peccunia numerata, nullam iniuſtitiam committeret, quia non excederet latitudinem iuſti pretij.

33. Secunda concluſio. Illicitum eſt & vſura palliata vẽdere rem credito carius iuſto pretio ſummo & rigoroſo, ea præciſa ratione quia venditur credita pecunia. Ita D. Thom. quæſt. 78. art. 2. ad 7. quem ſequuntur communiter omnes Theologi. & probatur ratione eiuſdem S. Doctoris, quia omnes communiter vtuntur, quia expectare ſolutionem nihil aliud eſt, quàm mutuare illam pecuniam, quæ ſtatim reddenda erat, pro toto illo tempore, pro quo ſolutio expectatur: ſed non licet citra vſuram pro mutuo, neque pro vſu pecuniæ aliquid accipere vltra ſortem, vt ſuprà probatum manet; ergo neque licet ex eo præciſè quòd expectatur ſolutio aliquid recipere vltra ſortem, quia eſſet lucrum accipere pro vſu pecuniæ illius temporis quo expectatur ſolutio: & eodem modo erit peccatum vſuræ ſicut in mutuo formali eſt vſura accipere aliquid vltra ſortem pro tempore quo durat mutuum

rum? & falsum erit differentia, quòd hæc appel-
lant pallata, quia licet sub contractu venditio-
nis; illa verò quæ recipiunt in mutuo formali,
mutua.

34. Major difficultas esse potest, an ratione periculi
essi de pacto expresse vendatur vendendo certa
pecunia, vel universale vitium, vel confusum pe-
riculum in pretij recompensatione, an, inquam, pecu-
niæ vitium, vel vitia certo sub pretio primum pe-
riculum valet numerata pecunia. Ioannes de Medi-
na. D. de Rebit. cons. licere aliquem exercere vi-
tia in pecunia, quæ ipsemet tanquam præcisè pecu-
niæ, dummodo adsint aliquæ conditiones. Primæ
est, quòd contrahat vitium credita ad inhumanam
impunis, & non vltra; hoc est, instando illum.
Secunda quod petitorium sit verisimile. Terna quod
pretium pro tanto periculo, vel pignora alla-
tentur dandum pecuniam, quòd tempore solui horum
periculum valeat, tunc petenti vitium periculi
incendere in pretio. Sperem addit Molina disp.
319. Quod tempore contractus manifestum esse
debet aliquid vitia latere pecuniam ex qualitate
periculi, & hæc quidem vitiata conditio genera-
liter sumpta, ad omnem pecuniæ vitium, qua ratione
periculi, & licet cessionis, vel damni emergentis
exigitur, ut tum figura debeamus. Socus verò illi &
Sperem, ut ait, & ego, inprimis de Medinam,
quòd hanc opinionem nouam, & insam ad vitata
quæ homines, & Doctis inducerit, & idem facit Nau-
rus in Manuali cap. 23.

35. Tertia conditio, licitum est ratione periculi
vendere aliquid expresse vitia latitum pretium
vitia vitium, moderatum tamen ad arbitrum pru-
dentis, & intermittit quæ ratione periculi lapsi
pulsæ vel, & fine aliqua fictione licet quod pra-
stari tale dictum non in considerata, sed potius
vendatur ab illa licentiosi. Hanc difficultatem
quod primum patrem Martinum tenere
Molina loco, & illi dicit Remmerus, & Sper-
les, quia periculum animenti debitum, & fieri-
di exercitia in eius recuperatione, est pretio effi-
mabile, & ego attribuitur marchis conditioni-
bus; potest vendere aliquid recipere vitia infra
pretium periculi quod Quadam vero pa-
ratum ex eo probatur, quia, vt refert auctor Sum-
bastinus, hasitimodi contractus fine valde perie-
culosi, & magnum patent vitijs propter
omnes conditiones que requiruntur ad iustificam-
dos iustos contractus, videtur ipsa ratione
rasus, quia omnes non eft facile adhibere: quare
omnino vendentes detrendi sine ab his contra-
ctibus, nisi tam sunt cum prudentibus viris,
non sine clarijs.

36. Quia primum tamen conditionem requiritur,
vt hic contractus licitus fiat, obtentum eft, ven-
dentem vitium tam, & ignotum quæ pubblet
ne mentem vendatur dicitur latius pretio
rium puerum pretio cui eum folio eft, qua ven-
dens instat emptorem ad emendum certum mer-
tum non quæ de ad emptio instantiam & pre-
tes, vitium vendit emptori vitia, aut violentum
vtrumque, quæ dicitur ignotum. Et ratio eft, quia
hic, qui ignotæ instat emptorem non iecutum vt
emat ignotæ cuius talis pretij naturæ periculi,
& ipso non tam ratione periculi, quàm ratione
mutui vitij aliquid recipere vitia latentia vitia
ipsum pretium, & quidem vitia & exponi tal pe-
riculo a nullo negatur, vt mutuet: quæ quamvis
hoc ipsa fit tale periculum, cum nullus ignotæ cre-
dituræ velit illud fidere, meritò cenfetur non ra-
tione periculi, fed ratione mutui vitiosilli, velit
aliquid accipere vitia latentia quod eft vitia.

37. Et ex hac doctrina inferitur cum eodem Molina
disp. 361. & alijs Thomæ Sanchez, Gutierrez,
Caietanum, & Nauarrum; quando quis habet de-
bitum moralem certi solutionis, & nullum eft
periculum latitum ignotæ quod pretium pol-
lit timeri, nullum eft lucrum certum, nec dam-
num emergens, quod timeatur, eft fine vlla vi-
entre debitum peccatæ fimum tempore folven-
dum mutuo petito quin de debitum ipsum, & ad
illum exigendum, quia hic ad tempus certum
hinc ad annum, ad de duos annos, & vera non mi-
nus vitiosi, & certum, quæ certissimum periculum
eft certum ingrit se fine labore, & expensis, eft-
time folendum, vt aperte colligitur ex Rotulo
in Per decret. 2. mutatis, & Rebbo lib. 2. de Iu-
stitia & iure, quæ tenet

quàm valitura est tempore traditionis; hoc enim nihil aliud est quàm mutuare pecuniam virtualiter, & implicite vsque ad tempus traditionis, vt ratione talis mutui mutuans recipiat pro lucro id quod detrahitur.

40. Circa hoc tamen obseruandum est cum Molina disp. 358. duobus modis posse pretium rebus statui anticipata solutione. *Primò* non determinando pretium, sed celebrando emptionem pro pretio currenti tempore traditionis. *Secundò* determinando in præsenti pretium, habita ratione eius quod tempore traditionis verisimiliter creditur futurum plus minusve: & vtroque modo emptio est iusta anticipata solutione. Cum hac tamen differentia, quòd in posteriori modo pretium erit iustum quãdo taxatur iudicio prudentum ratione habita circunstantiarum, quæ possunt occurrere quomodocumque res se habeat tempore traditionis, & licèt pretium crescat eo tempore etiam vltra medietatem. Et ratio est, quia iustè fuit taxatum iudicio prudentum, & sicut creuit, potuit decrescere, atque ita periculum vtrobique est æquale, tam ex parte ementis quàm vendentis: quare quomodocumque postea contingat, tali pretio standum est. Sicut cùm captura piscium emitur anticipata solutione iusto pretio prudentum iudicio, quomodocumque postea contingat, tali pretio standum erit. At verò in priori modo si non determinatur pretium de præsenti, sed fit emptio anticipata solutione pro pretio currenti tempore traditionis, pretium iustum erit illud quod re ipsa valet tempore traditionis.

41. Est tamen specialis difficultas de venditione lanarum, quæ in Hispania vendi consueuerunt anticipata solutione, an scilicet sine labe vsuræ possint minori pretio emi anticipata solutione, quàm futurum esset pretium tempore traditionis illarum, in qua difficultate dicendum est cum Molina disp. 360. huiusmodi emptionem esse illicitam & vsurariam, si solùm ratione anticipatæ solutionis minuatur pretium. In praxi verò plures causas assignant Theologi, ob quas huiusmodi contractus potest honestari. *Prima* est periculum non recipiendi merces, aut non sinceras, aut non statuto tempore, aut non sine lite & expensis: & certè si tale aliquod esset probabile periculum, non est dubium quin ratione illius iustè posset minui pretium, semper tamen non est tale periculum, ac proinde ex hoc capite nec poterit semper excusari prædictus contractus. *Secunda* est ob lucrum cessans, aut damnum emergens ex anticipata solutione, posset enim emptor per cambia & alias negotiationes lucrari: & sanè quando in specie essent conditiones requisitæ lucri cessantis, similiter non est dubium quin possit emptor iustè exigere recompensationem per diminutionem pretij, sed re vera non semper est tale lucrum cessans, nec tantum quantum fingunt emptores. *Tertia* est, quia sic emendo multiplicantur venditores, & emptores minuuntur, & sic minuitur etiam pretium. Itaque hic modus vendendi inducit raritatem emptorum, & multitudinem venditorum, quod facit pretium decrescere: sicut è contra modus vendendi credito facit crescere. Et ratio huius est, nã pauci sunt qui hoc modo lanam emant, & multi qui vendant. Quæ ratio est satis congrua & probabilis. *Quarta* est, & quæ mihi magis probatur, quia si omnes lanæ emerentur numerata pecunia tempore tonsionis seu traditionis, non haberent maius pretium quàm quod solet assignari anticipata solutione, imò vilius venderentur propter earum multitudinem, & magnam copiam earum, & venditorum necessitates, quæ in causa essent vt emptores rogarentur, maximè ad euitandos sumptus in eis conseruandis, vt ipsa experientia docet, & periti & timorati mercatores affirmant: quod si modò maius pretium habent tempore traditionis, ideo est, quia pauciores sunt lanæ quæ eo tempore venduntur numerata pecunia, cùm plures fuerint venditæ pecunia anticipata, atque ita crescit pretium illarum.

Pro praxi tamen est valde obseruandum quòd 42.
si eo modo emendi anticipata solutione non seruetur iustum pretium vulgare, seu fori, saltem infimum, quo currunt merces tempore contractus, & anticipatæ solutionis, non posse illo modo vendi: aliàs talis contractus esset vsurarius.

Sectio VIII.

An sit licita emptio, vel venditio rei cum pacto de retro vendendo.

PActum de retro vendendo tunc fit, cùm res 43.
venditur ea lege & conditione, vt quandocumque venditor reddiderit emptori pretium quod accepit, emptor teneatur illud recipere, & rem venditam restituere venditori. Et conueniunt Doctores, ex parte venditoris, nullam esse vsuram rem vendere cum pacto de retro vendendo, licèt possit esse iniusta venditio, si tanto pretio vendatur res cum hoc pacto, ac si absolutè venderetur, & ratio huius est manifesta, quia venditor in hoc casu nihil dat mutuo, neque formaliter, neque virtualiter & implicitè, vt ex se patet; ergo ex parte illius nulla potest esse vsura, quia vsura non est, nisi vbi est mutuum formale vel virtuale. Deinde, quia res vendita cum hoc pacto, multo minus æstimatur, quàm si absolutè venderetur, eo quòd onus retro vendendi multum emptorem grauat; ergo qui illam tanti venderet cum hoc onere ac sine illo, iniustitiam committeret, quia venderet rem pluſquam valeret, non tamen vsuram, difficultas itaque est, an ex parte emptoris sit vsura emere rem cum pacto de retro vendendo.

Sit conclusio, emptio cum pacto de retrouen- 44.
dendo non habet rationem mutui formalis, neque virtualis; ac proinde licèt in illa possit esse iniustitia, non tamen vsura, & quidem quòd non sit mutuum formale, manifestum est, quia non est formalis emptio. Quod autem neque virtuale, ex eo probandum est, quia in vtroque mutuo tam formali, quàm virtuali, mutuatarius, aut alius loco illius, tenetur ad aliquid faciendum, vel restituendum mutuanti, v. g. in eo qui vendit rem carius iusto pretio dilata solutione, in quo est vsura palliata, ratione mutui virtualis, tenetur transacto termino præfixo solutioni restituere tale pretium iniustum ex pacto. Et similiter ille à quo emitur anticipata solutione res aliqua minus iusto pretio, tenetur illam suo tempore dare emptori. At in hoc casu venditor ad nihil tenetur, siquidem si nolit iterum emere, non obligatur ab emptore, sed manet contractus emptionis vt à principio erat; ergo emptor nihil virtualiter mutuat venditori, cùm mutuum etiam virtuale constare non possit ex parte mutuatarij, sine obligatione ex pacto tacito, vel expresso ad reddendum, quod virtualiter mutuari dicitur, licèt possit esse ex parte emptoris iniustitia aliqua in hoc casu, quia potest rem illam etiam

etiam cum pacto de retro vendendo minoris emere quàm valet, non tamen potest esse aliqua vsura.

45. Obiicies primò, quia talis emptor videtur mutuare rem illam virtualiter vsque ad tempus receptionis pretij, & postea remanere cum sorte principali, & cum fructibus rei quos percepit in tempore quo illam possedit, vsque ad tempus in quo iterum illam emit venditor. Respondetur negando hîc interuenire rationem mutui etiam virtualis, quia venditor non tenetur, vt dicebamus, ad restituendum pretium in aliquo tempore; si verò restituit est, quia vult. Neque obstat quòd res hoc modo vendita sit fructifera, vt teneatur in partem sortis emptor fructus computare quos percepit: cùm enim illa sit vera emptio, licèt fiat cum pacto de retro vendendo, ex vi ipsius dominium transfertur in emptorem, & cùm postea dissoluitur, non tenetur fructus in partem sortis computare, cùm ex re propria, & non aliena, sint percepti.

46. Obiicies secundò, ex textu in cap. 1. & 2. de vsuris, in quibus decernitur, quòd si quis alicuius possessionem data pecunia mutuo acceperit in pignus, si sortem suam deductis expensis de fructibus eam perceperit, teneatur possessionem debitori restituere. Ex quibus capitibus colligitur expresè, fructus pignoris in sortem principalem esse computandos; ergo si emptor in prædicto casu fructus rei emptæ deductis expensis non computat in sortem, sed præter illos recipit pretium integrum quod dedit, committit vsuram. Et confirmatur ex sacra Scriptura Leuitici 25. vbi dicitur *Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, &c. & ipse pretium potuerit ad redimendum inuenire; computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit, & quod reliquum est, reddet emptori.* Respondetur esse longè diuersam rationem de pignore mutui, quia tunc fructus percipiuntur ex re aliena; dominium namque pignoris est apud illum qui rem dedit in pignus, ac proinde non posse recipi vltra sortem sine vsura, vt determinat Pontifex in citatis capitibus. Quare rectè Caietanus in comment. huius quæst. art. 2. circa solutionem ad 6. consulit, quòd qui pignora accipiunt, si volunt absque restitutionis onere fructus pignoris recipere, emant pignora cum pacto de retro vendendo. Ad locum Leuitici respondetur illam fuisse peculiarem Dei dispositionem in gratiam illius populi, vt fusè explicat Molina disp. 375. Quare ex eo loco non potest sumi argumentum contra ea quæ docuimus.

Leuit. 25.

47. Vt autem superior doctrina vera sit, duæ conditiones requiruntur. *Prima* vt sit vera venditio & emptio, qua transeat res in dominium emptoris. nam si emptio, & venditio vera non sit, erit mutuum palliatum. In quo euentu qui fictè emit, si percipiat fructus rei solùm ratione pecuniæ mutuatæ, & non ratione dominij, quia verè non est dominus illius, vsuram committet. Vnde soluitur difficultas illa, an licitum sit tradere pecuniam alteri sibi aliam rem tradenti. v. g. domum hoc pacto, vt ipse vtatur re, alter verò pecunia. Hic enim contractus licitus est, si apponatur pactum retro vendendi in fauorem vtriusque contrahentis, ita vt tradens pecuniam obliget se ad rem acceptam restituendam, si qui pecuniam accipit restituerit pecuniam, & è contra, quòd si hoc pactum non intercedat, prædictus contractus erit vsurarius, & mutuum palliatum. nam tradens pecuniam recipit lucrum ex vsu rei acceptæ, non computato pretio vsus in sortem, vt satis ex dictis constat. *Secunda* conditio est, vt ratione huius obligationis ciuilis de retro vendendo, vel emendo, aliquid minuatur de pretio, quod haberet res si venderetur absque eo onere; & è contrario si res ematur cum eo onere, vt primus venditor obligetur ad reemendum, cùm priùs emptor voluerit, aliquid addatur vltra pretium rei.

SECTIO IX.

An qui scit rem breui minus valituram, possit vendere pretio currenti.

48. DIfficultas hæc procedit quando soli venditori est nota abundantia super euentura, & res statim non esset consumenda ab emptore. nam si vtrique esset ignota abundantia, vel vtrique nota, affirmatiua sententia videtur certa & communis. In casu verò de quo loquimur, negant plures Iurisperiti quos refert Couarru. 2. variarum cap. 6. quorum rationes, & fundamenta infrà adducemus.

49. Sit ergo conclusio, probabilius videtur, licitam esse huiusmodi venditionem ab eo qui scit breui temporis spatio pretium minuendum propter futuram copiam mercium. Ita D. Thom. quæst. 77. art. 3. ad 4. Valentia disp. 5. quæst. 10. punct. 4. Lessius cap. 21. dub. 5. & Recentiores communiter. Et probatur *primò*, quia adhuc in hoc casu pretium currens est iustum. nam iustum pretium est, quod vel Principis lege, vel communi æstimatione constat, etiamsi in ignorantia, & errore fundetur: alioquin etiam qui ignorantes futuram abundantiam pretio currente vendidissent, tenerentur postea restituere, vt rectè obseruat Molina disp. 354. Sequela probatur, quia vel illud pretium iustum est, vel iniustum: si iustum est; ergo agnoscens futurum euentum iustè potest vendere communi illo pretio. Si verò est iniustum; ergo licèt alij vendentes non peccent propter ignorantiam, postea tamen, ex ipso euentu obligabuntur ad restitutionem excessus pretij præcedentis. Et confirmatur *primò*, quia non minus valent merces scientis, quàm ignorantis abundantiam; ergo si merces ignorantis sunt condignæ pretio currente, etiam merces scientis. Confirmatur *secundò*, quia scientia non minuit pretium, nisi minuendo communem æstimationem: sed illa scientia peculiaris & priuata non minuit communem æstimationem; ergo nec pretium. *Secundò* idem probatur, quia priuata scientia venditoris non mutat communem æstimationem, sicut nec priuata scientia emptoris: alioquin emptor non posset emere si sciret pretium augendum, quod tamen falsum esse constat exemplo Ioseph Genes. 41. Denique, quia si sciam pretium frumenti aucturum iri, non possum meum nunc vendere carius; ergo quamuis sciam minuendum iri, non cogor nunc vendere minoris. Atque ita hæc est praxis apud mercatores timoratos absque vlla contradictione confessariorum, & ex hac doctrina rectè infert Molina suprà, rectè posse aliquem in curia locare suam domum pretio communi & currenti tempore locationis, etiamsi priuata scientia agnoscat curiam breui temporis spatio migraturam inde, & idem est in aliis similibus casibus.

50. Obiicies primò, quia merces ob proximè futuram abundantiam decrescunt in pretio, sicut ob penuriam

penuriam proximè futuram crescunt; ergo qui eas tunc venderet pretio currenti, iniuriam faceret emptori cum onere restituendi. Respondetur, abundantiam proximè futuram communiter notam minuere pretium, & è contra penuriam communiter notam augere illud; non verò solt venditori, vel paucis notam.

51. Obiicies secundò, quia si scias internam mercis bonitatem breui minuendam, peccas contra iustitiam illam vendendo, nisi emptorem moneas, vel saltem quantum æquum fuerit de pretio minuas, vt patet ex l. *vina*. ff. de actionibus empt. decernente, venditorem teneri de damno emergente, & lucro cessante, nisi admoneat emptorem, sciens vinum quod vendit, breui duraturum. Idem est si quis vendat equum breui morituum, vel contracturum notabile aliquod vitium, vel infirmitatem; ergo similiter in nostro euentu, cùm non minus emptorem læseris. Respondetur negando consequentiam. nam in casu argumenti intrinseca bonitas rei ex intrinseca dispositione ipsius, in se minus valet in ordine ad humanos vsus, etiamsi à solo venditore cognoscatur. Secus est in nostro casu, in quo futura abundantia nec scientia particularis non reddit rem minus aptam ad humanos vsus, vt magis constabit ex dicendis sectione sequenti.

52. Obiicies tertiò, quia iustus valor sumitur ex æstimatione prudenti, qualis illa non est, quæ ex ignorantia, & errore cuiuis procedit; nam si scirent proximam rerum abundantiam, non tanti æstimassent; ergo ille qui modò currit, non est verus & iustus valor, sed putatiuus, & consequenter nequit iuxta illud pretium vendi. Confirmatur, nam actus qui fit ex ignorantia, est inuoluntarius; ergo emptor in hoc euentu dat inuoluntarie pretium, & consequenter non potest à venditore retineri quoad excessum. Respondetur, æstimationem illam esse prudentem, cùm sit ex circunstantiis quæ communiter sciri possunt; euentus enim futuri non possunt semper à vulgo cognosci, ac proinde ex illis non debet sumi æstimatio rei. Ad confirmationem respondetur, quamuis ille contractus quodammodo sit inuoluntarius ratione ignorantiæ, nihilominus esse validum, quia simpliciter est voluntarius, & nulla interuenit iniustitia, sicut contractus factus metu iustè incusso validus est, licèt ad mixtum habeat inuoluntarium.

53. Denique obiicies, quia alioquin mercator sciens eras hanc ciuitatem obsidendam, posset celeriter suas merces pretio currente vendere non monitis emptoribus. Similiter posses vendere triticum pretio currente, etiam si scias citò promulgandum decretum de minuendo pretio. Item si scires breui minuendam pecuniam aliquam, posses hodie omnem illam cambire, mutuo dare, vel ex ea res emere; quæ omnia videntur falsa. nam cedunt in magnam aliorum pernitiem. Respondetur concedendo illa omnia cum Rebello, Lessio, Molina, & aliis. nam, vt dictum est, pretium non variatur ex priuata scientia alicuius, sed ex cognitione hominum secundùm prudenter eorum prouidentiam.

54. Ex quo infertur, Regios Consiliarios posse vendere res suas pretio currenti, quando agnoscunt breuiter minuendum earum pretium ex lege, aut mandato Principis, etiam quando non essent aliàs venditurі, si liberè, & sine fraude aliqua exponant eas venditioni, & ratio est, quia & vendunt pretio communi, & ipsi ratione sui officij non obligantur ad non vendēdum eo tempore pretio communi, nec tenentur manifestare futuram promulgationem legis ante tempus à Rege, vel Republica assignatum. An verò in casu prædicto vendens merces pretio currente cum prædicta scientia, peccet contra charitatem, dicendum est, regulariter & per se loquendo, non peccare, quia potest quis rebus suis consulere, etiamsi inde parum damni proximo obueniat, & locupletari etiam cum notabili alterius iactura. Interdum tamen id esset contra charitatem, vt si nouerim alterum ea emptione incursurum extremam, vel grauem necessitatem: si enim in hac necessitate teneor ex charitate succurrere, à fortiori teneor in illam non inducere, nisi ego in similem necessitatem essem incursurus.

Sectio X.

An vendens teneatur manifestare vitium rei, quam vendit.

55. PRæmittendum est primò in re vendita triplex esse posse vitium. *Primum* in substantia, vt quando aurum apparens venditur pro vero, stannum pro argento. *Secundum* est in quantitate, vt cùm venditur non libra pro libra, vel non modius pro modio. *Tertium* est in qualitate, vt cùm venditur equus cæcus, mancus, &c. pro carente his vitiis; vel vinum aqua mixtum pro vino puro, quamuis vitium hoc potiùs referatur ad primum, quia tunc partim venditur aqua pro vino. Potest etiam referri ad secundum vitium. nam cùm aqua vino miscetur, minor datur mensura vini, & idem est quando tritico miscentur paleæ, vel alia semina.

56. Præmittendum secundò, vendere rem vitiosam tanto pretio, quanto non vitiosam, esse iniustitiam cum onere restituendi, & ex genere suo mortale: & quamuis bona fide venditio fiat ratione ignorantiæ, deberi postea vitio cognito restitui excessum pretij, vt tenet communis Doctorum sententia.

57. Præmittendum tertiò, non opus esse venditorem emptori manifestare vitia ex se manifesta, cùm emptor ipse ea videre possit, vt docet Nauarr. cap. 23. num. 89. etiamsi ab emptore non aduertatur, modò inaduertentia sit ex negligentia, & ignorantia culpabili emptoris, sed ipse sibi imputet: venditor enim non tenetur ex iustitia eum monere de vitiis, quæ si ipse non sit negligens, aduertet: secus esset si aduertere nequeat, quia est cæcus, vel in ea re impeditus.

58. Præmitendum quartò, non semper quando vitium est occultum, satis esse venditorem minuere pretium iuxta exigentiam vitij, sed teneri ex iustitia, & cum onere restituendi omnia damna, manifestare vitium emptori. *Primò* si vitium sit periculosum emptori, vt si equus sit furiosus, iumentum malitiosum, ruinam domus, vinum fugiens, seu statim perituum, cùm ematur ad seruandum inposterum. *Secundò* quando ad finem ementis res est inutilis, vel parum vtilis, licèt non sit noxia; vt si pharmacopola pro re vtili ad salutem, det inutilem: vel si quis vendat aromata nimis vetera pro recentibus, pannum adustum pro firmo, semina corrupta pro sanis. *Tertiò* cùm venditor probabiliter intelligit emptorem emere ad reuendendum, ne emptor reuendat rem maiori pretio, quàm cum illo vitio valeat. Qui casus communes sunt apud

Doctores

Doctores cum D. Thoma art. 2. extra hos vetitos casus communis & vera sententia est, non esse obligationem manifestandi effum vitium occultum, sed satis esse manu vitij cognitum in genere declarandere, ne forte emptor indubitatur fidem plus vel de genio fentiat, quam fit iuftum. Ratio huius eft, quia cum fecretur aequalitas pretij, & rerum emptarum res nemini, pro quantitate pretij vitiata, nullam iniuriam aut periculum. Ita D. Thomas, quem fequuntur communiter Interpretes.

59 Nonnulli vero limitant hanc fententiam, vt non procedat quando emptor è vitium noftrae malitiae modo erit rem empturus, quia tunc iniuftus, & fimulatione malitiae; & proinde contractus eft nullus. Et confirmatur ex I. *in rebus*, 3. *item qui filens*, ff. commissi., ibi ftatuitur, vt venditor manifeftet emptori occultu vitia, aliquin actionem contra illum concedit. Cenfeo tamen hanc moderationem effe iuftam, quando venditor nullo modo malitiofe, vel dolo vitiat, fed mere negative fe habet, & folunde non poffet rei fuae pretium tantum augere, & ita tenet communis fententia, & tutio huius eft, quia fi venditor teneretur illum emptoris dolum manifeftare, contractus effet validus, quia effet fine vllo dolo. Praeterea, quia licentia, & difpenfationes quae à fuperiore hac in re conceduntur, tantum, & abfolute, & fine conditione concedunntur, valide funt, licet raecentur illegis de iure non extentenda, quae tamen extenfionem, non concederentur. Idem eft in donationibus, eleemofynis, legatis retentionibus, deductionibus, praefcriptionibus, & aliis huiufmodi, pro quibus eam eft in noftro cafu. Deinde ob allegata, vt ait Valent. 3. 2. quaeft. 4. mihi tamen eft fat in commercijs hominum, paffim enim innotuerit aliqua circumftantia, quae fi cognofceretur, contractus non fieret. Vnde innotuerit fine exclamatione, in quibus emptiones declaraeuntur iuftas, quod effe nagnum Reipublicae detrimentum. Et denique ratio à priori eft, quia fic poteft aequitas pretij feruari, ita vt res pro quantitate pretij vitiae fit emptori. Vnde patet falfitas ad tertium in contrarium adductum, non ille contractus abfolute eft voluntarius, neque emptor eft fine rationabili iniuria. Ad confirmationem refpondetur cum Molina difp. 352. leges illas loquuntur de vitio occulto emptori, & non notato, & minus vellem notabiliter vendant emptori, & etiam in illis tribus caibus de quibus fupra, & denique quando emptor rejicere fe nolit vere emere, nifi earet vitio; tunc enim contractus eft. De omnibus inuentariatum, & confequenter inualidus. Et quibus.

60. Inferitur primo, quod dicendum fit quando vna fubftantia aqua bona alteri permixta pro alia, an hic contractus fit validus & iuftus, vti & dentur vnum librum Gregorij Nauarri Romae editum pro Cardinalatu, vel fecluum Toletanum pro Granatenfi, in qua dicendum eft cum Sanchez de matrim. tom. 3. lib. 1. difp. 38. & communi fententia, hic effum effe. Ratio eft, quia cum res fit aqua bona, & vtilis emptori in vtilem ad vfum quod emptor principaliter quaerit in emptione, irrationabiliter effet iniuria fecundum hanc nollet, cum res non fit vitiofa falem formaliter, & moraliter in fubftantia: & quamuis vendator meminiet, non tenetur eft mendacium permittitur, cum nihil damni recipiat emptor. Addit Molina difput. 351. id effe verum, etiamfi res fit aliquantulum deteriori, quia dolus in re modica non infert vitium

Sect. XI.

Vbi periculum rei venditae, & vsus fructus pertineat ad emptorem.

61. Obiicies, quia error in fubftantia irritat matrimonium, vt fi dicat Anna pro Maria; ergo & in venditione. Refpondetur negando confequentiam, quia, vt recte Sanchez in matrimonio quaeritur perfona propter fe: res autem venales quaeruntur propter qualitatem ad humanos vfus. Vel fecundo refpondetur & melius, quia matrimonium conftituit in natura, perpetuo & indiffolubili obligatione vita corporum, & individuae focietatis & communicationis; at proinde maius voluntarium requiritur, quam emptionis, quae facilius poteft ex obiecto contrahentium qua emptione parum referet diftinctio numerica, vel fpecifica rei venalis, modo non fubeat in eodem ad humanos vfus. Item dicendum fi vna ancilla detur pro alia quae vitia affimiteres vfus humanos, & de alijs fimilibus.

Inferitur fecundo, non effe peccatum falfem 62. mercale cum ouere reftimendi, dare quantitatem minorem pro maiori, & feruare iuftum pretium, praeterita fi hac ex aliqua iuftaj & rationabili causa, vt fi quis non poffit vendere vinum fuum pretio iuftio, vel propter inquirantem indicia inique tantatis illud, vel propter emptorem malitiam, qui quantumcunque taxet ie, vt nunc contrexet ad reuitrendum pretium, aut vt non emerent nifi minoris iuftu pretij; vel propter alium rationabilem cauffam, minuerint menfuram, aut parum aquae miferet, & vendent pro puro, ac pro menfura completa, modo non dicant menfuratum, quod fi dicatur, non erit permiffionem nec mentale reftrictionem ad reftitutionem, vt recte Rebell. lib. 9. q. 10. vbi etiam obfervat, in rebus taxatis per legem non licere eodem pretio vendere minus ex fubftantia, & aliqua fubftantia.

Sectio XI.

An periculum rei venditae, & vsus fructus pertineat ad emptorem.

Cenfus eft, cum res empta perit, aut deterior 63. fiunt emptorem reddit, an perea deteriore fiat emptori, an penes vendit. Et communiter *primo* Doctores, vendentem quae per ipfum non fit dolus, non teneri perfectum rem feruare emptori, vt habetur Inftit. de empt. & vendit. §. 1. fi vero non folum fuit fcripturus, nec voluntate contrahentium hoc feruare vifque perficiendum differtur, fola conuentione contrahentium perficitur emptio, & venditio, & res ab illo tempore ad emptorem fpectat: nam & folus eft pretium emptorem vero non fit dominium reftringit autem quatenus res ipfa tradatur, vt habetur ibi. Hanc eft. Hanc enim eft natura iuftis contractus, per quem vendens non tenuit eft domino fuam fibi conferre etiam fenfibiliter expeditam, fed tantum manet obligatus ad illud transferendi per ipfum rei traditionem: atque ita tenens ex contractu emptor ius ad rem, & eft, vt ibidem dicitur res, non vero habet ius in re ante traditionem. Consequitur, fimile, fi res vendita perea, vel deteriorata, pofi ipfius traditionem, non perire vendenti, fed emptori, quoniam penitus non fit dominus. Cuius ratio eft, quia per traditionem fuit traditum dominium: res autem domino perit, ficut domino fruchibat. Tum ergo difficultas eft an per ante traditionem, an emptori, num vetiti vendatori. Cui difficultati fub diftinctione refpondendum eft.

Primo concludo, fi res certa, & determinata, v. g. hic equus, hoc domus, hoc manipium, hoc 64. dolium

dolium vini, &c. & pereat vel deterior fiat ante traditionem peracto contractu venditionis, perit emptori, non venditori; atque adeò tenetur soluere integrum pretium si nondum illum soluerat. Ita Molina disp. 366. & Doctores communiter, & habetur Instit. citat. §. *cum autem*, & ratio est, quia in hoc nulla iniustitia fit emptori, cùm ad ipsum pertineat commodum rei venditæ, & tradendæ; ergo etiam debet pertinere incommodum; hoc enim postulat recta ratio, & æqualitas iustitiæ, vt illius sit periculum cuius est commodum. Deinde, quia, vt rectè Molina suprà, contractus venditionis rei determinatæ absolutè celebratus, sufficiens est iure gentium ad transferendum dominium, quod autem non transferatur actu ante traditionem, id prouenit ex dispositione iuris ciuilis; noluit tamen hoc ius impedire quin ante traditionem omnia rei commoda, & incommoda ad emptorem pertinerent, perinde ac si dominium translatum esset. Itaque etsi impediat dominium, non tamen impedit effectum, qui ex dominio sequi solet; idque meritò, quia mens contrahentium est vt statim res cum sequentibus eius euentis ad emptorem pertineat, nisi aliter expressè sit conuentum.

65. Hanc verò conclusionem limitant Doctores *primò*, nisi damnum rei ex culpa venditoris proueniat, qui ex officio tenetur rem custodire donec eam tradat emptori: cùm enim sit tanquam custos & procurator, tenetur de dolo, lata culpa & leui, non verò de leuissima. l. *Quod sæpè.* § *si res.* ff. de contrah. emptio. *Secundò* si venditor sit in mora tradendi, & interim res pereat, vel deterior fiat, nisi eodem modo peritura esset apud emptorem. Quòd si vterque contrahens fuit in mora, periculum erit illius, qui posterior fuit in mora, dummodo mora prioris non fuerit causa posterioris.

66. Secunda conclusio, si res empta indeterminata sit, vt si quis emat decem modios tritici ex messe, vel granario, decem oues ex grege; vel si emat rem determinatam, sed ad mensuram. v. g. totum aceruum tritici vno floreno, in singulas mensuras, tunc ante rei traditionem, vel mensurationem, periculum interitus pertinet ad venditorem. Ita Lessius cap. 21. dub. 12. num. 97. & habetur expressè l. *Quod sæpè* 35. §. *in his*, de contrahenda emptione. Et ratio est, quia tunc intelligitur tacita conditio, si res tradatur, vt dicitur in lege citata. Vnde donec impleatur conditio, non censetur perfecta venditio. Vbi obserua cum eodem Molina, si vinum, aut aliud huiusmodi venditum, siue ad corpus, siue ad mensuram, & nondum traditum, contineatur in vase, aut in loco quo venditor indigeat ad aliud ibi reponendum, tunc si transacto termino in quo emptor illud inde extrahere tenebatur, vel si nullus terminus fuerit constitutus, posse venditorem coram testibus emptorem admonere, vt intra certum tempus accedat mensurationem, &c. quo elapso periculum ad emptorem pertinebit, imò & damnum venditoris, vt si venditor non potuit vti doliis, aut coactus est alia conducere: quare poterit venditor impunè proiicere illud in via publica. Postulat autem charitas vt id vendat cuidam tertio, ne primus emptor tantam patiatur iacturam, vel vt conducat alia vasa, aut locum sumptibus emptoris, vbi id reponat. Similiter poterit id relinquere vbi erat, & accipere iustam mercedem locationis, si esset locaturus vasa, aut locum alteri, ad seruandum res suas.

67. Inquires, an vendita re aliqua etiam accessoria eodem pretio vendita censeantur. v. g. an qui vendit fundum, censeatur etiam vendere arbores fundo adhærentes, licèt eorum mentio facta non sit: & qui vendit ancillam, vaccam, ouem, vel aliam pecudem, simul censeatur vendere fœtus non solùm in vtero existentes, sed etiam iam natos tempore venditionis, si ab ipsis matribus lactentur, tanquam res matribus accessorias, & adhærentes. Similiter si vendas equum, censearis simul vendere sellam & frenum, vel aliud ornamentum, si tempore venditionis eum cum eisdem ornamentis emptori ostendisti. nam si equus nudè ostenderetur, vel in absentia venderetur, certa est pars negatiua. Item quando domus, & possessiones indistinctè venduntur, an aliqua eisdem pertinentia eisdemque annexa in venditione includantur, cuiusmodi sunt fontes, putei, canales, aquæductus, siue intra, siue extra contineantur. Item lapides, lateres, & similia. Respondetur quæstioni affirmatiuè cum Rebell. 2. part. lib. 9. quæst. 17. sect. 1. Quia hæc omnia pro eodem reputantur. Non tamen eadem venditione comprehendi censentur vasa, siue lignea, siue lutea, siue quæuis alia, quæ non ita terræ affixa sunt: neque item torcularia, nec molendina, nec pisces in stagnis domorum, vel alia similia animalia, sed ad venditorem pertinent.

68. Inquires secundò, ad quem pertineant fructus rei venditæ. Et quidem si loquamur de fructibus pendentibus tempore venditionis, conueniunt Doctores pertinere ad emptorem, nisi aliud fuerit expressum in contractu. l. *Iulianus.* §. *si fructibus.* ff. de actionibus empt. Et ratio est, quia fructus pendentes tempore contractus, reique adhærentes, censentur partes rei emptæ: partes autem vendi censentur cùm venditur totum. Dixi, *nisi aliter expressum fuerit in contractu.* nam tunc conuentioni standum erit, quia ex tali conuentione potest oriri obligatio tradendi rem cum fructibus, aut sine illis, aucto, vel diminuto pretio, vt docet Couarru. 1. part. variarum, cap. 15. Ad quem, inquit, effectum non est necesse, vt pretium sit iam solutum, sed sufficere venditionem esse essentialiter perfectam, quod fit solo consensu, signis externis expresso. Si verò loquamur de fructibus qui post contractum nascuntur, vel de incremento quod postea prouenit, si emptor soluit pretium vendenti, & hic sit in mora culpabili rei tradendæ, vel etiam in inculpabili, quando id fuit deductum in pactum, omnes fructus debentur emptori: imò venditor tenetur illi non solùm ad omne interesse intrinsecum, vt si plus fructuum ex re fuisset percepturus, si res deterior est facta; vel minoris pretij interim dum apud venditorem fuit, & emptor si eam habuisset opportunè, & cum lucro alienasset, vel non esset apud eum reddita deterior; cùm sit causa huius damni ex iniusta rei detentione. Sed insuper tenetur ad interesse extrinsecum, id est, quod per accidens emptori euenit, vt si emptor negotiaturus rem illam erat, v. g. in alium locum transferendo vbi pluris valebat; vel quia mancipia mortua sunt fame ob rem nõ traditam, &c. vt contra Molinam rectè docet Lessius dub. 13. num. 102. ob rationem assignatam. nam cùm venditor in tali casu ex iniusta rei detentione est causa damni, tenetur ad eorum interesse. Quod quidem verum est in foro conscientiæ, vt obseruat Diana 3. p. tract. 5. Miscell.

Miscell. resol. 113. Nam in foro externo venditor tenetur solùm ad interesse intrinsecum, & non ad extrinsecum. l. *sterilis.* §. *cùm per venditorem.* ff. de action. empt.

69. Difficultas ergo præsens est, quando res vendita tradita est emptori, nec pretium fuit solutum, nec habitum pro soluto: vel quando venditor habuit fidem de pretio, & concessit dilationem ad soluendum, in his euentibus ad quem pertineant fructus rei venditæ quoad valorem quem acquirunt post venditionem, an ad venditorem? an verò ad emptorem? & in priori casu satis communis sententia docet, pertinere ad venditorem, in posteriori verò pertinere ad emptorem, nisi aliud conuentum fuerit. nam si inter contrahentes facta fuit conuentio soluendi fructus, vel interesse ratione fructuum donec pretium soluatur, tunc emptor tenebitur ad huiusmodi interesse. Ratio prioris partis est, quia res domino fructificat; venditor autem est dominus rei venditæ nondum soluto pretio, nec habita fide de illo. Ratio verò posterioris, quia venditor quando sponte rem tradit, & concedit dilationem absque aliqua pactione, censetur renuntiare iuri suo, nisi aliud conuentum fuerit, vt prædictum est; quia cùm venditor non teneatur tradere rem ante solutionem pretij cum suo incommodo, potest deducere in pactum, vt emptor interim soluat sibi interesse donec pretium soluatur; nemo enim tenetur vendere cum suo detrimento. In quo casu fructus illi non accipiuntur ratione vsuræ, sed in compensationem lucri cessantis, cùm venditor non teneatur ex sua venditione incommodum pati, & ita tenent Couarru. cap. 4. & Nauarrus in commentariis super cap. 114. quæst. 3. num. 61. ex quo infertur, qui vendit domum mille aureis habita fide de pretio, & eam tradit, posse stipulari vt soluat pretium elocationis donec soluerit pretium, & hæc sententia est satis probabilis.

70. Opposita verò sententia videtur longè probabilior, quam defendunt Nauarra 3. de restitut. cap. 2. dub. 13. Turrian. disp. 58. dub. 8. & plures alij, nimirum potest celebratam venditionem subsecuta traditione rei, fructus illius ad emptorem pertinere, quamuis sit in mora soluendi. Quorum fundamentum est, quia per venditionem subsecuta traditione iure naturali transfertur dominium in emptorem rei, ac proinde fructus illius ad ipsum pertinere, quia verè dominus est; & consequenter ratione solius dilatæ solutionis, non teneri ad soluendas vsuras per recompensationem fructuum, cùm fructus illi iam non pertineant ad primum venditorem; quare vendens nullum habet ius, vt translato rei dominio postulet vsuras fructuum. Quod manifestè conuincitur, quia si statim totum pretium solueret, nihil amplius posset venditor reportare; ergo idem dicendũ est, etiamsi traditio fiat credito pretio: aliàs pro sola dilatione temporis reportaretur lucrum, quod est manifesta vsura, ac proinde nisi vendenti aliquod aliud cesset lucrum, vel damnum emergat, nihil aliud potest reportare, quàm pretium iustum rei; fructuum verò nulla ratio est habenda, quia post translationem dominij venditor non habet ius ad fructus; neque ex dilatione solutionis pretij inuito domino. nam licèt faciat contra naturale ius sic retinens solutionem pretij, non tamen facit contra naturale ius percipiendo fructus rei cuius verus est dominus.

71. Quia verò prior sententia sua probabilitate non caret, ideo ad vitandum scrupulum, & omnem vsuræ suspicionem, tutius erit venditori celebrare contractum venditionis, sub conditione, si emptor pretium soluat, interim dominium rei sibi reseruando, id est, quod pretium statuatur, & fiat promissio vendendi domum vel agrum, quando emptor pecuniam exhibebit, in quo euentu fructus rei ante pretij solutionem ad venditorem pertinebunt; cùm dominium, & periculum apud eum maneat, nec in rigore venditio fuerit perfecta & absoluta, sed tantùm promissio vendendi.

Sectio XII.

Quando res in solidum sub interuallo duobus fuit vendita, vtri debeatur.

72. PRima conclusio, si neutri sit tradita, debetur priori emptori, ita communiter Doctores. Et ratio huius est, quia prior contractus per posteriorem eiusdem aliàs efficacitatis non dissoluitur, nec potest rescindi. Deinde, quia iniustè vendita est posteriori, & denique, quia potior & melior est conditio prioris, iuxta regulam iuris in 6. *Qui prior est tempore, potior est iure.*

73. Secunda conclusio, si res tradita est secundo emptori, primo autem tantùm est vendita, debetur secundo, ita communiter Doctores ex l. *Quoties.* C. de rei vẽdicatione, & aliis iuribus citatis à Molina disp. 369. & ratio est, quia ex solo contractu venditionis absque traditione, non acquiritur dominium, licèt emens habeat aliquod ius ad rem, exceptis quibusdam casibus in quibus peculiari iure contrarium disponitur: quæ doctrina vera est, etiamsi prima venditio confirmata esset iuramento. nam adhuc in eo euentu posterior emptor cui res est tradita, præferendus est, quia iuramentum cadens supra primam venditionem, quamuis faciat vt vendens grauiùs peccet, non tamen facit vt primus emptor dominium rei acquirat ante traditionem, nec inualidat secundam venditionem si traditio adiungatur.

74. Sunt tamen nonnulla obseruanda.

Primum est, hoc non procedere in his euentibus, in quibus peculiari iure ex solo contractu absque alia traditione transfertur dominium, vt si aliquid venditum, aut donatum sit Ecclesiis, locis piis, vel ciuitatibus, iuxta l. fin. C. de sacrosanctis Ecclesiis. Secus tamen est, si res tantùm sit promissa, quia per promissionem non transfertur dominium. Item nec etiam habere locum quando priori emptori in securitatem contractus res est hypothecata, tunc enim secundus emptor per traditionem non poterit eius dominium comparare, ex l. *si creditor.* §. fin. ff. de distractione pignorum, & ratio est, quia qui habet pignus, est simplici creditori præferendus, maximè in ipso pignore.

75. Secundò obseruandum est, si secundus emptor mala fide egit, sciens prioris contractum, poterit prior rem ab eo euincere tanquam in fraudem ipsius alienatam, ita glossa communiter recepta cap. *si tibi absenti*, de regulis iuris in 6. sponte tamen eam priori tradere non tenetur, nisi fortè induxerit venditorem, vt eam sibi venderet; quia tunc est causa iniusta damni prioris emptoris. Si verò non fuit conscius, non poterit ab eo euinci, nisi fortè prior titulum emptionis, vel alium onerosum habeat, secundus autem titulum dona-

tionis: quod colligunt Doctores ex l. *igneti*, C. de reuocandis his quæ in fraudem creditorum. Donatarius tamen non tenetur illam sponte tradere, sed solùm si emptor illam intra tempus iure constitutum, exigat.

76. Tertiò est notandum, si res tradatur posteriori emptori, priorem habere actionem contra venditorem, vt sibi restituat pretium si quod dedit, & soluat dãna si quæ verè ratione illius passus sit, præter alias pœnas quæ habétur in iure ciuili & regio, l. *Qui ancillam*. C. de actionibus empti. & l. 7. tit. 7. part. 7. Denique si vterque emptor affirmaret rem sibi priùs traditam fuisse, nec id probari possit, vtri priùs sit tradita; adiudicanda est priori emptori, quia secluſa traditione, ius prioris est potius, nisi fortè posterior numerauerit pretium, prior verò minimè; tunc enim præsumptio est posteriori facta esse traditionem, vt docet Lessius cap. 3. dub. 3.

Sectio XIII.

An officia secularia possint vendi.

77. Negat Medina C. de restitut. quæst. 4. de vsuris. & quæst. 26. Cuius fundamentum est, quia hæc officia ex obligatione iustitiæ distributiuæ sunt distribuenda dignioribus; quare non poterit Princeps illa vendere etiam dignis. Opposita sententia communis est inter Doctores cum D. Thom. opusc. 21 ad Ducissam Brabantiæ.

78. Prima conclusio, secluso iure positiuo, speculatiuè loquendo, longè probabilius est, hæc officia ex se, & natura sua vendi posse. Probatur, nam hæc officia secundùm se sunt pecunia æstimabilia, quatenus videlicet important quamdam eminentiam, ob quam in Republica sunt in honore hi, qui illis fungantur; tum etiam quatenus habẽt lucri acquirendi occasionẽ; & denique propter excessum stipendij supra debitum operarum, & industriæ officij.

79. Secunda conclusio, practicè tamen regulariter non expedit vt fiat talis venditio, imò plerumque est perniciosa, propter plura & grauia incommoda quæ inde sequuntur contra bonum commune. *Primò* enim non conferuntur dignioribus, imò nec dignis; quia pecunia supplet quod meritis deest. *Secundò*, quia administrant officium, vt pretium recuperent: inde extorsiones, iniustitiæ & alia magna incõmoda, atque adeò semper meritò timeri potest de peccato mortali, nisi ita circumspectè fiat, vt nõ quibuslibet, sed probis & idoneis, & cum taxatione stipendij, nec immoderato pretio vendantur. Quare meritò Lessius lib. 2. cap. 32. dub. 4 has venditiones vocat pestem Reipublicæ nisi officia iurisdictionis expertia sint, vt tabellionatus, & similia, in quibus minus scrupuli est quàm si iurisdictionis officia sint: hæc enim nec cum prædicta circumspectione sine scandalo vendi posse videntur.

80. Tertia conclusio, non tantùm iure positiuo Cæsareo & Castellæ, sed etiam primo ordinationum titulo 74. publici officij à Principe obtenti venditio, sub pœna amissionis officij ac pretij prohibetur: quæ leges cùm incapacem reddant officio emptorem, erit simpliciter irritus contractus, atque adeò non tantùm ad mortale, sed etiam ad restitutionem pretij, & ad renunciandum officio obligabunt, etiam ante latam sententiam, si absque Principis auctoritate fiat, vt vult Molina tom. 1. disp. 91. & reddit rationem Sotus, quia id vendis quod tuum non est; non enim ita est tuum officium, vt pretio vendere possis. Quamuis quando venditio celebrata est cum circunstantiis necessariis absque facultate, & licentia Principis, satis probabile sit ante latam sententiam non esse obligationem restituendi; quia citatæ leges licèt prohibeant talem contractum, non reddunt illum inualidum; ac proinde si cætera seruentur, nulli infertur iniustitia, & consequenter non erit obligatio restituendi.

81. Excusari tamen videntur Duces, & alij similes Regibus subditi, qui in suis terris huiusmodi officia pro subditis pretium conferunt; quia licèt hæc auctoritas sit in solo Principe supremo, vel in Republica libera. nam hæc sunt bona Reipublicæ & communia, quorũ dispensatio est supremi Principis vel Reipublicæ, nihilominus licentiam saltem tacitam à Rege sciente ac dissimulante videntur habere; ea quæ in re quoad suos Regem pro seruitiis similia quoque officia conferentem, imitantur. Accessit duplex Motus proprius Pij V. quibus sub pœna vltimi supplicij, aliisque grauissimis pœnis interdicit, iurisdictionis officia pecunia aliisve rebus datis, aut promissis, siue per se, siue per interpositas personas procurari, vel obtineri: quæ prohibitio ad officia Notariorum, & similia iurisdictione carentia non extenditur. Itaque, vt istorũ venditio, nimirum officiorum iurisdictione carentium, licitè fiat à Principibus, in quibus est auctoritas vendendi illa, opus est vt fiat digniori quantum fieri potest, & moderato pretio, & non nisi ob Reipublicæ necessitatem, vel vtilitatem, cùm non sint bona propria Principis, sed Reipublicæ communia, quorum dispensationem Principi commisit gratia boni communis. Si tamen Princeps extra hunc casum officia venderet, peccaret quidem, sed nõ proinde irrita venditio censenda foret ex eo capite. Quòd si vendidit officium indigno, obligatur ad rescindẽdam venditionem cùm primum agnouerit ementem esse indignum, & restituere illi pretium quod accepit, nam Princeps ex obligatione iustitiæ commutatiuæ tenetur eligere ministrũ idoneum, insuper tenetur restituere Reipublicæ, vel priuatis personis, damna illata, licèt primo loco teneatur is qui officiũ emit, quia ipse intulit damna, & lucrum accepit. Quando denique bona fide vendidit officium, prudenter existimans emẽtem esse idoneum, non obligabitur ad restitutionem damnorum, sed tenebitur aut hominem illum priuare officio, aut ita punire vt in posterum iustè illo fungatur.

82. Nec erit abs re hoc loco annotare Extrauagantem Bonifacij VIII. innouatam & auctam per Gregorium XIII. contra dantes, promittentes, accipientes, aut acceptantes promissionem pro iustitia, aut gratia à Sede Apostolica obtinenda, eisque obtentis vrentes, quibus pœnis subiaceant.

83. *Gregorius XIII. Ab ipso Pontificatus nostri principio quam maximè possumus enitimur, atque contendimus vt domus & curia nostra à sordibus expurgetur cui rei salubri consilio incumbens felicis recordationis Bonifacius VIII. excommunicauit, & anathematizauit omnes clericos Religiosos & laicos vtriusque sexus, siue familiares curiæ, siue vndecumque alios, qui aliquod pactum facerent, seu quid paruum vel magnum promitterent, vel promissionem reciperent, aut ex pacto, vel promissione occulta, vel manifesta, siue sub verbis generalibus, & planè non expressis, siue specialibus, & apertè expressis facta quicquam darent, aut reciperent pro iustitia, siue pro gratia, siue pro se, siue pro alio, in causis vel iudiciis, seu aliis per litteras Apostolicas, & quibuscumque aliis modis apud Sedem Apostolicam obtinenda, & eam sententiã ad promittentes, & acceptantes, dantesque*

&

& recipientes duxit extendendam. Illos etiam qui sibi intra triduum non reuelarent eum, quem in culpa esse scirent, vel alicui; per quem ad se fideliter referretur, simili voluit sententia subiacere. Ac decreuit, vt nullus hanc incurrens excommunicationis sententiam absque speciali mandato suæ absolutionis beneficium valeret obtinere nisi in mortis articulo constitutus. Sed nec quisquam admitteretur ad absolutionis gratiam, nisi prius erogatum esset pauperibus, quantum ille dedisset, vel etiam recepisset. Iustitiæ verò, siue gratia expeditiones sic obtenta, nullius prorsus essent roboris vel momenti. Et scitnter illis vtentes simili sententia innodauit: ac reseruans sibi absolutionem eorum cum predictis ad pœnas similes in omnibus obligauit. Sed hoc scelus ita hodie in mores inductum est, vt plerique cupiditate improbi quæstus potentiorum suffragationibus innixi huiusmodi negotiorum expeditiones hac illac conquirentes, turpissimè mundinentur. Alij alios, quos gratia præstare arbitrantur, donis pollicitationibusque ambiant. Quidam etiam se talium operam atque industriam pretio & muneribus quæsisse affingant. Qua cùm pessima sint, & curia predicta existimationem grauissimè offendant, in eos qui talia agunt, animaduertendum fore arbitrati, constitutionem predictam cum suis censuris, & pœnis omnibus innouamus, easdemque omnes extendimus ad audentes qualecumque horum facinorum, qua adscripsimus, dantesque illis & aliis supradictis auxilium, consilium, vel fauorem. Quin etiam eos omnes omni beneficio, officio Ecclesiastico & seculari, siue temporali, siue perpetuo, ipso iure priuamus, ac priuatos esse declaramus: & præterea infamiæ subiectos perpetuæ, ac inhabiles ad illa & alia esse volumus. A quibus etiam prout quaque res erit, tales pœnæ exigantur, qua cæteris sint exemplo. Illos tamen, qui rem adhuc incognitam, complicesque ac fautores, & socios retexerint, impunitas concedatur. Datum Romæ anno Incarnationis 1574. Quæ constitutio satis perspicua est, nec indiget expositione.

SECTIO XIV.

An venditio rei alienæ sit valida, & an venditor possit pretium rei alienæ retinere.

84. PRima conclusio. Res aliena si furtiua est, irrita est venditio; siue solus emptor, siue vterque sciat esse furtiuam: solumque est valida quando neuter, vel solùm vendens, sciat. l. *si emptione. §. item si emptor.* ff. de contrahenda emptione. Si verò res non est furtiua, valida est venditio, siue solus venditor, siue vterque sciat alienam esse. l. *rem alienam.* ff. de contrahenda emptione. Quod etiam confirmatur ex l. *Quia vas.* §. vltimo. ff. de furtis, vbi ita habetur: *Si fur rem quam furto abstulit, vendat, v.g. equum, pretium ad furem pertinere, & non ad dominum equi, furemque dominium illius comparasse; eaque de causa si dominus equi à fure vi auferat pretium, committeret furtum, aut rapinam.* Et reddit rationem Molina disp. 327. Quia contractus quo venditur, permutatur, aut res aliena distrahitur, validus est, quamuis venditor per huiusmodi contractum non transferat dominium rei venditæ in emptorem: nam cùm non esset dominus rei illius, neque potuit per venditionem transferre dominium illius in emptorem, sed semper perseuerat apud antiquum dominum, qui vbicumque eam repererit, poterit illam vendicare, & quicumque illam habuerit, tenetur eam illi tradere: contractus tamen validus est, quia venditor emptori tenetur de euictione, atque adeò de valore illius rei, & de omnibus damnis, quæ ex euictione emptori subsequuntur: non verò de pretio quod pro illa emptor dedit. Ex quo infert Molina, cùm contractus ille validus fuerit, atque emptor dominus pretij, quod pro illa dedit, non obstante quòd in recompensationem, pro re aliena datum sit, si fur pretio illo aliquid vlteriùs emat, comparare ipsum dominium rei emptæ, & dominium transferre pretij illius in venditorem; ac proinde huiusmodi venditorem non teneri restituere pretium illud ei à quo fur illud pro re furtiua acceperat. Cuius rei rationem reddit, quia emptori rei furtiuæ solum competit personalis actio aduersùs furem, vt sibi rem euictam persoluat, & damna inde secuta resarciat: non verò competit ei realis actio ad pretium quod pro ea dedit, quasi pretium illud ad quemcumque deueniat, sit ipsi obligatum pro re furtiua, quam ex furto eo pretio emit, quæ vel euicta est, vel est restituenda proprio domino. Quæ doctrina vera est, quando solus venditor sciebat rem esse furtiuam, vel quando tam emptor, quàm venditor id ignorabant, nam si vterque tempore contractus sciat furtiuam esse, inualidus erit contractus, nec venditor comparat dominium pretij: quòd si solus emptor id sciat, venditor non tenetur stare contractui, neque tenetur emptori de euictione, nisi oppositum expressè fuerit deductum in pactum. l. *si fundum.* C. de euictione Et si talis res fuerit mobilis, emptor vt fur punietur.

85. Secunda conclusio. tum res pluribus fuit successiue vendita, illa à quo fuit euicta, debet agere contra immediatù venditorem; non verò potest contra antecedentes venditores agere, quia nihil cùm eis egit; nullumque cum eis contractum iniit, vt docet Bonacin. disp. 3. quæst. 2. punct. vltimo.

SECTIO XV.

An monopolia sint licita.

86. MOnopolium dicitur à μόνος quod est solus, & πωλέω venditio, ac proinde idem est ac quasi vnius dumtaxat in ciuitate aliqua, seu oppido venditio. Fit autem monopolium variis modis.

87. Primò auctoritate publica, cùm aliqui emunt, vel impetrant priuilegium à Principe, vt sibi soli liceat aliquod genus mercis inuehere, & vendere. Et licèt Sotus, Medina, Caietanus, Siluester & alij absolutè damnent concedentes, impetrantes, & exercentes eiusmodi priuilegia. Certa tamen sententia est, ex iusta causa, & propter bonum commune concedi posse, vt sæpe conceduntur auctoribus & impressoribus librorum, & obligatis ad prouidendum ciuitati de carne, piscibus, vino, oleo, & aliis similibus. Quando autem Princeps talia priuilegia concedit in mercibus Reipublicæ necessariis, tenetur simul pretium taxare, ne detur illis occasio vendendi pretio iniusto cum magno Reipublicæ detrimento, quod ipse tenetur ex officio impedire: si verò priuilegium sine iusta causa concedat, iniquum erit, fietque iniuria vendere volentibus qui iniustè impediuntur, & emptoribus qui eas res meliori pretio emerent; quare vtrisque tenentur restituere. Ita Rebell. 2. p. lib. 9. quæst. 7. & Molina disp. 345. & plures alij. Obseruat autem Lessius cap. 21. dub. 20. quando priuilegium sine iusta causa conceditur, primo loco teneri ad resti-

tutionem eos qui impetrant illud, quia ſunt principales cauſæ damni, ſecundo verò loco & in ſubſidium, eos qui concedunt.

87. Secundò fit monopolium, dum mercatores conſpirant de non vendendo niſi tali pretio: quod dupliciter fieri poteſt, vno modo vt non vendant niſi pretio ſupremo, intra latitudinem tamen iuſti. Alio modo, vt pretium illud ſit maius ſummo iuſto, vt regulariter contingit. Et in huiuſmodi monopolio, ſeu conſpiratione, manifeſta eſt iniuſtitia cum onere reſtituendi. l. vnica C. de monopoliis, & l. 7. tit. 7. part. 5. ſub grauiſſimis pœnis huiuſmodi monopolia prohibentur. Tota ergo difficultas eſt, an ſit licita conuentio mercatorum de non vendendo niſi pretio ſupremo in latitudine iuſti. In qua re eſt duplex ſententia. *Prima* tenet, ſecluſa vi aut fraude conuentionem hanc non eſſe contra iuſtitiam ſpectato ſolo iure naturali. Ita Molina diſp. 345. & plures alij, quorum fundamentum eſt, quia mercatores ius habent vendendi pretio illo ſupremo, & iuſtè poſſunt nolle vendere medio, aut infimo: ergo contra nullius ius faciunt. Et confirmatur, quia non eſt contra iuſtitiam petere ab aliquo vt rigoroſo pretio vendat alteri, licèt poſſit eſſe contra charitatem, quia ſolùm poſtulat vt vendens vtatur iure ſuo, nimirum vt non vendat niſi pretio ſupremo, iuſto tamen: ergo nemini fit iniuria ſi mercatores hoc modo conſpirent.

88. Oppoſita ſententia mihi probabilior videtur cum Rebello ſuprà, & Turrian. diſp. 57. dub. 8. Nimirum talem conuentionem, ſeu conſpirationem eſſe peccatum contra iuſtitiam & cum onere reſtituendi. Et probatur, quia per talem conuentionem fit contra ius quod habent homines liberè agendi cum venditoribus de aſſignando pretio in latitudine iuſti, atque adeò per eam infertur damnum Reipublicæ, & emptoribus; quia ſecluſa tali conſpiratione, plures emerent pretio infimo, aut medio; ex illa verò coguntur emere pretio ſupremo, & conſequenter fit contra ius ementium, quia licèt fiat de pretio ſupremo in latitudine iuſti, excluditur tamen aliud pretium ſub quo frequenter fieret venditio, per quod læditur ius aliorum. Confirmatur, quia iſti mutant pretium, cùm iam non maneat niſi pretium rigoroſum: ergo etiam iniuriam faciunt Reipublicæ, ad quam pertinet pretia conſtituere.

89. Ex quibus ſoluitur fundamentum primæ ſententiæ, iam enim manet expoſitum ex quo capite iniuſta ſit talis conuentio. Ad confirmationem verò neganda eſt conſequentia, quia eſt diſpar ratio: nam ex eo quòd quis ſuadeat amico ne vendat infimo, aut medio pretio, communiter nullum infertur damnum Reipublicæ, aut ementibus, quia reſtant alij plures qui eo pretio vendere poſſunt: quod non fit quando omnes vendentes conſpirant vt non vendant niſi pretio ſupremo. Idem eſt ſi conſpirarent de non vendendo niſi pretio medio, quia ex prædicta conuentione ſequeretur vt plures qui empturi erant pretio infimo, emant maiori; ac proinde fit contra ius illorum. Illud verò obſeruandum eſt in vtraque ſententia, ſi venditores faciant monopolium, poſſe emptores ad redimendam vexationem, monopolium facere, ne emant niſi pretio medio, vel infimo: quod intelligitur quandiu durat monopolium venditorum.

90. Inquires, an quando ex his conſpirationibus pretium creuit aliis qui non fuerunt earum participes, poſſint eo pretio vendere. Meritò negat Rebellus iuxta prædictam probabiliorem ſententiam, etiam ſi bona fide ignorent monopolium, ſed teneri ad reſtitutionem, quia pretium illud re ipſa eſt iniuſtum, vtpote factum per medium iniuſtum, id eſt, per monopolium. Quare qui bona fide vendit in eo euentu, ſi poſtea agnoſcat iniuſtitiam pretij accepti, obligabitur ad reſtitutionem ratione rei acceptæ iuxta regulas reſtitutionis tractatu præcedenti traditas. Quia verò ſæpe moraliter incertum eſt, cui perſonæ ementi ſit illatum damnum, cùm dubium ſit quæ perſona minori pretio emeret ſi non præceſſiſſet conuentio illa, ideo optimum conſilium erit aliquid fieri à prædictis mercatoribus in communem Reipublicæ vtilitatem, vt rectè obſeruat Turrian. loco citato.

91. Tertiò fit monopolium, cùm vnus, vel pauci coëmunt totas merces certi generis, vt ipſi poſtea ſuo arbitratu vendant. Et quidem ſatis communis ſententia eſt, illos peccare contra iuſtitiam, & teneri reſtituere. Ita Nauarrus c. 23. n. 91. Rebell. ſuprà, & alij plures, quia cùm ex iure poſitiuo & naturali ciues habeant ius, vt nõ fiant hæc monopolia, iniuria videtur illis irrogari ſi fiant. Deinde, quia dum iſti tantam copiam mercium emunt, ad ſupprimendum & recludendum, cogunt ciues pretium augere, quia raritate mercium, vel venditorum pretium creſcit, & faciunt contra ius quod habet Reſpublica, vt quando tanta copia eſt in ciuitate, pretium non augeatur. Et denique, quia ſic tollunt pretium currens ſaltim infimum & medium, & ſæpe ſupremum.

92. Oppoſita ſententia probabilior videtur, nec peccare contra iuſtitiam, nec teneri ad reſtitutionem. Ita Turria. & Molina ſuprà, & Leſſius c. 21. dub. 10. Et ratio eſt, quia non eſt contra iuſtitiam particularem emere totas merces, nec illas ſupprimere: imò poſſunt eas in flumen proiicere, vel aliò transferre. Antecedens probatur, quia emens, ſecluſa lege poſitiua, habet ius emendi iuſto pretio communi, atque adeò vtitur iure ſuo. Deinde futuro tempore venditionis poterit vendere pretio iuſto communi: ergo ex nullo capite datur iniuſtitia, etiamſi maiori pretio vendat, modò non ſit ſupra latitudinem iuſti, cùm iuſtè mutatum ſit pretium propter diuerſum rerum ſtatum. Ac proinde experimur eiuſmodi negotiationem publicè fieri in Republica, nec prohiberi legibus niſi in frumento, quod in aliquibus regnis prohibetur emi ad vendendum. Nec, moraliter loquendo, periculum eſt, quòd plus iuſto pretium creſcat propter vnitionem venditoris, quia cùm habeant magnam copiam mercium, properauit eas vendere populo, vel aliis negotiatoribus. Imò aliquãdo poterit eſſe vtile bono publico, vt quis emat merces omnes alicuius, vt ſi ille non vult vendere niſi omnes ſimul, vel non vult diu detineri in aliquo loco, in quo caſu vtile erit omnes illas merces emi ab aliquo, vt poſtea iuſto pretio vendat ciuibus illius populi. Si autem ex tali modo congerendi merces ſequeretur aliquod damnum communitati, Princeps poſſet & teneretur cogere vt vendat, & taxare pretium. Et ex his patet ſolutio ad rationes in contrarium adductas. Et deinde fit nullam eſſe iniuſtitiam ſecundùm ius naturę, ſi quis retineat proprias merces, & ſeruet eas in tempus futurum, & exponat periculo futuri lucri, etiam ſi ex eo quòd ipſe nolit vendere, pretium augeatur præſenti tempore, quia eſt dominus illarum, & conſequenter habet ius vtendi illis prout voluerit.

93. Quarto modo fit monopolium, cùm quis impedit ne maior mercium copia aliunde importetur, vt ipſe ſuas merces cariùs vendat. In quo euentu dicendum eſt cum Turrian. & Leſſio niſi merces impediat

pediat vi vel fraude, nullam committi iniustitiam: non quidem mercatoribus aliàs delaturis suas merces, cùm ipsi liberè acquiescant, & scienti & volenti nulla fiat iniuria: nec ciuibus, quia licèt habeant ius ne vi vel fraude ab aliquo impediantur merces, non verò illud habent ne solis precibus, de quo iam diximus in tractatu de Restitutione.

Sectio XVI.

Quid sit negotiatio, & quibus prohibita.

94. Negotiatio lucratiua, de qua in præsenti loquimur, & quæ vetè & propriè dicitur negotiatio, diffinitur, ***Rei comparatio cum animo eam integram & immutatam vendendi propter lucrum.*** Hæc autem negotiatio de se indifferens est, neque honesta, neque inhonesta. Ex fine autem honestari, aut vitiari potest: vt si quis bono fine emat pretio iusto, vt pretio etiam iusto, maiori tamen vendat, eo fine vt intendat propriam, vel suorum sustentationem, vel etiam ad subleuandam aliorum inopiam. Vitiatur autem multis modis. *Primò* ratione finis, vt si fiat propter solum lucrum præcisè. *Secundò* ratione modi quo exercetur à multis, interpositis fraudibus, dolis, mendaciis, iuramentis, monopoliis, &c. Hæc enim quia frequenter comitantur negotiationem, ideo grauiter reprehenditur à sanctis Patribus, & præcipuè à Chrysostomo, vel Auctore imperfecti, Homil. 38. in c. 31. Matth. & propterea Eccli. 27. Ecclesiastici 27. dicitur. ***Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, sic & in medio venditionis angustabitur peccator.*** *Tertiò* ratione materiæ, vt si res non vendibilis vendatur, vt sunt res sacræ: vel si vendibilis ex se sit, prohibetur tamen aliqua iusta lege: vt ne extra Regnum frumentum vendatur. *Quartò* ratione loci, vt si fiat in loco sacro; id enim prohibetur c. *Decet*, de immunitate Ecclesiarũ in 6. & in Trident. sess. 22. decreto de obseruandis & euitandis in celebratio. Missarum. nam damnum Dei docet sanctitudo: & Christus Matth. 21. eiecit de templo ementes & vendentes. Non tamen existimo esse lethale, negotiari in Ecclesia solo verbo, vel scripto, vel perficere emptionem & venditionem quantum ad essentiam, dummodo res vendendæ in templum non adducantur. *Quintò* ratione temporis, vt si fiat in die festo, iuxta caput primum, de feriis. Hoc tamen peccatum Sotus & Valentia existimant, non esse mortale secluso scandalo. Vbi tamen viget cõsuetudo negotiandi in festis, vt solet fieri in nundinis, nullum est peccatum. Ita Salon 2.2. quæst. 77. art. 4. controuers. 2. *Sextò* denique negotiatio propriè dicta est interdicta ratione personæ, videlicet clericis & Religiosis; negotiatio, inquam, per se & immediatè. de quo extant plura capita, precipuè verò cap. 1. ne clerici vel Monachi, vbi Pontifex ait: ***sub anathematis interminatione prohibemus, ne Monachi vel clerici causa lucri negotientur.*** Et in c. *Consequens*. & in cap. *sed nec*, ne clerici, vel Monachi, ponitur pœna suspensionis, & cap. *Canonum* 14. quæst. 4. ponitur pœna expulsionis à clero, & Clementina 1. de vita & honestate clericorum, spoliantur clerici negotiatores priuilegio clericali, quæ pœnæ non sunt latæ, sed ferendæ, vt patebit intuenti, & obseruant communiter Doctores; quæ renouatæ sunt per Trident. sess. 22. cap. 1. de Reformat.

95. Est tamen difficultas, An clerici negotiantes peccent mortaliter. Affirmant Molina disp. 342. & Nauarr. cap. 25. num. 100. quia materia est grauis, & similiter pœnæ quæ imponuntur, & hæc sententia mihi placet, si multum negotiationi dent operam: ***Nemo enim militans Deo implicat se negotiis*** 2. Timoth. 2. ***secularibus***, iuxta sententiam Apostoli 2. ad Timoth. 2. In vno autem, vel altero actu negotiationis probabilius est, non committi peccatum mortale, per se loquendo, hoc est, secluso scandalo, & contemptu, & quòd negotiatio non sit adeò turpis vt ex ea ministerium clericale dehonestetur, vt sunt quædam sordida opificia, vt lanij, coqui, &c. quamuis clerici sint sacris initiati, de his enim est sermo. Et ratio est, quia non videtur grauis indecentia, nec dicitur clericus negotiator simpliciter: illæ enim prohibitiones præcipuè tendunt contra vsum, id est, exercitum negotiationis, & ita in vno, vel altero actu non erit peccatum lethale. Ita Lessius lib. 2. cap. 21. dub. 1. Clerici verò qui sacris initiati non sunt, non peccant mortaliter negotiando, & probabilius est nec venialiter peccare; quia omnia illis licent quæ laicis, possuntque redire ad seculum & laicare. Quod intelligendum est, si beneficium Ecclesiasticum non habent: nam habentes tale beneficium probabilius est lethaliter peccare; nam leges adductæ intelliguntur de clericis, qui sunt sacris initiati, aut beneficiati: quod rectè limitat Lessius si beneficium alicuius momenti sit, & negotiatio publica, ac ita sordida, vt statui Ecclesiastico sit ignominiosa.

96. Sunt tamen nonnulla obseruanda, clericos propter suam, vel suorum necessitatem, cui aliter commodè nequeunt subuenire, posse negotiari per se. Ita Lessius suprà, num. 6. quia illa necessitas excusat. Vnde Concilium Elibertinum c. 19. concedit clericis in hoc casu, posse negotiari per se intra Prouinciam, & per alios extrà.

Secundò notandum, clericos per alios posse negotiari: tum quia hoc modo cessat ratio prohibitionis, nam neque est aliqua indecentia respectu status, neque clerici ipsi in ea negotiatione insumunt tempus. tum maximè, quia negotiari per alios nullibi est prohibitum; imò Clementina prima, de vita & honestate clericorum, id in simili casu videtur permissum. Recte autem obseruat Lessius, hoc non esse faciendum nisi iusta aliqua causa excuset, vt paupertas, vel necessitas, &c. hac enim non intercedente semper reperitur aliqua indecentia, ob quam non sunt excusandi saltem à veniali ratione status, vt docet etiam Barbosa de iure vniuerso lib 1. cap. 39. num. 68.

97. Tertiò notandum, clericos & Religiosos posse comparare materiam aliquam ex qua arte facta conficiant & vendant; quia hoc non est negotiari, potius enim est artificium, quàm negotiatio: sic legimus olim Religiosos, sportulas & similia laborantes vt venderent & ex pretio se sustentarent: & Paulus Actorum 18. Artem scenofactoriam exercebat. Vnde possunt greges alere, prata ad illorum pastum conducere, oues emere ac nutrire, ex quibus vendant caseos, agnos, &c. similiter possunt agros proprios colere, & alienos conducere ad propriam suam & suorum sustentationem, quia hoc non dicitur negotiari. lucri autem gratia solùm prædia conducere vt fructus vendant, prohibitum est. 21. quæst. 3. c. 1. vers. 3. & c. 1. extrà Ne Clerici vel Monachi, nam quamuis hoc non sit negotiari, est tamen expresè illis prohibitum, nisi pro sua necessaria sustentatione. Similiter cap. *Clericus*. 91. distinct. prohibetur clericis ambulare in nundinis, non emendo, sed inter emptores, id est, inter mercatores

catores exercendo officium proxenetarum ; vt explicat Nauarra 2.de Restitutio.c.2.n.326.& vt multa paucis complectar , negotiatio propriè clericis interdicta illa tantùm est , quæ exercetur vilius emendo , quod immutatum , cariùs deinde vendatur ; & hoc tantùm lucri cupiditate. Vnde qui vendit cariùs , quod viliùs emerat, non est eo ipso negotiator, nisi ad hoc ipsum emerit vt cariùs venderet. Neque qui quod emit , postea maiori pretio distrahit; vel quia iam vsu illa re est,vel quia breui satiatus,vt fit in pictura aliqua, libro,&c.nec denique qui sola lucri cupiditate adductus,vendit dummodo ad hoc non emerit vt vendat,vt rectè obseruat Filliucius tract. 43. cap.4. num. 30.

98. Restat explicare, quomodo clerici negotiatores priuilegium clericale amittant ; & gabellas soluere teneantur.In cap.fin.de vita & honest.Clericorum, sic Honorius cuidam Episcopo scribit : *Mandamus quatenus si tales tertiò à te commoniti ab huiusmodi non resipiscant, sed pratermissis diuinis officiis negotiationibus insisterint , supradictis cum facto priuilegium abiiciant clericale , quo minus dum iis se implicant , deque suis facultatibus , statutis & consuetudinibus patriæ subiaceant , non defendas eosdem.* Ad incurrendam hanc pœnam , vnam monitionem pro tribus sufficere tenent nonnulli : sed meliùs Panormit.Glossa & Ioan.Andreas illo cap.fin. & plures alij censent, omnino requiri tres monitiones;quia odio restringenda sunt. imò Nauarrus cap. 27. num. 81. existimat,dies aliquos debere esse interiectos inter vnam & alteram monitionem; quod optimè probat Suarez 3.p. tom. 5. disp. 22. sect. 1. quia hæc interualla dantur ad exprimendam emendationem. Quo autem priuilegio clericali priuentur clerici propter negotiationem , probabilius est solum amittere priuilegium immunitatis à tributis & exactionibus. Ita Molina disp. 342. Suarez suprà n. 17. & Glossa dicto cap. finali , & colligitur ex illo verbo *de suis facultatibus :* & ex interrogatione ipsa constat , solùm spoliari priuilegio emptionis à tributis & exactionibus , quibus laici subiiciuntur secundùm statuta & consuetudinem patriæ : quod est contra Hostiensem & alios , qui volunt etiam spoliari priuilegio fori.

99. Sed aduerte *primò* , eo ipso quòd emendentur, priuilegium recuperare , vt ex textu planè colligunt Glossa,Innocentius,Panormit.Ioan Andreas, Molina, & alij. Obserua *secundò* , de his quæ negotiando vendunt,gabellam debere , etiamsi non sint moniti vt à negotiatione desistant, vt notauit Gregorius Lopez ad legem 49. titul. 6.part. 1.quia nec Ecclesia , nec principes intendunt clericos eximere à tributo in negotiatione ipsis prohibita.Imò quando licitè negotiantur per alios , vel per se propter necessitatem , tenentur gabellam soluere. Denique secundùm Molinam etiam illam debent ex quibusdam negotiationibus impropriè dictis , vt si vuas emant ex quibus per famulos aut ministros ad id conductos vinum faciant , & vendant : si ex lana propriarum ouium per operarios & artifices conductos pannos conficiant , & vendant : si agros alienos conducant , vt colant,& fructus vendant. De lucro autem per negotiationem licèt turpem acquisito possunt testari, quia non est contra leges iustitiæ acquisitum , sed Religionis. Ita Emanuel Sa verb.negotiatio , nec tenentur dare pauperibus illud, nisi eis in pœnitentiam imponatur , vt contra Panormitan. docet Siluester verb. Clericus 3. quæst. 3. & plures alij.

DISPVTATIO V.

De Censibus.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit census.

NOmen *census* varias habet significationes , quæ videri possunt apud Couarruu. 3. variarum. c.7.& Recentiores cõmuniter. Quod verò attinet ad nostrum institutum,diffinitur in hunc modũ. *Census est ius percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius.* v. g. obligat se quis alteri ad conferendam ei certam partem fructuum propriæ vineæ singulis annis:ius quod iste habet eam pensionem percipiendi , dicitur census : & ille qui se obligat ad pensionem soluendam , dici solet Censuarius;sicut qui ius habet percipiendi,dicitur Censualista. Tria namque in censu reperiuntur. *Primò*, res in qua constituitur census, vt domus,prædium, vel fundus.*Secundò*,pensio quę percipitur ex re censui subiecta,siue sit in fructibus,siue in pecunia,siue in alia re vtili. *Tertiò*,ius percipiendi annuam pensionem. Census ergo nec est res , nec pensio ; sed ius percipiendi pensionẽ.Itaque in definitione census dicitur primò *ius* , &c. quia census non est ipsa pensio soluenda , sed ius quoddam ad exigendum quotannis certam pensionem ab alio , cui iuri respondet in altero obligatio soluendi. Quare qui vendit censum , non vendit pecuniam , aut fructus aliquot annuos , vt rectè obseruat Lessius cap.22. dub. 1. & est valde notandum, & inferiùs amplius declarabitur; sed ius exigendi certam pecuniæ summam , vel certos fructus , quæ plurimum inter se differunt. Dicitur secundò , *ex re alterius*, quia nullus dicitur super re sua habere censum , cùm in ea habeat ius multo perfectius , nempe dominium: super re autem alterius nullum aliud habet ius,nisi percipiendi ex ea pensionem, cùm dominium directum & vtile sit apud alterum. Denique dicitur *vel ex persona*, quia etiam super persona potest constitui & fundari hoc ius , vt infrà dicetur. 1.

Diuiditur autem census generatimin reseruatiuum , & consignatiuum. Reseruatiuus dicitur quando quis transfert rem suam in alterum quoad dominium directum & vtile , seruata sibi pensione annua super eadem re : vt fecit Ioseph Genes. 47. in omnibus terris Ægyptiorum , cùm eas emptas & subiectas dominio Pharaonis , Ægyptiis restituit , constituto in eis censu. Et ideo hic census dicitur reseruatiuus , quia ex re ipsa quæ confertur , reseruat concedens sibi , vel alteri eum censum , nihil accipiendo in recompensationem eius , quod ex ea re concedit. Vnde etiam hic contractus habet locum in spiritualibus absque simoniæ vitio. Et differt ab emphyteusi , quia per contractum emphyteuticum transfertur solum vtile dominium , directum verò manet apud concedentem. Per hunc verò contractum censualem etiam directum dominium transfertur. Deinde quod in emphyteusi , si pensio ab emphyteuta biennio,aut triennio non soluatur, incidit in commissum;id est, amittit vtile dominium proprietario. In hoc verò contractu censuali , quamuis is qui censum tenetur soluere , non soluat per multos annos , non ideo incidit in commissum ; sed solùm tenetur soluere pensiones non solutas. Et denique differunt, 2.

quia

quia emphyteuta non potest vendere rem emphyteuticam irrequisito domino, aliàs cadet in commissum, & præterea ex pretio tenetur soluere proprietario laudemium: at debitor huius census, potest vendere rem censualem, irrequisito domino cui census debetur, neque ex pretio tenetur laudemium illi soluere.

3. Census verò consignatiuus, de quo in præsenti disputamus, & de quo loquuntur Bullæ summorum Pontificum, est, quando quis super bonis suis, quorum dominium directum & vtile retinet, vel etiam super persona sua alteri ius pensionis annuæ consignat: vt quando Petrus, v.g. vendit Paulo ius percipiendi ex re sua, vel persona, centum annuos solidos, datis pro pretio centum scutis, & consignat domum, vel prædium, aut ipsam personam, ex qua pensio, vel fructus, sunt colligendi & soluendi.

4. Hic autem census diuiditur. *Primò* ex parte rei in qua collocatur, in realem, personalem, & mixtum. Realis est qui fundatur supra re aliqua, vt domo, fundo, prædio, &c. Ita vt soluenda pensio sit ex fructibus illius donec legitimè redimatur. Personalis verò, qui fundatur super persona, quæ vendit annuum censum soluendum ex fructibus propriæ industriæ, vel laboris: cui respondet tantùm obligatio in persona, & debitum in pensione. Mixtus denique, qui constituitur super re, & super persona immediatè, ita vt etiamsi res pereat, persona tamen maneat obligata: cuius contrarium euenit in censu merè reali, in quo pereunte re, vel ex parte, vel in totum, periit similiter census. *Secundò* ex parte rei soluendæ diuiditur in fructuarium & pecuniarium; si enim soluitur in pecunia, dicitur pecuniarius: si verò in fructibus, fructuarius appellatur; quæ diuisio etiam habet locum in censu reseruatiuo. *Tertiò* diuiditur in certum & incertum: certus est, cùm constituitur in pensionem determinata pecuniæ summa, vel fructuum mensura. Incertus verò, cùm constituitur soluenda indeterminata, v.g. tertia, vel quinta pars fructuum. Denique ex parte temporis, seu durationis, diuiditur census in temporalem & perpetuum. Temporalis subdiuiditur in eum, qui certò annorum numero durat, vt ad decem, viginti, aut triginta annos & in eum qui durat numero annorum incerto, qualis est qui in totam vitam ementis, aut vendentis, vel cuiusdam tertij emitur, qui solet nuncupari vitalitius. Perpetuus secatur in redimibilem, qui scilicet fit cum pacto de retrouendendo, & ab Hispanis appellatur *censo al quitar*, & in irredimibilem, qui simpliciter est perpetuus, & ab Hispanis dicitur *censo irredimible*.

SECTIO II.

An emptio census licita sit.

5. HEnriquez *Quodlibet* 8. *quæst.* 24. & nonnulli alij, existimarunt, illicitam esse emptionem censuum nouorum, id est, annuorum reditruum, qui de nouo constituantur; qui tunc primum constituuntur quando vendendi sunt, quamuis in re fructifera constituantur, modò tamen speretur tales reditus, seu pensiones recipiendas, tandem superaturas pretium. Doctores verò communiter, nullum inueniunt discrimen inter census antiquos & nouos, quia antiqui aliquando fuerunt noui, & lapsus temporis non fecit eos esse iustos: quare sicut antiqui vendi possunt, ita & noui.

Sit conclusio. Licitè potest quis citra vsuram vendere ius percipiendi reditus, vel pensionem ex re propria, & similiter licitè potest alius emere tale ius. 6. In hac conclusione omnes conueniunt, & probatur in primis ex praxi communi, quia huiusmodi contractus tanquam liciti ex natura sua reputantur: vnde in Extrauagantibus Martini & Calixti de emptione & venditione, approbantur huiusmodi contractus, quibusdam appositis circunstantiis: si autem ex natura rei essent illiciti, nullis appositis circunstantiis possent reddi liciti. Deinde probatur ratione, quia in contractu census est venditio iuris percipiendi reditus ex parte vnius, & emptio eiusdem iuris ex parte alterius: sed licitè potest quis vendere ius percipiendi fructus, vel reditus ex re propria, & alius emere: ergo talis contractus census licitus est, quia consistit in tali emptione & venditione. Minor ex eo probanda est, quia potest aliquis legare alteri vsumfructum rei propriæ, vt probat textus in l. *Omnium prædiorum*. ff. de vsufructu, & in l. *Si quis ita* 20. eodem tit. ergo potest talem vsumfructum licitè vendere, & consequenter potest etiam alius licitè illum emere. Consequentia est manifesta, quia quidquid potest legari, potest venire in alias stipulationes & contractus. Confirmatur, quia, vt obseruat Molina disp. 385. licitum est alio titulo constituere censum realem, v.g. donatione, qua quis in agro suo concedat puellæ vt nubat, vel alicui alteri annuos reditus: aut lata lege iusta, vt ex vnoquoque agro tantum soluatur, vel in tributum, vel pro expensis faciendis in aquæductu, vnde agri illi rigentur: ergo etiam licitum erit constituere illum titulo emptionis. Patet consequentia, quia is census est pretio æstimabilis, nec in agro illo atque in dominio illius est minus virtutis, vt titulo emptionis constituatur, quàm vt constituatur quocumque alio: neque plus valet postquam est iam constitutus alio titulo, quàm valeat, vt de nouo titulo emptionis constituatur.

Obiicies, quia in contractu census redimibilis redditur capitale emptori, postquam per aliquot annos percepit reditus: quare in hoc casu videtur esse mutuum virtuale sortis principalis per illud tempus, vsque dum reddatur capitale, cum obligatione interim percipiendi reditus pro tali mutuo, in quo videtur esse vsura palliata, v. g. Si Petrus mutuet Ioanni centum aureos, ea lege, vt interim dum eos non soluerit, accipiat de fructibus prædij illius, certam annuam quantitatem, prædiumque obligatum sit Petro capitali, contractus est vsurarius, & tenetur mutuans computare quantitatem illam annuam perceptam in sortem, vt constat ex suprà dictis, & fatentur omnes: ergo similiter contractus censualis, quo Petrus dat centum aureos Ioanni in pretium æqualis annuæ pensionis, quam ex prædio aliquo teneatur ei soluere, ita vt ad quemcumque transeat prædium, deferat secum illud onus, vt ex ipso pensio soluatur, adhibito pacto de retrouendendo quando redditi fuerint illi centum aurei, & nihilominus quòd pensiones acceptæ non computentur in sortem: ergo nullum est discrimen inter vtrumque contractum. 7. Patet consequentia, quia personæ contrahentes sunt eædem, pecunia data eadem, & pensio soluenda quousque reddatur sors principalis, & idem prædium vtrobique obligatum. Et confirmatur, quia in hoc contractu si census in pecunia sit soluendus, non videtur interuenire alius contractus quàm mutui, quo datur simul pecunia aliqua, vt per partes à tempore

tempore in tempus soluatur cum incremento vltra sortem, quod est vera vsura, tum quia extrema illius contractus nihil aliud sunt, quàm pecunia data, & pecunia per partes soluenda cum incremento. Tum etiam, quia si esset emptio & venditio, vel venderetur fundus super quem collocatur census, vel pecunia soluenda quotannis, vel ius vt illa soluatur. Non fundus, quia manet eius qui censum vendit, vt constat. Neque pecunia, hæc enim vendi non potest, quia est pretium & mensura rerum venalium, nec habet rationem mercis; ad emptionem verò & venditionem requiritur, vt interueniant simul pretium & merx. Nec denique venditur ius vt pecunia soluatur, quia illud ius non est aliquid reale, & consequenter non habet valorem vt vendi possit.

8. Respondetur, emptionem & venditionem census, cùm sit vera emptio & venditio cùm pacto de retrouendendo, esse licitam & sine vsura; quia nullum ibi interuenit mutuum, neque virtuale, cùm venditor ad nihil obligetur: quare licitè potest emptor recipere fructus simul cum sorte principali quando redimitur census, quia illos percepit ex re propria. Vnde est longè diuersa ratio in contractu mutui, ac in contractu censuali. nam in illo contractu Petrus sibi reseruauit facultatem repetendi centum illos aureos, nec pereunte prædio manet Ioannes liber à censu, nec à restitutione centum illum aureorum quos accepit. At in contractu censuali etiamsi fiat cum pacto de retrouendendo, si pereat res in qua census est collocatus, perit census emptori; neque venditor tenetur deinceps restituere pretium, nec soluere pensiones census. Ad confirmationem respondetur, id quod venditur & emitur in hoc contractu, non esse pecuniam, aut pensionem annuam, sed ius ad pensionem annuam exigendam: nec impedit quòd ius illud in se sit eius rationis. nam adhuc potest valere pretium illud; non quidem ratione suæ entitatis, sed ratione pecuniæ quotannis accipiendæ, ad quam est ius: vendens enim habet ius percipiendi pensionem ex re sua, quod ius sicuti alteri donari potest, ita etiam vendere. nam valor rerum non attenditur penes entitates, sed penes vtilitates & commoditates quas afferunt.

Sectio III.

An iure naturæ emptio census personalis sit licita.

9. Conueniunt Doctores, emptionem census realis redimibilis licitam esse, vt habetur in Bulla Pij V. de qua infrà. Et ratio est, quia emptio census redimibilis est cum pacto de retrouendendo, qui enim emit censum redimibilem, manet obligatus, vt quoties venditor velit reddere pretium, teneatur ius ipsum iterum vendere, quod appellant venditorem censum redimere: at contractus emptionis & venditionis cùm pacto de retrouendendo, licitus est ex natura sua, vt ostendimus disputatione præcedenti: ergo talis venditio & emptio census redimibilis ex natura sua licita est. Difficultas ergo procedit de censu personali. Negat Nauarrus in Commentar. de vsuris num. 81. Sed, vt rectè obseruat Lessius dub. 4. num. 11. hi Doctores non loquuntur de censu personali, qui frequenter est in vsu; sed de eo qui ita constituitur in persona sicut constitui solet in fundo, adeò vt si non sit soluendo creditor, possit debitorem vendere, aut trahere in seruitutem, sicut potest fundus vendi, aut in dominium vendicari: hîc autem loquimur de censu personali, qui in creditore solùm ponit ius pensionis annuæ; in debitore verò obligationem tantùm personalem illius soluendæ.

Sit conclusio. Emptio census personalis licita est. Ita Couarru. 3. variarum, cap. 7. & Lessius vbi suprà. Et probatur, quia lege Ecclesiastica soluuntur decimæ etiam personales, cap. *Decimæ* 16. quæst. 1. cap. *Apostolica*, cap. *Non est*, & cap. *pastoralis*, de decimis, quæ consuetudo adhuc perseuerat in quibusdam locis, & in lege veteri personales decimæ soluebantur. Deuteron. 12. & 2. Esdræ 10. Fideles constituerunt annuum reditum tertiæ partis sicli per singula capita ad ministeria templi, qui erat census personalis. Similiter Principes seculares ex iusta causa possunt imponere personale tributum quotannis soluendum. *Secundò* probatur, quia, vt ostendimus, licitum est emere ius in fructus super re fructifera: ergo similiter licitum erit emere ius in fructus super persona fructifera, id est, industriosa. Patet consequentia, quia si possum vendere ius percipiendi fructus ex re mea, cur non possum vendere ius percipiendi fructus ex mea industria prouenientes. Confirmatur, quia ius quod quisque habet percipiendi lucrum ex sua industria suisque bonis, est res pretio æstimabilis, ac vendibilis, sicut ius percipiendi fructus ex fundo: ergo poterit homo se ad illam industriam obligare. 10.

Adde hanc emptionem licitam esse, etiamsi pensiones sperentur excessuræ pretium: sicut enim census realis perpetuus licitè emi potest minoris, quàm sint pensiones speratæ; ita similiter personalis. nam sicut in censu reali perpetuo non violatur æqualitas, eo quòd non emantur propriè fructus, qui longè superant pretium, sed ius ad illos quod censetur æquale pretio; ita per hanc emptionem non emuntur propriè pensiones futuræ, sed ius & actio ad illas, quod in communi æstimatione longè minoris valet, quàm valerent pensiones speratæ, si essent præsentes. 11.

Nec obstat quòd summi Pontifices Martinus V. & Calixtus III. solùm reales census licitos esse declararunt: ergo non personales. Nam respondetur, declarasse illos esse licitos, quia de iis fuerunt interrogati, non tamen damnati sunt personales. Omnia alia argumenta quæ in contrarium adduci possunt, dissoluuntur facilè negando in eiusmodi censu interuenire mutuum, sed veram emptionem, non pensionis, sed iuris super alterum, qui potest sibi imponere obligationem personalem, quæ etiam transeat ad hæredes. Sicut etiam aliæ obligationes personales ex aliis contractibus ortæ, transeunt ad hæredes, ac eos obligant; ita etiam hæc obligatio soluendæ pensionis quamuis merè personalis sit, potest ad hæredes transire. 11.

Sunt verò duo obseruanda. *Primum* est, vt emptio talis census licita sit, opus esse vt persona, supra quam constituitur, sit fructifera, & fertilis, id est, talis vt sua opera & industria pariat vnde soluat, vel habeat aliqua bona in re, vel in spe, aliàs nullius esset momenti, nec pretio æstimabilis. *Secundum* est, licitum etiam esse in emptione huius census exigere hypothecam securitatis causa, sicut etiam in reliquis contractibus, mutuo, venditione, &c. Cùm enim hic contractus validus sit, vt ostendimus, meritò potest exigere is cuius interest, securitatem, vt firmus maneat. 13.

Ex

Digitized by Google

14. Ex quibus infertur, licitam etiam esse emptionem census mixti, id est, qui partim sit personalis, partim realis; nam si vtriusque census emptio seorsim sumpta, est licita: ergo vtriusque simul. Vnde potest emi census super fundum ea lege, vt etiamsi fundus nihil, vel parum aliquando fructificet, nihilominus venditor teneatur totam pensionem soluere; atque ita si fundus vendatur tertio, poterit pensionem exigere, & à venditore census ratione obligationis personalis, & à tertio ratione obligationis realis quæ est in fundo. Similiter si ematur census in fundo eo pacto, vt venditor obligetur si res omnino pereat, erit census mixtus. Et denique si fructus fundi non sufficiant ad soluendam totam pensionem, & census ematur cum pacto, vt tota soluatur, erit mixtus, quo casu est realis quatenus se extendit ad fructus fundi personalis vt ad reliquam partem, vt docent Lessius, Fagundez in hoc loco, & Bonacin. disput. 3. quæst. 4. punct. 1.

Sectio IV.

An emptio census perpetui irredimibilis minori pretio facta, quàm sint pensiones sperate, licita sit.

15. Conclusio est affirmatiua & communis inter Doctores. Et probatur, quia est vera venditio, & perpetua obligatio non vitiat, cùm sit omnino libera, & non à iure prohibita. Deinde, quia, vt sæpe dictum est, non emuntur pensiones, sed ius ad illas, quod ius minus æstimatur: pretium enim, v.g. 50. aureorum annuatim efunt 1000. quod minus est, quàm omnes pensiones quæ sperantur ex eo; hæc enim spatio viginti annorum adæquantur pretio, & tamen qui emit talem censum irredimibilem, sperat pensiones per plures annos quàm viginti, & nihilominus non propterea contractus est iniustus, vt rectè obseruat Filliucius tract. 35. p. 2. cap. 1. Quia etiam res ipsa in qua fundatur census, est minoris pretij quàm omnes fructus qui ex ea sperantur, v.g ex fundo valente 1000. aureos, sperantur fructus per centum, vel ducentos annos, qui quintuplo, vel decuplo superat valorem pretij illius, & tamen emptio rei eiusmodi pretio licita est: ergo multo magis emptio census, qua emitur pars rei, nempe ius ad pensiones ex ea, quod minus est, quàm ius in eam perfectum.

16. Obseruat autem Lessius, in hoc censu repereunte perire etiam censum, quando est realis. nam sicut pereunte re, perit dominium eius, ita etiam ius percipiendi fructus ex ea. Et deinde posse exigi hypothecam, quæ nullum alium habebit vsum si res censui subiecta pereat; solumque ad hoc seruiet vt si fortè debitor census nolit re censui subiecta permanente salua soluere pensiones, possit vendi hypotheca vt ex ea solutio petatur, vt etiam obseruat Filliucius loco citato.

17. Ex quo etiam infertur, similiter emptionem redditus personalis irredimibilis licitam esse, quamuis pretium sit minus quàm pensiones sperate, quia ex vna parte certum est posse sibi hominem talem obligationem imponere, quæ ad hæredes transeat secundùm hæreditatis facultates, & ex alia parte minor est species vsuræ in hac emptione, quàm in emptione census personalis redimibilis, cùm nulla sit spes fortis recuperandæ. Quamuis contraria sententia sit satis probabilis, quam defendit Salon tom. 2. de Censib. art. 4. controuers. 2. Nam census perpetuus, quia perpetuus, requirit rem firmam & immobilem, qualis non censetur persona.

Sectio V.

An census qui ad certum, vel incertum tempus constitutus est, sit licitus minori pretio, quàm sit quantitas pensionum quæ ex eo soluendæ sunt.

Prima conclusio. Ex natura rei licitus est census realis ad certum, vel incertum tempus constitutus pro minori pretio, quàm sit latitudo pensionum quæ recipi sperantur. Ita Molina disp. 386. & Lessius dub. 6. num. 42. Quare licitum erit emere non ginta aureis pensionem decem aureorum in decennium. Et probatur; quia hoc ius semper æstimatur minoris, quàm emolumentum speratum si præsens esset. Vnde sicut emi potest minoris ius percipiendi fructus ex fundo alterius in perpetuum, ita etiam ad certum annorum numerum. Et confirmatur, quia, vt rectè Conradus de Contractibus quæst. 80. si is contractus esset iniustus, sequeretur planè, plus valere census temporalem, quàm perpetuum æqualis pensionis, non solùm redimibilem, sed etiam irredimibilem, & maiori pretio esse emendum, vt iustè ematur, quod est absurdum. Sequela probatur, quia iustum pretium census perpetui irredimibilis, est ad rationem triginta pro vno in aliquibus Regnis: ergo si census ad certum annorum numerum non posset iustè emi minori pretio, quàm sit quantitas pensionum quæ ex eo percipiuntur, talis census ad triginta quatuor annos non posset iustè emi ad rationem triginta pro vno, sed insuper addendus esset valor quatuor pensionum, quæ vltra recipientur. 18.

Secunda conclusio. Census vitalitius similiter emi potest minori pretio, quàm pensiones speratæ. Ita Doctores communiter. Et probatur, quia sicut pensiones superare possunt sortem, ita possunt superari. nam vtrumque est fortuitum, cùm sit incertum an is super cuius vitam constitutus est sit victurus tot annos, necne; tum etiam, quia non emuntur pensiones, sed ius ad illas, quod minus valet quam pensiones præsentes. 19.

Maior difficultas est de censu personali ad certum tempus. Molina vbi suprà, censet, illicitum atque iniustum esse censum personalem ad certum annorum numerum pretio minori, quàm sit quantitas pensionum, nisi adsit lucrum cessans, aut damnum emergens, vel census periculo solutionis subiaceat, vel ex alio simili capite iustè minuatur de pretio. Et quamuis hæc sententia sit magis tuta, opposita est æquè probabilis cum Lessio & aliis, videlicet censum personalem tam ad certum tempus, quàm ad incertum, posse etiam emi minus, quàm pensiones speratæ. Et quidem hæc posterior pars videtur certa, ob rationem adductam, scilicet ob fortunam quæ in eo interuenit, æqualem damno & lucro. Prior verò pars ostenditur, quia non potest dari sufficiens ratio, cur communi hominum æstimatione, vel Principum lege, non possit iuribus personalibus aliquod certum pretium imponi, quod minus sit quàm pensiones speratæ: hoc enim videtur postulare bonum commune; nullus enim illum emeret nisi aliquid lucri speraret. 20.

Alias

Aliàs plus valeret census personalis ad annos viginti, quàm perpetuus, vt ostensum est.

21. Obiicit verò Molina, quia quamuis dum talis census emitur, æmatur etiam ius ad annuas pensiones, nihilominus interuenit vsura; quia virtute pretium datur pro mutuo, vt per partes reddatur cum incremento ratione expectationis solutionis: sicut qui dat centum nonaginta aureos, vt singulis annis vsque ad decennium accipiat viginti, & in fine decenmij ducentos simul, proculdubio vsuram committit. Respondetur, si intendat emere censum, talem contractum non esse illicitum; quia intendit emere actionem personalem, quæ non pluris æstimatur: si verò solùm intendat dare mutuum esse omnino illicitum, quia mutuum non datur pro iure, sed pro alia re simili in specie eiusdem valoris.

22. Inquires, an emptio census cum pacto vt non possit redimi nisi ante, vel post certum tempus, sit licita, v. g. vt non possit redimi nisi intra decennium, ita vt si intra illud tempus non redimatur à venditore, fiat irredimibilis, & similiter, vt possit redimi post certum tempus, v.g. post decennium, ita vt antè redimi nequeat. Ad vtrumque respondetur affirmatiuè. Ita Couarruu. 3. variarum, cap. 8. & prior pars ostenditur, quia si licitum est emere censum irredimibilem absolutè, licitum etiam erit emere perpetuum irredimibilem, sub illa conditione, cùm sit in fauorem venditoris, & eadem ratione secunda pars est manifesta, quia si licitum est emere censum cum pacto vt perpetuò redimi possit, & cum pacto vt nunquam redimi possit; ita etiam licitum erit emere cum pacto, vt ante certum tempus non possit, bene autem post illud. In priori autem casu pretium debet esse maius, sicut etiam in posteriori pretium eo maius esse debet, quo tempus est longius, quo redimere non licet; vtrobique enim imponitur onus venditori pretio æstimabile; quare nisi augeatur pretium, conditiones illæ non possunt apponi.

23. Inquires secundò, an ex natura rei licita sit emptio census cum pacto, vt emptor possit illum reuendere quando voluerit, vel resoluere contractum recepto quod dedit. Et conueniunt Doctores, licitam esse emptionem census cum pacto vt venditor possit redimere quando voluerit; sic enim communiter census venduntur, seu instituuntur, & approbantur à summis Pontificibus. Itaque difficultas procedit quando tale pactum adiicitur in fauorem emptoris. In qua Lessius partem affirmantem tenet, vt speculatiuè veriorem, quia venditiones cum pacto de retrouendendo, vel emendo licitæ sunt. Deinde, quia hoc onus potest compensari ad æqualitatem tanto pluris emendo, cùm non sit infiniti pretij: ergo potest etiam imponi. Et denique, quia emptor census potest pacisci cum tertio, vt ille teneatur censum à se emere quando placuerit: ergo poterit inire simile pactum cum venditore.

24. Nihilominus, practicè loquendo, opposita sententia videtur probabilior & tenenda. In hoc contractu vel dari vsuram & mutuum palliatum, vel eo modo magnis vsuris viam aperiri, quia, vt rectè Filliucius, quilibet sic posset emere hos census personales, & idem omnino consequeretur lucrum, ac qui ex mutuo lucratur vsuras, & ita nullos esset contractus vsurarius quotiescumque qui daret alteri pecuniam, daret animo recipiendi lucrum omni meliori modo quo potest; quare talis contractus non est consulendus, præcipuè in emptione census personalis.

SECTIO VI.

Quæ conditiones ex natura rei requirantur ad censum licitum, & quodnam sit iustum pretium illius.

CIrca primum, nonnulli assignant plures conditiones; alij verò pauciores. Lessius dubit. 12. duas tantùm adducit. *Prima*, vt sit æqualitas inter æstimationem census & pretium illius, siue legitimum, siue vulgare. *Secunda*, vt non imponantur aliqua grauamina præter naturam contractus per pacta accessoria, & si forte imposita sint, prudentis arbitrio debitè compensentur. Filliucius verò tract. 35. part. 2. cap. 1. num. 268. addit alias duas. *Prima*, est consensus necessarius. nam tota vis & obligatio contractuum, pendet ab intentione & obligatione contrahentium. *Secunda*, vt ius quod venditur fundatum sit in re vendibili. Bonacina denique disp. 3. quæst. 4. punct. vnico, & alij Doctores addunt alias tres conditiones. *Prima* est, vt constituens censum super re aliqua, liberam habeat illius disponendi facultatem, quia nullus potest alteri tradere, nisi illius rei habeat dominium, vel liberam disponendi facultatem. Quare super re aliena absque consensu dominorum, super re accepta in feudum, vel emphyteusim, in fundo dotali absque vxoris consensu, insuper beneficio census constitui non potest. *Secunda*, vt census funderur in re fructifera, vnde super vino, oleo, tritico, &c. nequit constitui, quia hæc vsu consumuntur. Obseruat autem Azorius tom. 1. lib. 10. cap. 6. quæs. 1. rem in qua fundatur census, debere ad minus tot fructus ferre, qui sufficiant ad soluendam pensionem, detractis expensis laboris & industriæ; hoc enim videtur postulare æqualitas, cùm ius illud vendatur ad percipiendos tot fructus ex illa re. quamuis nonnulli opinentur censum institui posse super re cuius fructus non adæquant illum. Non verò est necesse, vt notat Valentia disp. 5. quæst. 12. punct. 2. vt res censita ferat fructus naturales, sed sufficit si ferat fructus pretio æstimabiles. Nec etiam est necesse vt singulis annis sit actu fructifera, sed sufficit vt natura sua sit fructifera, & speretur fore vt fructus ex ea percipiantur. *Tertia* est, vt si res censui subiecta pereat, vel fiat sterilis absque culpa censuarij, cesset census ad ratam. nam res domino pereunt. Quare falluntur qui existimant, rem censui subiectam & à qua census dicitur realis, esse veram hypothecam pro censu; atque adeò re pereunte vel in alium translata, adhuc manere obligationem personalem in priore debitore. Hoc tamen falsum est, quia hac ratione omnes census essent personales. Sed de his omnibus sectione sequenti iterum erit sermo in explicatione Bullæ Pij V.

25.

26. Circa secundum, videlicet quodnam sit iustum pretium census, obseruandum est, an sit à Principe lege taxatum, necne? Si sit à lege taxatum, omnino seruandum est, nisi per contrariam consuetudinem sciente legislatore, & non contradicente, abrogatum sit. Vnde in his Regnis statutum est, vt non possit institui census perpetuus nisi ad viginti mille pro milliario, & omnes census antiqui ad prædictum valorem reducti sunt. Quando verò non est à lege taxatum, illud pretium iustum erit, quod communi æstimatione & consuetudine loci receptum est. Ex natura tamen rei in censu irredimibili pretium debet esse maius, quàm in redimibili, & in perpetuo, quàm in temporali, & in vitalitio,

vitalitio, quàm in eo qui ad certum & determinatum tempus constituitur.

Sectio VII.

Quæ conditiones ex Bulla Pij V. requirantur in emptione censuum.

27. Pius V. vt animarum saluti consuleret, & omnes occasiones auerteret prolabendi in vsuras, in sua constitutione edita anno 1569. plures conditiones apponit, & iubet seruari in contractu censuario, sine quibus decernit ipsum contractum irritum & fœneratitium habendum. *Primò* ergo sic decernit. *Hac igitur nostra constitutione statuimus, censum, siu annuum redditum creari, constituive nullo modo posse, nisi super re immobili, aut que pro immobili habeatur, de sui natura fructifera, & qua nominatim certis finibus designata sit.* Vbi obserua, per hanc clausulam excludi omnes census personales, quia in his est maius periculum palliandi vsuras. Itaque iuxta illam, census non potest constitui nisi in re immobili, persona autem est res mobilis, vel se mouens. Quamuis census vitalitius personalis adhuc Romæ videatur esse in vsu, etiam post hanc Bullam, quia, vt notat Filliucius num. 285. non tanquam census personalis, sed tanquam contractus sponsionis, vel innominati, censetur continere iustitiam & æquitatem, videlicet *do vt des*, fundati in æquali periculo & lucro, ad arbitrium sortis & fortunæ; vel incertitudinis vitæ. *Secundò* obserua, rem debere esse immobilem, sicque constitui nõ posse super oleum, vinum, debita, &c. nisi super domum, fundum, prædium, vineam, & similibus. Aut quæ pro immobili habeatur; quare fundari potest super alios reditus, quia habentur pro immobilibus, & super iura & officia perpetua, quæ perpetuos habẽt fructus. Item super alios census si sint irredimibiles: imò & super redimibiles, si in casu redemptionis obligetur dominus census ad substituendum alium censum per rem fructiferam in qua fundatur. *Tertiò* nota, rem in quà census fundatur, natura sua debere esse fructiferam, iuxta æstimationem fructuum quos affert, vt videlicet apta sit producere tot fructus, quot sint necessarij ad persoluendum integrum censum. Cuius ratio est, quia nullus emeret censum realem in re, quæ culta non tantum redderet, quanta est pensio. nam cessione eius liber maneret debitor census ab eius solutione; atque adeò necesse esset admiscere censum personalem ad hoc, vt deficiente re in qua esset census constitutus, obligaretur persona ad solutionem illius; quod aperte excluditur per prædictam clausulam. Nomine autem fructuum iam dixi intelligi omnes reditus & prouentus, quæ ex re immobili prouenire possunt, vt ex domo, molendino, &c. nec requiri vt res sit ferax in specie eius fructus, qui pro pensione soluendus est, sed sufficere in genere ex sua natura esse frugiferam. Denique nota, talem rem debere esse certam & determinatam, per quam particulam excluduntur census qui super omnia bona tam præsentia, quàm futura eius qui vendit censum collocantur, quia tunc bona solum videntur subire rationem hypothecæ, & census esset personalis. Non tamen excluditur vt non possit constitui super vnam, vel plures res immobiles certas & determinatas, quia hoc tantùm efficit firmiorem censum. Si tamen adderetur solùm per modum hypothecæ ad securitatem solutionis pensionum dum census durat, non videtur esse contra hanc clausulam census constitutum super vna re, assecurari posse super aliis rebus venditoris, vt cæteræ obligentur ad solutionem census duraturi, dum res illa in qua est constitutus, durauerit, & similiter perituri pereunte re illa in qua est constitutus: non verò possunt substitui cætera bona, ad hoc vt destructa re subiecta censui, obligentur ad solutionem illius. Quando verò vna res non est capax tanti census, certum est posse constitui duas vel tres, quæ necessariæ sunt.

28. Secundò ita statuit. *Rursus nisi verè in pecunia numerata præsentibus testibus, ac Notario, & in actu celebrationis instrumenti, non autem prius recepto integro, iustoque pretio.* Et ex hac clausula infertur, hunc contractum debere celebrari numerata pecunia in actu celebrationis instrumenti coram Notario & testibus, id est, videntibus Notario & testibus, pretium integrum solui. Et non esse satis, vt censualista pretium soluerit ante confectionem instrumenti: nec posse computare debita in pretium: nec sufficere si loco pecuniæ res aliqua æquiualens soluatur: neque contrahentes conueniant, vt in actu celebrationis instrumenti numeretur integrum pretium censuario, sed postea censuarius illud restituat censualistæ in totum, vel in partem. Quamquam probabile sit stando in iure naturæ, secluso iure Pontificio, cessante fraude & iniustitia, licitam esse emptionem census in aliis mercibus; vt, v.g. si venditor census egeret pecunia ad illas coëmendas. Sicut etiam licitum est spectato eodem iure, posse pro pecunia liquidò debita, vel pro pensionibus non solutis constitui census. Nec obstat quòd dario in solutum, emptio non est ex lege final. ff. ex quibus causis; census verò ad emptionem reducitur, nam quamuis dario in solutum non sit emptio formaliter, est tamen virtualiter: census autem emi potest etiam emptione virtuali. Et eodem modo licitum est postquam partes liberè conuenerunt, & datum est pretium, census sine scriptura & tabellione, nisi aliud lege speciali cautum sit; quia est vera emptio & venditio, quæ ex mutuo consensu & rei traditione perficitur. Quando verò quis emit censum pecunia credita, etiamsi concedamus id fieri posse in foro conscientiæ, quod plures negant, nullo modo potest exigere pensionem pro pretio non soluto; quia pensiones soluendæ à venditore statim currunt à censu creato, & contra iustitiam est illas soluere de præsenti pro pecunia habenda in futurum; itaque pensio non debet currere nisi à tempore, quo fuerit solutum pretium.

29. Est tamen difficultas, an qui emit census minus iusto pretio, possit integram pensionem accipere. In qua dicendum est, si pretium erat lege constitutum cum clausula irritante, tunc restituendas esse pensiones, qua parte excedunt iustum pretium; quia talis contractus qua parte censum superat, est irritus. Si verò non erat lege taxatum, vel saltem non cum clausula irritante. Lessius dub. 15. censet, non teneri pensiones in sortem computare, sed tantùm pretium esse supplendum, & interesse si quod ex carentia iusti pretij obuenit, venditori compensandum. Sicut qui emit agrum minoris iusto, non tenetur fructus agri reddere, sed pretium supplere & damnum resarcire, quod ex defectu iusti pretij sequutum est. Quæ sententia videtur probabilior, quia ille ex re sua exigit pensiones; quare solum tenetur ad compensationem iusti pretij, vt prædictum est.

30. Tertia clausula sic habet. *Solutiones quas vulgò anticipitas appellant, fieri, aut in pactum deduci, prohibemus.* Per quam clausulam prohibetur, ne qui emit censum cogat censuarium, vt sibi censum antè pa-

tè ſoluat, ſed tantummodò exigat pro rata temporis lapſi; hoc enim dictat recta ratio, vt non ſoluatur id quod nondum debetur. Nihilominus ſi venditor liberè & ſponte ſua ſolueret penſionem anticipatè, quia fortè in fine anni non ita commodè poterit, non propterea eſſet cenſendus vſuarius, aut iniuſtus illam recipiens; quia per hanc clauſulam ſolum prohibentur ſolutiones anticipatæ ex pacto, ac proinde ex obligatione & debito; non verò libere & ſpontaneè facta à venditore cenſus.

31. Quarta clauſula. *Conuentiones directa, aut indirecta, obligantes ad caſus fortuitos eum qui aliàs ex natura contractus non teneatur, nullo modo valere volumus.* Per quod prohibentur omnia pacta obligantia ad caſus fortuitos, ad quos ex natura contractus cenſitor non tenetur: vt ſi emptor obliget venditorem, vt etiamſi caſu rem ſubiectam cenſui, vel fructus contingat perire, nihilominus teneatur ſoluere. Cuius ratio eſt, quia cùm in cenſu reali ſolùm vendatur ius ad fructus rei, ſi caſu nulli fructus ſint, nihil ex vi contractus debetur, ſicut pereunte re caſu fortuito, nulla debetur penſio. Quòd ſi aliquo anno caſu fortuito fructus non ferat, ſatis probabile eſt pro eo anno non teneri ad ſoluendam penſionem. Probabilius tamen eſt, manente re, & non reddita infructifera, quamuis aliquo anno caſu fortuito fructus non ferat, nihilominus penſionem etiam eo anno deberi: aliàs ſemper eſſent lites, cenſuario contendente ſterilitatem anni, vel fructus caſu fortuito periiſſe, & cenſualiſtis eſſet valde oneroſum quotannis de hac re diſputare.

32. Quinta clauſula. *Quemadmodum nec volumus valere pactum auferens, aut reſtringens facultatem alienandi rem cenſui ſuppoſitam: quia volumus rem ipſam ſemper & liberè ac ſine ſolutione laudemij, ſeu quinquageſimæ, aut alterius quantitatis. Vel rei, tam inter vinos, quam in vltima voluntate alienari. Vbi autem vendenda ſit, volumus dominum cenſus alijs omnibus præferri, eique denuntiari conditiones quibus vendenda ſit, & per menſem expectari.* Per quam clauſulam prohibetur fieri pactum, vt venditor non poſſit liberè alienare rem cenſui ſubiectam: quod certè eſt valde conſonum rationi & æquitati, cùm enim ex contractu cenſuali nec vtile nec directum dominium rei in qua cenſus collocatur, pertineat ad emptorem ipſius cenſus, ſed ſolùm ius accipiendi de fructibus illius penſionem, ex natura contractus cenſualis integrum manet debitori cenſus, alienare cuicumque voluerit rem in qua cenſus eſt collocatus; præcipuè, quia obligatio cenſus ſemper comitatur rem illam, & transfertur ad alium dominum. Vnde etiam infertur, non teneri ex pretio ſoluere laudemium domino cenſus, vt tenetur illum ſoluere emphyteuta proprietatio, in recognitionem dominij directi; quia hic emptor non eſt dominus rei, ſed tantùm iuris ad penſiones ſoluendas, dum res illa manet.

33. Sexta clauſula. *Pacta continentia onoroſum cenſus debitorem teneri ad intereſſe lucri ceſſantis, vel ad cambium, ſeu certas expenſas, aut certa ſalaria: aut ad ſalaria, ſeu expenſas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem cenſui ſubiectam ſine aliquam ei ius partem amittere, aut aliud ius ex eodem contractu ſibi aliunde acquiſitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita ſint & nulla. Imò & cenſum augeri & nouum creari ſuper eadem vel alia re in fauorem eiuſdem, aut perſonæ per eum ſuppoſitæ pro cenſibus temporis, vt præteriti, vel futuri, omnino prohibemus.* Per quæ verba prohibetur, ne fiat pactum quòd cenſuarius exiſtens in mora ſoluendi cenſum tempore conſtituto, teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis, aut ad aliquam pœnam, aut amittendam rem cenſui ſubiectam, aut ad expenſas. Obſeruat autem rectè Molina diſp. 390. hîc non prohiberi exigere expenſas rationabiles ac moderatas, quas dominus cenſus ob moram debitoris fecerit in exigenda & recuperanda penſione, & quidquid aliud ſecluſo quocumque pacto, licitè exigere poterat, ſed ſolùm vetari exigere quippiam aliud virtute pacti additi contractui cenſali. Nec prohiberi intereſſe lucri ceſſantis intrinſecum ex non ſoluta penſione, vt ſi penſio ſoluenda erat in tritico, tempore quo menſura valebat duos aureos, & dominus cenſus venditurus erat illam ſtatim, aut ſi illa excuſare debebat emptionem alterius eodem pretio, & poſtea ſoluatur penſio tempore quo ſolum valet dimidium aurei. Itaque non prohibet exigere lucrum hoc ceſſans, quia illud ex natura rei debetur, ſecluſo quocumque pacto. Atque adeò tantum prohibet accipere lucrum ceſſans extrinſecum rei ſoluendæ, vt ſi dominus cenſus mercator erat, & quod penſio tempore debito non fuerit ſoluta, lucrum ei ceſſauit ex mercatura. Quamquam probabile ſatis ſit in foro conſcientiæ poſſe exigere intereſſe etiam extrinſecum, cuius cenſitor per moram iniquam eſt vera cauſa, & ipſum teneri ad illud reſarciendum, vt docet Leſſius num. 85. vt iam ſuprà docuimus, vt ſi cenſitor ſtatuto tempore non ſoluat triticum, & contingat ob id mancipia emptoris mori, quibus alia ratione ſuccurrere non potuit, tenetur ad eorum æſtimationem.

34. Septima clauſula. *Sicut etiam annullamus pacta continentia ſolutiones onerum ad eum ſpectare ad quem aliàs de iure ex natura contractus non ſpectarent.* Senſus eſt, vt non poſſit apponi conditio, vt ſoluat aliquod onus is qui illud non debet, v.g. ſi ſit conſuetudo, vt emptor aliquid ſoluat fiſco, non poteſt obligari venditor, nec contrà. Non tamen per hanc clauſulam prohibetur accipere fideiuſſores, quòd res in qua ſenſus collocatur, ſit venditoris cenſus, aut quòd penſio debito tempore ſoluetur, vt docet Molina diſp. 391.

35. Octaua clauſula. *Poſtremò cenſus in futurum creandos, ve in totum vel pro parte peremptæ; aut infructuoſa in totum, vel pro parte effecta, volumus ad ratam perire.* Circa quam clauſulam vide ſuperiùs dicta, & ſolùm reſtant duo obſeruanda. *Primum* eſt, ſi dolo, aut culpa cenſuarij res deſtruatur, teneri eum reddere pretium cenſus, aut illum ſuper alia re immobili conſtituere. Quòd ſi res deſtructa, v.g. domus, molendinum inſtauretur, an ſit cenſui ſubiecta, ſpectanda eſt conſuetudo loci: ſi enim non ſit conſuetudo in contrarium, non manet cenſui ſubiecta niſi de nouo ei ſupponatur, quia eſt diſtincta à priore, vt tenet Nauarrus, num. 118. *Secundum* eſt, ſi res diuidatur in plures hæredes, vel vendatur pluribus per partes, cenſualiſtam debere à ſingulis emptoribus exigere penſionem ad ratam, non verò à ſingulis inſolidum. nam res tranſit cum onere, & ſicut tota res tranſit cum toto onere, ita pars rei tranſit cum parte oneris, vt docent Couarru. Salas Rebell. Azorius & alij contra Nauarr. Leſſium & Molinam exiſtimantes, penſionem exigi poſſe in ſolidum à ſingulis emptoribus rei cenſitæ; quia conditio creditoris non debet fieri peioris conditionis ex hæredum multiplicatione. Quod rectè lim. vitat Virginius de Cenſibus part. 2. n. 33. modò cenſuarius vendiderit poſſeſſiones cenſui ſubiectas admonito cenſualiſta, tunc enim ipſe ſibi debet hoc incommodum adſcribere, & imputare, cùm ipſe conſenſerit in alienationem rei cenſitæ, & noluerit eam emere cùm poſſet. Si verò cenſuarius

vendidit

vendidit non admonito censitore, tunc censitor potest totum censum exigere ab ipso censuario, quia æquitas non postulat vt censitor ob culpam censuarij, reportet incommodum exigendi censum à multis, vt docet Bonac. num. 37.

36. Nona. *Volumus etiam posse pro eodem pretio extingui, non obstante longissimi etiam temporis, ac immemorabilis, imò centum & plurium annorum, præscriptione: non obstantibus aliquibus pactis directè, aut indirectè talem facultatem auferentibus, quibuscumque verbis aut clausulis concepta sint.* Per hanc clausulam reiiciuntur census irredimibiles. Obseruant autem communiter Doctores, censum irredimibilem qui iusto pretio emi consueuit, non comprehendi hac clausula, neque illum intendisse Pontificem auferre; quia cùm in eo non restituatur pretium quod pro iure accipiendi annuas pensiones ex re in qua census est constitutus, fuit datum, nulla in eo est species mutui cum lucro ob tempus in quo emptor pretio caruit; atque adeò neque vsuræ, sicut est in censibus redimibilibus. Quare census irredimibiles per totum orbem receptissimi sunt. Per eamdem etiam clausulam reiiciuntur census temporales initi cum pacto, vt si intra certum tempus non redimantur, irredimibiles fiant.

37. Decima. *Cùm verò traditione pretij reditus extinguendus erit, volumus per bimestre ante id denuntiari ei cui pretium dandum erit, & post denuntiam intra annum etiam ab inuito pretium repeti posse, & vbi pretium neque volens intra bimestre soluat, neque ab inuito intra annum exigatur, volumus nihilominus quandocumque reditum extingui posse, præuia tamen semper denuntia, de qua suprà, & non obstantibus his de quibus suprà. Idque obseruari mandamus etiam quòd pluries ac pluries denunciatum fuisset, neque vnquam effectus secutus esset.* Quæ clausula ex se est satis perspicua.

38. Vndecima. *Pacta etiam continentia pretium census extra casum prædictum ab inuito aut ob pœnam, aut ob aliam causam repeti posse omnino prohibemus.* Sensus est, vt non possit constitui census cum pacto de retrouendendo in fauorem emptoris, ita vt venditor maneat obligatus censum redimere quoties placuerit emptori. Et insuper vt non possit ei imponi aliqua alia pœna, casu quod pensionem non soluerit, vel ob aliam causam.

39. Duodecima. *Contractus sub alia forma posthac celebrandos fœneratitios iudicamus. Et ita illis præterea non obstantibus, quidquid vel expressè, vel tacitè contra hac nostra mandata dari remitti, aut dimitti contingat, à fisco volumus posse vendicari.* Iuxta hanc clausulam hic contractus celebrandus est sub prædictis conditionibus, quibus deficientibus censendus est vsurarius, saltem quoad præsumptionem fori externi. nam ex parte rei & natura ipsius contractus fieri potest, vt vsurarius non sit.

40. Decimatertia. *Hanc autem salutiferam sanctionem, ne dum in censu nouiter creando, verùm etiam in creato quocumque tempore alienando, modò post publicationem constitutionis creatus sit, perpetuò & in omnibus seruari volumus.* In hac clausula statuit Pontifex, vt in alienatione census per viam emptionis & venditionis, seruentur omnes conditiones, quæ hactenus dictæ sunt debere seruari in eo de nouo constituendo.

41. Decimaquarta. *Declarantes pretium semel censui constitutum, nunquam posse ob temporum, aut contrahentium qualitatem, seu aliud accidens, neque quoad vltimò contrahentes, minui vel augeri.* Circa quam clausulam obserua *primò* cum Diana p. 1. tract. 8. resolut. 36. posse aliquem emere censum iam impositum minoris pretio taxæ, etsi non sit periculosus si ad id per venditorem rogatur, quia merces vltroneæ vilescunt pro tertia parte. Tum etiam, quia, vt docet Sanchez in consil. p. 1. lib. 1. cap. 7. dub. 19. leges imponentes pretia censibus solùm intelliguntur de censu nouè instituendo; sicque timoratorum praxim explicuisse hanc legem. *Secundò* nota, censum qui non est liquidus, sed litigiosus, aut difficilis, quia non potest exigi absque laboribus, vel alio periculo expositus, posse minoris emi, prout existimatur difficultas & periculum, vt tenent Lessius & Molina, quia hic casus non videtur comprehensus in hac clausula, etiamsi lex pretium taxauerit.

Denique obseruandum, vbi hæc Bulla recepta non est, omnes contractus censuales in quibus seruentur ea, quæ sunt de iure naturali & depositiuo Regni aut Prouinciæ in qua fiunt, validos & licitos iudicandos esse. Vbi verò recepta est, omnino seruandam esse in foro conscientiæ; quia lex iusta & recepta obligat in conscientia. Quamuis non sit improbabilis sententia Molinæ & Salonij quos refert Bonacin. num. 45. existimantium, contractum non habendum esse vsurarium, & nullum in foro conscientiæ ante sententiam iudicis, modò celebratus fuerit seruatis conditionibus requisitis ex natura contractus. Atque adeò perseuerari posse in eo iam celebrato absque onere computandi in sortem pensiones acceptas. 42.

Et ex his infertur, vbi Bulla hæc non est recepta, pactum vt non possit redimi census per partes licitum est, & naturæ contractus consentaneum: aliàs posset cedere in damnum emptoris: quare nisi expressè conuenerint vt liceat per partes redimere, vel lex aut consuetudo id concedant, non poterit venditor nolente emptore sic redimere, sed totum simul, sicut totum simul vendidit. Similiter quamuis pactum vt teneatur redimere eadem moneta qua emptus fuit, absolutè loquendo illicitus sit, quia est onus venditoris pretio æstimabile, pro quo nihil datur ab emptore vltra pretium census absolutè considerati. Nihilominus licitum est in quibusdam casibus annotatis à Lessio dub. 8. *Primò* si certum erat æstimationem monetæ non esse mutandam. *Secundò* si vtrimque par erat dubium an esset augenda, an minuenda. *Tertiò* si certum erat æstimationem augendam, & emptor statuerat pecuniam suam in illud tempus seruare. nam tunc ratione damni quod patitur pecuniam illam tunc exponendo, potest tale onus imponere. 43.

DISPVTATIO VI.

De Cambijs.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Cambium.

CAMBIVM, generatim loquendo, idem est ac permutatio. nam cambire idem est, ac permutare. Præsè autem & propriè, & pro vt de eo in præsenti loquimur, solum sumitur pro permutatione numismatum. Et definitur in hunc modum, *Permutatio pecuniæ pro pecunia*, & quamuis cambium non sit emptio, & venditio, quia emptio est commutatio pecuniæ pro re quæ non est pecunia. Cambium verò commutatio pecuniæ pro pecunia, nihilominus reduci potest ad emptionem, 1.

tanquam contractus innominatus ad nominatum magis similem. Deinde differt à mutuo, quia mutuum potest esse in materia vsu consumptibili, vt frumento, vino, oleo, &c Cambium autem tantùm potest esse in pecunia. Tum etiam quia in mutuo nihil potest accipi ratione mutui, in cambio verò ratione cambij potest aliquid accipi vltra sortem. Denique ab aliis permutationibus differt in materia, quia, vt dictum est, vt cambium sit permutatio, debet esse pecuniæ pro pecunia.

2. Cambium duplex est, aliud reale, aliud verò siccum, seu fictitium. Reale quod verum cambium dicitur, est legitima permutatio pecuniæ pro pecunia. Siccum verò est, quod non est verum cambium, sed mutuum palliatum, & propriè & in rigore vsura, quia tantùm ob dilationem temporis, aut expectatam solutionem, aut quando fingitur solutio alibi facienda, & fit in eodem loco, aliquid accipitur vltra sortem. Et ideo dicitur siccum, quia caret humore & succo, atque adeò est sterile ad hoc vt pariat lucrum legitimum. Dicitur etiam fictitium, eo quòd speciem, seu imaginem quamdam cambij præ se ferat, quia, vt diximus, fingitur solutio Medinæ, vel alibi facienda, & fit in eodem loco.

3. Hoc ergo cambio reiecto tanquam vsurario, & à Doctoribus communiter reprobato, cùm nihil aliud sit quàm verum mutuum palliatum & coopertum nomine cambij, in quo distantia loci necessariò requisita ad verum cambium, conuertitur in expectationem solutionis, quia pecunia verè soluenda est in eo loco in quo accipitur. Cambium reale subdiuiditur, in minutum, & locale. Minutum est cùm quis dat pecunias maiores pro minoribus, vel econtra: vel permutatur vetus cum noua, patria cum externa, aurea cum argentea, argentea cum ærea, *como quando se trueca vn doblon o moneda de plata en quartos, que llaman moneda de vellon.* Solet etiam hoc cambium appellari Manuale, quia de manu ad manum numerata pecunia eodem loco ac tempore perfici solet. Locale cambium est, quando commutatur pecunia præsens cum absente, quod etiam vocari solet cambium per literas, quia mitti solent literæ ad locum vbi pecunia accipienda, vel soluenda est.

4. Illud denique obseruandum est artem campsoriam quamuis ex se sit satis periculosa, cùm in ea intendatur lucrum ex pecunia quæ sua natura inepta est pecuniam parere & in ea sæpe admisceantur cambia sicca quæ, vt diximus, vsuratia sunt. Nihilominus si exerceatur modo in sequentibus explicando, illicitam non esse nec damnandam vt iniustam. Imò esse valde vtilem & Reipublicæ necessariam. nam ratio naturalis dictat quando sumus ex vno loco in alium migraturi, non tutò nobiscum pecuniam asportari, sed dandam esse potiùs mercatori commoranti in loco vnde abeundum est, vt reddatur in loco quò tendimus, qua ratione vitantur pericula latronũ expensæ ex sola industria mercatoris & plures aliæ commoditates inde sequuntur, vt satis constat, & ex dicendis magis patebit.

Sectio II.

An in cambio minuto liceat aliquid accipere supra valorem numi lege diffinitum.

5. CAmbium minutum licitum & necessarium esse Reipublicæ, omnes fatentur. Et quidem quòd sit licitum, constat ex sectione præcedenti. nam si aliquod cambium inuenitur licitum, maximè hoc, in quo multo minora pericula interueniunt, quàm in aliis, & quia lucrum in eo non accipitur ob mutuum, sed ob alias causas, propter quas licitum est illud accipere. Quòd verò sit etiam vtile & necessarium Reipublicæ, similiter est manifestum, quia homines sæpe indigent minutis pecuniis ad res quotidianas vilioris pretij coëmendas: si verò debeant recondere magnam pecuniæ summam, vel aliò transportaturi sint, egent commutatione minoris pecuniæ cum maioribus.

Plures autem possunt interuenire causæ ob quas licitum sit in hoc cambio minuto lucrum accipere.

Prima est ratione officij cambiendi, hoc enim officium includit obligationem cambiendi, & multa alia onera pretio æstimabilia, vt congregare pecunias diuersi generis, & eas habere paratas cuicumque volenti cambire, conducere officinam in qua per se, vel per suos famulos ei muneri incumbat, expectando eos qui cambire velint, numerare tunc pecuniam quam dat, & etiam quam accipit ad petitionem alterius & in gratiam illius, quæ omnia digna sunt iusto stipendio Quod, vt docet Molina disp. 399. verum est non solùm in campsore publico, sed etiam in eo qui absque Principis auctoritate hoc officium præstat, cùm hoc onus in fauorem alterius præstet, etiamsi à Principe sit ei prohibitum; quia talis prohibitio non irritat contractum, nec campsorem efficit inhabilem ad acquirendum dominium illius lucri; atque adeò ante latam sententiam non tenetur illud restituere. Rectè autem obseruat, minus licere accipere priuato, quàm publicis campsoribus ad id ex officio à Republica deputatis, quia hi longè pluribus oneribus ac sumptibus subiiciuntur, quàm priuati.

6. Secunda causa est lucrum cessans quod campsor aliàs recepisset, tantum enim potest accipere supra valorem lege taxatum, quanti æstimabitur spes illa lucri, vt si quis paratam habeat pecuniam ad eam transportandam in locum vbi plus valet, vel alibi merces emere vbi sine dãno in alia moneta emere non potest; illud enim incrementum non accipitur pro numo ipso præcisè, sed pro lucro ex eo sperato.

7. Tertia est ratione puritatis materiæ. nam scutum auri purissimi cui nihil alieni metalli est admixtum, licèt habeat eumdem valorem legalem cum scuto auri inferioris ligæ; est tamen maioris pretij vulgaris, communiter plus æstimabilis.

8. Quarta ratione antiquitatis, pulchritudinis, vel raritatis: quæ conditiones efficiunt vt pluris æstimetur.

9. Quinta ratione commoditatis conseruandi, transferendi, & vbique negotiandi, quia vbique retinent suum valorem. Sic aurei duplices Hispaniæ & Zechini magis æstimantur: sic etiam licet lucrum accipere pro permutatione monetæ ex auro, vel argento confectæ, pro moneta ex ære; vt fit in Castella.

10. Sexta ratione vsus & expendibilitatis, vt si commutetur pecunia cum alia, quæ in eo loco non expenditur, v.g. si Cæsaraugustæ detur moneta aurea, vel argentea, *por quartos.*

11. Septima quando esset probabilis timor quòd breui pecunia aliqua publica auctoritate minuenda esset in valore, tunc enim licitè posset emi minori pretio, quàm esset lege taxata. nam timor ille efficit illam minoris valoris.

Octaua

12. Octava, si copia, aut inopia metalli alicuius pecuniæ non sit eadem, quæ fuit quando pretium illius lege fuit statutum; tunc enim licitum est variare pretium eius legitimum. nam copia metalli alicuius pecuniæ, sicut & alterius cuiusque rei, minuit valorem & æstimationem eius, & inopia auget, vt rectè notat Valentia ex Nauarro disput. 5. quæst. 23. punct. 3.

13. Obiicit Medina quæst. 7. de vsura, his titulis non posse aliquid accipi à campsoribus, quia Princeps vel Respublica in taxando pretio pecuniæ habuit rationem materiæ & commoditatum, ac proinde iustè non posse plus exigi ratione puritatis materiæ, neque aliarum commoditatum assignatarum. Respondetur cum Lessio dub. 2. pecuniam dupliciter considerari posse, vno modo formaliter, seu vt mensura rerum venalium, qui est vsus eius primarius. Altero modo materialiter, seu ratione conditionum quas habet ex materia, vel figura, vt ratione puritatis, vel raritatis, vel antiquitatis, vel commoditatis, copiæ, vel inopiæ. Princeps autem non intendit taxare illam secundùm omnem rationem & ad omnem vsum quem habere potest, sed solùm priori modo, vt est mensura rerum venalium, & solutionis debitorum. Posteriori autem modo non videtur habere pretium certum, nisi vt est pecunia & ratione primarij illius vsus; ac proinde poterit non vt pecunia, sed vt res quædam est constans ex pretiosiori metallo, & ex aliis causis pro vario pretio commutari.

14. Quòd si inquiras, quantum accipi possit in his commutationibus. Respondeo hoc pretium sumendum esse vel ex taxa Principis, seu Reipublicæ auctoritatem habentis. Vel quòd secundùm communem æstimationem & arbitrio prudentis constitutum sit, habita etiam ratione consuetudinis loci, seclusis fraudibus & dolo.

15. Ex his infertur, non teneri ad restitutionem famulum, seu procuratorem accipientem à domino suo mille aureos in auro, v. g. vt soluat creditori domini, si eos famulus pecuniis argenteis commutauit cum lucro, & soluit argenteos creditori, si dominus non curat qua specie solutio fiat: quia huiusmodi lucrum est fructus suæ industriæ, cùm sit perceptum ex industria ipsius famuli concurrente pecunia tanquam instrumento, quod ex se infœcundum est. Sicut vendens triticum alienum eo tempore quo cariùs valet, satisfacit emendo & restituendo tantumdem æqualis bonitatis tempore quo minus valet, si dominus triticum seruaturus erat vsque ad illud tempus, quo minus valet; quia seruat dominum indemnem, & lucrum illud fructus est suæ industriæ, quamuis vsus sit frumento alieno tanquam instrumento, vt rectè Bonacin. disp. 3. quæst. 5. punct. vnico. Quæ doctrina limitanda est *primò*, modò dominus pecuniæ nullum ob prædictum cambium patiatur damnum. nam si pateretur, certum est famulum teneri illud restituere. *Secundò* si dominus intendebat vt illæ species pecuniæ traderentur, vel ob gratificationem, vel vt præberet occasionem illa lucrandi; tunc enim si creditor erat lucraturus, tenetur famulus ei de lucro cessante quanti illa spes lucri æstimabitur, quia illa species pecuniæ ei erat debita, quam non soluendo famulus est ei causa iniusta amissionis lucri: non verò tenetur si non erat lucraturus, sed communi pretio expensurus, quia sic nihil damni intulit, vt rectè Lessius suprà num. 18.

SECTIO III.

An in cambio locali, seu per literas, quando campsor prior accipit vt alibi restituat, possit aliquid lucrari.

16. AFfirmant communiter Doctores, quia in hoc cambio intercedunt duo tituli pretio æstimabiles, ob quos potest lucrum illud accipi.

Primus est virtualis, seu æquialens transportatio pecuniæ ab vno loco in alium in commodum campsarij: sicut enim agaso & nauta pro transportatione pecuniæ à loco in locum licitè accipiunt competens stipendium, ita similiter campsor licitè potest illud accipere pro huiusmodi transportatione. Nec refert quòd re ipsa sæpe non transferat, quia habet famulos, aut correspondentes in locis distantibus, qui pecuniam soluant. nam virtualiter & æquialenter pecuniam transfert faciendo id quod æquialet reali translationi, & eumdem effectum præstat iis qui cambium ad ea loca petunt, ac si re ipsa pecuniam transferret. Similiter non refert quòd sine vllo incommodo, vel labore hoc fecerit; id enim suæ industriæ vel bonæ fortunæ tribuendum est.

17. Secundus titulus est assecuratio, quia campsor non solùm accipit onus aliò transferendi pecuniam, sed etiam in se sumit periculum illius, ita vt si pereat ipsi, & non danti pereat pecunia; quod quidem est pretio æstimabile. Et similiter non refert quòd nulli periculo exponatur campsor, cùm alibi habeat pecuniam paratam per suum correspondentem. nam hoc suæ industriæ & fortunæ est assignandum; satis namque est obligationem in se sumere, quæ ex se est pretio æstimabilis.

18. Vbi nota primò, ratione istius modi cambiendi posse accipi aliquod lucrum, non solùm quando extra Prouinciam, aut Regnum exercetur, sed etiamsi fiat intra eamdem Prouinciam, vel Regnum; quia sicut iustè sumitur lucrum in cambio ab vna Prouincia in aliam ob virtualem illam translationem, labores, & pericula, quæ interuenire possent: ita similiter in translatione intra eamdem Prouinciam adest etiam virtualis illa translatio, & interuenire solent pericula, & labores, quæ quidem pretio æstimabilia sunt; atque adeò digna stipendio & lucro: quare quo longius est iter, & quo maiora sunt pericula, tam intra, quàm extra Prouinciam, eo amplius ratione assecurationis & translationis poterit stipulari. Huiusmodi autem maior distantia debet esse notabilis, & talis vt reputentur verè maiora pericula & labores, saltem ex natura rei. Vbi tamen lege prohibitum est, vt quando fit translatio pecuniæ intra eamdem Prouinciam nullum recipiatur lucrum, id vtique non licebit. Non esset tamen obligatio restituendi quando lucrum quod acciperetur ex natura rei iustùm esset, vt docet Salas dub. 18. de cambiis num. 3.

19. Secundò nota, ob hanc virtualem translationem campsorem non posse tantum exigere, quantum exigeret si pecuniam realiter transferret. Cuius ratio est, quia translatio virtualis non est tot periculis & difficultatibus inuoluta, sicut est translatio realis. Denique nota, in hoc cambio licere priuatis personis accipere idem lucrum, quod campsoribus ex officio: quia etiam ipsi cambiendo locant operas suas, & industriam in virtuali illa transportatione, atque adeò poterunt referre etiam aliquod

aliquod lucrum proportionatum labori & induſtriæ, ſi diſtantia, pericula, ac cæteræ circunſtantiæ concurrant.

Sectio IV.

An quando in cambio locali, ſeu per literas campſor dat prior vt alibi recipiat, poſſit lucrari.

10. COnclusio eſt affirmatiua & communis inter Doctores. Probatur explicando titulos quibus lucrum hoc iuſtè exigi & accipi poteſt.

Primus eſt virtualis & æquiualens tranſportatio, quia dum campſor numerat hîc pecuniam præſentem quam alter habet abſentem, tantum illi præſtat, ac ſi abſentem huc transferret. Deinde, quia qui petit pecuniam præſentem pro abſente, petit liberari ab onere transferendi pecuniam abſentem ad locum præſentem, quo onere leuat eum campſor, & illud in ſe ſuſcipit: hæc autem obſequia ſunt pretio æſtimabilia; ergo iuſtè poteſt aliquod lucrum accipi. Accedit quòd quamuis non videatur campſor pecuniam tranſportare, cùm ipſe potiùs eam recipiat in loco d ſtanti ab alio. Hoc quidem verum eſt, loquendo formaliter & re ipſa, non verò de virtuali & æquiualenti tranſlatione, quatenus liberat accipientem onere transferendi pecuniam abſentem ad locum vbi accipit. Nec refert quòd campſor eam ſine periculo & ſumptu poſſit efficere præſentem cùm habeat ſuum correſpondentem alibi, qui abſque vllo ſumptu recipit pecuniam redditam à campſario: tum, quia id non ſemper eſt verum. nam ſæpe magnos ſumptus & pericula ob id perferunt, & ſuos factores & correſpondentes magna mercede conducunt: tum etiam, quia id eſt per accidens, & ipſius induſtriæ ac bonæ fortunæ tribuendum; ſufficit autem rem ipſam eſſe pretio æſtimabilem. Denique, quia, vt rectè Filliucius n. 398. non magis æſtimabile eſt onus transferendi aliò pecuniam hîc receptam, quàm transferendi aliunde pecuniam hîc datam: ob illud autem licitum eſt accipere aliquod lucrum, vt docuimus ſectione præcedenti: ergo etiam ob iſtud. Imò hoc onus campſori maius eſt, quia priuat ſe pecunia, & expectat ſolutionem alibi faciendam; cuius contrarium in priori contractu euenit.

11. Secundus titulus eſt maior æſtimatio pecuniæ in loco vbi datur, quàm vbi redditur: ſiue ea æſtimatio ſit intrinſeca, ſiue extrinſeca. Æſtimatio intrinſeca eſt, quæ prouenit à lege, vel communi conſuetudine taxante monetam in quantum eſt pretium rerum venalium. Extrinſeca verò eſt, valor eiuſdem monetæ prouenies à cauſis extrinſecis & fortuitis, quæ ſunt præcipuè quatuor. *Primò* ratione copiæ, vel inopiæ pecuniæ, quo enim maior eſt copia pecuniæ, minus æſtimatur in ordine ad res venales, & vbi eſt inopia, magis æſtimatur. *Secundò* ratione maioris vel minoris multitudinis petentium ad cambium, quia multitudo facit vt creſcat pretium pecuniæ campſoris; paucitas verò vt decreſcat. *Tertiò* ex multitudine, aut paucitate dantium ad cambium, quando enim ſunt pauci qui velint ad cambium dare, tunc pluris pecuniæ æſtimantur. *Quartò* ratione neceſſitatis pecuniæ, vt ſi offeratur venalis ingens copia mercium, quo enim fuerit maior neceſſitas, eo etiam plus æſtimatur pecunia.

12. Tertius titulus eſt ratione lucri ceſſantis, vt ſi pecunia quam tradit ad cambium, erat deſtinata maiori lucro, ita vt deducta æſtimatione laboris expenſæ, & periculi, illa ſpes lucri maioris plus valeret, quàm commune lucrum cambij; tunc enim poſſet illud incrementum exigi, ſicut ſuprà dictum eſt de mutuo, & de omni contractu in quo lucrum alicui ceſſat. Obſeruat autem Leſſius dubit. 6. n. 41. Pium V. prohibuiſſe ne lucrum hoc ab initio definiatur & in pactum deducatur, ſed ſolùm ex euentu ſecuto conſtituatur. Vt tamen Nauarrus cap. 17. num. 301. ait. Hoc in præſumptione fundatur, quod non ratione lucri ceſſantis, ſed palliandi ſub eo nomine vſuram ſumatur ob dilationem ſolutionis. Si verò ratione veri lucri ceſſantis accipitur, iuſtè ac licitè in foro conſcientiæ ſumitur, nec manet obnoxium reſtitutioni: quia, vt rectè Molina diſp. 304. lex quæ in præſumptione fundatur, non habet vim in foro conſcientiæ quando de contrario eius præſumptionis in eodem conſcientiæ foro conſtat.

13. Quartus titulus eſt, carentia pecuniæ ſuæ adiuncto periculo perdendi eam, & priuatione commoditatis ea pecunia negotiandi: quia mercatores magni æſtimant carere pecunia per duos, tres, aut quatuor menſes, ac proinde quo longiùs in cambiis eſt tempus, eo plus exigunt, & quo breuius, eo minus. Nec obſtat ob dilationem ſolutionis aliquid plus exigi non poſſe, quia committitur vſura. Nam hoc tantùm probat ratione dilationis præcisè non poſſe aliquid plus exigi, verùm ob alios titulos cenſet Leſſius licitum eſſe. *Primus* ob multas commoditates quibus priuantur, eo quòd careant pecunia. *Secundus*, quia quando datur cambium ad longum tempus ſunt plures qui petunt, multitudo autem emptorum facit pretium creſcere. *Tertius*, quia in illo cambio ſunt virtualiter duo cambia. nam ſi tempus fuiſſet breuius, cogeretur iterum campſarius ſumere ad cambium. De hoc autem infrà iterum redibit ſermo. Illud denique addendum, hoc cambium licitè poſſe exerceri in locis eiuſdem Prouinciæ & Regni, ſicut dicebamus de cambio ſectione præcedenti explicato.

Sectio V.

An cambium ſit licitum cùm pro campſario reſpondet procurator campſoris non de proprijs, vel alienis pecunijs, ſed cum pecunijs ipſius campſoris.

PRo intelligentia huius difficultatis notandum 14.
eſt, in cambio per literas, regulariter loquendo, quatuor perſonas requiri vt cambium perfectum ſit. *Prima* eſt campſor. *Secunda* campſarius. *Tertia* reſpondens campſoris. *Quarta* reſpondens campſarij. Campſor ergo dat pecuniam campſario, & viciſſim ab eo accipit obligationem de ea alibi ſoluenda, v.g. Lugduni. Quam obligationem remittit ad ſuum reſpondentem vt ibi pecuniam recipiat, & ſimiliter campſarius ſcribit ad ſuum reſpondentem vt eam ſoluat. Facta ſolutione iam cãbium eſt perfectum, & de hoc nulla eſt difficultas, omnes enim conueniunt licitum eſſe hoc cambium, quia fit vera permutatio, tranſlatio, & ſolutio pecuniæ. Sæpe tamen fit vt campſarius non habeat reſpondentem Lugduni qui pro eo ſoluat, nec habeat ibi pecuniã. Et ideo quærit amicum mercatorem qui ſubſcribat literis, & mittat eas ad ſuum factorẽ, vt viſis literis ſoluat pro campſario ex propriis pecuniis factori campſoris. Neque de hoc cãbio eſt difficultas, quia etiam in eo fit vera permutatio, & vera tranſlatio

pecuniæ

pecuniæ & ſolutio. Aliquando etiam contingit, vt campſor ipſe ſcribat ſuo reſpondenti, ſeu factori, vt ex pecuniis ipſius factoris, & non campſoris ſoluat ipſi campſori pecuniã, qui modus cambiendi etiam eſt licitus, quia datur vera ſolutio in eo loco cum tranſportatione pecuniæ. Denique aliquando contingit vt campſarius non habeat correſpondentem, nec aliquem qui pro eo ſoluat in illo loco, & ſimiliter nec campſor habet ibi amicum, ſeu reſpondentem, qui ex pecuniis non campſoris pro campſario ſoluat, ſed tantùm ibi habet famulum, & executorem ſuum ad quem ſcribit, vt ex pecuniis ipſius campſoris ſoluat ſibi ipſi pro campſario, pecuniam illam, quam, v. g. Cæſarauguſtæ Ioannes recepit, & poſtea remittat ſolutionem faciendam ipſi campſori Cæſarauguſtano à campſario, & de hoc cambio procedit difficultas an ſit licitum, necne? Et prima ſententia tenet eſſe illicitum, & vſurarium, ita Molina diſp. 404. Tannerus 2. 2. diſp. 4. quæſt. 7. dub. 5. & alij, quorum fundamenta infrà adducemus.

25. In contrarium ſunt plures Doctores qui non audent prædictum cambium, vt vſurarium damnare, quos latè refert, & ſequitur Diana 1. parte tract. 8. reſol. 1. & horum ſententiæ adhæreo. *Primò*, quia hic modus cambiendi publicè exercetur ab omnibus mercatoribus tam in Hiſpania, quàm in Italia, Gallia, Belgio, &c. Scientibus Summis Pontificibus, vel ſaltem locorum Ordinariis, quòd non permitterent ſi contractus eſſet vſurarius. Sicque nimis durum eſſet abſque vrgentiſſimis rationibus velle hunc contractum ita publicè & communiter receptum, etiam à prudentibus & timoratis, damnare. *Deinde*, quia Breue Pij V. pro Bononienſibus in quo dat illis facultatem vt eligant forum cambij, approbat etiam hoc cambium expreſsè, his verbis. *Che ogni perſona poſſa dar denari a cambio, e fare che le lettere ſiano ricapitate ſopra eſſi datori & coſſi tenerli ſui cambi finche ſaranno rimborzati da chi haurà preſo i dinari.* Adde ſic fuiſſe declaratum à Congregatione Eminentiſſimorũ Cardinalium anno 1584. his verbis. *Congregatio ſanctiſſimi domini noſtri cenſuit huiuſmodi cambium literis Pij V. felicis recordationis minimè comprehendi, vt collata cum Gregorio XIII. Præterea* probatur ratione, quia ad cambium reale ſatis eſt ſi in loco ad quem cambitur, campſarius habeat veram pecuniam re ipſa, vel virtute, hoc eſt, in credito: ſed in cambio, de quo loquimur, illam habet campſarius hoc ſecundo modo, quia campſor illud accommodat; & ſicut ſi alius accommodaret, ſatis eſſet, ita etiamſi idem campſor accommodet: & quemadmodum ſi in caſu poſito reſpondens campſarij commodaret ſuum proprium creditum quod haberet, ſatis eſſet, cur non etiam ſufficiet ſi campſor commodet ſuum creditum, & reſpondens campſoris acceptet cambium tranſmiſſum à campſario, & ſoluat ſibi ipſi nomine ipſius? Nec obſtat quòd reſpondens campſoris ſit famulus, vel merus executor ipſius, atque adeò cenſeri vnam perſonam cum campſore, ac proinde dum ipſi debitum traiicitur, ipſe ſibi ſolueret, quæ ſolutio videtur fictitia, & imaginaria. Nam, vt rectè Leſſius dubitat. 7. non eſt imaginaria ſolutio, quia vnus & idem quatenus ſubit diuerſas perſonas, ſeu officia, poteſt ſibi ipſi ſoluere, ſibique eſſe creditor & debitor, vt magis ex dicendis conſtabit. Confirmatur, quia ſolutio pecuniæ non fit in loco vbi recepta eſt virtute primi cambij; hoc enim reuera finitur in loco vbi facienda erit ſolutio, ſed virtute ſecundi cambij celebrati in loco ad quem miſſæ fuerunt literæ. Confirmatur ampliùs, quia ſi poteſt campſor dare literas ſuo factori, vt ex pecuniis factoris ſoluat cambium pro campſore debito illo per alias literas ad eumdem rurſum remiſſo, cur non licebit eidem campſori efficere vt ex ſua propria pecunia illud ſimiliter perſoluatur? nam in contractibus ciuilibus quod per alios præſtare licitum eſt, licebit etiam per nos ipſos ſimiliter præſtare. Eo vel maximè, quia in hoc cambio nullum intereſſe contingit campſario, quemadmodum ſi tale cambium ex pecunia alterius perſonæ ſolueretur: cùm verò campſarius non magis grauetur, ſed potiùs obtineat facilitatem in habenda pecunia, & libereretur ab onere quærendi alium qui ſoluat cambium, hoc non videtur illicitum. Inſuper, quia ſicut mercator ſciens aliquem emere ad reuendendum, poteſt vendere pretio rigoroſo, & reemere infimo, modò ad id non obliget ementem, vt ſuprà manet prædictum, ita campſor poterit præſtare officium reſpondentis campſarij, & pro eo ſoluere.

Denique quia hoc cambium non videtur condemnatum per Bullam Pij V. quia in expreſſione cambiorum quæ ibi damnantur, cambium hoc non continetur; tria enim cambia condemnantur in prædicta Bulla. *Primum* in quo literæ non mittuntur. *Secundum* in quo mittuntur, ſed redeunt inanes, in hoc autem cambio fit ſolutio vi illarum, nec eſt neceſſe pecuniam re ipſa numerari, ſed ſatis eſt debita, & credita per chirographa transferri. *Tertium* quando in eodem loco fiunt ſolutiones, quod intelligendum eſt vi cambij in eo loco celebrati: quod enim deinde vi recambij, & alterius contractus celebrati in loco ad quem factum eſt primum cambium, fiat ſolutio in loco vbi factum eſt primum cambium, hoc eſt, recepta pecunia alibi reddenda; hoc non eſt contra Bullam, vt rectè ex Nauarr. obſeruat Filliucius n. 436. 26.

Obiicies: quia hoc cambium videtur ſiccum, & verum mutuum; ergo eſt illicitum & vſurarium. Antecedens probatur, tum quia literæ remittuntur inanes, quia in eodem loco vbi pecunia accepta eſt, redditur campſori cum lucro, quod non videtur exigi niſi ratione dilationis. Tum etiam, quia in vero cambio ſicut interueniunt diuerſi domini, ſic debet interuenire diuerſa pecunia, nemo enim dicitur vnam pecuniam ſuam commutare cum alia etiam ſua: quemadmodum non eſſet vera emptio, ſed ficta, quando merces, & pretium eſſet eiuſdem. Tum denique, quia reſpondens campſoris eſt famulus, vel merus executor ipſius, ac proinde cenſetur vna perſona cum ipſo, & conſequenter illa ſolutio quæ ab ipſo efficitur, videtur fictitia & imaginaria. 27.

Reſpondetur negando antecedens, & ad primam probationem iam diximus, literas non redire inanes, quia poſtquam correſpondens campſoris ſoluit pecunias vi illarum, non mittit eaſdem literas, ſed finitur illud primum cambium, & fiunt nouæ literæ campſarij conficiendo ſecundum cambium, per quod ſoluuntur pecuniæ in eodem loco in quo primum ſolutæ ſunt. Ad ſecundam probationem reſpondetur, rectè poſſe vnum, & eumdem quatenus ſubit diuerſas perſonas, ſeu officia ſibi ipſi ſoluere, ſibique eſſe creditorem & debitorem. Nam, vt obſeruat Leſſius num. 63. campſor hîc ſubit duas perſonas, nempe campſoris, quatenus hic dat ad cambium, & tranſmittit creditum ad ſuum correſpondentem, & campſarij quatenus nomine eius traiicit debitum in eumdem ſuum re- 28.

Digitized by Google

ſpondentem, quod ad officium campſarij pertinet. Similiter correſpondens, ſeu factor duplex officium præſtat, quia & creditum acceptat; eſtque reſpondens campſarij ſoluturus ſibi ipſi tanquam reſpondenti campſoris. Vnde ad iuſtitiam huius cambij nihil refert ſiue perſonæ ſint diuerſæ, ſiue eædem, modò campſarius non cogatur à campſore vt debitum traiiciat reſpondenti ipſius campſoris, ſed relinquatur in ſua libertate; & deinde fiat vera ſolutio, vt re vera fit, quamuis per chirographa, & tranſcriptionem. nam etiam in mutuo ipſe mutuans poteſt eſſe fideiuſſor, ſeu aſſecutator, ita volente mutuatario: quare rectè fieri poteſt, vt campſor ſubeat officia quatuor perſonarum, ſi videlicet reſpondens ſit eius famulus, vel collega in ſocietate, quia omnes ſocij ſunt inſtar vnius perſonæ, per quod patet ad tertiam probationem.

29. Eſt tamen obſeruandum *primò* cum Filliucio num. 438. hoc cambium non eſſe ſuadendum ob periculum palliandi vſuras, quia intentio ita cambientium non videtur eſſe alia, quàm dare pecuniam cum obligatione, vt in eodem loco reſtituatur; & ſic accipere lucrum ex dilata ſolutione: & cætera non videntur agi ſeriò, ſed ſolùm cauſa tegendi mutuum. Poſt factum tamen non facile eſſe condemnandum, præſertim ſi campſores bona fide communem vſum ſequentes, tale cambium celebrauerint. *Secundò* obſeruandum eſt cum Salonio tom. 2. quæſt. 4. art. 2. controu. 14. peccare lethaliter campſorem cum onere reſtituendi, qui dat mille, v.g. Petro ſoluenda Metinæ, vbi ſcit non habere nec poſſe habere factorem, nec creditum, ſeu amicum, qui pro eo ſoluat; quia eſt mutuum cum lucro, ad quod palliandum ſcribuntur ac mittuntur literæ ad factorem campſoris, qui eas aperit, & factis quibuſdam proteſtationibus, quibus conſtat literas ibi à nemine eſſe admiſſas, nec ſolutas, remittit eas ad eumdem campſorem cum alio nouo intereſſe priori ſuperaddito, ſoluendo à campſario; quia hoc cambium eſt fictum, & manifeſta vſura.

SECTIO VI.

An dictæ continuationes, ſeu recambia ſint licita ratione tantùm lucri ceſſantis, vel damni emergentis.

30. FIlliucius num. 471. affirmat licita eſſe ratione tantum lucri ceſſantis, vnde negat id poſſe licite fieri, niſi campſor certus ſit moraliter tantumdem lucri ſibi ceſſaturum ex mora, quia videlicet eamdem pecuniam ad cambia exponeret, quod in mercatoribus, & campſoribus ex officio probabile exiſtimat ſemper interuenire, idem docet Leſſius dub. 9. num. 83. vbi docet, ſi campſor moraliter certus eſſet ſe eamdem pecuniam, ſi termino conſtituto ſoluta fuerit, ſtatim ad cambium æquè vel magis lucroſum dare poſſe; poſſe etiam ſtipulari vt campſarius teneatur tandiu pecuniam illam per cambia, & recambia ad ſingulos terminos accipere, donec tandem ſoluerit ſortem; quia hoc nihil aliud eſt quàm illum obligare ad intereſſe lucri ceſſantis. Non tamen poſſe paciſci cum campſario, vt ſi elapſo termino non ſoluerit, teneatur eamdem ſummam ad recambium accipere, niſi moraliter certò conſtet tantum lucri ex illa mora amiſſurum, quantum ex recambio perciperet. Cuius ratio eſt, quia non poteſt plus exigere ratione moræ, quàm æſtimatione lucri ceſſantis, & periculi ſortis: quare cùm detrimenta recambiorum ſæpe ſint maiora, non poteſt illum ad hæc obligare, niſi habita prædicta certitudine morali.

Oppoſitam ſententiam tenet Diana reſol. 5. cum Scotia in Bul. Pont. epit. 107. theorema 289. in huiuſmodi cambio eſſe licitas continuationes ſeu recambia, non ſolùm ratione lucri ceſſantis vel damni emergentis, ſed etiam ex natura ipſius recambij. Et ratio eſt, quia recambium eſt iteratum cambium procedens ab antecedenti; nouaque emptio, & venditio alterius lucri diuerſi temporis, virtute nouarum literarum, pretio legitimè compoſito, & debitis circunſtantiis: quare ſicut licitum fuit primum cambium iiſdem circunſtantiis factum, ita licitum erit hoc ſecundum quod recambium appellamus; ac proinde ex eiſdem cauſis ex quibus licet accipere lucrum in primo cambio, ex eiſdem licet in recambio; quia ſemper eſt emptio, & venditio ſcutorum de marca, ſiue cum recurſa fiat, ſiue abſque ea. v. g. medio procuratore proprio, quia ſemper extinguitur in recambio cambium præcedens, per acceptationem literarum, & realem ſolutionem ſeu virtualem, ſiue fiat cum noua perſona, vt ſi creditor cambij literas acceptet à debitore ſui debitoris: ſiue cum eodem priore debitore; vnde etiam poſteriores nouæ literæ cambij, priores extinguunt. Sicque ſupradictæ continuationes ſeu recambia non ſolum iuſtificantur ratione lucri ceſſantis, ſed etiam ratione emptionis & venditionis, ſeu ex eiſdem cauſis ex quibus primum cambium iuſtificatur. Ita Diana vbi ſuprà. 31.

SECTIO VII.

An ſit licitum campſoribus non acceptare ſolutionem ſortis, niſi ſimul ſoluantur cambiorum detrimenta.

CVm primum cambium ſit cum aliquo, ſolet in chirographo, ſeu ſcriptura apponi conditio, vt non teneantur campſores acceptare ſolutionem ſortis, niſi ſimul ſoluantur cambiorum detrimenta, hoc eſt, lucra illorum: & quamuis non apponatur talis conditio, conſuetudine receptum eſt. Inquirimus ergo an id licitum ſit. 32.

Concluſio eſt affirmatiua, non tenetur campſor quando poſt multa cambia, & recambia debitor ſoluit, partem aliquam acceptare illam in ſortem, antequam ſit ſatis factus de detrimentis, id eſt, de intereſſe cambij. Ita Leſſius dub. 10. & Filliucius num. 472. Quorum fundamentum eſt, quia quando ex debito aliquo principali tanquam ex radice naſcuntur alia debita tanquam fructus, tunc ſi fiat ſolutio primo, cenſetur fieri pro fructibus illis dependentibus, & ſi quid ſuperſit computetur in ſortem. l. 1. C. de ſolutionibus, & l. ſi vſuras 21. C. de vſuris. Sic enim etiam in cenſibus fieri conſueuit, & aliis ſimilibus, vt in contractu ſocietatis, &c. Deinde, quia alioqui difficile campſores recuperarent ea lucra poſt acceptationem ſolutionis ſortis, quia ſunt valde odioſa, & facile protraherentur lites in longum vetſa iuſtitia in miſerationem debitorum.

Nec obſtat primò, quia quando quis eſt debitor ex pluribus cauſis eidem creditori, in poteſtate eius ſit ſoluere prius vtri debito maluerit, & ſi ſoluat, id cenſeri prius ſolutum, quod magis grauat, niſi 33.

debitor

debitor contrarium exprimat. l. 1. ff. de solutio. & l. 3. 4. & 5. eodem titulo; quia debitor potest legem dicere rei suæ, nempe vt sit pro debito quod ipsi placuerit: in casu etiam posito magis grauari censetur sors, quàm fructus debiti. Respondetur prædictas leges loqui de debitis ex diuersis causis; debita autem de quibus nunc loquimur, non oriri ex diuersis, sed ex vna & eadem, tanquam fructus ex radice. nam alterum ex altero tanquam fructus à re fructifera pendet.

Sectio VIII.

An prouisiones quas campsores, & bancarij solent accipere, licitè accipiantur.

35. Obseruandum est cum Lessio dub. 8. nomine prouisionum intelligi, mercedem & lucrum, quod campsores, & bancarij detrahunt pecuniæ numerandæ ratione operæ quam præstant, scribendo, numerando pecuniam, depositam custodiendo, pro alio se obligando, alterius negotia expediendo: & ex immemorabili consuetudine pro prouisione cambij debentur campsoribus tertia pars scuti pro singulis centenis scutis, secundùm pecuniam de qua soluitur cambium, seu efficitur assignatio. Ita Molin. disp. 408. & plures alij quos refert Diana suprà resol. 6.

36. Prima Conclusio, campsor, vel numularius, qui pecuniam mercatorum, vel aliorum accipit custodiendam cum obligatione eam reddēdi quando, & cui voluerint depositores, potest accipere iustam mercedem pro hac custodia & obligatione, si de ea antea stipulatus fuerit, vel si ex consuetudine dari soleat, quia suscipere curam custodiendi pecunias apud se depositas, & habere rationem dati & accepti, & esse paratum reddere cum petentur, onus & labor est pretio æstimabile, & dignum aliquo stipendio, & de hoc nulla est controuersia, sed tota difficultas est, an quando numularius nomine eius qui pecunias deposuit, alicui alteri soluit aliquam summam siue pecunia numerata, siue per chirographum directum ad alium numularium, qui nomine illius numeret pecuniam, debeat accipere stipendium sui officij, & laboris ab illo solùm qui pecunias deposuit; an verò possit illud accipere ab illo cui soluit? In qua re dicendum est cum Nauarr. cap. 17. num. 193. debere hoc stipendium accipere non à creditoribus quibus soluitur, sed à depositoribus quibus seruit. Cuius rationem reddit Valentia disp. 5. quæst. 23. punct. 3. quia vel creditor cui fit solutio, deberet dare id stipendium propter laborem quem numularius suscipit numerando illi pecuniam; & hoc non, quia eiusmodi laborem suscipit numularius, non tam creditoris gratia, quàm sui, vt scilicet non erret plus soluendo: vel propter laborem quem suscepit in custodienda pecunia, quod etiam dici non potest. nam talis labor susceptus est tantùm in gratiam deponentis pecunias, ac proinde is solus debet illum compensare, & non creditor cui fit solutio. Dixi si antea stipulatus fuerit, vel si ex consuetudine dari soleat; quia aliàs non censetur locasse operam suam pretio, sed gratis, vt vsu pecuniæ frueretur. nam bancarij libentissimè gratis hoc onus suscipiunt ob commodum, quod interim illis prouenit in deposita pecunia, per quod compensatur labor in ea custodienda collocatus.

37. Secunda conclusio, campsor licitè potest aliquid exigere à campsario nomine prouisionis, seu mercedis, si periculum sortis volente campsario in se suscipiat: sicut mutuans, vel credito vendens, potest exigere pignus, vel fideiussorem, vt sibi cautum sit de sorte, vt docet Lessius dub. 8. num. 77. quare si fideiubeat pro campsario apud eum cui debitum traiicitur, id est, apud respondentem campsarij, poterit campsor aliquid pro eo onere bona fide æstimatum accipere. Ratio est, quia obligare se alteri ad soluendum si debitor non soluat, est res pretio æstimabilis. Dices hanc obligationem non esse pretio dignam, si campsor aliunde sit securus suæ sortis. Contrà qui adhuc est æstimabilis, & aliquo pretio digna. nam si alius fideiussisset, campsor non posset conueniri à respondente campsarij; nunc autem conueniri potest, si campsarius tempore constituto suo respondenti non soluat. debet autem respondens esse persona quæ non sit in ministerio campsoris tanquam famulus, aut factor eius, eo quòd respondens vna, & eadem persona in hoc casu reputetur cum campsore, sicque non obligaret se alteri nec vllum nouum periculum subiret, quia verè non fideiubet. Quod intelligendum est, si iam antea campsor pignus, vel aliam cautionem acceperit, quia si nullam cautionem accepit, nec campsarius eam dederit, potest æstimare periculum cui suam pecuniam prior exponit; non tamen fideiussionem, qua apud suum famulum videtur fideiubere.

38. Tertia conclusio, respondens campsoris, vel campsarij potest exigere suam prouisionem, seu mercedem ab eo cuius nomine pecuniam soluit, quia huic ille operam suam locat, & obsequium præstat pretio æstimabile. Ratione autem laboris numerandi pecuniam, vel scribendi literas, & mittendi, nihil debet accipi; quia hæc ex natura contractus comprehenduntur, & includuntur in pretio quod lucratur campsor, & respondens: sicut emptor numerans pecuniam venditori, vel scribens ad amicum vt ei soluat, non potest aliquid pro eo labore à venditore exigere. Ita Lessius dub. 8. num. 80.

39. Maior difficultas est, an supradicta quantitas tertiæ partis pro centenario sit etiam licita in prouisionibus quæ sumuntur in recambiis, & continuationibus. Lessius dub. 9. censet posse in rigore campsores dictas prouisiones exigere, idque titulo lucri cessantis, si certus sit moraliter tantumdem lucri sibi cessaturum ex mora, quia videlicet eamdem pecuniam ad cambia exponeret, quod lucrum cessans, rectè obseruat Filliucius num. 471. in mercatoribus, & campsoribus ex officio probabile esse semper interuenire, non verò in aliis priuatis personis, præsertim in parua summa, quia fructus adeò exigui sunt vt non sit verisimile statim quemque interuenturum qui eos in pecunia ad cambium acciperet, nisi fortè coniungeret cum maiori summa quam haberet ad id paratam. Ob eamdem rationem docet hoc non habere locum in iis, qui debita darent ad cambium debitoribus. nam non est verisimile eos statim daturos ad cambia sortem, si si redderetur, & multo minus lucra, & detrimenta cambiorum. Vnde infert priuatas personas debere tanquam periculosum, hunc contractum vitare; mercatores enim regulariter excusantur ob lucrum cessans, & damnum emergens. His tamen non obstantibus satis probabile est, campsores posse in recambiis, & continuationibus exigere toties quoties

quoties dictas prouisiones, non solùm ratione lucri cessantis, sed quia sunt nouæ emptiones & venditiones, & ita tenet Scortia, quam refert & sequitur Diana resol. 8. quare sicut in cambiis realibus iuste sumuntur prouisiones toties quoties cambia efficiuntur, ita licitè sumi possunt in recambiis, & continuationibus, quia sunt noua cambia.

40. Alia difficultas esse potest, an debeatur vna tantùm prouisio pro cambio magno, ac pro paruo. v.g. pro mille, ac pro centum. Affirmant nonnulli, quia prouisiones dantur pro labore; idem autem labor sustinetur pro cambio magno, ac paruo. Hæc tamen ratio non videtur multum efficax, quia etiam Notarij conficiendo aliquam scripturam, recipiunt maius stipendium pro scriptura continente maiorem summam pecuniarum, quam pro alia eodem labore confecta. & sartor eodem labore conficit vestem ex panno, & ex auro confectam, & nihilominus maiorem mercedem recipit pro hac, quàm pro illa conficienda. Quare satis probabile est oppositum, quia communiter Doctores docent absolutè pro prouisionibus deberi campsoribus vnam tertiam partem pro singulis centenis, nec prouisiones debentur solùm ratione laboris, sed etiam periculi, qui autem dat in cambio maiorem pecuniæ summam, maius periculum in se suscipit, ex quo etiam fit, id quod campsoribus debetur ratione prouisionum & interesse, posse ab ipsis adiici sorti, vt cambium magis augeatur, non solùm ratione lucri cessantis, vt docent Lessius num. 85. & Salas tract. de cambiis, dub. 22. cùm campsores moraliter certi sunt se illud potuisse aliis statim ad cambium dare, & per illud lucrari, quia tunc ratione lucri cessantis possunt illud sorti vnire ad cambij augmentum; sed etiam ratione noui contractus emptionis & venditionis, vt docent Scortia, Scaccia, & alij, quos refert, & sequitur Diana resol. 11.

41. Tertiò potest esse difficultas, an campsor qui bona fide dedit pecuniam alicui ad cambium soluendam Lugduni, existimans ipsum habere pecuniam in tali loco, & postea comperiat non habere, possit tantum exigere, quantum lucri percepisset si campsarius Lugduni soluisset. Affirmat Lessius dub. 7. num. 69. quia cùm campsor bona fide contractum ex parte sua impleuerit, tenetur alter quoque ex parte sua implere quantum potest, vel soluere quantum intererat campsoris eum impleri; alioquin contractus semper paterent fraudibus, & contrahentes possent cum magno suo incommodo eludi. Idem docet Molina disp. 404. quia contractus licitus in se erat, ac bona fide ex parte campsoris celebratus, atque adimpletus; cumque sit contractus innominatus. v.g. *do vt des*, consequens est vt possit cogere eum qui secum contraxit, vt etiam is ex sua parte eum adimpleat, quantum campsori intererat. nam fraus, & dolus nemini debent patrocinari. Et hæc sententia est satis probabilis. Cæterùm æquè probabile est, non posse tantum exigere, quantum percepisset si campsarius Lugduni soluisset, secluso tamen lucro cessante, vel damno emergente, ita Salonius, Salas & alij, quos refert & sequitur Bonacina suprà num. 22. & reddit rationem, quia vel potest illud exigere ratione contractus, vel ratione deceptionis: non primum, cùm non fuerit verus contractus, eo quòd non adfit vera promissio ex parte campsarij; neque parte campsoris adsit commutatio pecuniæ vnius loci pro pecunia in alio, nec pecuniam absentem faciat absentem. Deinde non potest exigere ratione deceptionis in pœnam delicti, cùm pœna non sit soluenda ante iudicis sententiam. Quare rationes in contrarium adductæ solùm probant, campsarium teneri ad restitutionem tam lucri cessantis quod campsor accepisset, quàm damni quod patitur ob celebratum contractum: non verò probant teneri tantum soluere, quantum soluisset, si verum cambij contractum celebrasset.

Denique est difficultas, an licitum sit vni cambientium recipere mercedem cambij ab altero, quando vterque ex eo cãbio reportat æquale commodũ & onus, v.g. ego egeo pecunia hîc Cæsaraugustæ, quã habeo Lugduni; tu verò Lugduni indiges pecunia, quã hîc habes, quæritur an ego cambiendo tecum, possim recipere lucrũ; vel tu possis à me lucrum reportare. Respondeo, eum qui præuenitur ab altero, posse lucrum recipere, ita Doctores communiter, & ratio est, quia ministerium quod alter alteri præstat, est pretio æstimabile, etiamsi ex eo commodum referat; hoc enim est per accidens, sicut qui equum transmissurus erat suis expensis ad dominum, eumdem equum potest locare alicui, qui eum deferat ad dominum. nam adest æqualitas inter pretium locationis, & vsum equi, & qui eum locat, nullam facit conductori iniuriam, sed sibi consulit, suumque commodum quærit. Quod si tam campsor, quàm campsarius de alterius necessitate scirent, possent inuicem remittere aliquid ex charitate; qui autem nollet, non ideo peccaret cum onere restituendi. 42.

SECTIO IX.

De conditionibus quas requirit Pius V. in sua Bulla de cambiis, & an omnes obligent.

IN hac Bulla primò damnat Pontifex tanquam illicita & vsuraria, omnia cãbia ficca & fictitia, qualia sunt ea, in quibus ex intentione contrahentium fit solutio in eodem loco, eo quòd alter alibi pecuniam non habeat. Deinde in cambio vero & reali præcipit seruari quasdam conditiones, quarum 43.

Prima est, ne campsor ratione dilationis vltra terminum paciscatur de aliquo lucro: quare vsuram committit campsor, qui adueniente solutionis tempore, non soluenti concedit dilationem in alias mundinas, cum conditione, vt aliud soluat interesse, nisi re vera ex mora damnum, vel lucrum pateretur, & similiter non potest pacisci cum campsario, vt si elapso termino non soluerit, teneatur eamdem summam accipere ad recambium; quia ratione moræ non potest plus exigere, quàm æstimationem lucri cessantis, & periculi sortis.

Secunda conditio est, ne ab initio, vel postea paciscatur de certo interesse, etiam in casu quo non fieret solutio debito tempore; est tamen notandum *primò*, initio cambij fieri posse pactum de interesse incerto, nempe vt campsarius cogatur soluere omne damnum emergens, & lucrum cessans, quod sequetur ratione dilationis, si non soluit tempore constituto, sicut in aliis contractibus; vt si campsor ob hanc moram debuerit accipere pecuniam sub vsura, aut lucris per eam speratis excideriit. nam Pontifex in illa Bulla non prohibet pactum de lucro incerto, vt communiter Doctores concedunt, sed tantùm loquitur de pacto lucri certi. 44.

certi. *Secundò* nota, quòd quamuis pactum de certo & determinato interesse lucri cessantis fieri non possit, quia non vult Pontifex vt deducatur in pactum, iuste tamen potest exigi si in pactum deducatur; quia pactum non est irritum, & consequenter lucrum retineri potest, modò non adsit excessus; quia in re nulla est facta inæqualitas, quare ante sententiam non tenetur ad restitutionem. Tum etiam, quia vt notat Nauarr. cap. 17. hæc prohibitio fundatur in præsumptione fraudis vsurariæ, atque adeò in foro conscientiæ vbi cessant præsumptiones, valet pactum de certo interesse, dummodo moraliter constet illud iustum esse. *Tertiò* nota, quòd quamuis Salas dub. 13. & Rebellus dub. 11. quæst. 13. censeant, in tali casu campsorem paciscentem certum, & determinatum interesse peccare mortaliter vbi hæc Bulla recepta est, quamuis pactum non sit irritum; nihilominus Diana resol. 15. sequitur oppositam sententiam, nimirum dictum motum Pij V. non obligare in foro conscientiæ, quia, vt dictum est, solùm fundatur in præsumptione fraudis, quæ si absit, non committitur peccatum lethale.

45. Tertia conditio est, ne reelia cambia per literas fiant aliter quàm ad proximas nundinas, vel si nundinæ non agantur, proximis terminis iuxta consuetudinem & vsum locorum. Hoc autem rectè explicant Nauarr. num. 183. & Lessius num. 91. per hæc verba prohiberi cambia ad secundas nundinas cum maiori lucro, non autem cum pari. Item prohiberi ad secundas vi primi cambij: at vi secundi quod fieret sub conditione si campsarius non soluat pecuniam acceptam, non videtur prohibitum; sicque poterit dare pecuniam ad secundas, vel tertias nundinas eodem pretio quo dedisset ad primas; quare in chirographo cambij quod solet fieri apponitur clausula, vt possit campsor in singulis nundinis denuo dare ad cambium donec campsarius soluat capitale cum detrimentis cambiorum: si verò quis concederet cambium ad secundas nundinas cum maiori lucro ratione lucri verè cessantis, peccaret quidem contra hanc Bullam vbi recepta est; non tamen teneretur ad restitutionem ante sententiam iudicis, quia in re non est iniustitia, nec facta sit inæqualitas.

46. Quarta conditio est, vt in terminis solutionum constituendis habeatur ratio longinquitatis, & vicinitatis locorum in quibus solutio destinatur, ne longiores statuantur quàm postulet distantia. nam si longiores termini præfigerentur, daretur occasio committendi vsuras, id est, ne mercatores ampliùs lucrentur quo longiùs est tempus ante nundinas. Nihilominus probabile est hoc non improbari, quando illa variatio fit communi mercatorum iudicio ob causas quæ communiter ipsis videantur æquè, vt docet Lessius dub. 6. num. 57. quia ordinariè campsores pluris æstimant carere pecunia sua quinque mensibus, quàm quatuor, & carere quatuor, quàm tribus; idque partim, quia interim carent facultate lucrandi illa pecunia; partim verò, quia diutiùs versatur sors in periculo: & denique, quia quo plures sunt menses ante nundinas, eo plures petunt pecuniam à campsoribus, vt diu pretio frui possint; quò autem plures sunt petentes, eo magis crescunt pretia cambiorum, ex quo etiam fit iustum esse cambium cuius pretium relinquitur incertum, & taxandum in proximis nundinis, vt cùm quis dat in vno loco pecuniam, vt alibi accipiat eamdem ad pretium fori currens, quia cùm hoc pretium incertum sit, cùm modò crescat, modò decrescat, etiam æquale est periculum augmenti, & decrementi.

Omnes supradictæ conditiones seruãdæ sunt ex Pij V. constitutione, ita vt qui eas non seruauerit, subiaceat pœnis vsuariorum. An verò vbique obligent, Lessius num. 92. existimat, paucis locis, & fortè nusquam saltem quoad omnes eius conditiones esse receptam. 47.

Sectio X.

An posset quis dare alicui mercatori magnam summam pecuniarum, cum pacto vt pro tali pecunia accipiat ab ipso mercatore in fine anni, v. g. quinque vel sex pro centenario.

48. NEgat Sotus & nonnulli alij quos tacito nomine refert Lessius cap. 25. dub. 1. communis tamen sententia Doctorum tenet, contractum hunc licitum esse; estque frequentissimè vsitatus in Hispania, Germania, Gallia & Belgio. Et probatur *primò*, quia in huiusmodi contractu tres alij contractus admiscentur, seu imbibuntur. *Primus* societatis, per quem vnus confert pecunias, alter industriam & operam. *Secundus* assecurationis sortis, per quem soluit alteri, quia assecurat tertiam, vel quartam partem lucri incerti. *Tertius* venditionis lucri incerti maioris pro certo moderato: sed omnes hi contractus liciti sunt; ergo. Ex quo infert Lessius, hos tres contractus posse fieri per modum vnius contractus innominati, *do & facio, vt des & facias*, scilicet trado tibi hanc meã pecuniam ad negotiandũ exponens eam periculo, & priuans me illius commoditate, & do tibi totum lucrum, vt tu ea negotieris, & te obliges ad reddendam sortem, & ad soluendum quinque, vel sex in centum. Vel sic, si velis mea pecunia negotiari, assecurare sortem, & obligare te ad soluendum sex in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam tibi totum lucrum. Hic non sunt tres contractus, sed vnus solus inuoluens omnia. *Secundò* probatur, quia hi contractus possunt iniri cum diuersis; possunt etiam fieri cum eodem successiuè; ergo etiam simul. Antecedens est manifestum, quia sunt pacta iusta. *Primum* enim est pactum societatis, vel conductionis operæ. *Secundum* assecurationis. *Tertium* venditionis lucri incerti maioris pro certo pretio minore. Consequentia verò probatur, quia si hæc pacta cum diuersis inita sunt iusta; ergo etiam cum eodem. Iustitia namque consistit in æqualitate rei ad rem, non verò in habitudine personarum: quod procedit siue successiuè fiant, siue simul cum sociis, modò seruetur æqualitas; si enim possunt fieri successiuè, cur non etiam simul cùm sint pacta iusta & simul, vel successiuè non mutet iustitiam contractus? *Tertiò* probatur ex cap. *Per vestras*, de donatione inter virum & vxorem, vbi si marito vergente ad inopiam, nec valente dare sufficientem cautionem pro dote vxoris conseruanda, ne dos versetur in periculo, iubetur talis dos tradi mercatori ad societatem negotiationis, vt nimirum, & securè apud illum conseruetur, & ex eius lucris possint onera matrimonij sustentari, quod fieri non posset nisi cum mercatore ineantur tres supradicti contractus formaliter, vel æquipollenter. Nec valet dicere hoc esse priuilegium dotis. Nam cùm iure naturali & diuino prohibita sit vsura, non posset

hoc

hoc priuilegium doti conferri, si iniustus esset, & vsurarius. Item confirmatur ex iure ciuili. l. *si non fuerint* 19 ff. pro socio, vbi dicitur, *ita coiri societatem posse, vt nullam partem damni alter sentiat.* quod alia ratione fieri non potest, nisi contractui societatis addatur contractus assecurationis.

49. Obijcies primò quia qui tradit suam pecuniam alteri, itavt periculum eius transferat in ipsum, censetur eam dare mutuo, non autem ad societatem: quia transferendo periculum in socium amittit dominium illius, atque adeò socius ea pecunia potest emere quidquid voluerit, quia est dominus illius: ex mutuo autem non potest accipi vllum lucrum; ergo, &c. Respondetur negando antecedens, quia non magis amittitur dominium, aut transit in mutuum quando pactum securitatis initur cum eodem cui pecunia traditur, & veluti locatur ad negotiandum, quàm quando cum tertio initur: sicut enim in locato, & commodato non amittitur dominium, etiamsi conductor, aut commodatarius suscipiat in se periculum rei, ita neque in opposito contractu. Nec mercator potest pecuniam illam in alios vsus, quàm in mercimonium impendere, vnde non potest ex ea emere prædium, aut dotare filiam quoniam nõ est illi ad eum vsum concessa, nisi id faciat cum animo mox aliam eius loco substituendi, quomodo etiam deposito vti licet, cuius tamen dominium non amittitur. Quod etiam amplius confirmatur, quia si fortè contingat tertium illum non esse soluendo, habet socius facultatem ante omnes qui habent hypothecam in eius bonis, extrahendi suam pecuniam: & si ablata fuerit, habet actionem vindicandi eam sibi vbicumque repererit: quæ omnia sunt signa, quòd dominium eius pecuniæ retineatur.

50. Obijcies secundò, quia cùm hæc pacta fiant, simul obligatur socius ad aliquid vltra naturam contractus societatis, vel conductionis operatum. Respondetur, non obligari ad ea ex vi contractus societatis, sed ex aliis; nempe ex assecuratione, ex venditione lucri incerti pro certo: qui enim pecuniam tradit, non obligat illum ad eam assecurandam ex nudo pacto societatis, sed ex alio pacto in quo exhibetur iusta compensatio, sine quo non vult inire pactum societatis. nam liberum est cuique nolle inire vnum contractum sine alio: sicut potest quis nolle vendere, nisi emptor contentus sit de pacto retrouendendi. Adde, quòd, vt rectè Lessius dub. 3 quòd mercatores sic malint, quàm aliter, quia maius lucrum sic percipiunt; assecurationem enim sortis non magni pendunt: tum, quia ea securitas parum est secura, & multis periculis expositа, vtpote nulla nitens hypotheca, sed sola fide mercatoris; quare non est maior, quàm sit securitas bonorum ipsius mercatoris, quæ omnia fortunæ sunt expositа. Tum etiam, quia si mercator euertitur fortunis, nihil iuuabit alterum, pactum illud assecurationis. Tum quia bene norunt eam pecuniam securè impendere, vel si exponunt cum periculis, & res malè cesserit, cogitans se non fore soluendo, ac proinde depositorem fore damni participem. Lucrum verò incertum quod illis offertur libenter certo pretio redimunt, quia sperans se multo plus lucraturos. Adde tantum abesse vt ad hunc contractum adigantur mercatores inuiti, vt plerumque nolint alia ratione alios ad societatem admittere, ne cogantur rationes suas, & computus aliis patefacere.

51. Obijcies tertiò, ex Bulla Sixti V. quæ incipit, *Detestabilis auaritiæ*, in qua damnatur societas facta cum assecuratione capitalis. Respondetur, hanc Bullam intelligendam esse de societate facta cum assecuratione non compensato onere iusto pretio, vel de societate in qua non admiscetur alius iustus contractus, vt rectè Reginaldus lib. 25. num. 490. Passim enim inuentur eiusmodi societates cum tali pacto assecurationis etiam post eam constitutionem; quare vel non est recepta, vel intelligenda in sensu exposito.

52. Quòd si inquiras, quid detur pro dicta assecuratione. Respondet rectè Filliucius num. 55. tract. 38. cap. 3. dari partem lucri incerti, quæ iudicio prudentis omnibus spectatis videatur iusta, vel remitti aliquid de lucro certo, quod alioqui haberet si non iniret contractum assecurationis, sed tantùm tertium venditionis lucri incerti pro certo, quod certè maius esset, quàm si præterea etiam contractus assecurationis celebretur.

53. Secunda conclusio, non est necesse vt hi contractus debeant semper expresè fieri, sufficit enim vt contrahentes implicitè illos intendant per vnicum contractum expressum, vt si quis hoc modo cum mercatore cõtraheret: Confero centum ad societatem, vt quotannis soluas quinque, vel sex, salua sorte, eo modo, quo Doctores docent esse licitum. Necessarium tamen est, vt hi contractus saltem implicitè intendantur, quod potest fieri vno ex tribus modis. *Primò* si intendat accipere lucrum eo titulo quo consueuit passim ab aliis accipi. *Secundò* si intendat contrahere iuxta morem receptum. *Tertiò* si ex vi præcedentis propositi, quo statuit in hoc contractu exigere lucrum omni titulo quo potest sese applicet postea ad hunc contractum celebrandum, & intendat iusto modo lucrari, & non aliter. Tunc enim etiamsi actu id non cogitet, tamen implicitè censetur velle ita contrahere, & re ipsa sic exequi, sicut antè proposuit. Quare si quis intendat mutuare mercatori, & exigat partem lucri, tenetur ad restitutionem: similiter si putet mercatorem non velle vti ea pecunia, aut alia eius loco ad negotiationem, quia tunc nõ est societas, sed mutuum cum lucro: quod est valde notandum. Si verò bona fide dedisset putans illum velle vti ad negotiationem, posset exigere pretium conuentum, quia contractum ex parte sua bona fide impleuit, ac proinde potest cogere alterum vt impleat, aut soluat, vt docet Lessius num. 41. quanti sua intererat ipsum pacta conuenta præstitisse.

54. Et ex his infertur vera, & genuina intelligentia fori, seu legis sanctæ in Regno Aragonum anno 1616. vbi ad tollendas occasiones vsurarum, *primò* prohibentur omnia cambia ficta & fictitia. *Secundò* permittitur omnibus mercatoribus negotiantibus in cambio vero & reali, vel habentibus pecuniam expositam huic negotiationi, intra hoc Regnum vt possint accipere quotannis nouem pro singulis centenariis, & hoc ratione lucri cessantis, & prohibetur ne possint plus exigere, vel accipere. Aliis verò qui nec bancum habent, nec pecuniam expositam huic negotiationi cauetur, vt pro vsu pecuniæ nullum lucrum accipere possint, nisi conferendo eam prædictis mercatoribus, & ineundo societatem cum eis; qua ratione permittitur vt quotannis possint accipere septem pro singulis centenariis: aliàs tam mercatores, quàm cæteri pœnis vsurariorum subiaceant.

55. Et quod attinet ad mercatores, si lucrum cessans vel damnum emergens fuerit maius, nimirũ 10. pro centum, quantum est ex vi, & natura ipsius contractus & foro conscientiæ, licitè possunt exigere & accipere

accipere illa 20. quamuis in foro exteriori punirẽtur vt vsurarij. Et ratio est, quia prædicta lex tantùm fundatur in præsumptione vsuraria, nec irritat contractum; quare si non adsit inæqualitas, id licebit. Sicut etiamsi lucrum cessans fuerit tantùm quinq;, nõ possunt amplius exigere, quia ea lex solũ permissiua, nimirum ad vitanda maiora inconuenientia & incommoda; atque adeò totum illud amplius acciperetur ex mutuo, quod est vsura, quam nulla lex humana iustificat, nec iustificare potest, cùm legi naturali & diuinæ aduersetur. In quo decipiuntur plures mercatores existimãtes & pro certo habentes, virtute prædicti fori posse omnes indiscriminatim accipere annuatim nouem pro centum, quod verũ non est; quia lucrũ cessans non est omnibus æquale. Itaq; in foro conscientiæ, vt iustè possint nouem accipi, lucrum cessans debet esse eorumdem nouem, deductis laboribus & expensis.

56. Quod verò attinet ad eos qui mercatores non sunt, nimirum clericos, viduas, pupillos, &c. vt licitè possint accipere septem illa annuatim, requiritur *primò*, vt ineant tres contractus nuper expositos, saltem implicitè intendendo lucrum omni meliori modo, quo licitè possunt. *Secundò*, vt eosdem contractus ineant cum mercatoribus negotiantibus in cambio reali: quare vsuram committunt qui amicis omnis negotij imperitis, dant pecuniam, vt eam cum prædicto lucro restituant, quia mutuant cum lucro. *Tertiò*, vt saltem bona fide credant mercatorem velle pecuniam ad negotiandum. *Quartò*, vt ei tantumdem præbeatur, quantum valet eius industria, v.g. si pecunia sit centum & industria valet alia centum, lucrum diuidatur; & insuper aliquid amplius addatur pro assecuratione, quòd iudicio prudentis spectatis circũstantiis censeatur æquiualens. Cæterùm, quia, regulariter loquendo, lucrum mercatorum ignotum est ineuntibus cum eis prædictos cõtractus, eo quòd non possint certò scire quantum lucri prouenerit, & potest ipsis magna fraus fieri, cùm nequeant esse conscij eorum quæ geruntur, si mercatores liberè velint dare illa septem annuatim, nec alia ratione velint eos ad societatem admittere, vt prædiximus, ne cogantur rationes suas & computus patefacere, licitè poterunt accipi illa septem annuatim.

SECTIO XI.

An sit licitus contractus, per quem saluo & securo capitali accipitur annuatim aliquod certum lucrum.

57. GRegorius de Valent. disp. 5. q. 15. punct. 1. & 2. satis doctè ac diffusè versat hãc difficultatem, & recte docet hunc contractũ posse esse iustum, vel iniustum, licitum, vel illicitum, iuxta diuersitatem titulorum, ob quos lucrum accipitur. Quatuor ergo titulos assignat, ob quos in hoc cõtractu licitè possit percipi annuatim hoc lucrum. *Primus* est ratione lucri cessantis, qui etiã habet lucrum in mutuo, & in aliis contractibus. *Secundus* est, si socieras ineatur cũ pacto assecurationis capitalis & vẽditionis, v.g. lucri quinarij pro maiori lucro sperato, quod socio in cõpensationem eiusmodi onerum relinquatur, siue ista pacta fiãt explicita intentione, siue implicita, vt manet expositum sectione præced. *Tertius* si ematur census realis cũ pacto vtrimque redimẽdi & assecurandi, siue implicita item, siue explicita intentione, vt similiter docuimus in disp. de censib. *Quartus* si absque expressa determinatione cõtractus societatis vel emptionis, cẽsus, vel interesse lucri cessantis, aut damni emergentis, &c. generali quadã intentione habito delectu personæ cum qua contrahit, consentiẽte etiã socio, velit lucrari illa quinque aliquo tandem modo quo personarũ & facti circunstantiis consideratis, peritorum iudicio iustè id fieri possit.

58. Deinde assignat alios titulos iniustos & illicitos percipiendi annuatim hoc lucrum, saluo & securo capitali. *Primus* est, si quis centenariam summam mutuo re vera det, & ab eo cui dat ideo accipiat quinque vltra centum, quia ille cum proprio suo commodo ea pecunia ad tempus vtitur, quia hoc est peccatum vsuræ tam iure naturali, quàm in sacra Scriptura prohibitum quòd excusari nequit per vllã consuetudinem, nec per vllum prætextum pietatis erga miserabiles personas, quæ tali lucro ad sustentationem indigere videantur. *Secundus* est, si quamuis expressè non adsit animus accipiendi illud propter vsum pecuniæ mutuo datæ, nihilominus intendit reuera mutuo dare, & sine omni alio probabili titulo quem vllo modo prætexat, lucrum id accipit vltra capitale; qua ratione iniquè procedunt plures, qui non curant quibus, aut quomodo, aut ad quem vsum suas pecunias dent, sed solùm vt ipsi sint securi de capitali & lucro. *Tertius* est, quando etsi prætexitur aliquis probabilis titulus accipiendi lucrum illud, nihilominus examinatis personarum & facti circunstantiis, apparet esse falsum prætextum, nec posse applicari ad factum ipsum seruata æqualitate iustitiæ.

59. His tamen non obstantibus, Petrus de Ledesma p. 2. tract. 8. c. 35. censet esse alium iustum titulum, nimirum, quia is qui pecunias dat per illud tempus vnius anni, vel duorum, priuat se sua libertate, & suscipit in se onus non repetendi dictas pecunias per illud tempus, quod quidem est pretio æstimabile, atque adeò posse aliquod lucrum accipi pro eo sine labe vsuræ, quã sententiam approbare videtur Diana 1. p. tract. 8. resol. 48. Hoc tamen iam à nobis suprà reiectũ est, disp. de mutuo sect. 1. pugnat enim cum communi Doctorum sententia, nam, vt diximus, obligatio illa non petendi solutionem tanto, vel tanto tẽpore intrinseca est huic, vel illi mutuo; sicut obligatio non petendi pro aliquo tempore, intrinseca est mutuo absolutè. Et quamuis admitteremus prædictã priuationẽ esse pretio æstimabilem, & aliquo lucro dignam; nihilominus exigere & accipere pro ea annuatim septem & etiam nouem pro centenario, vt est à plurib. frequentissimè vsitatũ, videtur nimis excedẽs. Ratio huius est, quia si mercatoribus cambij realis solùm cõceditur, vt tantùm possint exigere & accipere nouem pro centenario, & hoc ratione lucri cessantis: & in euntibus cũ eisdem contractum societatis, septem pro centenario, dummodo adsint omnia requisita sectione præcedenti explicata, & vtrisque communis est carentia pecuniæ, priuatio suæ libertatis, & obligatio non repetendi sortem intra annũ, ob quos titulos nihil amplius assignant Doctores, quo modo isti, de quibus loquimur, possunt similiter exigere & accipere simile lucrũ non quidẽ ratione lucri cessantis, quia, vt supponimus, nullum est, neque ratione periculi sortis, quia etiam nullũ adest: quia non solùm dant pecuniam, sed insuper accipiunt hypothecam seu pignus æquiualens, & sæpe maioris valoris pro securitate. Solus ergo titulus ille esto concederemus esse pretio æstimabilem, certè, meo iudicio, nõ censetur dignus tanto lucro. Et hæc sufficiant de cambiis, & etiam de contractibus. Circa reliquos verò contractus consulendi sunt Recentiores.

TRACTATVS XX.

DE INCARNATIONE.

DISPVTATIO I.

De conuenientia Incarnationis.

SECTIO I.

An diuini Verbi Incarnatio fuerit possibilis.

1. QVAMQVAM nomen *incarnationis* ab hæreticis reiectum sit tanquam minus latinum,& ab antiquis Auctoribus nõ vsurpatum ;tamen nimis temerè loquuntur hæretici,quia iure optimo vniuersa Theologorum schola vtitur hoc nomine;ad significandam ineffabilem vnionem diuinæ,& humanæ naturæ in supposito verbi Dei. Nec solùm Theologi , sed etiam sancti Patres vruntur hoc nomine : imò & Concilium Nicenum in symbolo Fidei. Nec obstat quòd antiquiores Auctores non fuerint vsi hoc nomine, cùm inuentis nouis rebus , noua nomina inueniri necesse sit:vt docuit Cicero lib. 1. Academ.& 1. de natura Deorum.*Sunt*,inquit,*rebus nouis,noua ponenda nomina.* Hoc autem nomen adinuentum est, ad nominandum mysterium illud, quod Ieremias appellat nouum. *Faciet*, inquit , *Dominus nouum super terram*.vbi Hieronymus, *Verè nouum,& omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum* , &c.

Cicero.

Ierem.31.

Hieron.

2. Quòd si dicas, diuinum Verbum non solùm assumpsisse carnem, sed etiam animam ; quandoque integram humanitatem assumpsit :;ac proinde non incarnatio , sed humanatio debuit nominari. Respondetur , quòd integra humanitas in sacra Scriptura per figuram Synecdochem nomine carnis significatur,& non tantùm altera illius pars Gen. 6. *Omnis quippe caro corruperat viam suam.* & Lucæ 3. *Videbit omnis caro salutare Dei.* Qua ratione Ioan. 1. dicitur , *Verbum caro factum est.* Aptius etiam dicitur incarnatio , quàm humanatio , vt ipso nomine significetur , Verbum diuinum non dedignatum assumere id quod infimum in nobis est , videlicet carnem, & defectus, aut infirmitates quæ ex carne passibili otiuntur, dempta culpa.

Genes.6.
Luc.3.
Ioan.1.

3. Hoc ergo mysterium potest in hunc modum describi. Coniunctum ex humana natura sua propria subsistentia priuata, & ex Verbi diuini personalitate , media vnione substantiali resultans, quæ descriptio ex sequentibus manebit perspicua.

4. Conclusio est affirmatiua , diuini Verbi incarnatio possibilis est. Hæc est de Fide,quæ licèt probari poterat ex eo quòd sit facta , Ioan. 1. *Verbum caro factum est.* ad Galat. 4. *Quando venit plenitudo temporis , misit Deus filium suum* , &c. ad Philipp. 2. *Exinaniuit semetipsum formam serui accipiens.* Vnde manifestè sequitur , quòd re ipsa fuit possibilis ; si quidem quod verè , & realiter existit , fuit re ipsa possibile. Nihilominus probatur ratione qua vtitur Scotus. Quia si incarnatio includeret aliquid impossibile,& repugnans,vel hoc esset ex parte naturæ assumptæ,vel ex parte personæ assumentis:nõ ex parte personæ assumentis , quia persona diuina continet in virtute,& eminenter perfectiones omnium creaturarum;ergo potest supplere officiũ , & munus personæ creatæ ; sicut ex eo quod continet eminenter omnes creaturas,potest supplere munus omnium causarum,producendo omnes effectus illarum;sed persona creata terminat suam propriam naturam ; ergo potest persona diuina eamdem naturam terminare , & hoc est quod fit in mysterio incarnationis,vt natura humana quæ terminari deberet à propria persona,nõ terminetur nisi à persona Verbi.Quòd autem nõ repugnet ex parte naturæ assumptæ,probat Scotus supponendo , quòd in rebus creatis natura dicitur personata , per hoc quod non dependet actualiter, nec aptitudinaliter ab aliquo ; sed si persona diuina quæ est primum independens , terminat naturam humanam , iam natura illa fit independens ab alia ; ergo nulla repugnantia est ex parte naturæ creatæ.

5. Confirmatur ampliùs quòd ex parte naturæ assumptæ non repugnet, quia natura hæc singularis prior est,quàm suamet personalitas, aut suppositalitas;ergo potest impediri propria personalitas,manente singulari natura;ac per consequens talis natura poterit assumi ab aliqua persona diuina,quandoquidem omnis natura completa,& absoluta potest esse sine eo quod nõ est sibi intrinsecum,& est posterius;natura autem singularis substãtialis quæ est completa,& absoluta,est prior sua personalitate; poterit ergo Deus impedire propriam personalitatem,& terminare per se naturam singularem.

6. Obiicies primò, actus infinitus non est vnibilis actui finito,quippe qui non habet proportionem: sed natura diuina est actus infinitus, & humana finitus;ergo non sunt vnibiles;ac per consequens est impossibilis incarnatio. Respondetur,quòd quamuis actus infinitus, non sit vnibilis cum finito tanquam forma eius, potest tamen , & est vnibilis per hoc,quòd ratione proprij suppositi terminet dependentiã actus finiti, & ita facta est vnio incarnationis. Vnde quamuis huiusmodi actus distẽt inter se in infinitum quantum ad entitatem, seu perfectionem;nihilominus tamen,vt docet D. Thom.dist. 1. q. 1. ad 4. est proportio ordinis inter ipsas naturas, per hoc quòd in ipsa natura creata sit potẽtia obedientialis,vt assumatur;itaque distãtia illa quæ assignatur in argumento,tãtum est in perfectione entitatiua,nõ verò intrasione termini,& terminabilis: quia humanitas verè clauditur intra latitudinem naturæ terminabilis à personalitate diuina per Dei omnipotentiam , ratione cuius sufficientissimè est ei proportionata,vt per illam possit terminari.

Dices,

7. Dices, plus distant natura creata, & increata, quàm duo contraria; quandoquidem contraria sunt sub eodem genere; creatum autem, & increatum differunt plusquam genere: sed duo contraria nequeunt esse simul in eodem subiecto; ergo neque natura creata, & increata, in eodem supposito. Respondetur, quòd duo contraria non repugnant esse simul ratione distantiæ. nam plus distant superficies, & albedo, quæ sunt diuersi generis, quàm album & nigrum, quæ sunt sub eodem genere; & tamen superficies, & albedo, sunt simul: ratio ergo, quare contraria non sunt simul, non est distantia, sed oppositio: quia igitur inter naturam diuinam, & creatam, non est oppositio respectu eiusdem supposiți, ideo possunt esse simul.

8. Obiicies secundò, si incarnatio esset possibilis, esset possibile quòd Deus fieret homo: sed hoc videtur impossibile. nam ex hoc sequuntur duo contradictoria; sequitur enim vnam & eamdem personam, simul esse mortalem, & immortalem; passibilem & impassibilem. Respondetur istas duas propositiones non esse contradictorias: Christus est mortalis, Christus est immortalis; quamuis videantur constare terminis contradictoriis: & contradictoriæ istarum ambæ sunt falsæ, scilicet Christus non est mortalis, & Christus non est immortalis, quia negatio totum destruit. Vnde Christus non est mortalis, idem est quòd nullo modo & secundùm naturam humanam non est mortalis, quod est falsum: vel facilius potest dici, quòd licèt verificentur simul de eodem, non tamen verificantur secundùm idem, sed secundùm diuersas naturas, & sic non esse contradictorias.

9. Obiicies tertiò, quia si esset possibilis incarnatio, Verbum esset forma humanæ naturæ, quia esset perfectio intrinseca eius, non minus quàm sua propria subsistentia si eam haberet. nam quælibet perfectio alterius semper habet rationem formæ respectu eius cuius est perfectio: hoc autem repugnat Deo, cùm causalitas formæ dicat imperfectionem. Respondetur, quòd quamuis Verbum in incarnatione sit perfectio humanæ naturæ, non semper omne quod aliud perficit, est propriè forma informans: sicut punctum perficit lineam, & non est eius forma, sed terminus.

10. Dices, natura humana vnitur subsistentiæ Verbi, sicut potentia actui, quia ex subsistentia Verbi, & natura humana, resultat compositum per se, nempe persona Christi, verè, & propriè composita; ergo subsistentia illa est forma, quia actus informans, & forma coincidunt. Respondetur, potentiam non semper esse respectu actus, qui sit forma, sed interdum respectu termini, vt patet in linea, quæ dicitur esse in potentia, vt terminetur per punctum, quod non est forma, sed terminus: subsistentia ergo diuini Verbi dici potest actus terminans, non informans: ac proinde ille effectus non prouenit à subsistentia in genere causæ formalis, propriè loquendo, sed solùm termini actu terminantis: sicut lineam esse terminatam est effectus puncti, non vt formæ, sed vt termini, & quamuis de subsistentia creata, & de puncto concedamus modificare naturas quas terminant, & causare in illis modificationem, quæ est aliquis effectus formalis; non tamen est concedendum de subsistentia Verbi; quia hæc terminat humanitatem modo eminentissimo, secluſa omni imperfectione, quæ imperfectio non est de ratione subsistentiæ vt sic, vt patet in subsistentia diuina respectu naturæ diuinæ: itaque terminare naturam illam modificando, solùm conuenit subsistentiæ creatæ ob suam imperfectionem.

11. Denique obiicies, quia Deus de facto mutatur per incarnationem; ergo ex possibilitate incarnationis sequitur mutabilitas in Deo contra fidem, & rationem naturalem. Antecedens probatur, quia mutari est rem aliter se habere in se, nunc, quàm antea: at Deus ante incarnationem non est intrinsecè vnitus, & postea esset intrinsecè vnitus; ergo mutatur. Consequentia probatur, quia tunc mutatur aliquid quando intrinsecè fit, quod antea non erat intrinsecè; sicut paries dum fit albus: sed Deus non est intrinsecè homo; vnione autem fit homo intrinsecè, acquiritque esse substantiale hominis, quod antea non habebat formaliter; ergo

12. Communiter Thomistæ respondent, Verbum non fuisse mutatum in incarnatione, quia vnio in sola humanitate est intrinsecè, in Verbo autem extrinsecè: vnde Verbum non fuit mutatum, quia non acquisiuit in se aliquod nouum esse reale absolutum, sed solùm denominationem extrinsecam, vel relationem rationis ad humanitatem sibi hypostaticè vnitam, quæ potest acquiri sola mutatione humanitatis: sicut homo fit dexter, sola mutatione eius qui fit ei sinister: & Deus fit de nouo creator, sola mutatione creaturæ, & obiectum fit cognitum, sola cognitione existente in intellectu. Hæc autem solutio meritò reiicitur, quia constituit vnionem esse denominationem extrinsecam verbo, quod esse omnino falsum suo loco ostendemus. Nec exempla illarum relationum, vel extrinsecarum denominationum sunt ad rem. Quòd si D. Thom. & S. Bonauent. vtuntur illis exemplis, nomine termini extrinseci, significant, Verbum non esse subiectum recipiens, vel affectum vnione, sed purum terminum, cum quo stat esse intrinsecè vnitum.

13. Quare tres solutiones mihi videntur solidiores. Prima est Petri Hurtado disp. 1. sect. 4. quam videtur sumpsisse ex Caietano, & fundatur in diffinitione motus adducta ab Aristot. 5. Physicorum. Supponit enim motu nihil mutari nisi subiectum, est enim motus *actus entis in potentia prout in potentia*. Vnde aliter rem se habere absolutè, ac antea, est aliquid accipere de nouo vt subiectum rei acceptæ: Verbum autem non accipit humanitatem vt subiectum, sed tantùm purè terminat; terminare autem purè aliquid de nouo, non est mutari, quia mutari est recipere notum, terminare verò non est recipere: ob quod verbum non se habet aliter, ac antea. Itaque quando res fit intrinsecè quod antea non erat, mutatur, si concurrat vt subiectum ad nouum prædicatum, non verò si concurrat solùm vt purè terminus, quia nisi subiectum, nihil mutatur: ac proinde quando dicitur, Deus factus est de nouo quod non erat intrinsecè, concurrens vt subiectum, negandum est: concurrens vt purè terminus, concedendum est; inde tamen non sequitur mutari: nec ipsa vnione intrinseca perficitur Verbum, quia eam non attingit vt subiectum, sed vt purè terminus.

14. Secunda est doctissimi Patris Bernal disput. 1. sect. 1. asserentis, rectè fieri posse aliquam rem aliquid de nouo intrinsecum habere, & non mutari, quia ad intrinsecam mutationem non sufficit de nouo habere aliquid intrinsecum, sed quod illud habeat per physicam receptionem quæ sit propriè, & stricte passio, & per consequens propriè, & stricte inhæsio. Cùm autem passio, & inhæsio, inter se formaliter, vel cum eductione saltem realiter sint idem

idem conuertibiliter; fit, vt ſolum illud intrinſecè mutetur, ex quo realiter præexiſtente aliquid propriè, & ſtrictè educitur: cùm ergo Deus non ita ſe habeat reſpectu incarnationis, quia vnio hypoſtatica non educitur ex diuino ſuppoſito, ſed ex ſola materia, vel ex ſola humanitate; inde fit, quòd hæc ſola mutetur, quia ſubiectum eſt mutationis; non verò Deus, quia ſolùm ſe habet vt extremum terminans vnionem ex humanitate eductam.

15. Tertia eſt Patris Lugo diſp. 11. ſect. 7. vbi ſupponit, vnionem veram, & propriam, ex ſuo conceptu eſſe id, ratione cuius aliqua extrema diſtincta alligantur mutuo in ordine ad inſeparabilitatem, & ad hoc quod ex vtroque reſultet aliquod verè, & propriè vnum; vnio enim eſt quaſi vinculũ vtriuſque extremi per modum nexus; ac proinde vbicumque intercedit hæc alligatio, datur vera, & phyſica vnio. Deinde ſupponit, vniri non eſſe idem quod recipere ſeu affici; vniri enim ſolùm dicit alligationem explicatam: at recipere, vel etiam affici adhuc ſine ſuſtentatione (qua ratione actio dicitur afficere ſuum terminum, eſſeque in eo non vt in ſubiecto inhæſionis, ſed adhæſionis; & animal rationale dicitur afficere materiam primam, quamuis ab hac non ſuſtentetur) dicit, compleri, & integrari per aduentum complementi ſuperadditi. Eo enim ipſo quòd res recipit aliquid in ſe, ſupponitur cum vacuitate, quam repleat quod de nouo accipit: aliàs ſi ſupponeretur res vndique plena, & completa, non eſſet cur, neque vbi reciperetur: receptio ergo dicit incomplementum, & quòd res per receptionem compleatur, ac repleatur vacuitas quam intrinſecè habet.

16. Ex his facile eſt inferre ſolutionem difficultatis. Cùm enim Verbum ex vi vnionis hypoſtaticæ alligetur ad intimã coniunctionem cum humanitate, & ad componendum cum ea per ſe vnum, verè, realiter, & propriè, vnitur phyſicè cum humanitate, iuxta rationem formalem vnionis explicatam; at quia verbum ipſum non ſupponitur incompletum, aut in potentia vt integretur, vel compleatur per aliquid; imò ſupponitur integrè, & infinitè completum, non poteſt dici quòd in ſe recipiat intrinſecè vnionem, vel quòd ea intrinſecè afficiatur, informetur, aut perficiatur: hæc enim ſupponerent verbum ante vnionem eſſe in potentia, & non omnino completum. Humanitas verò afficitur intrinſecè vnione, & recipit illam, quia completur per eam, & integratur, & ſupponebatur de ſe incompleta, & in potentia ad ſubſiſtentiam; ac proinde hæc mutatur, non verbum.

Sectio II.

An lumine naturali potuerit euidenter, vel probabiliter cognoſci poſſibilitas Incarnationis.

17. Concluſio eſt negatiua, & prior pars colligitur ex D. Paulo 1. ad Corinth. 2. vbi loquens
1. Cor. 2. de hoc myſterio dicit, eſſe *ſapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo Principum huius ſæculi cognouit.* & ad Epheſ. 3. vocat illud, *inueſtigabiles diuitias Chriſti, & ſacramentum abſconditum*
Epheſ. 3. *à ſæculis in Deo*; quamuis alij hunc locum intelligant de vocatione Gentium. Idem probat locus Iſai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* qui
Iſai. 53. locus à pluribus Patribus intelligitur de humana Chriſti generatione. Alia loca Scripturæ, & Patrum videantur apud Recentiores. Vnus ſufficiat Auguſtinus, qui epiſt. 3. ad Voluſian. ſic ſcribit. *Hic ſi ratio queritur, non erit admirabile, ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inueſtigari non poſſe: in talibus rebus tota ratio facti, eſt potentia facientis.* Secundò probatur ratione, quia hoc myſterium eſt ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturale, & non continetur in aliquibus principiis, cauſis, vel effectibus naturalibus, ex quibus eius poſſibilitas deduci poſſit à priori, vel à poſteriori. Rurſus nulla illius ſpecies poteſt eſſe intellectui creato connaturalis; ergo nullum datur medium naturale ex quo euidenter inferatur poſſibilitas huius myſterij. Aug.

18. Obiicies primò, Angelus poteſt naturaliter efficere hunc diſcurſum: ego cognoſco euidenter naturali lumine, Deum poſſe facere quidquid non implicat contradictionem; ſed ego cognoſco euidenter naturali lumine, hoc myſterium non implicare contradictionem; ergo cognoſco euidenter eſſe poſſibile. Minor conſtat, quia Angelus naturali lumine defendit hoc myſterium ab omni contradictione, & ſcit nullum argumentum poſſe euidenter oſtendere impoſſibilitatem huius myſterij. Reſpondetur, Angelum non penetrare omnipotentiam Dei, nec totam capacitatem obediẽtialem creaturæ; ac proinde non cognoſcere diſtinctè, an hoc, vel illud myſterium in particulari, implicationem inuoluat; ſed ſolùm cognoſcere generatim, & in communi, Deum eſſe omnipotentem, & poſſe facere quidquid non implicat contradictionem, & creaturam habere potentiam obedientialem: in particulari autem dubitari poteſt, an humanitas priuata propria ſubſiſtentia, poſſit vniri alienæ, maximè diuinæ, vt per eam ſubſiſtat. Vnde quamuis Angelus poſſit defendere negatiuè, hoc eſt, negare principia naturalia adducta contra hoc myſterium, non tamen poteſt defendere poſitiuè, cognoſcendo principia contraria euidenter eſſe falſa.

19. Obiicies ſecundò, poteſt Angelus in accidẽtibus Euchariſtiæ cognoſcere carentiam inhærentiæ, & conſequenter conſeruationem eorum extra ſubiectum habitã ab influxu diuino in genere cauſæ efficientis, quia Angelus ſolo lumine naturali cognoscit quidquid eſt ordinis naturalis; carentia autẽ illa eſt ordinis naturalis; ergo ſimiliter poterit cognoſcere carentiã propriæ ſubſiſtẽtiæ in humanitate, & ſuppletam eſſe per diuinã ſubſiſtentiam. Patet conſequentia, quia carentia illa eſt ordinis naturalis.

20. Reſpondetur, carentiam illam inhærentiæ in accidenti Euchariſtiæ eſſe intrinſecè ſupernaturalem, non obſtante quòd forma qua priuat ſit ordinis naturalis: ſicut per oppoſitum etiamſi fides, charitas, & gratia, ſint ordinis ſupernaturalis, tamen priuationes earum, non ſunt ſupernaturales: aliàs propriis viribus, & per actionem peccaminoſam induceret homo aliquid ſupernaturale; & quamuis illud concedamus cum Vaſq. 1. part. diſput. 247. adhuc neganda eſt conſequentia, quia incarnatio multo eleuatior eſt, non enim ſupplet Deus defectum ſubſiſtentiæ humanæ per influxum actiuum, vt ſupplet defectum inhærentiæ accidentis in Euchariſtia, ſed per mirabilem vnionem intrinſecam Dei cum creatura, ita carentia propriæ ſubſiſtentiæ in humanitate Chriſti eſt ſecundùm ſuam entitatem ſupernaturalis, cùm ſit ſupra connaturalem capacitatem naturæ humanæ, & ſupra virtutem effectiuam ſubſtantiæ creatæ.

Secunda

21. Secunda pars conclusionis probatur, quia tunc non potest esse cognitio probabilis naturali lumine, quando non dantur naturaliter rationes, vel indicia impellétia ad aliquem assensum opinatiuum, sed intellectus naturali lumine non cognoscit rationes naturales sufficientes ad assensum opinatiuum probabilitatis incarnationis: imò si incideret in considerationem possibilitatis huius mysterij, vel cohiberet iudicium nihil iudicando, vel si iudicium ferret, non temere, sed iuxta motiua ex naturalibus, potius erraret, quàm verum attingeret. Deinde, quia hoc numero mysteriũ Incarnationis nequit cognosci sine mysterio Trinitatis, quia vnio facta est ad secundam personam, & ob id cognoscendæ sunt plures personæ in Deo: mysterium autem Trinitatis vi naturali nequit attingi, adhuc opinatiuè.

22. Secunda conclusio, intellectus creatus nó potuit naturali lumine cognoscere vllo modo incarnationem futuram, antequam fieret. Probatur, quia existentia incarnationis vt futuræ, pendebat ex decreto libero diuinæ volũtatis, quod à nullo intellectu creato naturaliter cognosci potest, ad Rom. 11. *Quis cognouit sensum Domini.* & 1. Cor. 2. *Quæ Dei sunt nemo scit nisi Spiritus Dei?* Quod verò adduci solet de Sibyllis quæ prædixerunt hoc mysterium: id quidem fecerunt, vel ex gratia prophetiæ, vel ex reuelatione ipsis, vel aliis facta, vt Adamo, & per traditionem ab eo; vel quia libros Prophetarum, in quibus hæc veritas continebatur, legerunt.

Rom. 11. 1. Cor. 2.

23. Tertia conclusio, intellectus creatus lumine naturali non potest cognoscere incarnationem existentem postquam facta est, neque euidenter, nec adhuc probabiliter. Hæc conclusio quoad priorem partem habetur Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus qui in cœlis est.* Deinde, quia incarnatio nec potest cognosci intuitiuè, conceptu proprio terminato ad eam prout est in se, quia incarnatio cùm sit supernaturalis quoad substantiam, est etiam supernaturalis quoad cognoscibilitatem, & supra captum naturalem intellectus creati; atque adeò non potest per propriam speciem, quæ etiam debet esse supernaturalis, cognosci. Nec abstractiuè, quia in primis cognosci non potest euidentia intrinseca, ex causa, aut ex proprio effectu, quia existentia incarnationis in nulla causa naturali continetur, ex qua possit à priori demonstrari: neque datur effectus aliquis naturalis illius, ex quo possit à posteriori. Deinde non euidentia extrinseca, quia nulla est creatura naturalis euidenter cognita, cum qua existentia, incarnationis habeat necessariam connexionem, ita vt ex ea possit euidenter extrinsecè cognosci.

Matth 16.

24. Secunda pars de conditione probabili, etiam patet à simili ex dictis, quia nullum est medium probabile naturaliter cognoscibile, quo intellectus creatus inclinetur ad cognitionem opinatiuam naturalem existentiæ incarnationis.

25. Obiicies, Angelus naturaliter intuetur quamcumque naturam substantialem existentem, & videt modum naturalem, quo subsistit; atque adeò subsistentiam propriam, dum illam habet: & per consequens dum illam non habet, non videt illam; ergo videt absentiam, seu carentiam eius: aliàs non comprehenderet omnia naturalia; ergo cùm in humanitate Christi non sit propria subsistentia, naturaliter non videt illam; ergo videt carentiam eius: sed aliàs scit naturaliter non posse naturam substantialem existere absque omni subsistentia; scit etiam non posse subsistere per alienam creatam; ergo naturaliter euidenter infert, subsistere per diuinam.

Respondetur cum Suario disp. 3. sect. 2. & Vasq. suprà, Angelum non posse cognoscere humanitatem Christi carere propria subsistentia, sed potiùs iudicare quòd subsistat per se ad modum cuiuscumque alterius naturæ hominis, quamuis in eo iudicio decipiatur, quia carentia illa in humanitate intrinsecè pendet ex modo supernaturali quo humanitas est in supposito diuino, & propterea videri non potest, nisi priùs talis modus videatur. 26.

Hanc tamen solutionem optimè impugnat Bernal, quia priuatio exactè cognosci potest, sine sui causa formali & effectiua, nec opus est expressè concipere causas à quibus inducitur. Quare magis placet quod idem Doctor docet, subsistentiam creatam in Christi humanitate repræsentari Angelo suis viribus relicto vt existentem, & eodem modo, ac si ibi realiter existeret. nam species impressa quæ repræsentat Angelo naturam creatam substantialem, si suæ naturæ relinquatur naturaliter, simul, & eodem actu repræsentat eiusdem substantiæ subsistentiam, tanquam existentem, & eidem substantiæ coniunctam: ac proinde sicut natura substantialis, si naturæ suæ relinquatur, necessariò habet coniunctam propriam subsistentiam; ita eius species impressa, naturæ suæ relicta, simul, & eodem actu illam repræsentat, tanquam eidem substantiæ coniunctam. Ex quo fit, quòd etiamsi humanitas Christi careat propria subsistentia, eius tamen species repræsentatiua quam habet Angelus, nullã mutationem, nec variationem acceperit, & ideo si suæ actiuitati relinquatur, repræsentet Angelo subsistentiã propriam, vt actu coniunctam eidem humanitati: sicut eadem species repræsentãt alias naturas humanas, vt propriis subsistẽtiis actu, & re ipsa coniunctas. Nec refert speciem hanc datam esse Angelo ad repræsentandam humanam illam sicuti est à parte rei: cùm ergo à parte rei careat propria subsistentia, repræsentabit eam sine ipsa. Nam eiusmodi species data non fuit ad repræsentandam humanitatem sicut est à parte rei vt cumque, & in omni euentu: aliàs data fuisset ad repræsentandam illam vt Verbo vnitam, sed sicut est à parte rei vt naturaliter existens; sic autem est cum propria subsistẽtia, & ideo cum hac illam repræsentat. Deinde non obstat, Deum cum illa specie concurrentem ad repræsentandã subsistentiam, vt existentem ibi vbi realiter non existit, futurum causam deceptionis. Quia Deus in illo influxu nó se gerit vt eam speciem præueniens ad repræsentationem illius subsistentiæ, sed potiùs vt ab ipsa specie præuentus, & sese accommodans ad naturalem eius exigentiam. Sicut quando quis hostiam videt, occultè consecratam, naturaliter iudicat esse ibi veram substantiam panis, tunc autem Deus illum non decipit concurrendo ad actum ipsius falsum, quia solum concurrit exigente id naturali conditione illius intellectus. Denique non obstat, Angelum non posse errare in cognitione rerum naturalium; ac proinde nec cognoscere rem naturalem, vbi non est. Hoc enim verum est, de rebus naturalibus persistentibus in ordine naturali, non de translatis ad supernaturalem quo pacto se habet humanitas Christi priuata propria subsistentia. Hæc Bernal satis probabiliter, meo iudicio, disp. 1. sect. 4. §. 4. 27.

Facilius tamen potest dissolui illa obiectio cum Suario suprà, Angelum non videre in humanitate Christi propriam subsistentiam: non tamen 28.

Digitized by Google

propterea cognoſcere poſitiuè in ipſa non eſſe,ſeu abſentiam, & carentiam eius,ſed potiùs dubitare, an ea ſibi occultetur à Deo miraculosè,ob aliquem finem ſuæ prouidentiæ: vnde nihil prorſus attingit Incarnationis myſterium.

29. Dices, hinc fieri Angelum ex non viſione rerum, nunquam poſſe euidenter poſitiuè cognoſcere earum non exiſtentiam, ſed dubitaturum ſemper,an fortè ſint, & ſibi cælentur. Reſpondetur,id ſolum poſſum contingere dum res ſe habent contra curſum naturalem, & debitum, vt eſt in noſtro caſu, nam quando ſe habent ſecundùm modum,& ordinem naturalem, ſine vlla dubitatione ex non viſione rei,euidenter poſitiuè infert Angelus abſentiam,& non exiſtentiam ipſius.

Sectio III.

An conueniens fuerit, Deum incarnari.

30. Svppono,conueniēs ſupra bonum,& perfectum in ſe,importare habitudinem ad id cui eſt conueniens, & pro diuerſitate iſtius habitudinis, eſſe diuerſitatem in acceptionibus conuenientis. *Primò* ergo accipitur conueniens, pro vtili, & commodo rei cui eſt conueniens. *Secundò* pro decenti,& congruo rei,abſque vtilitate, ſicut eſt congruum Regi affabilem ſe oſtendere. *Tertiò* pro proportionato connaturali, ſeu iuxta exigentiam rei, cui eſt conueniens.

31. Prima concluſio, incarnatio non fuit Deo conueniens primo modo:bene tamen ſecūdo & tertio modo. Primū probo,quia nihil temporale eſt vtile Deo,id eſt,tale cum quo eſſe Dei ſe habeat melius, quàm ſine illo.nam ad infinitam plenitudinem Dei pertinet,eſſe in ſe,& à ſe adeò perfectum, vt nullo prorſus extra ſe indigeat ad eſſe melius, imò quòd repugnet ipſi melioritas.

32. Secundum probatur de decentia & congruentia, quia Deo maximè congruit oſtēſionem facere bonitatis,ſapientiæ,iuſtitiæ,potentiæ & reliquorū attributorum quæ facta eſt per incarnationem. nam ex Damaſceno 3.de Fide,cap.1.in ea elucent maximè hæc attributa,Dei bonitas,quia maximæ bonitatis eſt vti benignitate,& miſericordia,in miſeros, & abiectos. Sapientia, quia Deus in hoc myſterio excogitauit modum,tum quo res diſtinctiſſimè,diuina,ſcilicet,& humana natura,vnirētur, tum quo iuſtitia,& miſericordia adinuicem oſcularētur:tum quo vinceretur, & euerteretur Dæmonis imperiū, noduſque captiuitatis hominis diſſolueretur.Iuſtitia,quia Deus hominem perditum reparauit medio alio homine, & cum ſatisfactione condigna rigoroſæ, ac perfectiſſimæ iuſtitiæ. Omnipotentia denique, quia quid potentius quàm vnire diuinam,& humanam naturam, ita vt Deus ſit homo, & homo Deus.

33. Tertium probatur eleganti ratione D.Thomæ, quæ ad hanc formam poteſt reduci. Sicut bono vt bonum eſt,conuenit ſe cōmunicare,vt tradit Dionyſius 4. de diuinis nominibus, ita ſummo bono conuenit ſummè ſe communicare; ſed Deus eſt ſummè bonus;ergo conuenit Deo ſe ſummo modo communicare. Deinde ſumma communicatio fit per vnionem hypoſtaticam, quia ex tribus modis quibus poteſt Deus ſe ipſum communicare creaturis, videlicet per creationem ſecundùm eſſe naturale, & per prædeſtinationem ſecundùm eſſe ſupernaturale gratiæ; & per incarnationem ſecundùm eſſe perſonale: iſte vltimus eſt omnium maximus, quia duobus prioribus fit Deus vnum nobiſcum ſolo amore & affectu; poſteriori verò fit vnum in perſona,itavt vna, & eadem perſona quæ eſt Deus,ſit etiam homo:cùm ergo Deo conueniat ſe ſummo modo communicare,cōſequens eſt vt ei conueniat vnio hypoſtatica,ac proinde incarnatio.

Confirmatur,quia tripliciter poteſt intelligi bonum eſſe diffuſiuum,& communicatiuum ſui. *Primò* in genere cauſæ finalis per hoc quod mouet appetitum ad ſui amorem. *Secundò* in genere cauſæ efficientis, qua ratione ſe communicat cauſa ſecunda producendo ſibi ſimile. *Tertiò* in genere cauſæ formalis, ſicut forma per ſe ipſam ſe communicat dando eſſe materiæ: ſed in hac communicatione Verbi incarnati reperiuntur iſti tres modi,ſeclusis imperfectionibus. nam in genere cauſæ finalis, per hanc vnionem ita Deus allicit voluntatem, vt nullo alio opere poſſit magis allicere; in genere cauſæ efficientis, quia Deum fieri hominem,eſt maximum opus Dei,nec poteſt fieri maius: & quamuis in genere cauſæ formalis Deus non ſe communicet, quia id implicat; tamen per ſe ipſum vnitur humanitati, non tanquam forma, ſed tanquam terminus naturæ; ergo hæc communicatio eſt ſumma omnium poſſibilium ex omni parte.

Obiicies primò, quia de ratione boni eſt, habere propenſionem ad ſe communicandum; ergo de ratione ſummi boni erit, habere ſummam & infinitam: ſed infinita propenſio, habet infinitam vim ad determinandum Deum vt ſe communicet; ergo neceſſariò fuit incarnatus. Reſpondetur negando minorem, quia illa infinita propenſio, noſtro modo intelligendi, ſubordinatur ſapientiæ,& libertati Dei, & ideo determinat Deum liberè,& non neceſſariò, ſicut infinita Dei omnipotentia actiua,liberè determinat Deum ad agendum, quia ſubordinatur eius ſapientiæ, & voluntati, & ob eamdem rationem propenſio illa infinita,non cauſaret in Deo violentiam ſi non incarnaretur: ſicut ego non ſum violentus quando non deambulo, iudicans non expedire,quia inclinatio ad deambulandum,ſubditur rationi & voluntati. 34.

Obiicies ſecundò, quia poteſt dari maior communicatio Dei ad extra, vt ſi tres diuinæ perſonæ communicarent ſuas ſubſiſtentias vni humanitati, vel vna perſona diuina ſuam ſubſiſtentiam multis humanitatibus; ergo incarnatio non eſt ſumma communicatio. Reſpondetur, in eo euentu futuram maiorem extenſiuè, non verò intenſiuè, quia vna ſubſiſtentia, non eſt intenſiuè perfectior alia, nec omnes tres quàm vna: ſicut nec omnes tres diuinæ perſonæ continent maiorem perfectionem,quàm quæuis earum. 35.

Inquires, an incarnatio ſit Deo conueniens, vt perfectio intrinſeca, vel extrinſeca? Reſpondeo incarnationem pro potentia ſe communicandi per vnionem hypoſtaticam, eſſe conuenientem Deo vt perfectionem intrinſecam, quia hæc duo dicit, & omnipotentiam Dei, & ſubſiſtentiam Verbi diuini,quarum vtraque eſt infinita perfectio Dei,intrinſeca ipſi,ſi autē ſumatur incarnatio,pro actu ſe communicandi per vnionem hypoſtaticam,eſt Deo conueniēs, tanquam perfectio, vel res extrinſeca,quia actu ſe communicare actiuè producendo vnionem hypoſtaticam, eſt ipſa actio qua vnitur humanitas cum verbo, vel qua producitur vnio hypoſtatica: & actu ſe communicare terminando humanitatem, eſt ipſa vnio ſubſiſtentiæ Verbi cum humanitate; vtraque autem eſt 36.

res creata, ac proinde extrinseca Deo. Nam licèt summo bono conueniens sit se communicare, non est necesse vt id fiat se intrinsecè perficiendo, sed satis est, vt fiat bonificando, & perficiendo ea quibus communicatur: hoc enim est consentaneum naturæ summi boni. Ita tamen Incarnatio est Deo conueniens, id est, consentanea, & decens, vt negatio Incarnationis ipsum non dedeceat. nam ex his quæ liberè à Deo fiunt, sic plurima decent, vt non dedecerent eorum negationes. Vnde si Deus non fieret homo, non sequeretur ipsi indecentia. Deo fuit decens condere mundum, & vnum mundum, & tamen non fuisset indecens ipsi plures condere, aut etiam nullum.

37. Secunda conclusio. Considerata natura humanitatis secundùm se, Incarnatio non est illi conueniens tertio modo initio sectionis explicato. Probatur, quia humanitas non habet inclinationem, seu appetitum innatum ad vnionem hypostaticam, vtpote excedentem vires naturæ ipsius: sed solùm dicitur conueniens alicui, secundùm naturam, & tertio modo, id quod est naturæ proportionatum, & connaturale, seu ad quod habet innatam inclinationem: ergo, &c.

38. Obiicies, ex hoc sequi incarnationem fore violentam humanitati, quia violentum est quod est à principio extrinseco, passo non conferente vim, id est, reluctante passo: sed incarnatio est à principio extrinseco, reluctante humanitate, per inclinationem innatam ad propriam, & comaturalem subsistentiam, quæ est incompossibilis cum supernaturalitate Verbi: ergo incarnatio est illi violenta.

39. Pater Bernal disp. 2. sect. 2. non refugit concedere totum argumentum, quamuis enim, inquit, carentia propriæ subsistentiæ non sit contra appetitum elicitum humanæ Christi voluntatis, quæ potiùs gaudet de subsistentia diuina sibi vnita, & substituta loco propriè infinitæ ignobilioris; est tamen contra inclinationem naturalem in propriam subsistentiam; atque adeò vetam vim patitur.

40. Sed verius existimo, carentiam propriæ subsistentiæ in humanitate Christi non esse violentam, quia ad rationem violenti non sufficit, vt sit vtcumque contra inclinationem, & appetitum subiecti; sed etiam requiritur, vt quod deest, non suppleatur per aliquid perfectius, & perfectiori modo: imò quòd cauletur per mutationem, vel formam contrariam formæ connaturali quæ deficit; non per formam superioris ordinis summè perficientem, vt accidit in nostro casu.

41. Tertia conclusio. Incarnatio fuit conueniens primo modo naturæ humanæ, imò & toti vniuerso, & omnibus creaturis eius. Prior pars ostenditur, quia per hoc mysterium verus homo est verus Deus, & quidam homo est superior Angelis, imò & capax multarum perfectionum, quarum nulla pura creatura capax esse potest, vt infiniti meriti, perfectæ iustitiæ coram Deo, & similium: vnde
Augusti. D. August. de Prædestin. Sanctorum cap. 15. ait, *Ita esse hoc mysterio subleuatam humanam naturam, vt quo altius attollatur non habeat.* Deinde Deus factus est hominibus maximè amabilis, quia similitudo est causa amoris: homo docetur ab ipsomet Deo; habet ius perfectæ iustitiæ ad gratiam, & gloriam comparandam. Denique aliquis homo est fons totius sanctitatis, & gratiæ: caput etiam hominum, & Angelorum, quæ omnia sunt humanæ naturæ conuenientissima.

Posterior pars etiam probatur, quoniam completa vniuersi perfectio requirit omnes rerum ordines, vt sit Deo quàm simillimum: per incarnationem autem constat vniuersum omnibus rerum Ordinibus; ac proinde est ipsi valde conueniens, Maior est D. Thom. 1. p. quæst. 50. art. 1. & ex ea colligit sanctus Doctor, debere esse in rerum natura creaturas intellectuales purè spirituales. Et ex eadem colligit Leo Papa debere esse in rerum ordine hominem productum ex muliere sine viro, quia fuit homo productus sine viro & muliere, vt Adamus, & ex viro sine muliere vt Eua, & ex viro & muliere vt Abel, & cæteri homines: ergo debuit esse homo sine viro ex muliere, & hic est Christus. Minor verò probatur. nam cùm in omnibus substantiis creatis, vna natura sit in vna persona, & in diuina natura, vna substantia sit in pluribus personis, vt omnes differentiæ rerum reperirentur in vniuersum, conueniens fuit adinuenire modum, quo plures naturæ essent in vna persona. 42.

Postremò etiam ad omnes creaturas peculiaris dignitas ex incarnatione redundauit. nam omnes creaturæ quodammodo continentur in homine, vt docuit D. Gregorius 6. moral. cap. 1. Deus ergo copulando sibi naturam humanam, & eam eleuando ad dignitatem suprà explicatam, reliquas etiam sibi quodammodo copulauit, & illis contulit eamdem dignitatem. Ideo ad Ephes. 1. dicitur, *omnia esse instaurata in Christo*, videlicet propter nouam dignitatem, & excellentiam omnibus creaturis in incarnatione collatam, siue, vt habet verbum Græcum, *recapitulata*, eo quòd in natura humana omnia quasi in summa contineantur, & ita assumpta hac natura à Verbo, cæteræ res veluti in summam redactæ, censentur vnitæ: vnde Iustinus Martyr in expositione fidei, vocat hoc mysterium *Oeconomiam*, quasi vniuersalem dispensationem. nam per Incarnationem toti vniuerso prouisum est, quia in totius cedit vtilitatem: igitur per incarnationem facta est summa communicatio, non solùm intensiuè, vt dicebamus, dando naturæ humanæ infinitum bonum, sed etiam quodammodo extensiuè ad omnes creaturas. 43. Ephes. 1.

Sectio IV.

An necessarium fuerit Deum incarnari.

HÆc difficultas potest tractari, vel de necessitate absolutè, vel de necessitate ex suppositione peccati, & in vtroque sensu explicabitur. 44.

Granados 1. part. in materia de volunt. Dei, tractatu 2. disp. 3. censet, Deum semper velle id quod est optimum, in his rebus in quibus assignari potest optimum, cuius modi sunt, inquit, res omnes in quibus non est progressus in infinitum. nam in his, in quibus est huiusmodi progressus, vt in multitudine indiuiduorum sub aliqua specie, vel specierum sub aliquo genere, in quibus non potest Deus producere tot, vel tales, quin possit producere plures, & perfectiores in infinitum, numquam peruenitri potest ad optimum: at in reliquis datur optimum, & huiusmodi sunt, incarnatio, & eius negatio; prædestinatio, & non prædestinatio; creatio mundi, & non creatio. In his ergo docet Deum semper facere optimum, & ad hoc volendum & faciendum, necessitari à sua natiua bonitate, ingenio, & propensione vt moraliter non possit id non velle, licèt habeat potentiam physicam ad 45.

oppoſitum,quæ ſufficit vt tunc Deus liberè operetur,& velit.

46. Hæc tamen ſententia meritò reiicitur ab omnibus Theologis,tanquam repugnans communi ſenſui Catholicorum, vnanimi conſenſu affirmantium,Deum futurum perfectè beatum, etiamſi per totam æternitatem nihil ad extra produxiſſet, vel produceret : tum etiam doctrinæ ſanctorum Patrum, qui loquentes de potentia ad reparandum hominem, conſtanter aſſerunt Deum æquè facilè ſimpliciter potuiſſe illum reparare aliis modis ab incarnatione. legatur Auguſt. 13. de Trinitate, cap. 10.vbi loquens de hoc myſterio,ait. *Parum eſt, vt iſtum modum quo nos per Ieſum liberare dignatur, aſſeramus bonum, & diuinæ congruum dignitati ; verùm etiam vt oſtendamus, non alium modum poſſibilem Deo defuiſſe, cuius poteſtati cuncta æqualiter ſubiacent.* Quòd ſi nonnulli Patres aliquando aſſeruerunt, Deum eligere & facere ſemper quæ meliora ſunt: interpretandi ſunt cum D. Thom. 1. p. quæſt.25. art.6.ad 1. Deum ſemper facere meliora ex parte modi faciendi, non enim poteſt facere meliori modo, neque ex maiori bonitate, ſapientia, &c. non autem meliora ex parte rei factæ; ſic enim poteſt facere meliora in infinitum.

47. Prima concluſio. Incarnatio nulla neceſſitate abſoluta, nec phyſica, nec morali fuit neceſſaria. Et quidem de neceſſitate phyſica,res eſt pluſquam certa ; quia Incarnatio eſt actio Dei ad extra : ergo neceſſariò debet eſſe libera: aliàs Deus ad extra ageret ex neceſſitate naturæ, quod eſt contra fidem. De neceſſitate morali probatur, quia cùm Deus in ſe ſit ſummè Beatus, & infinitè bonus, nullo bono ad extra indiget ad ipſius bonum, & beatitudinem : ergo potuit relinquere hominem in ſua damnatione : ſicut enim creatio hominum fuit ſimpliciter libera,ita & reprobatio. Vnde Sapientiæ 12.dicitur. *Quis imputabit tibi, ſi perierint omnes nationes quas tu feciſti ? non enim eſt alius Deus quàm tu.* Sapient.12.

48. Confirmatur primò. Quia in Deo debemus conſtituere libertatem cum maiori perfectione poſſibili : ſed ſi Deus infinito amore ſui ipſius, ſeu gaudio infinito de ſuis ſolius bonis, nullam habeat abſolutam neceſſitatem efficaciter amandi aliquid à ſe diſtinctum,perfectius eſſet,quàm ſi prædictam neceſſitatem haberet ; cùm hoc aliquo modo neceſſitatum dependentem, & indigum efficiat ; illud verò omnino liberum,& independentem : ergo hoc eſt Deo tribuendum,illud verò negandum.

49. Confirmatur ampliùs, quia oppoſita ſententia ponit in Deo libertatem diminutam, & imperfectam ; cùm diminuta ſit potentia ad vnam partem contradictionis,quamuis tantùm moraliter neceſſitata. Imò ſola potentia phyſica, cum impotentia morali,communiter vocatur à Patribus, & Conciliis non potentia ſimpliciter, ſed potiùs impotentia, ſic dicunt hominem non poſſe vitare omnia venialia, nec ſuperare omnes graues tentationes abſque auxilio gratiæ ; cùm tamen hæc non ſint phyſicè impoſſibilia,ſed ſolùm moraliter.

50. Vrgetur vis huius rationis, quia illa libertas phyſica ſolùm, cum impotentia morali, inuoluit imperfectionem indignam Deo,ex ea enim ſequitur *primò* Deum non habere dominium perfectiſſimum ſuarum creaturarum, ſi non poteſt illas ponere,vel non ponere,vt vult. Deinde,quia,vt rectè Lugo diſput.2. ſect.2. Impotentia moralis prouenit ex maxima difficultate circa aliquid phyſicè poſſibile, quod vincere difficillimum eſt : ergo ſi Deo eſt impoſſibile moraliter non aſſumere carnem,ideo eſt, quia habet tantam difficultatem oppoſitum illius, vt illam vincere Deo difficillimum ſit : hoc autem longe abeſt à diuina omnipotentia, quæ cùm infinita ſit, à difficultate finita vinci non poteſt;eſſet enim maxima eius imperfectio,ſi vinci poſſet.

51. Obiicies primò. Quia ſimpliciter neceſſarium eſt Deum efficere quod conuenientiſſimum eſt, nam voluntas bona non poteſt eligere, niſi quod bonum,& conueniens eſt, & voluntas ſummè bona non poteſt eligere,niſi quod optimum, & conuenientiſſimum eſt : ſed Deum reparare hominem lapſum, fuit conuenientiſſimum : ergo eſt neceſſarium. Reſpondetur, quòd voluntas diuina eo quod eſt ſummè bona, neceſſitatur ad volendum ſemper ſummum bonum ; quod eſt ipſemet Deus; in ordine autem ad creaturas non neceſſitatur ad volendum id quod eſt melius ex parte rei volitæ, ſed tantùm ex parte modi,videlicet vt velit meliori modo quo poteſt, cum infinita ſapientia, bonitate, & prouidentia, vel infinitè bene, vt docuit D.Thom.1.*part.quæſt.*25.*art.*6.*ad* 1.Deus enim non ſemper, neque neceſſariò operatur in creaturis quidquid rebus creatis conuenientius, aut melius eſt : aliàs nihil poſſet facere melius quàm fecit, quod eſt abſurdum.

52. Obiicies ſecundò. Qui perfectiſſimè aliquem diligit, efficit propter illum id quod ſummè cedit in eius decus ; ſed Deus perfectiſſimè ſeipſum amat, & incarnatio eſt omnium operum optimum: ergo neceſſariò illam eligit, & per conſequens neceſſariò efficit opus incarnationis. Confirmatur, quia ſi Deus ſemper non eligeret optimum, non eſſet ſapientiſſimus artifex in actu ſecundo, ſed ſolùm in actu primo, quod non eſt dicendum.

53. Reſpondetur, eum qui perfectiſſimè aliquem diligit, neceſſariò velle efficaciter id quod habet maiorem connexionem cum maiori bono amici, quando ex tali bono ei accreſcit aliquid, quod illius magis interſit, quàm minus bonum : non tamen neceſſitari ad volendum illi efficaciter id ſine quo is qui amatur poteſt perfectiſſimè eſſe, & permanere. Cùm ergo Deus ſine creaturis ſit perfectiſſimè beatus,quia illarum bonitas, vtpote finita,& limitata,nihil ei intereſt, nec neceſſitat diuinum affectum erga illas ; ideo non neceſſariò, ſed liberè poteſt eas proſequi, & in actu ſecundo magis affici erga minus bonum creatum.

54. Ad confirmationem, Deum non poſſe eſſe ſapientiſſimum artificem in actu ſecundo operando optima ex parte rei factæ, ſemper enim meliora,& excellentiora poteſt facere ; ſolùm ergo eſt ſapientiſſimus artifex in actu ſecundo ex parte modi faciendi,quia ſemper operatur ſine defectu, & cum ſumma ſapientia,& bonitate,vt dictum eſt.

55. Obiicies tertiò. Quo maior eſt propenſio ad aliquod obiectum, eo minor libertas manet reſpectu illius : ſed Deus infinita propenſione fertur in ſuam communicationem per incarnationem, quia quidquid eſt in Deo,eſt formaliter infinitum;tum etiam, quia cùm Deus ſit bonitas infinita, infinito modo fertur in ſui communicatione : ergo nihil libertatis manet in illo ad non ſe ſic communicandum. Reſpondetur eam propenſionem, quamuis infinitam,ſubordinari diuinæ libertati,hoc eſt, voluntati diuinæ,& iudicio diuini intellectus:aliàs Deus ſemper neceſſariò phyſicè, faceret ad extra id quod melius eſt creaturis : vnde cùm melius ſit

ſaluare

ſaluare omnes homines, quàm paucos, illud priùs neceſſariò faceret Deus.

56. Secunda concluſio. Poſito hominis lapſu, non fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio, ſed ſicut liberè omnino redemit, ita potuit Deus ſine remedio relinquere. Ita communiter Theologi, & colligitur apertè ex multis locis ſacræ Scripturæ, in quibus reparatio generis humani tribuitur liberalitati, charitati, & miſericordiæ Dei. Ioann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Ad Titum 3. *Qui ſecundùm ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Et ratio à priori eſt, quia Deo nullo modo eſt neceſſaria remiſſio peccati, vt ipſe exiſtat, nec vt bene exiſtat; illique ſuppetunt multas rationes quibus honeſtiſſimè nos relinqueret damnatos in æternum. Et ob hanc cauſam Paulus non ſatis commendat charitatem Dei in nobis ad Rom. 5. *Quia cùm inimici eſſemus, reconciliauit nos Deo.* Si autem interueniſſet neceſſitas, & non libertas, nullum foret beneficium reparare genus humanum. Quod ſi aliqui Patres aliquantulum obſcurè loquantur, vt Anſelmus lib. 1. *Cur Deus homo*, cap. 12. & Cyrillus 8. Theſauri. cap. 7. & Athanaſ. 6. de Incarnatione Verbi cap. 2. aſſerentes, non decuiſſe opus Dei imperfectum manere, nec potuiſſe aliter perfici, quàm per incarnationem, interpretandi ſunt ex ſuppoſitione diuinæ ordinationis, & decreti, quo ſemel voluit hominem perfectè reparare condigna ſatisfactione.

Ioan. 3. Tit. 3. Rom. 5.

57. Obiicies primò. Quia id quod eſt indecens, & indignum bonitati diuinæ, poteſt dici abſolutè impoſſibile: indecens autem erat diuinæ bonitati vt homines in interitum abirent ob Dæmonis fraudem aduersùs hominem. nam gloriaretur inimicus quòd victoriam reportaſſet, & opus Dei maneret imperfectum, contra ſummam Dei ſapientiam, bonitatem, & omnipotentiam. Reſpondetur, quòd indecens contrariè, id eſt, quod eſt contrarium bonitati diuinæ abſolutè eſſe Deo impoſſibile: at non reparare genus humanum, eſſet indecens negatiuè tantùm, hoc eſt, minus conueniens, ſeu minus bonum, non tamen eſſet malum. Neque derogaret Deo quod opus eius maneret imperfectum ex hominum malitia, non ex eius impotentia, & potuiſſet Deus ſuum opus perficere alios homines creando, & de peccatoribus vindictam ſumendo: vnde non haberet Dæmon gloriam, ſed confuſionem.

58. Obiicies ſecundò. Sicut Deus non poteſt amplecti obiectum inhoneſtum, quia eius volitio eſſet inhoneſta, ita nec minus honeſtum, quia eius volitio eſſet minus honeſta: ſed ſi Deus noluiſſet hominem reparare, amplexus eſſet obiectum minus honeſtum, quàm ſi reparare voluiſſet; illud enim eſt minus honeſtum, quàm hoc: ergo non potuit non reparare hominem. Maior in qua eſt difficultas probatur, quia ſicut volitio Dei volens obiectum inhoneſtum, eſſet inhoneſta, quia vellet obiectum oppoſitum regulis rationis; ita volitio volens obiectum minus honeſtum, eſſet minus honeſta, quia vellet obiectum minus conſentaneum regulis rationis: omnis autem Dei volitio ſummè honeſta phyſicè, & moraliter debet eſſe.

59 Reſpondetur negando maiorem, quia Deus non poteſt amplecti obiectum moraliter inhoneſtum, quia eſt extra obiectum adæquatum voluntatis diuinæ, ſiquidem opponitur diuinæ bonitati cui omnino repugnat omne quòd honeſtari non poteſt, & etiam diuinæ Sapientiæ quæ dictat omne malum eſſe fugiendum: at bene poteſt amplecti obiectum minus honeſtum negatiuè, id eſt, non tam honeſtum, ac aliud, quia omne obiectum honeſtum eſt intra obiectum adæquatum diuinæ voluntatis: nec cogitur Deus amplecti quod magis honeſtum eſt, quia nec perfectio, nec ſanctitas Dei pendet ab amore efficaci alicuius obiecti creati, neque ab eius honeſtate. Et ad probationem dico, volitionem diuinam obiecti minus honeſti, non eſſe minus honeſtam, quia non ſumit ſuam perfectionem, & honeſtatem, ab honeſtate obiecti creati, ſed à ſanctitate eſſentiali ipſius naturæ diuinæ, quæ eſt ſumma, & infinita; atque adeò omnis volitio Dei, ſicut etiam omnis nolitio, eſt ſummè, & infinitè honeſta, & ſancta; tum etiam, quia quælibet eſt infinitè perfecta; quælibet etiam continet omnem honeſtatem cuiuſlibet alterius, cum qua realiter identificatur: tum maximè, quia quælibet ſemper eſt in ſuprema ſpecie perfectionis moralis, quæ eſt charitas in Deum, quidquid enim Deus vult, vel non vult, id præſtat propter ſui amorem infinitum.

60. Tertia concluſio. Adhuc poſito decreto de reparando homine, non fuit neceſſaria ſimpliciter incarnatio. Ita Patres, & Doctores. Lege Auguſtinum de agone Chriſtiano. Vbi ſtultos vocat eos, qui dicunt non potuiſſe Deum aliter liberare hominem, quàm aſſumendo naturam humanam. Et ratione probatur, quia potuiſſet hominem reparare. *Primò* exigendo ab hominibus ſatisfactionem imperfectam, & inæqualem, vt actum doloris, vel ſimilem, qui ex acceptatione Dei eſſet talis, quòd Deus eſſet contentus, ſicut quando creditor eſt contentus parte debiti pro toto. *Secundò* poterat eſſe contentus ſatisfactione imperfecta exhibita ab homine, vel Angelo, qui conſtitutus eſſet caput morale reliquorum, & cum gratia capitis. *Tertiò* potuiſſet condonare liberaliter peccatum Adamo, & poſtea collata ipſi gratia capitis, ipſe pro peccatis aliorum ſatisfacere. Denique potuiſſet gratis, & liberaliter homini condonare offenſam, nullam ab eo exigendo ſatisfactionem. Cùm enim ipſi eſſet facta offenſa, ac proinde ipſi deberetur ſatisfactio, potuiſſet cedere iuri ſuo condonando omnino ſatisfactionem: in quo nec reperiretur iniuſtitia contra alium, nulli enim fit iniuria, cùm quis vtitur iure ſuo: nec contra ipſummet Deum, cùm nullus patiatur iniuſtitiam volens, ex 5. Ethicorum 9. & cùm ſit ſupremus dominus, & Iudex, non faceret contra ius alterius, remittendo pœnam hominibus: neque de hoc poſſet conqueri Dæmon, cùm is non concurrat ad hominis punitionem vllo iure, ſed ex iuſſu Dei, vt miniſter.

61. Quarta concluſio. Poſito decreto de reparando homine ad æqualitatem, & ſatisfactione condigna, non fuit ſimpliciter neceſſaria incarnatio. Probatur, quia in eo euentu ſufficeret vnio hypoſtatica cum natura Angelica, ſeu inangelatio, quia Deus Angelus potuiſſet exhibere Deo ſubiectionem, & ſatisfactionem infinitæ valoris, ſicut de facto exhibuit Deus homo: licèt enim Deus Angelus non poſſet mori, poſſet tamen per actus internos ſpirituales perfectè ſatisfacere. Quando verò Patres aſſerere videntur, neceſſariam fuiſſe incarnationem ad ſatisfactionem æqualem, & condignam, loquuntur ex ſuppoſitione quòd Deus decreuit condignam ſatisfactionem ab homine præſtandam.

62. Quinta concluſio. Suppoſito prædicto decreto de reparando homine ad æqualitatem, fuit ſimpliciter neceſſaria vnio hypoſtatica. Ita communiter Patres & Theologi, & reddunt rationem, quia ad æqualem, & condignam ſatisfactionem pro Dei offenſa,

offensa, duo requiruntur, nempe subiectio personæ satisfacientis ad ipsum Deum, & valor infinitus: sed purus Deus, nec eius actus, non poterant subiectionem præstare, quia Deus est omnino incapax subiectionis, & pura creatura non poterat exhibere actus, & satisfactionem infiniti valoris, quia is petit oriri à persona infinitæ dignitatis, qua omnis persona creata caret: ergo nec purus Deus, nec pura creatura potuit exhibere æqualem satisfactionem: ille quidem, vt aiunt Patres, non valens se demittere; hæc verò non potens tam assurgere, & per consequens ad reparandum hominem condignè necessaria fuit vnio hypostatica personæ diuinæ cum natura creata, vt ex parte huius daretur subiectio, & ex parte illius infinitus valor ad æqualem satisfactionem requisitus.

63. Hinc fit, quòd cùm de facto nulla alia vnio hypostatica nisi cum natura humana facta sit, nullus etiam nisi homo Deus, id est, solus Christus, potuit hominem per æqualem satisfactionem redimere. Quæ certè veritas est præcipuus scopus totius huiuce tractationis, ac proinde discutienda accuratè ostendendo, tam insufficientiam satisfactionis, quæ præstari potuisset à puro homine, quàm sufficientiam eius quæ præstita est ab homine Deo, scilicet Christo.

Sectio V.

An purus homo in gratia constitutus, potuerit Deo satisfacere ad æqualitatem, pro peccatis generis humani.

64. Difficultas hæc procedit de potentia Dei absoluta. nam de lege ordinaria certa res est, neminem præter Christum posse aliis mereri de condigno, nec pro illis satisfacere saltem quoad culpam, quia de lege ordinaria nostra gratia adoptionis ordinata est, vt sit principium meriti de condigno solùm in subiecto in quo est, iuxta illud Ioan.4. Ioan.4 *Fiet in eo fons salientis in vitam æternam.* Vbi ponderandum est, ly *in eo*, quod apertè probat intentum.

65. Suarez disp. 4. sect. 7. docet, purum hominem innocentem & sanctum, potuisse de potentia absoluta satisfacere aliquo modo condignè pro peccatis omnium hominum, quia Deus potuit constituere vnum purum hominem caput morale reliquorum, qui cum gratia capitis esset principium merendi condignè illis primam gratiam, & per consequens satisfaciendi pro eorum peccatis: si enim Adamus posito pacto Dei, quo factus est caput morale, vt in eo continerentur voluntates omnium hominum qui ex ipso descenderent per seminalem propagationem peccando, condignè meruit omnibus hominibus priuationem gratiæ, & æternam damnationem, cur non potuisset alius purus homo per simile pactum constitutus caput morale condignè mereri aliis hominibus gratiam, & pro illis condignè satisfacere? Deinde docet Suarez, talem satisfactionem non fore æqualem offensæ In quo non videtur satis consequenter loqui. nam si satisfactio illius primi hominis foret aliquo modo de condigno: ergo etiam foret aliquo modo æqualis offensæ.

66. Sed quidquid de hoc sit, sententia Suarij mihi non probatur. nam, vt docuimus in tract. de gratia, impossibile est vt opus quod secundùm se non est condignè satisfactorium, fiat tale ratione promissionis & pacti Dei. nam, vt rectè Vazquez disp.4.cap.2. Promissio, & pactum de conferendo præmio, vel remittenda offensa propter aliquod opus, non tribuit ipsi condignitatem quam ex se non habet quasi in actu primo, nec potest facere æquale id quod secundùm se æquale non est. Nec sufficit dicere cum limitatione satisfactionem illam puri hominis esse aliquo modo de condigno. nam eo ipso quòd limitatio ista tollit æqualitatem, tollit omnino condignitatem.

67. Vnde quamuis purus homo potuerit constitui à Deo caput morale cæterorum, non inde infertur, illum potuisse condignè satisfacere pro aliorum peccatis, vt postea ostendam. Nec refert quòd Adamus condignè meruerit aliis hominibus priuationem gratiæ. nam condignitatem istam non habuit præcisè ex pacto Dei, sed quia supposito pacto, & decreto connectendi voluntates aliorum hominum, cum voluntate Adami, ipse moraliter continebat aliorum voluntates, & ideo eo peccante, omnes censentur in eo peccasse, quia voluntas & peccatum eius, fuit voluntas & peccatum totius generis humani, seu posterorum. Et quamuis inde sequatur, posito simili pacto, satisfactionem puri hominis qui esset caput morale, esse etiam satisfactionem aliorum hominum, & alios homines in eo satisfacere; non tamen sequitur satisfactionem illam esse condignam, quia neque ex solo pacto, ordinatione, aut promissione diuina, neque aliunde potuit obtinere eam condignitatem.

68. Conclusio ergo est negatiua cum communi sententia Theologorum, & videtur etiam communis consensus sanctorum Patrum quos latè referunt Recentiores. legendus est Ambrosius in cap.9. ad Hebræos. *Tantum*, inquit, *fuit peccatum nostrum, vt* Ambros. *saluari non potuissemus, nisi vnigenitus Filius Dei pro nobis moreretur.* & Basilius in Psalm.48 vbi ait. *Non* Basil. *item hominem nudum, sed hominem Deum Iesum Christum, qui solus pro nobis omnibus propitiationem dare potest Deo.*

69. Rationem huius veritatis reddit Vazquez c.4. vbi ait. Purum hominem gratia adoptionis præditum, non posse aliter pro aliorum peccatis condignè satisfacere, nisi condignè merendo ipsis auxilia, quibus se disponant ad iustificationem, vel ipsam gratiam iustificantem: hoc autem à puro homine qualicumque gratia adoptionis prædito fieri non posse, ostendit sic: quia omnis gratia adoptionis est eiusdem naturæ rationis, sed nulla gratia adoptionis de facto, quantumcumque intensa, est principium merendi aliis de condigno auxilium gratiæ, aut gratiam; alioqui hoc genus meriti, immeritò negaretur gratiæ sanctissimæ Virginis: ergo purus homo per nullam gratiam adoptionis, potuit mereri aliis auxilium gratiæ, aut gratiam iustificantem.

70. Sed certè non apparet repugnantia cur hoc de potentia absoluta fieri non possit, si actus meritorij illius hominis ad hoc præmium fuissent à Deo ordinati, quia sicut actus meritorius hominis iusti nunc procedens à gratia, est condignus, & proportionatus cum gratia conferenda ipsi iusto; ita etiam est condignus & proportionatus cum simili gratia alteri conferenda; præmium enim gratiæ ex eo quòd sit huic, vel alteri conferendus, non est maius in quantitate, vel valore: ergo sicut de facto iustus meretur de condigno sibi gratiam suo actu, quia ad tale præmium est à Deo ordinatus, potuisset quoque similem gratiam alteri de condigno mereri,

mereri, si ad talem gratiam fuisset ordinatus.

71. Ratio ergo à priori nostræ conclusionis petenda est ex dicendis sectione sequenti, nunc verò probatur à posteriori, quia si pura creatura potuit satisfacere ad æqualitatem pro peccatis omnium hominum, gratis certè, & sine vrgenti necessitate Deus fuit factus homo, contra omnes Patres, & Gal.2. D.Paulum ad Galat.2. *Si enim per legem iustitia: ergo gratis Christus mortuus est.* quamuis enim ibi loquatur expresè de lege Moysi, tamen à simili illius ratio conuincit id quod intendimus.

Obiicies: Gratia habitualis per se, sine vllo alio Dei dono intrinseco, vel fauore extrinseco, delet maculam, & offensam mortalem: ergo si purus homo Sanctus de potentia absoluta potest alteri peccatori mereri de condigno gratiam habitualem: ergo & poterit de condigno mereri remissionem peccati, & per consequens condignè satisfacere.

72. Respondetur primò. Concedendo posse purum hominem iustum gratiam condigne mereri alteri non existenti in peccato, negando tamen posse condignè mereri alteri existenti in mortali, quia cum gratia per se ipsam tollat malitiam & offensam mortalis, non potest iustus mereri peccatori collationem gratiæ, quin illi mereatur remissionem peccati, connaturaliter necessariò inclusam in infusione gratiæ: cùm ergo purus homo iustus non possit condignè mereri peccatori remissionem peccati, propter inæqualitatem inter meritum puri hominis, & offensam Dei; non poterit etiam illi condignè mereri primam gratiam habitualem; hoc enim multo maius beneficium esset in æstimatione morali, quàm illam mereri homini non habenti peccatum.

73. Respondetur secundò, quòd licèt id concedamus, adhuc tamen non sequitur posse pro illius mortali condignè satisfacere, quia plus requiritur ad satisfactionem condignam, quàm ad meritum de condigno. nam meritum tantum respicit præmium eiusdem rationis, seu ordinis, quòd si sit eiusdem valoris cum præmio, erit meritum condignum: itaque meritum in ratione meriti condigne licèt requirat dignitatem, id est, sanctitatem & amicitiam in persona merente; non tamen requirit æqualitatem dignitatis merentis, cum dignitate præmiantis, sed solùm æqualitatem operis cum præmio: satisfactio verò respicit personam offensam, & vt sit condigna, vltra proportionem operis cum remissione offensæ, requirit moralem æqualitatem desumptam ex dignitate personæ satisfacientis, quæ nequit contingere, nisi persona satisfaciens sit æqualis dignitatis, cum persona offensa, vt ex infrà dicendis constabit.

Sectio VI.

An purus homo cum gratiæ auxiliis possit pro suo peccato satisfacere.

74. CONclusio est negatiua, loquendo de satisfactione perfecta, & condigna, seu ad æqualitatem. Ita D.Thom.art.2. & Recentiores communiter. Probatur ex sacra Scriptura, simul & Tridentino. Rom.3. dicitur, *Iustificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Iesu.* Quem locum Trident.sess.6.cap.8. sic explicat, ideo gratis iustificari dicimur, quia nihil eorum quæ iustificationem præcedant, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Circa quæ verba duo nota, *primò* sermonem esse de operibus etiam ex auxilio gratiæ factis, siquidem ibi recensetur fides, & alia opera præcedentia iustificationem per modum dispositionis, quæ, vt habetur cap.5. & 6. fiunt ex auxilio gratiæ, atque adeò comprehenduntur ibi contritio, & dilectio super omnia. *Secundò*, nomine iustificationis comprehendi quoque peccatorum remissionem, vt colligitur ex cap.7. vbi ait. Iustificationem, & esse remissionem peccatorum, & sanctificationem, seu renouationem interiorem hominis.

Ex quibus rationem sic formo. Peccator ex Paulo, & Tridentino, adhuc exhibita contritione iustificatur, & accipit peccati mortalis, vel originalis remissionem gratis: ergo contritione, vel dilectione non reddit condignam & æqualem satisfactionem pro offensa peccato illata. Patet consequentia, quia si redderet æqualem satisfactionem contritione antecedente vt dispositione gratiam iustificantem, tantum ipsa redderet Deo, quantum peccato abstulit: ergo non faceret Deus illi gratiam remittendo peccatum; non enim fit gratis ex gratia, quod fit propter solutionem æqualem; si ergo Deus peccatori remittit peccatum intuitu æqualis, & condignæ satisfactionis contritione exhibitæ: ergo non remittit gratis. 75.

Respondent aliqui supponendo, quòd satisfieri, est bonum offensi; est enim restitui ipsi quòd per offensam ei fuerat ablatum: at remitti offensam, est bonum satisfacientis, liberatur enim à debito satisfaciendi. Hinc dicunt non valere hanc consequentiam, contritio est satisfactio condigna pro offensa: ergo facit condignè, & ex iustitia sibi debitam remissionem offensæ, tollendo ab ea gratiam; fit enim transitus à bono offensi, ad bonum offendentis: vnde licèt satisfactio faciat primum condignè, non eodem modo constituit debitum secundi, atque adeò relinquit in hoc locum gratiæ. 76.

Contrà. Quia impossibile est quòd quis condignè, & ex iustitia satisfaciat pro offensa, & quòd non sit ei debita pariter ex iustitia, & absque vlla gratia remissio offensæ; offensa enim consistit in illa inæqualitate resultante ex læsione iuris offensi, habet namque minus, quàm deberet habere, ex Aristot.5.Ethicorum, cap.4. sed per satisfactionem, ex iustitia fit debita ablatio illius inæqualitatis, cùm fiat æqualitas illi inæqualitati opposita: ergo etiam pari modo fit debita ex iustitia, ablatio, & remissio offensæ. 77.

Tota ergo difficultas consistit in assignanda vera, & propria ratione, cur homo cum auxilio gratiæ non possit perfectè, & condignè satisfacere pro suo peccato mortali, nec contritione, nec dilectione Dei, aut vllo suo actu. 78.

Proponitur primus modus dicendi, & reiicitur.

Vazquez disp.2.cap.3. & 6. docet, purum hominem non posse condignè, & perfectè pro mortali suo satisfacere, quia actus ipsius non auferunt debitum perpetuò carendi auxilio supernaturali contractum per peccatum. Rationem sic ex ipso efformo. Satisfactio quæ non aufert totum debitum, imò partem debiti gratis remissam supponit, æqualis, & perfecta non est: sed actus puræ creaturæ quantumuis perfectissimi, vt sunt contritio, & dilectio super omnia, non auferunt totum debitum peccato proprio mortali contractum, imò partem 79.

supponunt

ſupponunt gratis à Deo remiſſam neceſſariò: ergo actus eiuſmodi hac de cauſa non ſunt ſatisfactio æqualis, & perfecta, pro huiuſmodi peccato. Minor probatur, quia per mortale, ſiue actuale, ſiue originale, non ſolùm contrahit peccator debitum perpetuò carendi beatitudine, & amicitia Dei, ſed etiam debitum carendi auxilio ſupernaturali ad illam recuperandam: eo enim ipſo quòd per peccatum ſit inimicus Dei, poteſt meritò Deus illi denegare omnia auxilia ſupernaturalia, præſertim congrua, & efficacia ad conuerſionem: at contritio & Dei amor, cùm nequeant elici ſine auxilio ſupernaturali excitante, & adiuuante, vt principio, iam ſupponunt illud habitum à Deo gratis, & liberaliter: ergo ſupponunt iam remiſſum debitum carendi illo, & per conſequens ſupponunt partem debiti per mortale contracti remiſſam gratis; ac proinde non auferunt totum debitum, nec ſunt perfecta ſatisfactio.

80. Hic tamen modus dicendi reiicitur, vt inſufficiens, quia debitum illud carendi auxilio, vt fatentur omnes, non habet rationem culpæ, ſed pœnæ iuſtè impoſitæ à Deo propter peccatum: ergo ad perfectam & æqualem ſatisfactionem pro culpa, quæ eſt ſatisfactio pro eo quod habet verè, & propriè rationem culpæ, & offenſæ, impertinenter ſe habere videtur ſatisfactio, vel non ſatisfactio pro tali debito. Confirmatur, quia inde ſequitur poſſe hominem condignè ſatisfacere pro ſua culpa mortali, ſi adhuc condonato debito carendi illo primo auxilio, culpa in ratione culpæ integra manet, vt liquet, & per conſequens manet integrum debitum culpæ, vt culpæ: ergo qui ſatisfacit pro toto illo quod tunc manet, plene & integrè ſatisfacit pro culpa: ſed ſi peccator tunc eliciat actum contritionis, plenè ſatisfacit pro toto quod manet, dempta illa pœna carendi illo auxilio gratis condonata: ergo negari non poteſt quod perfectè, & ad æqualitatem ſatisfaciat pro propria culpa mortali.

81. Deinde, quia ex eo modo dicendi ſequitur, neque Chriſtum pro nobis condignè ſatisfeciſſe, quandoquidem non ſolùm contraximus debitum carendi ſpeciali auxilio ſupernaturali interno, ſed etiam externo, ac proinde Redemptore, quod debitum per Chriſti mortem non fuit ſublatum; ſed gratis remiſſum, miſſo gratis Redemptore: ergo Chriſti ſatisfactio non fuit condigna, cùm totum debitum non extinxerit, ſed partem debiti remiſſam inuenerit. Et quamuis Chriſto non fuerit remiſſum illud debitum, quia illud non contraxit, tamen non fuit remiſſum per Chriſtum, ſed gratis, miſſo gratis Redemptore; ac proinde Chriſtus debitum illud non ſuſtulit.

Secundus modus dicendi refutatur.

82. Bernal diſp. 4. ſect. 3. §. 6. exiſtimat, diuinam offenſam ſimpliciter, & phyſicè eſſe infinitam. Hurtad. diſp. 9. ſect. 3. cenſet ſimiliter eſſe infinitam, quamuis non phyſicè, ſed moraliter: ex quo inferunt iſti Doctores, nullam puram creaturam, non ſolùm diuiſiuè, ſed etiam collectiuè ſumptam, vtpote ſimpliciter finitam, poſſe ſatisfacere pro offenſa quæ ſimpliciter eſt infinita; quia finiti ad infinitum nulla eſt proportio.

83. Hic etiam modus dicendi mihi non probatur, quia peccatum, ſi ſit originale, formaliter conſiſtit in priuatione gratiæ, quæ cùm finita ſit, peccatum quod in eius priuatione formaliter conſiſtit, finitum etiam eſſe debet, finitæque malitiæ. Si verò peccatum ſit actuale, vel conſiſtit eſſentialiter in priuatione rectitudinis debitę in eſſe, vt plures volunt, quæ rectitudo cùm ſit etiam finita, ſequitur illud eſſe finitum tantùm: vel conſiſtit in entitate aliqua reali poſitiua, vt vult Caietanus, vel in entitate poſitiua non reali, ſed rationis, vt nos docuimus in tractatu de peccatis; ſed neutro modo illa entitas eſt infinita, ſed potiùs actu finita: ergo peccatum non poteſt eſſe actu infinitum. Nec denique in ratione offenſæ eſt infinitum, eo quòd quanto forma denominans eſt maior, tanto eſt maior denominatio: forma autem vnde in peccato mortali ſumitur denominatio tantæ offenſæ, eſt ipſe Deus, eiuſque infinita magnitudo & dignitas. Hæc namque ratio non probat phyſicam infinitatem, ſed ad ſummum moralem. Sed neque de hac conuincit, quia perſona offenſa non concurrit ſola ad grauitatem offenſæ, ſed ſimul cum grauitate materiæ, & defectu conſiderationis; grauitas autem materiæ, ſeu iniuriæ, inæqualis eſt, ſicut ſpecies peccatorum inæquales ſunt. Defectus etiam conſiderationis in omni peccato mortali quantumuis ex perfecta deliberatione perpetrato, ſemper inuenitur: omnis namque peccans eſt ignorans; ergo ex nullo capite peccatum eſt infinitum ſimpliciter.

84. Secundò probatur, quia præcipua ratio in qua hæc ſententia fundatur, eſt quia peccatum mortale meretur de condigno pœnam ſimpliciter infinitam, meretur namque pœnam æternam, & eam Deus illi confert, quæ quidem eſt ſimpliciter infinita: inter offenſam autem, & pœnam condignè meritam, nequit non eſſe proportio, & æqualitas. Hæc tamen ratio ſi aliquid probaret, eodem modo conuinceret opera noſtra eſſe infinitæ dignitatis, & præmium quod opera noſtra exercita ex gratia merentur condignè æternam vitam: ſed vita æterna eſt præmium ſimpliciter infinitum, quia ſicut cruciatus æterni ſunt pœna ſimpliciter infinita, etiam voluptas æterna erit præmium ſimpliciter infinitum: ergo habent condignitatem ad præmium ſimpliciter infinitum. Itaque peccato mortali non debetur pœna, ſeu damni, ſeu ſenſus infinita ſecundùm intenſionem, ſed finita tantummodo, quamuis ſecundùm durationem infinitæ, ſeu potiùs in æternum duratura ſit.

85. Obiicies primò, quia iuxta inferiùs dicenda, offenſa tanto eſt maior, quanto perſona quæ offenditur eſt dignior: ergo cùm Deus qui per grauem culpam offenditur, ſit dignitatis, & perfectionis ſimpliciter infinitæ, etiam offenſa mortalis erit ſimpliciter infinita. Reſpondetur negando conſequentiam, quia dum offenſa aſcendit gradatim perſonas finitas, creſcit vniuocè, cùm verò tranſcendit ad infinitam, non creſcit vniuocè, ſed analogicè, & proportionaliter: vnde manet quidem in ſupremo ordine, non tamen infinita ſimpliciter: ſicut quamuis quanto obiectum eſt perfectius, tanto eſt perfectior eius amor, & cognitio; non tamen inde infertur, quòd amor & cognitio Dei ſimpliciter infiniti, ſint ſimpliciter infinita.

86. Obiicies ſecundò, quia peccatum mortale priuat nos Deo in quo eſt actu infinita bonitas: at malitia priuationis tanta eſt, quanta bonitas in re qua priuat. Reſpondetur, peccatum non priuare nos Deo tanquam forma oppoſita, ſed tanquam fine, & obiecto cui coniuncti ſumus, mediante gratia, & charitate, quæ non ſunt formæ ſimpliciter infinitæ.

Verum

Digitized by Google

Verus modus dicendi proponitur.

87. Vt autem proponam rationem quæ verior, & efficacior videtur,

Notandum est primò Deum posse pati damnum in honore. Ratio est, quia aliquem pati damnum, & læsionem in re aliqua, nihil aliud esse videtur, quàm minus habere de illa, quàm ei debetur. Deus autem potest habere minus quàm ei debetur intra limites honoris. nam honor debitus Deo consistit in cultu ei exhibito ab omnibus suis creaturis; quando ergo aliqua particularis creatura non exhibet illi prædictum cultum, sed Deum lethaliter offendit, aufertur à Deo honor debitus, ac proinde minus habet tunc Deus de honore sibi debito. nam cùm honor sit in honorante, & nihil aliud sit quàm recta existimatio de virtute alterius, negari non potest, Deum pati damnum in honore, quando à peccatore offenditur. Vnde August. lib. 83. quæstionum q. 31. *qui de Deo prauè sentit, verè*, inquit, *ladit illum in honore, quia recta existimatio de illo est ei debita.* Itaque per peccatum mortale aufertur à Deo honor debitus vltimi finis, & postponitur Deus creaturis, ac proinde peccator infert Deo offensam, & iniuriam contra iustitiam, quandoquidem contra iustitiam agit, qui aufert alicui honorem debitum, & illum rebus vilioribus postponit.

August.

88. Secundò notandum, quòd iniuria tanto est grauior, quanto persona cui irrogatur est dignior, & persona offendés vilior: crescit ergo grauitas iniuriæ ex hac personarum improportione: vnde cùm Deus cui per peccatum fit iniuria, habeat infinitam dignitatem, iniuria ei facta per peccatum quodammodo habet infinitam grauitatem: dixi *quodãmodo*. nam quamuis cæteris paribus, peccatum tanto sit grauius, quãto persona offensa est dignior, & persona offendens est vilior, non sequitur inde malitiam peccati qua Deus offenditur absolutè & simpliciter esse infinitam, sed tantùm esse infinitam secundùm quid, scilicet quia, cæteris paribus, maior est quàm malitia actus, qua persona creata offenditur; quod optimè potest consistere cum peccati finitate in se. Itaq; iniuria Dei est altioris rationis in ratione iniuriæ, supra omnem iniuriã quæ inferri potest puræ creaturæ, atque adeò est improportionabilis illi, & satisfactio puræ creaturæ. Vnde quando D. Thom. solut. ad 2. ait, tãto grauiorẽ esse offensã, quãto maior est persona cui fit, non est intelligẽda cõparatio secũdùm æqualitatẽ, sed secũdùm proportionẽ, quę in eo consistit, quòd sicut Deus est altioris ordinis, ita iniuria Deo illata sit etiam superioris rationis.

89. Hæc doctrina est Aristotelis 5. Ethicor. cap. 5. vbi ait, quòd si is qui magistratũ gerit, alium percutit, non est repercutiendus: at si quispiam percutit magistratum, non solùm repercutiendus, verùm etiam supplicio afficiendus est. Cuius rei ratio est. nã quo persona est dignior, tãto ei debetur maior reuerentia; ergo per iniuriã læditur maius ius: ergo ipsa iniuria est grauior. Vnde iniuria quæ fit Regi, propter maiorem Regis dignitatem est maior, & hoc est commune omnium prudentum iudicium, & ita l. *Prætor.* ff. de iniuriis, & l. *aut facta.* ff. de pœnis, habetur, pro varietate personarum quæ peccata cõmittunt, variãdas esse pœnas. videlicet quia variæ sunt culpæ quibus commẽsurandæ sunt pœnæ: ergo iniuria quæ fit à vilissimo peccatore, cõtra personam cuius dignitas in infinitum excedit omnium creaturarum dignitates, quodammodo in infinitum excedit omnes iniurias quæ illis possunt fieri, & consequenter erit quodammodo infinita.

Lud. à Casaregnilla Tom. poster.

90 Tertiò notandum, ex morali etiam existimatione, honorem, & satisfactionem eo magis decrescere, quo persona satisfaciens fuerit vilior, & hoc magis quando obsequium vilis personæ offertur personæ dignissimæ, quod iuxta moralem existimationem ferè pro nihilo habetur, vt si abiectissimus ex plebe, summo & potentissimo Regi honorem defetat, & ideo magis æstimatur honor, & dignior habetur satisfactio, quo maior & dignior fuerit persona à qua exhibetur.

91. Ex qua doctrina satis manifestè colligitur ratio ob quam nullus homo purus, quantumuis in gratia constitutus, potest satisfacere Deo ad æqualitatem pro peccatis generis humani, quoniã vt satisfactio sit omnino æqualis iniuriæ, necesse est, vt dignitas personæ satisfaciẽtis, sit æqualis dignitati personæ offensæ; sed hæc æqualitas nequit reperiri in puro homine quantumuis grato, & sancto. nam Deus natura sua est infinitus; homo autem semper est finitus ex se: ergo nullus purus homo potest satisfacere ad æqualitatem. Maior patet, quia iniuria crescit ex dignitate personæ offensæ, satisfactio verò ex dignitate personæ satisfacientis: sed offensa hæc est summa inter offensas, vt ostendit dignitas personæ offensæ, & persona puri hominis est vilis respectu personæ Dei: ergo nulla est, nec potest esse æqualitas in ratione satisfactionis.

92. Obiicies primò, quia magnitudo offensæ non semper crescit ex dignitate personæ offensæ, vt si quis æqualẽ pecuniæ summam furetur, siue Regi, siue plebeio, æqualẽ prorsus facit offensam. Deinde valor satisfactionis nõ decrescit ex vilitate personæ satisfacientis: si enim quis Regi rapiat cẽtum, perfectè facisfacit restituendo centum, siue sit nobilis, siue ignobilis, & si contra Regem dicat falsum testimonium, perfectè satisfacit si illud retractet, dicendo se esse mentitum. Respondetur, quòd offensa purè realis quæ absolutè dicitur iniustitiæ, & constituit inæqualitatem in bonis externis, vt in pecunia, non crescit ex dignitate personæ cui fit iniuria, sed ex quantitate, & qualitate rei ablatæ: at offensa personalis quæ absolutè significatur nomine offensæ, & consistit in contemptu & irreuerentia personæ, crescit ex dignitate personæ, quia maior iniuria est infringere alapam Regi, quàm plebeio. Et eodem modo philosophandum est de satisfactione, hæc enim si fit iniuria realis non decrescit ex vilitate satisfacientis, quia in ea solum attenditur æqualitas rei ad rem, absque respectu morali ad qualitatem personæ satisfacientis: satisfactio verò iniuriæ personalis, quæ potissimum pensanda est per ordinem ad qualitatem satisfacientis, decrescit ex eiusdem vilitate. Vnde satisfactio famæ facta à viliori persona non est plena satisfactio, si læsio famæ contingat, vt solet, in iniuria & contumelia quæ honorem lædit.

93. Dices, si persona vilis verbis contumeliosis, aut alapa afficiat Regem, licèt nõ possit aliqua submissione illi plenè satisfacere; potest tamẽ si pro Rege à morte, vel captiuitate liberando, manifesto vitæ periculo se exponat, v.g. capto Rege ab hostibus, si iam eum morti traditum eriperet, aut se loco illius substitueret. Respondetur, quòd quamuis concedamus satisfactionem inferioris hominis posse aliquando coniungi cum talibus circunstantiis, vt prudenti æstimatione censeatur æqualis offensæ hominis superioris, etiam Regis; adhuc tamen negandum est id posse contingere in satisfactione puri hominis erga Deum, propter infinitum excessum diuinæ maiestatis læsæ.

Digitized by Google

94. Obiicies secundò, quia satisfactio non est ad constituendam æqualitatem inter personam & personam, sed inter obsequium & iniuriam: at iniuria facta Deo per peccatum, etiamsi dicatur infinita, solum est infinita secundùm quid, & finita simpliciter: ergo potest per actus hominis præstantissimos, & summe intentos ad æqualitatem compensari, vt videre est in actibus temperantiæ, qui quamuis in homine iusto sint inferioris ordinis, quàm actus charitatis, tamen plures illorum in homine iusto æquiualent vni actui charitatis, & habent æqualem valorem ad merendum.

95. Respondetur, quòd licèt verum sit satisfactionem primariò solùm ordinari ad constituendam æqualitatem inter obsequium, & iniuriam; tamen quia in peccato grauitas iniuriæ sumitur à Deo infinito offenso, inde consequenter necessaria est æqualitas personæ infinitæ satisfacientis ad æqualitatem satisfactionis. nam licèt infinitas iniuriæ solùm sit secundùm quid, est tamen supremi ordinis æstimationis moralis, ad quem nec actus charitatis, vel alterius virtutis, quantumuis intensi, possunt pertingere. Quòd si plures actus temperantiæ in iusto possunt æquiualere vni actui charitatis; id præcise non fit vt sunt inferioris ordinis, quàm charitas, sed vt dignificati per gratiam habitualem quæ est eiusdem ordinis cum charitate.

96. Denique obiicies, quia peccatum mortale non est propriè iniuria contra Deum, siquidem nihil boni Deo reuera aufert; vbi autem non interuenit propria iniuria, aut iniustitia, non exigitur satisfactio æqualis per compensationem in effectu, sed solùm in affectu. Respondetur, peccatum mortale esse proprium, & specialem iniuriam Dei, quia peccator non solùm tenetur parere Deo, quia est supremus legislator, sed quia est quoque supremus dominus habens proprium ius moralis dominij in suas creaturas, præsertim rationales, & in earum actus etiam internos, vt per eos honoretur, & aliis rebus non postponatur. Vnde cùm peccator suo mortali grauiter lædat illud ius, & tollat in re graui subiectionem, & honorem Deo debitum, eius peccatum est propria, & specialis Dei iniuria. Inde fit, quòd à nobis exigatur satisfactio, & conuersio in Deum, non ex lege solùm charitatis reconciliando nos ipsi vt amico, quem peccato inimicum fecerамus, sed etiam ex iustitia dolendo de peccato ex intentione recompensandi offensam, & iniuriam Deo illatam, vt dicemus in tractatu *de Pœnitentia*. Et quamuis peccatum nihil Deo auferat de bonis ipsi intrinsecis, aufert tamen de bonis extrinsecis, nempe de gloria, honore, & cultu debito à nobis ipsi exhiberi; hæc enim subtrahimus nostris peccatis, ita vt hæc sit vera læsio contra iustitiam propriè dictam, quæ adhuc inter homines contingit: potest enim quis lædere contra veram iustitiam in honore eum, cui nihil potest reuera auferre, vt si quis detrahat mortuo.

SECTIO VII.

An Christi satisfactio fuerit condigna.

97. OMnes Catholici conueniunt, opera Christi habuisse valorem sufficientem ad satisfaciendum condignè, & ad æqualitatem, pro omnibus peccatis originalibus, & actualibus, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam, & oppositum est manifesta hæresis damnata in Trident. sess.5. can.5. & sess.6.cap.1.2.3.7. vbi dicitur, causam meritoriam nostræ iustificationis, & remissionis peccati esse Christum, qui sua passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Patri satisfecit. Et colligitur apertè ex innumeris locis sacræ Scripturæ in quibus dicitur, Christum pro nobis satisfeciſſe, redemisse nos, venisse vt nos à peccatis liberaret, lauisse, & mundasse nos à peccatis nostris in sanguine suo. Difficultas ergo est, an hæc satisfactio fuerit condigna in actu primo ex se, an ex Dei acceptatione; tum etiam, an fuerit infinita, & vnde operibus Christi valor infinitus proueniat.

Prima conclusio. Satisfactio Christi ex se, siue ex natura rei, & independenter à Dei acceptatione extrinseca, fuit condigna in actu primo, habuitque valorem intrinsecum æqualem peccatis omnium hominum; vt autem foret in actu secundo condigna, & Deum strictè obligaret, opus habuit Dei ordinatione determinante talem, & tantum ipsius effectum, & voluntate Dei absoluta, & determinata, conferendi illum. Hæc conclusio quoad priorem partem est certa, & communis inter Theologos, contra Durand. in 3.dist.20.q.2. & Medin. Codice de Pœnit.tract.5. q.1. quoad secundam verò tenet Suarez disp.4 sect.5. & sæpe alibi, quem sequuntur plures Doctores. Prior ergo pars probatur ex sacra Scriptura, Psalm.129. *Copiosa apud eum redemptio.* Psalm.129. Non autem posset dici copiosa, si non esset æqualis, neque sufficiens in se ipsa. Ad Rom.5. *Non sicut delictum, ita & donum: si enim vnius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum, in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit.* Rom.5. Quibus verbis non tantùm æqualitatem, sed etiam excellsum satisfactionis expressè ostendit Paulus. idem tradit ad Hebr.5. *Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque, &c. exauditus est pro sua reuerentia.* Hebr.5. Vbi valor orationum, & operationum Christi, vt exaudirentur, non tribuitur acceptationi Dei, sed ipsius Christi reuerentiæ, non actiuæ, qua scilicet ipse vt homo patrem reuerebatur, sed passiuæ, ideoque ipsi debitæ ratione suæ personalis dignitatis intrinsecæ: vt eleganter explicat Chrysost. homil.8. *Pro reuerentia*, inquit, *exauditus est. Vult ostendere, eius esse magis effectum, quàm gratia* (id est, acceptationis gratuitæ Dei.) *Tanta*, inquit, *erat eius reuerentia, vt etiam propterea, eum reuereretur Deus.* Quibus verbis expressè iugulat sententiam oppositam. Exauditio fuit *effectus reuerentiæ Christi, potius quàm gratiæ*, id est, acceptationis gratuitæ.

99. Hoc idem videntur indicare Patres dum tam constanter affirmant, nullam puram creaturam potuisse offerre iustum, & condignum pretium pro nostra redemptione, & necessariam fuisse Verbi diuini incarnationem, vt homines redimerentur ex æquitate iustitiæ, id est, ex satisfactione æquali hominum debito. Ex quibus apertè colligitur opera Christi, eiusque satisfactionem, de se, & ex natura rei habuisse condignitatem & valorem æqualem de quo loquimur, quia vt homines redimerentur media satisfactione æquiualenti ex acceptatione Dei, non erat necessaria Verbi incarnatio: vt enim opus sit hoc modo æquiualens, sat est quòd Deus illud accepter vt pretium æquale, etiamsi sit à pura creatura.

100. Secunda pars facilè ostenditur ex his quæ docuimus in tractatu de merito, quia satisfactio in actu secundo condigna, est, qualposita Deus strictè tenetur tanquam debitor offensam remittere: sed Deus secluſa sua libera promissione, ad nihil præstandum strictè obligatur, sola namque sua promissione potest constitui alicui debitor: ergo Christi satisfactio

satisfactio in actu secundo condigna, eguit diuina promissione. Hoc autem pactum circa redemptionem humani generis inter Deum,& Christum intercessisse,colligunt Theologi ex Esaia 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum.* Esai. 53. & Psalm 2. *Postula à me,& dabo tibi gentes.* Vbi *postulare*, significat pactum inire, vt exponit Tertull. 3. contra Marcionem cap. 20. Psalm. 2.

101. Secunda conclusio. Christi satisfactio habuit ex natura rei valorem simpliciter infinitum, ita D. Thom. hîc & quæst. 7. art. 11. ad 2. Suarez disput. 4. sect. 4. & Recentiores communiter. Et probatur *primò* ex sacra Scriptura quæ semper loquitur de sanguine Christi, & de pretio nostræ redemptionis,vt de re valoris inæstimabilis sine termino, atque adeò infiniti. *Secundò* probatur ex Clemente VI. in Extrauag. *Vnigenitus*,de pœnit.& remiss. vbi expressè docet, Christum suis meritis acquisiuisse infinitum thesaurum hominibus, nec formidandum esse ne exhauriatur nec minuatur,propter infinita Christi merita,cuius quidem vna gutta sanguinis pro redemptione totius humani generis sufficisset: nec dici potest hæc intelligenda de infinitate ex Dei acceptatione,quia Pontifex vt confirmet eam infinitatem, non recurrit ad acceptationem Dei vt deberet iuxta eum modum dicendi, sed ad vnionem humanitatis cum Verbo. Nec etiam possunt intelligi de infinitate solùm secundùm quid, si enim hanc solam haberet valor ille, quæ est finita simpliciter,tandem applicatione, & communicatione posset minui,& consumi;finitum enim ablatione finiti,teste Aristotile,tandem consumitur.

102. Difficultas tamen est in explicando vnde opera Christi habuerunt valorem infinitum. in qua re omissis aliis modis dicendi,duo mihi videntur solidiores. *Primus* est infinita dignitas & sanctitas personalitatis Verbi; *secundus* diuinitas eiusdem. Explico singula.

103. Primò ergo operationes liberæ humanitatis Christi,habuerunt infinitum valorem moralem ex vnione morali infinitæ personæ Verbi ad ipsas:eam verò vnionem moralem habuit ad ipsas persona Verbi,primò præcisè quatenus erat operans,& elicients illas,vt quod;hoc enim ipso,illæ erant deificatæ,ac theandricæ, quia persona operans moraliter est quasi forma propriæ operationis,nec ad hoc requiritur peculiaris cõcursus eius effectiuus, quia personalitas, & subsistentia solùm est modus terminans naturam,& complens eam in proprio esse, atque adeò est conditio vt completè sit,non autem per se principium operandi,aut agẽdi totaliter, vel partialiter,hoc enim competit soli naturæ. Hac de causa in diuina Trinitate, etsi personalitates sint tres,quia natura & voluntas est vnica,quæ est tota ratio agendi, actiones Trinitatis ad extra sunt indiuisæ, & per oppositum in Christo, quia naturæ sunt duæ, operationes sunt duplices, distinctæ, & inconfusæ,etiamsi personalitas sit vna. Nec attribuendum eiusmodi valorem operationibus Christi requiritur physica efficientia ex parte personalitatis diuinæ: sicut necessaria non est ex parte gratiæ habitualis respectu actuum quos significat; sed sufficit quòd personalitas Verbi terminet naturam humanam, quæ est principium talium operationum. Vnde vulgatum axioma,actiones sunt suppositorum, intelligendum est, quòd quia suppositum propriè,& completè existunt, non formæ & naturæ,quæ solùm se habent vt quo, & operatio sequitur esse ideo agere,& operari,simpliciter tribuitur secundùm denominationem suppositi, vt per se completè existenti;non autem, quia per suam subsistentiam operetur;sat enim est quòd operetur per solam naturam,vt per principium quo: subsistentia verò solùm sit conditio necessaria ex parte operantis, vt completè existat, & possit denominari operari,vt quod.

104. Deinde prædictæ operationes habuerunt valorem infinitum ex persona Verbi, quatenus simul cum ipsis, ipsa persona Verbi habebat rationem materiæ satisfactionis,hoc enim ipso quòd ipsæ ex natura rei procedebant ab ea,vel vt principio operante,aut operari denominato vt quod, vel vt à sustentante intrinsecè humanitatem quæ erat ratio operandi, ipsamet persona secundùm prudentem æstimationem per actus humiliationis,humiliabatur, & subiiciebat se Deo cui fiebat satisfactio, vt significat illud Pauli ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis,oblationem,& hostiam Deo*, & ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum*, &c. Vbi Chrysostomus. *Quantum habuit celsitudinis, tantum humilitatis vicissim subijt.* Ephes. 5. Philip. 2. Chrysost.

105 Hic modus dicendi declaratur,& probatur,quia valor satisfactionis,& meriti, potissimum sumitur ex persona satisfaciente & merente,& crescit iuxta dignitatem personæ,vt manet prædictum:ergo valor infinitus meriti,& satisfactionis Christi, sumetur à dignitate diuina infinita, & substantiali personæ ipsius;eo enim maioris æstimationis est satisfactio,& summissio, quo fit à persona digniori & excellentiori. Et confirmatur *primò*, quia personalitas Verbi,vt ratione, & virtute præcisa ab essentia,est diuina,increata,& suapte natura sancta infinitè, imò infinita sanctitas, nempe ab omni labe immaculata puritas:ergo ipsa per se,secluſa essentia diuina, infinitè sanctificat humanitatem sibi vnitam, & operationes eius reddit dignas præmio;atque adeò illis tribuit valorem infinitum ad merendum, & satisfaciendum. Confirmatur *secundò*, quia processio Spiritus sancti non est generatio, & ideo Spiritus sanctus,vt formaliter est terminus talis processionis, non est formaliter Deus, sed impulsus,& amor infinitus,diuinus, & increatus, & tamen nemo audebit dicere Spiritum sanctum, vt formaliter est Spiritus sanctus, non esse sanctum se ipso formaliter: ergo quæcumque hypostasis,& subsistentia in Deo existens erit suapte natura formaliter sancta, præcisa diuina essentia,atque adeò poterit sanctificare naturã creatam sibi hypostaticè vnitam,& tribuere actibus ipsius valorẽ infinitum.

106. Secundò etiam operationes Christi Domini habuerunt valorem infinitum à diuinitate Verbi,quæ cùm sit ipsamet sanctitas,non poterat non sanctificare infinitè humanitatem Christi, & actus ipsius, taliter vt eius sanctificatio non sit adoptionis, neque Deificationis per formam quæ solùm sit participatio Deitatis,vt fit in nobis, qui quodammodo deificamur per formam creatam, scilicet per gratiam, sed ita vt sit deificatio per ipsammet deitatem,non quod deitas sit forma intrinseca', seu inhærens humanitati,sed quod ex illa propter vnionem ad Verbum,deriuetur in naturam humanam, effectus quidam moralis sanctificationis, in quo ipsa deitas tanquam forma includatur,non per effectum formalem intrinsecum,sed per extrinsecam denominationem,quod satis est ad esse morale. Ita tenet Vazquez disp. 5. cap. 5. & disp. 6. cap. 2. quem plures Recentiores sequuntur.

107. Et declaratur simul,& probatur, quia sicut opus moraliter bonum hominis extra statum gratiæ meretur

meretur apud homines temporale præmium, non tamen meretur apud Deum de condigno præmium gloriæ; eo autem ipso quòd fiat ab homine constituto in statu adoptionis filij Dei per gratiam, idem opus nulla facta mutatione in substantia ipsius operis, eleuatur ad tantam dignitatem, vt condignè mereatur illud præmium: ita similiter opera humanitatis Christi, nulla facta mutatione in substantia, & circunstantiis illorum, eo quòd fiunt ab homine constituto per vnionem in statu filij Dei naturalis, etiam secundùm quòd homo est, eleuantur ad aliud genus præmij, ac proinde ad alium gradum meriti; & consequenter ad infinitè promerendum non solùm sibi si possibile esset, sed ad quodlibet aliud genus pro aliis. Consequentia est certa, nam si illa sanctificatio solùm eleuaret opera Christi ad præmium æternæ beatitudinis, non eleuaret ad aliud genus præmij, quàm gratia habitualis; cùm ergo sit alterius generis, sequitur etiam per eam eleuari ad aliud genus præmij. Ex his

108. Infero primò. Ita ex hoc duplici capite sanctificare humanitatem Christi, & eius actus, vt sublata per impossibile sanctificatione per deitatem, non proinde tolleretur infinitus valor operum Christi, quia adhuc maneret sanctificatio per Verbi personalitatem.

Infero secundò eiusmodi valorem actum Christi simpliciter infinitum, esse formaliter & realiter in ipsis actibus, non quidem per denominationem intrinsecam, sed per extrinsecam denominationem à sanctitate infinita suppositi diuini Verbi, tum etiam ipsius deitatis: hæc enim sunt quæ constituunt humanitatem infinitè sanctam, & eius actus valoris infiniti.

109. Dices, ex hoc sequi contra superiùs dicta, peccatum in ratione offensæ esse simpliciter infinitum, & non tantùm secundùm quid; quia etiam peccatum vt sic, est subiectum denominatum à forma extrinseca quæ est Deus, qui est simpliciter infinitus. Respondetur negando sequelam, quia multo magis offensa est extrinseca Deo, quàm satisfactio, quæ aliquo modo posset dici intrinseca propter naturam humanam realiter vnitam verbo diuino, & compositum reale quod resultat per se ex humanitate & diuino supposito: vnde Deus physicè satisfacit, non tamen lædituꝛ physicè, ob quod in æstimatione morali eius satisfactio multa superior est, quàm iniuria.

Proponuntur obiectiones contra doctrinam traditam, & dissoluuntur.

110 Sed contra præcedentem doctrinam sunt aliquæ obiectiones, ex quarum solutione magis illustrabitur.

Obiicies primò, quia si quo sanctior est persona operans, tanto maioris valoris est eius operatio: ergo quo magis intensam gratiam habebit iustus, tanto maiorem valorem & meritum infundet in suum actum meritorium: ex quo vlteriùs sequitur, si iustus habeat gratiam vt vnum, quodlibet eius opus meritorium habere valorem vt vnum, & sic de cæteris. Respondetur concedendo ex maiori gratia crescere valorem meritorum, non tamen crescere arithmeticè, quia non augentur in merito tot gradus, quot in gratia; sed geometricè, & proportione secundùm ordinem diuinæ sapientiæ, vt si gratia augeatur vt quatuor, demus meritum augeri vt dimidium, & si gratia augeatur vt octo, meritum augetur vt vnum. Si verò gratia adeò cresceret vt esset actu infinita, meritum esset infinitum, quia centum gradus gratiæ, v. g. afferrent vnum gradum meriti: ergo si centeni gradus essent infiniti, gradus etiá meriti essent infiniti: & per consequens cú sanctitas personalitatis Verbi sit infinita, meritum, & satisfactio Christi, fuerunt valoris infiniti.

111. Obiices secundò, quia si opus factum à digniori persona, est maioris valoris, & factum ab infinita persona, est valoris infiniti, sequitur quòd visio perfectioris obiecti, sit maioris perfectionis, & visio infiniti obiecti, sit infinitæ perfectionis, non tantùm secundùm quid, sed etiam simpliciter, quod est apertè falsum, vt ostendimus in tractatu *de visione beatifica*. Respondetur negando sequelam, & ratio discriminis sumitur ex diuerso modo quo persona operans afficit suam operationem, & moraliter influit in illam, ab eo quo obiectum, siue extrinseca persona circa quam versatur actio, ad illam concurrit; nam multo magis concurrit ad valorem moralem influxus personæ operantis: quia obiectum solum se habet vt terminus extrinsecè specificans actum, vnde sicut non dat actui speciem suam, aut suæ æqualem, ita non dat valorem suum, aut suo æqualem: persona verò infinitè sancta habet se vt forma moraliter informans, & deificans actum moritorium, ac proinde tribuit valorem non distinctum à suo, & consequenter simpliciter infinitum. Hinc operationes ab ea procedentes dicuntur theandricæ, vt elicitæ ab Angelo dicuntur Angelicæ, & ab homine humanæ: terminatæ verò ad eum vt obiectum, non dicuntur theandricæ, vel diuinæ, nec terminatæ ad Angelum, angelicæ.

111. Obiicies tertiò actiones Christi erant creatæ entitates, & bonitatis moralis finitæ: ergo & earum valor in tali bonitate fundatus, erat finitus: aliàs infinitè placuissent Deo, æquè ac sua essentia, & perfectiones. Respondetur negando consequentiam, quia etsi in entitate, & bonitate physica, & specifica morali, essent finitæ; habebant tamen alium valorem moralem, ex dignitate, & sanctitate operantis, infinitum: vnde hic valor non prouenit ex sola entitate, & bonitate actus, sed ex circunstantiis, & potissimum ex dignitate, & sanctitate operantis. Exemplum est in contritione, quæ quamuis omnem suam bonitatem moralem, & supernaturalem habeat, non intelligitur habere valorem ad merendum condignè, nisi intelligatur procedere à gratia habituali operantis, quod obtinet sine sui variatione in entitate, vel in moralitate specifica, ex sola variatione circunstantiæ personæ operantis. Et quamuis actiones Christi infinitè Deo placuerint, non tamen æquè ac sua essentia, & perfectiones, quia istæ ratione sui, non ratione alterius: at actiones Christi non ratione sui, sed ob infinitatem operantis infinitè Deo placuerunt.

113. Obiicies quartò, quia si opera Christi fuerunt ex se infiniti valoris, sequitur *primò*, vnum meritum Christi non esse altero maius, imò vnum esse æquale omnibus simul sumptis; ac proinde Christum in primo instanti suæ conceptionis abundè pro nobis satisfeciſſe, & per alios nihil meruisse: ac proinde fuisse superuacaneos, & passionem non fuisse necessariam ad redemptionem consummandam. *Secundò* sequitur, Christum plus potuisse mereri, quàm potuerit Deus remunerare: nam meritum infinitum non potest habere æquale præmium, nisi sit etiam infinitum: hoc autem Deus non potest conferre. Denique inconueniens videtur,

meretur apud homines temporale præmium, non tamen meretur apud Deum de condigno præmium gloriæ; eo autem ipso quòd fiat ab homine constituto in statu adoptionis filij Dei per gratiam, idem opus nulla facta mutatione in substantia ipsius operis, eleuatur ad tantam dignitatem, vt condignè mereatur illud præmium: ita similiter opera humanitatis Christi, nulla facta mutatione in substantia, & circunstantiis illorum, eo quòd fiunt ab homine constituto per vnionem in statu filij Dei naturalis, etiam secundùm quòd homo est, eleuantur ad aliud genus præmij, ac proinde ad alium gradum meriti; & consequenter ad infinitè promerendum non solùm sibi si possibile esset, sed ad quodlibet aliud genus pro aliis. Consequentia est certa, nam si illa sanctificatio solùm eleuaret opera Christi ad præmium æternæ beatitudinis, non eleuaret ad aliud genus præmij, quàm gratia habitualis; cùm ergo sit alterius generis, sequitur etiam per eam eleuari ad aliud genus præmij. Ex his

108. Infero primò. Ita ex hoc duplici capite sanctificare humanitatem Christi, & eius actus, vt sublata per impossibile sanctificatione per deitatem, non proinde tolleretur infinitus valor operum Christi, quia adhuc maneret sanctificatio per Verbi personalitatem.

Infero secundò eiusmodi valorem actum Christi simpliciter infinitum, esse formaliter & realiter in ipsis actibus, non quidem per denominationem intrinsecam, sed per extrinsecam denominationem à sanctitate infinita suppositi diuini Verbi, tum etiam ipsius deitatis: hæc enim sunt quæ constituunt humanitatem infinitè sanctam, & eius actus valoris infiniti.

109. Dices, ex hoc sequi contra superiùs dicta, peccatum in ratione offensæ esse simpliciter infinitum, & non tantùm secundùm quid; quia etiam peccatum vt sic, est subiectum denominatum à forma extrinseca quæ est Deus, qui est simpliciter infinitus. Respondetur negando sequelam, quia multo magis offensa est extrinseca Deo, quàm satisfactio, quæ aliquo modo posset dici intrinseca propter naturam humanam realiter vnitam verbo diuino, & compositum reale quod resultat per se ex humanitate & diuino supposito: vnde Deus physicè satisfacit, non tamen læditur physicè, ob quod in æstimatione morali eius satisfactio multa superior est, quàm iniuria.

Proponuntur obiectiones contra doctrinam traditam, & dissoluuntur.

110 Sed contra præcedentem doctrinam sunt aliquæ obiectiones, ex quarum solutione magis illustrabitur.

Obiicies primò, quia si quo sanctior est persona operans, tanto maioris valoris est eius operatio: ergo quo magis intensam gratiam habebit iustus, tanto maiorem valorem & meritum infundet in suum actum meritorium: ex quo vlteriùs sequitur, si iustus habeat gratiam vt vnum, quodlibet eius opus meritorium habere valorem vt vnum, & sic de cæteris. Respondetur concedendo ex maiori gratia crescere valorem meritorum, non tamen crescere arithmeticè, quia non augentur in merito tot gradus, quot in gratia; sed geometricè, & proportione secundùm ordinem diuinæ sapientiæ, vt si gratia augeatur vt quatuor, demus meritum augeri vt dimidium, & si gratia augeatur vt octo, meritum augetur vt vnum. Si verò gratia adeò creseeret vt esset actu infinita, meritum esset infinitum, quia centum gradus gratiæ, v. g. afferrent vnum gradum meriti: ergo si centeni gradus essent infiniti, gradus etiá meriti essent infiniti: & per consequens cũ sanctitas personalitatis Verbi sit infinita, meritum, & satisfactio Christi, fuerunt valoris infiniti.

111. Obiices secundò, quia si opus factum à digniori persona, est maioris valoris, & factum ab infinita persona, est valoris infiniti, sequitur quòd visio perfectioris obiecti, sit maioris perfectionis, & visio infiniti obiecti, sit infinitæ perfectionis, non tantùm secundùm quid, sed etiam simpliciter; quod est apertè falsum, vt ostendimus in tractatu *de visione beatifica*. Respondetur negando sequelam, & ratio discriminis sumitur ex diuerso modo quo persona operans afficit suam operationem, & moraliter influit in illam, ab eo quo obiectum, siue extrinseca persona circa quam versatur actio, ad illam concurrit; nam multo magis concurrit ad valorem moralem influxus personæ operantis: quia obiectum solum se habet vt terminus extrinsecè specificans actum, vnde sicut non dat actui speciem suam, aut suæ æqualem, ita non dat valorem suum, aut suo æqualem: persona verò infinitè sancta habet se vt forma moraliter informans, & deificans actum meritorium, ac proinde tribuit valorem non distinctum à suo; & consequenter simpliciter infinitum. Hinc operationes ab ea procedentes dicuntur theandricæ, vt elicitæ ab Angelo dicuntur Angelicæ, & ab homine humanæ: terminatæ verò ad eum vt obiectum, non dicuntur theandricæ, vel diuinæ, nec terminatæ ad Angelum, angelicæ.

112. Obiicies tertiò actiones Christi erant creatæ entitates, & bonitatis moralis finitæ: ergo & earum valor in tali bonitate fundatus, erat finitus: alias infinitè placuissent Deo, æquè ac sua essentia, & perfectiones. Respondetur negando consequentiam, quia etsi in entitate, & bonitate physica, & specifica morali, essent finitæ; habebant tamen alium valorem moralem, ex dignitate, & sanctitate operantis, infinitum: vnde hic valor non prouenit ex sola entitate, & bonitate actus, sed ex circunstantiis, & potissimum ex dignitate, & sanctitate operantis. Exemplum est in contritione, quæ quamuis omnem suam bonitatem moralem, & supernaturalem habeat, non intelligitur habere valorem ad merendum condignè, nisi intelligatur procedere à gratia habituali operantis, quod obtinet sine sui variatione in entitate, vel in moralitate specifica, ex sola variatione circunstantiæ personæ operantis. Et quamuis actiones Christi infinitè Deo placuerint, non tamen æquè ac sua essentia, & perfectiones, quia istæ ratione sui, non ratione alterius: at actiones Christi non ratione sui, sed ob infinitatem operantis infinitè Deo placuerunt.

113. Obiicies quartò, quia si opera Christi fuerunt ex se infiniti valoris, sequitur *primò*, vnum meritum Christi non esse altero maius, imò vnum esse æquale omnibus simul sumptis; ac proinde Christum in primo instanti suæ conceptionis abundè pro nobis satisfeciisse, & per alios nihil meruisse: ac proinde fuisse superuacaneos, & passionem non fuisse necessariam ad redemptionem consummandam. *Secundò* sequitur, Christum plus potuisse mereri, quàm potuerit Deus remunerare: nam meritum infinitum non potest habere æquale præmium, nisi sit etiam infinitum: hoc autem Deus non potest conferre. Denique inconueniens videtur,

tur, & iniustum; merita Christi esse tanti valoris, & tam paucis prodesse: quia plures damnantur ex peccato Adæ, quàm saluentur per Christum.

114. Respondetur concedendo primam sequelam, si loquamur de actibus Christi, non physicè, qua ratione erant inæquales, sed moraliter spectatis vt à tali persona procedebant, vnde per vnum actum etiam internum, potuit nos abundè redimere, & pro nobis satisfacere; noluit tamen vt per quemcumque actum præmium absolutè conferretur sine consortio aliorum vsque ad passionem & mortem: nam licèt vnusquisque actus habuerit ad id valorem, & condignitatem; cùm tamen Deus ita ordinauerit opera Christi, & Christus illa obtulerit, vt noluerit perfici redemptionem nostrã per illa, nisi passione & morte consummarentur; nec vnum opus, nec omnia simul, nisi per passionem & mortem consummata, perfecerunt nostram redemptionem.

115 Deinde Christus non potuit plus mereri, quàm potuerit Deus remunerare, quia eius omnipotentia non minus est infinita, quàm meritum Christi: nam posset Deus efficere aliquod opus quo sufficienter satis fieret meritis eius, si ad illud vt ad præmium ordinarentur: vt si propter Christi meritum Pater, vel Spiritus sanctus fieret homo: & inter præmia creata nullum est quod ad æqualitatem possit respondere meritis Christi, quorum valor est infinitus; res autem omnes creatæ finitæ.

116. Præterea, licèt meritum Christi ex se infinitum sit in actu primo, quia tamen in actu secundo, vt est actuale meritum, hoc est, vt per illud acquiritur ius ad præmium, non fuit ordinatum à Deo, nec oblatum a Christo pro præmio infinito, ex qua ordinatione completur meritum in ratione actualis, & formalis meriti; ideo non fuit illi datum præmium infinitum.

117. Denique, quòd plures damnentur peccato Adæ, non potest tribui alicui iniustitiæ diuinæ, cùm per Deum non stet vt fructus satisfactionis Christi applicetur omnibus; ac proinde nulla fit iniuria ipsi Christo, qui aliter non voluit sua merita illis applicare: nec ob id fuit superfluus infinitus thesaurus satisfactionũ ipsius, quia fuit necessarius ad perfectam iustitiam, & misericordiam ostendendam.

118. Ex quibus infero contra hæreticos, quòd quamuis Christus tam abundè pro nobis satisfecerit, noluit tamen vt peccata nobis remitterentur, vel gratia conferretur sine nostra cooperatione, vel applicatione Sacramentorum, iuxta illud ad Hebr. 5. Hebr. 5. *Factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, ne daretur nobis occasio; vel licentia multiplicandi peccata, & bonorum operum contemptus. Deinde vt magis appareret vis, & efficacia meritorũ Christi, qui non solùm pro nobis satisfecit, sed etiam facit nos cooperatores suos, vel ad nostram salutẽ, cùm ad illam disponimur, & pro peccatis nostris per eius gratiã satisfacimus; vel ad alienã, cùm aliis applicamus Sacramenta, vel satisfactiones.

119. Denique obiicies, quia Christus non satisfecit vt Deus, sed solùm vt homo: vt homo autem non fuit infinitæ dignitatis; ac proinde eius satisfactio non potuit esse valoris infiniti. Respondetur negando minorem, quia Christus vt homo, siue secundùm humanitatem, habet infinitam dignitatem, licèt non à se, seu ratione suæ humanitatis, sed ratione personalitatis Verbi diuini cui hypostaticè vnitur: vnde pro nobis satisfecit secundùm humanitatem, personalitate, & diuinitate deificatam, seu sanctificatam.

SECTIO VIII.

An Christus de perfecta iustitia satisfecerit.

AD perfectam satisfactionem, vt in ea seruentur omnes leges perfectæ, quatuor conditiones requiruntur, vt communiter docent Scholastici in hoc loco. *Prima* est, vt sit ad alterum, quia, vt docuit Arist. 5. Ethicor. cap. 1. & 2. eiusdem ad se ipsum iustitia esse non potest. *Secunda*, vt satisfactio non fundetur in gratia, & liberalitate ipsius creditoris, quia iustitia, & gratia opponuntur, iuxta illud Apostoli, *Si ex operibus: ergò non ex gratia*; & ideo quantum gratiæ miscetur, tantum videtur minui de perfectione iustitiæ. *Tertia*, vt satisfactio fiat non ex bonis ipsius creditoris, sed ex bonis propriis ipsius debitoris; quia aliàs non potest seruari æqualitas: si enim ego in satisfactionem tribuam alteri; id quod illius est, ille post satisfactionem non plus habet quàm antea; ac proinde non maior æqualitas restituta erit, quàm antea erat, sed manebit eadem inæqualitas. *Quarta*, vt satisfactio fiat ex aliàs indebitis; quia quando duo debita concurrunt respectu eiusdem debitoris, non seruatur perfecta æqualitas, si vno, & eodem pretio soluantur. Controuersia ergo est, an omnes istæ conditiones reperiantur in satisfactione Christi, ac proinde debeat dici rigorosa, seu ex perfecta iustitia. 120.

Conclusio est affirmatiua, satisfactionem Christi habuisse exactam, & perfectam rationem iustitiæ. Ita D. Thom. in hoc loco, quem sequuntur plures Recentiores, Suarez, Pesantius, Herice, Rebellus, Granados, Petrus Hurtado & alij plures, contra Scotum, quem sequitur Vazquez, Torres, Lugus, Gasp. Hurtadus & alij, & probatur ex modo loquendi sacræ Scripturæ ad Roman. 3. Paulus loquens de Christo ait, *Quem proposuit Deus ad ostensionem sua iustitia*; ad ostensionem autem iustitiæ imperfectæ, non erat Christus necessarius. Et cap. 5. *Sicut per vnius delictum, ita & per vnius iustitiam*; sed per peccatum Adæ ex toto rigore iustitiæ posteri eius damnantur: ergo multo magis per Christum saluantur ex perfecta iustitia. Et Psalm. 97. *Notum fecit Dominus salutare suum, ideſt, Christum; in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.* Idem probatur ex Patribus, quos latè referunt Recentiores. legendus Augustinus in Enchiridion cap. 29. vbi ait: *Vt Diabolus veritate iustitiæ, non violentia potestatis oppressus, & victus esset.* & 13. de Trinitate cap. 15. inquit. *Diabolus non potentia Dei, sed iustitia superandus fuit.* Ex quibus sic conficio argumentum: Verba Scripturæ, & Sanctorum, quibus dogmata Fidei tradunt, debent accipi propriè, nisi sequatur inconueniens quòd cogat recurrere ad metaphoram: ergo cùm Scriptura, & Sancti dicunt in operibus satisfactoriis Christi, seruatam fuisse iustitiam, debent intelligi de vera & propria iustitia, cùm sine vllo inconuenienti possunt de ea saluari. 121. Rom. 5. Rom. 5. Psalm. 97. Augusti. Idem.

Secundò probatur soluendo argumenta quæ adducuntur à Doctoribus contrariæ sententiæ, quibus nituntur probare, satisfactioni Christi defuisse conditiones ad perfectam, & rigorosam iustitiam requisitas; quamuis aliàs fateantur satisfactionem Christi non solùm fuisse æqualem nostris debitis, sed etiam superabundantem, & perfectissimam. 122.

123. Obiicies primò: Perfecta & rigoroſa iuſtitia debet eſſe inter perſonas diſtinctas. nam iuſtitia eſt virtus quæ eſſentialiter reſpicit alterum: ſed ſatisfactio Chriſti non eſt huiuſmodi, quoniam ſatisfactio fit Deo, qui fuerat offenſus; offenſa autem non fuit propria alicuius perſonę diuinæ, ſed communis tribus: ergo Chriſtus non ſatisfecit. Patri quatenus perſonaliter diſtinguitur à filio, imò tam verè ſatisfecit ſibi ipſi, ſicut Patri: ergo eius ſatisfactio non fuit ad alterum, ac proinde nec de perfecta iuſtitia. Reſpondetur, quòd eſſe ad alterum ſtat dupliciter, & phyſicè, & moraliter: phyſicè ad alterum dicitur, quod eſt diuerſum entitatiuè, & ſuppoſitaliter: moraliter verò, quòd habet alterietatem ſufficientem, vt exerceantur actus morales, & actiones, quæ reſpiciunt ad alterum, perinde ac ſi eſſet omnimoda diuerſitas ſuppoſitorum. Itaque propter diuerſitatem naturæ diuinæ, & humanæ, & propter diuerſum modum ſubſiſtendi in eis, ita ſe habent actiones Chriſti ac ſi exercerentur inter perſonas omnino diuerſas: vnde licèt Chriſtus non ſit alter à Deo realiter, habet tamen alteram naturam à natura diuina, quod ſufficit ad veram rationem iuſtitiæ: quia in eo cum entitate reali ſuppoſiti, reperitur diſtinctio realis naturarum, & diuerſitas voluntatum, & libertatum, dominiorumque, & iurium; & perſona Chriſti vt erat humanitatis ſuppoſitum, & operabatur per eius voluntatem, habebat titulum dominij, & iuris, in operationes humanitatis, diſtinctum ab eo, quem habet in eas Deus, & quem habebat ipſa perſona Chriſti, vt ſubſiſtebat in natura diuina.

124. Et confirmatur, quia non minor diſtinctio requiritur inter eum qui meretur, & eum apud quem meretur, quàm ad ſatisfactionem: Chriſtus autem per opera humanitatis verè fuit promeritus, ad quod ſufficiens fuit naturarum diſtinctio. Nec mirum quòd Ariſtot. dixerit, quòd iuſtitia & ſimiliter ſatisfactio quæ eſt inter homines, eſt ad alterum. nam ſatisfactio ad Deum eſt alterius ordinis, quàm Ariſtoteles non cognouit, & explicatur in actu obedientiæ, Religionis, & orationis, quæ ſecundùm doctrinam eiuſdem Philoſophi, ſemper ſunt ad alterum; & tamen ſecundùm fidem catholicam certum eſt, quòd Chriſtus cultum religionis, & orationis, & veram obedientiam præſtabat ſibi ipſi, & ſubiiciebatur Deo, à quo non diſtinguitur.

125. Dices, Chriſtum in quantum hominem, eſſe creaturam, & per conſequens ſeruum Dei: inter ſeruum autem, & dominum, ex Ariſtotele, non eſt propria iuſtitia, quia etiam ſeruus eſt aliquid domini ſui, ſicut filius eſt aliquid patris; atque adeò non eſt alius ciuiliter, iureque, & dominio, ab eo, vt requiritur ad propriam iuſtitiam: quod in præſenti magis vrget, cùm creatura ſit in ſupremo gradu ſeruitutis reſpectu Dei. Reſpondetur, quòd quamuis Chriſtus vt homo ſatisfecerit, & vt homo dicatur ſeruus, non ſequitur quòd vt ſeruus ſatisfecerit, quantum ad rationem per ſe valoris; hic enim aliunde deſumebatur, vt ſæpiùs expoſitum eſt. Quando autem Ariſtoteles negat iuſtitiam inter ſeruum & dominum, loquitur de eo qui eſt ſeruus, quantum ad id quod eſt ratio per ſe faciendi æqualitatem, & valoris, qui offertur in ſolutionem: vnde ſi ſeruus poſſet habere aliquid, quantum ad quod, ſiue ex pacto, ſiue ex natura rei, non ſubiiceretur domino, quantum ad tale proprium peculium, poſſet reperiri iuſtitia, & contractus, inter ipſum, & dominum.

126. Obiicies ſecundò, quia ſecunda conditio ſatisfactionis rigoroſæ eſt, vt non fundetur in gratia & liberalitate ipſius creditoris: ſed ſatisfactio Chriſti fundatur in gratia vnionis, quam Deus gratis contulit humanitati Chriſti: ergo. Confirmatur, quia opera Chriſti ſatisfactoria, erant Dei dona data huic homini Chriſto; nam liberè præſtabat illi Deus auxilium, & concurſum ad eliciendum opera illa. Reſpondetur, gratiam vnionis non fuiſſe gratiam reſpectu perſonæ Verbi, quæ fuit ratio per ſe, & radix valoris in ſatisfactione Chriſti, ſed tantùm fuiſſe gratiam reſpectu humanitatis, à qua non fuit valor ſatisfactionis: hoc autem non efficere, quòd illa ſatisfactio, ſaltem quo ad valorem, fundetur in gratia creditoris, quod tolleret ab ea rationem rigoris iuſtitiæ. Ad confirmationem ex dicendis in ſolutione ſequentis, patebit ſolutio.

127. Obiicies tertiò, quia ſatisfactioni Chriſti deeſt tertia conditio, vt ſatisfactio fiat ex bonis propriis, & non ex alienis: quia opera Chriſti ſatisfactoria ſunt ſub dominio Dei, nam omnia erant res creatæ, & titulo creationis debebantur ipſi Deo: vnde ſatisfactio Chriſti erat non ex propriis, ſed ex alienis, ſcilicet ex bonis ipſius creditoris.

128. Reſpondetur, reſtitutionem in hoc differre à ſatisfactione, quòd in illa multum pendet æqualitas ex dominio quod reſtituens habet, & quod in alterum transferri poteſt: ad ſatisfactionis verò æqualitatem, non eſt per ſe neceſſarium, ſed ſufficit illud dominium quod eſt intrinſecum operi libero: nam reſtitutio verſatur in rebus datis, & acceptis, quia per eam reparatur damnum illatum alteri in bonis ſuis: ſatisfactio verò verſatur in actionibus liberis, quarum operans eſt dominus, quoniam ſatisfactio non conſiſtit in translatione dominij alicuius rei, ſed ſolùm in hoc quòd tantum reuerentiæ, & honoris impendatur, quantum iniuriæ illatum fuit.

129. Dices, pugnare cum perfecta ſatisfactione, honorare aliquem rebus ſuis: ſed Chriſtus ſatisfaciebat per opera quæ erant ſub dominio Dei, & illa offerebat Chriſtus in honorem Dei: ergo non ſatisfaciebat ex propriis, ſed ex alienis, & honorabat Deum per opera, non ſua, ſed Dei.

130. Reſpondetur, ſatisfaciebat per opera quæ ſunt ſub dominio Dei, quatenus ſunt ſub dominio Dei, nego: bene tamen quatenus erant ſub dominio Chriſti, operantis, & ſatisfacientis. nam Chriſtus erat verus dominus ſuorum actuum, quos in Dei honorem, & ſatisfactionem faciebat; & quidem ad perfectam ſatisfactionem hoc ſufficit. Ratio eſt, quoniam operatio, ſeu actus, non eſt propriè ſatisfactio ratione dominij quod Deus habet in illum actum, ſed ratione dominij quod habet ipſe operans: itaque non tollit perfectionem iuſtitiæ à ſatisfactione, quæ fit per humiliationem quòd dominium rei oblatæ non transferatur à ſatisfaciente in creditorem, quia lucrum quod huiuſmodi ſatisfactione comparatur creditori, non eſt proprium, ſed improprium, quatenus ſcilicet per eam humiliationē reparatur honor creditoris læſus per offenſam; nec quòd eius dominium ſit penes creditorem, dum tamen ſatisfaciens habeat in eam, illud genus dominij, quod habet ſuppoſitum ſupra ſuas operationes liberas; quod planè competebat Chriſto, vt habebat rationem ſatisfacientis. Et confirmatur à ſimili in merito. nam ad verum meritum ſufficit, quòd operans habeat verum dominium ſuorum actuum quos exercet, in honorando illum apud quem meretur, etiamſi aliàs actus ille

cadat

cadat sub dominio eiusdem. Adde quòd in Christo Domino, tam actus, quàm concursus ad illum necessarius, erat suo modo connaturalis ratione personæ, respectu cuius non fit propriè beneficium, seu gratia, sed respectu humanitatis.

131. Obiicies quartò, quia etiam deficit quarta conditio rigorosæ satisfactionis, vt sit ex alijs indebitis, nam omnia opera Christi erant Deo debita titulo gratitudinis, propter infinita beneficia sibi, vt homini, aut suæ humanitati collata.

132. Respondetur, quòd quando multiplicatis titulis, non multiplicantur debita, bene potest eodem pretio satisfieri debito secundùm omnes titulos, v.g. Si debeo Petro centum titulo iustitiæ commutatiuæ, ob libros ab eo emptos, item titulo obedientiæ, ob præceptum superioris iubentis vt soluam, & rursus titulo misericordiæ, ob grauem necessitatem defectu horum; semel soluendo centum, satisfacio omnibus istis titulis satisfactionis. Sic in Christo, etsi eius opera essent Deo debita titulo gratitudinis pro beneficiis humanitati collatis, titulo etiam obedientiæ, si de omnibus habuisset præceptum, & titulo iustitiæ, vel ex religione, vel ex voluntate satisfaciendi sic, pro debito hominum; quia tamen ista non erant diuersa debita, sed plures tituli eiusdem debiti, nempe plures rationes inducentes obligationem operandi idem opus, eodem opere potuit satisfacere, & soluere omnia ista.

133. Dices, obligationem agendi gratias, colendi Deum, & satisfaciendi, esse plures, & distinctas obligationes: ergo erant plura debita, & non tantùm plures tituli, quia debitum, & obligatio sunt idem.

Respondetur, debitum in abstracto, & obligationem idem esse, ac proinde vbi hæc multiplicantur, multiplicantur & illa: hîc tamen non sumi debitum nisi in concreto, provt dicit materiam debitam. Et quamuis quælibet dictarum obligationum per se sufficiat ad suum debitum constituendum ex parte materiæ, & omnes simul ad constituenda plura, quando quælibet applicatur suæ materiæ, non tamen quando cadunt supra eamdem prorsus materiam, quia tunc solùm constituit vnum debitum; nam vnam tantùm materiam faciunt debitam pluribus titulis: & ita dicendum in præsenti de titulis, qui faciebant debitam vnicam materiam exhibitionis, scilicet operationum Christi.

134. Respondetur secundò, quando dicimus per idem pretium non posse solui ad æqualitatem duo debita distincta, intelligi, si pretium secundùm valorem non sit æquale vtrique debito, sed vni tantùm; non autem si sit vtrique æquale. Et quia opera Christi habebant infinitum valorem intensiuè, bene poterant æquiualere, & soluere distincta debita gratitudinis, obedientiæ, & iustitiæ, ita vt vnum tantùm responderet adæquatè omnibus illis, quia quodlibet tantum valoris habet, sicut omnia simul: ergo multiplex ratio debiti non minuit in Christo rationem iustitiæ.

135. Denique obiicies, quia satisfactio Christi, nec vt ab ipso procedebat, & offerebatur Patri, erat actus propriæ, & veræ iustitiæ; nec vt ab ipso Patre accipiebatur. Ostendo singula, quia Christus non tenebatur mori, aut pro hominibus satisfacere ex iustitia. Nec Pater tenetur acceptare satisfactionem Christi, semper enim manet liber, & non potest necessitari ab aliquo extrinseco. Nec offensus tenetur acceptare satisfactionem oblatam ab alio, quàm ab ipso offendente: aliàs non reperiretur proportio, & æqualitas, quæ inter offendendum, & offensum requiritur; cum satisfactio non fiat ab eo qui offendit.

136. Respondetur primò, Deum non teneri acceptare (secluſa promissione) satisfactionem Christi, nec reddere mercedem ei, neque enim hoc requiritur, vt ea satisfactio sit perfecta, & rigorosa secundùm iustitiam, quia vt satisfactio sit huiusmodi, sat est esse tanti valoris, vt quod pro ea redditur, sit ei debitum, seu sit quantum ipsa postulat ex natura rei, & quod in reddente sit potentia ad reddendum: sicut cùm quis commisit delictum, ob quod est dignus tanta pœna, quamuis Princeps non teneatur eam pœnam inferre, sed possit condonare, adhuc dicimus delictum illud esse secundùm rigorem iustitiæ dignum tali pœna. Nec implicat, aliquid esse alicui debitum, licèt à nullo debeatur, quia est quantum postulat, & exigit talis res, vel natura sua, vel secundùm conditionem dignitatis, seu meriti, aut demeriti moralis, vt patet in exemplo adducto.

137. Respondetur secundò, quòd quamuis Christus non habuerit obligationem iustitiæ satisfaciendi pro peccatis alienis, tamen in quantum fuit constituens caput hominum, & suscepit onus satisfaciendi pro hominibus, dici potest subiisse hanc obligationem iustitiæ, quasi ex pacto inter ipsum, & Deum; & quia propter dignitatem suæ personæ potuit ad æqualitatem satisfacere, nihil in eo desideratur ad perfectam iustitiam.

138. Deinde, quamuis de potentia absoluta, & nulla interposita promissione, potuerit Deus non acceptare satisfactionem Christi, ea tamen posita, non potuit non acceptare, imò debuit ex vera, & propria iustitia, quia maius ius habet ad rem aliquam, ille cui sub conditione alicuius operis promissa est talis res, & ipse propter illam comparandam opus illud est operatus, quàm ille cui absolutè, & simpliciter est promissa: acceptio autem satisfactionis Christi non fundatur in simplici promissione, sed in promissione onerosa, & sub conditione operis; ac proinde pertinet ad aliam virtutem, quæ nulla esse potest, nisi iustitia. Denique posito illo pacto, Christus suscepit in se causam omnium hominum, & sic interuenit ibi vera ratio iustitiæ, etiam si vnus, vt fideiussor, pro alio faciat.

139. Secunda conclusio, satisfactio Christi fuit secundùm veram, propriam, & specificam rationem iustitiæ commutatiuæ: itaque non fuit exhibita à pluribus virtutibus simul, nec à virtute religionis, sed à iustitia commutatiua infusa: licèt enim Christus satisfecerit per opera diuersarum virtutum, ieiunij scilicet ex abstinentia, orationis ex religione, &c. Illa tamen opera, provt conueniebant in hac ratione particulari, quod erant satisfactoria secundùm propriam iustitiam, dabanturque in compensationem pro nostris peccatis, non exhibebantur proximè per virtutes enumeratas, sed per virtutem iustitiæ, & sub illius formali motiuo, ad compensandum scilicet pro nostris peccatis. Et probatur ex Aristot. 5. Ethicor. cap. 5. vbi affirmat, tunc seruari æqualitatem iustitiæ commutatiuæ in iniuriis, quando quod redditur pro iniuriæ, est secundùm rem æquale ipsi iniuriæ, seu damno: sed valor satisfactionis Christi fuit secundùm rem æqualis, imò & exuberans ex natura rei, respectu offensæ contra Deum, vt constat ex supradictis: ergo fuit sufficiens secundùm ve-

ram, & propriam rationem iustitiæ commutatiuæ.

140. Obiicies primò, ex eodem Aristot. quia iustitia commutatiua facit æqualitatem inter eos, qui sunt lucri, & damni capaces, & ex consequenti qui possunt carere dominio alicuius boni, acquirereque tale dominium de nouo; quæ tamen de Deo dici non possunt. Respondetur, Aristotelem ibi non solùm ponere iustitiam commutatiuam in contractibus, sed etiam in iniuriis, in quibus ait, nomina lucri, & damni, non sumi rigorosè, sed latè: sic enim iniuria in patiente dicitur damnum, & in inferente lucrum, quamuis neque patiens deperdat intrinsecè, & in se, rem, ius, vel dominium, neque inferens, aliquod horum acquirat: in damno enim, & lucro sic sumpto, dicit Aristoteles, reperiri inæqualitatem, quæ ad æqualitatem reducitur per iustam satisfactionem: sicut enim iniuria in eo qui eam intulit, dicitur lucrum, & in passo, damnum; sic satisfactio in offerente dicitur damnum, & in acceptante lucrum: hoc ergo modo bene potest dici Deum esse capacem lucri, & damni, vt iam suprà tetigimus.

141. Obiicies secundò, quia iustitia commutatiua ex parte obiecti requirit communicationem ex vtraq; parte in datis, & acceptis: sed inter Deum, & creaturam, non potest esse hæc cõmunicatio; Deus enim nihil potest accipere à creatura. Iob. 35. *Si iustè egeris, quid donabis ei? aut quid de manu tua accipiet?* Iob 35. Rom. 11. Ad Roman. 11. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Quoniam in ipso, & per ipsum sunt omnia*; cùm enim datio sit translatio dominij, necesse est eum qui accipit, dominio alicuius carere, alioquin nihil acciperet. Respondetur ex dictis, quòd licèt inter Deum & creaturam, non possit esse communicatio in dato, & accepto rigoroso, stricti lucri, & damni intrinseci, vt docent Iob, & Paulus: potest tamen intercedere communicatio in dato, & accepto, lucro & damno latè, consistente in remuneratione, & obsequio, & in satisfactione, & iniuria: ac proinde vera ratio iustitiæ commutatiuæ.

142. Ex quo infero, satisfactionem Christi non esse eiusdem rationis, & speciei, cum nostra pœnitentia, respicit enim obiectum formale distinctum, ab obiecto pœnitentiæ: nam in nostra pœnitentia non includitur æqualitas, quia non potest reddere Deo æquale, iuxta diuum Thom. 1. 2. q. 80. art. 1. At in obiecto virtutis, à qua est satisfactio Christi, includitur æqualitas, exhibuit namque satisfactionem æqualem pro offensis: ex motiuo compensandi ius diuinum peccatis violatum.

Sectio IX.

An si homo non peccasset, Deus incarnatus fuisset.

143. Conclusio est negatiua. Prima, ratio prædestinandæ, & faciendæ incarnationis, fuit redemptio generis humani, ac proinde Adamo non peccante, Deus non fuisset incarnatus. Hæc est contra Scotum, & eius sectatores; & eam defendunt D. Thom. in hoc articulo. D. Bonauent in 3. distinct. 1. art. 1. quæst. 2. & est cõmunior inter Theologos. Præcipuum fundamentum est, quia si homo non peccasset, sublatum fuisset motiuum saltem principale incarnationis, quo sublato, proculdubio præsens decretum de incarnatione non fuisset: nam, vt docet D. Thom. ex his quæ proueniunt à sola Dei voluntate supra naturæ debitum, solùm nobis asserenda sunt illa quæ diuina Scriptura tradit, nisi necessitas aliud exigat: quoties autem diuina Scriptura, quæ est legitimus interpres consiliorum Dei, de motiuo incarnationis loquitur, solùm assignat remedium peccati: ergo eo sublato, sublatum fuisset motiuum principale incarnationis, ac proinde ipsa incarnatio. Minor probatur Matth. 18. & Lucæ 5. vbi Christus comparat se pastori, qui relictis nonaginta nouem ouibus, venit ad quærendam ouem perditam: sic enim explicat se venisse, vt hominem quæreret, qui perierat, & ideo subdit: *venit enim Filius hominis quærere, & saluum facere quod perierat.* & 1. ad Timoth. 1. *Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* & in veteri Testamento variis modis hoc præfiguratum fuit, in Moyse misso ad liberandum populum Exodi 3. & in Iona misso in mare, orta grauissima tempestate, in Helia & Eliseo ad suscitandos pueros mortuos euntibus 3. Regum 17. & 4. Regum 4. Ecce Scripturam semper reddentem rationem, & causam incarnationis, ex nostra redemptione: ergo non licet aliam causam confingere nullibi in Scriptura declaratam. 1. Timoth. 1.

144. Idem probatur ex Patribus sæpiùs negantibus, Deum carnem sumpturum homine non peccante: Athanasius lib. 6. contra Arrian. inquit: *Necessitas, indigentiaque hominum, anterior est, quàm illius natiuitas, qua sublata, carne non induisset.* Et infrà: *vt fieret homo, nunquam destinatum fuisset, nisi hominum necessitas eius rei causam præbuisset.* Quæ verba adeò sunt expressa, vt sine manifesta vi non possint torqueri ad sensum contrariæ sententiæ, quòd loquatur de incarnatione in carne passibili. Omitto plura alia testimonia quæ congerunt Recentiores; ponderanda tamen sunt verba Leonis Papæ sermo. 3. in Pentecost. vbi ita ait. *Si enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, in sua bonore natura manssisset, nec diabolica fraude deceptus, à lege sibi posita per concupiscentiam deuiasset, creator mundi, creatura non fieret, nec sempiternus temporalitatem subiret, aut aqualis Deo Patri, Filius Dei, formam serui, & similitudinem carnis peccati assumeret.* Athanas. Leo PP.

145. Denique is videtur sensus totius Ecclesiæ, idem in symbolo Fidei canit. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis: &, Homo factus est.* & in quodam hymno de Beata Virgine,

Peccatores non abhorres,
Sine quibus nunquam fores,
Tanto digna filio.

146. Nec satisfacit quod respondet Suarez disp. 5. sect. 3. & 4. ex duplici motiuo totali Deum decreuisse incarnationem, prius quidem ex complacentia ipsius mysterij, ante præuisum peccatum: posterius verò ex affectu nostræ salutis, post peccatum præuisum: atque adeò cessante posteriori motiuo, adhuc ex priori Deum incarnandum fore. Hæc enim responsio applicari non potest testimoniis Patrum adductis, in quibus ita expressè habetur, Christum propter nostram redemptionem venisse, vt simul doceatur, non venturum homine non peccante.

147. Obiicies primò, quia incarnatio Verbi præcessit in mente diuina prædestinationem omnium hominum, vt colligitur Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum*; vel, vt alij legunt, *Dominus creauit me initium viarum suarum*, quem locum nonnulli Patres interpretantur de Filio Dei incarnato, qui secundùm carnem dicitur creari, & possideri à Deo in initio, vel initium viarum suarum, Prouerb. 8.

quia

quia Deus habuit decretum incarnationis prius nostro modo intelligendi, quàm decretum producendi cæteras creaturas. Et ob eamdem rationem
Coloss 1. Paulus ad Colossenses 1. vocat Christum, *primogenitum omnis creaturæ*, quia incarnatio prius fuit volita, quàm quælibet alia creatura; quod verò verba hæc intelligantur de Christo secundùm humanitatem, constat ex his quæ sequuntur, quòd Christus sit caput Ecclesiæ, & quòd sit primogenitus mortuorum.

148. Respondetur, locum illum Prouerb. pari varias interpretationes, & quamuis concedamus intelligi de humana Christi natura, adhuc non vrgere; dicitur enim creata, ante omnem creaturam, seu initium viarum Dei, non quidem ordine causalitatis, sed dignitatis, & præstantiæ, quasi initium idem sit quod principatum tenens: sicut Iob 40. de Behemoth dicitur,
Iob 40. *ipse est principium viarum Dei*; id est, quod principatum teneat super omnes vias Domini, id est, creaturas, videlicet in mole, & in quantitate corporis. In quem sensum aliqui explicant illud Iacobi 1.
Iacob 1. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius*; hoc est, vt inter creaturas visibiles, & corporeas, principatum teneamus. Paulus verò in priori parte illius testimonij, apertè loquitur de Christo secundùm diuinitatem, ait enim: *qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ*; Christus autem secundùm esse diuinum, est Patris imago.

149. Obiicies secundò ex Scoto, quia ordinatè volens prius vult quod est propinquius fini intento, quàm quod est remotius: sed in operibus ad extra finis à Deo intentus, qui est manifestare gloriam suam, non est aliquod opus, imò neque omnia simùl, quod ita appropinquet, sicut incarnatio, quia nullo alio opere, neque omnibus simul sic manifestauit Deus suam gloriam, & bonitatem, sicut per incarnationem: ergo inter omnia opera ad extra, incarnatio fuit priùs volita.

150. Respondetur primò, Deum non necessitari ad extra ad eligendum id quod perfectius, & optimum est, vt suprà docuimus: aliàs eodem argumento probaretur necessitas physica incarnationis.

Respondetur secundò, quòd licèt opus incarnationis secundùm se sumptum, & in esse rei, hoc est, in esse naturæ, sit propinquius gloriæ Dei; tamen in ratione medij, & vtilis ad manifestandam eius gloriam, propinquior est redemptio generis humani, seu ipsa incarnatio, vt ordinata ad talem redemptionem: cuius optimam rationem reddit Vazquez disp. 11. cap. 11. Quoniam si homini daretur Christus, vt ipsum in statu primo iustificaret, & ad beatitudinem perduceret, non daretur indigno: at homini postquam lapsus fuit, & ea solùm occasione, quia lapsus fuit, concedere Christum, multo maius beneficium, amoris, & misericordiæ argumentum est, eo quòd præstitum fuerit indigno.

151. Obiicies tertiò, quia prædestinatio Christi, est prior quàm nostra prædestinatio, & quàm reprobatio iniquorum: sed prædestinatio nostra, est prior visione peccati originalis, cùm sit prior reprobatione malorum, ex quibus multi sunt reprobi ex visione solius peccati originalis: ergo etiam prædestinatio Christi. Respondetur negando minorem, vt magis infrà patebit assignando ordinem rationis, quo facta fuit, tam prædestinatio Christi, quàm nostra, & reprobatio malorum.

152. Obiicies quartò, saltem voluntas antecedens qua vult Deus omnes saluos fieri, est prior in Deo, quàm voluntas permittendi peccatum, & quàm visio illius: sed hæc voluntas præsupponit decretum incarnationis. nam illa voluntate decreuit Deus dare omnibus auxilium sufficiens, vt saluentur: omnia autem auxilia quæ dantur ad salutem, dantur ex meritis Christi; ergo decretum incarnationis præsupponitur visioni peccati. Respondetur, quòd quamuis auxilia quæ dantur post naturam lapsam, dantur ex meritis Christi, tamen auxilia, & iustitia quæ ante lapsum fuit data primo parenti, non fuit ex meritis Christi.

Sed contrà est, quia tota gloria quam habet 153.
Adam, est ex meritis Christi: at gloria illa non solùm correspondet meritis quæ habuit post peccatum, sed etiam gratiæ, & meritis, quæ habuit ante peccatum. Respondetur, Adamum in statu innocentiæ habuisse gratiam independenter ex meritis Christi; hoc tamen non obstat, quin tota gloria quam habet Adam sit ex meritis Christi, quoniam restitutionem illius gratiæ, & quòd merita priora mortua reuixerint post peccatum, id recepit ex meritis Christi.

Obiicies quintò, si Christus fuit prædestinatus 154.
propter nostram salutem, & redemptionem: ergo finis prædestinationis Christi fuit nostra prædestinatio, & per consequens prior fuit nostra prædestinatio, quàm prædestinatio Christi: vel si Christus fuit priùs prædestinatus: ergo fuit prædestinatus nulla habita ratione prædestinationis nostræ. Respondetur, Christum fuisse prædestinatum ob salutem nostram, ac proinde nostram salutem priùs fuisse volitam à Deo per modum finis, non efficaci, sed simplici volùntate: itaque antequam Deus decerneret mittere Christum, & antequam præuideret eius merita, noluit nobis dare efficaciter gratiam, neque gloriam, sed simplici tantùm voluntate: at post præuisa Christi merita quibusdam voluit dare efficaciter gratiam efficacem, & congruam; aliis verò tantùm sufficientem.

Obiicies sextò. Incarnatio, & gloria Christi est 155.
velut finis salutis & redemptionis nostræ, vt docuit Trident. sess. 6. cap. 7. vbi dicitur, *causam finalem nostræ iustificationis, esse gloriam Dei, & Christi*; sed Deus prius vult finem, quàm id quod est ad finem: ergo secluso omni peccato, adhuc Deus fieret homo. Respondetur, Concilium non asserere, aduentum Christi esse causam finalem nostræ iustificationis, sed solùm iustificationem nostram referri ad gloriam Christi, quod verum est. nam quamuis filius Dei carnem sumpserit occasione peccati, vt nos redimeret, atque adeò nostra redemptio fuerit causa principalis aduentus Christi, hoc non impedit, quo minus iustificatio nostra in alio signo posteriori, ordinata fuerit ad gloriam eiusdem Christi.

Denique obiicies, ex nostra sententia sequi, in- 156.
carnationem Christi fuisse bonum occasionatum, quandoquidem solùm decreta fuit occasione peccati. Respondetur, quòd quamuis nisi futurum fuisset peccatum, non fuisset futura incarnatio; non ideo debet appellari bonum occasionatum, quia non habet quod sit bonum ex occasione peccati, sed ex se est magnum quoddam, & summum bonum; quod tamen non esset non existente peccato. Ex quibus

Infero primò, substantiam Incarnationis, præ- 157.
destinatam in signo rationis subsequente præuisionem absolutam peccati.

Deinde infero, hoc mysterium non fuisse prædestinatum

destinatum ex sola scientia conditionali, quia Deus præuidit quibus positis circunstantiis homo peccaret, si illa permitterentur; quia, vt prædictum est, incarnatio fuit volita in remedium peccati, & cum tali notitia adhuc potest consistere quòd homo non peccet: quod verò in remedium alicuius decernitur, absolutè requirit visionem eius, quod indiget remedio.

158. Denique infero, qua ratione constituendus sit ordo diuinæ prædestinationis. In primo signo Deus propter gloriam suam decreuit creare hominem sanctum, & rectum, vt suis meritis gloriam assequeretur, si vellet; vbi tamen de Christo vel de Maria decretum fuit. In secundo signo decernitur, vt omnes homines ab Adamo tanquam naturali capite propagentur, constituiturque Adamus caput morale omnium hominum, cum ordinatione, vel pacto gratiam, aut culpam in cæteros transfundendi. In tertio signo videtur Adamus per suum liberum arbitrium cecidisse à felicitate qua creatus erat, & suo peccato infecisse totum genus humanum. In quarto decernitur Christus miraculosè viuens independenter ab omni causa secunda, afferens remedium opportunum, & de rigore iustitiæ satisfaciens. In quinto propter Christi meritum decernitur vt Maria existat, aliàs non extitura, & vt nonnulli volunt, maternitatem Dei condignè mereatur. In sexto propter excellentiam Christi & eius merita, quoldam efficaciter prædestinauit ad gloriam, reliquos tantùm ineffaciter, tribuendo eis auxilia, & media sufficientia. Denique in septimo, nos efficaciter reprobauit ob eorum demerita.

159. Inquires iuxta hunc ordinem quomodo Beata Virgo fuit à Christo redempta. Salazar de Conceptione, cap. 24. §. 9. fatetur, non esse opus concedere Deiparam fuisse redemptam ab originali, vel eius debito, ab his enim immunis fuit, quia, vt propriè sit, & dicatur redempta, satis est, ab actualibus esse redemptam, seu præseruatam, vel potest dici, deiparam fuisse ab originali, & eius proximo debito redemptam, quia in primo instanti suæ conceptionis per Christum accepit gratiam redemptiuam præseruatiuè ab originali, quæ quidem gratia potentissimè perfecit, vt Beata Virgo non incurreret proximum peccandi debitum cùm posset incurrere, & hæc est nobilissima redemptio, ac proinde Christo concedenda.

SECTIO X.

An Christi incarnatio principaliter facta fuerit ad delendum peccatum originale.

160. CONueniunt Doctores, Christum venisse ad delenda omnia peccata, tam originalia, quàm actualia, hoc enim pertinet ad perfectum munus redemptoris, qui venit, vt nos mundaret ab omni iniquitate, vt faceret sibi populum acceptabilem, & Ecclesiam non habentem rugam, neque maculam; atque ita per sacramenta ab ipso instituta omnia peccata soluuntur in sanguine eius.

161. Conclusio est affirmatiua, simpliciter loquendo, principalius venit Christus ad delendum peccatum originale, quàm actuale. Hanc probat D. Thom. quia Christus principalius venit ad delendum illud peccatum, quod magis indigebat redemptione; hoc autem erat originale peccatum, vtpote quod nocuit toti naturæ humanæ: actuale verò tantùm nocet personæ in quo est, & ob id fortasse dicitur Ioannis 1. *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* vbi Beda, & Glossa exponunt, peccatum originale. Quapropter in Græco, & in Biblia Complutensi legitur, *peccatum* in singulari. Nec obstat, quòd alibi significatur in numero plurali, Psalm. 50 *Ecce enim in iniquitatibus concepta sum*; quia licet peccatum originis sit vnum tantùm; in radice, & virtute est plura peccata, quia est causa multorum peccatorum, & hinc sumitur potissima ratio ad probandam nostram conclusionem. Nam Christus vt perfectus Medicus, principaliùs venit vt adhiberet remedium causæ, & radici omnis ægritudinis. Denique, quia sicut bonum commune est præstantius bono particulari, atque magis intentum; ita malum communitatis est peius; peccatum autem originis est malum totius naturæ; actuale verò solùm illius personæ in quo est: item vniuersalius est originale, quàm actuale, quia est in pueris in quibus non est actuale, & quamuis si fiat comparatio inter peccatum originale, & actuale, provt est in vnoquoque nostrùm, grauius sit actuale mortale, quàm originale: quia actuale propria voluntate contrahitur, & ideo punitur pœna damni, & sensus; originale verò nonnisi voluntate primi parentis, atque ita solùm punitur pœna damni. Si autem fiat comparatio ad peccatum originale, provt est totius naturæ, hoc modo simpliciter maius est, quàm actuale: quia opponitur maiori, & excellentiori bono, videlicet bono totius naturæ. Ioan. 1. Psalm. 50.

162. Addo Christum ita principalius venisse propter originale, vt veniret etiamsi esset originale tantùm, & non actuale: quia principale motiuum veniendi vt redemptor, fuit remedium peccati originis; stante autem principali motiuo, esset idem decretum diuinum, ac proinde idem effectus. Tum maximè, quia si esset peccatum originis, quamuis nulla essent peccata actualia, tota natura humana periret; ratio autem veniendi Verbo diuino, fuit ne tota natura humana periret; ac proinde quamuis nulla essent peccata actualia, propter solum originale veniret.

163. An verò si esset peccatum actuale tantùm, & non originale, Christus veniret ex vi decreti quo prædestinatus est? nihil certum statui potest. Probabilius est, si omnes posteri Adæ lethaliter peccarent, Christum venturum, non quidem ex vi decreti quo re ipsa venit, sed ex alio decreto, quia remedium peccati originis, per quod totum genus humanum corruerat, fuit præcipuum motiuum incarnationis, vt patet ad Romanos 5. vbi apertè dicitur, *Vt sicut per vnum hominem omnes homines perierant: ita per vnum hominem viuificarentur*; ac proinde cessante hoc motiuo, ex vi illius decreti Deus non fuisset incarnatus. Quòd si vnus, aut alter peccasset; seu multi, sed pauciores, probabilius est Christum non venturum pro illorum reparatione, quia non decebat propter paucorum hominum salutem Christum pati, aut mori, nec id fuisset necessarium, sed Deus aliud medium sumeret ad illos paucos saluandos. Rom. 5.

164. Obiicies, quia Christus sic dilexit singulos homines, & eo amore passus est pro illis, vt paratus fuerit pro singulis mori, si vnus tantùm illo remedio indigeret: quod videtur innui parabola illa de oue perdita Matth. 18. & colligitur ex verbis illis Lucæ 15. *Gaudium erit in cœlo, super vno peccatore pœnitentiam agente*. Idem indicatum fuit Luc. 15.

D. Carpo,

Digitized by Google

D.Carpo, vt refert Dionysius Areopagita epist. 8. cui Christus dixit, *paratum esse pro hominibus iterum mori.* & Paulus ad Galat. 2. inquit, *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Ex quibus verbis videtur colligi, quòd Christus ita venit propter homines, vt veniret etiam propter singulos. Vnde Chrysostomus in Acta affirmat: *Vnius duntaxat animæ tantam esse iacturam, vt ob eam filius Dei fieret homo.*

Gal. 2.

Chrysost.

165. Respondetur, credendum esse Christum propter eius eximiam charitatem habuisse illum affectum erga singulos homines, paratumque esse id ita facere si Deus ita decreuisset: existimo autem Deum id ita non fuisse ordinaturum. Vnde licèt Christus pro omnibus mortuus sit, & pro omnibus venerit, sic tamen mortuus est pro omnibus, vt mors illius ita singulis prosit, ac si pro singulis mortuus esset: & hoc significant verba illa D. Pauli. Intentum autem Chrysostomi solùm est manifestare amorem Christi erga homines adeò fuisse eximium, vt quantum est ex se, paratus esset etiam pro salute vnius duntaxat mori. Denique ouis illa perdita Matth. 18. significat naturam humanam.

166. Dubitat hîc D. Thom. An conueniens fuerit Deum incarnari ab initio mundi, vel incarnationem differri vsque ad finem? & respondet, quòd quamuis non fuerit conueniens Deum incarnari ab initio mundi, hoc est, neque ante peccatum, neque statim post illud; non tamen differri debuit incarnatio vsque ad finem mundi. Primum probat, quia incarnatio facta est ad abolitionem peccati, ac proinde conueniens non fuit Deum incarnari ab initio mundi ante peccatum, quia remedium non sumitur ante morbum, nec medicina datur nisi infirmis, Matth. 9. Vnde artic. 3. ait: *Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est medicina causa.* Deinde nec fuit conueniens incarnationem fieri statim post peccatum, tum vt homo agnosceret propriam infirmitatem, & miseriam, ac se tanto liberatore indigere: tum vt pluribus hominibus hoc summum beneficium fieret; tum etiam, vt homo magis disponeretur ad illud recipiendum.

D.Thom.

167. Secundum probatur, quia incarnatio est causa remedij nostræ salutis; remedium autem nostræ salutis non debet esse vltimum, decens etiam erat, vt plures frui possent gratia incarnationis: conuenienti ergo tempore facta est incatnatio, secundùm illud Apostoli, *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum.* Quòd si ad Hebræos 9. dicitur Christus, *passus in consummatione sæculorum*: ideo dicitur, quia Deus in hac vltima ætate mundi dedit nobis legem gratiæ, postquam non est alia futura: quantum verò duratura sit hæc vltima ætas, solus Deus nouit; ac proinde bene stat quòd Christus venerit in consummatione sæculorum, & non venerit in fine durationis mundi, cùm ætas hæc durare possit per aliquot mille annorum.

Hebr. 9.

DISPVTATIO II.

De modo vnionis Verbi incarnati.

SECTIO I.

An vnio Verbi incarnati facta sit in natura.

NON inquirimus, an natura sit extremum istius vnionis, quia certum est, tam naturam diuinam, quàm humanam esse extrema huius vnionis, quandoquidem vniuntur ad inuicem; qua ratione natura diuina dicitur incarnata, id est, vnita carni; & natura humana dicitur deificata, quia tracta est ad esse Dei. Difficultas ergo est, an vnio sit facta in natura tanquam in termino, ita vt terminus istius actionis, per quam facta est vnio, sit natura. 1.

Conclusio est negatiua. Impossibile est vnionem Verbi incarnati factam esse in natura: hoc est, impossibile est, duas naturas, diuinam scilicet, & humanam, ita inter se connecti, vt ex vtraque vna sola natura resultauerit, sed post incarnationem duæ manserunt in Christo naturæ integræ, & inconfusæ, diuina scilicet, & humana. Hæc conclusio est de fide diffinita in Concilio Ephes. 1. & in Chalced. actione 2. & in Lateranen. sub Innocentio III. & in pluribus aliis, contra Eutychem, & alios hæreticos asserentes, vnionem factam fuisse in natura, ita vt ante incarnationem fuerint duæ naturæ, per incarnationem verò conflatam fuisse vnam ex illis duabus: vnde affirmabant, Christum subsistere ex duabus naturis, sed non in duabus, quia duas naturas ponebant in termino à quo incarnationis, & vna in termino ad quem; vel per cõuersionem vnius naturæ in aliam, siue humanæ in diuinam, siue è contra, vel per commixtionem, vel per compositionem, vt iam explico, & impugno. 2.

Probatur ergo conclusio ratione D. Thomæ, quia tribus modis potest intelligi vnum ex duobus constitui: *primo* ex duobus integris perfectè remanentibus, quod esse non potest nisi in his quorum forma est compositio, vel ordo, vel figura. *Secundo modo* fit aliquid vnum ex pluribus perfectis, sed transmutatis, vt ex elementis fit mixtum. *Tertio modo* fit aliquid vnum ex pluribus non permixtis, aut permutatis, sed ex imperfectis: sicut ex anima, & corpore fit homo, & ex diuersis membris vnum corpus; at nullo istorum modorum ex diuina, & humana natura, potuit per incarnationem resultare vna natura: quod probat sanctus Doctor, excludendo singulos modos ab vnione incarnationis. *Primum* excludit, tum quia vnio incarnationis esset accidentalis: tum etiam, quia per incarnationem non resultaret vnum simpliciter, sed secundùm quid; tum denique, quia forma eorum quæ sic vniuntur, non est natura, sed magis ars, vt forma domus. *Secundum* modum excludit, tum quia natura diuina est omnino immutabilis; tum etiam, quia quod est commixtum, nulli miscibilium est idem specie, & sic Christus non esset eiusdem naturæ, nec cum Patre æterno, nec cum hominibus, cùm neque haberet Dei, neque hominis naturam; nec esset Patri, nec nobis consub 3.

Digitized by Google

conſubſtantialis: tum denique, quia ex iis quæ plurimum diſtant, non poteſt fieri mixtio; ſoluitur enim vnius ſpecies: ſicut ſi quis guttam aquæ amphoræ vini apponat. *Tertium* modum excludit, tum quia vtraque natura diuina, & humana, eſt ſecundùm ſuam rationem perfecta: tum quia iſtæ naturæ non ſe habent vt partes, neque vt materia, & forma: tum denique, quia Chriſtus neque eſſet naturæ diuinæ, neque humanæ. nam differentia addita variat ſpeciem.

4. Alius *quartus modus* excogitari poſſet, videlicet per conuerſionem: quòd autem ex duabus naturis diuina, & humana in Chriſto non potuerit fieri vna natura per conuerſionem, ſic oſtendo. nam in primis non potuit fieri vna per conuerſionem humanitatis in diuinitatem. *Primò*, quia humanitas periiſſet. nam terminus, & res quæ conuertitur, debet deſinere conuerſione ipſâ; vnde Chriſtus non poſſet dici verus homo: imò cùm humanitas non præextiterit vnioni, nunquam Chriſtus fuiſſet verus homo. *Secundò* quia nec Chriſtus pro nobis ſatisfeciſſet, nec paſſus, aut mortuus fuiſſet carens humanitate. Deinde non potuiſſet fieri vna natura per conuerſionem diuinitatis in humanitatem, tum, quia diuinitas nequit deſinere eſſe ſicut debet terminus conuerſionis: tum, quia Chriſtus non eſſet verus Deus quando Ioan. 1. dicitur, *Verbum caro factum eſt*, ſolùm ſignificatur, Verbum carnem aſſumpſiſſe abſque vlla conuerſione: ſicut in Scriptura dicitur Aaronem factum eſſe Pontificem, & Dauidem factum Regem, quia hic aſſumpſit munus Regis, ille Pontificis, ſine vlla conuerſione, quamuis illud Chriſti, ſubſtantialiter ſit intelligendum; hæc verò moraliter.

Ioan. 1.

5. Secundò probatur eadem concluſio, quia Chriſtum eſſe verum Deum, & verum hominem, eſt vnum ex potiſſimis Fidei noſtræ fundamentis, ſiquidem in Scriptura ſæpiùs tribuuntur Chriſto quæ ſunt propria ſolius Dei, ad Hebr. 1. vocatur, *Splendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris.* Ioan. 10. dicitur, *Vnum cum Patre.* Matth. 16. dicitur, *Filius Dei viui.* Item eidem Chriſto tribuuntur in Scriptura quæ ſunt propria hominis, nempe partes humanæ naturæ, vt corpus & anima. 1. Petr. 2. dicitur, *Peccata noſtra pertulit in corpore ſuo*, & Ioan. 14. dicit ipſe, *Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem*; ergo Chriſtus eſt verus Deus, & verus homo: ſed nequit eſſe verus Deus, quin habeat veram naturam Dei, nec verus homo, quin habeat veram naturam hominis; ergo poſt incarnationem manſerunt duæ naturæ integræ, & confuſæ, diuina ſcilicet, & humana: & per conſequens vnio Verbi incarnati non fuit facta in natura.

Hebr. 1. Ioan. 10. Matth. 16. 1. Petr. 2. Ioan. 14.

6. Obiicies primò illud Athanaſij in ſymbolo Fidei: *Sicut anima rationalis, & caro vnus eſt homo: ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus.* Reſpondetur, Athanaſium non intendere ex humanitate, & diuinitate vnitis, conflari tertiam naturam, ſicut ex anima & corpore vnitis, ſed vnam conſurgere perſonam; ſicut ex anima & corpore vnitis, conſurgit, per ſe loquendo, vna perſona humana.

7. Obiicies ſecundò ex Cyrillo qui, vt refert D. Thomas in hoc articulo in epiſtola ad Succeſſum, dixit: *Non oportet intelligere duas naturas, ſed vnam naturam verbi Dei incarnatam.* Reſpondetur cum eodem D. Thom. hoc nomen naturæ, ſeu eſſentiæ, interdum ſumi apud primos Patres Eccleſiæ pro ſubſiſtentia, vt conſtat ex epiſtola D. Hieronym. ad Damaſum, & in hoc ſenſu verum eſt, in hoc myſterio non reperiri duas naturas, id eſt, duas

Cyrill.

ſubſiſtentias, ſed vnam dumtaxat Verbi diuini.

8. Obiicies tertiò ex eodem Cyrillo lib. 1. ad Reginas, aſſerente: *Non eſſe in Chriſto duas naturas, & vnum filium; vnam quæ adoratur, & vnam quæ non adoratur.* Reſpondetur Cyrillum ibi non negare ſimpliciter duas naturas, diſputabat enim cum Neſtorio aſſerente, duas naturas Chriſti ſubſiſtere in duabus perſonis, ac proinde alteram adorandam eſſe latria, alteram non item. Contra quem Cyrillus affirmat, non eſſe dicendum in Chriſto dari illas duas naturas, adorabilem, & non adorabilem: quia mediante vnione hypoſtatica, humanitas Chriſti fuit deificata, ac proinde adoranda adoratione latriæ. Idem.

9. Obiicies quartò, quia impoſſibile eſt prædicata vnius naturæ de nouo alteri conuenire, quin vna natura in alteram tranſeat, vel duæ naturæ in tertiam miſceantur: at ex hac vnione prædicata ſunt communia. nam quod eſt Dei, conuenit homini, & quod eſt hominis, tribuitur Deo. Reſpondetur illas propoſitiones eſſe veras per communicationem idiomatum, quæ non communicantur, quia coniunguntur in vna forma, aut in vnitate formali, ſed quia vniuntur in vna perſona, & diſtinctæ manent naturæ, abſque eo quòd inter ſe miſceantur, aut ex illis reſultet tertia natura. Imò ſi ex hac vnione eſſet mixtio naturarum, non eſſent prædicata communia, quia miſcibilia non prædicantur abſolutè de mixto reſultante: ſicut nec partes componentes prædicantur de compoſito.

10. Obiicies quintò, operationes ſequuntur naturam, & qualis natura, tales ſunt operationes: at ex vi iſtius vnionis multæ operationes Chriſti ſunt permixtæ, & ideò appellantur theandricæ; ergo etiam naturæ ipſæ erunt permixtæ. Reſpondetur, in humanitate Chriſti nullam eſſe operationem liberam quæ non habeat duplicem reſpectum, in eſſe naturæ, & in eſſe moris: quod habet naturæ, ſubſtantialiter procedit ab humanitate; quod habet valoris, & dignitatis, ſumitur ex dignitate perſonæ. Ex iis autem non ſequitur permixtio, aut confuſio operationum, ſed ſumma diſtinctio, & perfectio. nam ſicut operationes hominis grati non dicuntur permixtæ, aut confuſæ, eo quòd ſubſtantialiter ſint à natura inferiori, & in eſſe moris dignificentur à gratia: ita philoſophandum eſt de operibus Chriſti, in quibus iſtæ duæ rationes ordinatæ ſunt, & ideo vocantur theandricæ, quaſi ordinatæ, vt virtus Dei, & naturæ creatæ concurrant.

SECTIO II.

An vnio Verbi incarnati facta ſit in perſona.

11. HÆreſis fuit Neſtorij aſſerentis, in Chriſto eſſe duas perſonas, humanam ſcilicet, & diuinam, ac proinde terminum vnionis in incarnatione non eſſe vnam perſonam, ſed duas accidentaliter coniunctas, non ſubſtantialiter: eam verò coniunctionem ſitam eſſe, ſicut refertur in Concilio Epheſino, quòd perſona diuina filij Dei per ſingularem quemdam affectum, & per eximia gratiæ dona, inhabiter in perſona humana Chriſti, propter quam inhabitationem, Chriſtus appelletur templum Dei, Filius Dei, ac Deus, non per ſubſtantiam, aut per eſſentiam, ſed per ſingularem quamdam participationem.

Prima

12. Prima conclusio, in Christo solùm est vnica persona, scilicet Verbi incarnati, hæc est de fide diffinita in Concilio Ephesino, & in Chalcedonense, & in Lateranens. sub Innocentio III. & colligitur expresè ex sacra Scriptura ad Hebr. 2. *Decebat enim eum in quo omnia, & per quem omnia, & qui multos filios adduxerat in gloriam, auctorem salutis eorum per passionem consummari.* Vbi de eo de quo dicitur quòd sit in quo omnia, & per quem omnia, id est, efficiens, & finis hominum, dicitur etiam quòd sit auctor salutis nostræ per passionem: sicut Ioan. 1. de eo de quo dicitur, *Verbũ erat apud Deum: & Deus erat Verbum*, subditur: *& Verbum caro factum est*; quo testimonio apertissimè impugnatur error Nestorij. nam Verbum fieri carnem, non est coniungi per affectum cum homine.

Hebr. 2.

Ioan. 1.

13. Obiicies, quia natura humana in Christo est perfecta; ergo debet habere propriam personalitatem, præsertim quia personalitas ad dignitatem pertinet. Respondetur cum D. Thoma, quòd naturæ humanæ in Christo nihil deest quantum ad essentialia, & quantum ad proprietates quæ consequuntur essentiam; deest tamen propria personalitas, quia si illam haberet, non posset fieri vnio incarnationis, & quòd Deus esset homo.

14. Secunda conclusio, humanitas Christi non habet propriam subsistentiam, aut hypostasim, hæc etiam est de fide diffinita in Concilio Ephesino. Et probatur, quia persona solùm addit supra hypostasim, aut suppositum, quòd sit intellectualis naturæ substantia: sed de fide est in Christo tantùm esse vnicam personam Verbi; ergo etiam est de fide quòd sit vnica subsistentia, seu hypostasis.

15. Obiicies, quia in Christo est aliud, & aliud; ergo sunt duo suppositа. Antecedens constat ex Leone Papa epistol. 10. ad Fabianum, vbi ait: *In Christo aliud coruscat miraculis, & aliud succumbit iniuriis.* Respondetur, propter hæc verba exortam fuisse magnam controuersiam in Concilio Chalcedonensi, qua non obstante, omnes Patres illius Concilij receperunt epistolam Leonis tanquam regulam fidei. quia ly *aliud*, sumptum in concreto neutrius generis, significat diuersitatem, & alietatem naturæ: & quia in Christo sunt duæ naturæ distinctæ, ideo verum est, *aliud coruscat miraculis*, scilicet diuinitas, *aliud succumbit iniuriis*, scilicet humanitas: at si alius sumatur masculinè, significat diuersitatem suppositi, & ideo non est verum dicere, in Christo est alius, & alius. Vnde in mysterio Trinitatis dicimus, Pater est alius à Filio, sed non aliud, quia licèt sint personæ distinctæ, sunt tamen eiusdem naturæ.

16. Tertia conclusio, vnio incarnationis facta est in supposito, aut persona Verbi. Hæc similiter est de fide diffinita in eisdem Conciliis, & certè in Symbolo Athanasij expresè dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*, & rursus: *Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus*, & deinde: *Non confusione substantiæ, sed vnitate personæ.* Et probatur, quia de fide est quòd natura diuina, & humana, sunt vnitæ aliqua ratione per incarnationem; sed hæc vnio non est facta in natura, vt etiam est fide sancitum; ergo fatendum est, factam esse in persona, aut supposito. Deinde, quia, vt docet D. Thom. in hoc articulo, omne quod inest alicui intrinsecè, & non extrinsecus per modum adiacentis, sicut est vestis in homine, siue pertineat ad essentiam, siue non, vnitur illi in persona: sed natura humana est in Verbo intrinsecè, & non per modum extrinsecus adiacentis; ergo.

Obiicies primò, humanitas est in Christo vt indumentum, ad Philipp. 2. *Habitu inuentus vt homo*; ergo adiacet illi, & non vnitur in persona. Respondetur, id non dici à Paulo, quia Christus non fuerit verus homo, velut minuatur aliquid de substantia eius humanitatis, sed quia natura humana in eo assimilabatur vestimento, qua tanquam indumento tegebatur ipsum Dei Verbum. 17. Philip. 2.

Obiicies secundò, quia in diuinis natura, & suppositum, sunt omnino idem; sed vnio incarnationis non potuit fieri in natura; ergo neque in persona, aut supposito. Respondetur, quòd sola distinctio virtualis inter naturam diuinam, & suppositum sufficit, vt aliquid verificetur de vno, quod non verificatur de alio, & vt dicatur vnio incarnationis facta in persona Verbi, & non in natura. 18.

Inquires, an saltem in sensu identico hæc possit concedi, vnio facta est in natura, siquidem natura, & suppositum sunt omnino idem. Respondetur, neque in sensu idemtico esse concedendam; sicut neque in sensu idemtico concedendum est, quòd essentia diuina generat, aut generatur, quamuis Pater generans, & diuina natura, sint omnino idem: sic in proposito, nec in sensu idemtico concedenda est illa propositio, quia particula *in* denotat terminum assumptionis, & incarnationis, quatenus distinctum à natura diuina. 19.

Inquires vlteriùs, an sicut diuina natura saltem mediatè vnitur humanitati, ita non solùm persona Verbi, sed etiam personæ Patris, & Spiritus sancti debeant eidem vniri, cùm hæ personæ idemtificentur naturæ diuinæ. Respondetur, nullatenus esse hoc concedendum, non enim diuina natura vnitur mediatè humanitati, quia est idem realiter cum Verbo, sed quia est eius natura illi intrinsecè competens: vnde etiam vniretur modo prædicto, quamuis ab illo realiter differret. Pro quo nota quòd licèt natura diuina, & humana copulata sint inter se, non tamen per se primò, sed ex coniunctione, in supposito, dicuntur inter se vniri: quare rectè D. Thom. artic. sequenti dicit, quòd si natura humana non vniretur Verbo in persona, non vniretur naturæ diuinæ, quasi ex vnione ad personam, censeatur resultare quælibet coniunctio quæ inter ipsas naturas consideratur. Ratio autem cur etiamsi vniantur in supposito substantiali, non dicuntur inter se vnitæ essentialiter, ac per consequens in natura est, quia sunt substantiæ completæ, si enim essent incompletæ, vnirentur inter se vnitate naturæ: imò primò substantialiter inter se copularentur, quàm in supposito, ita vt ex vnione in natura, propetarent ad vnionem suppositi. 20.

Sectio III.

An post incarnationem persona Christi sit verè composita.

21. Conclusio est affirmatiua, quam negarunt plures Theologi antiqui, sed iam communiter recipitur à Theologis, & colligi videtur ex Conciliis præallegatis, quæ absolutè dicunt, personam Christi compositam esse. Idem docent Patres quos referunt Recentiores, legendus est Bern. serm. 2. super illa verba: *Osculetur me osculo oris sui.* Vbi ita ait: *Attendite: si os osculans, verbum assumẽs; osculatum, caro quæ assumitur; osculum verò quod pariter ab osculãte, & osculato conficitur, persona ipsa ex vtroque compacta.* & probatur, quia ad veram compositionẽ realem nihil Bernard.

Digitized by Google

aliud requiritur, quàm vnio duorum realiter distinctorum: sed natura diuina, & humana, sunt realiter distincta, & in Christo verè vniũtur in identitatem personæ; ergo persona Christi est verè, & propriè cõposita Confitmatur, quia persona Christi constat ex subsistentia Verbi, & natura humana distinctis, & realiter vnitis immediatè; ergo est verè compolita. Consequentia est manifesta, quia quoties aliqua realiter distincta concurrunt ad constituendum vnum, vel concurrunt media compositione, vel solùm inordinatè, aut confusè, & per accidens; sed in persona Christi humanitas, & subsistentia Verbi, non concurrunt confusè, & per accidens, faciunt enim vnum substantiale, & per se; ergo concurrunt media reali, & vera compositione.

22. Obicies primò, compositum substantiale debet constare ex entibus incompletis. Respondetur, id esse verum in compositis naturalibus, in quibus nõ vniuntur ad substantialiter componendũ, nisi entia aliquo modo incompleta: secus verò in supernaturalibus, præsertim quando vnum ex componẽtibus est quid increatum, vt contingit in præsenti. Quare personalitas Verbi non habet rationem partis, vel entis incompleti, imò nec etiã humanitas (etsi aliàs illi non repugnet) habet rationem partis in hac compositione, cùm dicere non possit habitudinem, vt ad compartem ad Verbum, sine qua habitudine non est ratio partis. Adde, ad rationem compositi non requiri, vt extrema habeãt rationem partium, vt videre est in composito ex natura, & subsistentia, in quo subsistentia est tantùm terminus, & nõ pars. Nec rursus requiritur, vt vnum componentium sit actus informans, vel inhærens; alterum potentia: sat est vnum esse actum terminantem, alterum terminabilem; sicut accidit in puncto, & linea. Nec tãdem requiritur, vt compositum sit perfectius intensiuè, quem alterum componentium, v.g. Christus, quàm Verbum; sat est esse perfectius extẽsiuè, id est, importare plures perfectiones; sicut dici solet de Deo, & mũdo simul comparatis, cum solo Deo.

23. Obicies secundò, D. Thom. 1. p. q. 3. art. 7. docet, Deum nullo modo esse compositum, quia omne compositũ est perfectius suis componentibus, minus simplex eis, dependẽs ex eis, vt ex causis, habet enim causam efficientem, ita vt sit causatum, & factum; ergo si Christus est persona composita, habet omnes istas perfectiones. Deinde idem D. Thom. art. 8. sequenti docet, repugnare Deo venire in cõpositionem aliorum. Respondetur D. Thomam intelligendum esse de Deo, & persona diuina secundùm se, non de persona diuina, vt subsistẽte in duabus naturis: & cõditiones illæ compositionis, etiãsi reperiantur in compositionibus naturalibus, reperiuntur etiam in hac compositione Christi, excepta vltima rigorosè accepta. nam Christus nõ absolutè, & secundùm se, sed vt est terminus huius compositionis, hoc est, vt habet duas rationes subsistẽdi, est posterior extremis componentibus, & dependet ab eis, & est minus simplex quàm quodlibet eorum per se sumptum, & est quid factum, quia in tempore factum est quòd personalitas, quæ ab æterno subsistebat in natura diuina, subsistat etiam in humana, & sit verus homo. Deinde quamuis repugnet Deo compositio in qua componens habet rationem partis, potentiæ, aut actus inhærentis, vel informantis, & est minus perfectum, quàm cõpositum; non verò repugnat compositio hæc mirabilis, in qua cõponentia non habent has imperfectiones.

24. Obicies tertiò, quia si post vnionem Verbi cum humanitate, resultat persona Christi cõposita; ergo resultat aliqua persona quæ non erat antea, prius enim erat solum persona simplex, nunc autem est persona composita; ergo in Christo erit alia persona distincta realiter, vt includens ab incluso, à persona Verbi: quod est contra fidẽ. Consequẽtia probatur, quia quod resultat ex illa cõpositione, & distinctũ à Verbo, vt totũ compositum ab vno componente. Respondetur, compositũ illud esse vnam personã, non tamẽ esse aliã à persona Verbi, quamuis enim compositũ illud, re ipsa sit aliquo modo distinctũ à persona Verbi secũdùm se, ratione alterius naturæ quam includit, nihilominus non est distincta persona, sed eadem subsistens etiam in altera natura. Ratio est, quia quod formaliter constituit personam, non est natura, sed personalitas, quæ non multiplicatur in Christo, quamuis naturæ multiplicentur: non multiplicato autem formali significato nominis substantiui quale est persona, non multiplicatur tale nomen.

Secunda conclusio, persona Christi, propriè loquendo, non est composita ex duobus naturis, probatur, quia præpositio *ex*, propriè sumpta, immediatè afficit extrema, immediatè cõponentia; sed persona Christi non est composita ex duabus naturis ipsam immediatè componentibus; ergo non potest dici propriè composita ex duabus naturis. Minor probatur, quia natura diuina nõ distinguitur realiter à personalitate; ergo non facit cum illa veram compositionem, quia compositio est distinctorum vnio. Deinde non vnitur immediatè humanitati, ergo nõ est illud ex quo persona Verbi cõponitur. Quòd si Patres, & Cõcilia appellant personã Christi ex duabus naturis compositã, illa loquutio, quod attinet ad humanitatem, & personalitatem Verbi, propriissima est: quod verò pertinet ad eamdẽ personalitatẽ & naturam diuinam, in latiori significatione intelligenda est, quatenus compositio, idẽ est quod constitutio; & in hoc sensu potest dici, personam Christi constitutam ex duabus naturis, quia ad constitutionem sufficit distinctio virtualis, qualis reperitur inter naturam diuinam, & suppositum. 25.

Sectio IV.

Quis sit terminus actionis vnitiuæ, quæ est incarnatio.

26. PRima conclusio, terminus totalis, & adæquatus huius actionis, primò, & per se, per illã productus qui à Philosophis dici solet terminus qui, est humanitatem esse vnitam Verbo diuino secundùm subsistentiam, ita vt eadem persona Verbi, sit simul persona naturæ diuinæ, & humanæ, Deusque sit homo, & homo Deus. Idẽ assereres si dicas, terminum huiusmodi adæquatum, esse Deũ hominem.

Probatur primò, quia verbis illis Ioan. 1. *Et Verbum caro factum est.* & illis Symboli Niceni, *& incarnatus est de Spiritu sancto: & homo factus est*, significatur terminus totalis, primò, & per se factus per actionem de qua loquimur; ergo est quòd filius Dei sit homo. Ioan. 1.

27. Secundò probatur, quia terminus adæquatus per se primò factus per aliquam actionem, est ille ad quem primò, & per se ordinatur talis actio: sed hæc fuit primò, & per se ordinata, ad hoc vt Deus esset homo, & quòd primariò incepit esse per hanc actionem, fuit Deum esse hominẽ; ergo, &c. Quòd si inquiras, an sit quid creatũ, an increatum? Respõdeo, si creatum sumatur pro eo quod secundùm se totum est factum ex nihilo, creatum non esse, quia Verbũ, & diuinitas, quæ in eius compositionẽ intrant, increata sunt, si verò creatũ sumatur pro facto

per

per veram actionem, iravt inceperit esse, & possit desinere, quid creatum est: quia compositum ex Verbo,& humanitate, nunc est, & antea non fuit; atque adeò est factum in tempore per veram actionem,& potest dissolui.

28. Secunda conclusio;terminus à quo in hac actione est priuatiuus,seu negatiuus,nempe carétia termini ad quem:sicut terminus à quo generationis, est priuatio formæ genitæ:vnde sumpta ista actione,vt per illam vnitur humanitas Verbo,terminus à quo est carentia talis vnionis, quia hæc carentia pellitur,& humanitas ex non vnita,fit vnita.Sumpta verò actione, vt per illam communicatur subsistentia diuina humanitati, terminus à quo est carentia subsistentiæ diuinæ in humanitate, sumpta illa actione, vt per eam humanitas quodammodo communicatur Verbo,fitque Deus homo,terminus à quo est Deum non esse hominẽ, sumpta denique actione, vt per eam fit, & resultat cõpositus Christus,terminus à quo est carẽtia,seu negatio Christi.

29. Dices, in humanitate Christi nunquam præcessisse carentiam vnionis ad Verbum,siquidem ante vnionem illam, adhuc nõ erat illa humanitas;ergo carentia illa non fuit terminus à quo.Respondetur *primò*, carentiam illam præcessisse toto tempore ante instans incarnationis,toto enim illo humanitas,siue extiterit,siue non,fuit non vnita: vnde hic terminus explicari debet in humanitate per modum simplicis negationis, non priuationis, nisi in materia prima quæ præextitit. Respondetur *secundò*, satis esse, vt carentia illa quæ est terminus à quo, solo ordine naturæ, & intellectionis nostræ antecedat vnionem humanitatis, quod tamen non sufficit in termino à quo positiuo.

30. Circa terminum formalem,seu quo huius actionis, est maxima varietas sententiarum:quidam dicunt esse Verbum,quia est quod principalius est in termino adæquato, & maximè intentum in hac actione,in qua intenditur quòd hic homo sit Deus. Item Verbi personalitas est quasi forma compositi resultantis,sicut subsistentia est forma subsistentis; Verbum ergo non secundùm se, sed vt perficiens humanitatem, erit terminus formalis.

31. Vazquez disp.19.cap.1.censet,terminum formalem esse humanitatem, quia terminus formalis est forma constitutiua termini totalis directè intenti per actionem,qui in hac actione est,quòd Deus fiat homo. Suarez disp.8.sect.3. docet, terminum formalẽ esse modum vnionis de nouo ea actione proximè productum,quia terminus formalis actionis non præsupponitur ad actionẽ,vt supponũtur Verbum, & humanitas, sed fit proximè per eam, nec potest sine illa esse;estque natura posterior illa: at sola vnio est huiusmodi. Denique quidam Recentiores censent,terminum formalem esse ipsam humanitatem, non quia sit forma termini totalis, vt dicebat Vazquez,sed quia iuxta illorũ sententiam, est id quod proximè producitur,& fit ipsa illa actione,fit enim ipsa assũptione,& vnitione;sicut forma accidentalis,ipsa eductione fit,& vnitur subiecto.

32. Ex his sententiis vltima omnino displicet;quod verò magis arridet est modus dicendi Vazquez, quãtis,vt rectè notat Lugus disp.11.sect.2.controuersia magis sit de modo loquendi, quàm de re, & probatur,quia terminus formalis ad quem non aliter definiendus, aut explicandus est, quam habet communis Philosophorum sententia:igitur terminus formalis est ille,qui formaliter cõstituit terminum integrum, & adæquatũ productum per illam actionem:hic autem est forma ipsius rei productæ, siue per illam actionem fiat, siue iam ante illam præextiterit,dummodo per illam vniatur toti; atque ita terminus formalis generationis,& resurrectionis hominis ab omnibus ponitur anima hominis,quamuis ante ipsam generationem & resurrectionem præsupponatur existens,& facta à Deo per creationem: vnde infertur quòd in generatione & resurrectione hominis, terminus formalis non est modus substãtialis vnionis,qui per generationem, & resurrectionem de nouo fit.nam illo homo non constituitur tanquam forma: quod amplius ostenditur in æterna generatione filij Dei, cuius terminus formalis constituitur diuina essentia, vt communicata: sed humanitas vnita verbo, est forma quæ terminum adæquatum incarnationis, nempe Christum formaliter hominem constituit, & per quam sortitur esse specificum hominis;ergo illa est terminus formalis ad quem actionis incarnationis.

Sectio V.

An per actionem vnitiuam naturæ humanæ cum Verbo, producatur aliquid diuersum ab ipsa,& à Verbo simul sumptis.

CErtum est, in mysterio incarnationis præter diuinitatem,Verbum,& humanitatem,repertam fuisse realem actionem vnitiuam de nouo,qua de nouo factus est Christus compositum ex illis; huius ergo actionis vnitiuæ, quæ vnio in fieri dici solet, inquirimus in præsenti terminum, qui dici solet vnio in facto esse, & permanens in composito. Non loquimur autem de vnione in facto esse quæ reperitur inter partes humanitatis assumptæ, scilicet inter animam, & corpus, quia ista non est terminus actionis de qua loquimur, sed alterius, nempe generationis, quæ & efficienter attingit vnionẽ animæ rationalis cum materia,& fit etiam à causa secunda generante: at actio ista efficienter fit à solo Deo, indiuisimque à Trinitate operante supernaturaliter, & ineffabiliter hoc mysterium. Inquirimus ergo de huiusmodi vnione in facto esse,an distincta sit re ipsa ab extremis, & hæc est vnio quam vocamus hypostaticam. 33.

Didacus Aluarez disput. 13. num.12. quem sequuntur communiter Thomistæ, partem negantem tuentur, quam declarant ex Caiet. 1. part. quæst.76. art. 1. ad 6. sicut in causa efficiente distinguimus actum primum qui est forma, quæ est principium agendi, & actum secundum, quæ est eius causalitas, nempe actio; ita in causa formali possunt distingui actus primus, qui est ipsa causa formalis, & actus secundus, qui est eius causalitas, id est, dare esse formaliter subiecto, quod non est aliud, quàm formam esse id quo formaliter subiectum, taliter, vel taliter est. Pari modo inquiunt, posse ista duo distingui in personalitate, quæ etsi non sit propriè forma informans,neque inhærens; habet tamen modum formæ, vt terminat dependentiam naturæ terminabilis,estque ei ratio subsistendi,& actus primus ipsa personalitas;actus verò secundus est exercitium;suæ causalitatis, quod est esse id quo formaliter natura est subsistens. Vnde sicut vnio materiæ, & formæ, non est aliud quàm formam exercere suam causalitatem,dando formaliter in actu secundo materiæ, esse substantiale,vel accidentale,& materiam recipere in se tale esse:ita vnio personæ Verbi cum humanitate,nõ erit aliud, 34.

Digitized by Google

quàm ipſam perſonam Verbi exercere actu ſuum modum quaſi cauſalitatis, dando humanitati ſubſiſtere, & humanitatem recipere in ſe ipſa hoc actu ſubſiſtere. Fundamenta huius ſententiæ infrà diſſoluam.

35. Concluſio tamen eſt affirmatiua, vnio hypoſtatica, & in facto eſſe, eſt aliquid re ipſa diſtinctum ab vtrouis extremorum ſeorſim, & ab vtroque ſimul. Ita D. Thom. & Recentiores communiter cum Vazquio diſp. 18. & probatur *primò*, quia implicat intelligere aliqua extrema quæ ex ſe, & ex vi ſuarum entitarum non ſunt vnita, incipere eſſe de nouo vnita, nihil de nouo præter illa producto: ſed humanitas, & Verbum, ſunt duo extrema quæ ex vi ſuarum entitatum non ſunt vnita, ſi quidem non vnita poſſunt perſeuerare, & conſeruari; ergo implicat intelligere humanitatem de nouo vnitam Verbo, nihil de nouo producto, præter humanitatem, & Verbum: ſed intellecta actione vnitiua naturæ humanæ ad Verbum, intelliguntur huiuſmodi extrema vnita; ergo per talem vnionem, ſeu coniunctionem vnitiuam, aliquid intelligitur productum diſtinctum à natura humana, & Verbo. Maior probatur, nam nihil de nouo producto manent extrema ſicut antea erant; ſed antea non erant vnita; ergo, &c.

36. Confirmatur, quia repugnat dari realem denominationem nouam, abſque forma reali noua: ſi enim omnia prorſus eodem modo ſe habeant ac antea, non aliter res denominabuntur, quia denominationes formales ſunt propoſitiones quibus loquimur de rebus; & ab eo quod res eſt, vel non eſt, propoſitiones dicuntur veræ, vel falſæ; denominationibus ergo obiectiuis, ſeu obiectis ipſis eodem modo à parte rei ſe habentibus, non poſſunt nouæ denominationes formales de ipſis fieri: ſed denominatio humanitatis Verbo vnitæ, eſt realis & noua; ergo ponitur de nouo à parte rei aliquid, ratione cuius talis denominatio ſit vera: at hoc nouum non ſunt ſola extrema, potuiſſent enim Verbum, & hæc humanitas, eſſe ſeorſim, & ſimul penetrante Verbo illapſu ſuo humanitatem, abſque eo quòd humanitas eſſet vnita Verbo; ergo debet dari aliud nouum præter extrema, ratione cuius verificetur hæc denominatio formalis noua; hæc autem eſt vnio; ergo, &c.

37. Dices, denominationem hanc prouenire ab extremis tali tempore exiſtentibus, ſuppoſito Dei decreto quo ab æterno voluit, hoc tempore humanitatem ſubſiſtere in Verbo; hoc enim decreto poſito, non poteſt eſſe humanitas hoc tempore, quin denominetur vnita. Contrà, quia, obiectum illius decreti non eſt ſolùm exiſtere humanitatem tali tempore, ſed etiam exiſtere vniram Verbo, quod eſt quid diuerſum ab hoc exiſtere humanitatem tali tempore; poſſet enim Deus velle hoc, & non velle illud.

38. Dices ſecundò, hanc denominationem prouenire ex carentia, & negatione propriæ ſubſiſtentiæ humanitatis, eo enim ipſo quòd humanitas caret propria ſubſiſtentia, cùm exiſtere non poſſit ſine ſubſiſtentia aliqua, vnitur ſe ipſa immediatè Verbo terminanti ipſam. Contrà, quia, vt rectè Vazquez, bene poteſt humanitas habere carentiam propriæ ſubſiſtentiæ, & non eſſe terminata Verbo, ſi terminetur ſubſiſtentia Patris, vel Spiritus ſancti: vnde ſicut nunc vnita Verbo, diſtinguitur re ab vnione cum Patre, vel Spiritu ſancto, quia eſt ſine tali vnione, pariter diſtinguitur ab vnione qua de facto vnitur Verbo, quia poteſt exiſtere ſine ea carere propria ſubſiſtentia.

39. Secundò probatur, quia quod poteſt realiter exiſtere ſine aliquo, realiter ab illo diſtinguitur; nihil enim impoſſibilius, quàm aliquid exiſtere realiter, ſine ſe ipſo, vnde ſeparatio realis, ſignum eſt euidens diſtinctionis realis, inter ea quæ realiter in exiſtentia ſeparantur: ſed Verbum, & humanitas, quodlibet, & ambo, poſſunt realiter exiſtere ſine vnione hypoſtatica ad inuicem; Verbum enim ab æterno, & Chriſti materia prima à principio mundi, extiterunt ſine vnione hypoſtatica, & anima Chriſti, & humanitas propria affecta ſubſiſtentia potuerunt tempore præcedere hypoſtaticam vnionem; ergo Verbum, & Chriſti humanitas, quodlibet, & ambo, realiter diſtinguuntur ab vnione, & vnio ab illis, tã ſeorſim, quàm ſimul ſumptis.

40. Denique probatur, quia in incarnatione interuenit realis actio, qua humanitas vnitur Verbo, vt D. Thomas, & omnes concedunt; ergo illa actio debet habere terminum realem per ipſam productum; hoc enim eſt de ratione actionis realis, præcipuè ad extra, quæ eſſentialiter eſt fieri termini; ſed terminus iſte nequit eſſe Verbum, hoc enim eſt increatum, & non fit; nec poteſt eſſe humanitas, quæ quia aſſumitur, præſupponitur aſſumptioni, & illi actioni, & recipitur in humanitate ipſa, quia cùm ſit actio Dei tranſiens, recipi non poteſt in perſona Verbi; ergo producit aliquid reale in humanitate, nempe modum vnionis ab vtroque extremo diſtinctum.

41. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, declarationem illam in vera Philoſophia non ſubſiſtere, imò ſicut in cauſa efficiente actus ſecundus, ſeu cauſalitas, eſt modus realiter modaliter diſtinctus ab efficiente, & à termino; ita in cauſa formali quæ eſt vera res, actus ſecundus, ſeu cauſalitas ipſius, eſt modus realiter modaliter ab ea diſtinctus, nempe vnio, quæ vt ſe tenet ex parte eius, dicitur informatio, & vt ſe tenet ex parte materiæ, dicitur receptio; ſubiectaturque in materia. Dixi, *quæ eſt vera res*, quia cauſa formalis quæ eſt modus, ſe ipſa affigitur ſubiecto ſine vnione alia, cùm eius eſſentia ſit actu modificare, & dare ſuum effectum formalem, & huiuſmodi eſt ſubſiſtentia creata. Diuina autem Verbi ſubſiſtentia eſt vera res, ac proinde humanitas non poteſt ab ea fieri ſubſiſtens actu, niſi media vnione vniatur Verbo.

42. Obiicies primò, eo ipſo quòd intelligitur humanitatem actu recipere à Verbo ipſum actu ſubſiſtere, intelligitur actu vnita ipſi ſecũdùm ſubſiſtentiam, ita vt ſine hoc non ſufficiat aliquid aliud, neque præter hoc requiratur aliud; ergo in hac actuali communicatione, & receptione actus ſubſiſtendi, conſiſtit vnio humanitatis cum perſona Verbi ſecundùm ſubſiſtentiam; ergo fruſtrà fingitur diſtincta vnio. Confirmatur *primò*, quia ab vnione formali dicuntur extrema in facto eſſe vnita; ſi ergo hæc in noſtro caſu eſt re diſtincta ab extremis, erit in humanitate realiter, non in Verbo; ergo perſona Verbi dicetur vnita ſolùm denominatione extrinſeca. Confirmatur *ſecundò*, quia vt quod ponitur in humanitate, denominet perſonam Verbi vnitam, neceſſe eſt præſupponi quòd humanitas perſonetur, & ſuppoſitetur per Verbi perſonalitatem, quia neque humanitas, neque aliquid exiſtens in ea, poteſt denominare intrinſecè perſonam Verbi, niſi ratione ſuppoſitationis naturæ humanæ in eadem perſona Verbi; ergo neceſſe eſt etiam præſupponi, quòd perſona Verbi

ſit

Digitized by Google

sit vnita substantialiter humanitati: ergo non per vnionem superadditam.

43. Respondetur, non posse intelligi humanitatem actu recipere ipsum actu subsistere à Verbo, quin intelligatur vnita ipsi per modum realem vnionis: sicut non potest intelligi quòd materia recipiat informationem, seu esse formæ, quin intelligatur forma vnita ipsi, per modum realem vnionis. Ad *primam* confirmationē neganda est consequentia, quia vt Verbum dicatur, & sit vnitum intrinsecè, sat est vnionem esse physicam, & substantialem, constituentem vnum per se ex humanitate, & Verbo; alligantemque illa intimè. Ad *secundam*, distinguitur antecedens, de præsuppositione ordine intentionis, & dignitatis, verum est; quia quod primò intenditur est humanitatem personari per Verbum, ordine tamen executionis præintelligi debet vnio in humanitate, sine qua non erit personatio illa.

Sectio VI.

An vnio hypostatica sit modus substantialis supernaturalis, & vnus.

44. PRima conclusio. Vnio hypostatica est modus. Ita Recentiores communiter contra Scotum in 3. dist. 1. quæst. 1. existimantem, esse relationem extrinsecus aduenientem, quod quamuis nonnulli reducant ad errorem Nestorij, quia in quinta Synodo damnatur quòd hæc vnio sit facta secundùm relationem, hoc tamen intelligi debet, vt volebat Nestorius, dicens, Verbum vnitum fuisse humanitati solùm secundùm gratiam, & secundùm relationem amici ad amicum, à quo longè diuersa fuit mens Scoti, qui veram & realem vnionem constituit inter humanitatem, & Verbum, ex qua resultat relatio, & habitudo transcendentalis ad extrema. Sed quidquid de hoc sit, probatur conclusio, quia modus est qui per se ipsum essentialiter physicè affigitur rei cuius est modus; sed vnio hypostatica essentialiter habet per se ipsam extremis affigi, sicut quælibet vnio: ergo est modus. Maior propositio declaratur simul, & probatur, quia cùm modus sit simpliciter ens, non conditinguitur ab entitate sub hac ratione, nempe vt ente, sed vt entitas dicit rem, seu naturam, cuius esse, non est esse actualiter, & per se ipsam affixam alteri: diuidunt enim Philosophi ens in rem, & modum: res est quæ habet sufficientem entitatem vt possint in rerum natura conseruari sine alio: modus autem est, qui in se non habet sufficientem entitatem, vt possit esse, vel conseruari sine alio; ideoque eius essentia est esse actu affixum alteri modificando illud, vt substistentia creata, sessio, vnio, &c. cùm ergo vnio hæc, de qua loquimur, non habeat talem entitatem vt possit in rerum natura esse, vel conseruari sine extremis, & eius essentia consistat in eo quod est actu afficere, & connectere humanitatem, & Verbum, propriissimè est, & appellatur modus.

45. Secunda conclusio. Vnio hæc est substantialis, nec est, nec potest dici accidentalis. Hæc est contra Durandum dist. 6. quæst. 4. qui censuit vnionem illam fuisse accidentalem. Et probatur ratione D. Thomæ, quia vnio secundùm substistentiam est substantialis, & non accidentalis; sed vnio naturæ humanæ cum Verbo, est secundùm substantiam: ergo. Maior probatur, quia vnio secundùm substistentiam non dicit qualemcumque vnionem in persona, sed illam quæ est ad constituendam, & componendam ipsam personam: compositio autem personæ est substantialis, cùm sit ad componendam, & constituendam substantiam: accidentia autem dicuntur vniri personæ, quatenus aduenium personæ iam constitutæ, illique adhærent, non tamen aduenium in compositionem quæ est secundùm substistentiam: itaque accidentia vniuntur in hypostasi, seu substantia, sed non secundùm hypostasim, quia neque substistunt substistentia suppositi, neque constituunt illud in esse substantiali: at humanitas Christi, quia substistit substistentia Verbi, & constituit illud in specie humana, & in esse hominis, ideo & vnio non solùm dicitur facta in hypostasi, sed secundùm hypostasim; ac proinde substantialis. Confirmatur, quia si esset vnio accidentalis, non esset vera in rigore hæc propositio, Deus est homo: sicut homo non dicitur albus, nisi denominatiuè; cùm ergo sit de Fide, quòd Verbum sit homo, & homo non sit nomen denominatiuum, sicut album, sequitur, quòd humanitas non accidentaliter, sed substantialiter sit vnita Verbo.

Obiicies, quidquid aduenit substantiæ, vel hypostasi, post esse completum, & perfectum, aduenit ei accidentaliter; & contingenter, ex Arist. 1. Physic. cap. 8. sed humanitas aduenit Verbo vt enti completo, & perfecto: ergo aduenit illi, & vnitur accidentaliter. Respondetur *primò*, non quidquid aduenit substantiæ iam completæ, & perfectæ, & contingenter, debere esse accidens illi, quia vnio integralis aduenit aquæ, vel oleo præexistenti iam completo, si altera aqua vel oleum adiungatur, aduenitque contingenter, & tamen nec est, nec dicitur accidentalis, quia concurrit ad faciendum vnum substantiale: & per se. *Secundò*, respondetur cum D. Thoma solut. ad 2. Id quod aduenit enti complero, si nouum esse illi afferat, accidentaliter illi vniri; si verò trahatur ad idem esse, non aduenire accidentaliter: humana ergo natura aduenit Verbo, non vt assumpta ad vnum esse pro vt est naturæ, sicut corpus ad esse vitale animæ, sed ad vnum esse, provt est hypostasis, & ideo non aduenit accidentaliter. Itaque quod aduenit alicui præexistenti, si assumatur cum illo ad constituendum vnum esse personale, non aduenit illi accidentaliter, sed substantialiter: si autem supponat rem iam perfectè constitutam in esse personali, & afferat nouum esse quod ad constitutionem personæ nullo modo pertineat, accidentaliter aduenit illi. 46.

Tertia conclusio. Vnio hypostatica est modus quoad substantiam supernaturalis. Probatur, quia ens quoad substantiam supernaturale dicitur, quod secundùm suam rationem specificam, omni substantiæ creatæ, & creabili, & accidentibus ipsi debitis, indebitum est; sed talis est vnio hypostatica: ergo, &c. Quando verò dicitur naturalis à Concilio Ephesino Anathematism. 2. & à V. Synodo actione 11. in epistola Sophronij, non vocatur naturalis, vt opponitur supernaturali, sed vt opponitur apparenti, qualem ponebant Manichæi, & provt opponitur affectiuè, seu per gratiam accidentalem, qualem asserebant Nestorius 47.

Quarta conclusio. Modus vnionis hypostaticæ quamuis in se partes habeat, non tamen est vnus in humanitate ad Verbum, & alter in Verbo ad humanitatem. Prior pars probatur, quia vnio hypostatica secundùm veriorem sententiam, educitur ex humanitate: ergo debet habere vnam partem quæ educatur ex anima rationali, & alteram quæ educatur 48.

catur ex corpore. Consequentia est manifesta, quia in triduo mortis corpus Christi permansit vnitum cum Verbo in sepulchro, & anima in limbo, eadem met vnione per quam ante mortem Verbo vniebantur, quod enim semel assumpsit, nunquam dimisit: vnio autẽ quia corpus iacens in sepulchro vniebatur Verbo, non existebat in limbo: sicut nec vnio per quam anima in limbo existens eidẽ Verbo vniebatur, non existebat in sepulchro: ergo erant diuersæ vniones, & per consequens nodus vnionis hypostaticæ, non est simplex, sed habet partes.

49. Posterior pars ostenditur, quia percipi nequit vnum esse vnitum alteri, quin & illud alterum ipsi intelligatur vnitum: sed per vnionem existentem in humanitate, vel ei inhærentem, aut ex eius parte se tenentem, intelligitur humanitas vnita Verbo: ergo & Verbum humanitati. Hac ratione in Physica solet probari, vnicam vnionem interuenire inter materiam, & formam, & sententia opposita concedens duplicem partialem, difficilius reddit hoc mysterium.

50. Sed adhuc supersunt duæ difficultates tractandæ.

Prima est, an vnio humanitatis, seu partium ipsius ad Verbum, sit ipsa humanitatis productio, & assumptio. Partem affirmantem tuentur communiter Thomistæ, vt defendant suam sententiam, quòd humanitas Christi existat per existentiam Verbi, quia non intelligitur cum existentia ante vnionem ab Verbum, sed ipsa vnione, & producitur, & fit existens existentia Verbi: sed præter Thomistas sunt nonnulli Recentiores, inter quos est Pater Bernal disp. 12. per totam, vbi latè hanc sententiam defendit, tum quia in accidentibus quæ pendent ex alio, eadem actione educuntur, & producitur inhærentia: tum etiam, quia in formis quæ educuntur ex potentia materiæ, vna & eademmet actio est eductiua, & vnitiua: tum præterea, quia substantia creata, quæ est vltimum complementum naturæ, eadem actione fit, & producitur, quia producitur ipsa natura: tum denique, quia hac sententia aperitur via ad veram maternitatem Dei in beata Virgine defendendam.

51. Sed quidquid sit de quæstionibus illis philosophicis, quas non vacat modò examinare, verius existimo cum communi sententia, distinctas esse in re ipsa actiones illas qua anima Christi creatur, & qua vnitur hypostaticè Verbo. Probatur *primò*, D. Thom. ex D. Thom. quæst. 4. art. 2. dicente, *quòd id quod assumitur, debet præintelligi assumptioni; sicut quod mouetur localiter, præintelligitur motui*, & in 3. dist. 5. quæst. 3. art. 1. ad 2. ait, *quod assumitur præexistere assumptioni, non tempore, sed natura*, & quæst. 6. art. 3. dicit, *animam Christi eodem modo, & eodem genere actionis esse creatam, quo alia anima rationales.* Ex quibus verbis sic formatur ratio, quia effectio animæ Christi est vera creatio eiusdem rationis specificæ, cum productione cuiusuis alterius animæ rationalis: at effectio vnionis non est creatio, non enim est actio ex nihilo, sed ex præsupposito subiecto, scilicet humanitate quæ vnitur; bene enim potest humanitas existens, & singularis, esse subiectum huius effectionis, quamuis non supponatur subsistens, quia per eam eò tendit, vt in alio subsistat: ergo, &c. Maior propositio præterquam quod est D. Thom. loco citato, probatur ex D. Leone epist. 11. Leo. expresse id asserente. *Natiuitas Domini secundũ carnem, quamuis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendit, non alterius tamen naturæ erat caro eius, quàm nostra, nec alio ei, quàm cæteris hominibus, anima est inspirata principio.* Idem habet D. Augustinus epist. 99. ad Euodium: *Ita*, inquit, *sibi creauit animam Dei filius, vt cæteris creat.* August.

52. Secundò probatur, quia ex contraria sententia sequitur, si anima Christi à Verbo dimitteretur, eam in rerum natura necessariò desituram esse, nisi Deus nouam actionem creandi eliceret, qua substantialiter eam produceret. Sequela est manifesta, quia si Verbum dimitteret humanitatem, necessariò periret vnio eius cum ipso Verbo: ergo si illa vnio fuit productio humanitatis, pereunte vnione, necessariò periit eiusdem substantialis productio. Ex quo vlteriùs sequitur, cùm materia corporis Christi assumpta est ad vnionẽ hypostaticam, desiisse antiquam illam actionem, qua ante vnionem hypostaticam in rerum natura ex nihilo producebatur, & quando vnita fuit hypostaticè Verbo de nouo creari, quandoquidem illa vnio secundùm sententiam quam impugnamus, non fuit distincta, sed eademmet actio creandi.

53. Denique probatur, quia prior effectio, nempe humanitatis Christi, ad ordinem naturæ pertinet: estque secundùm speciem suam naturalis, sicut & effectiones nostrarum humanitatum: at effectio vnionis cùm intrinsecè respiciat Verbum, pertinet ad supremum ordinem supernaturalium, vnionis scilicet hypostaticæ: ergo non sunt vna, sed distinctæ actiones realiter diuersæ.

54. Nec obstat Leo Papa epist. 11. ad Iulianum vbi ait: *Natura nostra non sic est assumpta, vt prius creata, Leo. post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur.* Nam tantùm voluit Pontifex, humanam Christi naturam in nullo instanti temporis fuisse antequam vniretur Verbo, contra hæreticos illius ætatis asserentes, priùs tempore extitisse, & postea à Verbo assumptam fuisse. Non tamen disputat Pontifex de actione per quam producta est humanitas Christi, & vnitur Verbo, an sit vna numero, vel multiplex.

55. Rursus non obstat, si conceptio humanitatis fuit prior, quàm vnio cum Verbo, inde sequi, Deum non esse conceptum ex Virgine, sed solam humanitatem, quandoquidem conceptio terminata fuit ad humanitatem præcisè. Hoc, inquam, non obstat, nam conceptio quamuis ordine naturæ sit prior, quàm vnio cum Verbo, tamen fuit simul tempore, quia in eodem instanti in quo humanitas concepta fuit ex Virgine, fuit etiam vnita Verbo, quod sufficit vt Deus dicatur conceptus ex Virgine. Præterquam quòd, si vera est plurium Doctorum sententia, vnio priùs natura facta est ad corpus, & ad animam, quàm ad humanitatẽ, cui etiam facta forte est immediata vnio vt infrà, vnde ex vi vnionis talis animæ ad tale corpus, necessarium fuit vt Deus fieret homo, vnione ad integram humanitatem.

56. Secunda difficultas est, an hæc vnio in ratione vnionis sit omnium maxima. Respondet S. Thom. ex parte terminorum qui vniuntur, non esse maximam, quia illa extrema non sunt in se maximè vnum, nec per vnionem fiunt maximè vnum, id est, maximè simplex. Ex parte verò eius in quo vniuntur, scilicet personalitatis Verbi, inquit, vnionem illam esse omnium maximam, quia tertium illud est maximè vnum, & simplex.

57. Denique, si loquamur in ratione doni, vnio hypostatica absolutè, & simpliciter nobilior & præstantior est omni alia vnione, & donum per eam collatum, maius est, & excellentius omnibus aliis donis creatis, & tam ratione personæ Verbi, quàm ratione illius modi hæc vnio excedit omnes alias: nam persona Verbi, & ipse Deus excellentiori modo datur in hac vnione, quàm per gratiam gratum

Digitized by Google

tum facientem, & per gloriam, & visionem beatam: quoniam illæ duæ vniones sunt accidentales, & sanctificant hominem accidentaliter, formis scilicet accidentalibus.

58. Deinde per has vniones, solùm datur Deus, aut per modum obiecti, aut per modum principij supernaturaliter efficientis, aut certè secundùm quamdam vnionem, vel præsentiam ex speciali amicitia profectam, & homo sic vnitus Deo, solum dicitur participare Deum, & esse filius eius adoptiuus: at per vnionem hypostaticam humanitas assumpta sanctificatur, & deificatur excellentiori modo, scilicet substantialiter, datur enim humanitati esse personale substantiale Filij Dei; vniunturque in Deo immediatè, tam anima, quàm corpus illius humanitatis.

59. Præterea in hac vnione ipsamet persona Verbi Dei coniungitur humanitati, illamque deificat, & terminat dependentiam eius, atque cum illa vnam personam verè, & ineffabiliter componit. Denique per hanc vnionẽ ille qui est verus homo, est verus Deus, & Filius Dei non per participationẽ, sed naturalis Filius Dei: ergo ratione personæ Verbi in ratione doni collati, hæc vnio est omnium maxima.

60. Quòd etiam ex parte illius modi, sit hæc vnio nobilior, probatur, quia quamuis ille modus vnionis in se, & in entitate sua, sit quidam modus creatus, & vt sic, vt optimè Suarez ar. 9. sect. 2. fortasse non excedit ipsam substantiam humanitatis, tamen quatenus ille modus attingit Deum ipsum in se, & illi intimè coniungit humanitatem, & facit vt ille qui est verus homo, sit verus Deus personaliter, & per essẽtiã, excedit omnia entia creata, & est in altiori ordine rerũ, quàm sit ordo naturæ, & gratię adoptionis.

61. Obiicies primò, quia videtur quòd vilio beatifica sit maius donum, quia vnio hypostatica indifferenter potest communicari creaturæ reali, & irrationali; visio verò soli rationali. Respondetur, quòd si Deus assumeret naturam irrationalem, non esset beata, quia non esset capax formalis beatitudinis, eo quòd ipsa non possit vitali modo Deum possidere, cùm sit extra limites obiecti illius; inde tamen non rectè infertur, visionem beatam esse maius donum: nam vnio hypostatica duplicem habet respectum, vnum proximum & immediatum, nempe tribuere subsistentiam; alterum remotum, nempe tribuere beatitudinem, seu ius ad visionem beatificam: quoad priorem effectum, potest indifferenter communicari creaturæ reationali, & irrationali: quoad posteriorem verò, soli rationali.

62. Obiicies secundò. Melius est concipere Deum mente, quàm ventre, iuxta illud Lucæ 11. *Beatus venter qui te portauit: quinimo*, &c. ergo absolutè melius est vniri Deo per gratiam, quàm hypostaticè. Respondeo negando consequentiam, quia concipere Deum ventre, non est ipsa vnio hypostatica, sed aliqua via ordinata ad vnionem hypostaticam; & concipere Deum mente, est ipsa Dei vnio per gratiam; quare non repugnat quòd vnio hypostatica sit dignior vnione per gratiam; & tamen vnio per gratiam sit dignior, quàm concipere Deum ventre.

Luc. 11.

Sectio VII.

An Christus suam incarnationem meruerit.

63. Difficultas est, posito quòd humanitas Christi prout est terminus generationis, habuit esse prius natura, quàm sit vnita Verbo, an in illo priori naturæ meruerit suam incarnationem, vel potuerit eam mereri saltem de potentia Dei absoluta: vbi etiam hanc difficultatem pertractauimus de operibus incarnationem subsequentibus, an scilicet Christus potuerit mereri incarnationem, per opera ipsam subsequentia.

Prima conclusio. Nec anima Christi, nec eius humanitas meruit de facto incarnationem per opera quæ duratione, aut natura, incarnationem ipsam præcesserunt. Prior pars quæ pertinet ad prioritatem durationis, temporis scilicet, aut instantis realis, est de fide, qua profitemur contra Eutychem, Christi humanitatem, & animam, non prius duratione productam fuisse, quàm Verbo vnitam: ergo nec priùs duratione aliquid promeruit; ac proinde nec incarnationem per opus ipsam præcedens reali duratione. 64.

Secunda pars probatur, quia prius natura est substantiam vniri substantiæ, quàm operationes alias elicere: nam quamuis substantia propria, vel aliena, non sit præcisè necessaria ex parte principij, vt natura operari possit; tamen magis consentaneum est naturæ, quòd subsistat antequam operetur, quia subsistentia cùm sit modus substantialiter complens, & terminans naturam, est illi magis intrinseca, quàm quoduis accidens, & operatio eius: ergo prius natura fuit humanitatem Christi subsistentiæ diuinæ coniungi, quàm meritoriæ operari, cùm fuerit in eodem naturæ signo, quo debuisset propria subsistentia humanitati vniri ex ipsamet emanando. 65.

Secundò probatur, quia si in illo priori naturæ esset aliquod meritum, vel illud procederet à gratia habituali, vel ex solis viribus liberi arbitrij: non à gratia habituali, quia hæc non præcessit, sed subsequuta est vnionem hypostaticam; aliàs Christus priùs fuisset filius Dei adoptiuus, quàm naturalis: non ex libero arbitrio nudo, quia illud vt sic, non habet proportionem cum aliquo obiecto supernaturali, & multo minus ad merendum vnionem hypostaticam. 66.

Obiicies primò illud Psalm. 41. *Dilexisti iniquitatem, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Vbi nomine *vnctionis*, intelligitur vnio hypostatica quæ data fuit humanitati, propter dilectionem iustitiæ, & odium iniquitatis. Respondetur, particulam *propterea*, iuxta proprietatem sermonis Hebraici, ibi non significare causalitatem efficientem, neque meritoriam, sed solum finalem, quo pacto sensus est: ad hunc finem vnxit te Deus, vt diligeres iustitiam, & odio haberes iniquitatem. 67. Psalm. 41.

Obiicies secundò, quia Apocalypsi 3. dicitur de Christo: *Dignus est agnus qui occisus est accipere diuinitatem*, quod est mereri suam incarnationem. Respondetur, quòd accipere diuinitatem ibi, non significat vnionem hypostaticam, sed manifestationem diuinitatis, & exaltationem nominis eiusdem Christi. Vel potest etiam dici, Christum per mortem suam meruisse vnionem hypostaticam quæ facta est in resurrectione, quod est idem ac dicere, Christum per mortem suam meruisse suam resurrectionem. 68. Apoc. 3.

Secunda conclusio. Loquendo de possibili, potuit anima Christi, & humanitas eius de potentia absoluta mereri incarnationem per opera quæ ipsam præcederent reali duratione; non tamen potuit adhuc diuinitus mereri sui vnionem cum Verbo per opera quæ reali duratione non præcederent illam, præcederentque solùm natura. 69.

Prior pars eſt manifeſta, quia potuit prius duratione eſſe cum propria ſubſiſtentia, & operibus non ſolis viribus naturæ, ſed ex auxilio, vel habitu gratiæ elicitis, ac ſupernaturalibus mereri de congruo vnionem ad diuinam ſubſiſtentiam. Dixi *de congruo*, quia de condigno neutiquam poſſet. nam meritum condignum debet eſſe æquale præmio: nullum autem meritum humanitatis præcedens aſſumptionem, quantumuis procedens ex auxilio gratiæ, vel ex gratia habituali, potuit eſſe æquale præmio vnionis hypoſtaticæ.

70. Poſterior pars probari ſolet rationibus minus firmis, ſed probanda eſt hac efficaci ratione quam inſinuat Bernal diſp. 17. ſect. 1. §. 2. Quia licèt anima Chriſti prius natura producta ſit, quàm Verbo vnita, nihilominus producta fuit per actionem adeò connexam cum productione vnionis hypoſtaticæ, ac eſt connexa productio entitatis formæ leonis cum productione vnionis ipſius ad materiam: ſed inter duas illas actiones non poteſt mediare aliquid quod ſit natura prius, actione poſteriore, & poſterius priore: ergo nec inter actionem illam productiuam humanitatis, & inter aliam eiuſdem vnitiuam cum Verbo.

71. Confirmatur, quia etſi producta ſit Chriſti humanitas actione eiuſdem omnino rationis cum productione humanitatis noſtræ, prorſus independenter à productione vnionis hypoſtaticæ, adhuc ſicut poſt productionem humanitatis, id quod ſtatim eſt, & prius reliquis, eſt productio, vel germinatio propriæ ſubſiſtentiæ, itavt inter productionem ſubſtantiæ, & productionem ſubſiſtentiæ, nequeat intelligi medians actio, quæ naturæ prioritate antecedat propriæ ſubſiſtentiæ productionem: ſic productio vnionis cum Verbo, quæ ſuccedit productioni propriæ ſubſiſtentiæ, ita eſt ſtatim poſt humanitatis productionem, vt inter ambas nequeat intelligi actio, quæ priorem ſequatur vera poſterioritate naturæ, & alteram vera prioritate præcedat.

72. Obiicies, quia Angeli meruerunt gratiam habitualem per opera quæ non præceſſerunt illam reali duratione: ergo & Chriſti humanitas potuit ſic mereri gratiam vnionis, ſaltem de potentia abſoluta. Reſpondetur negando conſequentiam, quia productio Angeli non habuit connexionem explicatam cum receptione gratiæ habitualis, & ſic potuit inter illam productionem, & gratiæ receptionem intercedere actus bonus congruè meritorius infuſionis gratiæ: contrarium euenit in productione humanitatis Chriſti, quæ cùm habeat neceſſariam, & immediatam connexionem cum eiuſdem vnione ad ſubſiſtentiam, nihil poteſt inter vtramque verè mediare.

73. Tertia concluſio. Chriſtus neque meruit, neque mereri potuit ſuam incarnationem per opera ſubſequentia, etiam de potentia abſoluta, non ſolùm quoad primam illam exiſtentiam quam habet ex vi decreti primò decernentis illam, ſiue vt primò decerneretur, ſed etiam quoad incarnationis executionem per opera in intentione præuiſa. Prior pars ab omnibus recipitur ſine controuerſia, quia decretum illud, & exiſtentia incarnationis ex eo procedens, non poteſt ſupponere meritum vllum in incarnatione fundatum: nam opera incarnationem ſubſequentia, nec in duratione nec in Dei præuiſione potuerunt vt futura abſolutè, antecedere prædiſtinitionem incarnationis, ac exiſtentiam, & futuritionem eius, cùm incarnatio vt ſic, ſit cauſa exiſtentiæ, & futuritionis eorum.

Poſterior pars eſt contra Suarium diſp. 10. ſect. 4. & alios exiſtimantes, de potentia abſoluta Chriſtũ potuiſſe mereri incarnationis executionem ex meritis in intentione præuiſis, itavt Deus primò, & ante omnia Chriſti merita abſolutè præuiſa, intenderit efficaciter incarnationem, & Chriſtum; cumque ex vi eius decreti Chriſtus iam eſſet in intentione futurus, Deus deinde præuideret Chriſtum bona opera eliciturum, & propter hæc bona Chriſti opera haberet decretum exequendi incarnationem. Hoc tamen mihi non probatur, quod ſic oſtendo. Quia principium & radix merendi, non cadit ſub meritum, iuxta commune axioma Theologorum; meritum enim præſupponit radicem cuiuſlibet meriti in vniuerſum ſumpti: ſed vnio hypoſtatica, ſeu incarnatio eſt principium cuiuſlibet meriti, & opera Chriſti habent totum ſuum valorẽ ex dignitate perſonæ & ex ipſa vnione hypoſtatica: ergo neque meruit, neque potuit mereri illam, etiã per opera ſubſequentia: aliàs ſi principium meriti poſſet cadere ſub merito, vnum & idem reſpectu eiuſdem, poſſet eſſe cauſa, & effectus; atque ita prius, & poſterius, quod implicat; meritum namque comparatur ad ſuum principium tanquam ad cauſam. 74.

Quo argumento probatur homines iuſtos non mereri primam ſuam gratiam habitualem per opera ſubſequentia, quia opera illa habent valorem à tali gratia. Et eodem argumento efficaciùs oſtenditur quòd opera ſubſequentia non ſint meritoria primæ vocationis, quia vocatio eſt principiũ totius ædificij ſupernaturalis reſpectu ſubiecti in quo eſt: aliàs per opera noſtra bona ſubſequentia primam gratiam, & habentia totum ſuum valorem, ac meritum ab ea, poſſemus mereri, & re ipſa mereremur ipſam primam gratiam, & primam vocationem, quod eſt abſurdum. 75.

Obiicies, Deum potuiſſe ex æternitate præuidere ſi humanam naturam aſſumeret, in huiuſmodi natura aſſumpta futura ferè infinita bona opera: ergo potuit etiam dare vnionem hypoſtaticam propter huiuſmodi bona opera futura. Sicut Princeps poteſt dare militi equum, & arma in præmium facinorum, quæ talibus, equo, & armis miles edituras eſt; tuncque equus & arma illa erunt verè præmium per modum anticipatæ ſolutionis futuri laboris, & ſimul principium, & inſtrumentum meriti: pari modo potuit Deus velle dari humanitati vnionem hypoſtaticam more anticipatæ ſolutionis, propter meritum futurum dependens ab ea, præuiſum ordine intentionis. 76.

Reſpondetur, illam præuiſionem ſatis eſſe ad conſtituendam rationem cauſæ finalis, non verò ad conſtituendam cauſam meritoriam, quia implicat meritum præcedere radicem, & fundamentum meriti: neque exemplum illud eſt ad rem, quia vt rectè Vazquez diſp. 21. cap. 5. vel arma, & equus darentur militi abſolutè, itavt ſiue miles pugnaret, ſiue non, nequaquam eſſent repetenda, & ſic non darentur in præmium, ſed liberaliter; vel darentur ſub conditione vt pugnaret, & ſic nec etiam darentur in præmium præuiſi meriti, ſed eſſet contractus innominatus, do, vt facias; atque adeò in extremam pugnam vt in finem: imò eodem exemplo conuincitur non eſſe idem principium meriti, & præmium, quia principium meriti quod habet miles vtendo ſtrenuè conceſſis armis, eſt armorum prima donatio, ſeu commodatio facta ipſi gratis à Principe: præmium autem eſt continuata retentio armorum, ſeu poſſeſſio, & dominium eorumdem. 77.

Ex

Digitized by Google

78. Ex quo infertur, Christum non meruisse de facto continuationem, & perseverantiam in vnione hypostatica, quia qui non meretur esse alicuius formæ, neque meretur perseverantiam illius: sicut homo iustus, quia non meretur primam gratiam, ita neque perseverantiam in illa, sed non implicat potuisse Christum illam mereri, vt constat ex exemplo militis adducto.

79. Inquires, an saltem meruerit Christus vnionem partialem quæ fiebat in nutritione; sicut enim Christus dum nutriebatur, vniebat partem materiæ suæ animæ, ita etiam vniebat supposito diuino, quia totum illud quod informabat anima Christi, erat vnitum hypostaticè Verbo. Respondetur certum esse, opera Christi habuisse sufficientem valorem ad hoc merendum, an verò ad id fuerint ordinata, est omnino incertum, piè potest credi, quod docet Suarez in hoc loco, Christum meruisse istam partialem vnionem, hoc enim nihil continet absurdi.

Sectio VIII.

An sancti Patres qui antecesserunt incarnationem, eam meruerint.

80. PRima conclusio. Sancti Patres non meruerunt de condigno incarnationem, neque per potentiam Dei absolutam potuerunt eam de condigno mereri. Prior pars est communis sententia, quia meritum de condigno habet proportionem, & æqualitatem cum præmio: sed opera cuiuscumque hominis quantumuis iusti, non habet prædictam proportionem, & æqualitatem cum vnione hypostatica: ergo non sunt meritoria de condigno illius. Et eodem argumento probatur secunda pars contra Bartholom. Medinam cuius fundamentum est, quia tota ratio ob quam opera iusti procedentia ex gratia, sunt meritoria gloriæ, de condigno est, quia sunt ordinata ad illam: Deus autem potuit ordinare ad Incarnationem opera sanctorum Patrum. Hoc autem falsum est, quia ordinatio non dat valorem operi, vt est meritorium de condigno, sed requiritur quòd tale opus ab intrinseco, & ex natura rei, habeat talem valorem, & ordinatio Dei solùm requiritur ad inducendam quasi obligationem ex parte ipsius, ad reddendum præmium; atque ita hæc ordinatio tam potest reperiri in merito de congruo, quàm in merito de condigno: ergo si opera sanctorum Patrum ex se non habebant valorem secundùm æqualitatem cum præmio vnionis hypostaticæ, etiam neque ex ordinatione Dei potuerunt esse meritoria de condigno. Et ratio à priori est, quia meritum condignum habet æqualitatem in morali æstimatione cum præmio: sed merita quarumcumque purarum creaturarum sunt æstimationis simpliciter finitæ, incarnatio verò infinitæ: ergo nec diuinitus potuit cadere sub condignum meritum illorum Patrum.

81. Secunda conclusio. De facto sancti Patres non meruerunt de congruo incarnationem quoad substantiam, potuerunt tamen illam sic mereri de potentia absoluta.

Prior pars probatur. nam si sancti Patres hoc modo meruissent incarnationem, esset ex gratia saltem actuali: sed ex nulla gratia, neque ex aliquo auxilio actuali illam meruerunt, quia omnis gratia, & omne auxilium antiquis Patribus collatum, fuit ex meritis Christi: cùm autem omne meritum Christi sit ex vnione hypostatica, & incarnatione, sit consequens, vt omnis gratia data antiquis Patribus, sit tanquam ex primo principio merendi ex incarnatione ipsa: at principium meriti non cadit sub meritum, neque de congruo, neque de condigno, cùm etiam illud meritum aliquo modo sit causa eius, quod illius intuitu datur.

Secunda etiam pars constat, quia potuit Deus 82.
conferre sanctis Patribus gratiam, & auxilia, & non ex meritis Christi, quibus potuissent mereri de congruo vnionem hypostaticam; in hoc enim nulla videtur implicantia: sicut gratia collata Angelis, & primis parentibus in statu innocentiæ, non fuit ex meritis Christi; similem enim potuit Deus conferre Patribus ante præuisam incarnationem, & ex bonis actibus ex ea congruè potuit moueri ad prædestinandam incarnationem.

Tertia conclusio. Sancti Patres meruerunt de 83.
congruo aliquas circunstantias incarnationis. Probatur, quia hac ratione Abraham meruit supposito quòd Deus esset incarnandus, vt sumeret carnem ex semine suo, vt colligitur Genes. 22. *Quia obedisti* Genes. 22.
voci meæ, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Hac ratione sancti Patres meruerunt accelerationem incarnationis. Daniel. 9. cùm oraret Daniel, dixit ei Angelus: *Exaudita est oratio tua, abbreuiatæ sunt* Daniel 9.
hebdomadæ septuaginta, vltra quas non differretur Christus. Et sæpe in sacra Scriptura proponuntur desideria sanctorum Patrum, & ex eadem Scriptura constat, Deum exaudiuisse orationes illorum: *Propter miseriam*, inquit, *inopum, & gemitum pauperum* Psalm. 11.
nunc exurgam, dicit Dominus, Psalm. 11. ergo sancti Patres meruerunt de congruo accelerationem incarnationis; postulatio enim illa erat iusta, & ipsi amici Dei per gratiam: decens ergo erat exaudiri à Deo talem postulationem, & per consequens erat meritoria de congruo.

Sectio IX.

An B. Virgo meruerit esse mater Dei.

84. PRima conclusio. Beata Virgo meruit aliqua ratione esse mater Dei. Ita communiter sancti Patres. Augustinus de Natura & Gratia, cap. 36. *Concipere meruit, & parere eum, quem constat nullum* Augustin.
habuisse peccatum. Chrysostomus homil. 49. in Genes. explicans illud Lucæ 1. *Quomodo fiet istud quo-* Chrysost.
niam virum non cognosco? inquit: *Sanè propter hoc erit, quia virum non cognouit. nam si cognouisses virum, non fuisses habita digna vt huic mysterio seruires.* Hieronymus epist. 22. ad Eustochium: *Propone tibi* Hieron.
Mariam, quæ tanta extitit dignitate, vt mater Domini esse mereretur. Ambrosius lib. de Virginibus in principio. *Digna fuit ex qua filius Dei nasceretur.* Vnde de Ambros.
ea canit Ecclesia: *vt dignum filij tui habitaculum efficeretur*; & rursus: *Meruit portare Regem cæ-* Idem.
lorum, & Dominum. Si enim Abraham meruit, vt ex semine eius Christus esset nasciturus, vt prædiximus, multo magis beata Virgo promeruit maternitatem Dei. nam licèt sit longè maior dignitas maternitatis in Virgine, quàm quod ex semine Abrahæ adeò remotè descenderet Christus, tamen longè fuit maior gratia, & præstantius meritum in Deipara, quàm in Abraham: promeruit ergo beata Virgo maternitatem.

Maior difficultas est, quo genere meriti Virgo beata consecuta sit maternitatem. Suarez disp. 10. sect. 7. cum communi sententia defendit, Virginem meruisse solùm de congruo maternitatem Dei: at

de

de potentia absoluta potuisse mereri de condigno. Vazquez disp.23 cap.2.& 4. tuetur, meruisse quidem de congruo: at non potuisse mereri de condigno,adhuc de potentia absoluta Nonnulli Doctores, quos postea referam, contendunt de facto meruisse de condigno. Omitto Lorcam contendentem,nec de congruo meruisse.

86. Secunda conclusio. Negati non potest, beatam Virginem saltem de congruo meruisse dignitatem matris Dei.Probatur testimoniis adductis pro prima conclusione,& vlteriùs confirmatur. Nam per actum supernaturalem quo quis proximè se disponit ad donum aliquod supernaturale,ipsum saltem de congruo meretur: sic enim per actum contritionis,quo homo vltimo se disponit ad gratiam,de congruo meretur illam: at beata Virgo à Deo insignibus gratiæ auxiliis præuenta,se proximè disposuit per actus supernaturales dignissimè, vt filium Dei susciperet in vtero suo, vt passim docent sancti Patres præcipuè Gregorius lib.1.Regi-
Gregor. stri cap. 1. vbi ita ait: *Incomparabilibus illustrata meritis,Dei vnigenito,in quo recumberet,sacrum præparauit vterum*;ergo beata Virgo congruè saltem meruit dignitatem matris Dei. Neque obstant nonnulli Patres asserentes, dignitatem matris Dei virgini concessam esse ex gratia,non ex meritis. Nam apertè significant se agere de meritis profectis ex solo libero arbitrio.

87. Obiicies ex Lorca, quia actus omnes per quos beata Virgo meruit,erant ex meritis Christi: ergo Christum supponebant; sed Christus supponebat in beata Virgine Dei maternitatem: ergo actus meritorij in Virgine supponebant maternitatem, & consequenter non illam merebantur. Minor probatur, quia esse matrem, est concurrere ad generationem Christi secundùm substantiam, atque adeò Christi existentia Dei maternitatem supponit. Huic argumento facilè respondetur ex disputatione præcedenti sect.9.vbi docuimus,qua ratione constituendus sit ordo diuinæ prædestinationis, scilicet post præuisionem peccati in quarto signo,primò fuisse Christum præuisum,vt miraculosè viuens independenter ab omni causa secunda, & deinde in signo sequenti, propter Christi meritum decreuisse Deum, vt beata Virgo mereretur esse mater Dei, & ipsum gignere: bene ergo stat Christum per actus independentes ab actione Virginis meruisse, vt illa eliceret actus quibus Christi mater esse mereretur.

88. Tertia conclusio. De potentia absoluta beata Virgo potuit mereri condignè dignitatem matris Dei. Probatur, quia actus Virginis supernaturales ex vberrima gratia procedentes, ex se habuerunt valorem sufficientem, & æqualem præmio maternitatis Dei;sed Deus potuit pacto, aut ordinatione aliqua tale præmium virgineis actibus proponere: ergo beata Virgo de potentia absoluta potuit condignè mereri maternitatem Dei.Maior ex qua tota vis pendet,probatur simul,& illustratur. Nam dignitas matris Dei præcisè, & in se spectata, sine gratiis,& priuilegiis, quæ ei congrua sunt,minoris æstimationis moralis est, quàm dignitas gratiæ,& filij adoptiui; præstantius enim est, concipere Deum mente,quàm ventre, auctore Augusti. tract. 10.in Ioann. Iusti autem per gratiam Deum mente
Matth.12. concipiunt,iuxta illud Matth.12. *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei,ipse meus frater,& soror,& mater est*.Propterea cùm mulier illa Lucæ 11. extolle-
Lucæ 11. ret dignitatem matris Dei,inquiens: *Beatus venter qui te portauit*. Subiecit Dominus: *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*. Quibus verbis sanctitatem, & gratiam, prætulit dignitati matris,vt exponit Augustinus lib. de sancta Virgine cap.3. *Beatior*, inquit, *fuit Maria percipiendo fidem,id est*, gratiam Christi, *quàm concipiendo carnem Christi*. Et ratio est, quia dignitas matris præcisè sumpta, solùm dicit influxum Virginis in carnem Christi Domini, & relationem quamdam ad Deum incarnatum, quæ ex se non repugnant cum peccato mortali: at dignitas gratiæ adoptionis ex se constituit hominem sanctum, & filium adoptiuum Dei,vt Deus est,& excludit ex natura rei peccatum mortale.

89. Obiicies primò ex Vazquez, Gratia adoptionis suapte natura solum est principium merendi gloriam,& augmentum gratiæ;ideo enim merita profecta à tali gratia dicuntur semina gloriæ, & augmenti gratiæ; sed beata Virgo solùm fuit instructa gratia adoptionis: ergo per proprios actus ex tali gratia procedentes solùm, condignè mereri potuit gloriam, & augmentum gratiæ, non verò maternitatem Dei. Probatur consequentia.nam si actus Virginis suapte natura non fuerunt condigni præmio maternitatis,nec potuerunt fieri condigni per promissionem Dei, aut ordinationem, quia hæc non addit condignitatem, & valorem actui: ergo nec de potentia absoluta potuit beata Virgo per suos actus condignè mereri maternitatem.

90. Respondetur, quòd licèt gratia adoptionis suapte natura ex lege ordinaria, solùm sit principium merendi gloriam, & augmentum gratiæ, & actus ex ea præcedentes non tendant ex sua natura ad aliud præmium; nihilominus esse potest principium merendi quodlibet aliud præmium, quod in valore non excedat actum meritorium ex gratia procedentem,si adsit promissio, vel ordinatio Dei, quæ requiritur non vt addat condignitatem,& valorem actui meritorio, sed vt eum compleat in ratione actualis, & formalis meriti. Quocirca cùm actus Virginis habuerit sufficientem condignitatem respectu maternitatis, & præterea à Deo potuerint ordinari ad maternitatem Dei, tanquam ad præmium, potuerunt proculdubio eam condignè mereri.

91. Obiicies secundò.Et si dignitas matris Dei præcisè spectata, sit minor quàm dignitas filij adoptiui Dei qua per gratiam confertur, tamen spectata moraliter, & prout includit omnia bona, quæ ex natura rei, & secundùm ordinem diuinæ sapientiæ illi congrua sunt, & quodammodo debita, longè maior dignitas est; sic enim passim docent sancti Patres Virginem ratione diuinæ maternitatis, habere quoddam ius singulare ad immensam gratiæ plenitudinem, quia decebat matrem à filio ornari & honorari:ergo actus Virginis ex gratia adoptionis profecti, non habent sufficientem proportionem,& æqualem condignitatem,cum præmio maternitatis Dei,moraliter spectatæ.

92. Respondetur negando consequentiam. nam in primis iam constat sufficientem proportionem, & condignitatem reperiri inter actus meritorios Virginis ex gratia adoptionis, & inter maternitatem Dei præcisè spectatam. Deinde maternitas hæc spectata moraliter, solùm intelligitur esse radix maioris gloriæ plenitudinis, cum qua nullam habent improportionem actus Virginis qui præstantissimi erant, tum ex maxima intensione, tum ex vberrimo gratiæ auxilio.

93. Quarta conclusio. Valde probabile est, beatam Virginem de facto meruisse de condigno maternitatem

tatem Dei. Ita Gabriel in 3. dist. 4. quæst. 1. art. 3. dub. 3. Almain quæst. 1. dub. 3. Abulensis Paradoxa 1. cap. 34. & 38. Cabrera art. 11. disp. 6. iudicat probabile, & pium, & subdit, immeritò, & sine fundamento ab aliquibus erroris, ac temeritatis insimulari. Suarez citatus ait, non esse dignum vlla nota, nec alienum à modo loquendi sanctorum Patrum. Bernal nouissimè eam defendit disput. 17. sect. 4. §. 3.

94. Et probatur primò auctoritate Patrum, quorum testimonia suprà dedimus, sed signatissimè exponendus est locus D. Bernardini Senensis tom. 4. serm. 5. cap. 3. asserentis, beatam Virginem in conceptionis filij Dei consensu, plus meruisse, quàm omnes creaturæ, tam Angeli, quàm homines in cunctis actionibus. Accipe eius verba. *Plus meruit gloriosa Virgo in vno suo consensu, scilicet conceptionis filij Dei, quàm omnes creaturæ, siue Angeli, & homines, in cunctis suis actibus, motibus, & cogitationibus, & omnes qui meruerunt nihil amplius potuerunt mereri, nisi secundùm diuersos status, & gradus, gloriam fœlicitatis æternæ: hæc autem Virgo in illo glorioso consensu, meruit extinctionem fomitis, primatum orbis, dominium mundi super omnes creaturas, sceptrum regni, plenitudinem omnium gratiarum, omnium virtutum, omnium donorum, omnium beatitudinum, omnium fructuum spiritus, omnium scientiarum, maximè Theologiæ, interpretationis sermonum, discretionis spirituũ, operationis virtutum, gratiæ sanitatum, meruit fœcunditatem in Virginitate, maternitatem filij Dei.* Idem repetit tom. 3. serm. 6. de extraordinariis in explicatione secundæ flammæ amoris diuini. Vbi ait. *Et nota, quòd si omnes creaturæ Angelicæ, & humanæ, colligerent suum velle insimul in vna voluntate, non haberent tantam vnionem cum Deo, quantam habet beata Virgo Maria sola, quia solus eius consensus, & voluntas, & fecit ipsam fieri matrem Dei.* quæ verba de merito de condigno sine dubio loquuntur, præsertim priora, & non videntur alia ratione esse vera, nisi quia beata Virgo illo consensu condignè meruit dignitatem matris Dei, quæ exposcit maiorem gratiam, & donorum plenitudinem, quàm Angeli, & homines, cunctis suis actibus promeriti sunt.

95. Et hinc oritur præcipua ratio nostræ conclusionis. nam actus obedientiæ, & humilitatis eximius, quo beatissima Virgo consensit conceptioni filij Dei: *Ecce ancilla Domini fiat mihi secundùm Verbum tuum*, habuit omnes conditiones necessarias ad meritum de condigno. nam non defuit illi sufficiens valor, vt ex prædictis constat, neque defuit ordinatio Dei, atque acceptatio ad tale præmium. quod inde colligo. nam Deus in veteri Testamento promiserat Virgini maternitatem Dei. Isai. 7. Isai. 7. & 11. *Ecce virgo concipiet*, & cap. 11. *Egredietur virga de radice Iesse. & flos de radice eius ascendet*; at voluntatem Dei, & ordinationem fuisse, non conferre dignitatem matris, nisi dependenter ab aliquo actu, quo se virgo ad illam disponeret, reuelauit Angelus, qui annuntians, & offerens conceptionem filij Dei, postulauit consensum à Virgine, vt Verbum in eius vtero conciperetur: admonuit item Virginem eius consensum à Deo expectari; sed iste consensus fuit ad id exhibitus à virgine: ergo sicut priùs à Deo fuerat requisitus & spectatus, & postea fuit acceptatus; ita verè fuit ordinatus ad conceptionem, & maternitatem Christi Virgini oblatam.

96. Obiicies hinc sequi, Abrahamum de condigno meruisse circunstantiam incarnationis, vt scilicet Deus ex genere suo carnem sumeret, quia voluntas illa immolandi filium suum habuit sufficientem valorem, & videtur à Deo promissione sua ad id præmium ordinata. Genes. 22. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes: quia obedisti voci meæ.* Genes. 22. Sequitur etiam, diuum Petrum de condigno meruisse summum Ecclesiæ Pontificatum. Nam Christus Dominus collaturus hanc dignitatem, ter interrogans; *Simon Ioannis diligis me*, voluit vt exercitatione actuum amoris se disponeret, ad eam dignitatem accipiendam, quod nullus concedet.

Respondetur neutrum sequi: non primum. nam 97
Deus promissione sua non proposuerat priùs Abrahamo, tanquam præmium illam circunstantiam incarnationis sub conditione operis illius, sed opus ipsum, seu voluntatem iam ostensam, acceptauit ad præmium, vt satis constat ex contextu in quo benedictio, & promissio exhibita est à Deo, post obedientiam iam præstitam: quando autem promissio, vel acceptatio, posterior est opere, nihil illi confert ad morales effectus meriti, quia tunc respicit opus iam factum, veluti obiectum, & ideo illud nec physicè, nec moraliter immutat, sed quale inuenit, tale acceptat. Præterea non sequitur secundum, ob eamdem rationem, non enim Christus promisit, aut proposuit prius Petro in præmium Pontificatum, si exerceret actus amoris, sed post actus amoris elicitos, simpliciter illi contulit eam dignitatem. At Angelus Virgini annunciauit, & ex parte Dei obtulit conceptionem, & maternitatem Christi, si ipsa præberet consensum, quem Deus expectauit, vt mysterium perficeret, & hoc satis colligitur ex contextu euangelico, & sanctorum Patrum interpretatione, qui sæpe tradunt Incarnationem, & conceptionem Dei peractam, & consequenter maternitatem Dei virgini collatam, dependenter ab illo consensu, & verbo ipsius: *fiat mihi secundùm verbum tuum.* Itaque non obscurè apparet, præcepisse ordinationem, aut pactum Dei saltem implicitum, conferendi maternitatem Dei Virgini dependenter ab ipsius dispositione, & consensu; atque adeò per eum actum tantam dignitatem condignè promeruit. Et sanè hoc saltem probabile est, & in magnam Virginis excellentiam cedit.

Tandem notare oportet, beatam Virginem per 98.
actum prædicti consensus, meruisse condignè maternitatem Dei, non tantùm præcisè, sed etiam moraliter spectatam, meruit enim illam tanquam principium, & radicem cui ex decentia debita erat immensæ gratiæ, & gloriæ plenitudo, iuxta intensionem, & cæteras circunstantias actus meritorij. Nam cùm maternitas Dei sit principium, & radix gratiæ, vt explicatum est, non est cur negemus actum qui illam meruit condignè, simul meruisse illud gratiæ augmentum sibi correspondens. At verò cæteram omnem gratiæ plenitudinem non simul per se, ac formaliter, sed tantùm in radice, & consequenter, id est, quatenus meruit maternitatem Dei, cui debebatur illa gratiæ plenitudo, per varios actus, debito modo comparanda.

***

DISPVTATIO III.

De persona assumente.

SECTIO I.

An persona creata possit terminare alienam naturam.

1. VPPONO quòd de facto nulla vnquam persona hypostaticè terminauit alienam naturam substantialem, nec potest naturaliter eam terminare. nam vnaquæque persona creata naturaliter postulat vnam tantùm naturam terminare: vnde falsò ab aliquibus dictum est, quando Angeli apparuerunt hominibus in corporibus assumptis, apparuisse vnita hypostaticè, quia illa corpora, vel solùm erant apparentia, vel si erant vera corpora, Angelus erat vnitus illis accidentaliter, sicut natura naui, vel sicut motor mouibili, eo modo quo intelligentia vnitur cœlo, atque ita operationes quas videbantur vitaliter exercere, non erant verè vitales. Nec minus falsum est quod ab aliis dicitur, Antichristum futurum diabolum incarnatum, quia secundùm fidem catholicam futurus est purus homo. Eodem modo erroneum est, sanctos viros, atque Prophetas qui in Scripturis dicuntur Angeli, fuisse incarnatos; non enim dicuntur Angeli per naturam, sed per officium, qua ratione Ioannes Baptista dicitur Angelus, quia vitam agebat Angelicam.

2. Suppono secundò. Cùm in natura aliena assumpta sint duo, scilicet actio qua natura trahitur ad esse in alieno supposito, & rursus terminatio talis naturæ, certum esse actionem illam non posse fieri à persona creata; sed solùm debere fieri virtute diuina, quia in natura creata non est potentia passiua naturalis, vt assumatur, sed obedientialis tantùm: ac proinde non est aliqua virtus actiua naturalis ad assumendum, & ideo sola virtus diuina id potest præstare, respectu cuius est potentia obedientialis. Difficultas ergo solùm procedit de terminatione naturæ alienæ à persona creata virtute diuina, & potest esse duplex sensus, alter an persona creata possit alienam naturam assumere: alter verò an possit terminare. nam assumere plus denotat, quàm terminare, significat enim non solùm actum terminandi alienam naturam, sed etiam actionem personæ vnientis sibi alienam naturam: terminare verò solùm denotat actum suppositandi illam, licèt alius efficiat vnionem. Itaque soli diuinæ personæ conuenit assumere alienam naturam, si Verbum assumere dicat efficientiam causæ principalis. Tota ergo difficultas manet circa solum terminare, an possit conuenire personæ creatæ.

3. Suppono tertiò. Probabile esse creaturam aliquam posse vt instrumentum eleuati ad efficiendam vnionem naturæ humanæ cum Verbo, neque in hoc apparet manifesta repugnantia. nam quòd aliqui dicunt hoc implicare, sicut implicat quòd creatura sit instrumentum creationis, non conuincit: tum, quia ista actio assumptionis, non est creatio: tum etiam, quia non est certum creaturam non posse assumi, vt instrumentum ad creandum. Sed neque conuincit quod alij asserunt id implicare, quia creatura haberet potestatem supra diuinum Verbum. Non enim est incóueniens quòd creatura vt instrumentum Dei haberet potestatem vniendi naturam creatam Verbo: sicut Sacerdos habet ministerialem potestatem supra corpus Christi, quod est vnitum hypostaticè Verbo, & potest illud ponere sub speciebus panis, & vini.

Conclusio est affirmatiua. Non implicat personam creatam virtute diuina terminare alienam naturam sibi hypostaticè vnitam. hæc est contra Suarium disp. 13. sect. 4. Vazquium disp. 25. cap. 3. & 4. Lugum disp. 11. & alios Recentiores, illam tamen defendunt Scotus dist. 1. quæst. 4. Becanus cap. 4. quæs. 5. Meratius disp. 17. sect. 3. Bernal disp. 24. sect. 3. Præpositus q. 3. art. 1. dub. vnico. Et ratio est, quia non est negandum diuinæ omnipotentiæ, nisi quòd manifestam inuoluit repugnantiam; sed nulla potest assignari implicantia ob quam persona creata possit terminare alienam naturam sibi vnitam hypostaticè, vt patebit ex solutionibus argumentorum: ergo. Minor probatur, quia neque hoc repugnat ex parte personæ creatæ, neque ex parte naturæ assumptæ. Primum probo, quia quælibet persona habet vim terminandi: ergo ex hoc capite non repugnat. Dices repugnare, quia ad id requiritur vis infinita. Contrà, quia actualis terminatio nou est infinita: ergo ad id non requiritur vis infinita. Secundum ostendo, quia quælibet natura per virtutem Dei potest separari à propria subsistentia: ergo poterit Deus vnire talem naturam cum persona creata aliena, non minus, quàm cum increata persona Verbi. Patet consequentia, quia persona increata Verbi, magis distat à compositione, & vnione, quàm quælibet natura creata. 4.

Obiicies primò, quia quælibet creata subsistentia adæquatè respondet suæ propriæ naturæ; ergo non potest vllam aliam terminare. Respondetur negando consequentiam, quia etiam subsistentia diuina adæquatè respondet diuinæ naturæ, & quælibet forma creata materiæ quam informat, & corpus loco quo circunscribitur, & tamen hæc adæquatio non impedit, vt diuina subsistentia possit terminare plures naturas, & vna forma plures materias, & vnum corpus per diuinam potentiam esse in pluribus locis. 5.

Obiicies secundò, si persona creata posset terminare duas naturas, posset tres, & etiam plures, ac per consequens infinitas: cùm ergo ad terminandum infinitas requiratur virtus infinita, sequitur, id non posse conuenire personæ creatæ. Respondetur, ad id non indigere noua virtute sibi intrinseca, sed sufficere virtutem extrinsecam agentis infiniti operantis supra naturalem exigentiam substantiæ creatæ. nam terminare non procedit actiuè à re quæ dicitur terminare, & ideò licèt subsistentia naturaliter solum postulet vnicam naturam terminare, tamen supernaturaliter poterit plures, imò infinitas, absque vllo superaddito: sicut materia prima secundùm eamdem entitatem, & perfectionem qua terminat vnam formam substantialem, potest informari, & terminare plures, & plures vsque in infinitum. 6.

Obiicies tertiò, ex Suario, quia personalitas creata est modus naturæ creatæ indistinctus realiter ab illa: modus autem vnius rei non potest esse terminus alterius, sicut figura vnius corporis, non potest esse terminus alterius, & sessio ita est modus sedentis, vt non possit esse modus alterius rei. Respondetur, ex indistinctione personalitatis creatæ à propria natura, non rectè inferri impossibilitas ad terminandum naturam alienam. nam personalitas diuina non distinguitur realiter à sua 7.

natura,

natura & tamen terminat naturam alienam: figura autem, & sessio vt tribuant denominationem cùm sint accidentia, necesse est vt insint rei quam denominant, eamque modificent: hoc autem non requiritur, vt subsistentia respectu alicuius obeat munus terminandi, bene enim potest eam terminare absque eo quòd eam modificet, quia modus eius non est, vt patet, in subsistentia diuina.

8. Obiicies quartò, ex Vazquio, quia si posset terminare, vel hoc esset propria virtute, vel vt eleuata: non propria, vt liquet: neque vt eleuata virtute Dei, quia illa virtus cùm esset quid receptum in persona, esset accidens, ac per consequens non posset persona creata media illa virtute terminare hypostaticè naturam alienam: vnio enim hypostatica substantialis est. Respondetur, in hoc quod est assumere naturam alienam reperiri, agere, & terminare, vt suprà docuimus: ad primum requiritur virtus diuina, & potentia obedientialis: ad secundum verò nihil amplius requiritur, quàm esse suppositum, cuius virtus terminatiua est subsistentia.

Sectio II.

An Verbum terminet naturam humanam ratione alicuius absoluti, an verò solùm ratione relatiuæ proprietatis.

9. Supponendum est, quòd quamuis tota Trinitas effectiuè operata sit incarnationem, tamen solum Filium, seu Verbum assumpsisse naturam humanam, & eam terminasse, ita diffinitum est in Concilio Lateranen. III. & in Tolet. VI. & XI. Cùm enim hoc opus sit ex mera liberalitate Dei pendens, & supra exigentiam omnis naturæ creatæ, solùm potest nobis constare ex diuina reuelatione, & aliter quàm per eam nobis constat, non est affirmandum: ex diuina autem reuelatione solùm habemus personam filij esse incarnatam, Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, & cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret.* Neque nullibi fit mentio quòd Pater, & Spiritus sanctus, humanam naturam assumpserint. Ioan. 1. & 3.

10. Quamuis autem huius rei à priori nulla alia ratio possit assignari, tamen sancti Patres varias assignant congruentias, cur Filius solus, & non alia persona diuina carnem assumpserit, quas in vnum colligit Suarez disp. 12. sect. 1. *Prima* est, vt qui ab æterno erat filius Dei naturalis, fieret in tempore filius hominis, vt nos faceret filios Dei adoptiuos, ita Damasc. lib. 4. cap. 4. & Anselm. de Incarnatione Verbi cap. 4. *Secunda*, quia Verbum est exemplar, & sapientia per quam facta sunt omnia, & ideo decuit, vt per eamdem sapientiam incarnatam omnia instauratentur. Ita Damascenus citat. & August. tract. 17. in Ioannem. *Tertia*, vt naturalis filius, filios adoptiuos honoraret, & sibi faceret similes. *Quarta*, quia ad filium pertinuit Patris iniuriam vindicare, & filios adoptiuos reparare. *Quinta*, quia occasione peccati hominis, iustitia, & misericordia Dei videbantur esse discordes: illa vindictam, & hæc commiserationem postulans, iuxta illud Psalmi 84. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi*, redegit autem illas in concordiam, ita vt *iustitia & pax osculatæ sint*, sapientia Dei adinueniens modum, vt Verbi diuini incarnatione, fieret Deo superabundans satisfactio pro hominis offensa, & homini summa gratia, & misericordia; sapientia autem attribuitur filio. *Sexta*, quia homines perierant appetendo scientiam, & similitudinem Dei, ideo conueniens fuit, vt per ipsum filium, qui est sapientia, & imago Patris, à quo quodammodo fuerat sumpta occasio ruinæ, & abiectionis hominis, vt humanæ ruinæ redimerentur. *Septima*, filius est quasi persona medians inter Patrem, & Spiritum sanctum, procedit enim à Patre, & cum Patre producit Spiritum sanctum, & ideo decuit, vt esset mediator inter Deum, & homines. Hoc posito difficultas est, quid sit filio ratio formalis terminandi naturam humanam, seu id quo persona Verbi terminat naturam humanam. Psalm. 84.

Conclusio est. Ratio terminandi naturam humanam est aliquid relatiuum, ipsa scilicet personalitas filij. Hæc conclusio est adeò certa, vt sine periculo erroris negari non possit, quia videtur diffinita in Concilio Toletano VI. vbi asseritur, *& cùm tota cooperata sit Trinitas formationem suscepti hominis, solus tamen filius suscepit humanitatem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ*, id est, in eo quod proprium filij est, non quod est commune Trinitati. Idem expresè docuit D. August. Domin. 3. Aduentus: *In carne*, inquit, *sola filij proprietas.* Probatur, quia illud terminat propriè naturam humanam in Christo, quod per se subsistit in persona Verbi, cùm illud suppleat effectum subsistentiæ creatæ naturæ humanæ; sed hoc est sola proprietas relatiua filij: ergo, &c. 11.

Confirmatur, quia de fide est, solum filium esse incarnatum: ergo per id terminat naturam humanam, per quod opponitur Patri, & Spiritui sancto: sed hoc est sola filiatio. nam quamuis per spirationem actiuam opponatur Spiritui sancto, saltem radicaliter opponitur eius filiationi: ergo sola filiatio, seu proprietas relatiua terminat naturam humanam. Denique, quia si filius per aliquid absolutum, quod sit commune toti Trinitati, terminaret naturam humanam, omnes personæ diuinæ dicerentur eam assumpsisse, seu esse incarnatæ quod est contra fidem, cùm absoluta in Deo sint communia tribus personis. 12.

Sectio III.

An abstractis per intellectum proprietatibus relatiuis, possit diuina natura, naturam humanam terminare.

Conclusio est negatiua. Probatur, quia si hoc fieri posset, ideo esset, vel quia natura diuina per se ipsam immediatè, vel per suam existentiam posset hoc præstare, vel ratione indiuidui deitatis, vel subsistentiæ absolutæ, quæ à Doctoribus contrariæ sententiæ admittitur intra diuinam essentiam: nihil autem ex his potest naturam humanam terminare, & ostendo singula. Et in primis quòd diuina natura per se ipsam non possit. nam quando duæ naturæ secundùm se præcisè spectatæ vniuntur inter se, tunc non potest resultare, nisi vna totalis natura, seu essentia: sicut ex corpore, & anima resultat humanitas, seu totalis natura hominis: sed est impossibile ex diuina natura, & humana conflari vnam naturam totalem: ergo etiam est impossibile, diuinã, & humanam naturam substãtialiter inter se vniri. Minor patet ex dictis suprà disputatione præcedéti cõtra Eutychem. vbi probauimus secundùm fidem Catholicam, in Christo nõ esse 13.

vnam naturam compoſitam ex diuina, & humana.

14. Secundum verò, quòd non poſſit per ſuam exiſtentiam, eadem ratione probatur, quia exiſtẽtia in Deo nihil aliud eſt, quàm ipſa natura, & eſſentia; cùm ergo natura nõ poſſit ſubſtantialiter vniri humanitati, cõſequens eſt, quòd nec poſſit exiſtentia.

Tertium etiam oſtenditur, quia indiuiduum, ſeu concretum Deitatis formaliter ſignificat Deitatem, materialiter verò, ſeu connotatiuè ſignificat perſonam vagè, indiffinitè, & indeterminatè, non autem certam, & diffinitam: quod autem incertum eſt, & indiffinitum, non poteſt producere certum, & diffinitum effectum: ergo neque iſtam terminationem particularem attingere poteſt indiuiduum deitatis.

15. Denique neque ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ communi tribus perſonis, quia talis ſubſiſtentia in Deo non datur, vt oſtendimus in tractatu *de Trinitate*. Imò quamuis admittamus in Deo ſubſiſtẽtiam abſolutam præter tres relatiuas, non ideo diuina natura poſſet terminare dependentiam naturæ humanæ, ſeclusis proprietatibus relatiuis. Et ratio quę mihi magis efficax videtur, eſt huiuſmodi, quia nulla perfectio Dei abſoluta, poteſt vniri ſubſtantialiter creaturæ, ſeu ei communicari: quòd ſi hæc ſubſiſtentia poſſet, profectò omnes perfectiones Dei abſolutè poſſent naturam creatam terminare, & creaturæ communicari, cùm omnes ſint æquè perfectæ, & non ſit maior ratio vnius, quàm alterius. Maiorem propoſitionem probo, quia ſubſtantialis vnio inter humanitatem, & illud eſſe diuinum, non eſſet compoſitio ex materia, & forma, ſiue ex partialibus naturis vnam totalem componentibus, vt per ſe liquet, neque eſſe poſſet forma, nec materia, nec pars, neque eſſet vnio continuatiua, quia partes non eſſent eiuſdem rationis: ergo nulla compoſitio, vel vnio eſſet, quia non poteſt excogitari vlla alia, nec exprimi, quem effectum humanitas ex illo eſſe diuino, ſeu abſoluta Dei perfectione, reciperet.

16. Obiicies, diuina natura, ſeclusis proprietatibus relatiuis, eſt infinitè perfecta: ergo poteſt ſupplere officium ſubſiſtentiæ creatæ. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ad terminandam humanam naturam non ſufficit perfectio terminantis, ſed neceſſariò eſt vnio, & incommunicabilitas: natura autem diuina ſeclusis perſonalitatibus, nec poteſt vniri naturæ humanæ, nec cum ea conſtituere perſonam incommunicabilem.

Sectio IV.

An plures perſonæ ſimul poſſint aſſumere eamdem numero naturam, vel vna perſona plures naturas.

17 Concluſio eſt affirmatiua. Tres perſonæ diuinæ poſſunt ſibi aſſumere, & terminare eamdem numero humanitatem, & quælibet perſona diuina poteſt terminare plures humanitates. Prior pars probatur, quia in hoc myſterio tota ratio facti, eſt voluntas facientis, & potentia: ſed poſtquam aſſumpta eſt humanitas à Verbo, manet eadem potentia in Deo, & eadem potentia obedientialis in humanitate: ergo poteſt illa humanitas terminari à Patre, & Spiritu ſancto.

18. Confirmatur, quia in ſingulis perſonis eſt conſimilis vis terminandi, nec poteſt aſſignari ratio ob quam vna perſona aſſumens obſtet, quominus alia poſſit aſſumere, & quòd natura vnita vni perſonæ, eique inexiſtens, etiam inexiſtat alicui alteri, cùm illi duo modi exiſtendi non repugnẽt inter ſe.

19. Obiicies primò, ex eo implicare, quia ſi tres perſonæ aſſumerent eamdem naturam, tunc ille homo diceretur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, & ſimiliter per communicationem idiomatum, Pater eſſet Filius, & Spiritus ſanctus, & econtra: quod maximam confuſionem argueret. Reſpondeo negando dari confuſionem idiomatum inter tres perſonas, ſi aſſumerent vnam naturam humanam, & inter perſonas diuinas non eſſet talis idiomatum confuſio, nec Pater diceretur Filius, vel econtra: omnia tamen prædicata naturæ humanæ tribuerentur cuilibet perſonæ diuinæ, ſicut etiam nunc.

20. Obiicies ſecundò, ideo non poſſe, quia ſi vna natura terminata ab vna perſona diuina, rurſus terminetur ab alia, etiam poſſet terminari à propria perſonalitate. Imò facilius, quia reſpectu ipſius dicit naturalem inclinationem. Reſpondetur negando aſſumptum, quia quando natura eſt in proprio ſuppoſito, eſt per ſe; quando verò in alieno, eſt in alio, & non per ſe: implicat autem naturam ſimul eſſe per ſe, & in alio, & ita implicat quòd ſit in proprio ſuppoſito, & in alieno: tamen poſtquam ſemel eſt in alieno, & non per ſe, non implicat quòd ſit in alio, quia in vtroque habet modum eſſendi in alio. Præterea à propria perſonalitate terminatur natura intrinſecè, à perſonalitate verò diuina terminatur extrinſecè, & ſic poſſet vlteriùs terminari.

21. Obiicies tertiò, ideo non poſſe, quia ſicut vnus, & idem effectus, non poteſt eſſe dependens à duabus cauſis totalibus eiuſdem generis, & ordinis; ſic natura humana terminata ab vna perſona diuina, vt à cauſa totali, non poteſt terminari ab alia diuina perſona; cùm quælibet illarum ſit totalis in terminando. Reſpondetur, magnam eſſe differentiam inter cauſam efficientem reſpectu ſui effectus, & inter terminum huius aſſumptionis. nam ſi tres cauſæ totales efficerent eumdem effectum, darent illi idem eſſe, & ideo propriè eſſet idem effectus à pluribus cauſis: at ſi eadem humanitas terminaretur à tribus perſonis, communicarent eidem humanitati tria eſſe, ſeu tres ſubſiſtentias relatiuas, mediis tribus vnionibus diſtinctis; quare licèt natura aſſumpta eſſet vna, tamen proprius effectus aſſumptionis, & dependentiæ quæ inde oritur, ſcilicet in vnione & ſubſiſtentia, non eſſet vnus, ſed multiplex; eſſent enim tres vniones diuerſæ, quarum vnaquæque à ſuo termino penderet. Et ratio eſt. nam vnio ad vnam perſonam, non penderet ab vnione ad aliam, & vnaquæque earum in Chriſto, penderet à ſuo termino.

22. Denique obiicies, natura humana non ſolùm terminatur ſufficienter vnica perſonalitate, ſicut ordo materiæ vnica forma, & ſicut graue ad vnum centrum, ſed magis perfectè terminatur illa, quàm aliena: dum tamen materia eſt ſub vna forma, non poteſt informari ab alia, & dũ graue eſt in ſuo centro, non poteſt terminari ad aliud: ergo dum eſt in aliena, quæ ſupplet vicem perſonalitatis propriæ, non poteſt vlterius terminari: ex finitate igitur naturæ humanæ prouenit, quòd non poſſit pluribus perſonalitatibus perſonari. nam ſemel perſonata, nihil eſt quod alia perſonalitas poſſit perſonare.

23. Reſpondetur, quòd cùm natura humana ſit capax triplicis modi vnionis diuerſi, cùm habet vnum modum, non manet expleta ſecundùm extenſionem capacitatis illius; verum eſt quòd manet intenſiuè contenta, & ſufficienter ſuſtentatur illa perſonalitate: quòd autem valeat terminari ab

alia

alia ſecundùm extenſionem, non prouenit ex indigentia, ſed ex capacitate naturæ humanæ.

24. Inquires, an in eo caſu, ſi tres perſonæ diuinæ aſſumerent vnam numero naturam humanam, eſſent vnus homo, vel plures. Reſpondetur, eſſe dicendum vnum hominem, & non plures, ad quod probandum inexpugnabile redditur fundamentum deſumptum ex Athanaſio in ſymbolo fidei: Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus eſt Deus: *non tamen ſunt tres Dij, ſed vnus eſt Deus*; ſi ergo tres perſonæ ſunt vnus Deus: ergo eſt vna numero Deitas in tribus, cur non etiam eſſet vnus homo de facto, ſi eſſet vna numero humanitas in tribus perſonis.

25. Confirmatur, quia Pater & filius ſunt vnus ſpirator, propter vnam virtutem ſpiratiuam, & tres diuinæ perſonæ dicuntur vnus creator, propter eamdem virtutem creatiuam. Denique ad vnitatem nominis ſubſtantiui ſufficit vnitas formæ, vt ait D. Thom. 1. p. q. 34. Quia terminus ſubſtantiuus formaliter ſignificat formam, & naturam, vt in habente illam: ergo vt ſimpliciter dicantur vnus homo, ſufficit vnitas naturæ humanæ.

26. Secunda pars concluſionis, videlicet quòd vna perſona diuina poſſit aſſumere plures naturas humanas, eſt communis inter Doctores, & probatur, quia virtus ad aſſumendum in perſona diuina eſt infinita. nam ſi aſſumptio ſumatur vt eſt actio, eſt infinita virtus ad aſſumendum, quæ eſt eſſentia: ſi verò aſſumatur aſſumptio vt eſt terminatio, eſt infinita virtus ad terminandum, quia eſt in qualibet diuina perſona ſubſiſtentia propria: ergo non finitur per vnam naturam aſſumptam; ac proinde poteſt plures naturas terminare.

27. Et ſi dicas, virtus generatiua in Deo eſt infinita, & tamen terminatur ad vnum genitum, ſcilicet filium. Reſpondeo, quòd ſicut virtus generatiua in Deo eſt infinita, ita filius genitus eſt infinitus, & ideo terminatur ad vnum: tamen natura creata aſſumpta eſt finita, & ita potentia infinita ad aſſumendum non terminatur per vnam naturam aſſumptam.

28. Et ſi inſtes, perſonalitas diuina terminat naturam infinitam, ſcilicet deitatem: ergo non poteſt vlteriùs terminare. Reſpondeo negando conſequentiam. nam aliud eſt terminare intrinſecè ad intra, & aliud terminare extrinſecè ad extra. Primo modo non poteſt aliud terminare, quàm diuinam naturam. Secundo verò modo poterit, ſicut potentia productiua non poteſt iam aliquid aliud ad intra producere, bene tamen ad extrà: cùm ergo natura aſſumpta ſit finita, adhuc poterit perſona diuina terminans illam, terminare aliam.

29. Vnde infero, in eo caſu quòd vna perſona diuina aſſumeret plures humanitates, non eſſe plures, ſed vnum hominé. Rationem reddit D. Thom. in reſponſione ad ſecundum, quia vnitas nominis concreti ſubſtantiui, conſiſtit in eſſe formali naturæ ſignificatæ per illud: multiplicatio tamen illius, requirit multiplicationem, tum formæ per illud nomen ſignificatæ, tum ſuppoſiti, ſeu perſonæ. nam ſi ſola perſona multiplicetur, non verò natura nomine illo concreto primatio ſignificata, non multiplicabitur nomen illud: in caſu autem propoſito eſt vnicum ſuppoſitum: ergo vnus dumtaxat homo. ſicut Chriſtus ſimpliciter dicitur vnus, & vnicum ſuppoſitum, quamuis plures in eo naturæ inueniantur: ita non obſtante pluralitate naturarum humanarum, dicendum eſt, eſſe vnum hominem, propter vnitatem ſuppoſiti.

Lud. à Caſſanguſta Tom. poſter.

DISPVTATIO IV.

De humanitate aſſumpta.

SECTIO I.

An qualibet natura poſſit aſſumi.

PRIMA concluſio. Quælibet natura ſubſtantialis rationis compos poteſt aſſumi à diuina perſona: de humana, fide conſtat. De Angelica, probatur ex Paulo ad Hebræos 2. vbi vt ſingularem Dei erga homines charitatem oſtenderet, dixit: *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Quem locum de apprehenſione per vnionem hypoſtaticam communiter intelligunt Patres: atqui ſi natura Angelica non eſſet aſſumptibilis, ſatis incongrua eſſet Pauli argumentatio. Et confirmatur, quia natura Angelica æquè diſtinguitur à ſubſiſtentia, ac natura humana: ergo, &c. 1. Hebr. 2.

Secunda concluſio. Quælibet natura ſubſtantialis, etiam rationis & ſenſus incapax, eſt aſſumptibilis à Deo. Probatur, quia in hoc myſterio tota ratio facti eſt potentia facientis: ergo ex parte Dei non implicat aſſumere quamcumque naturam ſubſtantialem; nec etiam repugnat ex parte naturæ irrationalis, quia ſi natura rationalis poteſt priuari ſuo termino intrinſeco, & terminari aliena ſubſiſtentia, cur non poterit naturæ irrationalis. Nec obſtat, quia natura irrationalis non eſt capax gratiæ, nec ſanctitatis; ac proinde nec vnionis hypoſtaticæ. Nam eodem argumento probari poſſet, corpus Chriſti in triduo non fuiſſe capax vnionis hypoſtaticæ, cùm non ſit capax illius ſanctificationis de qua loquitur argumentum: itaque in eo caſu, illa natura non eſſet capax veræ iuſtitiæ, & ſanctitatis, ac proinde non denominaretur formaliter ſancta, & iuſta; eſſet tamen ſancta ea ſanctitate, qua res etiam inanimatæ quæ peculiari quodam modo ſunt Dei, vt quod in eius cultum ſint conſecratæ, ſanctæ dicuntur. 2.

Tertia concluſio. Poteſt etiam Deus aſſumere quamlibet partem ſubſtantialem, ſiue vnitam cum alia, ſiue ſeparatam. Probatur, quia licèt concedamus cum Suario formam ſubſtantialem materialem in materia exiſtentem, nullam habere propriam ſubſiſtentiam, adhuc partialem; hoc tamen non obſtat, quo minus ſeparata à materia exiſtens, ſicut diuina potentia exiſtere poteſt, à Verbo diuino aſſumptibilis ſit, & eius ſubſiſtentia terminetur: vt patet in anima rationali, quamuis reperiatur aliquod diſcrimen, quòd modus ſubſiſtendi per ſe debitus eſt animæ rationali, aliis verò formis ſubſtantialibus non eſt debitus. Et idem dicendum cenſeo cùm vnita materiæ eſt, non enim repugnant, nec ſunt incompoſſibiles duo modi exiſtendi in alio, vnus vt in ſubiecto ſuſtentante, ſeu vt in ſubiecto informationis, alter verò vt in ſuppoſito terminante. In eo tamen euentu, Verbum non denominaretur anima, aut materia, &c. quia quælibet illarum partium nequit ſimul cum aliis, neque vt ſeparata, denominare, ſolum enim Verbum denominatur à natura totali. 3.

Quarta concluſio. Licèt verum ſit diuinum Verbum aſſumendo naturam humanam, aſſumpſiſſe etiam mediante illa accidentia illius, v. g. longi- 4.

tudinem, colorem, & figuram, mediante corpore; voluntatem, & intellectum, mediante anima. Probabilius tamen censeo non potuisse assumere solam naturam accidentalem sine substantiali, & quamuis difficilè sit ostendere apertam implicantiam, à posteriori tamen probari potest.

Primò, quia natura quæ assumitur hypostaticè, facit vnum per se cum persona sumente, accidens autem facit vnum per accidens.

Secundò, quia personalitas ex natura sua est terminus substantialis: ergo ex natura sua constituit compositum substantiale: ac proinde non potest immediatè terminare accidens, nec cum illo compositum constituere.

5. Tertiò, quia sicut substantia non potest alteri inhærere per modum accidentis, quia iam non esset substantia: ita accidens non potest substantialiter subsistere per modum substantiæ, quia iam non esset accidens cui essentiale est non subsistere substantialiter, sed inhærere: sicut substantiæ essentiale est esse per se, & non inhærere. Vnde licèt concedamus quantitatem in Eucharistia existere per se per modum quemdam superadditum; ille tamen modus non esset substantialis, sed accidentalis, ac proinde multum distans à subsistentia, seu personalitate, quæ necessariò est substantialis.

SECTIO II.

An natura existens in propria personalitate sit assumptibilis à Deo.

6. CONclusio est negatiua, & ferè communis inter Recentiores, & eam defendunt Vazquez disp. 33. cap. 2. Suarez disp. 14. sect. 1. &

Probatur primò ex Conciliis, & Patribus, qui ex eo quòd in Christo Domino facta est vnio hypostatica inter naturam humanam, & personam diuinam, diffiniunt, in Christo solùm esse diuinam personam, & non humanam, vnde tacitè docent, mysterium incarnationis non potuisse constare, si natura humana retinuisset propriam personalitatem, & consequenter sentiunt vnionem naturæ in persona aliena, pugnare cum propria personalitate, aliàs non rectè inferrent in Christo non dari, nisi vnam personam.

7. Et confirmatur. nam naturaliter nullo modo fieri potest, vt natura trahatur ad aliam subsistentiam, quo tamen non obstante, mysterium Incarnationis est, & dicitur possibile: ergo si Patres colligunt, humanitatem Christi caruisse propria subsistentia, eo quòd esset in persona Verbi, manifestè volunt nullo modo fieri posse, vt natura assumpta propriam retineat personalitatem. Probatur consequentia, quia aliàs non fuisset efficax contra hæreticos, discursus Conciliorum, & Patrum, qui ex vnione humanitatis cum Verbo, inferunt carentiam propriæ subsistentiæ, ac proinde Christum solum esse vnicam personam. Nam potuissent hæretici facilè respondere, Deum nouo miraculo fecisse, vt propriæ humanitatis subsistentia, simul cum subsistentia Verbi maneret, vt nihil perfectionis naturalis eidem humanitati deesset.

8. Secundò probatur, quia personalitas propria naturæ creatæ, est modus quidam existentiæ, quo natura dicitur actu esse per se: ergo vt sic, non potest assumi ad essendum in alio. Patet consequentia, quia natura creata existens in propria personalitate, per illud est inassumptibilis, cuius defectu natura illa assumptibilis est: sed non est alia ratio propter quam natura humana est assumptibilis à Verbo in illo priori naturæ, nisi quia nondum erat per se subsistens: ergo dum est subsistens in propria personalitate, est omnino inassumptibilis.

Confirmatur, quia modus existendi per se, & 9.
modus existendi in alio, omnino repugnant in eadem natura substantiali: quia vnus necessariò infert negationem alterius: sicut modus existendi in alio tanquam in subiecto inhæsionis, & existendi per se, & in se, repugnant in eadem natura accidentis: sed natura substantialis per propriam subsistentiam, tanquam per modum intrinsecum, subsistit per se, & in se: ergo nequit fieri, vt retinens hunc modum, existat, siue subsistat in alieno suppposito.

Dices, modum essendi per se, & essendi in alio, 10.
solum esse oppositos, quatenus existente vno, nequit naturaliter existere alius: sicut esse idem corpus in duobus locis. Contrà, quia esse per se, & esse in alio, non solum sunt termini oppositi in eadem natura, sed etiam sunt termini virtualiter contradicentes, quia esse per se, idem est ac esse in se, & sibi innitens, qui modus repugnantiam, & contradictionem inuoluit, cum modo non essendi in se, siue subsistendi non in se, sed in alio.

Obiicies primò, quia eadem natura potest sæpiùs poni per se, & potest etiam sæpiùs poni in alio, cum eadem natura possit assumi à pluribus personis: ergo poterit eadem natura poni per se in propria subsistentia, & in alio in subsistentia aliena. Respondetur negando consequentiam, quia illi modi nullam inuoluunt repugnantiam inter se respectu naturæ existentis in rerum natura, esse scilicet per se, & in alio disiunctiuè acceptа, vnum, vel aliud: at verò copulatiuè sumpta, manifestam inuoluit contradictionem; quare cùm natura creata propria personalitate sit per se, & cùm aliena sit in alio, ideo nullo modo potest esse simul cum propria personalitate, & cum aliena. Et hæc est ratio cur natura diuina sit simul in tribus diuinis personis, quia est cum qualibet & totis tribus simul per se; repugnaret enim diuinam naturam esse in vna persona per se, & in aliena non per se, sed in alio.

Obiicies secundò, quia eadem humanitas po- 12.
test simul à duobus diuinis suppositis assumi: ergo & retinens propriam subsistentiam potest vniri cum aliena. Respondetur naturam non accipere ab aliena subsistentia esse per se, sed esse in alio; nulla autem est repugnantia vt vna, & eadem natura, simul habeat plures modos existendi in alio: hi enim modi inter se non repugnant, cùm tamen sit repugnantia inter modum quo existit per se, & illum quo existit in alio.

SECTIO III.

An Verbum diuinum prius assumpserit humanam naturam, quàm eius partes: vel econtra.

SVpponendum est primò. Diuinum Verbum as- 13.
sumpsisse verum corpus, non phantasticum, neque imaginabile, contra Manichæos asserentes, Deum assumpsisse corpus cœleste, non terrenum; oppositum enim est de fide diffinitum in multis Conciliis

Digitized by Google

Conciliis, præcipuè in Nicæno, & Ephesino. Quod
Ioan. 1. etiam colligitur ex sacra Scriptura, Ioan. 1. *Verbum*
Luc. vlt. *caro factum est*, & Lucæ vlt. *Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Probatur etiam ratione, quia humanitas est natura constituta ex vero corpore, & anima rationali: at Verbum diuinum, vt docet fides, assumpsit veram humanitatem: ergo etiam assumpsit verum corpus, & illud carneum, & passibile, Christus enim verè passus est: ergo habuit verum corpus carneum, & passibile, quia corpora phantastica, & cœlestia impassibilia sunt.

14. Nec obstant verba Pauli 1. Corinth. 15. *Primus*
1. Cor. 15. *homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis.* Ex quibus colligunt hæretici, Deum assumpsisse corpus cœleste. Hoc, inquam, non obstat, quia primus homo dicitur terrenus, quia vitam egit terrestrem, & per peccatum docuit nos eamdem vitam agere: Christus autem dicitur homo cœlestis primò, quia agebat vitam cœlestem, & docuit nos eodem modo viuere. Secundò, quia à principio suæ Incarnationis fuit beatus secundùm animam. Tertiò, quia virtus formatiua illius corporis fuit cœlestis, quia conceptus de Spiritu sancto. Quartò denique ratione suppositi diuini, secundùm quod descendit de cœlis. Quod si primus homo fuit formatus virtute cœlesti, quia non ab alio homine, sed à Deo formatus fuit, hoc ideo factum est, quia cùm esset primus homo, non potuit esse genitus ab alio homine; ac proinde quamuis à Deo fuerit productus, tamen hoc videtur tibi debitum, in quantum erat primus: at Christus quia non erat primus, non exigebat ex hac parte fieri à solo Deo secundum corpus.

15. Supponendum secundò, Verbum diuinum as-
Luc 23. sumpsisse animam rationalem. Est de fide Lucæ 23.
Psalm. 15. *Emisit spiritum*, & Psalm. 15. *Non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* quæ verba à sanctis Patribus communiter intelliguntur de corpore, & anima Christi.

16. Supponendum tertiò, non esse dubium de prioritate temporis. nam certum est Verbum diuinum simul tempore assumpsisse totam humanitatem, & eius partes, sine vllo ordine prioris, & posterioris, quia corpus Christi formatum fuit in instanti, & in eodem instanti simul anima creata, & infusa corpori, & tam anima, quàm corpus simul vnita Verbo. Solùm ergo procedit difficultas de ordine causalitatis, qui duplex est: alter intentionis, qui est secundùm causalitatem finalem: alter verò executionis, qui est secundùm causalitatem efficientem.

17 Prima conclusio. Ordine intentionis humanitas prius natura fuit assumpta à Verbo, quàm partes. Probatur, quia assumptio totius humanitatis fuit primariò intenta, partes enim non fuerunt assumptæ propter se, sed vt naturam integram conflarent, & resultaret perfectus homo: ergo ordine intentionis humanitas prius natura fuit assumpta.

18. Secunda conclusio, etiam ordine executionis humanitas priùs fuit assumpta. Ita Vazquez disp. 37. cap. 7. & 8. & probatur, quia, vt diximus in tractatu *de Trinitate*, subsistentia propria non debetur partibus, sed toti humanitati: hæc enim est completa natura, & potens per se existere, & ideo ei datur vnica, & simplex subsistentia: ergo subsistentia Verbi pro eodem signo debuit ei dari, pro quo resultare deberet propria subsistentia, tunc scilicet quando iam intelligitur tota humanitas per modum totius, quod tunc est, & non antea, quando anima est vnita corpori.

Sectio IV.

An Verbum diuinum hypostaticè vnierit sibi sanguinem.

COnclusio est affirmatiua, & adeò certa, vt 19.
oppositum sustineri nequeat sine periculo erroris, & colligitur ex verbis Clementis V. in Extrauag. *Vnigenitus*, de Pœnitent. vbi Pontifex affirmat, *vnam guttam sanguinis sufficisse ad redemptionem totius generis humani, propter vnionem ad Verbum.*

Et probatur primò ex mysterio Eucharistiæ, vbi peracta consecratione, eodem modo Verbum est sub speciebus vini, quo sub speciebus panis; sed sub speciebus panis Verbum est propter vnionem ad corpus: ergo sub speciebus vini est propter vnionem ad sanguinem: vnde sicut negari non potest, Verbum esse immediatè vnitum corpori Christi in Sacramento, ita negari non potest quòd sit vnitum sanguini, cùm tam verificus sit sanguis Christi, sicut & caro eiusdem. Tum etiam, quia eodem modo manet in Christo qui bibit eius sanguinem, sicut qui manducat eius carnem.

Secundò probatur ratione philosophica, quia 20.
sanguis pertinet ad integritatem naturæ humanæ; sed Verbum assumpsit naturam humanam integram: ergo & sanguinem. Maior est Aristotelis sæpe asserentis, sanguinem esse partem naturæ humanæ. Imò sacra Scriptura nomine carnis, & sanguinis, non solùm corpus, sed etiam totum hominem per figuram Synecdochem intelligit. Matth. 16. *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, hoc est, ho- Matth. 16.
mo, quia nullo humano ingenio instructus, sed diuina reuelatione id didicisti. Idem expresè docuit Tridentin. sess. 13. cap. 3. vbi definitur: *In Sacramento Eucharistiæ esse quidem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.* In quibus verbis apertè dicitur, sanguis pars Christi Domini. Quòd si aliquando sanguis dicitur pars solùm potentia, vt dicitur à D. Thoma infrà quæst. 31. art. 5. vbi affirmat, dari sanguinem nutrimentalem qui non est pars actualis naturæ, sed in potentia, seu in via, intelligendum est per comparationem ad partes solidas, quarum naturam non participat actu: quod declaratur ab eodem D. Thom. in 4. distinct. 44. quæst. 1. art. 2. quæstiun. 3. exemplo elementorum, quæ simul sunt partes huius vniuersi, & sunt impotentia ad corpora mixta: ita, inquit, sanguis, & alij humores, sunt partes animalis, & in potentia, seu in via ad formam perfectam membrorum.

Obiicies primò ex Durando, quia si sanguis 21.
fuit vnitus hypostaticè Verbo: ergo in triduo separatus fuit, & in resurrectione reassumptus; ac per consequens omnino falsum, & fictitium est id quod in aliquibus Ecclesiis fidelibus ostenditur, vt vera pars sanguinis effusi: vel etiam sequitur, quòd partibus sanguinis quæ apud nos manent, vnitum sit Verbum modo, ac per consequens Christum esse alicubi, præterquam in cœlo, & in Eucharistiæ sacramento.

Digitized by Google

22. Hoc argumentum tangit illam difficultatem, an aliqua pars ſanguinis Chriſti effuſi in paſſione manſerit in terris, notanter dixi *effuſi in paſſione*, quia non loquor de ſanguine effuſo in circumciſione, aut de particula præputij tunc abſciſſa, quæ ſeruatur Romæ in Baſilica Lateranenſi. Nec tamen ex hoc ſequitur, quòd in corpore Chriſti poſt reſurrectionem deficiat aliqua particula, quia potuit illa ſuppleri ex aliis partibus materiæ eiuſdem corporis Chriſti, & particulam illam manere in terris ob deuotionem fidelium. De ſanguine ergo Chriſti in paſſione effuſo, docet D. Thom. q. 5. quòd nihil ipſius manſerit in terris, ſed totus fuit reunitus in reſurrectione. Alij oppoſitum cenſent, ſcilicet, quòd aliqua pars ſanguinis manſerit, vt oſtenditur in aliquibus Eccleſiis.

23. Dico tamen, quòd notabilis aliqua copia ſanguinis manens ſub forma ſanguinis, non manſit in terris; manſit tamen aliqua particula, non quidem ſub forma ſanguinis, qui eſt natura fluidus, & ita manſit fortaſſe in clauis, lancea, & cæteris inſtrumentis paſſionis, & hac etiam ratione verificatur, quòd oſtendatur in aliquibus Eccleſiis. Reliquus verò totus ſanguis reunitus fuit corpori Chriſti, tanquam pertinens ad integritatem naturæ. Et ideo hoc certum eſſe debet, quòd ſi quæ particulæ ſanguinis manent in terris, modò iam non habent vnionem hypoſtaticam, quia Chriſtus non eſt, niſi in cœlo, aut in Euchariſtia. Neque ex hoc ſequitur, quòd ſanguis apud nos manens, non ſit adorandus adoratione latriæ; hæc enim adoratio illi debetur *primò*, ratione vnionis præteritæ, *ſecundò* ratione contactus ad corpus Chriſti. Imò & ſanguis qui miraculosè fluit ex imagine Crucifixi, & aſſeruatur in aliquibus Eccleſiis, adorandus eſt eadem adoratione, propter repræſentationem proprij ſanguinis Chriſti. Vnde axioma illud D. Damaſceni: *quod ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*; intelligendum eſt de partibus præcipuis, non verò de eo omni quod aliquando à Verbo aſſumptum fuit, quia etiam actione naturalis caloris deperdebantur aliquæ partes ſubſtantiales, quæ quando erant in corpore, vniebantur Verbo, nunc verò minimè.

24. Obiicies ſecundò, ex hoc ſequi, cùm ſanguis non viuat, nec informetur anima rationali, vt probabilior tenet ſententia, quòd Verbum aſſumpſerit duas naturas, ſcilicet naturam humanam, & ſanguinem, qui ſuppoſito differt à natura humana: imò aſſumpſiſſe quinque naturas, quia aſſumpſit tres alios humores, vt poſtea dicemus, & ſanguinem & naturam humanam. Reſpondetur, quòd licèt ſanguis, & reliqui humores, non ſint animati, pertinent tamen ad integritatem ipſius naturæ; non ſolùm, quia vita ſine ſanguine non poteſt conſiſtere, ſed etiam quia ille eſt neceſſarius ad operationes animalium exercendas, & ideo fuit aſſumptus. Quòd ſi iterum dicas, ſi ſanguis non eſt animatus, ſequitur inde, quòd in nobis non ſuppoſitetur ſuppoſito humanæ naturæ, ac per conſequens nec in ſuppoſito diuino. Reſpondetur negando hanc conſequentiam, quia Deus voluit non ſolùm ſibi vnire naturam humanam, ſed etiam ſanguinem, cùm pertineat ad integritatem naturæ; atque ita Verbum non tantùm ſupplet vicem perſonæ propriæ reſpectu naturæ humanæ, ſed etiam reſpectu ſanguinis.

25. Tertiò obiicies, ex noſtra ſententia ſequi abſurda. nam verè dicetur Deum eſſe ſanguinem, & ſanguinem eſſe Deum per communicationem idiomatum: ſicut dicitur homo Deus, & Deus homo. Dicetur etiam Deus effuſus, quia Deus eſſet ſanguis, & ſanguis eſt effuſus. Reſpondetur negando ſequelam, quia non fit communicatio idiomatum inter ſanguinem, & Verbum, quia vnio hypoſtatica ſolùm eſt fundamentum communicationis idiomatum inter naturas integras; ſanguis autem eſt pars, & ſemper ſignificatur vt pars: ſic etiam nō dicitur Deus effuſus, quamuis dicatur ſanguis effuſus.

Dices, quamuis corpus ſignificet alteram partem compoſiti, nihilominus dicitur ſepultus per communicationem idiomatum: ergo ſimiliter quamuis ſanguis ſit pars, ſi Deus verè eſt illi vnitus, & eius ſanguis effunditur, dicetur ſimiliter effuſus; non enim videtur maior ratio cur ratione corporis dicatur ſepultus, & non effuſus ratione ſanguinis. Reſpondetur, diſcrimen eſſe in his locutionibus, quia cùm corpus ſit altera pars principalis naturæ humanæ, ideo quæ illi conueniunt ſolent tribui totiæ ſanguis eſt pars minus principalis, non informata forma totius, & ideo quæ dicuntur de ipſo ſanguine, non dicuntur de natura humana, & conſequenter neque de Deo: ſic non dicimus, homo eſt effuſus, quamuis ſanguis effundatur dicimus tamen, homo eſt ſepultus, propter ſepulturam corporis: ita pariter non dicimus Deum effuſum, bene tamen ſepultum. 26.

Ex his infertur, Verbum immediatè aſſumpſiſſe tres alios humores, nempe pituitam, choleram, & melancholiam; itemque ſpiritus vitales, & animales, quia hæc omnia pertinent ad integritatem humanæ naturæ. De dentibus, vnguibus, & capillis eſt aliqua dubitatio, verius eſt, Verbum aſſumpſiſſe dentes, & vngues, ſecundùm præcipuam ipſarum partem, ſcilicet carni digitorum adhærentem, quia dentes, & vngues, non minus animantur, quàm oſſa, & etiam pertinent ad integritatem humanæ naturæ, dempta illa parte vnguium quæ eminet, & carni non cohæret, & reſecari ſolet; hæc enim excrementitia eſt, nec ad integritatem naturæ ſpectat. De capillis quidam negant, quia non viuunt, ſed ſunt excrementa; alij affirmant, quia verè viuunt, & informantur anima, & futura ſunt in corporibus glorioſis. Denique de aliis ſubſtantiis mediis inter carnem, & ſanguinem, dicendum eſt, quòd non fuerint vnitæ hypoſtaticè, prius enim quàm cibus conuertatur in ſanguinem, conuertitur in chilum, & deinde in rorem, & has ſubſtantias medias dicimus non eſſe vnitas Verbo, quia nec pertinent ad integritatem naturæ, nec erunt in corporibus glorioſis poſt reſurrectionem. 27.

DISPVTATIO V.

De Gratia Chriſti.

SECTIO I.

An gratia habitualis fuerit in Chriſto neceſſaria ad effectum ſanctificationis.

OMNES Theologi fatentur, in Chriſto eſſe gratiam habitualem, neque eſt aliquis qui perfectionem hanc animæ Chriſti negauerit, & colligitur ex verbis illis Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, &c. plenum gratia, & veritatis*, & certè conueniens fuit, vt anima Chriſti euecta ad ſummam dignitatem 1. Ioan. 1.

Digitized by Google

dignitatem vnionis hypostaticæ, donis supernaturalibus ornaretur, quorum connaturale morale principium est gratia. Difficultas ergo est in explicando, ad quid fuerit necessaria in Christo gratia habitualis. Nonnulli affirmant, fuisse Christo necessariam, vt humanitas illius sanctificaretur, quia vnione ad Verbum, secluſa gratia sancta non esset.

2. Prima conclusio, per vnionem ad Verbum ita sanctificatur humanitas Christi, vt ad hunc effectum præstandum non indigeat gratia habituali, aut aliqua alia forma creata, ita communiter Recentiores. Et probatur, quia Ecclesia, & Patres dum loquuntur de vnctione, quæ in sacris literis Christo tribuitur, vocant vnionem hypostaticam, oleum vnctionis; sed nomine vnctionis intelligunt sanctificationem; ergo sentiũt humanitatem vnione ipsa sanctificari. Maior probatur, quia Concilium Francofordiense in epistola ad Episcopos Hispaniæ ait; *Christum non gratia, sed natura vnctum fuisse; alios verò gratia, & sanctificatione.* Eodem modo loquuntur plures Patres quos latè referunt Recentiores. legatur Nazianzenus oratio. 36. num. 34. vbi sic habet: *Christus diuinitate delibutus est; hæc enim humanitatis vnctio est.* Minor etiam constat, quia ipsimet Patres aiunt, se nomine vnctionis, sanctificationem intelligere.

Nazianz.

3. Dices, humanitatem Christi dici à Patribus vnctam diuinitate, non tanquam forma sanctificante formaliter, sed solùm causaliter, propter dona gratiæ eidem humanitati collata, quibus sanctificabatur. Contrà *primò*, quia hic modus vnctionis, & sanctificationis, communis est omnibus iustis, & non esset priuilegium singulare illius humanitatis. Contrà *secundò*, quia hoc manifestè repugnat sanctis Patribus. legatur idem Nazianzenus orat. 36. num. 93. vbi expressè asserit, *Christum dici vnctum, propter diuinitatem sanctificantem, non operatione, sicut in aliis Christis, id est, iustis hominibus euenit, sed totius vnguenti, seu diuinitatis præsentia.*

Idem.

4. Secundò probatur, quia gratia habitualis, quæ in ordine supernaturali est quædam participatio accidentalis diuinæ naturæ, constituens hominem filium Dei adoptiuum, tribuensque ei ius ad gloriam, est vera gratia, & sanctitas accidentalis; ergo gratia vnionis quæ in ordine supernaturali est formalis, & substantialis communicatio diuinæ personalitatis, & constituit filium Dei naturalem, tribuitque ius excellentissimum ad gloriam, erit propriissimè substantialis sanctitas.

5. Tertiò probatur, quia opera Christi habuerunt valorem infinitum ad satisfaciendum pro peccatis omnium hominum: hic autem valor fundari non poterat in gratia habituali quantumcumque intensa, vt suprà docuimus; ergo necessariò debemus concedere aliam gratiam, qua humanitas Christi deificaretur, & substantialiter sanctificaretur.

6. Obiicies primò, quia primarius effectus gratiæ habitualis est, reddere sanctum subiectum cui vnita est; ergo non potest non reddere sanctam humanitatem Christi; & consequenter talis humanitas non potuit reddi sancta per gratiam vnionis, quia idem effectus formalis non potest à duplici forma prouenire. Respondetur, quòd sanctificare non est formalis effectus adæquatus gratiæ habitualis, est enim hic effectus valde communis, cùm possit cõmunicari per formas specie diuersas. Adde sanctificare accidentaliter, esse proprium effectum gratiæ habitualis, non verò sanctificare substantialiter, hoc enim competit vnioni hypostaticæ.

7. Obiicies secundò, quia natura irrationalis potest assumi à Verbo, qua tamen non esset substantialiter sancta; ergo nec natura rationalis; quia forma nequit poni, quin ponatur eius effectus, aut è conuerso. Respondetur, gratiam vnionis in illo euentu, non sortiri omnem suum effectum formalem, idque ob incapacitatem naturæ irrationalis: sicut gratia habitualis non constituit Christum vt hominem, filium adoptiuum, propter incapacitatem subiecti; cùm tamen in aliis hominibus habeat hunc effectum formalem.

8. Maior difficultas est in explicando, an forma sanctificans humanitatem Christi sit Deitas, an personalitas Verbi? an verò modus vnionis? in qua re sunt tres sententiæ. Prima asserentium fuisse sanctificatam per vnionem hypostaticam. Secunda per diuinitatem ipsi vnitam. Tertia denique per diuinum suppositum.

9. Secunda conclusio, forma sanctificans animam Christi antecedenter ad gratiam habitualem, non est modus vnionis quo humanitas est vnita Verbo. Probatur, quia opera humanitatis Christi habent valorem infinitum; ergo forma qua sanctificatur Christi humanitas, debet esse infiniti ordinis; sed vnio cùm sit ens creatum, non est ordinis infiniti; ergo non est forma quæ tribuit humanitati Christi sanctitatem de qua loquimur. Confirmatur, quia sicut se habet vnio gratiæ habitualis respectu hominis, & animæ, sic vnio Verbi respectu humanitatis; sed prior illa vnio non est gratia, nec sanctitas, cùm solum sit via ad sanctitatem, & gratiam, neque propriè sanctificat; ergo neque vnio hypostatica; hæc enim solum fuit conditio coniungens personalitatem, & diuinitatem Verbi, quibus humanitas sanctificabatur.

10. Tertia conclusio; Verbi personalitas, vt virtualiter differt ab essentia diuina, sanctificat substantialiter Christi humanitatem, hæc est contra Vazquez disp. 5. cap. 5. Et probatur primò, ex D. Athanasio oratione contra Arrianos, vbi rationem vnguenti, & vngentis expressè tribuit personalitati, loquens enim in persona Christi, sic ait: *Ergo chrisma, siue vnctio, Christus, siue vnctus, est homo, qui à me assumptus est.* Athanas. Secundò probatur, quia Verbi personalitas, vt virtualiter ab essentia distincta est per se infinite sancta, vel potiùs infinita sanctitas, vtpote ab omni labe immaculata puritas; ergo vnita humanitati eam sanctificat modo infinito. Denique, quia Verbi personalitas coniuncta diuinæ naturæ, constituit Verbum Filium Dei naturalem, ac proinde non potest non esse sanctificans formaliter: sicut nec forma constituens Filium Dei adoptiuum.

11. Obiicies primò, quia si personalitas vt distincta à deitate, esset sufficiens ad sanctificandam naturam cui vnitur, etiam esset sufficiens ad sanctificandam naturam diuinam, quod est falsum: quia Verbum non est sanctum alia sanctitate, quàm essentiali, quæ communis est tribus personis: imò ipsum diuinum suppositum est, & dicitur sanctum à natura diuina; ergo non potest esse causa formalis per quam natura humana est sancta. Respondetur, Verbum diuinum esse sanctum duplici sanctitate virtualiter distincta, sanctitate quidem absoluta, quæ communis est tribus personis, & sanctitate filiationis, quæ propria est Verbi: vnde attributum sanctitatis, quod excludit omnem labem, transcendit per omnia attributa, tum absoluta, tum relatiua.

12. Quarta conclusio, etiam diuinitas vt à Verbi

perſonalitate eſt virtualiter diſtincta, ſanctificat Chriſti humanitatem. Probatur *primò* ex Patribus ſupra relatis, qui expreſsè dicunt, vnctionem humanitatis eſſe diuinitatem ſanctificantem ipſam. *Deinde*, quia deitas vt ſic, eſt ſanctitas; ergo vnita humanitati reddit illam ſanctam.

15. Obiicies primò, vnio naturæ diuinæ cum humana non poteſt facere vt alia tributa diuinæ naturæ, tribuantur naturæ humanæ, v.g. omnipotentia diuina, vnita humanitati Chriſti, non reddit illam omnipotentem; nec ſapientia per eſſentiam, reddit illam formaliter ſapientem; ergo nec ſanctitas per eſſentiam illi vnita, reddit illam formaliter ſanctam.

14. Reſpondetur, in hoc quod eſt eſſe ſanctum ex vna parte, & hoc quod eſt eſſe omnipotentem, & ſapientem ex alia, eſſe magnum diſcrimen. nam hoc quod eſt eſſe ſanctum, præter formam quæ poteſt præſtare hunc effectum, nihil aliud connotat in ſubiecto, præter rationem intellectualem: vnde ſanctitas vnita naturæ intellectuali, non poteſt non tribuere illi hunc effectum formalem; at verò eſſe omnipotentem, & ſapientem per eſſentiam, præter omnipotentiam, & ſapientiam, connotant in ſubiecto alias proprietates quæ in humanitate Chriſti non reperiuntur. nam eſſe omnipotentem connotat in ſubiecto virtutem principij vt quod, ad influendum per ipſam omnipotentiam, tanquam per principium quo, in omnes effectus poſſibiles: ſimiliter eſſe ſapientem per eſſentiam, connotat præter ipſam ſapientiam, identitatem naturæ cum ipſa: at in natura humana Chriſti neutrum horum reperitur reſpectu ſapientiæ, & omnipotentiæ diuinæ. nam neque habet virtutem principij vt quod, neque identificatur re ipſa cum illa: vnde ſanctitas per eſſentiam vnita humanitati, poteſt reddere illam formaliter ſanctam, non verò omnipotentiam omnipotentem: nec ſapientia per eſſentiam, reddit illam formaliter ſapientem.

15. Obiicies ſecundò, quia ſanctificatio animæ, non poteſt tribui niſi à forma intrinſeca, & inhærente: reddere enim ſubiectum ſanctum, eſt effectus formalis intrinſecus, ſed deitas non eſt forma intrinſeca humanitati; ergo non poteſt eſſe illi cauſa ſanctitatis. Confirmatur; quia iuſti non poſſunt dici ſancti à gratia quæ illis non ineſt: aliàs eſſent ſancti per ſolam acceptationem extrinſecam.

16. Reſpondetur, extrinſecum duobus modis accipi poſſe, *primò* pro eo quòd non eſt verè vnitum alteri, & in hoc ſenſu Deitas non eſt extrinſeca humanitati. *Secundò* pro eo quòd non immutat aliud, neque immutatur ab illo, ſiue ſit illi vnitum per veram vnionem, ſiue non, & in hoc ſenſu verum eſt, Deitatem eſſe extrinſecam humanitati: ex hoc tamen non infertur eam non poſſe ſanctificare, quia vt aliquid ſanctificet, non eſt neceſſe quod immutet naturam quam ſanctificat, ſed ſufficit quòd ſit verè illi coniuncta. Ad confirmationem, quando dicitur à Theologis, ſanctificationem non fieri per ſolam acceptationem extrinſecam, aut per imputationem iuſtitiæ extrinſecæ, extrinſecum ibi ſumitur in priori ſenſu, nempe pro illo quod non eſt vnitum: quare quando dicitur ſanctificationem debere fieri per formam intrinſecam, ſi intelligatur forma intrinſecè mutans ſubiectum, negandum eſt: ſi per ly *intrinſecam*, intelligatur forma vnita ſubiecto, concedendum eſt. Rurſus quando dicitur eſſe ſanctum, eſſe formalem effectum intrinſecum, diſtinguo, eſt effectus intrinſecus proueniens à forma intrinſeca mutante intrinſecè ſubiectum, nego: eſt effectus intrinſecus proueniens à forma intimè coiuncta ſubiecto, concedo; & hoc modo Deitas reddit ſanctam humanitatem Chriſti, ſcilicet tanquam forma verè vnita humanitati, quod ſufficit ad hoc, vt illam ſanctificet.

17. Inquires, ad quid fuit neceſſaria in Chriſto gratia habitualis. nam ſi ad effectum ſanctificationis non erat neceſſaria, eo quòd talis effectus ab ipſa Deitate proueniebat in humanitate, videtur eſſe ſuperflua. Reſpondetur non fuiſſe ſuperfluam, ſed ideo datam eſſe Chriſto, vt non ſolùm ſubſtantialiter, ſed etiam accidentaliter eſſet ſanctus, & Deo gratus; nec ſolùm per ſanctitatem perſonaliter coniunctam, ſed etiam per formam intrinſecè inhærentem.

18. Obiicies, ſanctitas per eſſentiam, qua ſanctificatur humanitas Chriſti, continet eminenter illam ſanctitatem, quam tribuit gratia habitualis; ergo non perficitur humanitas Chriſti per ſanctitatem illam creatam, quia perfectius eſt habere aliquid eminenter, quàm formaliter. Reſpondetur, quòd quamuis ſanctitas per eſſentiam contineat eminenter ſanctitatem creatam, non ideo talis ſanctitas excludenda eſt, ſicut non excluduntur à Chriſto cæteræ perfectiones creatæ; quare ſicut illæ non excluduntur, imò cenſentur perficere humanitatem Chriſti, licèt contineantur eminenter in Deitate, ita idem dicendum eſt de ſanctitate creata.

19. Obiicies ſecundò, vbi eſt forma quæ in aliquo genere magis perficit animam, non eſt neceſſaria forma, quæ intra illud genus minus perficiat illam; ergo vbi eſt ſanctitas per eſſentiam, quæ intra genus ſanctitatis magis perficit animam, non eſt neceſſaria ſanctitas quæ in eodem genere minus perficit, qualis eſt gratia habitualis. Reſpondetur negando antecedens, quia licèt in genere temperantiæ, maximè perficiat Chriſtum temperantia ſupernaturalis, non ob id remouetur à Deo temperantia acquiſita: imò hæc in Chriſto conſtituitur, tanquam neceſſaria ad illius maiorem perfectionem extenſiuam: eadem ratione licèt ſanctitas per eſſentiam in genere ſanctitatis, magis perficiat animam Chriſti, quàm ſanctitas creata, dicendum eſt, ſanctitatem creatam quæ illum in genere ſanctitatis minus perficiebat, fuiſſe neceſſariam ad maiorem perfectionem extenſiuam in eo genere: vnde anima Chriſti informata gratia habituali, & ſanctitate per eſſentiam, perfectior eſt extenſiuè, quàm ſola ſanctitate per eſſentiam, affecta.

20. Inquires, an perſonalitas, & diuinitas, humanitatem ſanctificent phyſicè, an moraliter.

Reſpondeo primò perſonalitatem phyſicè ſanctificare, quia Verbum per ſe ipſum phyſicè vnitur humanitati. Opponit Suarez, quia Verbum non phyſicè informat humanitatem; ergo non eam phyſicè ſanctificat. Conſequentiam probat. nam perſonalitas licèt ſit formaliter relatio, quia tamen phyſicè humanitatem non informat, non eam refert; ergo licèt ſit formaliter ſanctitas, quia tamen humanitatem non phyſicè informat, eam phyſicè non ſanctificabit. Reſpondetur, quòd ſicut perſonalitas poteſt vniri phyſicè, quin phyſicè informet, ita poteſt phyſicè ſanctificare quin phyſicè informet: relatio autem ſi ſubſiſtens eſt, non poteſt referre niſi perſonam, quia non poteſt referre niſi ſubiectum, quod in relatione ſubſiſtente

subsistente est persona, vel suppositum: sanctitas verò substantialis, vt physicè sanctam reddat humanitatem, & denominet, satis est si physicè vniatur; sicut hoc sufficit, vt eam denominet substantialiter terminatam.

21. Respondetur secundò, diuinitatē etiam physicè sanctificare humanitatē, quia ad hoc non requiritur vnio immediata cum diuinitate ipsa, sed sat est mediante personalitate vniri, vt conditione necessaria, quod ex eo constat, quia licèt personalitas sit etiam forma sanctificans, id per accidens est, ad hoc vt Deitas formaliter sanctificet. nam quamuis personalitas non esset forma sanctificans, adhuc diuinitas sanctificaret formaliter mediante vnione personalitatis: hæc autem vnio mediata non obstat, vt diuinitas ipsa physicè sanctificet: sicut anima physicè, & intrinsecè denominatur, intelligens per actum, qui immediatè recipitur in sola potentia intellectiua, & mediante illa in anima: ita humanitas physicè, & intrinsecè deificatur, & sanctificatur per Deitatem, mediante tamen personalitate.

Sectio II.

An gratia Christi sit infinita.

22. Gratia habitualis Christi duobus modis potest considerari, primò in entitate, & gradibus intentionis: alio verò modo in ratione gratiæ.

23. Prima conclusio, gratia Christi habitualis in ratione qualitatis, siue in entitate, & gradibus intensionis, fuit finita, ita D. Thom. in hoc loco, & est ferè communis inter scholasticos, Scotus in 3. dist. 13. q. 4. D. Bonauent. quæst. 2. & prior pars est manifesta, quia implicat aliquam creaturam in perfectione essentiali esse infinitam, cùm hoc sit proprium solius Dei.

Posterior pars probatur, quia non potest aliqua forma creata ad tantam intensionem, aut perfectionem deuenire, quòd non possit augeri à Deo de potentia absoluta. nam potentia Dei infinita est; ergo non potest forma creata esse infinita, quia infinitum augeri non potest.

24. Secundò, quia anima Christi non habet capacitatem gratiæ infinitè intensæ; ergo eius gratia non fuit infinita. Patet antecedens, quia anima Christi est creatura. Deinde si gratia Christi esset infinita, lumen etiam gloriæ esset infinitum eodem modo, quia ista proportionantur, ex quo vlteriùs sequitur, quòd visio beatifica animæ Christi esset infinita; ac per consequens comprehensiua diuinæ essentiæ.

25. Dices, quòd etiam si lumen gloriæ esset infinitum, non sequitur visionem beatificam esse infinitam, quoniam visio beatifica, non est à solo lumine, sed etiam ab intellectu creato, & finito: sicut quamuis gratia habitualis esset infinita, nihilominus meritum esset finitum. Sed contrà est, quia si non repugnat dari lumen gloriæ infinitum, neque repugnabit visionem esse infinitam adæquatam illi lumini. nam etsi pendeat visio ab intellectu, non tamen secundùm vires proprias; quare si in intellectu est capacitas luminis infiniti, eodem modo esset capacitas visionis infinitæ.

26. Dices vlteriùs, quòd etiamsi anima Christi habuisset lumen infinitum, & visionem beatificam infinitam, non sequeretur comprehendere essentiam diuinam, quia non ita perfectè cognosceret Deum, sicut ipse est cognoscibilis à se ipso, sed contrà est, quia quo interior est visio, perfectius beatus Deum intuetur: si ergo visio beatifica crescit vsque infinitum in actu, certè perfectissimè cognoscet, & adæquatè cognoscetur Deus, ac proinde comprehensiuè.

Denique probatur ratione quam adducit Vazq. disp. 46. cap. 2. quia si in anima Christi posset produci gratia infinitè intensa, posset etiam produci in anima cuiusque puri hominis, cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius: sed hoc est impossibile; ergo. Minor probatur, quia nulla creatura potest reddi ita sancta per gratiam habitualem, per quam homo vnitur Deo per affectum solum, vtpote tanquam Filius adoptiuus, vt non possit in dies amplius Deo placere, & coram Deo iustificari nouis bonis operibus: sed fieri hoc non posset, si daretur gratia infinita in intensione; ergo non potest dari in puro homine talis gratia infinitè intensa; ac proinde nec in Christo. Maior probatur, quia non potest non magis placere Deo Filius adoptiuus, qui quotidie magis, ac magis, eius obsequitur voluntati, quàm qui esset otiosus, & nihil mali faceret, quia addens quotidie noua bona opera, magis Deo placet, magisque etiam coram illo iustificatur; ergo non potest dari gratia habitualis in pura creatura quæ bonis operibus possit augeri; atquo adeò neque in illa potest dari gratia infinitè intensa, & consequenter neque in Christo. 27.

Obiicies, quia anima Christi habuit maiorem gratiam quacumque assignata; ergo infinitam. Confirmatur, quia opera Christi fuerunt infinitè meritoria; ergo gratia eius infinita. Respondetur, quòd gratia Christi fuit maior quacumque de facto assignata, & de possibili, secundùm ordinationem Dei, non tamen quacumque assignata de possibili ex potentia Dei absoluta, ad confirmationem, quòd opera Christi fuerunt infiniti valoris, non ex gratia habituali, sed ratione personæ diuinæ. 28.

29. Secunda conclusio, gratia habitualis Christi in ratione gratiæ, est infinita, ita D. Thom. in hoc loco art. 11. vbi distinguit in gratia habituali rationem qualitatis, & rationem gratiæ, eamque asserit in ratione qualitatis esse finitam, in ratione autem gratiæ esse infinitam: in qua infinitate explicanda variant Theologi, sed duobus modis potest explicari. *Primò*, quia Verbum diuinum vnitum humanitati, eleuat, & nobilitat, quidquid illi coniungitur, iuxta vniuscuiusque modum, & capacitatem: vnde quia opus bonum est meritorium, dat illi infinitum valorem in illo ordine, & quia opus pœnale est satisfactorium, dat illi infinitatem in genere satisfactorij, atque adeò, quia gratia ex se habet facere gratum, coniunctio cum Verbo tribuit illi quamdam dignitatem, & valorem, ratione cuius habet reddere quodammodo infinitè gratum.

30. Secundò potest etiam explicari hæc infinitas gratiæ habitualis Christi, in eo quòd fuerit principium operis infiniti meritorij, non tamen ita vt ratio infiniti meriti ab illa proueniat, sed ab vnione cui gratia habitualis subseruiebat: itaque gratia Christi adhuc in ratione gratiæ, præcisè, & secundùm se considerata non erat infinita, sed quatenus coniuncta cum gratia vnionis hypostaticæ cui subseruiebat, dicitur infinita in ratione gratiæ, modo exposito.

Sectio

Sectio III.

An gratia habitualis Christi potuerit augeri.

31. PRima conclusio, gratia habitualis Christi secundùm potentiam Dei absolutam augeri potuit, nec dari potest tanta gratia habitualis, qua maior à Deo produci non possit, atque adeò potest ea in infinitum augeri in intensione, ita communiter Recentiores, quia data quacumque gratia habituali in Christo, vel in quouis alio homine, non implicat contradictionem dari maiorem; ergo non implicat contradictionem, gratiam habitualem siue in Christo, siue in quouis alio homine augeri in infinitum. Antecedens probatur, quia non potest assignari ratio implicationis, neque ex parte subiecti, neque ex parte ipsius formæ; ex parte quidem formæ manifestum est, quia ex eo quod forma sit creata, non repugnat ei quod possit intendi in quocumque gradu reperiatur, modo sit finita, & limitata in intensione, quia per talem intensionem non mutatur eius natura, neque in re ipsa aliquando habet infinitam perfectionem, sed semper finitam: cùm ergo non implicet contradictionem hominem quantumcumque iustum, & sanctum, modò sit sanctus, & iustus in gradu finito, & limitato, fieri magis sanctum, nullo modo ex parte formæ hoc implicat.

32. Ex parte verò subiecti non implicare contradictionem gratiam quantumcumque intensam, probatur, quia forma quæ non implicat augeri in infinitum ex natura ipsius formæ, non potest implicare ratione subiecti, nisi sit in certo, & determinato gradu dispositio ad conseruationem subiecti, vel sit qualitas orta ex huiusmodi dispositione; sed gratia habitualis non est in certo, & determinato gradu dispositionis ad conseruationem hominis; ergo implicat eam in homine in infinitum augeri. Maior propositio declaratur exemplo. nam calor, verbi gratia, in ligno non potest in infinitum augeri, quia est dispositio ad conseruationem ligni, in certo, & determinato gradu, quem si excesserit, impossibile est lignum permanere; ergo quando qualitas non est dispositio ad conseruationem subiecti, in certo, & determinato gradu, quamtumcumque sit intensa, potest amplius augeri, nisi hoc implicet ratione propriæ naturæ ipsius qualitatis; sed gratiæ habituali hoc non implicat ratione subiecti, quia subiectum gratiæ, scilicet natura intellectualis, ad sui conseruationem non petit certum, & determinatum gradum gratiæ.

33. Nec obstat, quòd subiectum talis gratiæ sit secundùm essentiam finitum, & limitatum, vtpote ens creatum. Quia cùm capacitas creaturæ rationalis ad suscipiendum formas supernaturales, sit obedientialis, & hæc non habeat terminum, potest dici infinita secundùm quid, quatenus potest recipere maiorem, & maiorem gratiam supernaturalem sine termino, ita insinuat D. Thom. de verit. cap. 3. vbi ait, *capacitatem obedientialem expleri non posse*; cuius ratio est, quia quamtumuis creatura recipiat à Deo, adhuc manet potens ad magis recipiendum: sicut Deus ipse manet potens ad amplius infundendum; ergo capacitas obedientialis quæ respicit hanc diuinam potentiam, infinita est, quantum ad hoc quod est posse recipere maiorem, & maiorem gratiam sine termino, quamuis secundùm essentiam, & vt est idemtificata cum natura creata, sit finita, & limitata.

34. Obicies primò, Christus fuit plenus gratia, *Vidimus gloriam eius*, &c. *plenum gratiæ, & veritatis*, Ioan. 1. & ad Colossen. 1. *In ipso complacuit omnem plenitudinem habitare*; ergo non fuit capax maioris gratiæ; id dicitur plenum aliqua re, quod non est capax augmenti in illa. Pro responsione Col. 1.

Nota primò, alios Sanctos præter Christum, dici aliquando plenos gratiæ, vt beata Virgo, quãdo Angelus salutauit, nuncupauit gratia plenam, Luc. 1. & Act. 6. de beato Stephano dicitur: *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine*; & tamen constat gratiam Virginis augeri potuisse, immo constat de facto auctam fuisse, cùm certum sit eam meruisse augmentum gratiæ, & gloriæ per bona opera, in quibus per totam vitam post aliud tempus exercebatur: & similiter Stephani gratia fuit aucta post illud tempus, in quo plenus gratia fuit nuncupatus: vnde constat, in Scriptura plenitudinem gratiæ non semper significare incapacitatem ad recipiendam maiorem, aut intensiorem gratiam. Luc. 1. Act. 6.

35. Secundò noto, Christum specialiori ratione dici plenum gratia, quàm cæteros tam homines, quàm Angelos; in aliis enim nihil aliud significat plenitudo gratiæ, quàm abundantiam gratiæ; sic enim vsurpari solet in Scriptura sacra vox illa, *plenus*, vt constat ex illo Sapient. 9. *Cor nostrum maledictione, & amaritudine plenum est*, & ex illo Luc. 14. *& repleti sunt omnes in Synagoga ira hæc audientes*: in quibus locis plenitudo abundantiam significat; at verò in Christo plenitudo gratiæ aliquid amplius significat præter abundantiam gratiæ, tribuitur enim Christo plenitudo gratiæ, vt specialis illius prærogatiua nulli puræ creaturæ competens. Dicendum igitur est sensum in quo Christus plenus gratia dicitur esse proprium, quem verba illa significant, videlicet ita fuisse plenum gratia, vt non fuerit capax maioris gratiæ; hæc autem plenitudo gratiæ non conuenit Christo ratione gratiæ habitualis, sed ratione gratiæ vnionis; quia cùm hæc fuerit sanctitas per essentiam quæ infinita est, augeri non potuit, atque adeò ratione illius potest dici Christus plenus gratia in proprio & rigoroso sensu, in quo intelligenda sunt verba quæ Christum plenum gratia appellant. Ex quo patet responsio ad obiectionem, Christum non dici plenũ gratia, ratione gratiæ habitualis, quatenus plenitudo significat tantam abundantiam gratiæ, qua quis dicitur plenus, vt ampliùs in ea crescere non possit de potentia Dei absoluta, sed ratione gratiæ vnionis, vt expositum est. Sap. 9. Luc. 14.

36. Obicies secundò, ex Arist. 8. Physic. text. 63. & 64. asserente, motum alterationis, qui ad qualitatem terminatur, non posse esse continuum in infinitum, quod etiam ratio ipsa manifestat, quia cùm motus alterationis sit inter contraria, ac proinde sit clausus duobus extremis, seu terminis, non potest continuari in infinitum, cùm aliquando peruenturus sit ad terminum ipsi præfixum, quòd si motus terminatus ad qualitatem, non potest esse continuus in infinitum, sequitur, qualitatem non posse in infinitum intendi, si enim posset intendi in infinitum, motus ad illam posset esse continuus.

37. Respondetur Aristotelem esse intelligendum de qualitatibus materialibus quas sentit, non posse augeri in infinitum: de spiritualibus verò augmenti capacibus, diuersa est ratio, quia omnis qualitas materialis, vel est prima, vel secunda, qualitates

Digitized by Google

qualitates primæ sunt dispositiones ad conseruationem substantialem in certo, & determinato gradu requisitæ, vnde fit, vt in nulla substantia possint istæ qualitates intendi sine termino: qualitates autem secundæ cum oriantur ex mixtione primarum, debent etiam habere certum terminum intensionis, quem non possunt excedere: at verò de gratia habituali diuersa est ratio, cùm enim non sit dispositio in certo, & determinato gradu requisito ad conseruationem alicuius substantiæ, neque oriatur ex mixtione primarum qualitatum, non habet certum terminum intensionis ex sua natura, aut ratione subiecti, sed solùm ex Dei ordinatione, atque ita solus motus alterationis terminatus ad qualitates materiales debet esse finitus, non tamen ad qualitates spirituales.

38. Obiicies tertiò, quia si gratia posset augeri in infinitum, nec vnquam deueniremus in aliquam gratiam, qua maior esse non possit, sequeretur, posse produci in re ipsa gratiam infinitam, tum etiam dari gradum aliquem gratiæ in infinitum distantem à primo, & consequenter infinitè perfectiorem primo gradu, atque adeò esset possibilis gratia infinitè perfecta, non solùm in ratione gratiæ, verùm etiam in esse qualitatis. Respondeo negando sequelam, tum etiam dari aliquem gradum gratiæ in infinitum distantem à primo, quia quamtumuis augeatur gratia, semper augmentum est finitum cùm nunquam deueniatur ad tantam gratiam, qua maior in intensione esse non possit.

39. Obiicies quartò, quia capacitas cuiuscumque subiecti est finita, sicut ipsum subiectum; ergo nullum subiectum potest habere capacitatem ad recipiendam gratiam sine termino, & probatur ex D. Thom. D. Thom. art. 11. vbi ait: *Gratiam Christi esse finitam, eo quod subiectum sit finitum, & habeat finitam capacitatem.* Respondetur, capacitatem cuiuscumque subiecti esse finitam entitatiuè, & simpliciter, & quasi materialiter, cum quo stat, quòd possit esse infinita secundùm quid, & quasi extrinsecè, quatenus scilicet respicit infinitam Dei potentiam. & per illam infinitas formas, infinitamque aliqualem intensionem, ex quo patet solutio ad confirmationem. nam D. Thom. solum significat animam Christi habere capacitatem finitam in essentia, & in genere entis, ex quo optimè deducit gratiam eius non esse infinitè intensam, non tamen negat animam Christi non habere capacitatem infinitam secundùm quid, modo explicato, vnde quando art. 12. docet, gratiam habitualem Christi non posse augeri ex parte subiecti, intelligendus est de lege ordinaria.

40. Obiicies, gratia habet terminum versùs minimum; ergo versùs maximum, quia eadem est ratio de vtroque termino; vnde quantitas quæ secundùm se non habet terminum in maximo, neque illum habet in minimo. Respondetur negando antecedens. nam licèt gratia necessariò debeat incipere cum aliquali intensione, vagè loquendo, non tamen est assignabilis in particulari aliquis gradus in quo debeat incipere, sed quocumque signato, potest à Deo infundi in minori, & minori, quilibet enim gradus habet latitudinem.

41. Secunda conclusio, de lege, & secundùm potentiam ordinariam, gratia Christi augeri non potuit, nec in aliquo subiecto produci gratia intensior illa. Ita communiter Theologi. probatur ratione D. Thomæ, quia Christus, vt homo, ab instanti suæ conceptionis fuit verus, & perfectus comprehensor; ergo illius gratia habitualis de lege ordinaria augeri non potuit, sicut nec gratia habitualis cuiuscumque alterius beati, quæ augeri non potest, eo quòd Beati sunt in termino.

42. Secundò idem probat Doctor sanctus, sicut aliarum formarum est ex diuina sapientia determinata mensura propria, ita & gratiæ, iuxta illud Sapientiæ 11. *Omnia in numero, pondere & mensura, disposuisti.* Sap. 11. Atque adeò ex ordinatione Dei præfixus est terminus aliquis gratiæ, quem nulla excedit creatura. Quæ ratio tantùm probat non posse esse gratiam intensiorem gratia Christi, non quidem de potentia absoluta, sed solùm de ordinaria, quia cùm ex diuina ordinatione sit præfixus aliquis terminus gratiæ, non est credendum terminum præfixum gratiæ Christi attingi voluisse ab aliqua pura creatura; quare nulla pura creatura potest æquari Christo in intensione gratiæ habitualis.

43. Tertia conclusio, gratia habitualis Christi de facto non fuit aucta intensiuè, hæc conclusio ex præcedenti facilè colligitur, quia id quod de lege, & secundùm potentiam ordinariam fieri non potest, dicendum est de facto non contigisse, nisi constet ex reuelatis Deum speciali aliquo miraculo in communi lege aliquando dispensasse: sed ex reuelatione non constat speciale aliquod miraculum quo Deus in communi lege in hac parte dispensauerit; ergo gratia Christi quam ab instanti suæ conceptionis accepit non fuit aucta.

44. Obiicies illud Luc. 2. *Iesu proficiebat sapientia, gratia & ætate apud Deum & homines.* Luc 2. Quòd si Christus apud Deum, & homines proficiebat in gratia, & in gratia vnionis proficere non poterat, cùm augmenti capax non esset, sequitur, vt proficeret in gratia habituali; atque adeò illam auctam fuisse. Respondetur ex communi interpretatione Patrum, hunc locum non esse intelligendum de augmento intensiuo gratiæ, sed de augmento quoad manifestationem prædictæ gratiæ, & sapientiæ, qua anima illa sanctissima erat ornata, quia quotidie magis ac magis proferebat in lucem opera quibus hanc gratiam, & sapientiam manifestabat.

45. Instabis, quia in dicto testimonio non solùm dicitur, Christum profeciisse gratia apud homines, sed etiam apud Deum: at proficere apud Deum gratiâ, non solùm est manifestare gratiam per opera, sed verè & realiter magis sanctum fieri, cùm gratia manifesta esset Deo, etiamsi nulla opera intercederent; ergo hæc Patrum interpretatio non potest habere locum. Huic obiectioni satisfacit optimè D. Bonauentura super eumdem locum, inquit enim apud Deum, & homines crescere idem esse, atque in operibus quæ sunt ad Deum, quales sunt actus charitatis, Religionis, & similes: & in operibus quæ sunt ad proximos, quales sunt actus misericordiæ, & aliis, exteriùs magis, ac magis apparere; quare iuxta Patrum doctrinam, ita dicebatur Christus crescere gratia apud Deum & homines, quia gratia eius magis in dies manifestabatur operibus erga Deum, & erga proximos elicitis.

* * *

SECTIO IV.

An Christus ab instanti suæ conceptionis ornatus fuerit omnibus virtutibus moralibus, tam per se infusis, quàm natura sua acquisitis.

46. DVplex à D. Thom. assignatur virtus moralis alia naturalis, & per se acquisita; & alia supernaturalis, & per se infusa de vtroque genere virtutum dicendum est, an fuerint in Christo ab instanti suæ conceptionis.

47. Prima conclusio, in anima Christi fuerunt virtutes morales natura sua acquisitæ. Probatur, quia omnis virtus cuius actus non pugnat cum beatitudine, aut vnione, concedenda est Christo: sed actus virtutum moralium acquisitarum non pugnat cum beatitudine, aut vnione; ergo. Minor probatur discurrendo per singulos actus virtutum acquisitarum. nam actus misericordiæ erga pauperes, ex affectu compassionis naturalis circa miseriam alterius non pugnat cum beatitudine, aut vnione: similiter actus temperantiæ acquisitæ, quæ consistit in seruanda mediocritate in vsu delectabilium gustus, & tactus, non repugnat, imò de facto fuit inuentus in Christo.

48. Denique idem est de actu fortitudinis, quæ consistit in seruanda mediocritate in aggrediendis terribilibus: hos autem actus, propter honestatem naturalem in illis repertam, nullo etiam modo repugnat: non enim erat necessarium omnem operationem voluntatis Christi esse supernaturalem secundùm substantiam. nam timor ille quo voluntas humana refugiebat mortem, non versabatur circa finem supernaturalem, sed oriebatur ex amore naturali vitæ; non ergo pugnant cum beatitudine, aut vnione, virtutes natura sua acquisitæ.

49. Obiicies, abstinentia, cibus, & idem est de aliis actibus virtutum moralium acquisitarum, non fuisse in Christo actum virtutis, quia iste actus solùm est actus virtutis in eo in quo ad illum eliciendum necesse est aliquam difficultatem superari; sed Christo iste actus, & similes non erant difficiles, cum in his actibus non possit esse alia difficultas, nisi ea quæ prouenit ex appetitu sensitiuo, in contrarios actus conante, quæ lucta appetitus non erat in Christo; ergo huiusmodi actus in Christo non erant actus virtutis.

50. Respondetur, verum esse abstinentiam à cibis non esse actum virtutis, nisi vbi ad illam eliciendam necesse est aliquam difficultatem superare; nego tamen Christum, vt hos actus eliceret non superasse aliquam difficultatem. nam verè in eo fuit fames, quæ non potuit esse sine dolore; dolorem autem perferre, non potuit non esse difficile: ex quo fit vt etiam si in Christo non fuerint inordinati motus appetitus ad sensibilia, vt gustus; adhuc tamen in eo potuit esse difficile, imò & de facto fuit ab illis abstinere: vnde etiam fit vt hæc abstinentia aliquando fuerit in Christo actus temperantiæ, cùm ad eam seruandam necesse fuerit superare difficultatem quæ est in perferendo dolore, cum fame & siti coniuncto.

51. Secunda conclusio, probabilius est has virtutes sua natura acquisitas infusas fuisse Christo per accidens ab instanti suæ conceptionis, ratio est, quia virtutes acquisitæ in summo gradu perfectionis debita erant Christo ratione vnionis: sed quidquid ratione vnionis debitum erat humanitati Christi, collatum fuit illi simul cum vnione, nisi eius carentia ad finem redemptionis fuerit necessaria; ergo cùm ad finem redemptionis non oportuerit Christi animam carere virtutibus natura sua acquisitis, dicendum est, eas fuisse illi infusas ab instanti suæ conceptionis. Maior probatur, quia humanitati Christi ratione vnionis debita erat facilitas ad attingendum perfecto modo omne bonum, non solùm supernaturale, sed etiam naturale: facilitas autem attingendi omne bonum naturale, confertur per virtutes morales per se acquisitas.

52. Dices hanc facilitatem ad bonum virtutis habuisse Christum à gratia vnionis, qua etiam omnis difficultas circa illud superari potuit, vel etiam à visione beatifica, vel denique satis esse ad hanc facilitatem habitus virtutum moralium per se infusarum. Sed contrà est

Primò, quia humanitas Christi ex vnione præcisè non est facta potentior ad operandum, quia quamuis persona sit id quod operatur, principium tamen operandi semper est aliqua natura; vnio autem non est facta in natura, sed in persona; ergo vt voluntas Christi operaretur delectabiliter bonum virtutis, non sufficit gratia vnionis sine habitu.

53. Secundò, quia visio beatifica non impediebat in Christo actiones viatoris, neque reddebat corpus impassibile; corpus autem passibile reddit difficile opus virtutis, & ita ad superandam difficultatem hanc quam patitur voluntas in opus virtutum, quod sensibus molestum est, necessarius erat aliquis habitus, vt facilis redderetur circa tale bonum virtutis.

54. Tertiò, quia virtutes morales per se infusæ versantur circa opus honestum ex diuerso motiuo. nam motiuum earum est supernaturale: at motiuum virtutum per se acquisitarum est naturale; quare quamuis circa opus temperantiæ, v. g. factum ex motiuo virtutis infusæ, nulla in habente talem virtutem esset difficultas circa illud, tamen circa opus temperantiæ factum ex motiuo temperantiæ acquisitæ, adhuc maneret difficultas, si non sit in eliciente tale opus, habitus temperantiæ acquisitæ.

55. Tertia conclusio, in anima Christi fuerunt etiam virtutes morales per se infusæ, quæ non pugnant cum beatitudine, aut vnione, illasque habuit ab instanti suæ conceptionis. Colligitur ex præcedenti, si enim Christo concedendæ sunt, vt probabimus, virtutes morales natura sua acquisitæ, potiori ratione concedendæ sunt virtutes morales per se infusæ, cùm perfectiores sint illis, vtpote habentes perfectius motiuum. Dixi non pugnantes cum beatitudine & vnione, propter pœnitentiam, quæ virtus moralis per se infusa est, & est aliqua difficultas, an pugnet cum vnione, & consequenter, an sit in Christo. Dico tamen quòd si per pœnitentiam intelligatur virtus cuius actus vnicus, & adæquatus sit dolere, & satisfacere Deo pro peccato à se commisso, hac ratione certum est in Christo non fuisse pœnitentiam, quia peccare non potuit: si verò per pœnitentiam intelligatur virtus cuius actus sit detestari peccatum à quocumque commissum sit, & velle pro illo satisfacere, & diuinam offensam compensare, in hoc sensu negari non potest Christum habuisse talem virtutem.

SECTIO

71. Obiicies verba Pauli 1. Corinth. 13. *Ex parte*
1.Cor.13. *cognoſcimus, & ex parte prophetamus: cùm autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt.* vbi per id *quod perfectum eſt*, intelligit beatitudinem, in qua, inquit, euacuandum id quod ex parte eſt, hoc eſt, imperfectum, videlicet fidem, & prophetiam; ergo iuxta doctrinam Pauli in ſtatu beatitudinis ceſſat prophetia, atque in Chriſto, qui ſemper fuit Beatus.

72. Reſpondetur, fidem theologicam, qua credimus res à Deo reuelatas, eſſe obſcuram, ac proinde non fuiſſe in Chriſto: cæterùm Fides quæ eſt gratia gratis data, non eſt neceſſariò obſcura, vt prædictum eſt: & idem dico de prophetia, & quando dicitur hanc gratiam eſſe ex parte, hoc eſt, non omnino perfectam, intelligitur in viatoribus in quibus cognitio prophetica non eſt omnino perfecta. Vnde quando Paulus dicit, *ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus*, ſolùm loquitur de putis viatoribus, & non comprehendit Chriſtum. Itaque prophetia ſtare non poteſt cum eo qui tantùm beatus eſt, bene tamen cum eo qui eſt viator, & beatus ſimul, vt erat Chriſtus.

SECTIO VIII.

An Chriſtus ſit caput omnium hominum.

73. PRima concluſio, Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ, vt ex hominibus conſtitutæ. Hoc eſt de fide, & habetur expreſsè apud Paulum ad Epheſios 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ*
Epheſ.1. *eſt corpus ipſius*, & ad Coloſſen. 1. *Ipſe eſt caput*
Col. 1. *corporis Eccleſiæ*, quo in loco ſermonem eſſe de Chriſto, apud omnes eſt indubitatum. Probatur ratione, quia Chriſtus reſpectu Eccleſiæ aſſimilatur capiti in duobus, quæ ſufficiunt, vt caput Eccleſiæ nuncupetur. *Primò* aſſimilatur in eo quòd, ſicut caput humanum eſt primum in perfectione, ita & Chriſtus reſpectu omnium hominum, quod de perfectione gratiæ indubitatum eſt, cùm gratia Chriſti tam vnionis, quàm habitualis, & cætera dona ſupernaturalia, perfectiora fuerint, gratia & donis ſupernaturalibus cæterorum hominum. *Secundò*, Chriſtus reſpectu Eccleſiæ imitatur caput naturale, in eo quòd ſicut caput influit in membra, ita Chriſtus influit in homines dona ſpiritualia; in prædeſtinatis quidem auxilia efficacia, quibus cum effectu ſalutem conſequantur; in reprobis verò media ſufficientia, quibus vitam æternam poſſint comparare.

74. Inquires, an Chriſtus ſit caput, non ſolùm fidelium, ſed etiam infidelium, qui ſunt extra Eccleſiam. Reſpondeo horum omnium caput eſſe, & ratio eſt, quia etiam in infideles influit auxilia gratiæ ſaltem ſufficientia, vt conuertantur ad Fidem, cùm nullus ſit infidelis qui non habeat auxilium gratiæ quod ſit medium ſufficiens proximè, vel remotè, vt conuertatur ad fidem. Quamuis autem Chriſtus influat in infideles, atque adeò ſit caput illorum, ipſi tamen non ſunt membra corporis Eccleſiæ, cuius Chriſtus eſt caput, quia ad hoc vt ſint membra Eccleſiæ, non ſufficit, vt caput in eos influat quemcumque gratiæ influxum, ſed neceſſe eſt vt influat in eos fidem: itaque licèt Chriſtus per quemcumque influxum, caput illorum conſtituatur, tamen ipſi non conſtituuntur membra in actu per quemcumque influxum gratiæ, ſed ſolùm membra in potentia, quia per gratiam proximè; vel remotè ſufficientem, vt conuertantur ad Fidem, ſunt in potentia membra, cum per illam gratiam poſſint habere fidem; non tamen ſunt actu membra, ſicut fideles qui participant influxum Fidei per quam conſtituuntur actu membra Eccleſiæ.

75. Inquires ſecundò, de Fidelibus exiſtentibus in peccato mortali, eſt enim de illis difficultas, cùm illi non ſint membra viua, ſed mortua, vt fatetur Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi ſic ait. *Nam fides, niſi ad eam accedat ſpes, & charitas, nec perfectè vnit cum Chriſto, nec corporis eius viuum membrum efficit*; ergo Chriſtus non eſt caput peccatorum, etiam fidelium, quia ſunt membra mortua. Quemadmodum caput naturale, non habeat rationem capitis, reſpectu membri mortui, quia nullum influxum vitæ habet in illud. Dicendum tamen eſt, Chriſtum eſſe caput etiam peccatorum fidelium, & ipſos fideles eſſe actu membra Chriſti, quia licet ſint membra mortua, actu tamen in illos influit Chriſtus Fidem, quod ſufficit ad hoc vt ſint membra actu. nam caput morale, etiam in membra mortua poteſt influere.

76. Obiicies, peccatores exiſtentes in mortali, ſunt actu membra Diaboli; ergo non poſſunt ſimul eſſe actu membra Chriſti. Reſpondetur non eſſe inconueniens peccatorem per peccatum mortale eſſe ſimpliciter actu membrum Diaboli, & ſecundùm quid actu membrum Chriſti per fidem quam ab illo recipit: ſicut non eſt inconueniens, imò eſt de fide, aliquem eſſe peccatorem actu, & ſimul habere fidem. Cuius ratio eſt, quia ſimpliciter membrum Chriſti actu dicitur in ordine ad influxum vitæ ſpiritualis, quæ eſt gratia, & charitas, quibus ſimpliciter, & perfectè vnitur anima Chriſto: itaque quamuis per ſolam fidem informem aliquem influxum recipiant peccatores à Chriſto, & ideo ſint membra eius actu, non tamen dicuntur ſimpliciter actu membra illius, ſed ſecundùm quid, ſiue membra mortua, vt diximus ex Tridentino.

77. Inquires vlteriùs, an ſit Chriſtus caput damnatorum? Reſpondeo Chriſtum non eſſe caput damnatorum pro eo ſtatu. Ratio huius eſt, quia Chriſtus non meruit hominibus, niſi æternam beatitudinem, & ea, quæ ad illius executionem poſſunt aliquo modo iuuare, ſiue effectiuè, ſiue remouendo impedimenta, ſiue quouis alio modo: ſed damnatis nihil confertur quod ad æternam beatitudinem poſſit aliquo modo pertinere, nec poſitiuè, nec quouis alio modo; ergo damnatis nihil conferetur ex meritis Chriſti, atque adeò Chriſtus nihil influit in eos, quamobrem caput eorum non eſt.

78. Præterea de Beatis, & animabus Purgatorij, nullum eſt dubium, quia certum eſt Chriſtum eſſe caput illorum, influit enim in illos multa auxilia ad omnia opera ſupernaturalia quæ liberè eliciunt: & tant animæ purgatorij, quàm Beati ſunt intra Eccleſiam, quatenus militantem, & triumphantem includit: Chriſtus autem caput eſt Eccleſiæ, tam militantis, quàm triumphantis.

79. Denique de infantibus in vtero materno exiſtentibus etiam eſt certum, eſſe caput actuale, quamuis illi non ſint membra actualia, quia in

eiusdem naturæ cum membris, cùm Deus sit caput omnium hominum, & Angelorum, & non sit eiusdem naturæ specificæ cum illis: igitur quod requiritur ad rationem capitis mystici, est influxus in eos quorum dicitur caput: sed Christus vt homo influit in Angelos aliqua dona gratuita: ergo Christus secundùm humanitatem est caput Angelorum. Sed tota difficultas est in explicando, quæ sunt dona gratuita, quæ Christus in Angelos influit.

89. Secunda conclusio, Christus solùm influit in Angelos gaudium accidentale, tum quod habent de operibus factis ab ipso Christo: tum etiam quod habent de conuersione peccatorum ex meritis Christi, & præterea illuminationem, qua Christus Angelos illuminat, eis aliqua reuelando; gratiam autem actualem, aut habitualem, atque adeò gloriam in eos non influit. Colligitur hæc conclusio ex Paul. ad Hebr. 2. vbi ait. *Qui sanctificat, & qui sanctificantur ex vno omnes: propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te: ego ero fidens in eum. Et iterum: Ecce ego, & pueri mei quos dedit mihi Deus. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini; & ipse similiter participabit eisdem.* Hebr. 2. Quo in loco agere Paulum de Christo sanctificante, & de sanctificatis ex meritis illius, communior est interpretatio.

90. Ex prædicto ergo testimonio sic probatur conclusio, omnes sanctificati per Christum vocantur pueri, & fratres ipsius, Angeli autem non vocantur pueri & fratres Christi: ergo non sunt sanctificati per Christum. Maior est D. Pauli, inquiens. *Eum qui sancti fiat*, nempè Christum, *& eos qui sanctificantur ex vno, & eodem omnes.* & ideo Christum vocare *eos fratres & pueros suos.* Minor probatur ex eodem Paulo, juxta quem *pueri communicauerunt carni & sanguini*; sed Angeli non communicauerunt carni, & sanguini: ergo Angeli non sunt pueri Christi.

91. Secundò probatur, quia si Christus Angelis promeruisset gratiam & gloriam, ipsius sanguine, & passione sanctificati, & dealbati essent; nam iuxta communem Theologorum sententiam, omne Christi meritum morte ipsius consummatum est, & ex ea accepit efficaciam: asserere autem merita Christi pro hominibus consummata esse passione ipsius, & merita eiusdem pro Angelis non fuisse morte consummata, sine vllo fundamento est: at si Angeli sanctificati essent passione Christi, sequeretur Christum pro Angelis mortuum esse: atqui cum pro Angelis esse mortuum, nullus affirmare potest: ergo neque Angelos sanctificatos fuisse meritis Christi. Minor probatur, quia temere hoc assereretur cùm ex sola voluntate Dei pendeat, neque ex Scriptura, neque ex traditione, neque ex Patribus constet; imò oppositum docent Aug. in Enchirid. cap. 75. D. Bern. serm. feriæ hebdomadæ sanctæ. Beda ad caput primum Ephesiorum, & alij multi, quorum testimonia apud Recentiores videri possunt.

92. Denique præcipuum fundamentum nostræ conclusionis desumitur ex eo quòd incarnatio fuit volita, & ordinata a Deo in remedium peccati, atque adeò post præuisionem eius: ergo gratia Angelorum non potuit esse ex meritis Christi, quia gratia illorum ordine naturæ fuit prior, quàm peccatum primi Parentis, cùm peccatum Adæ fuerit ex suggestione dæmonis.

93. Obiicies verba Pauli ad Ephes. 1. vbi dicitur, *Christum instaurasse omnia quæ in cælis, & in terra sunt,* Ephes. 1. & ad Coloss. 1. *pacificasse quæ in cælis, & in terris sunt per sanguinem Crucis.* Coloss. 1. & Apoc. 12. Michaelem vicisse Diaconem in sanguine Agni, ideſt, Christi. Respondetur, ideo Christum restaurasse omnia, & pacificasse quæ in cœlis, & in terris sunt, quia sua morte efficit, vt sedes ab Angelis desertæ, fuerint per homines prædestinatos, restauratæ: & quia naturam Angelicam, & humanam adeò inter se desidentes, sua morte conciliauerit. Denique Michael dicitur vicisse Draconem in sanguine Agni, non in se, & immediatè in sua persona, sed in hominibus quibus sancti Angeli assistunt.

Obiicies secundò, plura testimonia sanctorum Patrum, qui Christum vocant Redemptorem hominum & Angelorum, legatur præcipuè D. Bern. ser. 22. in Cantica. Respondetur, illos Patres tantùm voluisse Christum secundùm diuinitatem esse Redemptorem Angelorum; hominum verò secundùm humanitatem, & ideo D. Bern. ibidem ait Deum ab initio fuisse Redemptorem Angelorum, in tempore verò Redemptorem hominum. 94.

Obiicies tertiò, quia aliquis gradus gratiæ fuit collatus Angelis in via ex meritis Christi; ergo omnes illi collati fuerunt. Consequentia est manifesta cùm non sit maior ratio vnius quàm cæterorum. Antecedens patet ex doctrina sanctorum Patrum qui communiter asserunt Angelos in via habuisse Fidem mysterij incarnationis. ſiain Angeli per huiusmodi actum Fidei acquisierunt aliquem gradum gratiæ, atque adeò cùm ipsa fides fuerit ex meritis Christi gradus gratiæ collatus, intuitu illius debuit esse ex meritis Christi. Respondetur Angelos non habuisse Fidem Christi dependenter a meritis eiusdem, sed tantùm per specialem Dei largitionem. 95.

DISPVTATIO VI.

De scientia Christi.

SECTIO I.

An Christus potuerit intelligere per scientiam increatam.

PRIMO supponendum est tanquam certum de Fide, quòd in anima Christi sit intellectus creatus. Ita colligitur ex his quæ diffinita sunt in Concilijs, de duabus Christi naturis. nam cum diffinitur duas esse naturas in Christo, intelligitur perfectas, & cum proprietatibus quæ consequuntur ad quamlibet naturam. Quare in Concilio Chalcedonensi, actione quinta, in confessione Fidei, dicitur, *Verbum diuinum assumpsisse animam rationalem perfectam, salua omni eius proprietate, & in omnibus nobis similem absque peccato.* Cùm ergo intellectus creatus sit proprietas animæ rationalis, manifestè infertur, quòd in anima Christi sit intellectus creatus. 1.

Secundò supponendum est, quòd intellectus animæ Christi habuit actum scientiæ creatæ, vt constat ex VI. Synodo, actione quarta, vbi contra Hæreticos diffinitur: *In Christo fuisse duas operationes, creatam, & increatam: sicut & duas naturas.* Et videtur expressum in sacris litteris, Ioan. 8. *Ego scio eum* Ioan. 8. & cap. 13. 2.

lud Psalmi 21. *Quare dereliquisti me?* vbi Augustinus affirmat, Christum ignorasse causam quare fuerit derelictus à Patre: ergo habuit aliquam ignorantiam. Respondetur ideo dici Christum ignorasse causam cur relinqueretur mori, quia peccatum non nouit, quia peccatum non fecit; causa autem mortis est peccatum, & ita ignorabat causam, cur relinqueretur mori, quod enim non est, non scitur.

21. Rursus obiicies, Anima Christi non comprehendit Deum, neque scit omnia possibilia: ergo necesse est quòd multa ignorauerit. Respondetur, ignorantiam esse triplicem, *primam* quam Theologi vocant praua dispositionis, quæ est error positiuus aliquando culpabilis. *Alia* est ignorantia purè priuatiua, quæ potest esse absque culpa, & est eorum quæ pertinent ad statum alicuius, vel eorum quæ quis aptus est scire. *Tertia* denique ignorantia est idem quod nescientia, id est, negatio scientiæ, quam quis non est aptus scire, vel quorum scientia ei non debetur ratione sui status. Vnde Christus non habuit ignorantiam primi, neque secundi generis, sed nescientiam, aut negationem scientiæ respectu aliquorum, videlicet omnium possibilium quæ cadunt sub Dei omnipotentia, & quorum scientia ad statum ipsius non pertinet.

22. Denique obiicies habuisse Christum plures notitias falsas, quia habuit scientias naturales similes iis quas nos habemus, in quibus requiruntur plurimæ cognitiones falsæ, vt constat ex varietate contrariarum opinionum: habuit etiam cognitiones sensuum similes nostris; sicut enim nostris oculis, ita oculis Christi plura obiecta repræsentabantur longè aliter, ac erant in se, in cœlum tanquam cæruleum, & collum columbæ tanquam multicolor, & consequenter habebat in animam deceptionem. Respondetur negando scientias naturales quas habuit Christus, fuisse similes nostris opinatiuis, sed solis certis, ac euidentibus. Deinde quamuis illa obiecta repræsentarentur oculis Christi, eodem modo quo oculis nostris repræsentantur, non erat periculum deceptionis, quia per multiplicem scientiam quam habebat, verum iudicium formabat; error autem, & falsitas, sicut scientia, & veritas propriè in solo iudicio intellectus reperiuntur, non in obiectione, seu repræsentatione sensuum.

Sed maior difficultas est, an Christus per scientiam beatam cognouerit infinita. Notandum, quòd sicut in Deo, vnamet scientia est naturalis, & simplicis intelligentiæ, respectu possibilium quæ nunquam erunt, & est scientia libera, seu visionis, respectu eorum quæ sunt in quauis differentia temporis: sic philosophandum est de scientia beata animæ Christi, & vtroque modo est difficultas an sit infinitorum.

23. Respondeo ergo primò, ex iis possibilibus quæ nunquam erunt, animam Christi cognoscere infinita scientia simplicis intelligentiæ, v.g. infinitas substantias possibiles, omnes circulationes possibiles corporum cælestium, & alia huiusmodi, quæ sunt infinita. ita D. Thom. quæst. 10. art. 3. & ratio est, quia Christus comprehendit substantias existentes, in quarum potentia continentur aliæ infinitæ possibiles; ac proinde ex comprehensione harum, cognoscit infinitas alias possibiles, quia per visionem qua Deum clarè videt, comprehendit in Verbo potentiam naturalem, v.g. istius ignis, quæ quidem comprehendi non potest, quin expressè cognoscantur infiniti ignes ab hoc producibiles. Et confirmatur, quia anima Christi cognoscit sua merita, & valorem ipsorum: at valor meritorum Christi fuit non solùm pro peccatis nostris, sed etiam totius mundi, imò pro infinitis hominibus, si darentur: ergo anima Christi cognoscit infinita possibilia.

Hæc tamen doctrina sancti Doctoris ita intelligenda est, vt ex comprehensione causarum quæ de facto existunt, non ideo anima Christi cognoscat infinitas substantias possibiles specie diuersas, quia in potentia harum causarum non continentur infiniti effectus specie diuersi, cùm habeat potentiam limitatam ad certas species operationum, nec dicant ex se ordinem & habitudinem expressum ad tales effectus. Et quamuis Christus comprehendat potentiam obedientialem actiuam, quam habent huiusmodi causæ, hæc tamen potentia nihil aliud est, quàm habitudo quam creatura habet ad producendum quidquid Deus velit producere intercuentu ipsius, non tamen est ordo intrinsecus expressus, & distinctus ad singulos effectus, sed intelligenda est de infinitis individuis substantiarum possibilium, quia collectio harum causarum continet adæquate in virtute infinitos effectus possibiles numero diuersos, qui quidem licèt in singulis causis partialibus non videantur distincti, quia ad illos producendos egent consortio Solis, vel astrorum, &c. videri tamen possunt in collatione omnium causarum, quia in ea collatione adæquatè continentur, vt rectè Lugus disp. 19. sect. 2. 24.

Quo ad alterum verò, an anima Christi cognoscat infinita actu ex his quæ futura sunt in quauis temporis differentia, duo sunt certa. *Primum* est, animam Christi videre substantias actu finitas, quia, vt docet D. Thom. loco citato, substantiæ ingenerabiles, & incorruptibiles, scilicet Angeli, certo numero comprehenduntur. Deinde generationes, & corruptiones, etiam sunt numero finitæ, quia mundus neque est ab æterno, neque in æternum duraturus est: ergo omnes substantiæ quas videt anima Christi sunt finitæ secundùm numerum. Præterea etiam est certum, animam Christi cognoscere omnes cognitiones cordium quæ futuræ sunt post diem iudicij, & in æternum sine fine sunt duraturæ, quia, vt prædiximus, videt omnia quæ Deus videt scientia visionis: Deus autem intuetur omnes cogitationes cordium prædictas. 25.

Hinc tamen oritur difficultas proposita, an numerus omnium illarum cogitationum sit actu infinitus: an verò solùm in potentia, & syncathegorematicè. Priorem partem tenent nonnulli, quam probant testimonio D. Thomæ 1. p. quæst. 14. art. 12. vbi docet, Deum scientia visionis videre actu infinita: sed sic est quod in hac quæstione art. 2. expressè affirmat, animam Christi videre in Verbo omnia quæ Deus videt scientia visionis: ergo ex sententia S. Doctoris, videt infinita in Verbo. Neque est sibi contrarius in hoc articulo 3. dum docet, ea quæ sunt entia in actu, & videntur ab anima Christi, esse numero finita: quia loquitur de entibus in actu simpliciter, hoc est, de substantijs. Et ratio huius est, quia si illa omnia quæ sic cognoscuntur ab anima Christi simul essent in re, esset multitudo cathegorematicè infinita; sed illa omnia sunt simul in cognitione Christi: ergo sunt cathegorematicè infinita. 26.

Alij

Mar. 22. Mar. 23.

Mar. 22. Mar. 23.

ſentat rem exiſtentem,& quidquid in illa eſt,quod ſatis eſt, vt intellectus per illam ſpeciem poſſit conuerti ad rem repræſentatam, & illam intueri pro vt eſt in ſe,& quia in ſe eſt actu exiſtens, ideo cognoſcitur vt exiſtens actu, & ſecundùm omnes conditiones exiſtentiæ, quod eſt intuitiuè cognoſci.

37. Ex quo ſit,hanc ſcientiam etiam vt verſatur circa naturalia,perfectiorem eſſe natura ſua, quàm ſit illa quæ de eiſdem rebus ſenſibus acquiri poteſt, imò quàm ſit ſcientia naturalis animæ ſeparatæ,& quam habent Angeli per ſpecies inditas:quod manifeſtum eſt ex dignitate perſonæ Chriſti, qui in perfectionibus animæ non debuit ſuperari, neque æquari ab ipſis Angelis: tum etiam, quia ſcientia naturalis,ſeu indita animæ,vel Angelis, procedit à Deo vt auctore naturæ: hæc verò vt auctore ſupernaturali, imò vt auctore vnionis hypoſtaticæ, quia infundebat illam,vt proprietatem ſubſequentem illam vnionem,ac proinde effecit illam excellentiorem.

38. Secunda concluſio. Anima Chriſti per hanc ſcientiam euidenter intuebatur cogitationes cordis,& actus liberos exiſtentes. Ita D.Thom.in hoc loco,& colligitur ex ſacra Scriptura,quia Chriſtus ſæpe reuelabat hominibus has cogitationes, & ita interdum confirmabat veritatem ſuæ doctrinæ, & quamuis hoc poſſit referri ad ſcientiam beatam, conuenienter etiam refertur ad hanc ſcientiam, quia hæc cognitiò erat Chriſto neceſſaria, vt eſſet perfectiſſimus Propheta, Doctor, & prædicator fidei, quam omnibus modis poſſet confirmare, & vt eſſet perfectiſſimè diſpoſitus in quantum erat viator: neque erat decens, vt imperfecta cognitione iſtorum actuum in proprio genere, penderet anima Chriſti à locutione, & voluntate alterius, præſertim quia ad illius dignitatem, & officium pertinet ſcrutari corda hominum, & de omnibus iudicare,& ſuo modo habere prouidentiam.

39. Tertia concluſio. Anima Chriſti per hanc ſcientiam nouit omnia futura contingentia. Probatur eiſdem rationibus, quia etiam hæc cognitio pertinebat ad perfectionem Chriſti vt viatoris, & perfectiſſimi Prophetæ, & Doctoris. Difficultas tamen conſiſtit in explicando quomodo hoc ſit poſſibile. nam talis cognitio in Chriſto non debuit eſſe obſcura, aliàs eſſet fidei: euidens autem eſſe non potuit, quia vel eſſet intuitiua, & hoc non, quia hæc terminatur ad rem exiſtentem: neque poterat eſſe abſtractiua, quia nulla veritas euidenter hoc modo cognoſcitur, niſi vel immediatè ex terminis, quod hic non habet locum, cùm extrema propoſitionis contingentis non habeant inter ſe neceſſariam connexionem: vel per aliquod medium, & hoc etiam nullum eſt in propoſito, quia neque poteſt eſſe cauſa,cùm illa ſit indifferens antequam operetur: neque effectus, cùm res antequam ſint nullum habeant effectum; nec denique per alicuius teſtimonium, quia hoc pertinet ad fidem

40. In explicanda hac re variant Theologi,mihi tamen duo videntur dicenda. *Primum* eſt, Chriſtum futura libera nouiſſe directe,& in ſe ipſis, quia hæc futura ſunt in ſe ipſis dicto modo cognoſcibilia, quia habent in ſe ipſis determinatam veritatem, vt ſuppono ex tractatu de viſione beatifica: ergo per ſcientiam iſtam cognoſci poſſunt, & proinde à Chriſto cognita fuerunt. *Secundum* eſt, Chriſtum habuiſſe cognitionem euidentem intuitiuam iſtorum futurorum. nam ſicut Deus ipſe illam habet, & illam communicat Beatis in viſione beata, ita potuit illam communicare animæ Chriſti per ſcientiam,& lumen infuſum,quia ex parte obiecti non videtur eſſe repugnantia, cùm illud ſit hoc modo cognoſcibile;neque etiam ex parte principij videtur eſſe vlla contradictio, quia ſicut Deus habet virtutem penetrandi, & intuendi futura contingentia ante quàm ſint, ita communicat intellectui creato animæ Chriſti quandam participationem eius,ſicut communicat Beatis in Patria.

Neque obſtant verba illa Iſaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum, & ſcimus quia Dy eſtis vos.* Ex quibus videtur colligi, hanc cognitionem eſſe propriam ſolius Dei. Reſpondetur, hunc locum ſolum probare, hanc notitiam futurorum liberorum, non poſſe eſſe connaturalem intellectui creato,& per proprias ipſius vires, non verò quòd diuinitus non poſſit haberi. 41. Iſai.41.

Quarta concluſio. Per hanc ſcientiam anima Chriſti cognouit intuitiuè illas res ſupernaturales, quæ in ſubſtantia,& entitate ſua tales ſunt,& omnino ſunt res creatæ: vt ſunt gratia, charitas, & ſimiles, quia huiuſmodi res cùm ſint finitæ perfectionis, & entitatis, poſſunt habere proprias ſpecies eiuſdem ordinis, per quas repræſententur pro vt in ſe ſunt;poſſunt etiam cognoſci lumine finito, ſi ſit etiam eiuſdem ordinis: ergo potuit facile communicari Chriſto huiuſmodi ſcientia talium rerum, ac proinde communicata fuit; hoc enim pertinebat ad maiorem eius perfectionem. Idem iudicium eſt de actibus fidei, Chriſtum ſcilicet per hanc ſcientiam cognouiſſe actus fidei quibus homines aſſentiuntur myſteriis ſupernaturalibus, v.g. actum fidei, quo quis credebat Deum eſſe trinum, & vnum, &c. Neque obſtat, quòd aſſenſus fidei eſt obſcurus, & obſcurè repræſentat eſſentiam Trinitatis: ergo ex illo cognito, non poteſt euidenter cognoſci exiſtentia Trinitatis. Hoc,inquam,non obſtat, quia eiuſmodi aſſenſus, licet vt eſt actus vitalis, v.g. in Petro, ſit obſcurus,quandoquidem nititur reuelatione obſcura, tamen ſi conſideretur, vt eſt obiectum ab alio quidditatiuè cognitum, poteſt eſſe medium ad cognoſcendum euidenter abſtractiuè, id quod ille aſſenſus repræſentat. 42.

Similiter idem iudicium faciendum eſt de viſionibus beatificis aliorum Beatorum, poſſe cognoſci, & videri à Chriſto per proprias ſpecies, quia quamuis viſio beata habeat habitudinem ad Deum,tamen cùm Deus ſit veluti terminus extrinſecus illius habitudinis, non videtur neceſſarium, vt ad videndam viſionem, & habitudinem eius,videatur æquè clarè ipſe Deus. Nec obſtat, quòd illa viſio eſt ſimilitudo Dei repræſentans illum, quia non eſt ſimilitudo quaſi obiectiua, nec repræſentat tanquam medium cognitum, ſed vt ratio cognoſcendi; vnde quamuis ipſa obiectiuè cognoſcatur, ſi tamen ipſa non informet, & conſtituat cognoſcentem in actu, non eſt neceſſe, vt faciat videre Deum pro vt eſt in ſe. Sicut non videtur repugnare Angelum intueri viſionem, quæ eſt in meo oculo, non intuendo colorem à me viſum, pro vt eſt in ſe. 43.

Ex quo infertur, animam Chriſti per hanc ſcientiam cognouiſſe Deum, non ſolùm vt vnum, ſed etiam vt trinum: quia per hanc ſcientiam quidditatiuè cognouit creaturas aliquas, ſaltem ſupernaturales, quæ quidem eſſentialiter dicunt reſpectum tranſcendentalem ad Deum, vt vnum, tanquam ad primam cauſam. Deinde, quia Chriſtus 44.

Digitized by Google

Ordered, That the Petition of Mr. Thomas Hall, Minister of Kingsbury, be referred to the Committee for Plundered Ministers.

non tantùm ſupernaturali perfectione, ſed etiam connaturali: neque videtur conueniens, vt in acquirenda ſcientia Philoſophiæ, vel Mathematica, ſe occupauerit, vel exercuerit.

54. Secundò. nam ſi Chriſtus aſſumpſiſſet humanam naturam in eo ſtatu, quem dignitas perſonæ poſtulabat, & non in ſtatu corporis corruptibilis propter nos, proculdubio aſſumpſiſſet illam cum hac perfectione, ſicut cum omnibus aliis; ſed illa humanitas tantùm caruit perfectionibus illis, quibus carere oportebat noſtram redemptionem, ad quam nihil omnino confert priuatio huius perfectionis: ergo.

55. Tertiò, quia Chriſtus habuit omnes virtutes morales ſuo genere acquiſitas infuſas à principio, vt ſuprà oſtenſum eſt: ergo pari ratione habuit hanc ſcientiam, & confirmatur. nam ſi habuit virtutes morales omnino perfectas in ſuo genere: ergo etiam habuit prudentiam, quæ eſt quaſi fundamentum, & regula aliarum; prudentia autem cùm ſit perfecta cognitio practica, ſupponit perfectam cognitionem ſpeculatiuam, non ſolùm primorum principiorum moralium, ſed etiam concluſionum vniuerſalium, à quibus pendent particularia: ergo habuit etiam moralem ſcientiam horum omnium: ergo pari ratione habuit cæteras, quia non erat maius impedimentum ad vnas, quam ad alias, & quia vna ſcientia perfecta eſſe non poteſt omni ex parte, ſine conſortio aliarum.

56. Denique, quia ſi per propriam inuentionem, & modo omnino naturali debuiſſet ſibi hanc ſcientiam comparare, nunquam illam habuiſſet, cum tota illa perfectione in qua haberi poteſt, quia diſcurſus humanus ferè in infinitum procedit in his ſcientiis, præſertim in mathematicis: vnde non potuit experiri res omnes à quibus hæc ſcientia ſumitur. Vnde ſi Adamo, & Salomoni infuſa fuit hæc ſcientia, multo magis decuit infundi Chriſto, quem decuit non eſſe minus perfectè conſtitutum in ordine naturæ, quam Adamum.

57. Obiicies primò, quædam teſtimonia ſacræ Scripturæ Iſai. 7. *Antequam ſciat puer reprobare malum, & eligere bonum.* Lucæ 2. *& Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate apud Deum, & homines.* Ad Hebr. 5. *& quidem cùm eſſet filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam.* Reſpondetur, Prophetam non voluiſſe in eo loco negare ſcientiam Chriſto infanti, ſed eius potentiam oſtendere, qui adhuc in ea ætate, qua iuxta communem modum procedendi aliorum puerorum, non poſſit Patrem, & Matrem vocare, poſſit ſpolia detrahere. Ad locum Lucæ 2. patet reſponſio ex dictis in principio ſectionis, non enim voluit Euangeliſta ſignificare Chriſtum profeciſſe quoad augmentum ſcientiæ, ſed tantùm quoad vſum, & exercitium, & quòd progreſſu temporis perfectiora ſapientiæ opera exercebat, teſtimonium verò D. Pauli aperte loquitur de ſcientia experimentali; per ea enim quæ paſſus eſt, per propriam experientiam didicit, quàm ardua ſit obedientia, quando vt obediret, vſque ad mortem ſe demiſit.

Iſai. 7. Luc. 2. Hebr. 5.

58. Obiicies ſecundò, quia niſi Chriſtus ſcientiam naturalem propriis actibus acquiſierit, videtur quòd intellectus agens fuerit in illo otioſus. Et confirmatur, quia melius eſt ad ſe reduci, & ſe mouere ad actum, quàm aliunde moueri. Reſpondetur, idem argumentum fieri poſſe in Adam, qui ex ſententia D. Thom. & communi, habuit ſcientiam humanam per accidens infuſam. *Secundò* poteſt etiam fieri idem argumentum de potentia generatiua, vel riſiua, ſi verum eſt Chriſtum nunquam riſiſſe. *Tertiò*, vt aliqua potentia non ſit fruſtrà, ſatis eſt, per ſe, & ex ratione ſua, eſſe connaturalem alicui formæ, & requiri quaſi ad perfectum ſtatum, & integritatem naturæ, quamuis poſſit interdum per accidens non exercere ſuam operationem, quia præuenitur in effectu ſuo. Ad confirmationem, verum eſſe antecedens ſi cætera ſint paria, quæ in præſenti non ſunt. nam longè perfectius eſt, aliquid ſtatim habere, & perfectè poſſidere, quàm paulatim, & cum labore.

DISPVTATIO VII.

De Potentia Chriſti.

SECTIO I.

An poteſtas faciendi miracula in Chriſto fuerit vnio hypoſtatica.

SVPPONENDVM primò, in humanitate Chriſti non fuiſſe formaliter omnipotentiam ſimpliciter. Ita communiter Doctores, quia hoc quod eſt eſſe omnipotentem, eſt attributum ſolius Dei, iuxta illud Exodi 15. *Omnipotens nomen eius.* Et ratio huius eſt, quia vnio diuinæ, & humanæ naturæ, ita facta eſt in perſona Verbi, quòd iſtæ duæ naturæ omninò manſerint inconfuſæ, & diſtinctæ, potentia autem operatiua ſequitur ad naturam, tanquam proprietas eius: ergo in Chriſto ſunt duæ potentiæ operatiuæ, ſicut & duæ naturæ: ſed potentia operatiua naturæ humanæ non eſt omnipotentia; tum quia eſt creata; tum etiam, quia de ratione omnipotentiæ ſimpliciter, eſt quòd ſit principium operandi ſine dependentia ab alio; potentia autem Chriſti in ſua operatione dependet ex concurſu Dei, ſicut vniuerſaliter quælibet potentia creata: ergo potentia Chriſti non fuit omnipotentia. Confirmatur ex D. Thom. art. 3. quia de ratione omnipotentiæ eſt, quòd ſe extendat ad producendum omne poſſibile; ſed potentia Chriſti non ſe extendit ad omne poſſibile, quippe qui non potuit ſe ipſum producere: ergo eius potentia, non eſt omnipotentia ſimpliciter. 1. Exod. 15.

Supponendum ſecundò, in humanitate Chriſti fuiſſe potentiam ſupernaturalem ad effectus ſupernaturales, & miraculoſos; nomine autem effectus miraculoſi, non intelligitur effectus qui ſolùm ſit ſupernaturalis, ſiue quoad ſubſtantiam, ſiue quoad modum, ſed præterea vt fiat præter communem ordinem cauſandi. Quod autem humanitas Chriſti habuerit potentiam ad effectus ſupernaturales, conſtat ex præcedentibus; talis effectus erat meritum, & ſatisfactio Chriſti. Quòd verò habuerit potentiam ad effectus miraculoſos, manifeſtum eſt ex toto diſcurſu Euangelij, præſertim Matth. 9. *Vt autem ſciatis, quòd Filius hominis habet poteſtatem remittendi peccata, ait paralytico: Surge, & ambula,* & ſubditur, *quòd turba glorificauerunt Deum, qui talem poteſtatem dedit hominibus.* Et ratione probatur, quia hæc poteſtas faciendi miracula fuit maximè conueniens, non ſolùm propter dignitatem perſonæ Chriſti, ſed ad confirmandam doctrinam quam prædicabat, ſcilicet ſe eſſe filium Dei. Addit D. Thom. non ſolùm in Chriſto fuiſſe 2. Matth. 9.

poteſtatem

potestatem perpetrandi miracula, sed & potestatem excellentiæ, qua Christus contulit discipulis facultatem faciendi miracula, iuxta illud,
Matth. 10. Matth. 10. *Dedit eis potestatem*, &c. Quod ergo dubitamus est, an hæc potestas faciendi miracula in Christo, fuerit vnio hypostatica, an aliquid superadditum.

3. Sit conclusio. Virtus Christi Domini in actu primo ad miracula perpetranda, non consistit in personalitate Verbi præcisè, sed in humanitate, vt est vnita diuinæ personæ. Hæc conclusio communis est inter Doctores. nam si aliqua extat inter eos differentia, tota est de potestate faciendi miracula in actu secundo, de qua dicemus sectione sequenti. Et prior pars probatur, quia potestas hæc est principium operandi ad extra, & personalitas diuina non est principium formale ad extra operandi: ergo formaliter non est potestas faciendi miracula. Confirmatur, quia talis potestas in humanitate Christi solùm est instrumentalis: at personalitas diuina vt sic, non est instrumentum.

4. Nec refert, quòd in Christo personalitas diuina dicatur principium operis meritorij, aut satisfactorij. Non enim est principium formale, sed potiùs humanitas per gratiam eleuata', quamuis valor, & dignitas, ab extrinseco sumatur ratione personæ; nunquam tamen potestas faciendi miracula, erit personalitas diuina.

Posterior pars etiam probatur, quia potestas faciendi miracula in Christo radicalis, & in actu primo, necessariò supponit pro eo, quod est fundamentum eleuatum ab ente infinito; sed humanitas Christi eleuatur ad esse personale diuinum: ergo vt sic radicaliter pro illa debet supponere prædicta potestas in Christo.

5. Obiicies, humanitas Christi ad faciendum miracula, & ad effectus supernaturales, & miraculosos, indiget concursu Dei, ita vt sine tali concursu illos non possit operari: ergo potius supponit pro concursu speciali ipsius Dei, quàm pro ipsa humanitate eleuata ad esse diuinum. Respondetur concedendo, humanitatem Christi indigere concursu Dei ad prædictos effectus; hic tamen concursus specialis est debitus quodammodò ipsi humanitati, vt eleuatæ, & secundùm modum essendi, quem habet in Verbo.

Sectio II.

An potestas faciendi miracula, & conferendi gratiam quam habuit Christus, fuerit physica, an moralis.

6. COnueniunt Doctores contra Sotum in 4. distinct. 1. quæst. 2. art. 3. Humanitatem Christi, non fuisse causam physicam respectu gratiæ antiquorum Patrum, qui fuerunt ante ipsius aduentum. Cuius ratio est, quia quamuis causam finalem agere antequam sit, & à parte rei existat, nullam inuoluat contradictionem, quia ad rationem finis sufficit quòd præexistat in apprehensione; implicare tamen causam efficientem, præsertim operantem physicè, aliquid agere antequam sit; aliàs idem posset esse causa ad producendum seipsum: ergo non potest intelligi, quomodo humanitas Christi fuerit causa physica gratiæ sanctorum Patrum, qui illius aduentum præcesserunt.

Humanitas autem Christi variis modis causat in nobis gratiam. *Primò* per modum causæ finalis, quia, vt in superioribus docuimus, gratia confertur iustis in gloriam, & nominis exaltationem, Dei, & Christi. *Secundò* per modum causæ exemplaris, quia iusti per gratiam fiunt conformes imaginis filij Dei. *Tertiò* per modum causæ meritoriæ, quia humanitas Christi fuit causa meritoria nostræ gratiæ, & donorum supernaturalium. 7.

Præterea conueniunt, Christum duobus modis fecisse miracula, & produxisse gratiam. *Primò*, physicè secundùm diuinitatem. *Secundò*, moraliter, seu meritorie secundùm humanitatem, & vtroque modo fuisse causam principalem in suo genere. Secundùm diuinitatem, res est manifesta: secundùm humanitatem verò etiam constat, quia humanitas Christi in hoc genere, nulli alteri causæ meritoriæ subordinatur. Tota ergo difficultas est, an humanitas Christi ad hos effectus concurrerit tanquam instrumentum physicum diuinitatis. 8.

Conclusio est negatiua. Potestas faciendi miracula, & conferendi gratiam, quam habuit humanitas Christi, non fuit physica, sed moralis: hoc est, Christus contulit nobis gratiam, & fecit miracula per auctoritatem, & causalitatem moralem, ratione vnionis hypostaticæ, & meritorum, propter quæ illi concessum fuit, vt opera supernaturalia fierent diuina virtute, quandò ipse vellet, vel in confirmationem suæ doctrinæ, vel in alium finem ad redemptionem generis humani accommodatum. 9.

Et prior pars de causalitate gratiæ probatur, quia ad causalitatem efficientiæ physicam, requiritur contactus agentis ad passum: sed Christus secundùm humanitatem, non habet contactum ad omnes qui iustificantur, post eius aduentum: ergo neque causalitatem physicam exercet erga iustificationem hominum. Confirmatur *primò*, quia Christus est causa nostræ iustificationis media sua passione, morte, & resurrectione: sed istæ actiones modò non existunt: ergo non possunt esse causa physica nostræ iustificationis. Consequentia est manifesta. nam ab eo quòd non est, non potest aliquid physicè dependere. Confirmatur *secundò* ex Trident. sess. 6. cap. 7. vbi numerans causas iustificationis, tam physicas, quàm morales, Christo solùm tribuit causalitatem moralem. *Huius*, inquit, *causæ sunt, finalis quidem, gloria Dei, & Christi, ac vita æterna: efficiens verò, misericors Deus; meritoria autem Dominus noster Iesus Christus: instrumentalis item, Sacramentum Baptismi: denique vnica formalis causa est iustitia Dei.* Ecce Tridentinum tribuentem solùm causalitatem meritoriam Christo Domino. 10.

Obiicies plura testimonia sacræ Scripturæ in quibus videtur tribui Christo causalitas physica, quale est illud: *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Vbi sermo est de Christo secundùm humanitatem, & Matth. 9. *Filius hominis habet potestatem remittendi peccata.* Vbi per potestatem, non intelligitur facultas ad merendum, sed virtus ad efficiendum, & Ioann. 10. *Data est mihi omnis potestas*, &c. & expressiùs Ioan. 10. ad Roman. 5. vbi Paulus comparat virtutem 11. Matth. 9.

Christi ad causandam gratiam, cum causalitate peccati ex primo Parente: constat autem quod primus parens fuit causa per modum efficientiæ physicæ traducendi peccatum in posteros, sicut est causa physica traducendi naturam: ergo Christus eadem ratione est causa physica nostræ gratiæ. Confirmatur, quia Christus debuit nos iustificare per præstantiorem modum saluandi, & causandi gratiam: at longè præstantior modus est causandi, non solùm meritoriè, sed quòd physicè attingat productionem gratiæ, neque hoc ipsi repugnat: ergo hæc perfectio non est Christo deneganda.

12. Respondetur, Christum secundùm humanitatem non esse solùm causam sine qua non respectu nostræ gratiæ, ita vt ad præsentiam illius Deus causet gratiam, vt volebant Nominales; sed quod asserimus est Christum secundùm humanitatem, verè, & propriè, influere gratiam, sicut verè est caput, non quidem physicè, sed meritoriè. Nec in contrarium probant aliquid testimonia adducta. nam ex illis tantùm licèt colligere, Christum secundùm humanitatem esse causam gratiæ, quod quidem rectè saluatur per causalitatem moralem, & meritoriam. Qua ratione Christus multum differt à Moyse, quia Moyses tantùm dedit legem; Christus verò dedit legem euangelicam, & gratiam qua eam adimpleremus, & ideo de plenitudine gratiæ ipsius omnes accepimus. Denique præstantior modus iustificandi est per causam moralem, quàm per physicam, vbi causa moralis potest habere locum. Imò tota perfectio huius causationis pendet à dignitate personæ, quæ physicè causat gratiam, per quod patet ad confirmationem.

13. Posterior pars probatur primò ex Patribus, qui communiter distinguunt in Christi miraculis duas actiones, vnam, v.g. tangendi more humano defunctum, alteram suscitandi mortuum, & priorem inquiunt, fuisse solius humanitatis; posteriorem verò solius diuinitatis. legatur D. Athanasius oratione 4. contra Arrianos, vbi sic habet: *Cùm necessitas requirebat, vt socrum Petri febricitantem excitaret, humano quidem modo manum extendit; diuinitas autem morbum compescuit: humanum fuit è carne emisisse ſputum: diuinitus autem oculos aperuit.* Athanas. Consonat Damascenus lib. 3. de fide cap. 15. *Humana*, inquit, *actionis finis, in libera manus dilatione, & tactu positus erat; diuina autem in puella excitatione.* Damasc. & Sophronius, vt habetur in VI. Synodo actio. 11. *Vnus*, inquit, *duarum naturarum, secundùm aliam diuina signa operabatur; secundùm aliam humilia recipiebat.* Quòd si Patres credidissent humanitatem Christi in eos effectus physicè influxisse, certè secundùm istam actionem non tribuissent soli diuinitati. Vnde quando in Concilio Ephesino can. 11. diffinitur, *carnem Christi esse viuificatricem*, non vult habere vim instrumentalem physicam viuificandi, sed tantùm esse carnem viuificantis, & non puri hominis, contra Nestorium negantem, carnem Christi esse vnitam diuinitati hypostaticè.

14. Secundò probatur, quia tam necessaria est ad operandum propinquitas, & præsentia causæ efficientis, vt neque ipse Deus possit operari, nisi vbi præsens est: sed humanitas Christi sæpissimè non erat præsens, vbi miracula perpetrabantur, quia sæpe distabat à curatione infirmitatum, & ægrotorum, ab eiectione dæmonum, à corporibus obsessorum: ergo non potuit physicè operari.

15. Denique probatur, quia quod diuina virtute eleuatur vltra suas vires ad aliquid efficiendum, debet habere circa illud aliquam virtutem, saltem inchoatam: at humanitas Christi nullam habet virtutem inchoatam ad opera miraculosa; ergo non potest esse instrumentum physicum. Dices sufficere ad id concursum Dei specialem, quo eleuetur. Contrà, quia concursus ille non ponit intrinsecam virtutem actiuam in creatura: ergo quòd non habet virtutem actiuam, saltem inchoatam, non potest dici eleuari per diuinum concursum: potest quidem Deus ad præsentiam talis rei extraordinariè operari, tamen non potest dici illi cooperari. nam cooperari inuoluit quod alterum operetur: quod autem non habet virtutem operandi, non potest dici operari, & consequenter nec assumi tanquam physicum instrumentum. Sicut intellectus potest eleuari ad Deum clarè videndum, non tamen oculus corporeus, quia in hoc non datur virtus inchoata per quam aliquo modo possit ferri in Deum, illum cognoscendo; bene tamen in intellectu, qui saltem imperfectè potest naturaliter Deum cognoscere, & ideo potest eleuari ad claram Dei visionem. lege Præpositum quæst. 13. art. 2. dub. vnico, vbi latè hanc rationem prosequitur.

16. Obiicies, plura testimonia sacræ Scripturæ, ex quibus videtur deduci, humanitatem Christi fuisse causam physicam saltem instrumentalem miraculorum. Lucæ 6. *Et omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus de illa exibat, & sanabat omnes*, & cap. 8. *Tetigit me aliquis. nam ego noui virtutem de me exiisse*, Matth. 8. *Domine si vis, potes me mundare, & extendens manum tetigit eum, dicens, Volo, mundare*, & infrà. *Imperabat ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*, & sæpe alibi. Luc. 6. & 8. Matth. 8.

17. Respondetur, priora testimonia Lucæ 6. & 8. non probare physicam causalitatem humanitatis; quod enim Christus dicit virtutem de se exisse, nihil aliud est, quàm effectum aliquem supernaturalem, non quidem ab humanitate præcisè, vt distinguitur à Verbo, sed vt est vnum agens cum illo: quam vnitatem agentis habebat humanitas Christi ratione vnionis hypostaticæ, & non ex subordinatione qua subordinetur ipsi, vt agenti principali. Posteriora verò loca, cùm loquantur de illo tanquam de causa principali, potius denotant modum concurrendi moralem, quàm physicum concursum. nam vt causa principalis, omnes concedunt, quod Christus vt Deus, non tamen in quantum homo miracula patrabat: quod egregiè confirmant testimonia Patrum suprà adducta. Et quamuis humanitas Christi appellatur instrumentum, & organum diuinitatis, non ideo sequitur physicè concurrere, quia non solùm dantur instrumenta physica, sed etiam moralia.

DISPVTA

DISPVTATIO VIII.

De defectibus, tam corporis, quàm animæ, assumptis à filio Dei.

SECTIO I.

An filius Dei in humana natura debuerit assumere corporis defectus.

1. DE fide est, Christum assumpsisse corpus passibile, id enim probant omnia testimonia quæ affirmant, Christum passum fuisse famem, Matth. 4. sitim Matth. 26. fuisse fatigatum ex itinere, Ioann. 4. & similia: si enim non habuisset verum corpus passibile, non verè, sed apparenter solùm, hæc omnia peracta sunt contra veritatem Scripturæ, & nostræ redemptionis, & contra id quod expressit Isai. 53. verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Simpliciter tamen non fuit necessarium, vt Christus assumpserit corpus passibile, quia per modum meriti potuit nos sufficienter redimere, vnico solo actu interno amoris: potuit etiam per modum satisfactionis sufficienter pro culpa satisfacere sine passione, vel per actum amoris, vel cultus diuini, vel per actum aliquem doloris, vel tristitia in anima, sine corpore passibili, vera passione corporali. Valde tamen conueniens fuit, vt Christus sumeret corpus passibile, vt conuenientiori modo nos redimeret, & pro nobis satisfaceret, ac nobis præberet exemplum, vt sequamur vestigia eius.

2. Voluntas autem Christi dupliciter considerari potest, vel secundùm solas vires naturales, vel vt instrumentum diuinitatis: priori modo non poterat impedire hos defectus, & passiones, & in hoc sensu Christus assumpsit necessitatem subiacendi his defectibus, quia talem corporis dispositionem assumpsit, vt applicatis contrariis impossibile esset non pati ab eis, secluso speciali miraculo, & actione suæ voluntatis, vt docet D. Thomas in hoc loco. Ex quo sequitur, Christum assumpsisse indigentiam cibi, & potus, & consequenter necessitatem patiendi famem, & sitim, quando illa deficiebant: vnde quando in deserta quadraginta diebus fuit sine cibo, & potu, inter supernaturalia numeratur à Patribus. Posteriori modo hi effectus fuerunt voluntarij Christo, tum quia multas huiusmodi passiones assumebat ipse, & procurabat causas earum, vt cùm ieiunabat, cùm ambulando fatigabatur, &c. tum etiam, quia hæc patiebatur volendo, & amando ipsas passiones: tum denique, quia saltem vt instrumentum Verbi, poterat has passiones impedire, etiam præsentibus corrumpentibus, & nolebat: vnde sequitur illas simpliciter non fuisse coactas Christo. nam licèt essent contra appetitum creaturæ, & contra aliquam displicentiam voluntatis, vt natura est; non erant tamen contra absolutam, efficacem, & deliberatam voluntatem, sed secundùm illam. Nec refert, quòd tormenta, & mortem sibi imminentem refugerit. nam hic actus solum fuit simplex, & inefficax displicentia mortis, ac tormentorum, cum qua simul stabat in humana eiusdem voluntate, efficax volitio ea patiendi.

3. Sit conclusio. Christus non contraxit hos defectus, sed assumpsit voluntariè. Ita loquuntur omnes Theologi, & sensus est de fide, quatenus de fide est, Christum non habuisse peccatum originale, quia non ex semine viri, sed ex Spiritu sancto conceptus est, & ideo non dicitur contraxisse, sed assumpsisse hos defectus, qui neque fuissent si peccatum non intercessisset.

4. Notandum tamen est, defectus corporis quosdam esse, qui ita sunt connaturales corpori humano in sua pura natura considerato, vt sint veluti proprietates connaturales eius, & quasi in actu primo consistant, vt esse corpus passibile, esse graue, esse loco circumscriptum, & similes. Alij sunt defectus, qui etiam veluti in actu primo consistunt; repugnant tamen naturali perfectioni debitæ corpori humano, vel illam minuunt, vt est corporis turpitudo, imperfecta proportio membrorum, morbi, ægritudo, & similia. Alij denique sunt defectus qui consistunt in actu aliquo secundo actionis, vel passionis, vel per illum fiunt, vt fames, sitis, mors, &c. Et quidem defectus primi, & tertij generis, assumpti sunt à Christo; non verò defectus secundi generis, quia decuit Christum assumere corpus maximè perfectum propter personæ dignitatem, & quia huiusmodi defectus, cùm non consistant in aliqua actione, vel passione, neque ex illis prouenient, nihil ad meritum, vel satisfactionem conferrent.

5. Ex his infertur. *Primò*, Christum assumpsisse optimum temperamentum, & complexionem corporis humani, neque habuisse defectum illi repugnantem, quia corpus ita dispositum debebatur animæ perfectissimæ, & habenti perfectam vim intelligendi, qualis erat anima Christi. *Secundò* infertur, assumpsisse humani corporis pulchritudinem perfectam, quia corpus illud Spiritus sancti virtute fabricatum est, cuius opera sunt perfecta, & quia futurum est obiectum beatitudinis corporis nostri. *Denique* infertur, Christum non assumpsisse illos defectus corporis particulares, qui non sunt communes toti naturæ, vt sunt morbi, & ægritudines, quia cùm hi defectus oriantur, vel ex intemperantia hominum, vel ex defectu virtutis formatiuæ, cùm neutrum horum potuerit esse in Christo, ita neque hi defectus.

6. Inquires, si Christus ferro non fuisset occisus, cur tandem moreretur, si in eo non potuit esse ægritudo, aut morbus. Respondeo, causam propter quam si Christus non fuisset occisus, tandem senio confectus interiret, fuit indigentia cibi, quia calor naturalis semper restituit substantiam minus humidam loco substantiæ deperditæ, consumitur enim substantia nostra perpetuo calore præter naturam, qui in nobis augetur ex cibo, & potu, aut medicamento, aut exercitatione, aut ex rebus externis, quæ perpetuò in nos agunt; hinc fit vt corpora senescant, & tandem senio infecta intereant, etiamsi alia causa mortis non sit: ergo si Verbum diuinum assumpsit corpus corruptibile, illud quod acquirebat Christus per nutritionem, non erat tam conueniens suæ naturæ, sicut humidum radicale quod deperdebat per actionem caloris naturalis; sicque tandem senio confectus interiret.

7. Denique nota, actualem defuncti corporis corruptionem, Christum neque contraxisse, neque assumpsisse. *Primum* constat, quia defectus ille fuit in pœnam peccati à Deo inflictus. Genesis 2. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Vnde non decuit vt Christus peccati destructor, & à peccato omnino immunis, obnoxius esset huic defectui. *Secundum* etiam probatur ex Psalm. 15. *Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.* id namque petebat dignitas, & summa sanctitas illius corporis, & ad finem redemptionis necessaria non erat illius corruptio, sed potiùs præseruatio.

Genes. 2.

Psalm. 15.

Sectio II.

An animæ passiones fuerint in Christo.

8. PRima conclusio. In Christo fuit verus dolor sensibilis. Ita communiter Doctores, & Patres, & colligitur ex Isai 53. *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit.* Probat autem D. Thom. art. 5. quia vbicumque est vera læsio corporis, & verus sensus læsionis, ibi est verus dolor sensitiuus; sed in Christo fuit vera læsio, fuit etiam verus sensus læsionis: ergo fuit etiam verus dolor: quia positis istis duobus, naturaliter resultat dolor sentibilis, nisi miraculosè impediatur.

Isai. 53.

9. Nec obstat Hilarius 10. de Trinitate, vbi videtur negare, Christum passum esse dolorem sentibilem. Nam 3. de Trinitate, & super Psalm. 53. aperte docet, Christum passum esse famem, sitim, crucifixionem, &c. atque ita in eo loco tantùm vult, quòd ex dolore corporis Verbum nullum dolorem in se perceperit, contra Arrianos asserentes, Verbum esse creaturam. Vel secundò vult, non contraxisse dolorem eo modo quo in nobis est, videlicet ex debito peccati, sed voluntarie assumpsisse.

10. Secunda conclusio In Christo fuit vera tristitia. patet Matth. 26. *Tristis est anima mea vsque ad mortem.* Et probatur, quia tristitia est displicentia ex apprehensione alicuius nociui, tanquam præsentis, in quo differt à dolore, qui est displicentia quædam animæ orta ex sensu tactus, circa obiectum eidem tactui disconueniens: sed in Christo potuit esse apprehensio talis mali, verbi gratia, mortis, & iniuriarum: ergo potuit in eo esse tristitia, quæ ex tali obiecto apprehenso naturaliter sequitur in appetitu, nisi miraculose impediatur: cui non obstitit beatitudo animæ, quia, vt docuit D. Thom. art. 5. & 6. diuina dispensatione factum fuit, vt beatitudo quæ erat in anima Christi, non deriuaretur in corpus, ne dolorem, & tristitiam, in appetitu sensitiuo impediret.

Matth. 26.

11. Addo, Christum non solùm habuisse tristitiam secundùm appetitum sensitiuum, sed etiam secundùm voluntatem. Pro quo nota quòd licèt voluntas sit vnica potentia, Doctores tamen in ea duas distinguunt portiones, inferiorem scilicet, & superiorem, iuxta diuersitatem motiuorum, quibus voluntas mouetur. Vnde quando voluntas mouetur ob aliquam motiuum propositum voluntati sub aliqua ratione apprehensa ab imaginatione, tunc dicitur portio inferior: quando verò mouetur sub aliqua ratione apprehensa solùm ab intellectu, tunc dicitur portio superior: quòd verò in voluntate Christi vtroque modo, & secundùm vtramque portionem fuerit tristitia, probatur, quia Christus tristatus est, non solùm propter mortem, & iniurias sibi illatas, quæ cadunt sub apprehensione imaginationis, sed etiam de peccato, vt est Dei offensa, de ruina Iudæorum, & quòd fructus redemptionis ad tam paucos peruenirent, &c. quæ cadunt sub apprehensione intellectus: ergo secundùm vtramque portionem tristatus fuit. Vnde diuina dispensatione supernaturaliter factum fuit, vt in eadem voluntate Christi, simul essent tristitia, & gaudium beatificum, quia licèt essent actus contrarij, non tamen circa idem obiectum, sed circa diuersa, & ideo non implicat fuisse simul.

12. Tertia conclusio. In Christo fuit etiam timor. patet Marc. 14. *Cœpit pauere, & tædere*; & ratione probatur, quia timor naturaliter oritur ex apprehensione mali futuri, sicut tristitia de malo præsenti; sed in Christo fuit hæc tristitia, vt manet probatum: ergo etiam fuit timor de malo futuro præuiso, vt futuro. Hic autem timor non tantùm fuit in appetitu sensitiuo Christi, sed etiam in ipsius voluntate, & secundùm vtramque portionem, quod manifestè probat sudor sanguineus in horto, quem Patres adscribunt considerationi peccatorum, & offensæ Dei, quæ pertinent ad partem superiorem voluntatis.

Marc. 14.

13. Obiicies, quia timor oritur ex apprehensione mali futuri, vt docuit Aristot. 2. Rhetor. cap. 5. vbi ait. *Non esse timorem, nisi vbi adest spes euadendi*; ergo cùm Christus haberet omnimodam certitudinem mortis futuræ, illam propriè non timuit. Pater consequentia, quia apprehensio mali futuri plenam habens certitudinem, non inducit timorem, qui pugnat cum certa euentus præscientia. Respondetur, quòd licèt Christus sciret mortem certò euenturam, & nullam haberet spem euadendi; adhuc tamen potuit timere, & de facto timuit, non quidem voluntate efficaci, quæ moueat ad quærenda remedia contra malum imminens, sed per simplicem fugam voluntatis. Itaque incertitudo mali futuri, seu spes euadendi, non est de essentia timoris, sed fuga futuri mali; siue certò constet futurum, siue dubium sit: qui enim firmissimè statuit amaram potionem sumere, certò scit fore, vt potionem accipiat, neque habet spem euadendi, imò desiderium ipsius, & tamen re vera timet, quia apprehendit potionem, vt malum imminens.

Aristot.

14. Quarta conclusio. In Christo fuit admiratio. patet Matth. 8. *Audiens Iesus miratus est*, & cap. 15. *O mulier, magna est fides tua.* quæ verba veram, & propriam indicant admirationem; & ratione probatur, quia admiratio contingit de aliquo nouo, & insolito, & quamuis nihil lateret scientiam Christi, neque potuerit esse nouum, & insolitum, quoad scientiam visionis, & scientiam infusam; potuit tamen aliquid esse insolitum, eius experientiæ, & respectu illius esse magnum, quod ad admirationem sufficit. Probabile tamen est, hanc non esse admirationem propriè dictam. nam hæc sine ignorantia esse non potest, teste Aristot. 1. Rhetoric. cap. 14. *In admirando*, inquit, *discendi cupiditas inest*; cùm ergo in Christo non fuerit propria ignorantia, consequens est, vt neque fuerit propria admiratio.

Matth. 8. & 15.

Aristot.

Quinta

15. Quinta concluſio. In Chriſto fuit ira. Patet Marc. 3. Marci 3. *Circumſpiciens eos cum ira*; & ratione probatur, quia ira eſt appetitus vindictæ: ſed hic appetitus, ſi fiat iuxta dictamen rationis, & ſecundùm ordinem iuſtitiæ, non eſt malus, ſed ſæpe expetendus, & laudabilis: ergo talis appetitus non eſt Chriſto denegandus.

16. Denique cæteras paſſiones, amorem ſcilicet, & odium, deſiderium, & fugam, gaudium, ſpem, & ſperationem, & audaciam pediſſequam ſpei, in Chriſto fuiſſe declaratur, quia amor boni, ſeu conuenientis ſecundùm ſe, & odium mali, ſeu diſconuenientis, naturaliſſimus eſt hominis affectus, nec imperfectionem, aut indecentiam inuoluit: vnde non eſt negandus Chriſto, cui ſimpliciter placebat honeſtas virtutis, & diſplicebat vitij turpitudo. Deinde, Chriſtus deſiderabat peccatorum conuerſionem, & optabat, vt peccatores in ſua culpa non perſiſterent, & delectabatur de eorumdem conuerſione, deſiderauit plura, quæ ſecundùm præſentem rerum ſtatum, ipſi erant ardua. Noluit adhibere media, nec procurare res aliquas arduas, & optabiles. Denique audacter, & publicè prædicabat, contemnens grauiſſima pericula quæ inde certò imminebant: ergo omnes prædicti affectus fuerunt in Chriſto Domino.

17. Illud tamen notandum eſt, reperiri magnum diſcrimen, inter has Chriſti paſſiones, ſeu affectus, & noſtros, quia in nobis frequentiùs inclinant ad malum, & ad ea quæ ex ſe ſunt illicita, ſæpe rationem perturbant; voluntatem & rationem præueniunt, & nolimus velimus, excitantur: in Chriſto autem nihil horum habebant; vnde à Doctoribus non tam paſſiones, quàm præpaſſiones ſolent appellari.

Sectio III.

An in Chriſto fuerit, vel potuerit eſſe peccatum.

18. Concluſio eſt negatiua. Non ſolùm de lege ordinaria, ſed etiam de potentia Dei abſoluta. Prior pars eſt de fide diffinita in Concilio Epheſino cap. 10. vbi dicitur, Chriſtum obtuliſſe ſacrificium pro aliis, & non pro ſe, quia peccatum omnino neſciuit, & colligitur ex ſacra Scriptura 1. Petri 2. 1. Petr. 2. Hebr. 7. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius*, & ad Hebr. 7. Non ſolùm à peccatis immunem, ſanctumque, & innocentem; ſed etiam à peccatoribus ſegregatum, & excelſiorem cœlis, appellat eum Paulus. Et ratione probatur, quia Chriſtus fuit plenè confirmatus in gratia, & ideo Ioan. 1. dicitur, *plenus gratia, & veritatis*, de cuius plenitudine, etiam Sancti acceperunt confirmationem in gratia, vt patet de Apoſtolis & præcipuè de beata Virgine, quæ ratione confirmationis habuit, vt nec venialiter poſſet peccare; ſed qui eſt plenè confirmatus, peccare non poteſt: ergo. Deinde quia Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus: at de fide eſt Beatos de lege, & potentia ordinaria non poſſe peccare. Denique, quia Chriſtus tantùm illos defectus debuit aſſumere, qui neceſſarij erant, vel ad ſatisfaciendum pro nobis, vel ad comprobandam veritatem naturæ humanæ, vel vt nobis fieret exemplum virtutis: ad nihil autem horum potuit conducere peccatum, vt demonſtrat D. Thom. in hoc loco: ergo. Ioan. 1.

Obiicies primò, verba illa Chriſti in cruce: *Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? longè à ſalute mea, verba delictorum meorum.* Reſpondetur, hæc verba non dixiſſe ex deſperatione, vt impiè interpretatur Caluinus: quomodo enim deſperare poterat, qui clarè Deum videbat, & ſciebat beatitudinem ſuam fore perpetuam? ſed ſunt verba maximè dolentis, vel quaſi admirantis, quaſi diceret, quare in tanto corporis cruciatu dereliquiſti me? Dicitur autem Chriſtus derelictus à Patre in cruce, quia nihil ſolatij illi communicauit quantum ad portionem inferiorem. Ideo aliter dicitur peccator derelictus à Deo, quàm Chriſtus: peccator quantum ad permiſſionem culpæ, & indurationem in peccato: Chriſtus verò dicitur derelictus quantum ad pœnam. Verba verò ſequentia: *longè à ſalute mea, verba delictorum meorum*, dupliciter explicantur à Patribus. *Primò*, vt illa ſint verba Chriſti, ſed loquentis, non in ſua, ſed in perſona omnium noſtrùm. *Secundò*, verba illa Chriſti eſſe, & loquentis in perſona ſua; appellaſſe tamen delicta ſua, quæ noſtra erant, quia ea fecit quodammodo ſua, dum ſe obtulit Patri, vt pro iis ſatisfaceret. Itaque ſenſus eſt, *longè à ſalute mea, verba delictorum meorum*. quaſi dicat. Mirum non eſt, quòd relinquas me in his doloribus, quia delicta totius mundi, quæ in me ſuſcepi, coniungi nequeunt cum ſalute mei corporis, nec poſſunt aliter expiari niſi luendo hanc pœnam. 19 Pſalm. 21.

Obiicies ſecundò, ex 2. Corinth. 5. vbi loquens Paulus de Chriſto dicit: *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Reſpondetur, quòd ly *peccatum*, ibi ſumitur pro hoſtia, vt ſit ſenſus, *pro nobis peccatum fecit*, id eſt, vt eſſet pro nobis hoſtia, & ſacrificium. Vel ſumitur pro ſimilitudine, & imagine peccati: Chriſtus enim aſſumens corpus paſſibile, & pœnalitates peccati, aſſumpſit ſimilitudinem, & imaginem peccatoris. 20. 2. Cor. 5.

Secunda pars noſtræ concluſionis oſtenditur à Doctoribus variis rationibus. 21.

Prima eſt D. Thomæ, quia ſi Chriſtus poſſet peccare, Deus poſſet peccare, quod eſt impoſſibile: actiones enim, vt docet commune axioma Philoſophorum, non tam ſunt formarum, quàm ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium: in Chriſto autem tantùm eſt ſuppoſitum, ſeu ſubſiſtens diuinum: ergo ſi Chriſtus poſſet peccare, ſuppoſitum diuinum peccare poſſet, quod eſt impoſſibile. Confirmatur, quia Verbum non minus agit per naturam humanam cuius eſt ſuppoſitum, quàm alia ſuppoſita per ſuas proprias naturas. nam licèt ſubſiſtentia non ſit operatiua, neque principium quo operationis, tamen ſuppoſitum verè operatur: vnde ſi actio naturæ humanæ eſt peccaminoſa, verè & propriè ſuppoſitum denominatur ab ea peccans, tanquam exercens actionem diformem rationi: eodem modo denominabitur Chriſtus, ſeu ſuppoſitum diuinum.

Secunda ratio, quam Vazquez in hoc loco reputat efficaciſſimam, eſt huiuſmodi, quia natura humana hypoſtaticè vnita diuinæ perſonæ, ipſa deitate deificatur, & ſanctificatur, ſanctitate ſubſtantiali, & tanquam vnguento vngitur; ita vt ſicut non poteſt eſſe maior, aut magis infinita, aut altioris ordinis, & generis ſanctitas, quàm diuinitas, neque excogitari poteſt: ita nulla ſanctitas maior, aut magis infinita, nec altioris generis excogitari 22.

poteſt, quàm ſanctitas humanitatis Chriſti. Ex quo fit, vt nullum peccatum ſimul cum ea ſtare poſſit, quia ſicut ſanctitati nihil magis opponitur, quàm peccatum; ita tam infinitæ ſanctitati non poteſt non opponi quodlibet peccatum. Quæ ratio deſumpta eſt ex Nazianz. orat. 36, vbi loquens de Chriſto ita ait. *Illius enim voluntas cùm tota deificata ſit, Deo proculdubio non aduerſatur.* Conſonat Auguſtinus lib. de Incarnatione Verbi paulo ante finem. *Sicut vas ipſum quod ſubſtantiam continet vnguenti, nullum genus aliud poteſt recipere liquoris; ita anima Chriſti velut in quo inerat ſubſtantia vnguenti, impoſſibile fuit, vt contrarium reciperet odorem.*

Nazianz.

Auguſt.

23. Tertia denique probatur ab aliquibus Recentioribus, quia ſi humanitati Chriſti non repugnaret peccatum, ipſum Verbo tribueretur, non ſolùm per communicationem idiomatum, ſed formaliter, quod eſt impoſſibile. Et ratio eſt, quia perſona intellectualis naturaliter obligatur, vt gubernet, & dirigat naturam ſibi ſubſtantialiter coniunctam. Vnde fit, vt homo per naturam intellectualem teneatur gubernare naturam ſenſitiuam, & per appetitum ſuperiorem dirigere inferiorem; ac proinde ſi eſt aliqua inordinatio culpabilis in appetitu ſenſitiuo, tota culpa redundat in appetitum intellectualem, ad quem ſpectat illius gubernatio, & cuſtodia: ſed perſona Verbi eſt ſubſtantialiter vnita humanitati Chriſti, & in illa ſunt duæ naturæ, altera diuina, altera humana, & ad diuinam pertinet dirigere humanam ad bene operandum: ergo ſi in natura humana eſt aliqua inordinatio, imputabitur Verbo, tanquam auctori illius inordinationis: quod dici non poteſt. Ex quo

24. Infertur primò, quòd quamuis in Chriſto fuerit potentia peccandi remota, quia hæc potentia in homine nihil aliud eſt, quàm ipſamet potentia voluntatis, quæ quantum eſt ex ſe, eſt capax peccati, quam voluntatem integram habuit Chriſtus: tamen potentia proxima peccandi, in eo eſſe non potuit, quia hæc nihil aliud eſt, quàm ipſamet voluntas expedita, ſeu non impedita ad peccandum: hanc verò nec habuit Chriſtus, nec habere potuit, propter vnionem ad Verbum, vt prædictum eſt.

25. Infertur ſecundò, in Chriſto neque fuiſſe, neque eſſe potuiſſe fomitem peccati. nam, vt probat D. Thomas art. 2. Chriſtus eos defectus debuit tantùm aſſumere, qui conducere poterant ad ſatisfaciendum: fomes autem ad hunc finem in nullo poterat conducere, imò magis ad oppoſitum. Et confirmatur. nam fortior eſt gratia Chriſti, quàm gratia Adæ in ſtatu innocentiæ: at in ſtatu innocentiæ ratione iuſtitiæ originalis, nullus fuit fomes; ergo multo minus in Chriſto.

26. Pro quo nota primò. Non eſſe idem appetitum ſenſitiuum, & fomitem, quia appetitus ſenſitiuus latius patet quàm fomes; hic enim tantùm tendit in obiecta illicita: appetitus verò in omnia obiecta ſenſibilia, ſiue licita, ſiue illicita. Itaque in Chriſto fuit verus appetitus ſenſitiuus, quia fuit verus homo, ac proinde habuit potentias, & facultates naturales, & conſequenter appetitum ſenſitiuum: hic enim ſecundùm ſe non aduerſatur recti rationi, vt patet in Beatis, ſed quatenus inficitur peccato originali, & præuenit vſum rationis.

27. Secundò nota, per fomitem intelligere Doctores, habitualem inclinationem appetitus ſenſitiui, pro vt aptus eſt excitare aliquid contra rationem, vt ad ſuperfluam delectationem, &c. Ideo enim dicitur fomes, quia eſt in nobis fomentum ad malum. Hoc autem dupliciter poteſt contingere, vel formaliter, vel materialiter: formaliter inclinat ad malum, cùm exit in actum deliberatum contra rationem, quem ratio poterat, & tenebatur cohibere: materialiter verò, cùm ex eadem inclinatione inſurgit in nobis aliquis motus malus ex obiecto, vt ſuperflua delectatio, vel exorbitans ira, ſed indeliberatus, & præueniens omnem rationem, quem proinde non potuit cohibere, ne inſurgeret. Et quidem ſi loquamur de fomite primo modo, certum eſt in Chriſto etiam de potentia abſoluta, non potuiſſe eſſe fomitem, ſicut non potuit in eo eſſe peccatum. Si autem loquamur de fomite ſecundo modo, pro vt inclinat ad malum materialiter, adhuc cenſeo probabilius eſſe, non potuiſſe eſſe in Chriſto, etiam de potentia abſoluta: tum, quia in Chriſto non fuit radix iſtius fomitis, nempe peccatum originale: tum, quia repugnat Chriſto, cùm inclinet ad malum: ſicut enim ei repugnat peccatum, ita inclinatio ad malum.

28. Infertur tertiò, neque humanitatem Chriſti poſſe labi in aliquod peccatum, per quod vnio cum Verbo deſtrueretur. Ita docuit D. Auguſtinus de correptione, & gratia, cap. 11. vbi ſic ait: *Neque enim metuendum erat, ne iſto ineffabili modo, in vnitatem perſonæ à Verbo Deo, humana natura ſuſcepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipſa ſuſceptio talis eſſet, vt natura hominis à Deo ita ſuſcepta, nullum in ſe motum malæ voluntatis admitteret.* Et ratio huius eſt, quia humanitati Chriſti tribuenda eſt tanta ſaltem impeccabilitas ex vnione ad Verbum deriuata, quantam ſtatus beatitudinis affert Beatis: at ſtatus beatitudinis non ſolum affert talem impeccabilitatem, vt Beati peccare non poſſint, quandiu in eis perſeuerat beatitudo; poſſint tamen abſolutè peccare, peccato quo beatitudo ipſa deſtruatur: imò tam perfectam affert, vt nullo ſuo peccato eam deſtruere valeant, nec poſſint amplius in aliquod peccatum prorumpere: ergo idem, & potiori iure dicendum eſt de vnione hypoſtatica.

Auguſt.

29. Sed maior difficultas conſiſtit in concilianda libertate voluntatis Chriſti, cum ipſius impeccabilitate. Dices non eſſe in hoc difficultatem, quia libertas arbitrij non requirit neceſſariò facultatem peccandi. nam Deus habet liberum arbitrium, & tamen non poteſt peccare: quia libertas arbitrij eſt quædam perfectio naturæ intellectualis; peccare autem eſt deficere à perfectione, ac proinde libertas peccandi ad imperfectionem pertinet, non ad perfectionem. Hoc tamen non ſoluit difficultatem, quia humanitas Chriſti, tam ratione viſionis beatificæ, quàm vnionis hypoſtaticæ, reddita eſt impeccabilis; ſuppoſita autem hac impeccabilitate, impoſſibile fuit Chriſto non implere id quod à Patre fuerat ei præceptum: Chriſtus ergo illud neceſſariò operabatur, ac proinde non liberè.

30. Huic difficultati variæ reſponſiones adhiberi ſolent, adducam tantummodo ſolidiores.

Prima & verior eſt, præceptum impoſitum Chriſto poſſe dupliciter conſiderari, vno modo quoad ſubſtantiam actus præcepti, alio verò modo quoad circumſtantiam actus, vt motiui, vel intenſionis, &c. Priori modo verum eſt, non fuiſſe liberum, ſed neceſſarium; bene tamen poſteriori modo, quia licèt Chriſtus neceſſariò, & non liberè adimplere deberet actum præceptum, vt actum moriendi; potuit tamen

Digitized by Google

tamen velle mori, vel ex motiuo charitatis, vel obedientiæ, vel fortitudinis, vel patientiæ, vel misericordiæ, vel alterius virtutis, vel omnium simul; & consequenter adimpletio præcepti, seu actus præcepti in hac parte fuit liber, & ratio huius est, quia opus extrinsecum tunc censetur liberum, quando imperatur à libero actu voluntatis: sed actus Christi externus præceptus, imperabatur ab actu libero, nempe ex hoc, vel illo motiuo, cum hac, vel illa intensione: intensio enim actus non fuit præcepta Christo; ergo erat liber.

31. Secunda est, Christum absolutè fuisse liberè mortuum, quia data fuit ei optio vitæ passibilis, vel impassibilis in ipsomet incarnationis instanti, & ex libera voluntate sua elegit vitam passibilem, & mortalem: quod non obscurè docuit Paulus ad Hebr. 12. vbi loquens de Christo ait: *Qui proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*; ex quibus manifestè deducitur, datam fuisse Christo optionem redimendi homines, vel vita mortali, per passionem, & mortem, vel immortali, & secundùm ipsum corpus glorioſæ: & Christum ex sua mera voluntate elegisse corpus passionibus obnoxium. lege Nazianzenum in Panoplia cap. 27. vbi loquens de Christo sic ait: *Cui cùm liberum fuisset manere in propria gloria, & diuinitate, non solùm exinaniuit semetipsum quoad formam serui, sed & crucem sustinuit, ignominia contempta.* Conuenientissimum etiam fuit, vt tantus labor ei non imponeretur à Patre, nisi liberè illum eligenti.

Hebr. 12. Nazianz.

32. Tertia, quia Christus petiuit à Patre, vt sibi illud præceptum imponeret; nec fuisset impositum, nisi liberè petenti: quod non obscurè deducitur ex Paulo ad Hebr. 10. Dum postquam dixit, sacrificia vetera insufficientia fuisse ad delendum culpas, subdit de Christo loquens. *Ideo ingrediens mundum dicit, Hostiam, & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi.* Quæ verba sumpsit Paulus ex Psalm. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti; aures autem perfecisti mihi: holocaustum, & pro peccato non postulasti, tunc dixi: Ecce venio.* Sensus igitur vtriusque loci est, quia holocaustomata vetera peccatis eluendis non sufficiebant, aptatum fuisse Christo corpus, quod pro peccatis offerre, & sacrificare posset: Christum verò tunc in instanti incarnationis dixisse, non expectato præcepto: *Ecce venio.* quibus verbis petiuit moriendi præceptum à Patre.

Hebr. 10. Psalm. 39.

33. Quarta denique ratio est, quia Christus liberè potuit, & habere noluit præcepti dispensationem, aut commutationem: quod etiam deducitur ex Matth. cap. 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* ex quibus colligitur, Christum habuisse veram potestatem impediendi suam comprehensionem, & occisionem: quod quidem aliter fieri non poterat, nisi petendo, & impetrando mortis præceptæ dispensationem, aut commutationem, inquit enim, *exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum*; ergo si Christus præcepti solutionem petiisset, concessisset illam Deus; ergo fuit perfectissimè liber, non obstante præcepto moriendi, quia liberè non habuit laxationem illius.

Matth. 26.

DISPVTATIO IX.

De communicatione idiomatum.

SECTIO I.

Quid sit communicatio idiomatum.

IN primis, reiiciendus est error hæreticorum existimantium, communicationem idiomatum non esse solùm ratione prædicationis, quia quæ sunt hominis, tribuuntur Deo; & è contra propter vnionem hypostaticam; sed etiam quia proprietates, seu attributa diuinæ naturæ, v. g. omnipotentia, omniscientia, immensitas, seu omnipræsentia, realiter communicata sint humanitati Christi, itavt sit verè omnipotens, omniscia, vbique præsens, non solùm in supposito, seu persona Verbi, quia illi humanitati datum est, vt subsistat in persona Verbi, quæ est omnipotens, & vbique præsens, &c. sed etiam, quia communicata sunt ipsi humanitati in se proximè, immediatè, & realiter, sicut illi communicata fuit subsistentia; ac proinde sicut humanitas Christi subsistit subsistentia diuina, & vbique præsens immensitate diuina. 1.

Hic error reiicitur, quia inde sequeretur, vnam naturam conuersam esse in aliam, & vnionem factam esse in natura, quia facta est in attributis diuinis quæ sunt ipsamet natura diuina: quod suprà manet impugnatum contra Eutychem. Deinde, quia vnum attributum nequit communicari sine alio. nam quodlibet attributum intrinsecè includit: sed non possunt omnia attributa communicari; ergo nullum potest. Et primò, esse actum purum communicari nequit, quia humanitas composita est essentialiter, ex anima, & corpore. Neque esse æternam, quia in tempore fuit producta: neque esse independentem, quia habet esse à Deo, & ab eo conseruatur. 2.

Obiiciunt hæretici plura testimonia sacræ Scripturæ, ad Colos. 3. *In Christo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* ad Ephes. 4. *Qui descendit, ipse est qui ascendit super omnes cœlos, vt impleret omnia.* Ex quo colligunt, Christum post ascensionem incepisse esse vbique secūdùm humanitatem. Idem colligunt ex illo Matth. 28 *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.* 3. Col. 3. Epues 4. Matth. 28.

Respondetur, quando in sacra Scriptura dicitur de Christo, *habitare in ipso omnem plenitudinem diuinitatis corporaliter*, sic esse intelligendum; quòd sicut Christus est verus Deus, & verus homo, necesse est, vt sicut in ipso est plenitudo humanitatis, id est, natura humana cum suis proprietatibus, & attributis: sic etiam sit plenitudo diuinitatis, id est, diuina natura cum suis proprietatibus, & attributis. Ly verò *corporaliter*, idem est, quod verè, & substantialiter. nam diuinitas verè, & substantialiter est in Christo, non sicut in aliis iustis, in quibus inhabitat diuinitas solùm participatiuè. Deinde sensus illius loci ad Ephes. 4. est, Christum priùs descendisse ad inferos, deinde ascēdisse super omnes cœlos, vt omnia loca infima, media, & suprema successiuè impleret. Denique ex cap. 28. Matth. solùm colligitur, Christum adesse omnibus bonis, & iustis, per suam gratiam, & dilectionem, non verò per præsentiam corporalem. 4.

5. Sit concluſio, communicatio idiomatum nihil aliud eſt, quàm mutua prædicatio diuinorum attributorum, & humanarum proprietatum, inter Deum, & hominem: cùm enim natura humana, & diuina ſint vnitæ in vnam perſonam, inde fit, vt quæ ſunt hominis tribuantur Deo, & quæ ſunt Dei tribuantur homini. Ita communiter Patres, & Theologi. Vt autem hoc exaptiùs intelligatur, & quomodo huiuſmodi prædicationes rectè fieri poſſint, ſubiiciendæ ſunt nonnullæ regulæ.

6. Prima regula ſit, prædicata, ſeu attributa propria naturæ diuinæ, vel humanæ per incarnationem poſſunt prædicari de perſona Verbi in concreto. Ratio eſt, quia nomina concreta ſubſtantiua licèt diſtinctè ſignificent aliquam formam, in confuſo tamen ſignificant ſubſiſtentiam, ſeu ſuppoſitum: cùm ergo in Chriſto ſit vnica ſubſiſtentia, ſeu ſuppoſitum in duplici natura, inde fit, vt omnia quæ conueniunt vni naturæ, poſſint attribui alteri in eodem ſuppoſito; ac proinde has propoſitiones eſſe veras: perſona Verbi eſt Deus, perſona Verbi eſt homo: Verbum eſt Deus, Verbum eſt homo: homo eſt Deus, & Deus eſt homo: Chriſtus eſt mortalis, Chriſtus eſt immortalis: Chriſtus eſt æternus, Chriſtus eſt temporalis; hæc enim verificantur de Chriſto, ratione duarum naturarum in eadem perſonâ ſubſiſtentium.

7. Obiicies, ex hoc ſequi verè dici poſſe de hoc homine oſtendendo Chriſtum: hic homo generat Verbum, quia quæcumque dicuntur de Deo, poſſunt verè affirmari de homine: verè autem dicitur de Deo generare Verbum. Reſpondetur, nos non affirmare omnia quæ de Deo verè dicuntur, poſſe verè dici de homine, ſed quæcumque verè dicuntur de filio Dei, de quo non poteſt verè affirmari, quòd Verbum generet.

8. Secunda regula, prædicata, ſeu attributa vnius naturæ in abſtracto ſumpta, non poſſunt verè, & propriè prædicari de alia: vnde abſtracta diuinitatis non poſſunt propriè, & formaliter enuntiari de abſtractis humanitatis, neque è contra: ac proinde iſtæ ſunt falſæ: diuinitas eſt humanitas, humanitas eſt diuinitas: diuinitas paſſa eſt, &c. Ratio eſt, quia abſtracta ſignificant formam ad modum per ſe ſtantis: vnde cùm tales affectiones non competant diuinitati, neque humanitati ſecundùm de ſpectatis, nulla ratione poſſunt de illis enuntiari. Deinde, quia impoſſibile eſt, vt aliquid prædicetur de alio, niſi fuerit in eo, vel niſi fuerit idem cum eo: humanitas autem in abſtracto ſumpta, neque eſt idem cum diuinitate, neque eſt in diuinitate; ergo non poteſt de illa enuntiari: & propter eamdem rationem, neque diuinitas de humanitate in abſtracto.

9. Nec obſtat, quòd hæc propoſitio eſt vera: Diuinitas eſt incarnata, vt videre eſt apud Fulgentium in opere de Fide ad Petrum cap. 2. Reſpondetur cum D. Bonauent. in 3. diſt. 8. art. 1. modum illum loquendi non eſſe imitandum, neque prædicatum illud conuenire naturæ diuinæ per communicationem idiomatum, ſed verè, & ſecundùm ſe. nam diuinitas verè eſt vnita carni, non vt ſuppoſitum, ſed tanquam natura ſuppoſiti; & ſic illa propoſitio idemticè tantùm eſt vera, non autem in ſenſu proprio, & formali. Rurſus non obſtat, Eccleſiam in quodam hymno admittere propoſitionem iſtam: Vita mortua eſt. nam ibi abſtractum ponitur pro concreto, quod eſt ſuppoſitum naturæ diuinæ, & humanæ, & quod ſecundùm naturam humanam mortuum eſt.

10. Tertia regula, concreta diuinitatis non dicuntur de abſtractis humanitatis, nec è contra, concreta humanitatis de abſtractis diuinitatis. Et ratio eſt, quia concreta humanitatis non inſunt diuinitati ſumptæ in abſtracto, ſed ſoli inſunt humanitati; ergo non poſſunt de diuinitate ita ſumpta prædicari, vnde hæc eſt falſa: humanitas eſt Deus, vel Deus eſt humanitas.

11. Quarta regula, attributa diuinæ naturæ non poſſunt attribui Chriſto, vt homini, cum reduplicatione: & ſimiliter proprietates naturæ humanæ non poſſunt attribui Chriſto, vt Deo, cum eadem reduplicatione. Vnde hæc eſt falſa: Chriſtus vt homo eſt æternus, Chriſtus vt Deus eſt paſſus. Ratio eſt, quia huiuſmodi reduplicationes ſignificant naturam ratione cuius conueniunt Chriſto illa attributa: at diuina natura non eſt ratio, vt illi attribuantur attributa humana: neque natura humana eſt ratio, vt illi attribuantur attributa diuina.

12. Quinta regula, attributa, ſeu proprietates quæ requirunt ſuppoſitum creatum, non poſſunt enuntiari de Chriſto: non enim licet dicere, Chriſtus eſt purus homo, eſt peccabilis, eſt filius Dei adoptiuus, &c. quia hæc attributa ita concludunt perſonam creatam, vt excludant perſonam diuinam: in Chriſto autem non eſt perſona creata, ſed diuina, ſeu increata.

Sectio II.

Soluuntur nonnullæ difficultates circa modum loquendi de hoc myſterio.

13. PRima difficultas eſt, an hæc propoſitio ſit propria, & formalis: Deus eſt homo. Reſpondetur affirmatiuè. Conſtat Ioan. 1. *Verbum caro factum eſt.* & ex Symbolo Nicæno. *Et homo factus eſt.* Et probatur, quia, vt prædiximus, attributa in concreto ſignificantia naturam humanam, & eius proprietates, propriè, & formaliter prædicari de Deo: vnde quamuis hoc nomen *Deus* ex vi ſuæ primæ ſignificationis, ſignificet id quod ſubſiſtit in natura diuina, poſito tamen Incarnationis myſterio, ex vſu loquendi Theologorum, non ſolùm ſignificat id quod ſubſiſtit in natura diuina, ſed etiam quod ſubſiſtit in natura humana. Ioan. 1.

14. Obiicies, quia in hac propoſitione, Deus eſt homo, prædicatum non eſt de intrinſeca ratione ſubiecti; ergo non eſt propria, & formalis. Reſpondetur, ad hoc vt prædicatio dicatur propria, & formalis, non requiri quòd attributum ſit de intrinſeca ratione ſubiecti, vt patet in hac, paries eſt albus, ſed ſufficere quòd attributum ſit in ſubiecto, vel enuncietur de proprio ſuppoſito. Ex quo

15. Infero primò, hanc etiam eſſe veram, Deus factus eſt homo. Ratio eſt, quia Deus antea non erat homo; ergo non potuit in tempore eſſe homo, abſque aliqua effectione; ergo verè & propriè factus eſt homo. Vnde Ioan. 1. dicitur: *Verbum caro factum eſt.* Ioan. 1.

Infero ſecundò, hanc eſſe falſam, Homo factus eſt Deus. Ratio eſt, quia homo in hac præpoſitione cùm ſumatur à parte ſubiecti, ſupponit naturaliter pro ſuppoſito Verbi, quod falſum eſt eſſe factum.

16. Obiicies, ſi hæc eſt vera, Deus factus eſt homo, cur ergo non eſt hæc vera, Homo factus eſt Deus.

Digitized by Google

Deus. Respondetur, ob rationem dictam, quia variatur suppositio. nam quando homo est subiectum propositionis, supponit pro supposito humano, seu persona naturæ humanæ: at quando est prædicatum, supponit pro natura humana; cùm ergo nulla persona naturæ humanæ facta sit Deus, ideo prior illa propositio vera esse non potest. Vnde quando Patres vtuntur illa, asserentes Deum factum hominem, & hominem Deum, non sunt intelligendi propriè, & strictè, sed in hoc sensu: is qui factus est homo, est Deus, assumentes concretum pro abstracto: nec aliud voluisse, quàm humanitatem fuisse à Deo assumptam, ac ei vnitam.

17. Secunda difficultas est, an hæc sit vera, Christus est homo dominicus. Respondetur omnino esse falsam, & ideo D. Augustinus lib. 83. quæstionum, cùm prius illam concessisset, postea se retractauit lib. retractat. cap. 19. Ratio est, quia Dominicum est denominatiuum à Domino; Christus verò est Dominus per essentiam; non ergo Dominicus. Bene tamen potest hæc concedi, Caro Christi est dominica, quia caro non dicit suppositum, vnde dicitur caro deificata: Christus autem in concreto non dicitur deificatus, sed Deus. Eadem ratione Christus non dicitur homo deifer, sed Deus. Caro verò Christi non dicitur propriè deifica; quia non fert Deum, sed potiùs fertur, & sustentatur ab ipso Deo. Potest tamen dici, Christus carnifer, id est, ferens carnem; sed cautè id asserendum est, ne videamur conuenire cum Apollinaristis, qui Christum vocabant carniferum, eo quòd existimabant solam carnem assumpsisse: si tamen non excludamus animam, potest dici carnifer.

18. Tertia difficultas est, an hæc sit vera, Christus est creatura. dissentiunt Theologi, tota tamen dissensio videtur de nomine, cùm inter Catholicos constet, personam Christi esse improductam, humanitatem verò creatam esse. Itaque vbi de vero sensu constat, non minus potest admitti, quam aliæ propositiones, in quibus alia prædicata absolutè attribuuntur Christo, licèt tantùm ei conueniant ratione humanitatis: vnde sicut Christus dicitur creator ratione naturæ diuinæ, ita potest dici creatura ratione naturæ humanæ: quo modo loquendi sæpè vtuntur Patres. Leo serm. 3. de Pentecost. *Si enim homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus, in suo honore manssisset*, &c. *creator mundi, creatura non fieret.* Vnde Hieronymus in comment. epistolæ ad Ephes. cap. 2. inquit. *Multi timore trepidant ne Christum dicere creaturam compellantur, nos autem liberè proclamamus, non esse periculum eum dicere creaturam.*

Leo.

Hieron.

19. Nota tamen ex D. Thom. vbi est periculum erroris, existimandi quòd Christus secundùm personam diuinam sit creatura, non esse ita loquendum absque aliqua determinatione; & ita aduertit quædam esse prædicata de quibus nulla generatur suspicio, quòd secundùm se ipsa conueniant diuinæ personæ, & hæc possunt simpliciter enuntiari de Christo, ratione naturæ humanæ, vt Christus est mortuus, &c. Alia verò sunt de quibus potest dubitari, an conueniant toti, vel parti, & hæc vbi est periculum erroris, non sunt enuncianda de toto simpliciter, sed cum determinatione. Idem dicendum est de hac propositione, Christus incepit esse; licèt enim non inceperit secundùm diuinam naturam, tamen quia incepit secùndùm humanam, dici potest: quemadmodum dicitur mortalis, ratione naturæ humanæ, quamuis immortalis sit ratione diuinæ.

Quarta difficultas est, an hæc sit vera: Christus fuit bis natus. nonnulli existimant hanc locutionem non esse veram, quia terminus numeralis, bis, requirit interruptionem, & geminationem eiusdem termini cui opponitur: sed sic est, quòd natiuitas æterna semper durat, & nunquam fuit interrupta; ergo quamuis in Christo fuerit duplex natiuitas, tamen non potest dici bis natus. Oppositum tenendum est, cum D. Augustino de Fide ad Petrum, vbi ait: *Vnigenitus Dei filius primò, & secundò natus est, semel ex Patre, semel ex Matre.* Quare cùm Deus, & homo, vnus sit Christus; & non vna, sed alia, & alia natiuitate natus sit, & hæ natiuitates conueniant, non vnitate specifica, sed analoga, bene potest dici Christus bis natus. 20. August.

Quinta difficultas est, an essentia diuina sit nata de Virgine. ratio dubitandi est, quia ex Damasceno lib. Orthodoxæ fidei, essentia diuina est incarnata; ergo etiã potest dici nata. Respondetur *primò* quòd ad intra non potest dici sine errore, quòd diuina natura est nata, quia generatio, & natiuitas, dicit relationem realem, & ideo requirit distinctionem: at natura diuina communis est tribus personis, ac proinde non potest dici nata, sed solùm communicata. Respondetur *secundò* quòd neque potest dici nata de Virgine, quia cui competit natiuitas, competit processio: natura autem diuina à nullo procedit: vnde bene potest dici incarnata, quia incarnatio denotat vnionem cum alio, & ideo potest competere diuinæ naturæ, non verò natiuitas, quæ essentialiter dicit processionem. 21.

Vltima difficultas, an Christus sit vnum, vel duo. Respondetur, Christum esse vnum, tam masculinè, quàm neutraliter: ac proinde simpliciter non posse dici plures, vel plura. Ratio est, quia ly *vnus* dum simpliciter, & sine addito dicitur, denotat vnitatem suppositi, sicut terminus plures significat pluralitatem suppositorum; atque ita cùm Christus sit vnicum numero suppositum, non potest simpliciter dici, nisi vnus masculinè, quia si sic plures, vel duo diceretur, significaretur multiplex esse suppositum, quod est contra fidem. Deinde quòd neutraliter Christus sit quoque vnum, nec possit plura dici, etiam est manifestum: quia quod est vnum ens simpliciter, & absolutè, non potest dici plura neutraliter: Christus autem absolutè, & simpliciter est vnum ens, quia est vnum ens per se existens, videlicet vnicum suppositum; ergo non potest dici plura, vel duo neutraliter. 22.

DISPVTATIO X.

De merito Christi.

SECTIO I.

An Christus verè & propriè meruerit.

CONCLVSIO est affirmatiua, & de Fide diffinita in Trident. sess. 6. cap. 7. vbi dicitur, Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis, & colligitur manifestè ex sacra Scriptura, ex qua constat Christum per virtutem obedientiæ, meruisse sibi nominis exaltationem, & corporis glorificationem; & nobis sua morte meruisse peccatorum remissionem. Ad Philipp. 2. ad Hebr. 2. & 1. Ioan. 2. & sæpè alibi, & probatur ratione, 1.

ratione, quia in Chriſti operibus fuerunt omnes conditiones ad meritum requiſitæ, tam ex parte perſonæ merentis, quàm ex parte perſonæ apud quem meremur, & denique ex parte ipſius actus meritorij: ex parte perſonæ in ordine ad meritum ſupernaturale, neceſſarium eſt, quòd ea ſancta ſit apud Deum per aliquam filiationem, vel naturalem, vel adoptiuam; quod adeò verum eſt, vt communis ſententia doceat, nec de potentia abſoluta hominem non iuſtum mereri poſſe de condigno vitam æternam, de quo ſolo merito loquimur in præſenti. Dixi *non iuſtum*, vt non ſolùm id ſignificet de peccatore ob impedimentum peccati: verùm de homine qui exiſteret abſque gratia, & peccato, ſeu in pura, vt dicunt, natura.

2. Et licèt huius rei rationem reddere, magnis Theologis ſemper difficile viſum ſit, ea mihi arriſit ſumpta ex natura præmij, quod cùm ſit ſupernaturale, & propria hæreditas filiorum, quo præmio adepto fiunt homines cohæredes Chriſti, neceſſarium eſt, quod ipſa perſona quæ in tantum præmium per meritum condignum conatur, ſit conſtituta, non ſolùm in eodem gradu cum præmio, ſcilicet ſupernaturali, verùm filiâ Dei: cùm ergo Chriſti humanitas per duplicem formam ſanctificata fuerit, & per deitatem, & per gratiam habitualem, non poteſt eſſe dubium quin hanc primam conditionem excellentiſſimo geminatoque modo habuerit.

3. Solet autem hìc diſputari, an Chriſtus indiguerit gratia habituali ad meritum, vt ſine illa nullùm conſequi meritum potuerit, cui difficultati ſatisfit facilè poſitis duobus principiis: *primum* eſt, animam Chriſti Domini ſanctam fuiſſe à Deitate, hoc eſt, dignum obiectum amoris, & beneuolentiæ Dei. nam negari non poteſt, Deitatem eſſe intrinſecè vnitam humanitati, & eſſe ab ea ſanctificatam, quia vt repugnat intrinſecè vniri gratiam habitualem animæ non habenti peccatum, & non reddere illam ſanctam coram Deo; ita multo magis repugnat, Deitatem intrinſecè vniri humanitati, & eam non reddere ſanctam, eſt enim eſſentialis ipſa ſanctitas. *Secundum* principium eſt, & oritur ex primo, illi animæ deificatæ deberi omnia dona ſupernaturalia vſque ad viſionem beatam inclusiuè, vrgentiori ratione, quàm debentur animæ ornatæ gratia habituali.

4. Ex his infertur, quòd ſi Chriſtus eliceret actum liberum amoris Dei abſque gratia habituali, per aliquod auxilium potentiæ intrinſecum, aut extrinſecum, fore actum illum meritorium, infiniti valoris ſimpliciter, per dignificationem gratiæ vnionis. nam conditio ad meritum requiſita ex parte perſonæ, eſt ſanctitas vera conſtituens illam in ratione Filij, & in eodem ordine cum merito: ſed Deitas eſt vera ſanctitas conſtituens humanitatem Chriſti in ratione Filij naturalis, & in ordine ſupernaturali; ergo illa ſola eſt principium ſufficiens merendi, imò & neceſſaria ad merendum aliis de condigno.

5. D. Thom. Nec obſtant difficilia verba D. Thom. quæſt. 15. de verit. art. 3. ad 4. vbi ait: *Quamuis meritum Chriſti quamdam infinitatis rationem habeat ex dignitate perſonæ, tamen rationem meriti habet ex gratia habituali, ſine qua meritum eſſe non poteſt.* Idem docet ſupra quæſt. 7. art. 1. Reſpondetur, D. Thomam conſideraſſe duo merita in operibus Chriſti: alterum proueniens à dignitate perſonæ, hoc dixit eſſe infinitum: alterum à gratia habituali, quod ſine dubio diſtinctum eſt à priori. nam, vt gratia habitualis, verè Chriſtum ſanctificauit diſtincta ſanctitate à gratia vnionis, ita eſt verè principium diſtinctum meriti in Chriſto, & diuerſo modo, adeò vt ea quæ ſibi meruit, duplici titulo meruerit, alio proueniente à ſanctitate Deitatis, quæ quidem eſt vniuerſale principium omnis meriti, tam proprij, quàm alieni; altero proueniente à ſanctitate gratiæ habitualis, quæ ſolùm eſt principium meriti proprij de condigno; & hoc meritum, inquit D. Thomas, non eſt ſine gratia habituali.

6. Secunda conditio, quæ requiritur ex parte perſonæ merentis eſt, quòd ſit viator: & quamuis Chriſtus ſecundùm animam propriè comprehenſor fuerit, quia vidit Deum ab inſtanti ſuæ conceptionis, tamen ſimul fuit verè viator: quod probat eleganter D. Thomas ex illo Ieremiæ 14. *Quare quaſi colonum futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum.* & ideò aiebat Ioan. 9. *Me oportet operari opera Patris mei, donec dies eſt: veniet nox, id eſt, mors, in qua nemo poterit operari*, ſcilicet meritoriè. Ieremi. 14. Ioan. 9.

7. Tertia conditio, quæ requiritur ex parte eius apud quem meremur, eſt, quod intercedat promiſſio de reddendo præmio. nam cùm Deus ſit omnium Dominus, niſi poſita ſua promiſſione, nulli poteſt obligari: hoc autem pactum, ſeu promiſſio, ſatis expreſſa eſt in ſacra Scriptura. Pſalm. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam.* & Iſa. 53. *Si poſuerit animam ſuam pro peccato, videbit ſemen longæuum.* Pſalm. 2. Iſai. 53.

8. Denique ex parte operum, duplex conditio requiritur.

Prima, quòd opus liberum ſit, non ſolùm à coactione, verùm à neceſſitate. nam per opus neceſſarium quoad exercitium non poſſumus mereri. *Secunda* eſt, quòd opera meritoria ſint honeſta, & bona moraliter. nam bonitas moralis eſt radix meriti apud Deum: has autem duas conditiones fuiſſe in operibus Chriſti, ſatis conſtat ex dictis in toto hoc tractatu.

9. Secunda concluſio, Chriſtus cœpit mereri à primo inſtanti ſuæ conceptionis, meritus eſt etiam toto vitæ tempore, & deſiit mereri ab inſtanti ſuæ mortis. Prior pars ſumitur ex illo ad Hebr. 10. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem adaptaſti mihi, tunc dixi: Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam*, & ſubdit: *in qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Chriſti.* Ex quibus colligitur, Chriſtum in primo inſtanti ſuæ conceptionis habuiſſe voluntatem moriendi pro hominibus, & ea voluntate nobis meruiſſe ſanctificationem. Et confirmatur, quia in primo inſtanti habuit perfectiſſimum vſum rationis, fuit prædituſ virtutibus naturalibus, & ſupernaturalibus, habuit perfectiſſimam ſcientiam infuſam, vt in ſuperioribus dictum eſt: potuit ergo actus illarum virtutum eo inſtanti exercere, nam in hoc nulla apparet repugnantia. Hebr. 10.

10. Secunda pars ſequitur ex prima, quia ſi potuit mereri in primo inſtanti, potuit etiam in infantia, vnde Auguſt. ſerm. 10. de tempore, inquit. *Adoremus pannos infantiæ, ex quibus facta ſunt emplaſtra natura.* & Ambroſ. lib. 2. in Lucam. *Ne illum infantia vagientis abluunt fletus, mea lachryma illa delicta lauerunt.* Poſterior denique pars manifeſta eſt, quia in cruce per paſſionem conſummata ſunt merita, quibus Chriſtus noſtram redemptionem obtinuit: ideo dixit, *conſummatum eſt.* quod etiam manifeſtè docet Apoſtolus ad Hebr. 2. & ad Hebr. 5. Vnde infertur, quòd Chriſtus non ſit meritus quando Auguſt. Ambroſ.

Digitized by Google

quando actu latus eius in cruce transfixum est, sed dum antea vulnus illud acceperat. Nec obstant Patres asserentes sacramenta fluxisse ex latere Christi post mortem. nam Patres tantùm asserunt, per aquam, & sanguinem quæ ex latere Christi fluxerunt, significari duo sacramenta, Baptismum scilicet, & Eucharistiam, videndus est Vazquez disp.76. cap.2.

Sectio II.

Per quos actus Christus meruerit.

11. PRima conclusio Christus meritus est per actus virtutum moraliũ, tam supernaturalium, quàm naturalium, etiam circa materiam præceptam. Probat, quia huiusmodi actus liberè exercuit: quod adeò certum est, vt absque periculo in fide negari non possit; quis enim neget Christum liberè fuisse patientem, misericordem, humilem, preces fudisse, &c. cùm id tam frequenter narretur in sacra Scriptura, & tam grauiter commendetur: quòd si habuit hos actus liberos, eis meruisse necesse est: nec præceptum impediuit libertatem actus, vt ex superioribus constat. Ex quo infertur, Christum esse meritum per actum dilectionis proximi, potuit enim proximum liberè amare, sicut liberè exercuit actus virtutum aliarum.

12. Tota ergo difficultas est de actu amoris Dei, an per illum meritus fuerit. Respondeo cum meliori parte Theologorum antiquorum, & recentiorum, Christum meruisse per actũ charitatis erga Deum, cùm his actus sit ad meritum præstantissimus: & cùm omnes iusti illo præcipuè meruerint; quare omnis iustitiæ fonti Christo, si commodè tribui potest, denegandum est? Et quamuis quicumque actus meritorius Christi valorem habuerit merendi infinitum simpliciter, non minorem quàm omnes simul ob excellentem Deitatis sanctificationem: at sicut non ideo negantur Christo multiplices actus virtutum, ita nec negandum est per charitatem meruisse, omnium virtutum excellentissimam, & dominatricem.

13. Vt autem explicem modum quo Christus mereri potuerit per actum charitatis erga Deum, suppono ex prædictis, fuisse in Christo scientiam inditam, & infusam distinctam à scientia beata. Deinde suppono, non solùm Christum comprehendisse res supernaturales, & mysteria omnia creata, sed etiam habuisse euidentem notitiam quoad an est, mysterij Trinitatis: etenim negari non debet Christum etiam vt viatorem, habuisse notitiam beatissimæ Trinitatis, cæteris viatoribus perfectiorem: atque eam non habuit per fidem, vt constat: habuit ergo eam per scientiam infusam, per quam prædicabat, & docebat homines mysteria Fidei nostræ.

14. Quòd si diuinæ bonitatis, diuinarumque perfectionum distinctam notitiam à beata Christus habebat, & per eam Deum sibi amabilem proponebat per specialem repræsentationem, negari non potest, voluntatem etiam Christi non solùm amare Deum vt cognitum in se per visionem intuitiuam, sed vt cognitum per scientiam infusam mediis speciebus creatis: etenim si intellectui Christi concedimus duas notitias eiusdem Dei per diuersum modum, & medium cognoscendi naturam diuinam; cur negemus voluntati Christi duos amores; alter verò horum amorum erat liber, ille scilicet, qui dirigebatur per scientiam infusam: quòd si hic actus liber est, & humanus, nulla ex conditionibus necessariis ad meritum ei deficit, vt constat ex dictis.

15. Fundari etiam potest hæc doctrina in D.Thom. art.3. in responsione ad primum, vbi ait: *Nec tantum per charitatem meruit, in quantum erat charitas comprehensoris, sed in quantum erat viatoris.* nam vel loquitur de charitate habituali, vel actuali: si de prima; ergo loquitur de illa in quantum elicere poterat actum regulatum per scientiam infusam, quia in quantum eliciebat actum regulatum per scientiam beatam, erat charitas comprehensoris, non viatoris: tum etiam, quia per charitatem, vt eliciebat actum necessarium amoris, non poterat mereri: at D. Thom. loquitur de charitate per quam merebatur; ergo loquebatur de illa, vt poterat elicere actum regulatum per scientiam infusam: si verò loquebatur de actuali charitate; ergo agnoscit D. Thom. in Christo duos charitatis actus, alterum comprehensoris per quem non meretur, alterum viatoris liberum per quem meretur. D.Thom.

16. Sed obiicit Vazquez, quòd non videatur duplex talis amor supernaturalis in Christo constituendus, quamuis in eo sit illa duplex notitia: quia quòd vna bonitas Dei, & per visionem, & per scientiam infusam proponatur, cùm affectus voluntatis tendat ad bonitatem obiecti, vt est in se, non vt est cognita; etiam si concedatur Christum cognoscere per scientiam infusam Trinitatem, non poterunt esse duo amores. Hac ratione communior sententia Theologorum docet, amorem viæ, & patriæ esse eumdem quoad substantiam, licèt bonitas Dei in via proponatur per fidem, in patria verò per visionem claram: ergo pari ratione in nostro proposito dicendum.

17. Respondetur, satis probabile esse, illos duos amores, non solùm numero, sed etiam specie esse distinctos: quia actus charitatis beatificus tendit in omnem perfectionem Dei, vt est in se, quomodo proponitur à visione: actus verò charitatis scientiæ infusæ solùm tendit in aliquod Dei attributum, vt iustitiæ, & misericordiæ, vnde solùm sub ratione summi boni in confuso cogniti, & propositi.

18. Præterea voluntatis affectus non fertur in obiectum secundùm se, vt nudum à repræsentatione. nam licèt repræsentatio intellectus non sit terminus qui amatur per affectum voluntatis, dicit tamen ordinem essentialem ad illam, quippè cùm voluntatem constituat in actu primo, eamque impellat ad prosequendum, vel fugiendum obiectum; ergo hoc ipso, quòd sit ex parte intellectus diuersa repræsentatio, deest affectui voluntatis ille ordo essentialis quem habebat ad aliam speciem repræsentationis à qua pendebat essentialiter: at eo ipso quòd affectui voluntatis desit aliquis essentialis ordo, debet esse in se specie distinctus, vt constat ex principiis metaphysicæ; ergo hoc ipso, quòd visio clara, & scientia infusa sint repræsentationes specie distinctæ bonitatis diuinæ, amores ipsi esse debent specie distincti, propter quam etiam rationem probabilius puto, affectus charitatis patriæ, & viæ esse specie distinctos.

19. Denique, quia amor ille necessarius qui sequitur ad visionem claram Dei in Christo, semper est vnius speciei, & inuariabilis: at verò amores qui sequebantur ad scientiam infusam, vtpote liberi, variabantur, erantque plures, & diuersæ speciei. nam cùm scientia infusa Deum cognoscat per effectus

Digitized by Google

effectus ſupernaturales, pro diuerſitate effectuum, aſcendebat Chriſtus ad contemplandum in Deo diuerſas perfectiones, & attributa, idque per actus ſcientiæ infuſæ ſpecie diſtinctos; ac proinde voluntate iam amabat Deum propter bonitatem, & perfectionem omnipotentiæ, iam iuſtitiæ, iam miſericordiæ, &c. quæ, & alia attributa, digna ſunt vt amentur amore ſupernaturali charitatis. Ex quo deduco, hos affectus eſſe debere ſpecie diſtinctos, tum quia terminantur ad attributa diſtincta ratione: tum quia procedunt à cognitionibus ſpecie diſtinctis.

SECTIO III.

De his quæ Chriſtus ſibi de facto promeruit.

20. PRima concluſio. De gloria animæ Chriſti, de gratia, & de ſcientia infuſa, probabilius arbitror eas ſibi de facto Chriſtum non meruiſſe. Moueor *primò*, quia hæc habuit Chriſtus tanquam proprietates morales conſequétes moraliter vnionem hypoſtaticam ei debitas, & ratione illius conceſſas à primo inſtanti. *Secundò*, quia ſecundùm ordinem prioritatis quem habent hæc dona ex natura rei, gratia, viſio beata, & ſcientia infuſa, non poſſunt cadere ſub meritum. Tum etiam, quia Deus de facto ſemper ſeruat ordinem quem res ipſæ exigunt ex ſua natura, niſi ordinem inuertendi ſit vrgens cauſa; ergo de facto dicendum eſt, Chriſtum non meruiſſe hæc dona. Maior probatur, quia poſt vnionem, Chriſto gratia danda erat immediatè, propter immediatam coniunctionem quam cum illa habet ex natura rei, tum vt anima Chriſti eſſet ornata omnimoda ſanctitate, tunc etiam vt haberet principia connaturalia ſupernaturaliter operantia.

21. Sed dices, perfectius eſſe gratiam habere cum merito, quàm ſine merito pròprio. Reſpondetur id verum eſſe, niſi Chriſtus haberet alium titulum honeſtiorem, ſcilicet gratiam vnionis, ad eam habendam ſine merito. Quòd ſi inſtes, honeſtius fore Chriſto habere eam vtroque illo titulo, & ex vnione, & ex merito. Reſpondetur, vtrumque titulum honeſtiorem eſſe: at verò cùm ordo naturæ peruertendus eſſet abſque vrgenti neceſſitate ad hoc vt Chriſtus eam haberet ex vtroque titulo, nam operari deberet abſque connaturali principio, minoris incommodi eſſe videtur, quòd vno ſolo titulo eam habuerit, quàm quòd inuertatur ordo naturæ abſque neceſſitate: differri verò gloria corporis fuit neceſſarium pro noſtra redemptione, eamque ſibi meruiſſe Chriſtum conſtat ex ſacra Scriptura, vt iam dico.

22. Secunda concluſio, Chriſtus meruit ſibi gloriam corporis, ſuique nominis exaltationem. hæc concluſio eſt omnino certa, contra Caluinum dicentem, nihil ſibi Chriſtum meruiſſe in vniuerſum, & colligitur ex Paulo ad Philip. 2. *Humiliauit ſemetipſum, &c. propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; ad Philip. 2. Hebr. 2. *Videmus Ieſum, propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum.* & Luc. vlt. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam.* Hebr. 2. Luc. vlt.

23. Tertia concluſio. Plura ſunt quæ Chriſtus ſibi promeruit. *Primò* impaſſibilitatem animæ, ita vt poſt mortem non pateretur per affectus triſtitiæ, miraculosè enim effectum fuit, vt ſimul anima Chriſti beata eſſet, & triſtari poſſet: meruit ergo expulſionem omnis triſtitiæ. *Secundò* meruit corporeas dotes gloriæ, ſuamque reſurrectionem. *Tertiò* aſcenſionem in cœlum cum maieſtate, deferendo ſecum ſuo ſanguine redemptos inſtar triumphi, vt docuit Paulus ad Epheſ. 4. *Quid eſt quòd aſcendit, niſi quia deſcendit.* *Quartò* teſtimonium Patris, quo teſtificatus eſt eſſe filium ſuum in Baptiſmo, & in transfiguratione. *Quintò* omnia teſtimonia & laudes Angelorum à die Natiuitatis, vſque ad finem celebratæ. Item omnia ea, quæ per totam æternitatem ab eis celebrantur. *Sextò* antiquorum Patrum, & Prophetarum præconia. *Septimò* Apoſtolorum, & omnium fidelium prædicationes, & laudes. *Octauò* poteſtatem iudicatiuam in homines quos redemerat. nam etſi iure vnionis ei debita eſſet; at iure Redemptoris particulari titulo habuit eam poteſtatem, vt ſcilicet ſerui liberati redderent domino rationem talenti per paſſionem accepti. *Nonò* denique meruit poteſtatem condendi Sacramenta. nam cùm ea ſint inſtrumenta gratiæ, & cùm Chriſtus omnem gratiam noſtram meruerit, meruit etiam poteſtatem inſtituendi inſtrumenta gratiæ cum virtute ea producendi. Epheſ. 4.

SECTIO IV.

De his quæ Chriſtus nobis promeritus eſt.

24. COnueniunt Doctores, Chriſtum nobis meruiſſe gratiam iuſtificantem, & remiſſionem peccatorum, quod manifeſtè colligitur ex D. Paulo ad Rom. 3. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Dicimur autem gratis iuſtificari, reſpectu operum noſtrorum, quia noſtra opera non merentur iuſtificationem; non verò reſpectu meritorum Chriſti, quia noſtra iuſtificatio pendet ex meritis Chriſti. Idem docuit ad Epheſ. 1. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundùm diuitias gratiæ eius, quæ ſuperabundauit in nobis.* & ita diffinitum eſt in Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi aſſeritur, Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis, quæ neceſſariò includit remiſſionem peccatorum. Rom. 3. Epheſ. 1.

25. Ex quibus colligitur, Chriſtum non ſolùm nobis meruiſſe remiſſionem omnium peccatorum, tam mortalium, quàm venialium, vt patet ex illo Ioan. 1. *Et ſanguis eius emundat nos ab omni peccato*, vbi Apoſtolus generaliter loquitur; ſed etiam remiſſionem illorum quoad pœnam, non ſolùm æternam, ſed etiam temporalem. nam talium pœnarum remiſſio pertinet ad perfectam peccatorum remiſſionem, & idem ſentiunt de remiſſione pœnæ quæ obtinetur in purgatorio, per indulgentias, vel ſatisfactiones viuorum. Præterea idem iudico de omnibus aliis donis gratiæ quæ ſequuntur remiſſionem peccatorum, & primam gratiam iuſtificantem, qualia ſunt auxilia gratiæ, augmentum ipſius, merita bonorum operum, donum perſeuerantiæ, &c. vt colligitur ex eodem Paulo loco citato ad Epheſ. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, in Chriſto*, ſeu per merita ipſius. Ioan. 1. Epheſ. 1.

26. Tertiò conueniunt, meruiſſe etiam nobis vitam æternam, ſecundùm illud eiuſdem Pauli ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, quod intellige quoad ſufficientiam, quia merita Chriſti ex ſe fuerunt ſufficientia ad ſaluandos quoſcumque; quòd autem vnus potius ſaluetur, quàm Rom. 6.

Digitized by Google

quàm alius, prouenit à dispositione, & iudicio Dei: Christus enim pro omnibus mortuus est, ac proinde non erat conueniens vt sua merita magis offerret pro vno quàm pro alio: sicque Paulus ad Rom. 9. huius discretionis causam refert in voluntatem, & sapientiam Dei, non in merita Christi; quo tamen non obstante prædestinati efficaciter fuerunt electi ad gloriam propter merita Christi, vt docuit idem Paulus ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso, id est, in Christo, ante mundi constitutionem*, & infrà, *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Ephes. 1.

27. Difficultas ergo est, an Christus meruerit etiam nobis dispositiones, quibus præparamur ad primam gratiam iustificantem, & remissionem peccatorum; huiusmodi sunt motus fidei, spei, dilectionis, & contritionis.

28. Conclusio est affirmatiua, & colligitur ex Trid. sess. 6. cap. 5. ait: *Declaratur præterea, ipsius iustificationis exordium in adultis, à Dei per Christum Iesum præueniente gratia, sumendum esse; hoc est, ab eius vocatione*, &c. & ita colligitur ex Paulo 2. ad Timoth. 1. *Vocauit nos vocatione sua sancta, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est in Christo Iesu*, id est, per Christum, seu per Christi merita ab æterno præuisa. 2. Tim. 1.

29. Obiicies, merita Christi non applicantur omnibus; ergo quòd vni potius, quàm alteri applicentur, non est ex merito Christi, sed potiùs ex diuina voluntate, & electione. Respondetur, quòd huic difficultati optimè respondet Becanus, quòd quamuis totum hoc complexum, scilicet, quòd hic vocetur ad fidem, ille non vocetur, non sit ex merito Christi; tamen altera pars illius, videlicet, quòd aliqui vocentur ad fidem, & eam suscipiant, est ex meritis Christi, altera verò ex iusto Dei iudicio, videlicet quòd aliqui non vocentur.

30. Inquires, quomodo nobis applicentur merita Christi. Respondeo, tunc hominibus applicari, dum aliquod gratiæ donum accipiunt ob merita Christi, siue illud accipiant in susceptione sacramentorum, siue extrà, itaque infantibus applicantur dum recipiunt sacramentum Baptismi; adultis verò dum gratia sanctificans illis confertur, vel ad eam disponuntur per actus fidei, spei, & charitatis, & aliarum virtutum.

DISPVTATIO XI.

De seruitute Christi.

SECTIO VNIC.

An Christus secundùm humanitatem sit propriè Dei seruus.

1. CONCLVSIO est affirmatiua, & communis inter Theologos, contra Vazquez disput. 86. quem sequuntur vterque Hurt. Becan. & Lugo, quos refert, & reiicit Bernal disp. 58. sect. 2. Et probatur *primo* ex sacra Scriptura in Testamẽto veteri, vbi Christus sæpissimè seruus appellatur, Isai. 42. *Ecce seruus meus, suscipiam eum*, & 52. *Ecce intelliget seruus meus, exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valdè.* Ezech. 34. *Suscitabo super eas pastorem vnum seruum meum Dauid*, & Zach. 3. *Adducam seruum meum Orientem*, quæ loca de Christo esse intelligenda omnes Theologi, tam scholastici, quàm expositores fatentur, & quamuis in nouo Testamento non sit tam frequens vsus huius vocis *seruus*, ea tamen manifestè vsus est Paulus ad Philip. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Idem etiam colligitur ex verbis à Christo in cruce prolatis: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me.* Deus enim alicuius, idem est ac vltimus eius finis, & primum principium efficiens, ac proinde verus Dominus. Isa. 42. & 52. Ezech. 34. Zach. 3. Philip. 2.

Dices, hæc loca intelligenda esse in sensu allegorico, nimirum quo aliàs Christus dicitur agnus, ouis, leo, petra, vt exponit Adrianus Papa de cuius mente infrà dicemus. contrà, quia regula generalis exponendi sacram Scripturam à sanctis Patribus tradita est, vt verba earum accipiantur secundùm proprietatem, & non secundùm figuram, vbi non sequitur aliquod inconueniens, ne faueamus hæreticis in eludendis per sensus figuratos argumentis, quæ ex sacra Scriptura contra ipsos fiunt: quòd autem in locis adductis nomen serui propriè intelligatur, nullum sequitur inconueniens; ergo. Et confirmatur, quia duplicem formam in Christo esse fatetur Paulus, & formam Dei, videlicet naturam diuinam, & formam serui, scilicet naturam humanam: at per naturam diuinam Christus est propriè Deus; ergo per naturam humanam propriè seruus, aliàs daretur occasio hæreticis asserendi, si per formam serui Christus non est verè seruus, cur per formam Dei verus Deus dicendus sit. 2.

Secundò probatur ex Patribus, quorum testimonia latissimè referunt Recentiores. Legatur vnus Augustinus epist. 178. *In qua infirmitate humanitatis, non solùm subditum, sed etiam seruum euidentissimè confitemur, ipso dicente: Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.* 3. August.

Tertiò probatur, hac vnica ratione quæ, meo iudicio efficacissima est, & irrefragabilis omnino, quia seruus propriè sic diffinitur: viuens intellectuale quod verè, & simpliciter est alicuius: sed sic se habet Christus quatenus homo; est enim viuens intellectuale, vereque, & simpliciter Dei; ergo verè, & propriè est Dei seruus. Maior probatur ex Aristot. 1. Polit. cap. 3. asserente. *Quicumque enim sui ipsius non est secundùm naturam, sed alterius, homo autem est, hic natura est seruus.* Minor etiam constat, quia Deus tam est absolutus Dominus Christi secundùm humanam naturam, quàm cuiuscumque alterius creaturæ humanæ, vel Angelicæ; ergo Christus secundùm humanam naturam spectatus, tam propriè est Dei seruus, quàm quæuis alia creatura Angelica, vel humana: dominium namque nihil aliud est, quàm potestas disponendi de re aliqua per propriam auctoritatem in omnem vsum, absque iniuria alterius: hanc verò potestatem habet Deus circa humanitatem Christi, sicut circa quamcumque aliam naturam creatam; potest enim illam immutare, destruere, & pro arbitrio de ea disponere, sicut de qualibet alia Angelica, vel humana; ergo si propter hanc dominium absolutum in quamcumque creaturam, Deus verè est absolutissimus Dominus illius, & illa verè, & propriè seruus eius, consequenter propter eamdem rationem erit absolutissimus Dominus Christi secundùm humanitatem, & hic secundùm eamdem humanitatem verè, & propriè seruus Dei. Aristot.

Obiicies primò, ex Adriano Papa, & Concilio Francofordiensi condemnantium Elipandum Archiepisco 4.

chiepiſcopum Toletanum, quòd Chriſtum ſecundùm humanitatem filium adoptiuum, & Dei ſeruum eſſe diceret; ſic enim ſcribit Adrianus: *Adoptiuum eum filium, quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum, & , quod pudet dicere, ſeruum eum impij, & ingrati tantis beneficiis, liberatorem noſtrum pertimeſcitis venenoſa fauce ſuſurrare.* Reſpondetur, Adrianum ibi manifeſtè loqui contra hæreticos, ponentes in Chriſto ſeruitutem peccati, vt manifeſtè colligitur ex verbis ipſis. *Facitis*, inquit, *eum filium adoptiuum quaſi purum hominem calamitati humanæ ſubiectum.* & ſubdit, & quod pudet dicere, *dicitis eſſe ſeruum*; ergo ſerui nomine aliquid vilius, & fœdius intelligebant, & conſequenter cùm *per ſubiectum humanæ calamitati*, intelligerent hominem peccati compotem, ſeu peccabilem: per nomen *ſerui* intelligebant peccato infectum, quo quid vilius, & fœdius eſt, itaque non loquitur Pontifex de ſeruitute naturali, iure dominij, & creationis, de qua modò diſputamus, & in eodem ſenſu loquuntur Patres, quos recenſet Vazq. loco citato, quorum teſtimonia intelligenda ſunt de ſeruitute peccati, vel de ſeruitute adoptionis; & hanc Chriſto negant, non verò naturalem, quam potius aſtruunt, & euidentiſſimè confitentur, vt verbis vtar Auguſtini. Adrian.

5. Obiicies ſecundò; Chriſtus, vt prædictum eſt, non poteſt dici filius adoptiuus, ergo neque ſeruus, quia magis alienum eſt à filiatione naturali eſſe ſeruum, quàm eſſe filium adoptiuum: ſed Chriſtus eo quòd ſit Filius Dei naturalis, non poteſt dici adoptiuus; ergo multo minus ſeruus. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ratio propter quam non poteſt dici de Chriſto, quòd ſit filius adoptiuus, eſt, quia repugnat ſuppoſito diuino in quacumque natura, quia, vt infrà dicemus, eſſe filium adoptiuum ſignificat eſſe extraneum, & non naturalem: at eſſe ſeruum non repugnat ſuppoſito diuino ſecundùm naturam humanam, ſicut ſecundùm eamdem non repugnat mori, quod magis alienum eſt à diuino ſuppoſito, quàm eſſe ſeruum.

6. Obiicies tertiò, quia de ratione ſerui eſt, ita ſub alterius dominio conſtitui, vt cum eo, nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet: ſed Chriſtus ita eſt Deo ſubiectus, vt tamen communicet cum ipſo in bonis, & in honore, & in ſede; ergo Chriſtus non eſt Dei ſeruus. Reſpondetur negando maiorem, & licèt illam concedamus de ſeruitute legali, nullatenus eſt concedenda de ſeruitute naturali, fundata in eo ſolùm, quòd quis rationis compos à Deo conditus ſit.

DISPVTATIO XII.

De oratione Chriſti.

SECTIO VNIC.

An omnis oratio Chriſti fuerit exaudita, & an nunc in cœlo pro nobis oret.

1. CHRISTVM in hac vita mortali oraſſe, non modò verum, ſed fide ſanctum eſt: id enim ſæpiùs teſtantur ſacræ literæ, Matth. 14. *Aſcendit in montem ſolus orare.* Luc. 6. *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*, Matth. 26. *Pater ſi poſſibile eſt*, &c. & Ioan. 17. orat multum, & multa poſtulat, & pro ſe, & pro aliis: petitio autem, ſiue poſtulatio præcipuum eſt in oratione. Alibi ſæpè gratias agit, Luc. 22. *Accepto calice, & pane, gratias egit.* Matth. 11. *Confiteor tibi Pater*: at actio gratiarum ad orationem pertinet, idem probatur ex Patribus, lege Ambroſium in Lucam lib. 5. cap. de oratione: *Orat Dominus, non vt pro ſe obſecret, ſed vt pro me impetret.* Denique confirmatur, quia oratio eſt excellentiſſimus Dei cultus, & actus Religionis maximè illi conueniens ſecundùm humanitatem, in qua decet illum maximè Deum colere, & honorare. Matth. 14. Luc. 6. Matth 26. Luc. 22. Matth. 11. Ambroſ.

Obiicies ex Damaſceno lib. 4. cap. 19. vbi inter alia quæ Chriſtus aſſumpſit, dicit, quædam aſſumpſiſſe ſimulationis modo, inter quæ numerat orationem. Reſpondetur, Damaſcenum ita eſſe intelligendum, Chriſtum oraſſe inſtar ſimulantis, id eſt, quaſi per quandam ſimulationem, non quòd ſimulatè orauerit, ſed quòd orando præ ſe tulerit eam orandi indigentiam, quam nos patimur. Itaque tantum voluit excludere à Chriſto, cauſam orandi communè omnibus reliquis hominibus, quæ quidem eſt indigentia rerum quas poſtulant, & in potentia perficiendi quod volunt. Difficultas ergo eſt, an omnis oratio Chriſti ſemper fuerit exaudita. 2.

Prima concluſio, oratio Chriſti abſoluta, & efficax, ſemper fuit exaudita; non verò inefficax, & conditionata. Probatur, quia oratio nihil aliud eſt, quàm ipſamet voluntas adiunctam habens ſui manifeſtationem: ſed voluntas Chriſti efficax ſemper fiat impleta; non tamen conditionata, & inefficax; ergo idem dicendum eſt de eius oratione. Minor probatur, quia Chriſtus certiſſimè ſciebat quidquid Deus efficaciter fieri volebat, & quidquid efficaciter fieri nolebat; quidquid etiam futurum, & non futurum erat, nec poterat eſſe diuinæ voluntati contrarius; ergo nihil efficaciter voluit ex iis quæ videbat efficaciter à Deo nolita, aliàs eſſet diuinæ voluntati contrarius. Deinde, quia ideo Theologi conſtituunt in Deo voluntatem inefficacem, quia licèt voluerit ſalutem omnium, non tamen voluit applicare omnia media quibus adhibitis æterna omnium ſalus certiſſimè conſequeretur, ſed ſolùm illa quibus applicatis potuit re ipſa poni, & poſita eſſet, niſi per illos ſtetiſſet; ergo ob eamdem rationem conſtituenda eſt etiam in Chriſto inefficax voluntas, quia plura voluit, quæ tamen non fuit conſecutus, quia noluit applicare omnia media ſibi poſſibilia ad illum effectum certiſſimè conſequendum: vt cùm Marci 7. *Voluit latere, & non potuit*; licèt enim applicauerit omnia media ſufficientia ad latendum, non tamen omnia ſibi poſſibilia; atque adeò voluntas illa non fuit efficax, & abſoluta, ſed conditionata, & inefficax: & conſequenter ſicut in Chriſto hæc duplex voluntas conſtituitur, & prior ſemper impletur, non verò poſterior, idem & ob eamdem rationem aſſerendum eſt de eius oratione. 3. Marc. 7.

Obiicies ſecundò, quia vera oratio ſemper habet coniunctam ſpem, & fiduciam impetrandi à Deo id quod poſtulat; ſed voluntas inefficax non habet, nec habere poteſt adiunctam talem ſpem; ergo neque poteſt habere veram rationem orationis. Reſpondetur negando maiorem, ſi enim illud eſſet verum, ſequeretur, Chriſtum verè non orauiſſe Patrem in horto, quando dixit ad Patrem, vt calicem paſſionis ab ipſo transferret, neque in cruce pro crucifixoribus, quando dixit, *Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.* & ſæpè alibi, 4. Luc. 23.

alibi, contra id quod habetur Matth. 26. *Sedete hîc, donec vadam illuc, & orem.* & Lucæ 22. *Positis genibus orabat, dicens; & factus in agonia prolixius orabat.* quæ verba de oratione impropriè dicta, & metaphorica non possunt intelligi, nisi contra communem sensum omnium fidelium.

5. Secunda conclusio, Christus adhuc existens in cœlo pro nobis orat. Probatur similiter ex sacra Scriptura ad Rom. 8. *Qui & resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* ad Hebr. 7. *Vnde & saluare in perpetuum potest accedens per semetipsum ad Deum semper viuens ad interpellandum pro nobis.* Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* Idem probatur ex Patribus id passim asserentibus. Legatur Bernardus serm. de natiuitate Beatæ Virginis. *Ad Patrem verebaris accedere solo auditu territus, Iesum tibi dedit mediatorem, quid non apud talem Patrem, talis filius obtineat? exauditur vtique pro sua reuerentia, exaudit vtique matrem filius, & exaudit filium Pater.* Denique probatur, quia oratio non repugnat Christo ratione personæ diuinæ, cùm Christus in terris orauerit; nec etiam pugnat ratione status beatifici, constat enim Beatos in patria orare, nec hoc est eius dignitati indecens, sed maximè decens, quia est actus religionis nobilissimus, ac proinde sanctissimam illam animam valde perficiens, ac nobilitans; ergo ex nullo capite potest ostendi repugnantia.

6. Obiicies primò, verba illa à Christo post resurrectionem prolata: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*, Matth. 28. Quibus intelligitur promissa Christo à Deo omnia, quæ ad omnium hominum salutem pertinent, eo quòd sua passione, & morte hæc omnia meruerit. Respondetur, hæc verba non probare Christum propriè non orare pro nobis in cœlo, quia eisdem Ioan. cap. 13. dicitur: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; & tamen postea propriissimè orauit, multis enim aliis titulis oratio Christi potest esse honesta.

7. Obiicies secundò, quia oratio Christi in cœlo, aut aliquid impetrat, vel nihil: si nihil; ergo est otiosa: si aliquid; ergo habet rationem meriti pro nostra salute, cùm digna sit vt exaudiatur. Respondetur, orationem Christi in cœlo non habere rationem meriti, sicut nec habet oratio Beatorum, qui intercedunt, & obtinent in patria; & tamen non merentur: nec ideo debet dici otiosa, quia Christus existens in cœlo adhuc satagit pro nostra salute, idque orando, & applicando quotidie iuxta necessitatem pro singulis merita, quæ fuerunt semel applicata pro omnibus, repræsentando merita ipsa.

8. Denique obiicies, quia si Christus pro nobis orat in cœlo, licitum nobis erit ita rogare: Christe ora pro nobis. Respondetur, hunc modum orandi nunquam fuisse in vsu, quia cùm Christus creator, & creatura sit, & orandi munus creaturæ proprium, videremur Christum puram creaturam existimare illum sic compellantes, & orationem ab eo poscentes: nullum autem esset incommodum in priuatis orationibus orare Christum, vt pro nobis intercedat.

* * *

DISPVTATIO XIII.

De Sacerdotio Christi.

SECTIO VNIC.

An Christus sit verè, & propriè Sacerdos.

CONCLVSIO est affirmatiua, & de fide. Probatur ex sacra Scriptura Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech.* ad Hebr. 4. *Habentes ergo Pontificem magnum qui penetrabit cœlos*, & cap. 7. *Hic autem eo quòd manet in æternum, sempiternum habet sacerdotium.* 1. Psal. 109. Hebr. 4. cap. 7.

Secundò probatur ex Trident. sess. 22. cap. 1. & 2. vbi dicitur, Christum obtulisse verum sacrificium, quod manifestè ostendit, ipsum esse verum sacerdotem: quia sacerdos potissimè constituitur in ordine ad offerendum sacrificium, cùm hic sit proprius eius actus. *Tertiò* probatur ratione, quia sacerdos verè, & propriè dicitur, qui publica auctoritate constitutus est ad offerendum verum, & proprium sacrificium, sed totum hoc conuenit Christo; ergo fuit verè, & propriè sacerdos. Maior probatur ex communi consensu Theologorum, & ex D. Paulo ad Hebr. 8. & cap. 5. vbi hæc duo expressit, vt sit ad offerendum constitutus, & vt non sit constitutus à se ipso, vel priuata auctoritate, sed publica. *Omnis*, inquit, *Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur, vnde & necesse est, & hunc habere aliquid quòd offerat.* & cap. 5. *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia*, &c. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron.* Minor etiam ostenditur, quia Christus constitutus fuit à Deo, qui supremam habet auctoritatem, Psalm. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum*, &c. obtulit etiam duplex sacrificium, alterum cruentum in ara crucis, de quo loquitur idem Paulus ad Eph. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo.* & ad Hebr. 5. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius, & perfectius, tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta æterna redemptione inuenta.* & Ioan. 17. de eodem sacrificio cruento loquens ipsemet Christus dixit: *Et pro eis ego sanctifico meipsum*, id est, sacrificium offero me ipsum, vt exponunt Chrysostom. homil. 88. in Ioan. & Cyrillus lib. 11. cap. 25. Deinde obtulit aliud sacrificium incruentum, & eucharisticum in vltima nocte cœnæ, quando hoc sacramentum instituit; ergo verè, & propriè fuit sacerdos. 2. Ephes. 5. Hebr. 5. Ioan. 17.

Dixi verè, & propriè, ad differentiam iustorum, qui quamuis in sacra Scriptura sacerdotes appellentur, 1. Petri 2. *Et ipsi tanquam lapides viui superædificamini domus spirituales, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo.* Et paulo pòst. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, &c. Hoc tamen nomine insigniuntur iusti, non propriè, & in rigore, sed in latiori quadam significatione. Cùm enim sacerdotium ad sacrificium ordinetur, hoc autem sumatur dupliciter, impropriè, seu metaphoricè, & 2. 1. Petr. 2.

propriè; sacrificium autem impropriè dicatur quodlibet opus virtutis Psalm. 50. *Sacrificium Deo* Psalm.50.
spiritus contribulatus, ad Hebr. 13. *Beneficentiæ, &* Hebr.13.
communionis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. Inde fit, vt quicumque his operibus exercendis operam dat, Sacerdos etiam appelletur in latiori significatione: sacrificium verò propriè dictum, si pro actione sumatur, pertinet ad virtutem religionis, ea enim actione protestamur singulatem illam Dei excellentiam, qua est auctor vitæ, & mortis: sumptum verò pro re sacrificata est res ipsa, circa quam illa actio exercetur. Huic ergo sacrificio propriè dicto, respondet sacerdotium propriè dictum, quod astruimus esse in Christo.

3. Obiicies primò, quia in vero sacrificio sacerdos debet hostiam mactare: at Christus non se mactauit in cruce; ergo neque obtulit proprium sacrificium, & consequenter nec fuit propriè sacerdos. Respondetur ad officium sacerdotis in mactatione victimæ quæ immolatur, non esse necessariò requisitam actionem realem, & physicam, qua realiter ipse per se victimam mactet, sed sacerdos esse, si cõcurrat ad instar causæ moralis, quæ ratione concurrit Christus ad occisionem sui ipsius à tortoribus factam, quatenus ad illam se voluntariè obtulit, & illatam volens suscepit; & quia vt Verbi instrumentum poterat hostium cohibere manus, ne in ipsum sæuirent, vel efficere vt passionis instrumenta nullam suo corpori læsionem inferrent; noluit tamen, imò animæ separationem voluit, vt testatur Ioan. 10. *Ego pono animam meam,* Ioan.10.
nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso, sicque se pro nobis Deo in sacrificium cruentum obtulit.

4. Obiicies secundò, quia ex hoc sequitur, Martyres fuisse veros sacerdotes, & obtulisse verum, & proprium sacrificium, omnes enim permiserunt se occidi, & plures illorum liberè se exposuerunt, & quæsierunt tyrannos, quorum furorem facilè poterant effugere. Respondetur negando sequelam, quia sacerdos publica auctoritate debet esse institutus ad sacrificium offerendum. Deinde actio quæ propriam habeat sacrificij rationem, debet etiam per publicam auctoritatem institui; nihil autem horum repertum fuit in Martyribus; ac proinde nec propriè sacerdotes dici possunt, nec illorum mors habuit propriam rationem sacrificij.

5. Notandum tamen est primò, Christum sacerdotali munere functum non fuisse, quatenus Deus, hoc est, secundùm naturam diuinam, sed quatenus homo; itavt Christus, seu Deus subsistens in natura humana, tanquam in principio elicitiuo actus sacrificandi sit sacerdos. Ratio huius est, quia munus sacerdotis est offerre sacrificium Deo per actum venerationis, cultus, & submissionis, tanquam superiori, at Christus vt Deus est, & secundùm naturam diuinam, non respicit Deum, vt superiorem, sed solùm vt est homo; ergo solùm vt homo fuit sacerdos.

6. Notandum secundò, Christum secundùm eamdem naturam esse simul sacerdotem, & hostiam, Ephes.5.
vt docuit Paulus ad Hebr. 7. & ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis, oblationem, & hostiam Deo,* & traditur in Trident. sess. 22. cap. 1. vbi habetur, *Christum sacerdotem, semel se ipsum in ara crucis morte intercedente Deo Patri obtulisse, qua nocte tradebatur visibile instituisse sacrificium quo cruentum illud semel in cruce perageretur, repræsentaretur.* Dixi secundùm naturam humanam, non præcisè vt excludentem naturam, seu personam diuinam, sed potiùs vt eam includentem, tanquam radicem vnde proueniebat pretium infinitum huius sacrificij: itaque diuinitas solùm excluditur à ratione principij elicitiui, & receptiui illius actionis nempe realis victimæ immutationis, aut mactationis.

Notandum tertiò, formam sacerdotij Christi 7.
non fuisse characterem, vt in sacerdotibus nouæ legis, sed vnionem hypostaticam, non quidem solam, sed simul cum voluntate, seu institutione diuina. nam per gratiam vnionis fuit humanitas Christi inuncta tanquam oleo, & consecrata, & Christus inauguratus sacerdos: tamen, quia absolutè potuit Christus existere, & gratiam vnionis integram habere, & sacerdos non esse: sicut enim potuit non habere potentiam patrandi miracula, nec instituendi sacramenta, nec gubernandi Ecclesiam, si à Deo illi denegaretur: ita potuit negari illi potestas offerendi sacrificium perseuerante vnione, ideo præter vnionis gratiam ad integrandam formam sacerdotij Christi, requiritur etiam Dei voluntas, & institutio; ac proinde forma sacerdotij Christi duabus illis constitit, gratia scilicet vnionis, & institutione diuina.

Notandum quartò, Christum dici sacerdotem 8.
æternum secundùm ordinem Melchisedech. Dicitur quidem sacerdos secundùm ordinem Melchisedec; tum propter multas similitudines Christi cum Melchisedech, quas latè refecunt Recentiores: tum maximè, quia sicut Melchisedech, panem, & vinum obtulit: sic Christus in nocte cœnæ, & quotidiè per sacerdotes panem, & vinum offert. Dicitur etiam sacerdos in æternum, quia sacrificium Eucharisticum principaliter offert vsque ad consummationem sæculi, per eosdem sacerdotes instrumentaliter offerentes, & non quia post diem iudicij sacerdos exiturus sit.

Nec obstant verba Pauli ad Hebr. 7. vbi loquens 9.
de sacrificio Christi ait: *Plures facti sunt sacerdotes* Hebr.7.
secundum legem; idcirco quod morte prohiberentur permanere: hic autem eo quod maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis Ex quibus verbis manifestè videtur colligi, sacerdotium Christi futurum sempiternum, & post diem iudicij duraturum. Respondetur, verba illa *in æternum*, in sacra Scriptura, sæpe intelligi de duratione vsque ad finem mundi, vt notat Lorinus in Psalm. 109. imò, vt rectè Lugus disp. 29. sect. 3. ex ipsis verbis Pauli colligitur hic sensus manifestè, & quòd solùm loquatur de hoc genere perpetuitatis. nam ex Sacerdotio sempiterno infert perpetuum officium interpellandi pro accedentibus, scilicet per fidem; hoc autem officium certissimum est non fore duraturum post diem iudicij.

Est tamen duplex difficultas. Prima, an Christus 10.
etiam pro se ipso obtulerit sacrificium, itavt participauerit effectum, seu fructum illius. Negat Vazquez disp. 84. cap. 1. nisi tantùm in ratione meriti, & boni operis, idem docet Lugus disp. 29. sect. 2. Contraria sententia probabilior est, quam tenent communiter Thomistæ, quibus assentior: quia cùm sit triplex genus sacrificij, scilicet propitiatorij, quod offertur Deo pro peccatis, quod etiam expiatorium, seu satisfactorium dici solet: Eucharistici, seu in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis: impetratorij, ad obtinendum ab eo aliquod beneficium, & sacrificium Christi hanc

triplicem

triplicem rationem habuerit, negandum non est, quòd quamuis non potuerit offerre pro se sacrificium crucis provt propitiatorium est; potuisse tamen provt Eucharisticum, & impetratorium: nec potest afferri aliqua ratio quæ conuincat, Christum non potuisse referre suam mortem in finem gloriæ corporis acquirendæ. Dices non potuisse, quia Sacerdos, vt Sacerdos, dicitur Minister publicus, seu medius inter Deum, apud quem debet intercedere, & populum pro quo intercedit: quod non obscurè innuit Paulus ad Hebræos 5. dum ait: *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. Respondetur, illud quidem pertinere ad rationem mediatoris, non verò ad rationem Sacerdotis vt sic. Paulus verò loquitur de oblatione huius sacrificij, in quantum propitiatorium est.

II. Secunda difficultas est, an Christus sicut Melchisedec, non solùm fuerit Sacerdos, sed etiam Rex temporalis. Suppono vt certum, Christum iure successionis non habuisse ius temporale in regnum Iudæorum. lege Maldonatum ad cap. 27. Matthæi, vbi rectè explicat, nullum esse fundamentum ad affirmandum, ius regni Dauidis pertinuisse & peruenisse ad sanctum Ioseph, & reddit rationem, quia nescimus an ex Regum genere alius fuerit eo propinquior, ad quem regnum, si ad ius hereditarium reuocandum fuisset, pertineret. Tum etiam, quia Ioseph non erat Pater Christi nisi putatiuus, & quamuis esset adoptiuus, adoptio non transfert ius regni in præiudicium aliorum descendentium. Deinde beata Virgo descendebat à Dauide per lineam Nathan, vt tradit S. Lucas cap. 3. non verò per lineam Salomonis, seu regiam, in qua sola poterat esse ius ad regnum Iudęorum: ergo ex nullo capite potest probari Christum habuisse speciale ius ad hoc regnum. Difficultas ergo est, an Christus vt homo fuerit Rex, & quale regnum habuerit. Dicendum est cum communioti sententia, Christum fuisse Regem, & habuisse ius Regis super omnes Reges, & super omnia regna, non solùm spirituale, sed etiam temporale, & directum; de facto tamen non assumpsisse sibi munus temporale gubernandi, sed reliquisse Regibus, & Principibus: quod ab alijs dici solet, fuisse quidem Regem in actu primo, non verò in actu secundo, seu exercito. Et eodem modo philosophandum est de dominio Christi super res singulas: ac proinde quando Ioan. 18. dixit Pilato, *Regnum meum non est de hoc mundo.* Ioan. 18. non negauit se esse Regem, sed se regnare in hoc mundo, quia non assumpserat munus, & officium regnandi. Hæc autem regia dignitas competit Christo triplici titulo. *Primo*, iure filij Dei, ratione vnionis hypostaticæ. *Secundò*, ratione meriti proprij, quia eius meritum fuit simpliciter infinitum, ac proinde potuit mereri hanc dignitatem supra omnes Reges purè creatos. *Tertiò*, ex concessione liberali Patris, quod non obscurè innuitur Psalm. 2. dum dicitur, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Psalm. 2.

DISPVTATIO XIV.

De adoptione Christi.

SECTIO VNIC.

An Christus in quantum homo sit filius Dei naturalis, an adoptiuus.

ADoptio est gratuita assumptio, vel acceptio hominis aliàs extranei, ad hæreditatem alicuius. Duæ conditiones requiruntur ad adoptionem. *Prima*, ex parte adoptati, vt sit extraneus. *Secunda*, quòd ex vi suæ generationis non habeat ius ad hæreditatem adoptantis: debet autem hæc conditio ita intelligi quòd adoptatus, vel sit simpliciter extraneus, vt cùm ex altera familia, & nullo modo consanguineus, seu affinis: vel quòd sit secundùm quid extraneus, itavt licèt sit consanguineus, non tamen in eo gradu ad quem adoptatur; qua ratione nepos potest adoptari in filium, quia secundùm hunc gradum est persona extranea. Altera conditio ex parte adoptantis requiritur, videlicet quòd ipsa adoptatio sit gratuita, & liberalis: nam si fiat ex aliquo titulo, præsertim oneroso, iam non est adoptio, sed quasi emptio, aut alius contractus; requiritur tamen consensus ipsius adoptati, quod intellige si habet vsum rationis, nam si sit infans, & nondum deuenit ad rationis vsum, cum consensu parentis, aut tutoris, potest adoptari. I.

Deinde suppono, quòd in Deo reperitur adoptio, dicitur enim gratis, & liberè adoptare homines, aut Angelos, accipiendo illos, & dando ius ad beatitudinem, quæ est hæreditas filiorum Dei: differt autem hæc adoptio ab ea quæ fit inter homines. *Primo*, quia inter homines fit sola denominatione extrinseca: itaque ius illud quod habet adoptatus ad hæreditatem adoptantis, est denominatio extrinseca; Deus autem adoptat homines, aut Angelos, imprimendo eis aliquam qualitatem, scilicet gratiam: quare dum iustificatur quis, adoptatur à Deo in filium, & iustificatus dicitur à Deo natus. *Secundò* differunt, quia vnus homo adoptat alium ex indigentia, quia non habet filios naturales: Deus autem non adoptat ex indigentia, sed ex sua liberalitate, & misericordia, imò habet filium naturalem. *Tertiò* differunt, quòd inter homines, ille qui adoptatur, habet ius ad hæreditatem adoptantis per mortem illius: Deus autem adoptat homines, & Angelos, vt simul cum ipso sint beati. Vnde sequitur, hoc quod est, adoptare conuenire Deo propriè, & non per metaphoram, quia conditiones adoptionis propriè conueniunt Deo in ordine ad homines, aut Angelos. 2.

Deinde suppono, quòd Christus in quantum homo verè, & propriè est Filius Dei: vt colligitur ex Concilio Francofordensi, quod non semel, sed pluries repetit Adrianus Papa in Epistola decretali ad Episcopos Hispaniæ. Et ad Rom. 8. dicitur; *Qui proprio filio suo non pepercit.* Rom. 8. & Matth. 17. vox Patris intonuit: *Hic est filius meus dilectus.* Matth. 17. vbi sermo est de Christo secundùm humanitatem. Et ratio est, quia Christus in quantum homo, est filius naturalis Dei, ratione generationis æternæ, qua procedit à Patre, quæ æterna generatio humanitati vnita

reddit ipſum filium Dei naturalem. Eſt ergo difficultas, an Chriſtus in quantum homo, ſit filius adoptiuus Dei. Dixi *in quantum homo*, quia modò non diſputo contra Arrium aſſerentem, filium Dei eſſe puram creaturam; nec contra Neſtorium ponentem in Chriſto duo ſuppoſita, quorum vnum ſit filius Dei naturalis; alterum ſit filius Dei adoptiuus. Sed præſuppoſita Fide docente, Chriſtum eſſe vnam perſonam diuinam ſub duabus naturis, diuina, & humana. Difficultas ergo eſt, an hæc perſona in quantum homo, ſit filius Dei adoptiuus, vbi ly *in quantum*, non ſumitur reduplicatiuè, quia vt ſic non eſt filius Dei naturalis, nec adoptiuus, ſi reduplicatio cadat ſupra ſignificatum formale hominis. nam ratio propter quam Chriſtus eſt filius Dei naturalis, non eſt humana natura; ſed ſumitur ſpecificatiuè, qua ratione ſignificat humanam naturam coniunctam diuino Verbo: ſenſus ergo quæſtionis eſt, an Chriſtus in quantum homo, ratione vnionis hypoſtaticæ, ſit filius adoptiuus.

4. Præterea ſuppono, ad filiationem Dei adoptiuam non requiri, vt aliquis ſit prius extraneus, taliter quòd prius ſit inimicus per peccatum: nam in beata Virgine fuit filiatio adoptiua Dei, quæ tamen non priùs fuit extranea per peccatum: ſimiliter Angelus eſt filius Dei adoptiuus, qui tamen priùs non habuit peccatum: extraneitas ergo quæ præſupponitur in eo qui adoptatur, non petit quòd ſit per peccatum, ſed quòd in aliquo priori non ſit illi non debita hæreditas Dei; nec requiritur quod iſta extraneitas præcedat duratione filiationem adoptiuam: nam Angelus quamuis fuerit creatus in gratia in primo inſtanti, fuit tamen filius adoptiuus, quia priùs natura extraneus, quia in priori naturæ quo Angelus quantum ad ſua naturalia præſupponitur ad gratiam, non erat illi debita hæreditas: ſic in propoſito, Chriſtus in quantum homo, non poteſt eſſe filius adoptiuus, quia nullum eſt aſſignabile inſtans temporis, aut naturæ, in quo non ſit illi debita hæreditas Dei ratione vnionis; cuius tota ratio eſt, quia hic homo non præſupponitur ad vnionem, ſed potiùs Chriſtus in quantum homo eſt per ipſam vnionem.

5. Denique ſuppono, humanitatem Chriſti in abſtracto non poſſe appellari adoptatam, & ratio eſt, quia filiatio eſt conditio quædam perſonalis, ac proinde non poteſt tribui naturæ ſecundùm ſe. Præterea, quia id tantùm dicitur filius quod eſt terminus vltimatus generationis, id verò non eſt natura, ſed ſuppoſitum.

6. Sit concluſio. Chriſtus in quantum homo, eſt filius Dei naturalis, non adoptiuus. Ita diffinitur in Concilio Francofordienſi; ſed quidquid ſit de eius auctoritate, de qua nonnulli dubitant, probatur concluſio ex D. Paulo ad Hebr. 1. *Cui enim Angelorum dixit aliquando: Filius meus es tu.* Hebr. 1. vbi ſermo eſt de filiatione naturali, vt conſtat: nam Angeli etiam ſunt filij adoptiui Dei, & D. Petrus confeſſus eſt hanc veritatem, dicens: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.*

7. Secundò probatur ratione, quia ſicut Chriſtus vt nos liberaret à peccato, debuit ipſe carere omni peccato, ita vt nos faceret filios adoptiuos, debuit ipſe carere adoptione: quæ quidem ratio, quia in congruentia fundatur, eſt ſequens efficacior. Ad hoc vt aliquis ſit filius Dei adoptiuus, prius debet eſſe extraneus, & poſt adoptionem remanere extraneus, vt videre eſt tam in adoptione humana, quàm in diuina, quæ fit per gratiam habitualem: ſed Chriſtus nunquam fuit extraneus, quia eius perſona nunquam fuit extranea, cùm ſit eadem perſona Verbi, vt ex prædictis conſtat: ergo nunquam fuit filius adoptiuus. Denique, quia Verbum ab æterno eſt filius Dei naturalis, ſed per incarnationem nihil perfectionis amiſit, nec in rem aliam eſt conuerſus, ſeu mutatus: ergo Verbum diuinum quod eſt homo, etiam dum eſt homo, ac proinde Chriſtus ſpecificatiuè ſumptus, eſt propriè filius Dei naturalis.

8. Obiicies primò, gratia Chriſti eſt eiuſdem rationis cum noſtra; ſed nos ſumus filij adoptiui ratione eius gratiæ: ergo & Chriſtus. Confirmat, quia Chriſtus vt homo, eſt creatura, & ſeruus Dei: ergo & filius adoptiuus. Reſpondetur, eſſe maximum diſcrimen inter gratiam Chriſti, & eam quæ nobis collata eſt; non quòd non ſit eiuſdem rationis cum noſtra, ſed quia Chriſto data eſt ex dubio, nobis autem ex liberalitate: ideoque nos poſſumus adoptari per gratiam, quia reſpectu Dei ſumus perſonæ extraneæ, non verò Chriſtus, cui ratione vnionis debebatur gratia, quia non erat perſona extranea. Ad confirmationem negatur conſequentia, quia ratio creaturæ non excludit vnionem ſubſtantialem cum diuinitate, quam tamen negat filiatio adoptiua. Neque ratio ſeruitutis eſt repugnans filio naturali, nam ſeruitus poteſt conuenire naturæ, & eſt veluti conditio conſequens ratione naturæ creatæ; filiatio autem ſoli perſonæ poteſt conuenire.

9. Obiicies ſecundò, Chriſtus vt homo, non eſt Deus: ergo vt homo, non eſt filius Dei naturalis. Reſpondetur negando conſequentiam. nam vt Chriſtus dicatur filius Dei naturalis, non requiritur vt natura ſecundùm quam dicitur filius, ſit eadem cum natura eius cuius dicitur filius, ſed ſufficit vt illa trahatur ad eſſe perſonale ſubſtantiale eius, cuius dicitur filius, ita vt in illa natura non ſit perſona extranea.

10. Sed maior difficultas eſt, an Chriſtus vt homo reduplicatiuè, ſit filius Dei naturalis. Affirmat Suarez diſp. 49. ſect. 1. quem ſequuntur alij plures, quia Chriſtus vt homo reduplicatiuè, eſt infinitè ſanctus, ſanctitate ſubſtantiali, ratione vnionis, & habet ius ad hæreditatem Dei, quod quidem non competit Chriſto vt Deus eſt, vt ſic enim non eſt hæres, ſed ſolùm vt homo: eſt autem proprium filiorum habere ius ad bona paterna. Hæc tamen ſententia non placet. *Primò*, quia dicere Chriſtum reduplicatiuè vt hominem, eſſe Dei filium proprium, & naturalem, idem eſt ac dicere, ſubiectum, ſeu fundamentum proximum, & vt quod, huius filiationis, eſſe Chriſti humanitatem; ſed hoc dici non poteſt: ergo neque illud. *Secundò*, quia ſi fundamentum Suarij eſſet verum, eodem modò, & propter eamdem rationem, Spiritus ſanctus poſſet dici filius Dei naturalis; eſt enim infinitè ſanctus, & habet ius naturale ad diuina bona per aliquid intrinſecum, non minus, ſed multo magis, quàm Chriſtus, vt homo. *Tertiò*, quia doctrina illa manifeſtè repugnat diffinitioni generationis; eſt enim origo viuentis à viuente coniuncto in ſimilitudinem naturæ, quam diffinitionem omnes admittunt: at Chriſtus vt homo, non procedit à Deo in ſimilitudinem naturæ, vt conſtat: ergo neque vt filius Dei naturalis. Vnde ius illud ad hæreditatem quod aſtruit contraria ſententia, non arguit filiationem naturalem, quia fundari poteſt adhuc in humanis, in alio iure non prouenient à filiatione, & in Chriſto fundatur in vnione hypoſtatica, cui conſequenter debetur beatitudo

tudo. Vnde bene ſequitur ſecundùm Apoſtolum, quòd ſi filius, & hæres; non tamen è contra, eſt hæres, ergo filius. Imò nec gratia habitualis ideo præcisè eſt filiatio, quia dat ius, ſed quia dat ius tali modo, nempe per adoptionem: vnio ergo hypoſtatica, quamuis det tale ius, non tribuit illud conſtituendo filiationem naturalem.

11. Bernal diſp. 66. ferè per totam alia via graditur, exiſtimat enim eſſe dogma fidei, Chriſtum vt hominem reduplicatiuè eſſe Dei filium, ſicut eſt quilibet alius homo, vel Angelus ratione creationis. Deinde eſſe filium Dei proprium, id eſt, non extraneum, aut alienum, vtpote cum Deo phyſicè, & ſubſtantialiter vnitum; non tamen eſſe filium Dei naturalem, quia repugnat ei diffinitio generationis. Vnde infert, quòd Chriſtus in quantum homo, vt reduplicatiuè ſpectatus, eſt filius totius Trinitatis, *primò* quidem ratione creationis, eo modo quo Angelus, vel homo. *Secundò* verò, quatenus proprius, excludit extraneum, & alienum, & conſequenter adoptiuum: quamuis ſingulari modo poſſit dici filius ſecundæ perſonæ, & quaſi per excellentiam ipſius proprius, quia Verbum aſſumendo humanitatem, eam fecit ſibi ſingulariter propriam.

12. Sed neque hæc doctrina mihi probatur, quia iuxta illos modos dicendi, Chriſtus non poteſt dici filius, niſi in ſignificatione valde lata, & impropria. *Secundò*, quia illa doctrina manifeſtè aduerſatur D. Thomæ infrà quæſt. 32. articulo 3. vbi affirmat, Chriſtum non debere dici filium Dei, niſi ſolùm ratione generationis æternæ, ſecundùm quod eſt filius Patris; & ideo non eſſe dicendum filium Spiritus ſancti, aut totius Trinitatis. Denique, quia Concilium Toletanum II. in confeſſione fidei expreſsè dicit, Chriſtum nullo modo Spiritus ſancti filium credi, vel intelligi poſſe.

13. Quare dicendùm eſt cum Baſilio Legionenſi tom. 1. variarum diſputationum, relect. 4. Chriſtum in quantum hominem, neque eſſe filium propriè, neque naturalem totius Trinitatis, reduplicatiuè loquendo; quod probatur rationibus ſuprà allatis. Neque obſtat, quòd Chriſtus vt ſic, non ſit filius adoptiuus, cùm non ſit perſona extranea: ergo neceſſariò debet eſſe naturalis, aut ſaltem proprius. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ad filiationem naturalem neceſſariò requiritur generatio naturalis, neque aliam generationem propriè dictam admittimus præter naturalem, vel eam quæ fit per adoptionem.

DISPVTATIO XV.

De adoratione Chriſti.

SECTIO I.

Quid & quotuplex ſit adoratio.

1. IN primis declarandum eſt, quomodo differant adoratio, laus, honor, & gloria, inter ſe, & ab aliis actibus, qui ad Religionem ſpectant. Laus enim in verbis conſiſtit, honor verò etiam in aliis ſignis externis, ac proinde latius patet, quàm laus: gloria verò à laude, & honore, eo differt, quòd illa eſt notitia clara bonitatis alicuius, quæ ex ipſa laude ortum habet: idem ergo eſt gloria, quod honorifica laus. nam addit gloria ipſi laudi effectum quemdam, quem laus efficit in aliis, ſcilicet bonam exiſtimationem de re laudata: quare rectè diffinietur, *Clara cum laude notitia.* vnde glorificare aliquem, nihil aliud erit, quàm eum ita laudare, vt apud alios bona eius exiſtimatio inde oriatur. Quid verò interſit inter adorare, & reuereri, non ſatis conſtat apud Doctores, nonnulli diſtinguunt hæc duo in hunc modum, itavt reuerentia in affectum dumtaxat, adoratio verò in ſignis etiam externis inueniatur. Ego verò inter has duas voces nullum diſcrimen conſtituerem, ſiue vtraque internum affectum, ſiue externum ſignum tantùm, ſiue vtrumque ſimul ſignificet: idem ergo eſt reuerentia, atque adoratio; quamuis ſi reuerentia in rigoroſa ſignificatione vſurpetur, videtur potiùs ſignificare genus quoddam timoris, de quo D. Thom. 2.2. quæſt. 19. & 81.

2. Quid verò interſit inter honorem, & ad rationem, & quomodo ſe habeat honor ad adorationem, dicendum eſt cum D. Auguſt. lib. contra ſermo. Arrianorum cap. 23. non eſſe omnino idem, quia honorare latiùs patet, eo quòd æquales, inferiores, atque ſuperiores, iuxta cuiuſque virtutem honoramus: adorare autem non dicimur, niſi quos nobis ſuperiores cognoſcimus.

3. Deinde quomodo differat adoratio ab oratione; reſpondeo, in primis conuenire in hoc, quòd ſicut adoratio oritur ex affectu voluntatis volentis recognoſcere excellentiam alicuius, ita etiam oratio prouenit ex affectu voluntatis volentis aliquid obtinere: differunt verò, quòd quamuis opus orationis ſupponat affectum religioſum in voluntate erga Deum, nempe deſiderium obtinendi aliquid ab ipſo, ex apprehenſione propriæ indigentiæ, & diuinæ liberalitatis potentis remedium afferre; ille tamen vt manet in voluntate, nondum dicitur ratio, quouſque opere intellectus loquentis cum Deo exprimatur; atque hoc eſt propriè Deum orare, nempe deſiderio aliquid obtinendi ab eo tanquam à ſuperiore, ei manifeſtare: itaque ratio licèt ab intellectu eliciatur, ſupponit tamen intrinſecè primarium actum in affectu, & voluntate: adoratio verò ita eſt actus voluntatis, vt non perficiatur, & conſummetur ibi, ſed potiùs prærequirat actum intellectus, & deinde alia ſigna, infrà explicanda.

4. Denique quomodo differant humilitas, & adoratio. Dicendum eſt, quòd actus humilitatis, & adorationis externi, quamuis videantur eſſe ſimiles, & ſi ſolùm in ſpecie externa conſiderentur, poſſint facile confundi; differunt tamen in propriis honeſtatibus, & motiuis: nam humilitas moderatur affectum honoris, & ſub hac ratione, & intuitu, exercet actus exteriores ſummiſſionis: adoratio verò propriè reddit alteri honorem, ratione ſuæ dignitatis, vel excellentiæ.

5. His poſitis, adoratio diffinitur à Damaſceno orat. 3. cap. 4. in hunc modum. *Animi cedentis, demiſſi, & humilis ſignificatio*; hoc eſt, actus quidam quo fit proteſtatio excellentiæ, eius qui honoratur, ſupra honorantem. Clariùs ſic poteſt diffiniri. Adoratio eſt reuerentia, & honor alicui exhibitus, in proteſtationem noſtræ ſubiectionis, Damaſc.

& excellentia illius: nam qui alterum adorat, id quidem facit, ex quadam illius æternitatione super se, & ex affectu proteſtandi eamdem excellentiam. Vnde ad adorationem hi actus concurrunt, *primò*, in intellectu adoratio prærequirit cognitionem, ſeu exiſtimationem excellentiæ illius qui adoratur, ſeu adorandus eſt. *Secundò*, in voluntate flagitat volitionem, ſeu affectum ſubmittendi ſe illi, propter illius excellentiam. *Tertiò*, expoſcit ipſam notam ſubmiſſionis, ſiue animi ſubmiſſi manifeſtationem: & in aggregato horum duorum, videlicet ex nota, ſeu manifeſtatione ſigni, & volitione illius, eſſentialiter conſiſtit adoratio: quemadmodum eleemoſynam, vt virtus moralis eſt, neque ſola volitio dandi pecunias, neque ſola pecuniarum exhibitio, ſed aggregato ex vtroque conſtituit.

6. Solet autem hîc inquiri, an actus adorationis eſſentialiter includat operationem externam: an verò poſſit tota adoratio interiùs compleri, abſque aliquo ſigno, ſeu opere externo. Vazquez diſp. 93. cap. 4. partem affirmantem ſequitur, taliter, inquit, quòd ſine actione exteriori ſolùm detur adoratio affectiua, non verò adoratio conſummata, quæ habet pro obiecto ſigna, ſeu exhibitionem externam; ſicut ſine exhibitione pecuniæ, non datur miſericordia conſummata, niſi affectiua tantùm; non tamen vera elargitio eleemoſynæ.

7. Contraria ſententia; ſicut communior, ita verior mihi videtur, quia eſt multo conformior modo loquendi ſacræ Scripturæ, in qua paſſim inuenies adoratores, ſine aliqua nota exteriori. Pſalm. 95. *Adorent eum omnes Angeli eius.* Ioan. 4. *Veri adoratores adorant Patrem in ſpiritu, & veritate.* & iterum: *ſpiritus eſt Deus, & eos qui adorant Deum, in ſpiritu & veritate oportet adorare.* Aliàs nobiliſſimus hic actus religionis, negandus eſſet Angelis ſanctis, & animæ ſeparatæ. Et ratione probatur, quia adoratio eſt animi cedentis, demiſſi, & humilis ſignificatio: ſed poſſumus interiùs exhibere aliquam notam ſummiſſionis, non minus quàm exteriùs: ergo etiam poteſt reperiri adoratio purè interna. Minor probatur, quia ſicut poteſt Angelus, vel homo, agere cum Deo locutione merè interna, quæ ſit manifeſtatio ſui deſiderij, ac proinde vera oratio: ita poteſt agere cum Deo locutione merè interna, quæ ſit manifeſtatio ſuæ ſummiſſionis animi erga Deum: ergo talis actus erit vera oratio. Patet conſequentia, quia non poteſt explicari quiſnam hic actus ſit, vel ad quam aliam virtutem pertineat.

Pſalm. 95. Ioan. 4.

8. Ex quo infero, quòd poſſumus actibus aliarum virtutum vti ad adorationem, qui licèt habeant ſecundùm ſe ſuas rationes ſpecificas, & proprias; tamen quatenus aſſumuntur, vt actus accommodati ad exhibendum Deo honorem, vt ſupremo Domino, induunt rationem adorationis: cùm enim per quemlibet actum virtutis internum Deus propriè colitur interiùs, per quemlibet poteſt etiam interiùs adorari.

9. Quia tamen excellentia propter quam aliquis adoratur, & honoratur, eſt multiplex, & diuerſa, ſcilicet diuina, & increata; item creata: & hæc alia ſupernaturalis, ratione donorum ſupernaturalium: alia verò naturalis, ratione perfectionum naturalium; hinc fit, vt adoratio non ſit vnius, & eiuſdem rationis, ſed multiplicis.

Primò diuiditur in internam, & externam: externa eſt per ſigna exteriora; interna verò quæ exhibetur per interiores actus intellectus, & voluntatis.

10. Secundò diuiditur, in latriam, duliam, & hyperduliam. Latriam appellant Theologi, ſingularem, & excellentem adorationem, quæ Deo debetur propter ſuam excellentiam. Nomine duliæ ſignificatur honor, qui poteſt dari creaturis excellentibus. Nomine verò hyperduliæ ſignificamus excellentem, & quaſi ſuperiorem dulia, quæ debetur quibuſdam creatutis, quæ in excellentia creata, alias excellunt. Quæ adorationes, licèt reſpiciant excellentiam increatam, & creatam; conueniunt tamen vniuocè in ratione adorationis: ſicut amor Dei, & proximi: vel oratio Dei, & quæ ad Sanctos fit.

11. Tertiò diuiditur in abſolutam, & reſpectiuam. Abſoluta eſt illa, qua rem adoramus propter ſe, id eſt, propter excellentiam quam res in ſe habet: reſpectiua verò, qua adoramus rem propter aliud, id eſt, propter excellentiam quæ eſt in aliqua perſona, ad quam res illa dicit habitudinem. Adoratione abſoluta, ſolùm eſt capax natura intellectualis; reſpectiua verò, etiam res inferioris ordinis poſſunt adorari.

12. Quartò diuiditur, in religioſam, & politicam. Religioſa eſt illa, quæ alicui debetur, ob excellentiam ſupernaturalem; politica verò ob naturalem, qua ratione inter homines politicè, & vrbanè, exhibetur honor. Omitto diuiſionem adorationis, in actualem, & habitualem: in fictam, & veram: in honeſtam, & ſuperſtitioſam, quæ non pertinent ad hanc diſputationem, & ex dictis, & dicendis facile poterunt dignoſci.

Sectio II.

An Deus ſit adorandus, & qua adoratione.

13. PRima concluſio. Solus Deus eſt adorandus adoratione latriæ. eſt de fide Deuter. 6. quem locum retulit, & confirmauit ipſe Chriſtus, Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Matth. 4. Vbi vox *ſeruies* denotat adorationem latriæ, quæ ſeruitus eſt ſoli Deo debita, ideo non dixit: *Dominum Deum tuum ſolum adorabis*, ſed, *illi ſoli ſeruies*, quia alios quidem adorare poſſumus; ſeruire verò, id eſt, latriam exhibere, ſoli Deo. Et ratione probatur, quia vnicuique debetur adoratio ob excellentiam: at excellentia Dei eſt ſingulariſſima, & nulli communicabilis; ergo & adoratio ipſi debita, eſt Dei tantùm propria, & incommunicabilis alteri, quæ dicitur latria.

14. Secunda concluſio. Hæc latria quæ ſoli Deo exhibenda eſt, potius conſiſtit in intentione animi, quàm in actu exteriori. Declaratur, & probatur, quia ſigna exteriora quæ exhibentur Deo, etiam poſſunt, & ſolent exhiberi Sanctis, vt genuflexiones, manuum extenſiones, apertiones capitis: & licèt de pectoris tunſione nonnulli dubitent, an liceat eam exhibere Sanctis, exiſtimo quodcunque ſignum exterius iudicandum eſſe ex interna intentione, ac proinde idem ſignum, vt procedit à reuerentiali æſtimatione Dei tanquam ſupremi Domini, eſſe actum latriæ:

vt

Digitized by Google

vt verò procedit ab æstimatione excellentiæ creatæ, esse actum duliæ. Nihilominus quædam sunt signa & actus externi, secundùm aliquorum sententiam pro adoratione latriæ deputati, qui soli Deo exhibendi sunt, vt sacrificium, cultus Sacramentorum; de hoc tamen infrà erit sermo. Maior tamen difficultas est, an pro diuersitate titulorum, seu perfectionum quæ in Deo considerantur, differant specie adorationes, v.g. cùm in Deo non solùm reperiatur ratio dominij, sed ratio supremæ maiestatis, summæ bonitatis, infinitæ sapientiæ, omnipotentiæ, & aliorum attributorum, an varius, & distinctus sit modus reuerentiæ correspondens varietati titulorum, ratione quorum ei debetur talis honor, & consequenter distincta species adorationis correspondens his titulis: an verò vna, & eadem.

15. Communis sententia negat, quam sequuntur Suarez in præsenti sect. 4. & Vazquez disput. 94. cap. 3. In assignanda autem ratione discrepant hi Doctores; efficacior autem videtur ratio Patris Vazquij, quia latria Deo tribuitur, vt est primum principium, habens supremum dominium, à quo vno omnia quæ vera bona sunt emanant; est enim Malach. 1. Pater omnium Malach. 1. & ita dicitur, *si ego sum Pater, vbi est honor meus*; sed in ratione principij omnia diuina attributa continentur, ex quibus vnica, & simplicissima excellentia diuina per quamdam ineffabilem identitatem veluti resultat: ergo virtus Religionis quæ hanc Dei excellentiam respicit, vt formale obiectum, & fundamentum cultus quem Deo exhibet, eiusdem speciei est.

16. Vnde infero, excellentiæ Dei in se deberi latriæ adorationem, eiusdem prorsus speciei; siue ea adoratio attribuatur propter diuersa beneficia accepta, videlicet creationis, redemptionis, &c. nam cùm adoratio sit nota submissionis, sit, vt ex affectu interiori directe respiciat superiorem in dignitate constitutum: ergo ipsa excellentia est in quam fertur adoratio, nec aliam rationem perfectionis respicit in re quam adoramus, & ex consequenti latriæ adoratio directe tendit in Dei excellentiam, quæ cùm vna sit, siue ad illam moueat beneficium creationis, siue redemptionis, non erit diuersa: cùm ratio ipsa in quam fertur adoratio, sit vna, & eiusdem rationis: sicut omnes actus fidei diuinæ eiusdem sunt speciei infimæ, quia siue credas hoc, siue illud, quia semper credis propter vnicam simplicem rationem formalem diuinæ veracitatis. Imò non solùm non habet, neque respicit adoratio beneficium tanquam rationem illius cui cultus exhibetur, sed etiam neque ipsum habet tanquam materiam; quemadmodum gratiarum actio respicit beneficium tanquam materiam, hæc enim referendo beneficium ipsum in Deum à quo processit, versatur circa beneficium tanquam materiam cultus, & honoris; ipsum verò Deum cui acceptum refert; ac proinde honorem tribuit, respicit in obliquo, sub ratione liberalis, & magnifici; in quem adoratio tendit, vt excellentem, & superiorem.

17. Infertur secundò, deceptos fuisse nonnullos Doctores asserentes, esse quosdam exteriores adorationis actus cultui Dei designatos, & debitos, videlicet sacrificium, martyrium, collationem, & susceptionem Sacramentorum, petitionem veniæ, petitionem gratiæ, percussionem pectoris, templorum institutionem, institutionem festorum, vota denique, & iuramenta: quamuis enim ex his operibus aliqua ad cultum religiosum pertineant, omnia tamen non sunt adorationis opera, martyrium namque non est actus religionis, sed fortitudinis habentis imperium charitatis. Ea verò opera non esse adorationis, patet inductione. nam confundunt hi auctores opera cuiusuis religiosi cultus cum adoratione, cùm tamen religio multos alios modos habeat colendi Deum præter adorationem: quare immeritò enumerant inter actus adorationis sacrificium, cùm sit actus religionis distinctus ab adoratione. Deinde susceptio, & collatio Sacramentorum est cultus quidam rei sacræ, cùm ea dignè tractantur, sed nullius est adoratio; petitio verò pertinet ad actum orationis, quæ ab adoratione differt. Templorum constructio, aut obseruatio festorum est actus religionis, qui ad sacrificium, vel orationem refertur, non tamen est adoratio. Denique vota, & iuramenta, enumerantur opera quidem Religionis, sed ab oratione distincta.

Denique infero, esse præceptum diuinum naturale, & positiuum de adorando Deum: quòd sit præceptum naturale, constat, quia secundùm rationem est, creaturam intellectualem obligari ad recognoscendum, & adorandum suum Deum, ac Dominum. Quòd verò sit præceptum diuinum positiuum, liquet. Exodi 20. *Non habebis Deos alienos*; Exod. 20. quod non solùm est præceptum negatiuum de prohibenda adoratione idolorum, sed etiam affirmatiuum de adorando vero Deo, quod obligat sicut alia præcepta affirmatiua. 18.

Sectio III.

An Christus in quantum homo sit adorandus suprema adoratione latriæ.

CONueniunt Doctores, hunc hominem Christum subsistentem in humana, & diuina natura, esse adorandum illa perfectissima adoratione latriæ, qua tota Trinitas, & singulæ eius personæ, adorantur, propter vnitatem personæ Christi: quod est de fide sancitum contra Nestorium, ponentem in Christo duo supposita, vnum adorandum adoratione increata, & alterum adoratione creata. Itaque Christus in quantum homo, non est coadorandus cum diuino Verbo, sed est verè adorandus tanquam Verbum diuinum, vt diffinitur in Concilio Ephesino cap. 8. & in Concilio generali 5. can. 9. & in Trident. sess. 13. can. 6. Vnde fit, vnam, & eamdem adorationem impendendam esse Christo, ita vt in quantum homo non sit coadorandus, id est, tanquam persona distincta adorandus cum filio Dei; sed ea adoratio latriæ quæ filio Dei impenditur, impendatur etiam filio hominis, cùm sit vna, & eadem persona. 19.

Difficultas ergo præsens est, an in ipsam humanitatem Christi possit terminari adoratio latriæ. Pro quo nota, quòd quando inquirimus de Christo, an in quantum homo sit latriâ adorandus, ly *in quantum*, potest intelligi reduplicatiuè, vel specificatiuè. Priori modo sensus est, an humanitas sit causa, & ratio ob quam Christus adoretur latria, de quo non est dubium. nam certum est ipsam rationem adorandi non posse esse aliquid creatum, sed aliquid increatum, quod non est humana natura: præsens igitur controuersia exagitatur specificatiuè, an scilicet cùm diuinam naturam adoramus, & personam ab humanitate distinctam, adoratio etiam feratur in ipsam humanam naturam 20.

tam diuinæ coniunctam,& ad dignitatem perſonæ diuinæ eleuatam, ita vt ipſa natura humana verè ſit terminus adorationis latriæ;non quòd talis terminus ſit humanitas præcisè ſumpta. nam adoratio latriæ non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius, ſed ratione diuinitatis cui vnitur; quare vitandus eſt modus loquendi Durandi quem ſequutus eſt Corduba, quòd humanitas Chriſti ſit adoranda per accidens, quia hoc per aliud ſibi conuenit. Nam licèt humanitas Chriſti adoretur non ratione ſui, ſed ratione diuinitatis cui vnitur; tamen non poteſt concedi, quòd adoretur per accidens latria, quia vnio hypoſtatica non eſt vnio accidentalis,ſed ſubſtantialis.

21. Prima concluſio. Chriſtus in quantum homo ſpecificatiuè, eſt adorandus illa ſuprema adoratione, qua adoratur diuinum Verbum incarnatum, quæ eſt adoratio latria ſimpliciter: ita vt quando adoratur Chriſtus,ſimul adoretur eius humanitas: quod eſt dicere, quòd humanitas Chriſti pro vt vnita Verbo,eſt adoranda abſolutè latria, etiam vt terminus adorationis,quamuis non propter ſe, ſed propter perſonam Verbi,cui vnita eſt ſubſtantialiter. Hæc concluſio eſt communis inter Theologos, & quamuis aliqui dubitent, an ſit de fide, ad minus,ſine periculo erroris negari non poteſt,quia in Conciliis Alexandrino & Epheſino I. ſic habetur. *Cauemus etiam hoc modo loqui de Chriſto: propter eum qui induit,indutum veneror,& propter inuiſibilem, viſibilem adoro: ſed vnus idemque Chriſtus Ieſus, vnigenitusque Dei filius, animo concipitur, qui vna adoratione cum propria carne adoratur.* Item ex Concilio Tridentino ſeſſ.13. cap.5. ſumitur valde efficax argumentum. nam loquens de Sacramento Euchariſtiæ hæc verba habet. *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in catholica Eccleſia ſemper recepto,latriæ cultum,qui vero Deo debetur,huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant, &c. nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit, & adorent eum omnes Angeli eius.* Vnde ſic formatur ratio.Ideo Sacramento defertur latria,quæ vero Deo debetur, quia Chriſtus verus Deus eſt in Sacramento, vel cum Sacramento vnum moraliter conſtituit: ſed humanitas Chriſti cum diuino Verbo,vnam perſonam,vnumque Deum hominem conſtituit: ergo eodem latriæ cultu cum Verbo adoranda eſt.

22. Deinde probatur, quia diuina perſona conſtans ex vtraque natura,eſt per ſe,& vere vna, ſicut quilibet homo: ergo adoratione vna debet adorari. Et confirmatur, quia adoratio latriæ debetur excellentiæ increatæ; ſed in humana Chriſti natura vt vnita Verbo, eſt excellentia increata, quia de fide eſt illam humanitatem ſubſiſtere per eamdem ſubſiſtentiam per quam ſubſiſtit Verbum: ergo vt ſic,illi tribuenda eſt adoratio latriæ.

23. Obiicies, quia humanitas Chriſti etiam vt ſic, eſt aliquid creatum; vnio enim humanitatis ad Verbum aliquid creatum eſt in natura humana: ergo vt ſic non eſt adoranda adoratione latriæ. Reſpondetur ſolùm probare, humanitatem non eſſe adorandi rationem; non tamen probare, non eſſe terminum adorationis. Itaque ſicut cùm adoratur Sanctus, non ſolùm adoratur anima in qua eſt excellentia gratiæ, & virtutis:ſed etiam corpus, & caro, in quâ non eſt talis excellentia, adoratur ſimul eodem cultu, quia ſubſtantialiter corpus, & anima ſunt vnum, & idem ſuppoſitum, licèt ratio formalis talis adorationis ſit ſola excellentia animæ: ita non tantùm Verbum,& diuinitas Chriſti, in quo eſt formaliter ratio adorationis, ſcilicet excellentia increata; ſed etiam eius humanitas quæ ſubſtantialiter ſunt vnita ſuppoſito, adorari debent eadem adoratione. Ad argumenta ergo fateor vnionem eſſe quid creatum, & humanitatem ſimpliciter, ſed quia non conſtituimus illam eſſe adorationis rationem, ideo nihil prohibet eſſe finitam,& creatam, & poſſe eſſe terminum adorationis latriæ, in quantum adoratur vnum ſuppoſitum in vtraque natura.

Secunda concluſio. Humanitas Chriſti præciſa vnione ad Verbum,non eſt adoranda latria,poteſt tamen adorari hyperdulia. Prior pars eſt manifeſta,quia adoratio latriæ ſupponit excellentiam increatam; quæ non reperitur in humana natura Chriſti, vt præciſa à diuino Verbo. Poſterior pars probatur, quia illa humanitas vt ſic, habet propriam dignitatem, & excellentiam, longè perfectiorem, quam cæteri omnes Sancti. nam gratia eius habitualis eſt tanta, vt de lege communi nequeat dari maior, etiam per omnipotentiam Dei: ergo vt ſic promeretur aliquam adorationem, non latriam, quia præſcindimus vnionem, neque duliam, quia hæc communis eſt cæteris Sanctis: ergo hyperduliam;hæc enim adoratio debetur ſupremæ excellentiæ creatæ. 24.

Obiicies ex D.Thom.art.1.& 2. in corpore vbi cenſet, adorationem non deferri niſi ſubſiſtenti; humanitas autem Chriſti in caſu poſito non ſubſiſtit: ergo nullo modo eſt adoranda. Reſpondetur D.Thomam tantùm docere vſitatam adorationem dirigendam eſſe ad perſonam tanquam ad terminum; non tamen vult, hunc modum adorationis ex natura rei repugnare, quamuis non ſit vſitatus. 25.

Tertia concluſio. Quamuis humanitas Chriſti poſſit per ſe non comprehendendo Verbum adorari adoratione hyperduliæ,vt prædictum eſt: non tamen eſt licita, neque decens talis adoratio cum tali metaphyſica, ſeu præciſione. Ratio eſt, quia ſanctitas, & gratia humanitatis Chriſti præciſa à gratia vnionis, non excedit excellentiam creatam: ergo facta præciſione adoranda eſſet ratione illorum, adoratione creata: ſed quia talis conceptus non eſt completus de re ſecundùm perfectionem quam habet in rerum natura, ideo adoratur neceſſariò adoratione latriæ; propter vnionem ad Verbum. Et confirmatur, quia talis adoratio facilè poſſet in animis fidelium ſuſcitare ſcandalum, & exiſtimare quòd adorans cognoſcat in Chriſto duas perſonas, ſicut agnoſcebat Neſtorius. 26.

SECTIO IV.

Quomodo B. Virgo ſit adoranda.

CIrca honorem Virginis, aliqui per defectum debitum honorem negantes;alij verò per ſuperabundantiam plus honoris deferentes, videntur defeciſſe. 27.

Notandum ergo eſt primò, beatam Virginem habuiſſe tres præcipuas excellentias. Primam fundatam in gratia habituali quam habuit, ſicut alij Sancti,quamuis in gradu excellentiori. Secundam ratione contactus quem habuit cum Deo homine, concipiendo, pariendo, & geſtando illum. Tertiam ratione maternitatis diuinæ,ſecundùm quam habuit conſanguinitatem cum Chriſto vt homine,& affinitatem cum Chriſto vt Deo,iuxta quam triplicem

triplicem excellentiam quærimus, an ei debeantur diuersæ species adorationis.

28. Notandum secundò, quòd licèt dignitates quæ fuerunt in aliis Sanctis vltra gratiam habitualem, nempe quòd Baptista fuit præcursor,& Petrus caput Ecclesiæ, non fuerint sufficientes vt ob illas digni essent distincta adoratione, ab ea qua communiter adorantur Sancti, quia præcisè sumptæ, non sunt sufficientes rationes cultus religiosi, sed sunt quædam ministeria quæ ordinantur ad gratiam habitualem: dignitas verò beatæ Virginis in vtroque omnes prædictas excedit, quia aliæ dignitates referuntur in Deum,morali quadam ratione, & ordinatione; maternitas verò physico modo ipsum attingit. Itaque cùm caro Virginis sit caro Christi,& beata Virgo habeat cum Christo quamdam coniunctionis speciem, quam Sancti non habent, inquirimus an adoranda sit adoratione latriæ, sicut adoramus reliquias Sanctorum propter coniunctionem cum re quæ est digna adoratione, & similiter propter contactum, qua ratione adorantur insignia passionis,scilicet crux,claui, &c.

29. Prima conclusio. Beata Virgo potest adorari adoratione respectiua latriæ, sicut crux Christi, propter contactum ad corpus Christi eadem adoratione adoratur. Quòd si D. Thom. quæst. 25. art.3.ad 3.docuit. *Beatam Virginem esse capacem adorationis propriæ; ac proinde non debere adorari ratione contactus: res verò inanimatas non habere propriam excellentiam, & ideo solùm adorari propter exemplar cuius sunt imago, cum quo habent quamdam dignitatem analogam; sicque non diuidi adorationem, sed eadem adoratione adorari,imaginem, & imaginatum: at contactus in Virgine transiit in dignitatem maternitatis, qua dignitas sicut inferior dignitate filij, ita inferiori honore adorari debet.* Sed, vt rectè Caietanus, hæc doctrina habet locum ratione scandali, eo quòd existimaretur propria beatæ Virgini adoratio aliena Christi: at ex natura rei, & vitato scandalo,inquit posse illi conuenire: idem docet Suarez disp. 22.sect.1.& Vazquez disp. 100. cap.1. qui addunt, non solùm ad euitandam occasionem scandali adorandam esse Virginem, potius adoratione propria, sed etiam quia honorabilius est, honorari honore proprio,quamuis minore, quàm alieno, quamuis maiore.

D.Thom.

30. Secunda conclusio. Beata Virgo, tum propter excellentiam gratiæ, & donorum: tum propter maternitatem,adoranda est hyperdulia. Prior pars probatur,quia sicut eximia sanctitas, & excellentia gratiæ,& gloriæ Virginis, excedit sanctitatem, gratiam, & gloriam aliorum Sanctorum: ita adoratio Virginis debet excedere adorationem omnium illorum: ergo beata Virgo adoranda est hyperdulia, quæ à Theologis appellatur cultus exhibitus ob singularem, & supremam sanctitatem, qualis in alia pura creatura non reperitur.

31. Posterior pars ostenditur, quia dignitas maternitatis in Virgine est alterius rationis, à dignitatibus repertis in cæteris Sanctis, & ob hanc causam appellatur à Patribus Regina,& domina: ergo debetur ei hyperdulia, alterius à dulia aliorum Sanctorum: sicut humanitati Christi debetur hyperdulia alterius speciei propter dignitates alterius speciei quas habet,videlicet capitis, Redemptoris, Regis,&c. Sed similiter beata Virgo suo modo est nostra Redemptrix,caput,Regina,& domina:ergo vindicat sibi hyperduliam alterius speciei à dulia, quæ debetur aliis Sanctis.

32. Obiicies: Beata Virgo fuit Mater Christi secundùm carnem: ergo quamuis dignitas Mariæ sit creata, tamen ex natura sua habet ordinem, & coniunctionem cum humanitate Christi; ac per consequens latria adoranda est: quia mater Regis eadem reuerentia adoratur, qua adoratur Rex. Respondetur, quòd excellentia Virginis, siue ratione contactus, siue ratione consanguinitatis ad Christum,quantumcumque ad illum ordinem dicat, est inferior dignitatis à dignitate Christi; ac proindè non est adoranda eadem adoratione:sicut adoratur Rex, & Regina, quorum excellentia est eiusdem rationis.

33. Obiicies secundò. Verba illa Lucæ 11. vbi post verba mulieris extollentis vocem: *Beatus venter qui te portauit*, respondit Christus. *Quinimo Beati qui audiunt Verbum Dei*, &c. Ex quibus colligit Augustinus,tract.1.in Ioann. *quòd beatior fuit beata Virgo concipiendo Deum mente, quàm ventre*; id est, habendo gratiam, & sanctitatem in anima, quàm Deum in ventre,& vberibus. Respondetur, quòd si seorsim fiat comparatio, & inter se conferantur istæ dignitates, melius, & optabilius est mente sola concipere Deum, quàm solo ventre; tamen si ambæ dignitates considerentur copulatæ, vt fuerunt in beata Virgine, & vt suapte natura dignitas maternitatis Dei exigit, præsupponit, & includit alteram dignitatem sanctitatis,& virtutum, veluti dispositionem necessariam moraliter; sic maior, & dignior est excellentia maternitatis, omnibus aliis.

Luc.11.

Augustin.

Sectio V.

An Sanctis debeatur adoratio.

34. Conclusio est affirmatiua. Sancti Angeli, & homines sancti, adorari debent adoratione duliæ,non solùm respectiua, sed potiùs absoluta,& non solùm politica,sed religiosa.

Prior pars est de fide diffinita in VI. Synodo sess. 15. & in pluribus aliis Conciliis, & decretis, & eam probat vsus totius Ecclesiæ, & plura loca sacræ Scripturæ, vbi dicitur sanctos homines, & Angelos adoratos fuisse,& etiam, quia ipsi habent excellentiam, secundùm quam sunt nobis superiores.

35. Secunda pars etiam est manifesta, quia hæc excellentia quæ in Sanctis reperitur, inhæret ipsis, cùm sit creata,& propria.

Tertia denique pars de adoratione religiosa ponitur contra hæreticos oppositum asserentes;in illis enim reperitur excellentia supernaturalis;quare licèt metaphysicè possit adorari Sanctus à nobis adoratione respectiua, quatenus sunt, vel fuerunt templa Dei moraliter, tamen non est accipiendus talis modus adorationis, tum propter vitandum periculum; tum,quia cùm per se adorabiles sint, magis propriè debet fundari honor illis exhibitus in virtute, & excellentia eorum. nam honore respectiuo potius adoramus eum qui est terminus respectiuus, quàm illum qui est obiectum adorationis. Vnde quamuis adoramus Sanctos propter Deum, tanquam propter finem;etiam adoramus eos propter ipsos, tanquam propter obiectum,& terminum adorationis. Denique,quia Sanctis vt sic, alios actus exteriores duliæ referimus, quàm referamus aliis hominibus. nam Sanctis erigimus templa, & Altaria, & sacramus certos dies,&c.quòd cæteris hominibus non fit.

36. Obiicies primò,quòd cùm Ioannes Apocal. 19. vellet

vellet Angelum adorare, ab illo prohibitus est. Similiter Paul. & Barnabas Act. 14. prohibuerunt, cùm idem tentarent Lycaones. Et D. Petrus Act. 10. cùm Cornelius vellet eum adorare, similiter eum prohibuit. Respondetur, quòd Angelus recusauit adorationem Ioannis, vt ostenderet quanti homines faceret, postquam nostra natura ducta est ad esse personale Verbi, & præcipuè quanti faceret Apostolos ministros Christi, & Principes Ecclesiæ, vt constat ex illis verbis, *Vide ne feceris, conseruus tuus sum.* Lycaones autem existimabant Paulum, & Barnabam esse Deos, & tanquam Diis volebant sacrificare, quod meritò fuit eis prohibitum. Petrus denique ex modestia illam adorationem repudiauit à Cornelio.

37. Obiicies secundò, verba Esther 13. vbi Mardo-
Esther 13. chæus ait. *Seu quia non pro superbia, & contumelia fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum: sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.* Respondetur primò cum Didaco de Baëza tom. 1. in Euangelia lib. 2. cap. 12. quòd Aman circa pectus gerebat aureum idolum, cui Medi omnes adorationem exhibebant: vnde Mardochæus nec Principi idolum præferenti assurgebat; ne idolo simul aliquem honorem exhiberet. Respondetur secundò genuflexionem à Iudæis non solere aliis exhiberi, quàm Deo, & ideo Mardochæus noluit Aman huiusmodi honorem exhibere, ne cultum consuetudine populi Iudaici dicatum Deo, in hominem transferre, eumque videretur latria adorare, cum scandalo Iudæorum.

38. Obiicies tertiò, quia erigere Templa, dirigere vota, festos dies dicare, thus adolere Sanctis, videtur ad idololatriam pertinere; hæc enim sunt Dei propria: ergo saltem non sunt colendi Sancti à nobis hoc genere adorationis. Respondetur, quòd soli Deo debemus templa erigere: vnde cùm Sanctis templa construimus, explicandum est cum D.
August. Augustino lib. 20. contra Faustum, vbi ait: *Nulli Martyrum, sed ipsi Deo Martyrum, quamuis in memoriam Martyrum construimus altaria.* Itaque in memoriam Sanctorum, & sub illorum nomine, templa Deo constituimus, vt illi sint nostri Patroni apud ipsum. Hac de causa diuina vota, & interdum Missarum solemnia, Sanctis impendimus; cùm tamen non ipsis, sed Deo, quamuis sub eorum nomine, eiusmodi actus deferri debeant.

39. Denique obiicies, non esse de fide hunc Sanctum esse in cœlo; sicut non est de fide hunc esse sanctum: ergo neque est de fide eum esse adorandum. Respondetur, quòd quamuis concederemus non esse de fide hunc numero hominem esse sanctum, nec esse adorandum; de fide tamen est, illum qui re ipsa est Sanctus debere adorari, quod sufficit ad veritatem nostræ conclusionis.

40. Inquires, an adoratio Sanctis exhibita, eliciatur ab eodem habitu, à quo elicitur adoratio Dei. Respondeo duliam, seu adorationem Sanctorum ad virtutem religionis pertinere, non quia virtus Religionis talem cultum eliciat, sed quia Religio imperat eiusmodi cultum. *Primò*, quia talis adoratio potest fieri actibus ad religionem pertinentibus, nempe oratione, deuotione, peregrinatione, ieiuniis, votis, templis, &c. Deinde, quia talis adoratio habet pro obiecto rem sanctam, & sacram. Denique, quia peccata contra Sanctos commissa, sunt contra virtutem religionis, & sunt blasphemiæ: signum ergo est quòd cultus eorum ad religionem pertinet, non quidem tanquam species, sed tanquam pars proportionalis ipsius. Vnde fit, quòd dulia est virtus distincta à Religione qua colitur Deus, & eius excellentia increata; est etiam diuersa à pietate, & obseruantia qua colitur homo propter excellentiam naturalem quam habet: itaque dulia habet inter hæc medium locum. nam respicit superiorem excellentiam, quàm naturalis, & humana, inferiorem verò, quàm sit increata, & diuina.

Sectio VI.

An imagines sint adorandæ eadem adoratione qua prototypum.

NOmine imaginis veram rei similitudinem 41.
intelligimus, in quo imago differt ab idolo, quod est falsa similitudo. legatur Vazquez de adoratione disp. 1. cap. 1. 2. & 3.

Et primò certum est secundùm fidem catholi- 42.
cam, vsum sacratum imaginum licitum esse, & laudabilem. Ita diffinitur in V I. Synodo act. 7. Probatur primò ex sacra Scriptura. nam in veteri Testamento Exodi 25. & sæpe alibi, Deus præcepit fieri imagines Cherubim, & Angelorum, in tabernaculo ad excitandam populi deuotionem. Secundò probatur ex traditione, & vsu totius Ecclesiæ; traditiones autem æqualem habent auctoritatem cum sacra Scriptura; quòd verò sit talis traditio, constat ex historiis, Conciliis, & ex vnanimo consensu omnium Doctorum: certum enim est, Christum Dominum imaginem impressam misisse ad Abagarum Regem Edessæ, vt tradit Damascenus lib. 4. cap. 17. Præterea antiqua Ecclesiæ traditio est, de facie Christi Domini quæ Romæ ostenditur, & adoratur, & de imagine beatissimæ Virginis depicta à D. Luca. Præterea probatur ratione, referendo plures vtilitates prouenientes ex sacris imaginibus; imagines enim excitant nos ad amorem Sanctorum quos repræsentat, ad eorum imitationem; reuocant etiam in memoriam diuina beneficia Ecclesiæ collata ministerio Sanctorum: non ergo eorum vsus potest dici ex natura rei illicitus.

Obiicies, quia Exodi 20. & Deuteronomij 4. 43.
& 5. dicitur. *Non facies tibi sculptile: nec similitudinem omnium quæ in cœlo sunt desuper, & in terra deorsum*, & 4. Regum 18. Sanctus Rex Ezechias destruxit imaginem serpentis, & Sap. 3. reprehenduntur, qui non erubescunt loqui cum imagine quæ sine anima est, & Ioan. 4. dicitur. *Veniet hora, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate: Deus enim spiritus est, ita in spiritu debet adorari.*
Exod. 20. Deut. 4. & 5.
Ioan. 4.

Respondetur in his locis etiam prohiberi id 44.
quod aliàs lege naturæ est vetitum, nempe conficere sculptilia, vt ea tanquam numen aliquod adorentur, & cum existimatione quod eis insit aliquid diuinum, pro vt Ethnici faciebant. Vnde particula illa Exodi 20. *Neque similitudinem*, repetitio est prioris partis, & non continet aliquid ab ea distinctum. Sanctus verò Ezechias destruxit imaginem serpentis, quia populus ille erat pronus in idololatriam ex consortio Ægyptiorum, & aliarum gentium, & adorabant imaginem illam serpentis tanquam quid diuinum. Neque obstat quòd in prima Synodo Constantinopolitana prohibetur vsus imaginum. Respondetur illam Synodum non fuisse verum Concilium, sed conciliabulum

bolum Hæreticorum, ac proinde eius acta reprehenduntur in Concilio Niceno II. act. 6. congregato, & approbato à Leone Papa.

45. Secundò etiam est certum, non solùm imagines Christi, & Sanctorum, retinendas esse; sed etiam Dei, & Angelorum. De Angelis sanctis constat ex locis citatis sacræ Scripturæ, vbi Dei iussu iubentur fieri imagines Cherubinorum: quòd si imagines Angelorum efformari possunt, cùm tamen sint incorporei: ergo quòd Deus sit incorporeus, non obstat, quominus eius imago depingi possit: quod etiam approbatur à Tridentino sess. 25. dum ait. *Si aliquando historias, & narrationes sacræ Scripturæ, cùm id indocti plebi expedit, exprimi, & figurari contigerit, doceatur populus, non propterea diuinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus, aut figuris exprimi possit.* Quibus verbis satis indicat, Dei imaginem depingi posse monendo qua ratione Pastores occurrere debeant falsæ persuasioni de diuinitate susceptæ. Trident.

46. Obiicies, quia Isai. 40. dicitur: *Cui similem fecistis Deum, aut quam imaginem posuistis ei*, & idem repetit cap. 46. ergo non licet Dei similitudinem, & imaginem efformari. Respondetur, Deum ibi tantùm intendere reprehendere idola gentium, quæ imitabantur Iudæi, existimantes in illis simulacris inesse veram diuinitatem: quod idem reprehendit Apostolus Actor. 17. vnde imago Dei tribus modis potest à nobis efformari. *Primò*, ita vt exactè velimus Dei formam exprimere. *Secundò*, ad repræsentandam aliquam figuram in qua dignatus est Deus apparere. *Tertiò*, vt ex illa imagine Dei sensibili possimus aliquo modo ad eiusdem Dei cognitionem deuenire. Secundo, & tertio modo licitum est imaginem Dei ponere, & hoc est quod vult praxis Ecclesiæ; priori verò modo impossibilis est Dei imago. Isai. 40.

47. Tertiò etiam est certum contra hæreticos, imagines sacras simpliciter esse adorandas. quod probatur ex sacra Scriptura Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est.* per quod intelligitur arca fœderis, licèt aliqui intelligant Christi humanitatem. Quòd si rebus inanimatis ex sacra Scriptura tribuitur cultus, proculdubio potest etiam tribui imaginibus. *Secundò* probatur ex Conciliis, in quibus hæc veritas est diffinita in Florentino sess. 5. & in Trident. sess. 25. in Decreto de inuocatione Sanctorum, & in pluribus aliis. Psalm. 98.

48. Tertiò probatur, quia rebus sanctis debetur aliquis honor; imagines autem sunt res sacræ.

Quartò, quia honor imaginis redundat in prototypum. nam etiam in humanis, imaginibus Regum defertur honor, & similiter iniuria contra imagines censetur inferri ipsis prototypis. nam ad honorem cuiusque pertinet, vt non solùm in se, sed etiam in sua imagine honoretur. Vnde infero *primò* adorationem imaginum non esse absolutam, sed respectiuam. *Secundò* infero, imagines non solùm esse adorandas cultu externo, osculo, genuflexione, &c. Sed etiam cultu interno, quia cultus exterior sine intentione adorandi non est adoratio. Difficultas ergo est, de modo quo imagines sunt adorandæ, an possint adorari distincta adoratione ab exemplari, seu potiùs vna, & eadem adoratione adoretur imago, & prototypum.

49. Notandum est, imaginem tripliciter considerari posse. *Primò* materialiter, vt est lignum quoddam, aut lapis, aut aurum, &c. qua ratione certum est, nulla ratione esse adorandam. *Secundo* modo etiam materialiter, vt est res quædam sacra deseruiens cultui ipsius Christi, sicut vasa, & sacra linteamina. *Tertio* modo formaliter in quantum est imago, & actu exercet officium imaginis.

50. Prima conclusio. Imagines verè, & propriè sunt adorandæ tanquam obiecta terminatiua propter aliquid intrinsecum in ipsis existens, & non solùm, quia faciunt nos recordari rerum quæ in ipsis repræsentantur. Probatur, quia si imago solùm se haberet vt mouens, & excitans; non verò vt adorationem terminans, sic quælibet creatura posset adorari, siquidem quælibet mouet nos, & excitat in memoriam Dei quem adoramus, & in hoc sensu loquutum est Concil. Mogunt. cap. 4. cùm ait, *Imagines non esse adorandas, sed retinendas memoriæ causa.* Ex quo fit, quòd imago quæ specialiori modo est adoranda, quàm aliæ creaturæ, est perceptiua honoris, & non solùm excitatiua. Itaque quamuis concedamus quòd per dependentiam ab extrinseco prototypo sit imago adoranda, tamen intrinsecè etiam in se habet fundamentum, & rationem adorationis. Conc. Mo

51. Obiicies, obiectum adorationis est sanctitas, & excellentia aliqua: ergo vbi formaliter non reperitur sanctitas, & excellentia, nisi solùm extrinsecè, denominatiuè, & impropriè, ibi non debetur adoratio formaliter, & propriè: sed in imagine formaliter nulla est sanctitas, & excellentia, sed solùm denominatiuè, & tanquam in signo: ergo non debetur illi adoratio, nisi extrinsecè, & denominatiuè.

52. Respondetur, negando quòd vbi formaliter, & verè non est obiectum potentiæ, potentia non possit formaliter agere circa tale obiectum, vt patet in colore qui est formale, & adæquatum obiectum visus, & tamen non necesse esse, quòd sit verus color, ad hoc vt visus versetur circa illud, sed satis est color analogicè & apparens; qualis est qui reperitur in speculo, in cœlo, aut in aëre. Præterea desiderium infirmi solùm tendit in sanitatem, & tamen tendit in medicinam in qua non est verè, & formaliter sanitas, sed analogicè quod sufficit, vt verè illæ dicantur visiones coloris, & hæc desideria sanitatis: ita similiter, quamuis in imaginibus non sit sanctitas nisi analogicè, adhuc tamen vera adoratio poterit ad illas tendere, & circa illas terminari, quamuis non vltimatè, & propter ipsas, vt iam expono.

53. Secunda conclusio. Imagines in quantum sunt quædam res sacro cultui, & venerationi suorum prototyporum, possunt adorari propter illam habitudinem quam habent ad prototypa, diuersa tamen, & inferiori adoratione, quàm sit illa qua adorantur prototypa. Probatur ex VII. Synodo actione 6. & ex Trident. sess. 25. cap. 2. vbi docet, imagines non esse adorandas, quia in illis aliqua vis reperiatur, sed quia honor qui illis defertur, est propter prototypum, & cùm imagines adoramus, & osculamur, Christum, & Sanctos osculari, & adorari. Confirmatur, quia res inanimatæ, etiamsi non sint adorabiles propter se, sunt tamen adorabiles in se propter aliud, qua ratione adorantur Euangelia: ergo quamuis imagines quæ sunt res sacræ, sint inanimatæ, poterunt in se adorari propter habitudinem quam dicunt

Digitized by Google

ad prototypum, & quatenus repræsentat res sacras.

54. Secundò probatur, quia duplici actu possumus appetere, v. g. sanitatem. *Primò* immediatè. *Secundò* eligendo media, scilicet medicinam, per ordinem quem habet ad ipsam sanitatem, qui actus differunt, vt ex se patet: ergo similiter cùm duplex sit actus quo possumus colere Christum, *primò* in se immediatè, *secundus* quo colimus eius imaginem, vt res sacra est, propter ordinem quem habet ad ipsum Christum, proculdubio illi actus sunt diuersæ speciei. Itaque cùm imago hoc modo adoratur, scilicet vt res sacra, quamuis ratio finalis adorationis sit ipsum prototypum, tamen obiectum formale, & adæquatum talis adorationis est ipsamet res sacra, propter sanctitatem, & sacrationem, vt sic loquar, quam in se habet.

55. Tertia conclusio. Imago vt imago est, & vt actu exercet officium imaginis, debet adorari eadem adoratione qua prototypum.

Probatur, quia idem est actus qui versatur circa obiectum materiale, & formale: ergo cùm imago prædicto modo adoretur, vt obiectum materiale, & prototypum vt formale, necesse est, vt eadem sit adoratio vtriusque. Confirmatur. nam imago vt imago est formaliter, componitur in se moraliter, ex materia repræsentante, & ex re repræsentata, ita vt illa sit quasi materia, & hæc quasi forma, & sicut humanitas Christi in esse physico, constituit vnum substantiale cum Verbo diuino, & ita quando adoratur, vt vnum cum Christo adoratur eadem omnino adoratione; ita in esse moris apprehendimus imaginem, vt vnum cum re imaginata, & tunc prototypum, seu imaginatum habet se veluti inhærens imagini, & imago habet se, ac si informaretur prototypo; ac proinde vnica adoratione tendimus in vtrumque, quia vtrumque componit vnum obiectum formale, & adæquatum, terminans adorationem.

56. Secundò probatur ratione qua vtitur D. Thomas, desumpta ex Aristotele in libro de memoria, & reminiscentia cap. 1. Idem est motus in imaginem, & imaginatum; quia tota ratio mouendi se in imaginem vt sic, est ipsum imaginatum: ergo eiusdem rationis, imò omnino eadem est vtriusque adoratio.

57. Dices, ergo iam imago non terminat illum motum, & sic non est propriè quæ adoratur, sed solùm in quo. Respondetur, quòd etiam terminatur adoratio ad imaginem, non quidem tanquam ad rationem formalem adorandi, sed tanquam ad rem adoratam, & veluti ad materiam, & subiectum quod, vel quæ simul cum ratione formali quæ est prototypum ibi expressum, constituit vnum obiectum totale terminatiuum talis adorationis: itaque cùm adoratur imago vt imago est, tunc prototypum non se habet vt finis, & imago vt obiectum adorationis, vt dicebamus in secunda conclusione, sed facit vnum cum ipso prototypo, ac proinde eadem adoratione adoratur.

58. Obiicies, quia ex hac conclusione videtur sequi, licere etiam adorare hominem latria, quia homo factus est ad imaginem, & similitudinem Dei, Genes. 1. Respondetur negando sequelam, quia licèt homo sit imago Dei, non tamen assumptus est ab Ecclesia, vt veneraretur à nobis, quod sin pliciter requiritur, vt aliqua imago adoretur tanquam imago Dei, idque propter periculum erroris, seu idololatriæ, ne iudicemur hominem pro Deo colere.

Notandum, non licere collocare nostram fiduciam in imaginibus, nec aliquid ab eis petere. Item nec sacrificare, quia hi actus ordinantur intrinsecè ad Deum, qui potest nos exaudire: vnde fieri non possunt nisi ad naturam intellectualem, quæ nostras peritiones exaudit, & potest concedere quod petitur; ac proinde quando Ecclesia canit: *O crux aue spes vnica.* ibi per crucem significatur crucifixus, & ita petitio terminatur ad ipsum. 59.

Sectio VII.

An crux sit adoranda, & qua adoratione.

60. Circa id quod primo loco inquiritur, sit conclusio. Tam crux, in qua Christus Dominus pependit, quàm omnes aliæ, sunt adorandæ. hæc est de fide diffinita in VII. Synodo act. 7. Et prior pars probatur, quia crux fuit altare vbi Christus se ipsum obtulit Patri, & contactu sui sanctissimi corporis sanctificata, & consecrata. Posterior pars ostenditur, quia quælibet crux est imago illius crucis in qua Christus pependit, & repræsentat ipsummet Christum crucifixum.

61. Vbi nota, quòd crux non solùm est adoranda, quia repræsentat crucem in qua Christus mortuus est, sed quia repræsentat ipsum Christum crucifixum: vnde hoc est discrimen inter lignum sanctæ crucis, & reliquas cruces; quod lignum sanctæ crucis potest duobus titulis adorari. *Primò*, quia repræsentat Christum crucifixum. *Secundò*, propter contactum ad corpus Christi: at reliquæ cruces solùm possunt adorari ex primo titulo, quo etiam modo claui, lancea, spinea corona, & alia similia quæ Christum tetigerunt, adorãda sunt, propter Christi contactum. Præterea notandum, materiam crucis in qua Christus pependit, non solùm posse adorari dum retinet formam crucis, sed etiam ea destructa, quia quælibet particula retinet posteriorem rationem contactus ad corpus Christi.

62. Obiicies, si propter contactum, tam crux Christi, quàm cætera instrumenta passionis sunt adoranda, sequitur, quòd terra quam calcauit, & manus percussorum, & militum, qui ipsum apprehenderunt, & labia Iudæ, quæ ipsum osculata sunt, possunt similiter adorari. Respondetur concedendo terram sanctam, & omnia alia quæ Christus contactu suo sanctificauit debere adorari; negandum tamen est manus percussorum Christi, & labia Iudæ, esse adoranda. nam illa non sanctificauit Christus, siquidem eis non est vsus ad redemptionem, & sanctificationem nostram; nec sufficit nudus contactus ad Christum, nisi ille sit absque iniquitate attingentis.

63. Obiicies secundò, quia si ob id cæteræ cruces sunt adorandæ, quia assimilantur cruci in qua Christus passus est: ergo ob eamdem rationem omnes claui, lanceæ, & flagella erunt adoranda, quia assimilantur his, quæ propter contactum ad Christum merentur veram adorationem. Respondetur, nos adorare quamlibet crucem, non verò quamlibet lanceam, &c. nam in adoratione cuiuslibet crucis nullum est periculum,

Digitized by Google

lum, cùm certum sit crucem adorari eo quòd sunt signa, & imagines crucifixi; at claui, & lancea, non ita sunt signa; ac proinde satis est quòd illi claui qui Christum tetigerunt, adorentur propter contactum, non verò alij claui. Adde cum Suario, crucem non habere aliud munus præter repræsentationem: at lanceæ, vel spinæ, sæpe sumuntur ad alios vsus, quòd si fabricentur, vel depingantur ad repræsentanda instrumenta passionis, debent adorari, sicut crux.

64. Secunda verò difficultas ex dictis facilem habet resolutionem.

65. Sit ergo secunda conclusio. Crux non solùm est adoranda, quia repræsentat crucem in qua Christus mortuus, & passus est, sed quia repræsentat ipsum Christum crucifixum, ac proinde potest adorari eadem adoratione qua adorantur imagines Christi. Probatur eisdem rationibus quibus sectione præcedenti probauimus, imagines Christi qua ratione exercent officium imaginis, debere adorari eadem adoratione qua adoratur ipse Christus: sed quælibet crux qua ratione repræsentat Christum in ipsa extensum, est considerabilis à nobis vt vera imago Christi: ergo quælibet crux est adoranda vera latria, sicut ipse Christus, quia licèt crux non habeat imaginem expressam Christi, scilicet membrorum, faciei, &c. tamen ex vsu, & accommodatione Ecclesiæ, repræsentat Christum crucifixum, sicut quæuis aliæ imagines expressæ Christi.

66. Tertia conclusio. Si crux Christi adoretur ratione contactus, debet adorari latria, non quidem eiusdem rationis cum ea qua adoratur Christus, sed alterius, scilicet latria participata, seu vt ab aliis dicitur, hyperdulia, & hoc modo adorandæ sunt omnes particulæ, seu reliquiæ crucis Christi, & præterea lancea, claui, spinea corona, & reliqua instrumenta passionis. Probatur, quia si Christus modò desineret humanitatem, illa non esset adoranda latriâ, etiam ratione contactus qui iam præteriit, sed tantùm hyperdulia: ergo similiter crux considerata præcisè propter contactum non meretur latriam propriè dictam.

SECTIO VIII.

An reliquiæ Sanctorum sint adorandæ.

67. CONclusio est affirmatiua, & de fide, contra Hæreticos, tam antiquos, quàm modernos, qui omnes vnanimiter reliquiarum cultum infectati sunt. Ita diffinitur in VII. Synodo act. 7. & in pluribus aliis Conciliis, & denique in Tridentino sess. 25. decreto de inuocatione Sanctorum: nomine autem reliquiarum intelligimus, non solùm corpora, ossa, & cineres Sanctorum, sed etiam sepulchra, & vestimenta eorumdem, & alia quæ ipsi suo vsu, vel contactu quodam modo consecrarunt.

Probatur primò ex sacra Scriptura Exodi 13.
Exod. 13. *Ossa Ioseph honorificè asportantur, & septeliuntur.* Ossa Elisei Prophetæ, mortuum ad vitam reuocarunt, medio contactu eorumdem: fimbria vestimenti Christi restituit fœminæ sanitatem: vmbra D. Petri ægrotos sanabat: sudaria, & semicinctia D. Pauli languores curabant, & innumera miracula per reliquias Sanctorum patrata sunt.

68. Secundò probatur ex traditione totius Ecclesiæ, in qua ab eius initio plurimæ factæ sunt reliquiarum honorificæ translationes, imò reliquias Sanctorum occultas Deus multoties miraculo manifestauit: signum ergo est quòd velit vt Sanctorum reliquiæ in honore habeantur; ac proinde hæc est Ecclesiæ consuetudo, & praxis omnium fidelium.

69. Obiicies, verba Lucæ 11. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum: Patres autem vestri occiderunt illos; profectò testificamini quòd consentitis operibus Patrum vestrorum*, &c. Respondetur, quòd Pharisæi tacitè consentiebant in crimina Patrum suorum qui occiderant Prophetas. nam ipsi similiter machinabantur mortem ipsismet Prophetis, & Domino Prophetarum, & ideo reprehenduntur à Christo; non quòd ædificarent sepulchra, nam id non fuit Iudæis prohibitum, vt constat ex pluribus locis sacræ Scripturæ, sed potiùs opus laude dignum; sed ideo redarguuntur à Christo quòd ædificantes ex vna parte sepulchra Prophetarum, ex alia procurabant necem illorum. Luc. 11.

70. Obiicies secundò, quia in Epistola canonica B. Iudæ dicitur, fuisse magnam altercationem inter Archangelum Michaelem, & Satan; hic enim intendebat detegere corpus Moysi; ille verò resistebat: vnde colligunt hæretici instinctu dæmonis proponi fidelibus cadauera Sanctorum adoranda. Respondetur, contentionem illam fuisse, eo quòd dæmon volebat detegi corpus Moysis, vt Iudæi haberent occasionem idololatrandi; hoc autem periculum inter fideles cessat.

71. Nota tamen, non posse nos reliquias aliquas venerari, nisi priùs auctoritate Romani Pontificis fuerint approbatæ, vt decernitur in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & refertur capite *cùm ex eo*, de reliquiis, & veneratione Sanctorum, quod postea modificatum fuit per Tridentinum, sessione 25. per quod sufficit approbatio Episcopi, facto diligenti examine: quod intelligitur tantùm de veneratione publica, nam priuatim licitum est vnicuique venerari reliquias quas piè credit esse sanctas.

72. Solet autem hîc inquiri, an debeat, vel possit adorari Eucharistia sub conditione, si species sint consecratæ. Conueniunt Doctores regulariter, neque esse necesse, neque expediens, neque licitum talem conditionem apponere, nisi vbi adest probabilis ratio dubitandi: in assignanda autem ratione non omnes conueniunt. Vazquez disput. 110. cap. 5. existimat, illam conditionem apponendam non esse, quia quamuis non apponatur, nullum est periculum idololatriæ, quia affectus submissionis internæ fertur in solum verum Christum: vnde quamuis ibi non existat, adoratur tamen, & terminat illum interiorem affectum. Ex quo infertur non committere idololatriam, qui adorat radium luminis, vel speciem crucifixi, sub qua tamen Dæmon delitescit, quia affectus interior qui fertur in excellentiam apprehensam rei quam adoramus, dirigit opus illud exteriùs adorationis: vnde quamuis ibi esset Dæmon, ipsi nullo modo, aut affectus seruitutis, aut exterior nota submissionis exhibetur. De affectu quidem satis patet. nam talis affectus interior sequitur apprehensionem: ergo si quis apprehenderet ibi esse Deum, non dæmonem; affectus interior circa Deum, non circa dæmo-

nem verſaretur. De nota exteriori probatur. nam nota exterior fertur in ipſum in quod tendit affectus interior. nam licèt corporaliter exterioribus rebus deferatur, ſpiritu tamen, & affectu ſeruitutis, in rem quam apprehendimus excellentem, transfertur.

73. Hæc tamen doctrina mihi non probatur. nam qui adorant falſos Deos, vt Solem, Lunam, &c. adorant eos, exiſtimantes in eis eſſe veram diuinitatem, & excellentiam; quo tamen non obſtante, ille cultus eſt verè idololatria, quamuis moueantur à ratione ſufficienti ad verum cultum. Et ratio eſt, quia verè colunt ſubiectum in quo non eſt diuinitas.

74. Dicendum ergo eſt, veram cauſam, ob quam non debeat apponi illa conditio, eſſe, quia cùm nulla adſit probabilis ratio dubitandi, hoſtiam illam non eſſe ritè conſecratam, nullum adeſt periculum idololatriæ; imò ineptè illa conditio apponeretur: quod ſatis confirmat praxis, & vſus Eccleſiæ, quæ abſolutè proponit hoc Sacramentum vt adoretur, & Sacerdos abſolutè profert illa verba, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollis peccata mundi*; ille verò qui adoraret radium luminis, vel ſpeciem crucifixi ſub qua Dæmon deliteſcit, excuſaretur ab idoſolatria ob ignorantiam inuincibilem, vel præbendo cultum ſub conditione, ſi aliqua ratione dubitaret, in hunc modum: Si es verus Deus, te adoro, & recognoſco tanquam meum auctorem.

TRACTA

TRACTATVS XXI.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia Sacramenti.

SECTIO I.

Nominis Sacramenti *explicatio.*

1. HVIC difficultati occasionem præbuit S. Thom. 3. p. quæst. 60. art. 1. cùm tam in corpore, quàm in solutionibus argumentorum, varias insinuet Sacramentorum significationes, vt tollat vocis æquiuocationem. D. Thom. Dicit enim in corpore, *quod sicut quidquid ordinem dicit ad sanitatem, dicitur aliquo modo sanum; sic quidquid dicit habitudinem ad sanctitatem, potest appellari Sacramentum*; & ideo in tribus acceptionibus quas adducit, aliquem ordinem ad sanctitatem studet assignare, vtpote quòd nomen ipsum a sacrando sit impositum.

2. Nomen ergo *Sacramentum* apud Latinos idem significat, quod apud Græcos nomen *mysterium*. Vnde Latinus interpres aliquando retinet nomen ipsum mysterium, aliquando verò pro eo transfert Sacramentum, quasi hæc nomina eiusdem omnino sint significationis. Vnde Apocalyps. 17. Apoc. 17. dicitur. *Et in fronte eius scriptum mysterium, & ego ostendam tibi sacramentum mulieris.* vbi hæc nomina tanquam synonyma videntur posita. Habet igitur nomen *Sacramentum* omnes acceptiones quas apud Græcos habet nomen *Mysterium*, & quasdam alias, quæ Latinorum placito nomini Sacramento accommodatæ sunt.

3. Primò igitur Sacramentum significat idem, quod sacrum secretum, seu rem sacram occultam: in qua significatione sumitur Daniel. 2. Daniel 2. Ephes. 1. *Mihi Sacramentum hoc reuelatum est.* Ad Ephes. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*, & Apocalyps. 1. Apoc. 1. *Sacramentum septem stellarum.* hanc significationem tradit S. Thom. in corpore; postea verò in solutione ad secundum illam extendit ad secreta Regum, eo quòd apud antiquos, secretum Regis inter sacra, quæ minimè licebat violari, computabatur. Et in hac significatione reperitur etiam in Scriptura nomen *Sacramentum*. Tobiæ 2. Tobiæ 2. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* quæ Sacramenti acceptio extendi debet, non solùm ad ipsum secretum, & rem occultam, verùm etiam ad illam rem, quæ claudit, & occultat ipsum secretum. Et ideo Tertull. lib. 5. contra Marcionem, & communiter Patres, figuras veteris Testamenti appellant *Sacramenta*, eo quòd in se clauderent, & significarent secreta, quæ in nouo Testamento reserata sunt.

4. Secundò, Sacramentum significat, idem quod iuramentum, vt docuit S. Thom. in solutione ad 3. quæ acceptio, etsi non habeatur in sacris litteris; est tamen communis, & vsitata, tam in iure Canonico, quàm ciuili, vt liquet ex textu in cap. *Paruuli*, 22. quæst. 5. vbi statuitur, ne paruuli ad Sacramentum admittantur; hoc est, ad iuramentum, & in Concil. Aurelianensi cap. 3. & in Authentica *Sacramenta puberum*, id ipsum definitur, eisdem nominibus. Vnde milites dicebantur sacramento liberari, vel absolui, cùm à militia deponebantur, quia à iuramento quod præstiterant, quando militiæ fuerant adscripti, absoluebantur. Sic textus in lege finali §. de re militari, & aliæ acceptiones omittuntur, solùm aduertendo, consuetum esse omne quod rei sacræ nomen sortiebatur, vel aliqualiter ad ipsam pertinebat, Sacramentum minus propriè appellari.

5. Denique nomen *Sacramenti* in Ecclesia vsurpatum fuit, ad significandam ceremoniam quamdam sensibilem, aliquam sanctitatem conferentem. Quòd si Sacramentum sit nouæ legis, significat, & confert sanctitatem perfectam, & huius vocis vsus in omni lingua communis habetur. Et in Scriptura multoties huius sanctitatis, de qua loquimur, signum, Sacramenti nomine appellatur, vt patet ex epistola Pauli ad Ephes. 5. vbi matrimonium, Sacramentum appellat.

6. Vnde constat hæreticos temerè, & sine fundamento hanc significationem reiicere, & obiurgare Catholicos ipsos, Barbaros, incultos, & imperitos, vocitantes, quòd noua nomina barbara, & exteta, ad res sacras manifestandas inducant in Ecclesia, inter quæ annumerant hoc nomen *Sacramentum*. Constat enim ex dictis, hoc nomen antiquissimum esse, & frequenter vsitatum, tam in sacra Scriptura, quàm apud sanctos Patres. Nam D. Augustinus passim vtitur hoc nomine, epistol. 117. ad Ianuarium, & lib. 2. de doctrina Christiana, cap. 3. S. Hieron. Malach. 1. Ezechielis 49. & Matth. 28. Cyprianus lib. 2. cap. 2. & 3. Lactantius Firmianus lib. 3. de vera Sapientia cap. 30. & Tertullianus contra Marcionem cap. 20.

Sectio II.

An Sacramentum ſit ſignum rei ſacræ.

7. COnueniunt omnes primò, Sacramenta debere eſſe ceremonias ſacras, ſolemnes & ſtabiles, hoc eſt, non tantùm ſemel, aut bis, ſed longo tempore celebrandas. Ita docet Sanctus Thom. 1.2. quæſt. 102. art. 5. & ratio de ſumi poteſt ex Auguſt. lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 22. quia Sacramenta ſunt ſigna quædam, & ritus, quibus homines in vnam Rempubliçam, & Religionem, tanquam exterioribus vinculis coadunantur. Quo fit, vt eadem perpetuitas ſit de ratione Sacramentorum, quæ eſt de ratione Religionis, quia religio debet eſſe perpetua.

8. Secundò conueniunt, Sacramentum debere eſſe ſignum, quod diffinitur ab Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 1. eſt illud quod præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud nos cognoſcere facit. Et quòd Sacramentum ſit ſignum, conſtat ex Epiſtol. ad Roman. 6. vbi Baptiſmus appellatur ſignum ſepulturæ, & reſurrectionis; & 1. Corinth. 1. Euchariſtia dicitur, ſignum paſſionis, & mortis Chriſti, ſicque paſſim appellatur a Patribus.

9. Tertiò conueniunt, rem quam ſignificat, debere eſſe ſacram, quod ſatis indicat nomen ipſum, & eius etymologia, & ex dictis ſuprà colligitur.

10. Quartò conueniunt, debere eſſe ſignum ſenſibile, quia eſt ritus ſacer, quo humana Reſpublica colit Deum, de ratione autem huiuſmodi ritus eſt, quòd ſit interior, & ſenſibilis, quia licèt particularis homo poſſit actu purè interno Deum colere, non tamen pro vt eſt membrum humanæ Reipublicæ, poteſt actu ſolùm interno, ſed etiam externo debet Deum colere. Eſt autem Sacramentum ſignum ad placitum, & quòd habeat fundamentum in ipſa re, non quidem completum, & ſufficiens, ſed inchoatam ſimilitudinem: quia quamuis ex ſe & ſeclusa impoſitione, non ſignificet, res tamen ipſa habeat aliquam ſimilitudinem, & proportionem cum effectu, cuiuſmodi eſt exterior ablutio, reſpectu Baptiſmi, & in reliquis Sacramentis ſimili modo.

11. Denique, conueniunt omnes, ſignificationem gratiæ non ſufficere eſſe purè ſpeculatiuam, ſed debere eſſe practicam, quæ pertineat ad rationem Sacramenti, vt habeat aliquam connexionem cum ipſa iuſtificatione illius perſonæ quæ ſuſcipit Sacramentum ſaltem connexionem præſentiæ, & ſimultatis: qua ratione excluditur Manna à ratione Sacramenti, quæ conditio perfectè ſatis inuenitur in Sacramentis nouæ legis; ſignificant enim gratiam ſanctificantem, & illam per ſe ipſa conferunt, & operantur. Et licèt Sacramenta vetera gratiam ſignificarent, illam tamen non conferebant, neque operabantur, vt conſtat ex Trid. & Florent.

12. Difficultas tamen eſt, an eſſe ſignum ſenſibile ita pertineat ad eſſentiam Sacramenti, vt repugnet inſtitui in re purè ſpirituali. Partem negantem tenuit Ocam in 4. diſtinct. 1. & Petrus Aliaco, exiſtimantes, potuiſſe inſtitui verum Sacramentum in re purè ſpirituali.

13. Concluſio tamen eſt affirmatiua, & eſt communis ſententia Theologorum, quam videtur docuiſſe D. Thom. art. 4. huius quæſtionis, & ratio eſt, quia quamuis poſſet Deus inſtituere rem aliquam purè ſpiritualem, & ſignum gratiæ, & licèt tale ſignum congruè poſſet appellari Sacramentum propter analogiam ad varias acceptiones Sacramenti ſuprà aſſignatas, tamen ſtando in vltima, & rigoroſa huius vocis ſignificatione, qua de Sacramentis in tota hac materia diſputamus, ſignum illud ſpirituale gratiæ, non eſſet Sacramentum; quia Sacramentum ſignificat ſignum humanum gratiæ, in cuius exercitio ſanctificantur homines, & humana Reſpublica colit Deum; illud autem ſignum non eſſet humanum, ſed purè Angelicum, neque eſſet aptum vt in humana Republica ſolemniter exerceretur in cultum Dei, & in ſanctificationem hominum: quia non minus eſt de ratione Sacramenti eſſe ſignum, quàm ſenſibile. Conuenirent igitur ſignum ſpirituale, & Sacramentum in ſignificatione gratiæ; differrent autem in qualitate ſignificationis, quam etiam diximus eſſe de ratione Sacramenti ſtrictè ſumpti.

14. Obiicies, quia contritio eſt pars Sacramenti Pœnitentiæ: ergo totum Sacramentum potuit inſtitui in aliquo actu purè ſpirituali. Et confirmatur in Euchariſtia, vbi Chriſtus dicendus eſt res Sacramenti, & Sacramentum: ſed neque Chriſtus Dominus, neque character in Sacramentis, quæ illud cauſant, eſt aliquid ſenſibile: ergo bene potuit inſtitui in re purè ſpirituali.

15. Reſpondetur, Contritionem non eſſe partem Sacramenti abſolutè per ſe ſumptam, ſed quatenus ſit ſenſibilis per externa ſigna ſenſibilia. Quæ autem ſint huiuſmodi ſigna, an ſint peculiaria ſigna doloris, an verò ſit ſola exterior peccatorum confeſſio, vt ſubeſt exterioribus circunſtantiis, quæ illam ordinant, non eſt huius loci diſputare.

16. Eodem modo reſpondent ad ſecundam inſtantiam Suarez in hoc loco diſp. 1. ſect. 2. & quidam alij, videlicet, quòd id quod eſt res, & Sacramentum, habet duplicem rationem, & ſignificari, qua ratione habet eſſe rem Sacramenti, & nihil obſtat quod ſit inſenſibile omnino. *Secundò* habet ſignificare, & hac ratione dicitur Sacramentum, eſt tamen neceſſarium, quòd reddatur ſenſibile per aliud.

17. Hæc doctrina ſufficienter intelligeretur in Chriſto reſpectu Sacramenti Euchariſtiæ, fit enim ſenſibilis per verba formæ illius Sacramenti: in charactere verò, vix, aut nullo modo explicari poteſt, per quid fiat ſenſibile; quidquid autem ſit de hoc, aliter mihi videtur dicendum de his, quæ à Theologis appellantur res, & Sacramentum, videlicet, non conuenire illis rationem Sacramenti ſtrictè ſumpti, ſed propter aliqualem ſignificationem ſacram, inſufficientem tamen ad rationem Sacramenti. Certum eſt enim, characterem quod à Theologis appellatur res, & Sacramentum, non habere veram rationem Sacramenti; eſſent enim plura quàm ſeptem Sacramenta, neque poteſt eſſe pars ſui Sacramenti, quia eſt effectus cauſatus ab illo toto Sacramento, & conſtat, cùm neque ſit materia, neque forma. Deinde, quia totus Baptiſmus conſiſtit in vſu, character autem perſeuerat etiam poſt reſurrectionem. Id ipſum etiam verificatur de corpore Chriſti reſpectu Euchariſtiæ, hac ſola differentia, quòd Chriſti corpus non ſolùm eſt res, & Sacramentum, ſed etiam pertinet in obliquo ad ipſum Sacramentum. Et hinc patet ſolutio ad inſtantiam, quia ea, quæ

dicuntur

Sectio IV.

Quid sit Sacramentum.

25. EX dictis colligitur, ad essentiam Sacramenti pertinere *primo*, quòd sit signum; *secundò* quòd sit sensibile, loquimur enim de sacramentis humanæ Reipublicæ, *Tertiò* quòd sanctitatem significet. *Quartò* denique quòd sit signum practicum, non quòd actu causet sanctitatem, sed quòd aliquo modo conducat ad ipsius collationem, quantum est ex parte sui. De industria omitto institutionem diuinam, quia hæc magis pertinet ad causam efficientem, quàm ad intrinsecam componentem, & cùm dicamus esse signa ad placitum, sufficienter intelligitur. Ex quibus facile possumus sacramentum definire in hunc modum. *Est signum sensibile practicum sanctificationis hominum.*

26. Ad huius definitionis exactam notitiam adducemus alias, & cum ipsâ conciliabimus, & omissis Hæreticorum diffinitionibus quæ videri possunt apud Bellarm. lib. 1. de sacramentis, cap. 14. & sequentibus. *Primò* adduci solet definitio, quam tradit Magister in 4. distinct. 1. vbi dicit, *Sacramentum esse sacra rei signum*; in qua si addatur quòd signum sit practicum, & gratia, vel res significata sit perfecta, manebit sufficiens, & iuxta suprà adductas, alias esset diminuta, & conueniens aliis pluribus à sacramento, per hoc quòd solùm sit signum rei sacræ. *Secunda* diffinitio est eiusdem Magistri loco citato, qua sacramentum diffinit, dicens: *Est inuisibilis gratiæ visibilis forma, vt ipsius similitudinem gerat, & causa existat*, in qua diffinitione, forma idem est ac signum, & visibilis, idem ac sensibilis, & conuenit solis sacramentis nouæ legis. *Tertia* diffinitio est Hugonis lib. 1. part. 9. cap. 10. vbi sic definit. *Sacramentum est corporale elementum foris sensibiliter apparens ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam.* Quartam tradit Gratianus cap. multi, quæst. 1. ex Isidoro, qua sacramentum dicitur, *quo sub tegumento rerum visibilium, diuina virtus secretius salutem operatur.* Quinta habetur in Catechismo Pij V. in hunc modum. *Est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ, tum significanda, tum efficienda vim habet.* Quæ definitio optima est, & conueniens solis Sacramentis nouæ legis.

27. Aduertendum autem est, quòd ratio signi, quæ in omni sacramentorum definitione collocatur, est quædam relatio rationis, vnde pro formali sacramenta sunt entia rationis. Per quod nolo dicere, quòd sacramentum non sit ens reale, quandoquidem non fingitur a nobis, sed tantùm quod non potest a nobis concipi, & nominari, nisi nomine significante relationem rationis. Quod sic declaro. Paries nullo fingente intellectu realiter videtur ab homine, si tamen volumus agnoscere quid est esse visum in pariete, non possumus nisi conceptu, & relatione rationis. nam sicut esse visum nihil reale ponit, ita neque esse signum gratiæ in ipsis rebus, & verbis, v. g. Baptismi, sed solùm est actus institutionis in Deo ipso; quo supposito, facta sunt obiectum sufficiens intellectus, vt cognito veniat in cognitionem gratiæ, & in hoc posita est tota realitas sacramentorum.

28. Ex quibus infertur, sacramentalia non esse propriè sacramenta, quia non conuenit ipsi ratio, & definitio sacramenti, quandoquidem suo vsu præcisè, & ex opere operato gratiam non conferant. Vide Ægidium Coninch in hoc loco artic. 4. dub. 1.

Sectio V.

Quomodo res, & verba concurrant ad Sacramenta.

29. IN hac re quod habet difficultatem est ostendere, an ad compositionem sacramentorum, res, & verba concurrant tanquam partes intrinsecè componentes. Pro cuius resolutione notandum est, *Primò*, certum esse de Fide, res & verba omnino necessaria esse ad omnia sacramenta, quod fuit definitum in Florentino in decreto fidei, vbi dicitur: *Sacramenta constare tribus, materia scilicet, & forma, & intentione Ministri.* quod licèt essentialiter requiratur in omnibus sacramentis, excipitur tamen matrimonium, in quo non requiruntur verba propriè dicta, sed ad eius essentiam, quæuis signa sufficienter expressiua mutui consensus sufficiunt, quamuis hæc iam sint moraliter quædam locutio. Præterea notandum est, ex vi prædictæ definitionis, non posse conuinci tanquam de fide aliquod sacramentum constare materia & forma, siue rebus, & verbis, tanquam partibus intrinsecè componentibus, quia illa definitio vniuersalis est, & de nullo sacramento specialiter determinat, & etiam est probabilis opinio, quæ asserit Eucharistiæ sacramentum non constare verbis, tanquam parte intrinsecè componente, & insinuatur hæc doctrina in ipsa definitione Concilij. Nam dicit perfici quod optimè verificatur, etiam si non concurrant, vt partes intrinsecæ. Hisque positis

30. Prima opinio asserit, subiectum cui proximè inest significatio sacramentalis, non componi intrinsecè rebus, & verbis, nec includere vtrumque in recto, sed tantùm esse res subiectum, connotatis verbis in obliquo. Quæ opinio quoad omnia sacramenta nullibi inuenitur, sed quoad aliqua tribuitur Soto in 4. distinct. 3. art. 1. in Baptismo, & distinct. 14. art. 1. in sacramento Pœnitentiæ, & distinct. 8. quæst. vnica, artic. 1. in sacramento Eucharistiæ. Cuius fundamentum est, quia sacramentum est compositum quoddam artificiosum, nomina autem horum compositorum supponunt pro sola materia, quæ est tota substantia rei, vt statua, pro ære.

31. Secunda sententia asserit, sacramenta aliquando componi rebus, & verbis, quando scilicet, significatio sacramentalis immediatè inest aggregato ex vtrisque; aliquando verò non componi, sed consistere in solis verbis; quando scilicet significatio sacramentalis in solis verbis reperitur. Hæc tribuitur Scoto in 4. distinct. 8. quæst. 1. & 2. vbi videtur, sacramentum Pœnitentiæ, & eius sacramentalem significationem, in sola absolutione collocasse; verum si rectè expendantur omnia quæ Scotus dicit in illo loco, & in aliis in quibus referri solet pro hac sententia, non constat omnino, an eam tenuerit.

32. Tertia opinio, absolutè loquendo, non differt à relatis, quia etiam concedit, quædam sacramenta componi rebus, & verbis, alia verò non componi; asserit enim omnia sacramenta, præter Eucharistiam, componi rebus, & verbis; Eucharistiam verò non componi, sed solùm consistere in speciebus

Digitized by Google

cibus panis, & vini, ita Vazq. 3. part. disp. 129. cap. 3. & plures alij Recentiores. Hæc sententia quoad primam partem probari solet ab aliquibus eius auctoribus, ex verbis Florentini suprà adductis, inefficaciter tamen, vt iam aduerti, quia verba illa, vel probant de omnibus sacramentis (quod tamen non admittit hæc opinio,) vel nihil omnino probant: quia quod in illis verbis dicitur, quodque intenditur à Florentino, absolutè verificandum est de omnibus sacramentis, nullo excepto.

33. Vera ergo ratio, qua probatur prima pars huius sententiæ, est, quia significatio sacramentalis, ita explicari, & saluari potest in aggregato ex rebus, & verbis, vt immeritò aliquod illorum excludatur à subiecto significationis. Cùm enim constet ex vna parte vtrumque essentialiter ad sacramentum requiri: ex alia parte optimè potuerit institui à Christo Domino, tanquam signum gratiæ totum compositum ex rebus, & verbis, non habemus firmum fundamentum, neque probabilem rationem ad asserendum, signum gratiæ, quod ex Christi institutione significat, nõ claudere vtrumque, scilicet res, & verba; & quamuis in aliquibus sacramentis, res non videantur aptæ ad significandam gratiam, vt corpora contrahentium in matrimonio, & peccatorum confessio in sacramento Pœnitentiæ, re vera tamen tales res verbis coniunctæ, aptissimæ sunt ad significandum simul cum verbis totum sacramenti effectum.

34. Secunda pars probatur, quia cùm sacramentum Eucharistiæ non consistat in vsu, sed maneat multo tempore post prolationem verborum, si verba pertinerent ad integritatem illius, non posset intelligi, quòd quando non manent verba, maneret integrum sacramentum: negari autem non potest, quòd qui multo tempore post prolationem verborum susciperet species sacramentales, susciperet integrum sacramentum: ergo solæ species sacramentales sunt integrum sacramentum. Deinde, quia solæ sacramentales species provt connotant in obliquo Christum contentum sub illis, sufficienter significant gratiam nutrientem, quæ est proprius effectus huius sacramenti; ergo in illis solis sufficienter saluatur integra ratio illius. Denique, quia verba consecrationis non significant gratiam, sed tantùm significant Christum, vt præsentem sub speciebus. Imò videtur impossibile, quòd illa verba significent practicè gratiam, quod est de ratione intrinseca sacramenti nouæ legis, quia cùm hoc sacramentum non consistat in vsu, & receptione, verba illa nunquam applicantur, sed neque applicari possunt ad causandam gratiam, sed tantùm ad causandam præsentiam corporis Christi.

35. Quarta opinio affirmat, omnia sacramenta, nullo excepto, componi rebus, & verbis, vt partibus intrinsecè componentibus, quæ solùm differt à præcedenti in sacramento Eucharistiæ, de quo solùm est specialiter probanda. Probari autem solet *primò* ex Concilio Florentino adducto, vbi dicitur sacramenta perfici rebus, vt materia, verbis, vt forma, & intentione Ministri: quæ definitio sic solet ponderari, quia in illa non dicitur sacramenta perfici rebus, verbis, & intentione Ministri; si enim hoc solùm diceretur, optima est explicatio adducta pro opinione præcedenti, quia quomodolibet verificaretur, in sacramentis interuenire, res, & verba, satisfieret verbis Concilij: at non illud dicitur, sed additur sacramenta perfici rebus vt materia, verbis vt forma: de intentione autem Ministri, etiamsi pertineat ad causam efficientem, non dicitur esse forma; sed sic est quòd materia, & forma, communi omnium modo loquendi, & concipiendi, partes componentes significant; ergo, vt suauiter explicetur definitio Concilij, in quolibet sacramento assignanda videntur materia, & forma, quæ sint partes componentes. Præterea, quia in omnibus sacramentis, hoc solùm excepto, de quo est difficultas, datur forma intrinsecè componens, & in omnibus illis explicantur verba Concilij de forma componente; & rursus hæc est communis huius vocis significatio; ergo eodem modo deberet explicari in hoc sacramento, si possibile est; neque enim Concilium insinuauit differentiam aliquam quantum ad hoc, inter sacramenta quæ consistunt in vsu, & quæ permanent ante vsum.

36. Deinde, quia ex vi illius diffinitionis concedendum est, quòd omne sacramentum, etiam Eucharistiæ perficitur materia: at hoc verè, & propriè, non potest verificari, nisi de materia quæ sit intrinseca sacramento; ergo in sacramento Eucharistiæ assignandum est aliquid, quod verè, & propriè dicatur materia illius: sed non potest esse verè, & propriè materia, vbi nulla est forma componens, & informans; neque enim id quod est totæ res integra, potest dici rei materia; ergo vt verificetur propriè, quòd sacramentum Eucharistiæ perficitur materia, concedenda est in eo aliqua forma componens, & informans; hæc autem nulla potest esse nisi verba.

37. Denique cùm in Florentino absolutè pronuntietur, sacramenta perfici materia, & forma, per hæc nomina aliquid fixum, & determinatum debuit significare, quod de quolibet sacramento posset verificari, & non aliquid analogum, & vagum, comprehendens sub se plures modos formarum, & materiarum, quæ inter se analogicè tantùm conuenirent: cùm autem in reliquis sacramentis, præter Eucharistiam, diffinitio Concilij non possit verificari, nisi de materia, & forma intrinsecè componentibus, rigor, & proprietas illius diffinitionis petere videtur, vt etiam in Eucharistia hoc idem asseratur, ne stante vnica definitione vniuersali, specialiter in vno sacramento illam explicemus, eomodo quo nulli alio sacramento potest conuenire.

38. Propter hæc argumenta posset aliquis existimare, non nihil scrupuli esse in præcedenti opinione; existimo tamen ex diffinitione Concilij, non posse sumi firmum argumentum contra illam, quia Concilium in illa definitione generali solùm voluit determinate, nullum sacramentum posse perfici absque aliquo illorum trium. An verò tria illa eodem modo se habeant in omnibus, omninò non curauit, quod satis clarè colligitur, quia postea explicans vniuscuiusque sacramenti materiam, & formam, licèt in reliquis sacramentis assignauerit pro materia, aliquid quod re vera pertinet intrinsecè ad ipsa sacramenta: in sacramento tamen Eucharistiæ assignauit pro materia, panem triticum, & vinum de vite, & pro forma verba consecrationis; cùm autem materia hæc assignata à Concilio in Eucharistia non sit componens, sed extrinseca, nihil refert, quòd idem dicamus de forma. Imò si præcisè standum esset in Concilio, videtur hoc necessariò asserendum, quia vbi non est materia intrinsecè componens, neque potest esse forma intrinseca; at nulla assignatur à Concilio materia componens pro sacramento Eucharistiæ; ergo forma

Digitized by Google

forma quam assignat, per contrapositionem ad præfatam materiam, non est forma componens.

39. Omisso ergo Concilio quarta opinio probatur, *primò*, quia ad omnia sacramenta quæ de facto instituta sunt, ita essentialiter requiruntur verba, vt sine illis impossibile sit fieri aliquod illorum: sed nullus effectus potest essentialiter pendere ab aliqua causa secunda præterquam à Deo; ergo verba in sacramento Eucharistiæ non solùm concurrunt efficienter, sed etiam in alio genere causæ; at præter genus causæ efficientis nullum aliud potest verbis competere, nisi causæ formalis; ergo verba respectu huius sacramenti non solùm sunt efficiens, sed forma.

40. Confirmatur, quia Deus potest facere se solo totum id, quod verba præstant in genere causæ efficientis, scilicet præsentiam Christi sub speciebus, & absentiam panis; sed si Deus se solo id faceret, species illa non essent sacramentum Eucharistiæ; ergo verba non solùm requiruntur, vt causa efficiens, sed alio modo: consequentia est manifesta. Minor probatur, quòd in prædicto casu, species panis non essent sacramentum, quia tales species ante verba consecrationis panis non significant sacramentaliter gratiam: sed si à solo Deo, sine verbis destrueretur panis, & poneretur sub accidentibus Christus Dominus, ratione huius præsentiæ nihil ponitur, ratione cuius accidentia illa incipiant de nouo esse signa sensibilia gratiæ; ergo etiam nihil ponitur ratione cuius de nouo incipiant esse sacramentum; sed sic est, quòd de facto nihil aliud fit à verbis in genere causæ efficientis, præter absentiam panis, & præsentiam Christi; ergo præter accidentia panis, & præter totum illud, quod fit à verbis in genere causæ efficientis, requiritur aliquid aliud ad intrinsecam, & constitutionem sacramenti Eucharistiæ.

41. Confirmatur secundò, quia de facto non instituit Christus aliquid aliud præter verba consecrationis, per quæ accidentia panis fierent signa sensibilia præsentiæ Christi, & gratiæ nutrientis: sed sic est quòd ratio signi sensibilis non potest esse à verbis in genere causæ efficientis; ergo est in genere causæ formalis. Minor probatur, quia cùm ratio illa signi sensibilis sit extrinseca quædam denominatio desumpta ex verbis ipsis, non potest esse à verbis in genere causæ efficientis; sicut denominatio visionis, à visione in genere causæ efficientis non est. Causalitas ergo verborum pertinet etiam ad genus causæ formalis; ac per consequens forma à qua vltimò habent species, quòd significent gratiam sacramentaliter sunt verba consecrationis.

42. Confirmatur tertiò, quia de facto non significant sacramentaliter solæ species panis, & vini absolutè, sed species consecratæ, siue vt consecratæ; ergo non est sacramentum species absolutæ, sed species vt consecratæ; sed species non habent à verbis in genere causæ efficientis, quòd sint consecratæ; ergo habent in genere causæ formalis; ergo forma à qua species habent, quòd sint consecratæ, sunt verba; ergo etiam sunt forma à qua species habent quòd sint sacramentum, siue subiectum significationis sacramentalis. Probatur consequentia, quia species non sunt materiæ sacramenti absolutè, sed vt consecratæ. Quòd autem species non consecrentur per verba in genere causæ efficientis, patet: quia consecratum non dicitur efficienter à consecratione, sed formaliter; at consecratio non distinguitur à verbis ipsis consecrantibus, quia consecratio intrinsecè residet in verbis consecrantibus, vt in subiecto; extrinsecè autem denominat rem, quæ dicitur consecrata: sicut visio intrinsecè inest potentiæ visiuæ; extrinsecè autem denominat parietem visum; ergo, &c.

Secundò probatur eadem sententia, quia si aliquid obstaret, quominus verba in hoc sacramento sint forma, sicut in reliquis, maximè defectus existentiæ realis, vel defectus significationis, scilicet, quia verba non existunt realiter, quando existit sacramentum; vel quia non significant gratiam sanctificantem, sed solùm significant Christum præsentem sub speciebus; sed hæc non obstant: quod sic probo quoad primam partem, quia sacramenta sunt entia moralia, & non requirunt ad sui esse physicam existentiam vtriusque partis, sed tantùm moralem; licèt enim sequatur ablutio post finitam verborum prolationem, itavt verba non existant physicè quando incipit ablutio; datur tamen verum sacramentum Baptismi compositum verbis, & ablutione, tanquam partibus intrinsecè componentibus; ergo idem contingere poterit in præsenti. Quòd si multo maior distantia sit inter existentiam physicam verborum, & rerum huius sacramenti, quæ si esset in reliquis, obstaret veritati ipsorum sacramentorum; hìc non obstat, quia coniunctio moralis vtriusque partis componentis sacramentum, non semper, & in omni occasione, & in quolibet sacramento requirit eandem propinquitatem, aut coniunctionem, inter existentiam physicam vtriusque partis: maior enim propinquitas requiritur inter partes Baptismi, quàm inter mutuum consensum, seu inter verba per quæ talis consensus exprimitur à celebrantibus matrimonium. nam potest esse mora vnius diei, vel maior inter declarationem vtriusque consensus; & tamen perfici verum Matrimonij sacramentum, vt vtroque consensu constans, tanquam partibus intrinsecè componentibus; ergo non mirum quòd in partibus componentibus ea sacramenta quæ consistunt in vsu, moralis earum coniunctio, quæ requiritur ad vnitatem, & compositionem sacramenti, petat multo maiorem propinquitatem inter existentias physicas vtriusque partis, quam petit sacramentum Eucharistiæ, quod non consistit in vsu, sed permanens est: quia cùm in cæteris sacramentis transeuntibus, vtraque pars componens sit actio transiens, & successiua, & ipso vsu pereat omnino, non relinquitur, in quo, stante longa temporis distantia, fundetur vnitas sacramenti, & moralis coniunctio vtriusque partis; è contrà verò, cùm sacramentum Eucharistiæ non consistat in vsu, & receptione, sed tantùm in rebus permanentibus consecratis per verba, stante quocumque longissimo interuallo temporis inter physicam existentiam rerum, & verborum, manere potest moralis eorum coniunctio, quæ sufficiat ad sacramenti compositionem, & veritatem; vt re vera videtur manere, quia species consecratæ à non consecratis non distinguuntur, nisi per ordinem ad verba, & per connotationem illorum; ex illis enim habent, quòd nobis significent Christum contentum, gratiam, &c. ergo quoad nos semper dum manet Eucharistiæ sacramentum, manet moralis quædam coniunctio specierum cum verbis, & moralis quædam existentia verborum, quatenus species non intelliguntur consecratæ, neque signa gratiæ, nisi per ordinem ad verba præcedentia. 43.

Secunda pars minoris, scilicet verba nõ excludi à ratione 44.

Digitized by Google

ratione huius sacramenti, quia non significant gratiam, multo facilius probatur: quia etsi verba seorsum sumpta non significent gratiam, tamen compositum illud ex speciebus, & verbis, optimè illam significant: imò si omnino verba excludamus, species nihil significarent, vel non significarent sufficienter.

45. In hac re existimo, tam tertiam, quàm quartam sententiam esse satis probabilem, & vtramque defendi posse sine inconuenienti, vel scrupulo: neutra enim fundari potest, aut debet in Concilio Florentino, quod de hac quarta opinione satis ostensum est. De tertia etiam patet, quia etsi concedamus verba cõsecrationis assignata esse à Concilio pro forma efficienti, tamen Concilium non negauit esse formam informantem, & componentem; neque hæc duo munera incompossibilia sunt respectu eiusdem formæ in compositis moralibus, & artificialibus, qualia sunt sacramenta. Verba igitur sunt causa efficiens huius sacramenti, quatenus efficientes causant præsentiam Christi sub speciebus, quæ præsentia in obliquo pertinet ad ipsum sacramentum, & rursus eadem verba possunt dici causa formalis, quatenus species per verba habent quòd sensibiliter contineant Christum, & significent gratiam. Pendet itaque probabilitas vtriusque sententiæ ex aliis argumentis pro eis factis, & licèt prior faciliùs defendatur, posterior præferenda est tanquam communior, & quia est magis ad mentem D. Thom. qui quantum ad hoc nunquam assignauit differentiam inter hoc, & reliqua sacramenta.

46. Ad argumenta facta pro tertia sententia, ex dictis pro quarta facillimè occurrit. Ad fundamentum autem primæ sententiæ, respondetur, falsum esse quod assumit, compositum enim artificiale, vt statua, non supponit pro sola materia, sed potiùs pro composito ex materia, & forma. Et gratis id concesso, non licet inde inferre quòd nostrum sacramentum supponat pro solis rebus, & non pro verbis, quia, vt nonnulli volunt, materiale huius nominis sacramentum, non minus includit verba, quàm res; forma autem est significatio operatiua gratiæ, & ideo licèt nomen *Sacramentum* supponat pro sola materia, non minus supponeret pro verbis.

47. In secunda sententia nihil est quod indigeat solutione, iam enim diximus, non esse necessarium, vt quælibet pars sumpta per se significet gratiam, sed sufficere quòd compositum ex vtraque parte possit illam significare.

Sectio VI.

De determinatione materiæ, & formæ Sacramentorum.

48. PRima hæresis referri solet Paulitianorum, qui solùm admittebant verba determinata in sacramentis, non verò materiam determinatam, sed vel nullam, vel quamcumque pro libito. Neque est omnino certum, qui fuerint hæretici isti, & an receperint omnia sacramenta Ecclesiæ, vel aliqua negauerint.

49. Secunda hæresis asserit, verba formæ sacramentorum non esse determinata, sed quæcumque verba sufficere pro libito ministrantis, ita plures ex Hæreticis nostri temporis, qui asserunt, verba sacramentorum non esse verba consecrationis, sed concionis, & eruditionis. Et quamuis non omnes istum errorem tenuisse certum sit in omnibus sacramentis, quia vel non admittebant omnia, vel non errauerunt in omnibus; tamen extra dubium est, plures hæreticos errasse circa necessitatem formæ determinatæ sacramentorum, & in ea admisisse variationem ad libitum.

50. Contra hos errores catholica veritas est, materias, & formas sacramentorum determinatas esse ex Christi institutione, itavt earum mutatio sit contra valorem sacramenti. Hæc veritas constat perpetua Ecclesiæ traditione, in peculiaribus tractatibus ipsorum sacramentorum, vbi ex professo ostenditur Christum illos instituisse indeterminata materia, & indeterminatis verbis. Probatur etiam ex Concilio Florentino in Decreto vnionis, vbi singulis Sacramentis determinatas materias, & formas assignauit. Et ex Trident. sess. 10. cap. 20. vbi asserit, *Ecclesiam non habere potestatem circa substantiam sacramentorum*; nihil autem magis pertinet ad substantiam alicuius rei, quàm ipsius materia, & forma. Denique probatur, quia sacramenta instituta sunt à Deo, vt instrumenta ad causandam gratiam; cùm autem solus Deus esse possit auctor gratiæ, solus ipse poterit esse instrumentorum gratiæ institutor, & auctor; ac proinde non licebit ea instrumenta pro libito variare, aut mutare.

51. Ex quo infertur, veram non esse opinionem Innocentij IV. in cap. 1. de Baptismo, quam etiam secuti sunt nonnulli Iurisperiti, videlicet, quòd aliqua possit esse forma, aut materia sufficiens apud Græcos, quæ apud Latinos non sufficiat, & è contrà. Existimant enim quòd si Græci consecrarent in pane non fermentato, non efficerent verum sacramentum, & è contra. Et idem proportionaliter sentiunt in Baptismo de hac forma: Baptizetur seruus Christi, qua Græci vtuntur; & de ista: Ego te baptizo, qua Latini vtimur. Hæc, inquam, opinio est apertè falsa. Nam, vt definiuit Trident. vbi suprà, Ecclesia non habet potestatem circa substantiam sacramentorum, neque pertinet ad eam assignare eorum materiam, & formam, sed ad solum Christum. Vnde si forma talis est, quæ non discrepet ab illa, quam Christus instituit, in quacumque Ecclesia, & in quacumque parte sufficiens erit ad valorem sacramenti, etiamsi aliàs in vsu illius peccetur contra aliquod præceptum ecclesiasticum. Quòd si forma aliqua, aut materia in aliqua parte sufficiens non est, id solùm esse potest, quia discrepat ab illa, quam Christus instituit; ac per consequens in nulla parte, & in nulla Ecclesia, erit sufficiens.

52. Quòd si in sacramento Matrimonij ex constitutionibus ecclesiasticis, variantur ea quæ ad eius valorem requiruntur, ideo est, quia materia huius sacramenti, quod Christus instituit, ad significandam gratiam, est verus, & legitimus contractus: Ecclesia autem licèt non possit facere, quòd verus contractus non sit verum sacramentum matrimonij; potest tamen facere, vt ille qui antea erat contractus legitimus, & verus, deinceps nouis institutis legibus, non sit verus, neque legitimus. Quod peculiare est in sacramento matrimonij, quia Ecclesia habet authoritatem supra contractus ipsos.

53. Sed quia tam in materia, quàm in forma sacramentorum, esse possunt mutationes, quæ obstent veritati illorum, & etiam mutationes, quæ non sint contra valorem, & essentiam sacramentorum; tradendæ sunt aliquæ regulæ, quibus dignoscamus quando

itized by Google

quando mutationes prædictæ destruunt valorem sacramenti, & quando non destruunt. Neque modò suscipimus munus explicandi peculiares difficultates, quæ specialiter procedunt in aliquo sacramento, id enim pertinet ad speciales tractatus ipsorum sacramentorum.

Sectio VII.

De mutationibus, quæ fieri possunt circa materiam, & formam Sacramentorum.

54. Prima regula vniuersalissima sit: Materia sacramenti debet esse vna in specie infima, cum illa in qua Christus primò instituit sacramentum: & quæcumque mutatio destruens præfatam vnitatem specificam, destruit etiam sacramenti valorem, quomodocumque id contingat, siue ex ignorantia, siue ex malitia, vel ex animo inducendi errorem, vel quocumque alio fine fiat, bono, vel malo; hæc regula intelligenda est de vnitate specifica, non physica, vel metaphysica; sed quæ sumitur, & regulatur ad vsus humanos, & ad moralem hominum æstimationem; itavt eo dem modo deseruire possit, & soleat humanis vsibus, ac illa in qua Christus sacramenta instituit. Vnde etiam si supponeremus gelu non distingui specie physica ab aqua, tamen non esset materia Baptismi, quia gelu, & aqua, per ordinem ad humanos vsus, differunt inter se; & etiam si supponeretur vinum album, & nigrum inter se specie distingui, & Christum in altero dumtaxat consecrasse, nihilominus quodlibet illorum esset sufficiens materia consecrationis. Ratio autem facilis est ex dictis, nec circa mutationes materiæ sacramentorum opus est aliis regulis, vel exceptionibus.

55. Secunda regula etiam vniuersalissima sit. Verba formæ sacramentorum significare debent eamdem omnino sententiam, quam Christus significauit, per verba per quæ instituit sacramenta, ita vt quæcumque mutatio facta, non solùm quoad verba, sed etiam quoad sensum verborum, destruat valorem sacramenti, quomodocumque fiat, siue ex ignorantia, siue ex malitia. Quæcumque verò mutatio verborum, cùm non mutat sensum, nullo modo obstat valori sacramenti, licèt fiat ex ignorantia, vel malitia. Quod intelligendum est, quod attinet ad sufficientiam formæ. Nam si contingat cum quacumque mutatione formæ deficere intentionem requisitam ex parte ministrantis, tunc sacramentum erit nullum; sed non ex defectu formæ, nec propter illius mutationem, sed solùm ob defectum intentionis.

56. Et ex hac regula colligitur, formas sacramentorum posse dupliciter mutari. Primò ita vt mutatio destruat valorem sacramenti, quæ solet dici mutatio essentialis. Secundò ita vt non obstante mutatione perficiatur verum sacramentum, quæ dicitur accidentalis mutatio. Vt autem harum mutationum genera discernamus, specialiores adhuc regulæ tradendæ sunt. Et prima sit mutatio idiomatis quacumque causa, & ratione fiat, nunquam potest esse essentialis. Hoc patet ex vsu Ecclesiæ, quæ ordinauit, vt Græci in lingua Græca, cæteri verò in Latina, ministrent sacramenta. Et patet etiam euidenter ex dictis, quia sola variatio idiomatis nunquam variat rem, quoad sensum.

57. Secunda regula specialis est, si quis significare velit idem, quoad sensum per verba à se ipso de nouo imposita ad significandum, & non iuxta communem, & vsitatam alicuius gentis, vel Reipublicæ impositionem, mutatio erit essentialis. Ratio est, quia sacramenta sunt signa communia, & vniuersalia, non verò singularia, & ad vnam tantùm, vel alteram personam directa. Vnde sacramentum traditum ex lingua, quam vulgò vocamus, *gergonza*, vel *germania*, non est validum, quia institutio Christi in verbis dumtaxat significantibus iuxta communem impositionem, facta est.

58. Tertia regula, Interruptio verborum formæ, quando est per magnam temporis moram, siue fiat per interpositionem aliorum verborum, siue per solum silentium, obstat veritati, & valori sacramenti, quocumque animo, & ratione fiat: si verò mora temporis, quo verborum prolatio interrumpitur, parua sit, non obstabit valori sacramenti, nisi ea intentione fiat, vt sensus, & significatio verborum incidatur.

59. Prima pars huius regulæ facile patet. nam verba sacramentorum debent habere illam moralem coniunctionem, quæ sufficiat, vt omnia simul significent totam illam sententiam, seu totam illam veritatem, quam Christus instituit, significari; & ideo nimia mora temporis, quæ sufficit, vt verba non significent simul prædictam sententiam, seu veritatem, sufficit etiam ad destruendam significationem illam, quæ est de essentia sacramenti, ac per consequens ipsum sacramentum.

Secunda pars eiusdem regulæ, oppositio fundamento nititur, quia parua mora, humano more loquendi, siue fiat per silentium, siue per parenthesim aliquam inductam, non obstat quominus verba significent nobis per modum vnius, vnam, & eamdem sententiam, nisi expressè fiat ea intentione, vt sensus diuidatur, & vt pars quælibet seorsum significet. In quo casu sacramentum non tam inualidatur ex defectu formæ sufficientis, quàm ex defectu intentionis requisitæ, quia requiritur intentio significandi id ipsum, quod Christus instituit, vt significaretur in forma sacramenti; quod tamen non significatur per verba interrupta, quatenus aliqua illorum, sine reliquis proferuntur. Exemplum primæ partis regulæ est: si quis dum vngit infirmum, dicat, parcat tibi, & post horam addat reliqua verba. Exemplum secundæ partis est, si quis dicat, parcat tibi, & statim per parenthesim dicat alicui, citò morietur iste infirmus, & confestim prosequatur reliqua verba formæ.

60. Quarta regula, Mutatio quæ fit verba synonyma, accidentalis est. Verba autem synonyma sunt illa, quæ non solùm idem, sed etiam eodem modo significant, ita vt si vnum significat expressè, & distinctè; alterum etiam significat, & non implicitè, & in confuso. Et si vnum in concreto, alterum etiam in concreto significat. Vnde hæc mutatio, Ego te baptizo, in nomine Trinitatis, non est per verba synonyma, quia verba expressè significantia, mutantur in aliud, quod implicitè tantùm significat; & similiter hæc: Ego te baptizo in nomine paternitatis, &c. quia variatur modus significandi de concreto in abstractum.

61. Quinta regula, in aliquibus sacramentis mutatio verbi secundùm modum essentialis est; in aliquibus verò potest mutari, saluo valore sacramenti, de indicatiuo in imperatiuum, & non aliter. Quæ autem sint sacramenta in quibus licet; quæ

verò

Digitized by Google

verò in quibus non licet, non poteſt hîc commodè diffiniri, ſed recurrendum eſt ad ſpeciales tractatus ſacramentorum. Certum eſt in ſacramento Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis, quamcumque mutationem verbi eſſe eſſentialem. Et ſimiliter certum eſt, præfatam mutationem de indicatiuo in imperatiuum in Baptiſmo, eſſe ſolùm accidentalem, vt conſtat ex forma Græcorum, & Latinorum, quarum quælibet eſt ſufficiens; habet tamen diuerſum modum verbi. Ratio huius regulæ eſt, quia aliquando mutatio verbi deſtruit ſignificationem ſacramentalem à Chriſto inſtitutam: aliquando verò non; quomodo autem id contingat, vel non contingat, ex ſpeciali ratione ſacramentorum deducendum eſt.

62. Sexta regula. Omnis mutatio verbi ſecundùm tempus, eſſentialis eſt, illa ſola excepta, quæ fit cum mutatione verbi ſecundùm modum, de qua dictum eſt regula præcedenti.

63. Septima regula. Mutatio numeri de ſingulari in plurale, ſiue fiat in verbo, ſiue in nomine, tunc ſolùm accidentalis eſt, quando numerus pluralis commodè ſignificat ex vſitata loquẽdi phraſi, ſolùm auctoritatem perſonæ miniſtrantis, vel ſuſcipientis ſacramentum; vt ſi ad eam ſignificandam dicatur: Te baptizamus: vel, abſoluo vos. Ratio huius regulæ eſt, quia in quocumque alio caſu redditur falſus ſenſus verborum, ac per conſequens deſtruitur ſignificatio à Chriſto inſtituta. In eo autem caſu in quo ſolùm fit illa mutatio authoritatis cauſa, non variatur ſignificatio verborum. Quòd ſi hæc regula habet aliquam exceptionem (vt fortaſſis habet) in propriis locis diſcutiendum eſt.

64. Octaua regula. Peruertere ordinem verborum formæ, regulariter eſt ſolùm accidentalis mutatio, iuxta commune proloquium, verba tranſpoſita idem ſignificant. Si tamen ordo verborum ita inuerteretur, vt non poſſet ſtare ſignificatio, quam modò habet forma ſine tali peruerſione, mutatio eſſet eſſentialis. Exemplum accidentalis mutationis eſt, Te baptizo ego in nomine Patris, &c. Exemplum verò eſſentialis mutationis ſit, te Patris baptizo ego Spiritus ſancti in nomine Filij.

65. Nona regula, omittere aliquod verbum, cuius ſignificatio ſufficienter includitur in aliis, ſolum eſt accidentalis mutatio; vt ſi omittatur pronomen, ego, in forma Baptiſmi, è contra verò omittere verbum, cuius ſignificatio non includitur in aliis, eſſentialis mutatio eſt: vt ſi omittatur verbum, Baptizo. Ratio eſt facilis, quia cum prima omiſſione ſtat integra ſignificatio ſacramenti, non verò cum ſecunda.

66. Decima regula. Additio verbi cum qua compatitur integra ſignificatio formæ, accidentalis eſt, ſiue fiat in fine, ſiue in medio, vt ſi dicamus: Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, &c. erit verò mutatio eſſentialis, ſi fiat additio alicuius verbi, cum quo non poteſt ſtare ſignificatio, quam habet forma ſine tali additione. Vt ſi Arrianorum more, quis diceret: Ego te baptizo in nomine Patris maioris, Filij minoris, & Spiritus ſancti minoris. Ratio eſt, quia facta hæc additione, non ſignificantur eædem perſonæ diuinæ, quæ ſine illa ſignificantur, & quæ veræ ſunt perſonæ Trinitatis. Solet autem ſpecialiter dubitari de illa additione in forma Baptiſmi, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & in nomine B. Virginis, de qua dicam ſectione ſequenti.

67. Vltima regula. Corruptio verborum in prolatione ſi omnino deſtruit verborum ſignificationem, eſſentialis eſt, vt ſi quis dicat, Ego te bapno in nomine Patruelis, &c. Si verò talis ſit, vt verba corrupta ex conſuetudine, & ex aliis circumſtantiis idem omnino ſignificent, quod ſine corruptione ſignificarent, neque aliquid aliud ſignificent in ea lingua in qua proferuntur, tunc corruptio erit accidentalis, vt ſi dicatur, hoc eſt corpum meus.

SECTIO VIII.

An quòd mutatio ſit accidentalis, aliquando pendeat ex intentione Miniſtri.

68. HOc dubium mouetur à Doctoribus propter decretum Zachariæ Papæ, quod refertur in capite *Retulerunt*, de conſecratione, diſtinct. 4. Vbi cùm quidam Clericus ignarus linguæ Latinæ baptizaſſet ſub hac forma, Ego te baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritus ſancta, & Epiſcopus ſentiret iterum eſſe rebaptizandum illum, qui ſic baptizatus eſt. Summus Pontifex ſtatuit, vt ſi Clericus non volens errorem inducere, ſed ob linguæ imperitiam, & balbutiem, verba infregit, & corrupit, non rebaptizetur. Ex quo colligi videtur, quòd ſi Clericus ille intendit inducere errorem, mutatio fuit eſſentialis; ſi verò non intendit, tantùm accidentalis; ac per conſequens quòd pendeat ex intentione Miniſtri, & ex eo quòd permutationem velit, aut non inducere errorem quòd mutatio ſit, vel non eſſentialis.

69. Et in primis certum eſt, quòd omnes ſupradictæ regulæ, in quibus diximus fieri eſſentialem mutationem, accipiendæ ſunt independenter, à quacumque intentione Miniſtri, quia non ponitur ſufficiens forma, etiamſi ponatur ſufficiens intentio. Regulæ verò in quibus diximus eſſe accidentalem mutationem, etiam accipiendæ ſunt independenter à quacumque intentione miniſtrãtis, excepta vltima regula, de qua dicemus in hac ſectione. Nihilominus tamen generaliter diſputabimus de omnibus mutationibus accidentalibus.

70. Et prima ſententia tenet, quamcumque mutationem in forma eſſe eſſentialem, ſi fiat cum intentione introducendi nouum ritum, & errorem. Ita Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 13. Adrianus in 4. q. 2. de Baptiſmo; hæc tamen ſententia generaliter intellecta falſa eſt; quia hæretici addunt in ſacramento Baptiſmi, verba concionis tanquam neceſſaria ad valorem ſacramenti, quod tamen eſt error in fide. Et Græci addunt tanquam neceſſarium ad conſecrationem corporis, verba illa, quod pro vobis tradetur, quod etiam eſt nouus ritus erroneus, & tamen vtique verum conficiunt ſacramentum, etiamſi in eo ritu, vtantur ea intentione, vt introducant ſuum errorem. Ex quo apertè colligitur, falſam eſſe ſententiam Dominici Soto aſſerentis, tunc mutationem ex intentione introducendi errorem eſſe eſſentialem, quando fit in ritu non tolerato ab Eccleſia, quoniam præfati ritus non tolerantur ab Eccleſia, & tamen non deſtruunt valorem ſacramenti.

71. Secunda ſententia exiſtimat, quòd ſi Miniſter vult introducere ſuum errorem in tota Eccleſia vniuerſali, non conficit ſacramentum: ſi verò tantùm velit introducere illum in Eccleſia particulari,

particulari, verum conficit sacramentum. Ratio prioris est, quia cum illa intentione introducendi errorem in vniuersali Ecclesia, non videtur stare posse intentio generalis faciendi quod facit vera Ecclesia. Ratio posterioris est, quia intentio inducendi errorem in Ecclesia particulari, bene potest stare cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia vera, & vniuersalis: & patet in forma baptizandi Græcorum, per quam Græci solùm volunt inducere errorem contra Romanam Ecclesiam, non tamen contra vniuersalem. Hæc etiam sententia falsa est, quia omnes hæretici, qui errant in administratione sacramentorum, errant contra vniuersalem, & veram Ecclesiam, & tamen non semper est inualidum eorum sacramentum. Et probatur, quia si error sit contra substantiam sacramenti, etiam in particulari Ecclesia non conficitur sacramentum; secus verò si non sit contra substantiam, quia quod non est contra substantiam, non potest destruere essentiam sacramenti.

72. Tertia sententia absolutè asserit, non pendere ex intentione Ministri: quòd mutatio formæ sit essentialis, vel accidentalis, sed solùm ex eo quòd facta mutatione, stat, vel non stat, idem sensus verborum. Non negat hæc sententia, quòd facta mutatione quæ ex se solùm est accidentalis, possit ea intentione administrari sacramentum, vt reddatur nullum, sicut enim cum legitima forma, nulla facta mutatione, potest sacramentum esse nullum ex defectu debitæ intentionis; sic etiam cum mutatione formæ: tantùm ergo vult hæc sententia, quòd si simul ponamus mutationem formæ tantum esse, cum qua possit stare verum sacramentum, si ea forma debita intentione applicetur, talem formam semper esse sufficientem, neque posse sacramentum ministratum sub illa forma esse inualidum, ex defectu formæ requisitæ, sed solùm ex defectu intentionis, vel ex alio defectu. Et probatur, quia vel forma post mutationem talis est, quæ retineat verum sensum, & significationem a Christo institutam, vel quæ non retineat. Si non retineat, mutatio essentialis est, & quantumcumque cum bona intentione applicetur, nullum fiet sacramentum, non minus quàm si in forma Baptismi omittatur verbum, *baptizo*; si verò forma illa post mutationem retineat totum sensum ad sacramentum requisitum, sicut potest retinere, & proferri cum intentione faciendi, id quod Christus instituit, & Ecclesia facit; ergo tunc verum erit sacramentum; ac proinde illa forma habet quidquid requiritur ex parte formæ; ergo quotiescumque posita tali forma, sacramentum validum non est, id non potest præuenire, quia deficiat ei aliquid formæ sufficientis, sed ex alio defectu, quia ei non applicatur debita intentio.

73. Et in hac sententia facilè videtur, respondeti posse ad decretum Zachariæ Papæ; licet enim ex eo colligatur, non rebaptizandos esse eos qui baptizati sunt sub illa forma corrupta cum intentione introducendi errorem. In eo tamen decreto non explicatur ex quo capite Baptismus reddatur inualidus, an ex defectu formæ, vel intentionis. Et dici potest, quòd in eo casu defecit intentio requisita, quia error intentus in ea corruptione non poterat non esse contra substantiam sacramenti, & ideo intentio illa errandi incompatibilis erat cum intentione requisita ad valorem sacramenti.

74. Notandum est primò, non solùm verba secundùm suam physicam entitatem, sed etiam secundùm eam significationem, quam habebant ex hominum placito, ante institutionem sacramenti, habere se vt materiale sacramentum, cui ex institutione Christi superuenit significatio sacramentalis, nam Christus non alligauit sacramentalem significationem entitati physicæ verborũ nudè sumptæ: (aliàs non liceret diuersitas idiomatum) sed ipsi entitati, vt significanti talem rem: vnde vt aliquod verbum censeatur sufficiens ad materiale alicuius sacramenti, debet significare eamdem rem, quam significabat provt à Christo sumptum est, vt deseruiret sacramento; quòd si non proferatur in ea significatione, iam non apponitur idem verbum quod Christus assumpsit, & instituit ad significandum sacramentaliter.

75. Secundò notandum, quòd intentio qua Minister sacramentorum vult proferre verba in ea significatione, quam habebant ante institutionem sacramentorum, non est illa quæ condistinguitur contra materiam, & formam sacramentorum, tanquam tertium aliquod requisitum, & de qua communiter determinant Theologi, necessariam esse ad valorem sacramenti, sed habet se sicut voluntas assumendi veram aquam in Baptismo, & non rem aliam distinctam ab aqua: & tam voluntas apponendi veram aquam, quàm voluntas proferendi verba iuxta propriam significationem, pertinent tantùm ad materiale sacramenti, sicut & appositio aquæ, & verborum prolatio: & positis præfatis voluntatibus, potest sacramentum esse nullum ex defectu intentionis requisitæ. Nam præter prolationem verborum cum sua significatione, & præter appositionem veræ materiæ, requiritur vt Minister intendat sacramentum conficere, vel facere, quod facit Ecclesia, & posita vera materia, & forma, potest hæc intentio deficere. Et est intentio, quæ distinguitur à materia, & forma sacramentorum. Cæteræ autem intentiones non terminantur ad ipsum sacramentum efficiendum, sed ad oppositionem veræ materiæ, vel veræ formæ.

76. Prima conclusio, quoties post factam mutationem, aut corruptionem verborum, verba manent vniuoca, quoad propriam significationem, ita vt ad ipsum, & non aliud significent post mutationem, quam significarent ante illam, tunc ex nulla intentione pendere potest, quòd mutatio sit essentialis, vel accidentalis, sed est solùm accidentalis: & eodem modo, & ex eisdem capitibus inualidari potest sacramentum factum sub forma corrupta, ac inualidatur illud, quod fit sine aliqua mutatione formæ, & non aliter. Hanc conclusionem probat efficaciter fundamentum tertiæ sententiæ, quæ quantum ad hoc verum habet.

77. Secunda conclusio, quando ex mutatione resultat, quòd aliquod verbum formæ sit æquiuocum, & significet non solùm rem, quàm Christus voluit significari per formam sacramenti, sed aliquam aliam diuersam, intentio proferendi verbum in ea significatione, quæ est extranea sacramento, destruit valorem sacramenti, etiam propter defectum formæ sufficientis. Hæc conclusio colligitur apertè ex prænotatis. nam forma sacramenti etiam provt forma est aliquid materiale in sacramento, non sunt verba secundùm solam physicam entitatem, sed secundùm quod ex hominum placito significant determinatam aliquam rem, quam Christus voluit, vt significarent per

Digitized by Google

per verba sacramenti: sed quando verbum æquiuocum profertur ad significandum, non rem quam Christus voluit vt significaretur, sed aliam diuersam, non ponitur ex parte formæ totum id, quod Christus voluit vt poneretur, & significaretur; ergo in ipsa forma est defectus aliquis significationis ratione cuius sacramentum non est validum; ergo in casu conclusionis, non solùm pendet ex intentione ministri, quòd sacramentum sit, vel non sit validum, sed etiam quòd forma sit sufficiens, vel non.

78. Secundò probatur, ex D. Gregorio lib. 9. epistolarum, epist. 61. & refertur in capitulo *Ij verò*, de consecratione, distinct. 4. vbi dicit, baptizandos esse in Ecclesia qui baptizati fuerant ab hæreticis Cataphragibus, & non reddit rationem ex defectu intentionis, sed ex defectu formæ, quia scilicet non fuerant baptizati in nomine Trinitatis. Ratio verò, quare non fuerant baptizati in nomine Trinitatis, non est, quia hæretici illi non proferebant omnia verba in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti; sed quia per ly *Spiritus sancti*, non intendebant significare tertiam personam Trinitatis, sed vitiosum quemdam hominem nomine Montanum, quem appellabant Spiritum sanctum, vt denotarent eum sanctum, & spiritualem hominem; ergo quotiescumque verba formæ possunt significare aliquid aliud, quàm id, quod Christus voluit, & proferuntur à Ministro ad illud significandum, siue præcedat corruptio, siue non, forma redditur insufficiens significationis prærequisitæ pro materiali sacramentorum.

79. Ex quibus facilè est explicare decretum Zachariæ Papæ suprà adductum. nam corruptio illa verborum, in nomine Patria, & Filia, facit vt verba illa sint æquiuoca, & capacia, vt assumantur ad plura significandum. nam verbum *Filia* significare potest, fœminam genitam: imò illam significat in rigore significationis; & ideo si proferatur erroris causa, necessariò profertur ad significandum in Trinitate esse personam generis fœminini, ac per consequens forma illa insufficiens erit; & ideo in casu illius decretalis verum est, quòd corruptio facta intentione errandi destruit Baptismi valorem. Tamen ex hoc non licet inferre, quòd quæcumque mutatio verborum procedens ex intentione errandi sit contra valorem sacramenti, quia si post mutationem verba habent vnicam, & determinatam significationem sufficientem, quantum est ex se ad significandum totum illud, quod sine mutatione significaretur, error qui prætenditur per talem mutationem, præcisè, & formaliter loquendo, non potest esse contra substantiam sacramenti: cùm neque sit contra substantiam, & significationem formæ, ac per consequens intentio illa errandi ex natura rei, non potest destruere aliam intentionem prærequisitam ad substantiam, & valorem sacramenti; ac proinde de tali mutatione iudicandum est iuxta prædicta in prima conclusione.

80. Rursus verba illa corrupta, de quibus agitur in illo decreto, ex circumstantiis sufficienter determinatæ sunt, vt significarent personas Trinitatis, non obstante corruptione, quia proferuntur super puerum ab homine ignaro, & balbutienti more solito in Ecclesia, & ideo tam ipsi proferenti, quàm audientibus verba illa sufficienter significant totum illud quod sine corruptione significarent; ac proinde si Clericus ille protulit illa verba, vt faceret, quod facit Ecclesia, absque aliqua intentione contraria significandi rem diuersam, nihil deesse potuit ad valorem sacramenti.

Ex dictis etiam facile est iudicare de illa mutatione, quæ fit addendo in forma Baptismi, & in nomine B. Virginis, in qua re, vera est resolutio D. Thomæ, pendere scilicet ex intentione Ministri, an sit essentialis, vel accidentalis mutatio, quia verba illa duplicem habere possunt significationem. Nam & possunt significare sacramentum tribui in nomine B. Virginis, eodem modo; ac Trinitatis, vt scilicet profiteamur B. Virginem esse autorem sacramenti, & gratiæ datæ per illud. Et etiam possunt verba illa significare solam inuocationem Deiparæ in auxilium baptizati. *Primus* sensus horum verborum est contra substantialem significationem formæ, & ideo si in hoc sensu fiat, profectò additio inualidatur ex defectu formæ. *Secunda* verò significatio non est contra substantiam formæ, & ideo si in eo sensu fiat additio, mutatio erit accidentalis. Aduerto tamen non esse certum, quòd verba illa, & in nomine B. Virginis, habeant duplicem illum sensum, sed plures sentire solùm habere primum, quod si verum est, mutatio non potest non esse essentialis. Quapropter securius existimo, eum qui sub illa forma baptizatus est, rebaptizandum esse sub conditione, præsertim si mutatio fieret hoc modo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & B. Virginis; si verò mutatio fiat in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & in nomine B. Virginis, minus dubium videtur, sed non ita certum, vt excusset sacramenti iterationem sub conditione: Quòd si mutatio fiat sub his verbis, & B. Virgo te adiuuet, ita est accidentalis mutatio, vt nunquam queat esse essentialis.

DISPVTATIO II.

De necessitate Sacramentorum.

SECTIO I.

De necessitate Sacramentorum post peccatum originale.

TRIPLEX status naturæ humanæ distingui solet post peccatum originale, iuxta triplicem legem cui fuit subiecta, scilicet status legis euangelicæ, Mosaicæ, & naturæ. Et in primis est certum de fide, in lege euangelica esse vera sacramenta à Christo instituta, quod constat ex Trident. & Florentino, & ex innumeris aliis. 1.

Quod attinet ad legem Mosaicam, conuenit etiam inter omnes Theologos, in ea fuisse aliqua sacramenta, quod apertè supponit Concilium Florentinum vbi suprà, distinguens inter sacramenta nostra, & antiqua. Circa numerum verò sacramentorum illius legis non est immorandum, esset enim copiosum nimis, & inutile. 2.

Prima conclusio, non omnes sacræ ceremoniæ illius legis fuerunt sacramenta, sed illæ dumtaxat, quæ exercebantur, vt hominibus illis vtentibus, conferrent aliquam sanctitatem, siue externam, vel internam. Ex quo patet, excludi à 3.

ratione Sacramenti, non solùm Manna, serpens æneus, transitus maris rubri, & similia; sed etiam sacrificia, quatenus talia sunt, licèt enim plura, vel fortassis omnia sacrificia illius legis, fuissent etiam sacramenta; distinguuntur tamen duæ istæ rationes saltem formaliter, quia sacrificia vt talia, fuerunt instituta ad protestandam diuinam omnipotentiam, non verò ad significandam sanctificationem aliquam. Excludunt etiam vestes, vasa, & alia sacra, ministerio templi deputata à ratione sacramenti, eadem prorsus ratione, sicut in lege euangelica.

4. Secunda conclusio, in lege veteri, non solùm circumcisio fuit sacramentum, sed etiam plura alia, quod probari potest ex his, quæ modò insinuauimus. Fundamentum autem Scoti contrarium sentientis de aliis sacramentis, excepta circumcisione, desumptum ex eo, quod de essentia sacramenti est, quòd esset significans veram gratiam formaliter sanctificantem, destructum est disputatione præcedenti, vbi ostendimus id falsum esse de omnibus sacramentis.

5. Circa circumcisionem verò nota, non contulisse gratiam ex vi sua, siue ex opere operato, sed infantibus in ea remittebatur peccatum originale, & infundebatur gratia à Deo, quasi ex quadam liberalitate, posita illa conditione, ob extremam paruulorum indigentiam, qui propriis actibus saluari non poterant, idque propter merita Christi. Adultis autem non conferebatur maior gratia, quàm illa, quam merebantur sua fide, & deuotione hi qui eam suscipiebant, vnde peccatores tantùm attriti per eam non iustificabantur. Lege Bellarminum lib. 2. de Sacramentis, cap. 14. 15. & 16.

6. Quod verò attinet ad legem naturæ, non est res ita certa, neque enim extat in sacra Scriptura locus, aut traditio, vel Ecclesiæ definitio, ex quibus inferri possit in ea lege aliquod sacramentum, vnde Vazquez in hoc loco existimat, in ea lege vsque ad circumcisionem nulla fuisse sacramenta, quia ad rationem sacramenti requiritur significatio gratiæ; significatio verò gratiæ non potest inesse sacramentis naturaliter, sed ex institutione; instituere autem signa gratiæ practica, solius Dei est: si autem Deus instituisset de facto aliquod signum gratiæ in lege naturæ, esset iam illud certum, & determinatum, non minus quàm in lege veteri, & euangelica, quod tamen sine fundamento asseritur. Concedit verò Vazquez in lege naturæ fuisse signa aliqua externa, quibus homines illi Deum colerent, quæ signa instituta erant ab ipsis hominibus ex solo iudicio rationis, Deo interiùs per gratiam inspirante, quæ quia non erant peculiari lege ab eo instituta, non erant propriè sacramenta. Denique asserit, fidem maiorum ante institutionem Baptismi, prodesse paruulis ad salutem, nullo interueniente signo exteriori, quo ipsis applicatur.

7. Tertia conclusio, in lege naturæ ante circumcisionem fuerunt sacramenta, & illorum vsus incepit statim post peccatum primi parentis, ita Scotus in 4. dist. 1. quæst. 3. Bonauent. art. 1. quæst. 1. D. Thom. quæst. 61. art. 3. & est communis inter Recentiores.

Et probatur primò authoritate D. Augustini in
August. sermone de circumcisione, vbi sic ait: *Sanè originale peccatum, quod à primis Parentibus in totam huius generis successionem defluxit, aliquibus remediis omni tempore oportuit expiari*; quæ remedia sæpiùs eo loco appellat sacramenta. & 2. libr. contra Iulianum cap. 9. inquit. *Nec ideo credendum est,* Idem.
ante latam circumcisionem, famulos Dei, quandoquidem eis inerat fides mediatoris, nullo sacramento fidei opitulatos fuisse paruulis fuis; quamuis quid illud fuerit, Scriptura conuenienti ratione tacere voluerit.

8. Deinde probatur, quia omnes rationes quibus Patres, & Theologi vtuntur ad probandum institutionem sacramentorum fuisse conuenientem humanæ naturæ post peccatum, omnes æquè probant de lege naturæ, ac de reliquis statibus.

Prima ratio desumitur ex eo quòd sacramenta conuenientia sunt, & vtilia humanæ naturæ, quatenus homo per signa sensibilia instruitur, & eruditur de inuisibilibus, & spiritualibus mysteriis, quæ ratio fundatur independentia, quam intellectus habet à sensibus pro hoc statu, præsertim supposita infirmitate, quam ex peccato contraxit, quo fit, vt modus institutionis assignatus sit valdè proportionatus naturali indigentiæ, & modo cognoscendi post peccatum; hæc autem ratio communis est omnibus statibus, neque potest aliquod discrimen deduci, quo excludatur status legis naturalis.

9. Secunda ratio conuenientiæ est, quia sacramenta sunt vtilia ad humiliationem hominis, vt qui peccando per elationem se extulit super se, cogeretur quærere salutem in rebus corporalibus imperfectioribus ipso, secundùm naturalem entitatem, & illis quodammodo se submittere, vel, vt S. Thom. vbi suprà dixit, vt homo qui peccando se subdidit per affectum corporalibus rebus, ibi inueniret remedium, vbi passus fuit morbum, & in subiiciendo se rerum corporalibus rebus salutem inueniret, in quo multum relucet diuina sapientia. Hæc verò ratio, etiam probat de homine in statu legis naturæ, vt patet.

10. Tertia ratio assignatur ex propensione hominis ad exercitationem corporalem; ne autem esset homini durum, & difficile, si negotium suæ salutis totaliter extraheretur ab exterioribus actibus, conueniens fuit, vt in rebus corporalibus, & in earum exercitio, posset quærere, & inuenire salutem. Quo etiam cautum est, ne homo propter nimiam propensionem ad exercitia corporalia, declinaret ad inutiles, & superstitiosas ceremonias. Quæ etiam ratio eodem modo procedit de statu legis naturæ.

11. Quarta denique ratio est, vt cultores Dei seipsos, vt tales agnoscerent, & vt in vnam rempublicam coadunarentur, & discernerentur ab aliis: cùm enim interna fides occulta sit hominibus, non potest ipsis, nisi per externum cultum manifestari, quo protestetur ipsa fides, & religio: fuit autem conuenientissimum, vt inter hæc signa protestantia religionem, fuissent aliqua peculiariter ordinata ad sanctificationem cultorum, quæ ratio etiam procedit de lege naturæ; ac per consequens ex omnibus rationibus, & congruentiis, quæ à Patribus, & Doctoribus adducuntur pro institutione sacramentorum, nulla est quæ non probet æquè conuenientia, æquè vtilia, & necessaria fuisse in lege naturæ, ac in reliquo tempore post peccatum.

12. Aliud argumentum conficitur supponendo, paruulos non fuisse irremediabiliter damnatos in ea lege, quod licèt non constet Scriptura, nec traditione, quo fiat certum de fide, est tamen omnino

verum,

verum, & contraria ſententia cenſetur non rectè ſentiens de diuina miſericordia, quo poſito, ſic conficitur ratio. In lege naturæ prouiſum fuit paruulis de aliquo remedio ad ipſorum ſalutem; ſed hoc remedium non fuit purè ſpirituale; ergo fuit ſenſibile, & corporale, ac per conſequens fuit corporale ſacramentum. Minor probatur, quia neque ex Scriptura, nec traditione oſtendi poteſt, remedium illud fuiſſe purè ſpirituale, potius quàm corporale, ſed ſicut latet quod, & quale fuerit; ſic æquè latet, an ſit corporale, vel ſpirituale; ſed in æquali dubio aſſerendum eſt fuiſſe corporale; ergo. Minor probatur, quia modò remedium paruulorum corporale eſt, & ſenſibile; ergo etiam in reliquo tempore de quo latet omnino quale fuerit, dicendum eſt potiùs fuiſſe corporale. Conſequentia probatur, quia ex vna parte rationes vtilitatis, & conuenientiæ, quæ poſtulant, vt modò tale remedium exiſtat corporale, æquè procedunt in caſu de quo loquimur, vt oſtenſum eſt. Ex alia verò parte conſtat, Deum tanquam conuenientioti medio vti nunc ſacramentis pro remedio paruulorum; ergo in re omnino incerta, & ſine fundamento pro oppoſita parte, multo mælius eſt, vt his rationibus coniectemur cum Auguſtino, remedium illud fuiſſe corporale, quàm diuinando aſſerere fuiſſe purè ſpirituale.

13. Dices, plures Patres, quorum teſtimonia adducit Vazquez diſput. 165. aſſeruiſſe, ſola fide maiorum iuſtificatos fuiſſe paruulos; ergo ſenſerunt non fuiſſe tunc neceſſarium remedium corporale. Reſpondetur, illos Patres non voluiſſe excludere id per quod prædicta fides maiorum erat ipſis applicanda, vt fatetur ipſe Vazquez, ſolùm vult neceſſariam fuiſſe internam applicationem fidei, diſtinctam ab ipſa fide. Nos autem volumus neceſſariam fuiſſe applicationem fidei per ſigna exteriora.

14. Ad illius fundamentum reſpondetur, ſacramenta legis naturæ, & determinatus illorum ritus, fuiſſe ex inſtitutione diuina, non lege aliqua ſcripta, & promulgata, ſed legibus priuatis: quatenus Patriarchis, & excellentioribus viris interiùs inſpirabat prædicta ſacramenta, vt ipſi cæteros docerent, ita expreſsè D. Thom. 1. 2. q. 103. D. Thom. art. 1. in corpore; vbi ſic ait. *Sed quia etiam ante legem fuerunt quidam viri præcipui prophetico ſpiritu pollentes, credendum eſt, quòd ex inſtinctu diuino, quaſi ex quadam priuata lege, inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, quod & conueniens eſſet diuino cultui, & etiam congrueret ad ſignificandum Chriſti myſteria.* Idem repetit 3. part. q. 60. art. 5. ad 3.

Sectio II.

De ſtatu innocentiæ, an in eo fuerint neceſſaria Sacramenta.

15. Affirmat prima ſententia, quòd ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, futura eſſent in eo ſacramenta, ita Suarez in hoc loco, diſp. 3. ſect. 3. qui tamen loquitur cum ea modificatione, vt ſi ſupponamus Chriſtum non venturum, ſi ſtatus ille duraſſet, conſequenter aſſerendum eſſe vt probabilius, nulla tunc futura fuiſſe ſacramenta. Si verò ſupponatur, quòd ipſe putat verius, Chriſtum venturum, futura fuiſſe tunc ſacramenta, non alia, ſed eadem quæ extant modò; non omnia, ſed aliqua, quæ ipſe aſſignat videlicet, Euchariſtiam, & Ordinem.

Concluſio tamen eſt negatiua, in ea ſtatu non futura ſacramenta, ita Scotus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. Bonau. art. 1. quæſt. 1. S. Thom. quæſt. 61. art. 2. & eſt communior inter Recentiores. 16.

Et probatur, quia nulla ratio ex his quæ adduci poſſunt ad probandum in vniuerſum vtilitates inſtitutionis Sacramentorum, procedit in ſtatu innocentiæ. Et quidem ratio humiliationis, & quæcumque alia ſupponens peccatum, non procedit de illo ſtatu, vt patet. Sed neque etiam procedit ratio deſumpta ex eruditione. nam licèt in natura corrupta, in qua potentiæ cognoſcitiuæ obtenebratæ ſunt, & vulneratæ, conueniens fuerit, vt de ſupernaturalibus inſtrueremur per ſigna obſcuriſſimè ſignificantia myſteria ſupernaturalia, quia ſic voluit Deus, & ſic conueniebat naturam corruptam ſanare, illuminare, & regere, tamen modus ille obſcurus ſignificandi, & ænigmaticus, non conueniebat illi ſtatui, qui perfectiſſimus erat, & in quo natura humana adeò magnis gaudebat priuilegiis, & de ſupernaturalibus myſteriis habebat maiorem notitiam, & perfectiorem modum cognoſcendi. Tum etiam, quia in eodem ſtatu ſuperiora dominabantur inferioribus, neque vllo modo dependebant ab illis; ſed ſicut mens ſubiecta erat Deo, ita menti vires inferiores, & animæ corpus: eſſet autem contra hunc ordinem, ſi anima perficeretur, vel quantum ad ſcientiam, vel quantum ad gratiam, per aliquid corporale. Quæ ratio æquè probat, in eo ſtatu non futura ſacrificia, quia ſignificatio ſacrificiorum etiam eſt ænigmatica, & obſcura, & ſimilis per omnia ſignificationi ſacramentorum.

Ratio etiam deſumpta ex propenſione hominis ad corporalem exercitationem in eo ſtatu, minus conuincit, tum quia in eo multo maior propenſio foret ad contemplationem, & ſpiritualia exercitia. Tum etiam, quia in eo ſtatu non erat periculum declinandi in ſuperſtitioſos, & vanos ritus exteriores, & ideo non fuit neceſſarium, vt hoc periculum præcaueretur inſtitutione Sacramentorum. Et licèt tunc etiam foret inclinatio aliqua recta, & bene ordinata in corporalem exercitationem, tamen per alios actus exteriores poterat hæc inclinatio exerceri, vt per laudes diuinas, & alios virtutum actus. 17.

Rurſus, ratio quæ ſumitur ex magnis vtilitatibus, quæ afferunt ſacramenta, ſi gratiam cauſent ex opere operato, non conuincit. *Primò*, quia ſi pro illo ſtatu non erat conueniens, & proportionatus modus ſignificandi ſacramentorum, vt iam probatum eſt, non ſunt ponenda ſacramenta ſolùm vt cauſent gratiam, ſed aliis modis proportionatis illi ſtatui cauſanda eſt gratia, & prouidendum eſt vtilitatibus quæ proueniunt ex tali cauſatione. *Deinde*, quia licèt in ſacramento ipſo perfectio ſit, & excellentia ipſius, quod cauſet gratiam ex opere operato; hæc tamen perfectio videtur ſupponere imperfectionem ſtatus, & ſubiectorum, in quibus gratia cauſatur, quia ſupponit infirmitatem hominis ad conſequendam gratiam per proprios actus; & ad ſupplendam hanc difficultatem inſtituta ſunt ſacramenta, quæ illam cauſent ex opere operato: in ſtatu autem innocentiæ facilè potetant homines acquirere augmentum gratiæ propriis actibus; ac per conſequens non conueniebat illi ſtatui, quòd in eo eſſet inſtrumentum cauſans gratiam ex opere operato. 18.

19. Secundò probatur eadem concluſio, quia Deus quantum eſt ex ſe, conſtituit Adamum in ſtatu innocentiæ, vt ſtatum illum ſibi, & poſteris conſeruaret, & per ſe loquendo non fecit Deus illum ſtatum, vt duraret per diem, ſed vt duraret per multum tempus; & ex hac voluntate conſtituit in eo ſtatu parentes pro ſe, & pro poſteris: ſed in prima conſtitutione illius ſtatus non fuit inſtitutum aliquod ſacramentum; ergo etiam ſi ſtatus duraſſet, nullum foret ſacramentum. Conſequentia probatur, quia decretum quo de facto Deus conſtituit ſtatum innocentiæ, non fuit determinatum, & contractum ad paruum tempus, ſed tetendit, per ſe loquendo, ad ſtatum per multum tempus duraturum; & tamen de facto ex vi talis decreti, nullum fuit inſtitutum ſacramentum; ergo de facto nullum fuit decretum independens à peccato, & à Chriſti meritis; ſi enim de facto exiſteret tale decretum, eſſent de facto inſtituta ſacramenta.

20. Quo argumento probatur etiam abſolutè, quòd ſi ſtatus innocentiæ perſeueraſſet, ex nullo decreto eſſent futura ſacramenta, quia ſi ſtatus innocentiæ eiuſdem conditionis futurus eſſet in duratione, ac in principio, vt re vera futurus erat; & ſi decretum, quo Deus decreuit ſtatum illum, non reſpexit illum, vt paruo tempore durantem, ſed potiùs abſolutè, & vt duraret per multum temporis, quantum eſt ex parte Dei, probabiliſſimè ſequitur, quòd ſicut de facto Deus non habuit aliud decretum, quo inſtitueret ſacramenta, ita nec haberet illud ſi ſtatus perſeueraſſet; quia rebus eodem modo ſe habentibus, eodem modo etiam philoſophandum eſt de diuinis decretis: quòd autem perſeueraret ſtatus innocentiæ, non variat res, nec ponit motiuum noui, & diſtincti decreti, quod non eſſet in principio illius ſtatus.

21. Dices, à principio ſtatus innocentiæ inſtituiſſet Deus ſacramenta, niſi præuidiſſet paruam illius durationem; ſed contrà eſt, quia antequam Deus ſcientia viſionis videret caſum hominis à ſtatu innocentiæ, decreuit dare illi quæcumque pertinebant ad illum ſtatum, prout ab ipſo inſtitutus eſt, & de facto dedit illi ea omnia, non obſtante ſcientia viſionis peccati, neque propter hanc ſcientiam abſtulit aliquod priuilegium, & perfectionem ex his, quæ ad illum ſtatum pertinebant; ergo neque propter hanc rationem abſtuliſſet ſacramenta. Vnde ſatis probabile eſt, quòd matrimonium in poſteris non fuerit ſacramentum, ſi quidem in primis ipſis Parentibus ſacramentum non fuit.

22. Quæri autem ſolet, quid ſi Adamo non peccante aliqui eius poſteri peccarent: neque enim eſt fundamentum vt aſſeramus ipſos naſcituros confirmatos in gratia, cùm neque fuerit tale priuilegium collatum ipſis primis Parentibus. Reſpondetur conceſſa poſſibilitate hypotheſis, in illo etiam caſu, non fore ſacramenta ex vi præſentis decreti. An verò ex alio decreto eſſent futura, diffiniri non poteſt, meo videri, cum ſufficienti fundamento probabilitatis. nam ex vna parte illis hominibus, qui peccarent, valde conuenientia, & vtilia eſſent ſacramenta, & ex poſitione illorum non ſequitur, nec abſurdum, nec inconueniens, nec inordinatum aliquid, ex qua parte videntur ceſſare omnes illæ coniecturæ, quibus conati ſumus ſuadere, quòd in ſtatu innocentiæ nullatenus eſſent ſacramenta, ac per conſequens pium, & verisimile videtur, quòd Deus illis hominibus remedia præberet per ſacramenta, ſicut de facto Deus non ſolùm inſtituit ſacramentum in remedium originalis peccati, quo tota natura infecta erat, ſed etiam in remedium actualium, quæ quiſque homo poteſt committere, quatenus eſt ſingularis perſona.

Ex alia verò parte ſacramenta ſunt ſigna, & remedia communia inſtituta pro tota republica, & non pro vno, vel altero ſingulari; tunc autem non indigeret remediis tota communitas, & reſpublica hominum, ſed iſti, vel illi de quibus difficile poteſt explicari, qua ratione tunc in vnam rempublicam coadunarentur; ac proinde cenſeo, quòd etſi prima pars magis pia, & æquè probabilis iudicetur; non poſſe tamen abſolutè, & ſimpliciter alteri parti adhærere, ſed rem eſſe pendentem ex ſola libera voluntate Dei, nobis ignota. 23.

DISPVTATIO III.

De principali effectu Sacramentorum, qui eſt gratia.

SECTIO I.

An Sacramenta nouæ legis conferant gratiam ex opere operato.

NON quærimus de modo quo ſacramenta cauſant gratiam, an ſcilicet phyſicè, vel moraliter, de hoc enim agemus infrà. Neque dubitamus an ſacramenta ſint cauſæ principales gratiæ, vel ſolùm inſtrumentaliter; conuenit enim inter omnes, quòd ſolus Deus poteſt eſſe cauſa principalis gratiæ: ſolùm ergo inquirimus, an ſacramenta nouæ legis cauſent gratiam ex opere operato. 1.

Et quidem hæretici huius temporis inſectantur maximè, & irrident vocem illam, ex opere operato, tanquam nouam, & non traditam à Scriptura, & Patribus, & vt barbaram in lingua Latina. Verùm hæc calumnia contemnenda eſt, tanquam res parui momenti: licèt enim Theologis, ſicut & aliis artificibus de nouo inſtituere voces, & modos loquendi breuitatis, & diſciplinæ cauſa. Sufficit verò quòd res illa per vocem ſignificata in Scriptura contineatur, & Patribus, etiamſi vox ipſa ibi non inueniatur. Neque etiam barbara cenſenda eſt; quamuis enim ly *operato*, participium ſit verbi deponentis ſignificantis actionem, & à Theologis paſſiuè ſumatur; ſed hoc parui momenti eſt, cùm ſæpiùs apud probatiſſimos auctores Latinos inueniantur verba deponentia in paſſiua ſignificatione, necnon & eorum participia paſſiuè ſumpta. 2.

Accipiunt hæretici præfatam vocem in deprauatis ſenſibus, & qui longè abſunt à mente catholicorum Theologorum, vt ex illa voce ſic accepta abſurda colligant, quæ Theologis imponant: abſurda verò ſunt. Quòd ita Sacramenta iuſtificationem, & ſalutem hominum operentur, vt neque ſit neceſſaria fides, neque alia opera bona, ſed quòd hoc non ſequatur ex acceptione Catholicorum, in ſenſu quo ab ipſis traditur, facilè patebit explicando ſenſum illius vocis. 3.

Idem ergo eſt ſacramenta cauſare gratiam 4.

ex

ex opere operato, ac cauſare illam per ſe ipſam, id eſt, quod ſuſcipienti Sacramentum virtute ipſius Sacramenti, conferatur gratia. Et quòd Sacramentum virtute illorum ex quibus intrinſecè conſtat, & componitur, habet efficaciam ad cauſandam gratiam; non quòd gratia conferatur independenter ab omni bono actu, qui ſit diſpoſitio ex parte ſuſcipientis, ſed quòd vel ſolùm Sacramentum per ſe ipſum gratiam conferat, ſine aliqua diſpoſitione, vt contingit in paruulis; vel ſi indiget diſpoſitione, vt in adultis; ita ratione Sacramenti conferatur gratia, vt talis gratia non reſpondeat ipſi diſpoſitioni, vt cauſæ, ſed ſoli Sacramento. Ita vt quando diſpoſitio talis eſt, vt ex ſe ſine Sacramento ſufficiens ſit ad introductionem gratiæ, vel ad augmentum illius, ſi coniungatur cum Sacramento, vltra totum illud, quòd ſi non eſſet Sacramentum, conferretur ratione ſolius diſpoſitionis, conferatur aliquid amplius ratione Sacramenti. Et ſi diſpoſitio ex ſe ſufficiens non eſt vt gratia introducatur, poſito Sacramento virtute ipſius Sacramenti introducitur gratia. Et hoc eſt gratiam conferri ex opere operato: per oppoſitum verò conferri gratiam ex opere operantis, eſt ipſam conferri intuitu bonitatis, & valoris actus ipſius operantis.

5. Ex dictis ſequitur contra hæreticos, non ideo dici gratiam conferri ex opere operato per Sacramentum, quia etiamſi ſuſcipiens Sacramentum merè paſſiuè ſe habeat, gratiam recipiat: poſtulant enim diſpoſitiones aliquas in adulto ſuſcipiente ad effectum Sacramenti. Neque id negant Theologi quando dicunt, Sacramenta conferre gratiam non ponentibus obicem. Nam in adultis idem eſt ponere obicem ad effectum Sacramenti, & non ponere diſpoſitionem requiſitam ex parte ſuſcipientis Sacramentum. Illi autem qui ex vna parte capaces ſunt ſuſcipiendi Sacramentum; ex alia verò parte incapaces ſunt apponendi diſpoſitionem aliquam, ac per conſequens etiam incapaces ſunt ſuſceptionis indignæ, eo ipſo vt Sacramentum in illis cauſet gratiam, nullam poſtulat diſpoſitionem, quia cùm diſpoſitiones iſtæ non ſunt phyſicæ, ſed morales, non exiguntur ab illis qui eas non poſſunt præſtare.

6. Secundò ſequitur, Sacramenta non dici cauſare gratiam ex opere operato, quia cauſent illam virtute, & merito paſſionis Chriſti, quaſi ipſa paſſio Chriſti dicatur opus operatum: multa enim nobis conferuntur merito paſſionis Chriſti, vt auxilia gratiæ, indulgentiæ, & remiſſio pœnarum, quæ tamen non dicuntur conferri nobis ex opere operato. Et quidquid ſit, an paſſio Chriſti rectè potuerit appellari opus operatum, tamen de facto non eſt in vſu, quòd ſic appelletur, neque ſunt idem dari aliquid merito paſſionis Chriſti, & dari ex opere operato.

7. Denique ſequitur, quòd neque etiam dicitur opus operatum, eo ſolùm, vt exiſtimauit Vazquez diſp. 131. cap. 1. num. 9. quòd excludat opera miniſtrantis Sacramentum, quaſi opus operantis, quod contraponitur operi operato, idem ſit, quòd opus miniſtri conficientis, & operantis Sacramentum. Sequeretur enim ex hoc, quòd ſi gratia in Sacramento daretur ſolùm per reſpectum, & proportionem ad actus, & diſpoſitiones ſuſcipientis, ita vt ratione Sacramenti nihil ampliùs conferretur, quàm quod ratione talium actuum conferendum erat; ſequeretur, inquam, quòd gratia ſic collata eſſet ex opere operato, dummodo non eſſet neceſſaria & deuotio miniſtri, quod tamen eſt falſum.

8. Vera ergo ratio, quare dicantur Sacramenta cauſare gratiam ex opere operato, eſt quam tradidimus, quia ſcilicet ex ſe, & per ſe ipſa cauſant in ſuſcipiente aliquam gratiam, quæ ita fit, & pendet ab ipſo Sacramento, vt ſi Sacramentum non eſſet, talis gratia non conferretur, neque propter actus, & opera miniſtrantis; neque etiam propter actus & opera ſuſcipientis; quamuis vt Sacramentum hanc gratiæ cauſalitatem exerceat actu, aliquas conditiones, aut diſpoſitiones poſtulet in ſubiecto in quo gratia recipienda eſt, more aliorum agentium naturalium. In hoc ergo ſenſu quærimus, an Sacramenta cauſent gratiam ex opere operato.

9. Negant omnes hæretici, tam antiqui, quàm recentes, etiam hi qui Sacramenta admiſerunt, & licèt videantur aliquando catholicè loqui de hac re, nunquam tamen catholicè ſentiunt, quia quoties virtutem iuſtificandi Sacramentis tribuunt, ea ſolùm de cauſa eſt, quia excitant fidem, quæ ſola in eorum opinione iuſtificat, vt propria cauſa. Et probant ſuum errorem pluribus Scripturæ teſtimoniis. Primum eſt Marci vltimo, *qui crediderit, & baptizatus fuerit*, &c. Marc. vlt. Dicunt enim, quòd ad denotandum ſolam fidem iuſtificare, & non baptiſmum, non fuit repetitum: qui non fuerit baptizatus, condemnabitur: quia quòd aliquis non condemnetur, ſolius fidei eſt, & non baptiſmi. Secundum teſtimonium eſt ex 1. Petri 3. *Quod & vos nunc ſimilis forma ſaluos facit baptiſma, non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum.* 1. Petr. 3. Notant enim, quòd Verbum, quod in Græco reſpondet illi verbo *interrogatio*, non ſignificat interrogationem, ſed pactum & promiſſionem. Quo poſito, ita explicant prædictum teſtimonium, ſaluos vos fecit baptiſmus, non quatenus eſt ablutio corporis, & mundatio ſordium carnis, ſed ratione pacti, & promiſſionis diuinæ, cuius fidem baptiſmus excitat. Tertium teſtimonium eſt illud Pauli ad Romanos 4. vbi Paulus apertè docet, Abrahamum non fuiſſe iuſtificatum ex opere operato per circunciſionem, ex quo inferunt eandem eſſe rationem de baptiſmo, & cæteris Sacramentis.

10. Præterea adducunt plura teſtimonia Patrum, quæ videri poſſunt apud Bellarminum, lib. 2. de Sacramentis cap. 10. inter quæ difficiliora ſunt quædam Auguſtini teſtimonia. Primum eſt ex tractatu 30. in Ioannem, vbi dicit, *Verbum mundare, non quia dicitur, ſed quia creditur.* Auguſt. Secundum eſt ex quæſtionibus noui, & veteris Teſtamenti quæſt. 59. vbi dicit, *quòd donum cæleſte non poteſt conſequi, qui ſe per aquam, non per fidem commutari credit.* Tertium eſt ex lib. 8. quæſt. in Leuiticum, quæſt. 84. vbi dicit, *Deum eſſe qui interiùs iuſtificat per gratiam; miniſtros verò ſolum exteriùs applicare Sacramenta.*

11. Sit tamen concluſio indubitata, veritas catholica eſt, Sacramenta nouæ legis eſſe cauſam veram gratiæ iuſtificantis ex opere operato. Ita eſt definitum in Concilio Florentino, in Decreto vnionis, & in Tridentino ſeſſ. 7. Canone 6. 7. & 8. vbi aſſeritur; *Si quis dixerit per omnia noua legis Sacramenta non conferri gratiam ex opere operato, anathema ſit.* Et colligitur apertè ex ſacra Scriptura ad Epheſ. 5. *Mundans eam, ſcilicet Eccleſiam, lauacro aquæ, in verbo vitæ*, & Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, & Ioan. 6. de Euchariſtia dicitur. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum.* Epheſ. 5. Ioan. 3. Ioan. 6. Omitto teſtimonia Pa-

trum, quia omnes conſpirant in hanc veritatem. Sed ponderanda ſunt verba Auguſtini in Pſal. 73. vbi loquens de noſtris,& antiquæ legis Sacramentis, ſic inter illa diſtinguit. *Alia ſunt Sacramenta dantia ſalutem, alia promittentia Saluatorem: noſtra Sacramenta dant ſalutem, antiqua promittebant ſaluatorem*, & lib. 19. contra Fauſtum cap. 11. dixerat conferendo eadem Sacramenta inter ſe: *Noſtra Sacramenta eſſe virtute maiora, vtilitate meliora, ſignificatione præſtantiora.*

Auguſt.

12. Hæc eadem veritas probatur argumento deſumpto ex verbis formæ, quæ cùm vera ſint, conſequenter concedendum eſt quidquid requiritur ad eorum veritatem; cùm autem in Sacramento baptiſmi & pœnitentiæ per verba formæ ſignificetur, quòd miniſtri abſoluunt à peccatis, & quòd abluunt ſordes animæ; niſi verè abſoluant a peccatis, & verè abluant ſordes animæ, non erunt vera verba formarum quibus id ſignificatur: ergo dicendum eſt miniſtros Sacramentorum verè à peccatis iuſtificare: ſed id non poteſt competere miniſtris, niſi mediis Sacramentis, & ratione illorum: ergo Sacramenta illa verè cauſant effectum iuſtificationis. Et quod dictum eſt de illis duobus Sacramentis, à paritate rationis extendi poteſt ad reliqua.

Ad argumenta hæreticorum reſpondetur.

13. Ad teſtimonium ex Marci vltimo reſpondetur cum Maldonato ſuper illum locum, ſubintelligendam eſſe repetitionem illam; *qui non fuerit baptizatus*; & ideo nihil licèt colligere ex omiſſione repetitionis. Quòd autem ſubintelligenda ſit repetitio, conſtat ex eo quòd antea poſita ſunt fides, & Baptiſmus, vt cauſa noſtræ ſalutis, & ideo in repetitione vnius in aſſertione contraria, ad inferendam ſcilicet damnationem, ex defectu cauſæ ſaluantis, ſufficienter intelligitur repetita altera cauſa ſaluans.

14. Ad ſecundum teſtimonium ex epiſtola Petri reſpondetur, potiùs ibi Petrum expreſſiſſe cauſalitatem Baptiſmi, cùm dixit, *ſaluos vos fecit baptiſma*, quod non eſſet verum, niſi baptiſmus conferret ſalutem. Senſus ergo illius teſtimonij eſt, *ſaluos vos fecit baptiſmus*, qui non ad hoc datur, aut ad hoc inſtitutus fuit à Deo, vt ſordes carnis ablueret, ſed vt conſcientia interrogata à Deo, bona inueniatur. Eſt autem falſum, verbum Græcum ſignificare pactum, & promiſſionem; non enim id ſignificat, ſed interrogationem. Et quamuis concederemus (vt aliqui volunt) vocem Græcam poſſe etiam ſignificare ad ſtipulationem, nihil contra nos, ſenſus enim etiam eſt planus, videlicet Baptiſmum non dari, vt emundet à ſordibus corporis, ſed vt ad ſtipulationem, id eſt, ius habeamus ad Deum, quod tamen ius per gratiam habetur.

15. Ad tertium reſpondetur; quidquid ſit modò de circumciſione, de qua non diſputamus, diuerſam eſſe rationem de iſta, & de cæteris Sacramentis nouæ legis in cauſalitate gratiæ. nam certum eſt, definitum in Florentino, melius, & perfectius cauſaſſe gratiam Sacramenta nouæ legis, quàm circumcitionem, & ideo neganda eſt conſequentia.

16. Ad primum teſtimonium Auguſtini reſpondetur, illud dici ab Auguſtino, propter fidem Eccleſiæ, quæ eſt intrinſeca ipſi Baptiſmo: quia Baptiſmus iuxta phraſim Auguſtini, eſt Sacramentum fidei, id eſt, inſtitutum à Deo, tanquam exterior profeſſio fidei Eccleſiæ, quæ Chriſtianos conſtituit, & membra Eccleſiæ, & ideo Auguſtinus potius tribuit effectum Baptiſmi ipſi profeſſioni fidei, quàm materiali prolationi verborum; nunquam tamen Auguſtinus aſſignauit effectum Baptiſmi illi fidei inani, quam hæretici comminiſcuntur, dum illi tribuunt iuſtificationem.

17. Ad ſecundum reſpondetur eodem modo, videlicet ibi fidem ſignificare, non actum credendi, ſed fidem Eccleſiæ, vel myſterioſam illam ſignificationem, quæ eſt de ratione intrinſeca Baptiſmi. Dicit autem Auguſtinus, non per aquam, ſed per fidem nos commutari, vt explicet ablutionem illam, quæ fit per aquam, non eſſe communem, & qualis ſenſibus apparet, ſed eſſe myſterioſam, & quæ non ſenſu, ſed fide percipitur, & vt myſterioſam habere vim iuſtificandi, non quatenus communis eſt. Vel ſecundò reſpondetur, ibi Auguſtinum appellare fidem, ipſam gratiam iuſtificantem, quæ per Baptiſmum producitur, per contrapoſitionem ad actionem exteriorem Baptiſmi, quæ ſenſibus percipitur; appellat verò fidem, prædictam gratiam, qua emundamur, quia non ſenſu, ſed ſola fide attingitur. lege plura apud Vazquez diſp. 129. cap. 5. & diſp. 131. cap. 6.

18. Ad tertium reſpondetur, ibi tantùm denotari, ſolum Deum eſſe cauſam principalem iuſtificationis, qui cum Sacramento, & ſine illo poteſt iuſtificare. Miniſtros verò eſſe cauſas miniſteriales gratiæ, quia applicant Sacramenta, tanquam inſtrumenta ad iuſtificationem.

SECTIO II.

Quæ, & qualis ſit gratia, quam Sacramenta cauſant.

19. SVpponendum eſt, eſſe ſine controuerſia, Sacramenta cauſare gratiam habitualem, vel iuſtificantem, vt probatum manet ſectione præcedenti. Sed neque hîc diſputandum eſt, an omnia Sacramenta ſaltem per accidens poſſint cauſare primam gratiam, & primam iuſtificationem, hoc enim non pertinet ad hunc locum. Difficultas ergo eſt, an præter gratiam iuſtificantem, quæ eſt, communis effectus Sacramentorum, per quodlibet cauſetur aliquid peculiare diſtinctum à primo, & non loquimur de charactere.

20. Prima ſententia referri poteſt aliquorum Theologorum exiſtimantium, Sacramenta cauſare qualitatem quamdam diſtinctam à gratia habituali, quam appellant ornatum, & dicunt eſſe characterem in Sacramentis quæ cauſant illud; in aliis verò eſſe aliud diſtinctum à charactere, & gratia.

Secunda ſententia præcedenti ſimilis tribui ſolet Paludano in 4. diſtinct. 2. quæſt. 3. vbi aſſeruit, Sacramenta præter gratiam, & characterem, cauſare alium habitum, ſiue qualitatem permanentem exiſtentem in ſubiecto.

Tertia ſententia eſt D. Bonauent. in 4. diſtinct. 1. art. 1. quæſt. 6. vbi aſſeruit, gratiam ſacramentalem nullo modo differre à gratia gratum faciente, ſed eſſe eamdem, quæ quatenus eſt medicina appellatur ſacramentalis, quia Sacramenta inſtituta ſunt in remedium peccati, & medicinam animæ contra peccata, & id omne quod ex eo relinquitur in ipſa anima, vt ſunt morbi qui curantur per gratiam gratum facientem, & per virtutes cum illa connexas, ſecluſo quolibet alio.

Quarta ſententia tenet, gratiam ſacramentalem aliquid addere ſuper gratiam iuſtificantem, videlicet auxilia gratiæ actualis, quibus homo dirigi-

tur

Digitized by Google

tur in proprium finem vniuſcuiuſque Sacramenti, vt per hæc auxilia, & ſimul per gratiam iuſtificantem, & per virtutes, homines aſſequantur peculiares illos fines, ad quos Sacramenta inſtituta ſunt. Ita D. Thom. quæſt. 62. art. 2. & Caiet. ibidem, & eſt communis nunc in ſcholis.

Pro intelligentia huius ſententiæ quæ vera eſt,

21. Notandum eſt primò duo eſſe genera auxiliorum quibus homo iuuatur à Deo, vt propriam ſalutem conſequatur. *Primum*, ſunt habitus virtutum permanenter exiſtentes in homine, vt charitas, &c. *Secundum*, ſunt auxilia actualia, vt ſanctæ cogitationes, & extrinſeca protectio, & licèt per ſe loquendo ſine noua gratia cum ſolo generali concurſu habeat homo potentiam antecedentem, vt cum prædictis virtutibus eliciat earum actus, & aſſequatur propriam ſalutem; auxilia tamen gratiæ actualis neceſſaria ſunt, vt homines de facto illum finem ſuæ ſalutis aſſequantur, vt latiùs oſtenſum fuit in tractatu de gratia.

22. Secundò nota, quòd prædicta auxilia actualia ſunt in duplici differentia, alia ſunt ſolùm ſufficientia, alia verò efficacia, quorum ratio quoad præſens ſatis nota eſt. Prædicta autem ſententia intelligenda eſt de ſufficientibus. nam quamuis verum ſit, quòd ratione Sacramenti ſæpe dentur auxilia efficacia, id verò non eſt ſemper neceſſarium, nec regulare, quia non omnes, qui dignè, & in gratia matrimonium celebrarunt, perſeuerant in bono eius vſu; neque omnes qui ſacramentum Confirmationis fructuosè receperunt, perſiſtunt in confeſſione fidei; cùm tamen nullus recipiat ſacramentum cum diſpoſitione debita qui non recipiat gratiam ſacramentalem, quæ eſt propria talis ſacramenti; non ergo auxilia, quæ includit gratia ſacramentalis ſupra iuſtificantem, ſunt efficacia, ſed ſufficientia. Hæc ſententia ſic intellecta videtur expreſſa D. Bernardi in ſermone in cœna Domini, vbi tanquam effectum ſacramenti Euchariſtiæ poſuit, quòd non experiamur tam vehementes tentationes iræ, & luxuriæ. Vbi etiam aliis ſacramentis diuerſos effectus aſſignat, per ordinem ad diuerſa auxilia, quæ ipſis ſacramentis conferuntur. Et ratione probatur, quia cùm ſacramenta inſtituta fuerint à Chriſto in remedium, & medicinam noſtrorum morborum, & ad noſtram vtilitatem, ſi eadem prorſus gratia in re ipſa conferretur per omnia ſacramenta, & nihil amplius per vnum, quàm per aliud, aut diuerſum, inutilis, vel ſaltem minus vtilis videretur ſacramentorum multiplicatio: non eſſent enim multiplicata propter multiplices effectus, ſed ſolùm propter multiplicem ſignificationem, aut ſignificandi modum, quod non apparet ſatis congruum.

23. Ab hac doctrina excipienda ſunt duo ſacramenta, in quibus gratia ſacramentalis non importat collationem auxiliorum, ſed ſolam gratiam habitualem cum virtutibus illi annexis. Et ratio eſt, quia per prædictam gratiam, ſeclusis aliis auxiliis actualibus, conſequimur adæquate integrum finem illorum ſacramentorum, quia talis finis præſtatur ab ipſa gratia habituali ſola in genere cauſæ formalis. Hæc ſacramenta ſunt Baptiſmus, & Pœnitentia: finis enim Baptiſmi eſt regenerare hominem, quod perfectè, & totaliter fit per gratiam habitualem, & cæteras virtutes in genere cauſæ formalis. Et licèt conferantur baptizatis aliqua auxilia ad rectè viuendum, hoc tamen non fit ex vi ſacramenti, neque eſt peculiare baptizatis, ſed generale omnibus ex diuina prouidentia, qua omnes homines regit. Similiter finis pœnitentiæ eſt ſuſcitare hominem à morte, quam per peccatum incurrerat, quod etiam fit formaliter per gratiam; hæc verò duo ſacramenta ſufficienter diſtinguuntur inter ſe, penes iſtos diuerſos modos ſignificandi, & cauſandi eamdem gratiam, & eorum etiam multiplicatio neceſſaria fuit, & vtilis; quia Baptiſmus iterari non decebat, ob plures rationes quæ traduntur in tractatu de eodem ſacramento. Reliqua verò ſacramenta, quia ordinant hominem ad aliquid quod non habetur perfectè per gratiam habitualem in genere cauſæ formalis, indigent aliis auxiliis, quibus illud aſſequamur: vt confirmatio corroborat hominem ad proteſtationem fidei: Ordo ad debitè miniſtrandum diuino cultui: Euchariſtia ad feruorem bonarum operationum, & reſiſtentiam tentationum, matrimonium ad bonum, & conuenientem vſum illius, & extrema Vnctio ad fortificandum hominem in agone mortis, & præbendam conſolationem ſpiritualem in tranſitu; quæ omnia non habentur per gratiam habitualem in genere cauſæ formalis, & ideo vt perfectè, & completè habeantur, vltra gratiam, neceſſaria ſunt alia auxilia.

SECTIO III.

An Sacramenta ſint cauſæ phyſicæ gratiæ, vel tantùm morales.

COnuenit inter omnes abſque controuerſia, 24.
ſolùm Deum poſſe infundere gratiam, & remittere peccata, vt cauſam principalem phyſicam, vnde difficultas ſolùm procedit de cauſalitate inſtrumentali. Eſt autem controuerſum apud Scholaſticos, an ſacramenta, & in vniuerſum quælibet alia res naturalis, eleuari poſſint per potentiam Dei abſolutam, vt tanquam inſtrumenta phyſica gratiam producant, & qui cenſent id eſſe impoſſibile, conſequenter tenentur aſſerere, ſacramenta non eſſe cauſas phyſicas gratiæ: illa verò diſputatio metaphyſica eſt, & in aliis Theologiæ partibus commodiùs diſcutitur; nunc diſputationis gratia ſupponenda eſt pars quæ affirmat, talem modum cauſandi eſſe poſſibilem, ne id denegando, locus diſputationi obſtruatur.

Omiſſis ergo aliis iam ab ſcholis reiectis, in hac 25.
re ſunt duæ extremæ ſententiæ.

Prima aſſerit, ſacramenta nouæ legis cauſare gratiam phyſicè. hanc defendunt Thomiſtæ omnes Recentiores cum Caietano in hoc loco, & exiſtimant eſſe irrefragabilem S. Thomæ mentem in quæſt. 62. art. 1. ad 3. & art. 3. ad 2. & art. 4. & eam latè defendit Suarez diſp. 9. ſect. 1. Quæ ſententia probari ſolet primò, quia in ea multo meliùs, & cum maiori proprietate, & rigore, explicantur auctoritates Scripturæ, & diffinitiones Conciliorum: ergo ſi id eſt poſſibile, vt ſupponimus, concedendum eſt, ſacramenta phyſicè cauſare gratiam. Antecedens probatur, quia in Scriptura dicitur, nos lauari, mundari, & regenerari per aquam, & ex aqua, per lauacrum regenerationis: ſed ſi aqua Baptiſmi, realiter, & phyſicè lauat, & mundat producendo gratiam, & munditiem, cum maiori proprietate verificantur verba illa, vt de ſe patet: ergo. Similiter in Conciliis, in Moguntino cap. 11. & in Florentino, & in Trid. ſæpiùs ſuprà citatis, reperiuntur iſtæ propoſitiones abſolutè, & ſimpliciter prolatæ, ſine aliquo addito diminuente. Sacra-

menta

menta, conferunt gratiam, continent gratiam, ſunt inſtrumenta gratiæ, imprimunt characterem, virtute ſacramentorum conficitur corpus, & ſanguis Chriſti, per ſacramenta, tanquam per apta inſtrumenta, Deus gratiam impertitur, ſacramenta ſunt ſancta ſignacula, & efficacia ſigna; ſed hæ omnes propoſitiones magis propriè, & rigoroſæ ſunt, ſi intelligantur de cauſalitate phyſica, quàm de ſolâ cauſalitate morali: ergo. Et certè ſi Patres Conciliorum non exiſtimarent, ſacramenta eſſe cauſas phyſicas gratiæ, non ſemper ita abſolutè loquerentur de cauſalitate ſacramentorum, ſed aliquando adderent aliquid ex quo colligeremus, illum imperfectiorem modum cauſandi moraliter.

26. Secundò adducuntur plura teſtimonia Patrum, in quibus licèt non dicatur expreſsè ſacramenta cauſare phyſicè gratiam, adeò tamen emphatica ſunt, & adeò in ipſis extollitur ſacramentorum virtus, & cauſalitas, vt ſine reali, & phyſica cauſalitate, non videatur poſſe eis ſuauiter, & ad mentem ſuorum auctorum ſatisfieri: quæ teſtimonia late referunt Recentiores, præcipuè Bellarminus 2. de Sacramentis cap. 16. & Suarez loco citato. Sufficiat pro nunc teſtimonium Sylueſtri Papæ apud Nicephorum, qui dum Imperator Conſtantinus Baptiſmum ſuſcipiebat, ſic ei loquutus eſt. *Hac aqua Imperator, diuina virtute, per inuocationem vnius à Trinitatis recepta, ſicut exterius corpus hominis abluit; ita etiam interius animam mundat, & ſplendidiorem radijs ſolaribus efficit.*

27. Tertium argumentum deſumitur ex veritate formæ aliquorum ſacramentorum; in pœnitentia enim dicit Sacerdos: Ego te abſoluo, & Ioann. 2. dicit Chriſtus Sacerdotibus. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; ex quibus infertur, neceſſarium eſſe, vt Sacerdos per ſuam operationem phyſicè, & realiter, producat gratiam remiſſiuam peccatorum, quia ſi moraliter ſolùm cauſarent gratiam, ſolus Deus diceretur abſoluere à peccatis, & non Sacerdotes; ſicut quando Rex confert dignitatem aliquam, reſpiciens ad aliquam actionem, quæ ſe habuerit, vt cauſa moralis, & vt motiuum conferendi dignitatem, nihilominus ſolus Rex dicitur confeſſe dignitatem, & non ille qui actionem poſuit, quæ fuit motiuum, & cauſa moralis.

Ioan. 2.

28. Quartum argumentum deſumitur à paritate rationis, quia Chriſtus efficit miracula tanquam cauſa phyſica: ergo & ſacramenta phyſicè producunt gratiam. Conſequentia probatur, quia Scriptura, & Patres, eodem modo loquuntur de cauſalitate ſacramentorum, & de cauſalitate, qua Chriſtus efficiebat miracula: antecedens verò probatur, quia humanitas Chriſti eſt proprium verumque inſtrumentum coniunctum diuinitatis phyſicè producens gratiam; ergo & ſacramenta: quia ſacramenta non reputantur, niſi tanquam verba, & actiones ipſius Chriſti, in cuius nomine fiunt, & ideo eumdem modum cauſandi gratiam debent habere, quem habet ipſe Chriſtus, & ſpecialiter verba Euchariſtiæ ita proferuntur, vt in omnibus debeant parificari, verbis illis quibus Chriſtus in vltima cœna conſecrauit; iſtis autem non videtur negari poſſe phyſicam cauſalitatem.

29. Quintò arguitur, quia ſuppoſita poſſibilitate huius phyſicæ cauſalitatis, nihil eſt quod prohibeat, vt illam tribuamus ſacramentis, & ex alia parte id cedit in maiorem dignitatem, ſanctitatem, & excellentiam noſtrorum ſacramentorum, & in maiorem oſtenſionem diuinæ omnipotentiæ.

Denique, quia ſic noſtra ſacramenta meliùs diſtinguuntur, in virtute, & cauſalitate, à ſacramentis veteris legis: quia cauſalitas moralis ſacramentorum in ſignificatione conſiſtit, & non videtur poſſe denegari ſacramentis veteris legis, præſertim circumciſioni. Et confirmatur, quia ſola cauſalitas moralis non diſtinguitur à modo cauſandi, quàm Dæmon mediis magicis artibus ſolet opem ſuam adhibere, quia etiam cauſat ad præſentiam alicuius ſigni ſenſibilis, quod ipſe conſtituit, vt apponeretur in memoriam pacti cum ipſo initi. Debemus autem perfectiorem modum cauſandi tribuere ſacramentis, ſi id eſt poſſibile. 30.

Secunda ſententia negat ſacramentis phyſicam cauſalitatem, & ſolùm concedit fuiſſe inſtrumenta moralia. Citantur pro hac ſententia, D. Bonauent. in 4. diſt. 1. art. 1. quæſt. 4. Scotus quæſt. 5. & ex Recentioribus eam defendit Vazquez diſput. 132. cap. 3. 4. & 5. & probatur primò, quia vel eſt omninò certum, vel ſaltem non negatur ab aliquo Auctore, ex his qui ponunt phyſicam cauſalitatem, quòd ſacramentum Baptiſmi recedente fictione, cauſat remiſſionem illorum peccatorum, quæ ante baptiſmum patrata ſunt; quæ remiſſio ſimul cum remiſſione pœnæ temporalis ipſis debita, reſpondet Baptiſmo iam tranſacto, & præterito, tanquam proprius effectus, & tanquam gratiæ ſacramentalis propria illius ſacramenti: ſed impoſſibile eſt in eo caſu, vt ſacramentum Baptiſmi phyſicè cauſet: ergo authoritas ſacræ Scripturæ, & Patrum quibus aſſeritur, baptiſmum cauſare gratiam, non poſtulant ex vi verborum, quòd baptiſmus phyſicè cauſet, ſed ſufficienter intelligi poſſunt de morali cauſalitate. Maior propoſitio, etſi non ſit de fide, vt aliqui volunt, eſt tamen veriſſima, & à nullo Auctore oppoſitæ ſententiæ negatur. Minor probatur, quia lumine ipſo naturali dignoſcimus, nullam rem poſſe phyſicè, & realiter operari, niſi quando realiter exiſtit; refugit enim intellectum apprehendere, quòd antequam aliquid accipiat reale eſſe à Deo, tribuat ipſum aliis rebus. 31.

Vlteriùs ergo procedendo, probatur conſequentia propoſiti argumenti, quia quòd Baptiſmus cauſet gratiam recedente fictione, eſt verum; ergo & traditur in illis locis in quibus dicitur Baptiſmum cauſare gratiam, aliàs talis aſſertio falſa eſſet, & ſine fundamento: Baptiſmus enim nullam cauſalitatem habet, niſi quam recipit à Chriſto, ex vi ſuæ inſtitutionis: vnde ſi talem cauſalitatem habet, non poteſt nobis conſtare, niſi in locis in quibus aſſeritur virtus cauſandi Baptiſmi: loca igitur Scripturæ, & Conciliorum, in quibus dicitur baptiſmum cauſare gratiam, comprehendunt caſum, in quo cauſant recedente fictione; ſed tunc non cauſant phyſicè, ſed ſolùm moraliter: ergo præcisè, & ex vi illorum teſtimoniorum, non poteſt colligi cauſalitas phyſica: aliàs verificari non poſſent teſtimonia in eo caſu. Quæ argumentandi forma etiam procedit in cæteris ſacramentis, quæ cauſant recedente fictione, & in omnibus concedendum eſt à paritate rationis. 32.

Reſpondent Doctores contrariæ ſententiæ, regulariter, & generaliter loquendo, ſacramenta cauſare gratiam phyſicè, idque deduci ex teſtimoniis ſacræ Scripturæ, & Patrum, quo tamen non obſtante, in aliquo caſu non cauſant phyſicè, ſed ſolùm moraliter; quia teſtimonia, quæ generaliter loquuntur, benè patiuntur exceptiones in aliquibus caſibus accidentalibus: ſicut, per ſe loquendo, quamuis omnia ſacramenta cauſent gratiam ex 33.

opere

opere operato in ſuſcipientibus, per accidens & ex defectu diſpoſitionis, poſſunt omnino nihil cauſare.

34. Sed hæc reſponſio nullo modo eneruat vim propoſiti argumenti. Nam non inficiamur, quòd ſtante veritate regulæ generalis diſponentis id quod, per ſe loquendo, euenit, detur aliquis caſus per accidens non contentus in ipſa regula generali: verùm quòd detur verè contentus in ipſa regula generali, & quòd ſimul ſit exceptus ab illa, impoſſibile eſt; cùm ergo Baptiſmus nihil cauſet recedente fictione, vel ſi cauſat, deducendum eſt ex ſacra Scriptura, & Patribus, qui tribuunt Baptiſmo virtutem cauſandi, non poteſt dici, quòd caſus in quo cauſat recedente fictione, non contineatur in illa regula.

35. Secundò ſolet hæc ſententia probari, quia aliquis effectus ſacramentorum, vt eſt remiſſio totius pœnæ temporalis in Baptiſmo, & auxilia actualia, quæ ſupra gratiam habitualem diximus ſuprà pertinere ad gratiam ſacramentalem; hi, inquam, effectus non poſſunt prouenire à ſacramento, cùm conferantur poſt illum tranſactum; & à Patribus aſſeritur, huiuſmodi effectum cauſari à ſacramentis; ergo non obſtante huiuſmodi locutione, poterimus idem aſſerere de gratia habituali.

36. Tertiò probatur, quia gratia habitualis neceſſariò incipit in inſtanti, & per primum ſui eſſe; ſed nullum inſtans eſſe poteſt, in quo gratia producatur à ſacramento: ergo non producitur phyſicè. Maior non indiget probatione; eſt enim gratia ens ſpirituale, & ſupernaturale, & quod non poteſt incipere per motum, vt de ſimilibus entibus monſtratur in Phyſica. Minor probatur, quia ſacramentum eſt ens ſucceſſiuum, ac per conſequens non deſinit in inſtanti; ante illud verò inſtans in quo non eſt ſacramentum, nullum eſt inſtans in quo verum ſit dicere, totum ſacramentum collatum eſſe ſuſcipienti, aut ſacramentum eſſe integrum: ergo dicendum eſt, vel ſacramentum cauſare phyſicè in inſtanti in quo iam non eſt, vel cauſare antequam integrè perficiatur, & antequam integrum ſuſcipiatur: quorum vtrumque videtur falſum.

37. Omiſſis pluribus huius argumenti ſolutionibus, vna ſola eſt, quæ apud Recentiores inualuit, ſcilicet cauſare gratiam in primo non eſſe ſui; in primo tamen inſtanti eſſe aliquam entitatem intrinſecè pertinentem ad conſtitutionem, & compoſitionem ſacramenti; quoddam ſcilicet indiuiſibile terminatiuum illius motus ſucceſſiui prolationis verborum, vel ablutionis, &c. & licèt hæc indiuiſibilia, quibus motus terminatur, non ſint motus; ſunt tamen aliquid reale pertinens ad illius compoſitionem. Dicunt ergo, ſacramenta cauſare gratiam phyſicè per illud indiuiſibile terminatiuum motus prolationis, quod quidem aliquid reale eſt, pertinens intrinſecè ad ſacramenti compoſitionem, licèt quia prædictum indiuiſibile, neque eſt motus, neque ſacramentum, abſolutè pronuntiamus in illo inſtanti, iam non eſſe ſacramentum: quod non obſtat, quominus ſit aliquid ſacramenti cauſans gratiam phyſicè, & quòd totum ſacramentum dicatur cauſare: ſicut quando rotundum tangit planum in puncto, abſolutè proferimus illud tangere.

38. Hæc reſponſio facilè ſuſtineretur in Phyſica; nec non & admitteretur in Theologia, ſi aliunde conſtaret ſacramenta hoc modo cauſare; verùm cùm ex vna parte ſit dogma fidei ab Eccleſia traditum, ſacramenta cauſare gratiam, & ex alia parte non conſtet, nullumque extet veſtigium illarum argutiarum; certè non videtur expedire illud dogma fidei, & teſtimonia in quibus traditur, ita explicare, vt neceſſariò, & ineuitabiliter cogamur ad illas ſubtilitates deuenire, nec deueniendum eſſet niſi omnino coacti; magis enim iſtud pertinet ad noſtras imaginationes, quàm ad ſacramentorum dignitatem.

39. Quartò ſolet probari hæc ſententia, quia remiſſio totius pœnæ temporalis, eſt verus, & proprius effectus Baptiſmi, & tamen non poteſt cauſari phyſicè ab illo: ergo idem dici poteſt de altero effectu, qui eſt gratia. Conſequentia probatur, quia, vt fatentur contrarij, Baptiſmus verè cauſat ex opere operato remiſſionem totius pœnæ temporalis; ſed nihil amplius confiteri tenemur de alio effectu, qui eſt gratia: ergo. Confirmatur, quia matrimonium celebratum per procuratorem, eſt verum ſacramentum conferens gratiam; ſed in eo caſu non confert gratiam phyſicè: ergo nunquam eam confert. Minor probatur, quia ſacramentum in eo caſu eſt diſtans ſecundùm locum à ſubiecto in quo gratia recipienda eſt; conſequentia verò eſt manifeſta, quia auctoritates, & rationes, quæ conuincere poſſunt ſacramentum matrimonij cauſare gratiam, non alio modo de matrimonio inter præſentes, quàm inter abſentes, procedunt: ergo eſt vtriuſque eadem omnino ratio. Et rurſus eadem ratio de matrimonio, ac de cæteris, quod colligitur à paritate rationis.

40. Quamuis exiſtimem vtramque ſententiam eſſe probabilem: verior tamen mihi ſemper viſa eſt ſecunda, pro qua ſit

Prima concluſio. Aliqua ſacramenta aliquando cauſant ſolùm moraliter; hanc concluſionem ſtatuo propter ſacramenta, quæ cauſant recedente fictione.

41. Secunda concluſio. Etiamſi concederemus ſacramenta cauſare gratiam phyſicè, nihilominus concedendum eſt, ſemper illam cauſare moraliter. Probatur, quia ſignificatio, & inſtitutio, quam ſacramenta habent à Chriſto Domino, ſufficiunt ad mouendam voluntatem Dei, vt intuitu ſacramentorum producat gratiam, quando non exiſtunt realiter: ergo eadem ſignificatio, & inſtitutio, ſufficient ad mouendam voluntatem Dei, vt intuitu ſacramentorum producat gratiam, quando ſacramenta realiter exiſtunt: hoc autem eſt moraliter cauſare; ſignificatio enim, & inſtitutio entia moralia ſunt, ac per conſequens debent habere cauſalitatem moralem. Conſequentia argumenti probatur, quia ſignificatio, & inſtitutio non habent minorem virtutem ad mouendam voluntatem Dei quando exiſtunt; & patet in caſu de quo loquimur, de cauſalitate ſcilicet, recedente fictione, quia voluntas diuina non mouetur ad cauſandam gratiam ex negatione exiſtentiæ ſacramentorum, ſed ex inſtitutione, & ſignificatione eorumdem, quæ eadem omnino eſt, ſiue ſacramentum exiſtat, ſiue non, & ſolùm diſtinguitur tamquam præſens, à præterito.

41. Confirmatur primò, quia ſacramenta habent virtutem ad cauſandum moraliter: ergo ſemper quod cauſant, cauſant etiam moraliter. Antecedens conſtat ex prima concluſione. Conſequentia verò probatur, quia omnis virtus cauſandi non impedita, cauſat ſemper ſuum effectum; at nunquam ſacramenta cauſant phyſicè, ſi adſit impedimentum ad cauſandum moraliter; ergo nunquam ſacramenta

menta causant physicè, quin causent moraliter, præcipuè, cùm isti duo modi causandi, nullam habeant inter se oppositionem, quia sunt diuersi generis.

43. Confirmatur secundò, quia si sacramenta sunt instrumenta physica gratiæ, significatio, & institutio, quam à Christo habent, mouent Deum, vt sacramenta potius, quàm res alias assumat, vt instrumenta ad causandam gratiam, &, vt vno verbo dicam, id quod formale est in sacramento, causa est quare id quod est materiale, assumatur à Deo, vt instrumentum physicum; ergo in sacramento causalitas aliqua moralis præcedit physicam causalitatem gratiæ.

44. Ex dictis insinuata manet ratio à priori pro hac conclusione, quæ sic se habet: Sacramentum qua tale est, ita est ens morale secundùm suam totam essentiam, & formalitatem, vt in eius essentia nihil physicum includatur; ergo tota causalitas, & efficientia, quæ competere potest ipsi sacramento, ratione illius, quod essentialiter, & formaliter est sacramentum, est tantùm moralis. Probatur consequentia, quia ens quod tantùm morale est, non potest efficere nisi moraliter; quia entitas, & causalitas debent inter se proportionari: ergo non potest negari aliqua moralis causalitas sacramentorum ad defendendum dogma fidei, de ipsorum causalitate; ita vt ad hoc non sufficiat sola physica: quia stando in omni rigore locutionis, quod præcipuum formale, & essentiale est in sacramento, est purum ens morale, & hoc est quod præcipuè significatur per hoc nomen sacramentum, à quo quidem denominatur accidentaliter, tanquam à forma accidentali, totum illud quod physicum est in sacramento: ergo ex vi omnium testimoniorum, quæ absolutè, & simpliciter asserunt sacramenta causare gratiam, nulla facta mentione de materiali, & formali, tribuenda est aliqua causalitas gratiæ ei, quod essentialiter est sacramentum.

45. Tertia conclusio. Probabilius censeo, in sacramentis non inueniri physicam gratiæ causalitatem, sed moralem: hoc mihi persuadet ex vna parte ratio à priori modo adducta; ex alia verò parte, quia illa quæ pro opposita sententia adducuntur, facilia sunt.

Sed aduertendum est primò quòd S. Thom. 1. p. quæst. 7. disputans ex professo docuit, nullam rem posse physicè operari in distans, etiam per potentiam Dei absolutam.

Secundò aduertendum est, quòd ita S. Thom. posuit sacramenta esse instrumenta gratiæ, vt eamdem causalitatem potiori iure tribuerit humanitati Christi; docuit enim humanitatem esse instrumentum coniunctum diuinitatis; sacramenta verò esse instrumenta separata, & instrumentum etiam ipsius humanitatis. legatur in 3. p. quæst. 62. art. 4. & 1. 2. quæst. 112. art. 1. Itaque ponere sacramenta esse instrumenta physica gratiæ, & humanitatem solùm esse instrumentum morale, est voluntarium, nullum habens fundamentum in doctrina S. Thomæ, & probatur efficacissimè, quia si in doctrina S. Doctoris, humanitas fuit instrumentum morale, ex eo quòd non possit physicè in distans, neque causare gratiam, hoc ipsum asserendum est de sacramentis, qua causalitas moralis in eo consistit, vt sint sacramenta veluti chirographum Christi, quo nos virtute ipsius repetimus à Deo, id quod Christus nobis sua passione promeruit, quod Deus statim ipsius intuitu nobis confert. Vel alio modo, sacramenta sunt instrumenta moralia gratiæ, ad modum quo vestis, & aliæ Sanctorum reliquiæ, solent esse instrumenta miraculorum; sicut enim hæ adquirunt quamdam vnitatem cum supposito in ordine ad ipsum, ratione cuius miraculum factum propriè tribuitur supposito; sic sacramenta ratione coniunctionis, repræsentationis, institutionis, & habitudinis, quam habent ad Christum, dicuntur causare gratiam.

Vt autem respondeamus argumentis oppositæ sententiæ, est etiam aduertendum, quòd Aristotel. 2. Physicorum, & 5. Metaphysicæ numerauit inter causas efficientes, moralem, quam dixit consistere in eo quòd inducat ad agendum voluntatem agentis rationalis, & hanc causam moralem absolutè Aristot. appellauit causam, & sine vllo addito. Præterea etiam est notandum, quòd, communi hominum more loquendo, absolutè, & simpliciter, & sine addito, pronuntiamus eadem de causa morali, ac de physica: dicimus enim, Iudex occidit Petrum: S. Martinus suscitauit tres mortuos, & alia. 46.

Ex quo patet solutio ad omnes authoritates adductas. nam nulla est, quæ non exactè explicetur de causalitate morali. Nec valet quòd hæc causalitas multoties comparetur cum causalitate physica; hoc enim pluribus exemplis conuinci potest. nam dicimus, ita Rex occidit Petrum, aspiciendo illum irato vultu, ac si gladium immisisset in cor eius: aliàs etiam esset causa principalis, quia etiam comparatur cum illa. 47.

Ad argumenta ex ratione petita respondetur. 48.

Ad primum quod erat quartum in ordine, concesso antecedenti disputationis gratia, negatur consequentia; Christus enim est ens physicum, & existens in debita distantia quando miraculum faciebat; sacramenta verò non sunt entia physica, & sæpiùs non habent conditiones, quas diximus Christum habuisse ad causandam gratiam. Ad confirmationem negatur consequentia, quæ quidem potius retorquenda est in aduersarios.

Ad quintum respondetur, solam non repugnantiam, non esse sufficientem rationem vt asseramus, de facto ita contigisse, sed vltra illam debemus habere aliquod fundamentum, vel ex authoritate, vel ex ratione desumptum, quod ostendimus non esse. 49.

Vltimum argumentum inaduertenter positum est à suis Authoribus, neque enim ipsi audebunt concedere, quòd sacramenta recedente fictione, non alio modo causent gratiam, quàm maleficia, aut quàm sacramenta vetera, & tamen sacramenta nostra, vt ipsi fatentur, recedente fictione solùm causant moraliter; est ergo argumentum illud ab ipsis soluendum, & est disparitas, quia sacramenta habent virtutem ad causandum ex Christi institutione ex habitudine illorum ad ipsum, & repræsentatione, modo suprà explicato, quod non habent illa, quæ in argumento adducuntur. 50.

***

DISPVTA

DISPVTATIO IV.

De alio effectu Sacramentorum, qui est Character.

SECTIO I.

Quid sit Character.

1. NOMEN *character* est Græcum, & Latinè significat, notam, vel signum alicui rei impressum, & affixum, per quod ab aliis distinguitur. Quare signum illud militiæ vestibus affixum, & crux rubra Hispanis, & Gallis alba, quo signo, & nota dignoscebantur vtriusque exercitus milites, & distinguebantur, dicebatur character. Et signum etiam candenti ferro impressum falsariis, & proditoribus, & etiam, quod apud nos imprimitur mancipiis, dicitur character. Ad hunc modum signum, & sigillum quoddam spirituale animabus nostris à Deo impressum, quo ab aliis, qui hac nota spirituali carent, distinguimur, & quo etiam veluti milites Dei, & Christi, consignamur, & deputamur ad spiritualem militiam, & Dei cultum, & ad statum Religionis Christianæ; hæc, inquam, nota, & hoc sigillum, dicitur character.

2. Prima conclusio. Character est signum, siue sigillum animabus nostris impressum. Hæc conclusio est de fide diffinita in Concilio Florentino in decreto vnionis, & in Tridentino sessione 7. Et quamuis hoc diffinierit Ecclesia Apostolica traditione edocta, & continua successione doctrinæ ab Apostolis receptæ, & manifestè colligatur ex sanctorum Patrum testimoniis, quos late refert Suarez disput. 11. sect. 1. Negandum tamen non est, esse sacræ Scripturæ testimonia, quæ rem hanc indicent, quidquid in contrarium reclament hæretici nostri temporis: quia licèt illis concedamus, non esse in Scriptura aperta testimonia, quæ rem hanc patenter ostendant: aliqua tamen sunt, quæ si accipiantur sine pertinacia, ea indicant, imò non obscurè significant. Vt ad Ephes. 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis, in diem redemptionis.* Quem locum intelligit Hieronymus de charactere baptismali, & ad Ephes. 1. *in quo credentes signati estis*, & 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus in cordibus nostris.* legatur Vazquez disp. 134. cap. 1. vbi validissimè de hac re disputat contra hæreticos modernos.

Ephes. 4.

Ephes. 1. 2. Cor. 1.

3. Et ex his reiicitur sententia Durandi in 4. distinct. 4. quæst. 2. affirmantis, characterem esse relationem quamdam rationis, siue extrinsecam denominationem; sicut in pecunia nulla est absoluta qualitas, aut relatio realis, per quam constituatur in ratione pretij, sed solùm est relatio rationis ex institutione Regis: sic dicit characterem esse relationem rationis, per quam homo ex institutione diuina ad sacras actiones dicitur deputatus. Hoc tamen falsum est, & nulla ratione dicendum, quia omnia Concilia proclamant, & vnanimiter affirmant, characterem imprimi animabus nostris, & esse sigillum spirituale illis impressum, quod non potest conuenire relationi rationis, neque denominationi extrinsecæ. Præterea, quia impressio characteris est actio realis; ergo character est res aliqua verè, & realiter existens, cùm sit effectus præfatæ actionis. Quare licèt optimè possent homines ad diuinum cultum consignari, & deputari, sine impressione alicuius entis realis, sicut de facto Gubernatores deputantur à Rege, per solam Principis institutionem, & ipsi manent deputati sola relatione rationis, vel denominatione extrinseca; licèt enim hoc ita posset fieri ex Dei ordinatione: sicut consecratione Sacerdotis veteris legis, manebat ipse deputatus ad cultum Dei, sine impressione alicuius entitatis spiritualis realis, & sicut apud nos manet calix, v. g. consecratus, & deputatus ad Dei cultum. Cæterùm non ita à Deo factum est: sed sicut olim voluit, vt homines Populi Israëlitici designarentur, & deputarentur ex cicatrice illa facta in circunci sione, quæ à Paulo dicebatur signum; ita voluit intuitu meritorum Christi, quòd homines sui populi consignarentur intrinsecè, forma aliqua spirituali reali animabus illorum impressa, qua etiam deputarentur ad aliquot actus diuini cultus; quæ forma, & entitas, ex diuina institutione significat eum cui est impressa, esse aptum ad efficiendum, vel recipiendum huiusmodi actus, scilicet ad recipienda, vel administranda sacramenta.

4. Secundò reiicitur etiam sententia Scoti in 4. distinct. 6. quæst. 10. vbi affirmat, characterem non esse qualitatem realem absolutam, sed relatiuam. Quod etiam est falsum, quia cùm character re ipsa per se à Deo producatur per ipsum sacramentum, per se est terminus motus, vel mutationis: ad relationem autem secundùm Aristot. 5. Physicorum cap. 3. non potest per se terminari motus. Et quamuis concederemus ad relationem esse per se motum, tamen nulla ratione posset produci ipsa relatio, propria actione ad ipsam relationem per se terminatam, nisi in ipsa re absoluta, aut in alia, aliquid absolutum priùs produceretur: vt constat in similitudine inter duo alba, quæ nouiter produci nequit, non producta de nouo albedine, in vno, aut alio extremo; ac proinde si character esset relatio prædicamentalis, non posset produci in anima, nisi priùs produceretur in illa alia forma absoluta, ad quam character consequeretur; & ita non potest, dici characterem esse relationem intrinsecam prædicamentalem.

4.

5. Nec obstat ratio Scoti, quòd character ex sua ratione intrinseca est signum; ergo per se est in prædicamento ad aliquid, quia signum relatio est. Hoc, inquam, non obstat. nam qui affirmant characterem esse qualitatem absolutam, non negant posse illi conuenire connotare relationem, non quidem intrinsecè, & realiter, vt putat Scotus, sed rationis; quatenus character vt qualitas est, & aptus suapte natura ducere in cognitionem alicuius designati ad aliquod munus, quod quidem præstare potest absque relatione reali intrinseca: sicut hedera suspensa est signum vini venalis, & tamen nullus dicit esse relationem, licèt pro vt signum est eam connoteet.

5.

6. Sed maior difficultas est in explicando, an character sit qualitas de prima specie qualitatis; an verò de secunda.

6.

Et prima sententia est quam defendunt communiter Thomistæ affirmantes, characterem esse in secunda specie qualitatis. Pro quo notant, ea ratione sacramenta imprimere characterem, quatenus per illum homines deputantur ad diuinum cultum secundùm ritum religionis Chri-

ſtianæ, & hic cultus conſiſtit, vel in recipiendo ſacramenta, vel in conficiendo illa, vt aliis tribuantur, & ad vtrumque requiritur potentia quædam. nam ad recipienda ſacramenta omnia requiritur potentia paſſiua, & ad conficienda, & tradenda aliis, requiritur potentia actiua. Vnde character vtramque potentiam includit. nam character baptiſmalis eſt potentia quædam paſſiua, reddit enim hominem aptum, & capacem, & potentem ad recipienda omnia ſacramenta, ita vt abſque illo, nullum validè poſſit recipi. Character verò confirmationis, & ordinis ſunt quædam potentiæ actiuæ ad conficienda, & miniſtranda ſacramenta Eccleſiæ aliis, & ad reſiſtendum inimicis Eccleſiæ, & tentationibus ex officio, ſine quibus characteribus nihil fieri poteſt in materia ſacramentali.

7. Secundò eſt notandum, quòd quamuis de potentia Dei abſoluta intellectus poſſit eleuari ad videndum Deum intuitiuè ſine qualitate luminis gloriæ ſuperaddita; tamen de potentia Dei ordinaria confert Deus intellectui Beati qualitatem quamdam, quæ dicitur lumen gloriæ, qua mediante intellectus Beati diſponitur, & eleuatur ad recipiendum intra ſe diuinam eſſentiam, & per quam ſit potens ad eliciendum actum viſionis, & ex vi vnionis cum lumine, & non aliàs vtitur Deus potentia actiua obedientiali intellectus vt viſionem eliciat, ſed ad hunc modum dicunt, quòd homo neque poteſt accipere, neque conficere aliquod ſacramentum per aliquid naturale quod in ipſo ſit, niſi Deus ex ſuo beneplacito inſtituiſſet, vt in intellectu ſit qualitas quædam dirigens voluntatem, & reliquas potentias ad recipiendum, vel conficiendum Sacramentum.

8. Hæc ſententia ſic expoſita, probatur primò, quia illa ſola dicitur potentia, qua ſublata actus redditur nullus, & qua poſita actus eſt efficax: ſed ablato charactere vanè recipiuntur, & traduntur ſacramenta. nam ſine qualitate characteris baptiſmalis nullum ſacramentum recipitur, & ſine charactere Ordinis vanè fiunt omnia quæ ſunt Ordinis propria: ergo character eſt potentia phyſica, ac proinde conſtituendus in ſecunda ſpecie qualitatis. Secundò, quia Sacerdos mediante charactere actiuè, & phyſicè abſoluit, & Euchariſtiam conſecrat; ergo eſt potentia actiua phyſica. Antecedens conſtat, quia Sacerdoti conſecranti, & proferenti verba abſolutionis, & conſecrationis panis & vini, ad nutum obediunt illi, & tranſmutantur in corpus & ſanguinem Chriſti, & verba illa formæ ſacramentalis in habente characterem, efficacia ſunt, & verè & realiter efficiunt, & cauſant per potentiam obedientialem actiuam remiſſionem peccati, & conuerſionem panis & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti: quam efficaciam non habeut verba illa ſi proferantur à non habente characterem: ergo character Ordinis eſt qualitas & potentia de ſecunda ſpecie, qua mediante voluit Deus peculiariter inſignire Miniſtros ſui cultus, vt ſic eſſent potentes ad efficiendos quoſdam ſpeciales actus.

9. Contraria ſententia verior eſt, & tenenda, quam defendit S. Bonauent. in 4. diſtinct. 6. art. 1. quæſt. 1. Suarez diſput. 11. ſect. 3. Vazquez diſp. 134. cap. 3.

10. Sit ergo ſecunda concluſio. Character non eſt potentia actiua, vel paſſiua, ſed eſt qualitas quædam ſupernaturalis de prima ſpecie qualitatis, & ſic non infunditur vt ſit principium operandi, vel alicuius operationis, ſed ordinatur ad eſſe: ſicut gratia habitualis, ſanitas, & pulchritudo non ſunt operatiua, neque principium operandi, ſed ordinantur ad eſſe: ſic character bene diſponit animam in ordine ad ſe, non tamen eſt qualitas operatiua. Probatur, quia character Baptiſmi, v.g. non eſt potentia ad agendum aliquid, ſed potiùs eſt potentia ad recipienda cætera ſacramenta: ſed Ariſtot. non conſtituit in ſecunda ſpecie qualitatis potentiam paſſiuam ad recipiendum, quia potentia ad recipiendum non eſt prædicatum ſpeciale, ſed tranſcendens varia genera, cum quibus identificatur. nam in materia prima eſt potentia paſſiua ad recipiendum formam, & in corpore ad recipiendum accidentia corporea, & in intellectu ad recipiendos habitus ſcientiarum, & in ſenſibus ad recipiendas ſpecies intentionales, & prædictæ potentiæ receptiuæ non diſtinguuntur à rebus ipſis quarum ſunt potentiæ, ſed cum ipſis reponuntur in variis prædicamentis, iuxta varietatem rerum quarum ſunt potentiæ: ergo quod ſub illa ſpecie conſtituitur ab Ariſtot. tantum eſt naturalis potentia ad aliquid agendum, vel reſiſtendum, & nullo modo potentia receptiua & paſſiua, qualis eſt character baptiſmalis.

11. Præterea, quia potentia phyſica paſſiua recipit actum ad quem ordinatur in ſe ipſa, ita vt per illum verè actuetur, & perficiatur; ſed character Baptiſmi non eſt huiuſmodi: ergo non eſt potentia phyſica paſſiua. Minor probatur, quia character baptiſmalis, vel eſt potentia receptiua, quia recipit ſacramenta, vel quia recipit gratiam, vel characterem, non quia recipit ſacramenta: quia character eſt in anima; ſacramenta verò recipiuntur in corpore, & quando baptizatus recipit ſacramentum matrimonij, non recipit aliquam entitatem, quam non recipit non baptizatus. Quòd verò non ſit potentia receptiua gratiæ conſtat, quia licèt gratia ſubiecterur in eſſentia animæ, ſicut & character, non tamen recipitur medio charactere. Denique character Baptiſmi non eſt potentia receptiua reſpectu aliorum characterum, quia omnis qualitas quæ eſt receptiua alterius, conſtituitur in actu primo, vel ſecundo, vt actu operetur; ſed character baptiſmalis non conſtituitur hoc modo per alios characteres: ergo non eſt potentia receptiua illorum.

12. Quòd denique character non ſit principium phyſicum aliquid agendi, probatur in confirmatione, v. g. quia ſi hic character eſſet principium alicuius actionis, maximè reſpectu confeſſionis fidei coram Tyranno; hic autem actus confeſſionis fidei, non indiget alio principio phyſico, præter auxilium Dei, & habitum fidei, & fortitudinis, quia contingere poteſt, vt non confirmatus maiori conſtantia confiteatur fidem, quàm confirmatus, ſi maiori Dei auxilio corroboretur: ergo character Confirmationis non eſt principium phyſicum alicuius ſpecialis actionis. Idem argumentum ſit de charactere Ordinis, quia hic character, vel eſt principium actiuum materialis actionis ipſius ſacramenti, vel valoris, & pretij, vel fructus eius: non primum, quia actio materialis ſacramenti ſufficienter fit, & procedit ab imaginatione, & potentia externa, vngente, vel abluente, vel pronuntiante formam;

Digitized by Google

formam; neque ſecundum, quia valor, & fructus ſacramenti, non habet principium phyſicum in Miniſtro, ſed tota efficacia à Deo eleuante ipſa ſacramenta ad producendam gratiam: ergo.

13. Ad primum in contrarium reſpondetur, falſum eſſe aſſumptum, quia illud etiam conuenit potentiæ morali. Pro quo nota, quòd character poteſt dupliciter conſiderari, & in eſſe phyſico, & in eſſe morali. Primo modo tantum habet, bene diſponere animam in ordine ad ſe: ſecundo verò modo diſponit ad rectè ſuſcipienda, vel conficienda, & miniſtranda ſacramenta. Quapropter licèt character in eſſe phyſico, non ſit potentia receptiua, vel actiua: vtrumque tamen habet in eſſe morali, quatenus reddit nos idoneos, vt aliqua ſacramenta ſuſcipiamus, vel conferamus: quia ſine charactere Baptiſmi, nullum ſacramentum validè recipitur, & ſine charactere ſacerdotali, nullus validè adminiſtrat ſacramentum Pœnitentiæ, aut extremæ Vnctionis, & ideo poteſt dici, quòd character licèt in eſſe phyſico ſit in prima ſpecie qualitatis, in eſſe morali pertinet ad ſecundam, ſicque intelligendus eſt D. Thomas, dum in ea ſpecie characterem exponit.

14. Ad ſecundum argumentum patet ſolutio ex dictis diſputatione præcedenti, vbi oſtendimus, neque ſacramenta, neque Miniſtros ſacramentorum, eſſe cauſas phyſicas gratiæ, ſed tantùm morales.

Sectio II.

An character inſit animæ indelebiliter, & quæ Sacramenta imprimant characterem.

15. COnclusio eſt affirmatiua, & certa de fide, diffinita in Concilio Florentino, & Tridentino ſeſſ. 6. Can. 9. Tota difficultas eſt in aſſignanda ratione huius indelebilitatis, & ſi fiat ſermo de ratione à poſterioti, omnes Doctores conueniunt, quia videmus aliqua ſacramenta ſemel ritè collata, nullo vnquam tempore poſtea repeti, aut iterari, ex quo ſequitur hæc ſacramenta imprimere aliquid indelebile, ratione cuius potius, quàm alia, poſtquam re ipſa tranſierint, affirmant Concilia & SS. Patres permanere; ac proinde tota difficultas eſt in aſſignanda ratione à priori.

16. Nonnulli, vt refert Alenſis 4. p. quæſt. 8. num. 8. affirmant, characterem eſſe indelebilem ratione cauſæ efficientis à qua cauſatur, quia ſcilicet cauſatur à Deo qui eſt æternus; hæc tamen ratio deficit, quia gratia iuſtificans, etiam cauſatur à Deo per ſacramenta, & tamen delebilis eſt. Alij verò, vt refert Bonauent. in 4. diſtinct. 6. art. 1. quæſt. 5. dicunt, ideo characterem eſſe indelebilem, quia eſt in eſſentia animæ, & quia ipſa eſt perpetua, & incorruptibilis, ideo etiam character. Sed hæc ratio non conuincit, quia gratia gratum faciens eſt in eſſentia animæ, & tamen non eſt indelebilis. Alij recurrunt ad matrimonium indiſſolubile, aſſerentes, quòd ſicut ex matrimonij obligatione contrahitur vinculum indiſſolubile, quandiu viuitur; ita etiam in ſuſceptione ſacramentorum inter Deum, & animam, contrahitur matrimonium quoddam ſpirituale, in cuius ſignum, & perpetuam memoriam, datur animæ character, tanquam annulus, qui ex ſui memoria ſemper ſtrenet animam in vnitatem fidei, & Eccleſiæ. Hunc tamen modum dicendi optimè refutat Bonauent. vbi ſuprà, quia quamuis hoc dici poſſit de Baptiſmo, vbi eſt quædam coniunctio ſpiritualis matrimonij, inter Deum ſponſum, & animam ſponſam; tamen non ita eſt in aliis ſacramentis, in quibus imprimitur character, & tamen nulla eſt ibi coniunctio matrimonij. Imò hoc matrimonium ſpirituale inter Deum, & animam, contrahitur per gratiam ſanctificantem, quæ non ideo dicitur indelebilis.

Duplex ergo ratio aſſignati poteſt ex D. Thom. art. 5. 17.

Prima eſt, quia quidquid corrumpitur, vel corrumpitur ratione corruptionis ſubiecti, vel ex defectu conſeruantis, vel ratione contrarij inſtantis; character autem ex nulla harum partium poteſt corrumpi: non quidem ratione ſubiecti, cùm ſubiectum eius ſit anima, quæ incorruptibilis eſt: nec ex defectu conſeruantis, quia conſeruatur à Deo: nec denique ex impugnatione alicuius contrarij, quia character caret omni prorſus contrario, quod non habent fides, & gratia, huic enim contrariatur quodcumque peccatum mortale; fidei verò opponitur hæreſis: cùm ergo character nullum habeat contrarium, à quo naturaliter corrumpi poſſit, & ſubiectum habeat immortale, & à Deo conſeruetur, erit omnino indelebilis.

Secunda ratio eſt, quia omnis conſecratio, quæ 18.
fit à Deo, eſt perpetua re ipſa conſecrata manente, vt patet in conſecratione calicis, & altaris, & Eccleſiæ, quæ dum manent integra, non poſſunt amittere conſecrationem: ſed ſic eſt, quòd anima ſemel per characterem conſignata, & conſecrata, non poteſt non manere conſecrata: ergo character in illa eſt indelebilis.

Dices, ex hac ratione videtur ſequi characterem eſſe indelebilem, non ſolùm de potentia Dei ordinaria, ſed de potentia abſoluta, quia ſicut à re conſecrata manente integra, per nullam potentiam poteſt tolli conſecratio, ita neque à charactere poteſt tolli indelebilitas. Reſpondeo cum Suario vbi ſuprà, non eſſe eamdem rationem de charactere, & de conſecratione calicis, & Eccleſiæ, quia character eſt qualitas permanens, & ideo per Dei potentiam poteſt ab anima tolli, manente integra, ſubſtantia animæ: at conſecratio calicis, vel Eccleſiæ, eſt quædam relatio rationis conſurgens ex actione præterita, & quia ad præteritum non datur potentia, ideo à calice, vel ab Eccleſia, non poteſt tolli conſecratio. 19.

Vnde infero cum communi ſententia, characterem etiam manere in alia vita in Beatis, ad gloriam, & ornatum; in damnatis verò ad confuſionem, & ignominiam, cuius ſignum, quia ſi aliquis Chriſtianus mortuus ſuſcitetur, non eſt iterum baptizandus, quia manſit in illo character Baptiſmi. 20.

Secunda concluſio. Sacramenta legis naturæ, 21.
& veteris non habuerunt virtutem, & efficaciam ad imprimendum animabus characterem; in lege verò gratiæ tria tantùm ſacramenta, ſcilicet Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo conferunt characterem, illumque imprimunt efficienter, non quidem phyſicè, ſed moraliter. Prior pars probatur, quia effectus ſupernaturalis, qualis eſt character, non eſt pro libito confingendus, ſed vel authoritate Doctorum, vel Patrum, vel firma ratione:

Patres autem, & Doctores, vnico excepto Scoto, constanter id negant; neque est aliqua ratio sufficiens, qua id probari possit: ergo nulla ratione est asserendum. Secunda verò pars probatur manifestè ex Concilio Florentino sæpiùs citato, vbi enumerans septem sacramenta, inquit. *Inter hæc sacramenta, tria sunt Baptismus, Confirmatio, & Ordo, qua characterem, scilicet spirituale quoddam signum à cæteris distinctum, imprimunt in anima indelebilem; vnde in eadem persona non reiterantur. Cætera verò quatuor, characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.* In quibus verbis tribuitur causalitas his sacramentis respectu characteris, sed, vt ostensum est suprà, hæc causalitas non est physica: ergo ad verificanda verba Concilij, asserendum est tria illa sacramenta characterem causare moraliter. Idem ostenditur, quia ista tria sacramenta sunt instituta, & sunt instrumenta agentis liberi, & merentis effectum sacramentalem. nam mediantibus illis, quatenus continent pretium, & valorem Christi, obtinuit à Patre, vt nobis conferret prædictam formam supernaturalem: ergo sunt causa, & instrumenta moralia respectu characteris, sicut etiam respectu gratiæ. Quemadmodum pecunia continens valorem redemptionis captiui, est eius instrumentum morale, quatenus inducit, & obtinet à domino, vt seruum manumittat, & eum in suam libertatem constituat.

Florent.

DISPVTATIO V.

De causa Sacramentorum.

SECTIO I.

An Christus per se ipsum immediatè omnia sacramenta instituerit.

1. CONSTITVTIO sacramentorum ex sententia Scoti in 4. distinct. 19. quæst. 9. in duobus consistit, scilicet in assignanda materia, & forma, quæ sint signa gratiæ iustificantis, & in contungendo cum tali signo, efficacitatem, & virtutem ad causandam gratiam (loquitur Scotus de sacramentis nouæ legis.) Itaque aliquem esse institutorem sacramenti, nihil aliud est quam esse auctorem illius. nam instituere rem aliquam, est ipsam incipere, & discernere, & definire vt ex se constat.

2. Prima conclusio. Christus vt Deus homo, instituit omnia sacramenta nouæ legis, vt Deus authoritate sibi propria, & connaturali potestate, & vt homo potestate quadam præexcellenti. Prior pars est manifesta, quia nullus præter Deum potest ex se, & intrinsecè, & connaturali potentia producere gratiam, neque determinare diuinam voluntatem, vt illam producat medio aliquo signo, vel ad eius præsentiam: ergo nullus præter Deum potest instituere sacramenta potestate intrinseca, & connaturali, quæ sint signa efficacia, & infallibilia gratiæ; quia in nulla creatura potest esse connaturalis potentia respectu gratiæ, neque respectu determinationis voluntatis diuinæ, ita vt in eius voluntate sit pro suo arbitrio, Deum determinare cum efficacia, & infallibilitate. Antecedens etiam est manifestum, quia nulla creatura naturalis ordinis, potest ex se & ex sua naturali vi, facere hominem consortem, & participem diuinæ naturæ, qui est effectus gratiæ. Et ratio à priori est, quia gratia iustificans, cùm sit ordinis supernaturalis, non continetur intra potentiam, & virtutem naturalem. Ex quo sequitur, quòd neque Christus in quantum homo, potuerit hoc modo instituere sacramenta, quia vt sic, non habet vim connaturalem, & potestatem intrinsecam ad producendam gratiam, cuius Deus solùm est auctor, non solùm, vt causa prima, sed neque vt causa secunda operans ex intrinseca, & connaturali potestate. Quod palàm affirmatur in Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. vbi dicitur, *quòd causa efficiens nostræ iustificationis est Deus*: vbi non est sermo de causa prima, quia hoc conuenit Deo respectu omnium rerum, & creaturarum, sed de causa secunda principali, & operante ex propria virtute, & connaturali potestate. Trident.

3. Et declaratur hoc amplius, quia Christus vt homo, non potest ex se producere gratiam: ergo neque potest ex se instituere sacramenta habentia virtutem ad illam producendam. Si enim ex se non habet virtutem ad producendam gratiam, non poterit tribuere signis virtutem ad illam producendam, quia sacramenta causant gratiam ex virtute instituentis: ergo ille solus, qui poterit ex se dare illis virtutem ad significandum, potuit illa ex se instituere; hic autem solus est Deus.

4. Secunda pars, quòd Christus in quantum homo ex commissione diuina, & potestate quadam præexcellenti, instituerit omnia sacramenta nouæ legis, probatur ex Concil. Trident. sess. 6. Canon. 1. vbi definitur contra quosdam hæreticos asserentes, ferè omnia nostra sacramenta esse quædam figmenta, humana industria instituta, & à Christo solum fuisse institutum sacramentum Baptismi, & Eucharistiæ. Contra quos statuit Concil. *Si quis dixerit, sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo instituta, anathema sit.* Et constat hoc manifestè, quia si aliquis præter Christum nostra sacramenta instituit, maximè Apostoli: sed isti non, cùm sacra Scriptura non vocet illos institutores, sed dispensatores sacramentorum, & Ministros Christi, 1. Corinth. 3. & 4. ergo. Idem.

5. Quòd autem Christus vt homo illa instituerit potestate præexcellenti sibi à Deo data, patet ex Concil. Trident. sess. 6. cap. 6. ex illis verbis, *Dominus noster Iesus Christus*, &c. Sed ea non instituit auctoritate primaria, neque potestate sibi connaturali, neque per modum agentis principalis, vt ostensum est: ergo illa instituit potestate præexcellenti sibi à Patre tradita, de qua ipse dixit Matth. 28. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Decebat namque quòd sicut Christus, qua homo, fundauit nostram Ecclesiam, ita etiam vt homo institueret nostra sacramenta, quæ sunt illius sacramenta. Idem. Matth. 28.

6. Inquies, in quo consistat hæc potestas præexcellentiæ, quam ponimus in Christo, vt homo est. Placet mihi modus dicendi Scoti in 4. distinct. 1. quæst. 1. quòd hæc potestas excellentiæ qua pollet Christus, tam respectu gratiæ, quàm institutionis sacramentorum, consistit in eo quòd meritoriè operatur nostram salutem, mediis sacramentis, & non quòd in Christi humanitate fuerit virtus, & efficacia physica, quæ modo physico concurrat ad gratiæ productionem.

Præterea,

7. Præterea, hæc potestas consistit in tribus aliis, in quibus cæteras potestates præcellit. *Primò*, quia Christi potestas, & virtus, non est alligata sacramentis, sed sacramentorum effectus, etiam sine sacramentis tribuere potest, & de facto tribuit. Lucæ 7. vbi dicitur Magdalenæ, *remittuntur tibi peccata tua*, & Matth. 9. dixit Paralytico: *Vt autem sciatis quòd filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata*, &c. *Secundò*, quia in nomine Christi sacramenta celebrantur, & non in nomine, & inuocatione alicuius alterius Ministri, vt constat Ioan. 10. *Hic est qui baptizat in Spiritu sancto*, & 1. Corinth. 1. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis*, & infra cap. 3. *Quid est Paulus, quid Apollo, nisi ministri eius, cui credidistis. Tertiò*, quia merita, & satisfactio passionis Christi solùm operantur in sacramentis, non autem meritum, vel virtus alicuius alterius Ministri. Vnde neque melior est Baptismus, neque sanctius sacramentum, à meliori Ministro, quàm à deteriori collatum. Signum autem, quòd sacramenta ex passione Christi habeant suum vigorem, est, quia ex latere Christi percusso manauit sanguis, & aqua, & ideo Ioann. 10. dicitur, *de cuius plenitudine omnes accepimus.*

Luc. 7. Matth. 9. Ioan 10. 1. Cor. 1. & 3. Ioan. 10.

8. Secunda conclusio. Omnia nostra sacramenta immediatè fuerunt à Christo instituta, & non ab aliquo puro homine ex eius potestate, & delegatione. Hanc probat latè Suarez in hoc loco ex sacra Scriptura, ex diuina traditione per Apostolos ad nos deriuata, ex communi consensu Ecclesiæ, & ex testimoniis sanctorum Patrum. Probatur tamen ex Concil. Trident. loco citato, & sess. 24. Can. 1. vbi definitur, *Sacramentum extremæ Vnctionis esse institutum à Christo, & à D. Iacobo promulgatum.* Ex quo sumitur efficax argumentum, quia si de aliquo sacramento dubitari posset esse à Christo immediatè, & per se institutum, maximè de extrema Vnctione, de qua antiqui Patres dixerunt, esse institutam à D. Iacobo; sed ex prædicta definitione constat, D. Iacobum non instituisse hoc sacramentum ex commissione Christi, sed tantùm illum promulgasse: ergo idem dicendum est de aliis sacramentis, quia potestas concessa Apostolis, & Ecclesiæ, sufficiens non est ad instituenda sacramenta, vt de se patet. De speciali autem potestate ad hoc necessaria omnino improbabiliter, & sine authoritate, & ratione aliqua diceretur, eam alicui esse concessam, quia hæc maxime concedi debuit Apostolis, aut alicui illorum, vt D. Iacobo circa extremam Vnctionem, de quo id negat fides. Et confirmatur, quia Trident. sess. 21. cap. 2. dicit; *Ecclesiam semper habuisse potestatem instituendi, & mutandi circa dispensationem sacramentorum, salua eorum substantia*; ergo Ecclesia non habuit, neque habet potestatem ad mutandam substantiam sacramentorum: ergo sacramenta non sunt proximè, & immediatè instituta ab Ecclesia, potestate sibi tradita; neque Christus vnquam tradidit Ecclesiæ hanc potestatem.

Conc. Trid. Idem.

9. Obiicies, quia Christus habuit potestatem ad instituenda sacramenta; sed Christus communicauit Apostolis potestatem à Patre sibi communicatam. Ioan. 20. *Sicut misit me Pater, ego mitto vos; accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo Christus concessit eis potestatem ad instituenda sacramenta. Confirmatur, quia ibi dicitur, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Cui consonat locus Matth.

Ioan. 20.

16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum.* Sed non limitauit hanc potestatem ad vnum modum in particulari; ergo concessit illis potestatem condonandi peccata indifferenter, & pro suo arbitrio. Vbi enim ius non distinguit, neque nos distinguere debemus: ergo concessit illis facultatem remittendi peccata, medio aliquo signo sensibili instituto ab ipsis; ac proinde ad instituenda sacramenta. Confirmatur secundò, quia D. Paulus condonauit peccatum 2. Corinth. 2. cuidam Corintho extra sacramentum. Respondetur, quòd illa particula *sicut*, non significat æqualitatem, sed similitudinem, & proportionem, vt optimè explicat Toletus in eum locum. Ad primam confirmationem respondetur, illa verba intelligenda esse de potestate ad remittenda peccata in sacramento Pœnitentiæ, quod in illo loco præcipuè Christus instituit, vt definit Trident. sess. 14. Ad secundam, quòd Paulus absoluit illum Corinthum à pœna, siue sit pœna excommunicationis, siue alia pœna qua innodatus extitit. Matth. 16.

10. Dubitant hîc Doctores, an potestas, quam Christus habuit instituendi sacramenta, potuerit Ministris communicari.

Et primò certum est, non posse puræ creaturæ communicari perfectè, sicut eam habuit Christus, ita vt eius meritis nitantur de condigno eorum omnem effectum merentibus, quia talis excellentia non conueniret puræ creaturæ, eo modo quo Christo homini, propter gratiam vnionis, & personam diuinam operantem, & ita meritum talis creaturæ non esset infinitum simpliciter, neque rigorosum, nec posset satisfacere ad æqualitatem, & de condigno pro peccatis aliorum, vt fecit Christus, cùm peccatum habeat infinitatem quandam, cui non potest adæquari satisfactio puræ creaturæ, vt ostensum est suprà in tractatu de Incarnatione.

11. Secundò conueniunt Doctores, Deum posse dare potestatem alicui puro homini, vt instituere pro suo libito signa honesta practica conferentia gratiam ex opere operato, tam certò, & efficaciter, quàm nostra sacramenta eam conferunt, in hoc enim nulla videtur implicantia; sicut neque in eo, quòd Deus alicui homini iusto concedat facultatem applicandi sua merita per talia signa.

12. An verò hoc sufficiens sit, vt quis possit dici instituisse sacramentum, dissensio est inter Doctores. Negat Scotus in 4. distinct. 1. quæst. 3. art. 2. Affirmant communiter Thomistæ cum D. Thoma in hoc loco; quod simpliciter mihi videtur verius. Et probatur, quia institutio sacramenti nihil aliud est, quàm impositio alicuius rei sensibilis in signum efficax gratiæ; sed purus homo posset ex potestate sibi delegata à Deo, instituere aliquam rem sensibilem signum efficax gratiæ: ergo posset instituere sacramentum, licèt dependenter à voluntate diuina sibi delegante, & tradente talem facultatem. Vnde hoc non esset determinare tantùm materiam sacramenti, & signi, vt vult Scotus, sed verè illud instituere, quia à propria voluntate hominis dependeret impositio signi sensibilis practici gratiæ, à qua licèt cum dependentia à voluntate diuina, tale signum haberet certitudinem, & efficaciam gratiæ. Quibus adde, Christum vt hominem non aliter habuisse potestatem instituendi Sacramenta, & tamen verè dicitur institutor sacramentorum.

13. Ex quibus infero, solum Deum esse causam principalem effectus interioris sacramenti, scilicet gratiæ, & characteris; Christum verò, vt hominem esse causam principalem meritoriam illius effectus, efficientem verò ministerialem, ex commissione Dei cum potestate excellentiæ supra explicata. Denique Ministrum esse causam instrumentalem, & ministerialem, quatenus conferendo sacramenta ex institutione, & commissione Christi, applicat suscipienti merita ipsius, & virtutem diuinam iis annexam, quæ operatur interiùs illos effectus.

SECTIO II.

An per malos Ministros Sacramenta conferri possint.

14. DVpliciter potest Minister dici malus, vt notat Durandus in 4. dist. 5. quæst. 1. vno modo malitia morali, v.g. per peccatum. Alio modo potest dici malus, malitia Ministri, vt cùm deficit in necessariis, & requisitis ad ministerium sacramentorum, v. g. cùm deficit in intentione, vel applicatione materiæ & formæ: qua ratione certum est, ministrum malum malitia Ministri, nihil facere, ac proinde tota difficultas est de ministro malo malitia morali, an per hanc malitiam reddatur inhabilis, ita vt nihil omnino præstet. Nam S. Cyprianus, cui subscripsit Concilium Prouinciale 80. Episcoporum, vt refert Castro de hæresibus, verbo *Baptismus*, hæresi 3. existimarunt, huiusmodi ministrum nihil facere in ministerio sacramentorum. Deinde Donatistæ, VVicleph & Ioannes Hus, idem tenuerunt.

15. Contrarium diffinitum extat in Tridentino sess. 7. Can. 12. & in Carthaginens. 1. & in Niceno, & Constantiensi, vnde de hac re non licèt iam dubitare. Et probatur ex D. Paulo 1. Corinth. 1. 1. Cor. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis.* Cùm ergo Christus sit qui baptizat, & qui consecrat, nihil obstat malitia Ministri. Præterea, quia administratio sacramentorum non est propter bonum ipsius administrantis, sed propter commune bonum totius Ecclesiæ: ergo sicut ob hanc rationem gratiæ gratis datæ stant cum peccato mortali, ita administratio sacramentorum. Denique, quia Christus dedit hanc potestatem absolutè, & sine limitatione: ergo non est cur eam nos limitemus ad ministros sanctos, & fideles. Antecedens patet ex antiqua traditione, & vsu Ecclesiæ, & definitione Pontificum, & Conciliorum. Et hoc modo clariùs constat, efficaciam, & valorem sacramentorum esse à Christo, & non à Ministris, cùm per malos validè possit confici sacramentum. Ex his

16. Infero primò omnia septem sacramenta collata à peccatore, vel infideli, aut hæretico, esse valida: vnde Episcopus hæreticus validum conficit sacramentum Eucharistiæ, Confirmationis, extremæ Vnctionis, Ordinis, & Pœnitentiæ, si habeat iurisdictionem, & hæretici contrahentes matrimonium. Infidelis verò qui nunquam suscepit Baptismum, solùm conficit validè sacramentum Baptismi.

17. Secundò infertur, valere sacramenta collata ab Hæretico notorio, & præciso, & separato ab Ecclesia, & degradato, suspenso, & interdicto, & publicè denunciato, & nominatim excommunicato (excipe pœnitentiam, quando minister caret iurisdictione:) vnde absolutio in articulo mortis est valida, etiam à publico denuntiato, vt colligitur ex Tridentino sess. 14. cap. 7. de casuum reseruatione asserente, omnes Sacerdotes posse absoluere in articulo mortis, omnes pœnitentes ab omnibus peccatis, & censuris. Vbi Concilium loquitur sine limitatione; atque ita cùm ius non distinguat, nec nos distinguere debemus.

18. Tertiò infertur, valere nostra sacramenta quoad effectus proprios, scilicet gratiam, & characterem, ministrata ab homine, etsi iniquo. Vnde licèt Minister sit hæreticus, publicè denuntiatus, &c. sacramentum ab eo confectum, causat suum effectum, & confert suscipienti gratiam iustificantem, & characterem, modò suscipiens non apponat obicem, & impedimentum: quia huiusmodi sacramentum est validum, & nostra sacramenta sunt causæ infallibiles, & necessariæ, respectu suorum effectuum, si ex parte suscipientis impedimentum non sit. Vnde Trident. loco citato asserit, *Nostra sacramenta semper conferre gratiam, non ponentibus obicem, & ritè ea suscipientibus*, & licèt expresè tantùm loquatur de gratia, idem intelligendum est de charactere; ideo enim Baptismus datus ab hæretico non iteratur, quia imprimit characterem indelebilem. Et ratio huius à priori est institutio Christi, qui noluit quòd nostra sacramenta penderent quoad suum valorem, à sanctitate, vel fide Ministri: est etiam optima congruentia, quia Minister sacramenti solùm se habet vt instrumentum Christi, & non vt causa principalis, respectu sacramenti, & eius effectus: ergo non pendet sacramentum, aut eius effectus ex virtute, vel sanctitate Ministri, cùm instrumentum non agat secundùm propriam virtutem, sed principalis operantis, & ideo effectus non est similis instrumento, sed causæ principali. Quod explicant Doctores exemplo sigilli, quod imprimit figuram Regis, siue sit ferreum, siue aureum, & exemplo operarij seminantis, vel plantantis, vel irrigantis plantas, ad quarum efficaciam parum refert, quòd opus fiat lotis, vel sordidis manibus, modò semen sit bonum, & terra fertilis, nec desit calor Solis, & pluuia de cœlo. Trident.

19. Denique infertur cum D. Thoma quæst. 64. art. 10. nostra sacramenta valida esse, & conferre suos effectus, confecta, siue ministrata, actione peccaminosa. Vnde Baptismus, siue absolutio data fœminæ, animo ingrediendi ad illam, & Eucharistia confecta animo vtendi illa ad effectum veneficum, erunt valida, etiam quoad effectus, quia rationes adductæ manifestè id probant, & quia licèt ipsa actio mala sit, & peccatum, ex defectu alicuius circunstantiæ, aut ex praua intentione, non tollit ea, quæ sunt de essentia sacramenti, & quæ sufficiunt ad eius perfectionem: cùm non tollat materiam, aut formam, neque intentionem conferendi; ac proinde per illam actionem quantumuis peccaminosam, conficitur verum sacramentum, etiam quoad effectum.

SECTIO

Sectio III.

An in peccato mortali conferens Sacramenta, peccet mortaliter.

20. Ratio dubitandi est, quia, vt prædiximus sectione præcedenti, bonitas Ministri non pertinet ad essentiam sacramenti, sed tantùm ad decentiam; ergo eius defectus non inducit peccatum mortale. Consequentia probatur, quia id quod pertinet ad decentiam, potius requiritur ad melius esse, quàm ad simpliciter esse; nullus autem tenetur sub peccato mortali, ad id quod melius est.

21. Secundò, quia sequitur, quòd Sacerdos, qui cum attritione cognita ministraret sacramentum Pœnitentiæ, peccaret mortaliter, quod videtur durissimum obligare sacerdotem ad habendam contritionem, vt debitè ministret sacramentum Pœnitentiæ. Et confirmatur, nam qui suscipit sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ, cum sola attritione cognita, non peccat adhuc venialiter; ergo saltem mortaliter non peccabit, qui ministrat eadem sacramenta cum attritione cognita, non enim minor dispositio requiritur in suscipiente sacramentum, quàm in ministrante: imò videtur requiri maior, quia gratia sacramentalis ex qua sumitur tota sanctitas sacramentorum, recipitur, non in ministrante, sed in suscipiente.

22. Tertiò, quia sequitur, quòd Subdiaconus, & Diaconus, imò qui sunt primæ tonsuræ, exercentes actus suorum Ordinum in mortali, peccent mortaliter. Et Prælati, & Episcopi benedicentes vestes, & aquam benedictam, & consecrantes Ecclesias, calices, & aras, quia omnes istæ actiones sunt sacræ, & sacris Ordinibus annexæ, ad quas ministri specialiter consecrantur.

23. Denique, quia frequenter occurrunt casus in quibus moraliter videtur impossibile, quòd Ministri se præpararent ad ministrandum sacramentum, nec videtur quomodo valeant subitò se in gratiam constituere. v. g. obstetrix, quæ videt puerum recentem natum animam exhalare, & sacerdos, qui videt aliquem subitò mori, debet absoluere.

24. Notandum quòd Minister sacramentorũ est duplex, alter ex officio, vt est illo qui speciali consecratione consignatus est, & deputatus per characterem sacramentalem; alter verò est minister non consecratus, qui dici solet Minister necessitatis, qui ratione illius potest ministrare aliquod sacramentum. v. g. Baptismum, qui propter summam necessitatem illius, potest à laico, fœmina, & infideli ministrari. Ad hoc genus Ministri reducuntur contrahentes matrimonium, qui sunt illius ministri, & quamuis cum proprietate sermonis non possint appellari ministri necessitatis, sunt enim veri ministri sacramenti matrimonij, non deputati speciali consecratione; quia tamen hoc sacramentum celebratur modo quodam humano, ideo contrahentes non sunt ministri ex officio, sed reducuntur ad ministros necessitatis.

25. Sit conclusio. Minister ex officio existens in peccato mortali, & ministrans aliquod sacramentum, peccat mortaliter; ita communiter omnes Theologi. Et probatur ex cap. *quæsitum*, de temporibus ordinationum, vbi decernit Pontifex, Sacerdotes, & alios Clericos admonendos esse sub interminatione diuini iudicij, ne exerceant officia suorum Ordinum, priusquam pœniteant de mortalibus, & in cap. *quæsitum*, de cohabitatione Clericorum, & mulierum, dicitur, quòd sacerdos, qui commisit adulterium, quoad Deum esse suspensum ab officio: hæc tamen obligatio non oritur ex aliquo præcepto positiuo, non enim extat tale præceptum, sed ex ipso iure naturæ: vnde sacerdos conferens solemniter aliquod sacramentum, si conscius sibi sit peccati mortalis, tenetur conteri ante administrationem sacramenti; non tamẽ opus est, vt priùs confiteatur, nisi debeat celebrare, vel Eucharistiam sumere, quia nullum extat ius naturale, vel diuinum, vel humanum, quo probetur teneri sacramentum Pœnitentiæ recipere quoties est in gratia per actum contritionis, excepto prædicto casu.

26. Sed maior difficultas est in assignanda ratione huius obligationis, ex ea enim pendet decisio plurimorum casuum. Caietanus in hoc loco existimat rationem esse, quia minister consecratus accipit gratiam ex diuina ordinatione ad ministrandum sacramentum, cui gratiæ deesse graue peccatum est. Hæc tamen ratio sola non est efficax, quia ex ea sequitur, quòd ille, qui habet sacramentum Confirmationis, si existens in peccato mortali coram Tyranno profiteatur fidem, peccat mortaliter, quia ad prædictam confessionem faciendam accepit gratiam in sacramento Confirmationis, & fuit insignitus eius charactere. Similiter coniuges, qui post receptum matrimonium illo abuterentur, peccarent mortaliter, quia in illo sacramento receperunt gratiam ad honestum vsum coniugij.

27. Alij censent, veram rationem esse quam assignat D. Thom. quæst. 64. art. 6. quia, qui administrat sacramentum cùm cooperetur ad iustificationem, tenetur se conformare cum primario, & principali agente, & Deo, cuius est minister, & cum ipso instrumento, quo vtitur ad effectum iustificationis; Deus autem auctor principalis sacramentorum est fons sanctitatis, & gratiæ, ita vt si poneretur Deus cum reliquis attributis, & non intelligeretur sanctus per essentiam, per locum intrinsecum, non maneret auctor sacramentorum, quia sacramentum, est instrumentum Dei ad iustificandos homines; ergo auctor sacramenti debet esse ipsamet sanctitas; ideò enim dixit: *Sancti estote, quia ego sanctus sum: & mundamini qui fertis vasa Domini.* vnde sequitur, ministrum debere conformari cum sacramentorum sanctitate; sancta enim sanctè tractanda sunt, & cum primo auctore operante per sacramentum; ac proinde peccare mortaliter, indignè, & cum mortali ministrando, quia irrogat in materia graui ipsi Deo operanti sanctificationem per sacramenta.

28. Alij denique hanc obligationem deducunt ex sanctitate, ac dignitate ipsius sacramenti, & actionis qua administratur. Ita Coninch quæst. 64. art. 6. dub. 1. num. 32. Et ratio est, quia minister sacramentorum dispensat merita, ac sanguinem Christi moraliter contenta in ipsis sacramentis, quod præstat in persona eiusdem Christi, quam immediatè sustinet; ac proinde contra dignitatem ipsius, & sacramentorum est, peccatorem, qui est hostis Christi, & mancipium diaboli, ea administrare.

29. Hæ rationes quamuis seorsim sumptæ patiantur aliquas difficultates, tamen simul sumptæ, optimè manifestant præfatam obligationem: ac proinde ex eis

Infero primò laïcum existentem in mortali, si baptizet in extrema necessitate, non peccare mortaliter, ob primam rationem, quia est Minister necessitatis, non deputatus, nec consecratus ad hunc effectum. Idem censeo de sacerdote in necessitate ministrante Baptismum in mortali sine solemnitate, quia non administrat ex officio, & vt minister consecratus. Ita D. Thomas art. 6. in responsione ad 3. quem sequuntur Suarez disput. 19. sect. 2. & plures alij, contra Vazquium disp. 139. cap. 3.

30. Secundò infertur, contrahentes matrimonium in mortali, non committere duo peccata mortalia, vnum quatenus recipiunt sacramentum, alterum quatenus administrant, sed tantùm peccare mortaliter quatenus suscipiunt indignè sacramentum, non verò quatenus illud administrant. Ita Coninch vbi suprà, quia contrahentes non sunt ad hoc officium consecrati. Idem censeo de Parocho assistente in matrimonio in lethali; hic enim non est essentialis minister sacramenti matrimonij, sed ipsi contrahentes qui proferunt formam, vt latiùs ostendetur in tractatu de matrimonio.

31. Tertiò infero, sacerdotem existentem in mortali, non peccare mortaliter, si Eucharistiam iam confectam, & consecratam ministret alicui extra Missam, communicando, v. g. aliquem, aut dando alicui viaticum. Ita Vazquez disp. 136. cap. 30. contra Suarium; quia licèt ministrare Eucharistiam per se pertineat ad potestatem characteris, & ad ministrum ex officio, non tamen est actio sacramentalis gratiæ causatiua deferre sacramentum, & illud dare; minister enim in tali casu non est per se causa gratiæ, sed solùm se habet, vt conditio sine qua non, seu, vt causa applicans actiua passiuis Nam, vt bene notat Vazq. vbi suprà, in aliis sacramentis ex ministro, & sacramento, vnum conficitur instrumentum Dei ad sanctificationem; at verò ex ministro deferente sacramentum Eucharistiæ antea consecratum, & ex ipso sacramento, non fit vnum instrumentum, & ita sacerdos, licèt quando conficit sacramentum, peccet mortaliter si non existat in gratia, non tamen quando solùm se habet vt deferens.

32. Ex his facilè patet solutio ad rationes dubitandi in principio positas.

Ad primam respondetur, solùm probare ministrum ministrando sacramentum in mortali, validè ministrare sacramentum: vnde autem oriatur obligatio ministrandi in gratia, constat ex dictis.

33. Ad secundam, quòd etsi difficile sit habere contritionem, ea tamen simpliciter est possibilis, & Deus paratus est conferre auxilium sufficiens ad illam habendam in omni casu, in quo instat necessitas ministrandi aliquod sacramentum ex officio. Neque ministri sacramentorum iustè possint conqueri, quòd obligentur ad actum tam difficilem, cùm ipsi sua sponte sint in ministratione sacramentorum. Est tamen valde notandum, quòd si fortè contingat ministrum non esse verè contritum, sed dumtaxat attritum, cum probabili tamen existimatione quòd est verè contritus, non peccat ministrando sacramentum. Vnde in hoc casu satis erit ad vitandum peccatum mortale, quòd minister coniecturis humanis, & probabiliùs existimet se habere contritionem.

34. Ad tertiam respondetur negando sequelam, quia de hac re nullum extat præceptum positiuum, neque naturale. Præterea, quia ministerium illud, non est sacramentum, neque actio causatiua gratiæ. Vnde colligitur idem esse dicendum de Diacono, vel Subdiacono existentibus in mortali non peccare mortaliter exercendo operationes suis Ordinibus annexas. Ita Suarez, & Vazquez locis citatis.

Sectio IV.

An liceat petere, & suscipere sacramentum à malis ministris.

EX triplici causa potest minister dici malus. 35.
Primò, quia non habet iurisdictionem, seu potestatem validè conferendi sacramentum, & hac ratione certum est apud omnes, neminem posse ab eo petere sacramentum, esset enim illum inducere ad actum intrinsecè malum, & sacrilegum. *Secundò*, potest dici malus, quia ob aliquam censuram non potest licitè administrare sacramentum, de quo sectione sequenti erit sermo. *Tertiò*, quia licèt possit licitè ministrare sacramentum, tamen ministraturus non est sine peccato, & in hoc sensu procedit difficultas, an licitè possim petere sacramentum ab eo, quem certò scio esse in aliquo peccato publico, vel occulto.

Prima conclusio. Licitum est petere sacramentum à prauo ministro parato, siue qui ex officio tenetur ministrare sacramentum existente iusta, & rationabili causa, etiam si id fiat sine necessitate, & etiam si sit alius, qui absque peccato possit ministrare, & etiam si certò sciat ministraturum in mortali. Hæc conclusio est D. Thom. art. 6. ad 3. quem sequuntur Gregorius de Valentia, & Suarius vbi suprà. Et probatur, quia quando Ecclesia permittit huiusmodi malos ministros, ministrare sacramentum, is qui ab eis petit, non operatur peccato illorum, sed tantùm vtitur iure suo, is enim dicitur cooperari peccato alterius, qui est causa peccati illius, vt docet D. Thom. in 4. distinct. 5. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 4. at quando peto sacramentum ab illo, qui est paratus conferre, siue sit obligatus mihi, quia est Parochus, siue non, dummodo ex officio, vel priuilegio illud ministrare possit, petendo sacramentum, nullo modo sum causa, quia non moueo illum ad conferendum sacramentum, neque communico malo illi ministro, in quantum peccat ministrando, sed tantùm communico functioni Ecclesiæ, cuius ille minister est; ac proinde, quandiu ab Ecclesia toleratur, possum licitè petere. Et ratio à priori est, quia bene potest quis vti peccato, & mala voluntate alterius, ad exhibendum aliquod opus, quod est in se bonum, & licitum, & quod alter rectè, & bene dispensare potest, etiam si sciat administraturum in lethali, quia id quod peto, scilicet sacramentum, est mihi bonum, & vtile, & minister si vellet, posset bene illud administrare, ac proinde si ministrat in peccato, non debet imputari petenti, sed soli ministranti, qui ex praua sua voluntate sic vult ministrare; ergo hoc non impedit, vt possim vti iure meo petendi id quod in se est bonum, & mihi vtile. 36.

Præterea, quia D. Thom. 2. 2. docet, licitum esse exigere iuramentum per falsos Deos ab homine infideli, quando est iusta causa, & ille paratus est sic iurare; & non ob aliam causam, nisi quia est vtile mihi, & vtor iure meo, & ille si vult 37.

potest

poteſt iurare per Deum verum; malitia autem quæ eſt in tali iuramento per accidens ſe habet; ergo idem erit in noſtro caſu.

38. Denique, quia omnes admittunt, illum qui petit ab vſurario, quem credit ſine vſura, & peccato non mutuaturum, non peccare, nec cooperari peccato illius, quia id quod petit non eſt peccatum, & habet iuſtam cauſam petendi, vt ſubueniat ſuæ neceſſitati; & vſurarius eſt paratus ad vſuram, & poſſet ſi vellet gratis mutuare; ergo idem iudicium eſt in noſtro caſu. Vnde aduertit Suarius vbi ſuprà, quòd quando virtute alicuius Bullæ, vel priuilegij conceditur alicui facultas eligendi confeſſorem, & ſunt plures, qui ſedent ad audiendas confeſſiones, quorum vnum certò ſcio eſſe concubinarium, & in concubinatu viuere, tunc etſi poſſim eligere alium confeſſorem probum, poſſum tamen ſine peccato, prætermiſſo confeſſore probo, eligere concubinarium, ſi doctior mihi viſus fuerit.

39. Obiicies primò, non eſſe licitum facere mala, vt inde eueniant bona, cuius contrarium videmur docere. Reſpondetur negando conſequentiam, quia ſolùm dicimus licitum eſſe vti mala voluntate, & peccato alterius, quod ex mera illius malitia oritur ad faciendum opus quod in ſe eſt bonum, & quod alter bene poteſt facere ſi vult, & ita datur illi occaſio bene faciendi, ſi vellet. Vnde quatuor debent concurrere, vt concluſio poſita ſit omnino vera. *Primum*, quòd miniſter qui eſt paratus, à quo petitur ſacramentum, non ſit peccaturus ex ignorantia, aut infirmitate, ſed ex propria malitia, tunc enim ſibi imputatur, ſi in peccato mortali miniſtrat ſacramentum, quod petitur. *Secundum*, vt qui petit, non petat ex mala intentione, aut ex contemptu ſalutis ſpiritualis illius à quo petit. *Tertium*, vt id quod petitur ſit res bona. nam ſi res eſt mala, vterque peccabit. *Quartum*, vt ſit iuſta, & rationabilis cauſa petendi. nam qui ſine cauſa petit à miniſtro parato, peccat mortaliter, quia eſt occaſio peccati, & ruinæ alterius. nam quamuis ille paratus ſit peccare, non tamen peccaret niſi iſte peteret; ergo ſaltem hîc, & nunc inducit illum ad peccandum.

40. Obiicies ſecundò, quia non licet exigere iuramentum ab eo, quem ſcio falſum eſſe iuraturum, vt habetur 2.2. quæſt. 5. cap. *Qui exigit*, ex Auguſt. ſerm. 30. vbi ait: *Plus peccare eum, qui prouocat hominem ad iurandum, quem nouit iuraturum falſum, quam homicidam; quia homicida corpus tantùm occidit, iſte verò animam*; ergo neque licet petere ſacramentum ab eo: quem ſcio in mortali adminiſtraturum. Reſpondetur, quòd dupliciter poteſt aliquis exigere ab alio iuramentum falſum, vno modo, quando ille non eſt paratus, ſed illum prouocat, & inducit, nec habet iuſtam cauſam petendi; & hoc modo exigere eſt iniquum, & peccatum: ſecundo modo, quando quis habet iuſtam cauſam in bonum proprium, & videt aliquem eſſe paratum actualiter, vel habitualiter ad iurandum; & hoc modo non eſt peccatum exigere ab eo iuramentum, tantùm vt veritatem iuramento ſuo adſtruat. Auguſt. autem loquitur in primo caſu.

Auguſt.

41. Dices illicitum eſt petere conſilium à magicis, ariolis, & maleficis, neque vt maleficium maleficio repellant ob quamcumque neceſſitatem, aut vtilitatem; ergo non licebit vti teſtimonio illius, qui paratus eſt iurare falſum, etiam propter quamcumque neceſſitatem. Reſpondetur negando conſequentiam. nam qui vtitur homine parato ad iurandum, non ſe immiſcet illius peccato, ſed ſolùm vtitur fidelitate iurantis, quæ in ſe bona eſt, & petens à iurante petit rem, quam ipſe debitè præſtare poteſt, ſi vult: at conſulere Dæmones, aut Magos, aut maleficium maleficio expellere, & paratum ad hoc inducere, ſunt intrinſecè mala; ac proinde pro nullo bono conſequendo, aut malo vitando licent, ſicut neque licet inducere aliquem, vt falſum iuret, quia eſt intrinſecè malum.

42. Secunda concluſio. Non eſt licitum petere ſacramentum à Miniſtro malo, quando ipſe non eſt paratus miniſtrare; eſſet enim manifeſtè illum inducere ad peccandum. Ratio eſt, quia in hoc caſu petens, & inducens, eſt cauſa proxima, cur alter incitetur, & prouocetur ad committendum illud peccatum, & ita videtur conſentire peccato illius: quia cùm ille non ſit paratus miniſtrare, videtur ob ſacramenti reuerentiam ſe velle abſtinere, & ita inducens cauſa eſt illius damni ſpiritualis. Præterea, quia quamuis non ſit peccatum petere pecuniam mutuo ab vſurario expoſito, & parato; peccat tamen, qui petit ab eo qui non eſt paratus, nec expoſitus; ergo idem eſt in noſtro caſu.

43. Ab hac concluſione excipiuntur duo caſus.

Primus eſt, quando is à quo petitur ſacramentum, eſt obligatus miniſtrare, vt ſi eſt Prælatus, aut Parochus; ab hoc enim licitum eſt petere, etiam extra articulum neceſſitatis, ſiue paratus ſit, ſiue non. Et ratio eſt, quia nemo peccat petendo à ſuo debitore actum ſibi debitum, Prælatus autem, vel Parochus, tenetur miniſtrare ſacramentum, quoties ſubditus petit, quia ſubditus habet ius petendi ab illo: & Parochus non excuſatur ratione ſui peccati, quominus ſacramentum miniſtret, quia debitoris malitia non excuſat ipſum à ſolutione debiti, in quem eſt alteri obligatus. nam Parochus debet ſemper eſſe paratus, vt ſuis ſubditis ſacramentum miniſtret, vt dicitur in cap. *Omnis presbyter.* & in cap. *Nullus presbyterorum.*

44. Notat tamen Suarez vbi ſuprà, non eſſe licitum ſubdito ſine cauſa rationabili inducere Parochum ad miniſtrandum ſacramentum, quem ſcit in mortali eſſe adminiſtraturum, quia nemini licet ſine cauſa rationabili cum ſcandalo, & damno proximi vti iure ſuo. nam licèt ſubditus habeat ius petendi, & Parochus teneatur dare; quando tamen ſine cauſa rationabili inducit Parochum, videtur negligere ſalutem ſpiritualem illius. Quod quidem probabile eſt. Cauſa autem rationabilis erit, non ſolùm quando inſtat præceptum Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ, ſed etiam, quando quis ex ſolita deuotione confiteri, vel Euchariſtiam ſumere voluerit.

45. Secundus caſus eſt articulus neceſſitatis, in quo eſt communis ſententia Doctorum, licitum eſſe petere à quocumque, ſiue ſit Prælatus, ſiue non ſit, etiamſi petens ſciat illum eſſe adminiſtraturum in mortali. Et ratio eſt, quia in caſu neceſſitatis, cùm vnuſquiſque teneatur ei ſi poſſit ſubuenire, petens habet ius petendi. Hæc autem neceſſitas ſufficiens erit ſi ſit adimplendi præceptum Eccleſiaſticum, vel etiam vtilitas non differendi nimium vſum ſacramentorum, præſertim ſi interueniat conſcientia peccati mortalis. Nam ſi licet petere pecunias ab vſurario, etiamſi paratus non ſit ad mutuandum, dummodo adſit cauſa rationabilis, quamuis non ſit extrema, aut grauis neceſſitas; etſi ab infideli licet petere iuramentum ex cauſa iuſta, ſi eius teſtimonium mihi vtile eſt, & neceſſarium,

ſarium, vt ius meum obtineam, cur non licebit vti miniſtro, etiam non parato, ſi mihi vtilis eſt, & rationabilis cauſa, etiam extra articulum mortis; cùm ipſe bene poſſit miniſtrare ſacramentum ſi velit, non enim teneor cum tanto detrimento, illius peccatum euitare.

SECTIO V.

An liceat petere Sacramentum à Miniſtro illaqueato aliqua cenſura Eccleſiaſtica.

46. EX dictis ſectione præcedenti facilis eſt reſolutio huius difficultatis. Notare tamen oportet, quòd tempore Concilij Conſtantienſis ſtatutum eſt à Martino V. vt fideles non teneantur euitare excommunicatos, aut ſuſpenſos, aut interdictos, niſi fuerint nominatim excommunicati, &c. Vel niſi fuerint manifeſti percuſſores Clericorum, ita vt eorum delictum nulla tergiuerſatione poſſit celari. Hæc conſtitutio non circumfertur in corpore iuris, illam tamen communiter referunt Doctores, & nouiſſimè Nauarrus in manuali cap. 27. num. 31.

47. Prima concluſio. A Prælato, vel Parocho excommunicato, ſuſpenſo, irregulari, interdicto, tolerato tamen ab Eccleſia, & non denuntiato per eius ſententiam, licitè poteſt ſubditus petere ſacramentum, etiam ſi talis Parochus non ſit paratus ſacramentum miniſtrare. Probatur ex præfato Concilio Conſtant. in quo datur facultas recipiendi ſacramentum, & ſolùm excluduntur nominatim excommunicati, vel manifeſti percuſſores Clericorum. Et ex oppoſito tria maxima incommoda ſequerentur. *Primum* eſt, quia cùm laici proni ſint ad malè ſentiendum, & iudicandum de ſuis Prælatis, & Parocho, & ſi leuiſſima cauſa, ſubtraherentur ab eorum obedientia. *Secundum*, eſſet cauſa ſchiſmatis, & diuiſionis, quia cùm non ſit par omnium affectio, & diſcretio, nec æqualis cognitio eorum quæ ſunt iuris, & facti, etiam ſi aliqui eſſent qui dicerent Parochum eſſe bonum, non tamen deeſſent qui illum, vt malũ, & vt vitandum affirmarent, & ſic eſſet ſchiſma in populo. *Tertium* eſſet occaſio, & cauſa iudicij temerarij, quia licèt heri fuerit Parochus auarus, & fornicarius, potuit hodie pœnitere. Ne ergo daretur ſubditis occaſio vitandi ſuos paſtores pro libito eorum, magna prudentia, diuinoque conſilio cautum eſt ex decreto Concilij Conſtantienſis, non euitare illos antequam publica iudicis ſententia denuntiati ſint.

48. Hinc ſequitur, quòd poſt præfatum decretum, ſicut poſſunt ſubditi, & tenentur à prædicto Parocho ſacramenta petere, ita Parochus poteſt, & tenetur ſuis ſubditis ſacramenta miniſtrare, dummodo quando ſubditus petit, habeat contritionem delicti, propter quod cenſuram incurrit: ſicut enim Concilium ſubditis conceſſit licentiam petendi ſacramentum à Parocho aliqua cenſura irretito; ita etiam ipſi Parocho conceſſit, vt ſacramenta miniſtret quando aliàs tenetur, & hoc etiam ſine peccato, & ſine incurſione nouæ cenſuræ. Nam quamuis aliqui Theologi velint, huiuſmodi excommunicatos, ſuſpenſos, & interdictos, in hoc caſu miniſtrando ſacramenta peccare, ratione prioris peccati; hoc ſolùm eſt verum, ſi de priori illo peccato non pœnituerint; ſi enim pœniteant, & per eos non ſtet, quo minus abſoluantur, non peccabunt miniſtrando ſacramentum in eo caſu, quia eſſet nimis rigidum eos obligare in hoc euentu ad miniſtranda ſacramenta, ſi ea ſine peccato miniſtrare non poſſent, quandoquidem eſſent perplexi in miniſtrando. nam ſi non miniſtrarent peccant, quia tenentur miniſtrare; ſubditi enim habent ius petendi; ſi verò miniſtrant, etiam peccarent, quia miniſtrant excommunicati; vt autem hæc perplexitas omnino tolleretur, prouiſum eſt per Concilium Conſtant. vt miniſtrent ſacramentum ſine peccato, ſi pœniteant, quando ex officio incumbit illis miniſtrare.

Secunda concluſio. A miniſtris excommunicatis, qui non ſunt ab Eccleſia declarati vt tales, ſi ſint parati, licitum eſt petere ſacramentum, non ſolùm in neceſſitate, ſed extra illam, vt diximus ſectione præcedenti de miniſtro prauo parato, eadem enim ratio militat, & patet etiam ex præfato Concilio, vbi datur facultas communicandi in diuinis cum excommunicatis toleratis, & ex conſequenti petendi ab illis ſacramentum. 49.

Tertia concluſio. A Miniſtris excommunicatis, toleratis, & non paratis, non licet petere ſacramentum. Hæc concluſio probatur eiſdem rationibus, quibus ſectione præcedenti oſtendimus, non licere petere ſacramentum à miniſtro malo, quando ipſe non eſt paratus miniſtrare. 50.

Quarta concluſio. A Miniſtris nominatim excommunicatis, vel alia cenſura, non licet extra extremam neceſſitatem petere, vel ſumere ſacramentum, ſiue ſit Prælatus pœnitentis, ſiue non, & ſiue paratus ſit, ſiue non ſit. Et idem dico de manifeſtis Clericorum percuſſoribus. Probatur ex præfato Concilio, & ex D. Thoma, artic. 6. ad 2. His enim præcipit Eccleſia, ne ſe ingerant diuinis officiis, & conſequenter aliis, ne cum eiſdem communicent; ac proinde ſi ſe ingetant in adminiſtratione ſacramentorum, peccant mortaliter, contra præceptum Eccleſiæ: & ſimiliter recipiens peccaret mortaliter. Vnde ſi extra caſum extremæ neceſſitatis, Sacerdos nominatim excommunicatus, tentaret abſoluere, abſolutio eſſet inualida ex defectu iuriſdictionis; ſi verò talis baptizaret, confirmaret, aut conferret ſacros Ordines, validum eſſet ſacramentum: qui verò ſcienter ab ipſo ſacramentum ſuſciperet, gratiam non reciperet, propter obicem quem ponit, & tam conferens, quàm recipiens mortaliter peccarent. 51.

SECTIO VI.

Quæ intentio requiratur in Miniſtro ad perfectionem Sacramenti.

HÆretici noſtri temporis, perſiſtentes in ſuo errore, ſacramenta non eſſe inſtituta à Chriſto Domino ad ſanctificandos homines, & cauſandam gratiam; & negantes virtutem, & efficaciam ſacramentorum, aſſerẽtes eſſe nuda quædam ſigna, & ſymbola excitantia fidem, & deuotionem, conſequenter tenent ſacramenta perfici rebus, & verbis, & nullo modo eſſe neceſſariam intentionem miniſtri, nec opus eſſe, vt in ſacramentis conficiendis, miniſter habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, ſed ſufficere vt forma, & materia, ſeu res, & verba adſint, etiamſi miniſter ioco, & irriſoriè actionem ſacramentalem peragat. 52.

Contra

53. Contra hunc errorem extat decretum Concil. Florentini ſub Eugenio IV. & nouiſſimè damnatus eſt hic error in Trident. ſeſſ. 7. can. 11. Nam Chriſtus non inſtituit ſacramenta ad excitandam fidem ſuſcipientis, ſed ad reuocandam animam per infuſionem veræ iuſtitiæ, vt patet in Baptiſmo paruulorum, in quibus fides, & deuotio excitari non poſſunt: cùm ergo ſacramenta ſint inſtrumenta Dei ad gratiæ productionem, neceſſe eſt, vt cùm adminiſtrantur, ipſe miniſter conformetur cum principali agenti, & iuxta illius intentionem operetur, determinando res per formam ſacramentalem.

54. Conueniunt ergo omnes Catholici, intentionem miniſtri eſſe neceſſariam, & quòd in effectione ſacramentorum intendat facere quod facit Eccleſia. quod dupliciter poteſt contingere, vno modo ſolùm materialiter, vt contingit quando ſolùm habet materiam, & formam, & illas applicat, ſolùm proferendo verba, & apponendo res, nullo actu interiori præſuppoſito in ſua voluntate quòd velit facere, quod Chriſtus inſtituit. Secundo modo poteſt habere intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, formaliter, quando non ſolùm profert verba, & apponit res, ſed interiùs habet actum voluntatis, quo mediante vult facere actiones ſacramentales, vt actiones ſacramentales ſunt, conformiter ad principale agens.

55. Secundò conueniunt Doctores, non ſufficere priorem illam intentionem materialiter, vt validum conficiatur ſacramentum, ſed requiri intentionem illam formalem faciendi, quod Chriſtus intendit, vel Eccleſia, vel quòd alij miniſtri Chriſtiani intendere ſolent: quia ſacramenta inſtituta ſunt à Chriſto per modum cerimoniæ ſacræ ad Dei cultum, & medicinam animarum; ergo ex parte miniſtri requiritur intentio faciendi cæremoniam ſacram; ſed intentio adhibendi, res, & verba præcisè, non ſufficit ad cæremoniam ſacram, quia cæremonia dependet ex intentione deferendi cultum per opus externum; vt patet in ſacramento Euchariſtiæ, vbi ſacerdos profert verba ex perſona Chriſti; ergo requiritur intentio repræſentandi eius perſonam, & idem eſt in aliis ſacramentis; ergo, &c.

56. Præterea, quia ſacramentum pendet à miniſtro vtente poteſtate morali ſibi à Chriſto tradita, ad conficiendum ſacramentum, qua poteſtate miniſter vti non poteſt, niſi volendo ſacramentum efficere, quia vſus moralis talis poteſtatis, non conſiſtit in confectione actionis exterioris, & materialis; qua poteſtate miniſter vti non poteſt, niſi volendo ſacramentum efficere; quia vſus moralis talis poteſtatis, non conſiſtit in confectione actionis exterioris, & materialis, ſed in confectione ſacramenti formaliter, ad quod talis poteſtas data eſt: ſicut aliæ poteſtates morales, quæ hominibus conferri ſolent, non exercentur per ſolum actum externum, ſed cum intentione vendendi, v. g. & donandi. Vnde ſicut neceſſe eſt, vt quis verè ſit abſolutus à iudice, quòd intendat illum abſoluere, & aliter non erit verè abſolutus, ita in noſtro caſu philoſophandum eſt.

57. Obiicies, quia ex hoc ſequitur primò, ſacramenta noſtra eſſe incerta, & dubia, & animos noſtros eſſe inquietos, quia non poſſumus eſſe certi de intentione miniſtri, cum nobis non conſtet. Secundò ſequitur, quòd malitia miniſtri alteri poſſit nocere quoad ſalutem, & vitam animæ, vt ſi miniſter baptizans puerum non haberet intentionem baptizandi illum, quod videtur nimis durum, quòd ſalus hominis pendeat ex arbitrio impij miniſtri.

Reſpondetur ad primam ſequelam, tantùm probare nos non habere certitudinem metaphyſicam, & ſpeculatiuam, quæ quidem non eſt neceſſaria; non tamen probat de certitudine morali, & ſufficienti ad pacandos animos; ſicut hac certitudine morali, quieſcit adultus credens ſuis parentibus à quibus accipit ſe baptizatum fuiſſe. Cùm enim Deus inſtituerit, vt ſacramenta fierent ab hominibus, voluit vt ab illis fierent humano modo, ſicut aliæ res humanæ fieri ſolent, quæ ſemper habent hanc incertitudinem ſpeculatiuam annexam, & coniunctam, vt patet in irritatione, & diſpenſatione voti, & in collatione beneficij, & in multis aliis, quæ quoad ſuam validitatem pendent ab intentione ſuperioris.

58. Ad ſecundam ſequelam, Alenſis 4. part. quæſt. 8. membr. 30. exiſtimat, in eo euentu Deum ſupplere defectum intentionis miniſtri, conferendo effectum ſacramenti, & gratiam puero, ne pereat. Hoc tamen mihi non probatur, atque ita concedendum eſt, in illo caſu, miniſtrum nocere puero, remouendo ab illo remedium ſalutis, & licèt videatur iniuſtum hominem priuari hoc remedio, abſque ſua culpa; tamen id non eſt in Deum refundendum, à quo ſufficienter prouiſum eſt hominibus, modo illo accommodato, ſed in miniſtrum iniquum, qui non applicauit remedium.

59. Obiicies ſecundò, quia etiam ſequitur, Baptiſmata ioco data, & miniſtrata à pueris, & ebriis, nulla eſſe, quia fuerunt ſine præfata intentione; hoc autem falſum eſt, quia pueri per iocum baptizati à puero Athanaſio, vt ritè baptizati habiti ſunt, & teſte Auguſtino tract. 5. in Ioan. Baptiſmus ab ebrioſo datus validus eſt, vt conſtat ex cap. *Baptiſmus*, de conſecratione. Reſpondetur, Baptiſmum miniſtratum ab ebriis, & totaliter vino captis, nullum eſſe; collatum verò ab ebrioſo, id eſt, ab illo, qui vino capi ſolet, ſed actualiter non eſt captus, validum eſſe, & ita intelligendus eſt Auguſt. & textus allatus. Baptiſmus autem collatus per iocum, & ludum, vt contingere ſolet in comœdiis, nullum eſt, quia fictè, & non verè fit: ſicut ille qui in comœdia dolet, vel amat, fingit ſe dolere, & amare. At Baptiſmata facta ioco, & recreationis gratia, verè tamen, valida ſunt. Sic fuit Baptiſmus Athanaſij, quia intendebat facere quod Epiſcopi, cuius ſignum eſt, quòd Athanaſius ſolos Catechumenos baptizabat.

60. Denique obiicies, quia ſi præfata intentio eſt neceſſaria, ſequitur, quòd baptizans, vel abſoluens, v. g. fœminam, quam putat eſſe virum, vel Paulum, quem putat eſſe Petrum, non conficere verum ſacramentum, quia cùm non ſit illa perſona ad quam ferebatur intentio miniſtri, neque erit eius intentio baptizare, ſed deſtruitur: ſicut deeſt intentio donantis, quando variatur perſona cui donare intendit: & ſicut in matrimonio deeſt intentio, & conſenſus, ſi ſit variatio, & error in perſona, & ideo eſt nullum. Reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem, in eo euentu, regulariter loquendo, miniſtrum habere intentionem conferendi ſacramentum perſonæ præſenti, licèt falsò exiſtimet eſſe Petrum, vel fœminam, quod accidentarium eſt ad ſacramentum. At ſi miniſter determinatè velit conferre ſacramentum huic perſonæ, ſcilicet determinatæ fœminæ cum excluſione aliarum perſonarum, quod regulariter loquendo,

quendo, fieri non licet, nullum esset sacramentum ex defectu intentionis. Sacramentum autem matrimonij, nullum est interueniente errore personæ, quia cùm sit quidam contractus, cuius materia, & res circa quam versatur, sunt ipsa corpora, quorum dominium mutuo traditur, intentio contrahentis limitatur ad hanc personam in particulari, cum exclusione aliarum; sicut contingit in aliis contractibus.

61. Dices, quando scienter excommunicatus, vel irregularis se ingerit Ordinibus, manet ordinatus, quamuis Episcopus dicat se non velle ordinare scienter excommunicatum, vel irregularem, vt monet Pontificale, cuius signum est, quòd is manet à iure suspensus ab executione Ordinum, quos suscipit; ergo intelligit ius esse verè ordinatum: præcipuè cùm contingit dispensare cum eo in pœna suspensionis, & non permittatur, vt rursus ordinetur. Respondetur, Episcopum habere intentionem efficacem, ordinandi illum, & cùm duæ intentiones contrariæ efficaces simul esse non possint, dicendum est, quòd prima illa intentio generalis si fuit intentio perfecta, qua noluit ordinare scienter excommunicatum, reuocata fuit saltem dum in particulari facto ordinat, & applicat materiam, & formam; nisi dicatur quòd illa prima intentio, & nolitio ordinandi fuit simplex quidam affectus nolitionis erga tale obiectum, & displicentia talis ordinationis, quæ esset sufficiens ad non ordinandum illum, si sibi innotesceret excommunicatio, cum quo actu displicentiæ, & affectu nolitionis stare potest intentio perfecta, & efficax, qui velit illum ordinare quod potest illustrari exemplo nolitionis, qua Christus mortem noluit, quam aliàs perfectè, & efficaciter voluit.

62. Inquires, quodnam sit obiectum formale intentionis ministri, quod est quærere, quid sit illud in quod immediatè, & distinctè fertur actus interior voluntatis ministri. Et ratio dubitandi est, quia multi Catholicorum existimant Hæreticorum baptismum non esse validum, quia cùm baptizent nomine suæ Ecclesiæ, videtur eorum intentio carere debito obiecto, & sic eorum sacramentum inualidum esse.

63. In hac re placet mihi sententia Scoti in 4. dist. 6. quæst. 5. quòd obiectum intentionis ministri est duplex, aliud proximum, & distinctum; aliud verò remotum, & generale, & confusum. Obiectum immediatum, & distinctum, est ipsa actio sacramentalis exterior, id est, ipsa confectio sacramenti, v.g. in Baptismo abluere, seu baptizare hominem, & in Eucharistia consecrare hostiam. Obiectum verò remotum, & confusum est, quando minister obiicit suæ intentioni aliquod obiectum, in quo implicitè, & quasi in confusa, & generali ratione, continetur id quod distinctum, & speciale est in quolibet sacramento: vt quando minister intendit facere, quod Christus instituit fieri, vel quod Ecclesia vniuersalis facit, vel quod Ecclesia aliqua particularis, vel quod Ministri facere solent: hæc & alia sunt obiecta generalia, quia in eis implicitè, & confusè continentur ea quæ sunt propria, & specialia cuiusque sacramenti.

64. Ad valorem ergo sacramenti, non est necesse, quòd intentio ministri habeat pro obiecto, illud quod est proprium, & distinctum in quolibet sacramento; sed quod habeat pro obiecto, vel distinctum, vel confusum, vel proximum, vel remotum; dummodo res quæ intenditur, contineatur in tali obiecto. nam sic intendendo talem rem, intenditur sacramentum. Vnde baptizati intendentes contrahere, nulla habita intentione expressa ad sacramentum matrimonij, illud conficiunt, quia cùm velint facere contractum, implicitè volunt sacramentum; quia talis contractus non est validus inter baptizatos, sine Sacramento, quandoquidem intendentes contrahere, intendunt facere quod faciunt alij Christiani, quando contrahunt, quod quidem est implicitè velle sacramentum. Similiter ille, qui in confectione sacramenti haberet intentionem faciendi, quod facit aliqua Ecclesia particularis, etiamsi illa erraret, v. g. Ecclesia Anglica, validum conficeret sacramentum, quia intentio faciendi sacramentum, scilicet Baptismum, continetur in illa intentione generali, faciendi quod facit Ecclesia Christi, quia licèt Ecclesia Anglica vt particularis erret, & sit contraria veræ Ecclesiæ; non tamen est illi contraria in illa intentione generali quæ habet pro obiecto Ecclesiam Christi: imò in isto obiecto conuenit cum illa, atque à Deo sic baptizans habet intentionem conficiendi sacramentum. Et hoc existimo esse verum, etiam in casu, quòd hæreticus Ecclesiæ Anglicæ velit sequi intentionem suæ Ecclesiæ, & intenderet non facere, quod facit Ecclesia Romana, & nolet se conformare cum illa. Scio nonnullos Recentiores sentire contrarium; existimo tamen, quòd intendens facere quod facit Ecclesia partialis, intendit facere quod facit Ecclesia Christi vniuersalis, cuius suam Ecclesiam putat esse membrum, licèt decipiatur in existimatione veræ Ecclesiæ. Validitas autem sacramenti non tollitur ex errore ministri circa Ecclesiam, sed ex defectu intentionis, quæ in prædicto casu non deficit. Idem censeo dicendum in casu, quòd præfatus hæreticus intenderet, quod Christus præcipit, & intendit, & nolit se conformare cum intentione Ecclesiæ Romanæ, quia in illo actu voluntatis includitur intentio, & voluntas faciendi sacramentum, quæ sufficit ad validitatem sacramenti.

65. Nec obstat, quòd hæc formalis, & expressa nolitio conformandi se cum intentione Ecclesiæ Romanæ, excludit illam virtualem intentionem, inclusam in voluntate faciendi quod Christus præcipit, & intendit. hoc, inquam, non obstat, quia cùm hæc nolitio, & contraria voluntas, oriatur ex ignorantia ministri existimantis, aliud esse quod Christus præcipit, ab eo quod Ecclesia Romana præcipit, & intendit, non destruit illam voluntatem faciendi quod Christus præcipit, atque adeò neque voluntatem faciendi sacramentum. Vnde talis intentio, propriè, & formaliter non est contraria primæ intentioni, sed solùm materialiter. nam intendens facere quod Christus præcipit, necessariò etiam intendit facere, quod Ecclesia Romana facit, cùm vnum, & idem sit: quòd si non vult id quod Ecclesia Romana vult, ideo est, quia existimat esse diuersum, ab eo quod Christus præcipit. Sicut si contrahentes haberent intentionem contrahendi, sicut Christus præcipit, & expressè nolent facere sacramentum, quia existimant, licèt falsò, matrimonium non esse sacramentum à Christo institutum, tunc verè facerent sacramentũ matrimonij, & secunda intentio non destrueret primam, quæ includit virtualiter intentionem faciendi sacramentum, eo quòd secunda intentio procedat ex errore; imò illa prima intentio contrahendi, vt Christus instituit, corrigeret errorem circa intentionem ortam ex illo.

SECTIO

Sectio VII.

Qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti,

66. NOtandum, quadruplicem intentionem posse considerari in Ministro, scilicet, actualem, habitualem, virtualem, & interpretatiuam. Prima dicitur, quando aliquis actu intendit conficere sacramentum. Intentio habitualis dicitur esse in eo, qui habet inclinationem, & promptitudinem ad actum sacramentalem, ex vsu, & consuetudine. Dicitur etiam quis habere voluntatem habitualem, quando priùs habuit voluntatem aliquid faciendi, & eam nunquam reuocauit; voluntas enim semel habita, habitualiter censetur remanere, donec reuocetur. Intentio virtualis est illa, quæ postquam quis actu aliquid facere intendit, & instituit, virtute illius intentionis prioris, exteriùs postea operatur, etiamsi tunc cùm operatur, de illa re non cogitet, & ideo dicitur virtualis intentio, quia oritur, & valet, ex vi, & virtute præcedentis intentionis actualis; licèt tempore conficiendi sacramentum non adsit, ob aliquam mentis diuagationem. Denique intentio interpretatiua, est quando quis vult aliquid, tantùm in causa, vt qui se inebriat credens non auditurum sacrum, hoc dicitur interpretatiuè, siue indirectè volitum.

67. Prima conclusio. Intentio habitualis non sufficit ad confectionem sacramenti. Ità Recentiores communiter, & probatur, quia hæc intentio potest esse in dormiente; hi enim multa aliquando faciunt ex habitu, quæ tamen neque ad præmium, neque ad pœnam deputantur, quia sine deliberatione fiunt.

68. Dices, quòd cùm aliquis vadit cubitum, & habuit intentionem suscipiendi Baptismum, si in somnis baptizaretur, esset verè baptizatus, & si in amentiam incideret post prædictam intentionem non reuocatam, si baptizaretur, esset etiam verè baptizatus, vt habetur in cap. *Maiores*, de Baptismo; ergo etiam dormiens, vel amens, vel ebrius, verum sacramentum conficerent, si in materia debita, formam proferrent. Respondetur, esse discrimen inter suscipientem, & conficientem sacramentum, quia recipiens non est agens, sed patiens, & ideo in suscipiente sufficit illa prior intentio, & vt non ponat obicem: at conferens sacramentum, est agens per rationem, & intellectum, & per operationem humanam; ac proinde debet habere intentionem.

69. Secunda conclusio. Intentio actualis non est necessaria ad conficiendum sacramentum. Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia si ad hoc esset necessaria actualis intentio, sequeretur, quòd si quis tempore proferendæ formæ, diuerteretur distractione naturali, non conficeret verum sacramentum, quod est falsum; non enim credendum, ita Christum instituisse sacramenta, vt subiecta essent periculo distractionis naturalis, quia frequenter contingeret, vt adhibita materia, & forma sine culpa ministri, irritum redderetur sacramentum, quod redundaret in detrimentum certitudinis circa administrationem sacramentorum.

70. Tertia conclusio. Intentio interpretatiua, prout à virtuali distinguitur, non sufficit ad validitatem sacramenti. Probatur, quia ad confectionem sacramenti, vt notat Vazq. in hoc loco, non sufficit voluntarium indirectum, seu in causa, sed requiritur voluntarium directum; quia Christus instituit, vt minister sacramentum intendat formaliter facere, quod præcipit Christus. Vnde si ebrius præuideret se in ebrietate consueuisse adhibere res, & verba, & inebriaret se, adhuc nihil faceret, quia talis voluntas, & intentio, non est humana, & libera secundùm se, non enim sufficit, quòd sit humana in causa; quia etsi ex voluntate indirecta procederet, non tenderet directè in materiam, & formam sacramentorum; nec vllo modo credendum est Christum voluisse suum sanguinem dispensari per ebrios, vel amentes medijs sacramentis.

71. Quarta conclusio. Virtualis intentio sufficiens est, & solùm necessaria, ad conficiendum verum sacramentum. Pro quo nota, quòd intentio præterita duplex esse potest, altera quæ nullum habet influxum in administratione sacramenti, vt si quis die externa proposuit baptizare infantem, & oblata occasione Baptismi baptizet illum die crastina, sine noua intentione. Alia verò intentio est, quæ habet influxum remotum in confectione sacramenti, vt cùm sacerdos intentione celebrandi confert se in Ecclesiam, induit se vestibus sacris, & præparat se ad celebrandum, tunc prior illa voluntas manet in mente, in primo illo effectu, & ex illo deriuatur in subsequentes, ratione connexionis quam habent; ac proinde quamuis illa prima actualis intentio, non duret actu toto tempore sacri, quia tamen manet in virtute in omnibus actibus subsequentibus ex illa prima intentione, ideo verè perficitur sacramentum.

72. Et probatur, quia vt sacramentum verè conficiatur, opus est adhibere materiam, & formam, ex intentione ministri, faciendi quod facit Ecclesia: sed prior illa voluntas, & intentio, quæ nullum habet influxum, non est sufficiens, vt ex illa dicatur adhiberi materia, & forma, quia illa particula, *ex*, denotat causalitatem, & influxum; ergo erit sufficiens, & necessaria altera intentio, & voluntas, quæ saltem remotè influit in confectionem sacramenti, quæ dicitur virtualis intentio.

73. Inquires, quando hæc virtualis intentio ab actuali intentione deperdeat, & quantum temporis intercedere sufficiat, vt prior illa actualis intentio dicatur manere in virtute. Respondeo, hanc intentionem virtualem manere in ipsa motione externa, postquam enim post debitam intentionem, minister applicuit potentias exteriores ad actionem sacramentalem, etsi interrumpatur interior intentio, ipsæ tamen potentiæ manent applicatæ, & continuant motus suos, & quandiu motio illa durat ex vi prioris applicationis, dicitur virtualiter manere. Durat autem hæc virtualis intentio donec finiatur, vel obtineatur res priùs intenta, vel donec per contrariam intentionem, vel superueniens aliquod impedimentum, interrumpatur.

SECTIO VIII.

An præfata intentio debeat esse absoluta, an sufficiat quòd sit conditionata.

74. CONditio dupliciter se habere potest respectu intentionis ministri, vno modo, vt conditio quæ apponitur sit de præsenti, vel de præterito, vt si minister absoluat, vel baptizet Petrum, sub hac conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo. Vel potest conditio apponi de futuro, vt si minister intendat, vel dicat, Absoluo te, si cras restitueris.

75. Prima conclusio. Intentio cum conditione de futuro, non sufficit ad validitatem sacramenti. Vnde hic modus absoluendi, Ego te absoluo, si cras restitueris, non valet, neque conficit sacramentum. Probatur, quia intentio affecta conditione de futuro, aduersatur actioni sacramentali, & illam vitiat, ac destruit; quia actio sacramentalis ex vi institutionis, est talis naturæ, quòd non sit pendens, neque suspensa quoad suum effectum, sed necessariò illum infert, modò non sit impedimentum ex parte subiecti: sed conditio de futuro facit, vt actio ministri sit pendens, & suspensa in ordine ad effectum, & ad sacramentum causandum; ergo intentio affecta tali conditione, aduersatur actioni sacramentali; ac proinde non sufficit ad validitatem sacramenti.

76. Præterea, quia intentio necessaria ad sacramentum, debet esse efficax actionis sacramentalis, & ipsius sacramenti, vt per se constat, sed intentio sub conditione de futuro, non est efficax. Quod sic probo, quia illa intentio, vel est efficax sacramenti, quando fuit ipsamet actio, ante adimpletionem conditionis de futuro, vel postea quando impletur conditio: non potest dici, quòd fuerit efficax ante impletam conditionem, vt patet ex vi, & natura conditionis de futuro, quæ suspendit effectum quousque aduenĩat adimpletio; præcipuè, quia cùm minister velit sacramentum fieri sub conditione de futuro, eius voluntas non potest esse efficax sacramenti, hîc, & nunc; imò hîc, & nunc, nolet sacramentum fieri. Secundò non potest dici quòd talis intentio sit efficax, quando impletur conditio, quia quando ponitur conditio, non extat materia, & forma sacramenti, & consequenter non est aliquid sensibile, cui possit conuenire significatio sacramentalis. Ab hac conclusione excipe matrimonium, quia in eo alia est ratio, & ideò sacramentum matrimonij potest contrahi sub conditione futura, vt dicitur in tractatu *de Matrimonio*.

77. Secunda conclusio. Conditio de præsenti, & de præterito, sufficiens est ad sacramentum. Probatur, nam conditio de præsenti, aut de præterito, aut omnino destruit intentionem, aut omnino illam absolutam, & efficacem facit. v. g. Si non es baptizatus, Ego te baptizo: illa conditio, vel re ipsa est adimpleta, vel non: si non est adimpleta, destruitur intentio, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est: si verò conditio sit adimpleta, intentio transit in absolutam, & ita conficit sacramentum. Et hæc est causa, quare iura consulant, fieri sacramenta sub conditione de præterito, vel de præsenti. nam adimpleta conditione conficitur sacramentum, si non adimpletur, nulla est intentio. Ex his

78. Infero primò quòd si quis baptizet hac intentione: Si non es hæreticus, ego te baptizo, validum conficit sacramentum, existente vera præfata intentione, quia hic habet voluntatem conficiendi sacramentum, & conditio est præterita, vel præsens: sicut quando qui baptizat sub hac conditione: Si non es baptizatus, ego te baptizo; & aliàs apponit debitam materiam, & formam, & nullum est impedimentum, vt suppono. Similiter sacramentum collatum sub hac conditione: Si es prædestinatus, ego te baptizo, validum est, quia etiam in isto casu militat eadem ratio. Aduertit tamen Suarius in hoc loco sectione 4. quòd sic baptizans peccaret mortaliter, quia sacramentum sub tali conditione esset omnino secundùm se incertum, quia humano modo sciri non possit, an sit baptizatus, cùm non constet de diuina prædestinatione, & ita tenet, sacramentum sub hac forma collatum, esse reiterandum.

79. Infertur secundò, intentionem baptizandi, vel absoluendi sub conditione de futuro necessaria, v. g. Si sol oriatur cras, ego te absoluo, vel baptizo, non conficere verum sacramentum, propter rationes suprà adductas. Idem dicendum est de intentione faciendi sacramentum in diem crastinum, vt si quis dicat: Ego te baptizo, vel absoluo in diem crastinum. nam sicut actio sacramentalis non admittit conditionem de futuro, ita neque admittit diem futurum, quia sicut suspenditur quoad effectum, & sacramentum causandum à conditione apposita de futuro, ita suspenditur à die apposita ex intentione ministri, quod quidem contrariatur actioni sacramentali, quæ, vt dictum est, non potest esse suspensa quoad suum effectum, & sacramentum, sed illum statim infert.

DISPVTATIO VI.

De suscipiente Sacramenta.

SECTIO I.

Quæ intentio requiratur in suscipiente.

1. IVXTA quadruplicem intentionem expositam, disputat. præcedenti, declarandum est, quæ intentio requiratur, & sufficiat in suscipiente sacramenta. Et primò certum est, in infantibus, vel adultis perpetuò amentibus, nullam requiri intentionem, ac proinde validè suscipere ea sacramenta, quorum capaces sunt, quamuis nullo modo id intendant, v. g. Baptismum, & Confirmationem, cùm nullum possint actum voluntatis elicere. Præterea certum est, omnino inuitis, & voluntate repugnantibus, & contradicentibus, vel iis qui habuerunt voluntatem, nunquam suscipiendi sacramentum, & antequam eam reuocarent in amentiam inciderunt, inualidè conferri sacramentum. Ita communiter Doctores, & habetur in cap. *Maiores*, de baptismo.

2. Sit conclusio. In adultis si sint rationis compotes, sufficit quælibet intentio, siue actualis, siue virtualis, siue habitualis, vt validè suscipiat sacramentum; ac proinde non esse necesse, vt actu id intendat, dum suscipit, sed sufficere vt aliquando intenderit,

Digitized by Google

intenderit, & nunquam reuocauerit. Hæc concluſio eſt concors ſententia Theologorum, & praxis totius Eccleſiæ. Et ratio eſt, quia ſic pertinebat ad ſuauem Dei prouidentiam, quia ſicut nullum iuſtificat ſine eius conſenſu, ita abſque eius conſenſu nullum per ſacramenta conſecraret; ac proinde qui ratione vſus aliquando eſt, ſuſcipit inualidè ſacramentum, quod nulla vnquam ratione expetiit. An verò ſufficiat voluntas merè interpretatiua, dubium eſt; probabilius credo non ſufficere, vt ſi quis ſponte credens ſe ebrium, baptizandum, aut ordinandum, ſponte ſe inebriaret, in quo caſu inualidè ſuſcipéret ſacramentum. ita Coninch in hoc loco. Addit tamen Bonacin. vt alicui validè conferatur ſacramentum, ſufficere vt petierit implicitè, quod probat ex Conc. Carthag. III. cap. 34. & Arauſic. cap. 11. vbi dicitur, ſubitò obmutéſcenti conferenda ſacramenta, ſi ea antè petierit; ac proinde exiſtenti in articulo mortis, validè adminiſtrari ſacramenta, ſi catholicè vixit. nam catholicè viuendo, cenſetur implicitè ea petiiſſe, & velle ſibi conferri ſacramenta ab Eccleſia, morientibus conferri ſolita, & ita ſi ſubitò deſtituatur ſenſibus, & vſu rationis debet inungi. Similiter illis qui actum veræ contritionis, vel attritionis de peccatis elicuerunt, validè poteſt conferri Baptiſmum, cenſentur enim implicitè petere, quia in huiuſmodi actu virtualiter continetur propoſitum ſeruandi omnia præcepta ad ſalutem neceſſaria, quorum vnum eſt, præceptum ſuſcipiendi Baptiſmum. Similiter adultus baptizatus ſine expreſſa intentione validè confirmatur, ſi incidat, v. g. in amentiam, quia eo ipſo quòd piè, & catholicè vixit, cenſetur aliquo modo deſiderare, ſibi conferri omnia ea ſacramenta, quæ omnibus Chriſtianis ſunt valdè vtilia, qualis eſt Confirmatio. Aduertit tamen Coninch, & rectè, aliam eſſe rationem de ſacramento Ordinis, quia cùm contineat tantam ſtatus mutationem, nemo cenſendus eſt petere, niſi aliquando expreſſerit talem voluntatem. Quid verò dicendum ſit in ſacramento Pœnitentiæ, dicetur ſuo loco, ob ſpeciales difficultates.

SECTIO II.

An Sacramenta recedente fictione ſuum producant effectum.

3. PRæſens difficultas procedit, quando ſacramentum integrum ſuſcipitur, quoad eſſentialia, tamen ſine effectu; ob indiſpoſitionem ſuſcipientis, quia non accedit legitimè diſpoſitus, & ideo effectum eius non recipit; an in eo caſu ſublato obice, & accedente diſpoſitione, quam ſuſcipiens prætermiſerat, ſacramentum gratiam producat: quod eſt quærere, an ſacramentum informe aliquando proſit, v. g. An adultus, qui bona fide recipit Baptiſmum, ſine attritione, poſita attritione, recipiat effectum Baptiſmi, quem antea receperat.

4. Pro deciſione notandum eſt, quòd obex gratiæ poteſt eſſe duplex; *primus* eſt omnino poſitiuus, v. g. quando quis actualiter peccat ſuſcipiendo ſacramentum, vt ſi ſciens ſe eſſe in peccato mortali, ſacramentum ſuſcipit. *Secundus* eſt, quaſi negatiuus, vt cùm quis indiſpoſitus accedit ad ſacramentum, hoc tamen inuincibiliter ignorat, & ideo non peccat, non tamen recipit effectum ſacramenti, ob defectum diſpoſitionis requiſitæ.

5. Prima concluſio. Cùm quis inculpabiliter prætermiſit attritionem, & dolorem ad fructum ſacramenti requiſitum; atque adeò recipit ſacramentum cum fictione, ſublata fictione, hoc eſt, poſito dolore requiſito, conſequitur effectum ſacramenti. Ita Suarez diſput. 28. ſect. 6. & Coninch quæſt. 62. art. 1. dub. 6. Et probatur exemplo Baptiſmi, qui ſublata fictione producit ſuum effectum, quia effectus proprius Baptiſmi, qui eſt regenerare hominem, remittere originale peccatum, & alia mortalia, quæ cum illo ſunt coniuncta, ita eſt Baptiſmi proprius vt à nullo alio ſacramento fieri poſſit; ergo neceſſe eſt, vt ablata fictione, præcedens Baptiſmus efficiat hunc effectum, vel vt iteretur Baptiſmus; Baptiſmus autem vt eſt de fide, iterari non poteſt; ergo neceſſe eſt, vt præcedens Baptiſmus conferat talem effectum, recedente fictione; ergo illum effectum etiam producunt reliqua ſacramenta, vt magis infra ex dicendis conſtabit.

6. Nec obſtat, quòd quando ſuppletur diſpoſitio, quæ fuerat prætermiſſa in ſuſceptione ſacramenti, iam non eſt ſacramentum, cùm iam præceſſerit; quod autem non eſt, nullum poteſt producere effectum. Hoc, inquam, non obſtat, quia vt ſuprà docuimus, effectus ille propriè non fit ab ipſo ſacramento, ſed à Deo intuitu ipſius ſacramenti, vt latè oſtendimus in diſputatione de cauſalitate ſacramentorum.

7. Secunda concluſio. Peccata quæ ſunt ſimul cum ipſo ſacramento, vel perpetrata poſt illum: imò ipſa ſuſceptio ſacramenti, quando eſt peccatum mortale, non remittuntur recedente fictione, ſed neceſſaria eſt, vel contritio, vel attritio ſimul cum ſacramento Pœnitentiæ, atque adeò omnia ſunt neceſſariò in confeſſione aperienda. De ipſa fictione, & de peccatis poſt ſuſceptum ſacramentum commiſſis, res eſt clara, & in eo conueniunt omnes Doctores, & conſtat ex Conc. Tridentino ſeſſ. 6. can. 10. vbi aſſeritur, peccata per Baptiſmum commiſſa non poſſe per Baptiſmum deleri, ſed per pœnitentiam. Et ratio eſt, quia ſacramenta non ſunt inſtituta, ad remittenda peccata futura poſt ſui ſuſceptionem commiſſa, quia ſacramenta nobis applicant merita Chriſti dum ſuſcipiuntur, idque ad effectum determinatum, & certum, & non ad indeterminatum, & vagum.

8. Secunda verò pars probatur, quia huiuſmodi peccata computantur inter ea quæ ſubſequuntur ſacramentum; peccatum autem ſubſequens, ſuſceptione ſacramenti, non remittitur ſine contritione, aut ſacramento Pœnitentiæ. Ita Suarez loco citato.

9. Obiicies D. Thom. art. 10. ad 2. vbi poſtquam de fictione aſſerit, non remitti per ſacramentum Baptiſmi, ſed per pœnitentiam, de cæteris peccatis, ſiue præcedant, ſiue ſimul cum Baptiſmo exiſtant, aſſerit, per ipſum Baptiſmum remitti. Reſpondetur, quod ſi nobis conſtaret illa peccata, quæ committuntur dum Baptiſmus, v. g. ſuſcipitur, eſſe omnino peracta ante vltimum inſtans, quo ille eſſentialiter completur, in eo caſu fatendum eſt, ſufficere attritionem; illaque peccata per Baptiſmum eſſe remittenda, & non eſſe materiam confeſſionis, vt rectè Suarez, & Coninch locis citatis, quia prædicta peccata ante ipſum commiſſa ſunt, & de his loquitur D. Thom. loco citato. Nos autem loquimur de his peccatis, quæ in illo inſtanti adhuc actu durant, quia cùm ſuſci-

piens eodem instanti, quo intelligitur perfectus Baptismus, intelligatur baptizatus, etiam intelligitur subiectus Ecclesiæ; cùm ergo illius peccatum adhuc in eo instanti duret, quia verum est adhuc in eo instanti peccare, asserendum est, illud esse commissum à subiecto Ecclesiæ, omne autem peccatum commissum à subiecto Ecclesiæ, subiacet clauibus, & est materia pœnitentiæ; ergo.

10. Ex his infero, quòd obex primi generis, non potest tolli per solam attritionem sine sacramento; secus verò si obex sit secundi generis, is enim tollitur per attritionem, sine sacramento Pœnitentiæ.

11. Inquires, quæ sacramenta habeant effectum recedente fictione. Respondeo cum D. Augustin. in libris de Baptismo contra Donatistas, sacramentum Baptismi habere hunc effectum. Præterea, idem est etiam dicendum de Confirmatione, & Ordine, quia cùm hæc tria sacramenta imprimant characterem, & non sint iterabilia, debuit gratia, quæ ex diuina institutione annexa est characteri, posse conferri hoc modo, videlicet, recedente fictione: aliàs multi perpetuò destituerentur gratia debita ratione horum sacramentorum. Idem probabile est de matrimonio, quia eadem etiam huius est ratio cùm aliqua ratione perpetuum sit, nec solui possit viuente coniuge, nec reiterari. Similiter eadem ratio militat in extrema Vnctione, quia existente eadem infirmitate iterari non potest. De sacramento Pœnitentiæ est grauis difficultas infrà suo loco tractanda, an possit dari confessio informis. Denique probabilius existimo solam Eucharistiam non conferre suum effectum remoto obice, & hoc ob maximam sui excellentiam, quia in suscipiente exigit moralem certitudinem.

Sectio III.

An indignè petenti Sacramenta possint administrari.

12. PRima conclusio. Indignè petenti sacramenta, nullo modo sunt administranda. Probatur, quia sacerdoti commissa est administratio sacramentorum, tanquam seruo prudenti, & fideli; qui autem indigno sacramenta administrat, non se habet vt seruus fidelis & prudens, atque adeò ex præcepto illi impositio, tenetur nullo modo sacramenta administrare indigno, hanc etiam obligationem colligit Suarius disput. 18. sect. 2. quia hoc esset cooperari peccato alterius, atque adeò ministet sacramenta ministrando indigno, cooperaretur indignæ susceptioni illius; si enim suscipiens indignus est, proculdubio susceptio mala est.

13. Quia tamen indignè petens sacramentum, aut est peccator publicus, aut occultus; & petit publicè, aut occultè, vt res hæc magis declaretur.

14. Sit secunda conclusio. Peccatori publico de cuius delicto constat in iudicio, vel quia commissum est in præsentia multorum, ita vt non possit vlla tergiuersatione celari, non sunt administranda sacramenta, siue publicè petat, siue occultè. Et idem censeo de eo qui suspectus est de aliquo crimine, modo suspicio non sit leuis, ita vt moralem quamdam certitudinem inducat. Hæc conclusio probatur rationibus allatis pro prima conclusione.

15. Tertia conclusio. Peccatori occulto, administranda sunt sacramenta, si publicè petat, non tamen quando petit occultè. Prior pars probatur exemplo Christi Domini, qui non denegauit sacramentum Iudæ, esset enim eum infamare; ex quo magna perturbatio, & scandalum oriretur in populo.

16. Secunda pars probatur ex rationibus adductis, quam limita, modò peccator non sit cognitus solùm in confessione; ob id enim non debet expelli à sacramentis, propter peccatum occultum tantùm in confessione cognitum, esset enim vti scientia confessionis, quod illicitum est.

17. Sufficiat pro nunc hæc doctrina generalis, nam peculiares difficultates quæ se offerunt, commodius suis locis dissoluemus, tractantes de singulis sacramentis.

DISPVTATIO VII.

De numero Sacramentorum.

Sectio Vnic.

An sint septem Ecclesiæ Sacramenta.

1. CONCLVSIO est affirmatiua. Septem sunt sacramenta nouæ legis, nec plura, nec pauciora: videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium; hæc conclusio est de fide diffinita in Tridentin. sess. 7. can. 10. Et colligitur ex sacra Scriptura. nam de Baptismo Ioan. 3. dicitur, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.* Ioan. 3. De Confirmatione Actorum 8. & 19. vbi Apostoli imponebant manus super baptizatos, vt eis daretur Spiritus sanctus. De Eucharistia Ioan. 6. Matth. 26. Lucæ 22. & Marci 14. de Pœnitentia Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Ioan. 20. De Ordine, præter verba Christi Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Matth. 26. rectè intelligitur locus ille 2. ad Timotheum 1. *Admoneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ in te est, per impositionem manuum mearum.* 2. Tim. 1. De Extrema vnctione Iacobi 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo sancto.* Iacob. 5. Denique de matrimonio, ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est*, quæ testimonia amplius suis locis illustrabuntur. Ephes. 5. Atque hæc fuit perpetua traditio Ecclesiæ, & consensus omnium sanctorum Patrum, & totius populi Christiani. Et ratio potissima huius rei est Christi Domini institutio, & voluntas.

2. Huius rei optima congruentia, & communiter recepta, est illa qua vsus est D. Thom. quæst. 65. artic. 1. sumpta ex analogia inter corporalem, & spiritualem vitam. Nam sicut in vita corporali primò est generatio, secundò corroboratio, tertiò nutritio, & auctio, quartò curatio à morbo, quintò, si opus fuerit armatur ad prælium in sui defensionem, sextò propagatio filiorum pro conseruatione Reipublicæ, septimò gubernatio illorum in statu honorifico, ita in vita spirituali, Baptismus necessarius est ad regenerandos homines.

nes, Confirmatio ad robur, & augmentum vitæ spiritualis. Eucharistia ad conseruandam, nutriendam, & augendam charitatem. Pœnitentia ad curandos morbos animæ. Per Extremam vnctionem armatur homo ad prælium mortis. Per Matrimonium licitè intendit propagationi: ac denique per ordinem constituitur in statu honorifico.

3. Notandum tamen est, quòd licèt Trident. vbi suprà diffinierit, septem tantùm esse sacramenta, non tamen definiuit singula dicere speciem vltimam: hoc enim controuersum est inter Doctores. Probabilius censeo cum Suario loco citato, omnia esse vltimas species sacramentorum. nam tota varietas, vel multitudo, quæ reperitur in aliquibus sacramentis, ordinatur ad perficiendum vnum integrum sacramentum. Quòd si sancti Patres aliquando alios ritus, vel cerimonias, sacramenta vocant, non loquuntur in propria, sed in lata significatione.

4. Denique aduertendum est, ad conficienda sacramenta, duplicem ritum requiri, vnus essentialis, qui est de necessitate sacramenti; alter accidentalis, qui est de necessitate præcepti: ad ritum essentialem requiritur materia, forma, & intentio ministri; ad ritum verò accidentalem requiruntur certæ cerimoniæ, seu actiones externæ, & religiosæ, quibus sacramenta decorè, & ornatè ministrantur, iuxta præscriptum Ecclesiæ. Vnde sacramenta nec licitè, nec validè administrantur, sine ritu essentiali; at verò sine ritu accidentali licèt validè administrentur, non tamen licitè, quia tenemur nos accommodare ritibus Ecclesiæ, in administratione sacramentorum; ac proinde variare ritus, & cerimonias Ecclesiæ, est peccatum mortale ex suo genere contra Religionem, nisi quis ob leuitatem materiæ à mortali excusetur.

TRACTATVS XXII.

DE EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

DISPVTATIO I.

De ſacramento Euchariſtiæ ſecundùm ſe.

SECTIO I.

An Euchariſtia ſit Sacramentum.

1. DIVINISSIMVM hoc Euchariſtiæ ſacramentum, propter eius multiplices, ac inenarrabiles virtutes, in ſacra Scriptura, atque in doctrina Patrum, & Eccleſiæ catholicæ, varia ſortitur nomina: vt docuit D. Thom. quæſt. 73. art. 4. Primò enim propter externam, & viſibilem formam, appellatur *panis* ſimpliciter, panis intellectus, panis viuus, aut vitæ. Ioan. 6. 1. Corinth. 10. & 11. & de conſecrat. diſt. 2 per multa capita, quæ ſunt præcipuè D. Auguſt. & aliorum Patrum. Appellatur etiam *Viaticum*; tum quia in hac via vitæ ſpiritualis nos ſuſtentat: tum etiam, quia Eccleſia fideles ſuos ad aliam ingreſſuros, hoc ſacramento munit. Dicitur etiam *hoſtia*, & *ſacrificium*, quia non ſolùm vt eſſet ſacramentum, ſed etiam vt eſſet ſacrificium, fuit à Chriſto inſtitutum. Vocatur etiam *Cœna Dominica*, 1. Corinth. 11. quam vocem hæretici huius temporis libenter vſurpant, imò vix alia vtuntur, vt hoc ſimplici nomine denotent, non habere rationem ſacramenti, niſi in actuali vſu, & congregatione multorum. Ac proinde recte monet Oxomenſis in hoc loco Catholicos debere hac voce abſtinere, ne videantur cum hæreticis conuenire, etiam in nomine. Sed inter omnia nomina huius ſacramenti vſitatius, & communius eſt *Euchariſtia*, quo, quantum coniicere poſſumus, primus vſus eſt D. Ignatius, in epiſt. ad Smirnenſes.

2. Circa quod nomen, id poſſumus notare, quod Maldonatus adnotauit in præfatione ad quatuor Euangelia, cap. 1. circa nomen Euangelij, quòd licèt aliquando hoc nomen apud prophanos ſcriptores inueniatur: tamen propriè eſt nomen Eccleſiaſticum nam apud illos, non tam frequenter dicitur euangelizare, quàm vangelizare, etiam in fauſtiſſimis nuntiis. Ita ſimiliter prophani Auctores, non tam nomine Euchariſtiæ, quàm Chariſtiæ vtebantur, quando ſignificabant feſtum quoddam ſolemne, in quo à ſolis cognatis, & affinibus, ſympoſia, hoc eſt, conuiuia, & compotationes agitabantur, ſeu crebrò fiebant; donaque mutuò dabantur, vt ſi qua inter eos eſſet orta querela, inter ſacræ menſæ, & animorum hilaritatem, tolleretur, vt tradit Valerius Maximus lib. 2. exemplorum moralium cap. 1. vnde Ouidius lib. 2. Faſtorum,

Proxima cognati, dixere Chariſtia chari:
Et venit ad ſocios, turba propinqua Deos.

vt latiùs proſequitur Salmeron in epiſt. ad Aſtudillo tom. 4. in fine.

3. Ab Eccleſia autem, & Sanct. Patribus non Chariſtia, ſed Euchariſtia vocatur conuiuium illud inenarrabile à Chriſto Domino inſtitutum, in quo proprio ſanguine, & carne, fideles ſuos paſcit, gratiam illis, atque charitatem abundantiſſimè huius ſacramenti miniſterio largiens: vt omnis querela, ſi qua inter Deum, & homines, aut inter homines ipſos exorta eſt, inter huius ſacræ menſæ conuiuium, & ſpirituale gaudium, penitus deponatur: habet enim hanc vim præcipuè ſacramentum hoc; atque hunc in animis noſtris producit effectum. Vnde accommodatiſſimè in Trident. ſeſſ. 13. cap. 8. appellatur, *Signum vnitatis, vinculum charitatis, pacis, & concordiæ ſymbolum.* Et eadem ratione à Græcis, alio nomine dicitur *Synaxis*, quod latinè ſonat, congregatio, vel communio: quia ratione illius, fideles adunantur, & ſimul vniuntur, vt ſint vnius corporis viua membra, cuius caput eſt Chriſtus. Iuxta illud 1. Corinth. 10. *Panis quem frangimus, nonne communicatio Chriſti eſt? vnus panis, vnum corpus Chriſti ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Trident. 1. Cor. 10.

4. Quamuis verò Euchariſtiæ nomen communiter ſoleat explicari, quod latinè ſonat, bonam gratiam, ſeu gratiarum actionem: iuxta quam ſignificationem tam D. Thom. quàm cæteri Theologi, hoc nomen huic ſacramento conantur adaptare: exiſtimo tamen in illo potiùs fieri alluſionem ad conuiuium relatum, quod Chariſtia appellabatur, propoſita particula *Eu*, ſignificante bonitatem, propter excellentiam huius conuiuij; ſicut in nomine Euangelij, & ad denotandum, quantum Euchariſtia noſtra, Ethnicorum Chariſtiam excedat.

5. Hoc ergo poſito, concluſio eſt affirmatiua, & de fide; Euchariſtiam eſſe verè, & propriè ſacramentum nouæ legis, diſtinctum à cæteris; quod conſtat ex communi, & perpetua traditione Eccleſiæ, & ex pluribus Conciliis, vbi hæc veritas diffinitur; & denique in Trident. ſeſſ. 7. can. 1. anathematizantur oppoſitum dicentes, & ſeſſ. 13. per totam. Eſtque hæc veritas adeò recepta, vt nec hæretici noſtri temporis, qui de numero ſacramentorum variè loquuntur, vnquam auſi fuerint negare Euchariſtiæ ſacramentum, vt notat Bellarm. lib. 2. cap. 24. Quod probat D. Thom. hac congruentia:

quia

quia sicut conueniebat institui aliquod sacramentum, quo simpliciter renascceremur; ita conueniebat institui sacramentum, per quod spiritualiter nutriremur; quod fit per Eucharistiam.

6. Quòd denique sit sacramentum ab aliis diuersum, constat, quia habet materiam, & formam ab aliis diuersam, & diuersum modum significandi gratiam, quam confert. nam in confirmatione, de qua est specialis difficultas, quomodo distinguatur ab hoc sacramento, datur augmentum gratiæ per modum roborantis ad pugnam spiritualem, vt docet S. Thom. suprà quæst. 60. art. 1. Eucharistia verò ad nutriendum, & augendam vitam animæ, & ideo datur sub specie cibi corporei, vt insinuetur eosdem effectus causare in anima, quos cibus naturalis in corpore. At confirmatio datur sub chrismate, vt insinuetur non quidem alere ex propria institutione, sed vngere, & confortare hominem ad luctam, instar veterum luctatorum, qui oleo vngebantur, & ad luctam parabantur.

Sectio II.

In quibus essentia sacramenti Eucharistiæ intrinsecè consistat.

7. IN Eucharistia plura reperiuntur, de quibus potest dubitari, an sint essentialiter sacramentum. *Primum* est consecratio specierum. *Secundum* ipsæ species panis, & vini iam consecratæ, quæ sunt accidentia illa post consecrationem manentia, à subiecto separata. *Tertium* corpus, & sanguis Christi, quæ realiter existunt sub speciebus consecratis. *Quartum* sumptio illarum specierum, & corporis, & sanguinis Christi sub illis contenti. Et denique vltimum, gratia sacramentalis, quæ post hanc sumptionem efficitur in anima dignè communicantis. de qua conueniunt omnes non esse sacramentum, sed effectum sacramenti.

8. Hinc exortæ sunt variæ Theologorum sententiæ. Et primus error fuit hæreticorum, vt refert Castro de hæresibus, verbo Eucharistia, hæresi 11. asserentium, sumptionem Eucharistiæ esse hoc sacramentum. Non tamen eodem modo loquuntur omnes. Quidam dicunt solam sumptionem esse hoc sacramentum. Alij verò esse partem sacramenti: quia existimant totum sacramentum consistere in collectione omnium illarum actionum, quas Christus in vltima cœna gessit: videlicet benedictione, fractione, distributione & sumptione. Vtrique verò negant sacramentum hoc esse rem permanentem; atque ita negant posse custodiri in Ecclesia, ad infirmos deferri, &c.

Inter Catholicos verò, *prima* sententia tenet, verba consecrationis esse sacramentum. ita Gabriel in 4. quæst. 1. dub. 12. *Secunda* sententia affirmat, sacramentum Eucharistiæ non esse aliud, quàm actionem sacramentalem consistentem in consecratione materiæ, seu in actione illa mirabili qua conuertitur panis in corpus Christi, & vinum in sanguinem eius, quæ ideo dicitur consecratio; quia per illam species consecrantur, id est, sacræ, & venerandæ fiunt, continentes rem sacratissimam, videlicet corpus & sanguinem Christi. ita Caietan. quæst. 63. art. 6. *Tertia* sententia tenet, corpus & sanguinem Christi esse Eucharistiæ sacramentum. ita VValdens. tom. 2. cap. 21. *Quarta* sententia affirmat, sacramentum Eucharistiæ essentialiter constare ex speciebus consecratis, & ex corpore, & sanguine Christi Domini, ita vt ad essentiam, & substantiam huius sacramenti vtrumque pertineat. ita Suarez disp. 52. sect. 3. Vazquez disp. 167. cap. 5. Coninch quæst. 73. art. 1. dub. vnico. *Quinta* denique sententia est, species panis & vini consecratas, esse essentialiter hoc sacramentum. ita D. Thom. art. 6.

9. Prima conclusio. Sacramentum Eucharistiæ consistit in aliqua re permanente, & habente esse ante sumptionem. Est de fide definita in Trident. sess. 13. cap. 3. & probatur ex verbis consecrationis: *Hoc est corpus meum, & hic est calix sanguinis mei*; hæc enim verba proferuntur ante sumptionem: ergo ante illam datur verum sacramentum. Consequentia probatur, tum ex illo communi proloquio D. Augustini tract. 80. in Ioan. *Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum.* Sed ante sumptionem, accedit verbum ad elementum; ergo ante illam factum est Eucharistiæ sacramentum. Tum etiam, quia illa verba in instanti terminatiuo prolationis habuerunt suam veritatem; sed inter illud instans, & sumptionem, intercedit aliquod tempus: ergo toto illo tempore iam factum erat sacramentum. Maior constat ex Trident. vbi suprà. *Nondum*, inquit, *Apostoli Eucharistiam de manu Domini susceperant, cum tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat.* Confirmatur, quia sacramentum hoc seruatur in sacrario, defertur ad infirmos, in processionibus circumfertur, & adoratur, & non solùm esse sacramentum reputatur, dum est in ore fidelium: ergo hoc sacramentum habet esse permanens ante sumptionem. Augustin. Trident.

10. Ex quo infertur *primò* Eucharistiam in nulla actione essentialiter consistere, neque in collectione omnium illarum, quas Christus in vltima cœna exercuit, quia non esset res permanens, vt fides docet. Infertur *secundò* sumptionem, & esum huius sacramenti, neque esse ipsum sacramentum, neque partem essentialem eius, quia hoc sacramentum habet suum esse ante sumptionem. Infertur *tertiò*, quoties Sacerdos conficeret Eucharistiam, sine vllo ordine ad sumptionem, sed ad alium quempiam finem, licèt grauissimè peccaret, conficeret tamen verum, & integrum sacramentum, quod tandiu duraret, quandiu species manerent incorruptæ. Itaque, vt vno verbo dicam, sumptio non est sacramentum; est tamen conditio necessaria requisita, vt sacramentum operetur, & gratiam conferat; quia per sumptionem species sacramentales applicantur.

11. Secunda conclusio. Consecratio sumpta pro actione consecratiua, seu pro mirabili illa actione qua panis, & vinum, conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, non est sacramentum Eucharistiæ. Probatur, quia consecratio hoc modo non est res permanens, ti quidem est actio quædam instantanea: at sacramentum Eucharistiæ est res permanens, & durabilis: ergo consecratio non est sacramentum. Confirmatur, quia consecratio est via ad sacramentum, ponendo corpus Christi sub speciebus; & non est sensibilis, sed inuisibilis productio sacramenti: ergo consecratio sumpta pro actione, nec est sacramentum, nec pars sacramenti.

12. Tertia conclusio. Verba consecrationis, siue consecratio sumpta pro verbis consecratoriis, non est integrum sacramentum Eucharistiæ, imò nec sacramentum aliquod ab Eucharistia distinctum; sed pars sacramenti. *Prima* pars conclusionis probatur, supponendo verba esse formam sacramenti

Euchariſtiæ: quia ſola forma ſacramenti non poteſt eſſe integrum ſacramentum; ſed conſecratio ſumpta pro verbis, eſt forma huius ſacramenti: ergo non eſt integrum ſacramentum. Conſequentia eſt manifeſta, & maior etiam eſt euidens ex terminis. nam nihil eſt forma ſui ipſius: ſi ergo verba ſunt forma ſacramenti, non poterunt eſſe integrum ſacramentum. *Secunda* pars, videlicet quòd ſimpliciter non ſit ſacramentum aliquod ab Euchariſtia diſtinctum. Probatur, quia ſacramenta nouæ legis ſunt tantum ſeptem, & non plura, neque pauciora: vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 7. Can. 1. ergo conſecratio ſumpta pro verbis, non poteſt eſſe aliquod ſacramentum ab Euchariſtia diſtinctum. *Tertia* denique pars manet probata tract. præcedenti diſp. 1. & eam noniſſimè defendit, & latiſſimè probat Lugus diſp. 1. ſect. 4. & 5. per totam.

13. Quarta concluſio. Species panis, & vini pertinent ad rationem eſſentialem huius ſacramenti. Ita communiter Theologi, & probatur ex Trident. ſuprà, vbi diffinitur, in almo Euchariſtiæ ſacramento, poſt panis, & vini conſecrationem, Chriſtum ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri, & anathematizantur, qui dixerint in Oſtiis, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt conſecrationem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere corpus Domini. Præterea, quia ſpecies conſecratæ ſunt ſigna ſenſibilia gratiæ: ergo ſunt ſacramentum; ſignificant enim corpus, & ſanguinem Chriſti, vt ex prædictis conſtat: ſignificant etiam vltimum effectum, & rem huius ſacramenti, videlicet vnitatem fidelium, quæ ſit mediante gratia in illo collata, vt

1. Cor. 10. colligitur ex Paulo 1. Corinth. 10. *Vnus panis, vnum corpus Chriſti multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.*

14. Quinta concluſio. Negari non poteſt corpus Chriſti aliqua ratione pertinere ad eſſentiam ſacramenti Euchariſtiæ, non vt materia, neque vt forma intrinſeca, ſed vt connotatum eſſentiale, aut forma extrinſeca, quia ſcilicet eſt obiectum ſignificationis ſpecierum, & terminus continentiæ earum. In hac concluſione exiſtimo omnes Theologos conuenire, etſi rectè intelligatur, de illa non poteſt eſſe controuerſia. Pro cuius intelligentia nota, obiectum, vel terminum alicuius relatiui, ſiue prædicamentalis, ſiue tranſcendentalis, comparari ad ipſum, tanquam forma, quia ab illo ſumit ſuam ſpeciem: eſt autem proprium formæ conſtituere rem in ſuo eſſe ſpecifico; verùm huiuſmodi forma non eſt intrinſeca, cum plerumque ſit in ſubiecto diſtincto; neque etiam ingreditur conſtitutionem rei in recto, quia forma quæ in recto conſtituit ſimul cum materia, prædicatur de ſuo conſtituto; ſic enim dicimus, homo eſt corpus, & anima ſimul. At obiectum, vel terminus nunquam in recto hoc modo prædicatur: non enim dicimus, ſcientia eſt ſuum obiectum, & ordo ad ipſum, ſed ſolùm eſt ordo ad ipſum obiectum, vbi obiectum prædicatur in obliquo. Ex quo prouenit, vt relatiuum nunquam ſupponat pro obiecto, vel termino, ſed tantùm connotet illud in obliquo. Cæterùm licèt ſit forma extrinſeca, quia tamen aliquo modo habet rationem formæ eſſentialis, inde fit, vt multa de huiuſmodi forma dicantur, quæ formæ intrinſecæ; & veræ eſſentiali tribui ſolent, vt quod determinat potentialitatem materiæ, quod ſpecificat, quòd compoſitum, ſine illa eſſentialiter intelligi non poſſit.

15. Ad propoſitum ergo, cùm ſacramentum Euchariſtiæ, ſicut cætera omnia, ſit in genere ſigni; ſignum autem dicat ordinem ad ſignatum, & ſpecialia ſacramenta diſtinguantur penes hoc, quòd dicunt ordinem ad ſpecialia, & diuerſa ſignata formaliter, neceſſe eſt, vt ipſum ſignatum in quolibet ſacramento, habeat rationem formæ extrinſecæ à qua ſumitur ſpecies. In hoc autem ſacramento pricipale ſignatum eſt corpus Chriſti, & ſanguis eius, quæ per ſpecies ſacramentales, poſt conſecrationem repræſentantur: ex quo fit, vt corpus, & ſanguis Chriſti aliquo modo pertineant ad eſſentiam huius ſacramenti, & ab illis ſpecialis eius ratio ſumatur, & quod dictum eſt de hoc ſacramento, in quantum eſt ſignum quoddam, poteſt etiam dici de eodem, in quantum eſt continens corpus, & ſanguinem Chriſti. nam continens etiam dicit ordinem ad contentum. Et ratio huius eſt, quia ſi ſpecies non continerent corpus, & ſanguinem Chriſti, non eſſent ſignificatiuæ gratiæ; neque panis vitæ, & cibus ſpiritualis, nec poſſent adorari latria, &c.

16. Sexta concluſio. Corpus Chriſti non pertinet eſſentialiter in recto ad ſacramentum Euchariſtiæ, tanquam pars eius. Probatur, quia corpus Chriſti eſt res, & ſacramentum ſimul: ergo non eſt pars intrinſeca, & eſſentialis huius ſacramenti. Probatur conſequentia, quia res & ſacramentum ſimul, debet diſtingui à ſacramento tantùm, & qualibet eius parte, quia ſe habet ad illud, vt effectus ad cauſam; vel ſaltem, vt ſignatum ad ſignum: ſed nulla res poteſt ſe ipſam cauſare; aut eſſe ſignum ſui ipſius: ergo res, & ſacramentum, non poteſt eſſe ſacramentum tantùm, aut pars illius.

17. Dices, eſſe manifeſtam inſtantiam in contritione, quæ eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ, & ſimul res, & ſacramentum. Sed contrà, quia contritio ſecundùm diuerſam rationem habet eſſe vtrumque. Eſt enim pars ſacramenti, quatenus eſt quidam dolor internus, coniunctus ſigno externo, per quod ex natura rei manifeſtatur. Eſt verò res, & ſacramentum, quatenus ex coniunctione ad ſacramentum tantùm, eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam, vel ad maiorem gratiam, & ſecundùm hanc poſteriorem conſiderationem, poteſt eſſe effectus ſui, ſecundùm priorem, & ſignificari per ſe ipſam. At corpus Chriſti ſecundùm eamdem omnino rationem, deberet eſſe pars ſacramenti; atque res & ſacramentum, videlicet, quatenus continetur ſub ſpeciebus ſenſibilibus: hoc autem eſt impoſſibile vt prædictum eſt.

18. Secundò probatur. Si corpus Chriſti eſſet pars intrinſeca ſacramenti, vel eſſet materia, vel forma: non materia, vt conſtat: neque forma; quia in omnibus alijs ſacramentis forma eſt ſignum ſenſibile ſimpliciter: corpus autem Chriſti non eſt ſignum ſenſibile ſimpliciter. Præterea, quia de ratione formæ eſt quòd formaliter determinet materiam: at corpus Chriſti non determinat ſpecies formaliter, ſed tantùm obiectiuè; determinatio verò formalis fit à verbis conſecrationis; ergo corpus Chriſti non eſt forma huius ſacramenti.

Dices. Contritio in ſe ipſa eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ, & tamen in ſe non eſt ſignum ſenſibile, ſed pro vt connotat confeſſionem externam, à qua redditur ſenſibilis: ergo etiamſi corpus Chriſti in ſe ipſo intrinſecè non ſit ſignum ſenſibile, poterit tamen eſſe per ſpecies. Sed contrà, quia quamuis verum ſit ſufficere ad ſacramentum, vel partem ſacramenti tantùm, quod ſit ſenſibile per accidens: hæc tamen ſenſibilitas debet prouenire ex aliquo ſigno ex natura rei ſignificante, &

non

non sufficit ad sacramentum, quòd sit tantùm sensibile per aliquod signum exterius, quod ex institutione Christi, & supposita fide illud significet. nam hoc solùm sufficit ad rem, & sacramentum simul: quamuis ergo corpus Christi sit sensibile ratione specierum; tamen quia hæc sensibilitas non est ex natura rei, sed solum ex institutione Christi, supposita fide, non poterit esse sacramentum tantùm. De contritione verò non est similis ratio. nam actus interior voluntatis potest esse sensibilis, ratione alicuius signi exterioris, ex natura rei illum significantis: dolor enim internus per signa externa ex rei natura significari solet. Vnde contritio potest esse pars sacramenti, & idem dici solet de interiori consensu coniugum

20. Contra hanc conclusionem obiiciunt Vazquez disp. 167. cap. 5. & Lugus disp. 1. sect. 3. plures locutiones Patrum, quibus apertè significatur sacramentum Eucharistiæ esse corpus, & sanguinem Christi, panem vitæ, & cibum animæ, quo modo loquendi vsus est Christus Dominus Ioann. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; & Ioan. 6. rursus: *panis quem ego dabo, caro mea est*; quod certè non habent species ratione sui, sed quia intra se continent corpus Christi. Respondetur, sanctos Patres illo modo loquendi, nihil aliud voluisse denotare, quàm Christum contineri realiter in sacramento Eucharistiæ, non multum curantes, an componat essentialiter ipsum sacramentum, necne. Itaque sacramentum Eucharistiæ appellant, corpus, & sanguinem Christi, figuratè, per figuram Metonymiam, secundùm quam nomen contenti, tribuitur continenti.

21. Septima conclusio. Sacramentum Eucharistiæ supponit in recto pro aggregato, vel composito ex speciebus, & verbis consecrationis, tanquam pro integro, & proximo fundamento relationis significationis sacramenti, per hoc sacramentum importatæ; connotat tamen essentialiter, corpus & sanguinem Christi, tanquam terminum illius relationis. Probatur, quia cùm nomen *Eucharistia* sit concretum, vel connotatiuum, impositum ad significandum, vnum ex sacramentis nouæ legis, sequitur, quòd in recto supponat pro eo quod est hoc sacramentum, & pro omnibus partibus essentialibus illud in recto constituentibus: sed, vt constat, hoc sacramentum nihil aliud est, quàm quoddam compositum artificiale, constans ex speciebus tanquam materia, & ex verbis tanquam forma: ergo pro illo aggregato, aut composito, supponit in recto nomen *Eucharistia*, & pro partibus eius essentialibus. Quod autem connotet corpus & sanguinem Christi, iam manet probatum; quia nomen relatiuum necessariò connotat terminum suæ relationis, quamuis pro illo non supponat.

22. Secundò probatur, quia illa tria quæ superiùs numerauimus, facilè assignantur in hoc sacramento, scilicet sacramentum tantùm in speciebus consecratis: res & sacramentum simul, in Christi corpore, & sanguine: res verò sacramenti, in gratia sanctificante, quam hoc sacramentum confert. Sic enim expresè habetur in cap. *Cùm Marthæ*, vbi dicitur, tria reperiri in hoc sacramento, scilicet formam visibilem panis, & vini: veritatem carnis, & sanguinis, & virtutem, siue effectum vnitatis, & charitatis: atque ex his tribus, secundum dicit, esse sacramentum & rem, & ratio id conuincit, quia sacramentum & res, est id quod significat & significatur: sed ita se habet corpus Christi in Eucharistia, quia vt ibi existens significat vnitatem fidelium in vno corpore mystico, tanquam membra eius. Et præterea species panis significat corpus Christi ibi existens in ratione cibi: species vini sanguinem in ratione potus; ac proinde est res & sacramentum simul.

23. Obiicies. Ex hoc sequi, corpus Christi esse sacramentum. Probatur sequela: quia à propositione de prædicato copulato, ad quamlibet partem illius, est bona consequentia: vt in hac, Petrus est albus, & sapiens; ergo est albus: ergo est sapiens. Quæ regula semper habet verum, quando non variatur appellatio, quæ in præfata propositione non variatur; quia illi termini, res, & sacramentum, non appellant. Confirmatur, quia si corpus Christi, est res, & sacramentum, sequitur, pro qua parte est sacramentum; esse signum sensibile causatiuum gratiæ, ac proinde esse sacramentum tantùm.

24. Respondetur negando sequelam: quia arguitur à dicto secundùm quid, ad dictum simpliciter. nam esse sacramentum & rem, est esse sacramentum secundùm quid. Neque hærendum est in nomine sacramenti, vt propterea existimemus, rationem sacramenti simpliciter illi conuenire; hoc enim nomine vtimur propter vocabulorum penuriam, & ideo adiungimus nomini sacramentum, res, ad denotandum esse medium quoddam, inter sacramentum tantùm, & rem tantùm: medium verò licèt participet naturam vtriusque extremi, non tamen eam participat simpliciter, & secundùm totam suam rationem: vt si medium aliquem colorem, quod proprium nomen non haberet, appellaremus album, & nigrum simul, inde non posset colligi: ergo est albus: ergo est niger. Ad confirmationem respondetur, corpus Christi sub speciebus existens, ratione illarum tantùm esse sensibile secundùm quid, & hoc sufficere ad rem, & sacramentum simul; non tamen sufficere ad sacramentum simpliciter.

25. Tertiò probatur conclusio, quia species, prò vt condistinctæ à verbis, non possunt habere integram rationem sacramenti, quia pro vt sic, non habent integram, & completam significationem sensibilem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad hoc sacramentum. nam species panis nec significant de se præsentiam corporis Christi; nec gratiam; nec ad hoc significandum sunt institutæ, nec ad hoc excitant mentem videntis, nisi sciamus esse consecratas, seu super illas prolata esse verba consecrationis: ergo in ratione sacramenti reduplicant ipsam consecrationem, seu verba consecrationis: ergo sacramentum Eucharistiæ supponit in recto, pro aggregato ex speciebus, & verbis consecrationis.

SECTIO III.

Proponuntur, & dissoluuntur obiectiones contra præcedentem conclusionem.

26. OBiicies primò. Sacramentum tantùm est causa eius, quod est res, & sacramentum simul, quia sacramenta efficiunt id quod significant: significant autem rem, & sacramentum; sed species sacramentales non sunt causæ corporis Christi, quod est res & sacramentum: ergo non sunt sacramentum. Minor probatur, quia non apparet quam causalitatem circa corpus Christi, species consecratæ exercere possint; non enim causant illud quoad substantiam, vt constat: neque quoad existentiam

existentiam in sacramento; quia non est prius species esse consecratas, quàm corpus Christi in sacramento existere: causa autem maximè efficiens, debet esse prior suo effectu: ergo species consecratæ non possunt causare corpus Christi, vt existens in sacramento.

27. Respondetur, non esse necessarium, vt id quod est res & sacramentum simul, effectiuè physicè procedat ab eo, quod est sacramentum tantùm, sed satis esse, quod ex sacramento habeat aliquem effectum moralem. Itaque corpus Christi causatur à verbis consecrationis quoad existentiam in sacramento, & ex coniunctione ad sacramentum, habet quod possit esse signum aliquo modo sensibile; id enim habet ratione specierum consecratarum, quod sufficit, vt aliqua ratione possit dici causari à sacramento, & vt sit res, & sacramentum simul. Nam causalitas sacramentorum potius est attendenda per ordinem ad rem sacramenti, quàm per ordinem ad rem, & sacramentum simul.

28. Obiicies secundò. Illud est sacramentum tantùm, quod significat, & causat rem sacramenti, videlicet gratiam: species autem eam non causant; quia Christus ipse existens in sacramento, est qui causat gratiam huius sacramenti, iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Ergo species circa gratiam, nullam exercent causalitatem. Confirmatur, quia corpus Christi existens in sacramento, causat instrumentaliter gratiam: ergo species non causant ipsam, etiam vt instrumenta: quia duo instrumenta distincta, non possunt concurrere ad causandum eumdem effectum; alterum enim illorum esset superfluum.

Ioan. 6.

29. Respondetur, corpus Christi non causare gratiam physicè in sumentibus hoc sacramentum, sed moraliter, mediante applicatione ipsius sacramenti. Vnde tam corpus Christi, quam species, sunt causæ instrumentales morales eiusdem gratiæ: in instrumentis autem moralibus, ex eorum pluralitate non potest colligi ociositas: per quod patet ad Cõfirmationem.

30. Obiicies tertiò. Quia huic sacramento debetur adoratio latriæ, ex Trident. sess. 13. cap. 5. Atqui ipsæ species non debent adorari latria, sed solus Deus; ergo ipsum sacramentum, quod tali modo adorandum est, non constituitur in esse sacramenti per species consecratas. Respondetur, non solùm corporis Christi existentis in hoc sacramento, sed etiam ipsismet speciebus, deberi adorationem latriæ, quod adeò certum est, vt apud aliquos Doctores male audiatur Gabriel, eo quòd lect. 50. in Canonem, littera L. dixerit, species sacramentales per figuram Synecdochem, hoc est, ratione Christi sub illis contenti, adorari, quod est ipsum Christum adorari: species verò propriæ non adorari. Oppositum tenent communiter Theologi, & videtur definitum in Trident. sess. 13. cap. 5. vbi. *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, cùm omnes Christi fideles*, pro more in Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, quod verè debetur huic sacramento sanctissimo, &c. Vbi notanda sunt illa verba, *huic sacramento sanctissimo*, quæ de ipsis speciebus consecratis sunt intelligenda. Vnde non solùm Christus in hoc sacramento existens, adoratur latria; sed etiam species ipsum continentes, sicut adoratur crux, & imago Christi, & potiori iure; quia imago repræsentat nobis Christum solum obiectiuè præsentem; species verò consecratæ repræsentant corpus Christi, etiam realiter præsentem; ac proinde cùm simul vnitæ sint Christo, simul obiiciuntur adorandæ, eodem prorsus actu, quo Christus adoratur. An verò hæc adoratio ad ipsas species seorsum terminari possit, id est, non adorando simul cum illis Christum directè; an verò necessarium sit, ipsas species simul cum Christo adorari, controuersia est alibi definienda.

Trident.

31. Obiicies quartò. Causa efficiens sacramenti nequit esse pars eius essentialis, vt constat, quia causa efficiens est extrinseca ei rei cuius est causa: sed verba consecrationis sunt causa efficiens sacramenti Eucharistiæ, vt definitur in Florentino ab Eugenio IV. §. Tertium est de Eucharistia: ergo sacramentum Eucharistiæ essentialiter non constat ex speciebus, & verbis consecrationis. Respondetur, non repugnare rem aliquam simul esse causam formalem, & efficientem eiusdem compositi: vnde licèt Sacerdos conficiat verbis Eucharistiam; potest tamen Eucharistia includere verba tanquam formam: quia etiam Sacerdos sua benedictione conficit aquam benedictam, & tamen aqua benedicta, vt benedicta, includit tanquam formam ipsam benedictionem. Quod rectè explicat Lugus suprà exemplo nutritionis. nam pars illa compositi humani, quæ de nouo acquiritur per nutritionem, habet pro forma animam rationalem, quæ etiam est causa efficiens principalis illius nutritionis, & illius compositi partialis, quod per nutritionem producitur. Sic verba ponunt efficienter corpus Christi sub speciebus, & simul sunt causa formalis illius compositi quod resultat ex speciebus, & ex eisdem verbis.

32. Obiicies quintò. Quia ex hoc sequitur, Eucharistiæ sacramentum non esse permanens, sed essentialiter transiens, quod est contra communem omnium Theologorum sententiam. Sequela probatur, quia eius vna præcipua pars & essentialis, videlicet verba consecrationis, non est permanens, sed transiens, quod sufficit vt sacramentum absolutè, & essentialiter transiens esse dicatur, & constat ex sacramento Matrimonij, quod tale est omnium consensu, eo quòd forma eius transiens est, licèt materia sit essentialiter permanens, nempe corpora contrahentium. Respondetur, quòd quamuis verba consecrationis non maneant in esse physico, manent tamen in esse morali, & virtualiter; quia ex vi illorum verborum, resultat quædam coniunctio inter talem materiam, & formam, ratione cuius species determinantur per verba, ad significandum quod continent, & quoad hoc possunt dici sacramentaliter informari per illa, & sic quandiu moraliter species subsistant illi formæ, censentur informatæ: quod in ipsis speciebus, ad minus est extrinseca denominatio, vel relatio signi fundata in speciebus à tali forma denominatis, in quantum significant contineri sub illis corpus Christi. Alias solutiones inuenies tractatu præcedenti disp. 1.

SECTIO IV.

An hoc sacramentum sit vnum, vel plura.

33. NOn loquimur de hoc sacramento in genere entis, quia hac ratione, vt docuit D. Thom. art. 2. bene potest dici plura, quia species panis & vini, sub quibus Christus continetur, sunt plura entia inter se diuersa. Sed loquimur de hoc sacramento formaliter, scilicet in ratione sacramenti, quæ est relatio significationis.

Prima

Digitized by Google

34. Prima conclusio. Hoc sacramentum simpliciter,& absolutè, debet dici vnum in specie infima, non vnitate simplicitatis, & indiuisibilitatis, sed vnitate integritatis,& perfectionis. Ita communiter Doctores cum D.Thom.loco citato,& colligitur ex Florentino & Trident. in quibus definitum est,septem tantùm esse sacramenta nouæ legis. Et probatur ratione desumpta ex ipsa Christi institutione. nam sicut compositio in his sacramentis, pendet ex mera, & libera Christi voluntate, ita etiam ex eadem pendet vnitas, vel pluralitas illorum: Christus autem instituit hoc sacramentum, per modum conuiuij ad refectionem spiritualem animæ ordinati; vt colligitur ex illis verbis Ioan.6. Ioan.6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* quo nomine sæpe appellatur ab Ecclesia, *sacrum conuiuium; pretiosum,& admirandum conuiuium.* Sed conuiuium corporale in sua specie integratur ex cibo,& potu,& illis constat vnum conuiuium simpliciter,vt patet ex communi modo loquendi; neque id quod componitur ex cibo & potu, dicitur duo conuiuia, sed vnum dumtaxat, & vnica refectio constat ex alimento humido, & sicco, tamquam ex duabus partibus; ergo similiter in conuiuio spirituali, ex cibo, & potu, consurgit vnum conuiuium simpliciter, & consequenter vnum sacramentum; quia hoc sacramentum debet habere eamdem vnitatem,quam habet conuiuium.

35. Obiicies. Quælibet istarum specierum per se est sacramentum: aliàs laici communicantes tantùm sub vna specie,non sumerent sacramentum,& species vini remanentes in Calice, post sumptionem specierum panis, non dicerentur sacramentum: quorum vtrumque est falsum: ergo ambæ simul non faciunt vnum sacramentum. Confirmatur. nam vel qui sumit speciem panis, reficitur perfectè;vel non. Si primum: ergo non sunt vnum perfectiuè. Si secundum; ergo fit iniuria laicis, dum illis denegantur species vini. Confirmatur amplius, quia tantam gratiam conferunt species solæ panis, sicut species vini; aliàs iniuria fieret laicis, dum speciebus vini priuantur: ergo per quamlibet illarum fit integra spiritualis refectio.

36. Respondetur, quamlibet speciem per se sumptam, non esse integrum Eucharistiæ sacramentum, sed partem eius, quoad modum significandi, & rem immediatè significatam ex vi sacramenti, vt ex dicendis patebit.licèt quoad rem contentam,& gratiam productam quælibet species tantum contineat, & tantum causet, sicut ambæ. Nec obstat Tridentinum sess.21. decreto de communicatione sub vtraque specie, cap. 1. vbi dicitur. Trident. *Sub altera tantùm specie,totum,atque integrum Christum & verum sacramentum sumi.* Nam per illam particulam, *verum sacramentum*, non intendit Concilium, alteram speciem esse integrum sacramentum Eucharistiæ, sed tantùm voluit definire, absque tropo, vel metaphora, esse sacramentum; ita vt idem valeat verum sacramentum, quod sacramentum non metaphoricè, neque figuratè; quod quidem cuilibet parti huius sacramenti optimè conuenit, quia quælibet species seorsum sumpta est sufficiens ad fundandam partialem relationem signi, & eamdem gratiam,vel per modum cibi, vel per modum potus.

37. Ad vtramque confirmationem respondetur, eum qui vnam tantùm speciem accipit, tantum recipere, sicut qui duas, & tam perfectè reficì, sicut alius, quoad rem, sed non quoad modum: sicut si aliquis comedat frustum panis, & bibat vas vini per se, & alius in eadem quantitate sumat panem non per se,sed vino tinctum,ita vt totum illud vas exhauriat; quoad rem alimenti & quoad fructum manducationis, non erit differentia inter istos, si cætera sint paria; sed tantùm erit differentia quoad modum,quod ex dicendis magis constabit.

38. Obiicies secundò,ex Bellarm. lib. 4. de Euchar. cap.22.quòd licèt ex parte modi significandi, vnica tantùm species non possit appellari integrum conuiuium;tamen ex parte rei significatæ,nihil illi deest,quo minus integrum sit, quia res significata per quamlibet speciem, v.g. per speciem panis, est caro Christi,& etiam gratia;caro autem Christi cùm sit viua, habet etiam sanguinem coniunctum; atque adeò ibi est cibus & potus: gratia verò reficit animam, non solùm nutriendo, quod est proprium cibi, sed etiam fouendo, & refrigerando, quod est proprium potus. nam in gratia non possumus distinguere, vnam partem quæ nutriat, & aliam quæ refrigeret;sed vna,& eadem, vtrumque effectum habet. Vnde in sacra Scriptura, eadem gratia,& iustitia,esuritur, & sitit, quod est proprium cibi & potus. Matth.5. *Beati qui esuriunt,& sitiunt iustitiam.* Ecclesiastici 24. *Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me adhuc sitient*; ergo in vnica tantùm specie simpliciter,saluatur tota ratio huius sacramenti. Matth. 5. Eccli. 24.

39. Respondetur negando consequentiam, quia integritas sacramenti non debet attendi ex parte rei significatæ, sed ex parte signi, quod est ipsum sacramentum. Requiritur ergo vt sacramentum integrum sit,quod habeat integrum modum significando, quem non habent solæ species panis, aut solæ species vini.

40. Iam verò, quòd vnitas huius sacramenti non sit simpliciratis,aut indiuisibilitatis,ex dictis manifestè colligitur.Nam id quod est simplex,aut indiuisibile, non habet partes, vt constat in angulo, & puncto: at sacramentum Eucharistiæ, vt dictum est,habet partes; ergo vnitas illius non est simplicitatis, aut indiuisibilitatis. Quod explicat D. Thom.ex doctrina Aristot.5.Metaphys. text.9. vbi plures modos assignat, quibus aliquid dicitur vnum. Primò indiuisibilitate, vt anima rationalis. Secundò continuatione, vt quodlibet quantum continuum. Tertiò vnitate physica, quam habet quodlibet compositum naturale. Quartò denique perfectione, & integritate, in ordine ad aliquem finem,& hæc vnitas,inquit, sufficit ad constituendum aliquid,vnum simpliciter, & hanc habet hoc sacramentum, quia est vnum perfectum constans ex omnibus partibus,quæ requiruntur ad finem ad quem ordinatum est, & hoc est esse vnum simpliciter, quamuis plures partes distinctas contineat. Sicut domus dicitur vna simpliciter, quia constat omnibus partibus requisitis ad habitandum.

41. Inquires, supposito quòd vtraque species habet se tanquam pars integralis huius sacramenti; an sint partes integrantes illud essentialiter, ita vt qualibet illarum deficiente, desinat esse hoc sacramentum? an verò integrent illud secundùm aliquam perfectionem debitam,non tamen essentialem; sicut pes, & manus integrant hominem. Respondetur,species panis,& vini, esse partes essentiales materiæ huius sacramenti, ita vt ex vtraque specie integretur materia essentialis,& ex partialibus formis, quibus consecratur panis, & vinum,integretur vna forma essentialis.Quod etiam in aliis sacramentis reperitur. nam materia essentialis sacramenti Pœnitentiæ, constat duabus partibus

Digitized by Google

tibus neceſſariis, nempe contritione, & confeſſione, ita vt qualibet deficiente, non maneat materia.

42. Secunda concluſio. Species panis, & vini faciunt vnum integrum fundamentum relationis huius ſacramenti; quælibet autem ſeorſum ſumpta, eſt fundamentum partiale. Hæc concluſio ſequitur ex præcedenti: cùm enim dicitur hoc ſacramentum eſſe vnum, & ſpecies eſſe partes illius, nomen ſacramentum, ſupponit pro fundamento proximo, & quaſi ſubiecto relationis. nam hoc eſt quod denominatur ſacramentum, id eſt, ſignum; cùm ergo dictum ſit ſacramentum Euchariſtiæ eſſe vnum vnitate integritatis, eiuſque partes, ſpecies panis, & vini, ſequitur quòd ex ipſis ſpeciebus fiat vnum fundamentum proximum, & adæquatum relationis Euchariſtiæ, & quòd quælibet earum ſeorſum, ſit partiale fundamentum. Vnde infertur, ad hoc vt quælibet iſtarum ſpecierum poſſit per ſe fundare hanc relationem ſigni totalis refectionis, non ſufficere, vt quælibet contineat totalem virtutem effectiuam talis refectionis, ſed vlteriùs requiri, vt contineat illam per modum cibi, & potus, ex quibus cauſetur integra ſpiritualis refectio, ſicut cauſatur corporalis. In ſpecie autem panis in qua eſt Chriſti corpus, ex vi ſacramenti, & ſanguis per concomitantiam, eſt Chriſtus tantùm per modum cibi, & ſub ſpecie vini per modum potus; quia eſt ſanguis ibi ex vi ſacramenti, & corpus per concomitantiam, & ita qui dumtaxat ſumit ſpeciem panis, licèt totum Chriſtum ſumat cum carne, & ſanguine, non dicitur ſumere cibum, & potum, nec integrè ſpiritualiter refectus; nec dicitur bibere Chriſtum, aut eius ſanguinem, ſed tantùm carnem cum ſanguine manducare; quia non eſt ibi ſanguis per modum potus: ſicut panis tinctus vino, non dicitur cibus & potus, quamuis habeat vim ad tollendam famem & ſitim; neque qui illum ſumeret, diceretur manducare, & bibere, ſed tantùm comedere: quia licèt vinum ſit potabile, ibi non ſumitur per modum potus. Vnde Innocentius l. 6. de ſacramento altaris, docet, nec ſanguinem ſub ſpecie panis bibi; nec corpus ſub ſpecie vini, manducari.

43. Tertia concluſio. Relatio ſigni totalis refectionis, quæ fundatur in ſpeciebus conſecratis panis, & vini, & formis earum, eſt vna numero vnitate ſimplicitatis, & indiuiſibilitatis. Probatur, quia quando ea quæ ſunt plura, conueniunt numericè in aliqua ratione propter quam referuntur ad vnum terminum, vna numero relatione referuntur ad illud, v.g vnum ædificium totale, adæquatè refertur vna numero relatione ad ſuum exemplar, quia aliàs non erit vnus adæquatus numero terminus in ratione menſurabilis, ad quem exemplaris relatio terminatur; quia exemplar, per vnam relationem menſurantis, non reſpicit illud adæquatè, ſecundùm propriam rationem ſuarum partium, & vt ſunt inter ſe diſtinctæ; ſed vt conſtituunt vnum totum vnitate perfectionis. Idem eſt de tota ciuitate ſumpta vt vna, reſpectu Regis, aut Gubernatoris, & exercitu reſpectu Ducis: ſed ſpecies panis, & vini, ſunt vnum in ratione alimenti totalis, vnitate integritatis, aut perfectionis, in ratione vnius fundamenti, fundantis relationem ſigni totalis ſpiritualis refectionis: ergo fundant eamdem numero relationem.

44. Quarta concluſio. Negari non poteſt, ſpeciem panis, & ſpeciem vini cum ſuis formis, eſſe etiam duo ſigna diſtincta, & habere duas relationes ſigni, vnam in ordine ad ſignificata quæ continent, videlicet corpus, & ſanguinem Chriſti: aliam in ordine ad ſignificandum id quod cauſant, ſcilicet gratiam iuſtificantem ſpiritualiter reficientem, per modum citationis, & potationis: vnde ſicut in vtraque ſpecie panis, & vini ponimus vnam numero relationem ſigni, propter vnam adæquatam refectionem ſpiritualem; ita in eiſdem debemus ponere duas relationes, propter dualitatem corporis, & ſanguinis Chriſti in ratione cibi & potus. Hæc concluſio ex ipſiſmet terminis conſtat, & nulla alia indiget probatione.

45. An verò in pluribus Hoſtiis conſecratis, ſint plura numero ſacramenta, eſt non parua difficultas. Vazquez diſp. 168. cap. 2. Hurt. diſp. 1. diff. 5. docent, plures hoſtias conſecratas eſſe plura numero ſacramenta (& idem eſt de pluribus ſpeciebus vini) quamuis ſimul ſumantur, quorum ſententiam mihi probatur; quia Chriſtus inſtituit hoc ſacramentum in ſpecie conſecrata panis ſecundùm ſe, & in ſpecie conſecrata vini ſecundùm ſe, ſecundùm vnitatem phyſicam, quia in qualibet harum ſpecierum independenter ab altera ſpecie, eſt ſignificatio practica, ſeu factiua gratiæ; ac proinde plures hoſtiæ conſecratæ, quamuis ſimul conſecrentur, & ſimul ſumantur, ſunt plura numero ſacramenta, quia ſunt plures numero diſtinctæ, & phyſicè diſcontinuatæ, & in qualibet ſeorſim, & independenter ab altera, eſt inſtitutum hoc ſacramentum. Addunt tamen, ſi ſimul ſumantur ab eodem, vnam tantùm conferre gratiam, & eoſdem gradus gratiæ, quos vna ſola ſumpta conferret: id tamen fieri per accidens, quia vna ſumptione, & applicatione limitantur ad vnum effectum.

46. Nec obſtat id quod in contrarium adduci ſolet. Si plures numero humanitates aſſumerentur à Verbo, vnum tantùm hominem conſtituere. Nam quidquid de hoc ſit, ex eo non ſequitur, plures Hoſtias conſecratas, continentes idem numero corpus Chriſti, conſtituere vnum numero ſacramentum, quia ad pluralitatem concreti ſubſtantiui requiritur pluralitas ſuppoſitorum; ad pluralitatem verò numericam ſacramentorum, ſufficit pluralitas numerica ſignorum ſenſibilium, & ſignificationum ſacramentalium: quæ reperiuntur in pluribus Hoſtiis conſecratis ſolo numero diſtinctis.

SECTIO V.

An Euchariſtia in re, vel in voto ſuſcepta, ſit alicui neceſſaria ad ſalutem.

47. NEceſſarium ad ſalutem dupliciter eſſe poteſt. Primò quidem neceſſitate medij, vel finis, & eſt illud, quod ex ſe talem habet connexionem cum fine, vt ſine illo conſequi non poſſit. Qua ratione reſpectu ſalutis æternæ, fides, gratia, &c. dicuntur neceſſaria. Secundò verò neceſſitate præcepti, & eſt illud, quod non ex ſe, vel ex natura ſua, ſed ex præcepto diuino, vel Eccleſiaſtico, prædictam connexionem habet cum fine: quomodo ſe habet in ordine ad ſalutem, oratio, eleemoſyna, & ſimilia. In præſenti non loquimur de neceſſitate præcepti, quia de hoc infrà erit ſermo; ſed ſolùm de neceſſitate medij, vel finis, quæ communiter ſolet dici neceſſitas ſimpliciter. Deinde

hoc

hoc sacramentum dupliciter potest dici necessarium, veluti medium ad finem in re susceptum (& idem est de voto ipsius.) *Primò* ex eo quòd eius susceptio, sit necessaria ad primam gratiam, & iustificationem obtinendam. *Secundò*, quia licèt sine tali susceptione, possit homo iustificari, non tamen posset perseverare in gratia per iustificationem accepta, sine tali susceptione. Et procedit difficultas, tam de paruulis ante vsum rationis, quàm de adultis ipsius iam compotes.

48. Prima conclusio. Eucharistia in re susceptа, nec infantibus, nec adultis est medium necessarium ad primam gratiam obtinendam. Ita D. Bonauent. in 4. distinct. 12. part. 2. art. 2. quæst. 1. D. Thom. quæst. 65. art. 4. Valentia, Suarez, & Vazquez, quos refert, & sequitur Lugus disput. 3. sect. 2. & videtur colligi ex Tridentin. sess. 13. cap. 2. vbi asseritur, ad primam gratiam obtinendam, sufficere Baptismum, & Pœnitentiam, quia Baptismus per se primò institutus est ad remissionem peccati originalis; Pœnitentia verò ad remissionem peccatorum mortalium post Baptismum: ergo nunquam Eucharistia est necessaria ad primam gratiam iustificantem. Confirmatur. nam pueri per Baptismum recipiunt primam gratiam, cum qua si decedant, salutem consequuntur æternam, vt fides docet; hæc autem gratia non potest amitti, nisi actuali aliquo peccato mortali: ergo cùm certum sit paruulos ante annos discretionis, non posse committere eiusmodi peccatum; certum etiam erit, nulla ratione esse eis necessariam simpliciter, realem Eucharistiæ sumptionem, ad salutem consequendam.

49. Secundò probatur, quia in sacramentis nunquam reperitur necessitas medij ad aliquem effectum ad salutem necessarium, nisi simul etiam concurrat necessitas præcepti: sed de susceptione Eucharistiæ nullum datur præceptum à Christo pro paruulis, vt constat: ergo non est illis medium necessarium ad salutem. Quæ ratio suo modo idem concludit de adultis. nam neque pro illis datum est à Christo præceptum aliquod, de Eucharistia suscipienda, ad primam gratiam obtinendam. Quod sic probo, quia si quis iam moriturus, tempore debito adimpleuit præceptum de susceptione Eucharistiæ, licèt postea peccet, & indigeat prima gratia, non propterea tenetur iterum communicare: imò potest habere expressam intentionem iam amplius non communicandi: ergo nullum est omnino præceptum obligans adultos ad sumendam Eucharistiam, pro primæ gratiæ consecutione.

50. Denique, quia nullum sacramentum supponit necessariò effectum, propter quem per se primò institutum est: at vsus huius sacramenti, per se supponit primam gratiam, & remissionem peccati, multo magis, quàm reliqua quæ dicuntur sacramenta viuorum; vt docuit Tridentin. sess. citata cap. 7. & ita docet præmittendam esse confessionem, cùm quis conscius est peccati mortalis, etiamsi contritum sese existimet: ergo hoc sacramentum per se nulla ratione institutum est ad conferendam primam gratiam.

51. Obijcies, quia eisdem fere verbis quibus Christus Ioann. 3. proposuit necessitatem Bap-
oan. 3. tismi. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto*, &c. expressit etiam necessitatem huius sacramenti, *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. *Non habebitis vitam in vobis*; ergo sicut Baptismus est simpliciter necessarius ad primam gratiam; ita etiam erit Eucharistia. Respondetur, illam formam verborum esse de se indifferentem, vt notant communiter Recentiores in hoc loco; interdum autem significare necessitatem medij; interdum verò præcepti. Sensus autem discernendus est ex materia, supra quam verba illa cadunt. nam si sermo sit de re necessaria ad primam gratiam obtinendam, præter necessitatem præcepti continent necessitatem medij; si verò sit sermo de actione aliqua, quæ supponit eam gratiam acquisitam, solum significant necessitatem præcepti, vt Matth. 18. *Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Quæ verba necessitatem tantùm præcepti important: sicut illa D. Augustini epistola 54. *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Matth. 18. Augus

52. Secunda conclusio. Realis susceptio Eucharistiæ, non est medium necessarium infantibus, nec adultis, ad perseuerandum in gratia. Ita præfati Doctores. Et de infantibus res est clara, quia si post Baptismum ante adultam ætatem decedunt, proculdubio salui fiunt, sine reali susceptione Eucharistiæ, vt definit Tridentin. sess. 21. Canon. 4. *Si quis dixerit paruulis antequam ad annos discretionis peruenerint, esse necessariam Eucharistiam, Anathema sit.* Trident. De adultis verò probatur, quia licèt hoc sacramentum sumentibus ipsum, aliquando sit causa perseuerantiæ, tamen iis qui perseuerant, & non sumpserunt Eucharistiam, causa perseuerantiæ non est: vt constat in adulto, qui sola contritione ante Baptismum, vel solo Baptismo, aut Pœnitentiæ sacramento iustificatus, antequam Eucharistiam sumat, in gratia decedit. Confirmatur exemplo illius, qui post viaticum receptum peccat mortaliter, & deinde conteritur, vel confitetur, & sic in gratia decedit; is enim recipit hoc donum perseuerantiæ, & tamen non tenetur amplius communicare.

53. Tertia conclusio. Votum Eucharistiæ, nemini est necessarium simpliciter, ad primam gratiam obtinendam. Sequitur ex dictis, quia paruuli, & adulti, sufficienter iustificantur per Baptismum, & Pœnitentiam.

54. Quarta conclusio. Votum Eucharistiæ non est necessarium paruulis, nec adultis, ad perseuerandum in gratia finaliter. *Primum* probatur, quia paruuli cùm sint in illo statu, non possunt amittere gratiam semel acceptam: ergo non est eis necessarium ad primæ gratiæ consecutionem, & ex consequenti, neque ad perseuerandum in gratia finaliter. *Secundum* etiam constat, quia votum sacramenti, tunc tantùm est necessarium, cùm necessarium est vti sacramento actu, & non est opportunitas: vt docet D. Thom. infrà quæst. 80. art. 10. sed vt probatum manet, realis Eucharistiæ sumptio, nulli est necessaria simpliciter ad salutem: ergo neque votum eius.

55. Quinta conclusio. Eucharistiæ sacramentum in re, vel in voto, est moraliter adultis necessarium ad perseuerandum in gratia, id est valde vtile, & efficax. Probatur, quia Eucharistia est instituta à Christo Domino ad præseruandum hominem à peccatis, vt docuit Trident. sess. 13. cap. 2.

& ad conseruandum hominem in gratia: cùm ergo hoc sit adeò arduum, ac difficile, & homo tam fragilis; si possit, & non suscipiat Eucharistiam, videtur, moraliter loquendo, casurus. Et hoc videntur significare Patres, dum extollunt necessitatem huius sacramenti ad perseuerandum in gratia; præsertim Cyrillus lib. 10. in Ioann. cap. 13. vbi ait. *Non poterat aliter corruptibilis hac natura corporis, ad incorruptibilem vitam traduci, nisi naturalis vita corpus ei coniungeretur.* loquitur certè de impossibilitate morali, non verò de absoluta, vt prædictum est.

Cyrill.

56. Obserua tamen primò, quia ad iustificationem, necessarium est propositum seruandi omnia præcepta, vel per actum proprium in adultis, vel per habitum in infantibus; inter quæ vnum ex præcipuis, est sumptio Eucharistiæ; ideo bene potest dici, omnes iustificatos aliqua ratione, habere votum huius sacramenti.

Obserua secundò, cùm Suarez infrà quæst. 79. art. 1. in locutionibus de hoc sacramento, maximè cauendum esse ab æquiuocatione. Aliud enim est loqui de hoc sacramento formaliter, in quo sensu hucvsque locuti sumus. Aliud verò est loqui de eo, ratione rei contentæ, quod est loqui de illo quasi materialiter. In quo sensu Patres, & Concilia, cùm de eo loquuntur, sæpe faciunt transitum ab eo, ad Christum, & econtra, & quia vnio cum Christo est simpliciter necessaria ad salutem, & omnis gratia à Christo manare debet, ideo sæpe extollunt necessitatem huius sacramenti, ratione scilicet rei contentæ.

DISPVTATIO II.

De materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

SECTIO I.

Qualis debeat esse panis consecrandus.

1. SVPPONO, materiam remotam Eucharistiæ omnino necessariam, esse panem, & vinum, vt constat ex Conciliis Lateranensi, Florentino, Tridentino, relatis à Recentioribus in hoc loco. Et ex perpetua traditione, & vsu Ecclesiæ, quæ nunquam in alia materia consecrauit, exemplo Christi Domini, qui corpus suum in pane, & sanguinem suum in vino consecrauit, vt constat Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. Corinth. 11. est tamen difficultas, qualis debeat esse panis consecrandus.

2. Pro quo obserua, hoc nomen, *panis*, dici à pascendo; est enim cibus, qui cum aliis omnibus comedi solet. Fit autem panis ex variis rebus, nempe ex fructibus arborum, vt castaneis, ficubus, amygdalis, &c. Secundò ex leguminibus, vt ex fabis, &c. Tertiò fit ex granis, & communiter appellatur frumentum. Dicitur autem frumentum quodcumque granum quod aristas habet, vt triticum, hordeum, tipha, auena: difficultas ergo est, an quicumque panis, sit materia sufficiens consecrationi ex quocumque genere frumenti: an necessariò debeat esse panis triticeus.

3. Sit conclusio, omnino tenendum est tanquam certum, materiam consecrationis corporis Christi necessariò debere esse panem triticeum. Ita colligitur apertè ex Florentino §. Tertium est Eucharistia. Vbi Eugenius IV. definit, materiam consecrationis corporis Christi, esse panem triticeum. Et quamuis Adamus lib. 5. de Eucharistia, non audeat definire, an Pontifex decreuerit panem triticeum esse materiam necessariam, an verò illam constituerit sub præcepto: tamen pro certo tenendum est, Eugenium voluisse id diffinire tanquam materiam necessariam, sine qua non posset fieri consecratio. Quia eisdem verbis diffiniuit, vinum de vite esse materiam consecrationis Calicis, & tamen citra dubium est, vinum de vite ita esse materiam Calicis, vt sine illo consecratio fieri nequeat: ergo sicut intelligimus, vinum esse materiam necessariam, non solùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate sacramenti, idem de pane triticeo asserendum est: aliàs nihil esset certum in materia sacramentorum; quia etiam posset quis asserere, aquam naturalem non esse de necessitate sacramenti Baptismi, sed tantùm de necessitate præcepti. Ex quo

4. Infertur primò. Quamuis probabile sit, esse varias species tritici; tamen speltam Hispanè, *ladilla*, & far, quod est granum nullam habens tunicam, non esse idoneam materiam consecrationis, quia hæc non sunt veræ species tritici; neque ex his conficitur panis, qui vulgò, & in communi hominum æstimatione, tanquam panis habeatur.

5. Secundò infertur. Panem factum ex amylo, non esse idoneam materiam consecrationis, quia licèt fiat ex tritico, est tamen magna mutatio, quia fit ex tritico madefacto, ita vt videatur esse corruptum, vt designat pessimus odor, qui est in factione eiusdem amyli.

6. Circa siliginem dicendum est, esse nomen æquiuocum, & apud nonnullos significare speciem quandam tritici selectissimam, quam Plinius lib. 8. cap. 18. vocat delitias tritici, & nos Hispanè, *trigo candeal*, & in hac significatione, non potest esse dubium fieri in eo consecrationem. Alij verò eo nomine intelligunt, speciem quandam frumenti, quæ dicitur tipha, & à nobis *Centeno*, & in hac significatione sumpsit hoc nomen D. Thom. in solutione ad secundum. Docetque, esse sufficientem materiam consecrationis, quia solum distinguitur à tritico accidentaliter, generatur enim ex granis tritici seminati in terra viciosa; idemque dici de quocumque genere frumenti, quod ex tritico ob malitiam terræ generatur: sed certè hæc ratio non concludit. nam lolium generatur ex tritico, ob nimiam terræ humiditatem, & tamen nullus concedet esse eiusdem speciei cum tritico. Quare existimo, rem esse valde dubiam: vnde qui in tipha celebraret, peccaret mortaliter; materia verò post consecrationem esset magna cum reuerentia tractanda, & sumenda propter opinionum varietatem, vt notant communiter Recentiores in hoc loco.

7. Secunda conclusio. Farina debet in massam reduci, sola mixtione aquæ naturalis, & deinde ad parum ignem assari, vel, vt vulgo dicitur, coqui; per quod tamen non excluditur, quin farinæ

Digitized by Google

rinæ poſſit admiſceri modicum fermenti, & ſalis. nam in pane ſic confecto valida erit conſecratio, vt poſtea dicemus. Et ratio eſt, quia per harum rerum mixtionem, non deſinit eſſe panis vſitatus, & vulgaris, quidquid tamen præter hæc miſceatur farinæ, non erit materia apta conſecrationi, ſiue ſaccharum, ſiue mel, lac, aut oua, vel quidpiam ſimile. Item ſi conficiatur in alia aqua, quàm naturali, vt in aqua roſacea, non erit conſecratio, quidquid dicat Caietanus aſſerens fieri conſecrationem, eo quòd panis eſt eiuſdem ſpeciei cum eo qui fit ex aqua naturali. Oppoſitum tenet D. Thom. quæſtione 74. art. 7. ad 1. vbi inſinuat differre ſpecie, eo quòd aqua ſit de eſſentia panis. Et quamuis daremus Caietano, non differre ſpecie, inde tamen non ſequeretur poſſe in eo pane conſecrari. nam materia conſecrationis debet eſſe panis vſitatus, ad ſuſtentationem hominis ordinatus: qua etiam ratione ex pane confecto ex amylo, non poteſt deſumi ſufficiens materia, ſiue diſtinguantur ſpecie, ſiue non, quia non eſt panis vſitatus ad ſuſtentationem, & ob eamdem rationem, maſſa cruda non eſt ſufficiens materia, quamuis tantùm differat accidentaliter à maſſa cocta, imò neque maſſa frixa, neque elixa, quia non eſt ſimpliciter panis communis, & vſualis, ſed requiritur vt ſit toſta, vel aſſata, non calore Solis, ſed calore ignis, quia hæc dicitur ſimpliciter panis communis, & vſitatus.

Sectio II.

An hoc Sacramentum debeat confici in pane Azymo.

8. OBſerua, à multis annis inter Eccleſiam Latinam, & Græcam, hanc ſtitiſſe differentiam, quòd Latina conſecrat in pane Azymo, id eſt, non habente fermentum; Græca verò in fermentato. Fundamentum autem potiſſimum vtriuſque partis, ſumitur ex facto Chriſti. Nam Græci ſupponunt, in fermentato Chriſtum conſecraſſe; dicunt enim inſtituiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, Luna 13. menſis primi, qui dicitur Niſan, id eſt, die 13. Martij, in quo non erat prohibitus Iudæis panis fermentatus, & licèt paulo ante inſtitutionem, Agnum Paſchalem cum pane Azymo comediſſet, vt erat præceptum in lege veteri: tamen finita hac cœna legali, lauit pedes diſcipulorum, & iterum ad menſam rediit ad cœnam vulgarem, in qua edebatur panis fermentatus, quia tunc non erat prohibitus, & erat panis vulgaris apud Hebræos; atque in hoc pane inſtituiſſe ſacramentum Euchariſtiæ, & conſecraſſe. quæ omnia probant ex Euangelio.

9. Latini verò exiſtimant, Chriſtum, Agnum Paſchalem immolaſſe, atque cœnaſſe luna 14. eiuſdem menſis ad veſperam; hoc eſt, incipiente luna 15. quia ſic erat præceptum Exodi 12. atque eo tempore, ſacramentum Euchariſtiæ inſtituiſſe, quo prohibitum erat Hebræis, per totos ſeptem dies ſequentes, non ſolùm non edere panem fermentatum; ſed neque illum in ſuis domibus habere, ex quo neceſſariò ſequitur, Chriſtum Dominum in pane Azymo conſecraſſe, quandoquidem alium non habebat. Et quamuis non deſint ex Latinis, qui in tempore inſtitutionis huius ſacramenti aliter ſentiant, omnes tamen conueniunt, Chriſtum in Azymo conſecraſſe. Videndus eſt Ribera lib. 9. de Templo cap. 3. Bellarmin. lib. 4. de Euchariſtia cap. 7. Maldon. in cap. 26. Matthæi. Baronius tom. 1. circa annum Chriſti 34. ex Scholaſticis. Suarez tom. 3. diſput. 41. & ſequentibus. Vazquez diſput. 172. Coninch quæſt. 74. art. 4. dub. 1. Hurt. diſput. 1. diff. 7. 8. & 9. qui latè tractant hanc quæſtionem, & probant, Chriſtum Paſcha Agni celebraſſe die 14. Lunæ, in poſteriori veſpera diei.

10. Sit concluſio. Non eſt de neceſſitate ſacramenti, quòd panis ſit Azymus, vel fermentatus; ſed in vtroque celebrari poteſt; melius tamen in Azymo. Hæc concluſio quoad priorem partem eſt de fide, definita ab Eugenio IV. in Florentino in literis vnionis, & in cap. *ad abolendam*, de Hæreticis, damnatur, qui in materia ſacramentorum aliud docuerit, præter id quod Eccleſia Romana docet. Et Epiſcopi Ruſiani, ſeu Ruteni in confeſſione fidei quam fecerunt coram Clemente VIII. inter alios articulos, hunc etiam poſuere, vt refert Baronius tom. 7. in appendice. Poſterior verò pars concluſionis conſtat, tum ex facto Chriſti, quem Eccleſia Latina imitatur conſecrando in Azymo. Tum auctoritate eiuſdem Eccleſiæ, quæ eſt magiſtra fidei, & columna veritatis: tum etiam ex ſignificatione, quia panis Azymus ſignificat ſinceritatem, & puritatem. Ex quo

11. Infertur primò. Græcos Sacerdotes licitè poſſe conſecrare in pane fermentato, vt tenent communiter Theologi, quia nullo iure id prohibitum eſt Græcis; non enim prohibitum eſt iure diuino deſumpto ex facto Chriſti. nam illud factum non inducit neceſſitatem præcepti. Neque etiam iure Eccleſiaſtico. nam licèt Eccleſia Romana præcipiat, vt Sacerdotes celebrent in Azymo; noluit hoc præcepto Eccleſiam Græcam obligare: imò, vt docuit Leo IX. epiſtola contra Michaëlem Patriarcham cap. 29. Eccleſia Romana ſemper Græcos monuit, & hortata eſt, vt ritum ſuæ Eccleſiæ ſeruarent: ergo nullo præcepto tenentur Græci oppoſitum facere.

12. Infertur ſecundò. Tam Græcos, quàm Latinos teneri præcepto Eccleſiaſtico, ritum ſuæ Eccleſiæ ſeruare, & oppoſitum facientes peccare mortaliter. Ratio eſt, quia in Concilio Florentino in literis vnionis expreſsè dicitur, debere Sacerdotes vtriuſque Eccleſiæ, tam Orientalis, quàm Occidentalis, Eccleſiarum ſuarum morem ſequi. Vnde illud verbum, *debent*, denotat præceptum obligans ad mortale, quia materia eſt grauis. Præterea ante Concilium Florentinum, in Eccleſia Latina iam huiuſmodi præceptum ſtabat, vt colligitur ex cap. *literas*, de celebratione Miſſarum. Vbi Honorius III. iubet grauiter puniri Preſbyterum, eo quòd in fermentato conſecraſſet, quod neque fieri poteſt à Sacerdote Latino, etiam in caſu, quòd non eſſet panis Azymus, & niſi fermentatus conſecraretur, ſine viatico infirmus moreretur, vt docet Vazquez, diſput. 170. cap. 4. quia præceptum ſumendi viaticum, non obligat niſi eo tempore, quo ſeruari poteſt, ſeruatis modis & ritibus ab Eccleſia conſtitutis. Nec obſtat quod obiicit Paludanus in 4. diſtinct. 11. quæſt. 1. art. 4. Græcos poſſe ſe conformare cum Eccleſia Latina, in forma, & modo baptizandi, etiamſi habeant propriam, ſcilicet,

baptizetur ſeruus Chriſti: ergo ſimiliter poſſunt ſe conformare conſecrando in Azymo. Nam illa forma Baptiſmi, nunquam fuit illis ſub præcepto, ſed tantùm fuit permiſſa, & tolerata ab Eccleſia; ac proinde licitè poſſent illam deſerere, & forma Latinorum vti: at conſecratio in pane fermentato, non ſolùm eſt tolerata, & permiſſa, ſed etiam præcepta.

13. Vt autem diſcernatur in quo pane Græcus teneatur conſecrare, dum exiſtit in Eccleſia Latina, & Latinus dum exiſtit in Eccleſia Græca, adducit Vazquez tres regulas, quæ communiter admittuntur à Recentioribus. *Prima* eſt, peregrinos alicuius ſolum negotij gratia alicubi habitantes, debere retinere morem ſuæ Eccleſiæ, ac proinde Græcos in Eccleſia Latina deberè conſecrare in fermentato, Latinos verò in Eccleſia Græca in Azymo. *Secunda* eſt, Græcos aut Latinos, qui in terra aliena per modum congregationis permittuntur proprium templum habere, vt Romæ permittitur Græcis, debere ſeruare patriæ ſuæ conſuetudinem; quod conſtat ex praxi Græcorum in Eccleſia Latina, in ipſa vrbe Roma commorantium, & propriam in ea Eccleſiam habentium: in qua in fermentato conſecrant, ſcientibus & approbantibus Romanis Pontificibus. *Tertia* Sacerdotem Latinum habitantem in Græcia, non vt peregrinum, ſed vt incolam, & habentem in ea domicilium, aut quaſi domicilium, teneri ad conſecrandum in fermentato, & Sacerdotem Græcum eodem modo commorantem in locis Latinorum, teneri ad conſecrandum in Azymo. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque tenetur ſeruare conſuetudinem ſuæ Eccleſiæ tanquam membrum illius; Græci autem, aut Latini, in hoc caſu non cenſentur eſſe alterius Eccleſiæ quàm illius in qua tanquam incolæ viuunt, & celebrant.

Sectio III.

An ſolum vinum vitis ſit propria materia huius Sacramenti.

14. COnclusio eſt affirmatiua, diffinita in Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & in Florentino ab Eugenio IV. & in Carthaginenſ. III. cap. 24. & id conſtat ex perpetua Eccleſiæ traditione, & vſu, quæ nunquam conſecrauit niſi in vino vitis, & deducitur, Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. vbi dicit Chriſtus, *Dico enim vobis, non bibam à modo de hoc genimine vitis*, &c. Quem locum ſancta Eccleſia ſemper intellexit de veta vite, &, vt docuit Cyprianus epiſtol. 63. diuinam eſſe traditionem, Calicem offerri, vinum de vite, quod ſignificatum fuit Geneſ. 9. Vino quod bibit Noë, & inebriatus eſt. Quodlibet autem vinum de vera vite, ſiue rubeum, ſiue album, eſt materia conſecrationis Calicis. Ex quo

Matth. 26. Marc 14. Luc. 22.

15. Infertur primò, non ſufficere agreſtam, acetum, ſapam, loram, ſeu acinacium, quia agreſta, Hiſpanè *agraz*, ſiue ſpecie differat à muſto, ſiue non, propter ſui immaturitatem, nondum adepta eſt ſtatum vini ſimpliciter, quamuis probabilius ſit à vino ſpecie differre, habet enim proprietates, & qualitates valde diuerſas. Acetum verò non eſt vinum, imò non fit niſi corrupto vino, quod intelligendum eſt de vero, & perfecto aceto, non de vino acido, quod certum eſt eſſe materiam ſufficientem conſecrationi. Deinde ſapa, Hiſpanè *Arrope*, ſicut aqua vite ex vino diſtillata. Mulſum, Hiſpanè *Clarea*, vel *Hipocras*, non ſunt materia ſufficiens conſecrationi, quia non ſunt ſimpliciter vina, nec retinent ſtatum vini. Præterea acinatium, ſeu lora, Hiſpanè, *Aquapie*, non eſt materia ſufficiens conſecrationi, ob eamdem rationem, quia quamuis appareat vinum, ſimpliciter tamen vinum non eſt.

16. Infertur ſecundò. Muſtum ſi expreſſum ſit ex vuis, eſſe ſufficientem materiam, quia abſolutè, & ſimpliciter eſt vinum; quare in muſto conſecratio erit valida; conſecrans tamen peccabit, eo quòd muſtum ſemper habet aliquam imperfectionem, & mixtionem alterius rei. In caſu tamen neceſſitatis non erit peccatum, vt patet ex cap. *Cùm omne crimen, de Conſecrat. diſtinct.* 2. vbi permittitur, vt tempore neceſſitatis conſecretur in muſto expreſſo ex botris, ſeu racemis. Dixi *ſi expreſſum ſit ex vuis*, nam ſi non ſit expreſſum, ſed intra vuas incluſum, non eſt materia ſufficiens, quia in eo ſtatu nec eſt, nec dicitur ſimpliciter vinum, imò non potatur, ſed comeditur.

17. Eſt tamen difficultas, an vinum congelatum ſit idonea materia. Et certum eſt, ſi vinum conſecratum congeletur, eſſe ibi verè ſanguinem Chriſti, quia in Miſſali Romano præcipitur, vt ſi vinum poſt conſecrationem congeletur, applicatis pannis calidis, liquefiat, & vinum ſic liquefactum ſumatur à Sacerdote, quod non præciperetur, ſi verè ibi non eſſet ſanguis Chriſti, ſed potiùs vt alterum vinum conſecraretur. Itaque difficultas eſt, an vinum congelatum ante conſecrationem, poſſit de nouo fieri conſecratio, & procedit de vino non corrupto congelatione, ſed manente ſubſtantia illius, ita vt vinum facilè poſſit reuerti in priſtinum ſtatum, vel calore, vel humiditate. Negant Armilla, Ledeſma, Enriquez, & Moure. Verius tamen eſt in vino congelato poſſe fieri conſecrationem. Ita Suarez, Vazquez, & Coninch, quos refert, & ſequitur Hurt. diſput. 2. diff. 9. Quia vinum congelatum retinet eumdem naturæ ſtatum in ſubſtantia, ac ſi congelatum non eſſet, mutata ſolùm qualitate raritatis in denſitatem. Deinde, quia ſi vinum congelatum retinet Chriſti ſanguinem, quod ante congelationem conſecratum erat: ergo etiamſi congelatum ſit, erit apta materia ad conſecrationem. Conſequentia eſt manifeſta, quia vtrobique requiritur eadem veritas, ſcilicet quòd ibi ſit ſanguis Chriſti ex vi verborum.

18. Obiicies primò. Quia vinum congelatum ſe habet ad modum cibi, & non potus, ſicut muſtum intra vuam: ſanguis verò Chriſti debet eſſe potus, ſecundùm illud, *ſanguis meus verè eſt potus*. Reſpondetur negando antecedens, quia vinum quamuis ſit congelatum, tamen ſemper habet rationem potus, nec aliter deſeruit ventriculo, niſi liquefactum, & tanquam liquor; at muſtum intra vuam eſt verè cibus, & manducatur cum tota vuæ ſubſtantia.

19. Obiicies ſecundò. Aqua congelata non eſt materia valida Baptiſmi: ergo nec vinum congelatum poterit eſſe materia valida Euchariſtiæ. Conſequentia patet à paritate rationis. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Baptiſmus non ſolùm poſtulat aquam, ſed ablutionem, & aqua congelata

gelata in eo ſtatu, non eſt apta vt media ipſa fiat lotio, quæ eſt materia proxima, & pars eſſentialis Baptiſmi: at Euchariſtia non conſiſtit in vſu, & ideo manentibus ſpeciebus vini, vt manent in vino congelato, poteſt dari ſacramentum, quia in eo caſu datur vinum ſimpliciter.

SECTIO IV.

An permixtio aquæ in Calicis conſecratione ſit neceſſaria, & qua neceſſitate.

20. ARmachanus, vt refert Bernardus, epiſtola 96. exiſtimauit, ita neceſſariò eſſe aquam miſcendam vino, vt ſine illa non fieret ſacramentum. Alenſis, & Oſius & alij, cenſent mixtionem iſtam eſſe à iure diuino. Sit tamen

21. Prima concluſio. Neceſſarium eſt vt in conſecratione Calicis, aqua vino miſceatur, & omittens peccat mortaliter. Eſt de fide diffinitum in Concil. Toletano, Carthaginenſ. & Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 7. Congruentiæ verò huius præcepti inſinuantur in prædictis Conciliis. *Prima* eſt, quia ita Chriſtus feciſſe creditur, & quemadmodum propter factum Chriſti, congruenter impoſitum eſt præceptum in Eccleſia Latina de conſecrando in Azymo; ita etiam de admiſcendo aquam. Quòd autem Chriſtus aquam vino miſcuerit, communis eſt Eccleſiæ traditio, quam habemus ab ipſis Apoſtolis, vt patet ex prima Liturgia B. Iacobi, quæ habetur 6. tom. Bibliothecæ veterum Patrum, & ex lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 12. *Secunda* ſumitur ex ſignificatione. nam permixtio aquæ vino conſecrando, ſignificat ſanguinem, & aquam, ex latere Chriſti fluentem; ſignificat etiam vnionem populorum cum Chriſto. nam aqua populum ſignificat,

Apoc. 16. iuxta illud Apocalypſ. 16. *Aquæ multæ, populi multi.*

22. Secunda concluſio. Permixtio aquæ non eſt de neceſſitate ſacramenti. Ita communiter Theo-

Trident. logi; & probatur ex Trident. ſuprà vbi ait. *Manet ſancta Synodus, præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino admiſceant.* Ex quo modo loquendi ſatis apertè colligitur, hanc admiſtionem non eſſe de neceſſitate ſacramenti.

23. Ex quo infertur, hoc præceptum non eſſe iuris diuini, ſed tantùm Eccleſiaſtici, ita Suarez, Vazquez, & Coninch. quos refert, & ſequitur Hurt. ſuprà diff. 11. & probatur, tum ex prædictis verbis Tridentini; tum etiam, quia Florentinum non reprehendit Armenios, qui ſolo vino conſecrabant, tanquam ſi nihil efficerent, ſed ſolùm quia ab vniuerſali conſuetudine diſcedebant, & non quia in eo tranſgrediantur præceptum diuinum.

24. Obiicies, quia Chriſtus in vino aqua mixto conſecrauit, vt conſtat ex Liturgia Iacobi, vbi ait, *ſimiliter poſtquam cœnauit, accipiens calicem, & permiſcens ex vino, & aqua*, &c. ergo aqua erit de neceſſitate ſacramenti; vel facto ſuo, ad id nos obligauit. Conſequentia eſt manifeſta, quia in conſecratione, & adminiſtratione ſacramentorum, tenemur Chriſtum imitari. Reſpondetur, non omne factum Chriſti eſſe de neceſſitate ſacramenti, vt patet in pane Azymo; quando autem ſit talis neceſſitas, pendet ex voluntate Chriſti, quam aliter non poſſumus cognoſcere, niſi per explicationem Eccleſiæ.

25. Tertia concluſio. Præcepto Eccleſiaſtico tenentur Miniſtri huius ſacramenti, modiciſſimam aquam elementarem ante conſecrationem miſcere. Explicatur. dixi *præcepto Eccleſiaſtico*, quod iam explicatum eſt. Dixi *modiciſſimam aquam*, quia eiſdem terminis vtitur Florentinum; Triburicenſe verò dicit, duæ partes ſint vini, tertia aquæ. Dixi *elementarem*, quia alia non dicitur abſolutè aqua. Dixi *Miniſtri ſacramenti*, quia aliàs non eſſet cæremonia ſacra. Dixi *ante conſecrationem*, quia facta conſecratione non eſt miſcenda: ſi tamen ante oblationem Calicis obliius fuerit Sacerdos, & facta oblatione recordatus fuerit, miſceat ante conſecrationem.

SECTIO V.

An aqua immediatè conuertatur in ſanguinem Chriſti.

26. COncluſio eſt affirmatiua, contra Suarez, Vazquez, & plures alios quos refert, & ſequitur Hurt. diff. 14. Eam tamen defendit Lugus, diſp. 4. ſect. 3. vbi allegat Salmeron. Peſantium, Coninch, Layman, Dianam, & plures alios, eſtque hac tempeſtate, ferè communis. Et

Probatur primò, quia Paſchaſius lib. 1. de corpore Chriſti, cap. 1. ſic ait, & habetur in 6. tom. Biblioth. Patrum. *Nec dubium, quin in hoc myſterio illam bibamus aquam, de qua Dominus, qui biberit aquam quam ego dabo ei, fiet in eo fons aqua*, &c. *Propterea non inconuenienter etiam, ob hoc idem, aqua conſecratur, non quòd aqua permaneat, ſed quòd conuertatur in ſanguinem.* Paſchaſ.

Secundò D. Algerus lib. 1. de ſacramento corporis Domini cap. 16. *Cùm enim vinum pro Chriſto, aqua ſacrificetur pro populo, & vtrumque vnus ſanguis fiat.* Alias auctoritates Patrum inuenies apud Coninch. quæſt. 74. art. 8. & apud Lugum vbi ſuprà. Alger.

27. Tertiò probatur ratione, quia aqua non poteſt conuerti in vinum: quod ſic probo, quia experientia conſtat, aquam immiſſam extrahi à vino quibuſdam inſtrumentis. Nec dicas extrahi quemdam humorem vini ſimilem aquæ, quia talis humor non extrahitur à vino eiſdem inſtrumentis, ſi aqua non ſit immiſſa in vinum.

Quartò, quia vinum amittit vires ſuas, etiamſi pauciſſima aqua miſceatur, & ſi diu durat immittere paulatim guttam aquæ, tandem deprehenditur non eſſe vinum: quod non eſſet ita, ſi aqua in vinum conuerteretur, vt patet à ſimili de igne.

Quintò, ſi aqua non conuerteretur in ſanguinem Chriſti, quin priùs conuerteret ſe in vinum, non eſſet bona locutio Patrum aſſerentium, aquam conuerti in ſanguinem Chriſti: ſicut ineptè diceretur, me conuertere in propriam ſubſtantiam herbam, quia manduco agnum, in cuius ſubſtantiam conuerſa fuit herba, quam ipſe comedit. Denique, quia non videtur credibile, aquam poſſe tam citò in naturam vini ſubſtantialiter tranſmutari, præſertim quando paulo ante conſecrationem aqua vino miſcetur, quia, vt optimè Lugus num. 54. vinum quamuis non ſit ſubſtantia viuens, eſt tamen ſuccus ſubſtantiæ viuentis, elaboratus intra vuam; ſicut ſanguis elaboratur in iecore animalis: ergo ſicut ſanguis ſeparatus non habet virtutem ad tranſmutandam

substantialiter in sanguinem, aliquam guttam aquæ, quæ illi misceatur; ita nec vinum præsertim separatum ab vua, habebit talem virtutem.

28. Obiicies primò. Concilia, & Patres passim dicunt, panem, & vinum esse materiam huius sacramenti. Respondetur, loqui de materia essentiali, & necessaria. Vel secundò respondetur, solùm dicunt vinum, sumendo denominationem à maiori, & potiori parte. Deinde Patres, & Concilia frequenter etiam dicunt, aquam & vinum esse materiam huius sacramenti.

29. Obiicies secundò, Tridentinum expressè diffinit, totam substantiam vini conuerti in sanguinem, manentibus solis speciebus vini, nullam faciens mentionem specierum aquæ. Respondetur, Concilium non diffinisse hanc quæstionem scholasticam, & locutio illa Concilij ideo est, quia si, vt fert probabilis opinio, aqua conuertitur in vinum, sic non manent species aquæ; vel si non conuertitur, non manent sensibiliter, sed totum quod censetur sunt species vini. Quod autem Concilium ibi intendit solum est, nihil substantiæ remanere.

30. Obiicies tertiò, ergo in quacumque quantitate, aqua ponatur in vino, erit apta consecrari. Respondetur negando consequentiam, quia ponitur ad significandam fragilitatem populi; vinum verò ad significandam maiestatem Christi, quæ maior est, vt docet Concilium Triburiense. Can. 9.

31. Obiicies quartò, aqua per se sola non est materia consecrabilis, nec est de necessitate sacramenti, nec de præcepto diuino: ergo non est immediatè conuertibilis in sanguinem. Respondetur negando consequentiam, sufficit enim, vt simul cum vino possit conuerti; sicut particula panis insensibilis, licèt ex se non sit consecrabilis, bene tamen iuncta cum aliis.

32. Obiicies quintò, si aqua ex qua fit panis, non conuerteretur in panem, sed in propria remaneret substantia, non conuerteretur in corpus Christi: ergo similiter, si aqua non conuertitur in vinum, non transit in sanguinem. Respondetur disparem esse rationem, quia in consecratione panis, solùm consecratur id quod est per modum cibi; in consecratione verò Calicis, quod est per modum potus.

33. Denique obiicies, ergo si separarentur species aquæ, remaneret sanguis in eis. Respondetur negando consequentiam, quia solùm sunt materia consecrationis, & manent consecratæ coniunctæ cum vino.

34. Inquires, an si aqua non conuerteretur in sanguinem, qui sumeret tunc calicem, maneret ieiunus, vt posset secundum factum celebrare. Respondetur, etsi non possit dici ieiunus, potest tamen secundam Missam celebrare, quia præceptum ieiunij est ecclesiasticum, & non intelligitur in eo casu, quia ex alio præcepto Ecclesiastico, aqua debet misceri in vino, quamuis ieiunium frangat.

Sectio VI.

An materia consecranda debeat esse præsens.

35. PRæsentia differt à propinquitate, quia bene potest stare aliquam rem esse propinquam, & tamen non esse præsentem, vt si collocetur à tergo, ita vt nullo sensu percipi possit. Propinquitas ergo est negatio distantiæ. Præsentia verò sumitur in ordine ad cognitionem intuitiuam, ita vt res aliqua dicatur esse præsens alicui, quia potest ab illo intuitiuè cognosci. Viguerius ergo in libro institution. theologicarum cap. 17. existimat, requiri tantam propinquitatem, & præsentiam, vt verba consecrationis contingere possint ipsam materiam, vel secundùm esse reale, videlicet secundùm aërem verberatum: vel secundùm esse intentionale, ita vt illa verba audiri possint ab existente, in eo loco vbi est materia. Quod probat ex illo vulgari dicto Augustini. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum: vel, vt ipse exponit, verbum contingit ipsum elementum. Secundò probat, quia verba sunt instrumenta physica; de ratione autem instrumenti physici est, vt habeat aliquam præuiam operationem circa passum; quæ esse non potest sine contactu reali: ergo necesse est, vt verba consecrationis ipsam materiam realiter contingant.

Prima conclusio. Necessaria est aliqua præsentia materiæ, vt consecratio sit valida; hæc autem præsentia debet esse ad sensus exteriores, ita vt materia aliquo tali sensu percipiatur, vel in se, vel in aliquo proximè illam continente. Ita communiter Doctores, & probatur, quia non sufficit sola præsentia ad intellectum: aliàs Sacerdos existens Cæsaraugustæ, posset consecrare panem, qui sibi reuelaretur existere Romæ, quod est falsum: ergo non sufficit præsentia ad intellectum, sed necessaria est ad sensum. Et ratio à priori est, quia pronomen demonstratiuum, *hoc*, vel *hic*, iuxta communem modum loquendi, non tolet applicari nisi rei cognitæ, cognitione intuitiua; quæ cognitio pro hoc statu pendet à sensibus: ergo materia Eucharistiæ, quæ illo pronomine debet demonstrari, necessariò debet esse præsens ad sensus externos. Accedit, quia, vt dicemus sectione sequenti, materia in particulari debet esse determinata à Ministro: hæc autem determinatio si certa est, necessariò debet fieri per sensus exteriores: ergo respectu illorum materia debet esse præsens. Ex quo fit, non posse Sacerdotem consecrare panem existentem post parietem, etiamsi certò cognoscat ibi esse, quia non habet debitam præsentiam. Nec obstat, posse consecrare Hostiam sub linteo positam, aut vinum in Calice cooperto; est enim diuersa ratio, quia licèt materia in se ipsa non sit præsens sensibus; est tamen præsens in aliquo ipsam continente, quod sufficit, quia in eo casu per metonymiam, secundùm quam sumitur continens pro contento, materia potest demonstrari pronomine *hoc*, vel *hic*. 36.

Ad primum fundamentum Viguerij respondetur, mentem D. Augustini esse, ex coniunctione morali verbi, & elementi, resultare sacramentum; non tamen esse necessarium, elementum, siue materiam physicè per formam contingi. Ad secundum verba nullam efficientiam physicam habere circa materiam, ac proinde non requiri quod ad illam perueniant. 37.

Secunda conclusio. Non sufficit quælibet præsentia sensibilis, sed requiritur quòd sit demonstrabilis pronomine *hoc*, vel *hic*. Probatur, quia aliàs substantia panis in magna distantia constituta, dummodo oculis percipi possit, consecrari posset: quod nemo affirmauit, quia non potest significari pronomine *hoc*, sed potiùs, *illud*. 38.

Vnde

Vnde fit, præter præsentiam, necessariam esse aliquam propinquitatem materiæ, quia res distans, iuxta communem modum loquendi, non solet demonstrari pronomine demonstratiuo *hoc*, vel *hic*. Quanta verò debeat esse hæc propinquitas, res est satis incerta, nec potest certa regula assignari.

39. Obiicies primò. Videns à longè ciuitatem, verè dicit, hæc ciuitas est Cæsarauguſta; ergo substantia panis in qualibet distantia constituta, dummodo oculis percipiatur, poterit consecrari. Respondetur, locutionem illam veram esse, non ex vi verborum, sed ex discursu sermonis, aut alterius circunstantiæ, ex qua talis ciuitas sit præsens intellectualiter.

40. Obiicies secundò, si quis haberet præsentem tantam panis quantitatem, vt non posset videre remotiores partes panis ob nimiam distantiam, tunc verè consecraret; & tamen partes illæ distantes, non possent demonstrari pro nomine, *hoc*, sed potiùs *illud*; ergo, &c. Suarez disp. 43. sect. 5. & sect. 8. existimat sacerdotem tantùm validè posse consecrare eam panis, & vini quantitatem, quam potest habere præsentem, ac proinde si magnitudo panis, aut vini tanta sit, vt non possit secundùm omnem suam longitudinem oculis percipi, aut alio sensu, non poterit consecrari. Contrarium tamen iudico probabilius, cum Vazq. disp. 161. cap. 4. quia tota illa quantitas panis iam censetur per partes propinquiores, cum quibus physicè aliæ sunt vnitæ; sicque sufficienter demonstrantur pronomine *hoc*, quod fertur in totum, & non in partes solas; quia totum vinum quod est in dolio, est sufficienter præsens, vt validè consecretur, quamuis non videantur omnes eius partes, quæ sunt in medio, & profundo, sed tantùm quæ sunt in superficie. nam tota illa quantitas dicitur præsens ratione illarum partium, quæ sentiuntur.

Sectio VII.

An materia consecranda debeat esse determinata ex intentione Ministri.

41. Conclusio est affirmatiua, & communis omnium Theologorum. Quod non solùm requiritur in hoc sacramento, sed etiam in omnibus aliis, quia si quis duos homines simul præsentes haberet, intendens vnum tantùm baptizare, si non determinet in particulari quem, neutrum baptizaret: idem fieret in absolutione. Et ratio huius est, quia intentio Ministri, debet conformari verbis, & verba intentioni; sed verba in formis sacramentorum determinant materiam, & subiectum in particulari; ergo, & intentio Ministri debet in particulari ferri supra certam, & determinatam materiam à se ipso significatam. Quod cùm in omnibus sacramentis teneat, maiorem vim habet in hoc sacramento, eo quòd in vtraque forma illius ponitur pronomen demonstratiuum, quod designat, & demonstrat, certam, & determinatam materiam.

42. Ex quo infertur, ex defectu prædictæ determinatæ intentionis, si sacerdos vellet ex decem Hostiis, nouem consecrare, nulla maneret consecrata, nisi in particulari determinaret, quas ex illis vellet consecrare, & quam non. Item si tantùm vellet consecrare medietatem hostiæ quam habet præsentem, nulla esset consecratio, nisi diffinitè diceret, Volo consecrare partem dexteram, & non sinistram; vel è contrà. In vtroque tamen casu peccabit grauissimè, quia in diuisione illius hostiæ necessarium est, vel quod aliqua pars non consecrata, maneat coniuncta consecratæ, & ita adorabitur, & sumetur tanquam verum sacramentum; vel quòd pars consecrata maneat coniuncta parti non consecratæ, & sic despicietur, quasi ibi nihil aliud esset, nisi solus panis. Deinde, si vellet consecrare hostias, quas Deus, vel homo aliquis determinauerit, antequam cognosceret determinatas, consecratio non erit valida. Denique in illo casu cuius meminit Maior in 4. distinct. 11. artic. 7. quæst. 2. de sacerdote volente consecrare omnes partes proportionales, & impares, alicuius hostiæ, non verò partes pares, nulla fieret consecratio. Tum, quia impossibile est in particulari has partes designare; tum etiam, quia sequeretur, partes impares esse consecratas, & non esse consecratas, quod implicat. Primum concedit maior; posterius verò probatur, quia partes impares communicant cum partibus paribus; sed hæ non sunt consecratæ, quia celebrans non intendit illas consecrare; ergo neque impares. Maior constat, quia in infinito syncategorematico tantùm, non dantur infinitæ partes proportionales non communicantes, vt dicitur 3. Physicorum.

43. Obiicies primò, sequitur, si sacerdos consecraret existimans vnam tantùm hostiam consecrare, & postea reperiat duas, nullam fuisse consecratam. Respondetur, in eo casu vtramque hostiam manere consecratam, nisi sacerdos intentionem coarctauerit ad vnam tantùm, positiuè excludendo omnem aliam. Ratio est, quia intentio Ministri moraliter semper est consecrandi omnem materiam sibi præsentem, & quam defert ad consecrandum; atque ita nisi positiuè excludat omnem aliam materiam præter eam, quam existimat solam se detulisse, omnem absolutè consecrat: vnde semper materia ex intentione Ministri determinatur. Nec obstat illa falsa existimatio, quia est speculatiua, & priuata, & non nocet intentioni practicæ, & generali, vt docet Suarez sect. 6. & Recentiores communiter, qui idem docent in casu quo sacerdos deferat plures hostias ad consecrandum, & in altari vnam separat ab aliis, & postea dum consecrat omnium aliarum obliuiscitur, manent omnes consecratæ, quia non requiritur actualis intentio, sed sufficit virtualis, hæc enim sufficiens est ad actus humanos; atque ita si actu non recordatur de hostiis quas habet intra aram, si eas ibi vidit apponere, aut ipse apposuit ad consecrandas: secus si alius apponat eas, & ipse non videat.

44. Obiicies secundò, confessarius audiens confessionem venialium, si intendat absoluere pœnitentem de duobus tantùm peccatis, non determinando quæ illa sint, sed eorum determinationem Deo relinquendo, verè absoluit; ergo, &c. Antecedens probatur, quia si pœnitens duo tantùm peccata ex illis confiteatur, fit sacramentum validum, eo quòd peccata venialia non sunt materia necessaria, sed libera huius sacramenti; ergo si Minister tantùm intendat duo peccata absoluere, sacramentum erit validum eadem ratione. Respondet Vazq. negando in eo casu fieri verum sacramentum, quia illa intentio est contra requisita principaliter ad verum sacramentum. Sed melius Suarez negat consequentiam, quia in casu antecedentis, intentio fertur supra effectum sacra-

menti, & non ſupra ſacramentum ipſum: quare ſi Miniſter habeat intentionem conferendi ſacramentum, etiamſi limitet intentionem quoad effectum, nihilominus confert verum ſacramentum. In caſu verò conſequentis intentio illa indefinita fertur ſupra materiam eſſentialem ſacramenti, quæ debet demonſtrari pronomine *hoc*, & quia dum non determinatur, non poteſt demonſtrari, inde fit, quòd non conficiatur verum ſacramentum.

45. Obiicies tertiò, poteſt ſacerdos offerre ſacrificium Miſſæ pro anima, quam Deus determinauerit; ergo pari ratione conſecratio erit valida, etiamſi materia non ſit à Miniſtro determinata. Reſpondetur diſparem eſſe rationem de ſacrificio Miſſæ, quia Deus remittit pœnam, & ſic ſufficit quòd ipſe determinet animam: at in Euchariſtiæ conſecratione, ſacerdos operatur, & ſic requiritur determinatio ex parte illius. Ita Suarez, quod certè non caret difficultate, quia licèt non remittat, vt cauſa principalis, remittit tamen inſtrumentaliter, impetrando remiſſionem pœnæ per applicationem ſacrificij. Quare melius reſpondetur eſſe diſparem rationem, quia in ſacramento ratione pronominis demonſtratiui, debet aſſignari certa materia in particulari, quæ pronomine illo demonſtretur: at in effectu ſacrificij nullum eſt pronomen ratione cuius neceſſe ſit in particulari deſignare ſubiectum, cui tale ſacrificium proſit; & ideo poteſt relinqui indeterminatim ex parte Miniſtri, vt determinetur à Deo.

46. Circa intentionem requiſitam ad Calicem, obſerua, non terminari niſi ad ea, quæ intra illum per modum continui ſunt, quapropter de guttis, quæ intra ipſum ſunt ſeparatæ, ab illo continuo exiſtente in profundo, cenſent Reginaldus, Ochogauia, & Layman, quos ſequitur Hurt. diſp. 2. diff. 16. non conſecrari; quod intelligendum eſt, non ſolùm de guttis remotioribus, circa labrum calicis exiſtentibus, ſed etiam de propinquis ipſo vino exiſtenti in profundo, quia conſecrans, niſi aliud expreſsè intendat, tantùm cenſetur, velle conſecrare vinum, quod per modum potabilis exiſtit intra calicem, quod tantùm eſt illud continuum, quod eſt in profundo calicis. De his verò quæ extra illum ſunt, conueniunt omnes eſſe præter intentionem conſecrantis.

Sectio VIII.

De magnitudine, & paruitate materiæ conſecrandæ.

47. Circa paruitatem difficultas eſt, an detur tam parua quantitas panis, vt ſub minori conſecrari non poſſit, etiamſi ſub minori poſſit conſeruari forma panis, & loquimur de hac parua quantitate, vt ſeparata à toto, & non prout eſt illi coniuncta, & inexiſtens; nam hac ratione cùm hoſtia conſecratur, omnes partes illius, quamtumuis minimæ, manent conſecratæ: vnde ſolet dici, Chriſtum in Euchariſtia exiſtere etiam in puncto indiuiſibili hoſtiæ.

48. Prima concluſio. Si materia ſit tam parua, vt ſenſu percipi non poſſit, non poteſt in tali materia conſecrari corpus Chriſti à principio, poteſt tamen conſeruari antea conſectatum. Ita Vazquez, Suarez, & Coninch quos refert, & ſequitur Hurt. diff. 17. Et ratio prioris partis eſt, quia, vt diximus ſectione præcedenti, ad conſecrationem neceſſaria eſt præſentia materiæ; hæc autem præſentia non eſt, vbi materia nullo ſenſu percipi poteſt; ergo vbi materia eſt tam parua, vt ſenſibus non percipiatur, nec poteſt demonſtrari pronomine demonſtratiuo, nulla poteſt fieri conſecratio. Ratio verò poſterioris partis eſt, quia in conſeruatione corporis Chriſti iam conſecrati, non requiritur talis præſentia, quia corpus Chriſti ſuccedit loco ſubſtantiæ panis ſub eius ſpeciebus; ſed in quacumque quantitate, quantumuis minima, quamuis ſenſibus non percipiatur, poteſt conſeruari forma panis; ergo in eadem poteſt conſeruari corpus Chriſti conſecratum. Quod indicare videtur Tridentin. ſeſſ. 13. can. 3. & 4. vbi abſque vlla limitatione diffinitur, totum corpus Chriſti contineri ſub ſingulis ſpeciei partibus, ſeparatione facta.

49. Circa magnitudinem verò difficultas eſt, an quantitas materiæ Euchariſtiæ habeat terminum versùs maximum, & poteſt procedere de quantitate continua, & diſcreta.

50. Sit ergo ſecunda concluſio. In quantitate diſcreta non datur terminus materiæ Euchariſtiæ versùs maximum, ſed poſſunt conſecrari plures, & plures hoſtiæ ſine termino. Probatur, quia ex nulla parte poteſt præuenire hæc limitatio: non ex parte conſecrantis, quia Chriſtus abſolutè, & abſque vlla limitatione, dedit Apoſtolis poteſtatem conſecrandi; & ſacerdos non conſecrat, vt cauſa principalis, ſed vt inſtrumentum Dei: at virtus diuina non eſt limitata; ergo neque eſt neceſſariò, vt materia conſecranda ſit limitatæ quantitatis. Secundò hæc determinatio non poteſt ſumi ex parte finis, & vſus fidelium, vt rectè probat D. Thom. art. 2. Tertiò, neque poteſt ſumi hæc limitatio ex parte corporis Chriſti conſecrandi, quaſi ſolùm poſſit eſſe ſub certo numero hoſtiarum, & non ſub maiori, quia nulla poteſt reddi ratio, ob quam non poſſit eſſe ſub pluribus, & pluribus ſine termino; ergo ex nullo capite poteſt terminari, & limitari numerus hoſtiarum conſecrandarum.

51. Tertia concluſio. Non datur terminus in quantitate continua, ſed quælibet quantitas panis, quantumuis magna, conſecrabilis eſt. Probatur, quia ex nulla parte poteſt hæc limitatio quantitatis deſumi, vt prædictum eſt in præcedenti concluſione. Secundò, quia non datur terminus materiæ Euchariſtiæ in quantitate diſcreta; ergo neque in continua. Tertiò, quia verba conſecrationis licèt in entitate ſint finita, in virtute tamen cauſandi, cùm cauſent virtute Dei, ſunt infinita; ergo infinitam quantitatem panis poſſunt conſecrare. Ita Vazquez, & plures alij relati ab Hurt. diſput. 18.

52. Obiicies primò, non poteſt infinita ſubſtantia panis fieri præſens conſecranti, vt demonſtretur pronomine *hoc*; ergo quamuis ex ſe, & ex virtute verborum ſit conſecrabilis; ex defectu tamen præſentiæ non erit conſecrabilis. Reſpondetur, ſufficere vt ſit præſens ſecundùm aliquam ſui partem, vt ſuprà docuimus.

53. Obiicies ſecundò, ſubſtantia corporis Chriſti, & eius quantitas, ſunt finitæ & limitatæ perfectionis; ergo non poſſunt occupare quantamcumque quantitatem ſpeciei conſecratæ; ac proinde neceſſariò debet aſſignari aliquis terminus. Conſequentia probatur, quia ad occupandam infinitam quantitatem ſpeciei conſecratæ, neceſſaria eſſet infinita perfectio corporis Chriſti. Et confirmatur,

matur, quia Angelus, & anima rationalis, etiamsi sint indiuisibiles, non possunt occupare, Angelus scilicet, quantumcumque locum sine termino, & anima rationalis quantumcumque corpus, sed pro ratione sui perfectionis. Respondetur, argumentum concludere de lege ordinaria, non tamen de potentia Dei absoluta, secundùm quam fieri potest, vt corpus limitatæ quantitatis occupet maiorem, & maiorem locum sine termino; non quidem ita vt pars loci correspondeat parti locati, quia hoc videtur impossibile, inuariata manente quantitate illius corporis, sed ita vt existat indiuisibiliter, quemadmodum existit corpus Christi in Eucharistia.

Sectio IX.

An vna species possit consecrari sine altera.

54. PRimò conueniunt omnes, vnam speciem nunquam esse consecrandam sine altera, vt habetur expresè in cap. *Comperimus*, de consecrat. distinct. 2. Et ratio est, quia sacrificium nouæ legis situm est in consecratione panis, & vini, oblatione, & consumptione specierum consecratarum; cùm ergo sacerdos inter consecrandum sacrificet, tenetur vtramque speciem consecrare, & ita hactenus vsus obtinuit, vt vna species sine altera non consecretur. Secundò conueniunt, si sacerdos vnam tantùm speciem consecrauerit, hanc esse verè consecratam, quia forma consecrationis panis, neque quantum ad significationem, neque quantum ad efficaciam, pendet à forma consecrationis vini, neque è contrà; ergo si quis proferat verba consecrationis panis, supra panem, manebit consecratus, etiamsi per ignorantiam, siue per obliuionem, siue per malitiam, siue morte præuentus, deinde non consecret vinum. Confirmatur, quia præsentia corporis Christi sub speciebus panis, non pendet ex futura præsentia sanguinis sub speciebus vini. Præterea, quia vna species consecrata potest esse sine altera, vt de facto conseruatur in sacrario, & defertur ad infirmos; ergo etiam poterit vna sine altera consecrari. Tertiò conueniunt; nulli Sacerdoti licere propria auctoritate, vnam speciem sine altera consecrare; etiam in casu magnæ necessitatis. Ratio est, quia integritas huius sacramenti est sub præcepto, imò de iure diuino; ergo sine grauissimo sacrilegio, nullus sacerdos potest vnam tantùm speciem sine altera consecrare. Ex quo

55. Infertur primò, contra Maiorem in 4. distinct. 9. quæst. 3. non licere ad communicandum infirmum in articulo mortis, quando non est aliqua hostia consecrata; nec potest Missa celebrari, vnam tantùm speciem consecrare. Et ratio est, quia realis susceptio Eucharistiæ, non est ad salutem necessaria; ergo propter id quod necessarium non est, non licet violare præceptum de integritate sacramenti.

Secundò infertur, contra Adrianum quæst. 6. neque id fieri posse ad vitandum scandalum, vt in casu quo sacerdos celebrans credens apposuisse vinum in calice, apposuerit solam aquam, & super illam verba consecrationis protulerit. In quo casu, quamuis sequatur aliqua populi admiratio, apponendum est de nouo vinum in calice, & consecrandum, imò quamuis timeatur scandalum secuturum, non licet relinquere sacramentum imperfectum, quia illud scandalum non esset datum sed acceptum. Vnde falsò Alensis in compèdio Theolog. lib. 6. existimat in prædicto casu, si sacerdos sumpserit aquam existimans sumere vinum consecratum, non posse tunc apponere vinum in calice, & illud consecrare, ac sumere, quia non esset ieiunus. Quod falsum est, quia præceptum de consecratione in vtraque specie, vtpote diuinum, vrgentius obligat, quàm præceptum Ecclesiasticum ieiunij.

56. Tertiò infertur, sacerdotem posse inculpatè vnam tantùm speciem consecrare, quoties nequit alteram speciem consecrare ex impotentia physica, vel morali, vt si vna specie tantùm consecrata, morte subita tollatur à viuis, aut aliquo subito morbo corruat in terram; vel si post consecrationem calicis, intelligat in eo esse venenum, potest licitè à sumptione illius abstinere.

57. Obiicies, ergo si quis cominetur mortem sacerdoti, nisi consecret solam speciem panis, quia instat necessitas communicandi infirmum, & non reperitur vinum, poterit sacerdos licitè id facere, vt mortem euadat. Respondetur negando consequentiam, quia præceptum negatiuum de non consecranda vna specie sine altera, obligat ad semper, & pro semper: in casibus autem supra positis, non facit contra præceptum negatiuum, quia in eis reperitur impotentia physica, vel moralis.

58. Est tamen difficultas, an saltem id liceat, ex dispensatione Summi Pontificis. Affirmat Enriq. lib. 8. cap. 13. posse Papam dispensare in casu magnæ necessitatis, quia aliquando de facto legitur dispensasse; vt refert Volaterr. lib. 7. Geographiæ cap. 4. Innocentium Papam accepta legatione dispensasse cum Nouergianis, vt possent consecrare in sola specie panis, eo quòd non reperitur vinum in illa Prouincia, neque aliunde allatum potest conseruari.

59. Dicendum tamen est, in nullo casu posse celebrari in vnica tantùm specie, & Summum Pontificem non posse in eo dispensare. Ita Suarez disp. 43. sect. 4. Vazq disp. 223. cap. 3. & fere omnes Doctores communiter. Quia integritas consecrationis in vtraque specie, est de iure diuino, vt colligitur ex Trident. sess. 22. cap. 1. & can. 1. vbi definitur, *Christum Dominum præcepisse Apostolis, & omnibus sacerdotibus, vt offerrent Deo Patri corpus, & sanguinem suum sub specie panis, & vini.* Et certè nisi concedamus hoc præceptum impositum fuisse à Christo Domino in ipsa institutione huius sacramenti, vix poterimus assignare quando impositum fuerit ab Ecclesia. Nam Gelasius Papa in cap. *Comperimus*, de consecratione distinct. 2. cùm ait: *Diuisio vnius, & eiusdem mysterij, sine grandi sacrilegio, non fit.* Non imposuit nouum præceptum, sed illud iam positũ declarauit. Itaque huiusmodi præceptum est diuinum, in ipsamet institutione huius sacramenti contentum: nam cùm Christus instituit hoc sacramentum in duabus speciebus, eo ipso voluit, & decreuit, consecrationem debere fieri in vtraque, & non in altera tantùm. Pontifex autem non potest dispensare in iure diuino, imò neque illud interpretari. nam interpretatio solùm habet locum, quando ius est dubium: at in nostro casu non videtur esse aliqua dubitatio. nam cùm Christus hoc sacramentum, & sacrificium in duabus speciebus constituerit, credendum est non voluisse ritum huius sacrificij mutari; ergo non poterit Papa, etiam in casu magnæ necessitatis ius diuinum

Trident.

num in oppositum interpretari. Confirmatur, quia aliàs nihil esset certum in materia sacramentorum; posset enim similiter Papa interpretari, cùm non adest aqua naturalis, neque facilè adduci potest, vt loco eius sufficiat aqua rosacea, vel alius liquor ad baptizandum, ne puer sine Baptismo decedat, & damnetur. Similiter posset interpretari cùm non reperitur vinum vitis ad consecrandum, vt loco illius supponi possit vinum expressum ex pomis, vel ex aliis fructibus, & sic nihil haberemus certum in materia sacramentorum.

60. Ad rationem in contrarium respondetur cum Suario, & Bellarmin. illi historiæ non esse adhibendam fidem, quia à nullo alio scriptore illius temporis adducitur, & quia Volaterr. non dicit fuisse permissum, vt in solo pane sine vino consecrarent, sed vt consecrarent calicem sine vino, quod est incredibile, quia Papa non potest dispensare in materia sacramentorum.

61. Obiicies primò, quia quamuis concedamus, hoc præceptum esse iuris diuini, non propterea negandum est posse Papam in illo dispensare, cùm sæpè de facto in iure diuino dispenset, vt in voto, in iuramento, & aliis. Respondetur, quòd quamuis obligatio voti, & iuramenti, sit de iure diuino, & naturali; tamen quatenus sunt actus procedentes à voluntate humana subiecta Summo Pontifici, ex hac parte poterit Papa in illis dispensare; non quidem auferendo obligationem manente voto, aut iuramento; sed vel mutando materiam, vt fit in commutatione; vel auferendo votum, vt fit in dispensatione; quia vouens non potuit derogare authoritati Papæ, quam habebat circa suos actus.

62. Obiicies secundò, quia si in aliqua Prouincia, nulla esset copia vini, & Papa non posset in hoc præcepto dispensare, non posset in illa Prouincia esse sacrificium, neque sacerdotium, nec lex, neque religio nostra, vt docet Paulus ad Hebr. 7. *Translato sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.* Respondetur, ad veritatem sacerdotij, non requiri quòd actu sacrificet, sed quòd possit sacrificare, in illo, vel in alio loco, imò admitti non debet, esse aliquam Prouinciam in qua deficiat copia vini, quantum sufficit ad vsum sacramenti, cùm possit facilè ad omnes Prouincias deferri.

Hebr. 7.

63. Denique obiicies, quia Christus Dominus Lucæ 14. in castello Emaus consecrauit in solo pane, imò D. Paulus de facto consecrauit panem sine vino Actorum 27. *Sumens panem gratias egit Deo in conspectu omnium, & cùm fregisset, cæpit manducare.* Respondetur, Christum id fecisse potestate excellentiæ, sola sua voluntate, quâ voluit panem in corpus suum conuerti. D. verò Paulus etiam si concedamus sermonem ibi esse de pane Eucharistico (quod negat Lorinus super hunc locum, asserens, panem illum fuisse communem, & vsualem, ad succurrendum necessitati naturæ) vinum etiam consecrauit. Nec obstat, quòd illius mentio non fiat, quia argumentum ab auctoritate negante non est efficax.

Act. 27.

DISPVTATIO III.

De præsentia Christi Domini in hoc Sacramento.

SECTIO I.

An Christus sit præsens secundùm veritatem in sacramento Eucharistiæ.

CONCLVSIO est affirmatiua definita in pluribus Conciliis, contra hæreticos sacramentarios nostri temporis, & denique in Tridentino sess. 4. can. 1. contra Lutherum, Caluinum & alios, vbi asseritur. *Si quis negauerit in sanctissimo Eucharistiæ sacramento, contineri verè & realiter, & substantialiter, corpus, & sanguinem, vnà cum anima, & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.* 1. Trident.

Secundò probatur, ex verbis Christi Marci 14. Lucæ 22. Matth. 26. & 1. Corinth. 11. vbi expressè dicitur, Christum in vltima Cœna constitutum cum Apostolis, accepisse panem, & gratias egisse, & benedixisse, ac denique hæc verba pronuntiasse, *Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Respondent hæretici, hoc testimonium commodè posse explicari, vno ex duobus modis. Primò ita vt ly, *est*, idem valet quod significat, vt sit sensus, hoc significat corpus meum: quæ expositio non est aliena à phrasi sacræ Scripturæ. Genes. 41. septem spicæ pingues, sunt septem anni vbertatis. Vbi illud verbum, *sunt*, idem est quod significant. Lucæ 8. *Semen est verbum Dei*, sensus est, semen significat verbum Dei, & sæpè alibi; ergo non fit violentia sacro textui, si illa verba, *hoc est corpus meum*, in hunc sensum explicentur. Secundus sensus est, quòd corpus meum idem sit, quod figura corporis mei, iuxta consuetam phrasim sacræ Scripturæ obseruatam ab Augustino epist. 23. ad Bonifacium, & lib. 2. ad Simplicianum quæst. 3. & sæpè alibi, vbi docet, consuetum esse in sacra Scriptura, imagines, & figuras appellari nominibus ipsarum rerum, quas significant, & repræsentant. Exodi 7. *Virga habentes similitudinem Draconum*, vocantur Dracones. 1. Reg. 28. simulactum Samuelis mortui vocatur simpliciter Samuel. Exodi 28. Similitudines Cherubinorum, vocantur simpliciter Cherubin. Sic ergo in rigore explicari potest illud verbum, *hoc est corpus meum*, id est, imago quædam corporis mei. Et confirmatur, quia in consecratione calicis ex ipso contextu constat, locutionem esse figuratam. nam ibi dicitur, *mysterium fidei, noui, & æterni Testamenti*, quæ omnia per tropum, & figuram sunt intelligenda. 2. Luc. 8. Exod. 7.

Ad hæc tamen facilè respondetur, quòd vt teneamus certitudine Fidei, verba illa Christi, *hoc est corpus meum*, esse intelligenda in sensu proprio, satis est auctoritas Ecclesiæ quæ sic semper intellexit. Imò ex ipsa sacra Scriptura præscindendo ab auctoritate Ecclesiæ, sufficientissimè conuincitur, illa verba debere accipi propriè, ait enim Christus: *Accipite,* 3.

Digitized by Google

Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. quæ verba vt iacent, planè significant, illud quod Christus tenebat manibus, & dabat Discipulis, verè, & realiter esse corpus ipsius, quod sequenti die erat tradendum morti. Idem
Ioan 6. probatur ex verbis Christi Ioan. 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, vbi adeò clarè, & apertè, carnem suam dandam nobis, verè, & realiter, sub forma panis, asseruit, vt Iudæi dixerint: *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum*; ad quorum interrogationem non declarauit Christus, se per metaphoram locutum fuisse, imò se loqui in proprietate, expressè confirmauit, subiungens: *Amen, amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Idem probant illa verba Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Quæ verba de reali manducatione intelliguntur à Patribus. Legatur D. August.
August. tract. 26. in Ioan. vbi inquit, *Qui non manet in Christo, & in quo non manet Christus, proculdubio, nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius sanguinem, licèt carnaliter, & visibiliter premat dentibus sacramentum corporis, & sanguinis Christi, sed magis tanta rei sacramentum, ad iudicium sibi manducat, & bibit*, &c. Denique idē probatur ex D. Paul. 1. Cor. 10.
1. Cor. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est.* & cap. sequenti ab illis verbis: *Ego enim accepi à Domino*, vsque ad illa. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Si enim Paulus intelligeret, non esse verè, & realiter Christum in hoc sacramento, non peteret tantam probationem ad sumendum illud; nec diceret reum esse iudicij, qui indignè sumeret.

4. Ex quibus infertur, neutram intelligentiam ex his, quæ suprà afferuntur ab hæreticis, posse accommodari illis verbis Christi Domini. Nam quamuis verum sit, in sacra Scriptura, hoc verbum, *est*, accipi aliquando pro significat, & repræsentat; tamen quando sic accipitur, ex ipso contextu, vel auctoritate Ecclesiæ, aut ex communi Patrum expositione, vel ex ratione euidenti, constare debet, vt patet in exemplis adductis: quando
Genes. 41. enim dicitur, Genes. 41. *Septem spica sunt septem anni vbertatis.* Sermo est de interpretatione somni Pharaonis, non de ipsa rerum proprietate. Et quando dicitur, *semen est verbum Dei*, loquitur de interpretatione eiusdem parabolæ. Similiter quando
1. Cor. 11. dicitur 1. Corinth. 11. *Petra autem erat Christus*, statim subiungitur; *hæc autem omnia in figura*, &c.
Ioan. 11. Similiter Ioan. 11. cùm dicitur, *Ego sum vitis*, statim subiungitur, *& Pater meus agricola est, & vos palmites*: atque ita ex ipso contextu constat, totum illum sermonem esse parabolicum: at in illis verbis Christi nihil est vnde colligamus, fuisse locutum per metaphoram; ac proinde verba accipienda sunt in sua proprietate. Præterea, quia huiusmodi intelligentiæ impropriæ, & figuratæ, non sunt liberæ, & licentiosæ accommodandæ sacris litteris, sed quando ex antecedentibus, & subsequentibus verbis, talis interpretatio figurata, vel similis colligitur. Quod verò dicitur de virgis illis fuisse figuratè tantùm serpentes, probabilior opinio tenet, fuisse veras serpentes, & idem docet de apparitione Samuelis, fuisse verum Samuelem D. Thom. 1. part. quæst. 89. art. 3. ad 2. Denique illa particula, *mysterium Fidei*, apposita fuit ab Ecclesia ad denotandum, quòd in hoc sacramento tanquam in summa, & compendio mysteriorum Fidei, maximè exercetur fides. Aliæ verò particulæ, *noui, & aterni Testamenti: & hoc facite in meam commemorationem, non indicant sermonem esse figuratum*; sed solùm quod corpus, & sanguis Christi, quæ verè, & realiter continentur sub speciebus consecratis, sunt ibi ad firmandum pactum nouæ legis; sed etiam vt per hoc admirabile sacrificium incruentum, recordaremur sacrificij cruenti pacti in cruce.

Tandem probatur nostra conclusio ex Patribus. 5.
Damascenus 4. de fide cap. 14. ait: *Nec verò panis,* Damascen.
& vinum, corpus Christi figura sunt (absit enim hoc) verum ipsum, & corpus Domini, diuinitate affectum, cùm ipse dixerit, hoc est corpus meum; non corporis mei signum, sed corpus: non sanguinis signum, sed sanguis.
Cyprian. serm. de Cœna Domini. *Panis ille quem* Cypr.
Dominus porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, factus est caro, omnipotentia Verbi. Alia plura testimonia passim inuenies apud Recentiores.

Obiiciunt Hæretici plura testimonia sanctorum 6.
Patrum, in quibus expressè affirmant Christum non dedisse Apostolis corpus suum verum, & reale, sed tantùm eius signum. Respondetur, in explicatione omnium locorum quæ ex Patribus contra veritatem huius sacramenti adducuntur ab Hæreticis præ oculis habendas esse tres regulas, seu distinctiones, quas ex Lactantio Firmiano, & Magistro sententiarum colligit Sixtus Senensis lib. 6. Bibliothecæ annot. 146. *Prima* est, in hoc mysterio aliud est sacramentum tantùm, videlicet species consecratæ, aliud verò sacramentum, & res sacramenti, scilicet, corpus Christi. *Secunda* duos esse modos manducandi carnem Christi, scilicet sacramentalem, & spiritualem, quorum primus sine secundo nihil prodest: secundus verò sine primo prodesse potest. *Tertia* geminam posse considerari præsentiam corporis Christi, conspicuam scilicet, & visibilem; vel inuisibilem, & occultam. Omnia ergo testimonia sanctorum Patrum, in quibus videntur dicere, in hoc sacramento esse signum corporis Christi, referri debent ad id quod est sacramentum tantùm. Ea verò testimonia, quæ dicere videntur, Christum esse manducandum in hoc sacramento spiritualiter, solùm significant, sacramentalem manducationem, sine spirituali, non esse proficuam, sed potiùs nociuam. Denique quando dicunt Christum post ascensionem tantùm esse in cælo, & non in terris, intelligendi sunt secundùm formam visibilem.

Denique obiicies, Christum strictissimè pro- 7.
hibere, ne assentiamur his qui dicunt corpus eius esse hîc, vel illic. Matth. 24. *Si quis vobis dixerit, hîc* Matth 24.
est Christus, nolite credere; ergo non est credendum esse sub speciebus consecratis. Respondetur, Christum ibi manifestissimè loqui de aduentu suo ad iudicium, & de Antichristo. *Surgent*, inquit, *Pseudo-Christi, & Pseudo-Prophetæ, & dabunt signa magna*, &c. Et ideo monet, ne quis assentiatur falsis istis Prophetis, quoties dicent, hîc est Christus.

Inquires, an hæc veritas sit articulus Fidei. Respondetur, propriè, & simpliciter non esse articulum fidei, sed reductiuè. Ita D. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 8. & Recentiores communiter. Pro quo obserua, vt aliqua veritas sit articulus fidei, duas conditiones requiri. *Prima*, vt non sit facilè reducibilis ad aliam primam veritatem, quia articuli fidei sunt illæ veritates, quæ sunt vt prima principia

nostræ

nostræ Religionis ad quæ cæteræ veritates reducuntur; ipsæ verò non reducuntur ad alias priores. *Secunda* est, quòd talis veritas proponatur fidelibus ad credendum illam tanquam doctrinam fidei, & non ad operandum; hoc est quòd fideles teneantur per se primò ad credendam illam veritatem, eo quòd est veritas credibilis, & obligatio credendi non oriatur ex eo quòd fideles teneantur operari aliquid, quod facere non possint, nisi priùs illud credant.

9. Ex quo infertur, quòd hæc veritas non est articulus fidei, propriè, & simpliciter, sed reductiuè, quia facilè potest reduci ad articulos fidei, vt ad illum articulum, *Credo sanctam Ecclesiam*, reducitur secundum, quòd hoc sacramentum est sanctificatiuum, & ad articulum omnipotentiæ, secundùm miracula quæ continet: & ad illum, *Sanctorum communionem*, quatenus est communio, & sacramentum vnitatis. *Secunda* etiam conditio deficit, quia fideles ex eo tenentur credere explicitè realem præsentiam, & continentiam Christi in hoc sacramento, quia tenentur illud sumere cum reuerentia, tanto sacramento debita, ad quam sumptionem necessaria est explicita cognitio huius veritatis; itaque hoc sacramentum non proponitur per se primò, vt obiectum credibile, sed vt obiectum operationis, scilicet per modum cibi, & potus.

Sectio II.

Per quid formaliter Christus sit præsens in hoc sacramento.

10. Supponо ex 4. Physicorum, præsentiam, seu vbicationem, qua Petrus dicitur esse hîc, vel illic, esse formam accidentalem intrinsecam, & distinctam à re vbicata. Quod sic probo, quia Petrum esse hîc, non est aliquod ens rationis, quia antecedenter ad omnem operationem intellectus, Petrus verè à parte rei est hîc, vel illic, sed sine hoc (quidquid sit) potest manere tota entitas Petri, vt patet; ergo hoc quod est esse hîc, est aliquid distinctum à Petro. Consequentia est euidens, quia quando Petrus est Romæ, Petrus existit in rerum natura; existit item hic locus realis, id est, hic aër, hæc terra, &c. & hoc spatium imaginarium; & tamen Petrus non est hîc; ergo hoc quod est esse hîc, est aliquid separabile ab illis tribus rebus; ergo debet esse aliquid distinctum ab eis; quia nihil potest esse realiter separabile à se ipso.

11. Dices esse negationem distantiæ, seu indistantiam mei ab hoc loco. Contrà primò, quia hæc indistantia est aliquid separabile à me, & à loco; ergo est entitas aliqua realis. Contrà secundò, quia omnis negatio noua, debet esse per ablationem alicuius positiui præcedentis; Petrus autem non dicitur esse hîc, quia amittit aliquid positiuum; ergo hoc quod est esse hîc, non est aliquid negatiuum. Contrà tertiò, quia si illa negatio est carentia distantiæ; ergo distantia est aliquid positiuum; distantia autem idem est quod vbicatio.

12. Dices vlteriùs, hanc indistantiam nihil aliud esse, quàm non posse inter me, & locum, aliud corpus interponi. Contrà primò, quia duæ superficies corporum se tangentes, non admittunt inter se corpus interiectum, & tamen vna non est, vbi est alia, id est, in loco alterius; ergo hoc quod est esse in loco, non est propriè nihil posse inter corpus, & locum interponi. Contrà secundò, quia hoc quod est inter me, & locum, non posse interponi alia corpora, est aliquid separabile à me, & à loco; ergo est entitas aliqua positiua. Et eodem argumento impugnantur alij modi dicendi, videlicet, me esse hîc, non esse aliud, quàm me, & hoc spatium esse simul, vel approximationem mei, huic loco; quia possumus ambo existere eodem instanti in rerum natura, & tamen non esse simul, vel sine illa approximatione; ergo esse simul, vel ea approximatio, est aliquid ab vtriusque substantia distinctum.

13. Hoc posito Vazq. 1. part. disp. 188. cap. 7. & clariùs disp. 195. cap. 3. & 4. ponit vnionem quandam formalem, qua corpus Christi vnitur speciebus huius vnionis fundamentum dicit, esse modum quendem absolutum superadditum substantiæ corporis Christi, virtute consecrationis, ratione cuius vnitur speciebus, estque illis præsens. Similem modum ponit in Angelo quo se vnit corpori, & ratione illius est in loco; per accidens tamen. nam per se in opinione huius auctoris, non potest esse in illo, eo quòd non est capax distantiæ, ac propinquitatis ad fixa puncta, quod requiritur ad rationem essendi in loco per se. Similiter ait, corpus Christi ratione illius modi quo mediante vnitur speciebus, est in illarum loco per accidens, non per se. Hæc tamen sententia, quoad priorem partem impugnabitur sectione sequenti; quoad posteriorem verò manet impugnata in tractatu de Angelis, disp. 4. sect. 1.

14. Sit ergo conclusio. Illud intrinsecum ratione cuius Christus in Eucharistia est præsens in loco specierum, est præsentia localis propria, & intrinseca Christi, pertinens ad prædicamentum *vbi*. Ita Suarez disput. 47. sect. 2. Becanus cap. 17. quæs. 12. Hurt. disp. 5. diff. 14. Lugus disp. 5. sect. 7. Et probatur; quia intelligi non potest, quòd corpus Christi sit realiter præsens loco specierum, vbi antea non erat, nisi mutatione aliqua facta in ipso corpore Christi, recipiendo in se ipso illam nouam præsentiam. Nam corpus Christi esse præsens loco specierum, est aliquid reale in rerum natura, quod antea non erat, & non est denominatio extrinseca in ipso corpore Christi; ergo est aliquid intrinsecè illi superadditum. Quod sic ostendo, quia ante consecrationem distabat à loco specierum; post consecrationem verò non distat, imò est illi præsens; ergo mutatione alicuius extremi; non loci, quia manet omnino immutatus; ergo ipsius corporis Christi; non mutatione locali, vt constat. ergo mutatione formali, qua in se recipiat illum modum præsentiæ, quem antea non habebat: aliter enim non potest intelligi, nec explicari hic nouus effectus formalis existendi corporis Christi loco specierum. Confirmatur, quia modus quo corpus Christi existit sub speciebus consecratis, imitatur modum quo Angeli, & substantiæ spirituales, sunt in loco præsentes; quia corpus Christi sub speciebus est totum in toto, & totum in qualibet parte; ergo sicut Angeli sunt præsentes alicui spatio, per vbi intrinsecum in ipsis existens, idem dicendum est de præsentia corporis Christi sub speciebus.

15. Ex quo infertur, corpus Christi habere pro loco, ipsum locum specierum, quia quasi continetur, & ambitur ab ipso, & illum replet absque diuisibili correspondentia; non tamen habet pro loco ipsas species, quia nec repletur, nec ambitur ab ipsis, sed sibi inuicem coëxistunt; sicut substantia

ipsa

ipsa panis, & ipsæ species. Itaque, vt rectè Hurt. suprà, corpus Christi, non est in speciebus, tanquam locatum in loco, sed per modum substantiæ ab ipsis occultatæ: vnde Christus continetur sub speciebus, sumpto *contineri* pro occultari; & non sumpto pro ambiri.

SECTIO III.

An Christus habeat vnionem ad species.

16. MOtis speciebus, mouetur Christus, quod indicare videtur, aliquem esse vnionem inter mediam qua vniantur, ita vt corpus Christi se habeat vt subiectum specierum; vel ipsæ species aliquo modo sint subiectum corporis Christi. nam si alio modo vniantur, vel in genere causæ efficientis, vel finalis, non apparet quomodo hac sola ratione ad motum vnius, debeat aliud per accidens moueri. nam si ignis calefaciat lignum, etiamsi necessariò applicatum sit, non mouebitur ad motum ligni per accidens; ergo similiter si corpus Christi habeat vnionem effectiuam cum speciebus, illas conseruando, non propterea mouebitur ad illarum motum: & multo minus ex eo solùm quòd species ordinentur ad repræsentandum corpus Christi: ac proinde faciliùs est dicere, quòd non sit hæc vnio, quàm explicare quid sit.

17. Et primò certum est, non esse vnionem hypostaticam inter corpus Christi, & species, vt Alcanus lib. 1. de Eucharistia, cap. 34. sentire videtur, quia corpus Christi secundùm se est natura, & non subsistentia; ergo implicat quod sit ratio subsistendi alteri naturæ. Deinde etiam est certum, non esse vnionem secundùm continuationem, quia quantitas panis non continuatur quantitati corporis Christi; neque etiam est vnio propria subiecti, quia corpus Christi non recipit in se accidentia panis, quia de fide est, illa manere sine subiecto.

18. Scotus dist. 10. q. 6. existimat corpus Christi nullam vnionem habere cum speciebus ex vi præsentiæ sacramentalis, quamuis ex pacto diuino asserat, ita esse sub illis, vt vbicumque species repetiantur, siue motæ, siue immotæ, sit etiam corpus Christi. Suarez disp. 47. sect. 3. concl 2. affirmat, inter corpus Christi, & species, esse mutuam efficientiam per modum attractionis, atque inde fieri, vt motis speciebus, moueatur etiam corpus Christi, quod attrahitur ab illis: sicut ad motum magnetis, mouetur ferrum, quod attrahitur à magnete. Vazq. disput. 190. cap. 3. ex vnione exposita sectione præcedenti existimat, ad motum specierum per accidens moueri corpus Christi.

19. Prima conclusio. Inter corpus Christi, & species non est mutua efficientia per modum attractionis. Probatur, quia motus attractionis semper fit cum aliqua violentia, vt colligitur ex Aristot. 7. Physicor. cap. 10. sed in corpore Christi quando mouetur, non est ponenda talis violentia; ergo non attrahitur à speciebus. Confirmatur, quia id quod trahitur, licèt ab alio moueatur, tamen per se mouetur, vt patet in exemplo adducto ferri, quod mouetur per se, etiam quiescente magnete; sed corpus Christi in hoc sacramento non mouetur per se; ergo non trahitur motu attractionis à speciebus sacramentalibus.

Secunda conclusio. Inter corpus Christi, & species sacramentales non est vnio per modum tertij, ita vt ex his duobus extremis inter se vnitis, resultet aliquid vnum physicè, & realiter. Probatur, quia si aliquid vnum ex hac vnione resultat, vel est vnum in genere substantiæ, vel in genere accidentis, vel compositi ex vtroque; sed nihil horum potest resultare; ergo. Minor probatur, non in genere substantiæ, quia ex parte alterius extremi ex quo resultaret, esset accidens, cùm ita concurrerent ad illud vnum constituendum species, sicut corpus: & propter eamdem rationem non posset esse vnum in genere accidentis, cùm ad illud constituendum non solùm concurrerent species, quæ sunt accidens, sed etiam substantia, scilicet corpus Christi. Non denique mixtum, quia sicut non datur medium inter substantiam, & accidens, ita non datur mixtum. Tum etiam, quia qua ratione resultaret ex substantia, esset modus substantialis; & qua ratione ex accidenti, esset modus accidentalis; ac per consequens non esset vnum per se. Confirmatur, quia in omni vnione, in qua ex duobus resultat vnum tertium physicum, & reale, requiritur, quòd ita extrema se afficiant, vt vnum sit quasi actus alterius; & alterum sit quasi dependens ab alio tanquam à suo actu, & complemento; sed species non pendent à corpore Christi, tanquam ab intrinseco actu; non enim dependent in esse essentiæ, quia conceptus accidentis non est mixtus ex essentia accidentis, & substantiæ; neque in ratione existentiæ; quia quælibet res per suam entitatem actualem extra causas existit. Nec denique in ratione subsistentiæ, quia cùm nulla sit subsistentia in Christo præter subsistentiam Verbi, sequeretur per eam accidentia in sacramento subsistere; ac proinde esse vnita hypostaticè Verbo, quod non solùm est contra fidem, sed etiam contra rationem, quia natura accidentalis non est capax subsistentiæ per se; ergo non potest resultare vnum tertium physicum, & reale. 20.

Tertia conclusio. Inter corpus Christi, & species reperitur realis vnio in genere causæ efficientis, actione, & virtute supernaturali proueniente à Deo, & à corpore Christi; à Deo vt à causa principali; à corpore verò Christi vt ab instrumento diuinitatis. Itaque in ratione effectus, & causæ est vnio inter species, & corpus Christi. Pro quo obserua, dupliciter concurrere corpus Christi ad conseruationem specierum. Primò præcisè vt instrumentum Dei, qua ratione posset etiam Deus eas conseruare, mediante alia qualibet re, tanquam instrumento, & ex vi huius concursus, & effectiuæ vnionis præcisè, non ita vnitur corpus Christi ad species, vt ad earum motum illud moueatur; quod tamen necessarium est ad hanc vnionem, & præsentiam sacramentalem de qua agimus. Ratio huius est, quia ex vnione agentis ad passum, non sequitur moto vno, & alterum moueri; ex eo enim quòd Angelus operatur in aliquo corpore, non sequitur quòd moueatur Angelus ad motum corporis: sicut ex eo quòd magnes attrahat ferrum, non sequitur quòd moueatur magnes ad motum ferri: ex hac ergo præcisè vnione, qua corpus Christi vnitur speciebus in genere causæ efficientis instrumentariæ, non sequitur ad motum specierum moueri 21.

corpus Christi. Secundò, concurrit corpus Christi ad conseruandas species, non solùm vt causa instrumentalis, sed loco substantiæ panis, quæ antea illas conseruabat, illius vices gerens, tali genere concursus, quem nulla causa posset imitari, nisi ipsa substantia panis si adesset, & ex vi huius vnionis ita inter se coniunguntur, vt motis speciebus, moueatur corpus Christi. Itaque corpus Christi vnitur speciebus, vice panis, hoc est, supplendo munus quod gerebat panis, circa species, seclusis imperfectionibus inhærentiæ, & receptionis. Ita Lugus disput. 6. section. 2. quia per hanc causalitatem, dicitur corpus Christi substare illis accidentibus; hoc est exercere circa illa munus potissimum substantiæ.

22. Pro cuius intelligentia etiam obserua, quòd duo genera causalitatis exercet substantia panis circa sua accidentia; alterum materialis, terminando subiectiuè inhærentiam illorum; alterum efficientis, per quemdam specialem modum efficientiæ, quo extrinseca agentia, illa non possent conseruare. Declaratur in propriis passionibus, quæ per quandam simplicem actionem dicuntur à propriis subiectis produci in primo instanti generationis, & postea ab eisdem conseruari, actione quadam eiusdem rationis cum prima productione. Quæ doctrina habet verum in omnibus accidentibus, quæ connaturaliter conueniunt subiecto, & pertinent ad eius perfectum statum, qualia sunt quantitas, & primæ qualitates, & etiam secundæ quæ ex debita primarum temperie resultant, & in vniuersum omnia accidentia, quæ per naturalem quandam resultantiam afficiunt subiectum; hæc enim omnia à subiecto conseruantur mediatè, vel immediatè: vtrumque autem horum, videlicet esse subiectum, & conseruare illo modo accidentia, est officium substantiæ, vt substantia est.

23. Vnde colligitur, substantiam vt sic, duplicem saltem vnionem habere cum suis accidentibus naturalibus, alteram materialem, & alteram effectiuam; & hæc effectiua est prior, quàm materialis, quia accidentia prius intelliguntur producta in suo esse, quàm inhærere; & non possunt prius intelligi inhærere, quàm intelligantur effectiuè producta.

24. Ad propositum ergo. Corpus Christi dicitur in hoc sacramento succedere, in locum panis, & in eius officium circa species sacramentales, seclusis imperfectionibus, & inhærentia: quod nihil aliud est, quàm effectiuè conseruare illas, eo modo quo substantia panis eas conseruaret, id est, actione eiusdem rationis, quam potest supernaturaliter habere per diuinam virtutem, per quam ponitur sub illis loco substantiæ panis; naturaliter enim nullum agens extrinsecum potest illam actionem imitari. Itaque quamuis ratione vnionis effectiuæ in communi, vna res non moueatur ad motum alterius; bene tamen ratione talis vnionis effectiuæ, scilicet substantialis, iam expositæ.

SECTIO IV.

An præsentia sacramentalis corporis Christi differat à naturali, & ab ea dependeat.

CIrca id, quod primo loco inquiritur,
Obserua primò, in quo differant, & in quo conueniant istæ præsentiæ. Primò conueniunt, quia vtraque est intrinseca corpori Christi, tanquam modus eius intrinsecus. Secundò, quia vtraque potest esse terminus alicuius mutationis, siue propriæ, siue improprie; præsentia namque naturalis est terminus localis; præsentia verò sacramentalis est terminus transubstantiationis, quæ improprie dicitur mutatio. Tertiò, quia vtraque est fundamentum propinquitatis, & distantiæ. 25.

Obserua secundò, in quo differant istæ præsentiæ. Primò differunt, quia præsentia naturalis est per quam corpus ita replet spatium, vt naturaliter sit incompatibile aliud corpus, siue substantiale, siue de prædicamento quantitatis: at verò præsentia sacramentalis Christi, non est incompatibilis cum altero corpore de prædicamento quantitatis in eodem spatio, quia in eodem spatio in quo est trina dimensio specierum, est verè corpus Christi. Secundò, quia per naturalem præsentiam fit corpus præsens toti spatio, & pars parti, non tamen fit totum præsens cuilibet parti spatij, quia sicut est naturalis resistentia vnius corporis respectu alterius in eodem spatio; ita etiam est naturalis resistentia, vt vna pars sit vbi est altera: at verò per præsentiam sacramentalem, ita fit præsens corpus Christi, vt non recipiat commensurationem, & extensionem in ordine ad quantitatem specierum: vnde fit quòd pars non respondeat parti excludendo aliam partem ab eodem spatio; atque adeò quòd sit totus in toto, & totus in qualibet parte. Tertiò, quia præsentia quantitatiua naturalis, habet duplicem extensionem, vnam ex parte subiecti, secundùm quam corpus dicitur habere partes extra partes, quia verè est distinctio manus, & pedis: aliam verò in ordinem ad spatium verum, vel imaginarium, secundùm quam partes locati respondent partibus loci. At verò præsentia sacramentalis, siue consideretur in ordine ad species, siue in ordine ad locum specierum, quamuis ex parte subiecti, scilicet corporis Christi, dicat extensionem, quia verè est distinctio manus, & pedis Christi in sacramento, & vera est extensio in ordine ad se; at in ordine ad species, & spatium earum non est diuisibilis, & extensa talis præsentia, quia partes corporis Christi non habent diuersas habitudines ad diuersas partes specierum, & spatij earum, sed omnes simul respondent eidem spatio, & puncto specierum: vnde præsentia sacramentalis ex parte subiecti est diuisibilis, & ex parte modi existendi indiuisibilis. Ex quo patet differentia inter modum existendi Angeli in loco, & corporis Christi in hoc sacramento, quia præsentia Angeli etiam ex parte subiecti est indiuisibilis; præsentia verò corporis Christi in ordine ad se diuisibilis est. 26.

Ex quo infertur, præsentiam sacramentalem corporis Christi essentialiter differre ab eiusdem præsentia 27.

præsentia naturali in cælo: quia corpus Christi est in cælo per modum quantitatis, in sacramento verò per modum substantiæ: præsentia naturalis includit ordinem ad locum cum extensione; præsentia verò sacramentalis non dicit extensionem, neque in ordine ad species, nec in ordine ad locum specierum. Denique huiusmodi præsentiæ fiunt per mutationes specie distinctas, scilicet præsentia naturalis per motum localem; præsentia verò sacramentalis per transubstantiationem. Deinde infertur, præsentiam sacramentalem ad species consecratas, etiam differre à præsentia quam habebat substantia panis, sub eisdem speciebus, quia illa erat extensa & diuisibilis, ita vt pars substantiæ panis responderet parti, nec tota esset in qualibet parte specierum; hæc verò est inextensa, ita vt pars corporis Christi, non respondeat parti specierum separatim ab alia parte, sed omnes partes, & idem totum respondet eidem puncto specierum, & eidem parti spatij.

28. Circa secundum, videlicet de dependentia præsentiæ sacramentalis à naturali, difficultas est, an vt corpus Christi habeat præsentiam sacramentalem, necessariò præsupponatur in aliquo loco extra sacramentum habere præsentiam naturalem, ita vt ab hac naturali præsentia necessariò dependeat illa sacramentalis.

29. Sit conclusio. De potentia Dei absoluta, etiam si nullibi naturaliter existeret corpus Christi, posset tamen sacramentaliter esse sub speciebus: de facto tamen si nullibi existeret, neque sub sacramento.

Prima pars probatur, quia nulla videtur implicantia. nam præsentia sacramentalis non pendet essentialiter à præsentia naturali, quod constat, quia si omnes hostiæ consumerentur, etiam remaneret præsentia naturalis Christi in cælo: & confirmatur, quia præsentia naturalis est in ordine ad locum circumscriptiuum; præsentia verò sacramentalis est indiuisibilis. Denique, quia posset Deus sua potentia absoluta conseruare præsentiam sacramentalem, absque eo quòd conseruaret esse naturale, vel præsentiam realem. Imò potuisset hoc mysterium Eucharistiæ perfici à Deo, priusquam corpus Christi in propria specie existens conciperetur, aut incarnaretur; quia posset primò produci, & simul vniri verbo sub speciebus sacramentalibus, etiamsi nullibi existeret; ergo non est dependentia essentialis in his præsentiis.

30. Secunda verò pars, quòd præsentia sacramentalis de facto dependeat in genere causæ efficientis à præsentia naturali corporis Christi. Probatur, quia si corpus Christi in cælo annihilaretur, etiam annihilaretur in sacramento, quia annihilatio tendit ad non esse simpliciter, & absolutè rei, quæ annihilaretur; ergo signum est quòd esse sacramentale pendet ab esse naturali. Præterea, quia tale ponitur corpus Christi sub speciebus, quale ponitur sub esse naturali; vt si viuum est secundùm esse naturale, viuum etiam ponitur sub speciebus consecratis: & si corpus esset mortuum secundùm esse naturale, etiam sub speciebus poneretur mortuum; quia si consecraretur hostia in triduo mortis Christi, poneretur corpus Christi sine anima, sicut erat in sepulchro; ergo signum est quòd esse sacramentale pendet ab esse naturali eiusdem corporis Christi. Confirmatur, quia corpus Christi quando hoc sacramentum fuit institutum, positum fuit sub speciebus consecratis realiter passibile, vt patet ex illis verbis consecrationis, *Quod pro vobis tradetur*; post resurrectionem verò ponitur impassibile, & immortale: signum ergo est quòd præsentia sacramentalis pendet à naturali. Denique, quia Christi humanitas est instrumentum coniunctum Verbi diuini, per quam causauit ipsa sacramenta, & effectus sacramentorum; ergo præsentia sacramentalis quæ est effectus huius sacramenti, supponit præsentiam naturalem humanitatis Christi, & ab ea dependet tanquam à causa.

Addidimus cum Lugo disput. 5. sect. 8. in aliquo casu, etiam de facto posse dari præsentiam sacramentalem, absque eo quòd pendeat à naturali, quia post consecrationem factam, posset destrui corpus Christi in cælo, & perseuerare in Eucharistia. nam licèt in fieri effectus verborum pendeat à Christo alibi existenti, non tamen in conseruari: in eo ergo casu posset alibi consecrari, & poni corpus Christi sub aliis speciebus. nam licèt non præexisteret Christus cum præsentia naturaliter, præexistebat tamen iam alibi sacramentaliter. 31.

DISPVTATIO IV.

De transubstantiatione, seu de conuersione panis, & vini, in corpus & sanguinem Christi.

SECTIO I.

Quid sit transubstantiatio, & quæ requirantur, vt vnum in aliud conuertatur.

HOc nomen, *Transubstantiatio*, aptissimè, & cum omni proprietate significat conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini, in sanguinem eius: ita diffinitum extat in Trident. sess. 3. cap. 4. & can. 4. sub his verbis. *Si quis negauerit mirabilem illam conuersionem, totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini: quam conuersionem aptissimè catholica Ecclesia transubstantiationem appellat, anathema sit.* Quæ diffinitio, & censura, posita est contra hæreticos nostri temporis, qui hoc nomen reprehendunt, quasi nouum, barbarum, & incognitum. Et quamuis verum sit nomen transubstantiationis, primò fuisse vsurpatum in Concilio Lateranen. sub Innocentio III. circa annum 1200. tamen non debet censeri nouum, cùm multa alia similia nomina apud probatos Auctores linguæ Latinæ, & in sacra Scriptura reperiantur, qualia sunt transfiguratio, & transformatio, &c. 1. Trident.

Conuersio ergo nihil aliud est, quàm transitus, seu transmutatio vnius rei in aliam. Quæ duplex est ex sententia D. Thom. quæst. 75. art. 4. 2.

alia formalis, alia substantialis. Prior est, quando vnum conuertitur in aliud ratione formæ, vt cùm anima conuertitur in ignem, & frigidum in calidum: quia forma ignis, & forma caloris, succedunt formis aëris, aut frigoris in eadem materia. Refugit autem D. Thom. artic. 3. ad 2. vnam formam conuerti in aliam, sed tantùm concedit vnam succedere alteri, quod in rigore verum est. Conuersio verò substantialis, est transmutatio totius substantiæ alicuius rei, in totam substantiam alterius; qualis conuersio non reperitur in tota natura, sed tantùm in hoc diuino sacramento virtute Dei: & quamuis hæc conuersio naturæ limites excedat, tamen essentialiter est conuersio; quare necessariò debent illi conuenire omnes conditiones requisitæ ad veram, & realem conuersionem, quæ examinandæ sunt, vt aptiùs natura transubstantiationis cognoscatur.

3. Prima conditio est, quòd vterque terminus conuersionis sit positiuus; & quidem de termino ad quem, nullus dubitat debere esse positiuum; de termino verò à quo probatur, quia quod non est ens positiuum, non dicitur in aliud conuerti: vnde in creatione non datur conuersio, neque in illuminatione aëris, in qua quamuis sit mutatio à non lucido in lucidum, non tamen est conuersio, quia non est transitus à re in rem, seu à negatione, aut priuatione in formam.

4. Secunda est, quòd terminus à quo totalis desinat esse, & loco illius succedat terminus ad quem: aliàs si terminus totalis non desineret, nihil erit quod desinat per conuersionem, id autem quod in aliud conuertitur, necesse est quòd aliquo modo desinat esse; conuerti enim vnum in aliud, est vnum desinere, & in aliud conuerti; ac proinde non manet in suo esse. Qua ratione Augustin. lib. 18. de ciuitat. cap. 18. docet, fabulosas illas conuersiones Diomedis in Aues, & Vlyssis in varias bestias, non fuisse veras, quia non desierunt esse quod antea erant; sed solùm factas fuisse per illusionem Dæmonum, vel per hoc, quòd corpora phantastica fuere superinducta veris corporibus; ergo ad conuersionem propriam, & realem, necesse est, quòd terminus à quo desinat esse.

5. De termino verò ad quem non ita facilè intelligitur, qua ratione debeat succedere in locum termini à quo; dicendum tamen est, debere succedere in eadem habitudine, quam ipse terminus à quo habebat respectu alicuius tertij, ita quòd in vtroque termino, sit aliqua habitudo eiusdem generis respectu alterius tertij, vtrique termino communis; siue illa habitudo sit ad tertium tanquam ad locum, vt cùm vnum locatum conuertitur in alium; siue tanquam ad subiectum, vt cùm album conuertitur in nigrum: siue tanquam ad materiam, vt cùm homo conuertitur in cadauer; siue etiam tanquam ad formam, vt si Deus materiam vnius rei conuerteret in materiam alterius, cum habitudine ad eamdem formam. Itaque præter terminos à quo, & ad quem, ponendum est aliquod tertium commune vtrique, circa quem termini formales sibi succedant, & aliquo modo repugnent. Obserua tamen, quòd qualiscumque sit hæc habitudo ex natura rei, sequitur ad illam, quòd terminus ad quem sit in eodem loco in quo antea erat terminus à quo, non sumendo in rigore hoc quod est esse in loco, sed latè, pro eo quod est esse, vbi antea erat terminus à quo, secundùm aliquem modum præsentiæ ad illum locum.

6. Ex quo infertur primò, in omni conuersione requiri, quòd detur aliquod commune, quod idem perseueret cum vtroque termino, & in ordine ad quod vterque terminus repugnet, vt videre est in omnibus conuersionibus, & explicatur in conuersione quæ fit in hoc sacramento, vbi manent accidentia panis communia vtrique termino, respectu quorum repugnant esse simul. Et ratio huius est, quia eo ipso quòd vnum conuertatur in aliud, dicitur vnum fieri ex alio, & vnum terminum formalem succedere alteri, & poni loco alterius, & supplere vicem illius; quod necessariò præstare debet in ordine ad aliquod tertium, cui deest terminus à quo, & cui aduenit terminus ad quem, in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa illud tertium, quod idem munus exercet terminus aduenies, & ratione cuius successionis, dicitur hoc secundum esse, quod erat primum; qua ratione dicimus quod erat lignum, iam est ignis, quod erat homo, iam est cadauer, & quod erat panis, est corpus Christi; quo modo loquendi non significatur identitas vtriusque extremi, sed solùm successio in eodem munere circa aliquod tertium, quasi dicamus, munus quod antea exercebat forma ligni, modò exercet forma ignis. Ita Lugus disp. 7. sect. 1.

7. Secundò infertur, in qualibet conuersione debere esse duas mutationes, vel quasi mutationes, alteram termini, à quo de esse ad non esse: alteram termini ad quem de non esse ad esse. Ratio prioris est, quia re manente in se ipsa, intelligi non potest, quomodo sit in alteram conuersa. Ratio posterioris, quia causa efficiens conuersionem verè, & positiuè influit efficiendo aliquid; ergo necesse est, quòd terminus ad quem, fiat, aut aliquo modo incipiat esse: non enim potest dari influxus causæ efficientis, cui non respondeat fieri, & factum esse in aliqua re. Dixi, aut aliquo modo incipiat esse; non enim simpliciter requiritur inceptio termini formalis ad quem, vt docet Lugus suprà, sed satis est, quòd incipiat esse in illo munere in quo succedit termino à quo. Aliter dicendum est de termino à quo, cuius simpliciter requiritur desitio, quia terminus à quo est qui denominatur conuersus, & per consequens desinens in alium; ac proinde ex parte eius requiritur desitio simpliciter.

8. Vltima conditio conuersionis substantialis est, vt inter desitionem termini à quo, & inceptionem termini ad quem, sit aliqua connexio, & dependentia necessaria, ita vt ex vi vnius sequatur alia. Ratio huius est, quia si non esset talis connexio, & dependentia, inceptio, & desitio, per accidens se committerentur: ex quo vlteriùs sequeretur quòd non esset conuersio vnius in alterum: neque alterum extremum se haberet, vt terminus à quo, & alterum vt terminus ad quem: sicut si in vno & eodem instanti, subiectum amitteret albedinem, & acquireret calorem, illa non esset conuersio alibi in calidum, neque album se haberet vt terminus à quo, & calidum vt terminus ad quem.

SECTIO

Sectio II.

An sub speciebus consecratis maneant substantiæ panis, & vini.

9. PRima sententia, quam refert D. Thom. artic. 6. affirmat, manere post consecrationem formam panis, quod dupliciter potest intelligi. Primò, tenendo formam specificam panis esse substantialem, & in hoc sensu refertur à D. Thom. Secundò, tenendo illam formam esse accidentalem, & in hoc sensu eam defendit Scotus distinct. 11. q. 6. In priori sensu impugnatur; quia vel illa forma remaneret in materia prima, sicque tota substantia panis maneret, nec fieret vlla conuersio, quod est contra fidem; vel existeret extra omnem materiam, quod non potest ei conuenire naturaliter, nec dici potest supernaturaliter extra materiam conseruari, quia hoc miraculum absque fundamento fingitur, nec est necessarium ad sustentationem accidentium, quia de fide est, ea sine subiecto esse.

10. Impugnatur in posteriori sensu, quia hæc propositio est certa secundùm fidem, panis conuertitur in corpus Christi, cui videtur contradicere, asserere formam panis manere, etiamsi sit accidentalis, quia tunc non panis, sed subiectum formæ panis conuerteretur, & sic illa propositio omnino esset impropria. Præterea, quia Tridentinum sess. 13. can. 2. diffinitur conuerti totam substantiam panis in corpus Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, id est, accidentalis; ex quo videtur sequi, non manere formam panis, quamuis sit accidentalis, quia illa forma comparata pani, non esset accidens eius; sicut neque forma statuæ est accidens statuæ, etiamsi sit forma accidentalis. Deinde, quia certissimum est manere species; species autem sunt accidentia sensibilia, quo nomine etiam comprehenduntur illa accidentia, quæ species illas sensibiles necessariò consequuntur: sed forma panis etiam si esset accidentalis, non est species sensibilis, neque aliquid necessariò consequens accidentia sensibilia; ergo cùm diffiniatur à Tridentino, manere dumtaxat species, sequitur quòd non maneat forma panis, etiamsi sit accidentalis.

11. Secunda sententia tenet, in hoc sacramento manere panis, & vini materiam. Ita Durand. distinct. 11. quæst. 3. existimat enim, conuersionem totalem vnius rei in alteram esse impossibilem, eo quòd posita tali conuersione, necessario sequeretur annihilatio. Impugnatur, quia eodem modo hæc sententia repugnat Tridentino, sicut præcedens. Præterea, nam vel materia illa maneret ab omni forma separata, vel informaretur anima Christi. Primum dici non potest, quia esset nouum miraculum impertinens ad hoc sacramentum; neque secundum, quia in eo casu, vel illa materia sumeretur à Verbo, vel non assumeretur: si hoc secundum, non esset vera illa enuntiatio Christi, dicentis de contento sub specie panis, hoc est corpus meum, cùm materia illa non esset verè corpus Christi. Primum autem dici non potest, ob eamdem rationem, cùm non quidquid haberet rationem contenti sub speciebus, esset corpus ipsius, illud scilicet corpus, quod pro nobis in cruce traditum est, de quo intelligi debent illa verba, *hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

12. Tertia sententia docet, probabiliter defendi posse, post consecrationem manere existentiam panis, quod probat ex duplici fundamento. *Primum* est, accidentia non habere propriam existentiam distinctam ab existentia substantiæ, sed existere per eamdem existentiam, per quam existit ipsa substantia. *Secundum* est, accidentia in hoc sacramento non acquirere nouam existentiam, sed retinere eamdem, quam antea habebant: ex quibus conficitur hoc argumentum. Accidentia ante consecrationem existunt per existentiam panis; sed post consecrationem retinent eamdem existentiam; ergo existentia panis manet post consecrationem. Ita Bañez 1. part. quæst. 4. dub. 2. Impugnatur, tum quia existentia non distinguitur ab essentia secundùm veriorem sententiam, quælibet enim res habens propriam essentiam, habet etiam propriam existentiam, distinctam ab existentia alterius rei, vt latè prosequitur Suarez in Metaphysica, disputat. 31. sect. 11. Tum etiam, quia proprij modi rerum, quales sunt, subsistentia, & existentia substantiæ, respectu eiusdem substantiæ, esse non possunt sine rebus, quas ex natura sua modificant; ergo repugnat dari modum absque re cuius est modus; ac proindè posse dari existentiam substantiæ sine ipsa substantia, & sine hoc quòd per illam substantia actu existat; cùm ergo post consecrationem non maneant substantiæ panis, & vini, impossibile est manere earum existentiam, & quòd per illam existant eius accidentia. Eo eodem argumento impugnatur quarta sententia aliorum asserentium, desinere totam naturam panis, manere verò subsistentiam, vt per eam accidentia extra panem subsistant.

13. Vltima sententia affirmat, manere in hoc sacramento indiuiduam substantiam panis, & vini, non quidem sub gradu speciei frumenti, & vini, sed secundùm gradum genericum substantiæ; nam in gradu specifico conuertuntur panis, & vinum, in corpus, & sanguinem Christi. Ita Caietan. quæst. 75. artic. 3. Sotus distinct. 9. quæst. 2. artic. 4. Impugnatur, quia impossibile est gradum genericum contractum ad aliquod indiuiduum, realiter abstrahi, & separari à propria ratione illius indiuidui; ergo pereunte propria ratione indiuidui, necesse est vt pereat quoque gradus genericus. Præterea, quia si manet eadem substantia in gradu generico, propriè non potest dici transubstantiatio, sed transpanatio. Denique si manet eadem entitas, quæ fuit substantia, sequitur quòd non maneant dumtaxat accidentia, vt diffinit Trident. cùm illa entitas non sit accidens.

14. Sit ergo conclusio. Facta consecratione, nihil prorsus entitatis, ac substantiæ panis, & vini, manet in hoc sacramento, sed tantùm accidentia panis, & vini. Hæc conclusio colligitur ex impugnatione aliarum sententiarum, & ducitur apertè ex Tridentino suprà expressè definiente, fieri in Eucharistia mirabilem conuersionem totius substantiæ panis, & vini, in substantiam corporis, & sanguinis Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini.

15. Obiicies primò, ex D. Ambrosio lib. 4. de Sacramentis, cap. 4. vbi ait: *Si tantus virtus fuit in* Ambro

sermone Christi Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant; quanto magis operatorium erit, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Vbi notanda sunt illa verba, *vt sint quæ erant*: ex quibus apertè colligitur, corpus Christi modò esse id quod erat panis, & consequenter manere aliquid substantiæ panis, facta consecratione. Respondetur, verba illa optimè posse explicari, vt sint quæ erant secundùm accidentia, & in aliud commutentur secundùm substantiam; quæ explicatio non est aliena à modo loquendi sacræ Scripturæ, vbi dicitur, cælos esse peritturos, ad quod satis est, secundùm communem expositionem, quòd in fine mundi peribunt, quoad aliqua accidentia, etiamsi maneant secundùm substantiam: ita per oppositum dici potest, quòd in hoc sacramento maneat panis, eo quòd manent eius accidentia, tametsi quoad substantiam desinant esse.

16. Obicies secundò, quia hæc propositio est vera, id quod erat lignum, est ignis, quia impossibile est quòd lignum conuertatur in ignem, & quòd non incipiat esse ignis, quod erat lignum; ergo similiter hæc erit vera, id quod erat panis, est corpus Christi, quia panis conuertitur in corpus Christi. Confirmatur, quia vel corpus Christi est id quod erat nihil; vel id quod erat aliquid: si primum, non erit transubstantiatio, quia terminus à quo est nihil. Si secundum; ergo corpus Christi est id quod erat panis, quia nihil aliud est quod possit esse.

17. Respondetur, illud simile non valere, quia in hac propositione, id quod erat lignum, est ignis, sensus est, quòd eadem res quæ antea erat sub forma ligni, modò est sub forma ignis, qui modus loquendi improprius est: at in nostro proposito hic sensus non habet locum, cùm non maneat eadem materia. Ad confirmationem respondetur, quòd corpus Christi est modò quod antea erat nihil: & cùm infertur; ergo non est transubstantiatio, quia terminus à quo est nihil, negatur sequela; quia satis est quòd immediatè ante hoc fuerit aliquid, & quòd ex illo factum fuerit corpus Christi sub speciebus.

18. Denique obicies, ex D. Thom. infra quæst. 77. art. 5. vbi docet, non posse iterum reproduci panem, nisi per conuersionem corporis Christi in ipsum; quod verum esse non posset, nisi substantia panis maneat in corpore Christi: si enim non manet, sed tota desinit esse, cur non poterit à Deo reproduci absque eiusmodi conuersione. Respondetur, certum esse, vt omnes fatentur, posse Deum reproducere eumdem numero panem, absque eo quòd corpus Christi conuertatur in ipsum: id autem quod docet D. Thom. intelligendum est hoc modo, quod secundùm naturæ ordinem, non potest redire idem panis ad sustentandum eadem numero accidentia, nisi desinat ibi esse corpus Christi, quod illa accidentia sustentabat, in quo casu diceretur aliquo modo, corpus Christi conuerti in panem, non quia desineret esse simpliciter, sed quia desineret illa accidentia sustentare.

Sectio III.

In quo consistat formaliter transubstantiatio.

19. Ratio dubitandi est, quia terminus formalis transubstantiationis debet esse substantia: sed terminus huius conuersionis esse non potest substantia; ergo hæc conuersio non potest esse transubstantiatio. Maior constat ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum, & quia actio specificatur à termino ad quem. Minor verò probatur, quia si aliqua substantia esset terminus huius conuersionis, maximè corpus Christi; hoc autem esse non potest, quia præexistit conuersioni; terminus autem formalis alicuius actionis, debet per ipsam produci; ergo corpus Christi non potest esse talis terminus. Nec valet instantia de actionibus immanentibus, quæ terminantur ad obiecta præexistentia: tum quia obiectum non est terminus intrinsecus; hîc autem quæritur de termino intrinseco, qui semper per actionem producitur, tum etiam, quia hæc actio est transiens; ergo debet habere terminum à se productum. Confirmatur, quia per hanc actionem conuersiuam, nihil aliud fit, quàm corpus Christi incipere esse præsens sub speciebus, quod antea præsens non erat; ergo hic est terminus formalis huius actionis, quod non potest esse substantia, sed modus quidam accidentalis, videlicet præsentia sacramentalis pertinens ad prædicamentum vbi, vt suprà docuimus.

20. Propter hæc argumenta, maxima controuersia est inter Theologos, in explicando quid sit terminus formalis huius conuersionis, & diuisi sunt in varias sententias. Referam tantùm principaliores. Prima est Scoti in 4. dist. 11. quæst. 3. vbi distinguit duo genera transubstantiationis, vnam adductiuam, aliam productiuam; & ad hanc dicit necessarium esse, quòd terminus ad quem, vi conuersionis acquirat nouum esse substantiale, quod antea non habebat, & ideo hæc conuersio vocatur productiua, scilicet termini ad quem; ad primam verò conuersionem, sufficit quòd terminus ad quem de nouo incipiat esse præsens, vbi antea non erat, etiamsi secundùm suam substantiam non producatur; atque hac ratione vocatur transubstantiatio adductiua, quia per eam vna substantia adducitur in locum alterius. Non est autem necesse, quòd substantia quæ adducitur, deserat locum, quem antea habebat, aut per verum motum localem acquirat locum alterius substantiæ; sed satis est, quòd quæ antea erat in vno tantùm loco, de nouo incipiat esse in loco alterius.

21. Ex quo infertur, per hanc conuersionem, nihil substantiale produci in corpore Christi, quia hæc conuersio non est productiua, sed tantùm adductiua: ac proinde verè, & propriè, hanc non esse conuersionem, qua vna substantia entitatiuè transeat in alteram; sed tantùm esse successionem substantiæ ad substantiam sub speciebus. Deinde infertur, corpus Christi non terminare hanc conuersionem formaliter, secundùm suum esse substantiale, sed quatenus constituitur præsens sub speciebus consecratis, loco substantiæ panis.

22. Hic tamen modus dicendi non placet. Primò, quia in hac transubstantiatione quæ vocatur adductiua, vterque terminus à quo, & ad quem, est accidentalis; & quamuis terminus à quo desinat esse quoad suam substantiam, hoc tamen est per accidens; ergo non debet dici transubstantiatio. Patet consequentia, quia denominatio non sumitur ab eo quod est per accidens, sed ab eo quod est per se. Antecedens verò probatur, nam, per se loquendo, ille est terminus à quo, cui repugnat terminus ad quem; sed præsentia corporis Christi, per se solùm repugnat præsentiæ panis, non verò existentiæ substantiali eius, & illa est terminus ad quem; ergo præsentia panis per se est terminus à

quo,

quo, qui est accidentalis, non minus quàm præsentia corporis Christi. Quòd autem substantia panis desinat esse, per accidens contingit, non ex natura rei, ex vi præsentiæ corporis Christi, vt ipsemet Scotus fatetur: ergo in hac transubstantiatione, tam terminus à quo, quàm terminus ad quem, est accidentalis, non substantialis.

23. Secundò impugnatur, quia secundùm hunc modum dicendi, non potest explicari, quomodo substantia panis desinat per transubstantiationem, cùm nulla sit repugnantia, siue incompatibilitas, inter præsentiam Christi sub speciebus, & substantiam illam, & consequenter, non datur transubstantiatio, quæ tunc solùm esse potest, cùm eius vi desinit terminus à quo, qui in hac conuersione est substantia panis. Quòd sic ostendo, quia vel illa repugnantia sumi deberet ex parte ipsorum terminorum, videlicet corporis, & substantiæ panis; vel ex parte actionis per quam illud corpus, dum in cœlo manet, constituitur sub speciebus consecratis: non primum, quia quantitas corporis Christi etiam de facto est intimè præsens quantitati panis, & maior est repugnantia inter duas quantitates in ordine ad idem spatium, quàm inter substantias, cum repugnantia quæ in istis est, ex quantitate oriatur. Nec repugnat duo corpora quanta simul poni à Deo in eodem loco: neque secundum, quia cùm termini aliqui sibi mutuo non repugnant, nec repugnat actio, qua simul constituantur, quia illæ tantùm actiones sunt incompatibiles, quæ tendunt ad terminos repugnantes: ergo ex nullo capite, præsentia corporis Christi sub speciebus, est incompatibilis cum substantia panis.

24. Secunda sententia docet terminum formalem huius conuersionis, esse ipsam substantiam corporis Christi, quod licèt præexistat, potest tamen esse terminus. Quod duobus modis, præter alios, solet explicari. *Prior* est, corpus Christi secundùm suam substantiam esse terminum huius actionis, quia licèt de facto hæc actio non influat in ipsum aliquod esse substantiale, posset tamen influere, & illud corpus producere, si non præexisteret. *Secundus* modus concedit de facto per hanc actionem tribui corpori Christi esse substantiale, non per modum primæ productionis, sed per modum conseruationis: itaque hæc actio sacramentalis, est conseruatiua corporis Christi. Ita Suarez disp. 50. sect. 4. & sectione 6. addit, vi illius actionis, aut ipsius corporis Christi eam terminantis, non excludi, nec desinere substantiam panis, sed solùm ex diuina institutione, ac lege, supposita alia actione, qua virtute verborum consecrationis, ab ea separantur ipsius accidentia, dato illis modo existendi per se.

25. Sed neque hæc sententia placet, & impugnatur quoad priorem modum dicendi, quia hìc non est sermo de termino quem posset habere transubstantiatio, sed de termino quem de facto habet: ergo si de facto non influit in esse substantiale corporis Christi, de facto non datur transubstantiatio. Confirmatur, quia si conuersio non est productio corporis Christi; neque etiam erit productiua illius. Consequentia est manifesta, quia actio, seu actus secundus, non potest esse productiuus per modum actus primi, seu per modum potentiæ, cùm sit ipsa actualis productio: ergo si conuersio quæ est actus secundus, non est actualis productio corporis Christi; nequit esse productiua illius: actio enim vt actio, non est effectiua sui termini, sed actu efficiens, aut id quo res ipsa fit, est enim actualis influxus in terminum, non verò aptitudo ad influendum.

Quoad posteriorem modum impugnatur, primò, quia impossibile est, quod eiusmodi conuersio consistat in ista conseruatione, quia conseruatio corporis, & sanguinis Christi, vt actio est, non est causa desitionis panis & vini, sed omnino per accidens illam comitatur; oportebat autem vt esset conuersio, quòd ex vi eius desinerent panis, & vinum; sicut ex vi actionis conuersiuæ desinit alimentum, & conuertitur in substantiam aliti: quod autem ex vi talis conseruationis, non desinat substantia panis, constat; quia etiam conseruato pane, posset ibi existere verè corpus Christi, vel per penetrationem cum illo, vel etiam indiuisibili modo existens: ergo. 26.

Prætetea, quia si substantia panis desineret esse ibi per meram subtractionem diuini concursus, non fieret transubstantiatio, sed potiùs annihilatio termini à quo, quod tollit rationem veræ conuersionis; id enim dicitur annihilari cui per se, ac formaliter vi suæ desitionis, nullum esse succedit; sicut illud dicitur conuerti, cui per se succedit aliquod esse; dixi *per se*, quia si sola extrinseca voluntate Dei, siue per accidens succedat, non erit vera conuersio; aliàs si Deus nunc annihilaret vnum Angelum, & alium crearet, ille verè conuerteretur in istum, quod nullus admittet, vt rectè notat Monceus disp. 11. cap. 16. ergo cùm substantia panis desinat ex sola extrinseca voluntate Dei, seu subtractione diuini concursus, non verò ex vi illius actionis conseruatiuæ, sequitur non dari transubstantiationem. Confirmatur, quia illa tantùm actio quæ est causa desitionis rei, & est connexa cum desitione, potest per se pertinere ad conuersionem illius; conseruatio autem corporis, & sanguinis Christi, non est causa desitionis panis, neque est connexa cum ipsa, sed tantùm eam omnino per accidens comitatur, quia non pugnat substantialiter cum illa. Vrgeo, quia in nulla conuersione destructio termini à quo, simpliciter potest esse posterior productione, seu positione termini ad quem. Quod tamen necessariò dicendum est iuxta modum quem impugnamus, secundùm quem panis solùm, desinit esse conseruatione accidentium, per corpus Christi, quæ est actio simpliciter posterior natura, effectione substantiali eiusdem corporis, quam prædicta opinio inducit. 27.

Secundò, quia verba consecrationis sunt causæ, & instrumenta huius conuersionis, quia ad eam efficiendam sunt instituta à Christo; sed non sunt causæ, & instrumenta conseruationis corporis Christi. Quod sic ostendo, quia non sunt causa physica, neque moralis: non physica, quia humanitas Christi non potest esse instrumentum physicum conseruationis ipsius Christi, quia nulla res potest se ipsam efficienter producere; alioquin supponeretur ad se ipsam, & consequenter non potest se ipsam efficienter conseruare, quia conseruatio, & prima productio est eadem actio: neque causa moralis, quia verba consecrationis, neque mouent, nec excitant diuinam voluntatem ad conseruandum corpus Christi, quia Deus eodem modo illud conseruaret, quamuis verba illa non proferrentur, neque indiget noua conseruatione, ex eo quòd constituatur sub speciebus consecratis, quia ad conseruandum corpus Christi sacramentaliter sub speciebus, nullo modo requiritur duplex actio terminata ad corpus Christi, sed omnino sufficit, si 28.

corpus Christi per eamdem actionem quam terminat in cœlo, conseruetur sub speciebus; sicut si diuinitus vnum numero corpus in duobus locis constituatur, proculdubio eadem numero actione conseruatur vtrobique, & ob id non est necesse multiplicare actiones conseruatiuas.

29. Tertia sententia affirmat, transubstantiationem quæ fit in hoc sacramento, non esse aliquam veram, & realem actionem productiuam, sed esse relationem successionis inter substantiam panis, aut vini, quæ definit, & substantiam corporis, aut sanguinis Christi, in quam definit, cuius relationis fundamentum ait, esse ipsam desitionem panis, non vtcumque, sed vt habentem connexionem cum corpore Christi significato per verba. nam corpus Christi vt significatur per verba, affert secum negationem omnis alterius substantiæ sub illis accidentibus, vt verba sint vera; ad hoc enim requiritur vt corpus Christi ita sit præsens sub illis accidentibus, vt nullius alterius substantiæ præsentiam sub eisdem accidentibus secum patiatur, ac proinde vt substantia panis, quæ antea erat sub eis, excludatur, & in corpus Christi conuertatur, vi veritatis prædictorum verborum. ita Vazquez disput. 181. cap. 11. quem sequuntur Turrianus opusc. 14. disp. 1. dub. 8. & Hurt. disp. 4. diff. 9.

30. Hic tamen modus dicendi etiam displicet, quia, vt recte Monceus disp. 11. cap. 13. per eum modum dicendi non potest explicari, quomodo substantia panis definat per transubstantiationem, quia vel definit per actionem politiuam, qua aliquid efficitur, vel per solam subtractionem diuini concursus illam antea conseruantis: si hoc secundum, desineret per veram annihilationem conuersioni repugnantem, vt iam manet probatum: si autem primum dicatur, vel ea actio erit productio modi præsentiæ corporis Christi, & hoc non, quia vt etiam manet probatum hæc præsentia per se, nullam habet incompatibilitatem cum substantia panis; vel erit productio alterius entitatis, quæ qualis sit non potest assignari, & etiamsi assignetur, ipsa potius erit terminus ad quem transubstantiationis, quàm supradicta præsentia.

31. Deinde, quia ad conuersionem requiritur talis connexio inter duas mutationes, vt vna sit causa alterius; sed hæc non reperitur in hoc modo dicendi, sed mera concomitantia inter desitionem vnius, & positionem alterius, orta ex eo quòd verba illa significant simul vtramque; nec significatio vnius est causa significationis alterius, sed est ipsamet alterius significatio; ergo ratione huius significationis, licet possit dici, quòd verba causando vnum, causant aliud; non tamen potest dici, quòd vna mutatio sit propriè causa alterius, nec quòd causalitas vnius pendet à causalitate alterius, sed mera concomitantia, & simultas, eo quòd verba consecrationis simul vtramque mutationem significant.

32. Prima conclusio. Terminus formalis transubstantiationis, non potest esse aliquid accidentale. Ita communiter Theologi, & probatur, quia in qualibet conuersione substantiali creata, terminus ad quem est substantia, vel modus aliquis substantialis: sed transubstantiatio est conuersio substantialis, vt colligitur ex Trident. sess. 13. cap. 4. ergo terminus ad quem transubstantiationis, non potest esse accidens. patet consequentia, quia de supernaturalibus philosophari debemus proportionaliter ad naturalia, vbi fides oppositum non suadet.

Secunda conclusio. Terminus formalis transubstantiationis, necessariò debet esse ipsa substantia corporis, & sanguinis Christi. 33. Hæc conclusio probatur testimoniis Conciliorum, in quibus dicitur panem, & vinum, conuerti in substantiam corporis, & sanguinis Christi. Et eodem modo loquuntur sancti Patres, qui sæpenumero docent, panem mutari, conuerti, transire in corpus Christi, quorum testimonia refert Bellarm. lib. 3. de Eucharist. cap. 20. hæc autem nullo modo videntur posse explicari, nisi ipsa substantia corporis, & sanguinis Christi, sit terminus transubstantiationis: ergo, &c. Minor probatur, quia cùm dicimus, lignum conuertitur in ignem, illa propositio, denotat terminum formalem conuersionis, & sic est vniuersaliter in omni conuersione: ergo nisi substantia corporis Christi, sit terminus transubstantiationis, non poterit verificari, panem & vinum conuerti in corpus, & sanguinem Christi. Confirmatur, quia quando aliqua substantia mutatur de calida in frigidam, terminus illius mutationis est frigiditas, & ideo illa conuersio non dicetur fieri in substantiam, sed in frigiditatem, vel in frigidum in concreto: ergo similiter, si terminus transubstantiationis non esset substantia corporis Christi, non posset dici panem conuerti in illam substantiam, sed in illud quod esset terminus transubstantiationis: ergo negari non potest, substantiam corporis Christi esse terminum transubstantiationis.

Tertia conclusio. Substantia corporis Christi præcisè sumpta, non est terminus formalis transubstantiationis, 34. sed vt habet modum quemdam substantialem, scilicet sustentare species sacramentales gerendo officium panis, quod de nouo acquirit per actionem sacramentalem: itaque totum hoc, scilicet substantia corporis Christi sustentans species vice panis, est integer, & formalis terminus transubstantiationis, & actionis sacramentalis. Prior pars probatur, quia actio noua requirit nouum terminum, vel saltem requirit terminum antiquum, habentem aliquem nouum modum; sed transubstantiatio est noua quædam actio, quæ incipit esse in instanti quo fit hoc sacramentum: substantia verò corporis Christi præcisè sumpta non incipit de nouo secundùm se; neque vt sic intelligitur habere aliquem modum nouum, quem antea non habebat: ergo substantia præcisè sumpta non est terminus formalis transubstantiationis, quæ est noua actio. Minor, & consequentia sunt certa; maior verò probatur, quia actio est suus terminus formalis in fieri: ergo noua actio, erit nouus terminus, aut saltem idem cum nouo modo essendi.

Secundò probatur, quia terminus formalis 35. transubstantiationis est ille, quo mediante substantia panis expellitur; sed hæc non expellitur per substantiam corporis Christi præcisè consideratam: ergo hæc substantia præcisè non erit integer terminus formalis transubstantiationis. Maior probatur, substantia panis effectiuè expellitur per transubstantiationem, & actionem sacramentalem; ergo formaliter debet expelli per terminum huius actionis. Confirmatur, quia consecrationes distinguuntur numero inter se: ergo habent terminos numero distinctos; sed substantia corporis Christi præcisè sumpta, in omnibus sacramentis est vna, & eadem numero: ergo hæc substantia vt sic, non est integer terminus formalis transubstantiationis. Denique, quia actio sacramentalis

terminatur

terminatur formaliter ad aliquod esse sacramentale; sed hoc esse non est præcisè, esse substantiale corporis Christi, cùm possit esse separatum ab illo: ergo terminus formalis huius actionis, non est corpus Christi præcisè sumptum.

36. Maior difficultas est in secunda parte nostræ conclusionis; eam tamen defendunt graues Doctores, & in primis S. Thom. quæst. 76. art. 5. ait. Quòd corpus Christi non est in hoc sacramento sicut in loco, sed per modum substantiæ; eo scilicet modo quo substantia continetur à dimensionibus; succedit enim substantia corporis Christi in hoc sacramento substantiæ panis, & quæst. 75. art. 2. docet, conuersionem terminari ad hoc, vt substantia corporis Christi sit præsens in hoc sacramento. Ex quo manifestè sequitur iuxta D. Thom. terminum formalem huius conuersionis esse substantiam corporis Christi, quatenus est præsens in hoc sacramento, non præsentia locali, sed substantiali: vnde 4. contra Gentes, cap. 63. docet, esse necessarium ad transubstantiationem, quòd remaneant accidentia, sub quibus corpus Christi succedat. Eamdem sententiam tenent omnes qui dicunt terminum esse corpus Christi, pro vt per illam actionem tribuitur illi modus quidam realis, quo formaliter vnitur speciebus in ratione contenti substantialis sub illis, vel vt substat speciebus gerendo officium panis. Ita Monceus cap. 14. Meratius disp. 16. sect. 2. Lugus disp. 7. sect. 6. Quamuis in modo declarandi hanc sententiam aliquantulum differant & negent hunc modum esse substantialem. Probatur tamen primò, quia actio sacramentalis tendit per se ad efficiendum hoc sacramentum, & esse sacramentale corporis Christi in illo; sed hoc consistit in hac vnione quam corpus Christi habet cum accidentibus; ergo hæc vnio terminat formaliter actionem sacramentalem. Minor probatur, quia esse sacramentale significatur per hæc verba, *hoc est corpus meum*; sed hæc verba verificantur de corpore Christi ratione huius vnionis; non enim corpus Christi illo pronomine demonstraretur, nisi esset hoc modo substantialiter vnitum speciebus: ergo esse sacramentale corporis Christi consistit in hac vnione. Confirmatur, quia necessariò debemus assignare aliquem modum substantialem substantiæ corporis Christi, quod etiam pertineat ad terminum formalem huius conuersionis; sed nullus alius est assignabilis in corpore Christi, qui possit esse terminus conuersionis, præter prædictum modum sustentandi accidentia, vt patet discurrendo per singulos modos iam impugnatos: ergo iste modus pertinet ad terminum formalem illius.

37. Secundò probatur, quia iuxta hunc modum dicendi rectè explicantur omnes conditiones requisitæ, disputatione præcedenti assignatæ ad veram conuersionem. Constat enim dari aliquod tertium commune in ordine ad quod pugnet vterque terminus formalis, panis, & corpus Christi, & quòd sub vtroque idem perseueret, videlicet accidentia panis. Constat etiam, vtrumque terminum esse positiuum. Præterea constat, terminum à quo totalem desinere esse simpliciter, & loco illius succedere terminum ad quem, scilicet corpus Christi, in eadem habitudine, quam terminus à quo, videlicet panis habebat, respectu alterius tertij. Nam in hoc sacramento, vt prædictum est, manent accidentia omnia, respectu quorum, panis & corpus Christi repugnant esse simul. Alia denique conditio, vt inter terminum à quo, & terminum ad quem, sit aliqua connexio, seu dependentia necessaria, ita vt ex vi desitionis vnius, sequatur inceptio alterius, facilè explicatur, quia corpus Christi vt substans speciebus ex natura rei pugnat cum substantia panis, qua ratione includit sustentationem accidentium in genere causæ efficientis, quæ causalitas ex natura rei petit quòd accidentia non pendeant à substantia panis, & per consequens quòd panis non substet iam illis accidentibus, ne detur duplex causalitas adæquata circa eumdem effectum; quare ex suppositione quòd accidentia conseruantur à corpore Christi, sequitur quòd naturaliter ablatio alterius causalitatis qua illa accidentia conseruabantur à substantia panis, & consequenter desitio illiusmet substantiæ, vt rectè explicat Lugus sect. 7. num. 106.

38. Cæterùm pro maiori explicatione nostræ sententiæ, obserua primò, quòd quando in conclusione dicitur, corpus Christi vt conseruans accidentia vice panis, esse integrum, & formalem terminum transubstantiationis, & hunc esse modum substantialem in corpore Christi, dupliciter potest intelligi, ly *conseruans*, primò vt conseruans per modum actus secundi, quod verba ipsa iuxta communem modum concipiendi significare videntur. Secundò vt conseruans per modum actus primi, quod nihil aliud est, quàm corpus Christi pro vt intelligitur, quasi in actu primo habens virtutem ad exercendum officium panis in conseruatione horum accidentium. nam cùm ante omnem actum secundum, intelligatur actus primus, si Christus de facto conseruat illo modo accidentia, necesse est vt saltem prius natura, intelligatur habens virtutem in actu primo ad conseruandum. Cùm ergo in conclusione dicitur, corpus Christi, vt conseruans accidentia, esse terminum formalem, debet intelligi posteriori modo, & non priori; quia actio ipsa formaliter sumpta, non potest esse terminus transubstantiationis. Sed quia notior est actio illa conseruandi, quàm modus ille, qui habet rationem actus primi; ideo conclusio posita est sub illis verbis, quibus quasi à posteriori explicamus modum illum, qui verè, & formaliter pertinet ad transubstantiationem.

39. Dices, in corpore Christi ante hanc actionem, nihil intrinsecum præsupponi per modum actus primi, quod possit esse terminus transubstantiationis. nam corpus Christi conseruat accidentia, vt instrumentum, in instrumento autem non intelligitur esse aliqua virtus inhærens, qua constituatur in actu primo, sed per solam diuinam assistentiam intelligitur hoc modo constitui, quam assistentiam, verba consecrationis physicè causare non valent: ergo illa conseruatio per modum actus primi, non terminat actionem sacramentalem. Respondetur, corpus Christi in hac conseruatione, non esse qualecumque instrumentum; sed esse instrumentum substantialiter gerens officium panis, & ratione huius officij, distinguitur à quouis alio instrumento: vnde si Deus assumeret idem corpus Christi existens in cœlo, vt instrumentum ad conseruanda eadem accidentia, non esset eiusdem rationis, neque in ipsum diceretur conuerti substantia panis: aliquid ergo aliud habet hoc instrumentum per quod differt à cæteris; hoc autem nihil aliud esse potest, nisi modus quidam substantialis, ratione cuius dicitur gerere vicem panis, & licèt singulariter, & in specie non possit satis declarati hic modus, tamen à posteriori rectè explicatur per hoc quod dicimus, corpus Christi

conseruate

conſeruare in actu ſecundo ſpecies, gerendo officium panis: ex quo colligitur in corpore Chriſti prius natura ponendam eſſe quandam virtutem per modum actus primi, qui eſt modus quidam ſubſtantialis. nam ſicut in pane gerere officium ſubſtantiæ circa ſua accidentia, eſt quid ſubſtantiale, tametſi quodammodo pertineat ad conceptum ſecundarium ſubſtantiæ; quia primarius eſt omnino abſolutus conſiſtens in hoc quod eſt eſſe per ſe; ita etiam in ſubſtantia corporis Chriſti.

40. Obſerua ſecundò, vt aliquid poſſit eſſe terminus nouæ actionis, ſufficere quod etiamſi ſecundùm ſuam ſubſtantiam præexiſtat, habeat tamen aliquem modum nouum: quod in ſententia D. Thomæ manifeſtum eſt. nam eadem entitas caloris, quando accedente noua calefactione intenditur, terminat hanc actionem, quia habet nouum modum eſſendi, videlicet maiorem radicationem in ſubiecto: ſic ergo noua hæc actio ſacramentalis, poteſt terminari ad eamdem ſubſtantiam corporis Chriſti, quæ antea præexiſtebat, quatenus habet hunc nouum modum eſſendi, quod ſatis eſt, etiamſi illa actio cenſeatur eſſe productiua. nam etiam calefactio eſt actio productiua, dixi *quamuis ſit productiua*, quia plures exiſtimant hanc actionem ſacramentalem, non eſſe propriè productiuam, ſed dumtaxat conuerſiuam, ad quod ſufficit, vt habeat pro termino conuerſum eſſe panem in corpus Chriſti, etiamſi nihil noui in corpore Chriſti ponatur, præter denominationem extrinſecam prouenientem à termino quo, quæ neceſſaria eſt ad explicandum terminum huius actionis, eo quod conuerſio vtrumque terminum eſſentialiter includat; neque poteſt vllo modo explicari terminus ad quem, niſi per ordinem ad terminum à quo.

41. Obiicies primò. Quia multi Patres dicunt, corpus Chriſti in Euchariſtia confici, fieri, creari, & in Canone Miſſæ dicitur, *hæc dona ſemper bona creas*. quæ loquendi forma paſſim repetitur in Patribus: ergo ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, eſt terminus actionis ſacramentalis Reſpondetur, Patres non loqui de corpore Chriſti præcisè, ſed de toto hoc myſterio, quod ſolet appellari ſacramentum corporis Chriſti: quod conſtat, quia illud ipſum quod creari dicunt, ibidem etiam dicunt, benedici, & ſanctificari, ac proinde non eſſe ſermonem de corpore Chriſti ſecundùm ſe, ſed de illo cum accidentibus panis. Dicitur autem hoc myſterium, ſeu ſacramentum confici, fieri, creari, ſumpto latè nomine creationis, pro qualibet ſubita, ſeu inſtantanea rei productione.

42. Obiicies ſecundò. Quia impoſſibile eſt, actionem eſſe terminum per ſe alterius actionis; ſed modus à nobis explicatus, conſiſtit in quadam actione: ergo non eſt terminus per ſe tranſubſtantiationis. Maior probatur, quia actio eſſentialiter habet produci ab agente, non vt terminus, ſed vt id quo aliquid fit: ergo ad actionem non poteſt per ſe primò alia actio terminari. Confirmatur, quia aliàs tranſubſtantiatio non fieret immediatè ex vi actionis ſacramentalis, ſed ex vi alterius actionis quæ penderet à corpore Chriſti. Sequela probatur, quia actio conſeruatiua, ideo ponitur vt ex vi illius expellatur panis; tranſubſtantiatio verò fit ex vi illius actionis, qua panis expellitur: ergo non fit immediatè ab actione ſacramentali. Patet conſequentia, quia illa actio procedit à corpore Chriſti: ergo ſupponit iam corpus Chriſti eſſe in hoc ſacramento: corpus autem Chriſti eſt in illo per tranſubſtantiationem: ergo ante illam actionem intelligitur eſſe tranſubſtantiatio. Ad hoc argumentum patet ſolutio ex prima obſeruatione. Inſuper addo, quòd illa actio licèt non ſit terminus primarius tranſubſtantiationis, eſt tamen ſecundarius; non eſt autem inconueniens terminum ſecundarium actionis ſubſtantialis eſſe accidentalem.

43. Denique obiicies, quia ſaltem ex hoc ſequitur, dicendum eſſe, terminum formalem, & integrum, eſſe ſolum hunc modum; corpus autem Chriſti tantum pertinere ad illum terminum materialiter, & vt connotatum. Sequela probatur, quia modus ille poteſt per ſe ipſum terminare hanc actionem; ſicut exiſtentia quæ eſt modus ſubſtantialis, terminat generationem: tum etiam, quia panis formaliter expellitur per hunc modum, & non per ſubſtantiam corporis Chriſti: ergo ſolus hic modus pertinet ad terminum formalem tranſubſtantiationis. Reſpondetur, quòd ſolus modus, non poteſt eſſe integer formalis terminus alicuius actionis, ſed ſimul cum re modificata. Quod patet in exemplo exiſtentiæ adducto. nam terminus per ſe productionis, aut generationis, non eſt ipſa exiſtentia præcisè, ſed rei eſſentia ſub illo modo: quod ſemper eſt verum in modis qui ſunt eiuſdem generis cum re modificata; quod eſt notandum propter ſeſſionem, & alios ſimiles modos, qui integrè terminant actiones. Similiter negandum eſt, quòd ſolus ille modus expellat formaliter panem, ſed ſubſtantia corporis Chriſti ſub illo modo: ſicut contraria non ſe expellunt, niſi in gradibus intenſis, & tamen intenſio non eſt quæ expellit, ſed qualitas cum illa intenſione.

44. Inquires, an hæc conuerſio fiat in inſtanti. D. Thom. quæſt. 75. art. 7. Reſpondet affirmatiuè, & probat, quia nihil eorum quæ ſolent actionem facere ſucceſſiuam, interueniunt in hac conuerſione, vt ſunt latitudo gradualis termini, vel diſpoſitio prærequiſita in ſubiecto, vel impotentia cauſæ efficientis. Scotus verò in 4. diſtinct. 9. quæſt. 2. notat, quòd conſecratio, & conuerſio poſſunt ſumi dupliciter. Primò pro actione, & motu tendentiæ ad conuerſionem. Secundò pro termino illius actionis: priori modo inquit, quòd actio durat toto tempore conſecrationis; ſicut & toto tempore quo durat forma Baptiſmi, fit ſanctificatio: terminus autem illius actionis, videlicet deſitio panis, & inceptio corporis Chriſti fit in inſtanti.

45. Hæc tamen doctrina Scoti valde ambigua eſt; ſi enim ſumatur pro prolatione verborum, quæ dicitur conſecratio, verum habet, quia illa actio durat toto illo tempore, hæc tamen non habet pro termino immediato inceptionem corporis Chriſti, & deſitionem panis; ſed terminus illius eſt ipſa verborum forma in facto eſſe, qua mediante per aliam actionem inſtantaneam, quæ incipit in inſtanti terminatiuo prolationis verborum, & durat per ſolum illud inſtans, vocaturque propriè conuerſio, & tranſubſtantiatio, fit in eodem inſtanti ipſa formalis conuerſio, quæ eſt terminus immediatus illius: itaque verba ipſa ſunt principium proximum huius actionis, & efficiunt tranſubſtantiationem; non verò ſunt ipſa effectio tranſubſtantiationis. Quare falſum eſt, conuerſionem, aut actionem conuerſiuam durare toto tempore quo fit conſecratio, & eſſe ſucceſſiuam: aliàs terminus ipſe ſucceſſiuè produceretur, quod eſt impoſſibile, quia terminus eſt indiuiſibilis ſecundùm latitudinem gradualem, atque adeò incipit in inſtanti. Actio enim non poteſt eſſe ſine ſuo termino; ac proinde

proinde in quocumque instanti, vel tempore est actio, in eodem debet esse terminus; si ergo actio est successiua, terminus etiam produceretur successiuè. Confirmatur, quia si actio illa esset successiua, posset interrumpi, & tunc quærendum esset, an totus terminus esset productus per priorem partem actionis? an verò pars termini? neutrum autem dici posset: non primum, quia si totus terminus esset productus, sequeretur, quòd posterior pars actionis non esset necessaria ad productionem illius termini, sed solùm haberet rationem conseruationis termini producti, quod est contra naturam conuersionis successiuè: neque secundum, quia terminus est indiuisibilis: ergo non potest produci per partes.

46. Denique pro complemento huius actionis, explicandæ sunt quædam propositiones pertinentes in hac materia ad modum loquendi. Prima est, ex pane fit corpus Christi. Hæc propositio, & aliæ similes possunt concedi, quia ly *ex*, denotat solum terminum à quo; est autem verissimum, terminum à quo in hac conuersione esse panem. At illa propositio, de pane fit corpus Christi, est neganda in rigore sermonis, & si apud aliquem ex Patribus reperiatur, erit pie explicanda ad modum præcedentis. Et ratio est, quia propositio, de in communi acceptione, denotat consubstantialitatem; nihil autem substantiale est commune pani, & corpori Christi.

47. Maior autem difficultas poterat esse circa primam propositionem ex parte termini ad quem, nam cùm corpus Christi non fiat in hoc sacramento, sequitur, dici non posse fieri ex pane: vnde illa propositio debet explicari figuratè per Metonymiam, vt sit sensus, ex pane fit sacramentum corporis Christi, aut fit corpus Christi præsens in altari, & contentum sub speciebus.

48. Secunda propositio est, panis fit corpus Christi, hæc est neganda; quia vel denotat materiam, veriquè termino communem, vt cùm dicitur lignum fieri ignem, vel subiectum commune, vt fit in transmutatione accidentali, vt cùm dicimus, album fit nigrum: neutro tamen modo in hac materia potest verificari. At omnes propositiones denotantes transitum, vel conuersionem, sunt veræ: vt panis transit, mutatur, conuertitur, transubstantiatur in corpus Christi; in quo sensu solet etiam concedi illa propositio, panis fit corpus Christi.

49. Tertia propositio est. Panis est corpus Christi; hæc semper est falsa, nisi sensus sit, id quod habet speciem panis, vel contentum sub speciebus panis, est corpus Christi. Vbi obserua, sæpenumero huiusmodi propositiones apud sanctos Patres inueniri, dum volunt veram, & realem præsentiam corporis Christi denotare, veramque transubstantiationem panis; quare piè sunt interpretandi.

Sectio IV.

An substantiæ panis, & vini, per consecrationem desinentes, annihilentur.

50. Annihilatio opponitur formaliter creationi, sicut corruptio generationi; vnde debet habere diffinitionem formaliter oppositam. Duplex autem solet assignari diffinitio creationis. Prima est, quòd sit productio rei ex nihilo, id est, nullo præsuppositio subiecto, in quo terminus creationis contineatur, saltem in potentia, & nulla parte intrinseca sui præsupposita; si enim aliqua pars sui præsupponatur, siue essentialis, siue integralis, aut aliquid intrinsecè pertinens ad constitutionem termini, non erit creatio. Ex opposito annihilatio, est desitio rei in purum nihil, id est, quod nihil intrinsecè ad eius constitutionem pertinens, remaneat, & quòd res quæ annihilatur, non maneat in potentia naturali, siue actiua, siue passiua. Dixi *naturali*, quia non obstat annihilationi, quòd res maneat in potentia obiectiua, correspondente omnipotentiæ Dei, quam habet ad illam reproducendam; vel quòd maneat in potentia obedientiali passiua alicuius creaturæ.

Ex quo infero, formam quæ desinit esse in corruptione cuiuscumque rei, siue substantialis, siue accidentalis, non ideo non annihilari, quia manet in potentia materiæ, aut subiecti. nam re vera potentia quæ manet in materia ad hanc formam singularem, quæ iam præcessit, non tam debet dici naturalis, quàm obedientialis, quæ non aufert annihilationem; sed ideo non annihilatur, vel quia ex natura rei, & intentione agentis, illi succedit alia forma in eodem subiecto; vel quia desitio non terminatur ad formam vt quod, sed ad compositum; compositum verò non annihilatur, cùm aliquid eius semper maneat, siue noua forma succedat, vt fit in substantialibus; siue non, vt fit in nonnullis accidentibus. 51.

Dices, hinc inferri, animam rationalem non desinere esse per annihilationem, etiamsi desineret, cùm homo moritur, manente materia sub forma cadaueris, quia in eo casu compositum esset, quod desineret vt quod; hoc autem non annihilatur, cùm maneat materia: quod tamen est falsum, quia anima rationalis, vt omnes concedunt, non habet alium modum desitionis, nisi per annihilationem. Respondetur, esse longè diuersam rationem de anima rationali, & aliis formis; quia cùm anima sit subsistens non pendet in suo esse à materia, vnde ex vi desitionis hominis, ipsa non desinit, sed est necessaria alia desitio, quæ terminetur, vt quod ad ipsam animam, & hæc non potest esse alia, nisi annihilatio; at quælibet alia forma dependet in suo esse à materia, vel subiecto, vnde ex vi desitionis compositi substantialis, vel accidentalis, desinit ipsa, & cùm desitio compositi non sit annihilatio, neque desitio talis formæ annihilatio erit. 52.

Secunda diffinitio creationis est, productio entis in quantum ens, vbi ens sumitur pro ente simpliciter, vt distinguitur contra tale ens, & sensus diffinitionis est, quòd per creationem producitur terminus, non sub aliqua ratione particulari entis. nam licèt producatur hoc ens determinatum in tali specie, & individuo, tantum producitur quoad suam entitatem; & ideo dicitur productio in quantum est, quod non fit in generatione naturali, vbi præsupponitur materia; atque adeò terminus producitur in quantum tale ens, id est, talis species. Huic diffinitioni opponitur alia annihilationis, scilicet, destructio entis in quantum est, id est, non tantùm secundùm rationem particularem, sed quoad totam suam entitatem. 53.

Sit conclusio. In hac conuersione, substantiæ panis, & vini, non annihilantur. Hæc conclusio est contra Scotum in 4. dist. 11. quæst. 4. & in quodlib. quæst. 10. est tamen de mente D. Thomæ, & eam amplectuntur communiter Theologi, & Recentiores omnes in hoc loco, Suarez, Vazquez, Hurt. Lugus, Meratius, &c. Pro cuius intelligentia obserua 54.

ſerua primò totalem deſitionem alicuius rei poſſe dupliciter contingere. Primò ex ſola ſubtractione concurſus neceſſarij ad conſeruationem illius. Secundò ex vi alicuius actionis poſitiuæ, & hoc ſecundo modo, non alia ratione fit, niſi quatenus per actionem poſitiuam producitur aliquid, cum quo ſimul repugnat eſſe, id quod deſinit: ad deſitionem verò priori modo, non eſt neceſſe rem aliquam produci. Ex his autem duobus modis totalis deſitionis, prior eſt annihilatio; poſterior verò minimè: itaque eo ipſo quo aliquid deſinat ex vi actionis poſitiuæ, non poteſt dici annihilari; quia de ratione annihilationis eſt, quòd fiat per ſolam ſubtractionem concurſus conſeruatiui, aut per negationem actionis, vt docet D. Thom. 1. parte quæſt. 104. art. 3. ad 3. & Scotus in 4. diſtinct. 11. quæſt. 4. Et ratio eſt, quia quæcumque actio poſitiua, debet habere aliquod ſubiectum: ergo ſi actio annihilationis eſt poſitiua, debet etiam habere aliquod ſubiectum: illud autem debet eſſe, vel res ipſa quæ annihilatur, vel alia diſtincta: non primum, quia in eo inſtanti in quo res annihilatur, non eſt; actio verò eſt in illo inſtanti, quia intrinſecè debet eſſe in eo inſtanti in quo incipit ſuus terminus; ergo res quæ annihilatur, non poteſt eſſe ſubiectum actionis annihilatiuæ: neque poteſt dici ſecundum, quia non mutatur intrinſecè per actionem, aut mutationem exiſtentem in alio ſubiecto; at id quod annihilatur, intrinſecè mutatur; ergo non per actionem in alio exiſtentem. Confirmatur, quia ſi via naturali corrumperetur forma ignis per actionem ignis, & in inſtanti in quo forma ignis debebat introduci in materia, Deus materiam annihilaret, ibi eſſent tres deſitiones. Prima compoſiti. Secunda formæ. Tertia materiæ, & duæ priores eſſent corruptiones, quia fierent virtute ignis. Tertia verò eſſet annihilatio, & non poteſt aſſignari alia ratio, niſi quia duæ priores fiunt per actionem poſitiuam; tertia minimè; ergo annihilatio non poteſt fieri per actionem poſitiuam.

55. Obſerua ſecundò ex ſupradictis, corpus Chriſti vt præſens ſacramentaliter, ex natura rei habere repugnantiam cum ſubſtantia panis, non ſolùm quoad exiſtentiam ſub accidentibus; ſed etiam quoad exiſtentiam abſolutè: corpus autem Chriſti ponitur præſens in hoc ſacramento ex vi alicuius actionis poſitiuæ, quæ actio neceſſariò debet concurrere ad deſtructionem ſubſtantiæ panis. Ex quibus probatur à priori concluſio, quia res quæ annihilatur, non poteſt deſinere eſſe ex vi alicuius poſitiui influxus, aut actionis; ſed ſubſtantia panis deſinit eſſe ex vi actionis poſitiuæ, qua corpus Chriſti ſub ſpeciebus collocatur; ergo panis non deſinit eſſe per annihilationem. Confirmatur, deſitio panis ordine cauſalitatis ex natura rei, coniungitur cum eſſe corporis Chriſti ſub ſpeciebus: ergo illa deſitio non terminatur ad non eſſe ſimpliciter, ſed ad non eſſe tale; ac proinde non deſinit in purum non eſſe. Conſequentia probatur, quia ſi ordine cauſalitatis coniungitur ex natura rei, cum eſſe corporis Chriſti ſub ſpeciebus: ergo eſt cauſa quòd corpus Chriſti ibi ſit, & ex conſequenti ex natura rei poſtulat eius præſentiam.

56. Secundò probatur, quia quod annihilatur, tranſit in purum nihil, & in non eſſe ſimpliciter: quod verò conuertitur, & tranſubſtantiatur, non tranſit in purum nihil, ſed in aliquid poſitiuum; ergo quod annihilatur, non poteſt dici conuerti. Conſequentia eſt euidens, antecedens probatur, quia conuerti nihil aliud eſt, quàm in aliquid poſitiuum tranſmutari; conuerſio enim fit de poſitiuo in poſitiuum. Confirmatur, terminus formalis conuerſionis, formaliter, & eſſentialiter includit eſſe illius rei in quam fit conuerſio: at terminus formalis annihilationis, non includit aliquod eſſe, imò ſimpliciter dicit negationem totius eſſe: ergo iſtæ mutationes repugnant ex propriis terminis formalibus; atque adeò vni & eidem ſimul conuenire non poſſunt: ergo id quod annihilatur, non poteſt in aliud conuerti.

Dices, idem contingere in corruptione. nam 57.
corruptio in ſuo termino formali, non includit aliquid poſitiuum, cùm ſit mutatio priuatiua, quo tamen non obſtante, hæc eſt vera, id quod corrumpitur, conuertitur in aliud; ſed contrà eſt, quia quamuis corruptio non includat formaliter aliquid poſitiuum, connotat tamen illud, videlicet materiam, & negatio quam includit in ſuo termino formali, non eſt negatio totius eſſe ſimpliciter, ſed negatio talis eſſe, videlicet rei quæ corrumpitur: at annihilatio pro termino formali, habet negationem totius eſſe ſimpliciter. Ex quo fit, quòd nulla ratione poſſet affirmari de eo quod annihilatur, quòd tranſeat, & conuertatur in aliquid poſitiuum. nam iſtæ propoſitiones ſunt oppoſitæ, & contradictoriæ ex parte prædicati: hoc tranſit in nihil ſimpliciter, & hoc tranſit in aliquid, & ita de eodem verificari non poſſunt. Quæ oppoſitio non reperitur in corruptione. nam propoſitiones quæ in illa fieri poſſunt, ſunt iſtæ: hoc tranſit in non eſſe tale, ſcilicet æris, & hoc tranſit in eſſe tale, ſcilicet ignis, quæ non opponuntur. Ex quo vlteriùs fit, quòd ſi panis propriè annihilatur, non poteſt de illo verificari quòd conuertatur in corpus Chriſti, ſi termini accipiantur in rigore phyſico: quare Scotus & qui eum ſequuntur, non ſaluant conuerſionem panis cum omni proprietate, ponendo annihilationem.

Neque ſatisfacit id quod adducit Suarez ſect. 1. 58.
in fauorem Scoti, videlicet, quòd totus ille tranſitus panis in corpus Chriſti, prout comprehendit plures mutationes, & plures terminos, non poteſt dici annihilatio, quia altera illarum mutationum tendit ad terminum poſitiuum: at verò ſi mutatio quæ fit in ſubſtantiam panis, præcisè ſumatur, poteſt dici annihilatio, & ſimul conuerſio, quia ſuccedit alia ſubſtantia; non enim repugnat eamdem ſubſtantiam totaliter deſinere eſſe, & ſic annihilari, & illi ſuccedere aliam ſubſtantiam, & vt ſic conuerti. Hoc, inquam, non valet, quia, vt probatum eſt, annihilatio, & conuerſio, habent terminos contradictoriæ repugnantes; ac proinde non poſſunt de eodem verificari. Præterea, illa ſubſtantia quæ præcedit ei, quæ annihilatur, vel ſuccedit illi ex natura rei; vel ſolùm ſuccedit, quia per accidens coniungitur deſitioni ſubſtantiæ panis: ſi primum, illa deſitio non erit annihilatio, ſed verè, & propriè conuerſio: ſi ſecundum, non poteſt propriè eſſe conuerſio, quia valdè impropriè dicitur vna res conuerti in aliam, quæ per accidens illi ſuccedit, etiamſi ſucceſſio fiat ex voluntate diuina. nam hæc voluntas non poteſt naturas rerum tranſmutare. Si enim Deus vnum Angelum annihilaret, & immediatè alium in eodem inſtanti, in eius locum ſubſtitueret, nulla ibi eſſet conuerſio, quia, vt ſæpe dictum eſt, ad conuerſionem requiritur quòd termini ex natura rei repugnent circa aliquod tertium: ergo talis ſucceſſio non ſufficit ad propriam conuerſionem.

Obiicies

Digitized by Google

59. Obiicies primò. Substantia panis desinit in purum nihil, quia non est in se ipsa tota, nec in aliqua parte sua, cùm totus panis desinat: ergo annihilatur. Antecedens constat, qùia non magis est aliquid, quàm si nunquam fuisset. Respondetur negando consequentiam, non enim ex eo quòd aliquid priùs existens, purum nihil modò sit, sequitur vt annihilatum fuerit; sicut è contrario, ex eo quòd id quod est purum, nihil fiat aliquid, non sequitur vt fiat aliquid per creationem, quia potest fieri aliquid per aliud genus actionis; similiter substantia panis potest fieri purum nihil per aliud genus actionis, quàm annihilationis, videlicet per conuersionem: vt ergo res dicatur desinere per annihilationem, requiritur vt desinat esse sola subtractione influxus conseruantis, & non actione positiua, qua producatur aliquid ei repugnans.

60. Obiicies secundò. Panis desinit esse in quantum ens; ergo annihilatur. Consequentia est manifesta; antecedens verò probatur, quia panis desinit esse quoad totam suam entitatem intrinsecam: ergo desinit in quantum ens. Respondetur, id quod conuertitur in aliud, non desinere esse simpliciter in quantum ens, quia petit alterius entis positionem in quod conuertitur; sed solùm desinere in quantum tale ens; ac proinde non annihilari.

61. Obiicies tertiò. Id quod desiit, & non potest reproduci, nisi per creationem, annihilatur; sed panis qui desiit per conuersionem in corpus Christi, nequit aliter reproduci quàm per creationem: ergo annihilatum est. Respondetur negando maiorem, quia ad hoc vt aliquid reproducatur per creationem, satis est, quòd fiat ex nihilo tum sui, tum subiecti: vt verò annihiletur, necesse est, vt non desinat per sui conuersionem in aliud, aut vi alicuius actionis positiuæ, naturaliter inferentis eius desitionem.

62. Obiicies quartò. Supponendo in hac conuersione interuenire duas mutationes, alteram positiuam, à non esse corporis Christi in hoc sacramento, ad esse eiusdem in illo: alteram priuatiuam, ab esse panis, ad non esse illius: quod constat, quia ibi sunt quatuor termini, duo negatiui, & duo positiui, & sicut in generatione substantiali, quia reperiuntur similes quatuor termini, ponuntur etiam duæ mutationes; altera positiua, quæ appellatur generatio; priuatiua altera, quæ dicitur corruptio; ita etiam in hac mutatione. Modò sic, mutatio priuatiua quæ hîc reperitur, habet pro termino ad quem, non esse panis, & per hoc distinguitur à corruptione: ergo est annihilatio. Confirmatur, quia prior illa mutatio eadem est, siue posterior addatur, siue non: at si non adderetur, prior illa mutatio esset vera panis annihilatio: ergo etiam nunc est, quamuis ei hæc posterior adiungatur.

63. Respondetur concedendo interuenire ibi duplicem illam mutationem, partialem tamen, & ex natura rei constituentem, vnam totalem, qua corpus Christi ex non contento fit contentum cum destructione panis; terminus autem adæquatus à quo illius mutationis, non est sola negatio contenti in corpore Christi quæ aufertur, per oppositam formam, neque solus panis, sed negatio illa, & panis iste coniunctim. Vnde quamuis prior mutatio partialis habeat pro termino ad quem non esse panis, non ideo dicitur annihilatio, quia terminus adæquatus illius mutationis est esse corporis Christi, vt contenti sub speciebus; ac proinde dicitur propriè conuersio. Ad confirmationem negandum est maior, quia in illo casu, valde diuersa esset mutatio, ab ea quæ nunc est; tunc enim esset mutatio totalis, & non ex natura rei tantùm partialis, sicut modò est. Deinde terminus à quo illius mutationis esset panis, qui transiret ad non esse, sistendo præcisè in illo non esse, sicut in vltimo & adæquato suo termino ad quem: in mutatione verò Eucharistica aliter fit, quia terminus adæquatus à quo eius mutationis quæ modò est, est substantia panis, cum non esse contenti in corpore Christi; ad quem verò est ipsum corpus Christi accipiens rationem contenti, in quod transit substantia panis per conuersionem in ipsum.

Sectio V.

An quælibet res possit diuinitus in aliam conuerti.

64. TRansubstantiatio, vt ex superioribus constat, tantùm intercedit inter illas res, quarum vna potest alteri succedere in munere substandi eisdem accidentibus, & quarum vna potest alteri succedere circa idem tertium commune in eodem munere, cum connexione inter expulsionem vnius, & introductionem alterius. Et potissima difficultas est de conuersione substantiali, & totali, à qua in primis excludenda est diuina natura, quia Deus non potest in rem vllam conuerti, si quidem nequit desinere esse; nec aliqua creatura in ipsum, quia non potest in se vllam mutationem admittere. An verò personalitas creata possit conuerti in personalitatem diuinam, bene potest concedi & id affirmat Lugus disp. 7. sect. 10. Quia potest natura Petri assumi hypostaticè à Deo; in quo casu fieret conuersio personalis succedente personalitate diuina personalitati creatæ circa illam naturam, & conuerti personalitatem creatam in diuinam, quia ad hoc non requiritur productio termini formalis, sed noua vnio, quæ sine imperfectione potest dari in Deo; vt constat ex tractatu de Incarnatione. Non tamen approbo id quod docet idem Lugus, personalitatem diuinam posse conuerti in personalitatem creatam, si iterum natura Petri acciperet propriam personalitatem, & relinqueretur à diuina; quia non desineret simpliciter personalitas diuina; ac proinde non potest dici conuerti in personalitatem creatam.

65. Durandus in 4. dist. 10. omnino negat conuersionem totalem esse possibilem, & solùm concedit formalem in his quæ communicant in eadem materia. Alij verò solùm concedunt posse conuerti corpus in corpus; non autem corpus in spiritum, cui sententiæ videtur fauere Sotus dist. 9. quæst. 2. art. 4. & potest probari ex August. 7. de Genesi ad literam cap. 12. vbi ait. *Quòd autem corpus terreum, siue cœleste in animam conuertatur, fiatque natura incorporea, neminem sensisse scio, neque fides docet.* August.

66. Prima conclusio. Si loquamur de conuersione partiali, tam formali, quàm materiali, certum existimo vtramque possibilem esse. Et quidem de conuersione formali, non potest esse dubium, cùm sæpissimè videamus fieri, quia sæpissimè vna forma substantialis transit in aliam in eodem subiecto, in quo transitu reperiuntur omnes conditiones ad conuersionem requisitæ, & suprà assignatæ. De conuersione verò materiali probatur, quia non repugnat vnam materiam subiici, seu supponi eidem formæ, cui altera materia erat subiecta, seu supposita, absque eo quòd in ea inducatur

tur noua forma, in quo caſu materia antea ſubiecta deſineret eſſe ex vi alterius materiæ de nouo ſubiectæ, tanquam incompoſſibilis ſub eadem forma; ſicut enim vna forma pro vt informans ſubiectum, eſt incompoſſibilis cum altera idem ſubiectum informante, & vi ſua illam deſtruit; ita vna materia pro vt ſuppoſita forma, eſt incompoſſibilis cum altera, eamdem formam ſuſtentante, & vi ſua illam deſtruit: ergo nullo modo repugnat vnam materiam in aliam conuerti.

67. Secunda concluſio. Deus poteſt conuertere conuerſione totali, quodlibet corpus, in quodlibet aliud corpus. Hæc concluſio intelligenda eſt de conuerſione tantùm ſubſtantiæ manentibus accidentibus. nam de conuerſione totali, id eſt, totius entitatis, tam ſubſtantialis, quàm accidentalis, poſtea dicemus. Concluſio verò ſic intellecta, non poteſt citra fidei periculum negari. nam fide tenemus in hoc ſacramento conuerti totam ſubſtantiam panis in corpus Chriſti, & cùm eadem ſit ratio de omnibus aliis corporibus, nequit negari, Deum poſſe conuertere quodlibet corpus in aliud.

68. Secundò probatur ratione D. Thomæ, quia natura entis eſt communis formæ & materiæ: Deus autem eſt auctor totius entitatis: ergo poteſt conuertere quidquid eſt entitatis in vno corpore, in totam entitatem alterius: ac per conſequens poteſt conuertere totali conuerſione, quodlibet corpus in quodlibet. Denique probatur, & explicatur modus, quo huiuſmodi conuerſio fieri poſſit, ſupponendo tria. *Primum* eſt Deum poſſe quodlibet corpus totaliter de nouo producere, videlicet quoad materiam, & formam, & etiam poſſe quodlibet totaliter deſtruere. *Secundum* eſt, ſi hæc productio, & deſtructio, taliter fieret à Deo, quod ex vi vnius ſequeretur alia, ibi interueniret totalis conuerſio vnius corporis in aliud, quia omnes conditiones ad conuerſionem requiſitæ ibi reperirentur: non enim poſſet hoc fieri, niſi daretur aliquid commune vtrique termino, circa quod ſibi inuicem repugnarent, & ſuccederent in habitudine eiuſdem rationis. *Tertium* eſt, poſſe Deum quodlibet corpus ita producere, vt ex vi illius productionis ſequatur ex natura rei deſtructio alterius. nam poteſt Deus producere quodlibet corpus, cum habitudine ad ſuſtentandum accidentia alterius corporis, & vi huius productionis ſequeretur neceſſariò, diſſolutio vnionis illorum accidentium cum corpore præexiſtenti; quia eadem accidentia à duobus ſubiectis ſimul non poſſunt ſuſtentari: ſi ergo ſuſtentantur à corpore de nouo producto, manifeſtè ſequitur, quòd non ſuſtentarentur à corpore in quo antea præexiſtebant, & ex conſequenti quòd diſſoluatur vnio quam habebant, ad corpus præexiſtens; ex quo vlteriùs ſequitur, quòd corpus præexiſtens deſtrueretur ex vi productionis alterius, quia corpus non poteſt naturaliter conſeruari ſine ſuis accidentibus: ergo ſi ex vi productionis alterius corporis, ſequitur ſeparatio accidentium à corpore præexiſtenti, ſequitur etiam deſtructio huiuſmodi corporis, & conſequenter, conuerſio vnius in aliud. D. autem Auguſtinus vbi ſuprà, loquitur de conuerſionibus quæ fiunt ſecundùm leges naturæ, non verò de his quæ à Deo fieri poſſunt.

69. Tertia concluſio. Deus non poteſt conuertere vnam ſubſtantiam ſpiritualem in aliam, neque etiam in ſubſtantiam corpoream. Hæc eſt contra Suarium, eam tamen defendit Hurtado diſput. 4. diff. 13. & probatur, tum quia in huiuſmodi conuerſione non eſt aſſignabile aliquid commune vtrique termino, circa quod repugnent terminus à quo, & ad quem; quia ab vtroque non poteſt ſuſtentari vnum accidens, ex eo quòd naturaliter terminus à quo, quando eſt corpus, deſinit eſſe, ſi ſeparetur à ſuis accidentibus: quando verò eſt ſpiritus, non deſinit eſſe; quia Angelus, vel ſpiritus, non dependet in conſeruari à ſuis accidentibus, eo quòd ex ſe ſit incorruptibilis; ſed hæc conditio eſt neceſſaria, vt prædictum eſt: ergo ſubſtantia ſpiritualis non poteſt in aliam conuerti, neque in corporalem. Maior probatur. nam ſi aliquid commune eſſet ſignabile, maximè accidentia ſubſtantiæ ſpiritualis, videlicet intellectus, & voluntas: ſed non repugnarent terminus à quo, & ad quem, circa ea accidentia quoad eſſe ſimpliciter, licèt repugnarent quoad eſſe ſubiecti: ergo etiamſi à Deo produceretur aliqua ſubſtantia ſpiritualis cum ordine ad ſuſtentandum accidentia alterius, ex vi huius productionis non ſequeretur, quòd alia ſubſtantia deſineret eſſe ſimpliciter, ſed ſolùm quòd deſineret eſſe ſubiectum illorum: quoniam ſubſtantia ſpiritualis non dependet in ſui conſeruatione ab illis accidentibus, ſed illa ſecundùm ſe eſt incorruptibilis, vt docet communis ſententia Theologorum: ergo etiamſi ab Angelo ſeparentur illa accidentia, non deſineret eſſe ſimpliciter, quod eſt neceſſarium ad conuerſionem, ſed ſolùm deſineret eſſe ſubiectum illorum.

Quarta concluſio. Quodlibet corpus poteſt 70.
Deus conuertere in ſubſtantiam ſpiritualem, v.g. lapidem in Angelum. Probatur, quia poteſt Deus vnum Angelum producere cum ordine ſuſtentandi accidentia lapidis: ſed ex hac productione, ſequeretur ex natura rei deſtructio lapidis, vt prædictum eſt: ergo poteſt Deus lapidem in Angelum conuertere. Dices maiorem inuoluere contradictionem, quia Angelus cùm ſit ſpiritualis, non poteſt recipere, aut ſuſtentare accidentia corporea. Contrà, quia ſicut poſſibile eſt, imò & de facto contingit, quòd anima rationalis etiam ſecundùm vltimum gradum intellectualitatis informet corpus; quamuis ſit ſpiritualis; ita etiam videtur poſſibile, vt forma corporea inhæreat ſubiecto ſpirituali, & ab illo ſuſtentetur. Deinde, quia licèt concedamus id eſſe impoſſibile, tamen non implicat quòd Angelus ſuſtentet illa accidentia effectiuè, vt inſtrumentum Dei, ex qua ſuſtentatione ſequatur ſeparatio accidentium à lapide, & conſequenter deſtructio lapidis: ergo ſaltem hac via poteſt defendi lapidem conuerti in Angelum. Ex his

Infertur primò. Non poſſe hominem conuerti 71.
totaliter in aliam rem, ſiue corporalem, ſiue ſpiritualem, quia anima rationalis quæ eſt forma hominis, cùm ſit incorruptibilis, non poteſt in aliud conuerti, iuxta ea quæ dicta ſunt de Angelo.

Infertur ſecundò. Accidens ſeparatum à ſubie- 72.
cto, non poſſe conuerti in aliud accidens, imò neque in aliam rem, quia non eſt ſignabile aliquid commune, circa quod accidens illud repugnet eſſe cum alia re. Dixi *accidens ſeparatum à ſubiecto*. nam ſi in ſubiecto ſit, poterit quidem conuerti in aliud quod repugnet circa illud ſubiectum.

Infertur tertiò. Nullam rem poſſe totaliter 73
quoad ſuam ſubſtantiam, & accidentia intrinſeca, in aliam conuerti, quia nihil maneret commune

mune vtrique termino. Nec obstat, posse manere locum circa quem terminus à quo, & ad quem repugnent. Hoc enim non sufficit ad conuersionem simpliciter. nam ex eo quòd vnum corpus ponatur in loco vbi erat aliud, non sequitur desitio corporis præexistentis, sed tantùm sequitur quòd desinat esse in illo loco, quod non sufficit ad conuersionem simpliciter: neque illa esset transmutatio vnius corporis in aliud, sed translocatio, nisi fortè in casu quem fingit Suarius: si Deus modò crearet vnum corpus cœleste in loco, vbi aliud præexistebat, ex natura rei sequeretur desitio corporis præexistentis, & suspensio concursus diuini quo conseruabatur, quia corpus illud non posset in alium locum migrare.

DISPVTATIO V.

De modo quo Christus est in Eucharistia.

SECTIO I.

Quid ponatur in hoc Sacramento ex vi verborum, & per concomitantiam.

1. IN hoc sacramento continente Christum plura inueniuntur, videlicet corpus, sanguis Christi, anima rationalis, verbum diuinum, deitas, seu diuinitas, & aliæ duæ personæ, scilicet Pater, & Spiritus sanctus, quæ certè non solùm ratione immensitatis vbique sunt, sed specialiter in hoc sacramento modo infrà explicando. Et in primis certum est secundùm fidem catholicam, totum Christum, totamque eius substantiam esse in hoc sacramento, & sub singulis speciebus illius. Ita diffinitum est in Concilio Constantiensi sess. 3. & in Florentino in Decreto fidei §. Tertium est Eucharistia, vbi dicitur, quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini. Et denique in Tridentino sess. 13. Canon. 3. vbi ait. *Si quis negauerit in Venerabili sacramento Eucharistiæ, sub vnaquaque specie, & sub singula cuiusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit.* Et probatur ratione D. Thomæ quæst. 76. art. 2. Quia cùm hoc sacramentum institutum sit ad viuificandum nos spiritualiter, & ad nutrimentum spirituale, oportuit vt nobis non traderetur corpus Christi, nisi viuum, & sanguinem habens, & non exangue; nec in tanto sacramento debuit esse Christi corpus, cui deesset aliqua perfectio, sed habens omnia quæ ad pulchritudinem corporis solent pertinere, cuiusmodi sunt quatuor humores, capilli, dentes, vngues, &c.

Trident.

2. Secundò probatur alia ratione D. Thomæ art. 1. in corpore, quia quando duo sunt realiter coniuncta, vbicumque est vnum realiter, oportet & aliud esse; hæc enim est natura vnionis physicæ, & realis, vt taliter afficiat vtrumque extremum, quod perseuerante vnione, necesse sit ex natura rei, quodlibet extremum vbicumque ponatur, afferre secum aliud cum quo vnitur, quantum est ex vi vnionis, nisi ad id obstet natura ipsius extremi.

3. Sed contra hanc doctrinam sunt duæ obiectiones, ex quarum solutione amplius illustrabitur. *Prima* est, quia ex hoc sequeretur, Christum dum est in Eucharistia, afferre secum præsentiam quam habet in cœlo. *Secunda*, quia verbum diuinum vnitur cum humanitate Christi, & tamen non vbicumque est verbum, ponitur humanitas Christi. Ad primam respondetur negando sequelam, quia illa præsentia essentialiter est affixa tali spatio imaginario, ac proinde non potest poni in alio etiam de potentia Dei absoluta, adhuc per concomitantiam, & ideo notanter diximus, nisi obstet natura ipsius extremi, vt obstat in præsentia quam Christus habet in cœlo, quæ essentialiter affixa est tali spatio. Ad secundam respondetur, doctrinam illam esse intelligendam, quando aliqua duo ita sunt vnita, vt vnio sit adæquata, & vnum respiciat aliud tanquam terminum adæquatum. nam si vnio inadæquata sit, necesse non est, vt vbicumque est vnum, sit & aliud; anima enim est realiter vnita pedi, & tamen non vbicumque est anima, ibi est pes; quia pes non est adæquatus terminus vnionis animæ. Vnde fit verbum diuinum non habere secum humanitatem in aëre, v.g. quia illud spatium, non est adæquatum, sed inadæquatum Verbo; sicut locus pedis est inadæquatus animæ.

4. Secundò etiam est certum, totum Christum esse sub qualibet particula speciei consecratæ, etiam ante diuisionem, quod quamuis non sit de fide diffinitum à Tridentino loco citato Canone 3. quia tantùm loquitur separatione facta, maximè tamen accedit ad dogma fidei, quia si Christus post diuisionem est totus sub qualibet parte speciei, vt docet fides: ergo etiam ante diuisionem, quia Christus non ponitur sub speciebus panis, aut vini, nisi per consecrationem, & per diuisionem subsequentem non fit noua consecratio: ergo si ex vi præcedentis consecrationis, totus est sub qualibet parte; post diuisionem totus etiam ante eam fuit: alias per diuisionem poneretur totus sub aliqua parte specierum, sub qua per consecrationem non fuerat positus.

5. Hinc tamen oritur prolixa quæstio de indiuisibilibus specierum, an corpus Christi, & sanguis eius, existant non solùm in totis speciebus, & in omnibus partibus illarum, sed etiam in indiuisibilibus earumdem. Prima sententia affirmat, quam sequitur Suarez disput. 52. sect. 4. & probatur primò, quia Christus succedit substantiæ panis, & vini, sub ipsorum speciebus; sed substantia panis, & vini, erat sub indiuisibilibus specierum: ergo. Huic rationi facilè respondetur negando minorem, quia sicut partibus quantitatis tantùm correspondent partes substantiæ, ita etiam in indiuisibilibus quantitatis, tantùm correspondent indiuisibilia substantiæ, quæ quidem indiuisibilia non sunt substantia sed modi illius; partes enim panis sunt panis; indiuisibilia verò panis, non sunt panis; ac proinde substantia corporis, & sanguinis Christi, tantùm est sub partibus diuisibilibus specierum panis, & vini, non verò sub indiuisibilibus, sub quibus non erat substantia panis, & vini.

6. Secundò probatur à simili, quia Angelus qui indiuisibiliter existit, & præsens est toti spatio, etiam præsens est in diuisibilibus spacij; sed Christus Dominus est indiuisibiliter præsens, & eius

præſentia indiuiſibilis eſt: ergo etiam exiſtit in indiuiſibilibus ſpecierum: alias præſentia Angeli eſſet interrupta per vacuitates indiuiſibiles, & idem dicendum eſſet de præſentia Chriſti in ſacramento. Sed neque hæc ratio conuincit. nam licèt concedamus Angelum eſſe præſentem indiuiſibilibus ſpaciis, quod non eſt certum; tamen ſimilitudo Angeli, & Chriſti quoad modum exiſtendi indiuiſibiliter, tantùm reperitur in hoc, quòd ſicut Angelus ita eſt in ſpatio vt ſit totus in toto, & totus in qualibet parte; ita Chriſtus ſit ſub ſpeciebus: non verò reperitur quoad modum exiſtendi ſub indiuiſibilibus, quia vt ſic aſſimilatur modo exiſtendi animæ rationalis in materia prima, quæ ita eſt tota in tota materia, & tota in qualibet parte materiæ, vt non ſit in indiuiſibilibus illius, nec informet illa, & ſicut ex hoc non ſequitur quòd anima rationalis ſit interrupta per vacuitates indiuiſibiles, ita nec præſentia Chriſti ſacramentalis; hæc enim vt vna ſit, & abſque interruptione continua ſufficit quòd Chriſtum conſtituat ſub ſpecici partibus continuis, & quòd ipſa in ſe habeat partes ſuas inter ſeſe continuas.

7. Sententiam negantem tenet Vazquez diſp. 188. quæ ſolet probari.

Primò, quia ſacramentum eſt ſignum ſenſibile; indiuiſibile autem nulli ſenſui ſubiectum eſt. Sed facilè reſpondetur, indiuiſibilia non ſeparata à partibus continui eſſe ſubiecta ſenſui ſimul cum ipſis partibus, dum ſenſus percipit ſenſibile non diſcretum neque diſcretè, ſed continuum continuè, & ſic viſus vnica viſione continua percipit continuum.

8. Secundò probatur, quia ſi corpus Chriſti exiſteret in indiuiſibilibus hoſtiæ, ſequeretur, poſſe Sacerdotem conſecrare ſolam ſuperficiem, quia illam materiam poteſt Sacerdos conſecrare, ſub cuius ſpeciebus corpus Chriſti poteſt exiſtere. Hæc tamen ratio facilè diſſoluitur, nam quamuis Sacerdos poſſit conſecrare corpus Chriſti, & illud conſtituere in indiuiſibilibus hoſtiæ, tamen indiuiſibilia præciſè conſecrari nequeunt, quia corpus Chriſti licèt exiſtat in indiuiſibilibus, tamen eſt in illis per concomitantiam, & ex neceſſaria connexione quam habent indiuiſibilia cum ipſis partibus.

9. Tertiò, quia corpus Chriſti ibi ponitur vbi ſuberat ſubſtantia panis: ſed in diuiſibili quantitatis, non ſubeſt indiuiſibile ſubſtantiæ, quia ſubſtantia non habet partes, ſicut quantitas: ergo corpus Chriſti non eſt ſub indiuiſibilibus hoſtiæ. Reſpondetur, indiuiſibili quantitatis non eſſe denegandum proprium ſubiectum, quod non poteſt eſſe pars ſubſtantiæ, ſed indiuiſibile eius; ac proinde corpus Chriſti eſt in omnibus indiuiſibilibus, ſub quibus indiuiſibilia ſubſtantiæ præexiterant.

10. Denique quia non poteſt ſatis intelligi, qua ratione ad fractionem hoſtiæ, vel ad ſeparationem ſpecierum vini, corrumpantur indiuiſibilia, & deſinat ſub illis eſſe corpus Chriſti, & denuo fiant indiuiſibilia terminatiua, quibus corpus Chriſti adſit; quia ſine conſecratione non ponitur corpus Chriſti vbi non eſt; ſed in indiuiſibilibus quæ denuo fiunt, non datur conſecratio: ergo neque corpus Chriſti. Reſpondetur denuo non aduenire corpus Chriſti, nec in eo euentu eſſe ſub indiuiſibili terminatiuo. Alij verò reſpondent, eſſe in extremis indiuiſibilibus, non quia de nouo aduenial, ſed quia iam antea præexiſtebat, quamuis non denominaretur eſſe ſub illis, quia extrema ante diuiſionem nondum erant. Sed certè hæ, vel aliæ ſolutiones vix ſatisfaciunt, & augetur difficultas quando ſpecies vini conſecratæ miſcentur cum vino non conſecrato, & reſultat indiuiſibile nouum continuatiuum, quia non eſt maior ratio, cur ſub illo indiuiſibili magis ponatur ſanguis Chriſti, quàm ſubſtantia vini, quia illud indiuiſibile eſt copulatiuum vtriuſque quantitatis.

11. Ego verò vtramque ſententiam probabilem cenſeo, probabilius tamen exiſtimo, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe in omnibus partibus, & ſingulis ſpecierum, non verò in indiuiſibilibus earum, quia talia indiuiſibilia ex natura rei non diſtinguuntur ab ipſis partibus, ſed ſolùm ratione; vel per negationem, vel per Mathematicas deſignationes, vel per non vlteriorem extenſionem: cùm ergo talia indiuiſibilia realiter non ſint, opus non eſt diſputare, an ſub illis exiſtant, vel non, corpus & ſanguis Chriſti, ſed remittere hanc diſputationem ad librum ſextum phyſicorum.

12. Tertiò etiam eſt certum, non omnia quæ reperiuntur in hoc ſacramento, reperiri eadem ratione, ſed diuerſa, quoniam aliqua ſunt ex vi ſacramenti, ſcilicet ex vi & veritate verborum conſecrationis: aliqua verò ex naturali connexione, & ex concomitantia, ac proinde declarandum eſt quid ſit ex vi verborum, quæ verò ex concomitantia.

13. Prima concluſio. Sub ſpeciebus panis, ex vi verborum, eſt tantùm corpus Chriſti, anima verò ſanguis, diuinitas, perſonalitas Verbi, & vnio hypoſtatica, ſunt per concomitantiam, & idem dicendum eſt de ſpeciebus vini, ex vi verborum tantum eſſe ibi ſanguinem Chriſti, corpus verò, anima, &c. ſunt per concomitantiam. ita diffinitur in Tridentino loco citato. Et ratio eſt manifeſta, quia illa ſunt ex vi ſacramenti in Euchariſtia, quæ ſignificantur per verba Saluatoris noſtri, quibus hoc conficitur ſacramentum: ſed per hæc verba dumtaxat ſignificantur corpus & ſanguis Chriſti: ergo illa ſolùm ſunt ex vi verborum; ac proinde per ſe, & quaſi directè. Illa verò omnia ex naturali concomitantia in hoc ſacramento reperiuntur, quia licèt coniuncta ſint cum corpore, & ſanguine Chriſti, tamen non expreſsè ſignificantur verbis Chriſti.

14. Secunda concluſio. Verbum diuinum, & ipſa diuinitas, ſunt in hoc ſacramento per concomitantiam, & immediatè, ſeu proximè: at verò perſonæ diuinæ Patris, ac Spiritus ſancti, ſunt per concomitantiam, mediatè, ſeu magis remotæ. Declaratur ſimul, & probatur, quia verbum diuinum immediatè per ſe ipſum vnitum eſt humanitati Chriſti, quam hypoſtaticè terminat: ergo immediatè ex connexione reperitur cum ipſa humanitate, & cùm verbum diuinum eſſentialiter dicat diuinitatem, ſi provt in re eſt loquamur, eadem ratio militat de diuinitate. Et hinc conſtat alia pars concluſionis de duabus perſonis diuinis, quæ quidem cùm non ſint vnitæ hypoſtaticè humanitati Chriſti, ſed quia ſimul ſunt & connexæ cum diuinitate, & cum Verbo ipſo, propter mirabilem circuminſeſſionem, ideo licèt mediatè vbi eſt verbum diuinum, ſunt etiam aliæ perſonæ, eſt enim tota Trinitas ſimul. Et hoc docuit Tridentinum vbi ſuprà, cuius doctrina cùm ſit de rebus fidei, tanquam

de

de fide tenenda est, quod obiter noto propter aliquos asserentes, tantùm esse de fide quæ in Canonibus traduntur sub anathemate, cuius contrarium constat ex eodem Tridentin. sess. 13. cap. vltimo, vt rectè notat etiam Vazquez disput. 185. cap. 2.

15. Tertia conclusio. In hoc sacramento est anima Christi, & omnes partes integrantes, & homogeneæ, vel heterogeneæ, vt quantitas, qualitates primæ, & secundæ, vt color, &c. quæ pertinent ad perfectionem, & pulchritudinem corporis Christi, quæ omnia sunt in hoc sacramento per concomitantiam, exceptis partibus integrantibus, quæ sunt ex vi sacramenti. Probatur, quia ex propria significatione verborum, dumtaxat significantur sanguis, & corpus Christi; reliqua verò prædicta sunt sub illis, quia re ipsa sunt coniuncta, & connexa cum corpore, & sanguine Christi: at partes integrantes ipsum corpus, cùm sint verè partes illius, sunt etiam ex vi verborum. Ex quo fit si in triduo fieret consecratio panis, non esse adhuc per concomitantiam animam, neque sanguinem sub illius speciebus, quia tunc erant à corpore separata.

Sectio II.

Quid significetur per ly corpus, *in verbis consecrationis.*

16. Gabriel in 4. distinct. 11. quæst. 1. art. 1. censet, nomine *corporis* intelligi materiam primam nudè sumptam, quæ est altera pars compositi naturalis. Impugnatur, quia, vt rectè Vazquez disput. 186. cap. 1. si hoc verum esset, sequeretur, quòd si permittente Deo, in triduo mortis corpus Christi combustum fuisset, & in cineres redactum, nihilominus mansisset idem corpus, quia mansisset eadem materia, & inde fieri posse, vt eodem modo corpus Christi posset consecrari, quod tamen est absurdum; quia inde sequeretur, consecrationem fieri posse his verbis: hæc est mea materia; & ex consequenti nunc eadem ratione posset fieri consecratio, quia materia semper est eadem: in tali verò casu corpus Christi non esset caro, neque cibus, quia materia nudè non est huiusmodi: quæ tamen sunt contra verba Christi asserentis, *panis quem ego dabo, caro mea est, & caro mea verè est cibus*; manifestè ergo concluditur, nomine corporis non intelligi solam nudam materiam.

17. Durandus in 4. distinct. 10. quæst. 2. existimat, ex vi verborum constitui sub speciebus, corpus Christi secundùm rationem communem corporis, vt est in cathegoria substantiæ species subalterna. Reiicitur, quia in consecratione non ponitur corpus secundùm aliquam rationem communem, sed particularem in individuo, vt constat ex verbis Christi asserentis, *hoc est corpus meum*, quæ certè verba in individuo exprimunt corpus Domini. Deinde, quia cùm actio versetur circa singulare, debet attingere rem vsque ad vltimum gradum in eo contentum, nec potest sistere in gradu aliquo communi, qui per mentis præcisionem ab aliis abstrahitur: cùm ergo forma consecrationis attingat corpus, non tantùm illud attingit secundùm gradum subalternum, sed secundùm vltimum, atque adèò individuum.

18. Scotus quæst. 4. existimat, nomine corporis significari, materiam cum forma corporeitatis distincta realiter ab anima, per quam constituitur in esse corporis, & cum qua sola remanet materia abeunte anima, ratione cuius dicitur esse idem corpus mortuum, quod antea erat viuum, & hanc sententiam nouissimè secutus est Ægidius quæst. 76. art. 2. dub. 1. addit tamen, hanc formam non solùm constituere corpus vtcumque, sed organicum, ita vt sit forma substantialis incompleta disponens ad formam viuentium. Hanc autem sententiam meritò reiiciunt Theologi ex principiis Philosophiæ, probantes, non esse aliquam formam corporeitatis in homine, in re distinctam ab ipsa materia, & à forma specifica. Et certè hæc sententia manifestè repugnat Aristoteli 2. de generatione animalium cap. 1. vbi ait. *Facies & caro qua animam non habet, æquiuocè est facies & caro*, perinde ac lapidea, aut lignea: si enim facies, & caro, essent ab eadem forma in cadauere, à qua sunt in homine viuo, non æquiuocè, sed vniuocè essent facies, & caro hominis viui, & hominis mortui. Aristot.

19. Suarez disput. 51. sect. 4. docet ex vi verborum poni materiam cum anima, quatenus dat esse corporeum, & organicum; non verò vt animat: hic tamen modus dicendi impugnatur ex Tridentino sess. 13. cap. 3. vbi docet, animam Christi Domini sub vtraque specie sacramentali, vi naturalis connexionis, & concomitantiæ reperiri: at ex vi verborum solum esse corpus sub specie panis, & sanguinem sub specie vini: ex quo fit, quòd si corpus Christi in triduo consecraretur, ibi non esset anima rationalis, verba tamen consecrationis eadem prorsus omnino essent quæ nunc sunt; ac proinde nullatenus iuxta Tridentinum dicendum est, animam Christi Domini ex vi verborum reperiri in hoc sacramento, siue anima censeatur animans, siue aliter, quia Concilium absolutè negat, animam reperiri ex vi verborum.

20. Respondet Suarez, animam esse in sacramento per concomitantiam vt animat; esse verò ex vi verborum vt dat esse corporeum, & organicum, & illud primum astruere Tridentinum, hoc verò posterius non negare. Sed contrà, quia fieri nequit, vt aliqua forma informet aliquod subiectum, & non præbeat illi suum effectum formalem secundùm totum suum esse reale, & physicum: vnde distinguere hos vel illos gradus, in diuersos effectus reduci potest; in forma verò non est distinctio in re, nam eadem prorsus indiuisibilis anima absque vlla varietate, est quæ dat esse rationale, heterogeneum, corporeum, & organicum.

21. Sit conclusio. Nomine corporis in quod conuertitur panis, quod quæ est in verbis consecrationis, *hoc est corpus meum*, intelligi debet, corpus substantiale, organicum, humanum, heterogeneum, constans partibus, scilicet ossibus, carnibus, neruis, venis, cartilaginibus, &c. & hoc disiunctim, scilicet, aut viuum, aut mortuum, videlicet, vel cum anima, vel cum forma cadaueris, quæ sequitur ad mortem hominis; hoc ergo corpus est, quod ex vi verborum ponitur in hoc sacramento. Ita Vazquez disput. 186. cap. 3. Hurtado disput. 5. diff. 6. nec dissentit Lugo disput. 8. sect. 9. & probatur, & declaratur sic. Nam illud dicitur esse ex vi sacramenti sub speciebus, quod sub eisdem est ex vi significationis verborum: sed significatio huius vocis *corpus*, æquè omnino significat, & æquè patet ad corpus viuum, & mortuum, ratione illius particulæ *meum*, si solum spectemus significationem illius;

neque enim ſignificat diſſinitè corpus viuum, neque corpus mortuum; ſed vno, vel altero modo, ſcilicet diſiunctim, quia vtroque modo poteſt eſſe corpus Chriſti, id quod ſignificatur per pronomen *meum*; ita vt præ ſe ferat corpus humanum, corpus, inquam, hominis qui Chriſtus eſt. Vnde quòd ſub ſpeciebus conſtituatur determinatè viuum, aut determinatè mortuum; non fit ex vi verborum, ſed per concomitantiam, quia ſcilicet de facto, & re ipſa, quando fit conſecratio, re ipſa eſt in ſe, aut determinatè viuum, aut determinatè mortuum. Ex quo fit, animam conſtitui ſub ſpeciebus per concomitantiam, ſicut conſtituitur corpus determinatè viuum.

22. Obiicies primò, quia corpus in forma conſecrationis poſitum, idem ſignificat quod corpus organicum; hoc autem nulla ratione poteſt eſſe compoſitum ex materia & forma ſubſtantiali, quia hæc in viuente non eſt alia quam anima, cui iam præſupponitur corpus organicum, cùm diffiniatur actus corporis organici, &c. Reſpondetur, rectè animam dici actum corporis organici, non quia habeat pro ſubiecto corpus organicum, ſed quia in compoſito, quod eſt corpus organicum, habet rationem formæ, & actus: ſicut in eodem ſenſu, anima dicitur actus, & forma viuentis.

23. Obiicies ſecundò. De facto ex vi verborum non ponitur nuda materia prima, vt oſtenſum eſt: ergo ponitur aliqua organizatio, ac proinde ea quæ de facto ponitur, ponitur ex vi verborum, & conſequenter anima à qua corpus ſubſtantialiter eſt organizatum, ponitur de facto ex vi verborum. Reſpondetur negando hanc vltimam conſequentiam. nam quamuis ex vi verborum ponatur talis materia organizata, quod verò de facto ſit cum hac organizatione, vel cum illa, prouenit ab vnione quam materia Chriſti habet, vel cum anima, vel cum forma cadaueris. Vnde quamuis à parte rei ponatur aliquid determinatum, non tamen ponitur ex ſola vi verborum. Nam, vt rectè Lugus ſupra num. 90. poni ex vi verborum duo dicit, ſcilicet poni, & ſignificari per verba, vnde poſitio eſt aliquid phyſicum, & terminatur ad organizationem determinatam: at verò ſignificatio eſt aliquid intentionale, & poteſt tendere non ad aliquid determinatum, ſed diſiunctim, vel ſub diſiunctione, quod confirmat optimo exemplo, quando ſcilicet pœnitens ex præcepto confeſſarij debet dicere vnum Pſalmum pro pœnitentia, & poſtea dicit Pſalmum *Miſerere*, hic Pſalmus pro vt à pœnitente dicitur, eſt Pſalmus determinatus, ſed non dicitur ex præciſa obligatione, quia non erat obligatio recitandi hunc Pſalmum: ſic in propoſito ex vi verborum ponitur corpus Chriſti organizatum; quod verò organizatio procedat ab anima, vel à forma cadaueris, prouenit ab vnione ſuprà dicta.

24. Inquires, an quantitas, & reliqua accidentia, quæ requiruntur ad organizationem accidentalem corporis Chriſti, ſint in Euchariſtia ex vi verborum. Nonnulli ſunt qui hoc non reputant inconueniens, ſcilicet admittere in corpore Chriſti ex vi verborum eas diſpoſitiones, & accidentia, quæ neceſſaria ſunt ad eſſe organicum, & ad heterogeneitatem carnis, oſſium, neruorum, &c. Ita Vazquez diſp. 187. cap. 4. Nam quamuis Tridentinum dixerit, fieri conuerſionem ſubſtantiæ panis, in ſubſtantiam corporis Chriſti, & vini in ſanguinem, non tamen negauit, neque excluſit illa accidentia quæ ſunt neceſſaria in materia, & in corpore organizato.

Dicendum tamen eſt cum communi ſententia, 25.
tam quantitatem, quàm reliqua accidentia eſſe in Euchariſtia tantùm per concomitantiam, & non ex vi verborum; quia iam illa conuerſio non eſſet mera tranſubſtantiatio, nec mera conuerſio ſubſtantialis ex parte termini ad quem, ſed mixta ex ſubſtantiali & accidentali, contra modum loquendi Theologorum, deſumptum ex Tridentino. Deinde, quia ex vi verborum id tantùm ponitur in Euchariſtia, quod verbis ipſis ſignificatur; nomine autem corporis in verbis conſecrationis, nihil amplius ſignificatur, quàm compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali; aut hominis, aut cadaueris diſiunctim: corpus enim vt ſic, eſt ſufficienter corpus humanum, vt prædictum eſt: nec vt corpus ſit humanum, requiritur alia organizatio, quàm quæ includitur in dicto compoſito ſubſtantiali, ſiue organizatio ſit formalis organizatio ſubſtantialis, eo quòd habet partes integrantes ſubſtantiales inter ſe ſubſtantialiter integraliter diſſimiles; ſiue ſit organizatio ſubſtantialis radicalis, eo quòd dicta ſubſtantia compoſita exigat organizationem accidentalem prouenientem ex quantitate, & aliis accidentibus, & abſque fundamento exigitur alia maior organizatio ad corpus humanum, ſignificatum nomine corporis in verbis conſecrationis, vt rectè docet Hurtado diſp. 5. diff. 8.

SECTIO III.

An Chriſtus exiſtens in Euchariſtia moueatur localiter.

PRima concluſio. Corpus Chriſti mouetur per 26.
accidens à mouente ſpecie. Ita communiter Theologi cum ſancto Thoma art. 6. & probatur ex communi ſenſu, & modo loquendi fidelium: ſic enim dicimur, nos accipere, & communicare corpus Chriſti de manu Sacerdotis qui hoſtiam conſecratam eleuat, & huc, & illuc illam mouet; fertur etiam ſolemniter in proceſſionibus vt publicè adoretur, defertur ad infirmos, &c. quæ verificari non poſſent, niſi ſimul cum ſpeciebus localiter moueatur. Et ratio huius eſt, vnio qua Chriſtus Dominus eſt vnitus, & coniunctus cum ſpeciebus à nobis iam explicata ſuprà diſput. 3. ſect. 3. ratione cuius fit, vt vbicumque ſunt ſpecies Chriſti, corpus eſſe debeat, ac proinde qui de loco ad locum ſpecies mouet, conſequenter quoque moueat corpus Chriſti: ſicut vnio ſubſtantiæ cum ſuis propriis accidentibus facit, vt vbicumque ſunt accidentia, illic quoque ſit ſubſtantia, & quicumque mouet localiter accidentia, conſequenter ſubſtantiam moueat.

Maior tamen difficultas eſt, quomodo is qui 27.
ſpecies mouet, dicatur corpus Chriſti mouere. Lugus diſput. 6. ſect. 2. num. 33. exiſtimat, ſpecies ſacramentales diuinitus habere vim trahendi ſecum corpus Chriſti, & hanc vim non eſſe merum decretum Dei, parati ex ſe ad concurrendum cum ſpeciebus, vt ferant ſecum corpus Chriſti quocumque ipſæ ferantur, ſed eſſe aliquam qualitatem ſupernaturalem intrinſecam in ipſis ſpeciebus ad hunc finem ſuperadditam. quod probat ſic, quia quoties aliqua cauſa eleuatur ad effectum ſupernaturalem producendum, connaturalius eſt, quod ipſa in ſe fiat proportionata intrinſecè in ordine ad eum effectum: cùm ergo ſpecies eleuentur ad producendum in corpore Chriſti, quod ſecum trahunt,

Digitized by Google

hunt, vbi supernaturale sacramentale, expedit eas eleuari prius per aliquam virtutem intrinsecam supernaturalem, per quam producant illum effectum sibi improportionatum.

28. Verius existimo, supposita vnione sacramentali corporis Christi ad species, motum hunc connaturaliter fieri. Pro quo nota id quod docet Hurtado disp. 5. diff. 17. quòd quamuis vnio corporis Christi ad species sit supernaturalis quoad substantiam, eo quòd vnit Christum cum accidentibus alienis, quod est supra exigentiam cuiuscumque rei naturalis materialis, præsentia verò naturalis est supposito modo vnionis quo Christus est vnitus speciebus, quia illa præsentia est connaturalis, & debita, qua sit in spatio, & in loco specierum, & ipsi præsens. Deinde suppositio modo vnionis, quo Christus absque modo extensionis, est indiuisibiliter vnitus speciebus, etiam est ipsi connaturalis, & debita præsentia, qua indiuisibiliter sit in spatio, & in loco specierum, & ipsi præsens: ex quo fit motis speciebus supposita vnione supernaturali corpori Christi cum eisdem speciebus, naturaliter moueri corpus Christi ad motum illarum, & superpacaneam esse qualitatem illam superadditam.

29. Vnde infertur, prædictum motum esse proprium, & intrinsecum corpori Christi, seu in ipso receptum, quod manifestè colligitur ex his quæ docuimus disp. 3. sect. 2. Christum in Eucharistia habere propriam, & intrinsecam præsentiam realem in se ipso receptam; ac proinde quoties species quibus Christus est vnitus, mouentur localiter, & acquirunt nouam præsentiam, necesse est Christum moueri motu sibi proprio, in se ipso recepto, & nouam præsentiam acquirere, in se ipso receptam.

Sectio IV.

An Christus prout existens in Eucharistia, possit agere, aut pati.

30. Loquimur tam de actione, & passione corporea transeunte, quàm de actionibus, & passionibus immanentibus. Et difficultas procedit de corpore Christi, non secundùm statum quem iam habet. nam cùm sit in cælo glorioſum, ac proinde impatibile, re ipsa in hoc sacramento, etiam est impatibile. procedit igitur difficultas, abstrahendo ab eo statu, & considerato corpore Christi secundùm suam naturam, & spectato secundùm præsentiam sacramentalem præcisè.

31. Prima conclusio. Corpus Christi in sacramento existens, non potest pati ab extrinsecis agentibus, passione aliqua corruptiua, vel alterariua, nec similiter potest naturaliter agere actione corporea transeunte.

Prior pars probatur optima ratione, qua vsus est Suarius disput. 52. sect. 2. quia actio naturalis agentis, cùm sit transiens, recipitur in passo, sicut & terminus eius: omne autem quod recipitur, ad modum recipientis recipitur; ergo vt talis actio posset recipi in corpore Christi, deberet recipi per modum eius: ac proinde sicut corpus Christi est indiuisibiliter præsens, & totum in qualibet parte; ita actio, vel qualitas quæ in eo fieret, acciperet similem modum indiuisibilem præsentiæ, & tota esset præsens in qualibet parte spatij, seu specierum sacramentalium: quod certè nullum agens naturale potest efficere. nam sicut corpus natura sua postulat modum existendi in loco extenso, ita etiam qualitates, & passiones eius; modus autem existendi indiuisibiliter omnino supernaturalis est, atque adeò à nullo agente naturali potest produci.

Secunda verò pars quamuis non sit adeò certa, 32.
est tamen communis sententia, & probatur simul cum prima, quia ad agendum, & patiendum actione, & passione corporea transeunte, necessarius est contactus physicus agentis, & passi: Christus autem prout existens in Eucharistia, nequit tangere alterum corpus, neque ab altero tangi, cùm ei deficiat modus extensionis localis, qui ad contiguitatem requiritur: vnde ad dictam actionem, & passionem, non sufficit propinquitas, seu approximatio agentis ad passum, absque contactu quantitatiuo. Cæterùm hæc ratio non conuincit, quia ad agendum non videtur necessarius contactus quantitatiuus, sed sufficere contactum virtutis, vt patet in Angelo. quare contraria sententia est satis probabilis; de facto tamen nullam actionem externam exercet corpus Christi ob exercitium Fidei.

Secunda conclusio. Christus existens in Eucha- 33.
ristia potest naturaliter exercere actus immanentes intelligendi, & amandi. Ratio huius est, quia ad exercendum eiusmodi actus, non requiritur extensio quantitatiua, sed sufficit scientia beatifica, & infusa. Quòd si actus intellectus, & voluntatis in Christo sint dependentes à ministerio sensuum externorum, certè non poterit eos naturaliter exercere, quia non potest naturaliter elicere actus sensuum externorum. Quæ ratio idem probat de actibus sensuum internorum, quos certè non potest naturaliter in hoc sacramento elicere, quia eiusmodi actus pendent à sensibus externis. Quod limita circa species de nouo acquisitas. nam in absentia obiecti potest Christus retinere species, quas antè modum existendi indiuisibiliter acquisiuit, & mediis illis obiecta ipsa percipere; quia vt sensus interior sentiat, non indiget de nouo pati ab obiecto externo corporeo. Quòd verò actus sensuum externorum non possint naturaliter in hoc sacramento à Christo exerceri, probatur, quia obiecta externa non possunt agere naturaliter in subiectum localiter non extensum, siue seipsa communicando, siue imprimendo species, quia, vt prædictum est, modus existendi in loco quantitatiuus, est necessaria conditio ad eiusmodi actiones, & passiones corporum, vtpote quæ non agunt nisi per contactum physicum.

Denique, quod dixi de actibus sensuum inter- 34.
norum, limitandum est, quoad species de nouo acquisitas, quia potest in Eucharistia speciem sensus interioris antea ab ipso diuisibiliter existente acquisitam, retinere, & media ea sensationem internam elicere, vt rectè notauit Hurtad diff. 4.

Tertia conclusio. Corpus Christi existens in 35.
Eucharistia, non potest videri oculo corporeo, etiam glorioso, adhuc diuinitus. Ita Meratius disp. 26. sect. 1. Hurt. diff. 5. Suarez disp. 53. sect. 4. & videtur expressa sententia D. Thom. quæst. 76. art. 7. vbi ait: *Videre Christi corpus prout in sacramento est, esse solius intellectus, non quidem naturaliter operantis, sed supernaturaliter.* Et probatur, quia nulla potentia potest adhuc diuinitus eleuari ad id quod est extra totam latitudinem sui obiecti, vt omnes admittunt: sed modus existendi corporis Christi in sacramento indiuisibiliter, & inex- D. Thom.

tensè, eſt extra latitudinem potentiæ viſiuæ, cui proprium eſt, ſicut cuilibet notitiæ intuitiuæ, intueri formam in re pro vt eſt; ergo cùm neque corpus Chriſti, neque color ipſius, nec ſacramentalis eius præſentia, abſque prædicto modo extenſionis poſſint producere ſui ſpeciem, cùm nequeant potentiæ viſiuæ contiguari; ergo nullatenus viſiua potentia poterit ad id eleuari. Nec obſtat ſanctus Doctor, dicens loco citato, Chriſti oculum ſe videre in ſacramento. Nam tantùm vult, oculum Chriſti habere in ſacramento illam ipſam ſui viſionem, quam habet in cælo, quia connaturale eſt corpori duobus in locis exiſtenti, vt accidentia abſoluta quæ habet in vno loco, habeat in altero: non tamen vult, quòd oculus Chriſti videat modum exiſtendi inextensè, quem habet in ſacramento.

36. Quarta concluſio. Corpus Chriſti pro vt exiſtens in Euchariſtia, à nullo intellectu creato poteſt viribus naturæ cognoſci. Probatur, quia ea quæ ſecundùm ſe, & ſecundùm ſuam ſubſtantiam, ſunt ſupernaturalia, & ordinis diuini, & ſuperioris, non ſunt obiecta proportionata potentiæ naturali, & intellectui creato ſuis viribus relicto: ſed modus exiſtendi corporis Chriſti indiuiſibiliter in ſacramento, eſt entitatiuè, & ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis; ergo ſicut gratia, vnio hypoſtatica, & aliæ entitates ſupernaturales, nequeunt naturaliter ab intellectu creato cognoſci, ſic nec ille modus.

Sectio V.

De his quæ per concomitantiam conueniunt Chriſto exiſtenti in hoc Sacramento.

37. DVplex in præſenti poteſt eſſe difficultas. *Prima* eſt de accidentibus quæ conueniunt corpori Chriſti exiſtenti in cælo, an eadem conueniant eidem corpori exiſtenti in Euchariſtia. *Secunda* eſt, an accidentia quæ producuntur in vno corpore poſito in vno loco, an eadem producantur in eodem corpore, ſi ponatur in alio loco.

38. Prima concluſio. Omnia accidentia quæ habet corpus Chriſti exiſtens in cælo, conſequenter ſunt in corpore Chriſti exiſtente in hoc ſacramento. Ratio huius eſt, quia omnia quæ habent naturalem connexionem, & vnionem cum corpore Chriſti, ea omnia comitantur ipſum ſacramentaliter exiſtens; ergo omnia accidentia quæ ſunt in corpore Chriſti in cælo, comitantur ipſum in ſacramento: hoc enim eſt iuxta naturam rei, vt ea quæ cum aliquo vniuntur, illud comitentur quocumque ierit: & hæc fuit ſententia Philoſophi aſſerentis, motis nobis, moueri omnia quæ ſunt in nobis: & mota ſubſtantia, mouentur ſimul omnia accidentia quæ ſunt in illa; ergo cùm corpus Chriſti deferatur ad ſacramentum perſeuerans adhuc in cælo, conſequeretur ſecum defert omnia ſua accidentia, quia natura vnionis id connaturaliter poſtulat.

39. Secunda concluſio. Accidentia quæ producuntur in corpore Chriſti in vno loco, v. g. in cælo, etiam imprimuntur ipſi in aliis locis, in quibus eſt ſacramentaliter, dummodo ea accidentia non reſpiciant præſentiam, & locum determinatum. Hæc concluſio probatur ratione qua probata eſt præcedens.

Obiicies primò, quia accidentia quæ imprimuntur vni corpori in vno loco, non conſequuntur idem corpus exiſtens in alio; ac proinde ſi corpori, v. g. Petri exiſtenti Cæſarauguſtæ, imprimantur aliqua accidentia, non ideo imprimuntur eidem corpori, ſi ſupernaturaliter Romæ conſtituatur, ſecluſo miraculo. Et ratio huius eſt, quia naturaliter fieri non poteſt, vt idem agens in vno loco exiſtens, conſtituat ſuam actionem in duobus paſſis diſtantibus ſpatio, & conſequenter neque poterit imprimere illis eumdem terminum illarum actionum; quia agentia naturalia non habent vim operandi, niſi ibi vbi ſunt præſentia, ac proinde non poſſunt operari, neque ſua actione pertingere paſſum diſtans: ergo idem & ob eamdem rationem dicendum eſt de corpore Chriſti. Reſponderur, qualitatem impreſſam corpori exiſtenti Cæſarauguſtæ, etiam naturaliter comitari corpus exiſtens Romæ ratione vnionis cum ipſo ſubiecto: vnde quamuis agens non poſſit primò, & per ſe, & proximè agere in diſtans, bene tamen remotè, vniendo calorem cum ſubiecto, ſeu cauſando eam vnionem, ratione cuius naturali conſecutione, & deriuatiuè, fit etiam calor præſens Romæ vltra ſphæram, vltra quam agens illud non poſſet proximè, & directè operari. 40.

Obiicies ſecundò, quia poſſet fieri, vt corpori exiſtenti Cæſarauguſtæ applicetur ignis, & exiſtenti Romæ applicetur nix; habebit ergo ſimul, & eodem tempore qualitates contrarias. Reſpondetur, nullam eſſe difficultatem. nam in hoc, & ſimilibus caſibus, eodem modo ſe habebit corpus illud in ordine ad diuerſa agentia in diuerſis locis applicata, ac ſi applicarentur corpori in eodem loco exiſtenti; ſicque partim calefieret, & partim frigefieret, ita vt tepidus maneret. 41.

Non tamen approbo ſententiam Vazq. diſp. 189. cap. 4. & aliorum aſſerentium, prædicta accidentia ita neceſſariò comitari corpus in omnibus locis in quibus ſimul fuerit, vt oppoſitum adhuc de potentia Dei abſoluta fieri nequeat; hoc enim falſum eſt, quia nulla apparet contradictio, aut repugnantia, ob quam id negari debeat diuinæ omnipotentiæ; & manifeſtè impugnatur exemplo modi extenſionis in ordine ad locum, qui conuenit quantitati ſecundùm ſe, & tamen reperitur cum quantitate Chriſti in cælo, & non reperitur cum eadem quantitate in Euchariſtia. 42.

Maior difficultas eſt in explicando, quæ prædicata, ſeu denominationes, conueniant Chriſto ratione ſpecierum. Quod duplici regula explicatur à Theologis. 43.

Prima illa prædicata quæ denotant motum, aut exiſtentiam in loco, verè, & propriè, quamuis per accidens tribuuntur corpori Chriſti: ſic motis ſpeciebus dicitur corpus Chriſti moueri, diſtare, propinquum eſſe, &c. quia huiuſmodi attributa ſignificant motum, quem iam ſuprà diximus, verè recipi in corpore Chriſti, ratione realis præſentiæ quam habet.

Secunda regula. Alia prædicata quæ conueniunt ratione alicuius mutationis factæ in ſpeciebus, vt calefieri, frigefieri, videri, tangi, &c. non conueniunt propriè corpori Chriſti, niſi impropriè, & figuratè, vt contento ſcilicet ſub ſpeciebus, quibus propriè conueniunt illa prædicata. Vnde hoc attributum frangi, quando attribuitur corpori Chriſti, intelligendum eſt, non quòd ſignificet diuiſionem partium, vel corporis Chriſti in diuerſas ſpecies. nam, vt rectè D. Thomas, nulla rei fit 44.

ſciſſura,

sciſſura, ſed tantùm ſigni ſit fractura: ſed re vera ſignificat, varietatem ſecundùm diuerſas exiſtentias in diuerſis ſacramentis; quia frangi corpus Chriſti, eſt conſtitui in diuerſis hoſtiis, cùm tamen ante fractionem in vna, & eadem hoſtia exiſteret; ſicque poſt diuiſionem hoſtiæ eſt ſub pluribus, per modum plurium, vt plures cibare poſſit. Iuxta quem ſenſum D. Paulus 1. Cor. 10. aſſeruit. 1. Cor. 10. *Panis quem frangimus, nonne participatio corporis Domini eſt?* Hoc verò attributum manducari, propriè attribuitur corpori Chriſti, quando manducantur ſpecies; quia manducare includit motum localem traiectionis cibi ad ſtomachum, quod propriè ei conuenit, quamuis deriuatiuè ex traiectione ſpecierum.

45. De mixtione autem dicendum eſt, mixtionem interdum ſignificare, non corruptionem ſubſtantiæ quæ miſcetur, ſed præferre motum, & præſentiæ coexiſtentiam cum alia corpore; qua ratione licèt impropriè, ſeminum grana ſeminibus miſceri dicuntur. Interdum mixtio attribuitur corpori, infuſo liquore, vel duobus liquoribus inter ſe commixtis, ſecluſa corruptione vtriuſque; neque enim ſemper liquor corrumpit liquorem ſibi adiunctum, vel è contra. Inſpecto ergo rigore philoſophico, quando miſcentur ſpecies ſacramentales, propriè attribuitur Chriſto mixtio, & abſque figura, ſicut prædicata denotantia motum, & præſentiam in loco; ſic namque Eccleſia dicit in Canone Miſſæ. *Hæc commixtio corporis, & ſanguinis Domini*, &c.

Sectio VI.

De apparitionibus quæ in hoc ſacramento accidere ſolent.

46. Sæpè in hoc ineffabili ſacramento, pro conſolatione amicorum Dei, vel pro confortatione debilium, vel ad terrorem eorum qui ad hoc ſacramentum indignè accedunt, vel ad confirmandam fidem, contra hæreticos, & infideles, miraculosè apparet caro, vel ſanguis, vel puer, vt conſtat ex multis hiſtoriis, & miraculis, quæ pluribus locis contigerunt, vt docet Paſchaſius lib. de corpore, & ſanguine Chriſti cap. 14. & Guitmundus lib. 3. de ſacramento ante medium. Duplex ergo poteſt eſſe difficultas. *Prima*, an in illa apparitione ſit verè corpus Chriſti. *Secunda*, an in ſacramento nihilominus remaneat corpus Chriſti. Et pro vtriuſque deciſione notandum eſt quando in hoc ſacramento apparet caro, vel aliud huiuſmodi, tales apparitiones dupliciter fieri poſſe. Primò immutatis ſpeciebus, ita vt in ipſis non ſit quod apparet, ſed tantùm oculis repræſentetur, quod Deus præſtare poteſt, imprimendo ſenſibus ſpecies illius obiecti quod apparet, quibus informata potentia viſiua elicit viſionem. Secundò poteſt fieri, facta aliqua mutatione ſpecierum, quæ ſic mutatæ afficiant ſenſus.

47. In priori caſu, nullus dubitat Chriſtum manere ſub ſpeciebus, quia illæ in eodem ſtatu permanent, & ſic continent Chriſtum, ſicut antea continebant: cuius optimum ſignum eſt adductum à D. Thoma art. 8. Si vni tantùm, vel alteri appareat, non autem paſſim adſtantibus, vel ſi ipſa apparitio parum duret, quia quando eodem modo omnibus apparet, ſignum eſt mutationem eſſe in ipſis ſpeciebus: & in hoc caſu eſt difficultas, an ſcilicèt facta mutatione in ſpeciebus Chriſtus maneat ſub illis.

48. Prima concluſio. Quando in hoc ſacramento apparet caro, vel puer, vel brachium, &c. tunc ibi neque eſt, neque videtur Chriſtus in propria ſpecie, nec eius caro, vel ſanguis, pro vt in hoc ſacramento exiſtit. Ita communiter Theologi cum D. Thoma loco citato. Et probatur, quia Chriſtus exiſtit in hoc ſacramento indiuiſibiliter: ſed quando apparet puer, vel caro, apparet modo diuiſibili, & extenſo; ergo Chriſtus prout eſt in hoc ſacramento non videtur. Præterea, quia illa caro nigreſcit, & induratur, & ſanguis ille concreſcit: deinde ſanguis Chriſti eſt intra venas, & ampliùs non effunditur, apparet etiam modo mortuo; quæ omnia dedecent corpus Chriſti glorioſum. Itaque illud quod apparet, eſt aliquid habens effigiem carnis, vel ſanguinis Chriſti, quod non eſt latria adorandum, ſed venerandum, & honorandum, tanquam repræſentans carnem, vel ſanguinem eius.

49. Maior difficultas eſt, quandiu maneat Chriſti corpus in hoc ſacramento quando fiunt ſupradictæ apparitiones. Sotus in 4. diſt. 10. quæſt. 1. artic. 8. exiſtimat, ſi perſeueret eadem quantitas, cæteris accidentibus pereuntibus, adhuc permanere Chriſtum, quod indicare videtur D. Thom. loco citato. Durandus verò quæſt. 4. ad 3. cenſet, quòd licèt maneat eadem quantitas, nihilominus ſi fiat notabilis mutatio aliorum accidentium, non manere ibi Chriſtum ſacramentaliter; quare opinatur Durandus in myſteriis in quibus talia miracula accidunt, non eſſe ſacramentum corporis, vel ſanguinis Domini.

50. Secunda concluſio. Probabilius exiſtimo quantitate eadem permanente ſecundùm numerum, & illis accidentibus qualitatiuis, quæ neceſſaria ſunt ad conſeruationem ſubſtantiæ panis, & vini perſeuerantibus eiſdem, tunc manere Chriſtum ſacramentaliter: aliter verò non manere. Ratio huius eſt, quia Chriſtus Dominus non promiſit ſuum corpus, & ſanguinem, in hoc venerabili myſterio, niſi ſub accidentibus panis, & vini; probabilius ergo eſt tandiu manere ſacramentaliter, quamdiu illa accidentia perſeuerant, ſub quibus ſubſtantiæ panis, & vini ſufficienter poterant conſeruari. Ex quo fit, in illis myſteriis in quibus manent eadem quantitas, & figura, variatis aliis accidentibus, non eſſe cum certitudine tenendum, ibi eſſe corpus Chriſti; quia non ſumus certi, an maneant ibi illæ qualitates, quæ neceſſariæ non ſunt ad conſeruationem ſubſtantiarum panis, & vini: res ergo dubia eſt, & in re dubia tutius eſt, cum his myſteriis aſſernare, & deferre ſanctiſſimum ſacramentum, vt ſic omnis dubitas, & ſcrupulus idololatrandi tollatur.

51. Inquires, quid agendum ſit in huiuſmodi apparitionibus, an teneatur ſacerdos ſumere hoſtiam. Reſpondeo, non eſſe ſumendam propter horrorem, ſed conſeruandam in loco decenti, & ſacro, quamdiu eſt ſub tali forma, vt docet communis ſententia, quòd ſi redeat ad propriam ſpeciem, tunc ſumenda erit; ſed de hoc fortè infrà iterum redibit ſermo.

* * *

DISPVTATIO VI.

De accidentibus remanentibus in hoc sacramento.

SECTIO I.

Qua ratione maneant accidentia in hoc sacramento per consecrationem.

1. EX Concilio Tridentino sess. 22. can. 2. constat, conuersionem panis, & vini, in corpus & sanguinem Christi, ita fieri, vt peracta consecratione dumtaxat remaneant species panis, & vini. Idem diffinitum est ab Eugenio IV. & in Concilio Constantiensi sess. 8. vbi pronunciata fuit sententia damnationis articulorum VVicleſi, inter quos secundus erat, accidentia panis non manere sine subiecto in hoc sacramento. Et quamuis hoc Concilium congregatum, & inchoatum fuerit tempore schismatis, tribus nuncupatis Pontificibus, Ioanne XXIII. Benedicto XIII. Gregorio XII. tamen in eodem Concilio omnes Patres selegerunt verum Pontificem Martinum V. qui approbauit Decretum Constantiense super condemnatione 45. articulorum VVicleſi, & 30. Ioannis Hus, inter quos erat, quòd accidentia in hoc sacramento non manerent sine subiecto.

2. Est tamen controuersia inter Catholicos, an prædictum decretum fidei intelligendum sit de omnibus accidentibus, an de aliquibus dumtaxat. Suarez disp. 56. sect. 1. existimat, non esse omnino certum, quòd omnia accidentia quæ antea erant, maneant peracta consecratione, sed solùm de accidentibus quæ sensu percipi possunt. Nihilominus certius asserendum censeo, Ecclesiam decreuisse omnia accidentia sine subiecto manere, quæ erant necessaria ad conseruationem substantiæ panis, vel vini, & non solùm quatuor qualitates, & alias sensibiles, sed etiam alias qualitates occultas; & ratio huius est, quia sublatis substantiis, & consecratis accidentibus per se sensibilibus, nihil prohibet quòd maneant cætera quæ consequuntur illa accidentia, & non ipsas substantias immediatè: quia nouum miraculum requireretur vt hoc faciat; nec sunt multiplicanda miracula sine necessitate. Præterea, quia Ecclesia absque exceptione docuit, accidentia manere sine subiecto: nulla autem est legitima ratio, cur nos exceptionem constituamus. Existimamus autem illa accidentia, quæ solùm ratione distincta sunt à substantia, vel sunt modi illius, pereunte substantia, perire, v. g. præsentia substantiæ, relationes illius: item relationes accidentium ad substantiam ipsam; inhærentia, & alia huiusmodi, ex quo fit quantitatem panis, & vini, conseruari à Deo distincta actione ab illa quæ in proprio subiecto conseruabatur. nam ante consecrationem conseruabatur actione eductiua dependenter à subiecto, ad minus in genere causæ materialis: in statu verò separationis, conseruatur actione creatiua, sine dependentia à subiecto.

3. Hinc autem oritur alia difficultas, an quantitas existat negatiuè, an verò positiuè, quod est quærere, supposita veritate catholica, quòd quantitas est in hoc sacramento absque omni subiecto, an sit cum aliquo modo positiuo, qui substituatur loco inhærentiæ, & sit quasi per se existentia: an verò per puram negationem maneat absque omni subiecto, solius Dei concursu suffulta, sine aliquo modo. Et primus modus dicendi est, pereunte substantia panis, Deum præbuisse quãtitati, quemadmodum similem subsistentiæ substantiæ, qui substituatur modo inhærentiæ, & per hanc per se existentiam, quantitatem esse per se. Ita Suarez loco citato, & Vazquez disp. 194. cap. 2. Fundamentum est desumptum à simili de substantia, quæ vt existat per se, habet modum subsistentiæ; ergo similiter quantitas vt per se existat, & aliorum accidentium subiectum sit, oportet vt habeat modum per se existendi, qui substituatur modo inhærentiæ, qui antea in quantitate erat. Et potest confirmari in mysterio Incarnationis, vbi quia naturæ humanæ sublata est propria subsistentia, loco illius largita est subsistentia Verbi diuini; sicque proportione seruata, loquendum esse in hoc sacramento, loco inhærentiæ sublatæ à quantitate præstitam fuisse per se existentiam, quæ sit modus positiuus, quo quantitas per se existat, & sufferat alia accidentia.

4. Contraria sententia verior est, quantitatem nullum habere modum positiuum, quæ sit res, vel modus ex natura rei à quantitate diuersus, quo quantitas per se existat, sed pereunte substantia panis, quantitatem per se ipsam esse prorsus sine omni subiecto, nullo positiuo superaddito. Et probatur, quia Concilia, & Patres absolutè proferunt, quantitatem, & cætera accidentia in hoc sacramento, sine subiecto existere: nunquam autem dicunt, quòd accidentia, vel quantitas existant per se: ex quo modo loquendi non abs re colligimus, non fuisse illi superadditum aliquem modum, loco inhærentiæ amissæ. Præterea, quia ad veritatem huius mysterij, non est opus talem modum positiuum confingere, sed satis est dicere, quantitatem, & cætera accidentia, existere sine subiecto; neque multiplicanda, vel admittenda sunt miracula, & nouæ entitates, sine necessitate. nam sine eo modo positiuo sufficienter saluatur, quantitatem in hoc sacramento esse subiectum aliorum accidentium; hanc verò sine subiecto existere. Et confirmatur, quia talis modus superuacaneus videtur. nam cùm sit accidens, ipsemet postulat in esse; ac proinde non videtur posse tribuere quantitati, vt per se existat, & nullibi insit.

5. Ad fundamentam contrariæ sententiæ respondetur, substantiam indigere modo positiuo perfectatis, non vt per se existat, cùm de potentia Dei absoluta possit existere per se negatiuè, sed vt modo sibi connaturali, & debito, per se existat. Vnde in mysterio Incarnationis, subsistentia diuina, substituta fuit loco subsistentiæ creatæ deperditæ, quia natura humana cùm sit perfecta substantia, exitura erat per se, & incommunicabilis alteri tanquam suppositò; id quod connaturaliter debetur primæ substantiæ, quæ secundùm Aristotelem, propriè, & principaliter, substantia est, ad quod opus est aliqua forma positiua, à qua talis effectus proueniat; cùm ergo natura humana connaturali subsistentia sit priuata, prouideri debuit subsistentia diuina, quæ suppleret defectum creatæ. In hoc autem mysterio diuersa est ratio. nam quantitas suapte natura debet inhærere subiecto, & ad hunc effectum habet inhærentiam: si ergo quantitas

Digitized by Google

titas oppoſito modo conſtituenda eſt, ſcilicet vt non ſit in ſubiecto, oportet etiam ita adaptari, vt ſine tali modo perſeueret.

6. Denique inde ſuboritur tertia difficultas, an ſuppoſito quòd pereunte ſubſtantia panis, quantitas eius mutata eſt, de eſſe in ſubiecto, ad non eſſe in illo, ſimiliter accidentia eamdem viciſſitudinem paſſa fuerint: an verò inuariata perſeuerent, & ſicut antea inhæſerant quantitati, ſic ſimiliter poſtea eidem inhæreant. Affirmant nonnulli Doctores antiqui, & inter Recentiores Leſſius de Perfectionibus diuinis, lib. 12. num. 112. Hurtado diſp. 6. Phyſicorum ſect. 6. Arriaga diſp. 5. ſect. 2. qui opinantur, quantitatem non eſſe ſubiectum commune aliorum accidentium, ſed illa immediatè afficere, & ſubiectari in ipſa ſubſtantia; ac proinde cùm in hoc ſacramento non maneat ſubſtantia panis, pereunte ſubſtantia, perire ſubiectum omnium accidentium; ſicque omnia accidentia mutari, quando ſine ſubſtantia exiſtunt.

7. Hæc tamen difficultas merè philoſophica eſt, ac proinde dicendum cenſeo, reliqua accidentia panis, & vini, non immediatè in ſubſtantia, ſed in quantitate eſſe tanquam in ſubiecto. Ita tenet longè communior ſententia Theologorum, Vazquez diſput. 194. cap. 3. Suarez diſput. 56. ſect. 3. Gaſp. Hurtado diſp. 7. diff. 4. Tannerus quæſt. 6. dub. 1. Becanus cap. 10. quæſ. 2. & Lugus diſp. 10. ſect. 1. Et probatur, quia agens naturale non poteſt producere accidens per ſe exiſtens extra ſubiectum ſufficiens: ſed quotidie experimur aliquas qualitates produci in ſpeciebus conſecratis. v. g. calorem, frigorem, &c. ergo negari non poteſt, quantitatem eſſe ſubiectum ſufficiens reliquorum accidentium, abſque concurſu materiali ſubſtantiæ. Confirmatur, quia etiam experimur ſpecies poſt conſecrationem eodem modo manere inter ſe vnitas, ſicut ante conſecrationem; nec colorem eſſe alibi, quàm ſaporem, vel odorem, neque vnum poſſe moueri, aut transferri localiter, ſine altero, quod eſt manifeſtum ſignum vnionis ſubiectiuæ in eadem quantitate: aliàs ſi tantum eſſet vnio per præſentiam localem, aut per penetrationem, non eſſet ratio, cur ad motum vnius, cætera neceſſariò mouerentur.

8. Dices id fieri immediatè ab ipſo Deo ad præſentiam agentis creati, vel ab ipſamet quantitate, aut corpore Chriſti habente diuinitus vim trahendi ſecum illa accidentia quando localiter mouentur, ad occultandum myſterium. Contrà, quia ex hoc ſequeretur, calorem qui in ſpeciebus eſt, non calefacere manum, nec frigus eam infrigidare; nec albedinem producere ſpecies intentionales ſui in potentia viſiua, nec ardorem, & calorem vini, quem ſæpè in guſtu, & ſtomacho experimur, ab ſpeciebus prouenire, ſed vel ab ipſo Deo, vel à virtute ſupernaturali aſſignata, quæ certè ſunt abſurda, & confingere miracula abſque neceſſitate: imò iam ſpecies non remanerent ſenſibiles, & conſequenter nec pars ſacramenti.

9. Ex quo infertur, quantitatem eſſe ſubiectum primarium verè recipiens illa accidentia, quia tamen illa omnia ordinantur ad perficiendam ſubſtantiam, ideò quantitas dicitur ſubiectum quo illorum, ex quo etiam fit, pereunte ſubſtantia, & ſeparatâ quantitate, pro vt contingit in hoc ſacramento, ſolam quantitatem pati vim, & de ſtatu naturali quo erat in ſubiecto, quaſi violenter diuinitus ſine ſubiecto conſeruari; reliqua verò accidentia de facto non mutantur, inſunt namque eidem ſubiecto cui antea.

SECTIO II.

An ſpecies conſecratæ poſſint exercere eaſdem operationes quas antea, & ſimiliter eodem modo pati.

10. CIrca primum, huiuſmodi actiones ad tria genera poſſunt reduci. *Primum* eſt actionum intentionalium. *Secundum* actionum phyſicarum. *Tertium* actionum ſubſtantialium.

11. Prima concluſio. Species conſecratæ poſſunt exercere eaſdem actiones intentionales quas antea, hoc eſt, producere imagines quæ ſpecies intentionales appellantur. Hæc concluſio eſt certa, quia experientia conſtat, ſpecies ſacramentales videri, tangi, olfieri, & guſtari; ergo exercent veras actiones in iſtas potentias ſenſitiuas.

12. Obiicies, quia ſi huiuſmodi ſpecies exercent eaſdem operationes intentionales quas antea; ergo re vera immutant intellectum, ad cognitionem ſubſtantiæ panis, & vini, ſicut ante conſecrationem: ex quo ſequitur, huiuſmodi ſpecies inclinare intellectum ad aſſenſum, & iudicium erroneum: quod videtur indecens tanto ſacramento. Reſpondetur negando vtramque ſequelam, vt docet D. Thom. ſuprà quæſt. 75. art. 5. Deus lumine Fidei præſeruat intellectum à tali errore, & ipſum præuenit, ne in talem diſſenſum erroneum incidat.

13. Secunda concluſio. Species conſecratæ poſſunt exercere eaſdem operationes phyſicas accidentales, ſicut antea. Probatur ſimiliter experientia, quia calor panis in Euchariſtia vetè calefacit ſicut antea; & ſimiliter humiditas vini, verè humectat ſicut antea; & denique omnia accidentia manent poſt conſecrationem ſicut antea; ergo retinent ſuam virtutem phyſicam actiuam, & realem; ergo poſſunt agere eaſdem actiones reales, & phyſicas accidentales, quas antea exercebant. In calore enim producente eſt ſufficiens virtus, ad omnem rationem exiſtentem in calore producto, quia omnis hæc ratio ſufficienter correſpondet calori producenti vt cauſæ efficienti: quia ſubſtantia licet ſit ſubiectum accidentium, non tamen præbet vires accidentibus ad ſimilia producenda. Sic Ariſtot. lib. de ſenſu, & ſenſibili, c. 4. dixit. *Quòd ignis non calefacit in quantum ignis, ſed vt habens calorem, qua ſi careat, non calefacit.* Nec obſtat idem Ariſt. 11. Metaphyſ. dicens: Agere per ſe eſſe ſuppoſiti ſubſtantialis; cùm ergo huiuſmodi accidentia, nec ſint in aliquo ſuppoſito, neque ipſa ſint ſuppoſitum, non poterunt agere. Nam Ariſtot. non dixit, actiones eſſe ſuppoſitorum, ſed ſingularium: vnde vt accidentia Euchariſtiæ agant, ſufficit, vt ſint ſingularia per ſe exiſtentia, quamuis ibi nullum ſit ſuppoſitum ſubſtantiale. Ariſtot.

14. Quia verò ſunt aliquæ operationes quæ prouenire non poſſunt ab ipſis accidentibus. v. g cùm ſpecies vini recuperant priſtinum, & natiuum frigus, ſeu debitam temperiem, explicandum eſt, à quo huiuſmodi operationes proueniant. Nonnulli exiſtimant, huiuſmodi operationes prouenire ab aliqua qualitate occulta quam habebat vinum, & quæ remanet cum aliis accidentibus vini. Hæc tamen qualitas abſque legitimo fundamento confingitur. Alij verò autumant, prouenire principaliter

Digitized by Google

cipaliter à generante, & minus principaliter à quantitate gerente vicem ſubſtantiæ; ita Corneio tract. 4. q. 77. dub. 2. Verius exiſtimo cum Suario diſput. 57. ſect. 1. huiuſmodi operationes prouenire à Deo ſupplente efficientiam formæ ſubſtantialis quæ deeſt. Nam cùm hæc recuperatio propriæ paſſionis antea proueniret, vel à ſubſtantia vini, vel à generante, aut conſeruãte ipſam, conſequens videtur, abſente ſubſtantia vini, illum effectum prouenire à Deo ſupplente defectum ſubſtantiæ in ordine ad omnes eius operationes, ad occultandum myſterium.

15. Maior difficultas eſt, an ſpecies conſecratæ poſſint exercere eaſdem operationes ſubſtantiales quas antea. Hæc autem difficultas procedit in ſententia aſſerentium, vinum poſſe generare formam vini in gutta aquæ admixta. nam in pane non inuenio quam formam ſubſtantialem poſſit producere. Lugus diſp. 9. ſect. 2. exiſtimat, huiuſmodi productiones ſubſtantiales, non procedere ab ipſis immediatè, ſed à ſolo Deo: quia accidentia vini præſente vino, non influunt immediatè ad effectus ſubſtantiales, ſed ſola vini ſubſtantia; ergo abſente ſubſtantia, Deus ſupplet eius defectum in iſta productione.

16. Tertia concluſio. Species conſecratæ poſſunt exercere eaſdem operationes ſubſtantiales ſicut antea; itaque poſſunt ſubſtantiam corrumpere, & generare, ſi ante conſecrationem id poterant. Probatur, quia omnem alterationem corruptiuam, ſeu quæ ſecundùm primas qualitates fiat, tandem ſi ad certum terminum perueniat, naturaliter ſequitur generatio nouæ ſubſtantiæ: ſed accidentia quoad alterationem, poſſunt totum quod ante conſecrationem poterant, vt manet probatum; ergo eodem modo poſſunt ſubſtantiam corrumpere, & generare, ſicut antea.

17. Quomodo autem id fiat, ſecundùm communiorem & veriorem ſententiam, dicendum eſt, accidentia, ſiue ſint ſeparata à proprio ſubiecto, ſiue non, concurrere immediatè ad productionem ſubſtantiæ, virtute propria in ipſis exiſtente; non quidem vt cauſæ principales, ſed vt inſtrumenta propriæ ſubſtantiæ, tanquam virtus illius.

18. Obiicies primò, quia cauſa debet continere formaliter, vel eminenter effectum; nemo enim dat quod non habet: ſed accidens non præcontinet ſubſtantiam, nec formaliter, quia non eſt ſubſtantia; nec eminenter, quia non eſt perfectius, ſed imperfectius illa; ergo accidens non poteſt producere ſubſtantiam. Reſpondetur, maiorem eſſe veram de cauſa principali; non verò de cauſa inſtrumentali, in qua non eſt opus præcontineatur effectus, nec formaliter, nec eminenter: ac proinde accidentia vini conſecrati, licèt ſint imperfectiora, vt inſtrumenta, poterunt ſimilem ſubſtantiam generare; non quidem virtute propria, ſed in virtute ſubſtantiæ vini à quo emanarunt.

19. Obiicies ſecundò, quia vel hæc virtus deriuata eſt accidens, vel ſubſtantia: ſi accidens, adhuc eſt improportionata, ob rationem dictam; ſi ſubſtantia; ergo iam ſubſtantia producit aliam ſubſtantiam immediatè: imò ſubſtantia eſſe non poteſt, cùm de Fide ſit, peracta conſecratione, nihil ſubſtantiæ manere. Reſpondetur, virtutem illam non eſſe aliquid ſuperadditum ipſis accidentibus diſtinctum ab illis, ſed eſſe ipſamet accidentia, quæ natura ſua abſque aliquo ſuperaddito, ſunt virtutes ſubſtantiæ vini: vnde eademmet entitas accidentis, vt proueniens à forma ſubſtantiali, eſt virtuoſior ad producendam ſubſtantiam. Quod ſatis conſtat experientia, nam ex diuerſa emanatione caloris à formis ſubſtantialibus diuerſis, fit potens producere diuerſos effectus. nam calor ignis producit ignem; calor animalis producit carnem, & ſanguinem; calor fœminæ producit lac, non verò calor viri, quamuis in vtroque ſit eiuſdem ſpeciei: quod certè non aliunde prouenit, niſi ex diuerſa emanatione.

Circa ſecundum, de his ſcilicet quæ ſpecies conſecratæ poſſunt pati. Deciſio huius difficultatis pendet ex illa quæſtione philoſophica. An quantitas immediatè recipiat accidentia communia? nam qui tenent partem negantem, conſequenter etiam negant, huiuſmodi paſſiones, ſeu mutationes, prouenire ab agentibus extrinſecis, ſed à ſolo Deo ad occultandum myſterium; itaque frigus hoſtiæ non expellitur formaliter à calore ibi producto, ſed deſtruitur à Deo ad præſentiam caloris, propter incompoſſibilitatem ortam ex diuino decreto. Cuius rei ratio eſt, quia cùm non habeant ſubiectum commune, non poteſt dari pugna, aut contrarietas, ratione cuius detur formalis expulſio. Qui verò affirmant, quantitatem eſſe ſubiectum immediatum aliorum accidentium, conſequenter etiam cenſent, huiuſmodi mutationes prouenire ab agentibus extrinſecis ob rationem allatam, quia datur commune ſubiectum in quo ſit illa pugna, & formalis expulſio: quæ ſententia longè verior, & probabilior eſt. 20.

Quarta concluſio. Species ſacramentales poſſunt pati quidquid poterant ante conſecrationem, dum erant coniunctæ propriis ſubſtantiis: vnde quantitas poteſt frangi, & localiter moueri; qualitates poſſunt intendi, & remitti; poſſunt etiam corrumpi à qualitatibus contrariis. Quod ſatis conſtat experientia. nam ſicut illa accidentia per operationes quas exercent, nos calefaciunt, frigefaciunt; madefaciunt: ſic eadem accidentia per operationes quæ circa ipſa exercentur, calefiunt, frigefiunt, & liquefiunt: vnde ſicut non negamus actiones illis accidentibus, ita neque debemus denegare paſſiones, aliàs falſum erit ſpecies vini frigore congelari, & igne liquefieri: nos coquere, & digerere ſtomachi virtute illas, quod certè alienum eſt à communi ſenſu fidelium, & multiplicare miracula abſque neceſſitate, aſſerendo Deum ea omnia præſtare ad occultandum myſterium. 21.

SECTIO III.

An ex ſpeciebus conſecratis poſſit aliqua ſubſtantia generari virtute agentis naturalis.

PArs affirmans ſatis conſtat experientia, vermes namque generantur ex ſpeciebus conſecratis panis: ſimiliter hoſtia conſecrata conuertitur in cineres ſi in ignem proiiciatur, non minus quàm ſi conſecrata non eſſet; quomodo autem id fiat, eſt tota difficultas. Ratio dubitandi eſt, quia generatio ſubſtantialis eſſentialiter requirit materiam primam ex qua fiat: ſed in ſpeciebus conſecratis nulla eſt materia prima, vt docet fides, ex qua poſſit fieri generatio; ergo. 22.

Ferrarienſis, Capreolus, Entiq. & Ægidius, quos refert, & reiicit Hurt. diſput. 7. diff. 6. exiſtimant, quantitatem in illa generatione nouæ ſubſtantiæ, 23.

substantiæ, habere rationem materiæ ex qua educitur forma substantialis, & cui eadem forma vnitur, itavt ex ipsa quantitate, & forma substantiali de nouo producta, componatur essentialiter noua illa substantia. Hic tamen modus dicendi est omnino falsus, & impugnatur primò, quia ex quantitate, & forma vermis, sicut ex substantia, & accidenti; non potest resultare vnum ens per se; neque illud erit vermis, sed monstrum, aut semisubstantia, vel semiaccidens. Secundò sequeretur, dari miraculum perpetuum. nam illa quantitas non solùm quandiu durat Eucharistia, sed etiam vsque ad finem mundi, esset sine subiecto, quamuis ex ea infinitæ generationes successiuè fiant. Et denique post varias mutationes intermedias, si ea quantitas tandem informetur alia forma panis, & supra eam proferantur verba consecrationis, vel nulla fieret consecratio, quia non posset conuerti tota substantia panis in corpus Christi, sed sola forma, cùm materia non esset: vel illa transubstantiatio esset alterius rationis, quia non esset conuersio totalis, sed tantùm formalis.

24. Caietanus quem sequitur Corneio disp. 2. dub. 3. censet, quantitatem in Eucharistia gerere vicem materiæ primæ quoad receptionem dispositionum ad formam substantiæ introducendam; Deum autem conuertere quantitatem illam in materiã primam, & agens naturale formam illam introducere. Hic etiam modus dicendi falsus est. nam, vt rectè Vazq. disp. 185. c. 2. nulla res conuertitur in aliam, nisi esse illius in quem cõuertitur, sit aliquo modo connexum cum suo non esse, & illud inferat: & nisi detur aliquod tertium commune, circa quod aliquo modo repugnent, vt nos etiam suprà docuimus: sed esse materiæ primæ, non pugnat cum esse illius quantitatis, neque infert non esse illius: & deinde non est assignabile aliquod tertium commune, circa quod quantitas, & materia prima sibi succedam, & aliquo modo repugnent; ergo non potest fieri talis conuersio.

25. Sit ergo conclusio. In instanti talis generationis, prius natura quàm fiat generatio de nouo creatur à Deo materia prima, & secundùm veriorem sententiam, eadem numero reproducitur quæ priùs per transubstantiationem desierat, quæ quidem materia subiicitur generationi illi substantiali. Ita communiter omnes Recentiores. Et ratio huius est, quia agentia naturalia non possunt educere formam, quamtumuis præcedant dispositiones, nisi in subiecto, & ex subiecto, quod est materia; ergo vt introducatur forma in eodem instanti temporis, in priori naturæ, in genere causæ materialis debet materia prouideri, hæc tamen non fit nisi per creationem; ergo materia debet per creationem supponi, vt introducatur forma substantialis.

26. Quòd verò eadem numero materia reproducatur, quæ priùs per transubstantiationem desierat, inde colligitur, quia cùm accidentia per suam indiuiduationem exigant tale subiectum determinatum, & non aliud: illamet numero quantitas, & alia numero accidentia quæ fuerunt in materia panis, & adhuc perseuerant, exigunt illudmet numero subiectum, & non aliud. Est etiam alia coniectura, quia, vt notat Hurtado disp. 7. diff. 6. reproducendo eamdem numero materiam, datur minor mutatio in rerum natura, quam in creando nouam; quia in reproducendo eamdem tantum fit ipsa reproductio, & non introductio quantitatis sacramentalis in ipsa materia antiqua reproducta: in creãdo verò nouam fiunt plures mutationes, scilicet creatio nouæ materiæ, & annihilatio quantitatis sacramentalis, ne transmigret ad nouum subiectum, & productio nouæ quantitatis in materia de nouo creata.

Ex hac igitur materia ita reproducta, naturaliter 27.
educitur forma ab agente naturali in hunc modum ad hanc generationem concurrente. Primò in quantitate præexistente recipiuntur dispositiones requisitæ ad nouam formam recipiendam. Deinde in instanti generationis recreatur materia prima eadem quæ per transubstantiationem desierat, & per nouam, & specialem actionem diuinam, vnitur quantitati iam dispositæ. Et denique ex materia sic dispositа in illo priori naturæ, virtute agentis naturalis educitur forma substantialis; illa enim prioritas sufficiès est ad talem eductionem, vt constat ex lib. 1. 2. Physicorum, & ex lib. de cælo vbi dicitur, formas cæleſtes in eodem instanti factas, cum materia illarum non fuisse creatas, sed eductas ex illa, & non est sufficiens ratio ad negandam rationem eductionis, simultaneam existentiam in tempore vtriusque, scilicet materiæ, & formæ: quia fieri non potest, vt in eodem instanti temporis existentibus materia, & forma, quòd forma non dependeat à materia in genere suo; si quidem informatur illa, ex vi dispositionum præcedentium ab agentibus naturalibus; vnde tales dispositiones possunt appellari causæ physicæ efficientes instrumentales talis generationis.

Et eodem modo philosophandum est de nutri- 28.
tione, quando scilicet species sumptæ ita alterãtur, vt substãtia panis sub illis esse desineret, tunc creatur à Deo materia, & vnitur quantitati, & dispositionibus aptis ad recipiendam formam aliti, & in eodem instanti vnitur formæ, vel per eductionẽ ex illa materiã, vel per vnionẽ, si sit anima rationalis.

Sectio IV.

An per mixtionem liquoris cum speciebus vini consecratis, sanguis Christi desinat esse sub illis.

IN hac re difficultas est, an si vinum consecra- 29.
tum misceatur vino non consecrato; vel è contra vel vinum album vino rubeo: vel si misceas vinum consecratum aquæ, & alteri liquori specie diuerso, an species sacramentales corrumpantur ea mixtione, ita vt desinat esse sub illis sanguis Christi.

D. Thom. q. 77. art. 8. asserit, dupliciter fieri posse 30.
mixtionem specierum: vel enim misceri posse cum alio liquore perfecta mixtione, substantialem mutationem importante, qua vnum miscibilium substantialiter transeat in aliud: vel mixtione imperfecta, qua singula miscibilia quoad substantiam incorrupta perseuerent: & in vtroque euentu, inquit S. Doctor, non remanet ibi sanguis Christi, si fiat tanta permixtio liquoris cuiuscũque quod pertingat ad totũ vinum consecratum, & fiat permixtum.

Scotus verò in 4. dist. 10. quæst. 2. affirmat, quòd 31.
si gutta vini consecrati misceatur vino non consecrato diuersæ speciei, tunc sequi corruptionem: secus si sit eiusdem speciei. Præterea asserit, quòd quando vinum non consecratum, miscetur per minimas partes vino consecrato, non sequitur corruptio, quia talis mixtio in sententia Scoti, non est possibilis.

Sed omissis variis dicendi modis qui videri 32.
possunt apud Recentiores, statuendæ sunt duæ regulæ.

Digitized by Google

Prima regula est. Tandiu manere Christi corpus, & eius sanguinem sub speciebus panis, & vini, quamdiu tales species sub eo statu existunt, vt sub illis substantiæ panis, & vini conseruandæ forent, si illi adessent: si autem ad eum statum peruenerint, vt sub illis prædictæ substantiæ conseruari non possint, tunc fore vt ibi non sit corpus, & sanguis Christi. Ratio huius est, quia hoc sacramentum solùm institutum est in pane, & vino, & veritas illius pendet ex promissione, & pacto; promissio autem solùm facta est pani, & vino; ergo non adstantibus speciebus, siue accidentibus illorum, non adsunt corpus, & sanguis Domini.

33. Secunda regula est, per mixtionem liquoris cum speciebus consecratis factam, sola diuisione, & penetratione, absque physica alteratione, & immutatione earumdem specierum ad earum corruptionem sufficiente, sanguinem Christi non desinere esse sub illis speciebus. Hanc regulam tradunt Suarius, Vazquez, Ægidius Lugus, & ferè Recentiores omnes in hoc loco. Et ex his

34. Infertur primò. Quòd si vinum rubeum consecratum, misceatur vino rubeo non consecrato, non deesse ibi vinum consecratum, nec sanguinem Christi, quantumuis detur diuisio, & penetratio per minutissimas partes. Ratio huius est, quia in entibus homogeneis quantumuis detur nimia, & maxima discontinuatio, non tamen inde sequitur corruptio: neque ex quatuor generibus corruptionis accidentium, datur iste modus corruptionis per discontinuationem. Deinde, quia per illam commixtionem non deperditur id quod requiritur, vt species consecratæ maneant eædem numero, licet in plures particulas separatæ: sicut nec per fractionem, & diuisionem specierum in plures particulas, deperditur consecratio. Quod satis confirmatur ex Ordine Romano antiquo cap. 4. vbi iubetur, species consecratas misceri cum alio vino, vt ex illo totus populus possit accipere, & sanctificari; si enim per illam mixtionem amitteretur consecratio, talis mixtio non esset licita.

35. Obiicies, quia si vinum aduenies per minutissimas partes misceatur cum speciebus consecratis, omnes, vel plures partes consecratæ manebunt diuisæ inter se in partes minores minimis; ergo in illis non poterit manere sanguis Christi; quia in minori minimo seorsim posito, non potest retineri consecratio. nam ibi solùm potest conseruari sanguis Christi, vbi posset conseruari substantia vini; cùm ergo in ea parte non posset conseruari substantia vini, nec poterit sanguis Christi. Respondetur, quòd quamuis admitteremus in pane, & vino, dari ea minima, adhuc non est concedendum per mixtionem specierum consecratarum cum vino non consecrato, deperdi consecrationem, & desinere continere sanguinem Christi; quia illæ partes vini consecrati minores minimis, essent continuatæ cum aliis partibus vini non cõsecrati superinfusi; neque ibi daretur minus minimo existens, sed inexistens. Ratio huius est, quia vt aliquod ens naturale, ex defectu quantitatis requisitæ, corrumpatur, necesse est, vt fit minus minimo per se existens, itavt illius quantitas sit disiuncta, & diuisa, ab omni alia quantitate compositi habentis formam substantialem eiusdem speciei: si enim sit minus minimo inexistens, hoc est, coniunctum aliis partibus quantitatis eiusdem compositi substantialis, non corrumpitur, sed optimè conseruatur.

36. Secundò infertur, idem dicendum esse, quando mixtio fit cum alio vino speciei diuerso, vt si vinum rubrum misceatur cum vino albo, in sententia affirmantium hæc duo vina specie differre: si enim hæc mixtio fiat modo in secunda regula assignato, & alteratio specierum non sit tanta, vt reddat illas ineptas ad continendam substantiam vini, illa sola mixtio non est sufficiens, vt species consecratæ desinant continere sanguinem Christi. Et eodem modo philosophandum est, si vino consecrato infundatur aqua, quia sola diuisione, & penetratione, absque physica alteratione, & mutatione, non destrueretur propria substantia vini, quamuis resultet vnum tertium per continuationem.

Denique infero, quando species consecratæ, & non consecratæ, ita miscentur, & alterantur, vt physicè mutentur, & corrumpantur, tunc sanguis Christi desinit esse sub illis. patet ex prima regula, quia in eo euentu sub illis speciebus non maneret propria substantia vini; ergo nec conseruaretur sanguis Christi. 37.

DISPVTATIO VII.

De forma sacramenti Eucharistiæ.

SECTIO I.

Qua ratione Christus Dominus hoc sacramentum confecerit.

1. IN institutione huius sacramenti plura Christum fecisse, apud Euangelistas legimus, videlicet gratias egisse Deo, benedixisse, & fregisse panem, & protulisse verba consecrationis: quo autem ordine hæc fecerit, controuersia est inter Doctores.

2. Et primò reiicienda est sententia Catherini, quam probabilem iudicat Innocentius III. lib. 4. de sacrificio Missæ, asserentis, Christum Dominum nullis verbis consecrasse, sed vsum fuisse potestate excellentiæ, conuertendo panem in corpus suum, absque vlla prolatione verborum. Quod probat, quia Marci 14. prius dicitur, Christum dedisse calicem Discipulis, & eos omnes ex illo bibisse, quàm verba consecrationis protulerit. Hæc tamen sententia omnino falsa est, vt infrà ostendam.

3. Secunda sententia est aliorum asserentium, Christum bis protulisse verba consecrationis, semel secretè, quando benedixit, & consecrauit; & iterum publicè, quando panem consecratum dedit discipulis. Hæc etiam sententia reiicitur à D. Thoma in 4. dist. 8. quæst. 2. artic. 1. quia nunc Ecclesia vtitur his verbis ad imitationem Christi, quem tamen non imitatur, quia secretò protulerit, sed quia publicè dixerit: & verba ab Euangelistis relata, semel recitata, fuerunt ad vtrumque sufficientissima, tam ad consecrandum, quàm ad instruendum Discipulos.

4. Tertia sententia tenet, Christum Dominum ante fractionem panis Illum consecrasse, sicut modò sacerdotes consecrant: & inter istas actiones, scilicet gratiarum actionem, benedictionem, vel consecrationem, fractionem, & porrectionem, seu distributionem panis, hunc ordinem interuenisse, vt primò acceperit panem suis sanctissimis manibus,

manibus, & in cælum respexerit. Secundò gratias egit, non gratiarum actione cõmuni, quæ solet fieri in fine prandij, vel cœnæ, sed potius talis gratiarum actio fuit quædam commendatio diuinæ bonitatis, seu specialis inuocatio suæ potestatis ad hoc mysterium peragendum. Tertiò gratiis actis, benedixit panem illis verbis, hoc est corpus meum, conuertendo illum in suum corpus. Quartò, fregit species sacramentales: & denique dedit Discipulis suis vt manducarent. Vnde iuxta hanc sententiam, vna & eademmet actio fuit, benedictio, & consecratio. Et hanc sententiam videtur indicare D. Thom. quæst. 78. art. 1. ad 1. quam sequuntur nonnulli Recentiores.

5. Prima conclusio. Christus in confectione huius sacramenti, verbis vsus est. Probatur ex Concilio Florentino sæpè citato, vbi decernitur, omnia sacramenta nouæ legis constare rebus, & verbis, quæ verba in hoc sacramento declarat esse determinata, quibus Christus vsus est, & eisdem docet nos debere in Ecclesia vti. Hoc idem probatur ex Trident. sess. 13. cap. 1. vbi ait. Trident. *Maiores nostri apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile sacramentum in vltima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis prabere, ac suum sanguinem distertis, ac perspicuis verbis, testatus est.*

6. Ratione autem probatur deducta ex facto, & sermone Christi, quia postquam Dominus consecrauit, dixit, *hoc facite in meam commemorationem*; ergo præcepit consecrare eodem ritu essentiali quo ipse consecrauit; sed ritus formæ essentialis est; ergo præcepit eadem forma consecrare: aliàs nõ præcepisset, vt ipsum imitarentur in ritu substantiali: &, vt rectè Chrysostomus, nostra consecratio non est aliud quàm repetitio consecrationis Christi. Deinde, quia Christus instituit hoc sacramentum conficiens ipsum, ita vt eius institutio fuerit actio qua illud confecit: sed illud confecit illis verbis quibus nos vtimur, vt docuit Florentinum; ergo verba quibus nos vtimur, & ea quibus Christus consecrauit, eadem omnino sunt. Denique, quia sacerdos proferens hæc verba, *hoc est corpus meum*, non gerit propriam personam, sed potiùs illa profert in persona Christi, & ideo dicit, *hoc est corpus meum*: aliàs, vt verum diceret, deberet enuntiare, hoc est corpus Christi: si ergo gerit personam Christi illis verbis; ergo consecrat eisdem verbis quibus Christus consecrauit.

7. Secunda conclusio. Gratiarum actio, benedictio, & consecratio, fuerunt tres actiones inter se distinctæ. Ita Vazq. disp. 196. cap. 2. Suarius disp. 58. sect. 2. & Hurt. disput. 3. diff. 1. & in primis gratiarum actionem distinctam fuisse à benedictione, & consecratione, ex eo liquet, quia in Canone nostræ liturgiæ, & in liturgia sancti Iacobi, & Matthæi 26. & Marci 14. narrantur vt actiones distinctæ. Et certè gratiarum actio refertur in Deum; consecratio verò in craturam. videlicet in panem, & vinum; ergo non sunt vna, & eadem actio.

8. Nec obstat, quòd gratiarum actio, & benedictio apud Euangelistas pro eisdem videntur sumi. Nam Matth. 26. agens de consecratione panis dicit: *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, &* Matth. 26. *benedixit, ac fregit*; agens verò de calice dicit. *Et* 14. *accipiens calicem gratias egit*, & Marcus cap. 14. ita habet, *accepto pane gratias egit, & fregit*; Paulus verò & Lucas, non meminerunt benedictionis, sed gratiarum actionis; quod videtur factum, quia benedictio, & gratiarum actio apud Euangelistas viderentur pro eisdem sumi. Sed facile respondetur, noluisse per hoc Euangelistas indicare, gratiarum actionem, & benedictionem esse vnam, & eamdem actionem; sed quia eo ipso quòd exprimebant gratiarum actionem, etiam denotabant benedictionem; quia tunc ex more ad gratiarum actionem supra rem aliquam sequebatur benedictio illius, & quia huiusmodi actiones sæpè à Christo coniungebantur in patratione miraculorum, ideò vna relata aliam subintellexerunt.

Deinde quòd consecratio fuerit diuersa actio à benedictione, satis indicat Trident. suprà, dicens, *Redemptorem nostrum instituisse hoc sacramentum, cùm post panis, vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis prabere, &c. perspicuis verbis testatus est.* Trident. quod satis confirmat vsus Ecclesiæ.

9. Obiicies primò, quia benedictio refertur ad rem quæ benedicitur, & quando benedictio fit à Deo, & terminatur, vel tendit in creaturam, significat tribuere illi aliquod bonum, & ipsam rem consecrare, quia benedictio Dei est efficax: quod autem benedictio facta à Christo tetenderit in panem, & vinum, constat, quia tria illa verba eamdem habent personam agentem, scilicet Christum; & eamdem patientem, scilicet rem quæ benedicitur; vt constat ex ipsorum verborum serie: *Accepit panem, benedixit, & dedit*; ergo benedictio non fuit diuersa actio à consecratione. Respondetur negando verbum illud *benedixit* referri ad panem & vinum, sed potiùs refertur ad Deum. nam Christus accepto pane, oculis in cælum eleuatis, gratias egit æterno Patri, eius omnipotentiam laudando, & quòd semper ab eo exaudiretur. Deinde benedixit, id est, petiit, vt virtus diuina futuræ consecrationi assisteret: itaque benedictio illa fuit inuocatio diuinæ omnipotentiæ.

10. Obiicies secundò, ex D. Paulo ad 1. Corinth. 10. vbi calicem consecratum vocat calicem benedictionis, dicens: *Nonne calix cui benedicimus, com-* 1. Cor. 10. *municatio corporis, & sanguinis Domini est?* Respondetur, consecrationem interdum a sacra Scriptura, & à Patribus, vocari benedictionem, & gratiarum actionem; non quia nulla gratiarum actio, vel benedictio distincta illam antecedat; sed quia sæpè actio sacramentalis à circumstantiis nomen accipit, qua ratione confirmatio appellatur manus impositio. Deinde, quia tota illa præcedens inuocatio, ad sanctificationem panis ordinatur. Lege Suarium disp. 58. sect. 3.

11. Denique obiicies, quia cùm consecratio sit omnium præstantissima actio inter eas quas Christus gessit in hoc sacramento, non est verisimile Euangelistas narrasse omnes actiones præuias, & non sacramentales, & omisisse actionem præcipuam consecratiuam; cùmque hæc non potuerit significari verbo gratias agendi, neque frangendi, neque dandi; ergo verbo benedicendi significata fuit. Respondetur, sufficientissimè narrasse Euangelistas actionem consecratiuam, referendo verba per quæ Christus consecrauit. Vnde hic ordo seruatus fuit. Primò Christus accepit panem. Secundò gratias egit. Tertiò benedixit. Quartò illum fregit. Quintò consecrauit, & sextò post consecrationem distribuit. Quòd si Euangelistæ prius referunt distributionem, quàm consecrationem, hoc factum fuit per anticipationem.

* * *

Sectio II.

An præter verba quibus Christus consecrauit, sint alia necessaria, vt à sacerdotibus fiat consecratio.

13. IN primis reiiciendus est error hæreticorum nostri temporis asserentium, verba consecrationis nihil efficere, sed tantùm esse verba concionatoria. Ita Caluinus lib. 4. institut. cap 17. Contrarium extat expresse diffinitum in Florentino supra, vbi dicitur, *forma huius sacramenti sunt verba Saluatoris quibus hoc conficitur sacramentum, sacerdos enim in persona Christi loquens, hoc conficit sacramentum*, & in Tridentino sess. citata vbi asseritur, *Christum instituisse hoc sacramentum, cùm dicens, ac perspicuis verbis testatus est se suum corpus prabere.* Christus autem pro forma non adhibuit concionem, ac proinde nec verba quæ sacerdos profert in persona Christi, concionatoria, seu exhortatoria sunt.

14. Secundò, reiiciendus est etiam error Græcorum existimantium, verba quibus Christus consecrauit, & quibus latina Ecclesia vtitur, non sufficere nunc ad consecrandum, sed necessariò addendas esse quasdam preces, & orationes, quibus panis in corpus, & vinum in sanguinem Christi conuertantur.

15. Contra hos omnes statuitur veritas catholica, verbis illis, *hoc est Corpus meum, hic est Calix*, &c. quibus vtitur Ecclesia latina, fieri consecrationem, & verum confici sacramentum: & illa sola verba esse sufficientia, & necessaria absque alia vlla oratione, prece, seu inuocatione. Ita habetur in decreto Eugenij IV. dum pro forma consecrationis nulla alia verba assignantur, nisi prædicta, quo satis indicatur illa esse necessaria, & sufficientia. Et certe prædicta verba sine vlteriori precatione ad sui veritatem requirunt, vt corpus Christi ponatur sub speciebus; ergo statim atque proferuntur a sacerdote super legitimâ materia cum legitima intentione, ponitur corpus Christi sub illis speciebus, aliàs prædicta verba non essent vera in ore sacerdotis, si post finitam prolationem illorum manet substantia panis, nec posset sacerdos vere in nomine Christi dicere, *hoc est Corpus meum.* Denique, quia prædictis verbis prolatis à Christo, dixit Christus: *hoc facite in meam commemorationem*, ergo præscripsit illa verba esse necessaria, & sufficientia.

16. Obicies primò quia in liturgijs sancti Clementis, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, post illa verba, *hoc est Corpus meum*, dicitur, *fac Domine panem istum corpus Christi*, & respondet populus, *Amen.* & quòd calix fiat sanguis Christi, similiter populo respondente *Amen*; ergo signum est per illa verba non confici hoc sacramentum, sed necessariò adhibendas esse alias preces, & orationes. Respondetur, illis verbis quæ adduntur post verba consecrationis in illa oratione, non peti absolutè, & simpliciter, vt panis fiat corpus Christi, sed quòd nobis fiat salutare, & viuificum, seu quod nobis sit vtile, & sumentibus operetur remissionem peccatorum; quod etiam nos petimus in sacrificio Missæ illis verbis, *Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui, in sublime Altare tuum.* Quibus non petimus vt fiat consecratio, sed vt nobis sit in remissionem peccatorum, & augmentum gratiæ, & donorum cælestium. Legatur Lugus disp. 11. sect. 1. & 2. vbi de hac de re doctissimè, & latissimè disserit.

17. Obicies secundò, testimonia plurimorum Patrum asserentium, consecrationem fieri precibus, & orationibus, & præcipuè Damasceni lib. 4. de Fide cap. 14. vbi ait. *Panem, & vinum post illa verba, hoc est corpus meum, & hic est calix*, &c. *vocari antitypa*, id est, figuram corporis, & sanguinis Christi. Respondetur, quòd licèt vocabulum antitypon ponatur post verba consecrationis, refertur tamen ad præcedens tempus; vel ideo Christus prout est in hoc sacramento, appellatur à Damasceno antitypa sanguinis, & corporis Domini, quia est figura sui prout in propria persona se obtulit Patri pro nobis in cruce.

Sectio III.

Quænam præcisè verba necessaria sint, & sufficiant ad consecrationem panis.

18. SCotus in 4. distinct. 8. quæst. 2. docet, quòd quamuis verba illa antecedentia Canonis, *Qui pridie quàm pateretur*, &c. non sint pars essentialis formæ consecrationis; esse tamen necessariò requisita ad valorem formæ, ita vt illis prætermissis non fieret consecratio. Quod sic probat, quia vt sacerdos panem validè consecret, proferens verba consecrationis, *hoc est corpus meum*, debet significare se non loqui de suo corpore, sed de corpore Christi: sed nisi præmitteret illa verba, *Qui pridie*, &c. quæ pronomen *meum* in forma consecrationis positum, determinant ad significandum Christi corpus, non illud significaret; ergo. Et eodem modo loquitur de consecratione calicis.

19. Hæc tamen sententia meritò ab omnibus reiicitur. Primò, quia aliqua ex illis verbis quæ præcedunt, non sunt verba Christi, sed Euangelistarum; ac proinde ad formam huius sacramenti non pertinent, quod optimè exprimit Ambrosius lib. 4. de sacramentis, cap. 4. vbi postquam dixit; consecrationem fieri verbis Christi, id probat, subdens. *Nam per reliqua quæ dicuntur, laus Deo defertur; oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris; vbi venitur vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi; ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum.* Ambros.
Cùm ergo prædicta verba non sint verba Christi, nullo modo habent valorem, & efficaciam ad conficiendum hoc sacramentum.

20. Deinde, quia quamuis illa verba, *Accipite, & manducate*, fuerint verba Christi, sacerdos non profert ea in persona Christi, nisi tantùm materialiter, & recitatiuè; aliàs vera non essent. Imò sanctus Lucas hæc verba omisit, & *accepto*, inquit, *panem gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens, hoc est corpus meum*; non est autem credibile Euangelistam institutionem Eucharistiæ referentem, omisisse id quod ad valorem formæ erat præcipuè necessarium. Et denique, quia hæc verba, *accipite, & manducate*, tantùm significant vsum huius sacramenti, quod cùm in re permanenti essentialiter consistat, nequeunt ad eius essentiam, & valorem pertinere.

Vnde ad rationem Scoti respondetur, quòd vt pronomen *hoc* in verbis consecrationis positum, denotet Christi corpus, non verò sacerdotis illud proferentis,

proferentis, sufficit vt determinetur ad talem significationem per eius intentionem: eam autem intentionē habet quisquis sacerdos verba illa profert, intendens facere id quod facit Ecclesia. Sicut Angelus sua intentione gerens personam Dei absolutè dicebat; *ego sum Deus Abraham*, &c. nec habebat necesse verba illa præmittere, quibus se personā Dei gerere significaret, sed tantùm id intendere.

22. Sit conclusio. Ad validam panis consecrationem necessaria sunt, & sufficiunt hæc quatuor verba, *hoc est corpus meum*. Quod probat perpetuus vsus Ecclesiæ, quæ semper ea forma vsa est; & quia prædicta quatuor verba necessaria sunt, & sufficiunt ad significandum corpus Christi esse sub speciebus, & substantiam panis conuerti in corpus Domini.

23. Ex quo infero, particulam *enim* non esse de essentia formæ consecrationis, ac proinde absque ea posse validè consecrationem fieri, vt patet ex liturgia D. Iacobi in qua hæc particula omittitur, & quamuis ponatur in nostra, id tantùm fit, propter continuationem sequentium verborum cum præcedentibus; qui autem voluntariè illam omitteret, quamuis peccaret, existimo non esse peccatum lethale.

24. Infero secundò, quòd quamuis illa verba antecedentia Canonis, *Qui pridie quàm paterentur*, &c. non concurrant ad confectionem huius sacramenti, tamen absque peccato mortali non possunt omitti, quia pertinent ad ritum quo Ecclesia sancta repræsentat Christi actionem, & ea quæ in vltima Cœna à Christo peracta sunt in consecratione huius diuinissimi sacramenti.

Sectio IV.

An omnia verba quibus vtitur Ecclesia in consecratione calicis, sint essentialia.

25. Antequam ad huius dubij decisionem accedamus, oportet omnia illa verba explicare, v. g. *Hic est calix sanguinis mei*; quæ intelliguntur per figuram metonymiam, pro re contenta in calice, & sic vtitur Ecclesia, sicut Lucas & Paulus, quia sic significatur sanguis, non tamen secundùm se, sed vt potabilis à nobis: quod non ita exprimitur per hæc verba, *hic est sanguis meus*, quibus vtuntur Matthæus, & Marcus. Secundò possunt illa verba declarari de ipso vase continente, ita vt sensus sit, hoc est vas continens sanguinem meum, vel hic est calix continens sanguinem meum; sed prior expositio verior est.

26. Secundò, illa verba, *noui, & æterni Testamenti*, primò significant Testamentum nouum Christi suo sanguine confirmatum fuisse, iuxta illud Pauli ad Hebr. 9. *Vbi enim est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris; testamentum enim in morte confirmatum est, alioquin non valet dum viuit, qui testatus est.* Vbi etiam prosequitur ostendens vetus Testamentum, & eius sacrificia, sanguinis effusione dedicata esse, & concludit caput, *Sic & Christus semel oblatus est.* Igitur optimus sensus est, quòd Christi sanguine nouum Testamentum confirmatum est. Dicitur etiam hoc Testamentum æternum, primò, quia promittit æternam hæreditatem, iuxta eumdem Paulum ibidem. *Ideo Christus noui Testamenti mediator est, vt morte intercedente repromissionem accipiant æterna hæreditatis.* Secundò, quia hoc testamentum in perpetuum duraturum est, iuxta illud Marc. vltimo. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*; & aliud ipsi non successurum, sicut veteri hoc nouum successit. Hebr. 9. Marc. vlt.

27. Dicitur præterea *mysterium fidei*, quia est vnum ex præcipuis mysteriis nostræ fidei: & quia Christi passio expressè significatur in hoc sacramento, iuxta illud ad Rom. 4. *Iustificati in sanguine ipsius.* & alibi; *Quem proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius.* Rom. 4.

28. Deinde dicitur; *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* quæ verba explicari solent primò, pro vobis prædestinatis, & pro multis aliis: pro prædestinatis, inquam, efficaciter vsus est. Ita Catechismus Pij V. Secundò, *Pro vobis*, id est, Iudæis, *& pro multis*, id est, Gentilibus, ita Chrysostomus. Tertiò, *Pro vobis*, id est, pro vobis sacerdotibus offerentibus, *& pro multis*, scilicet pro laicis pro quibus offertur, ita D. Thom. Quæ expositiones ita debent intelligi, vt disiunctiuè explicentur, vel quantum ad efficaciam, vel quantum ad sufficientiam: & sic omnes comprehendunt, tam prædestinatos, quàm reprobos.

29. Denique dicitur, *In remissionem peccatorum*, quia per hoc sacramentum datur gratia remissionis, & iustificans, modò infrà explicando. An verò intelligantur de effusione cruenta, vel incruenta, variant Doctores. Verius est illa verba, *effundatur, & tradetur*, intelligi de effusione cruenta, & quòd re vera esse tradendum Iudæis vt crucifigeretur, & sanguis eius effundendus.

30. In proposita ergo difficultate, primò certum est, illam dictionem *enim* reperiri apud Matthæum cap. 26. illam verò particulam *noui Testamenti* esse apud Lucam cap. 22. & apud Paulum 1. Cor. 11. At verò illa, *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, esse apud Lucam citatum; illa denique duo verba *æterni, & mysterium fidei*, non esse aqud aliquem ex Euāgelistis, haberi tamen ex traditione Apostolica, vt docuit Innocentius III. cap. cùm Marthæ. Vnde qui omitteret aliquod ex prædictis omnibus verbis, sine dubio peccaret lethaliter, sic enim obseruat, & præcipit Ecclesia.

31. Secundò, certum est, quòd hæc verba, *hic est sanguis meus*, vel hæc, *hic est calix sanguinis mei*, esse simpliciter de essentia formæ consecrationis calicis, ita vt illis ablatis, quamuis alia proferantur, non erit verè sacramentum, & hoc de fide tenendum est, quia illis verbis fit, & significatur vinum esse conuersum in sanguinem Christi: sicut his verbis, *Hoc est corpus meum*, fit & significatur panem esse conuersum in corpus Domini; ergo sine illis verbis sacramentum non erit.

32. Tertiò etiam est certum, quòd reliqua verba præter prædicta essentialia, potuerunt esse de essentia formæ huius sacramenti, si Christus ita instituisset. Tunc, quia sacramenta pendent ex institutione Christi: tum à simili constat in sacramento Baptismi, quia quamuis hæc verba, *Ego te baptizo*, faciant perfectum sensum, & significent actum baptizandi, nihilominus suspensa sunt ad effectum gratiæ conferendum, quousque proferātur illa alia verba *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; ergo similiter in præsenti, quamuis hæc verba, *hoc est corpus meum*, reddant perfectum sensum, & demonstrent esse corpus Christi sub speciebus: & idem est de his, *hic est sangis meus*; tamē potuisset Christus alia verba instituisse ad formam huius sacramenti, & suspendere effectum, quousque illa proferantur.

33. Quartò, certum eſt quantum ad praxim, ſacerdotes non debere limitare ſuam intentionem ad hæc, vel illa verba, & non ad alia; ſed debere procedere via certiori, & tutiori, habentes talem intentionem, vt conſecrent illis verbis quæ ſunt neceſſaria, & quibus Chriſtus conſecrauit: & ſic debere celebrare modo certiſſimo, & indubitato, conformantes ſuam intentionem cum intentione, & inſtitutione Chriſti, & intendentes facere quod facit Eccleſia.

34. Quintò, denique certum eſt, illam particulam *enim*, licèt ponatur à Matthæo, eſſentialem non eſſe: vnde licèt omitteretur, fieret conſecratio. De reliquis verò nihil de fide ſancitum eſt, præter illa verba, *hic eſt ſanguis meus*, vel *hic eſt calix ſanguinis mei* Idem eſt de forma panis: vnde licèt in Florentino Armeniis tradita ſint omnia illa verba; tamen non ſunt tradita tanquam eſſentialia, ſed quia illis vtitur Eccleſia.

35. His vt certis conſtitutis, ſit concluſio. Forma ſufficiens, & requiſita conſecrationis calicis his verbis continetur, *hic eſt calix ſanguinis mei*, vel his æquiualentibus, *hic eſt ſanguis meus*, & his tantùm verbis prolatis valide fiet conſecratio, & illis ablatis nihil fiet. Ita Magiſter in 4. diſtinct. 8. Bonauent. art. 1. quæſt 2 & ferè omnes Recentiores, Vazquez, Ægidius, Lugus, Præpoſitus, Hurt. &c. Et probatur primò, quia omnia verba conſequentia quæ ex vſu latinæ Eccleſiæ ſupra calicem proferuntur, ad id neceſſaria non ſunt. Tum, quia omnia illa verba quæ ſequuntur, vniuerſaliter non reperiuntur in omnibus liturgiis, in quibus tamen omnibus reperiuntur verba poſita in noſtra concluſione. Aſſumptum conſtat ex Miſſa Æthiopum, Græcorum. Imò neque in latina Eccleſia Miſſali Mozarabe Toleti. Et ſancti Patres antiqui, vt conſtat ex liturgia Iacobi, ſolùm vtebantur verbis ſignificantibus conſecrationem vini, & panis. Et hæc ſola verba reperta ſunt ſcripta lingua Arabica in laminis Granatenſibus. Tum etiam, quia in aliis liturgiis, ſcilicet ſancti Ioannis Euangeliſtæ, ſanctorum Apoſtolorum, & Ioan. Patriarchæ, verba ſunt, *hoc eſt corpus meum*, *hic eſt ſanguis meus*; in liturgia ſancti Marci Euangeliſtæ, *Corpus meum eſt hoc*, *ſanguis meus eſt hic*. In liturgia ſancti Matthæi Paſtoris, *hoc caro mea eſt*; *hoc ſanguis meus eſt*, vt teſtatur Lugus. diſp. 11. ſect. 4. Nec probabile eſt quod ait Capreolus, Deum diſpenſaſſe cum his, & cum Eccleſiis quæ liturgiis illis vtuntur, vt diminuta forma conſecrarent. hoc enim abſque fundamento dicitur. Multo minùs credibile quod ait Paludanus, Apoſtolos, & Eccleſias his liturgiis vtentes inualidè conſecrare.

36. Secundò probatur, quia in forma conſecrationis panis, ea verba *quod pro vobis tradetur*, non ſunt de eſſentia, ſed ea dumtaxat, *hoc eſt corpus meum*; ergo neque in forma conſecrationis calicis erunt eſſentialia illa verba, *qui pro vobis effundetur*. Patet conſequentia ex paritate rationis, quia ex modo dicendi Chriſtus æquè ea vſurpauit in vtriuſque ſpeciei conſecratione. Et ex illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, non poteſt magis colligi præceptum Chriſti de apponendis illis verbis in conſecratione calicis, quàm corporis.

37. Tertiò, quia hæc verba ſufficienter ſignificant hoc myſterium, & cùm ſint practica, illud efficiunt; ergo ſunt ſufficientia. Confirmatur, quia verba ſacramentalia tantùm faciunt id quod ſignificant: ſed illa ſola priora verba ſignificant conuerſionem vini in ſanguinem Chriſti; ergo illa tantùm eam efficiunt, & conſequenter illa ſolùm ſunt de eſſentia formæ huius conſecrationis.

38. Obiicies primò, ex S. Thoma quæſt. 68. artic. 3. vbi expreſsè affirmat, omnia verba quæ ex vſu Romanæ Eccleſiæ adduntur, his verbis. *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ad ſubſtantiam formæ pertinere. Reſpondetur ideo à D. Thoma dici omnia illa verba ad ſubſtantiam formæ pertinere, quia determinant, explicant, & quaſi perficiunt ſenſum priorum verborum; non verò quia in illis conſiſtat eſſentia, & ſubſtantia formæ; quia hæc in ſolis illis prioribus reperitur.

39. Obiicies ſecundò, quia in illis verbis poſterioribus fit memoria paſſionis Chriſti; hoc autem ſacramentum eſt memoriale paſſionis eius; ergo illa memoria pertinet ad eius eſſentiam. Reſpondetur, illa verba eſſe, & ſignificare memoriam paſſionis Chriſti, hoc tamen non eſſe illis eſſentiale, ſed quòd per illa fiat conuerſio vini in ſanguinem Chriſti.

40. Obiicies tertiò, quia in Concilio Colonienſi, & in Catechiſmo Pij V. dicitur, omnia illa verba eſſe de forma ſanguinis, idem habetur in Concilio Florentino. Eodem etiam tenore, quo priora proferuntur à ſacerdote ſupra calicem, & in Miſſali maiuſculis literis deſignantur. Reſpondetur, in prædictis locis omnia illa verba tradi non tanquam neceſſaria neceſſitate ſacramenti, ſed neceſſitate præcepti, iuxta conſuetudinem Eccleſiæ. Concilium verò Florentinum dixit, formam huius ſacramenti eſſe verba quibus Saluator noſter illud confecit, non tamen decernit quæ, & quot verba ſint de eſſentia. Deſignati verò in Miſſali literis maiuſculis, & eodem tenore proferri à ſacerdote, non conuincit eſſe de eſſentia, quia etiam particula *enim* notatur literis maiuſculis, & profertur eodem tenore, quæ tamen non eſt eſſentialis.

41. Denique obiicies, quia ſi illa verba non eſſent eſſentialia, non poteſt reddi ſufficiens ratio, cur magis in conſecratione calicis explicetur eius effuſio, quàm traditio in conſecratione corporis. Reſpondetur, optimam rationem reddi iam ſuprà allatam, cur poſteriora verba addantur in forma calicis, videlicet, quia illis denotatur excellentia, & præſtantia noui Teſtamenti ſupra vetus; hoc enim ex D. Paulo fuit confirmatum ſanguine hircorum; iſtud verò, eodem Apoſtolo teſte, ſanguine Chriſti pro nobis effuſo.

SECTIO V.

An Sacerdos proferat verba conſecrationis materialiter, & recitatiuè, an verò formaliter, & ſignificatiuè.

42. SEnſus eſt, an ſacerdos proferat verba conſecrationis, vt prolata à Chriſto, referendo Chriſtum illa dixiſſe; vt cùm quis dicit Ariſtot. dixit, Mundus fuit ab æterno, nec affirmando, nec negando, ſed ſolùm referendo dictum Ariſtotelis, & hoc eſt proferri recitatiuè, & materialiter. An verò proferat enuntiatiuè, ſeu aſſertiuè, quod fit quando intendit affirmare quod verba ſonant; & hoc eſt proferre ea ſignificatiuè, ſeu formaliter.

Prima

43. Prima concluſio. Non eſt eſſentiale huic ſacramento, quòd verba conſecrationis dicantur recitatiuè; neceſſariò tamen requiritur quòd dicantur formaliter,& ſignificatiuè. Probatur primò, quia ſi quis prætermiſſis omnibus præcedentibus, & ſubſequentibus verbis, ſupra debitam, & legitimam materiam, cum legitima & debita intentione,ſolùm proferret hæc verba, *hoc eſt corpus meum*, verè conſecraret, licèt malè faceret tranſgrediens præceptum de ritè, & debitè conſecrando; in tali verò caſu,verba non proferrentur recitatiuè, quia non eſt aliquod verbum quod ſignificet, & quo referatur factum Chriſti pro vt antea geſtum : ergo illa verba purè ſignificatiuè proferuntur. Nec ſufficit quòd Chriſtus illa antea protulerit, vt dicatur proferre recitatiuè : aliàs nullus poſſet ſignificatiuè proferre id quod alius ſemel dixit, quantumuis id intenderet, & alterius dictum ignoraret; quod eſt apertè falſum.

44. Secundò probatur, quia ad eſſentiam huius ſacramenti,non aliter requiruntur verba, ac fuerunt à Chriſto prolata; ſed à Chriſto tantùm fuerunt prolata ſignificatiuè : ergo talis ſignificatio ſufficeret ad validitatem,& eſſentiam huius ſacramenti. Imò id eſt præcisè neceſſarium,quia verba conſecrationis, ſicut reliqua ſacramentalia, in tantum faciunt, in quantum ſignificant : vnde licèt de potentia abſoluta potuiſſet Chriſtus efficere, quòd prolatis his verbis purè recitatiuè,panis conuerteretur in corpus Chriſti : ſuppoſita tamen inſtitutione illius,qua decreuit mediis verbis ſacramentalibus, & eorum ſignificatione talem conuerſionem facere,omnino eſt neceſſarium, vt talia verba ſumantur ſignificatiuè; quia ſi purè recitatiuè accipiantur, ſicut nihil ſignificatur de nouo, ſed ſolùm refertur antiquum Chriſti factum; ita nihil fiet de nouo, niſi quædam commemoratio antiqui facti Chriſti : ergo non eſt neceſſe vt verba dicantur recitatiuè,ſed ſolùm ſignificatiuè.

45. Secunda concluſio. Verba conſecrationis vtroque modo proferuntur à Sacerdote, recitatiuè, & ſignificatiuè. Prior pars oſtenditur, quia illud Verbum *dicens* immediatè recitatur in Canone Miſſæ ante verba conſecrationis : ergo hæc verba non ſolùm proferuntur à Sacerdote ſignificatiuè, ſed etiam recitatiuè. Conſequentia eſt manifeſta, quia Sacerdos re vera affirmat illa verba, *Hoc eſt corpus meum*, *Hic eſt Calix ſanguinis mei*, prolata fuiſſe à Chriſto in vltima cœna.Secunda verò pars probatur,quia illa verba à Sacerdote prolata ſuper debitam & legitimam materiam,conficiunt verum Euchariſtiæ ſacramentum : ergo huiuſmodi verba hoc ipſum ſignificant. Conſequentia probatur, quia formæ ſacramentorum efficiunt id quod ſignificant;ſed ſi materialiter tantùm, & recitatiuè, & non formaliter, & ſignificatiuè proferantur, non ſignificant hoc quod Sacerdos habet in manibus eſſe corpus,& ſanguinem Chriſti, ſed ſolùm referunt factum Chriſti, vt manet probatum in præcedenti concluſione : ergo prædicta verba non ſolùm proferuntur hiſtoricè, & recitatiuè; ſed etiam enunciatiuè,& ſignificatiuè.

46. Sed contra hæc obiicit Vazquez diſp. 200.cap.2. quia iſti duo modi opponuntur, & repugnant, dicere rem materialiter, ac recitatiuè, & formaliter, ac ſignificatiuè : ergo non poſſunt ſimul in eodem ſermone coniungi. Antecedens probatur, quia ſi Sacerdos diceret recitatiuè,non demonſtraret ſpecies conſecratas quas ipſe habet in ſuis manibus, ſed potiùs quas habuit Chriſtus : ſi verò diceret ſignificatiuè, demonſtrat ſpecies conſecratas quas ipſe in ſuis manibus habet : ergo iſti duo modi loquendi pugnant inter ſe. Reſpondetur, nullam eſſe repugnantiam in eo quòd aliqua verba proferantur ſimul recitatiuè,& ſignificatiuè.Quod confirmat Suarez optimo exemplo. Qui enim ſic loqueretur,Ariſtot.dixit,quod & ego dico : Mundus fuit ab æterno,hanc propoſitionem recitatiuè proferret,quia ſignificaret ab Ariſtotele fuiſſe dictam, & ſimul ſignificatiuè, quia diceret animo ſignificandi, & affirmandi idem quod per eam affirmauit,& ſignificauit Ariſtoteles.Et qui hanc propoſitionem defenderet,licet Ariſtot. dixit:non eſt poſſibile,infinitum primò declarat mentem, & ſententiam Ariſtotelis, & præterea declarat propriam ſententiam. Sic in præſenti Sacerdos refert quod Chriſtus geſſit,& ſimul facit ex propria mente, & intentione,id quod Chriſtus fecit, ſcilicet conuertere panem in corpus Domini.

Sectio VI.

An verba conſecrationis ſint vera in toto rigore.

47. RAtio dubitandi eſt, quia copula de præſenti, ſolùm ſignificat tempus præſens in quo profertur : ergo ſolùm pro tempore præſenti debet verificari,non verò pro tempore futuro:ſed quando profertur oratio tali copula de præſenti conſtans, nondum eſt id quod ſignificat, ſcilicet corpus Chriſti; hoc namque non eſt, niſi finita illa oratione, *hoc eſt corpus meum* : ergo quando profertur,non eſt vera abſolutè,& in rigore ſermonis:neque enim verum eſt quòd Petrus ſedeat, ſi tamen non ſedet, dum illa oratio profertur.

48. Huic tamen difficultati facilè occurritur dicendo, quòd licèt quælibet propoſitio, ſiue abſoluta, ſiue hypothetica componatur ex terminis,vel ſimplicibus, vel complexis, & hi termini ſucceſſiuè proferantur, & vt ſic proferuntur etiam ſignificent; tamen veritas, ſeu falſitas conſequens talem ſignificationem,non cenſetur conſiſtere,neque intellectus aſſentitur illi, quouſque tota propoſitio ſit prolata, & tunc integra propoſitio dicitur exiſtere,non verò antea. Vnde hæc oratio, *hoc eſt corpus meum*, non habet rationem talis orationis, neque ſortitur veritatem, niſi omnino ſit finita, & omnes eius partes prolatæ, & tunc non aliter, neque antea dicitur prolata. Si enim quis diceret hanc orationem, *hoc eſt corpus*, & non proferret *meum*, ſed potiùs adderet, *Petri*, certè talis oratio tota referetur ad corpus Petri, & eius ſenſus nondum determinatus eſt,niſi vltima particula proferatur,per quam determinantur termini priores, & copula eorumdem. Sic philoſophandum eſt in hac oratione,*hoc eſt corpus meum*, & proportione ſeruata in verbis formæ calicis, *hic eſt Calix ſanguinis mei*. Deinde in propoſitionibus practicis hoc ſpecialiter inuenitur,quòd omnino debent præcedere rem quam ſignificant, quia cùm res ſignificata per illas,habeat ſuum eſſe ex vi earumdem, oportet vt tales propoſitiones ſupponantur, ſicut omnis cauſa effectiua pro vt operatiua eſt, ſupponi debet ad ſuum effectum.

Ex quo fit, hanc propoſitionem, *hoc eſt corpus meum*,& iſtam, *hic eſt Calix ſanguinis mei*,eſſe veras abſolutè, & in rigore ſermonis. Ratio huius eſt, quia prædictæ propoſitiones ſunt practicæ pro vt

proferuntur à Sacerdote ſupra legitimam materiam cum intentione faciendi quod Chriſtus geſſit; ſimul ergo ſignificant, & cauſant: ſed in inſtanti vltimo prolationis verborum, habent ſuam ſignificationem completam: ergo in eodem inſtanti, & pro eodem, exercent ſuam cauſalitatem, & conſequenter pro eodem inſtanti ſunt veræ.

50. Circa hanc verò doctrinam, eſt aliqua diſſenſio inter Recentiores. Nam Suarius diſput. 58. ſect. 5. Vazquez diſput. 102. docent, vt propoſitio de præſenti in rigore ſit vera, ſufficere coëxiſtentiam obiecti pro aliquo inſtanti eorum quibus propoſitio profertur, ſiue paulo antè, aut ſtatim, ſiue paulo poſt prolationem propoſitionis: quod probant in hac propoſitione, *Ecce ego tacco.* quæ vera eſt, ſi tacebam immediate, vel paulo ante prolationem ipſius, aut ſi tacere incipio ſtatim, vel poſt prolationem illius; & in hac, *Ecce ego iam manduco*, quæ eſt vera, ſi ſtatim, vel paulo pòſt manducare incipio.

51. Lugus verò diſp. 11. ſect. 6. exiſtimat veritatem propoſitionis vocalis quæ formatur per copulam de præſenti, non debere regulari ab obiecto pro quolibet inſtanti eorum quibus profertur talis propoſitio, ſed tantùm pro illo inſtanti quo vltimo illa propoſitio finitur. Quod probat, quia ſi ad veritatem propoſitionis de præſenti ſufficeret exiſtentia obiecti in aliquo inſtanti propoſitionis, quodcumque illud ſit, ſequitur manifeſtè, quòd ſi dicente Sacerdote, *hoc eſt corpus meum*, eodem tempore alius diceret, *Hoc non eſt corpus Chriſti*, & vterque ſimul abſolueret propoſitionem, vterque diceret verum: quod non videtur poſſibile, quia illæ propoſitiones ſimul prolatæ, eſſent contradictoriæ. Prima ſequela probatur, quia illa ſecunda propoſitio verificatur ratione totius temporis antecedentis ad vltimum inſtans prolationis; ſicut prior verificatur ratione totius temporis ſubſequentis vltimum inſtans prolationis.

52. Hæc autem ad ſolutionem præſentis difficultatis parum referunt, quandoquidem etiam hi Doctores nobiſcum conueniunt, prædictas propoſitiones in toto rigore eſſe veras, & ad illarum veritatem ſufficere, in vltimo inſtanti prolationis verborum corpus Chriſti eſſe ſub ſpeciebus panis, & ſanguinem ipſius ſub ſpeciebus vini.

53. Et ex dictis infertur reſolutio alterius difficultatis quæ ſolet in hoc loco exagitari, An verba conſecrationis ſint cauſæ conuerſionis, non ſolùm ratione ſignificationis, ſed etiam ratione veritatis. Communiter Thomiſtæ partem affirmatem tuentur, quia hæc verba producunt ſuum effectum in quantum ſunt conformia intentioni, & poteſtati loquentis; ſed pro vt ſic ſunt practicè vera; ergo talis veritas præintelligitur ante effectum productum, quia ad practicam veritatem ſufficit, quòd ſint conformia intentioni, & poteſtati loquentis. nam ex hoc habent quòd ſint quoddam exemplar factiuum rei ſignificatæ, cui illa conformari debet; in hoc autem conſiſtit veritas practica: ergo illa verba cauſant ratione talis veritatis.

54. Scotus verò, quem ſequuntur Vazquez diſp. 102. Suarez diſp. 58. ſect. 2. & plures alij Recentiores, exiſtimat, pro illo priori verba eſſe quidem ſignificatiua ſui obiecti, non tamen vera, nec falſa, ſed neutra; hoc eſt præſcindere ab vtroque; ac proinde illa verba eſſe cauſam conuerſionis ratione ſignificationis, non verò ratione veritatis, quæ ſententia mihi videtur verior, & probatur, quia in illo priori quo conſiderantur vt factiua antequam faciant, neque ſunt vera, quia nondum exiſtit res ſignificata per ipſa; neque etiam ſunt falſa; quia non eſt oppoſitum eius quod ſignificant; reſtat ergo vt præſcindant ab vtroque.

Secundò probatur, quia propoſitio vera vt vera formaliter, neceſſariò includit, & præſupponit exiſtentiam obiecti, quod certè indubitatum eſt de oratione vocali; ex eo namque quòd res eſt, vel non eſt, dicitur oratio vera, vel falſa: ergo illa verba vt vera veritate formali, nequeunt præcedere, nec cauſare ſuum obiectum, ſed neceſſariò debent præintèlligi, pro vt prolata à Sacerdote nomine Chriſti, & pro vt ſic cauſant exiſtentiam obiecti, à qua denominantur formaliter vera veritate formali. Conſequentia probatur, quia ſi propoſitio vocalis vt vera, includit exiſtentiam obiecti, & verba conſecrationis vt vera, præſupponuntur, & cauſant ſuum obiectum, neceſſariò ſequitur, quòd obiectum ipſum vt exiſtens, præſupponatur ad ſe ipſum, & cauſet ſe ipſum, quod eſt omnino falſum. 55.

Dices, eſſe diſcrimen inter intellectum practicum, & ſpeculatiuum in ratione veritatis. nam intellectus ſpeculatiuus dicitur verus per conformitatem ad obiectum cognitum: at verò intellectus practicus verus dicitur, quia conformatur rei cognitæ, & factæ ex vi cognitionis: licèt alij dicant, quòd intellectus practicus non eſt verus per conformitatem ad rem, ſed potiùs res habet veritatem per conformitatem ad intellectum; quod in intellectu diuino conſtat, creaturæ enim veræ dicuntur, quia conformantur intellectui diuino. 56.

Hoc tamen diſcrimen falſum eſt, quia in propoſitionibus, tam veritas ſpeculatiua, quàm practica in eo conueniunt, quòd vtraque conſiſtat in conuenientia propoſitionis cum re quam enuntiat, & in eo tantùm differunt, quòd veritas ſpeculatiua conſiſtit, in conuenientia propoſitionis cum re quam enuntiat, & non efficit; practica verò in conuenientia propoſitionis cum re quam enuntiat, & facit. 57.

Obiicies primò. Quia impoſſibile videtur, quòd detur in re aliqua propoſitio quæ non ſit vera, vel falſa; neque enim fieri poteſt, vt intellectus apprehendat aliquam orationem ſine ordine ad rem ſignificatam per ipſam, cui ſi ſit conformis, erit vera, ſi difformis, falſa: ergo non poteſt dari oratio quæ habeat ſignificationem neutram, vel quæ ab vtroque præſcindat. Reſpondetur, de eſſentia orationis non eſſe, eſſe veram, vel falſam, ſed hoc ſequi naturam orationis tanquam propriam eius paſſionem, ſine qua poteſt ſalua conſiſtere natura orationis, ſiue res exiſtat, ſiue non: vnde in illo priori antequam res exiſtat, oratio ſignificat, non tamen verè, vel falsò: quod ex eo conſtat, quia eadem numero oratio tranſit de vera in falſam, per conformitatem, vel deformitatem ad obiectum, quod aliter, & aliter poteſt ſe habere: ergo ſignum eſt orationes ſecundùm ſe abſtrahere à veritate, vel falſitate: ergo poteſt oratio aliqua cauſare ſine eo quòd ſit vera, vel falſa, ſed neutra. 58.

Obiicies ſecundò. Quia verba conſecrationis ideo cauſant conuerſionem, quia ſunt verba primæ veritatis: ergo quia ſunt vera. Reſpondetur aliud eſſe verba conſecrationis cauſare conuerſionem quia ſunt verba primæ veritatis; aliud verò quòd veritas ipſorum ſit cauſa conuerſionis; primum quidem concedimus, quia cauſant conuerſionem, quia ſunt dicta, aut inſtituta à Deo prima veritate ad efficiendam conuerſionem: ſecundum verò negamus. 59.

SECTIO VII.

Quid significent pronomina hoc, *&* hic, *posita in verbis consecrationis.*

60. IN hac re omissis variis dicendi modis Theologorum, duo sunt communiores.

Primus est quem sequitur Suarius disput. 8. sect. vltim. pronomen *hoc* in forma consecrationis panis, demonstrare aliquid commune contentum sub illis accidentibus, quod in principio loquutionis verificatur de substantia panis, in fine autem de corpore Christi, & idem dicendum est proportione seruata de pronomine *hic* in forma consecrationis sanguinis: ita quòd significetur non aliquid commune superius, vel commune secundùm essentiam, vel secundùm aliquem gradum; sed solùm commune ratione huius quod est esse contentum, quod dicit extrinsecam denominationem; ita vt sensus sit hoc, id est, contentum sub speciebus in principio prolationis verborum, verificatur de pane, in fine verò prolationis illorum est verum corpus Christi. Fundamentum huius sententiæ est, quia pronomen *hoc* substantiuè acceptum, significat substantiam quæ mediis accidentibus, sensibus obiicitur; in illis autem verbis Christi pronomen *hoc* accipitur substantiuè, quia habet locum subiecti in dicta propositione: ergo demonstrat id quod continetur sub illis accidentibus. Et idem applicandum est pronomini *hic*, quod quamuis verius sit accipi adiectiuè, suppletur tamen subintellectis, hic potus, vel hic Calix. Deinde, quia hæc propositio cùm sit practica, debet significare id quod efficit: sed intellecta modo explicato, significat id quod efficit: ergo sic intelligenda est. Minor probatur, quia in instanti quo hæc propositio finitur, neque antea, neque postea, verum est practicè dicere, *hoc est corpus meum*, id est, contentum sub his accidentibus, quod antea erat panis, iam est corpus Christi, quod ante finitam orationem non erat verum, quia nondum fuerat positum corpus Christi, & in tempore sequenti ad instans conuersionis, licèt sit speculatiuè verum, *hoc est corpus meum*, quia hoc singulare contentum identificatur cum corpore Christi, non tamen practicè, quia tunc non fit, nec potest fieri quòd tale singulare contentum sit corpus Christi, sed est verum per realem identitatem: cæterùm si demonstret commune contentum in instanti conuersionis est practicè vera, quia facit quòd illud commune contentum quod antea erat panis, in illo instanti iam sit corpus Christi, & vlteriùs significat istam conuersionem, nempe transitum à termino à quo, ad terminum ad quem.

61. Hic tamen modus dicendi mihi non probatur, quia pronomen *hoc*, si substantiuè sumatur, vt contendunt isti Doctores, tantum potest demonstrare contentum sub illis speciebus, ita vt sensus sit, hoc contentum sub speciebus est corpus meum; sed si pronomen *hoc* demonstret hoc contentum sub speciebus statim ac profertur pronomen *hoc* ante prolationem aliorum verborum, prolatio illa erit falsa, quia ante prolationem aliorum verborum, non est aliud hoc contentum, quàm panis: ergo solùm panem demonstrauit, quamuis sub ratione communi contenti. Et confirmatur, quia si per pronomen *hoc* in forma consecrationis positum, demonstretur contentum sub speciebus, tunc existens, & præsens dum profertur, falsa erit forma consecrationis. Quod sic ostendo, quia de illo contento tunc existente, quodcumque sit, & dicatur esse, prædicatur in recto corpus Christi: sed non potest verè prædicari in recto de contento existente sub speciebus, quando prædictum pronomen profertur; quia quidquid est substantiæ tunc contentæ sub illis, & actu existentis, postea conuertitur in corpus Christi, quod non potest vere affirmari in recto de eo quod in ipsum conuertitur. Vnde concluditur, quòd si Christus his verbis consecrasset, hoc contentum sub speciebus est corpus meum, nomine huius contenti nec significaretur, nec demonstraretur contentum existens, dum hoc nomen proferretur, sed illud tantùm quod in fine prolationis verborum existeret.

62. Secundus modus dicendi est, per pronomen *hoc*, significari ipsum corpus Christi, ita vt in principio prolationi verborum quando ipsum pronomen profertur, non demonstret aliquid certum, sed habeat dispensam significationem, sicut terminus syncathegorematicus, sed solum significare in fine prolationis, ita vt tale pronomen *hoc* accipiatur adiectiuè, & faciat conuenientiam in genere, numero, & casu, cum hoc nomine corpus. Et similiter in hac oratione, *hic est Calix sanguinis mei*, vel, *hic est sanguis meus*, illud pronomen *hic* si accipiatur etiam adiectiuè, & ob eam causam sit masculini generis, cùm conueniat cum sanguine: neque enim est maior ratio quare accipiatur pronomen *hic* adiectiuè, quàm pronomen *hoc*.

63. Et hic modus dicendi mihi videtur facilior, & verior, quem sequuntur Ioannes Maldonatus in cap. 26. Matthæi versu 26. Vazquez disp. 101. cap. 4. Hurt. disp. 3. diff. 10. & probatur, quia pronomina *hic* & *hoc* posita in formis consecrationis, sunt accipienda eodem sensu, quo communiter & ordinariè solent vsurpari in similibus propositionibus: illa autem adiectiuè tantùm solent vsurpari, vt cùm quis dicit, hoc est aurum meum, hic est pater meus, in quibus si pronomen *hic* substantiuè acciperetur, dicendum esset, hoc est pater, hoc est frater meus. Quo modo loquendi nullus nisi inepte vtitur; dicendum ergo est, illa pronomina adiectiuè vsurpari.

64. Obiicies primò. Quia si pronomen *hoc* designaret corpus Christi, illa propositio esset identica, redderet enim hunc sensum, *hoc*, id est, corpus Christi, est corpus Christi; ac si Christus dixisset, hoc corpus meum, est corpus meum. Respondetur ex Dialectica, in omni vera propositione, subiectum & attributum pro eodem accipiantur, licèt non eadem ratione exprimantur, nec omnino synonymè, sed cum diuerso modo significandi, quod sufficit, imò est necessarium ad veram propositionem formalem; vt constat in hac, Animal rationale est homo, vbi terminus complexus, Animal rationale, prorsus est idem cum homine, & pro eodem supponit; non tamen eodem modo significat, id quod est necessarium ad propositionem identicam. Etenim homo licèt significet totam naturam hominis, tamen non significat eam per partes, sicut animal rationale: vnde esset inepta locutio si quis diceret, Homo est homo, vel Animal rationale est animal rationale, & similiter si Christus dixisset, hoc corpus meum, est corpus meum. Verumtamen cùm dixit, hoc est corpus meum, quamuis terminus *hoc* accipiatur pro corpore Christi, & idem significet, est tamen recta locutio, quia idem non eodem modo significat; sed corpus meum significat corpus Christi distinctè & nominatim; at verò terminus

terminus *hoc* significat, non nominatim, nec distinctè, sed, vt ita dicam, mutè, & certum sensum, & clarum, suspensum habet vsquequo proferatur tota oratio.

65. Obiicies secundò. Quando Sacerdos profert pronomen illud *hoc*, nondum est corpus Christi in hoc sacramento: ergo non potest demonstrari illo pronomine. Respondetur, terminos syncathegorematicos qui sunt practici, & efficaces alicuius effectus, non habere completam significationem, nisi coniuncti sint terminis cathegorematicis, ex quibus componitur oratio perfecta: id enim illis terminis conuenit, vt significationem certam per se non habeant, sed quasi suspensam repræsentent significationem, quousque in oratione perfecta terminis cathegorematicis adiungantur.

66. Obiicies tertiò. Quia interdum per pronomina demonstratiua significatur res communis, vt cùm quis dicit, hæc herba nascitur in horto meo, illud pronomen non significat hanc numero herbam, sed ei similem: ergo non obstat quòd pronomen hoc possit demonstrari in communi contentum sub speciebus. Respondetur, hanc propositionem, hoc contentum sub speciebus est corpus meum, non esse similem illi, hæc herba nascitur in horto meo, ostensa herba quæ nascitur in alio, quia habent sensus valde diuersos, quia in hac propositione *herba* supponit pro natura generica, aut specifica; est enim sensus, hoc genus, aut hæc species herbæ, nascitur in horto meo: terminus verò hoc contentum, non supponit sic in illa alia propositione.

Sectio VIII.

An verba consecrationis possint mutari.

67. Recolenda sunt ea quæ diximus suprà tract. *de sacramentis in genere*, disp. 1. sect. 7. & 8. in præsenti autem in speciali ad praxim descendendo, potest esse aliqua difficultas de singulis terminis in verbis consecrationis.

Et primò dubitatur circa pronomen *hoc*, an possit mutari, & proferri *istud*, *illud*, vel terminus complexus æquipollens, nempe contentum, vel latens sub speciebus, est corpus meum. Respondeo primò Sacerdotem proferentem loco pronominis *hoc* pronomen *illud*, non consecrare. Ratio est manifesta, quia datur mutatio substantialis, quia debet significari, & demonstrari materia præsens, quæ non significatur termino *illud*; ac proinde omitteretur significatio practica huius formæ, & sic esset mutatio substantialis. Secundò respondeo, si quis proferat pronomen *istud*, re vera consecrabit, quia expressa significatio pronominis *istud*, est rei præsentis; ac proinde significatio orationis consecratiuæ non mutatur quoad substantiam. Sacerdos autem qui sic proferret, quamuis consecraret, peccaret mortaliter, quia in re adeò graui non valet discedere à præcepto, & consuetudine Ecclesiæ sine mortali iactura. Idem censeo de Sacerdote qui vteretur illis loquutionibus suprà nominatis. Tertiò dico si Sacerdos proferret, *hic est corpus meum*, & terminus *hic* significat localiter, consecrationem non perficeret; si verò accipiatur nominaliter, & non aduerbialiter, scilicet pro pronomine, fiet consecratio, quia mutatio licèt incongrua non est substantialis. Idem est si diceret, *hoc est corpus meum*.

68. Secundò potest esse dubitatio circa verbum *est*, an possit substitui aliud verbum loco illius. Respondetur verbum *est* aptissimè appositum fuisse, & nullum aliud loco illius tam propriè potuisse apponi, quia verbum *est* cùm sit substantiuum, significat substantialem & realem præsentiam corporis Christi; id quod per verbum *est* in aliis rebus significare solemus; sic namque dicimus, hic lapis est substantia, hoc corpus est viuens: vnde per verbum *est* affirmamus absolutè corpus Christi esse contentum sub speciebus; atque ita si quis efficeret orationem imperfectam, & non modi indicatiui, verè non significaret realem præsentiam corporis Christi, nec consecraret: vt si diceret, vtinam hoc esset corpus meum, vel alias similes orationes, quia oratio consecrationis debet esse absoluta & efficax, quæ expressè significet id quod efficit, & quæ efficiat id quod significat.

69. Tertiò potest esse dubitatio circa nomen *corpus*, an possit variari, & aliud loco illius proferri. S. Cyprianus serm. de cœna Domini, asserit consecrationem commodè fieri his verbis, hæc est caro mea, & adstruit Christum illis verbis planè consecrasse, quod probat ex illo Ioan. 6. vbi Christus asseruit, *Caro mea verè est cibus*. Contrariam sententiam sequuntur nonnulli existimantes, verbis Cypriani non confici consecrationem, eo vel maximè, quia datur mutatio substantialis. nam terminus *caro* non significat totum corpus heterogeneum, sed partem illius, quia illud præter carnem, constat ossibus, neruis, &c. Ioan. 6.

70. Nec obstat, interdum nomen *caro* totum corpus significare, iuxta illud Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, & in Psalm. *Caro mea requiescet in spe*, & per Isaiam dicitur, *Omnis caro fœnum*. Vbi per synecdochem, pars accipitur pro toto corpore humano. Hoc, inquam, non obstat. nam verba consecrationis debent accipi non figuratè, nec per tropum, sed cum omni proprietate sermonis, & quamuis Christus Ioan. 6. asseruerit carnem eius esse cibum, ibi tamen non docebat formam consecrandi, sed potiùs tractabat de vsu huius sacramenti, & quia homines carnibus vesci solent, ideo dixit, *caro mea verè est cibus*; quando verò tradidit, & docuit nos modum consecrandi, semper vsus est nomine corporis, vt constat ex historia Euangelica, & ex D. Paulo. Quapropter nonnulli Recentiores, inter quos est Suarez disp. 49. sect. 2. existimant, probabile esse prædictam formam Cypriani non esse sufficientem ad consecrationem, sed valde dubiam. Ioan. 1. Psalm. 15. Isai. 42.

71. Nihilominus probabilius censeo, illam formam sufficientem esse, & ea prolata verum confici sacramentum. Et in primis magnæ auctoritatis est factum Cypriani, cuius sententia plurimi habita est, vt constat ex Concilio Carthaginensi, & ex commendatione sancti Pontificis Cornelij, & omnes Episcopi Africani tanti æstimabant Cyprianum, vt eum in omnibus imitarentur. Quamuis non me lateat Pamelium in annotationibus Cypriani adnotasse, apud Cyprianum non esse terminum caro, sed corpus. Alij verò dicunt, prædictum sermonem de Cœna Domini non esse Cypriani, vt notat Vazquez disput. 196. cap. 1. & in margine apponitur Pseudo-Cypriani. Verius tamen censeo illum sermonem fuisse Cypriani, quia sanctus Thomas, & plures sancti Patres, allegant prædictum sermonem velut Cypriani. Nostra autem resolutio constat ex eo quod tradit Ecclesia in Cantu de solemnitate corporis Christi: *quòd in carnem transit panis, & vinum in sanguinem*. Præterea, quia talis mutatio non esset substantialis, quia ex vsus accommodatione, iam caro accipitur pro corpore.

Digitized by Google

corpore. Semper tamen vtens eo termino lethaliter peccaret.

72. Quartò dubitari potest circa terminum *meum*, vt si quis dicat, hoc est corpus Christi. Probabile est fieri consecrationem, quamuis Suarez contrarium teneat, quia mutatio in terminum æquiualentem non mutat significationem. De termino autem *enim*, nulla est difficultas, quòd licèt omittatur, fiet consecratio, quia terminum illum addidit Ecclesia, vt oratio aptiùs coniungeretur cum sermone præcedenti.

73. Denique circa verba consecrationis Calicis potest esse difficultas, an quando hæc verba, *Hic est calix sanguinis mei*, mutantur in hæc alia, *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, tradita à Paulo 1. Corinth. 11. *vel in sanguine meo*, vt dixit Lucas cap. 22. fiat consecratio. Respondeo affirmatiuè, quia prædicta verba verè significant sanguinem Christi esse sub speciebus vini, quia illis significatur hunc Calicem esse sanguinis Christi: reddunt enim hunc sensum: Calix hic in meo sanguine, hoc est, ratione mei sanguinis, cuius est calix, vel quem continet, est nouum Testamentum.

1. Cor. 11. Luc. 22.

DISPVTATIO VIII.

De effectibus huius Sacramenti.

SECTIO I.

An hoc Sacramentum conferat primam gratiam.

1. CONVENIVNT primò Doctores, per hoc sacramentum ex opere operato augeri in nobis gratiam habitualem, ac proinde illo nos magis iustificari, ita vt licèt simul & per idem sacramentum, conferatur nobis auxilium gratiæ quod dicitur actuale, & eo excitati bonum opus operemur, non tantùm ratione illius boni operis crescamus in iustificatione semel accepta, sed etiam augmento ipsius gratiæ habitualis, quod ex opere operato virtute Eucharistiæ accipimus, magis iusti reddamur. Et ita extat diffinitum ab Eugenio IV. in Concilio Florentino in decreto de sacramentis, vbi asseritur, *& quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, sequitur quòd per hoc sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur.* Idem constat ex Trident. sess. 7. Can. 6. 7. & 8. & sess. 13. cap. 2. & colligitur ex sacra Scriptura Ioan. 6. *Qui manducat me, & ipsi viuet propter me*, vbi Christus expressè promittit per hoc sacramentum conferri gratiam; hæc enim est vita spiritualis. Est etiam hoc generale omnibus sacramentis nouæ legis gratiam sanctificantem conferre ex opere operato, non ponentibus obicem: cùm ergo per hoc sacramentum non conferatur prima gratia, sequitur confertur augmentum eius. Denique, quia hoc sacramentum est viuorum; ac proinde ex institutione suæ, supponit in suscipiente gratiam: ergo confert augmentum eius. Et confirmatur, quia hoc sacramentum nutrit animam spirituali alimento; nutrire autem supponit viuere; ac proinde hoc sacramentum auget gratiam habentibus illam.

2. Secundò etiam conueniunt, hoc sacramentum, per se loquendo non fuisse institutum ad confe-

rendam primam gratiam, & remissionem peccati mortalis. Ita fuit diffinitum à Trident. contra Hæreticos sess. 13. Canone 2. & 3. vbi damnatur, qui dixerit, vel præcipuum fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo nullum alium effectum prouenire. Et ratio huius desumitur ex institutione Christi, qui hoc sacramentum instituit viuis vita gratiæ, & iustitiæ: si ergo accedant mortui, dum conscij sunt peccati lethalis, nihil eis prodest. Deinde, quia fuit institutum per modum cibi, & potus; ac proinde ex sua institutione supponit vitam gratiæ in suscipiente, & peccatum mortale remissum: cibus enim non datur mortuis vt resurgant, & ad vitam reuocentur, sed tantùm viuis ne moriantur, & in vita conseruentur: ergo ex propria ratione huius sacramenti est, vt conferatur viuentibus, non mortuis.

Nec obstant verba illa Lucæ 22. quibus malè vtuntur Lutherus & Caluinus, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, ex quibus videtur colligi, Eucharistiam ex sua institutione remittere mortalia, & primam gratiam conferre. Nam facilè respondetur, non ideo illa verba apponi in forma consecrationis calicis, quia Eucharistia habeat illum effectum ex opere operato, sed quia sanguis qui est in Eucharistia pro vt effundendus, aut effusus in cruce, fuit pretium vniuersale nostræ redemptionis, & remissionis peccatorum; quod per causas alias nobis applicatur, veluti per sacramenta. Et præterea, quia ratione illius confertur nobis auxilium, ad iustificationem à mortalibus. Vnde hoc sacramentum non continet, per se loquendo, virtutem iustificandi à peccato lethali, sed continet rem sacramenti, hoc est, sanguinem ipsum pro vt in cruce oblatum. 3.

Conueniunt tertiò, peccatorem inuincibiliter ignorantem peccatum suum, si tamen nullam habeat illius saltem attritionem, per hoc sacramentum non consequi gratiam, nec peccati remissionem: nulli enim in peccato mortali constituto, remittitur peccatum, sine formali, vel virtuali pœnitentia; & constat exemplo baptismi, & pœnitentiæ, cùm tamen hæc duo sacramenta ad remissionem peccatorum per se instituta sint. 4.

Difficultas ergò est, an in aliquo casu Eucharistia quamuis non per se primò, saltem secundariò, & per accidens conferat primam gratiam, & remittat peccata mortalia. Duplex autem casus assignari solet. *Primus* cùm quis diligenter discussit conscientiam suam, & nullius culpæ conscius fuit, an si tunc cum attritione supernaturali accedat ad communionem, ex attrito per Eucharistiam fiat contritus, & recipiat primam gratiam. *Secundus* casus est, cùm quis memor est peccati mortalis, & de illo habet attritionem quam putat esse contritionem, an si vrgeat necessitas communicandi, & Sacerdos non adsit, tunc virtute huius sacramenti accedens ad illud ex attrito fiat contritus, & primam gratiam suscipiat. 5.

Prima sententia est affirmans, quam tenet Scotus in 4. dist. 9. quem sequitur Suarez disput. 63. sect. 1. & plures alij. Et videtur fauere D. Thom. quæst. 79. art. 3. in corpore. Vbi ait. *Alio modo etiam percipitur ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam, & affectum non habet: fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed deuotè, ac reuerenter accedens consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.* Quæ verba licèt à nonnullis intelligantur de actuali dilectione, & charitate quam impetrabit 6.

susceptio

ſuſceptio Euchariſtiæ, potius intelligenda ſunt de gratia habituali, ſi attentè perpendantur.

7. Et probatur primò hæc ſententia, quia ſacramenta ſunt inſtituta à Chriſto, vt ſint organa per quæ illius merita nobis applicentur, & gratia conferatur: ergo hæc virtus non poteſt negari huic ſacramento non ponentibus obicem, & accedentibus bona fide, ſicut accedunt præcipuè illi qui immemores ſuorum peccatorum cum diligenti diſcuſſione accedunt cum attritione ſupernaturali: vel etiamſi ſint memores peccatorum, cum attritione exiſtimata contritione. Et confirmatur, quia hoc videtur peculiariter ad huius ſacramenti dignitatem & excellentiam ſpectare, vt talem effectum ſortiatur, ſaltem in his, qui bona fide accedunt, nec vllum gratiæ impedimentum ponunt: quandoquidem Euchariſtia continet ſubſtantialiter, & realiter ipſum Chriſtum, omnis gratiæ auctorem, & fontem vbertimum, quod certè ſi aliis ſacramentis conceditur, vt ſuprà vidimus in tract. de Sacram. in genere, non eſt tanto ſacramento denegandum. Deinde, quia id ſatis videtur colligi ex Trident. Can. 5. vbi aſſeritur, *ſi quis dixerit, vel præcipuum fructum huius ſacramenti eſſe remiſſionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus prouenire, anathema ſit.* Quibus indicari videtur, remiſſionem peccatorum etiam eſſe effectum Euchariſtiæ. Et denique id innuunt verba Eccleſiæ in illa oratione, *ſit nobis ablutio ſcelerum, ſit remiſſio omnium delictorum.* Plura alia loca ſanctorum Patrum inuenies apud Suarium vbi ſuprà.

Trident.

8. Secunda ſententia in vniuerſum negat, Euchariſtiam cauſare per ſe, vel per accidens primam gratiam in aliquo caſu. Ita D. Bonauent. in 4. diſtinct. 13. 2. parte art. 1. quæſt. 2. Vazquez diſp. 205. cap. 4. Lugus diſput. 12. ſect. 1. Hurt. diſput. 8. diff. 8. Meratius diſp. 33. ſect. 3. Præcipuum fundamentum huius ſententiæ eſt, quia ſacramentis nullum effectum tribuere debemus niſi ex Chriſti inſtitutione, vel Eccleſiæ definitione, vel Patrum traditione: ſed ex nullo capite conſtat, ſacramentum Euchariſtiæ præbere gratiam remiſſionis peccati lethalis: ergo ſine fundamento aſſeritur hoc ſacramentum conferre primam gratiam. Minor probatur, quia Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit ſub ratione cibi, & potus, qui certè non elargiuntur mortuis, ſed viuentibus: Eccleſia autem ſemper docuit, hoc ſacramentum conferre gratiam cibatiuam, id quod ſancti Patres tradiderunt: ergo nunquam aſſerendum eſt dari primam gratiam. Quod amplius confirmatur ex Catechiſmo Pij V. vbi aſſeritur, *verum quod dicitur Euchariſtia gratiam tribuo, paſtores admoneant oportet, ita intelligendum non eſſe, perinde ac neceſſe non ſit, vt qui re ipſa hoc ſacramentum viliter percepturus eſt, gratiam antea adeptus fuerit: conſtat enim quemadmodum mortuis corporibus naturale alimentum nihil prodeſt; ita etiam animæ quæ ſpiritu non viuit, ſacra myſteria non prodeſſe, ac propterea panis & vini ſpeciem habent, vt ſignificetur non quidem reuocanda ad vitam anima, ſed in vita conſeruanda cauſa inſtituta eſſe.*

9. Vtraque harum ſententiarum eſt ſatis probabilis. Scligo tamen primam tamquam communiorem, & magis piam, & fauorabilem huic ſacramento, & quæ magis extollit eius præſtantiam, & excellentiam.

10. Vnde ad fundamentum ſecundæ ſententiæ reſpondetur negando minorem. nam ex generali conditione, & virtute quam ſcimus competere ſacramentis, poſſumus colligere ſacramenta viuorum, & inter ea hoc ſacramentum præcipuè, poſſe interdum primam gratiam conferre. nam quamuis ſacramenta viuorum primò, & per ſe inſtituta non ſint ad remiſſionem mortalis, & ad vitam ſpiritualem primò conferendam, & ideo nullus poſſit dignè ad illa accedere, qui ſciat ſe mortuum; hoc tamen non eſt ita ſtrictè, & rigoroſè intelligendum, quòd mortuus re ipſa ſpiritualiter, nunquam poſſit ſecundariò, & per accidens per illa viuificari.

11. Neque obſtat, hoc ſacramentum fuiſſe inſtitutum per modum cibi, & potus, ac proinde non pro mortuis, ſed pro viuis, quia hoc reperitur diſcrimen inter Euchariſtiam, & cibum corporalem, quòd hic non habet vitam in ſemetipſo, ac proinde non poteſt illam tribuere non habenti: at Euchariſtia habet in ſe vitam, & eam confert: ac proinde non eſt mirum, ſi non tantùm poſſit vitam ſpiritualem animæ conſeruare, ſed etiam in aliquo caſu eam aliquando primo conferre, & ideo D. Auguſt. vt refert Gabriel ſect. 8. in Can. Miſſæ dixit, quòd Euchariſtia viuificat etiam mortuos, quamuis hæc verba negentur à Vazquio eſſe Auguſtini.

12. Denique, quamuis Eccleſia non expreſſerit hunc effectum, non tamen negauit; cum enim hic effectus non ſit omnino certus, cùm de illo diſcrepantes ſint Theologorum ſententiæ, prudenter abſtinuit ab eiuſmodi quæſtionibus, & tantum docuit primarium huius ſacramenti effectum, ad quem ex peculiari ſua ratione inſtitutum eſt.

SECTIO II.

Quando Euchariſtia conferat augmentum gratiæ ſanctificantis.

13. IN hac re duplex eſſe ſolet difficultas. *Prima* circa tempus quo ſacramentum Euchariſtiæ incipit conferre augmentum gratiæ. *Secunda* circa tempus quo ſpecies durant in ſtomacho, an ſcilicet Euchariſtia cauſet gratiam quandiu in ſtomacho perſeuerat. Circa primam difficultatem conueniunt Doctores, quòd quamuis verbum *manduco* deriuatum videatur à verbo *mando*, quod ſignificat dentibus, & ore, cibum conterere, tamen, ſi propriè loquamur, manducatio licèt incipiat à maſticatione, principalius, imò eſſentialiter conſiſtit in traiectione, & tranſmiſſione cibi in ſtomachum, & in eo conſummatur, & eodem modo philoſophandum eſt de potu, quod ex eo conſtat, quia non dicitur panem manducaſſe ille qui acceptum in ore ſtatim extraxit, vel eiecit, imò ab omnibus cenſetur ieiunus; neque dicitur bibiſſe potum is qui deguſtans ſtatim expuit: manducatio ergo eſſentialiter petit traiectionem, ſeu tranſmiſſionem cibi in ſtomachum: aliàs qui non traiectis, ſed reiectis ab ore ſpeciebus ſacramentalibus, illo modo manducaſſet, ſatisfaceret præcepto communionis, quod nullus concederet.

14. Dicendum ergo eſt, hoc ſacramentum gratiam conferre in vltimo inſtanti terminatiuo in quo verum eſt dicere, ſpecies ſacramentales traiectas eſſe ad ſtomachum, vel aliquam partem ſpecierum ſeparatim à reliqua parte manducata. Et ratio huius eſt, quia tunc eſt perfecta manducatio, & potatio: ergo tunc cauſatur gratia huius ſacramenti. Conſequentia eſt manifeſta, quia hæc eſt promiſſa manducanti, & bibenti. Ioan. 6. *Qui manducat me, viuet propter me, & qui manducat meam carnem, & bibit* Ioan. 6.

bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Antecedens verò ostenditur, quia manducatio, & potatio, non solùm includunt sumptionem cibi & potus in ore, vt manet probatum, sed potiùs transmissionem eorum in stomachum, & in eo consummantur; traiectio autem seu motus traiectionis, nec perficitur, nec consummatur, vsque ad vltimum instans terminatiuum ipsius: ergo in illo instanti terminatiuo claudente motum traiectionis, confertur gratia huius sacramenti.

15. Obiicies, quia gratia huius sacramenti fuit à Christo promissa manducanti se, non verò ei qui manducauit; in instanti verò, de quo loquimur, Christi corpus non manducatur, sed manducatus est: ergo in eo instanti non confertur gratia huius sacramenti. Respondetur, gratiam dari in indiuisibili terminatiuo in quo completur, & terminatur integra ratio manducationis, quia quamuis promissa sit manducanti, non tamen pro toto tempore quo durat manducatio; quia gratia non producitur successiuè, sed in instanti.

16. Circa secundum est maior difficultas, quanto tempore duret virtus huius sacramenti conferens augmentum gratiæ, an scilicet eam conferat continuè toto tempore quo durant species sacramentales incorruptæ in stomacho. Partem affirmantem tenet Caietanus, quam sequuntur Suarez disput. 63. sect. 7. Lugos disput. 12. sect. 2. num. 46. Est tamen diuersitas inter hos Doctores. nam Caietanus docet, Eucharistiam dare gratiam continuè toto tempore quo perseuerant species incorruptæ in stomacho, etiamsi nulla adsit noua dispositio. Suarez verò, Lugus, & nonnulli alij existimant, ad hoc augmentum gratiæ, requiri etiam augmentum nouæ dispositionis, quia si nulla noua, aut melior dispositio subsequatur, nulla est ratio cur effectus sacramenti post manducationem iteretur; in ipsa enim manducatione aget tunc quantum pro præsenti dispositione potest. Fundamentum huius sententiæ est, quia hic modus dicendi plurimum exaltat misericordiam Dei erga nos, & excellentiam huius sacramenti, & hæc sententia est satis pia, & apta ad excitandam deuotionem fidelium erga hoc venerabile sacramentum.

17. Verius tamen existimo, hoc sacramentum ex opere operato solùm causare gratiam, dum primò comeditur, non in tempore sequenti. Ita communiter Doctores cum Vazquio disput. 233. num. 19. & sequentibus, & videtur esse de mente D. D. Thom. Thomæ infrà quæst. 80. art. 8. ad 6. vbi ait, *ideo præceptum esse ieiunium ante, non verò post communionem, quia in ipsa sumptione percipitur effectus huius sacramenti.* Et probatur primò, quia in sacra Scriptura, & Patribus, totus eius effectus, statim actuali manducationi tribuitur, iuxta illud: *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.* Secundò, quia si corpus Christi semel manducatum, continuè influeret augmentum gratiæ quandiu durat in stomacho, sequeretur, hoc sacramentum conferre gratiam ex opere operato vltra proportionem dispositionis. Ostendo sequelam, quia quando hoc sacramentum sumitur, confertur gratia iuxta proportionem dispositionis; ergo gratia quæ deinceps confertur, erit vltra proportionem illius.

18. Dices hoc argumentum bene procedere contra modum dicendi Caietani, non verò contra sententiam aliorum Doctorum, qui exigunt nouam dispositionem, vel augmentum illius, ad hoc vt etiam augeatur gratia sacramentalis. Contrà, quia vel illi Doctores loquuntur de dispositione actuali, quæ consistit in actibus intellectus, & voluntatis; aut de dispositione habituali, quæ in ipsa gratia iustificante consistit. *Primum* dici non potest, quia, vt infrà ostendemus, nullus actus ipsius hominis requiritur tanquam dispositio ad effectum huius sacramenti. Neque etiam dici potest *secundum*, quia gratia habitualis pro tunc non fit maior, nisi ex opere operantis per actus ipsius hominis.

Tertiò probatur, quia ex opposita sententia plura sequuntur inconuenientia. 19.

Primum est, eum qui indignè accepit Eucharistiam, si tamen postea dum durat in stomacho, pœniteat, & doleat de peccatis, recipere effectum huius sacramenti recedente fictione. Et quia Doctores contrariæ sententiæ hoc concedunt inculpatæ fictioni; non verò quando scienter sacrilegè sumitur Eucharistia, examinandum est, an præsentia corporis Christi causet gratiam recedente fictione. In qua re consequenter ad ea quæ docuimus suprà tract. de sacramentis in genere, disput. 6. sect. 2. partem negantem sustineo cum D. Thoma in 4. distinct. 4. art. 2. quæst. 3. ad 3. quem sequitur Vazquez disput. 63. sect. 8. & ferè communiter Theologi, quia cùm efficacitas huius sacramenti ex sola Dei voluntate, & institutione pendeat, nihil de ea temere asserendum est absque probabili fundamento, & argumento vel auctoritatis, vel rationis: nullum autem tale datur vt hoc affirmemus de Eucharistia, nec in sacra Scriptura, neque in Conciliis, neque in Patribus. Deinde, quia si hoc conceditur Baptismo, vel alicui alij sacramento, ideo est, vel quia est necessarium necessitate medij ad salutem, vel quia iterari, aut absolutè, aut pro aliquo saltem statu non potest, quorum nihil in Eucharistia reperitur. Denique, quia incredibile videtur Sacerdotem quotidie indignè communicantem per vnum actum contritionis in fine vitæ consequi omnem gratiam, quam ex opere operato recepisset, si dignè communicasset.

Secundum inconueniens sequitur, peccare mortaliter eum qui postquam sumpsit dignè hoc sacramentum, labitur in peccatum mortale dum species perseuerant in stomacho; cùm tamen D. Paulus solùm damnauerit eum qui indignè manducat & bibit. Quòd autem hoc inconueniens sequatur, sic ostendo; quia in illa sententia ille qui peccat durantibus speciebus, impedit effectum gratiæ, & huic se opponit: ergo peccat mortaliter, sicut ille qui indignè suscipit, & manducat. Consequentia probatur, quia toto illo tempore quo species durant in stomacho per te possunt dare gratiam: ergo sicut in ipsa sumptione tenetur homo esse in gratia, ne ponatur obex Eucharistiæ ad suum effectum, ob eamdem rationem tenetur toto tempore sequenti. Ex quo etiam sequitur, quòd si statim post communionem peccauit, teneatur etiam statim conteri, vel confiteri, ne talis effectus impediatur, quæ omnia sunt contra mentem fidelium. 20.

Tertium inconueniens sequitur, ex maiori quantitate specierum, sequi maius augmentum gratiæ, quod est contra communem sensum Ecclesiæ: aliàs essent melioris conditionis qui communicant sub multis hostiis, quod est falsum, & puniuntur vt suspicioſi per Inquisitores, qui sunt multò solliciti se communicare sub multis hostiis, vt diutiùs duret corpus Christi in stomacho, atque ita maiorem gratiam suscipiant, vt notat 21.

Digitized by Google

Ioann. de la Cruz in directorio Conscientiæ parte 2. quæst. 4. dub. 1. Quod certè non esset dignum reprehensione, si vera esset contraria sententia. Non tamen damnarem eum, qui ex affectu fruendi amplius reali præsentia Christi & excitandi in se maiorem affectum, & deuotionem erga ipsum, & suscipiendi vberiora auxilia gratiæ actualia, quæreret non superstitiosè, sed deuotè, maiorem hostiam in communione.

SECTIO III.

An per hoc sacramentum remittantur peccata venialia.

22. CONclusio est affirmatiua, & probatur ex Tridentin. sess. 13. cap. 2. vbi hoc sacramentum appellat Antidotum quo liberamur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruamur. Idem tra[illegible]t in Catechismo Pij V. per hæc verba. Remittitvr eò Eucharistia, & condemnari leuiora peccata quæ venialia dici solent, non est quod dubitari debeat.

23. Est tamen difficultas, quomodo hic effectus ab Eucharistia proueniat. Et quidem communis sententia docet cum D. Thom. art. 4. & 6. duobus modis per hoc sacramentum peccata venialia remitti. *Primò* per infusionem gratiæ sanctificantis, præsuppositâ de his attritione, sicut in Pœnitentiæ sacramento. *Secundò* per feruorem charitatis quem excitat, & ex quo fit vt prorumpat homo in perfectam illorum contritionem per quam delentur.

24. Pater Suarez tom. 4. distinct. 11. sect. 1. excogitauit tertium alium modum, videlicet per infusionem solius gratiæ sanctificantis, absque vllo præuio dolore, seu attritione, dummodo præcedat negatio affectus, seu complacentiæ ad illa.

25. Ego verò quamuis censeam per hoc sacramentum ex opere operato deleri in nobis peccata venialia, dummodo homo ad minus accedat attritus de eis; sententiam tamen Suarij nullo modo approbo. *Primò*, quia nullum assignatur sufficiens fundamentum ad probandum hoc sacramentum esse efficacius institutum ad remissionem peccatorum venialium, quàm sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ ad remittenda mortalia; hæc autem sacramenta eiusmodi remissionem non efficiunt, nisi præuia de eis attritione. *Deinde*, quia si in iusto non requiritur actualis aliquis motus in peccatum veniale, vt illud per hoc sacramentum deleatur, & sufficiat negatio affectus, seu complacentiæ ad illa, sequitur neminem dignè suscipere Eucharistiæ sacramentum, qui non consequatur omnium peccatorum venialium remissionem; ac proinde maneat purus ab omni peccato, tam lethali, quàm veniali: rarus enim inuenitur dignè accedens ad Eucharistiam qui eo tempore quo suscipit hoc admirabile sacramentum actu sibi in aliquo peccato veniali complaceat. Sequela autem est contra communem sensum fidelium: quam sic ostendo, quia cùm iuxta illud principium non sit potior ratio vnius, quàm alterius, manifestè sequitur eo casu omnia peccata venialia deleri.

SECTIO IV.

An hoc sacramento fiat vnio carnis nostræ cum carne Christi.

26. GAbriel Vazquez disput. 204. cap. 1. refert Cardinalem de Mendoza Antistitem Burgensem, concione ad Populum habita dixisse, fideles hoc sacramentum dignè suscipientes, non solùm vniri Christo affectu, & charitate, sed etiam reali, substantiali, & naturali vnione suæ carnis cum carne Christi. quæ propositio pluribus Theologis illius ætatis adeò inuisa fuit, vt eam tanquam periculosam, & parum consonam fidei damnauerint. Contra quorum censuram Cardinalis edidit librum in sui defensionem, in quo docuit nullatenus fidei nostræ aduersari, licèt non satis apertè illam dilucidauerit. Nihilominus impugnatur sic, quia inter carnem Christi & carnem nostram, nulla potest esse vnio naturalis tanquam ex materia & forma; neque tanquam accidentis cum subiecto; neque vlla alia potest excogitari: ergo falsum est dicere interuenire naturalem vnionem.

27. Sit ergo conclusio. Virtute huius sacramenti, non solùm per charitatem cum Christo vnimur, sed etiam inter carnem nostram & carnem Christi peculiaris vnio intercedit, quæ in nobis perseuerat adhuc corruptis speciebus sacramentalibus, dum in gratia manemus, & illam vnionem appellant plures sancti Patres realem, substantialem, & naturalem. legendus est Hilarius 8. de Trinitate, & Chrysostomus homil. 45. & 46. in Ioannem, & 83. in Matthæum. Hæc conclusio explicatur sic, *primò*. Hæc vnio non fit per naturalem mixtionem, ita vt sicut cera liquata alteri ceræ infusa miscetur, ita caro nostra carni Christi admisceatur. *Secundò*. Non fiunt vna caro physica & reali continuatione, vt continuantur duæ portiones aquæ. *Tertiò*. Non fit conuersio aliqua carnis Christi in carnem nostram, sicut in nutritione; neque econuerso. *Denique* nec fit vnio vt ex materia & forma, vt prædictum est.

28. Dicitur ergo vniri carnem nostram cum carne Christi, & ex vtraque fieri carnem vnam, & vnum corpus; ita vt membra nostra dicantur membra Christi, vt quamuis non sit solùm per affectum charitatis, qualis est inter animam nostram & Deum, & inter animam nostram & Christi; habet tamen originem ex affectu charitatis per proprium effectum consummato. Sic namque D. Thomas 1. 2. quæst. 28. art. 1. asserit, amorem suapte natura contendere quantum potest in vnionem realem duorum amantium; & Aristotel. lib. 2. Politicorum cap. 2. asseruit, talem esse amorem ex se, vt virtute illius si fieri posset, ex ambobus amantibus fieret vnus; quia verò id possibile non est, amor quærit ipsam vnionem, quæ conuenit & decens est, & quamuis amor talis sit, vt interdum amantes solùm loco coniungat, aliquando tamen amor ita potest crescere, vt ratione eius amantes ipsi vna caro nuncupentur: quod expressè testatur Scriptura Genes. 2. & expressiùs Christus Matth. 19. his verbis. *Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Matth. Ad hunc modum ergo, id quod inter virum, & fœminam efficit copula carnalis ex mutuo amore profecta, tanquam ipsius amoris consum

consummatio; non minori ratione efficere potest consummatio charitatis, quæ sit inter nos & Christum in Eucharistia, cùm charitas eò peruenerit, vt non tantùm perfruamur Christo coniuncto nobis loco, sed etiam efficiat, vt sub speciebus cibi & potus intra carnem nostram sit, vt eo spiritualiter nutriamur. Itaque hæc coniunctio habebit rationem non solùm cuiusdam propinquitatis inter corpora nostra, & corpus Christi; sed etiam rationem vnionis propter intimum affectum, quem corpus Christi existens intra carnem nostram sumptum per modum cibi intra nos operatur.

29. Hæc autem vnio non est physica, vt patet, sed vnio quædam moralis similis vnioni morali prædictæ, quæ est inter corpora coniugum, prouenienti ex copula ex mutuo amore, vel absque iniuria ab vno in alterum facta: vt vult Hurt. disput. 8. diff. 4. Vt enim coniuges non solùm fiunt vna caro physicè, ratione copulæ, sed etiam moraliter, quia hæc tam intima coniunctio ex mutuo affectu, & absque iniuria habita, exigit moraliter, vt vnus coniux carnem alterius quasi propriam respiciat, habeat, & tractet: ita Christus ex eo quòd carnem suam in Eucharistia communicat suscipienti, & eam dignè suscipiens intra suam carnem, & viscera habeat, consequens est, vt fiant vnum corpus, & vna caro; non quidem physicè, sed tantùm moraliter: quia hæc tam intima coniunctio moraliter exigit, vt Christus carnem nostram respiciat, habeat, & tractet quasi propriam & econtra idem faciat dignè suscipiens. Dixi *dignè suscipiens*; aliàs non fiet vna caro, cùm Christus per hoc sacramentum, in quo differt à matrimonio, & copula carnali. nam licèt hæc habeatur sine mutuo amore fient vna caro. nam, vt ait Paulus 1. Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum illa.* 1. Cor. 6.

30. Denique, quamuis hæc vnio sit tantùm moralis, appellatur tamen à Patribus realis, naturalis, & substantialis, quia fit non solùm ratione affectus, sed etiam ratione susceptionis realis carnis Christi secundùm suam propriam substantiam intra nos. Hæc omnia ferè transcripsi ex Vazquio vbi latiori calamo poteris ea videre.

31. Et ex hac doctrina infert hic Auctor, hoc sacramentum iure optimo appellari synaxim, seu communionem, quia habet vim vniendi non solùm animas nostras cum Christo, sed etiam corpora nostra cum carne Christi. In quo sensu dicitur à sanctis Patribus, per hoc sacramentum carnem nostram ad immortalitatem præparari. Infero secundò, rectè D. Thom. art. 2. dixisse, effectum peculiare huius sacramenti esse vitam æternam, non solùm animæ, sed etiam corporis; confert quidem gloriam animæ, non tantùm generali ratione, quia effectus illius est gratia quæ est ius ad gloriam; hoc enim commune est omnibus sacramentis; sed etiam speciali ratione, videlicet, quia perseuerantia in gratia ad quam infallibiliter consequitur gloria animæ, est specialis effectus Eucharistiæ. Gloriam verò corporis esse illius effectum satis expressit Christus Ioann. 6. illis verbis: *Ego resuscitabo eum in nouissimo die*; confert autem hunc effectum, non solùm, quia est causa perseuerantiæ in gratia ad quam consequitur gloria animæ, & ad hanc debito congruitatis consequitur gloria corporis; sed etiam propter vnionem & coniunctionem carnis nostræ cum carne Christi, ob quam causam ab Ecclesia appellatur, arrha, & pignus vitæ æternæ. Ioan. 6.

Denique plures alios effectus confert, præseruat à peccatis mortalibus, vt in ea non incidamus: remittit venialia, vt prædictum est; ad vincendas tentationes auxilia confert congrua, sedat passiones, sanitatem corporis procurat, &, vt verbis vtar Catechismi Trident. cap. de Eucharistia, *immensæ huius sacramenti vtilitates, nulla oratione explicari possunt: cætera sacramenta velut riuuli, Eucharistia fonti comparatur; estque omnium sacramentorum finis, & Ecclesiastice vnitatis symbolum: nec solùm sustentat animam, sed vires illi addit, efficitque vt spiritus rerum diuinarum delectatione magis ac magis commoueatur, & similis est manna ex quo olim omnis saporis suauitas.* 32.

Sectio V.

Quæ dispositio sit necessaria ad percipiendum primarium effectum huius sacramenti, scilicet augmentum gratiæ.

33. NOnnulli Scholastici docuerunt, ad percipiendum fructum augmenti gratiæ huius sacramenti, præter statum iustitiæ, & sanctitatis, necessarium esse aliquem affectum deuotionis ex pia aliqua consideratione profectum, qui si impediatur aliquo actuali peccato veniali, etiam impediri fructum huius sacramenti: quoniam peccatum veniale opponitur feruori, & deuotioni, huic sacramento requisitis. Ita docuit Alexander 4. parte quæst. 10. mem. 8. art. 3. Caietan. quæst. 79. art. 1.

34. Nihilominus sit conclusio. Ad percipiendum fructum huius sacramenti, scilicet augmentum habitus gratiæ & sanctitatis in suscipiente Eucharistiam, præter statum gratiæ, nulla alia actualis deuotio requiritur, ita vt ille effectus nullatenus impediatur aliquo peccato veniali, vel mentis distractione. Ita D. Thom. art. 8. Suarez disput. 63. sect. 3. Vazquez disput. 206. & est communis inter Theologos. Et in primis probatur ex Trident. sess. 13. cap. 3. vbi ait, dispositionem necessariam ad hoc sacramentum esse statum gratiæ, & sanctitatis, & si sit conscientia peccati mortalis, quòd præmittatur confessio, & nullam aliam Concilium dispositionem requirit. Nec valet si dicas, Concilium apponere conditionem necessariam ad suscipiendam Eucharistiam sine peccato; non verò esse conditionem sufficientem ad percipiendum fructum illius. Nam si hoc sacramentum recipitur sine peccato mortali, & per consequens dignè, consequenter recipitur meritoriè, & fructus eius obtinetur: neque enim fieri potest vt non appositio obice, quod solum est peccatum mortale, non obtineatur effectus sacramenti.

35. Secundò probatur auctoritate D. Thom. suprà, vbi ait. *Peccata venialia dupliciter accipi possunt, vno modo pro vt sunt præterita; alio modo pro vt sunt actu exercita. Primo quidem modo, peccata venialia nullo modo impediunt effectum huius sacramenti: potest enim contingere quòd aliquis post multa peccata venialia commissa, deuotè accedat ad hoc sacramentum, & plenariè huius sacramenti consequatur effectum. Secundo autem modo peccata venialia, non ex toto impediunt huius sacramenti effectum, sed in parte: effectus enim* D. Thom.

huius sacramenti non solùm est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis; sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur si aliquis accedat ad hoc sacramentum per peccata venialia mente distractus: non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis. Quid expressiùs?

36. Tertiò, quia nulla iniuria irrogatur huic sacramento, si quis accedat ad ipsum non apponens obicem, & per consequens non impediens fructum illius; obex autem & fictio, solum est labes peccati mortalis, secundùm Tridentin. sessione 7. Canon 6.

37. Quartò, quia sequeretur, voluntariam actualis deuotionis omissionem, seu illud peccatum veniale, fore quoque mortale peccatum sacrilegij, quod nullus vnquam dixit. Sequela probatur. Quia qui sciens, & volens, ponit obicem gratiæ sacramentali, eo ipso peccatum mortale sacrilegij committit contra religionem debitam sacramento: sed ex contraria sententia, qui voluntariè actum illum deuotionis omittit, vel aliud peccatum veniale committit, ponit prædictum obicem primario effectui huius sacramenti: ergo.

38. Denique, quia si actualis illa deuotio requireretur ad percipiendum fructum huius sacramenti, inutiliter, & indigne in antiqua Ecclesia ministratum fuisset paruulis, & amentibus; quia paruuli & amentes, nequeunt actualem aliquam deuotionem habere.

39. Neque obstat quòd sancti Patres in suscipiente Eucharistiam præter statum gratiæ magnam deuotionem requirunt. Nam ad hanc deuotionem hortantur tanquam ad rem vtilissimam, & optimam; non autem vt dispositionem necessariam. Neque iterum obstat, quòd si nostra sententia vera esset, sequeretur, quòd gratia quæ per hoc sacramentum confertur, sine mensura in Sacerdotibus sine mortali accedentibus creleceret; quod tamen non videtur credibile. Nam certissimum est Sacerdotes qui in statu gratiæ ad Eucharistiam accedunt, peruenire ad ingens augmentum gratiæ, cui non obstant plura peccata venialia; hæc enim incompossibilia non sunt cum ingenti augmento gratiæ. Et ex his

40. Infertur primò effectum augmenti gratiæ nunquam impediri per tota peccata venialia, quamuis in ipsa sumptione Eucharistiæ committantur; quia gratia habitualis cuiuslibet sit intentionis, nullam habet oppositionem & repugnantiam cum peccatis venialibus, vt suprà documus. Itaque sicut gratia sanctificans in quauis intensione, stare potest cum quibuslibet peccatis venialibus; ita etiam his non obstantibus, potest conferri ex opere operato per actum venialiter illicitum, vt constat in eo qui Baptismum suscipit ob vanam gloriam.

41. Infertur secundò, ad suscipiendum primarium effectum huius sacramenti, non requiri actualem deuotionem, seu attentionem, quia hoc sacramentum ex opere operato confert illum effectum; ac proinde citra dispositionem ex se ad eum effectum sufficientem, nullam aliam prærequirit. nam subiectum habens gratiam, eo ipso aptissimum est ad augmentum ipsiusmet gratiæ recipiendum, si causæ sufficiens applicetur.

DISPVTATIO IX.

De sumptione sacramenti Eucharistiæ.

SECTIO I.

An sumere sacramentum Eucharistiæ in statu peccati sit peccatum.

PRÆMITTENDVM est ex Tridentino tres esse modos manducandi hoc sacramentum. Primus est sacramentalis tantùm, qua ratione manducatur à peccatoribus, qui sumunt verum sacramentum, non tamen percipiunt fructum eius. Secundus est spiritualis tantùm, & ita manducatur ab hominibus iustis quando fide viua recipiunt hoc sacramentum in voto, & desiderio, manducandi illud realiter. Tertius est sacramentalis, & spiritualis simul, videlicet quando realiter accipitur à iustis. Quartum modum addit Scotus in 4. distinct. 2. quæst. 3. qui dicitur realis tantùm, qua ratione sumitur à brutis, aut ab hominibus ignorantibus rem quam sumunt esse sacramentum, quia per illam sumptionem non attingitur sacramentum vt sacramentum est, sed vt quidam cibus, & alimentum naturale, & ideo ille modus propriè & formaliter non dicitur sacramentalis. 1.

Prima conclusio. Status gratiæ ita necessarius est ad dignam susceptionem Eucharistiæ, vt sine illo ad eam accedere nimis graue peccatum sit. Hæc conclusio est de fide diffinita in Tridentin. sess. 3. Canon. 11. & colligitur expressè ex D. Paulo 1. ad Corinth. 11. *Quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini*; & infrà. *Qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit.* Et ratio huius est, quia cùm Christus Dominus instituerit hoc sacramentum non ad delenda mortalia, sed ad nutrimentum & augmentum vitæ spiritualis, inde fit ad hoc sacramentum dignè percipiendum, statum vitæ spiritualis per gratiam & sanctitatem debere supponi; ac proinde peccatum accedendi indignè ad tantum sacramentum, esse graue sacrilegium, & per ipsum irrogari maximam iniuriam, & irreuerentiam ipsi Christo sacramentorum auctori, & contento in hoc sacramento. 2. 1.Cor.11.

Quamuis autem hæc obligatio accedendi ad Eucharistiam in statu gratiæ tam arcta sit, Vazquez disp.106.cap.1.& Hurt.disp.9.diff.1.excipiunt casum in quo licet accedere in statu peccati mortalis; vt si contingat quòd Sacerdos in altari existens recordetur alicuius mortalis non confessi, & de quo non habuit contritionem, & ex alio capite quando recordatur, est adeò propinquus communioni, vt pro temporis angustiis nequeat moraliter, seu absque nimia difficultate, ad contritionem excitari, nisi esset à sacrificio, vel detineatur pro tempore aliquo aliqualiter notabili ad eam eliciendam, cum graui nota sui honoris; tunc poterit Sacerdos ad sacramentum in illo mortali accedere, sine alio de nouo commissio; quia præceptum hoc quamuis sit diuinum, non obligat cum tanto dispendio honoris, vt coram populo à sacrificio cessare, 3.

ceſſare,vel nimis detineri debeat. Idem docet Lugus diſput. 14.ſect.1. qui addit alium caſum,quando ſcilicet in ſubita hæreticorum, vel Paganorum irruptione periculum eſſet grauiſſimæ irreuerentiæ Euchariſtiæ inferendæ, & Catholicus in peccato exiſtens,non poſſet præ temporis anguſtiis diſponere ſe per contritionem, aut occultare ſacramentum;tunc enim propter eiuſdem ſacramenti reuerentiam,ſicut poſſet non ieiunus, ſic etiam poſſet in peccato exiſtens, Euchariſtiam ſumere ad vitandam eius irreuerentiam. Idem & propter rationem ſuperiùs adductam dicendum cenſeo,de eo qui in ſcamno communicantium recordatur mortalis iam iam propinquus communioni, nec poteſt abſque infamia,vel graui nota recedere, nec in ea anguſtia & brenitate poteſt ſe ad contritionem diſponere,poterit abſque præuia confeſſione, & contritione communicare;ſecluſa tamen nota,& ſcandalo,non poterit.

4. Cæterùm, quia hi caſus rariſſimè contingunt, non inde inferas poſſe Sacerdotem ad vitandam infamiam celebrare in ſtatu peccati mortalis cuius antea recordatur, ob ſolam difficultatem eliciendi contritionem quando deficit copia Confeſſarij; etiamſi Miſſam celebrare teneatur,quia, vt aduertunt præallegati Doctores,vnicuique moraliter eſt poſſibile contritionem elicere cum diuina gratia, cùm nemini ad hoc deficiat auxilium ſufficiens,antequam accedat ad celebrandum,vel certè in Miſſæ diſcurſu id præſtare poteſt.

5. Secunda concluſio.Hoc peccatum indignæ ſuſceptionis Euchariſtiæ ex ſuo genere, & ſpecie, grauius eſt omnibus peccatis quæ ſunt in puras creaturas,aut circa eas, vt furto, homicidio,Sodomia,&c. aliis autem quæ in ipſum Deum committuntur minus graue eſt. Ratio prioris partis eſt, quia hoc peccatum opponitur virtuti Religionis, quæ quidem perfectior & melior eſt virtutibus moralibus, quibus opponuntur illa alia peccata. Ratio verò poſterioris, quia peccata oppoſita virtutibus theologicis, & quæ Deum immediatè reſpiciunt, grauiora & maiora ſunt, vtpote quæ opponuntur virtutibus eſſentialiter perfectioribus. v. g. peccatum odij opponitur charitati virtuti theologicæ, quæ perfectior eſt virtute Religionis, cui opponitur peccatum ſacrilegij indignæ ſuſceptionis Euchariſtiæ.

6. Vbi nota,quòd is qui accedit ad hoc ſacramentum pluribus, aut grauioribus peccatis irretitus, grauius peccat,quàm is qui paucioribus,aut leuioribus peccatis coinquinatus eſt. Nullus tamen tenetur in confeſſione exprimere qualitatem, vel numerum peccatorum præcedentium, cum quorum conſcientia indignè communicauit,vt expreſsè docet D.Thom. quæſt.80. art.2. Sed ſatisfaciet dicendo ſe in peccato mortali ad Euchariſtiam acceſſiſſe,quia illam in ſtatu plurium peccatorum ſumere,non multiplicat numero peccata indignę receptionis,neque eſt circũſtantia neceſſariò in confeſſione exprimenda:ſicut non committit duo peccata qui accipit Euchariſtiam contra præceptum aliquod humanum,vel eſt excommunicatus,vnum contra prohibitionem, vel excommunicationem: alterum quatenus communicat in peccato, vt docent Vazquez & Lugus ſuprà, contra Suarium ſect. 1. quia vtrumque præceptum eſt ex eodem motiuo Religionis ne quis indignè ad Euchariſtiam accedat; ſicque ſufficiet dicere, ſe accepiſſe Euchariſtiam indignè, ſeu in ſtatu peccati, quia eo modo ſufficienter exprimit malitiam, quæ ſumitur etiam ex prohibitione Eccleſiæ.

Obiicies, quia peccata minus grauia, videlicet peccata carnalia, magis repugnant Euchariſtiæ, quàm ſpiritualia, vt docuit Paſchaſius lib. de corpore & ſanguine Domini cap. 22. vbi probat neceſſitatem maximam caſtitatis ad ſumendam Euchariſtiam, his verbis: *probet ſe vnuſquiſque, & vt præcipitur ſic ſe agat. Renes veſtros, inquit, accingetu, quia hæc ſunt vitæ ſemina, quibus virgines generantur: vnde conſtat,quòd nulli periculoſius ea contingunt, quàm luxurioſi, & inceſti.* ergo qui accedit ad hoc ſacramentum grauioribus peccatis irretitus, non ideo grauius peccat,quàm qui leuioribus. 7. Paſchaſ.

Reſpondetur, quòd quamuis Euchariſtia ſumatur cum quolibet peccato mortali, nullum effectum gratiæ habitualis operetur in ſumente; tamen tanta eſt vis huius diuini ſacramenti, vt tunc etiam quando indignè ſuſcipitur aliquando ſui ſplendoris radios in peccatoris mentem diffundat, & cum ad dolorem & compunctionem excitat, vt docet expreſsè Cyrillus Alexandrin. lib.9. in Ioann. cap. 19. vbi affirmat. *Ideo diabolum Iudam poſt Euchariſtiam ſumptam, vehementiùs impuliſſe, vt celeriùs feſtinaret ad perficiendam proditionem, quia timuit ne fortaſſe ſacramenti virtute illuminatus ad pœnitentiam moueretur, timens, inquit, ne ſcintillam in animo eius accenderit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna præcipitem agit celeritate.* Cuius quidem emolumenti magis incapax eſt, qui cum luxuriæ peccato ad Euchariſtiam accedit, propter maiorem hebetudinem mentis ab eiuſmodi peccatis contractam, ratione cuius minus aptus eſt ad diuinas excitationes, & illuſtrationes percipiendas, & ideo docuit Paſchaſius periculoſiùs recipi Euchariſtiam cum eiuſmodi peccatis. 8. Cyril. Alex.

Tertia concluſio. Communicare cum peccato veniali habituali, vel actuali concomitante, nullum peccatum eſt adhuc veniale, niſi ipſum peccatum veniale ſit circunſtantia communionis,afficiens ipſum actum communicandi, vt ſi quis ob vanam gloriam communicet. Ita Vazquez diſput. 107.cap.2.& Recentiores communiter. Et probatur,quia huiuſmodi peccata ſi ſint habitualia, nullo modo impediunt effectum Euchariſtiæ. nam,vt docet D.Thom.art.4. *Quòd remouetur per aliquam actionem, non poteſt impedire effectum ipſius actionis;* cùm ergo per ſumptionem huius ſacramenti remoueantur peccata venialia habitualia, nec poterunt impedire effectum huius ſacramenti: ergo neque peccat venialiter qui cum veniali habituali accedat ad Euchariſtiam. Et eadem ratione probatur de venialibus actualibus, dummodò tantùm ſint concomitantia, quia hæc nullo modo impediunt primarium & principalem effectum huius ſacramenti, videlicet augmentum gratiæ: ergo ſumendo Euchariſtiam in peccato veniali etiam actuali, & ſumptione ipſa commiſſo, dummodo non ſit circunſtantia communionis, afficiens ipſum actum communicandi; vt ſi quis accedat cum affectu actuali dicendi mendacium leue, nullum committitur nouum peccatum veniale ſacrilegij. 9. D.Thom.

Dices, quòd iſte ſuo peccato veniali impedit feruorem charitatis, quòd ex opere operato excitaret ſacramentum: ergo ſicut qui accedit cum mortali, peccat mortaliter, quia impedit totalem effectum huius ſacramenti: ita qui accedit cum illo veniali,peccat venialiter, quia impedit aliqua ex parte effectum illius. Reſpondetur, impedire 10.

effectum aliquem huius ſacramenti qui non ſit præcipuus, nullum eſſe peccatum, nec veniale: imò ſi culpa aliqua eſſet, potius cenſenda eſſet mortalis, quàm venialis, ob defectum diſpoſitionis impedire aliquem effectum Euchariſtiæ. Ex alio verò capite non auderem negare, peccare venialiter eum, qui omnino voluntariè diſtractus abſque vlla animi præparatione accederet ad Euchariſtiam. nam quamuis non poneret obicem primario effectui huius ſacramenti, & ex ea parte nullum peccatum admitteret; peccaret tamen ſaltem venialiter contra reuerentiam debitam tanto ſacramento, cui aduerſaretur modus ille accedendi abſque vlla deuotione, aut præparatione, ſic Lugus diſp. 14. ſect. 2.

11. Non tamen inde inferas me requirere ad effectum Euchariſtiæ actualem deuotionem in communicante; hanc enim neque Tridentinum exigit, ſed tantùm petit tanquam diſpoſitionem neceſſariam in ſuſcipiente hoc ſacramentum probationem qua homo ſe probat, & inuenit abſque conſcientia peccati mortalis; ſed ſolùm ex parte reuerentiæ tanto ſacramento debitæ affirmo, peccare venialiter eum qui ad illud accedit abſque aliqua præparatione, & attentione, ac deuotione ſaltem virtuali, quæ quidem ſemper interuenit quoties adultus voluntariè accedit ad Euchariſtiam ex deſiderio percipiendi fructum huius ſacramenti.

Sectio II.

An exiſtens in peccato mortali teneatur præmittere confeſſionem ad ſumptionem Euchariſtiæ.

12. Concluſio eſt affirmatiua. In eo qui conſcius eſt alicuius peccati mortalis à ſe commiſſi ad dignam ſuſceptionem Euchariſtiæ, non ſufficit ſtatus gratiæ & iuſtitiæ media contritione perfecta comparatus, ſed neceſſariò requiritur confeſſio ſacramentalis, & præceptum præmittendi talem confeſſionem eſſe diuinum probabilius cenſeo. Hæc concluſio eſt adeò certa quoad priorem partem, vt de illa nullo modo dubitare liceat, & intelligitur de confeſſione omnium mortalium; ita vt omnia mortalia ſint in confeſſione exprimenda antequam quis accedat ad hoc ſacramentum; ac proinde qui in confeſſione omiſit aliquod peccatum, vel quòd illius eſſet oblitus, vel quòd iuſta de cauſa non teneretur id tali confeſſione explicare, debet illud confiteri antequam communicet. Et probatur, quia ita expreſsè decernitur in Trident. ſeſſ. 13. cap. 10. & Canon. 11. his verbis. *Si unit atque declarat ſancta Synodus illos quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia confeſſoris neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

Trident.

13. Secunda pars concluſionis, ſcilicet eſſe præceptum diuinum præmittere confeſſionem, probatur, quia Trident. ex illo loco Pauli 1. Corinth. 11. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat*, declarat probationem quam poſtulat Apoſtolus eſſe confeſſionem ſacramentalem, ex qua declaratione Tridentini quam dicit fulciri conſuetudine Eccleſiæ, & modo intelligendi locum illum tanquam certius, & probabilius colligitur, legem de præmittenda confeſſione eſſe diuinam, ac de iure diuino poſitiuo, & ſic conſtanti traditione in Eccleſiam dimanaſſe eam obligationem. Nec obſtat præceptum hoc contineri in illis verbis, *probet autem ſe ipſum homo*, quæ verba ſunt Pauli, non Domini, quod ſatis indicat Tridentin. cap. 7. dum poſt mentionem Apoſtoli ait. *Quare reuocandum eſt in memoriam eius præceptum.* Vbi relatiuum *eius* ad Apoſtolum, non ad Chriſtum refertur. Nam facilè reſpondetur, præceptum illud dici eſſe ipſius Apoſtoli, non vt condentis legem, ſed vt promulgantis, & ipſemet Apoſtolus fatetur quæ de Euchariſtia tradit, accepiſſe à Domino, illis verbis, *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.*

1. Cor. 11.

14. Quamuis autem hæc adeò certa ſint, nonnulli ſunt caſus in quibus licet accedere ad Euchariſtiam cum contritione, non præmiſſa confeſſione, eos omnes reducit Tridentinum ad duo capita. Primum eſt, ſi deſit copia confeſſarij idonei. Secundum verò, ſi adſit vrgens neceſſitas celebrandi, vel communicandi: ſic enim loco citato, propoſita neceſſitate præmittendæ confeſſionis ſubdit; *modò non deſit illius copia confeſſoris, quòd ſi neceſſitate vrgente Sacerdos*, &c. Quod non diſpoſuit Concilium diſpenſando in præcepto diuino de præmittenda confeſſione ante communionem, ſed declarando quòd ius diuinum in his caſibus non obliget. Vnde ſi deſit alterutra iſtarum conditionum, non ceſſat obligatio huius præcepti.

15. Primum ergo caput eſt, ſi non habet copiam confeſſarij, ille autem dicitur carere copia confeſſarij, qui non poteſt illum adire præ diſtantia; vt ſi confeſſarius ſit in alio oppido: quæ autem diſtantia cenſeatur ſufficiens, relinquitur iudicio prudentis. nam non poteſt aſſignari regula vniuerſalis, hæc enim pendet ex circunſtantiis perſonæ, ætatis, debilitatis, negotiorum, temporis, difficultatis itineris, &c. Deinde ſi nullus ſit approbatus, vel ſi ſit alio modo impeditus, ſi nullus gnarus idiomatis, vel ſi ex ignorantia, aut malitia, aut ex alio capite, non vult abſolutionem conferre, vel quando pœnitens timet ſibi graue detrimentum, vt reuelationem ſigilli, vel malum graue ab eo inferendum, vt ſi puretur pœnitentem diffamaturus, aut ad peccatum pertracturus, vel aliud notabile damnum illaturus. In his autem caſibus debet confiteri alia mortalia, omiſſis illis propter quæ timet ſibi graue detrimentum, quia reſpectu aliorum iam habet copiam confeſſarij: ſi verò inſtante neceſſitate communionis timeat quòd non poſſit contritionem elicere, & ſimul putet confeſſarium non ſeruaturum ſecretum, poterit confiteri vnum, vel alterum veniale, vt ab his directè abſoluatur, & indirectè ab aliis: ad hoc autem non tenebitur ex præcepto per ſe & directè, quia confeſſio venialium non obligat ſub præcepto, niſi tantùm per accidens, quia exiſtimat ſe non eſſe ſufficienter contritum.

16. Vbi nota, nullo modo cenſeri deeſſe confeſſarium quando abeſt proprius Parochus; adeſt tamen alius, cui ex priuilegio ſolùm confiteri poteſt. Nec refert quòd quis non teneatur vti priuilegio, quia tenetur præceptum adimplere quando poteſt, vndecumque proueniat illa poteſtas adimplendi præceptum: ſicut non excuſaretur ab annua confeſſione qui ſolùm poſſet adire priuilegiatum. Idem dicendum eſt ſi abeſt ille cui cum maiori deuotione & fructu ſpirituali, ſolet confiteri; adeſt tamen confeſſarius idoneus, non eſt dicendus carere confeſſario.

Inquires,

Digitized by Google

17. Inquires, an qui habet peccatum reseruatum, teneatur confiteri sacerdoti habenti solùm potestatem in non reseruata; an verò possit communicare absque confessione, quasi non habeat copiam confessarij, cùm in hac re triplex sit sententia. *Prima* asserentium deberi confiteri inferiori reseruata, & non reseruata, vt absoluatur directè à non reseruatis, & indirectè à reseruatis. *Secunda* existimantium, posse communicare cum sola contritione, non tamen posse confiteri inferiori, quia inferior non potest validè absoluere à non reseruatis. *Tertia* aliorum asserentium, in eo euentu non obligari ad confitendum peccata reseruata, à quibus inferior non potest absoluere; obligari tamen ad dicenda confessario peccata non reseruata à quibus absoluere potest. Placet mihi resolutio Dianæ tom. 2. tract. 4. resol. 104. quamlibet harum sententiarum tutò posse sequi, sic enim ait. Ex quibus omnibus apparet, pœnitentem habentem casum reseruatum etiam cum excommunicatione, vrgente necessitate ad celebrandum, vel communicandum, posse vt sibi magis libuerit, vel expedierit, aut confiteri peccata non reseruata, seu simul reseruata, & non reseruata; vel elicere actum contritionis, & sine prævia confessione celebrare, aut communicare. Neque his obstat Tridentinum sess. 14. cap. 7. vbi ait. *Extra mortis articulum sacerdotem inferiorem nihil posse in casibus reseruatis.* Nam intelligendus est, nihil posse directè, potest tamen indirectè: si quis enim immemor reseruati confiteatur non reseruata, certissimum est indirectè absolui à reseruatis; ergo quamuis inferior sacerdos nihil possit directè in reseruata, poterit tamen indirectè.

Trident.

18. Atque eodem modo philosophandum est de eo qui habet excommunicationem reseruatam vrgente necessitate communicandi, & carente copia superioris legitimi, posse quidem in tali casu cum contritione communicare; vel posse confiteri non reseruata sacerdoti inferiori à quo absoluetur directè ab illis, & indirectè à reseruatis, licèt maneat adhuc excommunicatus: excommunicatio enim sicut propter vrgentem necessitatem non priuat illum tunc receptione Eucharistiæ, ita ob eamdem necessitatem nec priuat receptione sacramenti Pœnitentiæ. quæ doctrina simili modo fundatur in varietate, & diuersitate sententiarum aliquorum negantium, posse confiteri vt absoluatur directè à non reseruatis, quod tenet Vazquez tom. 4. quæst. 9. dub. 9. Aliorum verò affirmantium, quos sequuntur Suarez tom. 4. dist. 31. sect. 3. & Sanchez lib. 2. in Dec. cap. 8.

19. Secundum caput est si adsit vrgens necessitas celebrandi, vel communicandi. Dixi *vrgens necessitas*, quæ, moraliter loquendo, debet censeri grauis, vnde sola deuotio, vel fructus qui percipitur ex communione, non est causa sufficiens, vt conscius peccati mortalis possit communicare non præmissa confessione, sicut nec est consuetudo frequenter communicandi, vel si occurrat solemnissimus dies, vel si necesse sit sacrum facere pro anima purgatorij quæ probabiliter creditur suffragiis indigere.

20. Ad hoc autem caput reducitur. Primò articulus, siue periculum mortis: vnde si quis in eo constitutus conscius sit peccati mortalis, & non habeat copiam confessarij, potest cum contritione saltem existimata communicare. Similiter sacerdos morti proximus posset celebrare, vel accedere ad sacrarium, seque communicare: sicut etiam posset in prædictis circumstantiis celebrare ad ministrandum viaticum infirmo; id enim postulare videtur proximi necessitas: sicut etiam probabile est excommunicatum pro viatico alteri ministrando posse absque absolutione celebrare, quando necessitas vrget. Similiter si post consecrationem celebrans moriatur, vel deficiat, nec adsit alius qui sacrificium perficiat præter sacerdotem peccatorem, tenetur hic etiam non præmissa confessione sacramentum perficere, & communicare, ne sacrificium imperfectum remaneat. nam obligatio sacrificij perficiendi, maior est quàm præmittendi confessionem communioni. Limita si non possit elicere contritionem, in quo casu non videtur teneri perficere sacrificium ab alio imperfectum, cùm non possit cum dispositione necessariò requisita.

21. Secundò infamia, videlicet quando non potest quis omittere communionem sine graui infamia, quam nequit alia via vitare, vt si sacerdos in Religione non possit sine nota, & suspicione grauioris alicuius peccati certis diebus omittere sacri celebrationem, vel si non sit sacerdos, debeat ex præcepto, vel consuetudine eiusdem Religionis certis diebus communicare: oportet autem vt hæc nota grauis sit, & non tantùm ficta, seu imaginaria; nec sufficit quòd aliquis habebitur minus deuotus si non communicet, seu quòd in genere alij fratres mirabuntur: itaque nota debet esse grauis, & quæ generet suspicionem alicuius grauioris peccati. Idem dicendum esse de laico qui non posset absque nota communionem relinquere, quod plerumque accidit cùm iam quis accessit ad altare communicaturus, & recordatur alicuius peccati obliti, poterit præmissa contritione communicare, aut non præmissa, si iam confessus est alia peccata cum dolore vniuersali de omnibus. Et eadem est regula de quolibet sacerdote qui ante, vel post consecrationem, & etiam ante quàm ad altare accedat, vt si iam ex sacratio vestibus sacris ornatus procedit, vel coram multis parare se incepit, nec absque nota potest se exuere, in his omnibus casibus non tenetur ad confessionem si absque nota confiteri non potest, vt ferè semper accidit, nisi vbi viget consuetudo confitendi peccata, etiamsi sacerdotes in sacrario vestibus sacris induti sint.

22. Tertiò est necessitas satisfaciendi suo officio, qualis reperitur in Parocho qui diebus festis tenetur celebrare, nec posset sine eadem infamia, aut nota sacrum omittere. An verò simplex sacerdos in die festo non habens aliam Missam quam audiat posset celebrare, vt obseruet præceptum audiendi sacrum, vel vt alij illud audiant, alioquin non audituri, affirmant plures Doctores, quos refert, & sequitur Diana de celebrat. Missarum resolut. 63. & 64. Verius existimo non posse, quia hæc non videtur vrgens necessitas quam exigit Tridentin. Non enim refert quòd alij sacrum non audiant, quando per illos non stat, atque ita cessante nota, aut infamia, non potest absque confessione celebrare, vt ipse, vel alij in die festo sacrum audiant.

23. Inquires, an quando vrget præceptum communionis Paschalis, possit sacerdos ob eam solam causam celebrare, aut alios communicare, absque præmissa confessione, vt illud præceptum impleat. Probabilius mihi videtur posse, quia, vt rectè Lugus disp. 14. sect. 6. num. 116. Præceptum illud de communione est de iure diuino determinatum ab Ecclesia quoad tempus; vnde sicut vrgente præcepto diuino viatici sumendi noluit Deus obligare ad confessionem præmittendam, si non est

copia confessarij, sic in nostro casu videtur philosophandum. Aliter dicendum est de communione debita ex voto, aut ex præcepto merè humano. nam votum, aut præceptum humanum semper debet intelligi de communione quæ non opponitur modo debito ex diuino præcepto, videlicet vt præmittatur confessio mortalium.

24. Deinde inquires, an qui priùs confessus fuerat, & postea recordatur peccati quod in confessione oblitus omiserat, nec potest iam confiteri, an teneatur elicere contritionem nouam illius peccati ante communionem. Respondeo non teneri si dolor præcedens in confessione fuit vniuersalis de omnibus peccatis, vel ex motiuo vniuersali. Et ratio est, quia in hoc casu iam homo supponitur esse in statu gratiæ per confessionem præcedentem, & absolutionem, qua indirectè ablata fuerunt omnia peccata mortalia; nec potest assignari sufficiens fundamentum ex quo obligetur eo casu ad eliciendam contritionem. Secus dicendum est si dolor non fuit vniuersalis, quia peccatum quod nondum retractatum est per pœnitentiam, non potest directè, nec indirectè remitti.

25. Maior difficultas est, an si sit copia confessarij, teneatur illud peccatum confiteri ante communionem, an verò sufficiat propositum illud suo tempore confitendi: negat Præpositus quæst. 80. art. 5. dub. 3 Quod probabile iudicat Petrus Cornejo disp. vnica dub. 3. Hæc tamen sententia est omnino falsa, & nullatenus admittenda, quia per edictum particulare sanctæ Inquisitionis in nostra Hispania fuit reprobata; atque ita tenendum est, eum qui de peccato oblito in præterita confessione recordatur in tempore quo sine graui nota possit de illo confiteri ante communionem, teneri præmittere confessionem de illo peccato, licèt per aliam confessionem indirectè absoluto. Et ratio huius est, quia præceptum præmittendi confessionem ante communionem non est confitendi vecumque, sed confitendi omnia peccata ante communionem, & faciendi confessionem, non solùm formaliter, sed etiam materialiter integram, nisi aliqua necessitas vrgens obster, & desit copia confessarij. Hoc autem præceptum non impletur nisi illi ad peccatum sabbiciantur clauibus ante communionem, & hoc probat praxis, & consuetudo omnium fidelium qui etiam post legitimam confessionem, nullo modo audent accedere ad Eucharistiam, nisi priùs confiteantur illa peccata quorum de nouo recordantur.

26. Notandum tamen est, eum qui communicauit in casibus prædictis, vel in alterutro illorum non præmissa confessione sacramentali, teneri quamprimum habet copiam confessarij, confiteri illi peccata sua, ita docet Trident. loco citato, vbi proposito præcepto præmittendi confessionem subdit: *Quòd si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quamprimum confiteatur, si videlicet erat sibi conscius peccati mortalis*, quo præcepto non laïci, sed solùm sacerdotes obligantur: ac proinde laïcus qui sine præmissa confessione suscipit Eucharistiam, non tenetur statim confiteri, vt docet communis sententia contra Nauarrum, quia obligatio legis positiuæ non est amplius extendenda, quàm verba eius in sua proprietate intellecta requirant. Ex quo infertur, hoc præcepto quamprimum confitendi non ligari sacerdotem qui ex sua malitia celebrauit in peccato mortali, vel cum ignorantia peccati mortalis cuius ante celebrationem, vel in ipsa celebratione non meminit, sed post celebrationem: quamuis satis probabile sit, eum qui in ipsa celebratione meminit alicuius mortalis, non teneri quamprimum confiteri, nec de illo loqui Tridentinum. Inquit enim, *qui necessitate vrgente absque præuia confessione celebrauit*: præuia autem confessio, confessionem significat ante Missam. nam confessio facta in medio Missæ non dicitur præuia, sed concomitans, & ita tenet Vazquez cap. 3. quem sequitur Diana resol. 61. de celeb. Missæ. Præpositus art. 5. dub. 4. & satis probabile iudicat Lugus sect. 7. Idem censeo si ante celebrationem fuisset confessus, & alicuius mortalis obliti recordaretur ante sumptionem. Ratio est, quia Concilium solùm dicit sacerdotem teneri statim confiteri, quando necessitate vrgente absque præuia confessione celebrauerit, & quòd re vera non adsit copia confessarij: ac proinde si aliquod horum deficiat, non est iniungenda sacerdoti obligatio confitendi statim post celebrationem, & consequenter qui habens confessarium celebrauit absque præuia confessione, vel cum confessione præuia ex inconsideratione, & obliuione alicuius peccati, non tenetur quamprimum confiteri: obligationes enim non sunt ampliandæ dum Concilium illa duo requirat simul ad obligandum celebrantem absque præuia confessione quòd statim confiteatur, & necessitatem vrgentem, & inopiam confessarij, & eodem modo philosophandum existimo de eo qui ante Missam confessus est omnia peccata mortalia præter vnum quod iustis de causis tacuit, vel de eo qui habens casum reseruatum, & non potest recurrere ad superiorem vrgente necessitate celebrandi confitetur inferioti, ab eoque absoluitur directè à non reseruatis. In priori casu solùm teneri confiteri ante aliam celebrationem siue proximè, siue ad longum tempus futuram. In posteriori verò teneri confiteri superiori tempore debito quando instat obligatio celebrandi, & adest opportunitas recurrendi ad superiorem.

27. Comprehenditur tamen hoc præcepto sacerdos in die Parasceue celebrans, vt docuit ipsemet Diana resol. 60. allegans plures, qui idem docet quando deficiente sacerdote post consecrationem alius assumitur ad perficiendum illud sacrificium.

28. Deinde nota, illum quia culpabiliter accedit ad hoc sacramentum non præmissa confessione sacramentali, non committere duo peccata mortalia, sed vnum dumtaxat. Ratio est, quia præceptum præmittendi confessionem ante Eucharistiam, propriè non est positiuum, sed negatiuum; non enim obligamur ad confitendum per se ratione confessionis, sed per accidens ratione Eucharistiæ sumendæ, quia propriè præceptum huiusmodi est, ne quis indignè, & sine debita probatione accedat ad sacramentum: vnde fit vnum solum peccatum committere, scilicet indignè susceptionis Eucharistiæ, quia vbi est vnum propter aliud, est vnum tantùm, vt iam etiam suprà monui.

Sectio III.

An Eucharistia sit deneganda peccatori secreto, sicut & publico.

29. SVpponendum est primò, sacerdotem ministrantem Eucharistiam indigno, per se loquendo, grauiter peccare, quia infideliter se gereret, esseque seruus infidelis dans sanctum canibus. Probabilius tamen est, vnum tantùm peccatum committere

committere indignæ administrationis,contra religionem,& reuerentiam huic sacramento debitam.

30. Secundò supponendum est, peccatori publico non solùm in occulto, sed etiam in publico, denegandum esse hoc sacramentum, quantumuis petenti, quia talis non habet ius petendi, cùm illius status sit manifestus, & ius diuinum exigat vt ipsi non detur. In præsenti autem quoad probationem huius sacramenti,publicum peccatorem censemus, cuius crimen per sententiam iudicis constat, aut per confessionem ipsius rei in iudicio,aut per ipsius facti euidentiam,quòd nulla possit tergiuersatione celari. Hinc iure censentur publici peccatores,qui exercent publicam actionem quæ vel ex obiecto, vel ex modo quo fit, sine peccato mortali exerceri non potest: vt sunt meretrices, vsurarij publici, cõcubinarij, & similes. Infamia autem delicti quamuis sufficiens sit ad inquirendum de delicto, non tamen sufficit ad punitionem, vt alicui sacramentum denegetur. Tota ergo difficultas est de peccatore secreto in duplici casu, scilicet petenti publicè, & petenti secretò, an sit deneganda Eucharistia.

31. Prima conclusio. Peccatori occulto publicè Eucharistiam petenti non licet illam negare, siue petat tempore præcepti,siue non, siue a proprio Parocho,siue ab alio petat. Probatur primò, quia in eo euentu non posset arcere sine infamia, ac proinde sine iniuria, & graui læsione, contra charitatem. Secundò, quia in administratione sacramentorum, in qua Religionis præcepta seruanda sunt, & in nostram vtilitatem instituta, non tractatur à nobis indignè sacramentum, quando illud administramus peccatori occulto,ne eius peccatum prodamus,& proximum afficiamus infamia,& sic peccatori damnum obueniat: cùm tamen Deus nihil damni patiatur, licèt sacramentum detur peccatori. Et exemplum Christi rem præsentem facit euidentem, quia Christus Dominus sciebat Iudam esse peccatorem occultum,cui tamen corpus suum non negauit: quo facto Ministros docuit, vt occultos peccatores publicè ab hoc sacramento non arceant.

32. Obiicies primò, quia maius est seruare honorem debitum huic sacramento, quàm alterius famam custodire; ergo poterit infamari peccator,vt honor debitus huic sacramento seruetur. Confirmatur,quia ex duobus malis quæ ita occurrunt, vt necessarium sit alterum eorum eligere, eligendum est quod est minus: infamare autem proximum in casu dicto,minus malum est,quàm administrare sacramentum indigno. Quod sic ostendo, quia hîc duo occurrunt præcepta. Primum est non administrandi Eucharistiam indigno. Secundum, non infamandi proximum. Primum præceptum est virtutis Religionis contra sacrilegium. Secundum virtutis iustitiæ contra detractionem: maius autem peccatum est oppositum religioni, quàm iustitiæ;ergo illud vitandum est;hoc verò eligendum.

33. Respondetur negando consequentiam. nam quamuis maius sit seruare debitum honorem huic sacramentõ, quàm famam alterius; ideo tamen non licet,nec vult Deus vt proximus lædatur,& illius fama auferatur,vt honor ille seruetur,quando honoris læsio in eo tantùm consistit quòd quis indignè communicet. Ad confirmationem, quòd quamuis præceptum Religionis maius sit, quàm præceptum iustitiæ, in eo tamen euentu in quo vnum tantùm potest seruari, præceptum iustitiæ strictius obligat,quàm præceptum religionis.quod declaratur exemplo misericordiæ qua quis obligatur ad subueniendum miseriæ proximi: hæc enim obligatio præfertur obligationi Religionis qua sacrificium Deo offertur,quia sacrificium non offertur Deo ob ipsius vtilitatem, sed ob nostram;& ob hanc causam cessat obligatio religionis, vrgente miseria proximi, vt ei subueniatur:vt testatur ipsemet Deus Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium.* Cùm ergo hoc sacramentum in nostram vtilitatem institutum sit, & non Dei; obligatio iustitiæ non infamandi proximum, fortior est, & arctius obligat, quàm non administrare sacramentum indigno. Oseæ 6.

34. Vnde illud axioma, ex duobus malis minus est eligendum,ita debet intelligi,vt verum sit quando occurrunt duo obiecta duobus præceptis prohibita,& ita sibi opposita,vt necesse sit alterum illorum eligi; itavt ex parte obiecti nulla desit circunstantia pro obligatione cuiuscumque præcepti cum alio occurrentis, sed ex solo occursu obligatio alterius tollatur. Et in hoc casu verum est, minus malum debere eligi,vt si quis dubius de matrimonio cum aliqua inito, & illa petat debitum, certè debet reddere eligendo id quod est fortè contra castitatem, ne negando agat contra iustitiam, quæ est maior virtus. At in nostro casu est diuersa ratio, quia præceptum de non ministrando sacramentum indigno, obligat si non intercedat aliqua circunstantia, vel rationabilis causa prospiciendi famæ proximi, quæ excuset ab eius obligatione, eo quòd cùm sacramentum sit institutum in vtilitatem recipientis, præferenda est vtilitas,& conseruatio eius famæ, obligationi religionis de dignè tractando sacramento:&,vt vno verbo dicam,præceptum religionis non est non administrandi sacramentum indigno, sed solùm non dandi indigno absque iusta necessitate. Hæc autem interuenit in nostro casu, videlicet obligatio non lædendi famam proximi, cuius delictum occultum est. Ita communiter Recentiores.

35. Obiicies secundò, si quis ensem apud alium deposuerit, quem repetat vt sibi,vel alij mortem inferat,debet negari,quamuis ex denegatione sequatur infamia; ergo similiter debet negari Eucharistia peccatori petenti, vt vitetur mors spiritualis ipsius. Respondetur negando consequentiam,quia obligatio non cooperandi ad necem alicuius,multo fortior est obligatione de non infamando proximo, & ideo occurrentibus his duobus,potius est infamandus, quàm ensis restituendus. At in præsenti præceptum non infamandi,non occurrit cum præcepto tuendi vitam spiritualem proximi, sed cum præcepto non administrandi indigno; quia concurrere cum illo, non est peccatum speciale scandali, sed illius virtutis, contra quam est peccatum ad quod est cooperatio: præceptum autem de non administrando indigno, debet postponi præcepto non infamandi,cùm præceptum ministrandi ita sit seruandum, vt damnum nulla ratione inferatur suscepturo sacramentum.

36. Obiicies tertiò, quia consultius videretur quòd sacerdos in hoc casu administraret indigno hostiam non consecratam, & sic cessarent inconuenientia. Respondetur nullatenus id faciendum esse. Nam quidquid sit de periculo idololatriæ, sacramenta non debent dari cum falsitate & fictione. nam in his rebus quæ sunt tanti momenti, fictio est valdè perniciosa, & execranda. Et ideò Innocentius III. in cap. *de homine*, de celebr. Missarum grauius condemnat sacerdotem celebrantem fictè,

fictè, quàm verè celebrantem in peccato: hic enim contra Deum deliquit, ille verò contra Deum, & hominem; quare in administratione sacramentorum, nunquam licèt mentiri, & fictè procedere.

37. Quamuis autem hæc vera sint, tenetur Minister omnes modos intentare quibus peccator sine communione prætermittatur, dum id procuret sine nota infamiæ, vt fingendo oblitum se fuisse apponere hostiam, aut monendo sacristam respondere petenti hostias deficere, vel quòd sacerdos non possit immorari in dispensanda communione, vtendo æquiuocatione, & simulando aliquam causam rationabilem. Non tamen tenetur Minister celebrans consumere omnes hostias, vulgo *formas*, & alios absque communione relinquere, ne indigno Eucharistiam administret.

38. Secunda conclusio. Quando peccator est notorius in vno oppido, & occultus in alio vbi moraliter non creditur citò notitiam peruenturam, non est neganda illi Eucharistia in oppido vbi non est publicus, seu notorius. Probatur, quia ea negatione infamaretur in oppido in quo aliàs aut non est infamandus, aut non tam citò, contra ius quod habet vt in illo loco non infametur.

39. Tertia conclusio. Peccatori occulto cuius peccatum sacerdos probè nouit petenti Eucharistiam in occulto, absolutè neganda est, siue sacerdos sit proprius Parochus, siue non: siue tempore præcepti, seu obligationis, vel extra illud petat. Probatur, quia peccatori occulto publicè Eucharistiam petenti non potest negari ne infamia laboret, si peccatum illius aliqualiter deregatur: cùm ergo hæc ratio in præsenti cessat, nullaque infamia irrogetur, sequitur esse denegandam. Confirmatur, quia dum est in statu peccati, nullum habet ius ad Euchatistiam, cùm non sit in statu requisito à Christo, vt eam possit recipere, solùm habet ius vt debitus honor ei seruetur; hoc autem ius cessat in præsenti, vt liquet, cùm in occulto petat, & apud nullum infametur; ergo deneganda est.

40. Limita, nisi Minister statum peccatoris cognouerit tantùm in confessione sacramentali, quia irrogaretur iniuria, & irreuerentia sacramento confessionis ex tali denegatione; & fieret illi confessio odiosa, quia facilè possit suspicari negationem illam procedere ex notitia status in cõfessione parta.

Sectio IV.

An hoc sacramentum solùm possit sumi à ieiunis.

41. Conclusio est affirmatiua. Ad sumptionem huius sacramenti requiritur ieiunium naturale; Ecclesiasticum non sufficit. Dicitur autem ieiunium naturale, abstinentia à quocumque genere rei quæ per os sumitur, siue per modum cibi, & potus, vel per modum medicinæ. Ita communiter Theologi, & præcipitur, & decernitur in pluribus Conciliis quæ referunt Recentiores in hoc loco, & hæc fuit antiquissima consuetudo à tempore Apostolorum, vt dicitur in sexta Synodo can. 39. Nec refert quòd Christus Dominus Lucæ 22. hoc sacramentum porrexit Discipulis post cœnam. Nam Christus debebat tunc Pascha vltimum celebrare, & in fine illius in signum amoris ante discessum sacramentum hoc instituere; postea tamen hac causa cessante, conuenientius fuit vt nos ieiuni ad Eucharistiam accedamus, & ne aliis præoccupemur epulis, id quod Ecclesia præcipit, & Apostoli præceperunt.

Nec iterum obstat illud Pauli 1. Corinth. 11. *Si quis esurit, domi manducet.* vbi videtur Paulus permittere pransos ad sacramentum accedere; non ergo hoc ieiunium est ex traditione Apostolica. Nam facilè respondetur ex D. Hieronymo, locum Pauli non esse intelligendum de prandio ante sumptionem Eucharistiæ. 42. 1.Cor.11.

43. Ieiunium autem hoc ad sumptionem Eucharistiæ tantùm prætequiritur in eo die, in quo sumitur Eucharistia, dies autem ad hunc effectum iuxta Ecclesiæ consuetudinem, computatur à media nocte. Vnde vbi tantùm est vnum horologium, si quis vbi cœpit sonare duodecima biberet, quamuis quando sonaret vltimus pulsus desiisset, bibere non poterit die sequenti communicare. Ratio huius est, quia quando primus pulsus horæ auditur, iam hora est expleta: quòd verò diuersi sunt pulsus, prouenit, quia nequit vno pulsu hora duodecima indicari. Vnde qui buccellam habet in ore, & audit primum pulsum horæ duodecimæ noctis, si velit in crastinum communicare, tenetur subitò eam de ore eiicere. Si verò diuersa sint horologia, & aliquorum sonuerit hora duodecima, aliorum verò non, poterit quidem die sequenti communicare. Nam illa horologia se habent instar duarum sententiarum probabilium, quarum vna asserit, iam est dies naturalis; altera verò negat, quælibet autem potest sequi probabiliter, ac proinde siue illa dies, siue sola sequens, sit ieiunij, poterit dubitans cœnare, vel edere carnes, & quamlibet duarum illarum opinionum amplecti. Ex quo

44. Infertur primò, esse crimen lethale, ieiunium naturale frangere ante communionem; nec paruitatem materiæ excusare, nisi per modum saliuæ, aut respirationis sumatur, vel attrahatur, quia præceptum Ecclesiæ non consistit in eo quòd quis non sumat cibum, vel potum absolutè, sed quòd non suscipiat Eucharistiam post cibum, vel potum. Quod præceptum simpliciter violatur, etiamsi ieiunium in parua materia soluatur.

45. Non tamen violatur ex eo quòd aliquid cibi intra dentes ex die præcedenti relicti traiiciatur à casu in stomachum, quia hæc traiectio non censetur moraliter comestio, nisi fiat scienter, & ex intentione. Neque violatur traiectione saliuæ, neque sanguinis ex capite descendentis, quamuis scienter facta; hæc enim non est comestio, neque potatio, cùm ad hæc requiratur, quòd cibus, & potus ori ab extrinseco imponatur. Neque ex eo quòd parum aquæ saliuæ admixtum deglutiatur, quamuis in saliuam non sit conuersum, quia illa deglutio non est potatio, cùm per modum saliuæ sumatur, seu quasi vnum cum saliua. Idem est quando aliquid cibi conditi sumitur ad gustandum, & parum illius saliuæ admixtum, quamuis in eam non conuersum, deglutitur ob eamdem rationem. Qui verò causa medicinæ sumeret saccharum hora qua cubitum it, in tanta quantitate, vt probabiliter iudicet non consumpturum ante mediam noctem, sequenti die non poterit communicare, quia ex traiectione illius ieiunium naturale interrumpitur.

46. Secundò infertur, quòd qui parum papyri, vel auri, vel plumbi; vel aliquos lapillulos, aut alterius rei non comestibilis deglutisset, possit communicare, quia solus cibus, aut potus impedit communionem; nomine autem cibi, & potus, non intelliguntur nisi ea, quæ per se alterari possunt ab stomacho. Idem dicendum censeo de puluere sumpto

Digitized by Google

sumpto per nares, aut de fumo sumpto per os, non frangere ieiunium naturale, quia pulvis non sumitur per actionem comestiuam quæ solo ore efficitur; ac proinde si quis per nares aliquantulum aquæ sumat, non frangit ieiunium naturale, quia illa aqua non potest dici sumpta per modum potus; fumus verò quamuis recipiatur in stomachum, recipitur tamen per modum respirationis, non verò per actionem quæ sit comestio, vel potatio; ac proinde non frangit ieiunium, vt doctè Diana tom. 5. tract. 13.

47. Tamen ab hac regula generali de ieiunio naturali prærequisito ad communionem excipiuntur nonnulli casus.

Primus est articulus, siue periculum mortis, siue naturalis, siue violentæ, in quo sacramentum Eucharistiæ tanquam viaticum potest, & debet ex præcepto diuino sumi à non ieiuno, quando non potest commodè differri communio in quo æger possit ieiunus communicare, nec est in hac re scrupulosè procedendum, vt expectetur præcisè tempus administrandi Eucharistiam sic infirmo non ieiuno, vt Ecclesiæ consuetudo declarat; hæc enim perplexitas posset esse grauiter nociua; quia Ecclesia non vult in eo casu obligare prohibitione non sumendi Eucharistiam, post fractionem ieiunij; vel quia in eo articulo extat diuinum præceptum sumendi Eucharistiam, quod fortius obligat, quàm prohibitio Ecclesiastica. Ex quo fit, quòd si non possit aliter ei præberi communio, quàm imponendo hostiam vino, posse eo modo præberi, imposita parua parte hostiæ cum vino in cochleari. Si verò nullum probabile mortis periculum, vel superuenientis diuturnæ phrenesis infirmo immineat, illicitum est non ieiuno Eucharistiam præbere, quia ob solam necessitatem sacra Eucharistia non ieiunis dari potest: & in hoc omnes Doctores conueniunt.

48. Difficultas tamen est, an qui semel accepit viaticum, possit intra eamdem infirmitatem iterum non ieiunus communicare, & difficultas procedit quando periculum perseuerat. nam si priùs erat ægrotus in periculo, & postea transacto periculo aliquantulum conualuit, & deinde redeat periculum, certum est posse communionem præbere non ieiuno; sicut potest tali circumstantia iterum præberi extrema Vnctio. Partem negatiuam tuetur Vazquez disp. 211. cap. 4. quem sequuntur nonnulli alij, quia ratio ob quam non ieiunus potest communicare, est propter præceptum diuinum obligans ad viaticum sumendum, quæ ratio cessat quando quis iam impleuit illud præceptum. Contraria sententia verior, & communior est, quando durat idem morbi-status, iterum atque iterum posse communionem præbere non ieiuno, quamuis semel ita communicauerit: quamuis non conueniat inter Auctores huius sententiæ, quæ distantia debeat intercedere inter vnam, & alteram communionem. Nauarrus, vt refert Villalobos 1. part. tract. 7. dub. 38 exigit interuallum triginta dierum. Suarez disp. 68. sect. 5. exigit octo, vel decem dies. Alij verò, quos refert, & sequitur Diana de celebr. Missar. resol. 77. requirunt septem dies. Alij, quos refert Ludouicus de Sanjuan. tom. 1. quæst. 7. art. 10. diff. 4. dari posse existimant etiam tertia die. Denique Armilla nullum assignat, imò sequenti proxima die posse dari existimat Layman lib. 5. tract. 4. cap. 6. nec improbat Hurt. disput 9. diff. 16. existimans posse ab illis non ieiunis sumi quoties à sanis ieiunis. In hoc autem firmam, & securam regulam, sequendam esse praxim, & consuetudinem fidelium, censet Lugus disp. 15. sect. 3. cui assentior.

Secundus casus est, quoties id est necessarium ad perficiendum sacrificium. Vnde si sacerdos post consecrationem vnius speciei aduertat se non esse ieiunum, debet in sacrificio pergere, & communicare, quia perfectio sacrificij, & consumptio hostiæ, vtpote iuris diuini, maioris obligationis est, quàm ieiunium respectu communionis. Idem dicendum est quando sacerdos incautè pro vino consecrando aquam calici infudit, & postea sumens calicem, percipit esse aquam; hoc enim casu ob rationem allatam, tenetur non ieiunus vinum cum aqua accipere, consecrare, & communicare. Et ad hunc casum reducitur id quod iam etiam suprà docuimus, quando vnus sacerdos post consecrationem, non potuit consumere species consecratas; tunc enim alius quamuis non ieiunus, debet illas consumere, si alius ieiunus deficiat. 49.

Tertius casus est, si post ablutionem calicis supersint, vel inueniantur reliquiæ, possunt etiam tunc sumi, quia pertinent ad complementum eiusdem sacrificij. Est tamen discrimen inter particulas eiusdem sacrificij, & alias præconsecratas in alia Missa, de his enim non pauci affirmant, non posse sumi post ablutionem, & ita tenet Vazquez disp. 211. cap. 5. quia sumptio illarum non pertinet ad complementum præsentis sacrificij. Ego verò censeo cum Lugo, & Hurtado illas particulas non posse sumi, sed reponendas in sacrario, quando absque periculo irreuerentiæ, & perditionis, reponi, & seruari possunt, vt quando particula est speciei panis & grandiuscula; si verò reponi, & seruari non possunt absque prædicto periculo, vt si est nimis parua, aut est madefacta in calice, aut particula relicta est sanguinis, posse & debere sumi. Et idem existimo si sacerdos finita Missa reuersus ad sacristiam inueniat aliquas reliquias, nec sit alter sacerdos celebraturus, posse ab eodem accipi propter reuerentiam sacramenti, si prædictum periculum extet. 50.

Quartus casus est, si immineat periculum irreuerentiæ inferendæ Eucharistiæ ipsi, vt si sit periculum ne Eucharistia indignè tractetur ab hæreticis, vel infidelibus, aut periculum incendij; tunc poterit à sacerdote non ieiuno consumi, & eius defectu idem poterit quiuis inferior etiam laïcus, quia maioris ponderis est, & magis obligat reuerentia huic sacramento debita, quàm eam à non ieiuno sumi. 51.

Denique notandum, sacerdotem non ieiunum non posse celebrare ad præbendam communionem infirmo constituto in periculo vitæ, vt contra Maiorem dist. 9. q. 3. docent communiter Doctores, quia præceptum dandi viaticum infirmo debet intelligi, quando dari potest iuxta ritum ab Ecclesia præscriptum in hoc sacramento conficiendo, & ministrando: alias ob eamdem causam sacerdos absque pane azymo, absque altari, & sine vestibus sacris posset celebrare, quod omnes negant contra Maiorem, etiamsi eius sententiam quòd possit sacerdos non ieiunus celebrare ad dandum viaticum nonnulli sequantur, Zanardus, Zambrardus, Philiarcus, Fernandez de Heredia, Filliucius etiam & Layman reputant probabile, quos omnes refert, & refellit Lugus loco citato. 52.

* * *

Sectio V.

Quodnam ſit ſubiectum capax ad ſuſcipiendam Euchariſtiam.

53. COnueniunt Doctores ſolummodo baptizatos eſſe capaces huius ſacramenti, quia, vt ſuprà docuimus, Bapti ſmus eſt ianua ſacramentorum, & præcipuè, quia cùm hoc ſacramentum ex ſua inſtitutione ſignificet nutritionem, ſupponit vt is cui confertur ſit iam viſibiliter genitus in Chriſto, quod fit per Bapti ſmum.

54. Prima concluſio. Infantes, ſicut perpetuò amentes, capaces ſunt manducationis ſacramentalis, & fructus huius ſacramenti. Ita communiter Theologi, & probatur, quia Eccleſia, & ſancti Patres antiqui conſueuerunt Euchariſtiã miniſtrare paruulis, vt teſtatur Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 4. qui certè vſus licitus non fuiſſet, ſi in eis non poſſet ſuum effectum habere; eſt enim contra reuerentiam vnicuique ſacramento debitam illud adminiſtrare, quando fruſtrandum eſt ſuo primario, & principali effectu: iuſtiſſimis tamen de cauſis meritò Eccleſia poſtea iudicauit, non expedire hoc ſacramentum exhiberi paruulis, & perpetuò amentibus, cùm nullum ſit præceptum diuinum obligans ad conferendum paruulis Euchariſtiam, & ex alia parte ſint multa inconuenientia ſanctæ Eccleſiæ bene viſa.

55. Obiicies, eum qui ignoranter ſumit panem, aut vinum conſecratum, exiſtimans ſe panem communem, aut vinum ſumere, ſolùm ſumere Euchariſtiã materialiter, non verò ſacramentaliter; ergo idem dicendum eſt de infantibus, & perpetuò amẽtibus, ignorantibus id quod ſumunt eſſe ſacramentum. Reſpondetur negando cõſequentiam, quia priores non tantùm ignorant id quod ſumunt, ſed etiam habent voluntatem contrariam. nam eo ipſo quòd volunt vt panem communẽ ſumere, volunt etiam ſumere vt non ſacramentum: at infantes non habent illam voluntatem contrariam, licèt ignorent quod ſumunt, & careant voluntate ſumendi Euchariſtiam. Ex quo fit, quòd ſi aliquis infans caſu inuentret hoſtiam, vel vinum conſecratum, & illud ſumeret, acciperet gratiam ſacramentalem; & idem dicendum cenſeo de perpetuò amentibus, quia in his nulla intentio præſens, vel præterita requiritur, ſed ſola Chriſti inſtituentis hoc ſacramentum voluntas. In amentibus verò qui ante amentiam vſum rationis habuerunt, diuerſa eſt ratio, quia requirit ſaltem voluntatem præcedentem.

56. Secunda concluſio. Perpetuò amentibus non poteſt licitè Euchariſtia conferri adhuc in articulo mortis; ſicut neque infantibus vſu rationis carentibus, quia id prohibitum eſt ſaltem per conſuetudinem ab Eccleſia approbatam, & traditam Parochis pro regula in rubricis Ritualis Romani Pauli V.

57. Tertia concluſio. Amentibus qui priùs vſum rationis habuerunt, danda eſt Euchariſtia in articulo mortis, ſi priùs habuerunt voluntatem eam ſuſcipiendi. Ita Vazquez diſp. 212. cap. 3. Suarez diſp. 69. ſect. 2. cum D. Thom. quæſt. 80. art. 9. quem ſequuntur communiter Theologi. Ratio huius eſt, quia hi ſunt capaces effectus, & fructus huius ſacramenti, & nullo iure eſt ipſis prohibitum; ergo ſi antè habuerunt voluntatem illud ſuſcipiendi, & non conſtat commiſiſſe aliquod mortale, nec eſt periculum irreuerẽtiæ, vt vomitus expuitionis, &c. non eſt illis negandùm, imò debet dari; ſicut datur Baptiſmus, & extrema Vnctio. Prudenter autem creditur habuiſſe voluntatem ſumendi Euchariſtiam ſaltem generalem, quia habuerunt voluntatem implendi omnia præcepta, inter quæ extat præceptum diuinum de accipiendo viatico. Similiter prudenter exiſtimatur eſſe in gratia, dum contrarium non conſtat. Ex quibus

58. Infero primò, cum Nauarro in Manuali cap. 26. num. 27. Euchariſtiam præbendam eſſe infirmo phrenetico, qui antequam in phreneſim incideret, ſigna dedit contritionis tundendo pectus, tollendo manus, &c. etiamſi non petiiſſet ſacramenta expreſsè, quia illa ſigna ſunt ſufficiens petitio.

Infero ſecundò, cum Hurt. diſſ. 20. poſſe etiam Euchariſtiam conferri, & conferendam eſſe ſemifatuis, ſeu non omnino amentibus, dummodo ob reuerentiam ſacramenti tantùm conferatur in periculo mortis, & tempore Paſchatis, quando adeſt præceptum ſuſcipiendi Euchariſtiam; quia ſemifatui nullo iure ſunt prohibiti. Nec obſtat quòd hi amentes, vel ſemifatui, non poſſunt ſe ipſos probare, an ſint in gratia, nec diſcernere inter cibum, & cibum. Non enim requiritur quòd ſe ipſos probent, quando ipſi non poſſunt, quia tunc ſufficit quòd id à Miniſtro prudenter præſumatur: nec illa diſcretio requiritur quòd actualiter fiat, quando ipſis confertur Euchariſtia: aliàs naturaliter diſtractus non poſſet ad hoc ſacramentum accedere.

Denique infero, ſi amentia non ſit perpetua, ſeu continua, ſed habet lucida interualla, etiamſi ratio parum nutare videatur, his non eſſe negandam Euchariſtiam, vt tenet communis ſententia: cùm enim lucida interualla habeant, tempore intermedio optimè poſſunt ſe ipſos probare, an ſint in ſtatu gratiæ, & inter hunc cibum ſpiritualem, & inter cibum communem diſcernere; ac proinde cum his non eſt valde ſcrupulosè agendum, ſi aliquam deuotionis ſpeciem præſeferant.

59. Quarta concluſio. Energumenis non eſt Euchariſtia deneganda. Ita Caſſianus collat. 7. cap. 30. vbi ait. Communionem verò vexatis à ſpiritibus immundis à ſenioribus noſtris nunquam meminimus interdictam, quod etiam docuit Proſper lib. 4. de prædictionib. cap. 6. & habetur in Concilio Araſic. can. 14. Ratio eſt, quia nulla lege prohibitum eſt illis Euchariſtiam conferri. Ita communiter Doctores, & ſatis confirmat praxis, & conſuetudo.

60. Quinta concluſio. Damnato ad mortem danda eſt Euchariſtia etiamſi non ſit ieiunus, quia ex vna parte is tenetur ex præcepto, cùm ſit in articulo mortis, nec violenta mors tollit ei hanc obligationem; & ex alia iudex non tenetur differre executionem ſententiæ quando commodè non poteſt; multo minus ſi reus ex induſtria violauit ieiunium vt vitam protraheret. vbi nota contra Iulium Clarum §. finali, quæſt. 99. & Zerolam, non eſſe indecens recipi Euchariſtiam in ipſo die mortis: imò quamuis pridie ante mortem ſumpta eſſet Euchariſtia à damnatis per modum viatici, ſi tamen deuotionis cauſa ipſo die mortis vellet iterum communicare, non ſolùm non eſſet impediendus, ſed potiùs hortandus, vt tolerabiliùs mortem pateretur, & Dæmonis tentationes faciliùs ſuperaret, vt rectè notat Sancius in ſelect. diſput. 4. num. 4.

61. Sexta concluſio. Mutis, & ſurdis à natiuitate, non ſolùm in articulo mortis; ſed etiam in vita conferẽda eſt Euchariſtia. Ita Diana tom. 5. tract 6. reſol. 6.

Digitized by Google

resol. 6. & 7. & prior pars constat ex suprà dictis. Secunda verò pars probatur, quia plura difficiliora, vel saltem non minus difficilia debet cognoscere, vt validè, & fructuosè confiteàtur, videlicet discrimen inter peccatum mortale & veniale, confessionem faciendam cum dolore præteritorum delictorum, & cum proposito illa non reiterandi, & animo satisfaciendi, quæ non minus difficilia ad capiendum sunt, quàm illa quæ in sacramento Eucharistiæ reperiuntur: & tamen capaces sunt sacramenti Pœnitentiæ, vt tenent communiter Doctores; ergo & Eucharistiæ. Deinde, quia muti, & surdi vtplurimum adeò perspicaci ingenio pollent, vt ipsi plura explicatu difficillima, facilè signis manifestent, alia verò ipsis significata intelligant; ergo per signa, & nutus, potest ei mysterium Eucharistiæ explicari, & postea communicari.

Sectio VI.

An sit conueniens quotidie Eucharistiam sumere.

62. COnueniunt primò Doctores, per se loquendo, vtile, & laudabile esse, sæpè communicare. Hæc veritas colligitur ex Trident. sess. 13. cap. 8. vbi. *Hortatur sancta Synodus, vt omnes qui Christiano nomine censentur, hæc sacra mysteria corporis, & sanguinis Christi, ea fidei constantia, & firmitate ea animi deuotione, ea pietate, & cultu, credant, & venerentur, vt panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint.* Trident. Idem repetit sess. 22. cap. 7. illis verbis. *Optaret quidem sacrosancta Synodus, vt in singulis Missis Fideles astantes, non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius sacrificij fructus vberior proueniret.*

63. Conueniunt secundò, per se loquendo, laudabilius esse sæpiùs dignè ex affectu charitatis communicare, quàm ex timore, ac reuerentia, à frequenti communione abstinere; quia sumere Eucharistiam ex amore procedit, abstinétia verò ex timore; amor verò præfertur timori, vt docet D. Thom. artic. 10. ad 3. quæst. 80. Difficultas ergo est, an sit conueniens, & consulendum omnibus cuiuscumque status, vt quotidie ad Eucharistiam accedant, dummodo sint in statu gratiæ, & confessionem sacramentalem præmittant, si peccatum mortale commiserint. Et partem affirmantem multis argumentis nititur persuadere, & probare Ioan. Sancius in select. disp. 22. per totam.

64. Conclusio tamen est negatiua, & communis inter Doctores, tam antiquos, quàm iuniores, qui variis rationibus conantur hanc veritatem ostendere, eas tamen omnes, meo iudicio, breuiter, & rectè expressit D. Thom. loco citato, vbi ita ait, in corpore articuli. D. Thom. *Circa vsum huius sacramenti duo possunt considerari: vnum ex parte ipsius sacramenti, cuius virtus est hominibus salutaris, & ideo vtile est quotidie ipsum sumere, vt homo quotidie eius fructum percipiat. Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, vt cum magnâ deuotione, & reuerentia ad hoc sacramentum accedat: & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inueniat, laudabile est quòd quotidie sumat. Vnde Augustinus cùm dixisset: Accipe quotidie quod quotidie tibi prosit; subiungit, sic vive vt quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum, multa impedimenta huius deuotionis occurrunt, propter corporis indispositionem, vel animæ, non est vtile omnibus hominibus quotidie ad hoc sacramentum accedere.* Qualis autem deuotio, & reuerentia requiratur ad quotidie communicandum, exprimit idem sanctus Doctor in 4. dist. 12. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. & quòd non sufficiat carentia peccati mortalis, inquiens. *In hoc sacramento duo requiruntur, scilicet desiderium coniunctionis ad Christum, quod facit amor, & reuerentia sacramenti quæ ed donum timoris pertinet: primum incitat ad frequentiam huius sacramenti quotidianam; sed secundum retrahit. Vnde si aliquis experimentaliter cognosceret, ex quotidiana sumptione feruorem amoris augeri, & reuerentiam non minui, talis deberet quotidie communicare: si autem sentiret per quotidianam frequentationem reuerentiam minui, & feruorem non multum augeri, talis deberet interdum abstinere, vt cum maiori reuerentia, & deuotione, postmodum accederet.* Idem tradit D. Bonauent. eadem distinct. p. 2. q. 2. Ex quibus

Infertur primò, quòd quamuis non sit illicitum, nec reprehensibile quotidie communicare; omnibus tamen cuiuscumque status non esse conueniès, nec consulendum, ob reuerentiam debitam huic venerabili sacramẽto. Regula ergo quæ seruari debet, est, vt in re tanti momenti nullus se suo arbitrio ducat, sed iudicio prudentis confessarij gubernari se sinat, cuius erit pro diuersitate status, morum, & officiorum, vnicuique præscribere regulam prudentem, magis, vel minus frequenter accedendi. 65.

Infertur secũdò, quòd quamuis pollutio etiamsi fuerit voluntaria, & lethalis, non impediat sumptionem Eucharistiæ, si præcedat sacramentalis cõfessio illius; satius tamen esse in reuerentiam tanti sacramenti, quando non vrget aliqua rationabilis causa, aliquantulum à communione abstinere post pollutionem, & post actum coniugalem: nullum tamen est peccatum adhuc veniale, post pollutionem etiam voluntariam eodemmet die communicare, & etiam post copulam prohibitam, si ante communionem præcedat sacramentalis confessio. 66.

Sectio VII.

An sit præceptum sumendi Eucharistiam, & quo tempore obliget.

67. NOn loquimur de præcepto sacrificandi, & celebrandi, quod solùm conuenit Presbyteris, de hoc enim infrà erit sermo in tract. *de sacrificio Missæ.* sed solùm de præcepto sumendi Eucharistiam, quod est commune laïcis.

68. Conclusio est affirmatiua, dari præceptum diuinum de communione laïca. Ita Suarez disp. 69. sect. 1. Vazq. disp. 213. c. 2. & Recentiores communiter cum sancto Thom. art. 11. vbi mutauit sententiam quam docuerat in 4. dist. 6. q. vnic. Et colligitur ex verbis Christi Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ, non habebitis vitam in vobis.* Ioan. 6. Quomodo autem hic locus intelligendus sit, & quod solùm significet necessitatem præcepti, non verò medij, docuimus suprà disp. 1. sect. 5. Idem colligitur ex illis verbis Lucæ 22. *Hoc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Luc 22. ex quibus Trident. sess. 13. c. 2. deducit hoc præceptum, inquiens. *Quod Christus illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ad iudicandum veniat.* Trident. Hoc autem præceptum non solùm fuisse impositum Apostolis, & sacerdotibus, sed etiam laïcis sumentibus Eucharistiam, satis apertè indicat Paulus dum 1. Corinth. 11. ait:

1.Cor.11. *Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis.*

69. Secunda concluſio. Hoc diuinum præceptum ſumendi Euchariſtiam, obligat pro articulo, ſeu periculo mortis, & ideo quamuis Eccleſia id non præcepiſſet, ſicut verè præcepit, qui in eo periculo conſtitutus Euchariſtiam non ſumeret, peccaret lethaliter contra præceptum diuinum, cui præcepto non ſatisfit per communionem iam in Paſchate factam. Ita communiter omnes Recentiores, & ſequitur ex præcedenti; quia ſuppoſito quòd ſit præceptum diuinum ſumendi Euchariſtiam, negari non poteſt pro articulo mortis præcipuè obligare; nunquam enim poteſt eſſe maior neceſſitas huius ſacramenti, quàm in illo articulo ex quo pender æternitas, & imminet vltima lucta cum hoſte ad decernendum de tota re. Et ſatis apertè videtur colligi ex Concil. Nicen. can. 13. & ex cap. de iis 26. q. 6. vbi præcipitur, vt cum eis, qui vita creduntur diſceſſuri, antiqua lex ſeruetur, nempe vt vltimo, & neceſſario viatico non priuentur.

70. Hinc tamen oritur difficultas, an qui paulo antequam incideret in mortis periculum, ſumpſit Euchariſtiam, excuſetur ab obligatione huius præcepti, vel teneatur rurſus communicare in ipſo periculo Nonnulli, quos refert, & ſequitur Vazquez loco citato, partem ſequuntur affirmantem. Ratio eſt, quia non poteſt ſatisfieri præcepto per actum qui fit antequam præceptum incipiat obligare; quia obligatio ponendi tem præceptam incipit, quando aduenit præceptum; ergo actus debet poni poſt obligationem, vt fiat quod præcipitur.

71. Verius tamen eſt, non obligari ad nouam communionem qui paulo ante mortis periculum communicauit: vnde ſi infirmus tribus, vel etiam octo diebus antequam in mortis periculum incideret communicauit, optimum conſilium erit vt iterum Euchariſtiam per modum viatici accipiat; tamen ad id nõ obligatur, cùm præceptum de Euchariſtia ante mortem inſtantem ſumenda ſecundùm ſubſtantiam impleuerit. Ita Suarez vbi ſuprà, & Ægidius art. 11 dub. 4. & eſt communis ſententia. Nec in vniuerſum eſt verum id quod tradit Vazquez, nunquam poſſe ſatisfieri præcepto, per opus factum ante obligationem præcepti: aliàs Nouitius qui in choro recitat totum officium diei qua profeſſionem debet emittere, non ſatisfaciet præcepto recitãdi officium diuinum, ſi veſpere profeſſionem faciat, ſed tenebitur poſt profeſſionem officium repetere, quia antea non habebat obligationem ex præcepto: præceptum ergo percipiendi Euchariſtiam in mortis articulo, ſolùm obligat ad accipiendam illam paulo ante mortem, ſeu quòd homo non moriatur abſque Euchariſtia proximè accepta, cui præcepto ſatisfit modo dicto. Minus approbo ſententiam Gaſp. de Hurt. diſp. 10. diff. 2. vbi aſſerit, eum qui extra periculum mortis communicauit, ſi eodem die poſt communionem incidat in periculum mortis adeò vrgens, vt prudenter timeatur eodem die moriturus, teneri pro viatico iterum in eodem die communicare, quod ſufficienter refellitur ex dictis, quia per communionem factam paulò ante mortem, etiamſi nulla præceſſerit cogitatio periculi, aut mortis ſuperuenientis, re ipſa, & ſecundùm ſubſtantiam ſatisfactum eſt præcepto communicandi in periculo mortis.

72. Tertia cõcluſio Hoc diuinũ præceptum adhuc obligat extra periculum mortis, vagè tamen, & indeterminatè. Itaque cùm Chriſtus non determinauerit tempus præcepti communionis extra mortis articulum, reliquit illud Eccleſiæ determinandum, quod factum fuit in Concilio Later. vt refertur in cap. *omnis vtriuſque ſexus*, de pœnit. & remiſſ. per hæc verba. *Omnis vtriuſque ſexus Fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentũ, niſi forte de propri ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendũ: alioquin & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens eccleſiaſtica careat ſepultura.* Lateran. Hæc concluſio declaranda, & probanda eſt eiſdem rationibus, quibus in tract. *de Pœnitentia*, diſp. 4. ſect. 2. & 3. probauimus, præceptum diuinum confeſſionis obligare etiã extra caſum neceſſitatis.

73. Quarta concluſio. Hoc præceptum non eſt ita affixum Paſchati, vt qui tũc non communicauit, non teneatur ampliùs communicare illo anno; ſed ita obligat, vt qui in Paſchate Euchariſtiam non ſumpſerit, poſtea cùm primum commodè poteſt, communicare teneatur, vt quanto diutiùs differat, tanto magis peccatum augeat. imò qui præuidet impedimentum futurum vt in tempore Paſchatis Euchariſtiam accipere non poſſit, tenetur præuenire tempus, & illam ſumere. Vnde eadem eſt ratio de hoc ſacramento ac de ſacramento confeſſionis, vt oſtenſum fuit diſputatione citata, & ita tenent Suarez diſp. 70. ſect 2. Vazquez t. 4. de Pœnitentia quæſt. 90. art. 3. dub. 2. & plures alij. Quamuis contraria ſententia non ſit improbabilis. lege Dianam tract. 4. de ſacram. reſol. 41. & 42.

74. Notandum, qui ſcienter, vel ignoranter communicauit in Paſchate in ſtatu peccati ſatisfacere Eccleſiæ præcepto, itavt poſtea non obligetur iterum ad communicandum eodem anno. Ita Suarez ſect. 3. & plures alij Doctores quos refert Diana ſuprà; quia finis præcepti non cadit ſub præcepto: vnde licèt Eccleſia in hoc præcepto intendat, quòd percipiant effectum huius ſacramenti, id tamen quod præcipit, ſolum eſt quòd percipiant ſacramentum.

75. Secundò nota, nomine Paſchatis in Decreto ſuprà relato intelligi quindecim dies à Dominica palmarum vſque ad Dominicam in albis incluſiuè. Ita tenet vſus, & praxis, & in aliquibus locis extenditur ad totam Quadrageſimam, ita vt qualibet eius die ſatisfieri poſſit præcepto communionis; in hoc autem ſeruanda eſt conſuetudo Eccleſiarum. Eadem verò die prohibitum eſt pluſquam ſemel communicare, in cap. *ſufficit*, de conſecrat. diſt. 1. & in cap. *conſuluiſti*, de celebr. Miſſarum, vbi conceditur in die Natalis Domini tres Miſſas poſſe celebrari; ſed de hoc infrà.

76. Denique notandum, circa infantes non teneri præcepto communionis, vt docet Trident. ſeſſ. 21. cap. 4. Pueri verò, ſeu puellæ, ſi ante duodecimum annum habeant diſcretionem ſufficientem, præcepto communionis, tam annuæ, quàm pro articulo mortis, obligari incipiunt: in quo non poteſt certa regula præſcribi, cùm aliquibus citiùs, aliis tardiùs aduenias vſus rationis, & idcò hoc relinquitur arbitrio prudentium, præcipuè parẽtum, aut confeſſariorum. Eſt tamẽ diſſenſio inter Doctores, an eiuſmodi pueris qui peccare poſſunt, & aliunde Euchariſtiam nunquam acceperunt, danda ſit pro viatico, ſi ſint in mortis periculo, Vazq. diſp. 204. cap. 4. Hurt. diſp. 10. diff. 4. negant, quia pueris prius aduenit tempus obligationis præcepti confeſſionis, quàm Euchariſtiæ adhuc pro articulo mortis ſumendæ, quia minor diſcretio ſufficit vt quis confiteri, quàm vt communicare teneatur,

ad

ad hoc enim sufficit vt sciat discernere inter malum, & bonum; ad illud verò requiritur, quòd perfectè discernat inter panem cælestem & communem; sicque contingere potest vt puer in articulo mortis teneatur confiteri, non verò communicare.

77. Affirmat Suarez disp. 70. sect. 1. & alij plures, quibus adhæreo, quia, vt prædictum est, Ecclesia suo præcepto solùm determinauit tempus suscipiendi Eucharistiam quod ex diuino præcepto indeterminatum erat: cùm ergo articulus mortis ex diuino præcepto non sit indeterminatus, omnino relictus fuit in suo robore; ac proinde quamuis quoad communionem annuam Ecclesia non incluserit pueros omnes, sed cum latitudine arbitrio confessarij; tamen quoad articulum mortis illa latitudo admittenda non est.

Sectio VIII.

An laïci teneantur communicare sub vtraque specie.

78. Conclusio est negatiua, contra hæreticos nostri temporis, & probatur ex Trident. sess. 21. cap. 1. & can. 1. imò prohibiti sunt ab Ecclesia communicare, nisi tantùm sub specie panis in Concil. Constant. sess. 13. & in eodem Tridentino cap. 2. Quòd autem liceat fidelibus communicare sub altera specie tantùm, probatur Ioan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Vbi soli pani promissa est vita animi, vt notat Chrysost. homil. 9. & Actorum 2. dicitur. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis.*

Ioan. 6.

Act. 2.

79. Deinde Ecclesia latina iustis de causis calicem laïcis interdixit, quas refert Æneas Siluius, qui fuit Pius II. *Prima* est maximum periculum, vt aliquid sanguinis effundatur: quod quidem magis cauendum est, quàm aliquid panis in terra decidat, quia gutta sanguinis non potest colligi. *Secunda*, quia in multis Prouinciis difficilè habetur vinum. *Tertia*, quia plures odio habent vinum. *Quarta*, periculum erroris quo nonnulli cogitabant non esse totum Christum sub singulis speciebus.

80. Nec obstant verba illa Ioan. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem*, &c. vbi particula *nisi*, necessitatem indicat; ergo æqualis necessitas est in vtraque specie communicandi. Nam respondetur primò, particulam *&*, ibi non esse coniunctiuam, sed disiunctiuam: quod etiam Dialectici tradunt aliquando particulam *&* significare disiunctiuè. Et Actorum 3. sunt similia verba. *Argentum, & aurum non est mihi:* id est, argentum, aut aurum. Respondetur secundò, non omnia præcepta tradita à Christo toti suæ Ecclesiæ esse ab omnibus adimplenda, sed satis est vt impleantur per aliquos, vt docet Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 17. vbi ait. *Quædam in Scriptura præcipiuntur obseruanda omnibus communiter: quædam verò singulis*; sic in præsenti præceptum sumendi vtramque speciem pro vniuersa Ecclesia latum est, quia præceptum est sacerdotibus, non tamen pro singulis hominibus totius Ecclesiæ. Et eodem modo respondetur ad illud Matth. 26. *Bibite ex eo omnes.* per illum terminum syncathegorematicum *omnes* non intelligi omnes, & singulos homines, sed solùm omnes cœnantes cum Christo, scilicet Apostolos.

Ioan. 6.

Act. 3.

August.

26.

Lud. à Cæraugusta Tom. poster.

Alia argumenta hæreticorum inuenies soluta apud Bellarmin. tom. 3. lib. 4. de Eucharistia, cap. 24. & 25. 81.

Est tamen difficultas, an vtraque species Eucharistiæ conferat maiorem gratiam, quàm singulæ seorsum. Partem negantem sequuntur plures, tam antiqui, quàm iuniores, præsertim Suarez disp. 63. sect. 6. 82.

Secunda conclusio. Maior gratia recipitur vtraque specie sumpta, quàm altera illarum solùm. Ita Vazquez disp. 215. cap. 2. Quæ conclusio vera est, non solùm quando adest noua dispositio, sed etiam quando dispositio necessaria ad hoc sacramentum recipiendum manet inuariata, & ita sensit Clemens VI. in Bulla ad Regem Galliæ anno 1541. in qua illi concessit communionem sub vtraque specie, & addit Pontifex, hoc concedere ad maius gratiæ augmentum. Et probatur, quia hoc sacramentum est conuiuium, vt canit Ecclesia, dicens. *O sacrum conuiuium*; & sic integrum conuiuium significatur per cibum, & potum, secundùm illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; ergo quælibet species quatenus est pars huius conuiuij, habet suam significationem diuersam ab alia, videlicet cibi & potus: significationem autem in sacramentis nouæ legis subsequitur efficacitas, quia id efficiunt quod significãt; ergo quælibet species in hoc sacramento suum effectum operatur; aliàs esset vacua significatio illius, quia in subiecto bene disposito non semper consequeretur effectum, quod est falsum; ergo dicẽdum est, maius augmẽtum gratiæ conferri per vtramque speciem, quàm per alteram earum solùm. Et confirmatur, quia species panis significant, & conferunt gratiam vt satiantem; quia significant, & conferunt illam tanquam cibus; species verò vini significãt, & conferunt vt refrigerantem; quia significant, & conferunt illam vt potus; ergo licèt per vtramque speciem conferatur gratia eiusdem rationis quoad entitatem, sicut confertur per omnia sacramenta nouæ legis: diuersa tamen est quoad connotatum, quia gratia quæ per species panis confertur, significatur, & confertur, affert secum de cõnotato effectus quos præstat cibus: & quæ significatur, & confertur per species vini effectus, quos præstat potus. 83.

Ioan. 6.

Obiicies ex Trident. sess. 21. cap. 3. asserente, *sub vna tantùm specie totum Christum, & verum sacramentum contineri, & sumi: & fideles non defraudari vlla gratia necessaria ad salutem qui vnam speciem solam accipiunt.* Respondetur primò, Concilium non loqui de maiori fructu, vel augmento gratiæ, & fructus huius sacramenti sub vtraque specie, vel sub vna tantùm; sed solùm definisse contra Hæreticos Germaniæ, sub qualibet specie integrum Christum contineri & verum sacramentum. Neque absolutè docet, qui vnam tantùm speciem sumit, nulla gratia defraudari: imò consultò addit ad salutem necessaria, quo indicat defraudari aliqua, quamuis non necessaria: qui enim vnam tantùm speciem sumit, quamuis priuetur gratia quæ confertur per sumptionem alterius speciei; illa tamen non est necessaria ad salutem, quia ad hunc effectum sufficit quæ confertur per vnam tantùm speciem. 84.

Trident.

Obiicies secundò, quia videtur fructus, & effectus huius sacramenti esse idem in vtraque specie, videlicet gratia ex opere operato collata. Respondetur, eumdem esse effectum in vtraque specie, vel in altera illarum in ordine ad gratiam nutritiuam quoad entitatem; diuersam tamen esse significationem, quia sanguis datur ad extinguen- 85.

Digitized by Google

dam ſitim, quia eſt potus: corpus verò ad extinguendam famem, quia eſt cibus; dum ergo ſunt diuerſæ ſignificationes, etiam ſignificantur diuerſi effectus, vt expoſitum eſt.

SECTIO IX.

De Miniſtro huius ſacramenti.

86. COnueniunt primò Doctores, ſolos ſacerdotes eſſe miniſtros conſecrationis panis, & vini, in corpus & ſanguinem Chriſti: & nulli præter ſacerdotes hanc poteſtatem conceſſam eſſe. Hæc veritas eſt de fide definita in Concilio Lateranenſi ſub Innocent. III. cap. 1. & ab Eugenio IV. in ſuo decreto fidei, & in Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & ſeſſ. 23. cap. 1. & 4. cui non obſtat illud 1. Petr. 2. vbi omnes fideles appellantur *regale ſacerdotium*. nam hoc intelligendum eſt, non propriè, ſed metaphoricè; ſicut etiam metaphoricè, & lato modo, omne opus bonum dicitur ſacrificium: quo etiam modo ibidem appellantur Reges.

87. Conueniunt ſecundò, plures ſacerdotes poſſe ſimul eamdem hoſtiam validè conſecrare, vt tradit D. Thom. artic. 2. quod probat ex conſuetudine plurium Eccleſiarum. Deinde Eccleſia Romana in Pontificali iubet ordinatos Presbyteros ſimul cum Epiſcopo eamdem Miſſam celebrare, & idem conficere ſacramentum. Idem accidit quando Epiſcopus conſecratur, ſimul enim celebrat conſecrans, cum Epiſcopo conſecrante. Olim etiam ſolebant Presbyteri Cardinales aſſiſtentes Pontifici, cum illo celebrare. Rationem huius congruentiæ reddit D. Thom. quia quamuis Apoſtoli non ſimul cum Chriſto conſecrauerint; tamen cùm manducantibus illis corpus ipſius, & ſanguinem bibentibus, præceperit Chriſtus, vt illud facerent in ſui commemorationem, conuenienter ſatis in inſtitutione huius ſacramenti effectum eſt, vt deinde aliquando plures ſacerdotes conſecrarent; qua ratione recolunt memoriam paſſionis Chriſti; dum plures ſacerdotes cum Epiſcopo conſecrant, tanquam cum Chriſto: quem tamen oportuit ſolùm conſecraſſe, vt ipſe ſolus auctor tanti ſacramenti oſtenderetur.

88. Qua autem ratione id fieri poſſit, cùm neceſſe ſit alterum illorum priùs verba finire, & per conſequens cæteros nihil effecturos, præſertim ſi contingat quòd Pontifex ſit poſterior, ac per conſequens non ſacrificet. Placet mihi doctrina Soti in 4 diſt. 13. q. 1 art. 2. aſſerentis, omnes ſacerdotes recenter ordinatos, verba conſecrationis cum ſufficienti intentione ad conſecrandum referre debere, & curare quantum poſſint, ne in prolatione verborum Epiſcopum præcedant: quòd ſi contigerit vt aliquis eorum priùs quàm Epiſcopus verba finiat, non fit irreuerentia, neque vlla irrogatur iniuria huic ſacramento, nec erit ſacrilegium quòd alij verba proferant, licèt priùs alter illa protulerit: quia dicta cerimonia eſt maximè congrua inſtitutioni huius ſacramenti.

89. Conueniunt tertiò, ſolis ſacerdotibus ex officio conuenire diſpenſare, & diſtribuere ſacramentum Euchariſtiæ. Diaconis verò tantùm ex commiſſione, vt tradit Clemens Romanus lib. 8. Conſtit. Apoſtolic. cap. 28. dum de Diacono ait: *Non baptizat, non offert: oblatione ab Epiſcopo, aut à Presbytero facta, ipſe Diaconus dat populo, non tanquam ſacerdos, ſed tanquam qui miniſtrat presbyteris.* Quod ſatis confirmat hiſtoria ſancti Laurentij, qui cùm eſſet Diaconus, dixit Beato Sixto: *Experire vtrùm idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationem.* Vt autem hæc diſpenſatio poſſit Diacono committi, requiritur iuſta neceſſitas: vt expreſsè decernitur in Concilio Carthagin. IV. can. 38. ibi. *Vt Diaconus, præſente Presbytero, Euchariſtiam corporis Chriſti (ſi neceſſitas cogat) iuſſus eroget.* in quibus verbis duo exiguntur, videlicet neceſſitas, & vt illi præcipiatur. Ex quo fit, non poſſe Diaconum, præſente ſacerdote, ſua ſponte, & ſine neceſſitate Euchariſtiam miniſtrare, ſine graui peccato: nec Parochum talem adminiſtrationem Diacono committere, ſi adſit alius ſacerdos qui poſſit Euchariſtiam miniſtrare. S. Laur. Carthag. IV.

90. Deinde fit, in articulo mortis abſente Presbytero qui poſſit committere Diacono, poſſe ipſum Diaconum hoc ſacramentum ægroto diſpenſare, ipſo iure communi, vt conſtat ex Concilio Niceno can. 14. ibi. *Quid ſi non fuerit in præſenti, vel Epiſcopus, vel Presbyter, tunc ipſi (ſcilicet Diaconi) proferant, & edant.* quibus verbis conceditur Diaconis, etiam extra articulum mortis, poſſe ſe ipſos communicare. Ex quo colligunt Doctores multo melius id poſſe Presbyteros, quando alius Presbyter deficit. Nicen.

91. Laici verò id non poſſunt, etiam in articulo mortis: quidquid dicat Suarez diſp. 72. ſect. 3. & nonnulli alij: quia, vt rectè Vazquez ſuprà cum communi ſententia, dictum miniſterium eſt illis prohibitum intuitu reuerentiæ Euchariſtiæ in can. de Conſecratio. diſt. 2. Quod ſatis confirmat praxis, & conſuetudo omnium fidelium, & ad id quod refert ſolet de Regina Scotiæ, quæ apud ſe ſacramentum Euchariſtiæ habebat, & ante martyrium priùs deuotè ſumpſit: illud quidem factum fuit ex ſpeciali Pontificis licentia, imò tenebatur ad vitandum periculum irreuerentiæ, quia iure optimo timere potuit, hæreticos poſt eius mortem, Euchariſtiam irreuerenter tractaturos.

92. Difficultas ergo eſt, an omnes ſacerdotes ſint ordinarij miniſtri ad diſtribuendum Euchariſtiam. Reſpondeo eos ſolos ſacerdotes eſſe proprios ordinarios miniſtros diſpenſationis huius ſacramenti, qui habent iuriſdictionem in illos, quibus hoc ſacramentum diſtribuendum eſt (loquimur de iuriſdictione ordinaria, non de delegata; hæc enim conferri poteſt omnibus, & ſingulis ſacerdotibus;) loquendo ergo de iuriſdictione ordinaria proprius huius ſacramenti diſpenſator eſt ſacerdos qui paſtor eſt ouium, ad paſtorem namque pertinet proprias oues quæ ſunt ex proprio ouili, paſcere, & nutrimentum præbere: cæteris verò conuenit ex commiſſione, vel priuilegio.

93. Commiſſionem poſſunt dare Summus Pontifex in tota Eccleſia, Epiſcopus in propria Diœceſi, Parochus in propria Parochia: quæ commiſſio exhiberi poteſt, vel per expreſſam voluntatem, vel per ratihabitionem, ſeu rationabilem præſumptionem, quia licèt diſpenſatio Euchariſtiæ ſit propria paſtoris, & eius qui habet iuriſdictionem; tamen ipſa actualis diſtributio non eſt actus iuriſdictionis; & ob id nec requiritur approbatio Epiſcopi, nec eſt neceſſaria expreſſa voluntas, vel ratihabitio, ſed ſufficit præſumptio rationabilis; quæ non ſufficit ad miniſtrationem ſacramenti Pœnitentiæ, vt ſuo loco docuimus. Vel, vt propriùs loquar cum Hurtado diſp. 11. diff. 5. eſt actus ordinis ſacerdotij, & quaſi dominij, habentis quaſi dominium, & ius iuſtitiæ ad diſtribuendam

buendam Eucharistiam propriis ouibus ; ac proinde nulla committitur iniustitia in proprium pastorem, quando fit ex voluntate illius præsumpta, seu interpretatiua : quod contingit non solùm quando id videt, aut scit fieri, & tacet ; sed etiam quando iudicio prudentis creditur proprium pastorem contentum fore, si id sciret.

94. Et quamuis in iure nulla pœna sit constituta generaliter contra administrantes Eucharistiam, absque prædicta voluntate alienis ouibus, licèt graue peccatum sit. Contra regulares verò fertur excommunicatio in Clementina *Religiosi*, de priuilegiis, si sine licentia Episcopi vel Presbyteri parochialis expressa, vel rationabiliter præsumpta Eucharistiam administrauerint. quæ excommunicatio ad clericos seculares non extenditur.

95. Ex priuilegio autem iam à sede Apostolica concessum est omnibus Ordinibus, vel saltem ex communicatione priuilegiorum, vt toto anno, excepto festo Paschæ resurrectionis, possint omnibus fidelibus in suis Ecclesiis Eucharistiam ministrare. Quæ verba non intelliguntur materialiter, sed formaliter de communione Paschali, quæ fit pro impletione præcepti annuæ communionis. Vnde possunt Regulares dare Eucharistiam etiam die Resurrectionis his qui iam in Parochia communicarunt, vel postea communicare volunt. Non tamen possunt dare Eucharistiam à Dominica Palmarum, vsque ad Dominicam in albis inclusiuè, his qui ea communione volunt satisfacere præcepto : quia intentio Pontificum fuit illam communionem reseruare Parochis.

96. Et quamuis Rodriquez tom. 1. quæstionum Regul. quæst. 56. art. 3. afferat priuilegium magis amplum, & sine vlla restrictione concessum à Nicolao V. Monasterio sanctæ Mariæ de Guadalupe in Hispania Ordinis sancti Hieronymi : tamen de hoc priuilegio non constat, vt notat Lugus disp. 18. sect. 2.

97. Per modum verò viatici possunt mendicantes dare viaticum absque licentia Parochi, deficiente proprio Parocho, ex Nicolao V. & Sixto IV. quod tamen non procedit in communione Paschali, quando deest Parochus, quia in eo casu non vrget necessitas ; nec multum refert si Parochus expectetur : maximè, quia tunc possunt fideles ex sola deuotione communionem sumere, & postea adueniente Parocho iterum de manu eius communicare, aut alterius, ex licentia illius, ad satisfaciendum præcepto annuæ communionis.

Digitized by Google

TRACTATVS XXIII.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

DISPVTATIO I.

De natura, & essentia sacrificij Missæ.

SECTIO I.

An in Missa sit verum, & proprium sacrificium, & in eo Christus immoletur.

1. CVm sacrificium duobus modis sumatur, vno pro hostia, seu pro re quæ immolatur, siue in sacrificio offertur: altero pro ipsa actione sacrificandi, principaliùs agimus de sacrificio hoc secundo modo accepto. Vt ergo rem hanc explicemus, oportet aliqua præmittere. Primò præmittendum, & examinandum est, quid sit sacrificium. Hæretici vt Missæ sacrificium omnino euertant, omne opus bonum in Dei cultum oblatum, verum esse sacrificium autumant; nec aliud in Ecclesia Dei visibile concedendum esse contendunt. Sic Philippus Melanchthon in Apologia confessionis Augustanæ art. de Missa, diffinit sacrificium, quòd sit ceremonia, vel opus quod nos Deo reddamus, vt eum honore afficiamus. Caluinus verò lib 4. Instit. cap. 18. contendit, sacrificium esse quidquid omnino Deo offertur. Quod probant ex Augustino lib 10. de ciuitate, cap. 6. vbi ait. *Proinde verum sacrificium est omne opus bonum quod agitur, vt sancta societate inhæreatur Deo, relatum scilicet ad eum finem boni, quo veraciter beati esse possimus.* Aug.

2. Hæc tamen falsa sunt, quia in sacra Scriptura actus variarum virtutum opponuntur sacrificio, & ab eo distinguuntur, 1. Reg. 15. *Melior est obedientia quàm victima*, & Oseæ 6. *Misericordiam volo, non sacrificium*; ergo non quodlibet opus virtutis potest propriè dici sacrificium, nisi in latiore quadam significatione, vt iam suprà animaduertimus. Deinde, quia sacrificium propriè, & in rigore sumptum, est opus virtutis Religionis, qua Deum peculiari modo colimus; ergo non potest esse opus cuiuscumque virtutis. Nec Augustinus loco citato voluit diffinire sacrificium propriè dictum, & in rigore, sed solùm opponere opera virtutis quoad effectum, victimis & sacrificiis: quia opera virtutum aliquando magis Deo placent, quàm sacrificia externa, præsertim si sine pietate, & affectu interiori fiant: vt videre est in sacrificiis veteris legis. Psalm. 50. *Holocaustis non delectaberis: sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* & Psalm. 49. *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis.* & infrà, *sacrificium laudis honorificabit me.* 1. Reg 15. Oseæ 6. Psalm. 50. Psalm. 49.

3. Inter Catholicos etiam non conuenit in quo ratio sacrificij consistat, & omissis variis diffinitionibus sacrificij, quæ apud Recentiores videri possunt, Notandum est, quòd quamuis ad rationem sacrificij requiratur, vt per illud significetur interna animi nostri submissio, & suprema Dei excellentia: hoc verò non sufficit, quia in eo conuenit sacrificium cum aliis actibus Religionis: adoratione namque profitemur nostram inferioritatem, & diuinam excellentiam, & maiestatem: similiter constructione templorum, vel consecratione altaris fit cultus latriæ soli Deo debitus in signum reuerentiæ, & excellentiæ diuinæ; & etiam cum immutatione rei sensibilis: & tamen hæc non sunt verè, & propriè sacrificia. Aliquid ergo aliud addendum est necessariò, & explicandum in quo consistat differentia essentialis, & vltimò constitutiua sacrificij.

4. In hac re placet mihi modus dicendi Patris Vazquez, quem sequuntur Hurtad. & Præpositus in præsenti, rationem sacrificij consistere in immutatione rei Deo oblatæ, qua Deum ipsum auctorem vitæ, & mortis, præsertim nostræ, profitemur; qua ratione rectè diffinitur sacrificium, *Nota, seu signum existens in re Deo oblata, quo Deum ipsum autorem vitæ, & mortis profitemur.* Quæ diffinitio sumpsit initium ex Eusebio lib. 1. demonstr. cap. vltimo. vbi ait, *Hominem debere vitam suam Deo in sacrificio; quia tamen hoc non expedit, ideo lege naturæ introductum fuisse, vt in sacrificium animalis, vel aliquid eiusmodi commutaretur.* Et per hoc distinguitur sacrificium ab omnibus aliis actibus virtutis religionis, & præcipuè à laude, adoratione, & simplici oblatione, cum quibus habet maiorem similitudinem. Nam laus posita est in verbis, & circa omnia attributa Dei versatur, siue diuisim, siue coniunctim: adoratione verò diuinæ naturæ eminentiam supra omnem naturam creatam, aut creabilem protestamur: simplici oblatione, supremum eius, & absolutum dominium, quod in res omnes creatas continet & exercet. Denique sacrificio profitemur eius omnipotentiam, qua est auctor vitæ & mortis, & potest cuncta destruere pro suo arbitratu; sicut nos rem quam ei sacrificamus, in eius honorem destruimus. Ex quibus Euseb.

5. Infertur primò in re quæ sacrificatur, mutationem aliquam debere fieri necessariò, qua significetur

cetur Deum esse auctorem vitæ & mortis: omne enim sacrificium requirit victimam, quæ immoletur & immutetur, & qua profiteamur Deum esse auctorem vitæ & mortis: aliàs non posset satis id constare, nec ad quid significandum victima illa offertur, & sacrificatur; necessaria ergo est destructio illius per quam profitemur nos ita à Deo pendere, vt possimus ab eo conseruari, vel destrui; sicut res illa à nobis oblata destruitur, & immutatur.

Infertur secundò ad hoc vt aliqua res sit sacrificium, non sufficere vt aliquid sacrum circa rem illam fiat: aliàs consecratio Calicum, Ecclesiarum, &c. esset propriè sacrificium, & dum eiusmodi res consecrantur, dici possent propriè sacrificari.

6. Nec obstat, oblationem panis & vini à Melchisedece factam Genes. 14. fuisse verum sacrificium: panum item propositionum, de quibus in Leuitico, & tamen in his nulla fuit facta immutatio; ac proinde absque immutatione optimè posse reperiri sacrificium. Nam quamuis Scriptura nullam faciat mentionem mutationis factæ panis & vini, quæ Melchisedech in sacrificium obtulit, credendum est factam fuisse, videlicet fractionem, seu diuisionem panis; effusionem quoque vini quoad aliquam eius partem; vel supra panem illum, vel supra ipsum altare. Oblatio autem panum propositionis, vel potest dici non fuisse verum sacrificium, sed solum simplex oblatio sacra: vel si fuit verum sacrificium, aliqua illorum pars destruebatur: vel panibus illis superponi thus, vt habetur expressè Leuitici 24. quod accenso igne in thuribulo consumebatur; ac proinde panes illos habuisse rationem sacrificij, non seorsim sumptos, sed coniunctim cum thure isto.

7. Tertiò infertur decisio illius difficultatis, an sit de ratione sacrificij quod publica auctoritate instituatur: an verò possit quis propria & priuata auctoritate sacrificium offerre, instituendo aliquid vt signum supradictæ protestationis. Respondeo cum Suario in præsenti sect. 4. ad rationem sacrificij requiri quòd publica auctoritate instituatur, nec sufficere auctoritatem priuatam: cùm enim sacrificium sit nota, seu signum ad placitum, ad significandam prædictam protestationem, per immutationem, seu destructionem rei significatæ; quamuis ipsa destructio rei secundùm se aliquam habeat congruitatem ad id significandum; quia tamen non est signum naturale, sed omnino indifferens, necessaria est ad hoc institutio communis. Qua ratione suprà dicebamus mortem Martyrum non fuisse verum sacrificium, quia licèt ex priuata eorum intentione fuerit in Dei cultum, & protestationem supremæ Dei potestatis in vitam & mortem; tamen non fuit ad hoc instituta per aliquam publicam auctoritatem. Occisio ergo ouis in lege veteri erat verum sacrificium, quatenus ex institutione diuina assumebatur ad talem protestationem faciendam; sicut mors Christi in lege noua ex eadem diuina institutione idem significauit, & sacrificium Eucharisticum ex Christi Domini institutione eamdem significationem accepit.

8. Secundò præmittendum est circa nomen *Missa*, quo significatur sacrosanctum Sacrificium, in quo Christus immolatur, immeritò notari & irrideri ab hæreticis, tanquam barbarum, & inusitatum, & antiquitus in sacra Scriptura & sanctis Patribus minimè repertum. Falluntur tamen hæretici. nam nomen hoc receptum fuit in Ecclesia Dei à tempore Apostolorum, vt latè ostendit Alphonsus à Castro verbo *Missa*, hæreti prima, & alij controuersistæ idem ostendunt contra hæreticos nostri temporis, & in huius rei confirmationem adducunt testimonium sancti Clementis discipuli & successoris sancti Petri, Telesphori Papæ & Martyris, Alexandri I. Papæ & Martyris, & aliorum Sanctorum. Inter Catholicos etiam est dissensio vnde hoc nomen *Missa* sumptum sit. Nonnulli existimant esse nomen Hebraicum desumptum à verbo *Missac*, quod idem significat quod oblatio, vel munus voluntarium Deo oblatum. nam in Leuitico, vbi iuxta editionem vulgatam transfertur oblatio voluntaria, hebraicè habetur *Missac*. Alij verò rectiùs existimant esse nomen Latinum deriuatum à verbo *mitto*, vel *emitto*, ita quod idem sit *Missa*, quod *missio*, vel *emissio*. Cuius rei duplicem reddunt rationem Doctores. Prima, quia, vt docet D. Thom. quæst. 83. art. 4. hoc sacrificium dicitur Missa, quia hæc sacrosancta hostia fuit à Deo missa pro redemptione hominum, & nos iterum mittimus illam ad Deum ipsum ministerio Sacerdotum. Secunda est, quia, vt etiam docet idem sanctus Doctor in 4. distinct. 13. & 24. dicitur Missa ab emissione, quia finito symbolo dimittebantur Catechumeni, & finito toto sacrificio dimittebantur fideles, & hinc est quòd antiquitus distinguebatur Missa Catechumenorum, cui ipsi interesse poterant, à Missa aliorum fidelium, qui iam erant baptizati, & admittebantur ad inspectionem consecrationis, & oblationis, qua peracta voce etiam Diaconi, emittebantur eiusmodi fideles: vnde, quia in Missa bis missio fiebat, scilicet Catechumenorum dicto Euangelio & Concione, & postea fiebat missio omnium in fine Missæ, ideo dici solet inter Missarum solemnia, quia in vno sacrificio duæ Missæ, seu missiones fiebant. His prænotatis,

Conclusio est affirmatiua, in Missa verum & propriè dictum sacrificium Deo offerri, & in eo Christum immolari. 9. Hæc conclusio est de fide diffinita in Trident. sess. 22. vbi sic asseritur. *Dominus noster, &c. in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut natura hominum exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, eiusque memoria in finem vsque seculi permaneret; atque illius salutaris virtus, in remissionem eorum, qua a nobis quotidie committuntur, peccatorum, applicaretur, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit, per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem: vti semper catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Trident. Idem diffinit cap. 2. & Can. 1. 3 & 4.

Et probatur primò ex sacra Scriptura Malach. 1. 10. vbi reprobatis sacrificiis veteris legis, Sacerdotes illos Deus sic alloquitur. *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim Solis ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.* Malach. 1. Quem locum communiter sancti Patres intelligunt de sacrificio Eucharistiæ. legendus est Chrysostomus in Psalm. 99. vbi post prolata verba hæc Malachiæ, sic ait. *Vide quàm luculenter, quámque dilucidè mysticum interpretatus est mensam, qua est incruenta hostia.* Et in Chrysost.

Digitized by Google

primis locus hic non potest intelligi de sacrificio crucis, quia hoc semel & in vno loco oblatus est: Propheta autem affirmat, *in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo.* Deinde non loquitur de operibus virtutis; hæc enim variis modis possunt inquinari: imò opera nostra iuxta hæreticos, quamuis videantur bona, sunt coinquinata: Deus autem affirmat, *quod in omni loco sacrificatur, & offertur nomini suo oblatio munda*, scilicet quòd nulla offerentium malitia pollui possit: quod de nullo alio sacrificio dici potest, quàm de hoc, in quo corpus & sanguis Christi Deo offertur, adeò Deo gratum, vt nulla Sacerdotum malitia pollui possit. Denique quòd non loquatur de sacrificio aliquo Iudæorum, ex eo constat, quia illorum sacrificia vno tantùm in loco offerebantur. Propheta autem significat sacrificium de quo loquitur, non solùm in omni loco, sed etiam à Gentili populo offerendum, quia per vniuersum terrarum orbem Gentilis populus diffusus erat, & ideo ait: *Quia magnum est nomen meum in gentibus*; ergo hæc prophetia necessariò intelligenda est de sacrificio gentium conuersarum ad Christum: alias non posset dici, *Ab ortu Solis vsque ad occasum*, &c. Alia loca sacræ Scripturæ videri possunt apud Recentiores.

11. Secundò probatur ex Patribus, sed quia illorum testimonia sunt innumera ad probandam hanc veritatem, sufficiat Andreas Apostolus, qui Ægeæ Proconsuli suadenti vt Diis immolaret, respondit. *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie, non taurorum carnes, nec hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari.*

12. Tertiò probatur, quia nulla natio quantumuis barbara, agnoscitur carnisse vero & proprio sacrificio, ad colendum verum Deum, vel fictos, quos sibi venerandos assumpsit: ergo neque hoc negandum est Ecclesiæ Dei, in qua nullum aliud est propriè sacrificium, præter illud quod in Missa offertur, & in quo Christus immolatur.

13. Denique probatur, quia in Ecclesia Christi de facto sunt Sacerdotes: Sacerdos autem non est nisi in ordine ad sacrificium offerendum: in omni namque lege & Republica bene instituta, hæc tria semper fuerunt coniuncta, lex, sacrificium, & Sacerdotium: ita vt Paulus ad Hebr. 5. colligat necessariò factam esse translationem à lege antiqua ad legem nouam, quia facta est translatio sacerdotij, & sacrificij veteris legis, ad sacerdotium & sacrificium Christi; vt late prosequitur idem Paulus in eadem Epistola per plura capita. Colligit autem Tridentinum necessariam fuisse huiusmodi translationem factam per Christum, quia illa lex propter imperfectionem, & imbecillitatem sacrificiorum, & sacramentorum, non poterat perducere hominem ad perfectam sanctificationem, ad quam perduxit Christus suo sacrificio, quo se ipsum pro nobis obtulit Patri in oblationem & hostiam Deo. Vt autem animaduertit idem Tridentinum, sacerdotium Christi, qui est Sacerdos in æternum, non erat extinguendum in morte ipsius, quando sacrificio cruento se ipsum obtulit, sed necessariò instituendum erat sacerdotium, & sacrificium, simul cum lege noua Euangelica; quia, vt dictum est, hæc tria simul semper fuerunt coniuncta: hinc est quòd Christus in vltima cœna simul instituit sacramentum Eucharistiæ, & sacrificium visibile, sicut exigebat natura hominis, & vt perpetuò duraret in Ecclesia hoc sacerdotium & sacrificium, in eadem cœna instituit Apostolos, & eorum successores in eodem ministerio Sacerdotes, præcipiens eis, vt eumdem modum seruarent in offerendo hoc sacrificio, quem ipse seruauit, dicens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et hæc fuit perpetua Ecclesiæ traditio à tempore Apostolorum, quæ Missam celebrauit, profitendo in ea Christum Dominum offerri Deo in sacrificium.

Obiiciunt hæretici primò, eiusmodi sacrificium non posse esse gratum Deo, sed potiùs iniuriosum, & irrogare sacrificio oblato à Christo in ara crucis, quod fuit sufficientissimum; ita vt vna oblatione nos omnes sanctificaret in æternum, vt docuit Paulus ad Hebr. 9. Respondetur, quòd etiamsi sacrificium cruentum Christi fuerit infinitæ valoris, absque eo quòd virtuti illius derogetur, potest sacrificium Missæ quotidie celebrari, vt per illud tanquam per causam particularem, & tanquam per medium, nobis applicetur fructus illius sacrificij cruenti: sicut nec derogatur passioni Christi per sacramenta, per quæ nobis applicantur merita, & satisfactiones Christi. Itaque Christus vnica oblatione consummauit nostram redemptionem & sanctificationem, quoad sufficientiam quidem, & quoad meritum vniuersale, non verò quoad efficaciam, & ideo nobis reliquit sacramenta, & hoc sacrificium, per quæ nobis sua merita applicarentur. 14.

Obiiciunt secundò ex Lucæ 22. vbi sanguis Christi appellatur, *nouum Testamentum*: vnde colligunt non posse esse sacrificium, quia sacrificium est quo nos reddimus aliquid Deo; testamentum verò quo legatur aliquid hæredibus: ergo non potest esse simul testamentum, & sacrificium. Respondetur, quòd testamentum propriè est dispositio hæreditatis; sanguis autem Christi comparatur ad dispositionem hæreditatis æternæ, vt medium per quod consequenda est: quia ius filiationis adoptiuæ quam consequimur per gratiam iustificantem, assequimur per sanguinem Christi: similiter & ipsam hæreditatem, & denique per ipsum sanguinem auferuntur peccata, quæ sunt impedimenta, tam filiationis adoptiuæ, quàm hæreditatis æternæ. Dicitur ergo sanguis Christi, *sanguis noui Testamenti*: sicut Exodi 24. dicitur sanguis Testamenti veteris, quo Moyses aspersit vniuersum populum in confirmationem mandatorum quæ accepit à Deo; sicut enim propter illum sanguinem, qui erat figura sanguinis Christi, confirmatum fuit illud testamentum: ita confirmatum est nouum Testamentum per sanguinem Christi: testamentum namque morte confirmatur, & donec intercedat mors testatoris, non potest deuenire hæreditas testamento legata, vt docuit Paulus ad Hebr. 9. ex quo colligit causam ob quam ante mortem Christi, & effusionem eius sanguinis, nemo assecutus sit hæreditatem æternam. Deinde ex his colligitur, quomodo rectè cohæreant quòd sanguis Christi sit sanguis testamenti, modo explicato, & quod sit sacrificium, quo consequimur hæreditatem æternam, tanquam medio aptissimo, & quo Deus placatus remittat peccata, quæ sunt impedimenta eiusdem hæreditatis, & conferat gratiam quæ est pignus gloriæ, imò gloriam ipsam. Nec obstat Eucharistiam esse donum Dei, quo minus sit sacrificium; quia Deo nihil offerre possumus, quod priùs ab ipso non acceperimus. 15.

Digitized by Google

Sectio II.

In quo consistat essentia huius sacrificij.

16. IN hoc sacrosancto sacrificio plures actiones interueniunt, videlicet oblatio, consecratio, fractio, intinctio, seu mixtio specierum, distributio, & denique sumptio illarum. Difficultas ergo est in qua istarum actionum essentia huius sacrificij consistat.

17. Sit conclusio. Essentia huius sacrificij sita est in sola consecratione, qua corpus & sanguis Christi ex vi verborum ponuntur sub speciebus panis & vini. Ita D. Thom. quæst. 81. & 83. art. 4. Vazquez disp. 282. cap. 5. Suarez disp. 75. sect. 5. & est communior inter Theologos. Hæc conclusio duas habet partes. Prima quòd in sola consecratione consistat essentia huius sacrificij. Secunda quòd hæc consecratio debet esse vtriusque speciei. Et prior pars probatur primò, quia oblatio quæ essentialiter pertinet ad hoc sacrosanctum sacrificium, est illa quam Sacerdos facit in persona Christi: sicut enim suprà ostensum fuit, quòd Sacerdos profert verba consecrationis in persona Christi, ita dicendum est in persona ipsius Christi offerre hanc oblationem: ergo oblatio in persona Christi facta essentialiter pertinet ad hoc sacrificium: quod expressè docuit Tridentinum sess. 22. cap. 2. vbi ait, *Quòd in sacrificio Missæ, non solùm est eadem hostia, & res oblata, cum hostia cruce; sed etiam idem offerens sacerdotum ministerio; ita vt sola offerendi ratione distinguatur hoc sacrificium incruentum, ab illo cruento.* Ergo in ea sola actione est tota essentia huius sactificij, quam Sacerdos Christi minister in ipsius persona exercet: sed hæc non est alia quàm consecratio, & non fractio, nec distributio, nec quæcumque alia, vt constat: ergo in sola consecratione sita est essentia huius sacrificij.

18. Trident. Secundò probatur ex eodem Trident. loco citato, vbi ait. *In diuino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruentè obtulit.* Ex quibus verbis sic arguo. Id quod in hoc sacrificio incruento immolatur, est ipsemet Christus, qui in ara crucis cruentè immolatus est: ergo essentia huius sacrificij incruenti in illa actione debet esse sita, in qua posita fuit essentia illius sacrificij cruenti; sed hæc sita fuit in immolatione cruenta: ergo essentia sacrificij Missæ debet consistere in immolatione incruenta: sed nulla alia actione Christus incruentè immolatur, nisi consecratione; quia ex vi verborum consecrationis Christus tanquam victima iugulatur incruentè, & mysticè, seu repræsentatiuè. nam sola consecratio est positio corporis Christi sub speciebus vi verborum consecrationis seorsim à sanguine, nisi per concomitantiam, & per accidens, & sanguinis seorsim à corpore, ac proinde vnius ab altera separatio; quæ quidem positio optimè significat & repræsentat cruentam Christi immolationem, seu realem eius occisionem, per quam sanguis eiusdem à corpore verè & realiter separatus est: ergo in sola consecratione consistit essentia huius sacrificij, vtpote quæ aptissima est, vt per eam Christus mysticè immoletur, & sacrificetur; ac proinde, vt per eam verè denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis.

19. Tertiò probatur excludendo omnes alias actiones quas in hoc sacrificio interuenire commemorauimus. Prima est oblatio: hæc autem duplex est, vna quæ fit in offertorio ante consecrationem post recitatum Euangelium: altera peracta consecratione, illis verbis, *Offerimus præclare maiestati tuæ de tuis donis ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam*, &c. & de vtraque oblatione probatur contra Scotum, non pertinere ad essentiam huius sacrificij: tum, quia per has oblationes nulla fit mutatio in rebus oblatis, qua Deum auctorem vitæ & mortis significemus, & profiteamur: tum etiam, quia id quod offertur in sacrificio Missæ, non est panis, neque vinum, sed Christus Dominus est qui immolatur, vt prædiximus ex Tridentino: ergo in priori illa oblatione non potest consistere essentia huius sacrificij; illa enim nihil aliud est quàm simplex quædam oblatio, seu cæremonia instituta ab Ecclesia, quam etiamsi Sacerdos omitteret, verè & propriè consecraret, dummodo cætera perageret. Quòd si aliquando sacrificium Missæ appellatur à Patribus, sacrificium panis & vini, ideo est, quia panis & vinum sunt materia ex qua conficitur hoc sacrificium, quia panis & vinum transeunt in corpus & sanguinem Christi, & Christus vt contentus sub illis speciebus immolatur. Tum denique, quia hoc sacrificium in vltima cœna fuit à Christo integrè essentialiter factum, & non constat ipsum posteriorem oblationem fecisse: ergo in hac posteriori oblatione non potest consistere essentia huius sacrificij.

20. Dices, sacrificium essentialiter esse oblationem, & speciem oblationis; ac proinde neque esse, nec intelligi posse sine oblatione, & consequenter vbi propriè offertur, ibi sacrificatur. Respondetur concedendo ad rationem sacrificij pertinere oblationem. nam, vt docet D. Thom. quæst. 86. art. 1. omne sacrificium est oblatio, quamuis econtra non omnis oblatio sit sacrificium: quia sacrificium quamuis essentialiter includat oblationem; addit tamen aliquid vlteriùs, scilicet quòd circa rem oblatam fiat aliquid, quo immutetur & fiat sacrum. Vnde colligit idem sanctus Doctor, quod si res oblata integra maneat, poterit habere rationem doni, vel oblationis; non verò sacrificij. Ex quo fit, quòd quamuis possit controuerti inter Catholicos de prædictis oblationibus quæ fiunt inter Missarum solemnia, an illæ, vel aliqua illarum pertineant essentialiter ad essentiam huius sacrificij, omnes tamen conueniunt Eucharistiam non posse habere rationem sacrificij, nisi includat oblationem; hæc enim ad sacrificium comparatur, vt ratio essentialis generica illius. Vnde quando docuimus in sola consecratione consistere essentialiter hoc sacrificium, nulla ratione volumus excludere à ratione illius oblationem; sed tàtùm eam, quæ fit ante consecrationem, vel consecratione peracta: non verò illam quæ fit consecratione ipsa; quia non quæcumque oblatio est sacrificium, sed solùm illa, qua res oblata immutatur, ita vt illius immutatione denotetur Deum esse auctorem vitæ & mortis; hæc autem sola consecratione fit: neque ad essentiam oblationis requiruntur verba, vt constat in oblatione incensi, ad quam satis est illud realiter cremare, etiamsi nulla verba proferantur.

21. Deinde quòd essentia huius sacrificij non consistat in fractione hostiæ consecratæ, ex eo constat, quia Christus in vltima cœna perfecit sacrificium essentialiter integrum, & tamen non fuit vsus fractione panis consecrati, vt nos facimus; sed panis non consecrati, vt rectè probat Vazquez disp. 196. cap. 3. tum etiam, quia si fortè ante fractionem ceciderit in calicem hostia consecrata, non frangitur, vt habetur in Missali Romano. Nec dici potest

tunc

Digitized by Google

tunc manere imperfectum sacrificium,aliàs extrahenda esset,& frangenda,ne sacrificium omitteretur,& idem dicendum est de intinctione, seu mixtione specierum.

22. Præterea certissimum est, distributionem non pertinere ad essentiam huius sacrificij : aliàs in Missis priuatis,in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, non offerretur sacrificium essentialiter integrum; nec eiusmodi Missæ licitæ essent : quod damnatum fuit in Tridentino sess.22. cap.6.& Canon.8.

23. Denique de sumptione quæ fit à Sacerdote, quòd non pertineat ad essentiam huius sacrificij, sic ostenditur; tum quia per sumptionem non repræsentatur sacrificium illud cruentum in cruce factum,sed sola consecratione,vt probauimus;tum etiam, quia per sumptionem nulla fit mutatio in corpore & sanguine Christi, nisi tantùm localis, quæ impertinens est ad hoc sacrificium:postea verò quando species corrumpuntur, etsi in illis desinat esse Christus; tamen tunc sacrificium Missæ non fit,nec mutatio qualis requiritur ad denotandum Deum esse auctorem vitæ & mortis:aliàs laici communicantes, seu sumentes non minus sacrificarent,quàm Sacerdos. Tum denique,quia de fide est Christum in vltima cœna sacrificasse; sub lite tamen manet,an sumpserit hoc sacramentum:imò non constat, sumptionem sui corporis & sanguinis instituisse ad denotandum Deum esse auctorem vitæ & mortis, in quo ratio essentialis sacrificij consistit.

24. Nec obstat primò Concilium Toletanum XII. cap.5. vbi reprehendit eos qui in sacrificio non sumebant corpus & sanguinem Christi,& reddit ratio-
Tolet.XII. nem. *Nam quale erit sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur.* Respondetur, potiùs ex eodem Concilio nostram sententiam confirmari. nam ibi reprehenduntur sacerdotes, qui cùm sæpiùs sacrificium vna die obtulerint, semel tantùm communicant, & additur : *Quasi verò non sit toties illi vero & singulari sacrificio participandum, quoties corporis & sanguinis immolatio facta constiterit.* Vbi iam supponitur immolatio sacrificij peracta ipsa consecratione.

25. Deinde non obstat, quòd in officio feriæ sextæ in Paraleeue quando ex præconsecrata hostia celebratur ab Ecclesia,appellatur sacrificium in officio illius diei, dicens : *Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus*, & postea inquit Sacerdos : *Orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificium acceptabile fiat*; & tamen illo die non fit consecratio, vt constat; sed sola sumptio hostiæ præconsecratæ. Respondetur, Ecclesiam illo die non sacrificare, cùm non consecret; sed solùm participare sacerdotem de sacrificio, sumpto pro victima,pro se & pro populo facta, illam comedendo pro se & pro populo, & ideo meritò rogat populum astantem,vt pro se Deum oret, vt sacrificium illud,id est, res illa in sacrificium pridie oblata, cedat per manducationem in suam & totius populi vtilitatem : itaque nomen sacrificij in illo loco non significat actionem sactificandi,sed corpus Christi pridie in sacrificium oblatum.

26. Præterea non obstat, quia si sacrificium in sola consecratione consisteret, & non etiam in sumptione, frustrà applicaretur post consecrationem pro aliquo;fructus namque sacrificij suspensus esse non potest : Ecclesia autem post consecrationem applicat officium pro defunctis : sequitur ergo nondum esse peractum sacrificium, nec eius essentiam integrè positam. Respondetur,orationes seu commemorationes quas Ecclesia adhibet pro defunctis peracta consecratione, esse solùm deprecatorias; applicationem verò huius sacrificij debere fieri ante consecrationem.

Denique non obstat, quia, vt docet D.Thom. 27.
quæst.83.art.6.ad 3. si post consecrationem species consecratæ non possint sumi propter aliquem casum,vt si species vini effundantur, vel si contingat in calice venenum esse, debet aliud vinum apponi & consecrari,ne sacrificium maneat imperfectum: ergo hoc sacrificium non perficitur sola consecratione : aliàs non potest reddi sufficiens ratio cur sit tam stricta obligatio sumendi species consecratas, nisi quia absque sumptione hoc sacrificium non est integrum & perfectum essentialiter. Respondetur,rectè id docuisse D. Thomam, non quia aliàs aliquid integritatis, aut essentiæ deesset, sed quia eius participatio imperfecta maneret : hoc enim sacrificium ordinatur ad sacerdotis sumptionem,tanquam ad perfectionem extrinsecam & accidentalem, & Sacerdos ad sumptionem obligatur ex præcepto & iure diuino,ex quo prouenit, quòd si in aliquo euentu Sacerdos consecrans non possit sumere hostiam, necessariò sit alius subrogandus.

Iam secunda pars nostræ conclusionis,videlicet 28.
quòd ad essentiam huius sacrificij pertineat consecratio vtriusque speciei,probatur. Quia oblatio huius sacrificij alio modo facta, esset contra institutionem Christi Domini,quia hoc sacrificium instituit sub vtraque specie, & ita ipse consecrauit, præcepit, & voluit vt sub vtraque specie sacrificium hoc perficeretur; ac eo modo incruentè repræsentaretur eius passio & mors cruenta. Totum hoc constat ex Trident.sess.22. cap.1. vbi asseritur,
quòd Christus, vt Ecclesia relinqueret sacrificium, quo Trident.
cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur, &c. *corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit;ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat,vt sumerent tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus vt offerrent præcepit, per hæc verba : Hoc facite in meam commemorationem*, & deinde subdit : *Seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem redemit, instituit.* Cùm enim Christus suam passionem & mortem, per effusionem sanguinis perfecerit, & hoc debeat exprimi per hoc sacrificium, id non rectè fit nisi per consecrationem vtriusque speciei. nam per consecrationem panis ex vi verborum ponitur corpus eius mysticè separatus à sanguine, & per consecrationem calicis ponitur sanguis eodem modo separatus à corpore;qua ratione exprimitur,quomodo verè & realiter in cruce fuerit separatus, & per eius effusionem Christus verè & realiter mortuus, fit consequenter, vt illa mystica separatio sit quædam mystica iugulatio,seu mactatio eiusdem Christi.

Obiicies primò, quia sacrificium cruentum 29.
Christi essentialiter consistit in morte voluntaria accepta pro nostra salute & redemptione:hæc autem mors essentialiter sita est in separatione animæ à corpore : ergo in hoc sacrificio incruento eius ratio essentialiter consistit in consecratione, qua mysticè, & sacramentaliter hoc repræsentatur: sed in sola consecratione vnius speciei sufficienter fit talis repræsentatio, quia per solam consecrationem panis ex vi verborum ponitur corpus sine anima,

Digitized by Google

anima, & ſimiliter per ſolam conſecrationem vini conſtituitur ſanguis ſine anima: ergo per quamlibet harum ſpecierum conſecrationem ſit mactatio myſtica Chriſti, in qua conſiſtit eſſentia huius ſacrificij: imò per ſolam conſecrationem panis, aut vini, repræſentatur etiam ſeparatio ſanguinis à corpore: non ergo eſt de eſſentia huius ſacrificij conſecratio vtriuſque ſpeciei. Reſpondetur cum Suario diſp. 75. ſect. 6. in conſecratione vnius ſpeciei inueniri illam proportionem in argumento adductam; non tamen adeò claram & expreſſam, ſicut in conſecratione vtriuſque: cùm autem tota ratio huius ſacrificij pendeat ex voluntate Chriſti ſic inſtituentis, ipſemet Chriſtus inſtituit & voluit, vt per conſecrationem vtriuſque ſpeciei, clariùs & expreſsiùs repræſentaretur realis illa ſeparatio, & conſequenter paſſio & mors eiuſdem Chriſti: eo enim ipſo quòd in vno loco ponitur corpus ex vi verborum, non poſito ibi ſanguine, & in alio loco conſtituitur ſanguis, non poſito ibi corpore ex vi verborum, multo clariùs & expreſſiùs declaratur, & exprimitur ſeparatio realis quæ facta eſt in cruce corporis Chriſti à ſanguine ipſius. Quod optimè declarat Suarez exemplo Baptiſmi, in quo non ſufficit dicere: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*; quamuis enim illa verba ſignificent diuinas perſonas; non tamen ita clarè & expreſsè: Chriſtus autem voluit, vt clariùs exprimerentur: totum ergo hoc pendet ex voluntate & inſtitutione Chriſti, & in re reperitur maior aptitudo & proportio.

30. Obiicies ſecundò, quia non apparet quomodo conſecrare vtramque ſpeciem ſit formaliter ſacrificare. nam ad actionem ſacrificandi eſſentialiter requiritur, vt per eam fiat mutatio in re quæ ſacrificatur, tendens ad eius deſtructionem: ſacrificium enim in ratione ſacrificij ſit per immutationem & deſtructionem, qua res oblata deſtruitur in Dei cultum, vt Deus ritè denotari poſſit auctor vitæ & mortis: ſed in hoc ſacrificio per ſolam ſumptionem ſit deſtructio rei oblatæ; non verò per conſecrationem, etſam vtriuſque ſpeciei, per quam nulla ſit mutatio in re quæ ſacrificatur, hoc eſt, in Chriſto: ergo conſecratio non pertinet ad eſſentiam huius ſacrificij. Reſpondetur, ad rationem ſacrificij inchoati non requiri phyſicam mutationem rei quæ ſacrificatur, ſed ſufficere myſticam; hoc autem conuenit Chriſto in hoc ſacrificio. nam conſecratio eſt iugulatio eiuſdem Chriſti, non quidem phyſica & realis, ſed myſtica & occulta; non tantùm, quia repræſentat ſacrificium Chriſti cruentum, quia etiam illud repræſentabant ſacrificia veteris legis, ſed vtpote vt facta ex vi verborum conſecrationis, quia per conſecrationem ſit realis poſitio Chriſti, quod non habebant ſacrificia veteris legis, & ex vi verborum ſeparatur myſticè corpus à ſanguine; licèt enim per concomitantiam totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie, hoc tamen eſt per accidens, quia verba conſecrationis quantum eſt de ſe, ſeparant corpus à ſanguine; ac proinde Chriſtum myſticè & ſacramentaliter mactant, & ponunt in altari tanquam victimam occiſam & ſacrificatam; ideoque hæc Chriſti occiſio & iugulatio, dicitur occulta, myſtica, & alta; non phyſica & realis: quod non obſtat vt hoc ſit verum & reale ſacrificium, quamuis iugulatio non ſit realis, ſed tantùm ex vi ſignificationis verborum; quia per conſecrationem verè & realiter ponitur ibi Chriſtus vt iugulatus, quamuis iugulatio tantùm ſit rationis, & in genere ſigni: ſicut Euchariſtia verè & realiter dicitur & eſt ſacramentum, quamuis ſignificatio ſacramentalis non ſit realis; ſufficit enim vt id cui conuenit ſignificatio, quid reale ſit: eodem modo philoſophandum eſt in hoc ſacrificio.

Obiicies tertiò, quia oblatio ſacrificij, & actio ipſa qua fit, præſupponit rem oblatam, vt patet in ſacrificio cruento Chriſti, quo ſe ipſum obtulit in ara crucis, quod præſupponit incarnationem, per quam conſtitutus eſt Chriſtus verus Deus & homo in eadem perſona Verbi: ſed conſecratio eſt actio qua velut producitur & conſtituitur quod offerendum eſt, quia per eam conſtituitur corpus & ſanguis Chriſti præſens ſub ſpeciebus conſecratis, vt poſſint offerri & immolari: ergo per conſecrationem non offeruntur & immolantur. Reſpondetur negando maiorem, non enim requiritur quòd res offerenda neceſſariò debeat ſacrificio præſupponi, ſeu actui ſacrificandi; ſed ſufficit quòd ſaltem ſit in termino actionis ſacrificandi. Ex his 31.

Infertur primò conſecrationem vtriuſque ſpeciei ita eſſe de ratione huius ſacrificij, vt in nullo euentu poſſit vna ſpecies conſecrari ſine alia, neque Eccleſiam poſſe in hoc diſpenſare. Et ratio huius eſt, quia Chriſtus inſtituit non vnam ſpeciem dumtaxat, ſed vtramque, ad ſignificandam expreſſiùs ſuam paſſionem & mortem: Eccleſia autem nihil poteſt circa ſubſtantiam ſacramentorum, & ſacrificij à Chriſto inſtituti, quamuis poſſit aliquid ſtatuere & variare circa adminiſtrationem, & vſum ſacramentorum, vt alibi docuimus. Vnde nullo modo licet conſecrare ſolum panem ſine vino, vt ægro in extremis laboranti Euchariſtia præbeatur, vt falsò docuit Maior diſt. 9. quæſt. 3. Minus admittendum eſt id quod idem auctor docet, licere in ſolo pane ſacrum celebrare deficiente vino, vt populus præcepto de audiendo ſacro ſatisfaciat, quia præceptum etiam Eccleſiaſticum conſecrandi vtramque ſpeciem ſtrictius obligat, quàm audiendi ſacrum, vel communionis annuæ. Itaque in nullo euentu licet vnam ſpeciem ſine alia conſecrare: quare ſi contingat Sacerdoti in altari conſtituto per obliuionem non conſecrare paruas hoſtias ſibi oblatas pro communicandis fidelibus, nullam circa illas vel ante, vel poſt conſecrationem hoſtiæ principalis intentionem exercendo, non poteſt poſt conſecrationem panis, vel vini illas conſecrare; quia non licet conſecrare non ſacrificando: ſicut etiam non licet Sacerdoti per errorem ſolum panem conſecranti pergere in ſacrificio ſinè vini conſecratione, quamuis ex eo ſcandalum in populo aſtante oriatur, videlicet quia mittendus eſt per mediam plebem qui vinum gerat. Nam facilè poteſt populus de veritate doceri, & ſi perſeueret, ſcandalum erit quidem acceptum, ſed non datum. 32.

Infertur ſecundò, in Miſſa vnicum tantùm ſacrificium offerri, non verò duplex: neque in Eccleſia Dei eſſe aliud ſacrificium præter iſtud, ex inſtitutione Chriſti, & præcepto eiuſdem Eccleſiæ. Et ideo Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. appellat hoc ſacrificium vnicum & ſingulare. Et ratio huius eſt, quia in hoc ſacrificio tantùm reperitur vnica victima, nempe Chriſtus, qui per conſecrationem vtriuſque ſpeciei myſticè & incruentè iugulatur, occiditur, & mactatur, vt manet expoſitum. 33.

Infertur tertiò in quo conueniant, & in quo differant ſacrificium Miſſæ, & quod Chriſtus in vltima cœna celebrauit, & denique quod in cruce peregit. Et quidem ſacrificium Miſſæ & ſacrificium quod Chriſtus in vltima cœna celebrauit, 34.

conueniunt.

Digitized by Google

conueniunt, nam vtrobique fuit eadem res numero principaliter oblata, scilicet Christus; accidentaliter tamen differens, illic passibilis & mortalis, hîc verò impassibilis & immortalis. Secundò, quia materia externa, videlicet panis & vinum, est eadem specie, & solùm numero diuersa. Tertiò, quia idem est ritus essentialis, & eadem actio significandi Christi & nostra, & solùm differunt numero, vtpote actiones numero diuersæ. Quartò, quia idem fuit modus sacrificandi, incruenta scilicet, & mystica mactatione, & incruento & mystico modo. Differunt verò primò, quia Christus in vltima cœna immediatè per se sacrificauit & obtulit corpus passibile; modò verò per ministros offerens corpus impassibile. Secundò, quia illud sacrificium fuit figura sacrificij crucis futuri; nostrum verò repræsentat præteritum. Tertiò, quia Christus per illud sacrificium meruit, & satisfecit, & comparauit pretium nostræ redemptionis; per nostrum verò eiusmodi pretium non comparatur, sed applicatur iam comparatum.

35. Deinde sacrificium Missæ, & sacrificium quod Christus in cruce obtulit, conueniunt quoad victimam, quia vtrobique est vna & eadem numero, nempe Christus, vt diffinit Trident. sess. 22. cap. 2. Trident. vbi ait: *In diuino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruentè obtulit*, & infra. *Vna enim, eademque est hostia; idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diuersa.* Differunt verò primò in ratione offerendi, quia Christus in sacrificio crucis fuit cruente immolatus: at in sacrificio Missæ immolatur incruentè. Secundò differunt in virtute & quoad effectum, quia sacrificium crucis fuit acquisitiuum pretij nostræ redemptionis, seu ipsa actio redemptiua totius generis humani: at sacrificium Missæ est tantùm applicatiuum eiusdem pretij. Tertiò, quia sacrificium crucis fuit valoris simpliciter infiniti, etiam in ratione meriti & satisfactionis; quod non habet sacrificium Missæ, etiam pro vt à Christo principaliter offertur, vt infrà ostendemus: Christus enim iam non est in statu merendi & satisfaciendi.

36. Infertur denique, sacrificium hoc non solùm esse Eucharisticum, seu laudis, & gratiarum actionis; sed etiam propitiatorium, & impetratorium, vt docuit Tridentinum sess. 22. cap. 2. & Canon. 3. Hebr. 5. quod non obscurè deducitur ex Paulo ad Hebr. 5. dum ait. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in ijs quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis*, & traditur apertè in Liturgia sancti Iacobi, vbi dicitur, *Offerimus tibi incruentum sacrificium pro peccatis nostris & ignorantijs populi.* Et ratio huius est, quia hoc sacrificium aptissimum est ad placandum Deum peccatis nostris iratum, vt ea remittat, & ad impetranda à Deo alia beneficia distincta à remissione peccatorum: ac proinde est verè propitiatorium, & impetratorium, & vtrumque docuit Tridentinum loco Trident. citato dum ait: *Hoc sacrificium offerri, non solùm pro fidelium vinorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus*, &c. his enim vltimis verbis satis expressit, non solum propitiatorium, sed etiam impetratorium esse.

***

SECTIO III.

De offerentibus hoc sacrificium.

37. COnueniunt primò Doctores, plures esse personas offerentes hoc sacrificium, scilicet Christum, Ministrum, seu sacerdotem celebrantem, Ecclesiam cuius nomine etiam offertur, circunstantes, dantes stipem, & alios etiam fideles concurrentes, quod qua ratione fiat explicandum est. Conueniunt secundò, Christum esse principaliter offerentem, vt diffinitur in Tridentino sess. 22. cap. 1. & 2. vbi dicitur. *Vna enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit.* Trident. Difficultas ergo est, qua ratione Christus dicatur quotidie hoc sacrificium in Missis offerre.

38. Vazquez disp. 226. cap. 3. quem sequitur Hurt. disp. 2. diff. 1. censet, non offerre per se ipsum proximè & immediatè, sed tantùm sacerdotes; offerre tamen remotè & mediatè, nempe mediis sacerdotibus; tum ratione institutionis, quia hoc sacrificium instituit, illudque in Ecclesia à sacerdotibus celebrari præcepit, & ipsis tanquam Ministris commisit immolationem illius: tum etiam, quia merita ipsius in hoc sacrificio operantur.

39. Probabilius & verius videtur, Christum principaliter non solùm remotè, sed etiam proximè & immediatè, & per se ipsum hoc sacrificium offerre. Ita Suarez disput. 77. sect. 1. & Ægidius quæst. 83. dub. 6. num. 118. & probatur primò, quia hoc satis apertè videtur colligi ex verbis adductis Tridentini: quomodo enim potest dici Christum nunc offerre Missæ sacrificium, si nihil circa illud nunc operatur: quòd enim illud instituerit, vel celebrari præceperit non sufficit; valde enim diuersa sunt sacrificia offerre, & illa instituere: Deus enim instituit sacrificia veteris legis, & ea offerri præcepit; nec ideo dicendus est ipsum ea offerre. Deinde hoc modo meliùs intelligitur & explicatur, qua ratione Christus dicatur Psalm. 109. & ad Hebræos 7. Psalm. 109. *Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*: Hebr. 7. hoc est, permanens in officio offerendi vsque ad extremum iudicij diem, perpetuò offerens & sacrificans, quoties sacerdotes sacrificant: ex eo namque quòd semel se ipsum obtulerit incruentè in cœna, & iterum cruentè in cruce, non rectè dicitur Sacerdos in æternum. Denique, quia hac etiam ratione aptius intelligitur, quod idem Tridentinum sessione citata cap. 1. docet, quomodo hoc sacrificium non inquinetur sacerdotis iniquitate, eo quòd Christus sit principaliter offerens. nam sacrificia ab offerente proximè & sacrificante, sumunt suam bonitatem: quia opera externa dum non manent sub potestate alicuius, nec dependent ab illo in genere moris, non accipiunt ab illo bonitatem moralem: ergo si sacrificium Missæ à Solis sacerdotibus proximè & immediatè penderet, non posset rectè explicari, qua ratione ex malitia illius sacrificium hoc non inquinaretur: ad saluandam ergo illius munditiem dicendum est, Christum Dominum non solùm principaliter, sed etiam proximè hoc sacrificium offerre, cuius puritati & munditiei, sacerdotis malitia obstare non potest.

Dicitur autem Christus principaliter offerens hoc sacrificium, vt rectè explicat Suarez suprà, quatenus cùm ipse per scientiam visionis & infusam, omnia & singula Missarum sacrificia quæ in toto orbe terrarum celebrantur, intuentur, illa omnia & singula in diuinum cultum Patri offert; itaque continuo

continuò se ipsum in hoc sacrificio offert, pœnasque quas pro peccatis nostris debemus, & pro quibus Sacerdos hoc sacrificium offert, pluraque alia diuina beneficia nobis impetrat.

40. Obiicies, quia ab eo tantùm fit proximè & immediatè actio sacrificandi, & immolatio, à quo verba consecrationis proferuntur: hæc enim verba sunt quasi gladius quo fit dicta immolatio; sed verba consecrationis non proferuntur à Christo, sed tantùm à sacerdotibus: ergo Christus non offert per se ipsum proximè & immediatè, sed solùm sacerdotes: quod non obscurè deducitur ex Trident. in verbis adductis: *Vna enim eademque hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio.* quibus apertè denotatur, Christum non aliter offerre, quàm ministerio sacerdotum: qui autem aliquid facit per alterum, & ministerio alterius, non facit illud immediatè & per se ipsum, sed tantùm remotè, & per alterum. Respondetur, quòd quamuis actio sacrificandi physicè à solis sacerdotibus procedat: at in genere moris proximè & immediatè, etiam procedit à Christo, modo suprà relato. Et quamuis Tridentinum doceat, Christum ministerio sacerdotum hoc sacrificium offerre; non tamen negat etiam à Christo proximè & immediatè offerri; vtrumque enim verum est, vt ex Suario retulimus: quia omnia & singula Missarum sacrificia quæ in toto orbe celebrantur, intuetur, & illa Patri offert, vt expositum manet, ad impetrandam remissionem nostrorum peccatorum, & plura alia beneficia.

Trident.

41. Quoad sacerdotes verò certum est, posse illos hoc sacrificium offerre, & in solis illis esse potestatem consecrandi & offerendi hoc sacrificium, vt significatur in Trident. sess. 22. & 23. cap. 1. An verò omnes sacerdotes quamuis sint ab Ecclesia per censuras præcisi, vel etiam hæretici, possint validè hoc sacrificium offerre, est aliqua difficultas. nam Scotus in 4. dist. 13. quæst. 2. & Gabriel. quæst. 2. art. 3. id videntur negare, cùm enim existiment essentiam huius sacrificij consistere in oblatione quę fit verbis illis, *offerimus*, & ea non possint proferre nisi nomine proprio, sequitur nec posse valide hoc sacrificium efficere. Contraria verò sententia omnino tenenda est, omnes sacerdotes etiam ab Ecclesia per censuras præcisos, vel etiam hæreticos, validè posse hoc sacrificium offerre. Et ita tenent communiter Doctores, quia sacramentum hoc perficitur sola consecratione materiæ externæ: vnde sicut possunt validè Eucharistiæ sacramentum conficere, ita etiam possunt validè hoc sacrificium offerre. Nec refert quòd nomine Ecclesiæ non possint proferre verba illa, *Offerimus*, quia hoc sacrificium non consistit in oblatione verbali, vt suprà docuimus: vt verò Sacerdos licitè hoc sacrificium conficiat, necesse est, vt non sit prohibitus ab Ecclesia, neque vlla censura innodatus.

42. Denique quòd alij fideles hoc sacrificium offerant, apertè constat ex Canone Missæ, vbi ante consecrationem dicitur, *& omnium circunstantium, quorum fides tibi cognita est, & nota deuotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*, & peracta consecratione dicitur: *Vnde & memores Domine nos serui tui, sed & plebs tua sancta*, &c. *offerimus præclaræ maiestati tuæ de tuis donis, ac datis, hostiam puram*, &c Sicut etiam ante consecrationem dicitur: *Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*, &c. Dicuntur autem fideles hoc sacrificium offerre, non quia ad id concurrant physicè, seu moraliter; sed quia Sacerdos est à Deo deputatus pro populo, vt nomine fidelium illud offerat. Hi verò fideles qui actione aliqua ad hoc sacrificium concurrunt, petendo Missas pro eis celebrari, aut stipendium ad id elargiendo, aut sacerdoti sacrificanti ministrando, vel denique attenta, seu deuota assistentia hoc sacrificium approbando & venerando, dicuntur etiam specialiter simul cum sacerdote hoc sacrificium offerre.

SECTIO IV.

De his pro quibus hoc sacrificium offerri potest.

43. QVinque, vel sex sunt genera personarum, de quibus potest esse difficultas, an pro illis possit hoc sacrificium offerri, videlicet de beatis, de damnatis, de animabus existentibus in purgatorio, de pueris qui ante Baptismum ex hac vita decesserunt, & in limbo commorantur, de fidelibus viuis, de infidelibus schismaticis & excommunicatis. Et vt separemus certa ab incertis. Primò certum est, sacrificium Altaris non esse offerendum pro Beatis. Ita docet Innocentius III. in cap. *cùm Marthæ*, de celeb. Missarum, vbi ait. *Quod meritò in oratione secreta beati Leonis Papæ modò ita dicitur: Annue quæsumus Domine, vt hæc oblatio, intercedente beato Leone, prosit famulis tuis*, &c. *quamuis olim dicebatur, vt prosit animæ famuli tui Leonis: quia, vt docuit D. Augustinus sermo 27. de verbis Domini, iniuriam facit Martyri, qui orat pro eo.* Quòd intelligendum est, vt beatis remittatur culpa, seu pœna aliqua, vel vt in eis augeatur gratia, vel gloria. nam bene potest hoc sacrificium offerri Deo, tum vt gratias agamus ipsi pro beatorum victoriis, & pro beatitudine ipsis collata, vt habetur in Trident. sess. 22. cap. 3. tum etiam in honorem & gloriam beatorum, vt expressè dicitur in Missæ offertorio: *Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem quam tibi offerimus in honorem beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum, vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem & illi pro nobis intercedere dignentur*, &c. Innoc. III.

44. Secundò etiam est certum, neque hoc sacrificium posse offerri pro damnatis in inferno, nec pro pueris in limbo existentibus, qui cum peccato originali decesserunt. Ita docuit D. August. lib. de origine animæ cap. 9. & 11. & ratio est manifesta, quia hoc sacrificium nihil potest eis prodesse, cùm iam non sint in statu consequendi nouam misericordiam: nec damnati, nec pueri sunt membra Christi aliqua ratione saltem in potentia.

45. Tertiò etiam est certum, hoc sacrificium offerri posse pro animabus existentibus in Purgatorio, & eis maximè prodesse, vt ex professo diffinitur in Trident. sess. 22. cap. 2. Can. 3. & ita in forma ordinis sacerdotalis hæc potestas tribuitur sacerdotibus, sic enim dicitur: *Accipe potestatem sacrificium offerendi pro viuis, atque defunctis.* Deinde, quia animæ Purgatorij sunt viua Christi membra, & quamuis non possint mereri, nec demereri; quia tamen non sunt omnino extra viam, quia adhuc sunt in via ad cœlum; ideo hoc sacrificium potest eis prodesse, sicut prodest fidelibus viuis.

46. Quartò etiam est certum, hoc sacrificium offerri posse, non tantùm pro ipsis sacerdotibus offerentibus, sed etiam pro aliis fidelibus viuis: quod probat praxis & vsus Ecclesiæ, in qua quotidie offertur hoc sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis

ptizatis viuis, qui sunt membra Ecclesiæ, & ita in Canone Missæ dicitur: *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica*; & paulo pòst, *& pro omnibus orthodoxis, atque catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus*, & ita diffinitur in Trident. suprà. Et etiam pro paruulis baptizatis potest hoc sacrificium offerri, sicut potest illis prodesse ad impetrandum pro eis diuersa beneficia, salutem, protectionem, & vt in viam Domini dirigantur.

47. Tota ergo difficultas est de infidelibus, de Catechumenis, de schismaticis, & excommunicatis, An pro illis possit hoc sacrificium offerri. Affirmat Guillelmus Alanus cap. 31. quod probat ex D. Pau-
1. Timoth. 2. lo 1. ad Timoth. 2. vbi admonet; *vt fiant obsecrationes, postulationes, orationes, gratiarum actiones, pro omnibus; præcipuè verò pro Regibus, & pro his qui sunt in sublimitate constituti*, & docet, *hoc esse acceptissimum obsequium Deo*; & reddit rationem: *Quia vnus est Deus & mediator omnium, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quòd si pro his omnibus licet orare, cur non poterit hoc sacrificium offerri? & confirmatur argumento sumpto à sacrificio cruento Christi, quod quidem oblatum fuit pro omnibus, non solùm pro his qui actu sunt membra Christi, & Ecclesiæ; sed etiam pro his qui sunt potentia membra Christi, qui virtute & efficacia illius conuertuntur, vt sint actu membra Christi: propterea dicit Ioannes 1. Canonica cap. 2:
1. Ioan. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis, non solùm nostris, sed etiam totius mundi*; sed sacrificium altaris est idem cum sacrificio cruento Christi, ex parte offerentis & rei oblatæ, sola offerendi ratione diuersum: ergo potest prodesse etiam his qui sunt in potentia membra Christi, & Ecclesiæ. Ad quod etiam significandum in verbis consecrationis Calicis dicitur: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et secundùm communem sententiam, idem est pro multis, ac pro omnibus.

48. Contraria sententia communior est inter Theologos, & videtur colligi ex D. Thoma quæst. 79. art. 7. ad 2. vbi docet, quòd quemadmodum sacrificium crucis, quamuis quoad sufficientiam profuerit omnibus, tamen quoad efficaciam solùm illis prodest qui coniunguntur Christo & eius passioni, per fidem & charitatem: ita inquit hoc sacrificium Altaris, quod est illius memoriale, non prodest nisi illis qui coniunguntur Christo per fidem & charitatem: quod confirmat testimonio Augustini lib. de origine mundi cap. 9. asserentis: hoc sacrificium non esse offerendum, nisi pro his qui sunt membra Christi.

49. Prima conclusio. Sacerdos nec validè, nec licitè potest directè offerre sacrificium Missæ pro non baptizatis, quamuis Catechumenis; bene tamen indirectè, oblatione scilicet ad Ecclesiam directa. Prior pars probatur, quia Baptismus est ianua omnium sacramentorum: ergo qui non est capax fructuum sacramentorum, nec etiam capax fructus huius sacrificij ex opere operato: sed omnes nondum baptizati non sunt capaces sacramentorum, cùm nondum sint ingressi ianuam Ecclesiæ per baptismum. ergo. Et certè mihi est validè efficax argumentum desumptum ex praxi & consuetudine Ecclesiæ, quæ nunquam Missæ sacrificium pro Catechumenis viuentibus offert: imò denegat publicas orationes in Missa, excepto die Parasceues, in signum redemptionis generalis in eo die pro omnibus à Christo exhibitæ: at in aliis diebus potiùs petit vt infideles conterantur. Deinde in Ecclesia antiqua mos fuit non permittendi interesse Catechumenos sacrificio Missæ, sed instante consecrationis tempore voce Diaconi iubebantur exire de templo, vt constat ex ordine Romano cap. 20. Signum ergo est Ecclesiam semper credidisse, Missæ sacrificium non posse validè offerri pro Catechumenis: aliàs non potest assignari ratio, cur nunquam passa fuerit eos interesse huic sacrificio, si æquè pro illis, atque pro aliis potuisset offerri.

Posterior pars constat, quia bene potest offerri 50.
Missa pro conuersione Infidelium, vel hæreticorum, vel pro salute totius mundi, & in Missali extat Missa pro schismate tollendo, seu sedando; pro pace Ecclesiæ vniuersalis: hoc enim solùm est directè offerre pro fidei propagatione, & Ecclesiæ dilatatione; quamuis sacrificium indirectè redundet in bonum non baptizatorum.

Secunda conclusio. Sacerdos nomine Ecclesiæ, 51.
nec validè, nec licitè potest offerre hoc sacrificium pro excommunicatis: nomine verò proprio & nomine Christi, potest validè illud offerre; non tamen licitè. Prior pars est manifesta, quia Ecclesia non habet intentionem offerendi pro excommunicato, sed potiùs contrariam, vt constat ex capite *à nobis*. Secundò de sententia excommunicationis, Ecclesia eos priuante communibus suffragiis, & petente in publicis orationibus, vt dexteræ Dei potentia conterantur. Posterior pars probatur, quia ex vna parte potestas offerendi hoc sacrificium, est potestas ordinis à iurisdictione independens, & ex alia baptizati excommunicati, sunt capaces effectus huius sacrificij ex institutione Christi, quod sicut & sacramenta institutum est pro omnibus, qui per Baptismi ianuam semel in Ecclesiam sunt ingressi: ergo sicut Sacerdos ministrans reliqua sacramenta alicui ab Ecclesia prohibito, validè ea ministrat, quamuis grauiter peccet, & is cui ministrantur recipit effectus sacramentorum, v. g. characterem, imò & gratiam, nisi careat debita dispositione ad eam recipiendam; ita similiter quamuis Ecclesia prohibeat hoc sacrificium offerri pro excommunicato, poterit validè, quamuis illicitè, pro illo offerri, & ei prodesse quoad effectus quorum ille capax est, vt sunt auxilia excitantia ad agendam pœnitentiam, & quærendam absolutionem, & similes. Ex his

Infertur primò. Si Sacerdos sacrificium offerat 52.
pro nominatim excommunicato, qui quantum est ex parte sua sit capax fructus sacrificij, vt si sit contritus & iustus, is re ipsa sacrificij fructum recipiet: quapropter non est improbabile, quod docet Sayrus de Censuris lib. 2. cap. 4. licere sacerdoti stipendium ab excommunicato accipere, vt pro illo offerat, & factum celebret.

Infertur secundò, licere sacerdoti quatenus est 53.
priuata persona, secretas & priuatas preces in Missa effundere pro excommunicato, & in *Memento* priuatim pro eo orare: imò totum opus dicendi Missam, quatenus est opus personæ particularis, valorem habens ex solo opere operantis, pro excommunicato offerre. lege Suarium de Censuris disp. 9. sect. 5. & in hoc loco disp. 68. sect. 2.

An verò liceat sacerdoti nomine Ecclesiæ ora- 54.
re, aut offerre hoc sacrificium pro excommunicato tolerato, nec nominatim denuntiato, est controuersia inter Doctores. Affirmant Nauarr. Enriquez, Vgolinus, Antonin. Ægidius, Auila, Couarruuias, Sayrus, Sancius, Fagundez, quos refert & sequitur Lugus disp. 19. sect. 10. num. 187. quia per concessionem Concilij Constantiensis, potest excommunicatus occultus sepeliri in loco sacro, quod fieri nequit,

Digitized by Google

nequit, quin preces & orationes pro eo offerantur; poteſt etiam cum alijs admitti quando ſacrificium Miſſæ offertur: tunc autem Sacerdos orat pro omnibus circunſtantibus, & in *Memento* in illis verbis, *& omnium circunſtantium, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc ſacrificium.* Et denique, quia in dicto Concilio permittitur communicare cum eiuſmodi excommunicatis in quibuſcumque diuinis, vel extra, & eos non vitare.

55. Partem negantem defendunt Valentia, Suarez, Vazquez, Bonacina, quos refert & ſequitur Marchinus tract. 3. parte 2. cap. 8. num. 21. & ratio eſt, quia prædicti excommunicati manerent, & non manerent excommunicati; quod implicat: manerent quidem ex ſuppoſitione quòd abſolutionem minimè fuiſſent aſſecuti: non verò manerent, quia communicarent in communibus Eccleſiæ ſuffragiis, quia excommunicatus eſt membrum ab Eccleſia præciſum: ergo ſi gaudet communibus Eccleſiæ influxibus & beneficiis, non eſt membrum ab Eccleſia præciſum; ac proinde nec excommunicatus.

56. Quælibet harum ſententiarum eſt ſatis probabilis: verior & probabilior mihi videtur hæc poſterior ſententia negans. Vnde ad rationem prioris reſpondetur, Concilium Conſtantienſe ad euitanda ſcandala, & ſuccurrendum conſcientiis timoratis, ſolùm conceſſiſſe Fidelibus, vt poſſint communicare cum excommunicatis toleratis, quantum ad externam conuerſationem, tam in diuinis, v. g. in audiendo ſacro, in adminiſtratione & receptione ſacramentorum, quàm in humano conuictu, vt conſtat ex proœmio illius conſtitutionis: non verò voluiſſe eis concedere internam ſuffragiorum communionem.

DISPVTATIO II.

De effectibus ſacrificij Miſſæ.

SECTIO I.

Qui effectus ex hoc ſacrificio proueniant.

1. CONVENIVNT Doctores, ex hoc mirabili ſacrificio plures effectus prouenire. Nam primò remittuntur peccata, tam mortalia, quàm venialia, quoad culpam. Secundò augetur in iuſtis gratia habitualis. Tertiò remouentur pœnæ temporales debitæ, reſtantes poſt remiſſionem culpæ, tam viuis, quàm defunctis. Quartò impetrantur auxilia ad vincendas tentationes, ad perſeuerandum in gratia, & gloriam obtinendam. Quintò impetrantur etiam plura bona temporalia: quæ qua ratione fiant, explicandum eſt.

2. Prima concluſio. Virtute huius ſacrificij non remittuntur immediatè peccata mortalia quoad culpam, neque confertur prima gratia, etiamſi is pro quo hoc ſacrificium offertur, attritus ſit; ſed tantùm mediatè, quatenus Deus hoc ſacrificio placatus, confert auxilia, quibus homo diſponitur ad veram pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum. Ita expreſsè D. Thomas in 4. diſt. 12. quæſt. 2. art. 2. D. Thom. quæſtiunc. 1. vbi ait. *Ad quartum dicendum, quòd Euchariſtia non ſolùm eſt ſacramentum, ſed etiam eſt ſacrificium: in quantum autem eſt ſacramentum, habet effectum in omni viuente, in quo requirit vitam præexiſtente: ſed in quantum eſt ſacrificium, effectum etiam habet in alijs pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam ſpiritualem in actu, ſed in potentia tantùm, & ideo ſi eos diſpoſitos inueniat, eis gratiam obtinet, & per conſequens peccata mortalia in eis delet; non ſicut cauſa proxima, ſed in quantum gratiam contritionis eis impetrat.*

Et probatur primò ex Tridentin. ſeſſ. 22. cap. 2. dum de ſacrificio Miſſæ loquens ait: *Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*; vbi nomine *gratiæ* non intelligitur gratia habitualis, & formaliter iuſtificans; ſed gratia actualis auxilij, ſeu præueniens, qua excitamur ad pœnitentiam & deteſtationem peccatorum: aliàs minus aptè locutum fuiſſet Concilium, ſi poſt gratiam addidiſſet, *donum pœnitentiæ concedens.* Vt quid enim conceditur donum pœnitentiæ ad obtinendam remiſſionem peccatorum, ſi per hoc ſacrificium confertur immediatè prima gratia, per quam fit talis remiſſio. Itaque vult Concilium, hoc ſacrificium non tollere immediatè peccatum mortale, ſed ratione illius conferri auxilia, quibus homo excitetur ad contritionem, & veram pœnitentiam peccatorum. Trident.

3. Secundò probatur ab abſurdis quæ ex oppoſita ſententia ſequerentur. Primum eſt, hominem exiſtentem in peccato mortali pro quo ſacrificium Miſſæ offertur, poſſe iuſtificari, ſiue dormiens, ſiue vigilans, nihil de ſua ſalute & emendatione cogitet, ſi ante ſomnum habuit attritionem eius, & pro eo in ſomnis exiſtente ſacrificium offeratur. Secundum eſt ſacramentum Pœnitentiæ, nec in re, nec in voto eſſe medium neceſſarium in baptizatis ad remiſſionem mortalium, ſi hæc remiſſio haberi poteſt medio Miſſæ ſacrificio. Sequela eſt manifeſta, quia ſi peccator per Miſſæ ſacrificium pro eo oblatum, manet à peccato mortali iuſtificatus, nullo alio indiget remedio ad ſalutem, & conſequenter nec ſacramentali confeſſione. Tertium eſt, poſſe ſacerdotem cum attritione cognita vt tali, accedere ad celebrandum pro ſe ipſo, & per ſolam conſecrationem iuſtificari: hoc enim manifeſtè ſequitur ſi hoc ſacrificium habet virtutem & efficaciam ad remittenda immediatè peccata mortalia, & conferendam primam gratiam ex opere operato, dummodo is pro quo offertur attritus ſit.

4. Et eodem modo philoſophandum eſt de remiſſione venialium quoad culpam, ſcilicet non remitti immediatè per hoc ſacrificium, ſed tantùm mediatè impetratione auxiliorum, quæ ad contritionem perfectam, vel ſuſceptionem ſacramenti Pœnitentiæ excitent. Et ratio huius deſumenda eſt ex tractatu *de Pœnitentia*, vbi docuimus, venialia extra ſacramentum non remitti, ſine contritione, & infuſione gratiæ.

5. Secunda concluſio. Virtute huius ſacrificij gratia habitualis non augetur immediatè, ſed tantùm mediatè, quatenus virtute illius conferuntur iuſtis auxilia actualia, & efficacia ad bona opera, quibus in iuſtitia & ſanctitate creſcant. Probatur, quia aliàs ſequeretur hominem ſine interiori motu poſſe recipere augmentum gratiæ, cum ſacrificium non requirat motum voluntatis vt conferat ſuum effectum ei pro quo offertur: ac proinde in dormiente, & in ignorante, poſſe augeri, ſi pro eo quando dormit offeratur, & ſimiliter in paruulo baptizato ſi pro eo offeratur: hoc autem non videtur ſatis fitm um.

6. Tertia concluſio. Virtute huius ſacrificij immediatè, & certò, & infallibiliter remittuntur pœnæ debitæ

Digitized by Google

debitæ post remissionem culpæ restantes, tam viuis, quam defunctis. Prima pars, quòd scilicet immediate remittantur, & non tantum mediatè impetrando auxilia ad opera satisfactoria. Probatur ex Trident. sess. 22. cap. 2. & Can. 3. vbi asseritur, per hoc sacrificium prædictas pœnas non solùm Fidelibus viuis, sed etiam defunctis in purgatorio degentibus remitti: sed his remittuntur immediatè, & non impetratione gratiæ actualis excitantis ad bona opera satisfactoria exercenda, quia in purgatorio non est locus exercendi opera satisfactoria, vt constat, sed sola pœnarum perpessio: ergo idem dicendum est de viuis, cùm idem sacrificium pro vtrisque offeratur, & non sit in eo diuersa virtus respectu illorum. Secunda pars quòd hic effectus sit infallibilis in eo pro quo offertur, si non sit obex ostenditur, quia huic sacrificio tribuendus est aliquis effectus quem lege infallibili conferat: hoc enim sacrificium, sicut & sacramenta, habet rationem causæ particularis per quam ex opere operato nobis applicatur meritum passionis Christi; nec potest commodè assignari alius effectus immediatus & infallibilis, quàm prædictarum pœnarum remissio. Denique tertia pars quòd eam vim infallibiliter habeat respectu defunctorum, iam constat ex dictis: rum etiam, quia hoc sacrificium indifferenter institutum est pro viuis, & defunctis.

7. Quarta conclusio. Virtute huius sacrificij impetrantur à Deo plura bona temporalia, quatenus ad spiritualia ordinantur, & conducunt; hic tamen effectus non semper obtinetur, nisi secundùm ordinem & dispositionem diuinæ sapientiæ. Prior pars colligitur ex Trident. sess. 22. cap. 2. Canon. 3. vbi asseritur, hoc sacrificium offerri non tantùm pro pœnis, & satisfactionibus; sed etiam pro aliis necessitatibus. Secunda pars etiam constat, quia effectus huius sacrificij nituntur meritis sacrificij à Christo in cruce cruenter oblati: at Christus in cruce nobis non promeruit temporalia bona absque respectu ad spiritualia, sed potiùs pro vt ad illa conducunt, & ordinantur. Tertia denique pars est manifesta, & satis constat experientia; sæpe enim Missæ celebrantur pro salute, pro pace, & pro aliis necessitatibus, & tamen re ipsa effectus non obtinetur, licèt credibile sit semper obtineri aliquid à Deo, etiamsi non obtineatur id pro quo de facto offertur.

8. Quinta conclusio. Sacrificium Missæ ad omnes præfatos effectus, habet vim ex opere operato. Probatur, quia is dicitur effectus ex opere operantis, cuius causa est bonitas moralis, & meritum operis quod exercet operans: ille verò dicitur ex opere operato cuius causa est opus factum, iuxta ritum & formam à Deo institutam, quomodocumque ab operante exerceatur; hoc est, siue bene, siue malè moraliter: siue sit in statu gratiæ, siue non: sed hoc sacrificium operatur omnes præfatos effectus, quia institutum est à Christo. vt ad ipsum factum & exhibitum attendens Deus, quamuis aliàs à malo Sacerdote offeratur, conferat omnes dictos effectus ei pro quo offertur; sicut & eodem modo operantur sacramenta: ergo hoc sacrificium habet vim ad illos ex opere operato. Minor probatur ex Triden. sess. 22. cap. 1. vbi inquit. *Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla in dignitate, aut malitia offerentium inquinari potest.* Et hic fuit communis sensus totius Ecclesiæ, videlicet hoc sacrificium pro quolibet fideli, siue viuente, siue mortuo oblatum, posse ei prodesse, quamuis actio offerendi nihil habet moralis bonitatis: imò quamuis sit mala moraliter; ac proinde nullum habeat effectũ ex opere operantis.

Trident.

Obiicies, quia multoties medio hoc sacrificio non obtinentur plures ex effectibus memoratis: ergo non est dicendum eos esse ex opere operato. Respondetur negando consequentiam, quia etiam perseuerãtia est effectus Eucharistiæ ex opere operato, & tamen non certò & infallibiliter confertur. Similiter sanitas corporis, & morbi remissio, ac diminutio sunt effectus extremæ Vnctionis, qui tamen non sunt infallibiles. Itaque sufficit quòd sint ex Christi institutione, & quando conferuntur, verè conferuntur attenta institutione Christi, non tamen attenta bonitate offerentis; ita vt non obstante malitia eius, prædicti effectus conferantur; hoc enim est conferri ex opere operato. 9.

Sunt tamen duo obseruanda. Primum est, satisfactionem pro debito pœnæ, quam hoc sacrificium confert ex opere operato, non prodesse his qui non sunt in statu gratię. quia nulla pœna remittitur, siue ex opere operantis, siue ex opere operato, existenti in statu peccati mortalis, vt docuimus in tractatu *de Pœnitentia* disp. vltima de satisfactione. Vnde non est sequendus Nauarrus in c. illo 19. num. 79. quem sequitur Enriquez affirmans, sacrificium Missæ applicatum homini in mortali existenti, ob quod tunc non operatur in eo remissionem pœnæ temporalis, postea operati illam recedente fictione, seu ablato obice peccati mortalis, in quo erat tempore applicationis. Hoc enim falsum est, quia aliàs sequeretur, sacerdotem per totam vitam in statu peccati celebrantem, & pro se hoc sacrificium offerentem, si postea in articulo mortis cum attritione confiteatur, acquirere totum fructum satisfactionis ex omnibus Missis sacrilegè oblatis; ac proinde liberum ab omni reatu pœnæ temporalis statim ad cœlos euolare: quod videtur incredibile, & ita tenet communis sententia Theologorum, Suarez, Vazquez, Bonacina, quos refert & sequitur Hurtado disp. 3. diff. 12. qui rectè aduertit, fructum sacrificij Missæ applicatum existenti in gratia, & nullum habenti reatum pœnæ, non posse à celebrante reseruari pro tempore futuro in quo fiat reatus pœnæ. nam effectus huius sacrificij nequit esse suspensus: sicut effectus Eucharistiæ suspensus esse non potest. 10.

Secundò obseruandum est, præter statum gratiæ vlteriùs non requiri deuotionem aliquam actualem in eo, pro quo hoc sacrificium offertur, vt prædictum effectum percipiat: quia hic prouenit ex mera Christi satisfactione applicata, & ex opere operato. Vnde maior sanctitas eius pro quo hoc sacrificium offertur, non facit quòd effectus remissionis dictæ pœnæ sit maior: quia sanctitas non se habet vt dispositio ad illam, sed potiùs vt remotio impedimenti, seu forma qua subiectum redditur capax ad remissionem illius, medio hoc sacrificio, faciendam. An verò fructus ex opere operato huius sacrificij crescant ex maiori deuotione illius pro quo offertur, Vazquez disp. 231. cap. 7. quem sequitur Hurt. loco citato existimat, hoc sacrificium operari suos effectus iuxta mensuram deuotionis illius pro quo offertur, non quamcumque, sed illam quam habet, aut habuit erga ipsum sacrificium per modum cooperationis ad illud, vel ministrando sacrificanti, vel ad eius sustentationem adiuuando, vel illud petendo, vel sua assistentia honorando, & approbando. Ratio huius desumitur ab exemplo sacramentorum, qui suum effectum conferunt iuxta mensuram dispositionis, & deuotionis illius cui confertur sacramentum. 11.

Probabi

12. Probabilius & verius existimo cum Suario disp. 79. sect. 10. & Ægidio dub. 9. num. 171. ex inæquali dispositione eius pro quo hoc sacrificium offertur, non augeri, vel minui fructum eius; quia hæc remissio non fit per actualem applicationem causæ, quæ iuxta dispositionem recipientis conferat suum effectum; sed per modum cuiusdam exttinsecæ donationis ex intentione alterius, iuxta intentionem donantis, suppositio quòd in alio non sit impedimentum: sicut quando vnus homo applicat alteri satisfactionem proprij ieiunij; hæc enim non est maior in eo cui applicatur pro meliori eius dispositione, sed iuxta intentionem applicantis maiorem, vel minorem quantitatem. Vnde non est eadem ratio de sacramentis, quia maior, vel minor deuotio, concurrit vt dispositio ad illorum effectus: hic verò effectus totus pendet ex intentione Sacerdotis applicantis, & non ex dispositione illius cui applicatur.

Sectio II.

Qualis debeat esse applicatio sacerdotis, vt hoc sacrificium prosit ex opere operato.

13. CVm fructus huius sacrificij ex institutione Christi, nulli certæ personæ addictus sit, sed potiùs indifferens, vt huic, aut illi applicetur, hoc determinandum relinquitur & committitur voluntati, & intentioni sacerdotis, tanquam Ministro Christi, & dispensatori mysteriorum eius. Dubitamus ergo, qualis debeat esse hæc intentio, & applicatio. Et conueniunt Doctores non requiri necessariò applicationem actualem, sed sufficere virtualem, vt suprà de sacramentis in genere docuimus. An verò sufficiat intentio habitualis, est difficultas. Dicitur autem applicatio habitualis voluntas præterita nondum retractata, vt si ego hodie applico pro anima Petri sacra facienda per totam hebdomadam, an hæc voluntas dum non retractatur, sit sufficiens, & efficax, & tribuat Petro fructum sacrificiorum illius hebdomadæ. Negat Vazquez disp. 38. cap. 6. num. 74. Primò, quia hæc voluntas habitualis non sufficit ad valorem sacramenti, vt omnes admittunt: ergo neque sufficit ad applicationem sacrificij. Secundò, quia applicare sacrificium alicui, est offerre pro illo sacrificium: non dicitur autem quis offerre sacrificium per voluntatem, quæ nullo modo est causa offerendi sacrificij: voluntas autem habitualis nullo modo est causa talis oblationis, cùm ab ea sacrificium, nec proximè, nec remotè procedat: ergo sicut sacrificium non offertur nisi per voluntatem à qua proximè vel remotè procedit ipsius oblatio; ita nec offertur pro aliquo, nisi per similem voluntatem; sed ad priorem oblationem non sufficit voluntas habitualis, sed requiritur actualis, vel virtualis: ergo eodem modo philosophandum est de posteriori oblatione, seu applicatione.

14. Sententia tamen affirmans, sicut communior, ita verior & probabilior est, quam tenent Suarez, Bonacina, Molfesius, Diana, quos refert & sequitur Lugus disp. 8. sect. 6. & eam probat praxis & consuetudo fidelium. Et ratio à priori est, quia Sacerdos est quasi dominus, vel dispensator ex Christi commissione, valoris & fructus huius sacrificij: ergo potest illum dispensare sub conditione si ponatur sacrificium, quæ voluntas habebit effectum posita conditione, cùm sit legitimi dispensatoris, & non retractata: sicut possum ego ex nunc aliquid donare sub conditione, si cras tina die venerit in meam potestatem, qua conditione cras posita, voluntas præterita transit in absolutam, & habet effectum, vt rectè Lugus loco citato.

Vnde ad primum argumentum in contrarium respondetur, esse disparem rationem de sacramentis, ac de applicatione sacrificij; quia ad efficiendum sacramentum requiritur intentio factiua, quod non potest conuenire intentioni non perseueranti actualiter in se, neque virtualiter in aliquo effectu sui: at ad applicandum fructum sacrificij, sufficit intentio applicatiua valoris futuri sacrificij, faciendi ex alia intentione, & respiciens ipsum valorem vt obiectum, & non vt effectum: ad hoc autem sufficit intentio habitualis, quia cùm hæc applicatio sit quasi donatio, seu dispensatio prædicti valoris & fructus, sequitur naturam donationum & dispensationum, quæ vt validæ sint & habeant effectum, sufficit habitualis voluntas. 15.

Et eodem modo respondetur ad secundum ad oblationem sacrificij quæ essentialiter est consecratio, cùm illa actio sit factiua, necessariò requiri intentionem actualem, vel virtualem; ad oblationem verò, quæ quidem est applicatio eiusdem sacrificij, cùm ea sit quasi donatio, seu dispensatio valoris, & fructus ipsius, sufficere voluntatem habitualem non retractatam; sicut in aliis donationibus, & dispensationibus. 16.

Sed maior difficultas est, an applicatio sacerdotis fiat secundùm intentionem debitam, vel habitam; hoc est, an Deus attendat ad intentionem quam de facto habet Sacerdos; an verò ad illam quam debebat habere iuxta Prælati præceptum, vel iuxta aliam obligationem, vt stipendij accepti, vel promissionis. Gabriel lect. 26. existimat, applicari & prodesse secundùm intentionem debitam, non autem secundùm habitam & illicitam. Ex quo infertur sacerdotem regularem applicantem Missas contra intentionem Superioris, illius applicationem non valere. Ita tenent Sylvester, Angelus, Enriquez, Fagundez, Villalob. quos refert Diana parte 2. tract. 14. resol. 72. & eam nouissimè defendit Marchinus parte 2. tract. 3. cap. 33. & probat primò, quia præceptum factum subdito de applicanda Missa secundùm intentionem Prælati, non est contra Regulam, neque præter regulam, neque supra regulam; sed secundùm regulam saltem implicitè, cùm pertineat ad bonum commune totius Religionis, vel ad rectam Monasterij gubernationem: ergo etiam ad bonum commune eiusdem Religionis pertinet determinata sacrificij applicatio, pro his pro quibus Superior iubet celebrare: aliàs subditus facit contra obedientiam, & iustitiam debitam defunctis, vel viuis. Secundò, quia Prælatus potest irritare voluntates subditorum circa hanc applicationem, quoties à propria discordant; sicque potest annullare omnia vota, & iuramenta illorum, præter substantialia Religionis, propter subordinationem, & dependentiam quam ex vi status habet voluntas inferioris, à voluntate superioris: neque potest assignari ratio, cur Prælatus possit irritare prædicta vota & iuramenta, & non possit irritas reddere intentiones subditorum circa Missarum applicationes. 17.

Contraria sententia omnino tenenda est, quam communiter tenent ferè omnes Recentiores in hoc loco, Suarez, Vazquez, Hurtadus, Lugus, Præpositus & plures alij. Et ratio huius à priori est, 18.

Digitized by Google

quia quòd sacrificium fiat, aut offeratur pro hoc, aut pro illo, ex commissione Christi tantùm pendet à Sacerdote: ergo ab eo solo dependet quòd huic, aut illi applicetur. Antecedens est manifestum ex forma qua Sacerdos ordinatur: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, Missasque celebrandi, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Consequentia verò probatur, quia sicut in administratione & applicatione sacramentorum, subditus non pendet à voluntate Superioris, quoad valorem actionis (excipe sacramentum Pœnitentiæ, ad quod requiritur essentialiter iurisdictio, cuius collatio pendet à Superiore) quandoquidem contra qualecumque præceptum administret & applicet sacramenta, validè illa applicat: Baptismus enim validus erit, quamuis fiat contra Prælati præceptum. Similiter Ordo sacer collatus à Ministro excommunicato, quantumuis ab Ecclesia reddatur inhabilis ad omnes actiones sacras exercendas, validus erit; ita eodem modo philosophandum est de applicatione sacrificij, tam & validam fore, & in eo cui applicatur, effectum habere, quamuis illicitè fiat contra Prælati intentionem & voluntatem.

19. Vnde ad primum in contrarium respondetur, rectè concludere sacerdotem regularem applicantem Missas contra intentionem superioris, peccare quidem contra votum obedientiæ, & sæpe sæpiùs contra iustitiam: non tamen inde rectè inferri, talem applicationem contra præceptum Superioris factam, inualidam fore, quia Christus Dominus ita instituit hoc sacrificium, & illius oblationem commisit sacerdotibus, vt tota applicatio pendeat ex libera sacerdotis intentione. Et eodem modo respondetur ad secundùm quòd quamuis Superior possit irritare vota & iuramenta à subditis facta, non sequitur inde, quòd possit annullare voluntatem & applicationem valoris & fructus huius sacrificij; quia sacerdos hanc potestatem recipit immediate à Christo independenter à voluntate Prælati, & in eius nomine eam exercet. Sicut si Generalis, v. g. tanquam Superior supremus alicui subdito committat, quòd eius nomine inquirat, præcipiat, puniat, &c. in aliqua causa determinata, non poterit Prælatus inferior irritare gesta per subditum quoad illam causam, circa quam subditus operatur ex commissione & nomine Prælati supremi, vt per se est manifestum, & rectè notat Lugus disp. 19. sect. 10. Ex his

20. Infertur primò, quòd quamuis non solus Sacerdos, sed plures etiam alij dicantur offerre Missæ sacrificium, vt suprà annotabamus; tamen ex sola applicatione facta à sacerdote pendere, quòd sacrificium Missæ ex opere operato aliis prosit, quia illi soli tanquam principaliter & immediatè offerenti commissa est illa potestas.

21. Infertur secundò, resolutio illius difficultatis, quando vnus sacerdos tantùm consecrat corpus, & postea alter supplet defectum prioris, & consecrat sanguinem, in hoc euentu, ad quem pertineat applicare sacrificium. Dicendum est, pertinere ad posteriorem. nam fructus sacrificij non confertur diuisim post singulas consecrationes, sed totus simul post consecrationem vtriusque speciei, singulis partialiter tantùm concurrentibus partialitate causæ, non verò partialitate effectus; ac proinde solus posterior, vtpote vt perficiens essentialiter sacrificium, dicitur essentialiter sacrificare, & consequenter ad eum pertinere illud applicare. Nec est vnde possit probari, quòd posterior teneatur se conformare intentioni prioris. Quando verò duo, vel plures simul consecrant, ad quemlibet illorum pertinet sacrificium applicare, quia quilibet integrè, & vt causa totalis consecrat. Nec obstat, quòd omnes consecrent vnam & eamdem numero materiam, quia consecrationes sunt distinctæ numero, & à se inuicem independentes, ac proinde plura sacrificia numero distincta. Peracta verò consecratione Calicis, iam non est locus amplius sacrificium applicandi, cùm consecratione Calicis hoc sacrificium perficiatur.

Infertur tertiò, quid etiam dicendum sit ad illam quæstionem, An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine sacrificij applicatione, possit illam Missam alteri applicare, & pro illa aliud stipendium accipere, v. g. An quando datur stipendium non pro applicatione sacrificij, sed pro cultu Ecclesiæ, vel commoditate populi, tunc possit Sacerdos applicare Missam pro aliquo alio, & stipendium ab eo accipere. Respondent aliqui non posse, quia id expresè prohibitum est per sacram Congregationem Concilij Tridentini in declarationibus Decreti de celebratione Missarum, sub Vrbano VIII. emanati. lege Dianam suprà tract. 14. resol. 80. Contraria sententia tenenda est, quia Decretum sacræ Congregationis, intelligendum est de sacerdote volente satisfacere vna Missa duplici obligationi celebrandi pro duobus. Ita Suar. disp. 86. sect. 1. & 3. Vazquez disp. 234. cap. 6. & plures alij, quos refert & sequitur Lugus disp. 21. sect. 1. 22.

Denique infertur, sacerdotem non posse celebrationem Missæ præuenire, offerendo & applicando pro eis, qui postea eleemosynas dabunt, quia, vt iam prædictum est, applicatio huius sacrificij non potest esse suspensa, & ita tenent Cenedo, Corduba, Suarez, Ægidius, Barbosa, Fagundez, & plures alij, quos refert & sequitur Marchinus tract. 3. part. 2. cap. 31. & id nouissimè prohibitum est per sacram Congregationem Tridentini, anno 1605. die 15. Nouembris, sanctissimo Domino nostro illud Decretum approbante. Per quod non prohibetur Capellanis, quibus iniunctum est onus singulis hebdomadis certas Missas celebrandi, quin ob Missarum defectum, non possint antecedente hebdomada præuenire celebrationem earum: hæc enim esset quædam solutio debiri anticipata, & singulare defunctis suffragium, pro cuius salute quo citiùs celebratur, eo citiùs sentiet refrigerium, vt notant Doctores allegati. Limita nisi in fundatione Capellaniæ oppositum fuerit expressum, his, aut verbis æquiualentibus: *Nulla in qualibet hebdomada sacrificia Missæ omittantur.* 23.

SECTIO III.

An offerentes hoc sacrificium participent fructus eius ex opere operato.

24. CONclusio est negatiua, quam tenet Vazquez disput. 231. cap. 3. contra Suarium disput. 79. sect. 8. & quidem plures esse offerentes sacrificium Missæ, ex superiùs dictis constat. Quòd verò eis non prosit ex opere operato, ex eo præcisè quòd sint offerentes, nisi etiam pro ipsis offeratur. Probatur vnica ratione desumpta ex similitudine & analogia sacramentorum, quibus est aliquis fructus, seu effectus ex opere operato proprius: sed sacramenta non prosunt ex opere operato ipsis ministrantibus, & applicantibus, vt est manifestum, nisi iis solum, qui passiuè se habent erga illa ipsa sumen

Digitized by Google

sumendo, & recipiendo; ergo neque sacrificium Missæ ex opere operato prodest offerentibus, & applicantibus, nisi etiam pro eis applicetur, & pro ipsis offeratur.

25. Obiicies primò, ex D. Thom. quæst. 79. artic. 5. in corpore, vbi ait: *sacrificium Missæ habere effectum suum in eo qui offert, vel in his pro quibus offertur.* & postea subdit: *Eius oblationem satisfactoriam esse illis pro quibus offertur, vel etiam offerentibus.* Respondetur, D. Thom. intelligēdum esse in eo euentu, quando offerens simul etiam est is pro quo hoc sacrificium offertur, & applicatur.

D. Thom.

26. Obiicies secundò, ex illis verbis canonis, *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt.* per quæ verba intelliguntur aliqui de circumstantibus, vt suprà docuimus. Respondetur, prædicta verba esse preces, & orationes Ecclesiæ, & ex illis insufficienter colligi, quòd aliquis fructus ex opere operato proueniat his pro quibus hoc sacrificium non offertur, nisi per modum deprecationis, & impetrationis, quatenus sacerdos in nomine Ecclesiæ pro omnibus orat, & per modum impetrationis pro omnibus offert, & specialiter pro circumstantibus: quod non sufficit vt hi pro quibus hoc sacrificium non applicatur, percipiant ex opere operato fructus remissionis pœnarum.

27. Obiicies tertiò, quia ex nostra sententia sequitur, eum qui Missam audit, ex opere operato ex ea non plus percipere fructus, quàm qui non audit si pro neutro sacerdos eam offerat, quod certè non videtur dicendum. Respondetur concedendo sequelam, si de fructu ex opere operato loquamur: neque hoc mirum esse debet, quia etiam qui conficit sacramentum Eucharistiæ, nisi simul illud recipiat, non consequitur ex eo plus fructus ex opere operato, quam qui non conficit. Ex opere autem operantis, & per modum impetrationis, ingentes fructus percipiuntur ab his qui intersunt, & deotè assistunt dum sacrum Missæ mysterium celebratur: & licèt audiens sacrum non sit in statu gratiæ, plura dona, & beneficia consequitur per modum impetrationis, quibus à multis periculis eripitur. Ex his

28. Infertur primò, doctrinam Suarij suprà de duplici fructu ex opere operato respondente sacerdoti celebranti, alterum vt est persona priuata; alterum verò vt offert nomine Christi; & in eius persona, non esse satis solidam, neque niti firmo fundamento; & ex prædictis sufficienter refellitur. Eo vel maximè, quia cùm fructus ex opere operato huius sacrificij, pendeat ex voluntate, & ex institutione Christi, nullus certè est admittendus, nisi de eiusdem Christi institutione, & voluntate constet, vel auctoritate, vel firma aliqua ratione; hæc autem nulla reddi potest ad duplicem illum fructum sacerdoti celebranti respondentem, assignandum.

29. Infertur secundò, hoc sacrificium non conferre aliquem fructum ex opere operato omnibus membris Ecclesiæ, eo quòd in genere pro omnibus orthodoxis offeratur ex intentione Ecclesiæ, nisi solùm per modum impetrationis, qui non est infallibilis: non enim videtur mens Ecclesiæ, vt offerens intēdat singulis de Ecclesia applicare fructum huius sacrificij ex opere operato, sed vt aliquo modo eis prosit, videlicet per modum deprecationis, seu impetrationis, vt docet Suarez disp. 79. sect. 8.

SECTIO IV.

An valor sacrificij Missæ sit infinitus.

NOn loquimur de valore huius sacrificij ex opere operantis, seu in ordine ad offerentes; hac enim ratione simpliciter est finitus. Nam quamuis Christus sit principaliter offerens, tamen nunc non meretur actu, neque satisfacit per oblationem huius sacrificij, quia modò non est in statu merendi, nec satisfaciendi. Deinde Minister, seu sacerdos, quamuis possit mereri, & satisfacere per actionem sacrificandi si sit in statu gratiæ, nihilominus cùm eius dignitas sit finita, nequit actionis suæ tribuere valorem infinitum: & idem est de aliis ministrantibus, seu offerentibus. Denique Ecclesia quamuis sit etiam offerens, quatenus vtitur sacerdote, vt ministro publico ad offerendum, nequit similiter huic sacrificio conferre infinitum valorem, vt est per se manifestum, quia sanctitas Ecclesiæ etiam est finita. Difficultas ergo procedit de valore ex opere operato, quatenus huic sacrificio ex institutione Christi, sunt annexa merita satisfactionis ipsius Christi, ad impetrandum, & obtinendum à Deo plura beneficia, & præcipuè ad satisfaciendum pro debito pœnæ restantis post remissionem culpæ, hic enim est effectus qui certò, & infallibiliter confertur per hoc sacrificium, vt ex superiùs dictis constat. nam quamuis hoc sacrificium sit etiam propitiatorium, nihilominus virtute illius non confertur prima gratia immediatè ex opere operato. 30.

Conclusio est negatiua. Valor huius sacrificij ad satisfaciendum non est infinitus, sed finitus, & taxatus iuxta dispositionem diuinæ sapientiæ, & meram Christi, & Dei voluntatem, ita D. Thom. in 4. distinct. 45. Bonauent. ibidem art. 3. quæst. 3. Scotus quodlib. 20. & ex Recentioribus Suarez, Ægidius, Lugus, & plures alij, & est communior inter Theologos. & 31.

Probatur primò, quia cùm hoc sacrificium, vt prædictum est, ex institutione Christi habeat annexas satisfactiones ipsius Christi in cruce pro nobis oblati, conuenientissimum certè fuit, vt haberet virtutem, & valorem finitum, taxatum, & limitatum, vt hac ratione sæpius à sacerdotibus offerretur, & auidiùs in Ecclesia à fidelibus frequentaretur.

Secundò probatur, ab absurdis quæ ex opposita sententia sequi possent, quia si hoc sacrificium haberet valorem infinitum, sequeretur primò frustrà applicari pro aliquo defuncto in particulari, quia si tantum prodest omnibus ac singulis, ac si pro vno solo applicatur, frustrà certè, imò contra charitatem pro vno solo offertur. Secundò sequeretur, per vnicam dumtaxat Missam, totum Purgatorium euacuari; cur ergo tot Missæ pro defunctis? Tertiò quemlibet sacerdotem vnico sacrificio posse satisfacere pro quibusuis fundationibus, & obligationibus, pia testatorum voluntate introductis. Quartò denique posse plura stipendia accipere ab vno, vel à diuersis, & vnica Missa omnibus satisfacere. 32.

Respondet Caietanus, quòd quamuis valor huius sacrificij sit infinitus, nihilominus æquè multis ac paucis prodest, secundùm quantitatem suæ deuotionis: similiter existentes in Purgatorio participare de fructu huius sacrificij, iuxta quantitatem deuotionis suæ habitæ in vita præcedente. Cæterùm hoc iam suprà reiectum est, quia effectus huius sacrifiaij, quoad remissionem pœnarum, 33.

Digitized by Google

nullam aliam dispositionem requirit præter statum gratiæ, vt patet in dormientibus: quod verò dicit de defunctis, absque vllo fundamento asseritur, & contra mentem, & sententiam omnium Doctorum.

34. Respondet Vazquez disp.231. cap.2.sacerdotem teneri ex iustitia applicare pro eo à quo accepit stipendium impetrationem Ecclesiæ, & alias orationes,quæ cùm habeant virtutem finitam,non æquè proderunt illi, si inter plures diuidantur. Refellitur,quia sacerdos excommunicatus si celebret pro eo à quo accepit stipendium, quamuis tunc non oret nomine Ecclesiæ,sufficienter satisfacit,nec tenetur iterum celebrare, nec restituere eò quo accepit stipendium.

35. Respondet secundò, hanc opinionem de infinitate valoris Missæ theoricè quidem esse veram, in praxi tamen non esse sequendam: quia inter duas opiniones contrarias, illa in praxi seruanda est, quæ est fauorabilior saluti animarum, & quæ certum illis remedium confert, qualis est nostra sententia. nam sententia contraria affirmans, exponeret periculo eos quibus hoc sacrificium applicatur: si enim hæc sententia esset coram Deo falsa, illi pro quibus hoc sacrificium oblatum est, salutari remedio fraudarentur; & vbi agitur de salute animarum, præceptum charitatis obligat, ad eligendam eam sententiam,quæ prouidet saluti remedium certum, nec salus proximi periculo exponatur. Refellitur, quia, vt ostendimus in tractatu *de conscientia*, licitum est in administratione sacramentorum sequi opinionem probabilem,& minus tutam, relicta probabiliori & tutiori, quod idem patet in aliis materiis,restitutionis,excommunicationis, &c. ergo sacerdos qui tenetur applicare sacrum pro aliquo, satisfaciet applicando applicatione probabili: non enim apparet cur peccaret conformando se cum illa.

36. Respondet tertiò, sacerdotem in prædicto casu peccare contra iustitiam,cùm enim stipendium detur, non in pretium sacri,sed in sustentationem; cùm iam ab alio sustentationem acceperit,non potest ab alio secundam sustentationem accipere. Hoc tamen non est ad rem, & facilè refellitur. nam qui ex promissione vel voto tenetur pro aliquo defuncto celebrare, non potest adhuc recipere stipendium ab alio, & celebrare pro vtroque; & tamen non accipit duplicem, vel secundam sustentationem.

37. Obiicies primò, verba D. Hieronym. relata in capite *Non mediocriter*, 24. de consecrat. dist.5. *Dum pro centum animabus Psalmus,vel Missa dicitur, nihil minus quàm si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur.* Respondetur hæc verba non repetiti apud D.Hieronymum,vt notat idemmet Vazquez sed quidquid de hoc sit,legitimum illorum sensum esse, non minus prodesse sacerdoti vnicam dumtaxat Missam, aut Psalmum dictum attentè, & deuotè,cum alacritate,& feruore spiritus; quàm centum remissè, frigidè, cum tristitia cordis,& anxietate.Qui sensus apertè colligitur ex verbis ibidem immediatè præcedentibus. *Melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate,& spirituali hilaritate, quàm totius Psalterij modulatio, cum anxietate cordis,& tristitia.*

Hieron.

38. Obiicies secundò, hoc sacrificium est idem cum sacrificio crucis, & sola ratione offerendi diuersum: sed sacrificium crucis fuit infinitum; ergo. Vnde Chrysostomus homil. 2. in epistolam 1. ad Timoth. sic ait. *Volo quiddam dicere planè mirabile. Quid verò illud est? Sacra ipsa oblatio, siue illam Petrus, siue Paulus, siue cuiusuis meriti sacerdos offerat, eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis, quamque sacerdotes modò conficiunt: nihil habet ista, quàm illa minus.* Respondetur ex infinitate rei oblatæ in hoc sacrificio, non rectè inferri infinitum valorem in oblatione: aliàs oblatio qua beata Virgo obtulit suum filium in templo, habuisset etiam valorem infinitum:aliunde ergo desumendus est valor oblationis Missæ, videlicet quia huic sacrificio annexæ sunt satisfactiones Christi,modo explicato.

Chrysost.

39. Obiicies tertiò, quia ab effectu syncathegorematicè infinito, rectè colligitur virtus causæ infinita in actu,seu cathegorematicè; sed fructus Missæ est syncathegorematicè infinitus; ergo in hoc sacrificio est virtus, seu valor in actu infinitus. Maior est manifesta,quia licèt effectus infiniti syncathegorematicè, non sint actu,& cathegorematicè simul infiniti; nihilominus supponunt totam virtutem causæ in actu, & consequenter actu infinitam: vt constat in passione Christi, quæ in ratione meriti, & satisfactionis, fuit in actu infinita, licèt nullum in nobis effectum actu infinitum operetur;quia verò non potest producere in nobis tot merita,& satisfactiones, quin possit plures,& plures, tam secundùm intentionem, quàm secundùm extensionem,proinde passio Christi dicitur esse infiniti valoris, & virtutis. Minor probatur ex eo quòd dum plures sacerdotes vnum, & idem numero Missæ sacrificium offerunt simul cum Episcopo quando ordinantur, simul etiam cum ipso consecrant, & consecrando sacrificant: quilibet autem eorum hoc sacrificium pro se offerendo, tantum ex eo refert fructus ex opere operato, quantum referret si solus offerret: quod eodem modo eueniret,etiamsi plures sacerdotes in infinitum simul consecrarent; ergo cùm ibi sit vnicum dumtaxat sacrificium, sicut vnicum est tantùm sacramentum, cùm quilibet illud totum independenter ab alio offerat, ac si solus offerret, consequens est eumdem fructum ex illa oblatione percipere, ac si solus obtulisset; ergo fructus illius sacrificij est syncathegorematicè infinitus. Respondetur concedendo maiorem,& negando minorem, & ad probationem dicimus, in eo euentu dari plures oblationes,& plura sacrificia numero distincta, quamuis vnicum dumtaxat sit sacramentum; & ideo non esse mirum quòd fructus in singulis multiplicetur. Ratio huius petenda est ex diuersa ratione,in qua consistit essentia Eucharistiæ in quantum sacramentum,& in quantum sacrificium. nam essentia Eucharistiæ consistit in speciebus consecratis: vnde cùm hostia consecrata à pluribus sacerdotibus sit vna, & eadem numero, & similiter vinum, ideo vnicum est dumtaxat sacramentum: quia verò essentia sacrificij Missæ consistit in separatione mystica, & iugulatione Christi; quot dantur actiones consecratiuæ,tot similiter dantur mysticæ separationes,& mactationes eiusdem Christi; & consequenter tot sacrificia,& fructus correspondentes his pro quibus offeruntur.

40. Obiicies quartò, si hoc sacrificium esset finiti valoris, sequeretur, quo plures Missam audiunt,eo minorem fructum percipere, quia talis fructus diiudicetur inter singulos; ac proinde consultius esse interesse sacro vbi pauciores assistunt: hoc autem falsum est, quia multiplicatis his qui assistunt facto, non minus prodest singulis, quàm si singuli soli adessent; ergo idem & ob eamdem rationem dicendum est de offerentibus, & de his

pro

pro quibus offertur, non minus prodesse pluribus, quam si pro vno solo offerretur. Respondetur, sacrificium Missæ dupliciter posse prodesse assistentibus sacro, vno modo quatenus ipsi sunt etiam offerentes; altero verò quatenus pro ipsis offertur. Priori modo quatenus ipsi sunt offerentes, multiplicatur fructus pro singulis. nam sicut oblationes multiplicantur pro multitudine offerentiũ, quamuis res oblata sit vna & eadem; ita singulis oblationibus respondet nouus fructus, qui non est ex opere operato, sed ex opere operantis, de quo non est præsens controuersia. In posteriori verò sensu quatenus pro ipsis offertur, & etiam pro omnibus fidelibus viuis atque defunctis, non est necesse quòd sacerdos applicet omnibus fructum satisfactionis ex hoc sacrificio prouenientis, sed impetrationis, qui cùm sit infinitus, nulli prouenit detrimentum ex consortio aliorum. Denique si fructum satisfactionis applicet pro multis, tam viuis, quam defunctis, eo minus fructus singuli ex opere operato accipient, quo plures fuerint. Cuius rei optima coniectura reddi potest ea quæ adducitur à Meratio disp. 40. sect. 4. Nam cùm tam multa Missarum millia quotidie per vniuersum orbem celebrentur, & singulæ ex Ecclesiæ institutione generali quadam intentione, à sacerdotibus offerantur pro omnibus fidelibus viuis atque defunctis, si ex singulis in singulos idem fructus, vel vberrimus redundaret, omnes iusti viuentes, & animæ in purgatorio detentæ, acciperent ex singulis magnam quantitatem relaxationis pœnæ temporalis debitæ peccatis eorum; ex quo sequeretur contra communem sensum Ecclesiæ, vt longè plures iusti ex hac vita decedentes rectà in cælum euolarent, & omnes animæ in purgatorio detentæ, multo celeriùs soluerentur pœnis debitis.

41. Denique obiicies, quia si hoc sacrificium est infinitum in genere impetrationis, vt prædictum est; ergo etiam erit infinitum in genere satisfactionis, cùm nulla prorsus possit assignari sufficiens ratio huius diuersitatis. Respondetur negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia impetratio fundatur in diuina liberalitate, & misericordia; & ex eo quòd virtute huius sacrificij possint impetrari à Deo plura, & plura dona, & beneficia sine termino, nullum sequitur inconueniens, maximè cùm hic effectus non sit omnino certus, & infallibilis: at satisfactio fundatur in iustitia supposita diuina promissione, & taxatione, quam decuit esse finitam & limitatam, ne sequerentur inconuenientia in confirmationem nostræ sententiæ assignata.

42. Cæterùm, quia circa hanc rem, & circa valorem huius sacrificij multum variant Theologi, nec vix potest aliquid certò diffiniri, optimum sanè consilium erit, vt primo loco Missa applicetur ei pro quo quis tenetur celebrare. Deinde generali intentione pro ipso offerente, pro sancta Ecclesia, pro Papa, Episcopo, Rege, pro Religionibus, & pro omnibus aliis tam viuis, quàm defunctis in quantum ex opere operato prodesse potest, absque præiudicio illius cui Missa est debita ex pacto pro eleemosyna, ex promissione, ex voto, ex præcepto superioris, siue ex quouis alio titulo: fructus etiam impetrationis applicetur pro particularibus necessitatibus. nam celebrans non tenetur ad applicandum sacrificium pro eo à quo stipendium accepit, nisi quoad fructum ex opere operato; non verò quoad fructum ex opere operantis: sicut non tenetur offerre pro illo orationes, & alia quæ in Missa fiunt. Limita quando Missa petitur pro impetrando à Deo aliquo beneficio.

DISPVTATIO III.

De obligatione celebrandi, de tempore, loco, & aliis circumstantiis huius sacrificij.

SECTIO I.

Quomodo sacerdotes teneantur celebrare.

CIRCA hanc rem prima difficultas 43.
est, an sacerdotes teneantur aliquando celebrare, an verò possint omnino à celebratione abstinere. In qua re satis communis sententia docet, sacerdotes sub mortali teneri aliquando celebrare, iuxta præceptum diuinum à Christo ipsis impositum Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; Luc 22.
ex quibus verbis Tridentinum colligit hoc præceptum, dum non solùm dicit conferri eis potestatem offerendi, sed etiam præceptum imponi; sic enim ait sess. 22. cap. 1. *Ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit: & eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent præcepit per hac verba: Hoc facite in meam commemorationem.* Trident.
Quod præceptum cùm sit de re graui, & notabili, non minus obligat, quàm præceptum audiendi sacrum, & ita tenent D. Thomas, Nauarr. vterque Sotus, Enriquez, Suarez, Vazquez, Ægidius & plures alij, quos refert, & sequitur Marchinus tract. 3. p. 2. cap. 36. Quia verò hoc præceptum vagè obligat, & nullibi ab Ecclesia est præfixum, & determinatum tempus adimpletionis huius obligationis, ideo nonnulli existimant sacerdotem teneri quotidie celebrare, quorum sententia communiter reiicitur. Alij censent teneri in præcipuis anni festiuitatibus, vt in diebus Paschatis, in die assumptionis Beatissimæ Virginis, & in festo omnium Sanctorum. Vazquez disp. 232. cap. 1. quem plures alij sequuntur, existimat, in quolibet anno teneri sacerdotem ratione sacerdotij saltem ter, vel quater celebrare.

Pro parte contraria non desunt Doctores negantes, secluso scandalo, vel contemptu, vel obligatione proueniente ex beneficio, capellania, præbenda, &c. sacerdotem ex vi sacerdotij teneri ad celebrandum; & præceptum illud Christi obligare quidem communitatem, singulos autem non habere eam obligationem, quando per alios sufficienter prouideter, quantum necesse est, vt Christiana Respublica hoc sacrificio non careat, vt communiter etiam dici solet de obligatione psallendi in choro diuinum Officium, & ita tenent D. Bonauentura, Caietanus, & alij, quos refert Suarez disput. 80. sect. 1. eamdem sententiam sequuntur Bonacina, & Diana de celebrat. Missar. resolut. 19. 44.

Ego verò in praxi priori sententiæ adhæreo. & existimo sacerdotem ratione sacerdotij in nullo determinato die teneri ad celebrandum, quia nullibi, nec à Christo, nec ab Ecclesia talis dies præfigitur; 45.

Digitized by Google

figitur; nihilominus teneri ter, vel quater in anno celebrare quibuscumque diebus id fiat: quia nunquam per totum annum celebrare, non potest non graue scandalum generare, est etiam indicium vitæ satis deperditæ.

46. Parochi verò, vt parochiale munus impleant, tenentur celebrare omnibus, & singulis diebus dominicis, & festiuis, quibus populus ex præcepto tenetur Missam audire, vt tenet communis sententia. An verò extra id tempus ablata consuetudine, vel statuto, teneantur celebrare si sint parochiani qui ex deuotione sacrum audire velint, negant nonnulli; quia tale præceptum in toto corpore iuris non extat: tum etiam, quia hæc duo videntur correlatiua, vt diebus quibus populus non tenetur sacrum audire, nec Parochus teneatur celebrare. Contrariam sententiam tenet Vazquez suprà, & Suarez sect. 2. qui Parochus ratione officij tenetur pastum reddere suis ouibus, vnde si rationabiliter id petant, tenetur non negare, ne tot oues tam ingenti fructu priuentur.

47. Præterea sacerdos qui ratione Capellaniæ, vel beneficij quotidianæ Missæ onus suscepit, tenetur per se, vel per alium quotidie celebrare; potest tamen semel in hebdomada vacare: hoc enim conceditur humanæ fragilitati, & sic est interpretanda mens testatoris, qui non est censendus imponere tam strictam obligationem, & ita tenent Nauarr. Enriquez, Azorius, Rodriquez, Bonacin. Fagund. Layman, & plures alij, quos refert & sequitur Marchinus. Imò in casu infirmitatis non tenetur per alium supplere, si infirmitas breuis sit, v. g. vnius mensis; vel etiam extendi potest ad spacium duorum mensium, vt colligitur ex cap. *significatum*, de Præbendis, & ita tenent plures ex Doctoribus prælegatis, & Barbosa de officio, & potestate Episcopi tom. 2. alleg. 24. num. 31. Nisi verba testatoris sint directa, non tam ad personam ipsius sacerdotis, quàm ad locum, capellam, siue altare, quod ex verbis fundationis, seu testatoris colligendum est, vbi nota diebus illis, quibus causa honestatis, vel alterius impedimenti, conceditur capellano factum omittere, non permitti illi pro alio à quo stipendium accepit, celebrare; quia hoc non esset vacare ex iusta causa, sed ex motiuo auaritiæ ad lucrandas duas eleemosynas eapem die.

48. Denique in Ecclesiis parochialibus, cathedralibus, & conuentualibus, est obligatio quotidie celebrandi, ex cap. *cum creatura*, de Missarum celebrat. & ex antiquissima omnium Ecclesiarum consuetudine, ac proinde omissio Missæ conuentualis erit lethalis, nisi aliqua die circumstantiæ adeò graues occurrant, quibus id moraliter impossibile iudicetur. Quibus verò diebus in prædictis Ecclesiis duæ Missæ sint celebrandæ, standum est consuetudini, & fundationibus Ecclesiarum, & conuentuum Religiosorum. In feriis priuilegiatis, quales sunt omnes feriæ Quadragesimæ, quatuor temporum, rogationum, & vigiliarum, occurrente festo duplici, vel semiduplici, vel octaua, extat obligatio decantandi duas Missas in Ecclesiis tam cathedralibus, quàm collegiatis, vnam de festo post tertiam, & alteram de feria post nonam. Nomine verò Ecclesiæ collegiatæ non intelliguntur Ecclesiæ Regularium, vt probant Rodriquez, & Villalobos contra Portel, quos refert, & sequitur Diana de celebr. Missar. resol. 76.

49. Secunda difficultas est, quibus diebus licitum sit sacerdoti celebrare; & procedit difficultas de triduo maioris hebdomadæ, scilicet feria quinta, sexta, & sabbato. Aliqui enim absolutè negant, posse Missas priuatas tunc celebrari.

Dicendum tamen est primò licitum esse, non solùm Prælatis Ecclesiarum, sed etiam quibuscumque aliis sacerdotibus, Missam priuatam celebrare in feria quinta maioris hebdomadæ. Et ita tenet communis sententia, quia nulla datur lex, neque præceptum id prohibens; neque opposita consuetudo: hæc enim quamuis detur in Ecclesiis, non tamen quasi ex obligatione, sed ex deuotione ad imitandum Apostolos, qui eo die de manu Christi communionem acceperunt, & per contrariam consuetudinem abrogata est; & ita videmus viros doctos, & timoratæ conscientiæ, eo die celebrare: hoc autem intelligendum esse antequam finiatur Missa solemnis, & tecondatur Christi corpus, rectè obseruat Vazquez; quia immediatè pòst incipit dies Parasceues, cùm statim vespere dicantur.

Secundò dicendum est, nullo modo licere feria sexta maioris hebdomadæ Missam celebrare, ita habetur canone *sabbato*, de consecrat. dist. 3. & tenet communis Ecclesiæ consuetudo, iuxta quam nulli permittitur eo die celebrare; ac proinde in officio illius diei non fit consecratio, nec est Missa, nec eam tenentur audire fideles, etiamsi sit dies festus, quidquid dicat Vazquez; quia officium illud non est Missa ex defectu consecrationis, & vni solùm permittitur communicare ex præconsecratis sub specie tantùm panis. Per hoc autem aliis Fidelibus non prohibetur, vt possint eo die communicare, vt notant Suarez, & Vazquez, quia id nullo iure prohibitum est: quòd si regulariter eo die non communicant; ideo fit, quia est dies maximi mœroris, & non quia aliqua lege, & consuetudine sit cautum: imò, vt notat Adamus disput. 5. quæst. 10. dub. 4. in Germania viget consuetudo satis recepta, vt non solùm sacerdotes, sed etiam laïci eo die communicent. 50.

Inquires, quomodo se geret Pastor habens duas Parochias, an possit in vtraque officium illius diei celebrare. Respondetur, si commodè potest, debere substituere alium pro alterutra Parochia. Quòd si non potest, & Parochiæ sunt vicinæ, tenetur in alterutro loco non consecrare hostiam reponendam in monumento: si verò sint adeò distantes vt pòpulus vnius Parochiæ non possit ad Ecclesiam alterius conuenire, censet Præpositus quæst. 83. art. 2. dub. 2. teneri in vna Parochia non apponere vinum, & aquam in calice, & sumere solam hostiæ partem sine ablutione, vt ieiunus in alia Parochia possit celebrare; neque ritus mittendi vinum in calicem, & partem hostiæ in vinum, videtur adeò grauis, quin ex hac causa omitti possit, vt alia Parochia non careat officio illius diei. Cæterùm in hoc standum esse consuetudini existimo. 51.

Tertiò dicendum est, sabbato sancto licere Missas priuatas celebrare, & ita tenent Suarez, Ægidius, Fagundez, Guttierez, Scortia, quos refert & sequitur Marchinus tract. 3. part. 3. cap. 8. dummodo scandalum absit. Neque obstat Vazquez disp. 235. cap. 2. vbi affirmat, antiquitus vnam solùm Missam solemnem fieri, & hanc post mediam noctem, incipiente iam die Dominica Resurrectionis, quæ Missa per anticipationem celebratur nunc ante meridiem. At hæc anticipatio solùm est pro illa Missa solemni quæ illa nocte celebrari solebat. Cæterùm, vt latè ostendit Lugus disp. 22. sect. 1. hoc est omnino falsum, quia ex omnibus scriptoribus Ecclesiasticis constat, officium Missæ illo 56.

sabbato

Digitized by Google

ſabbato incepiſſe poſt Solis occaſum apparente prima ſtella,& vſque ad illam horam legebantur prophetiæ, benedicebantur fontes, catechizabantur, & baptizabantur Catechumeni. Præterea non obſtat caput *ſabbato*, de conſecrat. diſt.3. vbi dicitur, *biduo hoc, ſacramenta penitus non celebrari.* Nam hæc prohibitio per contrariam conſuetudinem eſt abrogata, ſiquidem experimur iam Miſſam, ſolemnem ſabbato ante meridiem celebrari, & plures ſacerdotes in priuatis oratoriis ex deuotione, etiam ſi feſtum ea die non occurrat. Denique non obſtat quòd ea die nullus introitus aſſignatur pro Miſſa priuata,quod ſignum eſt Eccleſiam nolle quòd Miſſæ aliquæ priuatæ celebrentur,ſed tantùm ſolemnis. Nam ex hoc ſolum ſequitur, Miſſam priuatam eo die non eſſe factam licitam ex expreſſa Eccleſiæ licentia, & ideo non mirum quòd nullus introitus ſit aſſignatus; ac proinde poterit Miſſa priuata celebrari illius diei,cum introitu tamen Miſſæ Reſurrectionis diei ſequentis, vt obſeruat Diana ſuprà reſol.21.

57. Vbi nota, ſi feſtum Annuntiationis occurrat ſabbato ſancto, eſſe obligationem ſub mortali audiendi ſacrum, ac proinde expediens eſſe eo die plures Miſſas priuatas in qualibet Eccleſia celebrari. Quòd ſi Miſſa tantùm ſolemnis celebretur, quamuis per ſe omnes obligentur ad ſacrum audiendum,per accidens autem excuſantur, qui non poſſunt ſacro adſtare.

58. Tertia difficultas eſt, an liceat eidem ſacerdoti in eadem die plures Miſſas celebrare. In qua aſſerendum eſt nullo modo licere,quia id prohibitum eſt iure Eccleſiaſtico ab Innocentio III. in cap. conſuluiſti 3. *Excepto*, inquit,*die Natiuitatis dominica (niſi cauſa neceſſitatis ſuadeat) ſufficit ſacerdoti ſemel in die tantùm Miſſam ſolummodo celebrare.* Ex quibus verbis colligunt Doctores,in die Natiuitatis Dominicæ licere tres Miſſas celebrare ad ſignificandas tres Chriſti Natiuitates, ex decreto Teleſphori Papæ cap. *Nocte ſancta*, de conſecr. diſt.1. Et in caſu neceſſitatis, vt ſi idem ſacerdos habeat duas Parochias diſtantes, nec commode habere poſſit coadiutorem ob paupertatem,poterit in ambabus celebrare. Alij caſus neceſſitatis aſſignantur ab aliquibus Doctoribus. Primus eſt, quando pro viatico infirmi neceſſarium eſt iterum celebrare. Secundus,cùm peracta Miſſa ſuperuenit Princeps, vel magnus aliquis Prælatus.Tertius,ſi vnica Miſſa toti populo confluentibus peregrinis non ſufficeret. Quartus, ſi dicta Miſſa in die feſto ſuperueniat ſepultura,vel nuptiæ,vbi eſt conſuetudo celebrandi Miſſam pro ſponſis,vel ne quis abſque Miſſa ſepeliatur. Cæterùm hos, & ſimiles caſus,excepto primo, de ſacerdote habente duas Parochias inſufficientes iudicant Vazquez, & Recentiores communiter vt fiat contra dictam prohibitionem, & ideò ſolus ille nunc eſt in vſu, ad quem etiam reducitur,vt in India,Anglia, & Germania,poſſit à ſacerdote Miſſa iterari ad populi vtilitatem ob raritatem ſacerdotum.

Sectio II.

Qua hora poſſint Miſſæ priuatæ celebrari.

DVplex eſt difficultas in præſenti. Prima eſt à qua hora diei poſſit Miſſa inchoari. Secunda eſt, ad quam horam poſſit differri Miſſæ celebratio. Circa vtrumque, regula vniuerſalis eſt, quòd Miſſa non poſſit inchoari ante auroram, vel poſt meridiem, & ita tenet communis conſuetudo Eccleſiæ à Pio V. approbata in regulis Miſſalis, vbi aſſeritur, *horam celebrandi pro Miſſis priuatis eſſe ab aurora, vſque ad meridiem.* Per auroram autem, vt communiter obſeruant Doctores, intelligitur non ortus Solis,ſed initium crepuſculi diei, ſeu prima lucis irradiatio in noſtro hemiſpherio: quia verò crepuſculum non ſemper eſt æquale in omnibus menſibus anni, vtplurimum autem præcedit ortum Solis per horam,& dimidiam,ideo pro regula morali hæc haberi poteſt ad celebrandum.

60. Cæterùm ab hac regula generali primò excipiuntur Religioſi, quibus ex priuilegio licet celebrare vna hora ante auroram; ſicque poterunt duas horas, & dimidiam ante ortum Solis Miſſam inchoare. Adde Monachis ſancti Benedicti conuentus Montisferrati conceſſum fuiſſe priuilegium ab Alexandro III. celebrandi ſacrum duabus horis poſt mediam noctem,poſtea verò à Clemente VIII. priuilegia conceſſa illi conuentui extenſa ſunt ad totam congregationem, quo priuilegio gaudent Religiones omnes communicantes in priuilegiis cum Benedictinis: nec eſſe reuocatum per Tridentinum docent plures Doctores, præcipuè Rodriquez 1.tom. Regul.quæſt 41.art.5. Quamuis ex vi huius priuilegij non poterunt Religioſi in quolibet loco celebrare illa hora, ſed in Eccleſiis ſuorum conuentuum dumtaxat; quia facultas illa non fuit abſoluta,ſed ad celebrandum in Eccleſia illius Monaſterij, vt obſeruat Lugus diſp.20. num.30.

61. Præterea excipitur dies Natalis Domini, in qua à puncto mediæ noctis poteſt Miſſa celebrari,quod non ſolùm eſt verum quoad primam Miſſam, ſed etiam quoad alias duas; ita vt quilibet ſacerdos poſſit tres illas Miſſas conſequenter celebrare, & ita tenent Vazquez, Suarez, Ægidius, Layman,& plures alij, quos refert & ſequitur Diana ſuprà reſolut.35. & eſt iam communis ſententia, & ſine controuerſia admittitur. Nec obſtat primò, quòd in rubrica Miſſalis ita ſtatuitur. Nam illæ rubricæ intelligendæ ſunt de Miſſis Conuentualibus,& ſolemnibus, vt prima dicatur poſt mediam noctem. Secunda in aurora. Tertia in plena die. Secundò non obſtat, quòd in canone dicitur pro aliis duabus Miſſis, *& diem ſacratiſſimum celebrantes.* Quia verba hæc referuntur ad id pro quo repræſentando, & commemorando dicuntur: & ita quamuis prima Miſſa priuata celebretur in plena diei luce, dicitur, *& noctem ſacratiſſimam venerantes.*

62. Denique excipitur caſus neceſſitatis ad dandum viaticum ægroto, aliàs abſque viatico morituro,in quo caſu tranſacta media nocte poſſet ſacerdos celebrare. nam maioris momenti videtur ſuccurrere ægroto periclitanti, quàm poſt mediam noctem ante auroram non celebrare.

63. Circa ſecundum,videlicet circa meridiem,vltra quam non licet Miſſam inchoare, obſeruandum eſt, hunc terminum non eſſe intelligendum mathematicè, ſed moraliter; ac proinde licitum eſſe paulo poſt metidiem, videlicet vno quadrante,vel paulo pòſt, ſacrum inchoare. Excipe caſum neceſſitatis ad ſuccurrendum infirmo, ne decedat abſque viatico, in quo caſu poterit Miſſa priuata differri vſque ad horam nonam,quæ eſt tertia poſt meridiem. Similiter quando Miſſa ſolemnis ob concionem, vel ob aliam cauſam durat poſt meridiem, quamuis multo tempore duret, poterit

Miſſa

Digitized by Google

Miſſa priuata celebrari, maximè ſi inchoetur antequam Miſſa ſolemnis finiatur. Imò poſſe inchoari ſummo facto decantato, cenſet Præpoſitus dub. 4. Deinde ſi inſtituatur ſolemnis ſupplicatio cui Miſſa ſuccedat, & etiam in exequiis Magnatum ſolet Miſſa differri ſatis notabiliter. Præterea de licentia Epiſcopi in aliquo caſu particulari. Denique Religioſi ex priuilegio, vt notat Ioan. de la Cruz in direct. part. 2. q. 2. Poſſunt in itinere, vel ex alia cauſa iuſta celebrare vſque ad nonam inclusiue, & etiam abſque priuilegio poſſunt ſacerdotes impediti ratione itineris, inchoare Miſſam vna hora poſt meridiem, vt docet Suarez ſect. 4. quem plures ſequuntur.

64. Solet in hoc loco inquiri, an ſub obligatione lethali teneantur ſacerdotes celebratione Miſſæ præmittere matutinum. Nauarrus & plures antiqui ſequuntur partem affirmantem; quia hæc eſt antiquiſſima conſuetudo, & in materia graui. Et id videtur præcipi à Pio V. in principio rubri. Dum diſtrictè præcipit in virtute ſanctæ obedientiæ, Miſſam iuxta ritum Miſſalis fieri: at inter huiuſmodi ritus ponitur: *Vt ſacerdotes prauia confeſſione, cùm opus fuerit, & ſaltem Matutino cum laudibus abſoluto, orationi aliquantulum vacent, priuſquam Miſſam celebrent.*

65. Contraria ſententia longè probilior eſt, & in praxi tuta, & ita tenent communiter Recentiores omnes. Suarez diſp. 82. ſect. 1. Vazquez opuſcul. de benef. cap. 4. Leſſius lib. 2. de iuſt. cap. 17. Ægidius q. 83. num. 220. & plures alij. Tum, quia nullibi extat præceptum de præmittendo Matutino ante ſacrum: tum etiam, quia nulla datur connexio Matutini cum Miſſa: tum denique, quia præceptum illud Pij V. non ligat ſub mortali, ad omnes, & ſingulas regulas Miſſalis in particulari ſeruandas, ſed generaliter ad non inducendos ritus oppoſitos. Verba autem illa in contrarium adducta continent conſilium, non præceptum: non enim Pontifex vtitur præceptiuis.

SECTIO III.

De loco apto ad celebrandum.

66. MIſſæ nequeunt licitè celebrari niſi in Eccleſia conſecrata, vel benedicta: & quamuis ante Tridentinum poterant Epiſcopi concedere facultatem celebrandi in locis non ſacris, & in domibus priuatis: hæc tamen facultas quamuis videatur nunc illis ſublata ſeſſ. 22. de obſeruandis, & vitãdis in celebratione Miſſæ, vbi aſſeritur. *Præcipit ſancta Synodus Epiſcopis, ne patiantur priuatis in domibus, atque omnino extra Eccleſiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata Oratoria ab eiſdem Ordinariis deſignanda, & viſitanda, ſanctum hoc ſacrificium à ſecularibus, aut regularibus quibuſcumque peragi: non obſtantibus priuilegiis, aut exemptionibus quibuſcumque.*

Trident.

Re vera tamen ſi hæc verba rectè perpendantur, tantùm eſt reſtricta poteſtas Epiſcoporum, ne poſſint concedere facultatem celebrandi in quocumque loco honeſto extra Eccleſiam, ſicut prius poterant: non verò quòd in Oratorio domus priuatæ ſolummodo ad diuinum cultum deputato, & ab eiſdem deſignato, & viſitationi eorumdem ſubiecto, non liceat eis concedere facultatem celebrandi, vt rectè probat Barboſa contra Nauarrum de officio Epiſcopi, allegat. 23. num. 7. His tamen non obſtantibus, hodie iam nequeunt Epiſcopi eiuſmodi licentiam concedere; quia ablata fuit eis facultas à Nuntio Hiſpaniarum, iuſſu Pauli V. anno 1615. Vt communiter notant Recentiores.

67. Ab hac regula excipitur primò caſus neceſſitatis, videlicet quando in aliquo die feſto concurrit magna multitudo ad paruam aliquam Eccleſiam, tunc enim poterit Altare extra portam, & iuxta illam collocari, ne Populus careat ſacro. Similiter vt exiſtentes in caſtris, vel in triremibus, aut in nauibus Miſſam audiant, poterit Altare erigi in agro, vel in littore. An poſſit verò celebrari ſupra mare, vel ſupra flumen, dicendum eſt in longa nauigatione, qualis eſt ea quæ fit ad Indias Orientales, & Occidentales, licitè fieri poſſe, quia in illis nauibus nullum eſt periculum irreuerentiæ, nec effuſionis ſanguinis, cùm periti naucleri præuideant maris commotionem, & poſſint de illa præmonere; poteſt etiam poſt conſecrationem alter ſacerdos adeſſe qui calicem conſecratum manu teneat, ne ſanguis effundatur; atque ita nullo iure id prohibitum eſt, imò extat praxis in contrarium. At in triremibus non licet abſque diſpenſatione Summi Pontificis, quia neceſſitas non adeò vrget, cùm frequenter ad portus, ſiue ad terram accedant, & ex ipſo mari poſſit Miſſa audiri Altari in littore erecto.

68. Secundò excipitur Epiſcopus, cui in cap. vltimo, de priuilegiis, conceditur, vt cauſa itineris etiam extra propriam diœceſim, poſſit in loco decenti celebrare, vel facere quòd alius coram ipſo celebret.

Tertiò excipiuntur Patres Dominicani, & Fratres Minores, & per communicationem plures alij Religioſi, quibus conceditur celebrare in quocumque loco honeſto cum Altari portatili: quæ priuilegia non eſſe reuocata per Tridentinum vbi ſuprà quandiu Epiſcopus non contradicit, probat Rodriquez t. 1. q. 28. art. 3. Deinde Patribus Societatis IESV conceſſum fuit à Gregorio XIII. poſt Tridentinum, vt in miſſionibus vbique gentium poſſint vti Altari portatili, & in honeſto loco celebrare. Præterea eiſdem per aliud priuilegium conceſſit, vt in illius domibus poſſint Miſſæ dici in Oratorio priuato à Prouinciali approbato, abſque alia Epiſcopi approbatione: non obſtante Tridentino, quibus priuilegiis gaudent communicantes cum ſocietate. Extra hos verò caſus, peccatum lethale erit celebrare extra loca ad id deputata, vt tenet communis ſententia contra Sotum, etiam ſecluſo contemptu: quia materia huius prohibitionis cenſetur grauis, cùm notabiliter perrineat ad cultum, & reuerentiam tanto ſacrificio debitam.

69. Adde, in Eccleſia polluta, & violata, non licere celebrare; id enim etiam prohibitum eſt per diuerſos Canones. Eccleſia autem variis modis violatur.

Primò per homicidium, Canone *ſi motum*, de conſecr. diſt. 1. & Canone *propoſuiſti*, de conſecr. Ad hoc autem tres conditiones requiruntur. *Prima*, vt homicidium fiat intra Eccleſiam; vnde per homicidium perpetratum in cubiculis Eccleſiæ coniunctis, vel in ſacriſtia, vel in cauernis ſub Eccleſia, niſi ibi Miſſæ celebrentur, aut ſit locus deputatus ad ſepeliendum, non violatur: itaque omnino requiritur quòd intra Eccleſiam homicidium fiat: imò ſi cauſa homicidij, v. g. vulnus datur extra Eccleſiam, quamuis mors intra Eccleſiam contingat, Eccleſia non violatur. E contra verò, quando cauſa ſcilicet vulnus datur intra Eccleſiam, quamuis mors extra Eccleſiam ſuccedat,

Eccleſia

Ecclesia violatur; tunc enim sit homicidium quando eius causa datur. *Secunda* conditio est, vt sit voluntarium, & peccatum mortale, vel in genere iustitiæ, vel Religionis, vel fortitudinis. Vnde per homicidium ab amente perpetratum, vel in propriam defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non violatur Ecclesia: bene tamen per homicidium auctoritate Iudicis intra Ecclesiam factum, vel ab ipsomet occiso. *Tertia* conditio est, vt sit publicum, quia si secretum sit, non violatur.

70. Secundò Ecclesia violatur per humani sanguinis effusionem, ex cap. *Si Ecclesia*, de consecr. & ex Canone *Ecclesius*, de consecr. debet autem sanguis in copia emitti, vt nomen ipsum effusionis significat. nec sufficit copiosa effusio, si percussio non fuit peccatum mortale, vt contingit quando pueri rixantur, & percutiuntur in naribus. Requiruntur etiam aliæ conditiones numero præcedenti designatæ.

71. Tertiò violatur per humani seminis effusionem ex iuribus citatis; hæc autem effusio debet esse voluntaria, & mortaliter illicita, publica, & copiosa: & non sufficit vnius, vel alterius guttæ effusio, vt tenet communis sententia. Dixi *mortaliter illicita*, nam quamuis Nauarrus cap. 27. numer. 257. & nonnulli alij censeant, etiam voluntaria seminis effusione facta in copula coniugali, Ecclesiam pollui. Verius est non violari, quando vsus matrimonij est necessarius ad vitandum incontinentiæ periculum, & coniux cogitur diu in Ecclesia residere; nec potest aliò diuerti. Et ita tenent Suarez disp. 81. sect. 4. & Ægidius artic. 3. dub. 1. cum sententia communiori. nam in eo euentu non videtur fieri contra reuerentiam loco sacro debitam. Nec desunt Doctores absolutè id negantes, & non sine fundamento; quia iure Ecclesiastico tantùm sunt prohibita homicidium, & sanguinis effusio, & effusio seminis contra castitatem, & furtum, intuitu reuerentiæ loci sacri, quamuis furto Ecclesia non violetur: at iure naturæ ex natura rei non videtur id prohibitum, cùm non sit contra reuerentiam loci sacri, sicut nec blasphemia, nec periurium in Ecclesia.

72. Quartò violatur per sepulturam hominis excommunicati, & cuiuscumque alterius nondum baptizati, etiamsi sit infans; quod intellige quando seorsim sepelitur, quia dum est in vtero matris, sepelitur cum ipsa, cùm sit pars eius. Excommunicatus autem debet esse denuntiatus, vel notorius percussor clerici.

73. Sunt tamen duo obseruanda. Primum est, in hac materia nomine Ecclesiæ non intelligi Oratoria, neque Ecclesias nec consecratas, nec benedictas. Intelliguntur tamen cœmeteria benedicta ad sepelienda fidelium cadauera; ac proinde violata Ecclesia censetur violari cœmeterium Ecclesiæ contiguum: è contra verò quamuis cœmeterium violetur, non censetur Ecclesia violari: quia accessorium sequitur conditiones principalis, & non è contra: sicut neque polluto vno cœmeterio, censetur alterum pollutum, quia neutrum est accessorium alterius. Vnde quando Ecclesia polluta reconciliatur, eo ipso censetur cœmeterium reconciliatum.

74. Secundò est obseruandum, si Ecclesia consecrata violetur, tantùm posse ab Episcopo reconciliari: at si Ecclesia tantùm benedicta violatur, posse reconciliari à simplici sacerdote aqua à se benedicta, eo modo qui habetur in Rituali. Ex priuilegio verò Leonis X. Fratres Minores possunt Ecclesiam consecratam reconciliare; habetur hæc concessio apud Rodriquez in Bullario Bulla 6. sub Leone X. si autem Ecclesia violetur, eo quòd maxima pars parietum ruat, vel destruatur, noua indiget consecratione, ex cap. *ligneis*, de consecrat. Ecclesiæ. Si autem tantùm sit benedicta etiamsi tota destruatur, dummodo maneant fundamenta, non indiget noua benedictione.

Sectio IV.

De Altari ad celebrandum necessario, & de eius ornatu.

COnueniunt Doctores, necessarium esse Altare ad celebrandum, & hoc quidem sub peccato mortali. Altare autem est duplex, aliud fixum quod in eodem loco stabile perseuerat. Aliud portatile quod de vno loco ad alium facilè transfertur. Vtrumque necessariò debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum. cap. *Altaria*, de consecrat. distinct. 1. & cap. *Nullus Presbyter*, de consecrat. distinct. 1. ex commissione verò Romani Pontificis, quilibet sacerdos potest Altare consecrare. Neque est necesse quòd totum Altare sit lapideum, sed sufficit quòd suprema pars, supra quam corporale extenditur, lapidea sit. 75.

Consecratio Altaris fixi deperditur, si mensa superior separetur à base, cui affixa est, non tamen sufficit quòd vnus, vel alter lapis ex his quibus nititur, auferatur. nam si structura Altaris maneat eadem, quamuis aliquis lapis ex base decidat, seu auferatur, & cornua chrismate delibuta frangantur; si tamen adhuc manet, & stat Altare quantum sufficit ad sacrificandum, consecratio non amittitur. In Altari verò portatili, quod *Ara* nuncupatur, consecratio tandiu durat, quandiu lapis integer manet: quòd si taliter frangatur, vt in parte quæ remanet integra, possint consistere calix, & patena cum hostia, non amittitur illius consecratio. Sicut neque deperditur etiamsi separetur à ligno cui est inclusum, quia lignum illud non est capax consecrationis, & solùm adhibetur ad ornamentum, seu custodiam lapidis, ne frangatur. Neque est necesse ad consecrationem Altaris quòd sint in eo reliquiæ Sanctorum, vt tenent Suarez, Vazquez, & Ægidius in præsenti. Et quamuis in septima Synodo generali act. 7. & in aliis Conciliis Prouincialibus id fuerit præceptum, tamen per contrariam consuetudinem iam est abrogatum. 76.

Deinde pro ornatu Altaris requiritur, vt super ipsum sit linteum extensum, quo mensa Altaris cooperiatur vsque ad terram pertingens: & etiam duplex palla linea, seu vna duplicata, quæ Aram cooperiat: & insuper requiritur corporale. Itaque quatuor lintea necessariò requiruntur, vel tria, dummodo vnum ex eis sit duplicatum, quæ omnia constant ex Missali reformato Clementis VIII. 77.

Hæ autem pallæ debent esse benedictæ, & præcipuè corporale, vt decernitur in Canone *Consulto*, quod debet esse in duas partes diuisum, vt iam tenet communis consuetudo, quarum vna sit super Altare, vt in ea reponantur calix, 78.

Digitized by Google

calix,& hostia : altera verò , & minor deseruiat ad cooperiendum calicem:vtraque licèt quoad extremitates,& quoad partem inferiorem possit esse serica,vel auro elaborata,non tamen ex ea parte qua calicem, & hostiam tangunt, sed ex lino. Purificatorium etiam requiritur similiter ex lino tenui , & mundissimo, quo tergatur calix,non tamen est necesse quòd sit benedictum.

79. Præterea requiritur lumen sine quo celebrare nunquam licet sub mortali , ex cap. vltimo. de celebratione Missarum , & ex communi consuetudine , & ex regula Missalis , exiguntur duæ candelæ cereæ : at in casu necessitatis si scandalum absit , potest celebrari cum lumine ex oleo , vel ex adipe , siue ex seuo , & ita tenent plures Doctores , quos refert , & sequitur Diana suprà resolutio.45. & 67.

80. Insuper pro ornatu Altaris , requiritur liber Missalis qui saltem canonem contineat , vt constat ex rubrica 10. de defectibus in ministerio occurrentibus. An verò aliquando liceat absque illo celebrare , videlicet cùm celebrans memoria firmiter tenet totam Missam , & nullum est periculum ne lapsu memoria erret diuisi sunt Doctores , & pars affirmans mihi videtur probabilior ; ex hoc enim capite excusantur hi , qui cùm legere non possint propter visus debilitatem, adhuc celebrant memoriter recitantes , quibus Missale perinde est ac si præsens non esset , & ita tenent Villalobos, & plures alij , quos refert , & sequitur Diana resolut 46.

81. Denique ex eodem Missali reformato rubrica 2. pro ornatu Altaris , requiritur crux ad celebrandum ; hoc tamen præceptum non est adeò graue vt grauem obligationem inducat, vt communiter tenent Doctores : neque hanc regulam esse intelligendam pro Altari,in quo est sanctissimum Eucharistiæ sacramentum,censent nonnulli,quamuis alij contrarium censeant.

Sectio V.

De vasis necessariis ad celebrandum.

82. AD celebrationem Missæ requiri calicem cum patena , concors est omnium Doctorum sententia , & constat ex Canone *Vasa* , & Canone *Vt calix*. Ex qua verò materia debeant esse calix , & patena , non conuenit inter illos , quia hæc materia non semper fuit eadem in Ecclesia Dei. Standum est rubricæ Missalis reformati , vtpote notiori , in qua ordinatur vt calix sit aureus , vel argenteus , vel saltem habeat cuppam , & patenam argenteam , & intus inauratam , quando pes aureus , vel argenteus non est : hæc tamen rubrica non obligat adeò grauiter , vt aliquando ob paupertatem non possit esse cuppa ex stanno inaurato; imò ex ære inaurato plures calices hodie Romæ inueniri notat Lugus sect. 4. In calice ligneo nullo modo licet celebrare , cap. *Literas*, de celebrat. Missarum , quia lignum vtpote porosum , facile imbiberet sanguinem Christi : neque in calice vitreo propter materiæ fragilitatem ; neque in plumbeo saltem quoad cuppam , quia facile sordes contrahit. Itaque calix communiter solet esse ex materia argentea : & ideò si Ecclesiæ legatur calix , nihil addendo , intelligitur legari argenteum , nec satisfit si tradatur stanneum, vel ex ære , seu aurichalco confectum. Simplex benedictio calicis , & patenæ non sufficit ad celebrandum , sed iure ordinario requiritur vt priùs ab Episcopo consecrentur , Canone *In sancta*, de consecrat. dist. 1. Canone *Consecratas*, distinct. 23.

Consecratio perditur , si calix frangatur; vel 83.
si cuppa separetur à pede , quòd intelligendum est de calice fixo , non verò de tornatili. Ratio diuersitatis est , quia in artefactis tandiu perseuerat eadem forma artificialis , quandiu partes manent aptæ ad retinendam eamdem distantiam absque nouo artificio : quod quidem reperitur in partibus calicis tornatilis , non verò in partibus calicis fori , & per fractionem disiunctis, quæ sine nouo artificio iterum non possunt coniungi.

Est tamen duplex difficultas. *Prima* est , an si 84.
quis bona fide celebrauit in calice , & patena nondum consecratis , adhuc indigeant consecratione. Partem negantem tuetur Diana suprà resolut. 69. quam probat exemplo Ecclesiæ pollutæ , quæ non indiget alia reconciliatione; si quis in ea bona fide celebrauit. Hæc tamen ratio non conuincit. nam quamis concedamus id quod assumitur , non tamen inde infertur id quod intenditur : quia Ecclesia nondum consecrata per sacrificium in ea bona fide oblatum non manet consecrata : alias omnes Ecclesiæ , & Oratoria postquam semel in eis celebratum est, manerent consecratæ ; ergo eadem ratione calix non consecratus , etiamsi in eo bona fide celebretur, non manet consecratus. Quare contraria sententia longè verior est , quia plus requiritur ad inducendam consecrationem in aliquam materiam, quàm ad eam reconciliandam,& ita tenent Nauar. Azor, Layman,& Fagundez, quos refert, & sequitur Lugus vbi suprà.

Secunda difficultas est , an quando periit inau- 85.
ratio partis interioris calicis , & innouatur , simul pereat consecratio , & sit denuo consecrandus , Suarez , Vazquez , Bonacina , quos refert, & sequitur Hurtado disput. 4. diff. 10. censent esse denuo consecrandum , quia ponitur noua superficies auri , quam sanguis Christi immediatè tangit , quæ ratione sui non est consecrata; nec consecratio calicis antea facta illi communicatur , cùm superficies illa non sit quasi accessoria , sed principalis ; illa enim est quæ tangit principaliter , & immediatè sanguinem Christi. Contrariam sententiam sequuntur Ægidius , Layman , & Diana , quos refert , & sequitur idem Lugus numer. 95. Quia per illam nouam inaurationem ille non est alius calix moraliter à præcedenti , sicut neque in Ecclesia quæ de nouo dealbatur necesse est denuo consecrare superficiem nouam. Quælibet harum sententiarum est satis probabilis; ego verò priori adhæreo , quia videtur conformior cultui , & reuerentiæ , tanto sacramento debitæ.

Circa pyxidem , seu ciborium , in quo sanc- 86.
tissimum asseruatur , est etiam duplex difficultas. *Prima* ex qua materia debeat confici. *Secunda* an debeat esse consecratum , vel benedictum.

Ad primam respondetur , nullo iure præscribi ex qua materia pyxis debeat confici ; semper tamen esse consulendum , vt quantum fieri possit , sit aurea , vel argentea. Non tamen est necessarium vt intra pyxidem sit vas ex lino confectum , & benedictum ea benedictione

qua

Digitized by Google

qua corporale, vt putauit Vazquez, nisi fortè pyxis sit ex ligno. Sicut nec est necesse vt collocetur super lapidem consecratum, nisi tantùm ex maiori decentia; reponenda tamen semper super corporale, quia ita tenet consuetudo vniuersalis.

87. Ad secundam respondetur, pyxidem non debere consecrari consecratione facta ex chrismatis vnctione, debere tamen benedici saltem ex decentia, & congruitate, quia in Pontificali Romano assignatur pyxidis benedictio.

88. Denique inquires, quale peccatum sit hæc sacra vasa tangere. Respondeo esse lethale etiam Subdiaconis, quando continent corpus, & sanguinem Christi. Canon. *Non oportet*, & Canon. *Non liceat*, dist. 23. Canon. *In sancta*, de consecr. dist. 1. Quando verò sunt nuda secluso contemptu, non erit mortale si à laïcis tangantur; semper tamen erit veniale, contra Sotum existimantem nullum esse peccatum; quia semper committitur aliqualis irreuerentia, & præsumptio: & ideo Pontifices concesserunt priuilegia vt Fratres laïci de licentia Superiorum possint hæc sacra vasa tangere, quod est signum absque priuilegio id non licere. Fœminis etiam monialibus non licet corporalia, & pallas tangere, nisi post primam lotionem. Can. *Sacratas*, dist. 23.

Sectio VI.

De vestibus sacris, & de Ministro ad celebrandum requisitis.

89. AD celebrandum certa quædam vestimenta requiruntur ab Episcopo benedicta, vel ab habentibus peculiare priuilegium à sede Apostolica, sine quibus celebrare peccatum mortale est; irrogatur enim grauis iniuria huic sacrificio, si absque vestibus sactis celebretur; cùm vestis non benedicta à laïca non differat. Hæc verò sunt sex, videlicet Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, & Casula. Et licèt materia harum vestium nullo iure sit præscripta: at ex consuetudine Amictus, & Alba debent fieri ex lino; reliquæ verò ex materia decenti. Benedictio illarum periit, quando figura ita periit, vt absque nouo artificio non censeantur ampliùs apta ad vsum consuetum.

90. Circa Cingulum verò est specialis difficultas, an si frangatur, pereat eius benedictio. Et certum est quòd si pars residua sufficiat ad cingendum, etiam si partes nectantur, non perire. Difficultas ergo procedit, quando neutra pars sufficit ad cingendum, an si connectantur, possint absque noua benedictione vsurpari. Partem affirmantem tuetur Diana 1. part. tract. 1. Miscell. resolut. 4. Contraria sententia communis est inter Doctores qui nullum quoad hoc inueniunt discrimen inter Cingulum, & alias vestes sacras. Aliunde verò potest saluari illa sententia, quia, vt rectè idem Diana de celebrat. Missar. resolut. 64. non videtur peccatum graue etiam sine necessitate, celebrare cum Cingulo non benedicto, vel cum eo fracto, & abrupto ratione paruitatis materiæ, & quia est indumentum minus in se considerabile, quàm reliqua; imò non est indumentum, sed indumentorum ligatura. Quæ sententia satis probabilis est, & eam tenent Scotus, Sa, Fagundez, & alij à Diana relati. Adde Manipulum posse deseruire loco Stolæ, sicut etiam Stola potest deseruire loco Cinguli, vel Manipuli, vt obseruat Suarez disp. 82. sect. 2.

Nonnulli addunt præceptum graue de non celebrando sine calceis: hoc tamen sine fundamento asseritur, quia nullibi extat tale præceptum, & Christus Dominus, & Apostoli calceis non vtebantur, cùm tamen celebrarent: consuetudo itaque calceamentorum in sacro faciendo, introducta est ad maiorem decentiam. 91.

Maior difficultas esse potest circa pileolum, an infirmitatis, & necessitatis causa, liceat sacerdotibus eo vti in Missa absque Papæ dispensatione. In qua re sententia negans videtur omnino sequenda, quia ita statuitur in Missali reformato iussu sanctissimi domini nostri Vrbani VIII. Imò à consecratione vsque ad sumptionem, nunquam Pontifex solet dispensare. 92.

Denique ad celebrandum requiritur Minister, qui sacerdoti celebranti inseruiat, & respondeat. In casu autem necessitatis, videlicet dici festi, ne sacerdos ipse Missa careat, vel dandi viaticum moribundo, communis sententia tenet contra Bonacinam, posse sacerdotem solùm sine Ministro celebrare. Fœminis verò, deficiente viro, non licet ministrare accedendo ad Altare, aquam, & vinum præbendo, ex cap. 1. de cohabitatione Clericorum, & mulierum, vbi decernitur, *vt nulla fœmina præsumat ad Altare accedere, aut Presbytero ministrare.* Per quod tamen non prohibetur, vt ex loco remotiori possint respondere, vt faciunt Moniales ex choro. 93.

Sectio VII.

An ritus in Missali præscriptus, seu eius rubricæ, obligent sub mortali.

COnueniunt Doctores, regulas præceptiuas Missalis esse sub mortali obseruandas, quales sunt, quæ exprimunt aliquam legem canonicam contentam in corpore iuris, vt de seruando ieiunio, integrando sacrificio, & sic de aliis. Facere verò contra regulas directiuas, quales sunt, quæ nec in iure canonico continentur, nec in rubricis ponuntur cum verbis importantibus præceptum, non esse peccatum lethale. 94.

Secundò conueniunt, esse obligationem sub mortali ad non ita operandum contra rubricas, vt videatur introduci alius ritus diuersus celebrandi. Conueniunt 95.

Tertiò omittere aliquid ex his quæ in officio Missæ dicenda, & recitanda ordinantur, esse mortale, aut veniale, pro quantitate materiæ omissæ, & similiter addere aliquid quod non ordinatur in Missali, videlicet orationes, aut alias cerimonias; quod tamen ex paruitate materiæ posset esse solùm veniale, præsertim quando parua aliqua oratio additur secretò, & ex deuotione. nam recitare illam alta voce coram populo, esset peccatum mortale. Grauius etiam erit omittere vnum, vel duo verba in Canone, quàm orationem integram extra illum; quia hæc grauitas non est desumenda ex quantitate respectiua, sed ex absoluta, videlicet ex dignitate illorum verborum, vt docet Suarez tom. 2. de religione lib. 4. cap. 13.

96. Et ex hoc infertur, omittentem voluntariè in Miſſa, *Credo*, ſeu *Gloria*, non peccare mortaliter ex leuitate materiæ: ſicut neque peccat mortaliter ſacerdos qui in Miſſa ſolemni non legit ſummiſſa voce Epiſtolam & Euangelium, poſtea à Diacono, & ſubdiacono cantandas, quia tunc non omittitur abſolutè Epiſtola, & Euangelium in Miſſa pro populo, cùm à Miniſtris ſolemniter cantetur, ſed ſolùm reſpectu ſacerdotis; ac proinde reſpectu illius non videtur materia grauis, quæ aliundè grauis erat, & ita tenent Vega, Rodriquez, & Villalobos, quos refert, & ſequitur Diana ſuprà reſolut. 41. Idem dicendum eſt de precibus, ſeu orationibus quæ dici ſolent, dum ſacerdos ſacris veſtibus ſe induit; quia nullum datur præceptum de recitandis eiuſmodi orationibus ſub mortali obligans, ſed tantùm conſilium.

97. Inquires, an peccet lethaliter qui contra regulam in Miſſali præſcriptam, dicit Miſſam votiuam, vel de Requiem, in feſto duplici, vel Dominica. Reſpondeo non peccare, quia illa regula non videtur lata ſub rigore peccati mortalis, & ita tenent Suarez, & plures alij, quos refert, & ſequitur Diana ibidem reſolut. 30. Et ex his

98. Infertur primò, ſi occurrat dies Dominica, vel de Sancto duplici, non ſolùm poſſe, ſed etiam teneri ſacerdotem celebrare de Dominica, vel de Sancto, & applicando ſacrificium pro defuncto, pro quo tenebatur celebrare Miſſam de Requiem, obligationi ſuæ ſatisfacere, vt colligitur ex rubrica de Miſſis defunctì, vbi ſic dicitur: *Miſſa autem priuatæ pro defunctis, quocumque die dici poſſunt, præterquam in feſtis duplicibus, & diebus Dominicis.*

99. Secundò infertur, ſacerdotem qui promiſit Miſſam de Requiem, & aliam celebrat diei propriam, ſiue occurrat feſtum ſemiduplex, ſiue ſimplex, ſiue feria, & id facit ad ſeruandum Eccleſiæ ritum præſcribentem, vt Miſſa quantum fieri poteſt cum officio concordet, nullo modo peccare ſi ſcandalum abſit. Ratio huius deſumitur ex rubrica de Miſſis votiuis, vbi ordinatur, *vt Miſſa quoad fieri poteſt, cum officio conueniat*; & quia omnes Miſſæ conſideratæ ſecundùm valorem ex opere operato, ſunt æqualis vtilitatis: & licèt ſecundùm valorem ex opere operantis Miſſa de Requiem ſit magis proficua defunctis, propter orationes quæ in ea recitantur; hoc tamen compenſatur interceſſione Sancti currentis cuius feſtum celebratur: & quia Miſſa de Requiem, vtpote breuior, breuius etiam ac minus deuotè vſurpatum ſolet celebrari. Idem dicendum eſt de eo, qui ex promiſſione, aut ex fundatione tenetur celebrare certas Miſſas de Spiritu ſancto, de Paſſione, de Beata Virgine, vel triginta Miſſis ſancti Gregorij pro defunctis, non teneri ſingulis de Requiem celebrare diebus alicuius Sancti; ſicut etiam poteſt in die in qua occurrit feſtum alicuius Sancti Miſſam de eo celebrare, non obſtante quòd ex fundatione teneatur Miſſam, v. g. de Spiritu ſancto, &c. dicere, quia hoc conformius eſt rubricis Miſſalis, vt manet præfatum.

100. Limitant nonnulli in caſu quo Miſſa votiua petatur ex peculiari affectu, & intentione conſequendi à Deo aliquod beneficium, per alicuius ſancti interceſſionem; tunc enim non licebit ſacerdoti Miſſam votiuam promiſſum in propriam diei permutare, ſed debet transferre in aliam diem non impeditam, ſi per Eccleſiaſticos ritus promiſſum ſacrum facere non poteſt; quia illud eſſet contra fidelitatem, & iuſtitiam commutatiuam, cùm fidelis moueatur ad petendam illam Miſſam ex ſpeciali affectu circa illum Sanctum, & ex intentione conſequendi à Deo per eius interceſſionem id quod optat, quod fortè non obtinebit, ſi aliud ſacrum à ſacerdote celebretur.

Denique quomodo occurrendum ſit defectibus in celebratione Miſſæ contingentibus, inſpiciendæ ſunt regulæ Miſſalis. Illud autem obſeruandum eſt circa quartam rubricam vbi ordinatur, quòd quando agnoſcitur defectus conſecrationis vini poſt ſumptionem hoſtiæ conſecratæ, conſecrandam eſſe aliam, & vinum modiciſſimæ aquæ mixtum, incipiendo ab illis verbis: *Qui pridie quàm pateretur.* quæ quidem regula ſolùm eſt doctrinalis, & inſtructiua, non verò inductiua præcepti; ac proinde ſufficiet ſtatim vinum aquæ mixtum conſecrare, & ſumere, nihil aliud, nec verbalem oblationem vini ad conſecrationem ipſius vini præmittendo, quia talis modus ſufficiens eſt ad ſupplendum defectum, & aptior vt ſine ſcandalo efficiatur, ne populus intelligat inaduertentiam, & defectum ſacerdotis, & ratio huius eſt, quia quamuis hoſtia illa conſecrata iam ſit ſumpta, ſacrificium non minus perficitur conſecratione vini poſtea facta, quàm ſi non fuiſſet ſumpta, & ita tenent Suarez diſp. 85. ſect. 1. Vazquez, & Ægidius in præſenti, & Nauarrus cap. 25. num. 91. 101.

Sectio VIII.

De ſtipendio quod licet accipere pro celebratione Miſſæ.

OMnes Catholici conueniunt primò, ſacerdoti licitum eſſe pro ſacro faciendo ſtipendium accipere, quod clarè colligitur ex verbis Chriſti Matth. 10. *In eadem domo manete, edentes, & bibentes quæ apud illos ſunt: dignus eſt enim operarius mercede ſua.* & probat Paulus 1. Corinth. 9. dum ait: *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt edunt: & qui Altari deſeruiunt, cum Altari participant.* & ita diffinitum eſt in Concilio Agathenſi cap. 36. In aſſignanda verò ratione huius rei, valdè diſcrepant. Communior, & facilior modus dicendi eſt, ſtipendium illud dari pro vitæ ſuſtentatione, ſiue ex toto, ſiue ex parte; quia dignum certè eſt, vt qui aliquid in alterius gratiam facit, ſeu in miniſterio ſpirituali in alterius bonum occupatur, ab eo ſuſtentetur. Vnde fit primò nullam hîc interuenire ſimoniam cùm ſtipendium nulla ratione exigatur, aut detur in pretium rei ſacræ, vel miniſterij ſacri; ſed tantùm pro vitæ ſuſtentatione debitæ, ex eo quòd ſpiritualia alteri miniſtrentur: non enim eſt ſimonia occupari in miniſtrando ſpiritualia ſub onere, vt alter præſtet ſuſtentationem. Deinde fit, ſacerdotes omnes etiam diuites, & qui aliunde habent ſuſtentationem, vt ſunt Parochi, & qui habent Canonicatum, vel pingue beneficium, poſſe ſtipendium accipere pro ſacro faciendo; quia in omnibus ſubeſt eadem ratio, videlicet, quia illud ſtipendium non accipitur titulo eleemoſynæ ad ſupplendam paupertatem; ſed titulo [illegible] tationis propter opus in alteri[illegible]; 102. Matth. 10. 1. Cor. 9.

Digitized by Google

ac proinde non minus esse dignos mercede sua, quàm hi qui egent.

103. Conueniunt secundò, stipendium iustum, & condignum pro Missæ celebratione illud esse, quod lege communi Prælati, siue Romani Pontificis, siue Episcopi, vel prudenti hominum existimatione, & iudicio, vel consuetudine taxatum est: sicut contingit in taxatione pretij aliarum rerum quæ pecunia solent æstimari, in his enim dum pretium à Principe non taxatur, existimationi populi standum est.

104. Est tamen obseruandum, plura dubia quæ circa hoc stipendium à Doctoribus solebant controuerti, iam hodie cessasse post decreta factæ Congregationis Concilij, iussu sanctissimi Domini nostri Vrbani VIII. edita, anno 1625. Et ideo breuiter tantùm illa attingemus. *Prima* difficultas est, An Missæ possint ab Episcopo, vel à Generalibus Religionum reduci ad minorem numerum. *Secunda*, An Missæ stipendium ab Episcopo, vel consuetudine taxatum, si à petente Missam non fuerit iustum, & integrum sacerdoti datum, an possit suppleri à sacerdote recipiendo ab vno, vel à diuersis, tot pauca huiusmodi stipendia quæ iustæ eleemosynæ æquiualeant, & vnico sacrificio omnibus satisfacere. *Tertia*, An pro vnica Missa sacerdos pauper possit accipere tot stipendia, quot sufficiant ad eius diuturnam sustentationem. *Quarta*, An sacerdos qui Missas dicendas suscepit, possit postea aliis à sacerdotibus dicendas dare, retenta sibi parte stipendij accepti, & dato illi stipendio quidem iusto, sed inferiori. *Quinta*, An sacerdos possit à duabus personis duplex stipendium pro vna Missa accipere, & vtrique obligationi satisfacere, & applicando vni partem solitam, & alteri suam partem. *Sexta*, An sacerdos possit accipere plura stipendia quibus non nisi post longum tempus possit satisfacere. *Septima*, An administratores Ecclesiarum possint pro administratione retinere aliquam eleemosynæ Missarum portionem, & pro expensis Altarium, & interuientium.

105. Circa primam, sacra Congregatio districtè prohibet atque interdicit, *Ne Episcopi in Diœcesana Synodo, aut Generales in capitibus generalibus, vel aliàs quoquo modo reducant onera vlla Missarum celebrandarum, aut post idem Concilium (supple Tridentinum) imposita, aut in limine fundationis; sed pro his omnibus reducendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Apostolicam sedem recurratur, quæ re diligenter perspecta, id statuet quod magis in Domino expedire arbitrabitur: alioquin reductiones, moderationes, & commutationes huiusmodi, si quas contra huius prohibitionis formam, fieri contigerit, omnino nullas, atque inanes decernit.* & infrà reuocat omnia priuilegia in contrarium his verbis. *Id verò vt deinceps obseruetur exactiùs, sacra Congregatio eadem auctoritate, reuocat priuilegia, & indulta omnia, quibuscunque personis, Ecclesiis, ac locis piis, tam secularibus, quàm Regularibus cuiuscumque Ordinis, Congregationis, & instituti, quamcumque ob causam concessa, quibus indulgetur vt certarum Missarum, vel Anniuersariorum celebratione, aut aliquibus collectis, seu orationibus plurium Missarum oneribus in futuris suscipiendis satisfiat.*

106. Sunt tamen tria notanda. *Primum* est, per hoc decretum non reuocari priuilegium moderandi Missas, & Anniuersaria à testatoribus ante Tridentinum relicta. *Secundum*, non auferri facultatem Episcopis, quin possint moderari Missas alicui Ecclesiæ relictas, nondum tamen ob tenuitatem eleemosynæ ab eadem Ecclesia acceptatas, quia sacra Congregatio manifestè loquitur de oneribus Missarum impositis; hoc autem onus impositum non est, nisi post acceptationem. *Tertium*, Monasterio Ordinis Minorum sancti Francisci de Paula ciuitatis Ianuensis, concessum fuisse priuilegium ab eodem Vrbano VIII. anno 1626. die 13. Iulij, vt legata Missarum perpetua, exigua, & oneri annexo imparia, ad rationem quinquaginta scutorum monetæ Romanæ pro qualibet Missa quotidiana reduceretur. Quo priuilegio non solùm gaudent alia Monasteria eiusdem Ordinis, sed etiam Religiones omnes qui cum Minimis communicant in priuilegiis.

107. Circa secundam difficultatem eadem sacra Congregatio sic decernit. *Deinde vbi pro pluribus Missis, etiam eiusdem qualitatis celebrandis, plura stipendia quantumcumque incongrua, & exigua; siue ab vna, siue à pluribus personis collata fuerunt, aut conferentur in futurum, sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, Conuentibus, Congregationibus, domibus, ac locis piis quibuscumque, tam secularibus, quàm Regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione diuini iudicij mandat ac præcipit, vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscripta fuerint; ita vt alioquin ij ad quos pertinet suæ obligationi non satisfaciant; quinimo graviter pecent, & ad restitutionem teneantur.* Ex quibus manet etiam decisa *Tertia* difficultas, si quidem absolutè præcipit, *vt tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributa eleemosynæ præscripta fuerint.*

108. Circa quartam, sic statuit: *Ac similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia remouere volens, prohibet sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne tandem Missam alteri, parte eiusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat.* Quod tamen non intelligitur de beneficiario, qui potest per alium celebrare, nec tenetur sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum beneficij, sed sufficiet quòd det eleemosynam congruam, vt ipsamet sacra Congregatio declarauit: & idem est in Capellano, quia in vtroque est eadem ratio.

109. Circa quintam, dicendum est non posse. Nam in supradictis decretis præcipitur, *vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscripta fuerint.* & ratio id conuincit, quia qui dat stipendium pro Missa, intendit, & vult sibi applicari valorem certum, non autem incertum, & dubium, & manentem sub opinione Doctorum: incertum autem est, an sacerdos possit illam partem in alium transferre: similiter est incertum, & valde dubium, an habeat effectum ex opere operato, etiam quoad satisfactionem.

110. Circa sextam decernit, non posse. Sic enim ait: *Eleemosynas verò manuales, & quotidianas, pro Missis celebrandis, ita demum iidem* (hoc est, tam sacerdotes regulares, quàm seculares) *accipere possint, si oneribus antea impositis ita satisfecerint, vt noua quoque onera suscipere valeant; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemosynis, etiam sponte oblatis in futurum recipiendis, &c. sub iisdem pœnis ipso facto incurrendis, ne Fideles hac ratione frustrentur.* Quod intelligendum est, vt eadem sacra Congrega io

Digitized by Google

declarauit, nisi infra modicum tempus possint omnibus oneribus iam susceptis satisfacere. Quid autem intelligatur per modicum tempus, placet modus dicendi Villalobos p. 1. tract. 8. dub. 18. intelligi illud, quo quinquaginta, vel sexaginta Missæ possint dici.

III. Circa septimam denique sic statuit, *permittendum non esse, vt Ecclesia ac loca pia, seu illorum administratores ex eleemosynis Missarum celebrandarum, vllam vtcumque minimam portionem retineat, ratione expensarum quas subeunt in Missarum celebratione, nisi cùm Ecclesia, & loca ipsa alios non habent reditus, quos in vsum earumdem expensarum erogare licitè possint; & tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere excedere valorem expensarum quæ pro ipsomet tantùm Missæ sacrificio necessariò sunt subeunda; & nihilominus eo etiam casu curandum esse, vt ex pecuniis quæ supersunt, expensis vt suprà deductis, absolutè tot Missa celebrentur, quot præscripta fuerint ab offerentibus eleemosynas.*

III. Tandem dubitari hîc solet, an Parochi teneantur Missam offerre pro Parochianis, vel an possint stipendium pro Missa accipere. Communis sententia docet, Parochum ex vi beneficij parochialis nullo iure teneri ad offerendum Missam pro populo, sed solùm ad celebrandum vt populus Missam audiat. Cæterùm in hoc standum est consuetudini, & statutis synodalibus cuiuscumque Diœcesis.

DISPVTATIO IV.

De præcepto audiendi sacrum.

SECTIO I.

An in Ecclesia sit præceptum audiendi Missam.

I. OMNES Catholici conueniunt dari in Ecclesia Dei præceptum audiendi sacrum certis, & statutis diebus quos solemus dies festos appellare, vt constat ex multis decretis quæ habentur de consecrat. dist. 1. cap. *Missas*, & cap. *omnes fideles*, & ex vsu & consuetudine Ecclesiæ est manifestum; est etiam optima ratio. nam illi dies deputati sunt ad cultum diuinum, & ideo sicut aliquid ab Ecclesia illis diebus prohibetur, quo possint homines expediti esse ad vacandum diuinis rebus; ita etiam oportuit aliquid præcipi, quo fideles eisdem diebus Deum colerent. Nihil autem accommodatius præcipi potuit, quàm vt fideles huic sacrificio assisterent, in quo supremus Dei cultus exterior continetur.

2. Deinde hoc præceptum suppositâ Missæ institutione, valde consonum est tam iuri naturali, quàm iuri diuino. *Primum* constat. nam quemadmodum cultus Dei externus est de iure naturæ, ita etiam quòd tempus aliquod ad talem cultum deputetur ad ius naturæ pertinebit. *Secundum* etiam est manifestum. nam Deus præcepit, & voluit se coli in Ecclesia Christi hoc genere sacrificij, iuxta illud Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*; atque ita valde consentaneum est huic præcepto, vt omnes fideles obligentur ad colendum Deum aliquando hoc sacrificio, nimirum vnusquisque eo modo quo potest, vel offerendo, vel saltem assistendo.

Luc 22.

3. Prima conclusio. Hoc præceptum audiendi sacrum, simpliciter loquendo, non est iuris naturalis, nec diuini, sed purè Ecclesiasticum. Probatur, quia ex nullo capite ostendi potest vnde hæc obligatio ex iure naturali, aut diuino proueniat, in quo omnes Doctores conueniunt, quamuis nonnulli, inter quos est Suarez disput. 88. sect. 1. contendant, de fide esse dari huiusmodi præceptum, quod sine sufficienti fundamento videtur assertum. Quomodo enim potest esse de Fide quod nullibi à Deo reuelatum est, neque Apostolica traditione, vel ex Ecclesiæ diffinitione constat. nam ex eo quòd Ecclesia præcipiat auditionem sacri diebus festis, non ideo Deus reuelauit Ecclesiam id præcepisse.

Secunda conclusio. Peccatum mortale est transgredi hoc præceptum singulis diebus in quibus obligat, etiamsi non transgrediatur ex contemptu, hæc conclusio est communis consensus omnium Theologorum contra Angelum, & Rosellam asserentes, non esse peccatum mortale nisi fiat ex contemptu formali, vel virtuali: vocant autem contemptum virtualem quando quis absque vlla legitima causa alluesit omissioni Missæ in prædictis diebus festis, quorum sententia est omnino improbabilis, quia est contra communem sensum omnium fidelium. Et probatur. nam materia ex suo genere est grauis, cùm ad cultum diuinum pertineat; & in particulari integra Missa, vel eius omissio, etiam est res satis grauis; ergo non solùm fit hæc culpa mortalis ex assidua omissione, sed etiam ex singulis actibus, seu omissionibus integris.

5. Ex quo infertur, quàm falsò idem Angelus verbo *Feria*, num. 45. asserat, si quis non possit in die festo simul Missæ, & Concioni interesse, potius debere Missam, quàm concionem omittere, si alterutrum audire possit: quod similiter ab omnibus reiicitur tanquam omnino improbabile. Et ratio est euidens, quia audire sacrum est in præcepto; at audire concionem non item; ergo per se loquendo præferendum est sacrum concioni.

6. Tertia conclusio. Qui non sunt baptizati, non tenentur hoc præcepto; omnes verò baptizati adulti, & ratione vtentes, per se loquendo, eo obligantur. *Prior* pars est manifesta, nam qui per Baptismi ianuam nondum Ecclesiam sunt ingressi, neque etiam legibus Ecclesiasticis subiiciuntur. Deinde, quia cùm non sint membra Ecclesiæ, non sunt propriè capaces huius sacrificij, nec possunt illud offerre, nec pro eis potest offerri quoad fructum ex opere operato. *Secunda* pars etiam est manifesta ex cap. *omnes Fideles*, cap. *cùm ad celebrandum*, cap. *qui die*. vbi præceptum hoc generaliter fertur, omnesque fideles comprehendit. Dixi, *adultos, & ratione vtentes*, quia amentes, & pueri non obligantur, cùm enim ratione careant, non sunt capaces præcepti, cùm actum humanum lege præceptum exercere non possint. Pueri verò tunc incipient obligari hoc præcepto, cùm poterunt sufficienter discernere inter bonum & malum, & capaces esse peccati mortalis, eo quòd tunc iam erunt capaces obligationis naturalis colendi Deum; & ex consequenti poterunt hac lege ab Ecclesia lata obligari, quæ statuit tempus, & modum quo hic cultus adhibendus est. Vnde rectè Syluester verbo *Missa* 2. §. 1. docet parentes teneri pro pueris habere curam vt audiant sacrum, & vbi isti non curarent, ad id tenentur Parochi, & Confessores, &

Pædagogi

Digitized by Google

Pædagogi quibus tota cura' puerorum à parentibus communiter demandatur. Et addunt Nauarr. cap. 14. num. 21. etiam pro famulis, & Sotus dist. 23. quæst. 2. pro vxore curam pertinere ad dominum, vel ad maritum, vt audiant Missam. Vbi primum autem signa aliqua probabilia apparuerint discretionis & sufficientis vsus rationis in puero, nullo modo protoganda est huius obligationis executio, monendique sunt pueri, quomodo & quando debeant assistere sacro: sicut communiter idem dicunt Doctores de præcepto confitendi. Atque ita meritò docuit Suarez cum Antonino tit. 9. 2. partis cap. 10. monendos esse parentes vt pueros à teneral ætate inducant & deferant ad sacrum audiendum, vt ita assuefiant obseruationi huius præcepti.

7. Inquires primò, quid dicendum de illo qui præuidet futurum impedimentum non audiendi Missam tempore debito, an teneatur eam audire tempore anteriori. Et certum est hoc præceptum esse affirmatiuum, atque ita tantùm obligare pro tempore ei designato; vnde si elapso die in quo præcipitur Missa, si tunc non fuit audita, non manet obligatio audiendi alio die, quia illud est onus illius diei, & præceptum hoc obligat dumtaxat ad tempus præscriptum. Difficultas ergo est de illo, qui præuidet in die festo se non posse audire sacrum ab hora nona, an teneatur præuenire & audire hora septima, vel octaua. Respondetur teneri. Ita communiter Theologi, quia quoad horam in qua sacrum est audiendum, non est tempus omnino limitatum hac lege; sed tantùm præcipitur vt ea die sacrum audiatur quacumque hora, moraliter loquendo, id fieri possit, & ita si Missa non esset dicenda nisi in principio diei, vel esset differenda vsque ad meridiem, obligaret præceptum ad illam tunc audiendam, quia obligat simpliciter vt eo die impleatur.

8. Inquires secundò. An & quomodo ex voto siue iuramento, possit introduci præceptum audiendi sacrum in ciuitate vel oppido. Suarez suprà sect. 1. existimat, votum propriè in ratione voti, & idem est de iuramento, non posse transire ad successores, quia est actio personalis, & ita hæc obligatio non transit secundùm rationem voti, sed secundùm rationem legis, dummodo accedat consensus Episcopi, eo quòd hæc vota vt sint valida & duratura, oportet vt ab Episcopo approbentur. Vel secundò dicit hanc obligationem transire ad successores in ratione cuiusdam pacti. Alij verò censent successores teneri ex consuetudine posito priorum voto; hæc enim consuetudo habet vim legis si ab Episcopo approbetur, quando prædecessores id vouerunt. Vnde Princeps sciens vsum audiendi Missam, vel ieiunandi ex voto, si eum approbat, vel non improbat, dicitur inducere consuetudinem habentem vim legis, eo quòd non improbans vsum, censetur approbare. Est tamen obseruandum in his festiuitatibus cùm non sint vniuersales, non transcendere terminos loci, aut temporis pro quibus præscribuntur, iuxta rationem consuetudinis. Itaque interdum in ciuitate tantùm seruantur, & non in oppidis. Interdum in vno oppido, & non in reliquis. Aliquando in vna tantùm Parochia, & non in tota ciuitate, & tunc obligantur Parochiani illius Parochiæ, non verò alij. Rursus aliquando totus dies integer, aliquando verò solum vsque ad meridiem seruari præcipitur; sicque pro eo tantùm tempore obligat auditio sacri. Ex his

Infertur primò, transeuntes per oppidum in quo aliquod peculiare festum obseruatur, non teneri ad audiendum sacrum. Imò neque teneri secluso scandalo, quamuis in eo oppido causa alicuius negotij per aliquot dies hospitentur, quia votum illud tantùm obligat pertinentes ad illud oppidum, ad quod solum pertinent qui in eo habent domicilium, aut quasi domicilium. 9.

Infertur secundò, similiter non teneri eos qui in die festo sui oppidi, exeunt & futuri sunt extra limites illius, tempore in quo præceptum impleri posset; quia præceptum illud solum obligat in tali loco, ita vt non obliget eum qui antequam vrgeat præceptum, eximitur à potestate legislatoris, vel legis.

Neque obstat id quod prædiximus, eum qui præuidet in die festo se non posse audiri sacrum ab hora nona, teneri præuenire & audire hora septima, vel octaua: ergo idem videtur dicendum in casu præsenti. Respondetur esse diuersam rationem, quia in illo casu toto tempore habili tenetur homo ad sacrum audiendum, quia est subiectus legi cùm sit in loco in quo lex viget, & quæ eum obligat, quamuis propter causam extrinsecam pro aliquo tempore possit excusari ab executione præcepti; ac proinde si præuidet impedimentum, tenetur præuenire, quia lex eum obligat vt intra tempus habile satisfaciat: in hoc verò casu antequam lex vrgeat, subducitur eius potestati, & desinit illa obligari, non minus quàm alij qui legi non subduntur. Ita Præpositus quæst. 83. art. 6. dub. 3. & est communis sententia. 10.

Denique inquires, An qui habet Bullam cruciatam, qua conceditur facultas audiendi sacrum tempore interdicti, teneatur illud audire in festis & Dominicis. Partem negantem tuentur Auila, Victoria, Canus, Llamas, Alterius, Ægidius & Ledesma, quos refert & sequitur Diana parte 1. tract. 11. resol. 2. Sententia tamen affirmans, sicut communior, ita & verior, & eam defendunt Suarez, Nauarrus, Enriquez, Rodriguez, Fagundez & plures alij, quos refert & sequitur Lugus disput. 22. sect. 1. Et probatur, quia interdictum in tantum excusat à Missæ auditione, in quantum ponit impedimentum ad illam audiendam: ergo quacumque ratione tollatur hoc impedimentum, præceptum habebit suam vim obligandi. Declaratur simul & confirmatur exemplo, quia is qui in vinculis detinetur, excusatur ab auditione sacri; si autem à iudice, vel carcerario ei concedatur licentia eundi ad Missam, proculdubio tenetur, quia iam est ablatum impedimentum: ergo similiter ablato impedimento per facultatem Bullæ, tenet obligatio audiendi sacrum. Consequentia est manifesta, quia prædicta obligatio nunquam ablata fuit, sed solùm impedita, & ob impedimentum tantùm excusabat. 11.

Obiicies, quia nemo cogitur vti suo priuilegio, & quod in fauorem alicuius conceditur, non debet in eius odium & obligationem retorqueri. Respondetur, nos non negare neminem debere cogi ad vtendum suo priuilegio: sed quod asserimus est, posito illo priuilegio, effectum illius esse tollere inhabilitatem & impedimentum, quem effectum necessariò habet eo ipso quod acceptatur; posito verò tali effectu absque vllo alio vsu, tollitur excusatio, & ex consequenti manet obligatio præcepti. Ex quo infertur eum, qui ægritudine, vel quacumque alia ratione cogitur domi manere, si habeat priuilegium, seu Oratorium approbatum, in quo possit domi audire sacrum, teneri illud audire, & 12.

ita tenet Lugus loco citato. Limita nisi necessitetur ad id quærere sacerdotem cui stipendium sit tribuendum. nam nullus ad hoc tenetur.

Sectio II.

Quid præcipiatur per legem de audiendo sacrum.

13. Conueniunt primò Doctores, hoc præcepto obligari Fideles ad audiendam totam Missam à principio vsque ad finem, ita vt nemo possit voluntariè & sine legitima & excusante causa, omittere aliquam partem etiam minimam sine culpa, quia vel in toto, vel in parte non impleuit hoc præceptum. Et ratio est, quia licèt hoc præceptum sit affirmatiuum, tamen ob integritatem quam præcipit, includit negatiuum, scilicet vt nihil de tota Missa omittatur. Excipiuntur qui inseruiunt celebranti, qui quamuis aliquoties recedant pro afferendo vino, hucte, aut pro pulsatione cymbali, aut aliis ad Missam pertinentibus; censentur tamen moraliter Missæ interesse: quod intelligendum est, dummodo bona fide procedant, & mediocrem diligentiam adhibeant, ne plus iusto & sine necessitate absint, aut in sacello, vel aliis locis immorentur: quòd si oporteret magnam partem Missæ omittere ex accidentali occasione, vt si deesset vinum, & extra Ecclesiam esset quærendum, tunc censent nonnulli teneri aliam Missam audire si possit: si verò non posset, excusaretur ratione iusti & debiti ministerij.

14. Conueniunt secundò, culpam, seu transgressionem quæ committi potest in omissione partis Missæ, non semper esse æqualem, sed grauiorem, aut leuiorem, iuxta quantitatem partis omissæ, & consequenter esse mortalem, si pars omissa sit grauis; venialem verò, si sit leuis. Vnde omittere dimidiam partem Missæ, vel etiam tertiam partem, erit culpa grauis, & sufficiens ad peccatum lethale. Econtra verò omittere partem minorem quarta parte Missæ ex his quæ accidentaria sunt, præsertim si ex principio, aut ex fine Missæ sumatur, solùm erit materia peccati venialis. Nonnulli designant introitum Missæ cum his quæ præcedunt vsque ad epistolam exclusiuè. Alij verò hoc extendunt vsque ad Euangelium exclusiuè: itaque si ab initio Euangelij vsque ad finem Missæ quis eam audiat, non peccabit mortaliter. Et hæc est communis sententia. Et ratio est, quia illa pars nondum censetur quarta pars Missæ, & ex consequenti nec erit notabilis: quod etiam debet intelligi dummodo Missam reliquam vsque ad finem audiat. nam si in principio vsquè ad epistolam inclusiuè omitteret, & postea statim post communionem sacerdotis egrederetur, non excusaretur à mortali: at si à principio Missam audiat, & vsque ad communionem assistat, quamuis reliqua omittat, non peccauit mortiferè, quia illa non est pars notabilis: imò quamuis aliquid ex principio & fine omittat, si ex vtroque non conficiatur materia grauis, censeo non peccaturum lethaliter.

15. Nauarrus, Suarez & alij, quos refert & sequitur Bonacina disput. 4. de sacrificio Missæ quæst. vltim. punct. 11. existimant non esse mortale etiamsi omittatur Euangelium, dummodo audiatur totum reliquum cum Euangelio vltimo inclusiuè, quia cùm hoc Euangelium iam sit aliquo modo pars Missæ, & ex alia parte sit probabile, fideles non teneri ad audienda duo Euangelia, neque ad assistendum, nisi vsque ad dimissionem & benedictionem, hinc fit vt audiendo postremum Ioannis Euangelium videatur compensari aliud Euangelium in principio omissum, & ita adimpleri præceptum: quæ sententia probabilis est propter auctoritatem tot Doctorum; in praxi verò hæc extensio non est consulenda, quia ratio in qua fundatur non videtur adeò firma. Quod verò tradit idem Nauarrus, illum qui incipit audire Missam ab Offertorio, vel à symbolo satisfacere præcepto, dummodo postea legat, vel sibi legi faciat Euangelium Missæ. Hoc enim non videtur verum, quia lectio Euangelij extra Missam neque est pars Missæ, nec facit vnum cum illa, neque cadit sub hoc præcepto: ergo talis lectio impertinens esse videtur ad illud adimplendum.

16. Est tamen prima difficultas, quid dicendum sit de illo, qui egreditur ab Ecclesia quando Sacerdos vult consecrare, & finita consecratione statim ingreditur: vel si ante sumptionem discederet, & statim rediret. Non desunt graues Doctores, inter quos est Marchantius in resol. Pastor. de sactam. tract. 4. cap. 6. quæst. 4. existimantes, in his partibus Missæ non tam esse considerandam motam, siue longitudinem, quàm dignitatem & propinquitatem, vel necessitatem ad substantiam sacrificij, & ideo Doctores communiter faciliùs permittunt omitti ea quæ antecedunt, vel sequuntur canonem Missæ, in quo maximè necessaria sunt quæ de consecratione vsque ad sumptionem continentur, & ideo censent esse valde probabile non impleri hoc præceptum, si quid eo tempore omittatur, vel intermittatur, etiamsi tempus breuissimum esse videatur. Vnde affirmant eum qui egreditur ab Ecclesia quando Sacerdos vult consecrare, & finita consecratione statim regreditur, peccare lethaliter, nec satisfacere præcepto, & addunt idem fortasse esse si ante communionem discederet, quia vel est de substantia, vel maximè pertinens ad perfectionem sacrificij, & hæc sententia quoad priorem partem de absentia tempore consecrationis est valde conformis iis quæ suprà docuimus, videlicet essentiam huius sactificij in consecratione consistere: vnde qui non adest tempore consecrationis, præsens non est, neque assistit huic sacrificio: quia verò sub lite est in quo essentia sacrificij consistat, an in consecratione, an verò in sumptione, poterit in praxi amplecti vtraque sententia, dummodo consecratio & sumptio simul non omittantur, & ita tenet Lugus disp. 22. sect. 1. num. 4. vbi rectè aduertit non esse iudicandum de absentia Missæ iuxta mensuram temporis quod illi correspondet. nam partes Missæ non sunt homogeneæ, sed heterogeneæ, & ideo illud breue tempus consecrationis æquiualere longiori tempori aliarum partium.

17. Secunda difficultas est, An qui accedit ad audiendum sacrum dum præfatio dicitur, & non est aliud sacrum, teneatur illud audire. Partem negantem tenet Sancius in select. disp. 15. num. 5. Contrariam sententiam tenent Suarez & Sancius in Summa, quos refert & sequitur Diana 3. parte tract. 6. resol. 69. Verius censeo quod tradit Lugus loco citato, vbi cum distinctione loquitur de eo qui potest adesse consecrationi, vel de eo qui non potest, & de priori existimat teneri adesse; quia illa est pars principalis & reliqua pertinent ad eius complementum: de posteriori verò negat, quod probat exemplo feriæ sextæ hebdomadæ sanctæ, in qua fideles non tenentur adesse officio illius

dici,

Digitized by Google

diei, etiamsi festum occurrat; quia in illa die non fit consecratio.

18. Tertia difficultas est, An sit necessarium audire Missam integram ab vno Sacerdote, vel sufficiat ad implendum præceptum, audire Missam à duobus, vel tribus, ita vt vna pars Missæ audiatur ab vno; alia verò ab altero. In qua re sententia satis communis est, satisfieri huic præcepto quando sacrum auditur à pluribus sacerdotibus per partes successiuè, vt à duobus, vel tribus, quia ille verè audit integram Missam (quamuis non vnam, sed partes duarum, vel trium) quod tantùm cadit sub præcepto. nam ad substantiam præcepti non videtur pertinere ordo partium: sicut qui in officio diuino prius recitat tertium nocturnum, quàm primum, vel secundum, adhuc satisfacit præcepto recitandi integrè horas canonicas, quia ordo illarum partium sub præceptum non cadit. Et ita tenent Nauarr. Ægidius, Reginaldus, Bonacina, & plures alij, quos refert, & sequitur Hurtado disput. 10. diff. 4.

19. Ego verò quamuis existimem hanc sententiam esse probabilem, propter auctoritatem tot Doctorum, adhuc in praxi contrariam consulerem, quam defendunt Suarez disput. 88. sect. 2. Lugus sect. 1. Nam aliàs sequeretur similiter posse aliquem implere præceptum audiendo simul duas partes Missæ quæ dicerentur in diuersis Altaribus, in quorum altero vna inchoaretur, & in altero alia à consecratione continuaretur: hoc autem immeritò conceditur à Bonacina, & Hurtado, quia, vt rectè Lugus, si potest simul à duobus audire primam & secundam partem Missæ, & ita conflare vnam Missam, & adimplere hoc præceptum, poterit etiam simul à tribus, vel à sex, vel à decem, ita vt breuissimo tempore totam Missam integram audierit, & satisfecerit præcepto; non enim videtur esse maior ratio duorum, quàm decem. Et ideo rectè monet Suarius sententiam hanc non esse consulendam tanquam parum consonam intentioni Ecclesiæ, & semotam à religione & reuerentia debita huic sacrificio, & re vera vix inuenies qui quiescat audiens illas partes Missæ, eo modo ordinatas, quia in re non est tam Missa, quàm obtruncatæ Missæ: sicut non diceres domum vbi partes essent seiunctæ & obtruncatæ: Ecclesia autem præcipit vt assistamus sacrificio Missæ; hoc autem supponit pro sacrificio eo modo quo institutum est iure diuino vt fiat: sed iure diuino institutum est, vt fiat continuè ab vno Sacerdote: ergo etiam vt audiatur continuè, præcipitur ab Ecclesia.

20. Ad fundamentum contrariæ sententiæ respondetur, quòd quamuis in diuino officio ordo recitandi horas canonicas non pertineat ad substantiam præcepti, atque ita satisfaciat qui ordine præpostero priùs recitat tertium nocturnum, & postea primum, vel secundum; tamen sicut ad vnitatem orationis requiritur vnitas orantis; sic etiam ad vnitatem sacrificij requiritur vnitas sacrificantis qui non est idem in casu de quo loquimur, cùm sint diuersi sacerdotes, neque actio sacrificandi est vna & eadem, sed diuersa quot sunt sacrificantes; ac proinde ex defectu vtriusque vnitatis, non auditur integra Missa.

SECTIO III.

Qui actus requirantur ad satisfaciendum huic præcepto.

AD satisfaciendum præcepto Missæ, iuxta communem Doctorum sententiam tria requiruntur, videlicet præsentia, intentio, & attentio. Circa præsentiam certum est, fideles teneri assistere corporaliter secundùm moralem, hoc est, humanam præsentiam, quia iuxta consuetudinem Ecclesiæ ob hanc causam necesse est adire templum, vel locum, in quo Missa celebratur: ergo præcipitur præsentia corporalis & assistentia. Non tamen est necesse vt videant, aut audiant sacerdotem. nam cœcus adimplet præceptum, & non videt; surdus similiter non audit, neque longè assistens. imò aliquando propter hominum multitudinem neque videtur, neque auditur sacerdos à multis assistentibus. Aliunde verò si aliquis incipiat Missam audire, & postea etiam inuoluntariè dormiat per notabilem eius partem, quamuis per præsentiam corporalem assistat, non satisfacit præcepto: ergo præsentia & assistentia quæ requiritur, debet esse moralis & humana, qua homo moraliter iudicetur assistere illi actioni. 21.

Circa intentionem est difficultas, an qui intendit, seu vult audire Missam absque intentione satisfaciendi præcepto, ipsi satisfaciat. Negant nonnulli, quorum fundamentum est, quia sine voluntate adimplendi præceptum nunquam præceptum adimpletur: ergo adimpletio præcepti debet esse actus humanus, & ex consequenti intrinsecè debet esse voluntarius: ergo vt quis impleat hoc præceptum, necessaria est voluntas adimplendi illud. Hæc tamen ratio est omnino infirma. nam aliud est velle audire sacrum, aliud verò velle audire illud ex intentione adimplendi præceptum: hæc enim sunt duæ voluntates & intentiones valdè diuersæ; ad implendum ergo præceptum requiritur saltem intentio & voluntas virtualis assistendi sacro; non verò est necessar a vt assistentia illa procedat ex intentione adimplendi hoc præceptum; quia qui voluntariè assistit sacro, verè & humano modo facit quod sibi præcipitur, seu rem materialiter præceptam: neque enim est necessarius actus formalis & expressus obedientiæ; neque legislatores præcipiunt intentionem, sed actus substantiam: quapropter si quis audiuit Missam ex deuotione, putans non esse diem festum, non tenetur postea aliam Missam audire. 22.

Maior difficultas est, an huic præcepto satisfaciat qui sacrum audit animo expresso non satisfaciendi præcepto. Partem negantem tenent Nauarrus, Rodriguez, Azor. quos refert & sequitur Marchinus tract. 3. part. 3. cap. 17. Quia actus agentium non operantur vltra intentionem eorum, & quia hæc duo habent intrinsecam repugnantiam, nolo per hoc opus satisfacere præcepto, & satisfacio præcepto. Vnde tenetur ad nouam Missam audiendam, quia per primam noluit præcepto satisfacere. Nec sufficiet mutare voluntatem, quia talis permutatio non valet efficere, quin illud opus præteritum factum sine animo implendi præceptum, iam non præcesserit. 23.

Contraria sententia longè probabilior est, quam defendunt Suarez, Vazquez, Ægidius, Bonacina, Sancius, Lessius, quos refert & sequitur Hurtado disput. 5. diff. 3. & Lugus sect. 2. num. 24. Nec esse necesse 24.

necesse postea reuocare voluntatem, & velle satisfacere præcepto per Missam auditam, quia ad implendum hoc præceptum tantùm requiritur humano modo assistere, & ponere id quod præcipitur: nec per contrariam illam voluntatem prorogat sibi homo obligationem præcepti; hoc enim non est in eius potestate, sicut neque illam de nouo sibi imponere.

25. Circa attentionem est difficultas valde controuersia, An ad satisfaciendum huic præcepto sit necessaria interior attentio ad Missam, Suarez disput. 88. sect. 3. & plures alij Doctores, sequuntur partem affirmantem. Dicendum tamen est, eum qui interiùs voluntariè & liberè distractus assistit Missæ, si tamen non assistat exteriùs distractus, hoc est, occupatus aliqua occupatione externa moraliter incompossibili cum attentione interna, v. g. scribendo, legendo, aut confabulando, aut huc, illucque notabiliter circunspiciendo, satisfacere præcepto audiendi sacrum. Ita tenent plures Doctores tam antiqui, quàm Recentiores, Durandus, Syluester, Medina, Angelus, Antoninus, Rosella, Paludanus, Ægidius, Lessius, Enriquez, Victorellus, Layman, quos refert & sequitur Diana 2. parte tract. 12. resol. 2. Idem tenent Hurtad. & Lugus in præsenti, quorum fundamentum est, attentionem internam non esse de substantia orationis vocalis, vt minus verè sibi persuadet contraria sententia: si enim defectus attentionis mentalis tolleret substantiam orationis, sequeretur sacerdotem ministrantem sacramentum extremæ Vnctionis, & admittentem voluntariè distractionem quando profert verba formæ, Per istam sanctam Vnctionem, &c. non conferre validum sacramentum. Sequela est manifesta, quia forma huius sacramenti debet esse deprecatoria, per quam Minister oret exteriùs: ergo si defectus attentionis internæ tollit substantiam orationis, non manebit sacramentum validum, quia vbi deest oratio, deficit etiam forma & substantia illius sacramenti; consequens autem à nullo admittitur: ergo. Plures alias rationes vide apud Lugum loco citato.

26. Ex quibus infertur, eum qui recitat dum audit Missam, ea quæ aliàs recitare tenetur, aut ratione ordinis, aut beneficij, aut ex voto, siue ex pœnitentia iniuncta, implere sufficienter præceptum audiendi sacrum, & simul præceptum de recitandis horis, &c. quia cùm illa oratio non tollat præsentiam & attentionem necessariam, seu sufficientem, parum refert quòd sit, vel non sit ex alia obligatione. Deinde, quia qui liberè recitat Rosarium, ex communi sententia censetur adimplere præceptum audiendi sacrum: quòd verò oratio sit præcepta, vel non præcepta, parum refert ad hoc vt impediat, vel non impediat attentionem.

SECTIO IV.

Quibus de causis Fideles excusentur ab auditione sacri.

27. INtercedente rationabili causa conueniunt Doctores, posse aliquem legitimè excusari ab auditione sacri, & sine peccato Missam omittere quando est in præcepto, quia cùm præceptum hoc sit Ecclesiasticum & positiuum, & de re non simpliciter necessaria ad salutem, non obligat cum tanto rigore quin vbi interuenit causa aliqua rationabilis, possit homo excusari. Huiusmodi autem causæ plures sunt, de quibus latè tractant Summistæ. Nos verò frequentiores breuiter attingemus.

Prima est ignorantia, quæ si sit inuincibilis, omnino excusat; id est, si quis ignoret inuincibiliter quòd hic, vel ille dies sit festiuus, quæ ignorantia facilè potest contingere, & sub illa comprehenditur naturalis obliuio, vel inconsideratio. 28.

Secunda est censura, qua ratione qui excommunicatione maiori, vel interdicto personæ, seu generali est impeditus, non tenetur, imò neque potest audire sacrum, etiam tempore præcepti, licèt sit in mora culpabili petendi absolutionem, & eam possit facilè acquirere, vt tenent communiter Doctores, eo quòd non tenetur quis tam remotè & quasi à longè se disponere ad Missam audiendam: neque ex vi huius præcepti obligatur ad procurandam absolutionem excommunicationis, & consequenter dum in hoc est negligens, non peccat contra hoc præceptum: sicut si quis præuidens se fieri impotentem ad Missæ auditionem, incurrendo excommunicationem, non peccat specialiter contra hoc præceptum dando causam excommunicationi. 29.

Tertia est impotentia, quæ potest esse duplex, physica, vel moralis. Ob impotentiam physicam excusantur, qui detinentur in carceribus, vel quacumque alia ratione coguntur manere & non exire domo, aut non ingredi Ecclesiam, seu locum vbi Missa dicitur, quia ad impossibile simpliciter nemo obligatur. Ob eamdem causam excusantur si desit Sacerdos qui Missam dicat, & Ecclesia adeò distet vt non possit adiri, qua de causa rustici, aut operarij non excusantur, eo quòd per leucam distent ab oppido vbi Missa celebratur. Aliis verò videtur distantia vnius leucæ si fieri debeat pedester ad audiendum sacrum laboriosam esse ex natura rei, & excusare ab hoc præcepto: illud certum est tempore niuis, aut pluuiæ magnæ omnino excusare. 30.

Ob impotentiam verò moralem excusantur omnes illi, qui nequeunt audire Missam absque graui detrimento sui, aut proximi, siue sit corporis, siue animæ, siue honoris, siue lucri, siue cuiuslibet alterius boni; qua ratione excusantur qui ægrotant, vel conualescunt, si ad audiendum Missam debent se exponere periculo reincidendi, vel retardandi conualescentiæ. Quòd si ægrotus dum conualescit, sit dubius, consulendus est Medicus, vel Superior, vel Parochus, & hoc sufficit vt sit tutus in conscientia. Et eadem ratione excusatur custos infirmorum, si ob eius absentiam infirmus periclitaretur. Item excusantur Pastores, qui absque prudenti timore grauis damni, aut periculi gregis nequeunt Missam audire & iter agentes, qui alioqui socios necessarios amitterent, quibus opus habent ad iter peragendum, vel quia viam ignorant, vel quia timent latrones. Item qui si audiunt Missam, negotium prætermittent quod absque graui incommodo differre nequeunt: qua ratione excusantur cursores, vel nautæ, aut muliones qui cogerentur magnas expensas facere si immorarentur in Missa audienda, quod intelligendum est quando indigent aliorum expensis. nam vbi per se possunt commodè iter facere, & sibi prouidere de necessariis, tunc cessat ratio ob quam excusarentur. Item famula quæ in oppido vbi vna tantum celebratur Missa, remanet domi ad custodiam domus, vel ad parandos cibos necessarios. Item excusatur qui non potest decenter vestibus conferre ad Ecclesiam, quia non est cogendus cum dedecore in publico apparere; qua ratione excusatur fœmina honesta 31.

Digitized by Goog

neſta quæ caret veſte ſibi conueniente,& ſi abſque ea in publicum prodeat graui pudore afficietur,vel ſi non poſſit domo exire ſine decente comitatu. Sed inſpiciendum eſt, an in huiuſmodi caſu poſſit ſecretè,v.g.ſummo manè, vel in Eccleſia à concurſu populi remota Miſſam audire; tunc enim non eſt cur propter præcedentem cauſam excuſetur. Et ob eamdem rationem excuſatur puella ex occulta fornicatione prægnans ne ſe prodat,& pudore afficiatur, & quæ honeſta exiſtimabatur, appareat laſciua; quod intellige quando non poteſt aliter occultè Miſſam audire. Deinde famuli & vxores timentes rixas,aut verbera,etiam excuſantur.

32. Quarta eſt officium, qua ratione excuſantur milites cuſtodientes caſtrum, aut portas ciuitatis quando ſine periculo non poſſunt ſuo muneri deeſſe. Item etiam excuſantur matres vel nutrices, quæ neque infantes deſerere poſſunt, neque frequenter expedit eos ad Eccleſiam deferre, quia perturbant alios Miſſam audientes; qua etiam ratione excuſaretur mater quæ domi filias in periculo relinqueret, ſi non poſſet ſecum illas deferre. Item famuli, vt dominis ſuis miniſtrent. nam ſi miniſterium ſit neceſſarium iuxta communem modum viuendi, nec dominus peccat præcipiendo,nec famulus parendo,& relinquendo Miſſam,ſi mediocri diligentia adhibita non potuit neceſſitas illa præueniri: quod ſi miniſterium non ſit ita neceſſarium, ſed poteſt vel in alium diem, vel in aliam horam ſine graui incommodo differri,lethaliter peccant Domini id præcipiendo. Famuli verò excuſantur ſi non obediendo dominis graue aliquod damnum timent.

Quinta eſt conſuetudo, qua ratione fœminæ poſt partum per aliquot dies etiamſi plenè conualuerint, ab Eccleſiæ ingreſſu abſtinentes excuſantur ab auditione ſacri, dummodo id non faciant ritu Moſaïco,& tempus non ſit nimis longum, ſed ad ſummum per menſem; ſed in hoc ſtandum eſt conſuetudini. Deinde ob eamdem rationem excuſantur viduæ, quæ poſt mortem viri per aliquot dies domo non exeunt, & ea de cauſa Miſſam omittunt. Denique ſimili conſuetudine excuſantur virgines nobiles, quæ cùm iam ſunt nubiles, non exeunt in publicum, & ideo Miſſam omittunt,quia antequam nubant,non permittuntur domo egredi: quæ doctrina intelligenda eſt de locis vbi prædictæ conſuetudines vigent. 33.

TRACTATVS XXIV.

DE POENITENTIA.

DISPVTATIO I.

De Pœnitentia vt virtus est.

SECTIO I.

An Pœnitentia sit virtus specialis distincta à cæteris.

1. POENITENTIAM virtutem esse certissimum est apud omnes, quia aliquem effectum esse actum virtutis, est esse conformem rectæ rationi, & nemo negare potest, dolorem de peccatis propter Deum, secundùm rationem esse; quia ratio naturalis dictat dolendum esse de malo; dolor enim & tristitia oriuntur ex malo præsenti, & nullum grauius est malum, quàm offensa commissa contra Deum, quæ ipsum reddit homini inimicum, & peccatorem efficit reum damnationis æternæ. Quapropter sacræ literæ frequenter hortantur nos ad pœnitentiam. Docent deinde, pœnitentiam esse donum Dei, non quodcumque, sed excellentissimum, cui promissa est remissio peccatorum. Item præcepta diuina sunt de actibus virtutum; ac proinde extat præceptum de pœnitentia agenda, Matth. 4. Matth. 4. *Agite pœnitentiam*; ergo dubitare non licet, pœnitentiam esse conformem rationi, & ex consequenti virtutem, siue virtutis actum.

2. Quod vertitur in dubium, est, An pœnitentia habeat speciale obiectum, ratione cuius constituatur virtus specialis à cæteris omnibus distincta. Partem negatiuam sequuntur aliqui Doctores confundentes pœnitentiam cum cæteris omnibus virtutibus. Alij existimantes non distingui à charitate, alij non differre à virtute religionis, alij denique asserentes idem esse cum iustitia.

3. Sit conclusio. Pœnitentia non est virtus eadem numero, vel specie, sed distincta à cæteris aliis virtutibus. Ita communiter Doctores, quos referunt Suarez, & Vazquez in hoc loco. Probat autem Dominicus de Soto in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. Pœnitentiam esse virtutem specialem duabus rationibus. *Prima* est, quia nolle pœnitere est speciale peccatum distinctum à cæteris: ergo pœnitentia est specialis virtus. Consequentia est certa, quia virtus in genere non opponitur peccato speciali, nam speciale peccatum habet certam malitiam distinctam à cæteris: ergo oppositam certè bonitatem, & regulam specialis virtutis.

4. Sed hac ratione sumitur pro certo, id quod est sub eadem lite: æquè enim difficile est, nolle pœnitere esse speciale peccatum, & pœnitentiam esse virtutem specialem. Nam potest responderi, nolle pœnitere habere malitiam generalem, & inueniri in quolibet genere peccatorum; quia vel nolle pœnitere est simplex omissio pœnitentiæ quando præceptum vrget, vel est peccatum commissionis, scilicet displicentia & odium pœnitentiæ. Si est simplex omissio, pertinebit ad omnem contrarietatem virtutis, v. g. Non dolere de peccato furti erit iniustitia: non dolere de peccato fornicationis, intemperantia, & sic de cæteris. Si verò sit peccatum commissionis, scilicet odium pœnitentiæ, necesse est oriri ex aliquo affectu ad bonum commutabile; quia odium vnius rei nascitur ex amore alterius, cui res odio habita impedimentum præstat: ergo iuxta varietatem affectus amoris, erit diuersum peccatum odium pœnitentiæ. nam qui renuit pœnitentiam ex amore rei alienæ quam detinet, erit iniustus: qui ex amore mulieris, concubinarius, & sic de cæteris.

5. Secundò probat, quia licèt vnicuique virtuti competat detestari peccatum sibi oppositum; non tamen conuenit vnicuique odisse, & castigare peccatum emendando vitam in omni materia, & genere virtutum; quod non tantùm est temperatè, aut iustè agere; sed bene viuere: ergo affectus iste laudabilis castigandi peccatum cum emendatione & proposito rectè viuendi in omni materia, specialis virtutis est; nullius verò nisi pœnitentiæ. Hæc tamen ratio non probat sufficienter pœnitentiam distingui à charitate, quia ad castigandum peccatum cum emendatione vitæ in vniuersum, sufficit charitas. nam eo ipso quòd charitas est amicitia hominis cum Deo, mouet ad dolendum de peccatis quæ sunt impedimenta amicitiæ.

6. Quare communiter Doctores distinguunt pœnitentiam à charitate, quia quamuis charitas & pœnitentia versentur circa omne genus peccati, & habeant materiam vniuersalem; operantur tamen circa illam sub speciali motiuo: charitas enim dolet de omni peccato, & id nititur tollere vt restauretur amicitia cum Deo; pœnitentia verò dolet de offensa Dei sub ratione emendabilis per compensationem aliquam, quod charitas non attendit.

7. In hac autem doctrina illud manet obscurum, & difficile; quia dolere de peccato, id est, de offensa Dei, & sub ratione emendabilis per compensationem aliquam, non potest esse actus simplex. Quòd si necesse sit circa prædictum obiectum distinguere duos actus voluntatis, alter eorum qui erit dolor de peccato, quatenus est offensa Dei, erit affectus charitatis, & nullo modo pœnitentiæ. Quod sic ostendo. Quia impossibile est dolorem de peccato, pro vt est offensa Dei emendabilis per compensationem, esse actum simplicem, & vnicum voluntatis; quia ex parte obiecti concurrunt duæ rationes quæ postulant diuersos actus. nam ratio offensæ in peccato mouet ad odium, & dolorem eius. Ratio verò compensabilis non mouet ad dolorem,

Digitized by Google

dolorem, sed ad complacentiam. Ostendo singula. Pœnitens odium habet in peccato quòd sit offensa Dei; displicet enim se offendisse Deum, & transgressum esse eius voluntatem: sed non displicet pœnitenti, imò potiùs placet emendabilitas peccati per compensationem. nam si displiceret ei peccatum esse emendabile, placeret necessariò offensa, quam emendare & compensare nollet; ac proinde displiceret pœnitentia, quòd esset grauissimum peccatum: ergo peccatori displicet peccatum esse offensam Dei, & placet offensam illam esse emendabilem per pœnitentiam: ergo duobus actibus distinctis fertur in illas duas rationes, alteram doloris, & odij; alteram amoris & complacentiæ; sed si constituendi sunt diuersi actus, alter illorum, qui est dolor de peccato quatenus offensa Dei, manebit necessariò actus charitatis; quia vt distinguatur ab effectu charitatis, oportet respicere in obiecto præter rationem offensæ, rationem emendabilis per compensationem: sed hanc rationem non respicit, quia hæc ratio non attingitur ab actu doloris, & odij; sed ab actu amoris & complacentiæ: ergo si hæc ratio manet in obiecto formali alterius actus, actus doloris & odij manet simplex affectus charitatis.

8. Præterea voluntas compensandi, quæ est amor compensationis, non potest esse idem actus cum odio & dolore peccati; quia omnis actus reflexus voluntatis, diuersus est ab illo in quem reflectitur. nam ipsum habet pro obiecto, verbi gratia, qui vult tristari, aut lætari de obiecto aliquo, alio actu vult gaudere, aut tristari, & alio tristatur, aut gaudet. nam gaudium & tristitia sunt obiecta voluntatis reflexæ, qua quis vult gaudium, aut dolorem; sed amor compensationis est actus reflexus supra dolorem, & odium peccati. nam qui vult compensare, aliqua actione satisfactoria vult compensare; non est autem alia satisfactio pro culpa, nisi dolor de peccatis propter Deum: ergo pœnitens ex intentione compensandi eligit dolorem tanquam medium; ac proinde voluntas compensandi, & dolor de peccatis, distincti actus sunt.

9. Quòd si sunt diuersi actus, necesse est inter illos constituere ordinem causalitatis; non enim se habent comitanter, sed vnus oritur ex alio, vt notum est: vel ergo voluntas compensandi oritur ex odio peccati, vel econtra: si primum, ergo hic ordo est assignandus in voluntate pœnitentis, quia doleo de peccato, eligo compensationem, ne peccatum subsistat; sed hic ordo stare non potest: alias ex dolore de peccato, eligeretur dolor de peccato, quod est absurdum: quia obiectum electionis debet esse distinctum ab intentione finis ex qua procedit electio. Probo consequentiam, quia si ex dolore de peccatis procedit voluntas compensandi, cùm hæc non possit impleri nisi actione aliqua satisfactoria, & non sit alia apud Deum nisi dolor de peccato, ex ipso odio peccati quod præcessit tanquam intentio, eligeretur odium peccati tanquam actio satisfactoria, quod est impossibile.

10. Si verò dicamus ex intentione compensandi oriri dolorem de peccato qui est actio satisfactoria, sequuntur tria inconuenientia. *Primum*, quòd pœnitentia imperaret charitati, & non econuerso. *Secundum*, quòd in actu pœnitentiæ non includeretur dolor, quod est contra diffinitionem pœnitentiæ traditam à Conciliis, & Patribus. *Tertium*, quòd pœnitentia non esset necessaria ad salutem, sed solo actu charitatis iustificaretur aliquis, etiam cùm adest memoria peccatorum. Patet consequentia, quia illa intentio expressa compensandi non requiritur ad salutem. nam si quis doleat de peccatis propter Deum ex solo fine charitatis, etiam sine intentione expressa compensationis faciendæ, iustificabitur; ille autem dolor non videtur ad pœnitentiam pertinere, quia in illo actu non est amor compensationis: ergo sine pœnitentia iustificabitur, contra illud Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Dicendum tamen est, voluntatem compensandi esse intentionem quæ pertinet ad specialem virtutem pœnitentiæ; dolorem verò de peccatis vt sunt offensa Dei, concurrere tanquam medium ad iustificationem, & esse substantialiter actum charitatis, vt docet Vazquez quæst. 85. art. 2. dub. vnico. Pro cuius intelligentia obseruandum est ex Caiet. 1. 2. quæst. 29. art. 1. quòd cùm ex Aristotel. 2. Rhetoricorum, cap. 4. amare sit velle bonum alteri, in omni actu amoris includitur duplex respectus: alter amicitiæ erga personam amatam: alter concupiscentiæ erga rem concupitam, & cùm ex diffinitione amoris, resultet diffinitio odij contrarij, sequitur in odio esse similiter duplicem respectum; alterum inimicitiæ erga personam; alterum abominationis erga rem. Luc. 13.

11. Sed est notabile discrimen, inquit Caietanus, inter odium, & amorem: quia in eodem actu amoris inuenitur vterque respectus, amicitiæ scilicet, & concupiscentiæ: sed vterque respectus odij, nimirum inimicitiæ, & abominationis nunquam inuenitur in eodem actu. Et ratio diuersitatis est, quia in amore vterque respectus est affirmatiuus, scilicet approbationis, & complacentiæ; placet enim persona quam amo, & bonum illius. In odio verò alter respectus est affirmatiuus, scilicet complacentiæ, & alter negatiuus, hoc est, displicentiæ, & fugæ. Verbi gratia, in odio inimicitiæ, quo volumus malum alteri, respectus ad personam est negatiuus, quia displicet persona odio habita: sed respectus ad malum est affirmatiuus, placet enim nobis malum eius, quia ipsa persona displicet, & in odio abominationis respectus ad malum quod nolumus alteri, est negatiuus, quia est fuga, & displicentia mali: sed respectus ad personam est affirmatiuus, placet enim nobis persona illa cuius malum abominamur; ac proinde odium abominationis, & inimicitiæ, constituunt duos actus odij; quia alter est odium personæ, & alter amor eius.

12. Ex hac notatione sequitur, dolorem de peccatis propter Deum, qui dicitur contritio, esse actum charitatis substantialiter; quia est odium abominationis erga malum Dei; ac proinde est amicitia cum ipso. Antecedens est certum, quia cùm conterimur, nolumus peccatum Deo; nollemus enim peccasse, quia odio habemus peccatum, quatenus offensa, & malum Dei, cuius voluntas violatur, & præceptum contemnitur. Consequentia etiam patet, quia in odio abominationis erga malum alterius, essentialiter includitur complacentia de persona illius; gaudere enim de bono alterius, quia bonum eius est, est affectus amicitiæ, quia est velle bonum alteri: ergo dolere de malo illius, etiam est affectus amoris, quia eadem complacentia erga personam inuenitur vtrobique, atque adeò idem amor est gaudere de bono alicuius, & tristari de malo eius.

13. Quòd verò voluntas compensandi præcedat per modum intentionis dolorem de peccatis, &

Digitized by Google

sit actus specialis pœnitentiæ, probatur, quia illa voluntas non potest esse effectus doloris, sed causa; vt enim esset effectus doloris, oportebat veram esse hanc propositionem: vt doleam de peccatis satisfacio. nam particula, *vt*, denotat causam finalem: sed pœnitens non satisfacit vt deleat; sed potiùs dolet vt satisfaciat: ergo voluntas satisfaciendi præcedit ex parte intentionis.

14. Quòd verò sit actus specialis pœnitentiæ probatur, quia intentio expressa compensandi peccatum, qualis in præsenti interuenit, ad nullam aliam virtutem potest pertinere.

15. Dices pertinere ad specialem virtutem iustitiæ, cuius munus est conseruare alteri ius illæsum, & si ab eo contingat deficere, dolere de damno illato, vt docet Durandus in 4. distinct. 14. vbi affirmat, inconueniens esse assignare virtutem aliquam, cui respondeat vt actus adæquatus dolere de peccatis, & ita coniungit pœnitentiam cum virtute iustitiæ, cuius actus principalis, inquit, est conseruare Deo ius suum, & in casu quòd Deo fieret iniuria, dolere de peccato. hoc tamen falsum est, quia si actus pœnitentiæ esset actus iustitiæ specialis, esset restitutio diuini iuris, quòd homo læsit per peccatum, quia compensatio iniuriæ facta ex virtute iustitiæ, est restitutio damni illati, per quam inæqualitas causata reducitur ad æqualitatem: sed compensatio pœnitentiæ multum differt ab actu restitutionis; quia si esset restitutio, statim atque homo peccauit, teneretur habere contritionem, & non habens committeret continuè nouum peccatum iniustæ detentionis contra Deum, quod est absurdum. Patet consequentia, quia, vt docet D. Thomas 2.2. quæst. 62. art. 8. præceptum restituendi etsi verbis sit affirmatiuum, re tamen negatiuum est, videlicet non detinebis rem alienam; Leuit. 19. dicitur enim Leuitici 19. *Non remanebit apud te opus mercenarij tui vsque manè.* Quapropter obligatio restituendi vrget toto tempore ab acceptione rei alienæ, donec cum effectu restituatur, quia iniustitia furti magis attenditur in detentione, quàm in vsurpatione rei alienæ: qui enim illam acciperet statim redditurus, non committeret iniustitiam; ergo si actus pœnitentiæ est restitutio iuris diuini iniustè ablati, toto tempore quo homo differt pœnitentiam, committit iniustam retentionem: ergo committit nouum peccatum: ergo tenetur statim resurgere ne incidat in aliud crimen.

16. Dicendum ergo est cum D. Thom. quæst. 85. art. 3. virtutem pœnitentiæ ita esse specialem, vt cum nulla alia coincidat, & licèt constituatur sub iustitia, non constituatur tanquam pars subiectiua, hoc est, tanquam species sub genere, sed tanquam potestatiua, nimirum quia habet aliquem iustitiæ modum, eo ipso quòd hominem ordinat ad alium. Obseruandum enim est ex eodem D. Thom. 2.2. quæst. 80. omnem virtutem quæ ordinat ad alium, contineri sub iustitia; sed ex virtutibus quæ sunt ad alium, quasdam esse species iustitiæ, videlicet commutatiuam, & distributiuam, quæ reddunt æquale ex debito legali, & eiusmodi dicuntur partes subiectiuæ; alias verò partes potestatiuas, quia habent communem modum iustitiæ ordinandi ad alium, sed deficiunt à vera iustitia, quia vel deficiunt à ratione debiti, vt liberalitas, & misericordia: vel à ratione æqualitatis, vt pietas, & religio; Deo enim, & parentibus non possumus reddere æquale pro beneficio generationis. Hoc supposito, virtus pœnitentiæ constituitur tanquam pars potestatiua iustitiæ, quia habet modum communem cum iustitia respiciendi alium, & licèt semper excedat iustitiam in ratione debiti, magis enim debita est pœnitentia, & conuersio hominis ad Deum, quàm restitutio hominis ad hominem; deficit tamen ab exacta æqualitate, quia compensatio quam offert pœnitentia, non est æqualis pro peccato.

Hoc autem probari potest dupliciter, primò 17. quia actus contritionis non est forma iustificans, sed dispositio ad formam iustificantem; si verò esset æqualis compensatio pro peccato, esset forma iustificans, & non dispositio ad formam: quia æqualis compensatio tollit debitum iustitiæ in genere causæ formalis; oblata enim compensatione æquali, eo ipso extinguitur ius creditoris. nam creditor non habet ius exigendi, nisi ratione damni illati: sed exhibita æquali compensatione, eo ipso creditor non patitur damnum, quia incipit non habere minus quàm habere debebat: ergo satisfactio, & restitutio æqualis, tollit debitum & offensam tanquam forma incompossibilis. Cæterùm etiamsi concederemus, actum contritionis esse formam iustificantem, adhuc pœnitentia non redderet Deo æqualem compensationem pro peccato, quia non est æqualis compensatio, quia non est integra, & pro toto debito, interueniente enim donatione debiti ex aliqua parte, tollitur æqualitas satisfactionis; sed pœnitentia non potest satisfacere pro peccato, nisi interueniente donatione liberali pro aliqua parte debiti. nam per peccatum non solùm incurrit homo inimicitiam diuinam, sed etiam debitum carendi auxiliis quibus ad amicitiam restituatur, exhibet enim se indignum omni liberalitate, & beneficio quo promoueri possit ad iustificationem; impossibile autem est habere actum contritionis, sine gratia Dei, & auxilio excitante, & adiuuante; ergo vt homo satisfaciat pro peccato, necesse est vt priùs relaxetur gratis debitum illud carendi auxilio, & intercedat liberalis donatio debiti, saltim ex parte; ergo contritio quæ supponit hanc donationem, etiamsi esset forma iustificans, non esset integra compensatio pro omni debito, neque ad æqualitatem redderet pro omni damno & indignitate peccati. hæc verò ratio non est satis firma, vt diximus suprà in tractatu *de Incarnatione* disp. 1. sect. 6.

Vnde ad primum inconueniens suprà adduc- 18. tum respondetur, pœnitentiam specialem imperare charitati, neque hoc est inconueniens, quia illa virtus imperat quæ assumit ad finem suum actum alterius; neque oportet virtutem imperantem esse nobiliorem, quia spes quæ est minus nobilis, imperat aliquando charitati; ex intentione enim sperandi à Deo, volumus ipsum habere amicum, quia ab amicis melius speratur, & ideo hæc propositio vera est, vt melius sperem, diligo.

Ad secundum respondetur, contritionem esse 19. dolorem charitatis, sed adhuc manere alium dolorem pœnitentiæ speciali, nimirum odium peccati quatenus Deum esse offensum est malum ipsius pœnitentis; hic enim actus non est charitatis, quia non est amicitia erga Deum, sed erga ipsum pœnitentem. Dices, pœnitentia dolet cum voluntate satisfaciendi Deo; ergo ex amicitia erga ipsum, quia amare est velle bonum alteri. Respondeo negando consequentiam, quia velle bonum alteri in definitione amoris, significat velle bonum ex complacen

Digitized by Google

complacentia alterius, & non est idem velle satisfacere alteri, & complacere in illo. nam qui alterum lædit, aliquando vult satisfacere, perseuerante odio illius, quia est ei bonum, quod alter desistat à prosecutione iniuriarum.

20. Ad tertium respondetur concedendo affectum huius virtutis quæ dicitur pœnitentia specialis, non esse necessarium ad salutem, quod constat experientia. Primò enim affectus ille non inuenitur sine voluntate expressa compensandi peccata. nam voluntas implicita compensandi, non potest constituere specialem virtutem; inuenitur enim in charitate amor Dei super omnia, sufficiens principium in quo contineatur implicitè voluntas compensandi. nam ex illo amore satis potest sequi hæc voluntas, si adsit memoria peccatorum; hæc autem intentio expressa non inuenitur communiter in iustificatione impij. nam rustici qui g norant huiusmodi compensationem, non mouentur ad dolorem peccatorum ex intentione compensandi. Deinde neque viri literati aggrediuntur communiter negotium suæ iustificationis ex hac intentione compensandi, sed ex consideratione Dei bonitatis mouentur ad dolorem peccatorum. Denique dari hunc affectum intentionis compensandi, & propter illum constitui specialem virtutem, in opinione Scholasticorum positum est. Quis autem dicat sacram Scripturam requirere ad iustificationem impij affectum virtutis nondum exploratæ, neque certa fide cognitæ.

21. Ergo cùm Scriptura & Patres desiderant pœnitentiam ad iustificationem impij, loquuntur de illo dolore cordis, qui dicitur *contritio*, & vocatur à Patribus *pœnitentia*, etiamsi sit actus charitatis, quia est verus dolor, imò perfectissimus de peccato; est enim odium peccati propter Deum cum mutatione propositi, per quem conteritur cor, & in cineres redigitur, & hæc est pœnitentia Christiana, quæ requiritur ad iustificationem, licèt non sit affectus pœnitentiæ, quæ ponitur specialis virtus.

22. Verum est communiter Doctores requirere pœnitentiam, & affirmare non satis esse actum charitatis, si adsit memoria peccatorum; sed per actum charitatis non intelligunt dolorem suprà dictum, sed simplicem affectum amoris Dei sine odio expresso peccati. Itaque docent requiri odium expressum, & detestationem prioris vitæ contra hæreticos, qui affirmant, optimam pœnitentiam, nouam vitam, & sola mutatione vitæ, sine dolore cordis, posse hominem iustificari; non tamen negant Doctores dolorem illum qui dicitur contritio, etiam ad virtutem charitatis pertinere.

23. Dices, quod ad compensandas iniurias factas parentibus & amicis, non constituitur virtus specialis; ergo neque ad compensandas iniurias ipsi Deo. Respondetur negando consequentiam, & ratio discriminis est, quia parentibus & amicis, non possumus satisfacere nisi per actiones externas, verbi gratia, externæ restitutionis pecuniæ ablatæ, & ideo non potest constitui diuersa virtus, propter voluntatem compensandi, præter virtutes actionum externarum, quia actus internus & externus ad eumdem virtutis habitum pertinent, verùm Deo satisfacimus per actionem merè internam, videlicet per actum perfectæ contritionis, & detestationis peccati, qui actus ex proprio obiecto habet suam propriam honestatem independentem ab vllo alio actu interno voluntatis; ac proinde diuersus est ab intentione compensandi, quæ intentio etiam habet suam propriam honestatem, & ideo vterque actus ad vnam, & eamdem virtutem pertinere non potest.

Superest denique probandum, pœnitentiam 24.
quæ est virtus specialis, non coincidere cum religione. Contrarium docuit Caietan. quæst. 85. art. 2. Cuius fundamentum est, quia opera pœnitentiæ sita sunt in quodam cultu diuinæ excellentiæ, & maiestatis; Religionis autem munus est, diuinam excellentiam, nostramque subiectionem profiteri; quod quidem fit confessione peccati, subiectione ad Deum, & operibus satisfactoriis: quòd autem hæc opera exhibeant Deo cultum religionis, probat, quia sicut Deo offerimus sacrificium, & exhibemus cultum pro beneficiis acceptis; sic etiam sacrificamus in remissionem peccatorum, & ad obtinendam veniam: ergo actus pœnitentiæ cultus religionis est.

Hoc autem facilè refellitur, quia actus reli- 25.
gionis non est quæcunque subiectio hominis ad Deum, nam hæc in obedientia, & humilitate reperitur; sed est subiectio Deo exhibita, per modum specialis actus, scilicet in reuerentiam Dei primi auctoris, & fontalis principij bonorum omnium; quæ ratio in nulla alia virtute, sed in solo obiecto religionis reperitur; subiectio verò pœnitentiæ, non attendit hanc rationem excellentiæ, & fontalis principij bonorum omnium, sed solùm rationem placabilis per compensationem, ex quo soluitur fundamentum Caietani, negamus enim opera pœnitentiæ continere subiectionem exhibitam Deo, speciali cultu, & reuerentia, quod necessarium erat vt pœnitere esset actus religionis, sed operibus pœnitentiæ generali quadam ratione colitur Deus; sicut dicitur coli omni actu virtutis, eo quòd omnia opera nostra bona sunt conformia voluntati diuinæ, & redundant in gloriam Dei. Neque refert quòd offeramus Deo sacrificium ad impetrandam veniam peccatorum, sicut offerimus in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, quia ex hoc non sequitur affectum pœnitentiæ esse actum religionis, sed actum sacrificij, quo petimus à Deo spiritum contritionis ad obtinendam veniam, pertinere ad religionem, quod nemo negat, & longè diuersum est. Ex quibus omnibus deducitur, pœnitentiam vt specialis virtus est, esse dolorem de peccatis ex intentione compensandi Deo iniuriam illatam.

Sectio II.

An virtus specialis pœnitentiæ sit infusa, vel adquisita.

26. VIrtutem infusam vocamus illam quæ non adquiritur nostris actibus efficienter concurrentibus, sed à Deo infunditur homine concurrente, & cooperante per meram dispositionem. Huiusmodi etiam virtutes dicuntur supernaturales quoad substantiam, quia motiuum sub quo operantur, non potest homini innotescere sola ratione naturali, sed necessaria est reuelatio fidei, vt viator apprehendat motiuum ex quo debet operari, & est manifestum exemplum in virtutibus theologicis, sola enim ratio naturalis non assequitur Deum reuelare secreta sua hominibus; neque esse

esse auxiliatorem beneficum à quo homo possit sperare; neque rursus cum eo posse iniri amicitia, quia communicatio Dei cum hominibus excedit rationem naturalem. Virtus enim cuius honestas sola ratione naturali deprehendi potest, acquisita est; verbi gratia, virtus temperantiæ acquisitæ, ideo à Theologis talis appellatur, quia mediocritas cibi, & potus ex intentione conseruandi salutem, & decenter se habendi ad proximum, hoc est, ne grauentur corda nostra crapula, aut ebrietate, non est honestior actio, quàm quæ ratione naturali attingi possit.

26. Conclusio est affirmatiua, quam docent communiter Theologi cum D. Thoma in hoc loco art. 5. & probatur, quia motiuum ex quo operatur pœnitentia, non potest innotescere sine reuelatione fidei: cùm ergo actus pœnitentiæ supponat essentialiter actum fidei virtutis theologicæ, necesse est ipsam pœnitentiam esse virtutem infusam. Antecedens probatur, quia intentio compensandi peccatum non potest haberi sine fide Dei remuneratoris. nam qui intendit compensare peccatum, intendit placare Deum, & ipsum flectere ad misericordiam; hoc autem non potest intendere, nisi credat Deum placari contritione peccatoris, & largiri veniam peccati intuitu pœnitentiæ. Constat autem hanc recognitionem & fidem, non posse haberi sola ratione naturali.

27. Secundò probatur, quia illa intentio pœnitentis specialis non potest haberi sine actu spei virtutis theologicæ, quia intentio efficax placandi Deum, non potest haberi sine spe consequendi veniam, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 9. *Qui arat, in spe debet arare, & qui triturat, in spe fructus percipiendi.* 1. Cor. 9.

28. Obiicies, quia motiuum ex quo operatur hæc virtus, sola ratione naturali deprehenditur esse honestum: ergo ipsa non est virtus infusa. Antecedens probatur, quia intentio compensandi Deo per dolorem, & displicentiam peccati, est honesta, & solo lumine naturali, abundè cognoscitur honestas eius, quia extra dubium honestum est, Deum iratum placare per pœnitentiam, & ratio naturalis assequitur placari posse; hoc enim cognouerunt Philosophi Gentiles sine reuelatione Spiritus sancti.

29. Respondetur, Philosophos Gentiles etiamsi existimauerint Deum placari per pœnitentiam, non fuisse assequutos excellentiam pœnitentiæ Christianæ; hæc enim intendit placare Deum, vt homo restituatur in eius amicitiam per veram renouationem cordis, & eradicationem peccati; Gentiles verò nitebantur placare Deum ad effectum tantùm redimendi temporales pœnas, quibus à Deo puniri timebant; nunquam autem intellexerunt ex pœnitentia oriri veram mundationem animi, per infusionem Christianæ, & inhærentis iustitiæ; quod doctè annotauit Dominicus de Soto in 4. distinct. 14. quæst. 2. art. 2. quem laudat Vazquez, & meritò

30. Deinde sequitur etiam necessariò actum pœnitentiæ specialis non inueniri sine affectu charitatis; ac proinde non esse actum virtutis acquisitæ, quia intentio compensandi Deo, est affectus efficax hominis intendentis re ipsa compensationem exhibere: sed non est aliud medium ad compensandum Deo peccatum, præter dolorem quem diximus esse actum charitatis: ergo qui habet intentionem specialis pœnitentiæ, cogitur elicere dolorem illum, vel desistere à priori voluntate. Patet consequentia, quia intentio efficax finis dependentis a medio vnico, cogit acceptare medium illud, si perseuerandum est in ea intentione, quia cum illo medio non appareat rationali, imò potiùs resplendeat tota vtilitas ad finem, non potest respici ab intendente finem, quin eligat medium illud.

Ex quo infertur, contrarium sibi esse Durandum in 4. distinct. 14. quæst. 2. dùm ex vna parte affirmat, pœnitentiam esse virtutem acquisitam, & ex alia docet, supponere imperium virtutum theologicarum, quia, vt prædictum est, honestas virtutis acquisitæ satis innotescit ratione naturali; ac proinde virtus acquisita ex sola directione luminis naturalis operari potest. 31.

SECTIO III.

Quodnam sit subiectum pœnitentiæ.

HÆc difficultas habet locum in communi sententia, quod pœnitentia sit virtus specialis. nam qui dicunt dolorem de peccatis esse affectum generalem omnium virtutum, facilè se expediunt ab hac difficultate; dicunt enim pœnitentiæ non esse assignandum vnicum subiectum, sed multiplex, iuxta exigentiam virtutum, ad quas pertinet dolere de peccatis. 32.

Et quidem si loquamur de proximo subiecto D. Thom. cum communi schola cogitur assignare voluntatem pro subiecto pœnitentiæ, eo ipso quòd assignat illam tanquam virtutem specialem, quia virtus pœnitentiæ est pars protestatiua iustitiæ, & voluntas est subiectum omnium virtutum quæ continentur sub iustitia. Præterea, quia actus specialis pœnitentiæ est intentio compensandi peccatum; intentio verò actus voluntatis est. 33.

Difficultas ergo procedit de subiecto remoto, videlicet natura creata substantiali, ratione, & libertate prædita, nimirum an hæc virtus fuerit in Christo Domino, in Beata Virgine, in primis parentibus in statu innocentiæ, & in Angelis viatoribus, tum etiam in Beatis. 34.

Pro quo obseruandum est, non esse efficax fundamentum ad negandum alicui habitum specialis pœnitentiæ, quòd nunc non sit vsurus illius actu. nam etiam cessante omni vsu aliquando habitus non manet superfluus, solet enim dari ad ornamentum; si enim illa ratio satis esset ad negandum actum, sequeretur, pueris qui morituri sunt ante vsum rationis, non infundi habitus fidei, & spei in Baptismo, nunquam enim vsuri sunt dictis habitibus in hac vita, quia, vt suppono, non attingunt vsum rationis; neque in altera, quia actus fidei secundùm omnes, & actus spei secundùm aliquos, non manent in patria, & nihilominus vniuersa schola docet infundi paruulis in Baptismo. Regula ergo quam oportet obseruare ad ponendum, vel negandum habitum, est repugnantia, vel non repugnantia operationis. nam si actus virtutis non repugnat subiecto, etiamsi ex accidenti contingat subiectum impediri ab operatione habitus, sine absurdo potest talis habitus tribui subiecto: si verò operatio habitus repugnat subiecto, vel ratione status, vel alterius qualitatis, non potest sine absurdo concedi habitus, frustrà enim dixerit subiectum disponi per habitum ad actum sibi impossibilem. 35.

Prima conclusio. In Christo Domino non fuit virtus pœnitentiæ; probatur ex regula suprà dicta, quia Christo Domino repugnat actus pœnitentiæ ratione impeccabilitatis; cui enim impossibile est peccare, impossibile est pœnitere. nam materia 36.

ria necessaria actus pœnitentiæ debet esse peccatum commissum.

37. Dices in Christo Domino fuisse actum huius virtutis, quia fuit in eo voluntas efficax compensandi peccatum primi parentis, & cætera peccata posterorum; hæc tamen voluntas impropriè dicitur actus pœnitentiæ specialis, cuius obiectum est compensatio offerenda pro peccato proprio, quod Christus non potuit habere, & quamuis de peccato alieno possit esse displicentia & dolor, pœnitentia tamen nisi de peccato proprio esse non potest, vt docet D. August. quæst. 2. ad Simplicianum. *In omnibus*, inquit, *opus pœnitendi proculdubio est voluntas mutandi cum dolore in se, id quod temere fecit.* Ex quibus verbis non solùm confirmatur nostra conclusio, sed etiam desumitur fundamentum eius, quia pœnitentia non potest esse sine mutatione consilij, & voluntatis: sed intentio satisfaciendi pro peccato alieno potest esse sine mutatione consilij & voluntatis; ergo non est pœnitentia. Minor probatur, quia Christus habuit intentionem satisfaciendi pro peccatis alienis, sine mutatione consilij & voluntatis; constantissimus enim fuit in eodem consilio, & in eadem voluntate perseuerauit semper.

August.

38. Quæ alij respondent, in Christo inueniri virtutem pœnitentiæ, quia in eo inuenitur hic actus, si peccarem, vellem satisfacere. Hoc autem multo minus defendi potest, quia hæc verba, si peccarem, vellem satisfacere, non significant actum, qui in præsenti sit in voluntate; omnis enim actus præsens significatur verbo indicatiuo, *volo*, aut *placet*; optatiuus modus non significat actum præsentem, sed futurum, & suspensum conditione; dicere enim, si peccarem, vellem satisfacere, hunc habet sensum, si peccarem, haberem actum quo eligerem satisfactionem; in præsenti autem solùm ostenditur ex parte subiecti verum iudicium, & certa præsensio satisfactionis futuræ sub conditione; sed hoc iudicium Christus non habet; indecorum enim esset sanctissimam illius animam occupari in hac cogitatione, si peccarem, quid feciſſem; esset enim cogitatio otiosa, & inutilis, quia Christus scit se ab intrinseco impeccabilem, & illam conditionem omnino impossibilem; ac proinde frustrà, & inutiliter consiliaretur, aut cogitaret de euentu quem scit euenire non posse.

39. Solùm potest concedi in Christo simplex affectus amoris erga compensationem in genere, & simplex odium & displicentia de peccato, isti enim affectus non repugnant impeccabilitati Christi, quia circa bonum impossibile, potest dari simplex affectus amoris, & circa malum impossibile, simplex etiam odium; hi autem affectus non sunt specialis pœnitentiæ: quia difficultas specialis huius virtutis posita est in efficaci intentione compensandi. nam qui hanc intentionem habet, cogitur abstinere cum effectu ab omni delectabili prohibito, quæ difficultas non inuenitur in simplici amore compensationis; talis enim amor potest inueniri in peccatore, quia compensatio peccati, ex se ipsa considerata non displicet peccatori, sed displicent molestiæ coniunctæ cum ipsa compensatione: vnde prouenit vt peccator qui quantum est ex honestate compensandi, desiderat pœnitentiam, vincatur à contraria voluntate, propter molestias adiunctas, & desinat pœnitere. Dicendum ergo est, in Christo Domino non esse virtutem specialis pœnitentiæ.

40. An verò saltim fuerit in beata Virgine, maior difficultas est, non enim desunt constituentes in Virgine huiusmodi virtutes, eo quòd non est facta impeccabilis ab intrinseco sicut Christus, sed extrinseca protectione Dei, & gratia efficaci, qua in singulis actibus præueniebatur; cùm ergo ab intrinseco non amiserit potentiam peccandi, non reputant absurdum tribuere illi virtutem pœnitentiæ, quia ex natura rei dicunt non repugnasse illi peccatum.

41. Secunda conclusio. In sanctissima Virgine non fuit virtus specialis pœnitentiæ; probatur, quia vndecumque proueniat impeccabilitas, redditur impossibilis materia pœnitentiæ, & ex consequenti fit etiam impossibilis compensatio; frustrà ergo dixeris, Virginem sanctissimam dispositam fuisse per habitum huius virtutis ad actum qui redditus erat ei impossibilis.

42. Circa tertiam, videlicet an primus parens in statu innocentiæ habuerit virtutem pœnitentiæ specialis. D. Thom. 1. part. quæst. 91. art. 3. tenet partem affirmatiuam, quia ita, inquit, erat dispositus primus parens, vt si peccaret, vellet satisfacere; eadem enim ratione habuit etiam virtutem misericordiæ, quia ita dispositus erat, vt si videret miseriam proximi, adiuuaret illum vero compassionis affectu. Hæc tamen doctrina difficilè conciliari potest cum alia eiusdem Doctoris Angelici 1. 2. quæst. 89. art. 3. videlicet, primum peccatum hominis post illum statum necessariò fore mortale, quia in eo statu existimat non potuisse peccare venialiter. Quæ duo, vt dixi, difficilè conciliari possunt, quia si primum peccatum hominis non potuit esse veniale, materia pœnitentiæ facta est impossibilis pro illo statu. Peccatum enim mortale quod esset certa materia pœnitentiæ, necessariò dissolueret illum statum, & ex consequenti etiam expelleret virtutem pœnitentiæ, quæ, vt dixi, non potest manere in peccatore; ergo si virtus pœnitentiæ infusa homini pro illo statu, prius debuisset amitti, quàm haberet materiam circa quam operaretur, sequitur pro illo statu esse ociosam, & inutilem, quia disponeret ad actum impossibilem, qui in eo statu esse non posset.

43. Quòd si respondeas cum Ricardo in 4. dist. 14. art. 3. quæst. 2. & cum Soto art. 5. satis esse quòd post lapsum ab illo statu felicissimo, posset homo operari ex alia simili virtute, & habere verum dolorem in compensatione peccati. Hanc solutionem inanem reputat Vazquez in hoc loco, & meritò, quia posse operari alio tempore ex alia virtute simili, non tollit inutilitatem præcedentis. nam habitus pœnitentiæ infusus homini in priori statu non potuisset habere operationem aliquam defectu materiæ, vt dictum est. Forma autem indiuidua quæ disponit ad actum sibi impossibilem, otiosa est, & inutilis: ergo forma quæ datur propter operationem, cuius materia est impossibilis, inutilis, & otiosa manet.

44. Neque est eadem ratio de misericordia & pœnitentia. nam materia misericordiæ non erat homini impossibilis pro illo statu, sicut materia pœnitentiæ; quia materia misericordiæ est miseria aliena, & non repugnabat cum felicitate primi hominis miseria in aliquo posterorum. Materia verò pœnitentiæ est peccatum proprium, quod si ex necessitate debuit esse mortale, per materiam pœnitentiæ solui oportebat statum illum; ac proinde virtus pœnitentiæ infusa à principio illius status maneret omnino inutilis, quia prius deberet amitti

Digitized by Google

amitti quàm haberet materiam, vt operaretur; virtus verò misericordiæ vtilis manere posset.

45. Si verò dicatur, primum peccatum hominis potuisse esse veniale, quod non ignobiles Theologi censent, nulla est difficultas si dicamus primo parenti infusam fuisse hanc virtutem, quia perseuerante statu innocentiæ, potuit habere materiam circa quam operaretur. Eadem ratione defendi potest, infundi paruulis in Baptismo prædictam virtutem, quia post vsum rationis possunt peccare venialiter, prius quàm mortaliter. Quòd si obiicias D. Thom. 1. 2. quæst. 89. docentem primum peccatum hominis venientis ad vsum rationis, non posse esse veniale. Respondeo D. Thom. intelligendum esse, si homo peccat in illo instanti. nam si pro eo instanti conuertatur ad Deum, nihil prohibet tunc accipere iustitiam, & augmentum gratiæ, & potest homo peccare insequenti tempore, quod peccatum quia potest esse veniale, potest etiam remanere cum actu pœnitentiæ infusæ, ex quo oriatur compensatio illius.

46. Circa quartum, an in Angelo viatore fuerit virtus pœnitentiæ. Qui existimant Angelum esse inflexibilis arbitrij, & non posse conuerti ab eo quod semel elegit, tenentur dicere, non fuisse in illo dum viator erat, pœnitentiæ virtutem, quia fuit illi impossibilis mutatio consilij & electionis, sine qua non potest inueniri actus pœnitentiæ. Difficultas ergo solùm procedit in opinione eorum qui existimant, Angelum posse conuerti ab eo quod semel elegit, si Deus tribuerit illi conuersionis gratiam. In qua sententia videndum est, an Angelus potuerit peccare venialiter. nam si peccatum Angeli necessarium debuit esse mortale, frustrà diceremus habuisse virtutem pœnitentiæ, quæ prius debuisset amitti, quàm haberet materiam, vt operaretur. Quòd si Angelus potuit primò peccare venialiter, non est inconueniens quòd habuerit illam virtutem, iuxta id quod diximus de paruulis baptizatis. D. Thom. 1. 2. quæst. 89. art. 4. existimat, Angelum non potuisse peccare venialiter, quia non potest appetere ea quæ sunt ad finem, nisi sub ordine finis, & ideo vt in Angelo sit deordinatio circa media, debet etiam esse circa finem; hæc verò inordinatio est peccatum mortale. Sed Gabriel Vazquez in commentario illius articuli existimat, Angelum potuisse peccare venialiter, non quidem ex subreptione, sed ex leuitate materiæ, quia inordinatio circa finem non necessariò auertit à fine charitatis; satis enim est quòd inuertat ordinem præsentis negotij. Quid enim, inquit, prohibet, quòd Angelus amet creaturam aliquam venialiter malam propter se ipsam, neque in ordine ad eum finem charitatis, neque ex fine peccati mortalis. Ex subreptione autem concedit, in Angelo non posse cadere peccatum veniale, quia subreptio oritur ex sensibus, tangitur enim anima dulcedine obiecti sensibilis, quia est sensibus alligata, & ideo ex præoccupatione sensuum consentit aliquando in obiectum prohibitum absque plena deliberatione. Quæ ratio non procedit in Angelis qui carent sensibus. Hæc sententia si vera est, facilè concedet virtutem pœnitentiæ in Angelis, de quo non habemus maiorem certitudinem.

47. Denique circa Beatos, an in eis sit habitus pœnitentiæ, pars negatiua probatur ab aliquibus, quia status beatitudinis excludit dolorem de peccatis, Apoc. 7. & 21. dicitur enim Apocalypsis 7. & 21. *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum, & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, sed neque vllus dolor.* Cùm ergo compensatio peccati, quæ est dolor de peccatis propter Deum, repugnet summæ felicitati, & lætitiæ beatitudinis, frustrà diceremus in Beatis manere habitum ad eliciendam intentionem compensandi. nam quando medium vnicum redditur impossibile, impossibilis etiam est intentio.

Sed hæc ratio non conuincit intentum, quia 48.
non obstante gaudio beatitudinis, potest Beatus habere odium peccati efficacissimum, sine dolore & molestia. Quòd enim odium peccati in via dicatur contritio, & dolor, inde est quia habet adiunctam anxietudinem, & amaritudinem animæ. Cæterùm, odium peccati quatenus est offensa Dei, manere potest in patria tanquam affectus charitatis, sine cruciatu & dolore: quinimo potest esse materia delectationis, & gaudij.

Quare distinguendum esse existimo, nam Beati 49.
sunt in duplici differentia, quidam nunquam peccauerunt, neque venialiter, v.g. infantes, & innocentes, & in huiusmodi Beatis non video quo fine constituatur habitus pœnitentiæ, quia compensatio pro peccato proprio facta est illis impossibilis. Quidam verò peccauerunt, & surrexerunt per pœnitentiam, & in his maiori probabilitatis specie constitui potest habitus pœnitentiæ ad ornamentum animæ. Quòd si quis contendat, neque in his inueniri, quia hæc virtus tantùm est ornamentum viatorum, & Beati loco illius actus, quem diximus esse odium peccati, ex charitate habent alium felicissimum, qui est perpetua gratiarum actio pro beneficio iustificationis, & beatitudinis, non contradicam, quamuis contrarium existimem esse probabilius, vt alibi docui.

Sectio IV.

An per pœnitentiam remoueantur omnia peccata mortalia.

IN hac re primus error est quem tenuerunt Ca- 50.
taphrygæ, & alij relati ab Epiphanio hæresi 59. & Hieronymo epist. 50. & 54. & August. de vera & falsa pœnitentia cap. 30. qui docebant, peccata commissa post Baptismum, non posse remitti per pœnitentiam. Secundus error fuit aliorum asserentium, pœnitentiam sufficientem esse ad tollenda semel peccata, non tamen sæpiùs, qui error solet tribui Montano, & postea in illum incidit Tertullianus, vt constat ex Hieronymo de scriptoribus Ecclesiasticis: licèt non desint qui censeant, Tertullianum postea errorem suum retractasse. Tertius error est aliorum qui docuerunt, & si pœnitentia sit sufficiens ad peccata delenda non solùm semel, sed etiam sæpissimè; tamen quædam esse grauiora peccata, quæ per pœnitentiam deleri non possint, ita Nouatus, vt constat ex Eusebio lib. 6. historiæ Ecclesiasticæ cap. 35.

Sit tamen conclusio, vera & catholica sen- 51.
tentia est, nullum esse peccatum adeò graue, etiamsi post Baptismum sit commissum, quod vera pœnitentia non deleat, non solùm semel, sed quotiescunque in illud incidat peccator. Ita D. Thom. quæst. 86. art. 1. & oppositum censet esse erroneum, idem docent August. epist. 108. Cyprianus sermone de ablutione pedum. Cyrillus Catech. 2. Chrysost. homil. 7. ad populum, & alij Patres relati à Bellarm. lib. 2. de Pœnit. cap. 12. & 13.

Vt

Digitized by Google

52. Vt autem hanc veritatem explicemus, & probemus, præmittendum est, in omni lege fuisse remedium aliquod ad delenda peccata mortalia, quotiescumque committerentur in hac vita, quantumuis grauia, & enormia essent. Si enim aliquod peccatum commissum in hac vita nullo remedio deleri potuisset, sequeretur in primis, hominem post illud commissum, non esse viatorem. nam post commissum peccatum, quod nullo remedio possit remoueri, non posset tendere in patriam. Secundò sequeretur pro eo peccato quod nullo medio deleri posset, Christum non satisfeciisse, etiam quoad sufficientiam. Tertiò sequeretur, hominem qui tale peccatum commisisset, desperare posse de sua salute, sine iniuria diuinæ misericordiæ.

53. Præmittendum est etiam, in lege naturæ, & scripta, cùm in illis non esset sacramentum Pœnitentiæ, neque aliquid aliud quod causaret gratiam ex opere operato, remedium ad delenda peccata actualia non fuisse aliud nisi actum pœnitentiæ; tum quia nullus actus est acceptior dispositio ad delenda peccata, quàm actus veræ pœnitentiæ. Tum etiam, quia huic tribuitur in sacra Scriptura remissio peccatorum, etiam ante legem gratiæ, vt constat ex verbis illis Sapientiæ 11. *Dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.* Et Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego.* Et Ezechielis 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor.* & ex aliis multis quæ passim in sacris literis reperiuntur.

Sap 11. Ierem. 18. Ezech. 18.

54. Denique præmittendum est, me hîc nomine pœnitentiæ non intelligere actum specialis virtutis, de quo in præcedentibus fuit sermo, sed actum pœnitentiæ generaliter sumptæ, vt comprehendit etiam veram, & perfectam contritionem.

55. Quibus positis facile est veritatem istam probare in lege gratiæ, quia in ea non solùm non caremus remediis ad delenda peccata, sed ea habemus vberiora, & faciliora, quàm in lege naturæ, & lege scripta; ergo cùm probatum sit in illis legibus, pœnitentiam fuisse remedium sufficiens ad delendum quodcumque peccatum, non est denegandum esse hoc remedium in lege gratiæ.

56. Dices, in lege gratiæ esse remedium ad delenda peccata actualia; hoc tamen non esse actum virtutis pœnitentiæ, sed sacramentum Pœnitentiæ, quod in lege gratiæ successit loco contritionis, sicut ad delendum peccatum originale est remedium in lege gratiæ; non tamen idem quod erat in lege scripta, sed diuersum: nam circumcisioni legis scriptæ, successit Baptismus in lege gratiæ.

57. Sed contrà est primò, quia hæretici cum quibus disputamus, vtplurimum non solùm negant actui contritionis sufficientiam ad delenda peccata, verùm etiam sacramento; atque ita illi optimè conuincuntur argumento proposito.

58. Secundò, quia cùm contritio non esset sacramentum legis scriptæ, aut præceptum aliquod cerimoniale, vel iudiciale illius legis, sed quidam actus virtutis, non est illi deneganda in lege gratiæ vis quam habebat in lege naturæ, & in lege scripta. nam licèt sacramenta veteris legis cessauerint aduenientе lege gratiæ, & similiter præcepta cerimonialia, & vtplurimum iudicialia; tamen actus virtutum non cessarunt, neque eam vim quam in aliis legibus habebant, amiserunt; vt videre est in actibus aliarum virtutum.

59. Tertiò, quia in lege gratiæ non est arctior via salutis, quàm in lege scripta; sed si oporteret re ipsa suscipere sacramentum Pœnitentiæ, & non sufficeret contritio, quæ continet illud in voto, arctior esset via salutis, cum sæpissimè difficilius sit sacramentum Pœnitentiæ re ipsa suscipere defectu ministri, quàm de peccatis perfectè conteri; ergo dicendum est, etiam in lege noua sufficere ad delenda peccata actum perfectæ contritionis includentem votum sacramenti. Accedit denique Concilium Trident. sess. 14. vbi expressè docet, contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo, priusquam sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur.

60. Obiicies primò, verba illa Pauli ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti, &c. & pro lapsi sunt, rursus renouari ad pœnitentiam.* Respondetur, sensum D. Pauli esse, impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati, hoc est, baptizati, si labantur in peccatum, iterum renouari ad pœnitentiam; hoc est, renouari ea renouatione quæ fit in Baptismo, quia Baptismus non est iterabilis; quare ibi pœnitentia non sumitur pro sacramento Pœnitentiæ, sed pro pœnitentia quæ solebat præcedere Baptismum. Ita explicat D. Thom. suprà quæst. 84. artic. 1. ad primum, & plures alij Patres. Secundus sensus est D. Anselm. in cap. 6. ad Hebr. qui docet, verba illa intelligenda esse de his qui post magnam vitæ perfectionem, & postquam diuina dona interno quodam gustu quasi senserunt, & futuras delitias ineffabili quodam mentis sapore prælibauerunt, & post hæc lapsi sunt, non quomodocumque, sed ita, vt diu in peccatis, & vitiis demersi iaceant. Nam prolapsi non dicuntur, inquit Anselmus, qui labuntur in peccatum, & citò resurgunt, vt contingit Dauidi, & aliis viris perfectis; sed prorsus lapsi, vel proeul lapsi; hoc est, qui per longum tempus in peccato iacuerunt. In quo autem sensu dicatur impossibile esse eos renouari ad pœnitentiam, dicemus in sequentibus. Hebr. 6.

61. Obiicies secundò, verba illa Matthæi 12. & Lucæ 12. in quibus blasphemia in Spiritum sanctum dicitur, non remittenda in hoc seculo, neque in futuro. Quæ obiectio petit vt explicemus duo. Primum est, quid sit blasphemia in Spiritum sanctum. Secundum est, in quo sensu dicatur blasphemiam, seu peccatum in Spiritum sanctum, non esse remittendum in æternum. Matth 12. Luc. 12.

62. Circa primum, Magister in 2. distinct. 43. affirmat, peccatum in Spiritum sanctum, esse quoduis peccatum ex malitia. nam cùm Patri approprietur virtus, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas; ideo peccatum ex infirmitate dicitur per appropriationem esse contra Patrem, peccatum ex ignorantia contra Filium, peccatum ex malitia contra Spiritum sanctum. August. serm. 11. de verbis Domini docet, peccatum in Spiritum sanctum, esse finalem impœnitentiam. nam quia remissio peccatorum tribuitur Spiritui sancto, ideò qui impœnitens est vsque ad finem vitæ, dicitur in Spiritum sanctum peccare. Idem Augustinus in quæstionibus vtriusque Testamenti, quæst. 101. & communiter Patres, & Scholastici existimant, peccatum in Spiritum sanctum, de quo loquebatur Christus locis citatis, esse quando opera Spiritus sancti Dæmoni tribuuntur: & hanc esse legitimam expo-

Digitized by Google

sitionem verborum Christi, constat ex contextu. nam hoc dixit Christus Pharisæis asserentibus illum in Beelzebut eiicere dæmonia, atque adeò manifesta opera Spiritus sancti Dæmoni tribuebant.

63. Circa secundum, Abulensis in hunc locum Matthæi allegat, peccatum in Spiritum sanctum dici non remitti, quia nunquam remittitur sine pœnitentia; peccatum autem in Filium hominis, dici à Christo remissibile, quia procedit ex ignorantia invincibili, & ideo verum peccatum non est. Hæc tamen expositio non placet, quia sequeretur, omne peccatum quod non est ex ignorantia invincibili, esse peccatum in Spiritum sanctum. D. Chrysostom. in cap. 12. Matthæi affirmat, hoc peccatum dici irremissibile, seu nunquam remittendum, non quia re ipsa nunquam remittatur, sed quia ita difficilis est eius remissio, vt ratò remittatur, id enim quod, regulariter loquendo, non accidit, solet in sacris literis appellari impossibile. nam Sapientiæ 12. dicitur de Cananæis; *Nequam est ratio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum, in perpetuum.* de quibus tamen in eodem capite dicitur, dedisse illis Deum tempus, & locum, per quæ possent mutari à malitia. Et Matth. 19. dicitur, *Facilius esse camelo ingredi per foramen acus, quam diuiti ingredi in regnum cælorum*, quod idem est ac si diceret, esse impossibile, & tamen postea subiungit, hoc esse possibile diuiti per gratiam Dei. Hanc expositionem sequuntur communiter Scholastici, & iuxta eam facile intelligitur quo pacto dicatur impossibile agere pœnitentiam, eos qui ad magnam vitæ perfectionem peruenerunt, & abundantioribus gratiæ donis sunt illustrati, si prolabantur, hoc est, si diu in peccatis iaceant, & perseuerent.

Sap. 12.

Matth. 19.

64. Obicies tertiò, verba illa 1. Ioannis 10. *Est peccatum ad mortem, non pro illo dico vt roget quis*; ergo datur aliquod peccatum pro quo non possumus orare; atque adeò quod non possit remoueri per pœnitentiam. Respondetur, peccatum ad mortem esse peccatum, quod perseuerat vsque ad mortem, & in quo quis vita fungitur, pro quo non est orandum, ex quo nihil contra nos. Ita expositi Augustin. serm. 1. de verbis Domini.

1. Ioan. 10.

65. Denique obicies plura testimonia sacræ Scripturæ, in quibus Deus dicitur non exaudire aliquos peccatores, vt Psalm. 17. *Clamauerunt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos.* quod probatur exemplo Antiochi 2. Machab. 9. vbi dicitur, *Orabat scelestus Dominum, à quo non erat miserieordiam consequuturus*, & D. Paul. ad Hebr. 12. loquens de Esau ait, *Non inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam.* Respondetur, testimonia sacræ Scripturæ quæ significant Deum non exaudire aliquos, non esse intelligenda de peccatoribus verè pœnitentibus, & orantibus pro remissione culpæ, sed de his qui solùm orant, vt liberentur ab aliquo damno temporali, itaque Esau pœnituit, non tamen suorum peccatorum, sed hæreditatis, & benedictionis paternæ amissæ similiter Antiochus orauit, non petendo auxilium ad pœnitentiam, sed vt eriperetur à molestissima infirmitate qua detinebatur.

Psalm. 17.

2. Machab. 9.

Hebr. 12.

* * *

SECTIO V.

An possit homini remitti peccatum mortale sine pœnitentia.

66. SErmo est de remissione peccati extra sacramentum, atque adeò de pœnitentia vt est virtus, non quidem de ea quæ est virtus specialis distincta à charitate, & aliis virtutibus, sed de pœnitentia generaliter sumpta, quatenus comprehendit etiam contritionem. Quæ difficultas duplicem potest habere sensum, primus est de lege ordinaria, secundus verò de potentia Dei absoluta, & in vtroque sensu explicabitur.

67. Obseruandum est primò, quid sit actualis, & formalis dolor, quidve virtualis. Actualis dolor, seu pœnitentia actualis, & formalis, est quotiescumque homo habet verum, & actualem dolorem, & displicentiam de peccatis commissis. Dolor verò, seu pœnitentia virtualis, est formaliter alius actus à dolore formali, tantæ virtutis & vis, vt ex eo necessariò sequatur dolor actualis peccatorum si tunc venirent in mentem. Qua ratione actus dilectionis Dei super omnia, dicitur contritio, seu dolor peccatorum virtualis: cùm enim actus charitatis sit omnino efficax, naturaliter mouet voluntatem ad detestandum peccatum, in quo homo scit se esse: sicut intendens efficaciter finem, non potest non velle medium, quod scit esse necessarium ad acquirendum illum finem, si perfectè videat necessitatem illius medij: quapropter eodem instanti quo efficaciter intendit finem, necessariò eligit illud medium: ita amans Deum super omnia, si aduertat se in peccato esse, eodem instanti illud detestatur. Vnde actus charitatis, seu dilectionis Dei super omnia, dicitur virtualis dolor: tum, quia talis actus continet in se vim, & virtutem formalis doloris, quatenus sicut hic dolor purgaret peccata si adesset, ita ille purgat: tum etiam, quia re ipsa hunc dolorem inferret si cogitatio de peccatis haberetur, quodve actu non inferat per accidens est, ob absentiam istius cogitationis.

68. Secundò obseruandum est, actum dilectionis Dei super omnia qui est virtualis pœnitentia, & detestatio cuiuscumque peccati mortalis; & actum formalis pœnitentiæ qui est contritio, esse separabiles; itavt possit elici actus dilectionis, quin eliciatur actus contritionis: & ratio est manifesta, quia obiectum dilectionis omni ex parte potest cognosci sine obiecto contritionis; ergo voluntas potest elicere actum dilectionis, sine actu formalis contritionis; patet consequentia, quia quando intellectus potest concipere obiectum vnius actus, sine obiecto alterius, potest voluntas elicere vnum actum sine alio. Antecedens probo, quia obiectum dilectionis est Deus, & eius bonitas; obiectum verò contritionis est peccatum, & eius malitia, quatenus opponitur voluntati diuinæ: sed nihil obstat intellectum cognoscere Deum, & eius bonitatem, absque eo quòd cognoscat peccatum proprium, in communi, vel in particulari; ergo potest cognosci obiectum dilectionis, absque eo quòd cognoscatur obiectum proprium contritionis.

60 Prima conclusio. Peccata mortalia extra sacramentum nunquam remittuntur sine formali contritione ei, qui memor est suorum peccatorum. Hæc conclusio est communis inter Theologos, & [illegible]

Luc. 13. apertè colligitur ex ſacra Scriptura, Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* & Apoc. 2. Eccli. 2. Apocalyp. 2. *Memor eſto unde exciderit, & age pœnitentiam: ſin autem*, &c. Eccleſiaſt. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei.* Ac proinde res hæc eſt diffinita in Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. Trident. & Canon. 5. vbi aſſeritur. *Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus neceſſarius.* quæ verba de actuali, & formali dolore, proculdubio accipienda ſunt.

70. Secunda concluſio. Qui nullo modo eſt memor ſuorum peccatorum, poteſt per actum dilectionis Dei ſuper omnia iuſtificari, atque adeò per virtualem pœnitentiam, ſine actuali, & formali contritione. Ita Scotus in 4. diſtinct. 14. quæſt. 1. art. 3. quem ſequuntur Suarez hîc diſp. 9. ſect. 1. num. 6. Vazquez quæſt. 86. artic. 2. dub. 1. & ferè omnes Recentiores; & probatur, quia, vt prædictum eſt, actus perfectæ dilectionis Dei ſuper omnia, poteſt haberi ab homine exiſtente in ſtatu pecati mortalis, dum de eo per naturalem obliuionem non cogitat; ſed talis actus vel eſt forma formaliter ſanctificans, vel eſt vltima diſpoſitio ad hanc formam quam ſemper eodem tempore comitatur; ergo ſine formali, & actuali dolore, & pœnitentia, poteſt homo iuſtificari cum ſola virtuali. Minor conſtat ex ſacra Scriptura. Lucæ 7. Luc. 7. *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum,* 1. Petr. 4. & 1. Petr. cap. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 1. Ioan. 4. & 1. Ioann. cap. 4. *Omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.*

71. Secundò probatur, pœnitentia non poteſt eſſe magis neceſſaria homini, quàm Baptiſmus. nam tam Baptiſmus, quàm pœnitentia ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem: ſed fieri poteſt vt quis ſaluetur cum ſolo implicito voto Baptiſmi, vt docent communiter Doctores in tractatu *De Baptiſmo*; ergo ſimiliter explicata, & formalis pœnitentia non eſt neceſſaria ad ſalutem in quolibet caſu.

72. Ex quibus infero, ad iuſtificationem non eſſe neceſſarium expreſſum propoſitum cauendi peccata futura, cùm homo non aduertit ad aliud, quàm ad peccata commiſſa, nec de futura vita, nec de vitando peccata futura cogitat, quia id in mentem non venit, in quo caſu ſola contritio ſufficit ſine propoſito expreſſo cauendi futura: quia actus formalis contritionis virtualiter continet prædictum propoſitum, ſicut de dilectione Dei ſuper omnia dicebamus, quòd ſola ſufficiat ſine dolore actuali in eodem caſu. Videndus eſt Vazquez vbi ſuprà dub. 4.

73. Tertia concluſio. De potentia Dei abſoluta poteſt homini remitti peccatum mortale, abſque vlla formali, aut virtuali deteſtatione illius, ita communiter recentiores, & probatur, quia Deus poteſt infundere gratiam ſanctificantem homini qui peccauit mortaliter, etiamſi illud non deteſtetur, vt patet in peccato originali quod remittitur in paruulis media ſola gratia habituali, ſemel autem infuſa, cùm ſit perfecta ſanctitas, & iuſtitia, etiam in illo qui per actum proprium non ſit conuerſus ad Deum, neceſſariò expellit quodlibet peccatum mortale. Patet conſequentia, quia perfecta ſanctitas, & iuſtitia, non eſt compatibilis cum peccato mortali. Si verò gratia habitualis ex ſe, & ſine vlla dependentia ab actu cõuerſionis in Deum, non eſſet perfecta ſanctitas, & iuſtitia; ergo in paruulis quibus infunditur ſine vlla dependentia ab actu proprio ipſorum, non eſſet vera ſanctitas; atque adeò paruuli baptizati non eſſent ſancti, iuſti, & filij Dei, quod nemo audebit concedere.

74. Præterea, quia fieri nequit, vt idem homo ſit ſimul iuſtus, & iniuſtus; gratus, & ingratus: ſed qui habet ſolam gratiam habitualem, verè & formaliter eſt iuſtus, & gratus, vt conſtat ex tractatu *De iuſtificatione*, vbi docuimus ex Tridentino, cauſam formalem noſtræ iuſtificationis, & ſanctitatis, eſſe gratiam habitualem; ergo cùm hanc poſſit Deus infundere cuilibet adulto, abſque dependentia ab ipſius actibus. Nec eſt vlla planè ratio, ob quam id denegari poſſit diuinæ omnipotentiæ, quæ in ſuis actionibus ad extra nullo modo pendet à creatura, proculdubio poterit quis iuſtificari à quolibet lethali abſque vllo actu doloris formali, vel virtuali, qui producatur ab eo qui iuſtificatur. Neque obſtat actus pœnitentis eſſe vltimam diſpoſitionem ad introductionem gratiæ, quia ſicut Deus poteſt ſupplere efficientiam cuiuſlibet agentis creati, ſine vlla etiam diſpoſitione poteſt introducere gratiam.

75. Obiicies primò, quia non poteſt alicui remitti peccatum, niſi fiat amicus Dei: ſed non poteſt fieri amicus Dei, niſi ſit bonus & iuſtus; bonus autem fieri nequit, niſi peccatum commiſſum deteſtetur, & voluntatem quam auerterat à Deo ad ipſum conuertat. Ergo de primo ad vltimum non poteſt illi remitti peccatum proprium, ſine aliqua deteſtatione formali, aut virtuali illius.

Reſpondetur diſtinguendo minorem. nam ſi ſenſus ſit, hominem non poſſe fieri amicum Dei, niſi ſit bonus per aliquem actum præcedentem ipſius reconciliationem cum Deo, falſum eſt. nam ſufficit vt fiat bonus, & iuſtus, per ipſam formam per quam redditur amicus Dei, & in hoc ſenſu vera eſt minor, ſed ex ea ſic intellecta nihil contra nos.

76. Obiicies ſecundò, quia peccatum mortale habituale conſiſtit in auerſione libera à Deo, atque adeò in priuatione conuerſionis ad ipſum; ſed hæc priuatio liberæ conuerſionis non poteſt auferri, niſi per liberam conuerſionem: ſicut priuatio lucis non poteſt tolli niſi per lucem. Ergo peccatum habituale non poteſt tolli, ſine actu proprio conuerſionis ad Deum Reſpondetur, priuationem in qua conſiſtit peccatum habituale, duobus modis poſſe auferri. Primò per poſitionem formæ cuius eſt priuatio; & hoc modo non aufertur priuatio, in qua conſiſtit peccatum habituale, quia hoc peccatum non conſiſtit in priuatione ſolius gratiæ habitualis, ſed includit priuationem conformitatis habitualis ad legem, quam homo haberet, ſi ſe conformaſſet legi. Secundò poteſt auferri, ſi ex priuatione fiat negatio, hoc eſt, ſi illa conformitas habitualis quæ erat debita, incipiat non eſſe debita: & hoc modo exiſtimo auferri priuationem illius conformitatis per gratiam habitualem, quia cùm per illam homo adoptetur in filium Dei, & accipiatur ad eius amicitiam, remittitur illi omne debitum quod illum reddebat Dei inimicum.

77. Secundò reſpondetur cum Puteano part. 2. quæſt. 86. art. 2. dub. 2. Non ſolùm conuerſionem voluntariam, & liberam; ſed etiam omnino inuoluntariam, aduerſari auerſioni liberæ, quod probat exemplo illius qui liberè conuerſus eſſet ad Occidentem, qui ſi contra propriam voluntatem ab aliquo conuertatur ad Orientem, verè diceretur conuerſus ad Orientem, & auerſus ab Occidente:

Digitized by Google

Occidenti: ita similiter qui liberè peccauit, poterit per omnipotentiam Dei auerti ab eo peccato, & conuerti in Deum, tanquam in vltimum finem, si ei infundatur gratia habitualis, in quo casu verè diceretur conuertus in Deum, sine vlla dependentia ab actu voluntatis.

78. Ex his infertur, vnum peccatum non posse remitti absque alio, etiam de potentia Dei absoluta. Ratio est, quia remissio peccati non fit per condonationem, aut fauorem aliquem extrinsecum, nisi per veram, & inhærentem iustitiam, scilicet per infusionem gratiæ habitualis, quæ est vera, & formalis animæ sanctitas, quæ ita pugnat cum omni peccato, vt neque per potentiam Dei absolutam possit esse simul cum eo; ergo necessariò sequitur nulla vi posse vnum peccatum absque alio remitti.

79. Quamuis autem per pœnitentiam remoueantur omnia peccata mortalia, & reatus ad pœnam æternam; manet tamen in peccatore reatus ad pœnam temporalem; manent etiam reliquiæ peccatorum, vt docet D. Thom. art. 4. & 5. Vocat autem reliquias peccatorum, habitus vitiosos, & prauas omnes inclinationes, mala viuendi consuetudine acquisitas, quæ decursu temporis tolluntur, contrariis virtutum actibus, vt docuit Trident. sess. 14. cap. 8.

Sectio VI.

Quomodo per pœnitentiam deleantur peccata venialia.

80. Svppono ex tractatu de peccatis disp. 6. sect. 3. ex peccato veniali causari in animo aliquam maculam, quæ consistit, non quidem in priuatione alicuius gradus sanctitatis habitualis, sed in denominatione à præcedenti culpa, pro qua homo nondum condignè satisfecit; quæ denominatio, & macula, causa est, vt in homine aliquid sit, quod Deo displiceat, & quod impediat collationem aliquorum donorum, & auxiliorum, quibus homo feruentius vteretur charitate quam habet.

81. Secundò suppono, prædictam maculam deleri non posse per condonationem, seu per extrinsecum Dei fauorem, sed tantùm per formam intrinsecam, & inhærentem ei, cui culpa remittitur; atque adeò ex natura rei incompossibilem cum illa; hæc autem remissio potest fieri, aut in sacramento, aut extra sacramentum, aut cùm iustus cum aliquibus venialibus esse ex hac vita decedit; quæ omnia qua ratione contingant, in sequentibus exponendum est.

82. Prima conclusio. Peccata venialia non remittuntur in homine iusto per quodcumque opus bonum, & honestum ex gratia procedens, etiamsi huiusmodi opus ordinetur ab operante in illum finem, vt ei remittantur venialia. Est contra Gabrielem in 4. dist. 16. quæst. 1. art. 2. & ex parte contra Scotum, distinct. 21. quæst. 1. & probatur, quia peccatum veniale remitti non potest, nisi per id quod est sibi contrarium: at nullum opus bonum, & honestum, ex se, & natura sua, opponitur peccato veniali; quia peccatum veniale consistere potest, & de facto stat cum quolibet bono opere elicito ab homine iusto; ergo quocumque bono eius opere, peccatum hoc non remittitur. Quòd verò opus bonum referatur ad illum finem, talis intentio nihil efficit, si opus ex se non satisfacit pro illo peccato, nec sufficienter retractat illud, nec habet contrarietatem, & repugnantiam cum illo.

Obiicies primò, quodlibet opus bonum ex gratia procedens, est meritorium augmenti gratiæ, & gloriæ; ergo & remissionis culpæ venialis. patet consequentia, quia hæc remissio est quid minus, quàm vita æterna; qui autem potest ad maius, potest etiam ad minus. Respondetur negando consequentiam, quia quodlibet opus bonum non habet contrarietatem, & oppositionem cum peccato veniali, imò cum qualibet gratia sanctificante, ac merito gloriæ, potest stare peccatum veniale. Vnde assertum illud, qui potest ad maius, potest ad minus, verum est, quando maius, & minus sunt eiusdem rationis, & ordinis, & sibi inuicem subordinantur. 83.

Obiicies secundò, quia quocumque opere bono, & honesto, iustus satisfacit pro culpa veniali, & eius reatum tollit; ergo etiam satisfacit pro culpa veniali, & eam remittit. Consequentia est manifesta, quia reatus ad pœnam tolli non potest, nisi remittatur culpa. Respondetur, quòd licèt quolibet opere bono, satisfiat pro reatu pœnæ debitæ peccato iam remisso quoad culpam, non tamen potest satisfieri pro reatu pœnæ debitæ illi peccato, quod quoad culpam nondum remissum est. 84.

Secunda conclusio. Extra sacramentum, nunquam remittitur peccatum veniale per solam attritionem: est contra Suarium disp. 11. sect. 3. & plures alios. Et probatur primò, quia si sola attritio sufficeret sine sacramento, sequitur planè, nunquam venialia remitti verè in sacramento pœnitentiæ; sequela est certa, quia iam semper inueniretur remissio facta per attritionem, quod videtur contra Trident. sess. 14. vbi ait, peccata venialia esse sufficientem materiam sacramenti Pœnitentiæ. Secundò probatur à priori, quia peccatum veniale est vera offensa Dei, quamuis insufficiens ad dissoluendam amicitiam cum ipso. Est etiam aliqualis macula, qua anima maculatur, vt prædictum est: est etiam in eo aliqua auersio à Deo; ergo ad eius destructionem necessaria est aliqua mundities animæ, & aliqua conuersio in Deum; sed hæc nullo modo reperiuntur in attritione, vt constat; quia attritio nec est mundities, & sanctitas animæ; nec per illam iustus conuertitur in Deum; ergo attritio non est sufficiens ad remissionem peccati venialis. 85.

Obiicies, per attritionem peccati venialis sufficienter retractatur voluntas præterita illius; ergo sufficiens est ad illud destruendum. Hoc argumentum, vt bene notat Mærantius disp. 8. sect. 4. si aliquid probaret, simili modo conuinceret, etiam attritione tam deleri posse peccatum mortale, quàm veniale; quia per talem attritionem retractatur, & mutatur voluntas qua peccatum mortale fuit admissum, quod falsum est, quia non obstante prædicta retractatione, manet adhuc in peccatore macula peccati, quod per illam voluntarem admisit, donec per veram sanctitatem, & munditiem destruatur. 86.

Conclusio, in homine iusto ad remissionem peccati venialis extra sacramentum requiritur actualis, vel virtualis contritio: ita Vazquez disp. 141. cap. 2. & facile probatur, quia si huiusmodi contritio habet tantam vim, vt sit sufficiens dispositio ad remissionem peccati mortalis; multo magis sufficiens erit ad delendum venialia: hanc autem 87.

Digitized by Google

autem vim remittendi venialia non concedimus cuilibet contritioni, aut cuilibet actui dilectionis Dei super omnia, sed ei tantùm, qui sit vel formalis, vel virtualis dolor de peccatis venialibus commissis; quia videlicet ita intensè, & feruenter diligit Deum super omnia, vt eodem actu intenso, seu feruenti, vellet dolere etiam de peccatis venialibus commissis, si in mentem veniunt, vt suprà dicebamus de remissione peccatorum mortalium, per pœnitentiam virtualem.

88. Obiicies, quia ex hac doctrina videtur sequi, facilius esse hominem mundari à peccato mortali, quàm veniali; illud enim quolibet actu charitatis, vel contritionis purgatur, non verò istud. Quod videtur contra Tridentinum, sess. 14. cap. 5. vbi postquam docuit, non esse obligationem confitendi venialia, subiungit, hoc posse multis aliis remediis expiari. Respondetur concedendo sequelam, ex hac parte facilius esse, quia quilibet actus charitatis ex natura sua habet oppositionem cum peccato mortali; quam tamen non habet cum veniali, quia potest simul stare cum illo. Tridentinum autem non loquitur de causa formali remissionis peccatorum venialium, sed de causa efficienti; constat autem plures esse causas efficientes remissionis venialium, videlicet sacramenta omnia, & sacramentalia, vt iam explico.

89. Quarta conclusio. Per omnia sacramenta nouæ legis, & ex opere operato destruuntur in nobis peccata venialia, dummodo homo ad minus accedat attritus de eis ad sacramentum recipiendum. De quatuor sacramentis, videlicet Baptismo, Pœnitentia, Eucharistia, & Extrema-vnctione, res est certa, & ferè sine controuersia admittitur à Doctoribus. De aliis verò tribus sacramentis, idem docent ferè omnes recentiores. Difficultas autem consistit in explicando id per quod peccata venialia remittuntur in sacramento. Respondetur, huiusmodi remissionem fieri per ipsammet gratiam, quam confert ipsum sacramentum, non præcisè, & secundùm se consideratam, sed intuitu præuiæ de iisdem peccatis attritionis supra condignum eius meritum. Ita docuit Vazquez 1. 2. disp. 107. cap. 4. & plures recentiores; illa enim gratia quamuis ex se non habeat repugnantiam, & oppositionem cum venialibus, accipit tamen illam ab actu attritionis; & cùm sit animæ sanctitas, & mundities, hoc sufficit, vt possit mundare animam à venialibus.

90. Quinta conclusio. Peccata venialia cum quibus iustus ex hac vita decedit, remittuntur quoad culpam tantùm, in eo instanti in quo anima separatur à corpore, perfecta contritione, siue formali, siue virtuali. Ita communiter Doctores, & probatur, quia ad remissionem venialis necessarius est aliquis actus, quo prior voluntas retractetur, & non sufficit, quòd talis actus sit attritio, quia si hæc non sufficit in hac vita, multo minus sufficiet in altera. Respondetur ergo quòd necessariò debet esse contritio, vel actualis, vel virtualis. Dixi per illum actum remitti venialia quantum ad culpam, non verò quoad pœnam: quia post mortem non est ampliùs tempus mœrendi, nec satisfaciendi, sed solùm satispatiendi, vt communiter docent Doctores, & apertè colligitur ex illis verbis Eccles. 14. 14. *Ante obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud inferos inuenire cibum.*

91. Ex dictis infero, peccatum veniale coniunctum cum mortale in hominibus adhuc in hac vita degentibus, nunquam remitti sine mortali, & ratio est, quia peccatum veniale extra sacramentum non remittitur sine contritione actuali, vel virtuali, & in sacramento sine attritione; ac proinde numquam remittitur absque infusione gratiæ habitualis: cùm ergo hæc pugnet cum omni peccato mortali; consequens est, vnum absque alio remitti non posse, videlicet veniale, absque mortali.

92. Infero secundò, sacramentalia qualia sunt, oratio Dominica, tunsio pectoris, qua vti solemus quando oramus, aspersio aquæ benedictæ, manducatio panis benedicti, confessio generalis, largitio eleemosynæ, benedictio Episcopi, vel Abbatis, non remittere venialia ex se, & natura sua, & ex opere operato, aut ex vi suæ institutionis; sed solummodo quatenus excitant ad contritionem venialium, aut eam impetrant à Deo, ita recentiores communiter in hoc loco, & ratio est, quia si huiusmodi sacramentalia ex opere operato remitterent venialia, vel id esset ex institutione Christi, vel ex institutione Ecclesiæ; non primum, quia de hac institutione nulli constat. Neque secundùm, quia non habet auctoritatem instituendi certa, & infallibilia remedia, seu signa ad remittenda venialia. Et confirmatur, quia macula quæ relinquitur transacto veniali, deleri non potest, nisi media iustitia, & sanctitate: at in Ecclesia non est auctoritas instituendi remedia, quæ iustitiam, & sanctitatem conferant, quia iam haberet auctoritatem instituendi sacramenta, quæ auctoritas in Ecclesia non est.

Sectio VII.

An peccata semel per pœnitentiam remissa, iterum redeant per subsequens peccatum mortale.

93. Sensus est, an prædicta peccata redeant quoad culpam, seu maculam; & quoad reatum, seu dignitatem pœnæ.

94. Prima conclusio. De lege ordinaria peccata semel remissa, per subsequès peccatum non redeunt, neque quoad culpam, neque quoad dignitatem pœnæ æternæ, itavt eadem culpa, aut obligatio ad pœnam redeat. Ita D. Thom. quæst. 88. art. 1. Vazquez dub. 1. & 2. Suarez disp. 13. sect. 2. & est communis consensus Theologorum, & eam docet expresè D. Prosper, in responsione ad secundam obiectionem Gallorum, & Gelasius Papa in quadam Epistola decretali, quæ refertur de pœnitentia distinct. 4. Canone *si ille*, vbi ait, *Diuina clementia peccata dimissa, in vltionem vlteriùs redire non patitur.* & ratione probatur, quia peccatum, vt sæpe dictum est, non remittitur per condonationem, aut fauorem extrinsecum, aut aliquo pacto ex conditione; sed absolutè per veram gratiam, & sanctitatem nobis inhærentem, & ex se, & suapte natura directè pugnantem cum peccato, quoad culpam, seu maculam; & indirectè, & consequenter, cum dignitate pœnæ æternæ; ergo implicat peccatum sola voluntate Dei iterum redire. Patet consequentia, quia debitum semel absolutè dimissum, redire non potest sola voluntate creditoris; & confirmatur ratione D. Thom. Quia posteriora peccata aliquando sunt contraria prioribus; vt peccatum auaritiæ contrarium est prodigalitati. Est autem impossibile, vt vnum peccatum per aliud reducatur.

Confirmatur

95. Confirmatur ampliùs, quia ſequeretur, eum qui plene ſatisfeciſſet pro peccatis, ſi poſtea laberetur in aliud, iterum debere ſatisfacere pro eiſdem, & ſic deinceps poſtea. Imò ſequeretur, illum qui exceſſiſſet à gratia, teneri rurſum confiteri omnia peccata præcedentia; quæ omnia ſunt abſurda.

96. Quòd ſi obiicias plura teſtimonia ſacræ Scripturæ adducta à Gratiano de Pœnitent. diſt. 4. quibus videtur probari, peccata iterum redire in memoriam Dei. Facile reſpondetur, prædicta loca intelligenda eſſe, non de reuiuiſcentia culpæ, aut pœnæ æternæ; ſed de pœna temporali, quam Deus ſæpe diſtulit inferre; itavt more hominum videatur oblitus. Dicuntur verò rememorari, cùm ea punit temporali pœna, ſiue ſint peccata propria, ſiue parentum; quia videlicet ſoluta non erant condigna ſatisfactione.

97. Maior verò difficultas eſt, de vero ſenſu illius parabolæ Matth. 18. vbi dicitur, Dominum reuocaſſe omne debitum, quod ſeruo crudeli remiſerat, & miſiſſe eum in carcerem, donec redderet vniuerſum debitum; & in fine concludit, *Sic Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo, de cordibus veſtris.* Matth. 18.

98. Reſpondetur ex Chryſoſtomo homil. 16. ad Romanos, non eſſe neceſſe accommodare omnia, quæ adducuntur in parabolis, inſtituto illarum; nec illa omnia verificare. Vnde, vt optimè docuit Maldonatus ſuper cap. 18. Matth. neceſſe non eſt verificare, aut accommodare omnia quæ in hac parabola adducuntur, inſtituto illius, videlicet, quòd debitum dimiſſum, iterum reddat, ſed verum huius parabolæ ſenſum, ex fine eiuſdem parabolæ colligendum eſſe. Finis autem fuit oſtendere, Deum non fore miſericordem in nos, neque nobis remiſſurum peccata, niſi nos remittamus fratribus noſtris iniurias contra nos illatas; imò tam ſeuerum futurum in nos, quàm nos ſumus ſeueri in fratres; ac proinde concludit. *Sic Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non dimiſeritis*, &c.

99. Quòd ſi ſimiliter extant aliqua teſtimonia ſanctorum Patrum adducta ab eodem Gratiano, & à Magiſtr. in 4. diſtinct. 22. Quibus videtur doceri, peccata ſemel remiſſa iterum redire; intelligenda, & interpretanda ſunt, non de reditu eorumdem peccatorum numero, ſed ſimilium; quia ſcilicet Deus ob aliqua peccata grauia permittit peccatorem iterum labi in ſimilia, quod eſt quodammodo redire, & exigere debita ſemel remiſſa.

100. Secunda concluſio. Etiam de potentia Dei abſoluta, peccata ſemel dimiſſa non poſſunt iterum redire, neque quantum ad culpam, neque quoad reatum pœnæ æternæ. Ita Vazquez loco citato, & prior pars probatur, quia, vt optimè notat Coninch diſp. 2. dub. 18. non poteſt intelligi quomodo præcedentia peccata per ſubſequens redeant, niſi quia à Deo in homine immediatè producantur, aut per ſubſequens peccatum reſultent; neutrum autem fieri poteſt: non primum, quia iam Deus eſſet auctor peccati: neque ſecundum, quia peccata priora non fuerunt remiſſa ſub conditione, ſed abſolutè, & independenter ab cuitatione futuræ culpæ.

101. Secunda pars etiam probatur ex eodem fundamento, quia reatus, ſeu dignitas pœnæ, eſt denominatio quædam extrinſeca, quæ neceſſariò conſurgit, & conſequitur ipſum peccatum, à quo pendet in fieri, & conſeruari; nec poteſt produci, & conſeruari à ſolo Deo; peccatum autem ſemel dimiſſum, iam non manet dignum æterna pœna; ergo eo non redeunte quoad culpam, impoſſibile eſt redire, quoad dignitatem pœnæ.

Tertia concluſio. Per ingratitudinem in quocumque peccato repertam, non redeunt peccata ſemel dimiſſa; neque quoad culpam, neque quoad dignitatem pœnæ. Ita Vazquez loco citato, & probatur, quia circumſtantia ingratitudinis, quamuis aliquo modo aggrauet peccatum, quia magis ingratus eſt, qui peccat poſt acceptam remiſſionem multorum peccatorum; tamen non addit ſpecialem malitiam, niſi quando tale peccatum in quo reperitur, committitur expreſsè in contemptu beneficij accepti, ſicut in inobedientia non committitur ſpeciale peccatum, niſi quando non obeditur ex contemptu ſuperioris, vel ex animo expreſſo non parendi ei; ergo in ingratitudine generali in quocumque peccato reperta, non inuenitur ſpecialis circumſtantia, ob quam redeant peccata iam remiſſa. 102.

Et ex hac concluſione nonnulli ſumunt occaſionem diſputandi in hoc loco cum D. Thoma, an ſit maius beneficium Dei, conſeruare aliquem in innocentia, quàm remittere ei peccata. Sed diſtinctione vtendum eſt. nam, vt optimè docuit Mæratius diſp. 22. ſect. 9. quodlibet donum alicui à Deo collatum, poteſt dupliciter conſiderari. Primò in ratione boni gratuiti. Secundò vt gratuitum eſt, ſeu gratis collatum. Et quidem in priori ſenſu, maius donum, & beneficium Dei eſt, conſeruare aliquẽ in innocentia, quàm remiſſio peccatorum; quia innocentia continet in ſe totam perfectionem iuſtificationis, gratiam videlicet ſanctificantem, & carentiam peccati pro præſenti tempore; & inſuper addit ſupra iuſtificationem ſemper peccato caruiſſe, & permanſiſſe in gratia Dei. Vnde bene Hugo de ſancto Victore lib. 2. de ſacramentis, pars 14. cap. 4. ait, *Si magnum eſt aliquando ſurgere, maius vtique eſt nunquam cecidiſſe; ſi bonum eſt ſanctum eſſe, melius eſt nunquam corruptum fuiſſe.* Et ex hac parte maior eſt ingratitudo illius, qui per peccatum à beneficio iuſtificationis excidit. In ſecundo verò ſenſu, maius eſt beneficium remiſſionis peccatorum, dono innocentiæ, quia magis gratuitò confertur; quia donum hoc confertur indigno poſitiuè; illud verò confertur indigno tantùm negatiuè, id eſt, non digno: & ex hac parte maior eſt ingratitudo illius, qui per peccatum à beneficio iuſtificationis excidit, quàm qui ab innocentiæ dono. 103. Hugo de S. Vict.

SECTIO VIII.

An bona opera, per peccata ſubſequentia mortificata, per veram pœnitentiam iterum reuiuiſcant. Et an peccator per pœnitentiam recuperet tam gratiam habitualem, quàm omnes virtutes infuſas, in eadem intenſione, in qua eas ante peccatum habuerat.

SVppono ex communi ſententia Theologorum, dari tria genera operum, viua, mortificata, & mortua. Illa opera dicuntur viua, quæ fiunt ab homine conſtituto in ſtatu gratiæ, & charitatis. Mortificata verò appellantur eademmet opera, quæ priùs viua fuerunt, ſuperueniente autem peccato 104.

Digitized by Google

peccato mortali, nunc extincta sunt. Denique mortua dicúntur omnia illa opera, quæ cùm ex se bona, & honesta sint homini; tamen non conferunt ad præmium vitæ æternæ, quia ab eo eliciuntur extra statum gratiæ, & charitatis. Præsens difficultas tantùm procedit de secundis operibus, videlicet de operibus bonis elicitis ab homine iusto in statu gratiæ; mortificatis verò per subsequens peccatum.

105. Et quidem per veram pœnitentiam reuiuiscere omnia opera bona, & omnia merita per peccatum subsequens mortificata, tam vnanimi consensu recipitur à Theologis, vt de hoc non liceat dubitare. Quod non obscurè deducitur ex pluribus locis sacræ Scripturæ, præsertim ex D. Paulo ad Galat. 3. vbi ait Galatas post susceptam fidem Christi multa perpessos, & postea ad Iudaismum declinasse, vt patet ex contextu, & ferme ex tota illa Epistola; & statim subiungit. *Tanta passi estis*, supple per Christum, *sine causa*; id est, frustrà, & inutiliter; & concludit, *si tamen sine causa*, significans fieri posse, vt non sine causa, hoc est, sine fructu, sed cum maxima vtilitate ea exercuerint; videlicet si per pœnitentiam ad statum fidei, ac gratiæ redire velint. Ita exponit Chrysostomus illud;

Chrysost. *Si tamen sine causa*, inquiens, *significans videlicet, si voluerit se expergisci, ac reuocare vos ipsos, non frustrà passi fueritis.* Consonant Ambrosius, Theodoretus, Theophylactus, & D. Thom. in cap. 3. citatæ epistolæ ad Galat. *Ex hoc autem*, inquit sanctus Doctor, *habetur, quòd opera mortificata reuiuiscant.*

106. Idem colligitur apertè ex Tridentino sess. 6. Trident. cap. 16. vbi asseritur. *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfecisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratiam decesserint, consequendam, verè promeruisse censeantur.* In quibus verbis tres conditiones assignat tanquàm necessarias, vt opus aliquod sit meritorium vitæ æternæ, & eam re ipsa aliquando cõsequatur. Prima est, vt sit opus hominis iusti. Secunda, vt fiat ex auxilio diuinæ gratiæ. Tertia denique, vt qui opus illud fecit, decedat ex hac vita in statu gratiæ. Vbi perpende verba Concilij; non enim dicit, si tamen acceptam gratiam perpetuò conseruauerint; *sed si in gratiam decesserint*, quod, vt planum est, æquè quadrat in lapsos pœnitentes, atque in innocentes.

107. Quæ conditiones proculdubio reperiuntur in operibus bonis per peccatum mortificatis. Nam iusti ea ex auxilio gratiæ Dei exercuerunt; & postea à statu peccati, in quo lapsi sunt, ad statum gratiæ redeunt, in quo statu decedunt; nihil ergo illis deest, vt pro illis operibus mercedem vitæ æternæ consequantur: quod fieri non posset, nisi opera bona, & merita, per peccatum mortificata, per veram pœnitentiam iterum reuiuiscant.

108. Dices, Concilium adhuc requirere aliam conditionem, videlicet perseuerantiam in bonis operibus, dum canon. 26. diffinit. *Iustos debere pro bonis operibus spectare æternam retributionem, si bene agendo, & diuina mandata custodiendo, vsque in finem perseuerauerint.* Sed contrà est, nam Tridentinum ibi nomine perseuerantiæ, non intelligit qua quis post iustificationem bene viuit, vt in nullum peccatum postea labatur; sed tantùm intelligit eam perseuerantiam, qua quis de facto moritur in gratia, & charitate: sicut Christus hanc solam requisiuit

Matth. 24. cùm Matth. 24. dixit: *Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.* hæc autem in gratia perseuerantia, quæ appellatur perseuerantia in gratia finalis, haberi potest ab omnibus qui post multa peccata in statu gratiæ decedunt.

In explicando autem quomodo merita reuiuiscant, & gratia deperdita recuperetur, multum dissentiunt Doctores, sed omissis illorum variis sententiis, quid nobis probabilius videatur, sequentibus conclusionibus declarabo. 109.

Prima conclusio. Bona opera per subsequens peccatum mortificata, interueniente vera pœnitentia reuiuiscunt, & redeunt, secundùm omnem dignitatem, valorem, & meritum, quem antea habebant, seu pro eo tempore quo fuerunt facta. Hæc conclusio est cõtra plures discipulos D. Thomæ, existimantes, tantum redire iuxta dignitatem contritionis, & dispositionis. Sed nostram sententiam defendunt Suarez selectione de reuiuiscentia meritorum. Vazquez hîc 1. 2. disput. 221. cap. 6. Torres, & plures alij in hoc loco, & probatur, quia illa bona opera ex charitate, & gratia facta, sunt meritoria vitæ æternæ, & non sunt remunerata; ergo si per veram pœnitentiam, & compensationem tollatur impedimentum, & auferatur peccatum, iam manent merita remuneranda; quod est ea in integrum reuiuiscere. Et confirmatur, quia ex contraria sententia sequitur, hominem in alia vita non remunerari iuxta quodlibet meritum in hac vita factum; quod apertè videtur contra Scripturam sacram Apocalyps. 14. *Opera enim illorum sequuntur illos*, & 2. Corinth. 5. *Vnusquisque recipiet in corpore suo prout gessit, sive bonum, sive malum.* 110. Apoc. 14. 2. Cor. 5.

Obiicies primò, quia peccata semel dimissa non possunt redire; ergo nec merita semel per peccatum extincta. Consequentia probatur, quia sicut gratia ex natura rei expellit peccatum, & maculam ex eo resultantem, ita peccatum ex natura rei expellit gratiam, & charitatem, & consequenter meritum. Respondetur negando consequentiam, quia, vt suprà docuimus, debitum semel absolutè dimissum, nulla vi redire potest: at licèt peccatum ex natura rei expellat gratiam, tamen merita non manent remunerata; ac proinde oblata compensatione, & facta remissione absoluta peccati, manent merita remuneranda. 111.

Obiicies secundò, locum illum Ezechielis 18. *Si autem auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ illius non recordabuntur* — at si bona opera, & merita reuiuiscerent, Deus recordaretur eorum; ergo non reuiuiscunt. Respondetur, verba hæc sic esse intelligenda. Si iustus fecerit iniquitatem, omnes iustitiæ illius non recordabuntur, nisi egerit pœnitentiam; quam si agat, profectò bona opera, & merita illius reuiuiscunt. 112. Ezech. 18.

Secunda conclusio. Posita subsequenti iustificatione, prædicta merita reuiuiscunt, & redeunt; non tantùm ex Dei misericordia, sed ex natura rei. Ita Doctores relati pro prima conclusione. & probatur ex eodem fundamento; quia quando remissio alicuius offensæ facta, & obtenta est absolutè, & absque omni dependentia ab vlla conditione, ea supposita, statim ex natura rei redeunt priora obsequia, ac merita: quod certè constat ex eo quòd in humanis euenire cernimus: si enim quis habeat aliqua merita apud Regem, cui postea inferat aliquam iniuriam, ablata iniuria per veram compensationem, manent priora merita adhuc remuneranda; quia certè persona offensa non potest negare debitum illis obsequiis, & operibus, 113.

Digitized by Google

quod iure negare potuiſſet, non ſuppoſita compenſatione iniuriæ, vt optimè docuit Moncæus diſp. 12. cap. 10. ſed remiſſio offenſæ; quæ à Deo fit, poſita vera pœnitentia, & debita compenſatione, eſt omnino abſoluta, & independens ab omni conditione; ergo ea ſuppoſita, manent merita priora remuneranda; ac proinde reuiuiſcunt, & redeunt ex natura rei.

114. Tertia concluſio. Gratia habitualis quæ per ſubſequens peccatum fuerat amiſſa, poſtea ablato per iuſtificationem illo peccato, in integrum reſtituitur: & conſequenter idem dicendum eſt de omnibus virtutibus infuſis. Probatur ex præcedenti concluſione, quia debet dari proportio, & perfecta æqualitas, inter gloriam, & merita huius vitæ, & gratiam; ſed merita redeunt ſecundùm ſe tota in integrum, vt prædictum eſt; ergo & gratia, ac virtutes eidem gratiæ annexæ.

115. Trident. Obiicies ex Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi aſſeritur, *Tantam infundi gratiam homini, dum iuſtificatur a mortali, quanta fuit dignitas contritionis, & diſpoſitionis.* Et certè omnis forma in ſubiecto recipitur, iuxta perfectionem vltimæ diſpoſitionis ad illam. Reſpondetur, Tridentinum intelligendum eſſe de gratia collata in ritu diſpoſitionis; itaque Concilium non loquitur de tota gratia quæ confertur homini, qui ſurgit à peccato, nam præter gratiam quæ reſpondet meritis mortificatis, & eam quæ ex opere operato confertur per ſacramentum, datur etiam gratia aliqua proportionata quantitati contritionis cum qua quis ſurgit à peccato.

116. Quarta concluſio. An etiam redeat gratia collata per ſacramenta, incerta omnino res eſt. Valde probabilis eſt ſententia negans, quam defendit Vazq. loco citato. Non tamen minorem probabilitatem habet ſententia quæ affirmat, hanc etiam gratiam redire. Ita Suarez vbi ſuprà. Prior pars probatur, quia ſacramenta, quorum intuitu collata fuit illa gratia, non redeunt, ſicut redeunt merita; ergo talis gratia non reuiuiſcit ex natura rei.

117. Secunda pars etiam probatur, quia gratia, quæ nobis confertur ex opere operato per ſacramenta, tam ſtrictum ius nobis confert ad gloriam, ac illa quæ nobis datur ex opere operantis, iuxta dignitatem meritorum, vnde verè pœnitenti illa gratia neganda non eſt, eo vel maximè, quòd illa gratia collata fuit virtute meritorũ Chriſti, maioris certè virtutis, & efficacitatis; ergo ſi virtute noſtrorũ meritorum redit gratia quæ data fuit à Deo; multo magis ex virtute meritorum Chriſti, redibit gratia ſacramentalis ablato impedimento peccati.

DISPVTATIO II.

De natura, & neceſſitate ſacramenti Pœnitentiæ.

SECTIO I.

Ex quibus conſtet ſacramentum Pœnitentiæ.

1. PRIMVM omnium ſtabilienda eſt veritas catholica contra hæreticos, ſcilicet Pœnitentiam eſſe verum ſacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Et quamuis ex his quæ inſtà adducemus, probauimus neceſſitatem ſacramenti, & confeſſionis, & poteſtatem abſoluendi. Nunc probatur huius ſacramenti inſtitutio ex illo Ioannis 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quem locum ſic vrgeo. Ad ſacramenti rationem etiam ex hæreticorum ſententia, duo maximè requiruntur, & ſufficiunt, ritus extrinſecus, ſiue ſymbolum diuinitus inſtitutum, & promiſſio gratiæ iuſtificantis illi ſymbolo annexæ: ſed in hoc Ioannis loco vtrumque reperitur. nam cùm ſacerdotibus conceſſerit poteſtatem remittendi, & abſoluendi, planè illa poteſtas ſigno aliquo viſibili exercenda eſt, cùm homines corpore conſtent: quare abſolutionis verbum colligi ex hoc loco, vel ipſi hæretici docent. Deinde ex parte pœnitentis colligitur etiam interuenire debere ritum externum: ſicut enim abſolui nequeunt, qui ligati non ſunt, ſic neque illi qui ſolui nolunt: nolunt autem ſolui, qui animum paratum non indicant, nec teſtantur ſe peccaſſe, & ipſis peccata diſplicere: conſtat ergo ſymbolum, ſiue ritus externus, ex prædicto loco. Promiſſio autem gratiæ in illis verbis pleniſſima eſt, cùm dicatur, *remittuntur eis*, remittuntur enim peccata, cùm quis iuſtificatur. Ioan. 20.

2. Sed reſpondent hæretici, his verbis non eſſe conceſſam poteſtatem aliquam remittendi peccata, ſed tantùm docendi, vel remiſſa iam eſſe, vel fore, ſi quis Euangelio crediderit. Hanc autem eorum inſaniam latè refutat Maldonatus in illa verba Matthæi, *Tibi dabo claues regni Cælorum.* Et facilè reiicitur, quia iam non plus datum eſſet Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, quàm ſcribis, & Phariſæis, de quibus dictum eſt Matth. 23. *Super cathedram Moyſi ſederunt*, &c. Præterea, quia Chriſtus ſolis Apoſtolis, & ſucceſſoribus, conceſſit poteſtatem docendi, & remittendi: poteſtatem docendi ante reſurrectionem; remittendi poſtea: & cùm de docendo agitur, nulla fit mentio poteſtatis ligandi, atque ſoluendi: & cùm de poteſtate dimittendi agitur, nihil de docendo dicitur: & cùm docendi poteſtatem Chriſtus conceſſit, nulla vſus eſt cæremonia; cùm autem remittendi poteſtatem conceſſit, inſufflauit in Diſcipulos. Vnde meritò Tridentinum ſeſſ. 14. canon. 3. inquit. *Si quis dixerit, verba illa Domini Saluatoris: Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata*, &c. *non eſſe intelligenda de poteſtate retinendi, & remittendi peccata in ſacramento Pœnitentiæ, ſicut Eccleſia catholica ab initio ſemper intellexit; detorſerit autem contra inſtitutionem huius ſacramenti, ad auctoritatem prædicandi Euangelium, anathema ſit.* Matth. 16. Matth. 23. Trident.

3. Secundò hæc veritas oſtenditur perpetuo Patrum conſenſu, & Eccleſiæ traditione. Et quidem quomodo ſenſerint omnes Catholici Doctores qui poſt Chriſtum fuerunt, peccata per claues Eccleſiæ remitti, prolatis eorum teſtimoniis explicandum eſſet, ſi quis eorum aliter, quàm per ſacramentum Pœnitentiæ fieri dixiſſet, ſed vbi nemo contradicit, non eſt opus teſtibus. Videnda tamen apud Bellarminum lib. 1. de Pœnitentia cap. 10. vbi latè illa congerit.

4. Denique eamdem veritatem docent Concilia, & vt omittant ea quæ vniuersè docent, ſeptem eſſe Eccleſiæ ſacramenta, & etiam antiqua Concilia quibus iam quidem hæreſis Nouatianorum reiecta eſt. Hæc veritas continetur in cap. *ad abolendam*, de hæreticis, & in Concilio Lateranenſi ſub Innocẽtio III. In Conſtantienſi, vbi damnantur articuli Ioannis Hus, & in Bulla Martini V.

in qua condemnat eiusdem articulos, & Ioannes VViclef, & in pluribus aliis Conciliis, & denique in Trident. sess. 14. c. 10. & sequentibus. Ex quibus

5. Infertur primò, errasse hæreticos, dum pœnitentiam idem volunt esse cum Baptismo, quos damnat Trident. sess. 14. canon. 2. Præcipuè probatur horum sacramentorum distinctio, ex illo Hebr. 6. ad Hebr. 6. *Impossibile est eos qui semel sunt illuminati, &c. & prolapsi sunt, rursus renouari per Baptismum.* Hæc enim est communis expositio Patrum, vt latè probat Salmeron in prædictam epistolam disput. 14. adductis multis Sanctorum testimoniis. Et probatur etiam ratione, quia diuersitas ritus, atque Ministri, arguit diuersitatem sacramenti: sed in his sacramentis est diuersa materia, & forma, vt constat, & minister Baptismi est quicumque pœnitentiæ tantùm sacerdos; Minister Baptismi non oportet vt sit iudex, cùm iudicium non nisi in iam fidelem exerceri posset ab Ecclesia; Pœnitentiæ Minister agit vt iudex. Baptismus iterari non potest; Pœnitentia maximè. Per Baptismum plenè remittuntur pœna, & culpa; per pœnitentiam autem non tota pœna.

6. Secundò infertur contra eosdem hæreticos, meritò pœnitentiam vocari à Patribus, & Doctoribus *secundam tabulam post naufragium vitæ spiritualis.* Dicitur autem pœnitentia, *secunda tabula post naufragium.* comparatione facta ad gratiã status innocentiæ deperditam; ibi enim primum naufragium fecit humana natura; post quod, prima tabula ad salutem obtinendam, est Baptismus; secunda verò post Baptismum pœnitentia.

7. Tertiò infertur, quando fuerit institutum hoc sacramentum à Christo; constat enim institutum esse post resurrectionem Ioann. 20. atque ita diffinitum est à Tridentino sess. citata. Non ergo ab Iacob. 1. Apostolo Iacobo, in illis. *Confitemini alterutrum peccata vestra*; neque à Christo Matth. 10. vt existimauit Glossa ordinaria, quando dedit discipulis potestatem calcandi supra serpentes; neque Luc 16. Lucæ 16. quando dixit leprosis, *ite, & ostendite vos sacerdotibus*, neque Matth. 16. Ibi enim tantùm promissum fuit hoc sacramentum, non verò institutum.

8. Iam verò controuersia est inter Catholicos, in quo consistat essentia huius sacramenti, quæ, meo iudicio, potius est de modo loquendi, quàm de re. Est ergo sententia docens, essentiam sacramenti Pœnitentiæ consistere in sola absolutione, & pro ea supponere nomen sacramenti Pœnitentiæ. Ita Scotus in 4. dist. 14. quæst. 4. quem sequuti sunt eius discipuli.

9. Sit tamen prima conclusio. Communis, & vera sententia est, essentiam sacramenti Pœnitentiæ constare materia, & forma; formam esse absolutionem; materiam verò actus pœnitentis. An verò omnes actus sint essentialis materia, dicetur infrà. Itaque si loquamur de partibus essentialibus huius sacramenti, tam forma, quàm materia sunt partes, & probatur ex Concilio Florentino in decreto Eugenij IV. de sacramentis, vbi habentur Florent. hæc verba. *Quartum sacramentum est Pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres partes diuiduntur*; & statim enumerat cordis contritionem, oris confessionem, & satisfactionem. Accedit Concilium Trident. sessione citata, cùm enim in cap. 2. dixisset, materiam, & formam esse quibus essentia sacramenti perficitur, statim cap. 3. docet, formam sacramenti Pœnitentiæ, in qua præcipua eius vis sita est, consistere in verbis absolutionis; esse autem quasi materiam ipsius, actus pœnitentis.

Secundò probatur ratione, quia actus pœnitentis sunt signum sensibile ex institutione Christi, quibus promissa est gratia, & efficiunt illam; ergo pertinent ad sacramentum Pœnitentiæ. Quòd sint signum sensibile, satis constat; quòd sint ex institutione Christi, ostendimus infra; quòd autem concurrant ad efficiendam gratiam, colligitur ex 1. Ioannis 1. *Si confiteamur alterutrum peccata nostra,* 1. Ioan. 1. *fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate.* Et confirmatur exemplo ab aliis sacramentis desumpto. nam in Baptismo non solùm verba, sed etiam actus abluendi pertinet ad sacramentum baptismi tanquam eius pars. Idem videmus in Confirmatione, & extrema Vnctione; ergo idem dicendum est in sacramento Pœnitentiæ. 10.

Denique quia posita absolutione si desit confessio, & dolor de peccatis, non datur sacramẽtum; ergo absolutio non est totum esse intrinsecum huius sacramenti: aliàs sine contritione, & confessione, non posset non esse sacramentum: tunc enim datur aliquid, cùm datur totum esse eius intrinsecum, seu cùm nihil intrinsecum ei deest.

Obiicies primò, quia tam Concilium Florentinum, quàm Tridentinũ loco citato, appellant actus pœnitentis, quasi materiam; ergo non sunt vera materia huius sacramenti. Respondetur, prædicta Concilia cùm aliis sacramentis assignãt materiam, potius explicare remotam, quàm proximam. Vnde materiam Baptismi dicunt esse aquam; confirmationis Chrisma, Eucharistiæ panem, & vinum; Vnctionis oleum, quæ quidem materia est verè substantia corporea existens, quæ in rebus artificialibus absolutè, & sine addito dicitur materia. Cùm autem in hoc sacramento Pœnitentiæ, siue consideres materiam proximam, siue remotam, nulla sit substantia corporea. nam remota sunt peccata, proxima actus pœnitentis; ideo Concilia eam appellant, *quasi materiam*, quia non sunt materia absolutè; sicut in aliis sacramentis. 11.

Obiicies secundò, quia id quod ad sacramentum pertinet, ita est signum gratiæ, vt sit etiam eius causa; sed solus actus sacerdotis gratiam confert per potestatem clauium; nullus autem actus pœnitentis, cùm sæpè longo tempore præcesserint absolutionem; ergo illi non pertinent ad constitutionem sacramenti Pœnitentiæ. Respondetur, actus pœnitentis habere rationem signi. nam contritio per confessionem significat interiorem renouationem, & recessum à peccato: præterea etiam illis conuenit quòd sint causa gratiæ, & illis producitur saltem moraliter, quatenus subiiciuntur potestati clauium; Deus enim mouetur ad dandam gratiam intuitu integri sacramenti, vt indicare videtur Tridentinum sess. 14. cap. 3. vbi dicit. *Vim, &* Trident. *efficaciam huius sacramenti præcipuè sitam esse in absolutione.* nam particula illa, *præcipuè*, indicat in aliis etiam partibus sitam esse efficaciam huius sacramenti; licèt non ita præcipuè. Et ideo ab eodem Concilio, sacramentum Pœnitentiæ vocatur sacramentum absolutionis peccatorum. 12.

Obiicies tertiò, illud est absolutè, & propriè sacramentum, quod confertur à Ministro sacramenti: sed id quod confertur à Ministro in hoc sacramento, est tantùm absolutio; ergo hæc sola est sacramentum Pœnitentiæ, & non actus pœnitentis: aliàs etiam pœnitens esset aliquo modo Minister 13.

Digitized by Google

ſacramenti Pœnitentiæ. Reſpondetur, Miniſtrum ſacramenti dici, qui vel totum, vel potiſſimam eius partem conficit; qui autem eius iuſſu aliquid facit, cooperator tantùm dici poteſt: ſicut in naturalibus, qui introducit formam in materiam, dicitur abſolutè totum efficere, eo quòd forma eſt, quæ dat eſſe rei: ſic in hoc ſacramento pœnitens tantùm eſt cooperator Miniſtri, per quem pœnitentis materia applicatur formæ. Vel ſecundò reſpondetur, actus pœnitentis dupliciter conſiderari poſſe, & quatenus ſunt præcisè actus pœnitentis ſe diſponentis, & quatenus à ſacerdote per poteſtatem clauium aſſumuntur ad componendum, vnà cum forma integrum ſacramentum; & vt ſic, quaſi actus Miniſtri ſunt, vtitur enim illis vt quodam inſtrumento.

Tertiò denique reſpondetur, nullum eſſe inconueniens concedere quòd pœnitens per ſuos actus aliquo modo cauſet, & conferat ſibi gratiam diuinam moraliter, quatenus mouet Deum, & cauſa moralis partialis eſt vt conferatur.

14. Sed quia duplicis generis partes conſiderari poſſunt in aliquo compoſito; & eſſentiales, veluti in homine, materia, & forma; & integrantes, veluti caput, manus, & pedes, reſtant explicandæ partes integrantes huius ſacramenti.

15. Secunda concluſio. Certum eſt etiam inter Catholicos, ad percipiendam in hoc ſacramento remiſſionem peccatorum, tria interuenire debere, contritionem, & confeſſionem, & ſatisfactionem: & ferè communis ſententia docet, hæc tria eſſe partes integrantes, & materiales ſacramenti Pœnitentiæ & colligitur ex Trident. loco citato, vbi aſſerit, hæc tria quatenus ſunt in pœnitente, pertinere ad integritatem huius ſacramenti, & ratio eſt, quia ſacramentum hoc per modum iudicij inſtitutum eſt, & ad ſalutem ordinatum; iudicium autem ſine accuſatione, & cognitione cauſæ, & manifeſtatione cum dolore, non conſtat; aliàs potiùs eſſet quædam gloriatio de peccato.

16. Obiicies, quia contritio non eſt ſenſibilis, latet enim in animo; ergo non eſt pars huius ſacramenti, quod debet eſſe ſignum ſenſibile. Reſpondetur, contritionem etiamſi ſit in corde, pertinere ad Pœnitentiæ ſacramentum, quatenus ſit ſenſibilis per confeſſionem, & ſatisfactionem; confeſſio enim ſic facta, effectus eſt contritionis, & quodammodo ſentitur per ſuum effectum ſenſibilem.

17. Obiicies ſecundò, quia contritio ſicut requiritur in pœnitentia, ita requiritur in Baptiſmo; ſed in hoc ſacramento non eſt eius pars; ergo neque in pœnitentia. Reſpondetur concedendo in ſacramento Baptiſmi, contritionem non eſſe partem, ſed quoddam antecedens requiſitum. Hinc verò non ſequitur, non eſſe partem in ſacramento Pœnitentiæ; non enim in omnibus ſacramentis eodem modo aſſignanda materia eſt. Vnde D. Thom. quæſt. 84. art. 1 ad ſecundũ ait, quòd licèt pudor confeſſionis, & dolor aliquo modo valeant ad ſatisfaciendum pro peccatis, ſicut alia bona opera ſi in gratia fiant; tamen longè diſtant ab ea parte huius ſacramenti, quæ ſatisfactio dicitur, vt infrà ſuo loco patebit.

18. Obiicies, quia effectus huius ſacramenti ſæpè contingit ſine ſatisfactione, vt quando pœnitens voluntariè omittit ſatisfactionem; vel quando ob impotentiam pœnitentis hoc ſacramentum ſine vlla ſatisfactione miniſtratur; vt in mortis articulo, quando nulla imponitur ſatisfactio, ergo ſatisfactio non eſt pars huius ſacramenti. Reſpondetur, hoc argumento tantùm conuinci, ſacramentum Pœnitentiæ quoad ſuam eſſentiam, non exigere ſatisfactionem, non tamen probatur, non eſſe de integritate ſacramenti, vt Concilium loquitur. Vnde ſicut in humano corpore, cor, & caput, licèt ſint partes integrantes; ita tamen præcipuè ſunt, vt ſine illis vita hominis conſiſtere non poſſit: ſic in hoc ſacramento, contritio, atque confeſſio. Et ſicut homo poteſt ſine pedibus, & manibus conſiſtere, ita pœnitentia ſine ſatisfactione re ipſa exhibita. Dicitur autem ſatisfactio pars integralis huius ſacramenti, quia licèt ad primum eius effectum, ſcilicet remiſſionem culpæ, neceſſaria non ſit; cùm remiſſio culpæ non dependeat à ſatisfactione: conducit tamen ad ſecundum effectum, ſcilicet ad remiſſionem pœnæ temporalis.

Tertia concluſio. Aliqui ritus externi, qui exerceri ſolent in adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ, non pertinent ad ſubſtantiam huius ſacramenti. 19. Probatur ex Concilio Florentino, & Tridentino, in quibus deſignantur materia, & forma, & partes integrantes; cùm ergo nullus ritus pertineat ad materiam, vel formam, nec ad partes integrantes, ſequitur non pertinere ad ſubſtantiã huius ſacramenti. Vnde cæremonia quæ ſolet adhiberi ex parte pœnitentis, vt confiteatur flexis genibus, abſolutè neceſſaria non eſt. nam aliquando ex iuxta cauſa ſtantes, & deambulantes pœnitentes auditi poſſunt, vt cùm neceſſitas vrget, neque aliter poteſt eſſe copia Miniſtri, quia diſſimulatione vtendũ eſſe caſus poſtulat. Ex parte verò Miniſtri ante abſolutionem adhiberi ſolent nonnullæ deprecationes, eas autem vtiliter tantùm adhiberi, & ſine aliqua neceſſitate præcepti, docet Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. Denique alia cerimonia, quæ eſt manuum impoſitio ſuper caput pœnitentis, quamuis non ſit irridenda, vt latè oſtendit VValdenſis ex pluribus Conciliis; non tamen eſſe neceſſariam conſtat, quia neque ex ſacra Scriptura, Patribus, aut Conciliis eius neceſſitas deduci poteſt. Et quamuis Palud. in 4. diſt. 22. quæſt. 3. art. 1. dicat, communiter eſſe retinendam, meliùs tamen Soto diſt. 14. quæſt. 1. art. 4 docet non expedire, niſi vbi fuerit in vſu. Imò Nauarrus de pœnitentia diſt. 6 cap. 1. num. 9. docet periculoſum eſſe cum pueris, & fœminis ea vti.

Ex dictis facilè colligi poteſt, hoc ſacramentum 20. eſſe vnum ſpecie, neque enim in materia, & forma eſt aliquid, vnde colligatur ea diuerſitas; idque docet communis ſenſus Eccleſiæ conſtituentis tantùm ſeptem ſacramenta. Imò etiam eſt vnum vnitate numerica, licèt enim in eo ſint diuerſæ partes materiales, & abſolutio; & multo tempore quædam præcedant abſolutionem, & ſatisfactio ſubſequatur, nihilominus conſtituunt vnum numero ſacramentum. nam iſtæ partes habent vnitatẽ moralem, quæ ſatis eſt ad vnitatẽ rerum artificialium.

SECTIO II.

Quomodo in hoc ſacramento aſſignentur res tantùm, & ſacramentum tantùm, & res, & ſacramentum ſimul.

IN quolibet ſacramento hæc tria ſolent aſſi- 21.
gnari ab Scholaſticis. Id autem appellatur ſacramentum tantùm ab eis, quod ſignificat, & non ſignificatur. Et id res ſacramentum tantùm, quod ſignificatur, & non ſignificat. Id denique dicitur res, & ſacramentum ſimul, quod ſignificat, & ſignificatur: eſt ergo communis Doctorum ſententia, in Pœnitentiæ ſacramento, ſacramentum

sacramentum tantùm esse absolutionem, vel ipsum compositum ex actibus pœnitentis, & ex absolutione; significat enim gratiam per quam remittitur peccatum, & non significatur. Rem tantùm esse gratiam, seu remissionem peccati; significatur enim, & non significat. Sed quid sit res, & sacramentum simul, magna dissensio est.

22. Prima sententia affirmat, in illis sacramentis, in quibus imprimitur character, esse rem, & sacramentum simul, scilicet character; at verò in aliis sacramentis nequaquam. Hanc sententiam refert Paludanus in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 2. sed reiicitur communiter à Doctoribus, qui in quolibet sacramento hæc tria constituunt.

23. Secunda sententia asserit, quòd sicut in tribus sacramentis imprimitur character, quod est res, & sacramentum simul, ita etiam in hoc sacramento imprimitur quidam ornatus animæ; hunc autem ornatum dicunt esse in genere dispositionis transeuntis disponétis animam ad receptionem gratiæ, quæ in hoc sacramento conceditur, quam sententiam sequuti sunt ferè omnes Thomistæ, vsque ad Caietanum, quorum fundamentum est, quæ non est assignabile aliquid aliud, quod possit in hoc sacramento esse res, & sacramentum simul. Nam contritio esse non potest, quia illud quod est res, & sacramentum, supponit sacramentum tanquam causam illius, vt patet in sacramentis quæ imprimunt characterem: sed contritio, seu dolor, non supponit sacramentum Pœnitentiæ, cùm potiùs sit quædam pars illius, vt prædictum est; ergo non est res, & sacramentum simul; sublata autem contritione, non remanet aliud quod eius rationem habere possit, excepto ornatu; ergo hic ornatus est res, & sacramentum simul.

24. Hæc tamen sententia probari non debet, & in primis planè ab illa discessit D. Thom. suprà q. 61. art. 1. dum absolutè dixit, sacramenta esse instrumenta productiua gratiæ, nulla ornatus mentione facta. Et quamuis concederemus huiusmodi ornatum in anima, adhuc non potest esse res, & sacramentum simul, quia non significatur verbis sacerdotis, neque actibus pœnitentis, vt constat; ergo non efficitur. Nam in sacramentis nouæ legis tantùm efficitur quod significatur; hic autem ornatus non est sensibilis, nec per se, nec per aliud.

25. Sit conclusio. In hoc sacramento Pœnitentiæ, res, & sacramentum simul, est ipsa contritio, ita communiter Doctores cum Magistro in 4. dist. 22. & cum D. Thom. quæst. 84. art. 1. & probatur, quia contritio significat recessum à peccato, per detestationem illius, & significatur confessione, vel externo signo sensibili.

26. Sed cùm contra hanc conclusionem videatur esse fundamentum secundæ sententiæ, quod scilicet contritio non sit effectus sacramenti, sed pars illius, in aliis autem sacramentis, quod est res, & sacramentum simul, est effectus sacramenti. Vt Doctores se liberent ab hac difficultate, varia comminiscuntur. Omissis autem variis dicendi modis, qui videri possunt apud recentiores, verius mihi videtur, quod ab antiquis scholasticis traditum est, contritionem esse rem, & sacramentum simul; ad id tamen non esse necessarium vt sit effectus sacramenti, sed satis esse vt significet, & significetur. Contritio autem significatur per confessionem, & etiam ipsa significat reconciliationem: vt explicatum est. Sic docet Magister loco citato, Bonauentura eadem distinct. art. 2. quæst. 2. Vazquez in hac quæstione 84. artic. 1. dub. 3. Hic autem modus dicendi probatur, quia dolor, siue sit attritio, siue contritio, est causa confessionis, siue in particulari cùm ex dolore nascitur, vt confiteatur, & pœnitens se subiiciat clauibus Ecclesiæ; vel in genere, vt quando priùs confitetur, & postea ante absolutionem accedit dolor, qui extenditur ad confessionem factam, & ita nunquam potest esse effectus sacramenti tantùm, vel confessionis, & absolutionis. Deinde, quia in aliis sacramentis ad hoc quòd sit res, & sacramentum simul, non requiritur quòd sit effectus sacramenti tantùm, neque quòd efficiat, sed satis est quòd significet, & significetur veluti corpus Christi in Eucharistia, est res, & sacramentum simul, & sacramentum tantùm sunt species: & tamen corpus Christi non est effectus specierum, sed tantùm significatur per species.

Neque obstat, quòd contritio pertineat ad substantiam huius sacramenti. Nam id quod in sacramento est res, & sacramentum simul, debet quidem esse diuersum ab eo quod est sacramentum tantùm, & extra eius rationem: non verò diuersum à sacramento simpliciter, & ita contritio est extra rationem signorum exteriorum pœnitentis, & verborum absolutionis, quæ sunt sacramentum tantùm. Non verò est extra rationem sacramenti simpliciter, cùm sit pars substantialis constitutiua eiusdem. Nec ex eo quòd in aliis sacramentis aliter philosophemur, ideo etiam in sacramento Pœnitentiæ eodem modo philosophandum est, sed in vnoquoque iuxta suam naturam. 27.

Obiicies, quia sacramenta nouæ legis non tantùm constituuntur in ratione sacramenti per rationem signi, sed etiam causæ; ergo id quod est sacramentum tantùm, debet esse signum, & causa; & id quod est sacramentũ, & res, debet esse signum, & causa, & effectus; atque adeò contritio debet esse effectus sacramenti tantùm. 28.

Respondetur, sacramenta nouæ legis constitui quidem in ratione sacramenti, per rationem signi, & causæ, non cuiuscumque effectus, sed gratiæ sanctificantis, Vnde in ordine ad gratiam debet illis conuenire causalitas; quare non est necessarium ad hoc, vt aliquid sit sacramentum tantùm, quòd illi competat causalitas alterius rei, quàm gratiæ: aliàs etiam id quod in sacramentis nouæ legis est res, & sacramentum simul, deberet esse causa gratiæ; quod tamen falsum est in sacramento Matrimonij, & in tribus aliis imprimentibus characterem. Confessio igitur, & absolutio, quæ sunt sacramentum tantùm, significant quidem, & efficiunt gratiam sanctificantem, & per hoc pertinent ad sacramentum nouæ legis; non est autem necesse, vt efficiant contritionem. 29.

Sectio III.

Quæ sit materia necessaria huius sacramenti.

Svppono ex generali doctrina sacramentorum, cum communi Theologorum sententia, sacramentum hoc tribus constare, nimirum materia, forma, & intentione Ministri. Nec requiri in hoc sacramento aliam cerimoniam tanquam necessariam, vel præceptam, seu institutam ab Ecclesia, sicut in aliis sacramentis efflagitantibus ritum sacrum. Et similiter in ipsa ministratione sacramentalis formæ, licèt laudabilis quædam præmittatur deprecatio 30

Digitized by Google

deprecatio, vt Trident. seſſ. 14. cap. 3. approbat, & ſignum crucis etiam in fine apponatur, de quo meminit D. Thom. quæſt 84. art. 4. & eſt Stephani Papæ decretum in cap. *Numquid*, de conſecratione diſtinct. 5. tamen neutrum ex his iudicatur eſſentiale, nec ſimpliciter neceſſarium ad huius ſacramenti miniſtrationem.

31. Suppono etiam, duplicem poſſe conſiderari materiam huius ſacramenti, proximam ſcilicet, & remotam, & de vtraque dicendum eſt in quo conſiſtat.

32. Prima concluſio. Materia remota huius ſacramenti ſunt tantùm peccata actualia commiſſa poſt Baptiſmum, ita Trident. ſeſſ. citata cap. 1. & 2. & ratio eſt, quia Iudicis ſententia non poteſt validè ferri, niſi in eos, & circa ea, circa quæ iuriſdictionem habet: at ſacerdos tantùm habet iuriſdictionem in eos, qui in Eccleſiam per ianuam Baptiſmi ingreſſi ſunt; ac proinde tantummodo in ea peccata poſt talem ingreſſum admiſſa; quia ex Chriſti inſtitutione, ſola peccata iam ſubiecta Eccleſiæ clauibus, & abſolutioni ſunt ſubiicienda. Dixi huiuſmodi peccata eſſe materiam remotam, ſicut in Baptiſmo aqua non eſt materia proxima, ſed remota, quia Baptiſmus proximè tantùm conſtat ex ablutione tanquam ex materia.

33. Dixi præterea, omnia peccata actualia eſſe materiam huius ſacramenti; cum hoc tamen diſcrimine, quòd mortalia ſunt materia neceſſaria ex diffinitione Concilij Tridentini: peccata autem venialia licèt materia neceſſaria non ſint, bene tamen ſufficiens, iuxta idem Concilium cap. 5. canon. 7. & ſtatuitur à Leone X. in Bulla contra Lutherum. De mortalibus autem confeſſis, & remiſſis, illud etiam eſt certum iuxta Decretum Benedicti XI. in Extrauaganti prima, de priuilegiis, eſſe quidem materiam ſufficientem, & liberam; non verò neceſſariam. Nec inconuenit ſupra eamdem materiam remotam ſæpiùs cadere formam ſacramentalem, quæ tamen ſupra eamdem materiam proximam non caderet; ſicut ſupra eamdem aquam bene poteſt cadere ſæpiùs forma baptiſmalis; non tamen ſupra eamdem ablutionem.

34. Secunda concluſio. Actus pœnitentis, nimirum contritio, ſeu dolor, confeſſio, & ſatisfactio, ſunt materia proxima huius ſacramenti, ita communiter Theologi, & manet iam probatum in ſuperioribus, ex Florentino, & Tridentino. Et quamuis de contritione dubitauerit Durandus, quia actus omnino internus, nec ſenſibilis aliquo modo, non poteſt pertinere ad ſacramentalem conſtitutionem; ac per conſequens, nec ad ipſius ſacramenti materiam; hoc tamen non impedit. nam ſicut conſenſus mutuus internus, nutibus tamen externis expreſſus, ſunt forma, & materia ſacramenti Matrimonij abſque vllo incommodo; ita etiam contritio, vel attritio interna, declarata per confeſſionem ſacramentalem, & ſignis externis, poterit eſſe materia huius ſacramenti.

35. Obiicies, quia ſi actus pœnitentis eſſent materia proxima, & efficiens, & productiua ipſius ſacramenti, imò diceretur totalis cauſa ipſius ac per conſequens eſſet Miniſter eiuſdem. Probatur ſequela nam ex eo homo dicitur totaliter cauſa alterius hominis, quia vltimatè diſponit materiam ad formæ introductionem; cùm tamen nullo modo concurrat ad ipſius formæ cauſationem, nec etiam ad introductionem eiuſdem, niſi diſpoſitiue, & indirectè; ergo peccator vltimatè diſponens materiam conſtitutiuam eſſentialiter ſacramenti pœnitentiæ per confeſſionem, & alios actus, dicetur cauſa, & Miniſter ſacramenti totaliter.

Reſpondetur negando ſequelam, & ad probationem dico, actus pœnitentis non præcisè, & ſecundùm ſe, & provt à pœnitente procedunt, habere rationem ſacramenti; ſed provt à ſacerdote per poteſtatem clauium aſſumuntur, & eleuantur ad componendum vnà cum forma, integrum ſacramentum, & ſignificandam veram peccati remiſſionem, eſſe materiam proximam, & partem eſſentialem huius ſacramenti; & hac ratione iam ſiunt, & ſunt quodammodo actus ipſius Miniſtri, quibus tanquam inſtrumento vtitur. Vnde conſtat ſacerdotem tantummodo eſſe totalem Miniſtrum huius ſacramenti. Lege Coninchum diſp. 4. dub. 4. num. 35. 36.

Sectio IV.

De forma ſacramenti Pœnitentiæ.

CErtum eſſe debet apud omnes, in Eccleſia Dei eſſe poteſtatem abſoluendi à peccatis, tam quoad culpam, quàm quoad pœnam. Primum probatur ex illis verbis Ioann. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quod etiam videtur expreſſum in Tridentino ſeſſ. 6. cap. 14. vbi aſſeritur, per ſacramentum Pœnitentiæ, vel per eius votum, pœnam æternam vnà cum culpa remitti. Secundum etiam conſtat ex eodem loco; & quia ſi in Eccleſia reſidet poteſtas remittendi peccata quoad culpam, conſequenter reſidet etiam poteſtas remittendi peccata quoad pœnam æternam, quia hæc dependet in conſeruari à culpa. 37. Ioan. 20.

Secundò etiam eſt certum, neceſſariò requiri aliqua verba ad formam huius ſacramenti, iuxta diffinitionem Concilij Florentini in Decreto Eugenij, ſtatuentis generatim, ſacramenta nouæ legis conſtare verbis tanquam forma. A qua regula non eſt facienda exceptio, niſi vbi ex traditione Eccleſiæ, & conſenſu Doctorum id conſtiterit: qua ratione in ſacramento Matrimonij admittimus verba non eſſe de ratione ipſius ſacramenti. De hoc autem ſacramento ipſum Concilium ſpecialiter, & expreſsè ait. *Forma huius ſacramenti ſunt verba abſolutionis qua ſacerdos profert cùm dicit*, &c. Vbi ly *verba*, & *profert*, expreſsè inducunt neceſſitatem verborum in hac forma. Similiter in Tridentino ſeſſ. 14. cap. 3. vbi ſtatuitur, *Formam huius ſacramenti ſitam eſſe in illis Miniſtri verbis*, &c. 38. Trident.

Prima concluſio. Forma abſolutionis modo deprecatiuo prolata, non ſufficit ad valorem, & eſſentiam huius ſacramenti. ita communiter Doctores, & probatur, quia hoc ſacramentum inſtitutum eſt ad modum iudicij; ſententia autem iudicis deciſiua tradi nequit modo deprecatiuo; ac proinde in hoc ſacramento poſt formam abſolutionis deprecatiuam, *Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat*. Additur abſolutio verbis indicatiuo modo prolatis, *Ego te abſoluo*, vtpote, quia præcedentia verba deprecatiua erant inſufficientia ad valorem, & eſſentiam huius ſacramenti. 39.

Secunda concluſio. Verba quibus in Eccleſia communiter profertur forma abſolutionis, ſunt; *Ego te abſoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Ex quibus cætera verba præter iſta abſolutè non ſunt præcisè de intrinſeca ratione formæ huius ſacramenti. Quare inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis, & ly *à peccatis tuis*, laudabiliter 40.

Digitized by Google

laudabiliter ponuntur cum Concilio Moguntino, & secundùm modum consuetum Ecclesiæ, obligatur Minister illis vti verbis, sed præcisa non sunt, quia sine ipsis factum teneret; siquidem ex institutione Christi non pendent, nec ex alio fundamento ad id obligatur Minister. Idem dico de pronomine *ego*. nam in re nihil addit præter verbum *absoluo*, in quo intrinsecè includitur. Ratio horum est, quia illa verba *absoluo te*, supposita confessione pœnitentis, satis sufficienter significant implicitè absolutionem à peccatis, nec necessaria est maior expressio.

41. Nec obstat, quòd Florentinum, & Tridentinum, dum assignant formam absolutionis, dicunt, esse illa verba, *Ego te absoluo*, &c. Vbi notandum est particula illa, *&c.* per quam expressè notatur plura alia verba requiri ad formam absolutionis, & præcipuè illa, *à peccatis tuis*, ex forma consueta Ecclesiæ. Hoc, inquam, non obstat, quia Concilia solùm intendunt subsequentia verba *à peccatis tuis*, sub præcedentibus intelligi, vt prolatis post confessionem peccatorum præcedentem; quia supposita prædicta confessione, illa verba satis sufficienter implicitè significant absolutionem esse à peccatis.

42. Tertia conclusio. Quibuscumque verbis proferatur forma absolutionis, sufficiens est ad valorem sacramenti, quoties per illa verba sufficienter significatur actus iudicis proferentis sententiam decisiuam absolutionis peccatorum. Vnde forma absolutionis per verba modo imperatiuo prolata sufficiens est ad essentiam huius sacramenti. Ita Suarez disput. 19. sect. 1 Vazquez art. 3. dub. 3. Hurtado disp. 5. difficult. 3. Mæratius disput. 2. sect. 2. Quia sententia iudicis decisiua optimè exhibetur modo imperatiuo prolata; ac proinde in prædictis verbis sufficienter seruatur sensus formæ absolutionis institutæ à Christo in hoc sacramento ad instar sententiæ iudicis. Periculosum tamen censeo mutare formam ab Ecclesia consuetam, quæ semper vtitur verbis indicatiuo modo prolatis. nam quamuis factum teneret, exponeret se quis periculo peccandi lethaliter, quamuis nonnullis videatur tantùm esse veniale, quia hæc mutatio non videtur grauis, sed leuis. Eumdem enim sensum reddunt, *Absoluo te à peccatis tuis*, &, Absoluaris à peccatis; vel, Absoluatur Petrus à peccatis.

43. Quarta conclusio. Absolutio data sub conditione de præterito, vel præsenti, valida est, non verò, quæ profertur sub conditione de futuro. Ita communiter Theologi, & ratio prioris partis est, quia illa conditio de præterito, vel præsenti, non suspendit actum, & ex multis causis potest Sacerdos dubitare, an ritè absoluerit pœnitentem; ac proinde potest ita absoluere: Si non es absolutus, ego te absoluo.

44. Ratio verò posterioris partis eadem est, quia conditio de futuro suspendit actum; illa enim verba: Absoluo te, si cras eleemosynam dederis, reddunt hunc sensum. Verba quidem absolutionis nunc profero, sed effectum illorum conferre nolo, vsque ad illud tempus quo re ipsa eleemosynam dabis. Quod quidem non est in potestate Ministri, quia hoc sacramentum est agens necessarium, ac proinde in eo instanti in quo est, producit suum effectum in suscipiente rectè disposito, velit, nolit Minister; neque in eius potestate est suspendere talem effectum.

45. Quinta conclusio. Verus sensus illorum verborum: *Absoluo te à peccatis tuis*, est huiusmodi; ego quantum est ex me, remitto tibi peccata tua, conferendo tibi gratiam remissiuam peccatorum. Quod si sensus semper est verus, etiamsi illa verba non semper sortiantur effectum, quem significant: vt cùm per præuiam contritionem obtenta est iam remissio omnium peccatorum; vel cùm quis rursus confitetur peccata à quibus iam per sacerdotis absolutionem antea solutus est; id enim est per accidens, & non ex defectu virtutis illorum verborum, quæ solùm significant se hunc effectum conferre quantum est ex se, & ex sua virtute.

Sectio V.

An hoc sacramentum sit medium necessarium ad salutem.

46. NOnnulli ex antiquis senserunt, sacramentum Pœnitentiæ esse tantùm necessarium necessitate præcepti diuini, non medij. Sic Gabriel in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 1. Alij verò existimarunt, hoc sacramentum esse quidem necessarium necessitate medij, eam tamen necessitatem non oriri ex diuino præcepto, sed potiùs ex eo quod est medium necessarium ratione sui effectus, extitisse præceptum de confessione & sacramento Pœnitentiæ. Itaque non est medium necessarium, quia præceptum est; sed potiùs præceptum fuit à Christo, quia medium necessarium est. Ita Cano tertia parte relectionis de sacramento Pœnitentiæ post tertiam conclusionem.

47. Obseruandum est, duplex esse necessitatis genus, & præcepti, & medij. Necessitas præcepti est illa, quæ oritur ex impositione alicuius præcepti, siue præceptum sit naturale siue diuinum, positiuum, siue Ecclesiasticum. Necessitas autem medij, siue remedij, siue finis, his enim nominibus solet explicari, ea est, vt illud sit necessarium necessitate medij ad salutem, quod suppleri non potest sola ignorantia inuincibili, verbi gratia, Fides, Baptismus, Pœnitentia, Gratia; quamuis enim si quis laboret ignorantia inuincibili, excusabitur à transgressione præcepti, non credendo, vel non recipiendo pœnitentiam, vel Baptismum; tamen non adipiscitur salutem sine illis: at verò quæ necessaria sunt necessitate præcepti, ignorantia inuincibili suppleri possunt. nam existente eorum ignorantia inuincibili cessat eorum obligatio. verbi gratia, ignorat quis inuincibiliter esse restituenda ablata, etiamsi necessarium sit restituere, non amittit gratiam, sine qua salus obtineri nequit.

48. Quod vt magis perspiciatur, attendi debet ad effectum qui ponitur in anima ex adimpletione alicuius, vel ex vi ordinationis eius, quod impletur: si enim ille effectus ad quem per se ordinatur in re positus, est necessarius, ita vt sine eo in re exhibito, salus obtineri non possit, neque ignorantia suppleri; planum est effectum illum esse necessarium necessitate medij, & actum qui ad eum effectum ordinatur per se, & sua institutione, esse etiam necessarium necessitate medij in re, vel in voto. Sic actus credendi necessarius est, quia ponit in anima fidem, quam nulla ignorantia supplere potest ad salutem æternam. Baptismus etiam, & similiter pœnitentia necessaria sunt necessitate medij, quia siue re ipsa suscipiantur, siue in voto explicito, vel implicito, per se ordinantur ad ponendam in anima gratiam regenerationis, aut reconciliationis, sine qua quantumuis aliquis laboret ignorantia inuincibili, salutem non obtinebit. At verò obseruatio, v. g.

Digitized by Google

ieiunij,aut reſtitutionis, non eſt hoc modo neceſſaria,quia effectus in quem per ſe ordinatur, eſt ad conſtituendam rectitudinem cum lege præcipiente ieiunium,aut reſtitutionem; ſine ea autem conformitate poſita in anima;poteſt quis ſalutem adipiſci: vt ſi laboret ignorantia, tunc enim non eſt magis conformis,præcepto ieiunij, aut reſtitutionis,quàm ſi nunquam impoſitum fuiſſet,& tamen ſaluabitur. Illud addendum, rectè fieri poſſe,vt eadem res ſit neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti ſimul,ſecundùm diuerſam conſiderationem.

49. Obiicies, quia etiam obſeruatio præceptorum eſt neceſſaria ad conſequendam vitam æternam; ita vt ſine illis ſalus æterna comparari non poſſit. Reſpondetur,diuerſo modo concurrere præceptorum obſeruationem ad vitam æternam, atque ea, quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij. Nam obſeruatio præcepti ſolùm eſt negatiuè neceſſaria, ne ſcilicet per tranſgreſſionem præcepti apponamus impedimentum aliquod noſtræ iuſtificationi: non autem poſitiuè in hoc ſenſu, quia obſeruatio præcepti tantùm, non ponit in anima effectum neceſſarium poſitiuè ad ſalutem,ſcilicet gratiam iuſtificantem, ſicut ponunt quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ſed ſolùm diſponunt ne impediamur ab obtinenda gratia. Quare obſeruatio præceptorum ſolùm eſt neceſſaria negatiuè, & ideo non dicuntur abſolutè medium,ſiue remedium, nec proſunt poſitiuè ad ſalutem iuxta modum explicatum; atque hinc eſt quòd ignorantia ſuppleri poſſunt.

50. Prima concluſio.Sacramentum Pœnitentiæ neceſſarium eſt neceſſitate medij. Ita D. Thom.ſuprà quæſt.65,art.4. cùm docet,duo tantùm ſacramenta eſſe vnicuique noſtrùm neceſſaria neceſſitate ſalutis,Baptiſmus,& Pœnitentia. Non autem loquitur de neceſſitate præcepti, quia hoc modo alia etiam ſacramenta, & præcepta omnia neceſſaria ſunt D. Thomam ſequitur vniuerſa Theologorum ſchola.Probatur facilè,& in primis hoc ſacramentum eſſe neceſſarium neceſſitate præcepti diuini, infrà ſuo loco oſtendetur. Eſſe neceſſarium neceſſitate medij, probatur ex obſeruatione adducta, quia effectus ad quem ordinatur hoc ſacramentum,eſt reconciliatio cum Deo,& remiſſio peccati mortalis; ſine hac autem reconciliatione, & remiſſione poſita in anima, non poteſt obtineri ſalus,& hic effectus nulla ignorantia ſuppleri poteſt: ergo.

51. Secunda concluſio.Neceſſitas medij,quæ in hoc ſacramento reperitur, tota prouenit ex neceſſitate præcepti,& non econtra,ideo impoſitum fuit præceptum,quia erat medium neceſſarium. Probatur, quia licet hoc ſacramentum inititutum ſit ad remiſſionem peccati, ſine quo effectu ſalus obtineri non poteſt; ſi tamen tollas præceptum Chriſti, non eſſet ſacramentum medium ſimpliciter neceſſarium: ergo tota ea neceſſitas ſupponit præceptum. Antecedens probatur, quia effectus ille haberi poſſet per contritionem; cùm in lege veteri, iuſtificarentur homines independenter ab hoc ſacramento, vel in re, vel in voto ſuſcepto, & in noua lege potuit Chriſtus illud non inſtituere, & homines iuſtificare à mortalibus, ſicut in lege veteri iuſtificabat.

52. Tertia concluſio. Neceſſitas medij atque præcepti in hoc ſacramento,ſunt inter ſe diuerſæ.Probatur, quia iſtæ duæ neceſſitates in hoc ſacramento ſeparabiles ſunt, quia aliquando hoc ſacramentum re ipſa ſuſceptum, tantùm eſt neceſſarium neceſſitate præcepti, & aliquando re ipſa ſuſceptum eſt neceſſarium neceſſitate medij, & præcepti: vt cùm quis eſt in extrema neceſſitate,tenetur neceſſitate medij,& præcepti, vti hoc ſacramento in re; at quando quis extra caſum extremæ neceſſitatis iuſtificatur per contritionem, non tenetur accedere ad hoc ſacramentum re ipſa neceſſitate medij, cùm iam in re poſita ſit in anima remiſſio peccatorum, ſed tantùm neceſſitate præcepti; ergo duæ iſtæ neceſſitates inter ſe diuerſæ ſunt.

Quarta concluſio.Sacramentum Pœnitentiæ re ipſa ſuſceptum, non ſemper eſt neceſſarium neceſſitate medij ad ſalutem,& iuſtificationem. 53.

Probatur primò ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine. nam ſi pœnitentes dum agebant publicam pœnitentiam, decederent ex hac vita, ſine copia eius qui reconciliaret eos, adhuc oblatio pro illis fiebat in Eccleſia, & eorum nomina ſicut aliorum fidelium recitabantur in Miſſa; quod quidem Eccleſia non faceret, ſi exiſtimaret illos non adeptos ſalutem ſine reali ſuſceptione ſacramenti.

Secundò probatur ex Tridentino ſeſſ.6. cap.14. & ſeſſ.14.cap.4.vbi diffinitur, etiam per contritionem cum voto ſacramenti interdum iuſtificationem obtineri. Ex quo ſic arguo: contritioni perfectæ cum voto ſacramenti promiſſa eſt gratia, & iuſtificatio, ſi non ſit copia recipiendi re ipſa huiuſmodi ſacramentum. ergo realis ſuſceptio ſacramenti Pœnitentiæ non ſemper eſt neceſſaria neceſſitate medij. 54.

Obiicies textum in cap. *Non poteſt* 38. ibi, *Non poteſt iuſtificari à peccato, niſi antea fuerit peccatum confeſſum*, & textum in cap. *Non poteſt* 41.ibi, *niſi prius fuerit purgatus per pœnitentiæ confeſſionem*, & cap. *Neminem* 43.& cap. *Agite pœnitentiam* 44. & cap. *Multiplex* 49. ibi, *Indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus ſacerdotum nequit obtineri.* Quibus indicari videtur, realem ſuſceptionem huius ſacramenti eſſe ſimpliciter neceſſariam, ita vt ſine illa nunquam ſalus contingat. 55.

Reſpondetur, hæc teſtimonia intelligenda eſſe de remiſſione peccatorum in caſu neceſſitatis, & cùm adeſt copia confeſſoris; in eo enim caſu non contingit ſalus ſine reali ſuſceptione ſacramenti, & hunc eſſe legitimum ſenſum illorum canonum, conſtat ex recepta Eccleſiæ conſuetudine. 56.

Obiicies ſecundò ex Concilio Carthaginenſi IV. vbi dicitur. *Pœnitentes, qui ob vitæ periculum viaticum Eccleſia accipiunt, non ſe exiſtiment abſolutos, ſine manus impoſitione, ſi ſuperuixerint.* Vbi per impoſitionem manus, ſacramentum Pœnitentiæ intelligit: ergo vſque ad realem ſuſceptionem illius ſuſpenſa manet abſolutio,& remiſſio peccati, ſi ſuperuixerit. 57. Carthag.

Reſpondetur, in eo canone non eſſe ſermonem de abſolutione ſacramentali, quia ex inſtituto, & conſuetudine Eccleſiæ viaticum nunquam datur his qui mortalis peccati labe infecti ſunt ſine ſacramentali confeſſione præmiſſa,vt docet Tridentin.ſeſſ.13.cap.7. ſed tantùm eſſe ſermonem de publicè pœnitentibus, qui ante completum pœnitentiæ tempus morbo, & vitæ periculo, ita premuntur, vt non poſſit illis publica reconciliatio impendi in Eccleſia; loquitur igitur Concilium, non de abſolutione ſacramentali, ſed de abſolutione reconciliatiua pœnitentium. 58.

Quinta concluſio. Sacramentum Pœnitentiæ re ipſa ſuſceptum aliquando eſt neceſſarium, non tantùm neceſſitate præcepti, ſed etiam neceſſitate medij. Prior pars infrà oſtendetur; ſecunda verò 59.

pars

pars probatur, quia illud est necessarium necessitate medij, quod ratione effectus quem ponit in anima, ita necessarium est, vt sine eo salus obtineri non possit, neque ignorantia excusari, aut suppleri alia ratione; sed interdum sacramentum Pœnitentiæ est hoc modo necessarium re ipsa susceptum: ergo est necessarium necessitate medij. Minor probatur, quia in multis casibus, qui omnes reducuntur ad casum necessitatis, est vnicum medium ad salutem, & in eo euentu non potest aliter comparari salus; si enim aliquo suppleri posset, maximè contritione; sed hoc non, quia in eo casu non dabitur auxilium ad contritionem sine adimpletione præcepti. nam contritio est votum implendi omnia præcepta; si ergo tempore quo instat præceptum, & adest eius cognitio, non vult conteri, non potest esse vera contritio; atque adeò neque medium iustificationis, nec votum sacramenti: igitur in eo casu sola pœnitentia re ipsa suscepta est medium remissionis peccati.

60. Obiicies, quia quando quis accedit ad suscipiendum re ipsa sacramentum, potest habere contritionem, & ex consequenti iustificari ante susceptum sacramentum, & hoc in nullo etiam necessitatis casu negari potest: sed postquam quis iustificatus est per contritionem, sacramentum re ipsa susceptum tantùm est necessarium necessitate præcepti: ergo cùm in quouis casu, etiam necessitatis possit quis ante absolutionem habere contritionem, nunquam etiam in eo articulo erit necessarium medium, sed necessitate præcepti, si contritionem habeat.

61. Respondetur, negari non posse etiam eo tempore paulo ante confessionem posse hominem iustificari cum contritione, idque verum esse non solùm quando nondum præcisè instat tempus obligationis; sed etiam quando iam volumus recipere sacramentum, aut confitemur; ita vt contritione ante absolutionem deleantur peccata: in quo casu iam absolutio non supereſt vt remedium, sed vt præceptum; sed quia in eo casu non datur auxilium illud ad contritionem nisi iam suscipienti actu sacramentum, & in ipsa susceptione, & aliàs non daretur. Ideo omittere illud sacramentum in eo casu, non tantùm esset omittere præceptum, sed id quod est vnicum medium nostræ iustificationis: siquidem neque contritio quæ videbatur esse aliud medium, non daretur in eo casu sine ipsa susceptione.

62. Vnde infertur, sacramentum hoc esse necessarium necessitate medij in re, vel in voto, & non absolutè in re tantùm; neque tantùm in voto; quia non semper est necessarium re ipsa susceptum, sed aliquando extra tempus necessitatis suppletur per eius votum, & contritionem, & ideo dicitur necessarium in voto. Et quia aliquando non potest suppleri contritione, sed requiritur ipsa realis susceptio, ideo dicitur esse necessarium in re.

63. Dicitur autem sacramentum Pœnitentiæ necessarium in voto, eo quòd cum contritione, quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, & formatur gratia, & charitate, vt diffinit Tridentinum sess. 14. cap. 4. coniungitur etiam votum sacramenti pœnitentiæ; qua contritione scilicet, & voto, suppletur ipsius sacramenti realis susceptio, & idem effectus prouenit, scilicet remissio peccatorum. In quo licèt omnes Doctores conueniant, dissentiunt tamen in explicando quomodo contritio cum voto sacramenti coniungatur.

64. Sexta conclusio. Vt sacramentum Pœnitentiæ dicatur necessarium in voto, non est necessarium votum, siue desiderium expressum pœnitentiæ, sed satis est implicitum, quod continetur in ipsa contritione. Probatur, quia si præter contritionem requireretur votum explicitum sacramenti Pœnitentiæ, vel ideo esset, quia contritio de se imperfecta esset ad iustificandum, & perficeretur desiderio confessionis; hoc autem dici non potest; tum quia Trident. loco citato expressè docet, cum contritione charitatem, & gratiam, semper esse coniunctam, & votum sacramenti in ea contineri, & includi. Tum etiam, quia natura contritionis semper est eadem, & non mutatur expositione alicuius extrinseci præcepti; sed quando non erat præceptum de confessione in lege naturali, & veteri, iustificabat contritio, quouis alio remoto: ergo etiam in noua lege adeò perfecta est, vt iustificare possit sine voto explicito confessionis.

Vel ideò requiritur votum explicitum confessionis, quia non dabitur auxilium ad contritionem sine illo voto, eo quòd illud propositum sit causa contritionis: quod etiam dici non potest, quia sequeretur ideo in nobis esse dolorem, & contritionem, quia habemus expressum desiderium suscipiendi sacramentum, quod contra experientiam est; imò potiùs sæpe contingit econtra. nam, quia habemus dolorem de peccatis, ideo volumus confiteri. Tum etiam, quia non est vnde constet promissum esse auxilium tantum homini habenti expressum desiderium clauium. 65.

Vel esset necessarium votum expressum cum contritione, quia ex natura rei ex vero dolore præteriti peccati, sequitur propositum cauendi omnia peccata in futurum, & ex consequenti implendi omnia præcepta; sed neque hoc dici potest, quia, vt infrà ostenditur, non est necessarium ex natura rei, vt qui dolet de peccatis, cogiter de futura vita, & habeat explicitum propositum non peccandi. 66.

Vel denique esset necessarium votum expressum, quia Deus decreuit non dare auxilium ad contritionem, quin simul etiam conferret ad votum sacramenti expressum. Sed neque hoc verum esse potest, quia non est vnde constare possit. Imò Tridentinum non leuiter insinuat oppositum, dum sess. 14. cap. 4. ait. *Docet præterea, & si contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, prius quàm hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto quod in illa includitur, non esse adscribendam.* ergo nulla ratio videtur esse propter quam dicamus, requiri vnà cum contritione votum explicitum confessionis, sed tantùm implicitum inclusum in ipsa contritione, vt verbis vtar Concilij. 67. Trident.

Obiicies, quia si contritio sine voto expresso iustificaret, sequeretur, sufficere ad iustificationem sine vllo ordine ad claues, quod est contra Concilium Complutense, vbi inter alias propositiones Petri Oxoniensis damnatur hæc. *Peccata mortalia quantum ad culpam, & pœnam alterius seculi, delentur per solam contritionem cordis sine ordine ad claues.* 68.

Respondetur, supposita institutione, & præcepto diuino sacramenti Pœnitentiæ, non posse iustificari sine ordine ad claues, quia in ea contritione includitur votum implendi omnia præcepta: quare semper manet obligatio confitendi. Et Doctor ille meritò damnatus est, quia videbatur planè negare obligationem subiiciendi peccata clauibus. 69.

Obiicies secundò, quia hæreticus non potest consequi 70.

Digitized by Google

consequi remissionem peccatorum, nisi proponat priùs reconciliari Ecclesiæ: ergo idem dicendum est in aliis peccatoribus. Respondetur, hæreticum non posse iustificari nisi iterum incipiat habere veram fidem, cui consequens est, vt habeat actu voluntatem credendi, & redeundi ad Ecclesiam: at peccator qui veram fidem non amisit, iustificari poterit cum dolore, & proposito seruandi omnia mandata, quod includitur implicitè in confessione.

71. Denique obiicies, quia etiam in contritione perfecta includitur votum seruandi omnia præcepta; ergo eadem ratio videtur de sacramento Pœnitentiæ, & de quolibet alio præcepto.

72. Respondetur, quòd quamuis contritio sit votum omnium præceptorum, adhuc speciali ratione dicitur votum huius sacramenti, & necessarium necessitate medij; quam necessitatem non sortitur comparatione aliorum præceptorum. Quod explico ostendendo discrimen, quod est inter contritionem, vt est votum pœnitentiæ, & vt est votum aliorum præceptorum: quia, vt est votum sacramenti, dicit ordinem ad actum necessarium ad iustificationem positiuè, quia contritionis effectus est ponere gratiam in anima; at verò, vt est votum, verbi gratia, ieiunandi, dicit ordinem ad actum, qui solum negatiuè concurrit ad iustificationem, non impediendo, vt iam expositum est.

DISPVTATIO III.

De Contritione.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit detestatio peccati.

1. CONTRITIO in detestatione peccati consistit; oportet ergo vt priùs naturam detestationis inuestigemus, & explicemus, vt perfectiùs quidditas, & essentia contritionis percipiatur.

2. Suppono, actus pœnitentiæ, sicut etiam cuiuslibet habitus, partim esse elicitos, partim imperatos. Eliciti sunt quos ipsa physicè producit. Imperati verò, quos non causat physicè, sed inducendo alias virtutes, vt eos eliciant. Quælibet enim virtus potest imperare actus aliarum virtutum, saltem eiusdem ordinis, eos dirigendo, siue extrinsecus ordinando in finem in quem ipsa respicit, & ad quem illi apti sunt: actus autem aliarum virtutum, tam interni, vt charitatis, fidei, &c. quàm externi, vt eleemosynæ, ieiunij, & orationis, apti sunt ad compensationem peccati à pœnitentia intenta; in quo euentu certum est, eos ex se non esse actus proprios pœnitentiæ, cùm ab aliis virtutibus, nihil agente pœnitentia, possint imperari, & in fines ipsarum proprios dirigi, v. g. Ieiunium ad finem proprium temperantiæ, &c. Nihilominus aliqui volunt, eos actus dum à sola pœnitentia imperantur, dici debere eius proprios. Si verò sermo sit de actibus aliarum virtutum internis, certum etiam est, eos nec esse, nec dici debere proprios pœnitentiæ, sed illarum, quia ab illis sub ipsarum propriis formis eliciuntur.

3. Actus elicti pœnitentiæ, alij sunt prosecutionis, alij verò fugæ. Pœnitentia quatuor habet prosecutionis actus elicitos, nempe amorem satisfactionis pro peccato proprio, iam admisso; eiusdem abientis desiderium, eiusdem ardue spem, & de eodem præsente delectationem. Quia commune est omni habitui habenti obiectum obnoxium his varietatibus, producere physice quatuor eiusmodi actus circa illud. Sed magis propriè elicit pœnitentia secundum, & tertium actum.

Similiter pœnitentia elicit actum fugæ auersando peccatum proprium iam admissum, quatenus est offensa Dei, sub ratione compensabilis per satisfactionem aliquam; habetque alios quatuor actus, odium scilicet peccati proprij actualiter commissi; displicentiam, seu detestationem qua nollemus commisisse, v. g. nollem peccasse; tristitiam, seu dolorem, quæ est pœna de peccato commisso, & timorem quo metuimus peccatum in nobis perseueraturum; hi ergo omnes actus eliciuntur à pœnitentia sub proprio ipsius motiuo; quia peccatum est contra Deum nobis amicum, quia sic pertinet ad charitatem, & sic de aliis virtutibus. Et quamuis omnes illi actus ad pœnitentiam sub nomine pœnitentiæ pertineant, proprissimè ad illam spectant, detestatio, seu displicentia, & tristitia, seu dolor. 4.

Prima conclusio. Peccati detestatio est actus fugæ quo peccatum præteritum auersamur, & explicari solet his verbis, nollem peccasse. Ita communiter Doctores, & constat ex vsu ipsius vocis. Et probatur, quia detestationem peccati nominamus eum actum fugæ, qui peccatum iam in re positum proximè sequitur, saltem post simplex illius odium: sed eiusmodi actus est quem explicamus illis verbis, nollem peccasse; ergo iste est peccati detestatio. Confirmatur, quia detestatio vel est ipse dolor; vel est actus sibi coniunctum afferens dolorem de peccato commisso; talis autem est actus prædictis verbis explicatus: ergo ille est propriè peccati detestatio. 5.

Secunda conclusio. Peccati detestatio est multiplex secundùm speciem, & potest à virtutibus specie inter se differentibus elici; possumus enim peccatum detestari, vel quia est contra rationem naturalem, & hæc detestatio producitur ab habitu virtutis intendente bonum naturæ rationali conforme vt sic; vel quia est contra peculiarem honestatem talis virtutis, v. g. furtum, quia est contra iustitiam, & nascitur hæc detestatio ex virtute iustitiæ, & idem est de peccato contra temperantiam, & sic de aliis. Præterea si peccatum iniustitiæ detestemur, quia opponitur iustitiæ infusæ, peccati detestatio erit actus virtutis mosalis infulæ iustitiæ: si detestemur quia oppositum charitati, vel Deo amico, erit virtutis theologicæ charitatis. Peccati verò detestatio propria pœnitentiæ est actus fugæ, quo peccatum à nobis propria voluntate incursum, nollemus incurrisse, quia est malum nostrum, ex propria complacentia. 6.

Tertia conclusio. Displicentia propriè sumpta est idem realiter cum detestatione. Probatur, quia displicentia proprie est auersio à malo iam præsenti, qua vellemus illud non esse, aut nollemus esse; sed talis actus est detestatio: ergo displicentia propriè sumpta est idem realiter cum detestatione. 7.

Quarta conclusio. Peccati detestatio realiter differt à dolore & à tristitia. Probatur ex Tridentino sess. 14. cap. 1. definiente. *Pœnitentiam actualem fuisse necessariam illis qui proprijs inquinati culpis Baptismum petiissent, vt tantam Dei offensionem cum peccati* 8. Trident.

cati odio, & pro animi dolore deteſtarentur. In quibus verbis clarè diſtinguit deteſtationem à dolore: alias non debuiſſet dicere, *cum dolore deteſtarentur*: ſed dolore deteſtarentur. Et probatur, quia cauſa efficiens realiter diſtinguitur à ſuo effectu: peccati autem deteſtatio eſt cauſa efficiens doloris; ideo enim de peccatis dolemus, quia illa deteſtamur; ſeu quia nollemus ea eſſe, & re vera ſunt, & ideo in Beatis reperitur proprie peccati deteſtatio, & non dolor. ergo deteſtatio & dolor re ipſa differunt; ac proinde deteſtatio, & triſtitia, quæ cum dolore conuertitur.

9. Obiicies primò, ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi docet, Contritionem eſſe animi dolorem, ac deteſtationem. Reſpondetur, Concilium loqui de contritione pro vt includente omnem actum internum, quem in pœnitentia requirit Pœnitentiæ ſacramentum, cum propoſito non ampliùs peccandi.

10. Obiicies ſecundò, ex 2. Corinth. 7. vbi dicitur. 2. Cor. 7. *Gaudeo non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam.* ergo triſtitia, ſeu dolor, non oritur ex deteſtatione, ſed econuerſo. Reſpondetur locum hunc non eſſe ad rem, quia ibi ſumitur *triſtitia*, pro triſtitia naturali, & humana, quam Corinthij ex Pauli reprehenſione conceperant; ex qua tamen ad veram de peccatis pœnitentiam gradum facerent. Ex his

11. Infero primò, deteſtationem peccati eſſe actum partim inefficacem, & conditionatum ex parte obiecti; partim verò abſolutum & efficacem. Prior pars oſtenditur, quia peccati deteſtatio, qua præciſè talis eſt, ſolum reſpicit peccatum præteritum, eo modo quo explicatur per illa verba, vellem non peccaſſe, nollem peccaſſe, quæ hunc habent ſenſum: ſi poſſem facere, vt peccatum quod à me iam commiſſum eſt, non eſſet commiſſum, id facerem; qui quidem actus ſit cum cognitione ſufficienter indicante, illud iam eſſe impoſſibile: ergo peccati deteſtatio formaliter vt præciſè talis, non eſt actus efficax, ſed inefficax, non abſolutus, ſed conditionatus. Secunda pars oſtenditur, quia talis deteſtatio efficax eſt in ordine ad auferendum affectum habitualem voluntatis ad peccatum. nam talis affectus formaliter aufertur per affectum actualem, quo ex vehementi animi affectione vellemus, ſi fieri poſſet, non peccaſſe. Præterea, quia talis deteſtatio efficax eſt ſaltem realiter, in ordine ad inducendum propoſitum, tam deſtruendi peccatum habituale relictum ex actuali, quàm vitandi de cætero nouum peccatum. Nam qui ſeriò deteſtatur peccatum propter eius inhoneſtatem oppoſitam bonitati diuinæ, hoc eodem motiuo ſtatim adducitur ad deſtructionem peccati habitualis, & ad vitandam in poſterum ſimilem diuinam offenſam, abſtinendo à peccato actuali.

12. Quamuis etiam dici poſſit, quòd peccati deteſtatio, qua formaliter vt præciſè talis, quodammodo ſit efficax reſpectu, ſeu comparatione alicuius auerſionis à peccato iam commiſſo, quam poſſumus appellare velleitatem, aut nolleitatem. Nam peccatum iam ſemel à ſe commiſſum, poteſt quis deteſtari tam leuiter, vt ſi per impoſſibile daretur ei facultas, vt non eſſet peccatum commiſſum, paratus non ſit ad id efficiendum cum aliquo labore, vel incommoditate: at ſeria deteſtatio peccati, voluntatem diſponit ad quoduis præſtandum, ſi fieri poſſet, ne peccatum eſſet commiſſum, & re vera talis eſt vt ſi fieri id poſſet, id præſtaret: ergo hic actus comparatione alterius, iure poteſt dici efficax, quamuis abſolutè inefficax ſit ex parte obiecti, vt prædixi.

13. Secundò infertur, deteſtationem, vel dolorem vnius peccati, ſi niratur motiuo particulari illius peccati, non eſſe virtualem deteſtationem aliorum: ſi enim motiuum ſpeciale propter quod ego deteſtor aliquod peccatum, non habet locum in alio; non eſt cur mea illa deteſtatio vnius peccati ſit implicita alterius, & idem dico de dolore & odio vnius peccati ex motiuo peculiari. Si verò quis deteſtetur vnum peccatum, & talis deteſtatio nitatur motiuo peccatis omnibus communi, v. g. grauem rapinam propterea quòd Deum grauiter offendit, vel æterna beatitudine priuat, vel æternis pœnis addicat, vel naturæ rationali eſt repugnans, implicitè deteſtatur omnem culpam mortalem. nam omnia illa damna infert quælibet culpa mortalis.

14. Obiicies primò, quia poteſt quis deteſtando peccatum mortale, adhuc venialia diligere. Reſpondetur verum eſſe, ſi ſub diuerſa ratione venialia conſiderentur; non tamen ſub ratione communi ipſis, & peccatis mortalibus.

15. Obiicies ſecundò, quia qui ex motiuo temperantiæ vult ieiunare vna die, non ideo eſt neceſſe vt velit etiam ieiunare alia die, & qui ex motiuo iuſtitiæ non vult occidere, poteſt adhuc velle furari; cùm tamen furtum etiam ſit contra motiuum illud iuſtitiæ. Reſpondetur, in his caſibus non amari motiuum illud temperantiæ, vel iuſtitiæ, omnino, & plenè, ſed moderatè & ex parte, ſcilicet aliquale bonum illius virtutis: ac proinde mirum non eſt, quòd non velit etiam virtualiter alia obiecta temperantiæ, vel iuſtitiæ; quia ea neceſſaria non ſunt ad finem quem ſibi ſtatuit cum illa mediocritate conſequendum: at contritio oritur ex motiuo vniuerſali, & efficaci, ſcilicet ex Deo ſuper omnia dilecto, ad quod requiritur non ſolùm vitare vnum, vel aliud peccatum, ſed omnia: ac proinde qui eo modo vult finem, debet virtualiter velle omnia media neceſſaria ad eum finem, & conſequenter virtualiter deteſtatur omnia peccata. Ita Lugus diſput. 5. ſect. 4. Cuius optimam rationem reddit, quia quando voluntas fertur in aliquod obiectum propter aliquod motiuum, eo ipſo & principalius fertur in ipſum motiuum; qui enim vult medicinam propter ſanitatem, eo ipſo & principalius vult ſanitatem, quàm medicinam, & qui deteſtatur furtum propter Dei offenſam, magis deteſtatur offenſam Dei, quàm furtum: quia propter quod vnumquodque eſt tale, & illud magis.

SECTIO II.

Quid ſit Contritio.

16. COntritio, metaphorica appellatione dicitur à *contero*, ex eo quòd conterere ſignificat rem aliquam duram in minutiſſimas partes diuidere, & comminuere; hoc autem præſtat contritio, diuidens cor peccatoris per peccatum obduratum. Aliquando ſumitur in malam partem etiam in ſacra Scriptura, Pſalm. 13. *Contritio & infelicitas in vijs eorum*, & Eſai. 68. *Pra contritione ſpiritus vlulabunt.* Pſalm. 13. Iſai. 68. Frequentiùs ſumitur in bonam, in qua rurſus bifariam vſurpatur, primò generatim, vt comprehendit attritionem, quæ eſt imperfecta contritio, vt colligi poteſt ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. Secundò ſumitur pro perfecta auerſione voluntatis à peccato

peccato commisso, qua homo se præparat ad reconciliandam amicitiam cum Deo, si careat illa; disponitque vltimò ad gratiam iustificationis etiam extra sacramentum Ita in Concilio Tridentino, & frequentissime in sacra Scriptura. Psal. 50. *Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies.* Daniel 13. *In spiritu humilitatis, & animo contrito.* Psalm. 146. *Qui sanat contritos corde.* Super quæ verba Augustinus sic ait. *Contritos, id est, humiliatos corde, confitentes se ipsos punientes.* Et concludit, *Qui non conterunt, non sanantur.*

Psalm 50. Daniel 13. Psalm. 146. August.

17. Contritio ergo a Theologis, & à Tridentino vbi suprà, sic definitur. *Est animi dolor ac detestatio de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero.* In his autem verbis, solùm ea contritio definitur quæ est pars sacramenti Pœnitentiæ, ad eius validitatem necessaria, & ad eius fructum percipiendum. Verùm quia ex supradictis constat, duplicem esse contritionem. Aliam quæ sit actus specialis virtutis pœnitentiæ, cuius obiectum formale disput. 1. sect. 1. assignauimus Aliam verò quæ est actus charitatis. Priori modo contritio nihil aliud est, quàm voluntas compensandi offensam Deo factam, ex complacentia ipsius pœnitentis. Posteriori modo contritio definitur sic. *Est detestatio, seu dolor ac peccato commisso, supra omne detestabile, ex complacentia contra Dei summe amati, seu in quantum est contrarium & repugnans bonitati diuinæ.*

Et ex hac definitione

18. Infertur primò, contritionem debere esse detestationem formalem peccati, & colligitur ex Tridentino loco citato. *Contritio est animi dolor, ac detestatio de peccato.* Deinde, quia contritio metaphoricè dicitur, quasi per ipsam cor alioqui durum, & contra Deum erectum, contundatur, & comminuatur, & confusione ipsa humilietur, iuxta suprà dicta ex Psalm. 50. *Cor contritum & humiliatum*, &c. Vnde contritio aut est proxima causa doloris, aut est ipse dolor: vtroque autem modo est formaliter detestatio; quia si contritio solum est virtualiter dolor, est actus ille qui per se habet esse proximam causam doloris, & hic est detestatio; si verò contritio est formaliter dolor, non est solus dolor, sed conflatum ex dolore, & detestatione: vt colligitur ex Tridentino proxime citato.

Trident.

19. Secundò infertur, contritionem non esse qualemcumque auersionem à peccato, sed seriam & efficacem. nam contritio est detestatio, & nobilissima detestatio: detestatio autem est actus fugæ serius, & efficax. Est etiam actus efficax in ordine ad auertendam voluntatem à peccato, & cauendum illud in posterum; quamuis præcisè in ordine ad peccatum præteritum, sit actus ineffícax & conditionatus, vt suprà de detestatione docuimus. nam in hoc non est melioris conditionis contritio, quam detestatio vt sic: vtraque enim respondet illis verbis, vellem non peccasse, nollem peccasse.

20. Tertiò infertur, obiectum materiale contritionis, sicut virtutis pœnitentiæ, esse omne peccatum actuale proprium, siue mortale, siue veniale, etiam iam dimissum. Et quidem si remissio peccati ignoretur, vel si dubia sit, omnes concedunt posse esse obiectum detestationis, seu retractationis, & emendationis per compensationem. Si verò quis certò sciret peccatum iam esse omnino condonatum, & plenè satisfactum, & debitum extinctum, potest esse aliquale dubium, an supra illud possit cadere contritio; quia vbi non est debitum, pœnitentia non potest velle satisfactionem. Dicendum tamen est, adhuc in eo euentu contritionem & voluntatem compensandi, posse cadere supra peccatum omnino remissum, & extinctum, vt ex alio & alio titulo extinguatur. Nam, vt rectè Lugus disput. 3. sect. 1. hoc est etiam commune aliis virtutibus, vt possint suo debito satisfacere plenè, vel superabundanter: sic gratitudo potest velle remunerationem maiorem, quàm exigeret beneficium acceptum, & obedientia potest velle audire duo sacra in die festo, vt abundantiùs satisfaciat præcepto audiendi sacrum: sic Zachæus, si quemquam in aliquo defraudauerat, reddebat quadruplum.

21. Quartò infertur, peccatum originale, cùm non sit commissum voluntate propria, neque propriè esse posse obiectum contritionis, seu pœnitentiæ; quia nec retractatio, nec voluntas compensandi potest supra illud cadere: nemo enim potest propriè, & physicè retractare, quod ipse propriè, & physicè non fecit. Et ob eandem rationem idem dicendum est de peccatis alienis: aliàs Deus detestans & odio habens peccata nostra, verè diceretur pœnitere. Displicentia ergo de peccato alieno, vt notat Vazquez quæst. 85. art. 4. dub. 2. Si sit ex complacentia Dei, erit charitas erga Deum: si verò sit ex complacentia proximi, cui malum est peccatum, erit beneficentia erga proximum.

22. Quintò infertur, contritionem debere esse detestationem omnium peccatorum mortalium, implicitè, vel explicitè; fertur enim motu fugæ in peccatum sub ratione omnibus peccatis mortalibus communi, quia scilicet grauiter repugnat diuinæ bonitati; ac proinde fieri nequit vt quis verè doleat de mortali sub ea ratione, & saltem implicitè simul non doleat de aliis. Et quia per veram contritionem peccatum remittitur, & vnum mortale sine aliis remitti non potest. Dixi *implicitè*, quia qui habet plura mortalia, & solùm recordatur vnius, potest habere veram contritionem per quam actu & expressè doleat de eo solo peccato; qui tamen implicitè censebitur de aliis dolere, & dolor ad ea implicitè se extendet: quia affectus talis est, vt ex vi illius auerteretur ab omnibus aliis, si ea menti occurrerent: loquendo tamen per se requiritur formalis & expressus dolor omnium mortalium, si ea menti obiiciantur, aliàs si quis non detestetur peccatum cuius habet memoriam, censebitur habitu erga illud affici.

23. Denique infertur, detestationem peccati, vt sit actus veræ contritionis, debere esse supra omne detestabile, seu supra omne malum pœnæ: seu, vt solet dici, debet esse dolor de peccato appretiatiuè summus, per quem dolcamus de peccato, illudque detestemur supra omne malum pœnæ. Quod explicatur exemplo amoris, tunc enim amor dicitur appretiatiuè summus, cùm nostra æstimatione aliquem maximi facimus, & iuxta hanc æstimationem tendimus in eum actu amoris, ita vt si necesse esset, parati simus quidlibet præ illo negligere, & hac ratione diligimus Deum summè appretiatiuè. Eodem modo philosophandum est de detestatione, quòd scilicet id summè detestamur, quod præ aliis odio habemus. Itaque vt detestatio peccati sit actus veræ contritionis, debet esse supra omne detestabile, & supra omne malum pœnæ: non quidem explicitè & formaliter; sed sufficit implicitè. Ita Suarez disput. 3. sect. 9. & communiter Doctores. Prior pars probatur, quia quicumque se disponit ad primam gratiam post peccatum recipiendam, debet esse in ea animi præparatione, saltem virtualiter, vt si occurreret occasio peccandi mortaliter,

Digitized by Google

taliter, potius eligeret pœnam quamlibet, quàm iterum mortaliter delinquere: hoc autem est detestari peccatum saltem implicitè, supra omne malum pœnæ: ergo. Posterior pars ostenditur, quia si opus esset detestari explicitè, & formaliter peccatum supra omne malum pœnæ, opus esset explicitè meminisse omnis eiusmodi mali: quod nemo concedit. Immo communiter omnes aduertunt non esse proponendam, aut suadendam pœnitentibus eiusmodi mentionem; quia fieri posset, vt vel à peccati detestatione deterreantur, vel si iam peccata rectè detestati sunt, pro humana fragilitate detestationem retractent, & nouam culpam incurrant: cessante verò illo periculo, illa propositio posset laudabiliter fieri.

24. Obiicies, tenemur detestari peccatum supra omnem pœnam: ergo detestari propter solam pœnam erit peccatum. Consequentia probatur. nam propter quod vnumquodque est tale, & illud magis: vnde qui peccatum detestatur propter pœnam, magis detestatur pœnam quàm peccatum. Hinc verò fieri, vt attritio quæ solùm detestaretur peccatum propter metum gehennæ, esset actus malus contra Tridentinum sess. 14. cap. 4. Respondetur distinguendo consequens, detestari peccatum propter solam pœnam negatiuè, id est, non habendo aliud detestationis motiuum, erit peccatum, nego consequentiam; detestari peccatum propter solam pœnam priuatiuè, id est, formaliter, aut virtualiter habendo hunc actum; si peccatum non afferret illam pœnam, non detestarer, esset peccatum, concedo consequentiam.

25. Si verò comparatio fiat inter peccata propria detestantis, detestandum est magis, quod magis graue est; quia sicut peccatum grauius, est dignum maiori odio; sic est dignum maiori detestatione. Dixi *si fiat comparatio*. nam si non fiat, non poterit actu detestatio esse maior vnius quàm alterius peccati; nec est obligatio comparationem faciendi.

26. Inuertere autem hunc ordinem, detestando minus culpam maiorem, quàm minorem; ita scilicet vt ex suppositione, quod alterum peccatum esset committendum, eligeretur quod est maius, semper est aliquod peccatum; diuersum tamen iuxta diuersas comparationes. Si enim comparatio fiat intra genus peccati venialis, semper electio maioris erit peccatum veniale. Si verò fiat comparatio inter mortale & veniale, mortale erit eligere mortale; quia electio peccati venialis, solum est venialis: at mortale præ leui eligere grauis est inordinatio. Denique si comparatio sit inter mortalia, interdum erit culpa mortalis, interdum venialis; mortalis quidem, quia grauissimam habet indecentiam hic actus: si necesse esset aut furari, aut Deum odio prosequi, hoc secundum eligerem ego, manifestè est graue peccatum; venialis verò, vt tenet Sotus, & probabiliorem putat Sanchez in summa cap. 10. num. 2. quia peccata mortalia inter se possunt esse tam parum inæqualia, vt excessus grauioris præ alio, moraliter non inducat grauem malitiam, præter eam quam ex se peccatum habet. Tandem si comparatio fiat inter peccatum proprium & alienum, magis detestandum est proprium. Ita communiter Doctores, & reddunt rationem; quia quælibet virtus cùm ex proprio munere habeat facere suum obiectum bonum, magis auersatur malum oppositum sui subiecti leue, quàm alienum graue. Sed quidquid sit de inclinatione virtutis, sanè quamuis aliæ virtutes non haberent eam propensionem maiorem erga bonũ subiecti proprij, quàm alieni, haberet charitas qua se ipsum quisque diligere tenetur: vnde fit vt posita hac distinctione, aut mihi peccandum est leuiter; aut permittendum vt Petrus peccet grauiter, debeam posteriorem partem eligere. Et ratio est, quia non sunt facienda mala, vt veniant bona: ergo neque vt vitentur mala.

Sectio III.

An ad contritionem requiratur amor Dei super omnia.

27. NOnnulli Theologi, inter quos est Præpositus quæst. 86. art. 1. dub. 6. existimant, non repugnare inueniri veram contritionem sine formali actu amoris Dei super omnia, quia huiusmodi actus differunt obiectis, quorum vnum sine altero potest menti obiici; potest enim peccator considerare peccatum vt summè repugnans diuinæ bonitati, & illud repræsentare voluntati vt tale, quamuis non apprehendat explicitè Deum tanquam amandum super omnia: ac proinde poterit voluntas elicere vnum actum, quamuis alium non eliciat. Addunt tamen amorem Dei super omnia virtualiter in contritione includi: ex eo enim quòd vera contritio detestatur peccatum tanquam summè repugnans diuinæ bonitati, ex vi illius ferretur in Deum per actum amoris super omnia, si Deus obiiceretur tanquam amandus. Sit tamen

28. Prima conclusio. Ad veram contritionem extra sacramentum requiritur charitas; hoc est, quòd contritio formaliter oriatur ex peculiari motiuo charitatis scilicet Dei super omnia dilecti: itaque contritio est actus elicitus charitatis. Ita Suarez disp. 4. sect. 2. Vazquez quæst. 85. art. 2. dub. vnico, & sæpe alibi. Ægid. disput. 2. dub. 2. Turrian. disput. 9. dub. 1. Hurta. disp. 1. diff. 1. &

Probatur primò ex sacra Scriptura, Deuteron. 4. *Cumque quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum;* Deuter. 4. *si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Vbi verba illa *ex toto corde*, significare videntur, amorem Dei super omnia. Præterea Lucæ 7. pœnitenti Magdalenæ dicat Christus, *Dimittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum,* & 1. Corinth. 13. Paulus dixit de se in omnium persona. *Si charitatem non habuero (quamuis præclara facinora præstet) nihil mihi prodest, & factus sum velut cymbalum tinniens, & nihil sum,* & 1. Ioan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Luc. 7. 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3.

29. Secundò probatur ex Trid. sess. 14. c. 4. vbi dicitur. *Quòd si contingat contritionẽ hanc aliquando charitate formatã hominẽ Deo reconciliare,* &c. vbi expendenda sunt illa verba, *aliquando cõtingere vt contritio formetur charitate*: loquitur ergo de expressa charitate, & ideo sess. 6. c. 6. inter dispositiones necessarias ad iustificationẽ, numerat actũ perfectæ charitatis. Trident.

30. Tertiò probatur ex Patribus in hoc sensu Scripturam capientibus. Augustin. lib. 21. de Ciuit. c. 27. *Si pro suo scelere*, inquit, *omnia sua distribuant indigentibus, nisi desistant à peccatis habendo charitatem quæ non agit perperam, nihil eis prodesse potest*; & serm. 7. de tempore. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*; & contra Cresconium cap. 12. loquens de variis peccati remediis, vt Dei verbo, contritione cordis, & eleemosyna, subdit. *Mundantur ipsa quæ supereminet omnibus charitate, ab illo qui pro se post Petrum dicit. Charitas operit multitudinem peccatorum, quæ vna si adsit, omnia illa rectè fiunt: si autem desit illa, frustrà fiunt*, & ex D. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 5. ad primum, loquens enim de detestatione proximè expulsiua peccati, Augustin.

Digitized by Google

sic habet. *Sicut ad charitatem pertinet diligere Deum: ita etiam detestari peccata per quæ homo separatur à Deo.*

31. Quartò probatur rationibus; quia Deus, vt ex sacra Scriptura, Conciliis, & Patribus constat, promittit gratiam verè contritis, & negat non amantibus: ergo necesse est vt contritio formaliter sit actus elicitus à charitate. Præterea, quia Deus acceptauit dolorem ex motiuo dilectionis, vt dispositionem ad iustificationem; quia per peccatum mortale expellitur charitas, & per iustificationem restituitur; hæc autem non debuit restitui nisi præcedente aliquo actu charitatis: sicut fides quæ per hæresim expellitur, non restituitur nisi præcedat aliquis actus fidei, & idem dicendum est de spe quæ expellitur per peccatum desperationis: ergo eodem modo philosophandum est de charitate quæ per quodlibet mortale expellitur, quæ non restituitur nisi præcedente actu charitatis; expellitur autem per contritionem: ergo hæc est actus elicitus charitatis.

32. Obiicies. Plura testimonia sacræ Scripturæ, in quibus promittitur remissio peccati detestanti illud. Ezech. 33. *Si auerterit se peccator ab iniustitia sua.* &c. Psalm. 31. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* 2. Reg. 12. solùm dixit Dauid, *Peccaui Domino*, & Dominus transtulit peccatum eius; sed in his omnibus nulla apparet charitas formalis: ergo. Respondetur, ea loca intelligenda esse de vera pœnitentia, & dolore charitate formato.

Ezech. 33. Psalm 31. 2. Reg. 12.

33. Secunda conclusio. Sola contritio perfecta sufficiens est extra sacramentum ad iustificationem absque alio actu charitatis. Hæc conclusio est contra Suarium loco citato, vbi ait, actum contritionis perfectæ sufficere aliquando, quia est dispositio vltima ad remissionem peccati: addit tamen per se non sufficere sine alio actu expresso amoris supernaturalis, quia sola contritio quantumuis perfecta, non tendit in Deum vt in obiectum quod, per modum prosecutionis, sed vt in obiectum quo, per modum fugæ. Et probatur efficaciter ex his quæ diximus supra disp. 2. sect. 1. dolorem de peccatis propter Deum qui dicitur contritio, esse actum charitatis substantialiter, quia est odium abominationis erga malum Dei; ac proinde est amicitia cum ipso; quia in odio abominationis erga malum alterius essentialiter includitur complacentia de persona illius: vt de quamuis contritio sit vnica actu realiter indiuisibilis, tamen formaliter in ea detur duplex respectus ratione distinctus: alter fugæ, seu displicentiæ ad peccatum vt offensiuum Dei, & alter prosecutionis, seu complacentiæ ad Deum, quo ipsum prosequimur amore, & in ipso complacemus ob eius bonitatem, & ex cuius complacentia peccatum nobis displicet vt ipsi offensiuum. Ex quo apertè fit contra Suarium, contritionem perfectam non esse actum imperatum charitatis, sed formaliter elici ab ipsa charitate, ex hoc partiali respectu & motiuo, quamuis ex altero motiuo partiali sit detestatio, aut dolor de peccato, vt rectè notat Hurt. vbi supra, & Lugus disp. 5. sect. 1.

Sectio IV.

Qualis debeat esse contritio, & quas circunstantias requirat.

34. SVb hoc titulo plura comprehenduntur, quæ breuitatis causa sequentibus conclusionibus explicabuntur.

Prima conclusio. Dolor de peccato non est de essentia contritionis. Probatur, quia sufficit si contritio sit species omnium nobilissima detestationis peccati: sed peccati detestatio tantùm in sua essentia includit auersionem à peccato, modo explicato; non verò includit dolorem, aut aliquem alium actum ex his quos aliqui ad contritionis essentiam vltrà requirunt: ergo contritio solùm erit detestatio, &c. Maior & minor constant ex his quæ suprà diximus de detestatione; vtraque verò confirmabitur ex solutione argumentorum in contrarium. 35.

Obiicies ex Tridentino sess. 14. cap. 4. Contritio est dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero: ergo contritio includit dolorem. Respondetur, contritionem à Tridentino dici dolorem, quia est proxima doloris radix & origo, & eum necessariò infert. 36.

Obiicies secundò, Beati licèt peccatum perfectè detestentur vt bonitati diuinæ oppositum, non habent contritionem, quia non habent dolorem: ergo. Respondetur, esse in Beatis actum similem nostræ contritionis; in eis tamen nec formaliter esse, nec dici contritionem; quia vt sit contritio, connotat voluntatem proximè expeditam ad actum doloris, quæ non reperitur in Beatis. 37.

Secunda conclusio. Formale propositum vlteriùs non peccandi non est de essentia contritionis. Probatur, quia si quis eliceret actum contritionis modo suprà explicato, & tamen nihil cogitaret de vitandis peccatis, re vera iustificaretur, & maximè si certò iam iam moriturus esset: ergo, &c. Quòd si Tridentinum vbi suprà indefinitè proponit hoc propositum, & sess. 6. cap. 6. idem propositum vt à detestatione distinctum, enumerat inter dispositiones ad iustificationem requisitas. Respondeo, vtrumque præstari à Concilio, quia contritio virtualiter illud propositum includit, & quia tenetur peccator illud propositum formale habere, secundùm probabiliorem & tutiorem sententiam; non verò, quia illud sit de essentia contritionis. 38.

Tertia conclusio. Ad veram contritionem non requiritur intensio in tali, vel tali gradu, sed sufficit substantia actus, in quocumque gradu sit. Probatur, quia intensio est accidentalis; appretiatio verò essentialis contritioni. Confirmatur, quia ad actum charitatis non requiritur intensio; ergo neque ad contritionem. Confirmatur secundò, quia peccatum mortale quantumuis remissum, tollit gratiam & charitatem: ergo econuerso contritio quantumuis remissa, tollet peccatum, dummodo vera contritio sit: quia contritio etiam minus intensa est dolor super omnia, non quidem intensiuè, sed appretiatiuè. Non tamen exigitur dolor summè intensus, sed summus appretiatiuè: imò si non esset appretiatiuè summus, quantumcumque esset summè intensus, non sufficeret. 39.

Obiicies ex sacra Scriptura, & Patribus. Deuteronomij 4. *Cùm quæsieris Dominum Deum tuum, inuenies eum; si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Michææ 4. *Dole, & satage filia Sion, quasi parturiens.* Vnde Cyprianus tractatu de lapsis. *Quàm magna deliquimus, tam grauiter desleamus, pœnitentia crimine minor non sit.* Respondetur, tam Scriptura, quàm Patres hoc dicere; vel quia sic nos doceant, detestationem contritionis debere esse summam appretiatiuè: vel si loquantur de intensione, hoc faciunt consulendo (non præcipiendo,) vt pœna remittatur; tum vt certior sit pœnitentia; tum vt plenius satisfaciat, non solùm pro culpa, sed etiam pro pœna; ne 40. Deuter. 4. Mich. 4. Cyprian.

Digitized by Google

ne fortè dum minus volumus, ne habeamus etiam quod ſufficit.

41. Quarta concluſio. Neque requiritur duratio temporis, vt contritio ſit ſufficiens ad delendam culpam. Probatur, quia contritio eſt vltima diſpoſitio ad gratiam: at vltima diſpoſitio non præcedit formam in reali duratione. Præterea, quia ſicut poteſt homo diligere Deum ſuper omnia in primo inſtanti; ſic in eodem poterit perfectè dolere ſuper omnia: aliàs ſequeretur, poſſe fieri vt ſi quis habens peccatum, haberet veram contritionem, & moreretur in illo intermedio tempore, damnaretur: quod eſt abſurdum.

42. Quinta concluſio. Ad valorem contritionis extra ſacramentum, non requiritur examen & recogitatio explicita ſingulorum peccatorum in particulari, ſed ſufficit vt homo feratur in omnia formaliter, & actu expreſſo de illis dolendo. Ita Præpoſitus dub. 7. Lugus diſput. 5. ſect. 7. Probatur, quia ex confuſa conſideratione vitæ præteritæ, poteſt quis dolere propter Deum ſummè dilectum, ac firmiter proponere vitæ emendationem, quamuis nullum peccatum in particulari conſideret. Conſtat etiam in articulo mortis, quando non poſſet haberi perfectior, notitia peccatorum, poſſe tali pœnitenti abſolutionem impendi. Nec credibile eſt, Magdalenam, vel alios ſimiles peccatores, recogitaſſe ita in ſpeciali ſpecies & numerum peccatorum prius quàm iuſtificarentur: ergo ſignum eſt, dolorem de peccato confusè conſiderato, poſſe ſortiri rationem contritionis, ſi in peccatum feratur ſub contritionis motiuo. Per accidens tamen aliquando, oportebit ea in ſpecie conſiderari ad remedia apponenda, vel ad reſtituendum, &c. Quòd ſi aliqui Doctores, exceptis paucis qui in ſpecie loquuntur, contrariam ſententiam teneant, certè loquuntur de examine, & de cogitatione in ordine ad confeſſionem. Per quod tamen non nego, in praxi vtiliſſimum eſſe peccata in memoriam reuocare, ad perfectiorem contritionem habendam.

43. Sexta concluſio. Longè probabilius eſt, dolorem de peccato proximè ad iuſtificationem diſponere, quoties cum contritione in primo eius inſtanti reali, reperitur. Probatur, quia in diuinis literis promittitur venia contritioni, quæ promiſcuè ſumitur pro deteſtatione, & dolore, & pro vtroque ſimul. Iſai. 30. iuxta Septuagint. *Cùm conuerſus ingemueris, tum ſalutus eris.* Quo teſtimonio vtitur ſanctus Leo in epiſtol. Decret. 91. & Ioel 1. *Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Vnde Tridentinum differens de contritione abſtrahente à perfecta, & imperfecta, dicit eſſe animi dolorem, & deteſtationem de peccato commiſſo. Et tandem, quia in hac vita vix, aut ne vix, quidem, poteſt deteſtatio illa ſine dolore iſto reperiri: probabiliſſimum ergo eſt hunc dolorem proximè diſponere ad iuſtificationem.

Iſai. 30.

Ioel 1.

44. Septima concluſio. Propoſitum vitandi omnia mortalia, quia diuinæ bonitati grauiter oppoſita, quando coniungitur contritioni, vel amori, vel vtrique, diſponit proximè ad iuſtificationem. Probatur primò ex ſacra Scriptura, vbi promittitur venia propoſito nouæ vitæ Iſa. 1. Ezech. 17. Amos 5. & ſæpe alibi. Secundò ex Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi nomine contritionis qui proximè diſponunt ad iuſtificationem, ait. *Contritionem eſſe animi dolorem, & deteſtationem de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cætero.* Et paulo pòſt declarat ſancta Synodus, contritionem non ſolùm ceſſationem à peccatis, & vitæ nouæ propoſitum: ſed etiam veteris odium continere. Dixi *quando coniungitur contritioni, vel amori, vel vtrique*; quia non auderem affirmare, propoſitum nunquam committendi, lethalem culpam, ſine dilectione, aut contritione, eliciti à peccatore ſuorum ſcelerum inuincibiliter inſcio, vel oblito, illum proximè diſponere ad iuſtificationem; quia licet plurimi hanc quæſtionem attingant, partem aſſertiuam nullus aſſerit, nec ex Scriptura, & Conciliis, aut aliunde, poteſt ſumi aliquid, quod eam ſuadeat.

Obiicies, ſicut contritioni promittunt ſacra eloquia remiſſionem, ſic & propoſito nunquam peccandi, & ſicut à Tridentino deteſtatio appellatur contritio, & numeratur inter actus ad iuſtificationem præparantes; ita & propoſitum. Denique, ſicut contritio virtute continet propoſitum vitandi peccata; ita hoc propoſitum virtute continet contritionem: ſed contritio ſi ſola reperiatur, aliquando proximè diſponit ad iuſtificationem: ergo & propoſitum iſtud. Reſpondetur, in Scriptura non promitti iuſtificationem propoſito non peccandi ſolitariè ſumpto, ſed coniuncto cum deteſtatione vitæ prioris; præcipitur enim, vt faciamus nobis cor nouum, & recedamus à viis noſtris peſſimis, & vias Domini rectas faciamus. Et ſimili modo intelligendum eſt Tridentinum, non enim dicit, contineri in contritione quodlibet propoſitum, ſed vitæ nouæ; propoſitum autem vitæ nouæ relationem dicit ad vitam veterem diſplicentem. 45.

Ex his infero, timorem peccati, odium eiuſdem, gaudium de abſentia peccati, actum orationis, ſeu poſtulandi veniam pro peccatis, non diſponere proximè, & vltimo ad iuſtificationem; quia nulli illorum facta eſt iuſtificationis promiſſio. Vnde contritio, dilectio, & dolor, qui proximè, & vltimò diſponunt, non tam id faciunt ex ſua natura, quàm ex libera Dei inſtitutione. 46.

Sectio V.

Quomodo pœnitentia, ſeu contritio, cauſet remiſſionem peccati mortalis.

HÆc difficultas ſatis explicata manet ſuprà in diſputatione de iuſtificatione; tamen quia eſt propria huius loci, ideo iterum conabor eam ampliùs explicare. Et *prima* ſententia tenet, peccati deſtructionem à contritione cauſati phyſicè efficienter. Ita Ledeſma 4. parte quæſt. 27. art. 4. *Secunda* contritionem eſſe cauſam formalem expulſionis. ita Vazquez 1. 2. diſput. 205. *Tertia* contritionem ſolùm eſſe diſpoſitionem ad remiſſionem peccati, vel ſe ſolam, & ex natura rei, ſicut calor ad expulſionem frigoris, vel ex inſtitutione diuina. 47.

* Prima concluſio. Contritio non eſt cauſa phyſica efficiens expulſionem peccati. Probatur, quia forma non expellit aliam efficienter, niſi phyſicè producens in ſubiecto formam aliam phyſicè incompoſſibilem cum expellenda, vt conſtat ex phyſica: ſic enim ignis per phyſicam efficientiam trudit à ligno frigiditatem, dum in eo efficienter phyſicè inducit calorem: ſed contritio non producit phyſicè formam cum peccato incompoſſibilem, nempe gratiam, aut charitatem; hæ enim non ab actibus, ſed à ſolo Deo phyſicè producuntur: ergo. 48.

Digitized by Google

49. Obiicies primò ex S. Thoma art. 2. ad 3. dicente, pœnitentiam efficiuè expellere peccatum. Respondetur, sanctum Thomam loqui de causa moraliter efficiente, vt ex infra dicendis constabit.

50. Obiicies secundò. Peccatum mortale physicè pellit gratiam: ergo contritio efficienter physicè inducit peccati destructionem. Respondetur, quidquid sit de antecedenti, negatur consequentia. nam actus peccati positiuus, & actu existens, potest physicè pugnare cum gratiæ qualitate positiua, & actu existente; contritio verò non potest cum peccato habituali.

51. Secunda conclusio. Contritio non causat peccati remissionem in genere causæ formalis. Ita communis sententia cum Suario de gratia parte 3. lib. 7. cap. 7. & sæpe alibi, contra Vazquez, Turrian. Mærat. & Hartad. &

Probatur primò, quia forma dispositiua ad aliquem effectum, non causat eum formaliter; sed contritio est dispositio ad peccati remissionem: ergo. Maior per se liquet. Minor probatur ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi de contritione sic ait, Trident. *Hanc dispositionem, seu præparationem, iustificatio ipsa consequitur*; & sess. 14. cap. 4. docet, *per contritionem nos præparare ad iustificationem.* loqui autem ita Concilium, ita vt contritionem perfectam complectatur, est manifestum, quia ait, contritionem semper fuisse necessariam ad obtinendam remissionem peccatorum: at attritio non semper fuit necessaria; ait enim, *hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur.* Nec dubium est, quin immediatè consequatur; ad attritionem verò extra sacramentum non sequitur iustificatio. Deinde, quia Concilium agit in sess. illa sexta, de iustificatione adulti per Baptismum receptam, in re, vel in voto; in hoc autem secundo euentu non iustificatur adultus sine contritione perfecta. Consonat idem Tridentinum in eadem sessione Can. 3. Idem. *Si quis dixerit, sine præuenienti Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Vbi apertè supponit, dilectionem, & pœnitentiam, esse dispositionem ad gratiam iustificationis, & Canone 7. inquit. Idem. *Iustificari per quam iustificamur, dari vnicuique secundum propriam vnusquisque dispositionem, & operationem.*

52. Secundò probatur, quia forma impetratiua alicuius effectus, non causat eum formaliter: at contritio est forma impetratiua remissionis peccatorum. Quod sic ostendo. Primò ex Tridentino Idem. sess. 14. cap. 4. vbi ait. *Contritionem fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum.* Secundò ex sacra Scriptura, vbi frequentissimè remissio peccati appellatur nouum beneficium Ioel 2. Dei, post contritionem. Ioël 2. *Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est.* Ierem. 3. Ierem. 3. *Conuertimini filij reuertentes, & sanabo vos.* Nec valet dicere, ibi sermonem esse de contritione imperfecta, cui ex Dei misericordia adiungitur postea iustificatio, cui contritioni imperfectæ iustificatio non promittitur infallibiliter; sicut promittitur homini conuerso. Isai. 1. Isai. 1. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum, & venite, & arguite me: si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Deinde, quia huiusmodi conuersio appellatur ex toto corde. Ioel 2. Ioel 2. *Conuertimini ad me in toto corde vestro.* quod certè de contritione imperfecta intelligi nequit. Tum denique, quia si diuina amicitia in sacra Scriptura diligentibus Deum, & contritis promittitur, certè in ipsis non includitur sanctitas, & diuina amicitia: sicut non rectè promittitur motus ei qui currit. nam vtraque promissio est præmij, quod separabile debet esse ab eo propter quod promittitur.

53. Tertiò probatur, quia contritio non est forma formaliter sanctificans: ergo non expellit formaliter lethalem culpam. Antecedens probatur ex Tridentino sess. 6. cap. 7. vbi loquens de iustificatione, sic ait. *Quæ non est solùm peccatorum remissio,* Trident. *sed & sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Gratia autem nec est, nec concipitur vt aliquid transiens, vel actuale, seu vitale; sed vt permanens, & habituale. Idque vel ex eo confirmatur, quia status gratiæ, & personæ Deo gratæ, communis omnino est paruulis baptizatis, & contritis adultis: sed in paruulis forma constituens personam Deo gratam, est dumtaxat permanens, & habitualis; ergo & in adultis; quia adultus extra sacramentum non iustificatur minus perfectè, quàm puer in Baptismo.

54. Quartò probatur, quia si contritio iustificat formaliter, sequitur primò, extra sacramentum nullam esse dispositionem ad gratiam. Sequitur secundò gratiam habitualem non iustificare, quia iam inuenit hominem iustum per contritionem.

55. Dices primò. Quòd quamuis expulsio peccati, & iustificatio fiat per gratiam habitualem, verè etiam & sufficienter fit per ipsam contritionem formaliter in eodem instanti durationis, in quo infunditur gratia; quia licèt habitus gratiæ sit causa contritionis, non prius incipit existere, quàm contritio, quia non habet aliam prioritatem quàm esse causam illius: atque ita expulsio peccati, & iustificatio, de facto simul fit ab habitu gratiæ, & ab actu contritionis, à quolibet sufficienter, & totaliter. Verùm hoc gratis, & absque fundamento dicitur. nam sequeretur alteram ex his formis superfluam esse; & eumdem numerum effectum, simul & eodem tempore procedere à duabus causis totalibus, quod repugnat veræ philosophiæ.

56. Dices secundò. Dari mutuam prioritatem inter gratiam & contritionem, quia gratia in genere causæ efficientis est prior quàm contritio, quæ efficienter procedit ab habitu gratiæ: at in genere dispositionis, contritio prior est, quàm gratia. Nec mirum hoc esse debet, quia causæ sunt sibi inuicem causæ, teste Philosopho 2. Physic. cap. 3. vt videre est in efficiente, & finali, & in materiali, & formali.

Contra primò, quia causa finalis propriè non causat; atque ita quamuis propriè pendeat ab efficienti, potest efficiens pendere à finali, secundùm esse intentionale quod habet in mente. Causæ verò materialis, & formalis, sunt sibi inuicem causæ, non respectu eiusdem effectus, sed diuersorum; quia materia causat entitatem formæ, siquidem à materia educitur forma verò causat materiam secundùm esse completum, quia forma est causa quòd materia sit completa.

57. Contrà secundò, quia gratia nunquam intelligitur iustificare, nisi præintelligatur materialiter recepta in anima: sed ex parte subiecti prius intelligitur contritio, quàm habitus gratiæ; quia est dispositio ad illam: ergo in ordine ad formalem iustificationem, non intelligitur

Digitized by Google

ligitur prius gratia, quàm contritio; sed potiùs econtra.

58. Contrà tertiò, quia mutua prioritas realis omnino repugnat; aliàs idem esset prius se ipso, & idem daret sibi esse saltem mediatè; ac proinde esset causa saltem mediata sui ipsius, quia esset causa suæ causæ: quod certè repugnat; quia omnis causa dat realiter esse, & omnino repugnat, aliquam rem dare alteri esse, à quo primò accepit esse.

59. Obiicies primò plura testimonia sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum, in quibus dilectioni, & contritioni, tribuitur sanctitas, & remissio peccatorum, quæ latissimè referuntur à Doctoribus contrariæ sententiæ. Sed illa omnia facillimè intelliguntur, & explicantur, de causalitate per modum dispositionis; quia ex diuina institutione infallibiliter illam inducit; non verò de causalitate per modum formæ.

60. Obiicies secundò, ex Hurtado disput. 2. diff. 7. quia contritio, vtpote dilectio beneuolentiæ Dei, est formaliter adhæsio, & coniunctio perfectissima, & affectuosa cum Deo dilecto: ergo est forma ex se constituens eum qui conteritur, coniunctum cum Deo amato, & ipsi charum, & actualiter amicum, & redamabilem ab ipso Deo; ac proinde contritio quæ formaliter hæc omnia præstat, est forma ex se sanctificans, reddens amicum Dei ipsum qui conteritur. Respondetur cum Lugo disput. 8. sect. 6. illa omnia præstare effectiuè contritionem quantum est ex parte sui; non verò quantum est ex parte Dei, qui taliter contritum, vel non amaret, quia supponitur peccasse: vel si non peccauit, non amaret amore illo quo diligit filios adoptiuos, & participes suæ naturæ, quod fit per gratiam sanctificantem, sed alio amore multo inferiori. Præterea illam adhæsionem totam esse secundùm affectum, & non repugnat aliquem amare rem pulchram, & in se esse deformem: itaque adhæreret ille Deo per affectum suum, maneret autem extra Deum per peccatum, quousque gratia ei infundatur.

61. Obiicies tertiò, quia peccatum lethale formaliter deturpat animam: ergo contritio formaliter eam sanctificat. Respondetur negando consequentiam, quia minus requiritur ad cadendum, quàm ad surgendum; ad offendendum, quàm ad satisfaciendum, præsertim Deo infinitæ superiori: aliàs probaret argumentum, sicut peccatum se solo inducit reatum pœnæ æternæ, & temporalis; ita contritionem se sola abolere omnem pœnæ reatum.

62. Tertia conclusio. Contritio est dispositio ad mortalis peccati remissionem. Probatur ex supradictis, & amplius confirmatur, quia in quocumque datur contritio, datur peccati mortalis condonatio: sed contritio non est effectus remissionis peccati; nec est eiusdem remissionis causa efficiens, quia contritio de congruo meretur, & impetrat peccati lethalis condonationem; causa verò merens & impetrans, licèt ad efficientem reuocetur, non est causa efficiens physica. Præterea nec est causa materialis, nec finalis, vt constat; nec formalis, vt probatum manet: ergo est dispositio.

63. Quarta conclusio. Contritio non est dispositio physicè, & ex intrinseca sua natura, sed ex institutione Dei liberè illam acceptantis in ordine ad remittendum infallibiliter peccatum. Ita plures Doctores, quos sequuntur Ægidius disput. 1. dub. 3. & Antonius Perez in laurea Salmant. certam. 7. &

Probatur primò, quia Tridentinum sess. 14. cap. 4. docet, quando aliquis iustificatur præuia contritione perfecta extra sacramentum, non esse adscribendam iustificationem soli contritioni, sed ipsi cum sacramenti voto, quod includitur si contritio ex natura rei, & per se solam disponeret ad iustificationem, non esset cur ipsi soli iustificatio non adscriberetur; votum enim sacramenti in ea contineri non est ipsi aliquid intrinsecum, sed extrinsecum, quo carere ex se potest, cùm in lege veteri sine ipso fuerit.

Secundò probatur, quia contritio non præparat physicè ad habitum gratiæ, qui natura sua sit peccati destructiuus; tum, quia non datur talis habitus; tum, quia licèt daretur, contritio non disponeret physicè ad eum, cùm alij præstantiores actus à charitate procedere nati, non physicè disponant. Tertiò, quia in naturalibus dispositio physica ad aliquam formam debet necessariò physicè conseruari in subiecto, vt illa forma in ipso conseruetur: at ad conseruationem iustificationis, non est necesse contritionem in subiecto conseruari. Denique, quia peccatum habituale, de quo hîc agimus, nec est aliquid physicum, physicè existens: nec est aliqua physica negatio, aut priuatio, multo minus est priuatio, vel negatio contritionis: ergo non potest physicè per contritionem expelli. 64.

Sectio VI.

An detur præceptum contritionis, & quo tempore obliget.

65. COmmunis sententia docet, dari præceptum contritionis, & deducitur ex illo Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis*; Luc. 13. sicut ex illis verbis Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit,* Ioan. 3. &c. deducitur, Baptismum esse sub præcepto. Et ratio est manifesta, quia contritio aliquando est medium necessarium ad salutem: ergo saltem respectu eius cui est medium necessarium, cadet sub præcepto. Patet consequentia, quia omne medium necessarium ad salutem tenemur adhibere, & illud omittere est peccatum: ergo eo ipso quòd contritio aliquando est medium necessarium ad salutem, cadit sub præcepto.

66. Sed difficultas est in assignando motiuo huius præcepti. Prima sententia docet, ideo peccatorem teneri ad contritionem, quia tenetur remouere à se ipso malum peccati, quod est mors animæ; atque adeò quando non potest illud auferre alio medio quàm contritione, tenetur ad illam. Ita docet Vega lib. 13. in Tridentin. cap. 20. Et probat primò, quia præceptum hoc cùm naturale sit, reduci debet ad aliquod præceptum Decalogi: ergo cùm non sit aliud ad quod possit reduci, nisi ad illud, *Non occides*, ideo tenemur ad contritionem, quia tenemur auertere à nobis mortem animæ. Secundò, quia homo tenetur auertere à se damnum mortis corporalis, quod licitè potest: ergo multo potiori ratione tenebitur auertere à se damnum mortis spiritualis: ergo ex hoc capite tenetur ad contritionem, quando non est aliud medium, quo possit auertere à se hoc damnum.

67. Hæc tamen sententia mihi videtur falsa, & omissis rationibus, quibus Vazquez in hoc loco probat eius falsitatem, insurgo contra eam sic, quia si auertere à se damnum spirituale esset sufficius

ciens motiuum huius præcepti, ſequeretur, peccatorem eo ipſo quòd peccauit, teneri ex præcepto ſtatim ad reparandum damnum, quod ſibi intulit per peccatum. Sequelam probo, quia quicumque tenetur ex præcepto ad reparandum damnum ſibi, aut alteri illatum, incipit teneri eo ipſo quod damnum intulit: ergo cùm ad hoc non teneatur peccator ſtatim poſt peccatum, vt infrà dicemus; ſignum eſt non teneri ex præcepto ad reparandum damnum ſpirituale ſibi illatum per peccatum.

68. Quare verius mihi videtur ex duplici capite, ſeu motiuo, peccatorem teneri ad contritionem. Primum eſt, quia tenetur reconciliari cum Deo. Ita Vazquez dub. 4. & probatur, quia ratio ipſa dictat, vt qui Deum offendimus, teneamur illi reconciliari, & in eius amicitiam redire; atque adeò tenemur ad dilectionem Dei, per quam illi reconciliamur; ad quam dilectionem ſequitur deteſtatio peccati. Secundum motiuum eſt, quia peccator tenetur impedire malum damnationis æternæ. quod ſic oſtendo, quia hoc præceptum per ſe ſolum obligat, quando imminet periculum damnationis æternæ, vt infrà dicemus: ergo ſignum eſt hoc præceptum ideo obligare, quia homo tenetur auertere à ſe ipſo malum damnationis æternæ. Confirmatur, quia homo tenetur impedire proximo damnationem æternam; ideoque puerum in periculo mortis conſtitutum, tenetur baptizare, & adultum conſtitutum in eodem periculo, & petentem abſolutionem modo debito, tenetur quicumque habens ad hoc poteſtatem, abſoluere: ergo tenetur etiam quilibet homo auertere à ſe ipſo malum damnationis æternæ: quia damnum ſpirituale quod quis tenetur proximo impedire, tenetur quoque impedire ſibi ipſi. Ex quo fit, hominem omittentem adimpletionem huius præcepti, per ſe loquendo, duplici ſpecie peccati peccare; ſcilicet peccato omiſſionis repugnanti charitati erga Deum, cui negligit reconciliari, & peccato omiſſionis repugnanti charitati ſui ipſius, negligendo ſaluti ſuæ æternæ proſpicere.

69. Quibus adde, hoc etiam præceptum pertinere ad habitum qui dici poteſt miſericordia hominis erga ſe ipſum; ſiue hic habitus à charitate propria differat, ſiue non. Et probatur ex Eccleſiaſt. 30.

Eccli. 30. *Miſerere anima tuæ placens Deo, & congrega cor tuum in ſanctitate.* id eſt, collige cor tuum per iuſtificationem. Deinde ex Auguſt. in Enchirid. cap. 76.

Auguſt. *Qui autem, inquit, eleemoſynam ordinatè dare vult, à ſe ipſo debet incipere, & iam ſibi primum dare;* & poſtea ſubdit. *hoc quod eſt interiora mundare, eſſe quamdam eleemoſynam, quam ſibi homo primitus debet dare.*

D Thom. Idem docet D Thom. quæſt. 84. art. 5. vbi ait. *Requirit etiam ipſa miſericordia ordinata, vt homo ſubueniat pœnitendo ſuæ miſeriæ, quam per peccatum incurrit.*

70. Ad primum contrariæ ſententiæ reſpondet optimè Vazquez dub. 3. non oportere omnia præcepta naturalia contineri in Decalogo. Nam præceptum fidei, & præceptum eleemoſynæ, in Decalogo non continentur: imò neque præceptum charitatis. Nam primum præceptum Decalogi non eſt, *Diliges Dominum Deum tuum*; ſed, *vnum Deum cole.* Et quamuis concedamus, hoc præceptum reduci ad primum, non ſequitur quòd intendit prima ſententia. Nam præcepto illo, *Non occides*, non præcipitur homini, vt ſe iam mortuum ad vitam reuocet, ſed prohibetur ne ſe ipſum occidat; atque adeò non præcipitur illi, vt damnum quod iam incurrit, à ſe auertat, ſed ne ſibi nouum damnum inferat, & conſequenter illo præcepto non præcipitur homini, vt damnum mortis ſpiritualis quod iam incurrit, à ſe auferat. Ad ſecundum reſpondetur, hominem ad vtrumque teneri ex præcepto charitatis, vel miſericordiæ erga ſe ipſum.

71. Circa ſecundum, non defuerunt Theologi qui dixerunt, peccatorem poſtquam peccauit, continuò teneri ad pœnitentiam. Ita Guilelmus Pariſienſis tractat. de Pœnitentia. Argentina in 4. diſtinct. 17. art. 4. Quia homo tenetur auferre à ſe graue damnum corporis, & animæ; & tenetur auertere à proximo malum: ergo à ſe ipſo. Alij dixerunt hoc præceptum licèt non obliget omnes ſtatim poſt peccatum, tamen obligare aliquos, ſcilicet Religioſos. Ita D. Bonauent. in 4. diſtinct. 17. 2. parte art. 2. quæſt. 2. quia Religioſi profitentur maiorem familiaritatem cum Deo; atque adeò continuò poſt peccatum tenentur illi reconciliari. Tamen ex hoc tantùm colligitur, decens & congruum eſſe, vt Religioſus cùm primum incidit in peccatum, conetur Deo reconciliari: ex eo tamen quod decens & congruum ſit, non rectè colligitur præceptum.

72. Alij docuerunt, teneri peccatorem ad contritionem, quoties peccata memoriæ occurrunt. Ita Petrus de Soto lect. 13. de Pœnitentia, quia præceptum pœnitentiæ ſemper obligat poſt commiſſum peccatum; ille autem cui peccata memoriæ non occurrunt, excuſatur per accidens ab obligatione, ratione naturalis inconſiderantiæ; à qua non excuſatur ille cui peccata memoriæ non occurrunt. Sed hoc fundamentum ſupponit primam ſententiam, ſcilicet ſtatim poſt commiſſum peccatum teneri peccatorem ad pœnitentiam.

73. Alij docent, etſi hoc præceptum non obliget ſtatim poſt commiſſum peccatum, obligare tamen omnibus diebus feſtis. Ita Viguerius in ſumma cap. 16. Cano 3. parte relect. de Pœnitentia. Dominicus Soto in 4. diſtinct. 17. quæſt. 2. art. 6. quia dies feſti dicati ſunt ad colendum Deum; atque adeò conſentaneum eſt rationi, vt in illis Deum ſuper omnia diligamus, & illi reconciliemur. Sed hoc fundamentum eodem vitio laborat quo præcedentia, quia non eo ipſo quòd aliquid eſt congruum & decens, fingendum eſt præceptum naturale quo præcipiatur: quare ex eo quòd congruum ſit, vt diebus feſtis, & dicatis ad cultum Dei, ipſum diligamus, vt ſic meliùs illum colamus; non ob id aſſerendum eſt, eſſe præceptum naturale de hac dilectione.

74. Alij dixerunt, obligare hoc præceptum quando Reipublicæ ingruit magna calamitas. Ita Adrianus in 4. quæſt. 3. & Nauarr. in ſumma cap. 1. num. 27. Quia in dicto caſu conſonum eſt rationi, vt oremus Deum pro bono Reipublicæ; atque adeò tenemur nos emundare à peccato, vt oratio noſtra ſit accepta Deo, & exaudiatur. Sed hæc ſententia ſicut præcedentes, ex eo quòd hoc ſit congruum, & decens, conatur inferre præceptum naturale.

75. Prima concluſio. Præceptum contritionis non obligat ſtatim poſt peccatum commiſſum, atque adeò peccator non tenetur ad contritionem toto eo tempore quo eſt in ſtatu peccati. Ita Thom. in 4. diſt. 17. quæſt. 10. & communiter recentiores omnes. Et probatur primò, quia præceptum contritionis eſt affirmatiuum; ergo non obligat ſemper, ſed certis, & determinatis temporibus.

Patet

Patet consequentia ex communi axiomate Theologorum asserentium, præcepta affirmatiua non obligare pro semper. Secundò probatur, quia ex oppositò sequeretur, peccatorem continuò peccare actualiter. Probo sequelam, qui tenetur ad aliquod præceptum affirmatiuum, eo tempore quo tenetur, & non implet, peccat peccato actuali; ergo si peccator semper tenetur præcepto contritionis, & non implet, semper peccat actuali peccato: at hoc est contra communem sententiam, & contra communem existimationem omnium Catholicorum.

76. Obiicies primò, si peccator non tenetur statim se liberare à peccato, posset velle hîc, & nunc, non conuerti; quod videtur intrinsecè malum. Respondetur, non esse intrinsecè malum, velle non conuerti hîc, & nunc, quia non est malum, velle non conuerti tunc, quando præceptum conuersionis non obligat. Sed contrà, velle perseuerare in peccato, & inimicitia Dei, & perseuerantiam istam causare, est malum: sed velle non conuerti hîc, & nunc, est velle perseuerantiam in peccato, & illam causat; ergo est malum. Respondetur negando minorem, quia voluntas illa solùm est non applicandi causam destructiuam peccati; vnde perstistentia in peccato, non per se, sed per accidens sequitur ex illa voluntate; quæ quidem nec virtualiter est voluntas, sed solùm permissio talis effectus, nisi quando tenemur ipsum impedire: permissio verò rei malæ dum impedire non tenemur, mala non est.

77. Obiicies secundò, qui rem alienam accepit, vel famam abstulit, peccat si quamprimum poterit non vtramque restituat; ergo qui grauiter Deum offendit, tenetur satisfactionem quamprimum possit exhibere. Respondetur negando consequentiam, quia qui rem alienam, vel famam abstulit, tam diu, per se loquendo, continuat, & auget læsionem, quamdiu non restituit; vnde obligatio restituendi oritur ex præcepto negatiuo non lædendi proximum in eiusmodi bonis: at qui Deum grauiter offendit, cùm non læserit Deum, non tenetur statim satisfactionem exhibere.

78. Obiicies tertiò, præceptum correctionis fraternæ obligat nos, vt proximum existentem in peccato cùm primum se dederit opportunitas, eripere nitamur; ergo præceptum charitatis propriæ obligat, vt nosmetipsos in peccato existentes, quamprimum commodè possimus, per contritionem liberemur. Respondeo cum Vaschio omissis aliis solutionibus, ex præcepto correctionis fraternæ nos non teneri peccatorem monere, vt à statu peccati resurgat; nisi solùm quando illi incumbit obligatio pœnitentiæ, tunc enim tenemur, quia tenemur impedire nouum peccatum impœnitentiæ. nam præceptum correctionis fraternæ solùm obligat ad impediendum peccatum proximi futurum, aut quod continuatur; non autem ad auferendum peccatum quod iam incurrit. nam ad hoc solus Prælatus tenetur: & hanc doctrinam de præcepto correctionis fraternæ docuit etiam Soto opusc. de tegendo secreto num. 1. & Glossa in cap. *si peccauerit* 1. quæst. 1.

79. Instabis, quia nulla est ratio ob quam teneamur ad impediendum damnum nostrum, & proximi futurum, & non teneamur ad auferendum illud. Respondeo rationem esse, quia non auferre damnum incursum, non est nouum damnum, neque augmentum prioris; sed est continuatio illius; atque adeò non cadit sub nouo præcepto.

80. Denique obiicies, quia Religiosus semper tenetur tendere ad perfectionem; sed quando est in peccato mortali, non tendit; ergo vt tendat, tenetur statim exire à peccato mortali. Respondetur Religiosum semper teneri tendere ad perfectionem; hoc est, nunquam volendo vel regredi, vel non progredi clarè, & manifestè, vel directa voluntate; non verò indirecta, & implicita, qualis est in proposito. Instabis, non solùm est voluntarium, & peccatum, quod directè volumus; sed etiam quod indirectè: sicut qui vult occidere matrem grauidam, vult indirectè occidere prolem existentem in eius ventre, & est reus vtriusque mortis: sed qui vult peccatum, eo ipso vult regredi, quia peccato essentialiter est coniuncta regressio; ergo in quolibet transgreditur Religionis præceptum tendendi ad perfectionem; ac proinde tenetur exire à peccato, vt impleat præceptum. Respondetur, tendere ad perfectionem in Religioso, esse finem, & circumstantiam generalem: sicut obedientia Decalogi in Christiano, & esse amicum Dei, quæ quia generalia sunt, quamuis in quolibet peccato omittantur, non constituunt diuersum peccatum, nisi directè, & per se contrarium intendatur: sic intendentia ad perfectionem, quæ circumstantia, & generale præceptum est.

81. Secunda conclusio. Præceptum contritionis, per se loquendo, obligat peccatorem in periculo mortis constitutum, si non habeat copiam confessoris, ita Doctores communiter. Et ratio est manifesta ex dictis, quia ideo tenemur hoc præcepto, quia tenemur impedire damnationem æternam; ergo tunc tenemur illo quando imminet periculum damnationis æternæ, quia qui tenetur ex præcepto impedire damnum aliquod per aliquam actionem, tunc tenetur ad illam quando imminet periculum talis damni; ergo si peccator tenetur ad contritionem, quia tenetur vitare per illam damnationem æternam, tunc tenetur quando imminet periculum damnationis æternæ.

82. Tertia conclusio. Quamuis probabilius sit præceptum contritionis non obligare per se extra periculum mortis, quia tantùm videtur contra rationem, & contra charitatem erga Deum in æternum permanere in inimicitia Dei, & ita tenet Caiet. in summa verbo Contritio. Vazquez dub. 6. Hurt. diff. 4. tamen probabile etiam censeo, præceptum contritionis per se obligare etiam extra periculum mortis, saltem eum qui post peccatum diutiùs viuit; & quidem ex diuina charitate, & ex propria charitate, vel etiam misericordia. *Prima* pars, teste Ægidio, iam est communis, & generatim probatur ex sacra Scriptura præcipiente Eccles. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* & similiter exprobrante peccatoribus impœnitentiam diuturnam, & hac ipsâ Deum offendentibus, ad Rom. 2. *Secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Et ratio est, quia certum est, hominem teneri ad amandum Deum super omnia sapiùs ante mortis periculum: ergo etiam ad contritionem habendam de peccatis; tum, quia memor ipsorum non potest moraliter elicere amorem Dei super omnia, quin priùs, vel posteriùs eliciat contritionem: tum etiam, quia magis contemnitur diuina amicitia, si homo existens habitualiter inimicus, non illam contritionem procuret, quàm si existens habitualiter amicus, non eliciat actum amoris. Præterea, quia si est grauis indecentia, quòd homo

Eccli. 5.

Rom. 2.

Digitized by Google

Dei amicus non eliciat actum charitatis aliquoties in vita; certè grauis indecentia erit, quòd Deo inimicus, & infensus in toto diuturnæ vitæ decursu non tollat offensionem. *Secunda* pars sequitur ex præcedenti, quia si charitas diuina obligat ad contritionem extra mortis periculum; ergo & charitas, seu misericordia propria; quia si est grauis, & specialis indecentia contra diuinam charitatem, quod gratus Deo, non eliciat in vitæ decursu aliquos actus diuinæ dilectionis; cur non erit grauis indecentia contra propriam charitatem, & sui misericordiam, relinquere se ipsum toto longo vitæ tractu in summa miseria, qualis est culpa mortalis? Quamuis non possit tempus mathematicè designari pro quo vrgeat præceptum, Ægidius & alij plures designant spatium duorum, vel trium annorum, quod est satis probabile; quia Ecclesia coarctauit præceptum confessionis ad anni spatium, fortasse ne quis diutiùs manens in peccato mortaliter peccaret.

83. Quarta conclusio. Peccator per accidens tenetur ad contritionem, quoties fuerit necessaria ad vitandum nouum peccatum; atque adeò tenetur ad contritionem quando vrget necessitas suscipiendi, aut ministrandi aliquod sacramentum, cuius susceptio, & ministratio requirit statum gratiæ, & non potest alio medio iustificari; tunc enim teneretur ad contritionem, vt vitet peccatum suscipiendi, aut ministrandi sacramentum in statu peccati. Similiter, si quis esset in periculo probabili incidendi in peccatum ratione grauis tentationis, & probabiliter crederet impediendum peccatum, si eliciat actum dilectionis, & contritionis, tenebitur ad illam eliciendam. Ratio horum est, quia sacramentum viuorum in peccato recipere, est sacramentum priuare suo proprio effectu, quod graue sacrilegium continet: sacramenta verò mortuorum, nempe Baptismus, & Pœnitentia, instituta sunt ad mortuos suscitandos, atque adeò non est indecentia ad illa accedere peccatorem cum sola attritione, vt suscitetur. Quòd enim ad contritionem etiam teneatur peccator ministraturus aliquod sacramentum ex his quæ in vsu consistunt, constat; quia grauis irreligiositas est, vt Minister proximè efficiens sacramentum, & concurrens ad conferendam gratiam sit sine gratia, nec se conformet principali agenti. Loquor de sacramento consistente in vsu, quia sacramentum Eucharistiæ quod in facto esse positum est, non requirit sub lethali, vt qui ipsum aliis ministraturus est, sit in gratia; quia solùm est applicans actiua passiuis.

84. Sed est difficultas, an qui sine formali contritione iustificatur extra sacramentum per formalem Dei amorem cum obliuione suorum peccatorum, teneatur postea cùm ipsorum recordatur elicere formalem contritionem. Affirmant Suarez disp. 15. sect. 4. Ægidius disp. 13. dub. 4. Nauar. in sum. cap. 1. num. 5. & probatur primò, quia Scriptura, & Patres asserunt, necessariam esse peccati detestationem, & contritionem; ergo istam requirunt formalem, nempe in re, quando adest memoria peccatorum; vel in voto, quando sine illorum memoria elicitur Dei amor; ergo iustificatus per ipsum, accedente postea peccatorum recordatione, tenebitur habere formalem contritionem. Secundò, quia alias contritio non esset necessaria necessitate medij: sacramentum enim Pœnitentiæ, & Baptismi, non esset necessarium medium in re, vel in voto, si post primam iustificationem non esset obligatio suscipiẽdi Baptismum; & post secundam iustificationem recipiendi sacramentum Pœnitentiæ.

Negat prædictam obligationem Vazquez q. 86. art. 2. disp. 2. Quia præceptum contritionis, eo tantùm fine impositum est, vt homo à peccato iustificetur; ergo hoc fine per formalem Dei amorem obtento, cessat contritionis obligatio. Præterea, quia præceptum confessionis non est impositum ex fine dumtaxat iustificationis obtinendæ, sed etiam subiiciendi peccata clauibus; ergo licèt iustificatus extra sacramentum teneatur postea confiteri; tamen iustificatus extra sacramentum per formalem Dei amorem, non tenebitur postea conteri. 85.

Hæc tamen non conueniunt. nam valde consonum rationi est, vt qui alium offendit, debeat illi signa doloris, & pœnitentiæ de offensione illata exhibere: vnde si Deus vltra formalem sui amorem sine memoria peccatorum elicitum, exigeret accedente recordatione formalem contritionem, rem exigeret multum rationi consonam. Ex quo sic arguo, sicut per confessionem homo subiicit clauibus peccata, & ab his liberatur, sic per contritionem detestatur peccata, & ab ipsis liberatur; ergo inspecta rerum natura, non est vnde colligamus præceptum confessionis esse impositum, vt homo subiiciat peccata clauibus, & à peccatis iustificetur: præceptum autem contritionis non esse impositum vt homo detestetur peccata coram Deo offenso, & vt à peccatis iustificetur: si verò discrimen istud ex natura rerum non colligitur, non est vnde colligatur. Ex alia verò parte nihil habet quod euincat, vtroque illo fine contritionem præcipi, quia hoc in libera Dei voluntate positum fuit; quare si res metaphysicè inspiciatur, in dubio relinquenda est: si verò practicè, non est imponenda talis obligatio. 86.

Vnde ad argumenta in contrarium respondeti potest, Scripturam, & Patres, agere de contritione virtuali in eo qui suorum peccatorum immemor, habet formalem Dei amorem: vel de contritione formali in eo qui caret formali Dei amore. Ad secundum respondetur concedendo formalem contritionem non esse peccatori necessariam in omni euentu in re, vel in voto, saltem in lege gratiæ, cùm possit sibi per attritionem cum sacramento consulere. 87.

Sectio VII.

De Contritione imperfecta, seu de Attritione.

88. NOmine Attritionis ex vsu Ecclesiæ, & Theologorum, intelligitur illa detestatio, seu dolor, qui cùm sit inferior contritione; sufficit tamen cum Sacramento ad iustificationem inducendam, vt non obscurè ex Trident. sess. 14. cap. 4. colligitur. Videtur autem in hunc modum attritio describenda. Est detestatio, seu dolor super omnia, & efficax peccati, propria voluntate commissi, propter motiuum inferius contritionis, & ad iustificationem cum sacramento proximè disponens. Colligitur hæc descriptio ex doctrinis quas de attritione plerique Doctores admittunt, & refert Suarius disp. 4. præsertim sect. 1. Dicitur detestatio peccati, quia est actus quo peccator factum peccaminosum damnat, & vellet, si fieri posset, non peccasse; qui enim accedit ad sacra-

mentum nequit in eo iustificari, nisi peccatum verè detestetur, & de eo doleat. Dicitur efficax, nam hoc sumitur ex Concilio vbi suprà, asserente, eam attritionem disponere ad recipiendam sacramenti gratiam, si excludat voluntatem peccandi. Et quidem per se apparet necessarium, vt non iustificetur, nec redeat in Dei amicitiam, nisi qui apud se formaliter, aut saltem virtualiter statuerit, non ampliùs prouocare diuinam iram. Dicitur etiam attritio peccati detestatio efficax, quia, vt habeat nomen attritionis, debet detestari peccata propria, sicut de contritione diximus suprà. Dicitur vlteriùs, propter motiuum inferius motiuo contritionis, & cum sacramento ad iustificationem disponens. nam attritio est imperfectior contritione, & sic niti debet imperfectiori motiuo: item contritio per se sufficit ad iustificationem; attritio verò solùm cum sacramento, vt Tridentinum suprà citatum apertè docuit.

89. Cùm autem actus ex obiectis, & motiuis formalibus distinctionem specificam accipiant, necesse est vt contritio, & attritio habeant diuersa motiua. Itaque Tridentinum in eo loco duplex assignat motiuum attritionis, vnum quo concipitur ex turpitudinis peccati consideratione; alterum verò quo concipitur ex gehennæ, & pœnarum metu: quia cùm detestatio non possit esse nisi mali secundùm rationem mali; nec sit malum nisi morale, seu culpæ; & naturale, seu pœnæ: si attritio detestetur peccatum, quia malum morale, pertinebit ad prius motiuum, quod est detestatio peccati propter eius turpitudinem: si verò detestetur propter malum pœnæ, pertinebit ad aliud motiuum, quod est peccati detestatio ex metu gehennæ, & pœnarum.

90. Obiicies primò, detestatio peccati ex motiuo consequendi vitam æternam, vel vitandi æternam pœnam, veræ attritiones sunt, vtpotè quæ simul cum sacramento ad iustificationem disponunt; & tamen non concipiuntur ex duplici motiuo à Tridentino assignato. Adde posse nos per vnum, & eumdem actum, detestari peccatum & de illo sufficienter atteri propter turpitudinem peccati, & propter gehennam. Respondetur, illam attritionem spectare ad posterius motiuum, quia sicut contrariorum eadem est ratio; sic eadem est virtus fugiens peccatum, quia destructiuum beatitudinis, & quia inductiuum pœnarum quæ cum beatitudine non compatiuntur; quarum vna est priuatio eiusdem beatitudinis, sicut pœna damni; altera est indiuidua eius priuationis, sicut pœna sensus. Et ad illud quod dicitur de attritione mixta, respondetur, diuisionem à Concilio datam esse de attritione communiter contingente, & satis habuisse Concilium enumerasse motiua formalia quæ possunt ad attritionem concurrere, siue separatim debeant ad illam concurrere, siue aliquando possint coniunctim.

91. Obiicies secundò, vel nomine pœnarum non intelligitur aliquid à gehenna distinctum, & sic redundat ea particula; vel si quid ab ipsa distinctum intelligitur, non apparet, de quibus pœnis intelligenda sit; non de temporalibus. nam metus temporalium pœnarum non sufficit ad attritionem; non de æternis. nam ista iam comprehenduntur nomine gehennæ. Respondetur, nomine gehennæ intelligi pœnam sensus, quam Tartareus ignis in-
92. fligit, quæ Marci 9. explicatur per *ignem inextinguibilem*; quia Concilium loquitur de attritione qua communiter mouentur homines, ex timore, seu consideratione inferni; hæc autem frequentiùs concipitur ex consideratione pœnæ sensus. Nomine pœnarum comprehenduntur à Concilio, tum pœna damni, tum quæcumque pœnæ temporales, propter peccata infligi solitæ; non tamen materialiter spectatæ, sed vt indices, & effectus diuinæ iræ, & initia quædam æterni supplicij. Ex quo fit attritionem ortam ex metu pœnæ, quam iudex humanus potest infligere, non esse motiuum sufficiens ad attritionem; quia attritio non debet esse dolor de peccato vtcumque, sed cum aliquo respectu ad Deum; qui autem propter illum respectum timoris humani dolet de peccato, nullo modo satisfacit Deo, propter aliquam perfectionem in eo cognitam. Cuius rei optimam reddit rationem Lugus disp. 5. sect. 9. Quia in omni vera conuersione, requiritur auersio à peccato, & conuersio ad Deum, sicut in peccato fuit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam. Vnde sicut conuersio ad creaturam fuit propter aliquam perfectionem cognitam in creatura, ita conuersio ad Deum debet esse propter aliquam perfectionem ipsius Dei, vt propter potentiam puniendi quam timemus, vel propter bonitatem quam amamus; hoc posterius motiuum est contritionis; illud prius attritionis. Et idem dicendum est de motiuo ob peccati turpitudinem; non enim sufficit considerare peccatum prout præcisè opponitur regulæ rationis, sed necesse est vt consideretur prout aliquo modo est Deo oppositum, velut inobedientia, velut irreuerentia, velut ingratitudo, &c.

Obiicies tertiò, quia diximus suprà, dolorem 92.
attritionis debere esse super omnia: dolor autem ex motiuo pœnæ procedens, non videtur esse super omnia. nam qui propter pœnam dolet de peccatis, magis dolet de pœna, quàm de peccato. Respondetur cum Suario sect. 2. num. 9. Quamuis ex vi illius actus, magis detestetur pœna, quam culpa; siquidem vitare culpam assumitur vt medium ad fugiendam pœnam; affectus tamen ille non impedit, quamuis ex aliis motiuis possit magis detestari culpa, quàm pœna.

Sed est difficultas duplex. *Prima*, an omnis at- 93.
tritio sit supernaturalis. Et certum est omnem attritionem debere esse supernaturalem, vt docet Suarez vbi suprà. & Vazquez 1 2. disp. 194. cap. 4. & communiter Doctores, & colligitur ex Tridentino sess 6. can. 4. vbi definit, *Neminem sine Spiri-* Trident.
tus sancti inspiratione, posse pœnitere sicut oportet ad iustificationem consequendam. & sess. 14. cap. 4. air, *Attritionem esse Dei donum, & Spiritus sancti impulsum.* Deinde, quia nomine attritionis, intelligimus actum qui sufficienter disponit ad gratiam in sacramento recipiendam; dispositionem autem istam esse naturalem, peregrinum à Philosophia est, nedum à Theologia; cùm dispositio vltima debeat aliquo modo eiusdem esse ordinis cum forma ad quam disponit. Difficultas ergo est, an debeat esse supernaturalis secundùm substantiam, an sufficiat naturalis, dummodo supernaturalis secundùm modum sit.

Respondeo probabilius esse, attritionem om- 94.
nem esse in substantia supernaturalem, ita plerique recentiores, quos refert, & sequitur Suarez proximè citatus. Et probatur primò ex Tridentino testimoniis suprà adductis, & præcipuè vbi docet, *attritionem esse Dei donum, & Spiritus sancti impulsum*; impulsus autem Spiritus sancti plus dicit, quàm Dei donum: ergo cùm Dei donum sit saltem in modo supernaturale, impulsus Spiritus sancti

ſanctè erit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. Deinde, quia diſpoſitio proxima ad aliquam formam, debet eſſe eiuſdem ordinis cum ipſa: attritio autem intra ſacramentum eſt proxima diſpoſitio ad formam in ſua entitate ſupernaturalem, nempe gratiam.

95. Dices quòd etſi diſpoſitio præparans ex natura rei ad formam, debeat eſſe eiuſdem ordinis cum ipſa; non tamen quæ ex ſolo Dei beneplacito diſponit, qualis eſt attritio. Dices ſecundò, per actus bonos morales in entitate naturales, cum extrinſeca ordinatione, vel imperio virtutum infuſarum, mereri iuſtum augmentum gratiæ, & ſe ipſum proximè diſponere ad illud, vt docuit ipſemet Suarez lib. 12. de Gratia cap. 10. ac proinde per actum attritionis in ſubſtantia naturalem, cum dignitate quam recipit ex coniunctione cum ſacramento, poſſe diſponi peccatorem ad primam gratiam.

96. Propter has difficultates fateor argumentum illud non eſſe efficax; addo tamen eſſe valde congruum, quia cum ante inſtitutionem ſacramenti Pœnitentiæ, neceſſaria eſſet peccatori ad iuſtificationem formalis dilectio Dei theologica, vel formalis contritio, quæ tam difficiles ſunt; ſatis præclarè videtur nobiſcum factum eſſe, ſi pro contritione, vel dilectione formali, ſolùm à nobis exigatur attritio moralis, etſi ſupernaturalis, cùm ex ſe, & ex ſuo motiuo longè facilior ſit: præſertim cùm hoc ordine ſeruato, facile ſeruetur illa proportio, quæ inter formam, & eius diſpoſitionem requiri ſolet, & ſic reſpondetur priori obiectioni. Poſterior facilior eſt, tum quia actus illi morales naturales ſupponuntur eſſe in homine iuſto; ac proinde illos dignificante: tum præcipuè, quia per extrinſecum imperium virtutum infuſarum, docet Suarius illos velut animari, & cum præmio proportionari.

97. Tertiò probatur, Quia attritio de qua loquimur, ſi deteſtatur peccatum ex timore gehennæ, eam reſpicit, vel tanquam ſupernaturaliter à Deo infligendam, vel tanquam oppoſitam æternæ beatitudini, vel vtroque modo; & quouis ex his modis eam reſpiciat, eſt ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis. Si verò deteſtatur peccatum ob eius turpitudinem naturæ rationali diſſentaneam, non eſt æquum vt eam reſpiciat ibi ſiſtendo; tum, quia ſic nullum habet moralem reſpectum ad Deum; nec eſt par vt actus nullo reſpectu morali Deum reſpiciens, diſponat proximè ad eius amicitiam; tum maximè, quia ſaltem reſpicere debet turpitudinem peccati, vt oppoſitam naturæ rationali, non præciſe ſumptæ, ſed eleuatæ ad ordinem ſupernaturalem.

98. Obiicies. Per actum in ſubſtantia, & in modo naturalem, poſſumus Deum diligere ſuper omnia; ergo per actum in vtroque naturalem, deteſtari peccatum ſuper omnia, qui actu ſaltem erit attritio, cùm magis gratus ſit Deo actus deteſtandi peccatum ſuper omnia, vt oppoſitum Deo naturaliter cognito vt diligibili, quàm actus deteſtandi peccatum propter pœnam æternam à Deo infligendam. Reſpondetur, aliquando ex duobus actibus eiuſdem ordinis, imperfectiori conuenire diſponere ad iuſtificationem, non perfectiori, vt patet in his duobus: deteſtor peccatum, quia Deo oppoſitum: volo diuinam amicitiam propter Dei bonitatem; prior enim imperfectior eſt, & ſolus ipſe diſponit ad iuſtificationem; quid ergo mirum ſi ex duobus actibus diuerſorum ordinum, ille qui videtur imperfectior, diſponat, cùm ſit ordinis ſupernaturalis, & non diſponat alter qui videtur perfectior, cùm ſit ordinis naturalis.

99. Denique obiicies. In deteſtatione ſufficienter diſponente ad gratiam ſacramenti non videtur exigendum, niſi vt ſit propter pœnas æternas, & efficax, & ex gratia: hæc autem omnia competunt deteſtationi ſecundùm ſubſtantiam naturali. Reſpondetur, non ſufficere illa tria ad attritionem, ſed requiri vt ita ſit ex gratia, vt actus ipſe ſit ſupernaturalis in entitate. Et ſanè ſi actus in ſubſtantia ſit naturalis, quòd actu fiat ex auxilio gratiæ, non videtur magis eum habilitare, vt diſponat ad gratiam, quàm ſi abſque auxilio gratiæ fieret. nam non reddit illum meliorem in ſubſtantia, vt patet; ac proinde nec ex parte obiecti materialis, aut formalis: in ordine autem ad mores minus laudabile videtur quodammodo reddere, vtpote quem non elicuerit homo per ſolas vires naturales cùm poſſet, ſed vlteriùs expectauerit auxilium gratiæ.

100. Secunda difficultas eſt, quomodo attritio fiat contritio, & peccator ex attrito contritus. Et quidem certum eſt, actum qui ſolum eſt priùs attritio, nec diuinitus eſſe poteſt poſtea contritio. Ita plerique Doctores apud Vazq. Quia huiuſmodi actus ſunt realiter, & eſſentialiter diuerſi; ergo implicat eum, qui prius eſt dumtaxat attritio, eſſe aut fieri poſtea contritionem: quod facilè confirmabitur expendendo vtriuſque motiuum. Certum etiam eſt, attritionem poſſe informari gratia habituali data per ſacramentum, & ſic illa quæ antea erat attritio informis, poteſt eſſe poſtea attritio formata, in quo ſenſu loquuntur Doctores quando dicunt, in ſacramento attritionem fieri contritionem, & peccatorem ex attrito, contritum; non propriè, ſed metaphoricè; nec formaliter, ſed virtualiter, ſiue eminenter: quia cùm antea ſolùm haberet attritionem, poſtea habet habitum gratiæ, & charitatis, quæ æquiualenter, & virtute, & eminenter, eſt contritio: ſic attritus fit in ſacramento contritus, quia recipit gratiam ad quam per contritionem formaliter habitam peruenisſet.

101. Ex his infertur, in quo attritio, & contritio conueniant, & differant. Primò, ex parte obiecti materialis, & proximi, ſcilicet peccati, conueniunt. nam ambæ circa illud occupantur. Deinde ex parte modi illud reſpiciendi, ſcilicet, auerſando, & deteſtando illud ſuper omnia. Præterea in efficacitate, & in inefficacitate; nam vterque actus ſuo modo eſt efficax, & inefficax. Item in ordine, & origine. nam vterque eſt ſecundùm ſubſtantiam ſupernaturalis, & conſequenter ex auxilio gratiæ. Denique, quia neuter requirit certum aliquem gradum intenſionis, aut certam quantitatem durationis.

101. Differunt autem potiſſimè, & eſſentialiter ex parte obiecti formalis, ſeu motiui. nam contritio deteſtatur peccatum, quia contrarium diuinæ bonitati: attritio autem longè inferiori motiuo; & conſequenter contritio elicitur ab actu theologicæ charitatis; attritio verò inferiori habitu; contritio continet virtualiter amorem Dei formalem.

DISPVTA

DISPVTATIO IV.

De Confessione.

SECTIO I.

An Confessio sit necessaria ex præcepto diuino positiuo.

1. IN hac re controuersia est cum hæreticis, & Catholicis. In primis enim hæretici omnes, qui negabant institutionem huius sacramenti, consequenter negant necessitatem præcepti diuini. Vnde hæretici nostri temporis planè docent, ante Innocentium III. in cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. & remiss. nullam de huius sacramenti necessitate mentionem extitisse. Præterea quidam Petrus de Orma docuit, sacramentum Pœnitentiæ non esse necessarium his qui contriti erant, vnde dicebat, peccatum remitti sine ordine ad claues, & consequenter confessionem solùm esse necessariam ex præcepto Ecclesiastico, vt refert Castro de hæresibus, verbo Confessio, & Bellarminus lib. 3. de Pœnitentia cap. 1. Ex Catholicis etiam erraruut nonnulli circa præceptum huius sacramenti; quidam enim planè docent, esse tantùm ecclesiasticum, sic Glossa de Pœnit. dist. 5. in principio. Panormitanus in dicto cap. *Omnis utriusque sexus*. Vnde docuit Græcos non teneri eo præcepto, idem etiam sequutus est Erasmus, quem citat Petrus Soto lectione 3. de Confessione. Denique alij Doctores catholici affirmant, à Christo Domino insinuatum fuisse præceptum Apostolis, vt postea illi expressè præciperent. Ita Alensis 4. part. quæst. 17. membr. 3. art. 2.

2. Sit tamen conclusio. Certa fide tenendum est, sacramentum Pœnitentiæ, seu Confessionem, necessariam esse ex præcepto diuino, sic expressè diffinitum est in Tridenino, vt alia Concilia omittam, in quibus eadem veritas diffinita est, sess. 14. cap. 5. & Canon. 6. & 7. Et colligitur ex illis verbis Christi Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. quibus vtitur Tridentinum eadem sess. cap. 1. dicens, *Dominum illis verbis tradidisse potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus, hunc que fuisse consensum vniuersorum Patrum semper.* Deinde in cap. 5. sic inquit, ex institutione sacramenti iam explicata. *Vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorũ confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis, iure diuino necessariam existere.* Colligit hoc Concilium. nam sacerdotes vt veri iudices, habent potestatem remittendi peccata mortalia, & retinendi; ergo cùm peccatores teneantur iustificationem procurare, debent ex sacerdotibus absolutionem quærere: non possunt autem iudices causa non audita, absoluere; ergo peccatores debent peccata sua aperire sacerdotibus in ordine ad absolutionem: ac proinde diuinum præceptum est recipiendi sacramentum Pœnitentiæ. Nec obest, quòd peccator iustificari queat per contritionem extra sacramentum. Nam hoc ipso quòd Christus dedit sacerdotibus potestatem retinendi fidelium peccata, dedit vt ea non remittantur, nisi relicta obligatione subiicienda eadem clauibus in hoc sacramento: quemadmodum quia Christus dixit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. licèt quis per contritionem iustificetur ante Baptismum, iustificatur cum obligatione ipsum recipiendi.

Ioan. 20. Trident. Idem.

3. Sed contra prædictam veritatem obiicitur primò factum Nectarij Archiepiscopi Constantinopolitani, qui vsum confessionis in sua Ecclesia abrogauit, vt refert Sozomenus lib. 7. hist. Ecclesiast. cap. 16. Atque hoc potissimum argumento valde triumphant hæretici, pro cuius solutione multa dicunt recentiores. historiam narrat Socrates, quamuis Nouatianus lib. 5. hist. cap. 19. Et Nicephorus lib. 12. cap. 28. dicuntque, Nectarium abrogasse Confessionem in Ecclesia Constantinopolitana, & vnumquemque reliquisse iudicio conscientiæ suæ ad communicandum, occasione peccati, quod quædam Matrona in Ecclesia commiserat, & diuulgatum fuerat, & ideo Presbyterum Pœnitentiarium deposuisse.

4. Et certum est, Nectarium non abrogasse sacramentalem confessionem, quamuis id affirmat Vbaldensis, neque id de Nectario credi potest; tum quia Nicolaus I. in quadam epistola quæ habetur in octaua Synodo actione 8. appellat illum, hæreticorum expugnatorem, & Ecclesiæ defensorem: tum etiam, quia in Ecclesia Græca etiam post Nectarium perseuerauit semper vsus priuatæ confessionis; & nullus ex cæteris Patribus legitur Nectarij factum reprobasse. Et denique nec iussit Nectarius, vt deinceps non subiicerentur pœnitentiæ publicæ peccata occulta, vt existimauit Ruardus Taper art. 5. qui sibi persuasit, hunc fuisse morem Orientalis Ecclesiæ, vt Presbyter Pœnitentiarius constitueretur, qui omnium confessiones exciperet, & peccata etiam occulta ad Episcopum deferret, & per eumdem Pœnitentiarium recitasset publicè in Ecclesia: nunquam enim in Ecclesia fuit consuetudo recepta diuulgandi occulta peccata. Neque etiam abrogauit Nectarius publicam pœnitentiam delicti publici, vt falsò existimauit Vazquez quæst. 90. de Pœnitentia art. 1. dub. 1. Nam & antea, & eodem tempore, & postea in vniuersa Ecclesia Orientali conseruatus est vsus publicæ pœnitentiæ pro delictis publicis.

5. Tribus ergo modis Nectarij factum explicari potest. Primò si dicamus, abstuliisse illum Presbyterum Pœnitentiarium in Ecclesia ad recipiendos publicè pœnitentes: in publico enim pœnitentia quæ olim agebatur ob delicta tantùm publica, & diuulgabantur eadem delicta, ob quæ imponebatur, non tamen sine consilio Antistitis, & Presbyteri Pœnitentiarij, vt docet Origenes homil. 2. Atque ita deposuit illum Presbyterum, eo quòd illo suadente, vel consulente, crimen illud Matronæ cum Diacono euulgatum fuit. Secundò sermonem ibi esse non de pœnitentia publica, sed de sacramento Confessionis; itaque Nectarius abstulit non quidem confessionem occultam, cum occulta etiam pœnitentia; sed pœnitentiam publicam pro peccatis occultis, secretóque confessis. Tertiò respondetur, supponendo primum, olim excipiendis confessionibus sacramentalibus aliquem Presbyterum in Ecclesia destinatum fuisse cum publico stipendio: sicut etiam hodie renouatum est per Tridentinum in Ecclesiis Cathedralibus; idque colligitur ex Socrate, & Sozomeno vbi suprà; postea autem crescente multitudine, creuit etiam numerus Pœnitentiariorum: dici ergo potest Nectarium

Digitized by Google

Nectarium abstuliſſe eum Presbyterum deputatum confeſſionibus audiendis, eo quòd vel ipſe violauerat ſecretum, vel imprudenter fœminæ ſuaſerat, vt reuelaret ad ſui confuſionem. Et iuxta hanc interpretationem intelligenda ſunt illa quæ dicunt hiſtorici, reliquiſſe vnumquemque conſcientiæ ſuæ ad communicandum: hæc enim hunc ſenſum habent, vnicuique deinceps liberum fuiſſe aliis Presbyteris confiteri, eiuſdem tamen Eccleſiæ, & non tantùm apud deputatum: fecit itaque liberam poteſtatem eligendi confeſſarium: vel prohibuit ne de peccatis ſecreto confeſſis, ageretur publica ſatisfactio; & vnumquemque reliquit, vt in occulto pœnitentiam impoſitam impleret, ſiquidem peccata occultè confeſſus fuerat. Itaque ex Nectarij facto contra huius ſacramenti neceſſitatem, nihil colligi poteſt.

6. Secundò obſtare videntur nonnulla teſtimonia Chryſoſtomi, in quibus planè videtur reiicere neceſſitatem confeſſionis, & ſoli Deo eſſe aperienda peccata, tom. 1. homil. 2. in Pſalm. 50. ibi. *Dicito quotidie in anima tua, non dico vt confitearis cum ſeruo tuo, ſed dicito Deo.* Similia docet tom. 2. homil. 4. de Lazaro. Sed nec hæc teſtimonia quibus valde triumphant hæretici aduerſantur. Reſpondetur enim in primis, cũ in aliis in numeris locis Chryſoſtomus egregiè de confeſſionis neceſſitate loquutus fuerit, non eſt cur de eius catholico ſenſu dubitemus. Aliqui dicunt, ibi prohibere pœnitentiam publicam, & confeſſionem publicam de peccatis occultè commiſſis, quæ ſine pudore, & aliorum exprobratione diuulgari non poterant. Huic tamen expoſitioni obſtare videtur, quod Chryſoſtomus confeſſioni quæ fit hominibus, opponit cõfeſſionem quæ fit ſoli Deo, & in anima intra conſcientiam pœnitentis; ergo videtur excludere omnem confeſſionem quæ fit hominibus, ſiue publicam, ſiue priuatam. Reſpondetur, illam confeſſionem fieri ſoli Deo, non quia non fiat etiam homini, ſed quia ibi Deus, & homo conſtituunt vnum tribunal, & dicuntur ibi peccata gerenti vices Dei, non homini. Secundò reſponderi poteſt, Chryſoſtomum ibi loqui de confeſſione extra tempus præcepti: vnde dicit ſe nolle eo tempore quemquam cogere ad confeſſionem; eſſe tamen tunc, ſcilicet extra tempus præcepti, vtile confiteri quotidie Deo, & examinare conſcientiam vbi ſine teſte, ſine erubeſcentia, & probatore, tam facile peccata Deo ea cognoſcenti manifeſtari poſſunt.

Chryſoſt.

7. Tertiò obſtare videtur Ambroſius lib. 10. in Lucam duobus in locis. *Primus* eſt in his verbis, *Petrus doluit, & flenit, quia erranit vt homo: non inuenio quid dixerit, inuenio quòd fleuerit: lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego.* Vbi alij legunt confeſſionem, & habetur in cap. *Petrus voluit*, de Pœnit. diſt. 1. *Secundus* locus eſt in cap. *lachryma*, eadem diſtinct. *lachryma lauant delictum, quod voce pudet eſt confiteri.* Reſpondetur ad primum teſtimonium, ſi legatur, ſatisfactionem non lego; eo nomine intelligere accuſationem peccati, vt conſtat ex verbis præcedentibus: ſi verò legatur, confeſſionem non lego, verè dixiſſe Petrum lauatum eſſe à peccato vi lachrymarum: quia tunc nondum erat inſtituta confeſſio. In ſecundo loco Ambroſius agit de iuſtificatione, quæ fit extra ſacramentum, & quando non vrget tempus præcepti, in quo caſu ſæpè contingit, vt antequam quis accedat ad ſacramentum, iam ſit iuſtificatus.

Ambroſ.

8. Denique obiiciunt textum in cap. vlt. de Pœnit. diſt. 1. vbi Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus. *Quidam Deo ſolummodo confiteri debere peccata dicunt, vt Graci: quidam verò ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent; vt tota ferè ſancta Eccleſia: quod vtrumque non ſine magno fructu intra ſanctam ſit Eccleſiam.* Reſpondetur retinendo lectionem vulgatam quæ apud Gratianum extat. nam lectio correcta decreti Gregoriani diuerſa eſt. Theodorum referre duas opiniones de confeſſione, & ita eas componere, vt prima verum habeat in confeſſione peccatorum venialium, & eam ſolummodo Deo fieri poſſe: eos autem qui inciderunt in mortalia, debere confiteri ſacerdoti. Hanc interpretationem colligo ex illis verbis, *Deo qui remiſſior eſt peccata noſtra confiteamur, & hoc perfectorum eſt.* & infrà, *Confeſſio itaque quæ ſoli Deo fit, quod eſt iuſtorum.* Iuſti autem, & perfecti venialia tantùm peccata habent, quæ cùm non ſint materia neceſſaria confeſſionis, ſoli Deo cum fructu manifeſtantur: *nobis autem*, inquit, *quia ſcilicet longè ſumus à perfectione; ſequenda eſt Apoſtoli inſtitutio, vt confiteamur alterutrum peccata noſtra.*

Sectio II.

Quos, & quando obliget præceptum diuinum confeſſionis.

9. PRima concluſio. Certa fide tenendum eſt, ſolùm eos qui Baptiſmum ſuſceperunt, obligari, quare infideles eo præcepto non tenentur, & ideo dum non ſuſcipiunt Baptiſmum, nullum peccatum committunt non confitendo: in quo decepti ſunt ex antiquis Scholaſticis non pauci, Scotus, Adrianus, Ricardus, Angelus verbo Confeſſio, & Sylueſter, ſed iam horum Doctorum ſententia nulla probabilitate defendi poteſt: oppoſitum enim eſt diffinitum in Tridentino. nam ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. canon. 2. definit, Pœnitentiæ ſacramentum verè dici ſecundam tabulam poſt naufragium; ergo non obligat niſi lapſos poſt Baptiſmum. Idem conſtat ex eadem ſeſſ. cap. 1. ibi: *Sacramentum Pœnitentiæ collapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur.* & cap. 5. ibi: *Omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure diuino neceſſarium.* Secundò probatur ratione deſumpta ex ipſo Concilio, quia cùm in eadem ſeſſ. cap. 2. conſtituit diſcrimen inter Baptiſmum, & pœnitentiam, dicit, Miniſtrum Baptiſmi non eſſe iudicem: at verò Miniſtrum Pœnitentiæ eſſe iudicem; & reddit rationem, *quia Eccleſia in neminem iudicium exercet, niſi qui per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus.* Ergo ſacramenti Pœnitentiæ obligatio non extenditur ad Infideles: aliàs iudicium exerceret Eccleſia in eos qui foris ſunt, & in eo non differrent Baptiſmus, & Pœnitentia.

Trident.

10. Obiicies, quia præcepta diuina ad omnes extendi poſſunt, cùm Deus imponere poſſit omnibus obligationem; ergo etiam infideles obligabit præceptum diuinum confeſſionis, ſicut obligat præceptum diuinum Euchariſtiæ. Reſpondetur, nos non negare Deum obligare potuiſſe infideles, ſed non obligaſſe: idque colligimus ex inſtitutione huius ſacramenti, & Baptiſmi, quam nobis declarat Eccleſia. Neque eſt eadem ratio de præcepto Euchariſtiæ. Fatemur enim eo obligati infideles. nam nondum baptizatis, neque credentibus dictum eſt Ioan. 3. *Niſi mãducaueritis carnem filij hominis*, &c. Et ita niſi laborent ignorantia inuincibili, duo

Ioan. 3.

duo peccata committunt, vnum omittendi Baptismum, aliud non recipiendi Eucharistiam. nam licèt non possint Eucharistiam recipere, nisi suscepto Baptismo: tamen cùm ad susceptionem Eucharistiæ non requiratur alia dispositio, quàm liberum esse à culpa mortali, & ab ea per Baptismum liberentur, tenentur suscipere Baptismum per se ratione Baptismi, & per aliud, scilicet ratione Eucharistiæ: quod optimo exemplo explicari potest, quia si quis existens in peccato mortali tempore quo obligat præceptum Ecclesiasticum confitendi, & recipiendi Eucharistiam non confiteatur, duo peccata committeret, quamuis Eucharistiam suscipere non possit, nisi præmissa confessione; vnum contra præceptum confessionis obligans eo tempore; alterum contra præceptum Eucharistiæ.

11. Circa secundum, quo tempore obliget hoc præceptum, certum est obligare per accidens ratione Eucharistiæ recipiendæ. Loquimur ergo de obligatione per se. Nonnulli sentiunt, nos statim atque peccauimus, ad confessionem teneri. Ita Alensis 4. part. quæst. 7. membr. 4. artic. 1. Angelus, verbo confessio, & ex Canonistis non pauci, quos refert Couarruu. in cap. *Alma mater*. Hæc tamen sententia communiter reiicitur, tum quia præceptum diuinum perfectæ contritionis, non obligat statim, ac quis lapsus est in peccatum: tum etiam, quia si præcepto diuino tenerentur fideles statim confiteri, nunquam potuisset Ecclesia modificare eiusmodi præceptum, vt solùm teneantur semel in anno: quòd autem non potuisset tempus determinate, constat ex his quæ de præcepto Baptismi dicunt Doctores, præceptum hoc quia diuinum est, & statim obligans, non posse ab Ecclesia pro baptizandis determinari, itavt non teneantur nisi tempore determinato.

12. Alij dicunt, præceptum diuinum confessionis etiam obligare, quoties ex dilatione oritur probabile periculum obliuionis peccatorum. Ita Medina Cod. de Pœnit. & nonnulli alij, quos sequitur, & refert Enriquez lib. 1. de Pœnit. cap. 3. Quorum fundamentum est, quia iure diuino tenemur ad integram peccatorum confessionem: recordatio autem eorum necessaria est ad confessionis integritatem. Communiter tamen reiicitur, quia multis scrupulis ea sententia plena est; quis enim non poterit iustè timere, si differat confessionem intra annum, posse fieri vt multorum peccatorum obliuiscatur, saltem quoad numerum: tum etiam, quia si ea opinio vera esset, sequitur pœnitentem teneri confiteri omnia peccata quæ re vera commisit: constat autem ex Tridentino sess. 14. cap. 1. tantùm teneri ad confessionem eorum quæ post maturam diligentiam, & prudentem discussionem recordatus fuerit; ergo non tenetur iure diuino statim confiteri. Tum denique, quia cùm illud periculum obliuionis, verisimiliter quisque timere possit; si eo modo obligaret præceptum diuinum, non potuisset Ecclesia eam obligationem restringere ad confessionem annuam: neque enim eo præcepto sufficienter prouidisset humanæ fragilitati. Ex quibus etiam constat ad istorum fundamentum, alias etiam dici deberet, teneri pœnitentem ad peccata scripto mandanda statim atque committit ne eorum obliuiscatur, quod est absurdum.

13. Tertiò alij fatentur, diuinum præceptum confessionis non solùm obligare in extrema necessitate, sed etiam extra casum necessitatis quoties prudentis viri iudicio, censetur medium necessarium ad euitanda peccata. Ita Nauarr. in summa cap. 21. Soto in 4. dist. 18. quæst. 1. Suarez disput. 3. sect. 3. Quia sacramentum hoc institutum est ad reconciliandum homines Deo; ergo tenemur etiam ante extremam necessitatem: sicut præceptum charitatis de diligendo Deo obligat extra casum necessitatis, quia amicitia non vno tantùm, sed pluribus actibus confirmatur: & idem dicendum est de contritione: sicut etiam præceptum recipiendi Eucharistiam obligat ad plures recipiendam extra casum necessitatis. quam sententiam probabilem esse suprà docuimus agentes de contritione.

14. Secunda conclusio. Præceptum diuinum confessionis obligat per se, quoties est casus extremæ necessitatis. Ita communiter Doctores, & ratio est, quia hoc præceptum est affirmatiuum; ergo quamuis non obliget pro semper, assignari tamen debet aliquod determinatum tempus huius obligationis; ergo saltem in casu necessitatis erit præcisa eius obligatio. Ex quo fit obligare in articulo mortis: quis autem sit articulus mortis, dicetur infrà. Fit etiam, quando quis committit peccatum alicui reseruatum, cui nisi statim confiteatur, futurum est vt postea in vita adimpleri non possit præceptum sacramenti; tunc enim obligare etiam per se: est enim ille casus extremæ necessitatis: quod intellige vt locum habeat, quando intelligit se non tantùm non habiturum copiam superioris cui peccatum est reseruatum; sed quòd omnino non erit copia alterius confessoris: quia cùm in mortis articulo non sit casus aliquis reseruatus, necesse est ad veritatem huius doctrinæ, vt omnino non suppetat copia, non tantùm superioris cui tantùm reseruatum est, sed etiam nec alterius sacerdotis: quod constat ex eodem fundamento, quia tenetur aliquando confiteri nactus idoneum confessorem; & in hoc casu illud est vltimum tempus vitæ in quo adimpleri potest hoc præceptum. Vbi nota, hanc necessitatem vrgere toties quoties aliquis lapsus fuerit in peccatum mortale, eodem morbo perseuerante, eo quòd sit sacramentum reconciliationis; itavt si quis sæpe in morbo periculoso lapsus fuerit, etiamsi semel confessus fuerit, tenetur iterum præcepto diuino confiteri, obligante in extrema necessitate: in quo differt à præcepto Eucharistiæ, quæ si semel inchoato morbo sumatur per modum viatici, iam satisfactum est illi præcepto, & non tenetur ampliùs postea recipere, quamuis eodem morbo perseuerante postea peccet mortaliter, & confiteatur.

15. Tertia conclusio. Præceptum diuinum confessionis, adhuc extra casum necessitatis, obligat, vagè tamen, & indeterminatè; prior pars colligitur ex Trident. sess. 14. cap. 5. his verbis *Neque enim pro Lateranense Concil. Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt præceptum confessionis saltem semel in anno, ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, implereatur.* Hactenus Concilium, in quibus apertè dicit iure diuino præceptam esse cõfessionem, & Ecclesiã solùm determinasse tempus. Trident.

16. Dices, verba Concilij intelligenda esse de præcepto diuino per se obligante in casu necessitatis, & non indicasse aliam necessitatem huius præcepti extra necessitatis casum. Contrà primò, quia in eo casu iam est determinatũ tempus iure diuino; ergo non potuit Ecclesia statuere vt obligaret singulis annis; quando enim præceptum, & tẽpus præcepti, iure diuino constituta sunt, non possunt ab Ecclesia mutari; ergo præceptum illud diuinum confitendi in extrema necessitate, non est redactũ ad annuam confessionem.

confeſſionẽ. Et confirmatur ex præcepto Baptiſmi. Nam hoc præceptum ex diuina inſtitutione habet tempus determinatum, itavt quouis vitæ tempore obliget infidelem vt baptizetur, niſi excuſetur iuſta de cauſa; ideo Eccleſia non potuit illud mutare, aut aliter determinare, vel interpretando, vel alio modo differendo. nam determinatio, vel interpretatio diuini præcepti faciẽda per Eccleſiam, ſolùm eſſe poteſt, quando tempus illius, & ratio obligandi in hoc potius, quàm in illo tempore, iure ipſo, & inſtitutione diuina indefinita eſt; neque enim Eccleſia diuinæ inſtitutioni aduerſari poteſt, ſed eam integram ſeruando, declarare, aut determinate; ergo pariter in noſtro caſu, cùm iam obligatio præcepti confeſſionis iure diuino determinata ſit ad caſum extremæ neceſſitatis, non potuit Eccleſia illam mutare, & redigere ad annuam obligationem.

17. Secundò, quia ſi illud præceptum diuinum obligans ad confeſſionem in extrema neceſſitate eſſet, quod Eccleſia redigit ad confeſſionem annuam, ſequeretur, eum qui iam ſemel in anno confeſſus eſt, etiamſi poſtea eſſet in extremo periculo, & conſcius peccati mortalis, non teneri confiteri; non ſecus ac ſi non eſſet in extrema neceſſitate; ſed ſatis illi eſſe contritionem. Sequelam probo, quia quando Eccleſia conſtituit tempus alicuius præcepti diuini, ceſſat omnino obligatio illius præcepti, extra illud tempus quod Eccleſia deſignauit: vt conſtat in omnibus aliis præceptis diuinis, quæ Eccleſia determinauit, vt in recitatione horarum, & in decimarum ſolutione. nam ſemel recitato officio deſignato, Eccleſiaſticus non tenetur ad aliam orationem: nec Populus ſolutis decimis, tenetur amplius diuino præcepto alendi Miniſtros. Et explicatur hæc ratio in præcepto Euchariſtiæ. nam quamuis Eccleſia determinauerit tempus intra annum, adhuc remanet obligatio ſumendi Euchariſtiam in extremis, quia ea determinatio Eccleſiæ non fuit determinatio præcepti diuini de Euchariſtia ſumenda pro illo tempore.

18. Secunda pars, ſcilicet obligare tantùm vagè, & indeterminate, probatur, quia nullum poteſt aſſignari tempus determinatum, in quo neceſſarium ſit illud præceptum implere, maximè cùm quacumque neceſſitate deſignata in ſpeciali, poſſit eſſe remedium dilecto Dei, vel contritio: neque eſt aliquis locus in ſacra Scriptura, Concilijs, aut Patribus, vnde colligamus in ea neceſſitate non concedendum nobis auxilium ad contritionem, & dilectionem, nec nobis profuturas. Et confirmatur ex eo quod adducitur pro contraria ſententia, quia non poteſt deſignari tempus determinatum extra caſum extremæ neceſſitatis in quo teneamur diligere Deum ſuper omnia. nam vel tenemur ſtatim atque peccatum commiſimus; & hoc non: alias eſſet in continuo peccato qui ſtatim atque peccat non contritur, vel diligit Deum; ſicut qui non reſtituit, quod nullus concedit: vel tenemur ſtatim atque occurrunt memoriæ peccata; & hoc etiam falſum eſt. Deinde in iam iuſtificatis non eſſe obligationem dilectionis Dei tempore determinato, manifeſtum eſt, cùm nullũ poſſit aſſignari, vt rectè probat Vazq. quæſt. 90. art. 4. dub. 4. Si ergo præceptum dilectionis Dei, & contritionis, non habet determinatum tempus, extra tempus extremæ neceſſitatis, non eſt cur dicamus illud habere præceptum diuinum confeſſionis, quod certè probabilius eſſe diſp. præcedenti docuimus.

19. Et ex his infertur, cùm Chriſtus non determinauerit tempus præcepti confeſſionis extra caſum neceſſitatis, reliquiſſe illud Eccleſiæ determinandum. Quòd ſi aliquando confeſſarius iniungit pœnitenti vt confiteatur quoties in tale peccatum lapſus fuerit; tunc quidem tenetur pœnitens, non præcepto diuino confeſſionis obligante pro illo tempore; ſed ea obligatione qua teneatur ad implendam pœnitentiam iniunctam; imponitur enim ſuſceptio ſacramenti, vt pars ſatisfactionis.

Sectio III.

An Eccleſia potuerit ſuo præcepto determinare tempus ſuſcipiendi ſacramentum Pœnitentiæ.

20. IN duobus caſibus poteſt intelligi propoſita difficultas. *Primus* eſt in caſu quo Chriſtus non poſuiſſet præceptum diuinum confeſſionis, ſed reliquiſſet liberum eo vti ſacramento. *Secundus* eſt ſuppoſito iam diuino præcepto. In priori caſu prima ſententia eſt negans, quam tenet Durandus in 4. diſt. 17. q. 8. Soto diſt. 18 q. 1. art. 1. Secunda ſententia docet in eo caſu Eccleſiam potuiſſe præcipere tantùm confeſſionem actus exterioris, non verò peccati interioris, ita Paludanus eadem diſt. 17. art. 2. Armayn. q. 1. Tertia ſententia abſolutè affirmat, etiam in eo caſu Eccleſiam potuiſſe præcipere confeſſionem. Ita Suarez diſp. 3. ſect. 1. Vazq. q. 90. art. 1. dub. 4.

21. Prima concluſio. Suppoſita inſtitutione huius ſacramenti, ſi tamen Chriſtus reliquiſſet liberum eius vſum, rectè potuiſſet Eccleſia præcipere confeſſionem.

Probatur primò, quia confeſſio eſt actus exterior, & ad virtutem pertinens; ergo poſſet ab Eccleſia præcipi; multæ enim eſſent vtilitates confeſſionis, ob quas ab Eccleſia præcipi poſſet. Confirmatur ex Trident. ſeſſ. 21. cap. 1. vbi docet, Eccleſiam circa vſum Sacramentorum poſſe ea ſtatuere quæ congruunt fidelium ſaluti: ex qua poteſtate infert, licitè prohibuiſſe laïcis vſum calicis in Euchariſtia; ergo ſi potuit ex parte prohibere vſum ſacramenti Euchariſtiæ, cui non poterit etiam præcipere vſum pœnitentiæ.

22. Secundò probatur, quia ſi aliquid obſtaret quominus non poſſet in eo caſu confeſſionem præcipere, ideo eſſet; quia non habet poteſtatem, nec iuriſdictionem in actus internos: hæc autem ratio nullius eſt momenti, quia præcipere confeſſionem eſt præcipere aliquem actum externum, in cuius obſeruatione, aut tranſgreſſione attendi poteſt ſubiectio, & conſonantia ſubditi ad ſuperioris voluntatem; ergo ad huiuſmodi actus extenditur ſuperioris præceptum. Neque etiam impedit hanc Eccleſiæ iuriſdictionem, illam non poſſe iudicare de actu confeſſionis, eo quòd ſecretè fiat, vt voluit Durandus. Tum, quia ſi ea ratio eſſet alicuius momenti, ſequeretur, Eccleſiam non poſſe iudicare de multis actibus externis, quorum tantùm habet notitiam is qui fecit, & Eccleſiæ conſtare non poſſunt: ſatis ergo eſt quòd actus natura ſua tales ſint, quòd poſſint ſubijci Eccleſiæ cognitioni, ſi de illis conſtaret: ſubiectio enim, & conſonantia ad Imperium Principis in hac externa politia, attenditur in omni actu exteriori, in quo etiam obedientia attendenda eſt.

Secunda

Digitized by Google

23. Secunda concluſio. In eo caſu Eccleſia non potuiſſet directè præcipere interiorem dolorem cordis, neque interiorum tantùm peccatorum confeſſionem, ſed tantùm indirectè. Ita Vazq. dub. 4. Et probatur, quia Eccleſia viſibilis non habet poteſtatem in actus interiores, vt poſſit directè illos præcipere, vnde non ſubduntur eius imperio, ſed Deo reſeruati ſunt. cap. *Tua nos*, de ſimonia. Et ratio eſt, quia in actibus internis non attenditur conſonantia inter ſubditum, & Principem huius politicæ Reipublicæ, ſed tantùm in externis, & hanc conſonantiam ſpectat ſubiectio, & obedientia; ergo non poteſt Eccleſia præcipere dolorem illum internum, neque interiorum peccatorum confeſſionem directè. Quòd autem conſequenter, & indirectè poſſit, probatur, quia Eccleſia poteſt præcipere confeſſionem, cùm ſit actus exterior, vt dictum eſt, directè, & per ſe: at quia iure diuino, & inſtitutione, dolor eſt pars confeſſionis, & eodem iure qui confitetur, tenetur etiam confiteri peccata cordis mortalia ad integritatem illius; inde fit quòd indirectè, & conſequenter, Eccleſia præcipiat vtrumque, ſcilicet dolorem, & confeſſionem interioris peccati; quia ſuppoſito quòd confeſſio fiat, tenetur pœnitens ad illa ex diuina inſtitutione: vnde quotieſcumque Eccleſia pro aliquo caſu præceperit confeſſionem, ſequitur etiam obligare ad dolorem, & peccata cordis.

24. In ſecundo caſu difficultas eſt, an Eccleſia præceperit aliquando confeſſionem per ſe, & quomodo. In qua re extat ſtatutum Concilij Lateranenſis
Lateran. ſub Innocentio III. in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de Pœnitent. & Remiſſ. in quo præcipitur *vt quicumque ſiue vir, ſiue fœmina, Chriſti fidem profeſſus, & vſu rationis compos, omnia ſua peccata, ſaltem ſemel in anno, confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam pœnitentiam totis viribus ſtudeat adimplere.* Circa quod decretum obſeruandum eſt, primò, in illo non contineri conſilium, ſed verè contineri præceptum confeſſionis annuæ, de quo dubitare non licet. Secundò notandum eſt, illo decreto non præcipi confeſſionem per accidens, ratione tantùm Euchariſtiæ recipiendæ, ſed etiam præcipuè per ſe directè, & cõſtat ex eo quòd in dicto capite vtrumque præcipitur, & vt ſemel in anno confiteatur, & vt in Paſchate accedat ad Euchariſtiam, & cùm ſermo eſt de confeſſione, ſtatuitur, vt quiſque ſemel in anno confiteatur.

25. Sed explicandum eſt, quomodo ſe habuerit Eccleſia in huius præcepti impoſitione. Sit ergo Tertia concluſio. Eccleſia poteſtate ſibi à Deo cõceſſa, modificauit tempus obligationis præcepti diuini confeſſionis ad tempus vnius anni. Itaque vagè præceptum erat à Chriſto vt fieret confeſſio, vt prædictum eſt; non autem determinauerat Chriſtus tempus confeſſionis, ſed reliquit Eccleſiæ determinandum; id autem determinauit Eccleſia vt vnoquoque anno ſaltem ſemel impleretur, vt eleganter Vazquez citatus. Et ratio huius eſt, quia conſtat eſſe præceptum diuinæ confeſſionis extra caſum neceſſitatis, vt probatum manet: conſtat etiam extra illum caſum, præceptum diuinum non obligare determinatè, ſed vagè tantùm, vt oſtendimus: conſtat præterea eo adimpleto, præcepto annuæ confeſſionis non remanere ampliùs obligationem confitendi extra caſum neceſſitatis; ergo per Eccleſiam tantùm eſt determinatum tempus diuini præcepti, quòd aliàs extra caſum neceſſitatis non obligabat determinato tempore, & redactum ad annuam confeſſionem. Quod etiam conſtat exemplo præcepti de recipienda Euchariſtia ſemel in anno extra caſum neceſſitatis: cùm enim hoc præceptum obligaret etiam vagè, extra caſum neceſſitatis, ad annuam communionem redactum eſt ab Eccleſia. Vnde impleto præcepto annuæ confeſſionis, aut communionis, nulla reſtat obligatio diuina eo anno iterum confitendi, aut communicandi. Et confirmati etiam poteſt ex Tridentino vbi ſuprà; agens enim de hac determinatione temporis in præcepto confeſſionis, ſic
Trident. ait: *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, quod iure diuino inſtitutum, & neceſſarium eſſe intellexerat, ſed vt præceptum confeſſionis, ſcilicet diuinum, de quo Concilium loquutum fuerat, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis peruenirent, impleretur.* Supponit ergo Concilium, determinationem tantùm temporis factam eſſe ab Eccleſia, ad quam faciendam habuiſſe à Chriſto poteſtatem, omnes Catholici fatentur; conſtatque ex aliorum plurium præceptorum exemplis, quæ cùm à Deo vagè impoſita ſint, Eccleſia tempus, vel modum determinauit. Ex his

26. Infertur primò, cùm Eccleſia ſolum determinauerit tempus diuini præcepti ex commiſſione diuina, ipſam non impoſuiſſe ex ſe nouam obligationem, aut præceptum; ſed tantùm præcepiſſe vt ſeruaretur diuinum præceptum, eo tempore quo à Chriſto non fuit deſignatum, ſed Chriſtus ab ipſa Eccleſia determinari voluit.

Secundò infertur, determinationem factam ab Eccleſia circa præceptum annuæ confeſſionis, obligare etiam fideles ad interiora peccata confitenda: quamuis enim Eccleſia non potuerit præcipere confeſſionem interioris peccati, tamen cùm Eccleſia non imponat, ſed tantùm determinet diuinam legem, vagè obligantem etiam ad interiora peccata, ſubſtantia iſtius legis, & obligationis à Chriſto eſt, & eoſdem obligat, & eadem manet modificata, ſiue determinata tantùm ad illud tempus. quare ab eadem ad quæ ex præcepto diuino vagè tenebatur, tenetur etiam ſuppoſita determinatione Eccleſiæ.

27. Denique infertur, modificationem huius diuini præcepti, non tantùm fuiſſe factam ab Eccleſia in eo ſenſu, ne vltra annum obſeruatio præcepti diuini differatur, vt falsò exiſtimauit Alenſis 1. part. quæſt. 1 §. num. 4. art. 4. Quia ſemper Patres in hoc ſenſu intellexerunt ſtatutum Lateranenſe, vt qui ſemel in anno confiteatur extra caſum neceſſitatis, obligationi præcepti diuini ſatisfeciſſe videatur, & apertiſſimè id docent verba Trident. ſuprà relata, cùm dixit, *Sed vt præceptum diuinum confeſſionis ſaltem ſemel in anno impleretur*; ergo illa confeſſione annua impletum eſt præceptum diuinum.

SECTIO IV.

Quinam teneantur præcepto annuæ confeſſionis.

28. EX duplici capite poteſt procedere hæc difficultas, vel ſpectando perſonas præcisè, vel ſpectando earum peccata, an ſcilicet teneantur cum his peccatis, vel aliis. Et quod ad primum attinet, de multis dubitari poteſt, de infidelibus, & hæreticis,

Digitized by Google

ticis, de paruulis, de Summo Pontifice, & aliis, quos vt comprehendam, ſtatuo ſequentem concluſionem vniuerſalem.

29. Prima concluſio. Omnes quotquot baptizati ſunt, ſi perſonam tantùm ſpectemus, tenentur præcepto annuæ confeſſionis. Conſtat ex dicto cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, vbi ſine exceptione vlla iubentur confiteri baptizati omnes, quotquot ad annos diſcretionis peruenerunt.

30. Ex hac vniuerſali concluſione

Infertur primò, infideles non baptizatos nullatenus teneri præcepto annuæ confeſſionis. Sic docet communis ſententia, licèt enim aliqui dixerint illos teneri præcepto diuino confeſſionis, vt vidimus ſuprà; nullus tamen eſt qui dicat eos teneri præcepto Eccleſiaſtico. Et ratio eſt, quia Eccleſia dum ſtatuit annuam confeſſionem, tantùm determinat tempus precepti diuini; vnde eius obligationem non minuit, nec reſtringit, neque extendit ad plures, vel pauciores perſonas quas præceptum ipſum diuinum obligabat: cùm ergo præceptum diuinum confeſſionis, vt diximus ſuprà, non obliget infideles, non potuit Eccleſia hac ſua modificatione illos comprehendere.

31. Secundò infertur, præcepto annuæ confeſſionis teneri hæreticos, quamuis id negent nonnulli recentiores, quia in prædicto capite ſermo eſt tantùm de ſolis fidelibus, dicitur enim, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis*; verius tamen, & communius eſt, eos obligari; quia hoc præceptum non eſt de re noua, aut non iam debita ex iure diuino, ſed de confeſſione vagè à Chriſto præcepta: Eccleſia autem ſolum determinat tempus diuini præcepti ex commiſſione diuina, vt ſectione præcedenti diximus: alàs ſequeretur nec comprehendi eum qui fortè incidit in aliquod peccatum graue contra fidem, quod eſt abſurdum.

32. Tertiò infertur, hoc etiam præcepto teneri pueros, ſiue maſculos, ſiue fœminas, dummodo ad annos diſcretionis peruenerint: quod quidem communi Doctorum conſenſu receptum eſt, & probat textus in dicto cap. *Omnis*, vbi iubentur omnes confiteri, qui ad annos diſcretionis peruenerint, ſi conſcij ſint mortalis peccati, quæ verba vniuerſalia ſunt ex vna parte, & ex alia non eſt aliquod fundamentum quo intelligamus, pueros eximi ab huius legis obligatione. Tum, quia non poteſt dici illos eximi, quia non ſunt capaces obligationis legis humanæ. nam obligantur lege diuina: cur ergo non erunt capaces legis humanæ? ſi enim aliqua ratio eſſet quæ illos redderet incapaces obligationis humanæ, etiam efficeret incapaces obligationis diuinæ, cùm non poſſit eſſe alia, quàm quæ prouenit ex defectu cognitionis, & vſus rationis. Præterea videmus pueros teneri aliis legibus Eccleſiaſticis. nam ante annos pubertatis audiunt ſacrum diebus feſtis; & abſtinent etiam à carnibus in diebus prohibitis: & ſi habeant beneficium Eccleſiaſticum, coguntur recitare diuinas preces; coguntur etiam ſeruare interdictum Eccleſiaſticum; & denique comprehenduntur legibus omnibus Eccleſiaſticis, vbi non excipiuntur: vbi aduerte pueros non incurrere pœnas excommunicationis, quas ſtatuta ſynodalia ſolent imponere in tranſgreſſores huius præcepti, niſi aliud expreſsè in contrarium ſtatuatur. lege Sanctium lib. 1. Decalogi cap. 12. num. 7.

33. Neque obſtat, quòd pueri non admittuntur ad præceptum communionis ſeruandum. nam diuerſa eſt ratio, maior enim conſideratio requiritur ad Euchariſtiam, quàm ad ſacramentum Confeſſionis, & vt eo præcepto teneantur; ad hoc enim ſatis eſt quòd habeant peccata mortalia: conſtat autem experientia, multo citius illos ſcire peccare, quàm aſſequi poſſint quid in Euchariſtia contineatur: atque hoc ipſum diſcrimen quoad temporis obligationem vtriuſque præcepti videtur indicaſſe Decretum Lateranenſe, cùm dixit: *Teneri omnes communicare ſemel in anno.* addit: *niſi forte de Conſeſſoris conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi receptione duxerit abſtinendum.* Lateran.

34. Quartò infertur, etiam meretrices publicas obligari hoc præcepto, & incurrere excommunicationem imponi ſolitam tranſgreſſoribus. Ita Vazquez q. 91. art. 3. dub. 5. Fagundez 2. præcepto cap 4. contra Roder. Viuald. & Zerolam. Non enim poteſt aſſignari ratio ob quam ab hac lege generali excipiantur.

35. Sed quæret aliquis, de Summo Pontifice, an etiam teneatur lege confeſſionis annuæ. Nauarr. de Pœnitent. diſtinct. 5. num. 31. exiſtimat huius quæſtionis ſolutionem ex illa pendere, an Concilium ſit ſupra Pontificem, vel è contrà. Si enim Concilium ſuperius eſt Pontifice, tenetur ſine dubio hac lege cùm lata ſit à Concilio: ſi verò Pontifex ſuperior Concilio eſt, non tenetur. Hæc tamen quæſtio nihil ad rem præſentem facit. Nam quamuis concedamus Concilium ſuperius eſſe Pontifice, adhuc tamen dicendum eſt Pontificem teneri ea lege, ita tenent Suarez diſput. 36. ſect. 2. Vazquez quæſt. 9. artic. 1. dub. 5. Nam quamuis Summus Pontifex non teneatur quoad vim coactiuam, obligatur tamen legibus quoad directiuam, ſicut dici ſolet in materia de legibus, vt conſonet caput corpori, non tamen tenetur pœnis in ea lege conſtitutis. nam vt teneretur pœnis, neceſſarium eſſet legem latam eſſe à ſuperiore qui punire poſſet. Hæc tamen ratio non videtur ſatis firma; ſicque aliter probatur ex ſupradictis, quia hoc præceptum quamuis quoad determinationem temporis ſit Eccleſiaſticum, vagè tamen, & indeterminatè diuinum eſt, & Chriſtus præcipiens confeſſionem, dedit Eccleſiæ commiſſionem vt determinaret tempus. Vnde Pontifex tenetur hanc determinationem facere pro omnibus, vnde non poteſt illam abrogare etiam partialiter quoad ſe.

36. Circa ſecundum, ſit etiam hæc concluſio generalis, ille ſolùm tenetur hoc præcepto annuæ confeſſionis, qui ſibi conſcius fuerit peccati mortalis, ita Doctores communiter, & facile probatur, quia in dicto capite *Omnis*, præcipitur fidelibus vt teneantur omnia peccata ſua confiteri, vbi expreſsè loquitur de mortalibus. Loquitur enim de his peccatis quæ omnia, & ſingula tenentur confiteri: ſed non tenemur confiteri omnia, & ſingula peccata venialia, vt conſtat; ergo præceptum annuæ confeſſionis ſolùm comprehendit eos qui habent peccata mortalia. Secundò, quia Trident. ſeſſ. 14. cap. 3. docet Eccleſiam non inſtituiſſe nouum præceptum, ſed tantùm deſignaſſe tempus præcepti diuini ad annuam confeſſionem; ergo non aliam obligationem impoſuit quoad peccatorum confeſſionem, quàm illam ad quam iure diuino tenebamur: ſed eo iure non tenemur confiteri peccata venialia, ex eodem Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & Canon. 7. ergo nec lege Eccleſiaſtica obligamur ad venialium confeſſionem.

Et

37. Et ex hac conclusione

Infertur primò, eum qui nullius peccati mortalis, vel venialis sibi conscius fuerit, non teneri huiusmodi præcepto, quidquid dicat Alensis 4. part. quæst. 18. membr. 4. quia existimauit, huiusmodi hominem teneri comparere coram sacerdote, & in genere confiteri se esse peccatorem. Reiicitur tamen à Doctoribus, quia expressè in hoc præcepto Ecclesiæ habetur, *omnes fideles sua omnia peccata confiteantur.* ergo qui nullo astringitur peccato, non obligatur præcepto confessionis. nam vbi tota præcepti, & legis materia deest, nulla legis vis, & auctoritas est, vel eius obligatio.

38. Secundò infertur, eum qui tantùm tenetur peccatis venialibus, non obligari præcepto annuæ confessionis: quod communi Doctorum sensum receptum est, contra Bonauentur. & Ricar. in 4. distinct. 17. quod constat ex duabus rationibus suprà factis. Neque obstat, Ecclesiam posse præcipere confessionem peccatorum venialium, de quo postea dicemus. nam licèt id facere possit, in dicto cap. *Omnis*, nullatenus præcipitur confessio venialium.

39. Tertiò infertur, eum qui solùm habet peccata venialia, non teneri ad eorum confessionem in genere, vt docet communis sententia contra Syluest. verb. Confessio. Nam, vt ostendimus, ad nullam venialium confessionem, neque in specie, neque in genere, tenentur fideles, præcepto diuino, neque Ecclesiastico: tum etiam, quia sacerdos nec posset, nec deberet illi confessioni absolutionem reddere. Vnde qui venialia tantùm habet, non tenetur ex vi præcepti annuæ confessionis comparere coram suo sacerdote, vt ille cognoscat vultum pecoris sui, & vt dicat se non meminisse alicuius peccati mortalis, quidquid dixerint Scotus, Ricardus, Sotus, Suarez, & Ægidius. Ratio est manifesta, quia ex præcepto confessionis non tenetur comparere coram suo sacerdote, vt aliter agnoscatur quàm in iudicio confessionis, ad quam tenetur ex præcepto: quod si eius præcepti obligatio cessat ex defectu peccati, non aliter cognosci debet ex vi præcepti. Propter notam autem, aut scandalum, vt satisfaciat sacerdoti, & Episcopo, cui defertur copia eorum qui confessi sunt ex testimonio confessoris, & cæteri excommunicantur, tenebitur coram eo sacerdote comparere: vbi autem ea consuetudo non esset, neque id esset necessarium, ita Vazq quæst. 90. art. 1. dub. 2.

40. Est tamen non leuis difficultas, an Ecclesia potuerit præcipere confessionem peccatorum venialium, ita vt etiam ille, qui tantùm sibi conscius fuerit peccati venialis, teneatur confiteri, ex illo Ecclesiæ præcepto. Occasionem difficultatis præbet textus in Clementina 1. de statu Monachorum, vbi Monachis sancti Benedicti præcipitur, vt singulis mensibus confiteantur; qua lege tenentur non solùm Monachi qui peccatis mortalibus, sed etiam qui venialibus tenentur. Soto in 4. distinct. 17. quæst. 1. art. 3. Palud. quæst. 2. artic. 4. Antonin. 2. part. tit. 19. cap. 13. Glossa in dicta Clement. Nauarr. in summa cap. 2. num. 9. Existimant, non posse Ecclesiam præcipere confessionem venialium. Contrariam sententiam docent Syluest. verb. Confessio 1. quæst. 13. Caiet. tom. 1. opusc. tract. 5. quæst. 1. Azor. lib. 1. institut. moral. lib. 7. cap. 39. quæst 4. Vasquez quæst. 90. art. 3. dub. 1. Ægidius disp. 5. dub. 5. & est communis, iuxta quam

41. Dicendum est primò, Ecclesiam non posse præcipere, neque toti Ecclesiæ, neque alicui communitati, neque priuatæ personæ, vt confiteatur omnia, & singula peccata venialia; siue cum mortalibus coniuncta sint, siue non. Et probatur, quia vel illa peccata venialia sunt tantùm interna, & sic planum est esse extra iurisdictionem Ecclesiæ; quare non potest Ecclesia præcipere eorum confessionem, cùm ex præcepto diuino non teneamur confiteri peccata venialia: si verò sunt peccata venialia externa, adhuc non potest præcipi omnium eorum confessio: non quidem, quia illi actus non subsint potestati Ecclesiæ, sed quia lex debet esse secundùm rationem; & lex quæ obligaret ad omnium venialium confessionem, non esset secundùm rationem, quia esset onus nimis graue, & scrupulis plenum, neque aliquid haberet vtilitatis; ergo ea lex non expediret.

42. Secundò dicendum est, Ecclesiam posse præcipere confessionem venialium, indirectè tamen etiam illis qui non habuerint peccata mortalia. Probatur, quia confessio est actus exterior virtutis, & laudabilis, & vtilis ad animarum salutem; ergo potest cadere sub præcepto, sicut alia opera virtutis, & consilij. & confirmatur, quia potest aliquis se astringere voto ad confessionem, etiamsi non habeat mortalia; ergo potest etiam Ecclesia lege obligare: quæ enim est disparitatis ratio, vel repugnantiæ, cùm votum sit priuata quædam lex quam sibi quisque imponit? Dicitur autem tunc Ecclesia indirectè præcipere venialium confessionem, quia si præcipit vt quisque confiteatur, etiamsi peccati mortalis conscius non sit, planè sequitur, eum qui accedit ad pœnitentiam, debere apponere sufficientem materiam; sufficiens autem materia est in eo qui habuit peccata mortalia quæ iam confessus est, si vel eadem mortalia iterum confiteatur, vel si in nullum mortale incidit, tenebitur venialia confiteri: itaque ex parte materiæ quæ præcipitur, nulla est repugnantia.

43. Dices hanc rationem non esse firmam, quia non omnia quæ sunt materia voti, possunt esse materia legis Ecclesiasticæ. nam votum potest esse de actibus internis, de quibus non potest esse lex Ecclesiastica: potest etiam quis se obligare voto ad statum Religionis, & ad castitatem seruandam, & ad non nubendum: & tamen Ecclesia non potest sua lege obligare ad hæc. Respondetur, omne quod est materia voti, esse posse materiam legis Ecclesiasticæ, dummodo subsit Ecclesiæ iurisdictioni: atque hac ratione non potest esse lex Ecclesiastica de actibus internis: de externis autem, de quibus potest esse votum, potest etiam esse lex. Vnde olim multis decretis Ecclesia compulit oblatos à parentibus ad professionem monasticam. cap. *Monachos* 27. q. 1. & alibi sæpè. Similiter Ecclesia legem imposuit ordinandis de vita cælibi seruanda: votum enim castitatis, iure tantùm Ecclesiastico annexum est sacris Ordinibus: & denique multis in peccatorum pœnam etiam publicè pœnitentibus, nuptias prohibuit.

44. Obiicies, quia iure diuino peccata venialia non sunt materia necessaria sacramenti Pœnitentiæ; ergo non potest Ecclesia sua lege efficere illam materiam necessariam: aliàs posset Ecclesia variare circa materiam Sacramentorum. Respondetur, ex Christi institutione peccata mortalia dici materiam necessariam, non quia sine illa non

Digitized by Google

poſſit conſtare ſacramentum, ſed quia tenetur qui illa commiſit exponere iudicio confeſſoris: venialia autem ex inſtitutione Chriſti non ſunt, hoc modo materia neceſſaria; ſunt tamen ſufficiens materia ſacramenti, itavt rectè circa illam verſari poſſit abſolutio: itaque cùm Eccleſia præcipit venialium confeſſionem, non efficit ſuo præcepto vt ſit materia neceſſaria, quod antea non erat materia ſacramenti; id enim fieri non poteſt; ſicut nec poteſt fieri lex vt peccata commiſſa ante Baptiſmum ſint materia ſacramenti Pœnitentiæ, ſed eo præcepto tantùm efficitur, vt id quod aliàs ex Chriſti inſtitutione erat ſufficiens materia, fiat neceſſaria; in hoc ſenſu vt ſit obligatio ea exponendi confeſſori, ſi alia peccata non ſint, vt debitè exerceatur ſacramentum Pœnitentiæ.

45. An verò illa Clementina obliget ſub mortali Monachos S. Benedicti ad confeſſionem venialium, dubitant Doctores. Sententia affirmans mihi videtur probabilior, quia ex parte poteſtatis Eccleſiæ id non repugnat; & ex alia parte ſi inſpiciamus finem illius conſtitutionis, videtur re vera præcepiſſe confeſſionem; quia ea obligatio non imponitur Monachis eo fine vt purgentur à peccatis mortalibus, ſed vt perfectiùs viuant, & à mortalibus præſeruentur, exercitio, & frequentia confeſſionis. Vnde infertur omiſſionem confeſſionis in vnoquoque menſe eſſe peccatum mortale. Ita Suarez diſp. 36. ſect. 5. Vazquez quæſt. 90. art. 2. dub 3. & certè negari non poteſt, confeſſionem ſecundùm ſe eſſe materiam ſufficientem præcepti obligantis ad mortale, cùm ſit actus eximiæ virtutis pœnitentiæ, & magnæ vtilitatis: nec eſt vnde colligamus eam obligationem non eſſe grauem, nec ex eo quòd ſit confeſſio venialium; venialia autem leuis materia ſint: quia grauitas materiæ huius præcepti non eſt attendenda penes venialia, ſed penes vſum ſacramenti confeſſionis, quæ materia ſemper eſt grauis. Quia etiam receptio Euchariſtiæ præſeruat à venialibus, & tamen quia Euchariſtia eſt ſacramentum conferens gratiam, omiſſio eius eſt peccatum mortale. Non tamen inde inferas legem impoſitam Religionis in ſuis conſtitutionibus, vt confiteantur ſemel in menſe, vel in hebdomada obligare ſub mortali, quia, vt ex prædictis conſtat, ſolummodo Eccleſia habet auctoritatem deſignandi tempus confeſſionis.

Sectio V.

An huiuſmodi præceptum obliget in aliqua parte anni determinatè.

46. DVo explicanda ſunt. Primum de modo computandi annum huius præcepti. Secundò, Quo tempore anni obliget. Circa primum Soto in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 4. & nonnulli alij ſentiunt, computandum eſſe ab vna confeſſione in aliam, itavt ab vna in aliam non ſit maius ſpatium quàm vnius anni. Reiicitur ex dicto cap. *Omnis*, in quo tantùm dicitur, vt ſemel in anno confiteatur; non verò vt confiteatur ſemel in anno à die confeſſionis. nam quando priuilegia volunt eo modo annum intelligi, id ſolent exprimere: vt cùm dicitur concedi priuilegium ad hoc, vel illud faciendum, à die publicationis intra annum; vt in Bulla Cruciatæ, & alibi ſæpè. Præterea ſequeretur ex ea ſententia, quòd eo die anni quo quiſque ſemel confiteri cœperit, deberet ſemper confiteri toto vitæ ſuæ tempore, quod eſt contra communem ſenſum, & praxim fidelium.

Suarez de Pœnitentia diſp. 36. ſect. 3. Ægidius 47.
diſp. 5. dub. 6. & plures alij docent, annum computari debere à tempore Paſchali in tempus Paſchale, itavt anni nomine in eo decreto intelligatur, annus Eccleſiaſticus. Probant primò ex conſuetudine Populi Chriſtiani, quæ annum illius præcepti hoc modo intelligit. Secundò ab abſurdo, quia aliàs ſequeretur, vt ſaluo Eccleſiæ præcepto, poſſet fidelis duos ferè annos tranſigere ſine ſacramento Pœnitentiæ: vt ſi quis confiteatur Kalendis Ianuarij, iam ampliùs eo anno non tenetur confiteri, & in anno ſequenti poterit differre confeſſionem vſque ad vltimum Decembris. Hoc autem inconueniens eodem modo reperitur in hac ſententia; ſi enim quis die ſequenti poſt tempus Paſchale confiteatur iam ille adimpleuit præceptum pro anno ſequenti, vſque ad aliud Paſcha; & poſt Paſcha non tenetur confiteri determinato tempore anni incipientis, ſed poteſt differre vſque ad Paſcha ſecundum; ergo tranſirent etiam ferè duo anni Eccleſiaſtici ſine ſuſceptione ſacramenti Pœnitentiæ, ſaluo Eccleſiæ præcepto.

Verius mihi videtur, annum in eo præcepto 48.
computandum eſſe iuxta communem modum à Kalendis Ianuarij vſque ad finem Decembris, & ita præcipi vt ſemel in anno communi confiteatur. Ita Vazquez quæſt. 90. artic. 3. dub. 1. Lugus diſp. 15. ſect. 7. Hurt. diſp. 7. diff. 9. & Ægidius iudicat eſſe probabilius, quia in dicto cap. *Omnis* præcipitur, vt fideles omnes ſemel in anno confiteantur: ſed Canones, & Iura niſi aliud exprimant, annum accipiunt iuxta communem modum: ſicut ſi præciperetur, vt ſemel in anno feſtum aliquod celebraretur, vel relinqueretur legatum ſingulis annis ſemel perſoluendum, ſatisfeciſſe obligationi diceretur, qui quouis anni communis die feſtum celebraret, vel legatum ſolueret.

Obiicies, quia ſi quis à principio anni vſque ad 49.
Paſcha non peccet mortaliter, & confiteatur in Paſchate, & communicet; licèt poſtea peccet mortaliter, non tenebitur confiteri in reliqua parte anni vſque ad finem Decembris: at ſecundùm noſtram ſententiam dicendum eſſe teneri, quod eſt contra communem vſum, & praxim fidelium. Reſpondetur, confeſſione venialium non impleri hoc præceptum; vnde ſi incidat in mortale, tenetur confiteri, ſiue ante Paſcha, ſiue poſtea, vt magis ex infrà dicendis conſtabit.

Circa ſecundum, qua ſcilicet parte anni obliget 50.
hoc præceptum, diuerſæ ſunt Doctorum ſententiæ. Soto vbi ſuprà, aſſerit, præceptum hoc obligare vt confiteatur in parte anni determinata, ſcilicet in Quadrageſima Paſchatis tempore. Primò, quia in Concilio Agathenſi præcipitur, vt initio Quadrageſimæ iniungatur pœnitentia, & abſolutio concedatur tempore Paſchatis. Secundò, quia in quadam Conſtitutione Sixti IV. quæ incipit, *Noi illis*, & habetur inter Extrauagantes communes *de tregua, & pace*, vbi præcipitur Mendicantibus ne doceant, Parochianos non obligari ſaltem in Paſchate confiteri proprio ſacerdoti, cùm iure communi debeat Parochianus quotannis in Paſchate confiteri proprio ſacerdoti. quia de iure tenentur Parochiani ſaltem in Paſchate confiteri proprio ſacerdoti, ſic enim intelligit Sixtus IV. ius commune huius præcepti.

Medina Cod. de Confeſſione. Azor tom. 1. c. 19. 51.
quæſ. 7.

Digitized by Google

quæſt.7. docent,licèt iure communi non ſit determinatum tempus intra annum adimpletioni huius præcepti, obligare tamen tempore Paſchatis determinatæ ex conſuetudine Populi Chriſtiani, quia ſtatutis Prouincialibus receptum eſſe videtur,vt confiteantur tempore Paſchatis;idque conuincitur,quia Prælati à ſubditis exigunt confeſſionem circa feſtum Paſchæ, & Epiſcopi præcipiunt Parochis, vt afferant catalogum eorum qui confitentur, & excommunicantur qui in illo ſcripti non ſunt: quod eſt ſignum obligationem huius præcepti redactam eſſe ad certum illud, & determinatum tempus, ex conſuetudine populi Chriſtiani. Præterea, quia in Tridentino ſeſſ.14. cap.5. habentur hæc verba. *Vnde cùm in vniuerſa Eccleſia, cum ingenti fructu fidelium animarum obſeruatur, mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ, quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur, tanquam pium, & meritò retinendum: vt præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno ab omnibus, & ſingulis cùm ad annos diſcretionis peruenerint, impleretur.* Hactenus Concilium. Vbi ea conſuetudo retinenda dicitur, ad implendum hoc præceptum. Trident.

52. Dicendum tamen eſt primò inſpecto iure communi,nullum eſt tempus determinatum adimpletioni huius præcepti, ſed quocumque die anni quis confiteatur, ſatisfaciet eius obligationi. Ita communiter Recentiores,Suarez, Vazquez,Ægidius,Hurt.Lugus, diſputationibus citatis. Et probatur ex dicto cap.*Omnis*,vbi præcipitur,*vt quiſque teneatur ſaltem ſemel in anno, ſua peccata proprio Sacerdoti confiteri.* Quibus verbis non determinatur aliquod anni tempus, ſed quocumque die confiteatur, verè dicitur ſemel in eo anno confiteri. Præterea, quia cùm in eodem capite præcipiatur vſus pœnitentiæ,& Euchariſtiæ,diuerſimodè præcipitur vtrumque; Euchariſtiæ enim recipiendæ determinatur tempus Paſchatis: at verò de pœnitentia tantùm dicitur, vt ſemel in anno confiteatur.Deinde,quia cùm pœnitentia ordinetur ad remiſſionem peccati mortalis, non decebat determinari tempus, ſed relinqui vt quiſque confiteatur quando indigeat: at Euchariſtia ſuſcipitur ad conferendum augmentum gratiæ; non eſt ergo mirum ſi eius determinetur tempus.

53. Secundò etiam eſt dicendum, etiam inſpecto ſpeciali iure, vel conſuetudine, neminem teneri confiteri determinato anni tempore: quia non potuit determinari tempus confeſſionis ad Quadrageſimam ex ſtatutis prouincialibus Epiſcoporum: tum, quia modificare tempus diuini præcepti, non pertinet ad Epiſcopos, ſed ad Romanum Pontificem,vel vniuerſalem Eccleſiam: nec videtur vllo argumento probari poſſe, relictam eſſe eam poteſtatem alteri, maximè cùm iure certum ſit, grauiora Eccleſiæ negotia ad Pontificem tantùm pertinere. Nec ex eo quòd Epiſcopi iubeant confici catalogum eorum qui confitentur, poteſt colligi eam conſuetudinem introductam, quo determinetur tempus confeſſionis ad Quadrageſimam;tantùm enim præcipitur Parochis, vt ab initio Quadrageſimæ catalogum conficiant eorum qui accedunt ad confeſſionem; quod rectè fit, etiamſi ſcribantur qui eo anno etiam aliis menſibus confeſſi ſunt, & præterea, quia communiter præſumitur, eos qui eo tempore non confitentur, toto anno non acceſſiſſe ad confeſſionem, neque acceſſuros: quòd ſi oppoſitum conſtaret teſtimonio confeſſoris, ſatisfeciſſe ſuæ obligationi iudicarentur, neque excommunicarentur. Nec denique vniuerſali conſuetudine populi Chriſtiani redacta eſt obligatio ad illud tempus Paſchale, quia ea conſuetudo confitendi in Paſchate, non eſt introducta pro præcepto confeſſionis ſecundùm ſe, ſed vt ſe præparent ad Euchariſtiam quæ eo tempore debet ſuſcipi. Denique idem probatur ab abſurdo, quia qui ſcit futurum eſſe impedimentum, propter quod in Paſchate confiteri non poſſit, tenetur tempus præuenire; quod non prouenit ex alia ratione, niſi quia tempus confeſſionis non eſt determinatum: ſi enim determinatum eſſet ex iure ſpeciali,vel conſuetudine,non eſſet obligatio præueniendi: hanc rationem adducit Ægidius vbi ſuprà; ſed eſt ſatis infirma, quia pro communione eſt tempus determinatum, & quando futurum eſt impedimentum in Paſchate, ſimiliter eſt obligatio anticipandi communionem, vt infrà dicetur.

Ad argumenta primæ ſententiæ reſpondetur, 54.
ad primum deſumptum ex teſtimonio Concilij Agathen.non eſſe ad rem, quia in eo tantùm agitur de publicè pœnitentibus, qui cum ſacco & cinere, nudis pedibus repræſentabantur liminibus Eccleſiæ initio Quadrageſimæ,& iterum in Cœna Dominica antequam abſoluerentur, eis imponebatur pœnitentia, quæ quidem arbitrio ſacerdotis poterat vſque ad illud tempus prorogari. Ad ſecundum,Sixtum quartum ſolum velle, fideles teneri ad confitendum ſemel in anno, dicit autem debere fieri in Paſchate; tum,quia ferè ſemper eo tempore fit; tum etiam, quia fieri debet ratione communionis.

Ad argumenta ſecundæ ſententiæ ex dictis pa- 55.
tet ſolutio,& ex illo loco Tridentini, potiùs colligi oppoſitum: cùm enim eam conſuetudinem retuliſſet,dixit retinendam eſſe tanquam piam.

SECTIO VI.

An in aliquo caſu ſit obligatio confitendi pluſquam ſemel in anno.

SIt concluſio. Ex vi præcepti Eccleſiaſtici is qui 56.
ſemel in anno confeſſus eſt, non tenetur eo anno iterum confiteri. Ita ferè communis ſententia,quæ probatur ex dicto capite *Omnis*, vbi Eccleſia determinauit præceptum diuinum, quod vagè obligabat ad tempus annuæ confeſſionis, præcipiens, vt ſaltem ſemel in anno confiteatur: ergo qui ſemel verè confeſſus eſt, in eo anno illud præceptum diuinum modificatum per Eccleſiam iam impleuit: ergo non tenetur amplius eo præcepto; ac proinde neque tenetur iterum confiteri: aliàs non ſatis eſſet ſemel in anno confiteri, contra decretum Concilij Ex quo

Infertur primò,eum qui, v.g. Kalendis Ianuarij 57.
confeſſus eſt peccata mortalia, ſi poſtea etiam ante Paſcha,committat aliqua peccata mortalia, non teneri ampliùs eo præcepto pro illo anno: quod patet ex eodem capite *Omnis*, ibi enim non præcipitur,vt confiteatur omnia peccata illius anni, ſed ea quæ commiſit in ea parte anni, in qua confitetur, iuxta modificationem factam ab Eccleſia: ſi ergo ea peccata mortalia quæ tunc habuit, confeſſus eſt, proculdubio ſatisfecit obligationi præcepti. Confirmatur, quia ſi ſenſus huius præcepti eſſet, vt confiteatur omnia peccata illius anni, ſequeretur eum qui vltimo die confitetur, & communicat;ſi eodem incidat in mortali,teneri iterum

confiteri, contra communem ſenſum, & praxim fidelium: ſequeretur etiam teneri confiteri ante exitum anni, ea peccata quorum oblitus fuerat in confeſſione, ſi recordetur ante anni finem.

58. Obiicit Suarez, quia ſi quis per magnam partem anni non haberet conſcientiam peccati mortalis, ſæpiuſque confeſſus eſſet peccata venialia, & ante Quadrageſimam peccaret mortaliter, obligaretur ſine dubio ad faciendam confeſſionem: quia numquam confeſſus eſt eo anno peccata mortalia, cùm tamen illa habeat: ergo eodem modo obligabitur etiamſi antea confeſſus eſſet peccata mortalia, ſi tempore Quadrageſimæ illa habet. Sed hæc ratio nullius eſt momenti. nam in primis negatur teneri præcisè in Quadrageſima confiteri ex vi huius præcepti, ſed poſſe etiam poſt Paſcha in reliqua parte anni hoc præceptum implere, & in eo caſu tantùm teneri ratione Euchariſtiæ. Deinde quamuis concederemus in dicto caſu teneri ratione confeſſionis, adhuc eſſet diuerſa ratio. nam ex eo quòd quis confiteatur venialia, non tollitur obligatio confitendi eo anno ſi incidat in mortalia: vnde is qui ab initio anni ſæpe confeſſus eſt venialia, & ante Quadrageſimam lapſus eſt in mortale, tenetur ex vi præcepti tunc confiteri: ex hoc autem non ſequitur idem eſſe dicendum de eo qui ab initio anni confeſſus eſt mortalia; is enim iam adimpleuit præceptum in confeſſione mortalium.

59. Secundò infertur, eum qui iam ſemel ritè confeſſus aliqua mortalia aliorum eſt oblitus ſine culpa, ſatisfeciſſe præcepto: neque teneri eo anno iterum confiteri ea peccata, quorum oblitus eſt, etiamſi memoriæ occurrant, ſed poſſe differre vſque ad confeſſionem anni ſequentis. Ita Nauarr. in Manuali cap. 21. Suarez & Ægid. locis citatis. Et ratio eſt, quia re vera ille fecit integram confeſſionem ſuorum peccatorum, ſiquidem confeſſus eſt omnia quæ occurrerunt memoriæ, præmiſſo debito examine: ergo impleuit præceptum annuæ confeſſionis.

60. Tertiò infertur, eum qui ſemel, vel ſæpiùs confeſſus eſt venialia, ſi poſtea intra eumdem annum, incidat in mortale, teneri confiteri hoc præcepto annuæ confeſſionis. Ita communiter Doctores, & ratio eſt, quia præceptum Eccleſiæ eſt modificatiuum diuini; ſed diuinum tantùm eſt de confeſſione mortalium: ergo non impletur niſi mortalium confeſſione. Quare ſi quis in Quadrageſima, vel maiori parte anni confeſſus fuiſſet peccata venialia tantùm, quia alia non habebat; ſi poſtea in vltima parte anni incidat in mortale, tenetur confiteri ante eius anni finem, non tantùm præcepto Euchariſtiæ, ſed etiam confeſſionis, quia per confeſſionem venialium non impleuit præceptum annuæ confeſſionis.

Sectio VII.

An in aliquo caſu teneamur anticipare confeſſionem ante exitum anni.

61. DVo caſus aſſignati ſolent à Doctoribus, in quibus neceſſarium eſt anticipare confeſſionis ſacramentum.

Primus eſt quando quis præuidet futurum impedimentum, propter quod non poſſit confiteri ſuo tempore. In quo caſu variè loquuntur Doctores, hac tamen regula generali poteſt res hæc explicari. Nulla eſt obligatio anticipandi confeſſionem, niſi ex intentione præcipientis colligatur, ita impoſitum eſſe præceptum, vt præcipiatur in caſu impedimenti futuri eam anticipare. Tota autem difficultas conſiſtit in explicando, quomodo poſſit ex intentione præcipientis colligi, eo ſenſu imponi præceptum. Quod vt explicetur, notandum eſt, dupliciter fieri poſſe, vt certus terminus, vel dies, ad aliquid agendum deſignetur; vel præfigendo terminum, ita vt in eo finiatur obligatio; vel ita, vt ſolùm vſque ad illum diem, vel terminum, liceat differre impletionem præcepti, & non vltrà. Et adhuc vterque modus ſubdiſtinguendus eſt. nam in primo modo quando præfigitur terminus vt in eo finiatur obligatio, interdum ita deſignatur dies, vt opus præceptum ſit proprium onus illius, aut quaſi debitum illi in ſpecialem obſeruantiam: vel interdum ſolùm præſcribitur tempus, quia præcipiens non vult vltra illum terminum ſubditum eſſe oneratum illa obligatione; intra illum verò terminum non præcipit opus illud, vt onus peculiare alicuius partis temporis, ſed pro toto illo ſpatio libera manet ſubditi electio. In ſecundo etiam caſu, quando ita præſcribitur terminus præcepti, vt ſolum vſque ad illum liceat differre adimpletionem, duobus modis poteſt conſtitui terminus. Primò per modum conditionis ſuſpendentis obligationem, vt ſi alicui præcipiatur vt ex primo die anni ſequentis ieiunet ſemel in menſe. Secundò ſine ſuſpenſione obligationis, ſed ſolùm vt liceat differre ſolutionem vſque ad illum terminum, ſiue eligere diem, vel horas intra totum illud ſpatium temporis; vt ſi alicui præcipiatur vt decies intra annum roſarium reciter. Sit ergo

Prima regula. Quoties opus præcipitur vt proprium onus certi diei, vel horæ, non tenetur quis præuenire, etiamſi præuideat futurum impedimentum pro illo die, vel tempore. Ratio huius eſt, quia quæ eo modo præcepta ſunt, elapſo die, vel termino obligante, non tenetur quis implere: ergo neque tenetur præuenire; par enim videtur eſſe ratio; quia in eo caſu opus implendum tali die, vel hora, eſt indiuiſibilis materia præcepti quæ ex illis omnibus conſtituitur: ergo præueniri non poteſt: vt ſi, v. g. præceptum ſit ieiunium ſextæ feriæ in memoriam paſſionis, etiamſi quis ieiunet feria quinta, non implet, quia ſpecialiter præceptum eſt in honorem illius diei quæ præueniri non poteſt; lex autem, ſiue præceptum ad impoſſibile non obligat. 62.

Secunda regula. Etiamſi terminus temporis ſit præfixus ad finiendam obligationem; ſi tamen opus præceptum non eſt peculiare onus alicuius determinatæ partis totius temporis vſque ad illum terminum, eſt obligatio præueniendi terminum illum ſi præuiditur impedimentum: vt, v. g. Præcipitur alicui, vt ieiunet quatuor diebus menſis, non deſignando illos; limitando tamen obligationem ad menſem, ita vt cum illo finiatur; ſi præuidet futurum vt in dimidia parte vltima menſis ieiunare non poſſit, tenetur in priori medietate illud præceptum implere. Ratio eſt, quia in eo caſu quantum ad totum tempus, eſt determinata obligatio; quantum verò ad ſingulas eius partes, eſt quaſi diſiunctiua: ergo tenetur implere præceptum in aliqua parte illius temporis: ergo ſi præuidet futurum impedimentum in poſteriori parte menſis, tenebitur in priori præuenire adimpletionem. 63.

Tertia regula. Quando terminus, ſiue dies deſignatus 64.

Digitized by Google

signatus implendo præcepto, præfigitur ad suspendendam obligationem vsque ad illum terminum, tunc nulla potest esse obligatio præueniendi ante præceptum diem, etiamsi sciat futurum impedimentum. Ratio est, quia re vera in huiusmodi præcepto inuoluitur conditio, cuius natura est suspendere obligationem: vnde ante illum diem non obligat; præfixus enim videtur ille terminus ad nouam obligationem inchoandam illo tempore adueniente.

65. Quarta regula. Quando præscribitur terminus non ad suspendendam obligationem, sed tantùm ad dilationem impletionis, ne scilicet vltra illud tempus differatur, obligatio est præueniendi tempus præcepti, si præuideatur fore impedimentum. Ratio est, quia cùm totum illud tempus sit terminus absolutæ obligationis, impleri debet in parte eius possibili. Et ex his

66. Colligitur primò, quomodo iudicandum sit, quando præfigitur tempus debiti solutioni, præscribitur enim causa differendi obligationis; quare maximè designatur debitoris gratia, licèt etiam aliquando determinari soleat gratia creditoris: vnde si debitor videat se fore impotentem ad soluendum diffinito tempore, anticipare tenetur solutionem in foro conscientiæ, & in exteriori creditori datur actio in debitorem, lege 1. ff. de eo quod certo loco.

67. Secundò infertur, quomodo iudicandum sit in votis, cùm vouens promittit se facturum aliquid certo die, & tempore, v.g. promisit quis ieiunare sextis feriis in reuerentiam passionis, impedimentum erit aliqua sexta feria, non tenetur præuenire; quia re vera etiamsi præueniret, non adimpleret votum, iuxta dicta in prima regula. Quando autem quis promisit, v.g. Religionem ingredi in die assumptionis Virginis, si ea die præuideatur futurum impedimentum, tenetur præuenire; quia ibi non est definitum tempus, tanquam id quo finiatur obligatio, sed præcipuè promittitur ingressum Religionis; dies autem tanquam terminus ne differatur: quòd si in sua intentione illum diem assignet tanquam suspendentem obligationem vsque ad illum diem, non tenebitur antea, iuxta tertiam regulam, & ex consequenti non tenebitur præuenire.

68. Tertiò infertur, eodem modo iudicandum esse in pœnitentiis iniunctis à confessore, si enim præcipiat vt intra mensem quatuor diebus ieiunet, si impedimentum futurum est, præueniendi sunt dies ieiunij, quia præfigitur terminus dilationis, non verò suspendens obligationem. Et idem est si præcipiatur ei ieiunium in quatuor sextis feriis illius mensis, quia ibi principalis intentio confessoris non fertur in sextam feriam, sed præcipuè intendit satisfactionem, & medicinam in quatuor ieiuniorum diebus, & ita potiùs assignatur dies tanquam terminus differendi obligationis.

69. Quartò infertur, quomodo iudicandum sit in his præceptis Ecclesiasticis, in quibus aliquid præcipitur in cultum diei, determinando tempus, v.g. audiendi sacrum, & recitandi horas Canonicas. nam cùm præcipitur audiri sacrum in cultum diei festi, non potest præueniri ea obligatio, quia sacrum illud est onus diei festi: at verò, quia meridies est tempus præfinitum dilationi sacri, ideo si futurum est impedimentum, est obligatio præueniendi sacrum in aurora. Cùm Ecclesia præcipit recitare quotidie diuinum Officium, terminus diei præfixus est dilationi, ita vt vlteriùs differre non liceat, & ita est obligatio præueniendi si futurum est impedimentum: at verò tempus vniuscuiusque horæ; quia non præfinitur, ita vt illud peculiare officium sit onus illius horæ, inde est quòd & ante illam horam dici potest etiam sine veniali culpa, & transacta illa hora adhuc remaneat obligatio recitandi.

70. Quintò infertur, cùm dies festus celebratur in aliquo loco ex peculiari voto, qui ibi adest matutino tempore, egressurus tamen pro sua libertate ante meridiem, non tenetur præuenire & audire sacrum, antequam recedat in alium locum, in quo festus dies non est, nisi eo tempore, quo ibi commoratur, vrgeat tempus præcepti, vt quia non est aliud sacrum. Sic docet contra Nauarrum & alios, Lessius lib. 4. de virtutibus Cardinalibus dub. 8. num. 56. Sanctius de Matrim. lib. 5. disp 18. num. 21. Ratio est, quia sicut si sacrum est onus alicuius diei, non est obligatio præueniendi; ita sacrum in eo casu est onus festi in eo oppido, & ex consequenti est quasi conditionalis obligatio, si ibidem commoretur; quare extra illum locum cùm non sit onus festum celebrandi, si quis egrediatur, non tenetur, & cùm ex vi voti illius oppidi non prohibeatur egredi, fit vt egressurus ante meridiem, non teneatur audire sacrum.

71. Sextò infertur, quod magis attinet ad nostrum institutum, si quis præuideat fore impedimentum in vltima parte anni, teneri præuenire confessionem, quæ communis sententia est, quam tenent citatis aliis Suarez disp 36. sect. 5 Vazquez quæst. 90. art. 3. dub 2. Ratio desumenda est ex dictis in secunda regula. Tum, quia absoluta obligatio est pro toto illo tempore, aut pro qualibet parte disiunctim. Tum etiam, quia terminus illius anni præfigitur dilationi confessionis, ita vt vltra annum differri non possit, vt dictum est in 4. regula.

72. Vltimò infertur, idem dicendum esse de præcepto Eucharistiæ, si præuideatur impedimentum futurum præueniendam esse communionem ante Pascha. ita Vazquez loco citato. Ratio desumenda est ex regulis suprà positis, quia in hoc præcepto tempus præfigitur tanquam terminus dilationis, citra quod differri non possit communio: neque præcipitur vt certum onus eius temporis; idque constare potest, quia cùm Christus præceptum imposuerit sumendæ Eucharistiæ vagè obligans, Ecclesia determinauit, & modificauit tempus vt aliqua esset frequentia sacramenti, non verò ob honorem temporis Paschalis ex præcipua intentione: is autem Ecclesiæ finis non obtineretur si vsus Eucharistiæ affixus esset certo tempori, in quo facilè esset euenire impedimentum, & nunquam frequentari.

73. Secundus casus est sine controuersia, quando adest periculum mortis, aut in morbo, aut in bello, aut in nauigatione. Ratio desumitur ex suprà dictis, præceptum diuinum confessionis in vitæ periculo obligare determinatè; quare in eo casu non tenetur ex vi præcepti Ecclesiastici, neque enim Ecclesia modificauit præceptum diuinum confitendi in extrema necessitate: ex quo fit neque confessione annua tolli obligationem huius præcepti, si postea sit in eo periculo: neque econtra per confessionem in extremo periculo, tolli obligationem si superuixerit confitendi semel in anno, si ante periculum illud nondum satisfecerat annuæ confessioni.

***

Sectio VIII.

An elapso anno finiatur obligatio præcepti annuæ confessionis.

74. COntingit aliquando, hominem non adimplere præceptum confessionis ex culpa: aliquando verò sine culpa; sunt enim nonnulla quæ excusant ab huius præcepti obligatione; tum ex parte pœnitentis, vt si sit aliqua occupatio præcisa, vel morbus impediens confessionem: tum etiam ex parte confessoris, vt si non sit eius copia, quod contingit; vel quando non est confessor; vel difficilè, & nonnisi longo itinere confecto inueniri potest; vel quando etiamsi Parochus adsit, ille tamen est impeditus aliqua censura, in quo casu non potest ab eo peti sacramentum Confessionis: vel quando licèt confessor adsit, & non sit impeditus, tamen circunstantiæ aliquæ peccatorum explicari non possunt ob periculum diffamationis, aut vicæ. Est ergo difficultas, an siue quis ex culpa, siue sine illa non fuerit confessus semel in anno, teneatur eo elapso confiteri quamprimum possit.

75. In quo communis & certa Doctorum sententia est, obligationem huius præcepti non finiri elapso anno, sed adhuc esse obligationem confitendi, sicut est obligatio restituendi. Ita tenent Suarez & Vazquez vbi suprà, citatis multis aliis, & probatur argumento quo vtitur ipse Vazquez; quia Prælati ferunt excommunicationem in eos, qui transacto tempore debito non confitentur: hæc autem excommunicatio non est solùm pro peccato præterito; si enim hoc esset, posset tolli per absolutionem à Parocho, etiam extra confessionem: ergo cùm non possit tolli nisi confiteatur, signum est ferri pro peccato durante, donec homo satisfaciat obligationi confitendi. Secundò probatur ex dictis sect. præcedenti, vbi docuimus, terminum anni fuisse positum vt terminum executionis, hoc est, vltra quem non differatur: non verò vt terminum in quo si non fiat, non sit vltrà obligatio faciendi.

76. Obiicies, quia præceptum hoc tantùm est pro quolibet anno, ac proinde eo elapso finietur obligatio, & tantùm erit obligatio pro anno sequenti: veluti cùm quis omisit recitare horas Canonicas, non tenetur elapso die recitare ex obligatione præcedentis diei. Respondetur, duobus modis designari terminum ad aliquam actionem, vno modo quando actio præcipitur tanquam onus eius diei, ac proinde eo elapso finitur obligatio: alio modo, quando solùm præscribitur terminus dilationis vt vltrà differre non liceat, & tunc transacto tempore non finitur obligatio, & hoc modo impositum est præceptum confessionis, vt ex dictis sectione præcedenti magis constat.

Sectio IX.

Qualis confessio requiratur, vt impleatur præceptum annuæ confessionis.

77. DVbium esse potest, vel quando quis ob defectum dispositionis non absoluitur, vel quando est defectus doloris, vel integritatis confessionis ex parte pœnitentis, absoluitur tamen à confessore.

78. Et quod attinet ad primum, certum est, eum qui non absoluitur à confessore, vel quia est in publico peccato, vel in occasione peccandi quam deserere non vult, aut alia simili causa, non satisfacere præcepto confessionis, est communis Doctorum sententia, paucis exceptis. Et ratio est manifesta, quia Ecclesia in dicto capite *Omnis*, modificauit tempus diuini præcepti, quod vagè obligabat ad huius sacramenti receptionem; neque nouam legem imposuit, aut obligationem, sed determinauit tempus diuini præcepti: sed diuinum præceptum est suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ, vt constat materia & forma, neque aliter constare potest huius sacramenti ratio: ergo neque satisfacit Ecclesiæ, dum non accedit absolutio. Idem dicendum est, si fortè non absolueretur verè, sed tantùm fictè, licèt excusaretur pœnitens à peccato ex ignorantia inuincibili.

79. Contra communem hanc doctrinam sensit Richard. in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 8. Cano relect. de Pœnitentia parte 5. Victoria in summa num. 150. aliàs 163. verbo *Confessio*. Nituntur, quia in cap. *Quod quidam*, de pœnit. & remiss. Pontifex respondit, eorum confessionem admittendam, qui dicunt se à peccatis abstinere non posse. hoc autem argumentum valde infirmum est. nam Pontifex in eo capite non decernit admittendam esse eorum confessionem quasi illa impleatur præceptum, sed in eum finem vt corrigantur, & moneantur salutaribus documentis, & consiliis; quia paulatim Deo adiuuante ad confitendum idoneè, atque legitimè, disponantur.

80. Vt autem explicemus secundum, obseruandum est, in hoc præcepto confessionis duo præcepta distingui, & considerari; vnum negatiuum, alterum affirmatiuum: negatiuum est non suscipiendi indignè sacramentum; affirmatiuum verò recipiendi sacramentum, contra quod sola omissione peccatur. Et quidem certum est, confessione infirmi, & defectuosa culpabiliter, non satisfieri præcepto negatiuo de non accedendo indignè ad sacramentum, nisi forsan esset informis ex ignorantia inuincibili cum defectu doloris; tunc enim non fit contra hoc præceptum, etiamsi nullus dolor adsit, quia excusat ignorantia à transgressione. Solùm ergo supereſt difficultas de præcepto affirmatiuo, an per confessionem in qua etiam datur absolutio, tamen re vera caret effectu ob defectum dispositionis, impleatur præceptum illud affirmatiuum. In cuius difficultatis explicatione procedunt Doctores iuxta varias opiniones quas tenent circa confessionem informem; qui enim dicunt dari posse Pœnitentiæ sacramentum informe, validum tamen, censent ea confessione impleri præceptum affirmatiuum: at verò qui docent, non posse dari hoc sacramentum informe, & aliàs validum; pari ratione docent, confessione informi nequaquam impleri præceptum, siue sit informis ex defectu doloris, aut propositi, aut integritatis. Et quamuis secunda sententia valde probabilis sit, prima mihi probabilior videtur, quam infrà rationibus confirmabo.

81. Ex his infertur, quomodo iudicandum sit de pœnis contentis in cap. *Omnis*, contra eos qui non adimplent præceptum confessionis, aut communionis. nam in iure statuitur pœna priuationis Ecclesiasticæ sepulturæ, & vt arceantur ab ingressu Ecclesiæ: excommunicatio autem in iure non infertur, sed in nonnullis statutis Prouincialibus imponi solet: inter quas pœnas hoc est discrimen, quòd excommunicatio incurritur ipso facto; aliæ verò

Digitized by Google

verò nonnisi per iudicis sententiam, iuxta communem doctri nam.

82. Sed circa has pœnas obseruandum est, nullam istarum infligi propter defectum internum confessionis. nam illos interiores defectus Ecclesia punire non potest, vt dixi suprà; sed tantùm huiusmodi pœnæ imponuntur propter defectum externum confessionis, eo quòd non confitetur; in illa enim pœna infligenda Ecclesia aliter se habet, quàm in præcepto confessionis; in primo enim exercet actus iurisdictionis; in secundo verò minimè, sed tantùm determinat tempus: iurisdictionem autem in actus internos non habet. Similiter etiam non incurrit eas pœnas qui non confitetur integrè, etiamsi omittat exteriora peccata, quia, vt rectè Vazquez vbi suprà, defectus integritatis semper est internus; est enim defectus examinis, & diligentiæ, vel doloris: at si quis accederet ad sacramentum, & non absolueretur, incurret eiusmodi pœnas; quia absolutio est actus exterior, & cadit sub Ecclesiæ præcepto, quando præcipit suscipi sacramentum. Fallitur ergo Cano dum 5. parte relect. de Pœnitentia existimat, eum qui se sistit Confessario, etiamsi non absoluatur, non incurrere huiusmodi pœnas ex benigna interpretatione Prælatorum Ecclesiæ: non enim est aliquod fundamentum vnde eam benignam interpretationem colligamus, vt docent Vazquez, & Suarez locis citatis. Habet tamen verum eius doctrina in pueris qui eiusmodi pœnis non comprehenduntur, argumento textus in cap. 1. de delictis puerorum.

Sectio X.

De dolore ad hoc sacramentum requisito.

83. NOmine *doloris* comprehendimus etiam eius causam, nempe detestationem peccati propria voluntate commissi, seriam, & eo modo efficacem, vt suprà disp. de Contritione sect. 1. exposuimus. Huius acceptionis fundamentum est, tum Concilium Trident. sess. 14. cap. 4. vbi disputans de contritione ad hoc sacramentum requisita, dicit esse peccati detestationem cum pio animi dolore: tum etiam ratio, quia seria detestatio peccati proprij, non potest non coniungi cum dolore; sed necessariò eum infert: inde virtus peccati detestatrix, pœnitentia dicta est, quia pœnam habet adiunctam. Et prima sententia tenet absque vllo prorsus dolore, vel displicentia; imò cum actuali complacentia, & affectu peccandi, posse dari confessionem validam. ita videtur sentire glossa in cap. *Quod quidam*, de pœnit. & remiss. & in cap. *Quærat aliquis* §. finali, & in cap. *Si quis autem*. §. penultimo, de Pœnitentia distinct. 3. vbi non solùm glossa, sed etiam Gratianus satis expressè videtur dicere, valere sacramentum Pœnitentiæ fictè susceptum cum voluntate permanendi in aliquo peccato, sed non dari gratiam quousque recedat fictio per veram pœnitentiam subsequentem. Hæc tamen sententia communiter reiicitur, caput autem *quod quidam*, iam suprà expositum manet: alij autem textus non loquuntur de confessione, & absolutione sacramentali, sed de satisfactione operum pœnalium, quæ possunt imponi his, qui cum proposito peccandi accedunt ad confessionem, vt per talia opera disponantur ad veram pœnitentiam.

84. Secunda sententia, quamuis neget posse dari confessionem validam cum actuali complacentia peccati, existimat tamen posse consistere sine formali displicentia illius: si enim quis confiteatur integrè omnia sua peccata, & absoluatur, licèt negatiuè se habeat quoad hoc quod est complacere, vel displicere de peccatis; videlicet, quia neque complacet, neque displicet formaliter; nihilominus recipiet verum sacramentum Pœnitentiæ, imò & gratiam, quia ipsa voluntaria susceptio absolutionis, sine obice peccati actualiter voliti, est quædam virtualis attritio, quæ sufficit vt virtute sacramenti gratiam consequatur. Ita Syluest. verb. Confessio 1. quæst. 11. tribuitur etiam, sed immeritò, Scoto in 4. dist. 14. quæst. vltima. Solet etiam tribui Angelo verb. Confessio 1. §. 27. & Rosell. ibidem §. 4. Sit ergo

85. Prima conclusio, vt confessio sit valida, non sufficit negatiuè se habere, neque complacendo, neque displicendo; sed omnino requiritur formalis displicentia, & dolor peccatorum. Ita communiter Doctores. Et probatur, quia Trident. sess. 14. cap. 3. & 4 postquam distinguit, contritionem esse partem sacramenti Pœnitentiæ, statim explicat eiusmodi contritionem importare animi dolorem, & detestationem peccati: sed qui merè negatiuè se habens confitetur peccata, non dolet verè & propriè: ergo neque habet detestationem, nec dolorem necessarium, ad essentiam sacramenti, & ad eius effectum percipiendum. Et confirmatur, quia contritio, vt suprà docuimus, est pars essentialis, & requisita ad essentiam huius sacramenti: ergo contritio, seu dolor expressus, necessariò requiritur ad percipiendum effectum huius sacramenti; hic enim non causatur nisi ab ipso sacramento essentialiter perfecto.

86. Secunda conclusio. Non requiritur contritio perfecta, sed sufficit ista, vel attritio etiam cognita vt talis. Ita communiter Recentiores omnes cum Suario disp. 20. sect. 1. & Vazquio quæst. 92. art. 1. dub. 2. & deducitur ex Tridentino dum de contritione imperfecta, seu attritione loquens, sic ait. *Quamuis sine sacramento Pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem; tamen eum ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam, disponit.* Intellige vltimò, & infallibiliter. nam extra sacramentum etiam disponit, sed non proximè, & infallibiliter. Deinde, quia pœnitentia, & Baptismus, sunt sacramenta per se instituta ad suscitandos mortuos: at si contritionem perfectam prærequirerent, nunquam possent mortuos suscitare, cùm iam supponerent contritione suscitatos. Trident.

87. Quòd denique sufficiat attritio vt talis, constat eadem ratione, quia prædicta sacramenta sunt per se instituta ad mortuos suscitandos: ergo qui se videt mortuum per peccatum mortale, & cum sola attritione, licitè potest velle per sacramentum suscitari: ergo non est opus vt credat se esse contritum, seu contritione viuum. Ex quo infertur, ad sacramentum Pœnitentiæ non requiri eam attritionem, quæ existimetur perfecta contritio: hæc enim, vt rectè Hurt. disp. 6. diff. 3. nec est dispositio ad effectum huius sacramenti, quia cùm sit error quidam, indecens esset quòd à Christo institueretur dispositio ad gratiam sanctificantem; nec potest perficere attritionem cùm sit error; nec denique excusare pœnitentem à peccato, eo quòd non accedat contritus; quia tale præceptum non datur, cùm sit sacramentum mortuorum, non viuorum.

88. Obiicies, qui scit se esse attritum, & non contritum, accedit cum conscientia peccati mortalis; ergo

ergo ponit obicem gratiæ; quandoquidem peccatum mortale repugnat gratiæ. Respondetur negando consequentiam, quia ille solus dicitur ponere obicem gratiæ sacramento, qui accedit cum dispositione repugnante effectui, ad quem primò, & per se, ordinatur sacramentum; conscientia autem peccati mortalis non repugnat remissioni ipsius peccati, ad quam tanquam ad proprium effectum, primò, & per se, ordinatur Pœnitentiæ sacramentum: id quod repugnat remissioni peccatorum est propositum, vel voluntas peccandi mortaliter, & ideo ad dignè recipiendum hoc sacramentum, necessariò prærequiritur quòd pœnitens habeat veram attritionem, quæ excludit omne propositum, & voluntatem peccandi mortaliter.

89. Vnde fit, ad effectum huius sacramenti non sufficere eam attritionem, qua pœnitens dolet, se non habere dolorem peccatorum, quidquid dicant Nauarr. cap. 21. num 18. & Sà verb. Contritio. Nam, vt recte Vazquez dub. 3. quem sequitur Hurt. diff. 4. ex Tridentino, vt diximus, ad effectum huius sacramenti requiritur dolor formalis de peccatis: dolor autem de defectu, seu carentia doloris, non est dolor, nec expressè, vt ex se patet, nec virtualiter, quia carentia illa doloris, seu dolor de tali carentia, non continet virtualiter dolorem de peccato cùm sufficiens non sit, nec efficax ad excitandum dolorem de peccato.

90. Tertia conclusio. Dolor debet esse de omnibus lethalibus à quibus pœnitens non fuit antea directè absolutus; ac proinde in hoc delinquere erit culpa lethalis. Prior pars patet, quia præceptum confitendi, & directè subiiciendi peccata lethalia clauibus, est præceptum ea confitendi cum vero ipsorum dolore. Posterior pars etiam constat; tum, quia in re tam graui deficere, est transgredi grauem obligationem: tum etiam, quia vel tunc impeditur sacramenti veritas, vel saltem valor actualis, siue effectus, iuxta varietatem opinionum: vtrumque verò est grauiter iniurium sacramento.

91. Ex quo infertur, eum qui confitetur venialia sola, vel simul cum lethalibus, non peccare lethaliter; in priori casu licet non afferat dolorem omnium venialium quæ confitetur; nec in posteriori licet nullius venialis afferat dolorem, quia sicut voluntarie confitetur de illis; sic absque lethali culpa, potest de quibusdam venialibus in priori euentu dolorem habere, & alia superfluè narrare, & in altero euentu detestari sola lethalia, cuncta verò venialia superfluè exponere.

92. Quarta conclusio. Prædictus dolor non est necesse vt præcedat confessionem, sed satis esse si ipsam sequatur ante absolutionem. Est de mente Suarij disp. 20. sect. 4. & fere omnium Doctorum; quia licet confessio sine dolore facta, nec sit sacramentalis, nec accusatio; tamen per subsequentem dolorem informata & subiecta clauibus, & accusatrix, & sacramentalis est.

93. Contra hanc conclusionem opinatur Ægidius disp. 4. dub. 6. vbi censet, dolorem huic sacramento necessarium, debere esse priorem, non solùm natura, sed etiam tempore confessionis: quia hæc debet esse signum doloris; actus verò externus non potest esse signum interni, quem non supponit. Deinde, quia cùm dolor fiat in instanti, & confessio in tempore, necesse est vt dolor si prior est, tempore prior sit.

94. Sed fortè in hac re Ægidius non differt nisi in modo loquendi à nostra sententia. nam certum est posse inchoari confessionem, imò cuncta peccata prius tempore aperiri, quàm existat ipsorum dolor: nam omnibus iam expositis solet pœnitens ad contritionem à confessario moueri. Præterea rectè procedit in hoc negotio, si facta priùs omnium peccatorum explicatione, & postea concepta contritione, postremò dicat pœnitens, se dolere de omnibus peccatis priùs expositis, & illorum veniam petere. nam hoc dictum est accusatio supponens, & indicans contritionem Vlteriùs quamuis expositis absque contritione cunctis criminibus, & concepta deinde contritione, nihil dicat pœnitens, sed solùm percutiat pectus, vt fieri solet, videtur rectè procedere, quia illa pectoris tunsio, est vera accusatio; vtpote doloris effectus, & index.

Obicies, quia si tota sensibilitas contritionis prouenit ex confessione, per quam ostenditur, & exprimitur dolor internus, sequitur manifestè, si pœnitens nondum habuit dolorem eo tempore quo peccata confitetur, eiusmodi dolorem esse non posse partem huius sacramenti. Respondetur, in eo euentu contritionem fieri sensibilem per ipsam confessionem præcedentem, ad quod non requiritur quòd confessio sit effectus doloris. nam eo ipso quòd pœnitens defert sua peccata in ordine ad absolutionem, ostendit quod dolebit de peccatis ante absolutionem, quod sufficit ad valorem huius sacramenti: itaque dolor postea elicitus, factus est sensibilis per confessionem præcedentem, quæ illum vt futurum significabat, non vt causa per suum effectum, vt vult Ægidius; sed vt effectum voluntatis à qua oritur confessio: cùm enim hæc procedat à voluntate suscipiendi sacramentum, & hæc voluntas inferat positionem doloris necessarij, sequitur vt confessio significet dolorem, propter connexionem cum ipso, tanquam cum effectu eiusdem causæ, videlicet eiusdem voluntatis suscipiendi sacramentum, vt rectè docet Lugus disp. 14. sect. 2. num. 22. Ex his 95.

Infertur primò, ad remissionem venialium in confessione, quæ tantùm fit de venialibus, requiri verum dolorem de illis: vnde confessio facta absque dolore efficaci, saltem alicuius venialis, in eo euentu non habebit effectum, aut valorem: partes enim essentiales huius sacramenti sunt contritio, & confessio; ac proinde sine vero, & efficaci dolore, sacramentum hoc constare non potest. 96.

Secundò infertur, esse peccatum mortale confiteri sola venialia absque vllo dolore: aliàs si hoc non esset culpa grauis; nec esset culpa lethalis, reddere scienter irritam formam huius sacramenti, quod est absurdum. 97.

Sectio XI.

An detur confessio, seu sacramentum validum, sed informe.

Difficultas procedit, an detur Pœnitentiæ sacramentum validum, & ob defectum aliquem informe. Pro quo notandum est, sacramentum validum dici, quod constat partibus essentialibus cunctis: informe verò quod non confert actu gratiam sanctificantem. Quas duas rationes validi, & informis, facilè reperies in sacramento Baptismi: si enim quis seriò baptizari velit, & retineat animum peccandi lethaliter, verum Baptismi sacramentum recipit; non tamen eius gratiam. Est ergo difficultas, an idem contingere possit in sacramento Pœnitentiæ. Et prima sententia, quæ satis probabilis 98.

est,

Digitized by Google

est, absolutè censet, in nullo euentu posse dari verum Pœnitentiæ sacramentum, & informe. Ita ex Recentioribus, Vazquez quæst. 92. art. 2. Ægid. disp. 4. dub. 11. Laym tract. 6. cap. 9. Præpositus q. 2. dub. 6 Turrian. disp. 28. dub. 1. Sit tamen

99. Prima conclusio. Confessio, seu sacramentum Pœnitentiæ, potest esse validum in ratione sacramenti, & informe ex defectu doloris, extensiuè. Ita D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. & plures alij, & ex Recentioribus Suarez disp. 20. sect. 5. Philuc. tract. 7. quæst. 11. Tannerus quæst. 7. dub. 5. Hurt. disp. 6. diff. 8. Lugus disp. 14. sect. 6. Explicatur priùs conclusio. Quia licèt nunquam detur contritio valida, & informis, ob defectum intensiuum attritionis: quia hi defectus, siue sit culpabilis, siue inculpabilis, semper est defectus substantialis in hoc sacramento; ac proinde confessio, & absolutio nulla. Tamen fieri potest, vt defectus sit in ipsa attritione extensiuè, vt si quis habens duo peccata mortalia, v. g. furti, & odij, immemor inuincibiliter vnius accedat ad sacramentum, & quod tantum habeat dolorem alterius, quod confitetur ex peculiaribus motiuis, v. g. ex turpitudine peccati illius, vel ex aliis, sufficientibus tamen ad valorem sacramenti, iuxta superiùs dicta: talis dolor nullo modo extenditur ad peccatum mortale oblitum, & nondum remissum. In quo euentu certum est sacramentum Pœnitentiæ non posse habere effectum in præsenti, quia vnum peccatum mortale sine alio remitti nequit; sed illud de qua pœnitentia nullo modo habetur, non remittitur: ergo neque aliud. in eo ergo euentu dabitur sacramentum validum in ratione sacramenti; informe verò, quia non consequitur gratia huius sacramenti.

100. Quod sic ostenditur, quia ad essentiam sacramenti Pœnitentiæ tantùm requiritur ex parte pœnitentis, quod confiteatur integrè omnia peccata quorum memoriam habet, cum dolore ipsorum peccatorum, & cum proposito non peccandi de cætero; nihil enim aliud petitur in Florentino, & Tridentino ex parte Pœnitentis: sed stat aliquem sic confiteri, & quòd nihilominus gratiam non consequatur virtute absolutionis, vt in casu adducto: ergo potest dari confessio informis. Et confirmatur, quia dolor qui requiritur vt dispositio ad effectum, seu gratiam sacramenti, non requiritur ad essentiam, & valorem illius. quod sic ostendo, quia ad essentiam & valorem sacramenti, sufficit quòd sit eorum mortalium, quorum fit confessio, non tamen requiritur quòd sit aliorum quorum non fit confessio, ob obliuionem naturalem, seu inuincibilem; non enim peccat in non dolendo de omnibus prudenter credens non habere alia peccata mortalia, nisi ea quæ confitetur: at ad effectum huius sacramenti requiritur dolor omnium peccatorum nondum remissorum, quia in hoc sacramento vnum peccatum non remittitur sine alio; neque remittitur absque proprio, & expresso actu pœnitentiæ, saltem virtualiter tendente in illud, & ob motiuum illud comprehendens: ergo ex defectu doloris extensiuè, potest dari sacramentum Pœnitentiæ validum, sed informe.

101. Obiicies primò ex hoc sequi, si pœnitens in eo casu moriatur cum illo sacramento valido, fore damnandum, quod certè videtur nimis durum; cùm illud sacramentum informe sit absque eius culpa. Respondetur concedendo sequelam, in quo casu nihil est durum, nec damnaretur homo propter culpam in confessione commissam, sed propter peccatum præteritum, quod dum per verum remedium non tollitur, iustissimè infert pœnam æternam.

102. Obiicies secundò, quia ad valorem huius sacramenti requiritur, vt forma sit vera, ac proinde vt homo reconcilietur Deo, eique peccata remittantur: non potest autem homo reconciliari quando caret contritione sufficiente. Maior constat, quia ad valorem cuiuslibet sacramenti, requiritur veritas formæ, seu significationis: forma verò huius sacramenti est, *Ego te absoluo*, quæ habet pro suo formali significato reconciliationem hominis, seu remissionem peccatorum quæ ipsi fit; id autem falsum esset, si daretur verum, & validum sacramentum, & adhuc homo remaneret ligatus, & peccator. Respondetur, formam illam non esse falsam in eo euentu, quia Sacerdos per eam solum significat, se impendere sacramẽtum remissiuum peccati, quamuis non sequatur actualis remissio, propter subiecti indispositionem. Et falsitas huius argumenti apertè conuincitur in sacramento Baptismi, in quo eisdem verbis profertur forma, *Ego te baptizo*, & sæpe in adultis non sequitur actualis ablutio, propter indispositionem subiecti, donec obex tollatur.

103. Denique obiicies, quia ad essentiam, & valorem huius sacramenti, requiritur dolor qui efficaciter tendat ad reconciliationem hominis cum Deo: hæc autem voluntas reconciliationis cum Deo, implicitè includit auersionem ab omni peccato mortali; quia omnis amor efficax alicuius boni continet implicitè detestationem mali contrarij, vt videre est in actu perfectæ charitatis, qui virtualiter continet detestationem omnium peccatorum mortalium, quamuis homo eorum non recordetur; quia ille actus stare non potest, cum actuali affectu ad peccatum mortale; sed voluntas efficax reconciliationis cum Deo, non potest stare cum affectu ad peccatum: ergo continet implicitè detestationem omnium mortalium: ergo hæc etiam sufficiet ad effectum huius sacramenti. Respondetur negando, voluntatem illam semper includere virtualiter detestationem omnium peccatorum, sed tantùm continere illam detestationem per modum imperij, & causæ: sicut eodem modo continet alios actus necessarios, non tamen continet in se perfectionem illorum, virtualiter, & æquiualenter: actus autem dilectionis Dei super omnia, non solùm per modum imperij continet detestationem omnium peccatorum, sed implicitè versatur circa ipsummet obiectum detestationis, quia amare Deum super omnia, est ipsum præferre omnibus aliis rebus, & consequenter velle potius iacturam omnium, quàm ipsi displicere, quod totum continetur implicitè in illo actu dilectionis Dei super omnia, circa quæ omnia versatur tanquam circa obiectum implicitum; ac proinde, ille actus æquiualenter est dolor de peccatis, ad cuius obiectum implicitè terminatur: desiderium verò reconciliationis cum Deo, quamuis velit implicitè actus necessarios ad eam reconciliationem, non tamen versatur circa obiectum ipsorum actuum. Quod amplius declaratur manifesto exemplo. nam qui vult saluari, vult implicitè seruare præcepta omnia, quorum vnum est dilectio Dei, & tamen ille amor salutis, non est æquiualenter dilectio Dei super omnia, vt constat: aliàs iustificaret, etiam extra sacramentum. Ita rectè & doctè Lugus disp. 14. sect. 6.

104. Secunda conclusio. Ex solo defectu integritatis, nunquam confessio potest esse valida, & informis. Probatur. nam is defectus accidit ex ignorantia vincibili à peccato mortali non excusante, & in eo

Digitized by Google

euentu non tantùm erit informis, ſed etiam nulla, & repetenda; vel accidit ex ignorantia inuincibili, & naturali obliuione peccatorum, quia poſt diligens examen memoriæ non occurrunt, in quo caſu illa confeſſio non tantùm erit valida, ſed etiam fructuoſa: ergo ex defectu integritatis nunquam datur confeſſio valida, & informis.

105. Tertia concluſio. Confeſſio non tantùm poteſt eſſe informis ex defectu doloris, ſed etiam ex defectu fidei, & ex defectu actus ſpei veniæ peccatorum. Ita Hurt. vbi ſuprà. Probatur, quia hoc ſacramentum poteſt recipi validè abſque nouo actu fidei diuinæ, & abſque nouo actu ſpei veniæ, poſt aliud ſacramentum Pœnitentiæ priùs ſuſceptum: ſed in eo euentu non confert gratiam, quia quoties nouiter recipitur, requiritur tanquam noua diſpoſitio actus illæ fidei & ſpei: ergo. Maior probatur, quia illi actus non ſunt partes eſſentiales huius ſacramenti ex vna parte, & ex altera poteſt recipi abſque illis non peccando mortaliter in eorum omiſſione, vel ex ignorantia inuincibili, vel ex inconſideratione, aut cum inconſideratione naturali neceſſitatis eorum ad effectum ſacramenti: ergo ex defectu illorum actuum, poteſt dari hoc ſacramentum validum, & informe.

106. Quarta concluſio. Quando hoc ſacramentum fuit validum, & informe, poſtea ablato obice cauſat ſuum effectum. in quo meo videri minus conſequenter loquutus fuit Hurt. tum, quia eo ipſo quòd ſacramentum validum fuit, eſt ei quodammodo debitum, vt ſubſequuta ſufficiente diſpoſitione, ſuum ſortiatur effectum. Tum etiam, quia alias confeſſio illa poſtea repetenda eſſet quoad ea peccata de quibus dolor ſufficiens præceſſit, quod eſt contra praxim fidelium, qui ex Chriſti præcepto, ſolùm obligantur ad confitenda ſua peccata mortalia confeſſario legitimo intra hoc ſacramentum. tollitur autem obex, tum per contritionem, ſeu confeſſionem eius peccati, de quo nullus dolor ſuſceptus eſt; tum etiam per attritionem, ſi nullum peccatum mortale denuo commiſſum fuerit.

Sectio XII.

De propoſito, & examine prærequiſito ad confeſſionem.

107. CIrca primum duæ videntur eſſe extremæ ſententiæ, prior eit affirmans, æquè neceſſarium eſſe propoſitum, aut dolorem: quod ſentit Medina codice de Confeſſione. Poſterior ſententia nec virtuale propoſitum requirit, quod videtur apertè ſentire Soto diſt. 17. quæſt. 1. art. 2. dum ait. Confeſſionem nunquam eſſe fictam ex defectu propoſiti; ſi tamen pœnitens ſuum defectum confiteatur.

108. Sit tamen concluſio. Propoſitum ſaltem virtuale eſt de eſſentia huius ſacramenti. Probatur, quia abſoluta, & efficax deteſtatio peccati eſt de eſſentia huius ſacramenti: conſtat autem huiuſmodi efficacem deteſtationem, includere ſaltem virtuale propoſitum nunquam ſimile committendi. Dixi *ſaltem*, quia ſi confeſſio ſit de peccatis mortalibus, & aliquis ſciens, & videns, non habeat tale propoſitum, & in ea diſpoſitione velit abſolutionem recipere, ſine dubio grauiter peccat, & conſequenter ſacramentum ſit nullum. Nec refert, quòd ſuum defectum confiteatur, quidquid Soto dicat, quia illa confeſſio ſit cum actuali complacentia, vel commiſſione peccati mortalis, & ex hac parte eſt omnino nulla. Tum etiam, quia qui videt ſe non habere propoſitum, & non vult illud efficere, ſignum eſt, nec propoſitum virtuale habere.

109. Adde, formale propoſitum non videri tam neceſſarium, quàm formalem dolorem. Vnde ſi quis bona fide verè deteſtetur peccatum quod confitetur, & non aduertat ad formale propoſitum in futurum, ita vt in omittendo non peccet, exiſtimo ſacramentum eſſe validum, & conferre ſuum effectum, & ſufficere propoſitum virtuale in dolore incluſum. Nec obſtant verba Conciliorum Florentini, & Tridentini, quæ exigunt cum dolore propoſitum non peccandi, quia intelliguntur de propoſito formali, vel virtuali, vt colligitur ex eodem Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. vbi loquens de attritione, non tam expreſsè requirit formale propoſitum, ſed ſolùm dolorem illum, qui voluntatem peccandi excludat: prædictus autem dolor re vera excludit hanc voluntatem, cùm includat virtuale propoſitum contrarium; ac per conſequens id quod ſuperiùs in eodem capite dictum fuerat, contritionem eſſe dolorem, ac deteſtationem de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero, debet intelligi de propoſito, ſiue formali, ſiue virtuali, incluſo in eodem actu doloris.

110. Circa ſecundum, certum eſt, ad confeſſionem peccatorum præſupponendum eſſe diligens eorum examen, quia eo ipſo quòd confeſſio integra omnium mortalium eſt ſub præcepto, ſub eodem præcepto cadit, & eſt neceſſaria diſcuſſio, & examen ad confeſſionem, quæ moraliter integrè fieri nequit, abſque prædicto examine. Et quamuis non poſſit aſſignari certa aliqua regula qua cognoſcamus, quando examen ſit ſufficiens, necne? tamen communiter Doctores affirmant, requiri, & ſufficere illud examen quod ſolet fieri à viris prudentibus, & mediocriter timoratis; aut quale fieri ſolet à viris prudentibus in re graui, in quo habenda eſt ratio temporis à quo pœnitens non eſt confeſſus, perſonæ, & modi viuendi ipſius, rudiores enim non ſunt obligandi ad tam exactum examen: imò pœnitens tam rudis eſſe poteſt, vt ad nullum examen obligetur; quia experientia conſtat, quòd ſi ſemel & iterum remittatur, poſt examen vix quicquam explicatius poſſit confiteri, in quo euentu eius defectus ſupplendus eſt à Confeſſario ſuis interrogationibus. Itaque in hac re ſufficit prudens examen, & diligens, quale in re graui fieri ſolet, & euitandi ſunt ſcrupuli, & nimia anxietas. nam, vt notat Diana tract. 3. Miſcel. reſol. 46. in perſcrutanda conſcientia, & numero peccatorum ante confeſſionem, poſſunt ſcrupuloſi peccare venialiter adhibendo nimiam anxietatem, & maiorem curam, quàm oporteat: quia ex D. Thoma in omni virtute morali, non ſolùm per defectum, ſed etiam per exceſſum peccatur. Nec eſt neceſſe peccata mortalia ſcribere ei qui lubricam, & debilem habet memoriam, quamuis timeat, aut certò ſciat aliquorum ſe oblitum; quia, vt docent communiter Doctores, ſolum eſt præceptum præmittendi examen ante confeſſionem, non verò conſeruandi memoriam peccatorum, quamuis ea diligentia dummodo non ſit ſcrupuloſa anxietas, laudanda potius ſit, quàm reprobanda.

***

Digitized by Google

SECTIO XIII.

An sacramentalis confessio debeat esse sensibilis, verbalis, & secreta.

111. PRima conclusio. Confessio debet esse sensibilis. Ita omnes Doctores, quia est criminis accusatio, & probatio, quam apud humanum iudicem sensibiliter fieri omnino necesse est ad sententiæ valorem. Accedit, quòd absolutio sensibilis est, ac proinde sensibilis debet esse accusatio. Cùm vel vnum sacramentum, vel saltem vnam iudicialem actionem, ambæ intrinsecus componant.

112. Secunda conclusio. Confessio potest validè fieri sine verbis per nutus, scripturam, aut alia signa, quamuis non sint vocalia. Ita Doctores communiter, & colligitur ex Concilio Arausicano I. sub Leone I. cap. 12. vbi asseritur, *obmutescentem si nutibus confiteatur, absoluendum esse.* Et ratio est, quia voces ac verba, non requiruntur essentialiter ad sacramenti valorem; tum etiam, quia nutibus, aut aliis signis, potest peccator sua peccata sufficienter exprimere Confessario. Et confirmatur ex vsu sæpiùs confitendi per alia signa ab Ecclesia recepto: muti etiam ad sacramentum Pœnitentiæ admittuntur. Nec obstat, quòd Concilium Florentinum exigit oris confessionem. nam his verbis solùm intelligit confessionem sensibilem, & ideo Tridentinum, vt omnem ambiguitatem tolleret, relicta particula *oris* solùm posuit confessionem. Nec item obstat cap. *quem pœnitet*, de pœnitentia quæst. 1. vbi dicitur, Confessionem non deberi scripto fieri: vult enim non fieri licitè, si absit necessitas. Nec demum obstat, quòd absolutio nequeat validè nisi per verba conferri. nam de absolutione id constat ex Ecclesiæ doctrina, & traditione; de confessione verò constat oppositum.

113. Inquires, an & quale peccatum sit, relictis verbis per alia signa confiteri. Respondetur primò, si nulla sit necessitas, aliquod esse peccatum, vt significatur in supradicto cap. *quem pœnitet*, distinct. 1. quia contra prohibitionem canonicam non scriptam, sed consuetudine introductam, & conformitatem inter absolutionem & confessionem id fit, & quia omisso medio omnium aptissimo, aliud minus aptum substituitur. Respondetur secundò, si adsit physica necessitas, vt si Confessarius sit surdus, aut pœnitens mutus, aut alter alterius linguam ignoret; vel si adsit necessitas ferè physica, vt si ægroto valde difficile, vel nociuum sit verba formare, nullam esse culpam, vt ex consuetudine, & per se constat. Respondetur tertiò, si quis pro verecundia magnam sentiat difficultatem confitendi proprio ore sua peccata, non fore culpam lethalem aliis signis vti. Sic Doctores communiter, quia non maiori cum rigore lex Ecclesiastica intellecta, vel consuetudo introducta est.

114. Quid verò dicendum sit, si nulla sit necessitas, vel difficultas. Respondet Suarez, & plerique Recentiores esse culpam lethalem, quia lex ecclesiastica, vel consuetudo tenet, vt absque prædictis causis non fiat confessio nisi verbis, & alioqui materia grauis est. Durius tamen id apparet, quia non videtur esse res magni momenti, nec magnæ deordinationis, præsertim si fiat, vt ponimus, secretè inter pœnitentem & confessarium, & hic per talia signa perfectè noscat statum pœnitentis. Et confirmari potest, quia matrimonium absque necessitate relictis verbis contrahere per alia signa omnino certa, si scandalum absit, solum est culpa venialis: ergo & similiter confiteri.

115. Dices, discrimen esse. nam contractus matrimonij non est à Christo institutus, sed eo modo quo ciuiliter est validus, eleuatus est ad rationem sacramenti: at peccatorum confessio immediatè à Christo instituta est. Contrà primò. Quia non est determinatè instituta in verbis, (*aliàs sine illis non valeret*,) sed in signis aptis ad exprimendam proprij criminis accusationem; sicut matrimonium in contractu ciuiliter valido: ergo nullum est discrimen. Contrà secundò. Quia merum contractum matrimonij, qualis est inter infideles, non celebrare per verba peccatum est, licèt veniale; aliunde verò signa ipsa sunt apud fideles totum sacramentum, & tamen istud constituere in signis non verbalibus, non est culpa lethalis: ergo cùm confessio in nulla opinione probabili, sit totum sacramentum, & in opinione satis probabili, nec sit sacramentum, nec pars sacramenti, sed aliquid ad sacramentum essentialiter prærequisitum, non erit culpa grauis, confessionem non constituere in verbis, sed in nutibus, literis, aliisve signis accommodatis: quin potiùs plures fortasse confessarij docti, prudentes, ac timorati, tales confessiones non reiiciunt.

116. Illud contra quosdam aduertendum, cùm quis per scripturam confitetur, non esse opus vt confessarius audiente pœnitente legat peccata, & multo minus vt pœnitens ad cuiusque prolationem fateatur se illud commisisse, sed sufficienter satisfacit suo debito, qui data priùs scriptura sacerdoti, in qua continentur peccata, vt eam legat, post illam lectam subiungit verbaliter, de his omnibus me accuso; sic enim iam ore confitetur quantum satis est: imò ipsa chartæ traditio ex intentione vt à confessario legatur in ordine ad sacramentum sequuta in confessario lectione, videtur satis sufficiens accusatio, quod certè non est omnino improbabile.

117. An verò teneatur quis peccata mortalia per scripturam confiteri, vel quia pœnitens mutus est, vel quia confessarius surdus, negant aliqui, quia in isto modo confitendi datur periculum manifestationis: in articulo tamen mortis dicunt teneri, quia periculum manifestationis potest vitari, tum scribendo species peccatorum in vna charta, in alia numeros, & postea digito indicando speciem peccati, & numerum; tum scribendo coram sacerdote, & statim lacerando. Probabilius tamen est, habentem peccata mortalia teneri ea confiteri per scripturam, aut etiam per nutus, quando ea aliter explicare non potest, etiam extra articulum mortis, & ita tenent communiter Recentiores cum Vazquio quæst. 91. art. 4. dub. 5. Tum ob rationem factam à contrariis. nam semper illo modo vitari potest tale periculum. Tum etiam, quia re vera in modo confitendi per scripturam, aut nutus, nihil, vel parum periculi est quod non sit in confessione verbali, quia eodem modo pœnitens potest timere ne Sacerdos reuelet peccata, sicut timet ne retineat scripturam & ostendat aliis.

118. Tertia conclusio. De ratione sacramentalis confessionis non est vt secretò fiat. nam Tridentinum sess. 14. cap. 5. declarat, Christum non vetuisse quin peccator ad suam humiliationem, & suorum scelerum vindictam, & Ecclesiæ ædificationem, possit confiteri publicè: praxis etiam Ecclesiæ recipit confessionem quæ tempestate premente publicè

Digitized by Google

fit coram confeſſario, & quæ fit ab vno infirmo audiente alio, vel aliis, in eodem, vel proximo lectulo decumbentibus. Communiter tamen non expedit publicè confiteri, tum quia ſæpiùs generaretu: ſcandalum; tum quia licèt hoc abeſſet, in Eccleſia viget contraria conſuetudo, contra quam agere non licet.

119. Rogabis, an ex vi præcepti confeſſionis teneatur quis confiteri per interpretem. Et certum eſt ex vi præcepti eccleſiaſtici non teneri. & probatur ex cap. *Omnis vtriuſque*, vbi dicitur, quòd tenemur confiteri peccata noſtra ſolis ſacerdotibus, & ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. vbi dicitur, nos non teneri confiteri niſi ſecretò: confeſſio autem per Interpretem eſt publica, & non ſecreta. Et confirmatur, quia ſi ſcirem me aliquem auditurum, aut confeſſarium vni ſoli reuelaturum, non teneter confiteri: ergo neque per interpretem. Difficultas ergo procedit ex vi præcepti diuini, & communis ſententia negat, addit tamen in articulo mortis teneri peccatorem ex charitate erga Deum, vel erga ſe ipſum, & ex cura, & ſalute propria, ad habendam contritionem perfectam; vel ad confeſſionem quamuis publicam ſub diſiunctione, ad vnam videlicet, vel alteram, ne ex hac vita decedat in inimicitia cum Deo. Nec eſſe opus tunc peccata mortalia confiteri, ſed ſufficere aliqua venialia exprimere, & generatim omnia mortalia dicendo ſe confiteri alia omnia peccata, quibus fortè Deum offenderit: ſi autem tunc probabiliter exiſtimet ſe eſſe contritum, neque ad hoc teneri, quamuis tutius ſit.

120. Hæc tamen ſententia licèt valde probabilis ſit, propter auctoritatem tot Doctorum, mihi tamen contraria videtur probabilior, quam defendunt Sylueſt. & Can. apud Suarium ſect. 6. num. 2. & noniſſimè Lugus diſp. 15. ſect. 5. & ratio eſt, quia licèt præceptum diuinum non obliget ad confitendum peccata cum graui detrimento extrinſeco; ex confeſſione facta per Interpretem fidelem & prudentem, qui eodem modo obligatur ſecretò & ſigillo, ac confeſſarius non videtur illud detrimentum ſequi, niſi quòd peccata quæ aliàs nota eſſe deberent vni, manifeſtentur duobus, quod non videtur eſſe tanti ponderis, vt excuſet ab obligatione diuini præcepti, quia ſæpe habens peccatum reſeruatum abſoluitur ab inferiori, cum onere tamen comparendi poſtea coram ſuperiore, ac ei manifeſtandi.

121. Nec obſtat primò ex hoc argumento ſequi, non ſolùm in mortis articulo, ſed etiam quoties obligat præceptum diuinum, confeſſionem faciendam eſſe per interpretem. nam licèt hæc difficultas ſufficiat ad differendam confeſſionem, non tamen ſufficit ad omittendam ſimpliciter in articulo mortis, vbi ſalus æterna periclitatur, & abſque reuelatione nemini poteſt conſtare ſe habere contritionem, ſed tantùm habere probabilem exiſtimationem; ac proinde probabiliter poteſt de illa timere, & conſequenter nec excuſari à confeſſione facienda per Interpretem.

122. Neque iterum obſtat Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. vbi aſſeritur, obligationem non eſſe ex præcepto diuino ad publicam confeſſionem. Nam Concilium tantùm loquitur de confeſſione ſecreta, prout condiſtinguitur à publica: hæc tamen non eſt quæ fit per Interpretem eodem præcepto ſecreti, & ſigilli obſtrictum; ſicut confeſſio qua idem peccatum reſeruatum manifeſtatur inferiori, & ſuperiori, non eſt publica, ſed ſecreta.

SECTIO XIV.

An ſit peccatum lethale mentiri in confeſſione.

DVplex poteſt eſſe mendacium quod committitur in confeſſione; aliud circa circunſtantias non pertinentes ad confeſſionem; aliud verò circa materiam ipſam, quæ cum altera ſit neceſſaria, vt ſunt mortalia non confeſſa, & altera non neceſſaria, vt venjalia, & mortalia iam ritè confeſſa. De his omnibus declarandum eſt, qua ratione mendacium in confeſſione ſit peccatum mortale. 123.

Prima concluſio. Non eſt peccatum mortale negare aliquod peccatum lethale quod non pertinet ad confeſſionem præſentem, nec habet connexionem cum illa, nimirum ſi iam illud peccatum confeſſus eſt. Probatur, quia quando reus non iuridicè interrogatur negando delictum, & reſpondendo in ſenſu æquiuoco non peccat. nam ſolum ſignificat ſe non feciſſe ita vt teneatur in illo foro id fateri. Vnde mendacium circa materiam non neceſſariam, quando datur materia ſufficiens in quam cadat abſolutio, non eſt mortale, quia tali mendacio nulli fit iniuria, nec iudicis ius violatur, & aliàs forma ſacramenti non caret materia cui applicetur. Dixi, quando datur materia ſufficiens, quia ſi quis confiteretur aliquod veniale quod non commiſiſſet, ſi præter illud aliud non fuerit confeſſus, peccabit mortaliter, quia non datur vera materia cui forma abſolutionis applicetur. 124.

Secunda concluſio. Mendacium circa peccatum graue nondum confeſſum, vel mentiri in confeſſione imponendo ſibi mortale quod non commiſit, eſt peccatum mortale: imò lethale eſt mentiri circa peccatum mortale iam confeſſum, addendo aliquam circunſtantiam grauem. Probatur, quia in his omnibus fruſtratur iudicium confeſſoris in re graui, nam vel negat ſe commiſiſſe aliquod peccatum, & ſic non eſt integra confeſſio; vel affirmat quod non fecit, & ſic mutat iudicium confeſſarij in re graui. Præterea, quia in eo euentu forma abſolutionis partialiter falſificatur, quia fertur in omnia mortalia confeſſa; quorum pœnitens debet habere dolorem. Quo argumento ſimiliter probatur tertia pars concluſionis, videlicet mentiri circa peccatum mortale iam antea confeſſum, addendo aliquam circunſtantiam grauem, eſſe peccatum mortale, quia datur pro materia huius iudicij, & abſolutionis; ac proinde fruſtratur iudicium confeſſoris in re graui, & fit contra reuerentiam debitam ſacramento, quia eius forma falſificatur, quod eſt mortale. 125.

Tertia concluſio. Mentiri in confeſſione ſibi falsò imponendo veniale, quod pœnitens non commiſit, quando aliàs confitetur aliud peccatum quod verè commiſit, non eſt peccatum mortale. Probatur, quia poteſt quis abſque graui peccato exprimere in confeſſione aliquod veniale de quo non habet dolorem ſufficiẽtem, dummodo habeat de aliis quæ confitetur: ergo abſque peccato graui poterit ſe accuſare de aliquo veniali quod non fecit. Probatur conſequentia, quia ſicut nõ irrogatur grauis irreuerentia ſacramento, dicendo peccatum quod non eſt materia illius, ita neque dicendo peccatum falſum quod non poteſt eſſe materia ſacramẽti: vtrobique enim iam datur alia materia; cumque non ſit variatio, aut additio in materia graui, 126.

non

non variat notabiliter iudicium confessoris. Denique nec irritatur sacramentum, quia non obstat materiæ illius, quia non excludit materiam sufficientem, nec necessariam, vt constat: nec obstat veritati formæ absolutionis, hæc enim non est distributiua cadens super omnia peccata confessa, sed tantùm est indefinita, & cadens supra peccata vera confessa.

127. Inquires, num confiteri vni confessario primò omnia peccata mortalia, & deinde alteri venialia, sit peccatum mortale? Respondetur negatiuè, vt tenent communiter Recentiores omnes: imò neque est peccatum veniale, per se loquendo, si hoc facit vt seruet integram bonam famam apud ordinarium sacerdotem, & hoc semel, vel iterum faciat. Si verò ex industria habeat duos sacerdotes, quorum vni confiteatur semper peccata mortalia, & alteri venialia, vt minimum peccat venialiter, quia hæc cura propriæ æstimationis tendit ad hypocrisim, quia vult videri innocentior, quàm est. Notat autem Ægidius disp. 6. dub. 4. posse per accidens peccare mortaliter, quando mutat confessarium circa peccata mortalia, vt si hoc modo se exponeret periculo sæpiùs labendi in eadem peccata, & quærat confessarium qui non ponderet statum peccati, & sine vlla obiurgatione imposita leui pœnitentia statim absoluat: vel quia sæpiùs labitur, & quærit medicos qui ob ignorantiam status, & reincidentiæ, neque possint, neque velint efficaciter curare: ex his enim facilè colligitur non habere sufficientem dolorem, & ex eius defectu peccare sic confitendo peccata sua. Si verò eadem repetita venialia, velit nunc huic, nunc alteri confiteri, ratione erubescentiæ erga eumdem confessarium, sola imperfectio est.

Sectio XV.

An aperiri debeant in confessione omnia peccata mortalia, & ipsorum species, & numerus.

128. COnueniunt Doctores, non esse confitenda peccata quæ Baptismum præcesserunt, & sumitur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij definiente *deleri per Baptismum omnem culpam eius qui baptizatur, tam originalem quàm actualem, nisi in subiecto sit obex remissionis.* obice autem sublato, reuiuiscere Baptismum quoad effectum eiusmodi remissionis, in materia de sacramentis ostensum est. Idem constat ex Trident. sess. 14. cap. 2. Difficultas tamen est de peccatis quæ fiunt simul cum ipso Baptismo.

Florent.

129. In quo communis sententia docet cum D. Thoma, non esse confitenda mortalia si quæ prorsus committantur cùm Baptismus suscipitur. Ita sanctus Doctor 3. parte quæst. 69. art. 1. & probari potest ex Trident. loco citato, vbi solùm docet, Baptismum secundum esse necessarium fidelibus post primum Baptismum lapsis, vtique ad reparandos lapsus quos post Baptismum fecerint: ergo non ad reparandos lapsus Baptismum omnino comitantes, & nullo modo sequentes. Confirmatur, quia per Pœnitentiæ sacramentum solum deleri possunt peccata hominis baptizati, & Ecclesiæ subiecti, id est, quæ fiant ab homine iam baptizato, & Ecclesiæ subiecto; ac proinde secundùm aliquam prioritatem tali: sed peccata quæ purè comitanter se habent cum Baptismo, non sunt eo pacto hominis baptizati, & Ecclesiæ subiecti, vt per se patet: ergo non possunt per sacramentum Pœnitentiæ deleri.

130. Addunt tamen plerique Doctores cum eodem D. Thom. loco citato, peccatum ipsum indignæ susceptionis Baptismi necessariò confitendum esse, quia illud peccatum est natura posterius Baptismo, & consequenter est hominis iam baptizati, atque adeò Ecclesiæ subiecti. nam prius est baptizari, quàm indignè baptizari. quod sic ostenditur. Peccare suscipiendo indignè Baptismum, est ipsum impedire ne gratiam producat: sed prius natura est Baptismum suscipere, quàm ipsum impedire ne gratiam producat: ergo prius est Baptismum recipere, quàm peccare indignè recipiendo. Aliter probat hoc idem sanctus Doctor, quia scilicet Baptismus non habet vim remittendi peccatum illud quod ipsi directè opponitur, eumque ligat, & effectu priuat: ergo debet hoc peccatum remitti per sacramentum Pœnitentiæ.

131. Sed quidquid de hac re sit, speculatiuè loquendo, in praxi tamen certum est, omnia illa peccata debere explicari in confessione, quia nemini certò constare potest aliquod peccatum durasse tanto tempore antecedenti, & in instanti vltimo terminatiuo Baptismi esse terminata, nec continuata per aliquid temporis subsequentis; cùm nullus scire possit quando sacramentum Baptismi termipatum fuerit; nec quando desierit voluntas illa interior mala, quà positus fuit obex hoc sacramento; ac proinde ad minus vt materia dubia necessariò aperienda est in subsequenti confessione.

132. Prima conclusio. Per se necessarium est ad valorem sacramenti Pœnitentiæ confiteri eidem confessario omnia lethalia quæ post Baptismum peccator incurrit, & à quibus in hoc sacramento nondum fuit absolutus, est de fide 1. Ioan. 20. vbi sacerdotes constituuntur iudices necessarij, ad quos necessariò recurrendum sit pro venia peccatorum grauium per confessionem, nec potest assignari ratio cur per confessionem quorundam grauium, & non aliorum: ergo omnium. Idem constat ex Tridentin. sess. 14. cap. 5. definiente, *eos qui aliqua mortalia scienter in confessione celant,* Trident. *nihil diuinæ bonitati remittendum proponere.* quasi dicat, non recipere verum sacramentum. Denique, quia cùm Sacerdos iudex sit, necesse est vt perspectam habeat causæ grauitatem. Dixi *per se loquendo.* nam per accidens validum erit sacramentum omisso scienter aliquo peccato graui, vel per ignorantiam inuincibilem obligationis ipsum aperiendi; vel in casibus vbi non est obligatio faciendi confessionem integram materialiter, vt infrà declarabitur. Dixi etiam *eidem confessario,* quia cùm vnum graue non remittatur sine alio, sicut omnia ab vno sacerdote remittenda sunt, sic eidem aperienda.

133. Secunda conclusio Necesse est confiteri species omnes peccatorum morales, non verò physicas, quando non mutant moralem, videlicet quòd occisio facta sit gladio, aut quòd facta sit veneno. Ita communiter Doctores, & colligitur ex Tridentino citato, dum absolutè nulla adhibita exceptione, decernit omnes species peccatorum esse confitendas. Et ratio est, quia non cognita specie peccati, non potest causæ grauitas dignosci, nec pœnitentia quam oportet poterit à Sacerdote pro illis imponere. Neque obstat quòd multi pœnitentes ignorant species peccatorum, quia in eo euentu satisfaciet si factum nartet.

134. Tertia concluſio. Actus externus peccati confitendus eſt. Probatur, quia quidquid ſit an formalis malitia ſolùm conſiſtat in actu interno, & ex eo deriuetur ad externum; actus tamen externus iungitur cum illa, & cum ea facit vnum peccatum, & non eſt ſola circunſtantia, & ferè ſemper mutat notabiliter ſtatum pœnitentis, & cum eo fit homo procliuior & promptior ad malum, & ad applicandam medelam neceſſe eſt illum explicare. Vbi nota, externo actu explicato, manere etiam internum explicatum; ſicque communiter ſolum externum tenemur confiteri, niſi internus ratione intentionis, vt ſi quis furetur, vt fornicetur, aut ratione alterius circunſtantiæ, habeat ſingularem deformitatem.

135. Inquires, quid ſit faciendum cum homine rudi qui non confitetur niſi quædam generalia. Reſpondetur, ſi ſit verè attritus, & verè apprehendat ſe peccaſſe, abſoluendus eſt: communiter tamen & extra neceſſitatem non eſt abſoluendus, quia eo ipſo quòd non confitetur aliquod peccatum in particulari, ſufficienter intelligitur non apprehendiſſe quid ſit peccatum, maximè cùm interroganti de rebus in particulari, in quibus regulariter datur peccatum, ad minus veniale, vt de diſtractione in oratione; ipſe tamen ſemper reſpondet, in nulla re illarum peccaſſe, quapropter neque attritionem habere poteſt.

136. De circunſtantiis verò tam aggrauantibus, quàm mutantibus ſpeciem, quomodo in confeſſione exprimi debeant, diſſerui late in tractatu *de peccatis*, vide ibi.

137. Quarta concluſio. Numerus peccatorum neceſſariò in confeſſione eſt exprimendus. Ita communiter omnes, & colligitur apertè ex Florentino & Tridentino vbi ſupra. Ibi enim præcipitur, omnia & ſingula peccata eſſe confitenda, & confirmat praxis, & conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ. qua verò ratione multiplicentur numero peccata tam interna, quàm externa, explicui in eodem tractatu *de peccatis*. Difficultas tamen eſt in explicando numero peccatorum. Modus igitur declarandi eiuſmodi numerum hic eſt.

Primò, ſi cognoſcatur numerus certus, ille exprimendus eſt.

Secundò, ſi ille non conſtat, dicatur probabilis, plus minuſve: non tamen eſt excedendus notabiliter, ſed dicendum. Decies peccaui, plus minuſve. Quòd ſi poſtea aduertat fuiſſe duodecim, non eſt neceſſe illa duo ampliùs confiteri: ſecus ſi recordetur fuiſſe quindecim, vel viginti; tunc enim tenetur in alia confeſſione explicare numerum illum, quia eſt notabiliter maior; ac proinde non cenſetur ſufficienter explicatus in prima confeſſione. In quo ſeruanda eſt hæc regula, vt quo maior eſt numerus qui nominatur, maior etiam numerus poſſit intelligi verbis illis *plus minuſve*: hoc tamen non eſt intelligendum cum totali proportione. Cùm enim quis confitetur, decies peccaui, plus minuſve, duo, v.g. ad quæ ſe extendunt illa verba, ſunt aliquid paruum, & non eſt notabilis exceſſus: quando verò quis confitetur, mille peccaui, plus minuſve, centum, vel ducenta, licèt ſint aliquid parum reſpectiuè; ſunt tamen aliquid magnum abſolutè, & notabilis exceſſus neceſſariò exprimendus in ſubſequenti confeſſione; hoc tamen relinquitur iudicio prudentis, quia regula omnino certa aſſignari non poteſt. Si verò poſtea deprehendatur, fuiſſe pauciora, aut reperiatur nulla fuiſſe, per ſe loquendo, non tenebitur dictum in confeſſione retractare; quia bona fide proceſſit, nec retractatio ad finem aliquem poterit, per ſe loquendo, requiri, niſi fortè ne maneat infamatus apud confeſſorem.

138. Tertiò, ſi numerus certus explanari non poſſit, etiam plus minuſve, debet exprimi conſuetudo peccandi, tempus, & frequentia, vt toties in die, vel in hebdomada, vel in menſe. In confeſſione meretricum vltra tempus, vt decennium meretricij, & frequentiam, vt toties in die, in hebdomada, vel menſe, debet exprimi numerus certarum ſpecierum, vt toties contra naturam, quoties cum Religioſis, aut perſonis ſacris, quoties cum conſanguineis, quoties cum coniugatis; ea enim peccata habent diſtinctam ſpecie malitiam, & facilius numerari poſſunt, quia non ſolent eſſe ita frequentia. De actibus internis ſufficiet dicere, ſæpius per diem, aut quaſi continuò, aut prout dabatur occaſio, deſiderâſſe indifferenter cum quouis hominum genere peccare. Et idem dicendum eſt in quouis alio peccatore in quo æqualis ſit difficultas explicandi numerum plus minuſve; vt de eo, qui diu concubinam domi habuit, eaque vt propria vxore vſus eſt, & de eo, qui confitetur colloquia de rebus turpibus cum ſociis, quæ quidem paſſim tota die, dum ſimul cum aliis laborat, miſcere ſolet, abſque vllo delectu circa materiam, tam circa coniugatas, quàm circa ſolutas, in quibus omnibus eſt ſimilis difficultas explicandi numerum certum, vel quaſi certum, plus minuſve, & ideo in his omnibus ſeruanda eſt eadem regula, vt explicetur conſuetudo, tempus, frequentia, & ſpecies principales.

139. Et ex hoc infertur, ruſticum qui agreſti & inculto modo confitetur cum ſuo indocto Parocho, ſine numero, & diligentia, cogendum non eſſe ad repetendas confeſſiones. Ita Enriquez, & Fagundez, quos refert & ſequitur Diana 3. parte tract. 4. reſolut. 89. Quia cùm ruſtici habeant vniformem vitæ modum, nec extraordinariis vitiis, aut negotiis ſint aſſuefacti, ex confeſſione vnius anni, coniiciet prudens, & doctus confeſſarius, quantum in reliquis annis peccauerint, & quo numero peccata commiſerint, prout requiritur ad rectum iudicium, & remedium peccatorum. quæ doctrina certè non caret difficultate. Quapropter dicendum eſt, teneri repetere illas confeſſiones, quando poteſt melius, & magis diſtinctè numerum explicare: alias in praxi ſeruanda eſt præcedens doctrina.

140. Rogabis, an qui facit confeſſionem generalem, poſſit omittere aliqua peccata. Reſpondeo poſſe. Ita plures Doctores, quos refert & ſequitur Diana tomo 2. tract. 4. reſol. 86. & ratio eſt, quia ex nullo cap. poteſt aſſignari obligatio grauis ad exprimendum omnia mortalia, à quibus pœnitens iam ritè confeſſus, & abſolutus eſt. Dices in eo euentu decipere grauiter Confeſſarium, affirmando ſe velle omnia peccata confiteri, & aliter faciendo. Hoc tamen falſum eſt, quia ſolùm dat pro materia ea peccata quæ confitetur, illa autem alia quæ tacet, non dat, nec tenetur, cùm iam de his ſit ritè confeſſus, & abſolutus: quòd autem præmiſerit ſe velle facere confeſſionem generalem totius vitæ, eſt quidem mendacium, ſed non circa materiam ſacramenti. Et ratio huius à priori eſt, quia ſicut tota confeſſio generalis eſt libera, & ex ſupererogatione; ſic liberum eſt pœnitenti illam magis, vel minus liberam facere.

Sectio

Sectio XVI.

An peccata mortalia dubia debeant in confessione explicari.

141. AGimus de dubiis veris, seu fundamentum habentibus. nam scrupulosorum dubia contemnenda sunt, & ratio dubitandi est. Nam ad hoc vt quis teneatur confiteri peccatum, necesse est vt saltem probabiliter iudicet se peccasse; delictum enim præsumi non debet vbi non adest ratio saltem probabilis ad id suadendum; nec aliquis accusari tenetur de delicto, quod commisisse ita ostendi non potest, vt data indicia, & coniectura, assensum generent. Ob hanc rationem Layman. in Theolog. mor. lib. 1. tract. 1. cap. 4. in sententiam negantem videtur inclinare.

142. Sit tamen conclusio affirmatiua. Qui dubitat, an aliquod peccatum graue commiserit, tenetur de illo sub dubitatione confiteri. Ita communis sententia Doctorum, & colligitur ex Trident. vbi suprà, definiente confitenda esse omnia mortalia quæ sunt in conscientia; ergo ita sunt aperienda, & exprimenda, sicut sunt in conscientia; sed in illo casu sunt in conscientia saltem dubia; ergo ita sunt exprimenda. Deinde, quia in eo casu secluſa confessione, tenetur homo habere contritionem de tali peccato, saltem ratione periculi; sed quod est de necessitate contritionis, est etiam de necessitate confessionis; ergo.

143. Difficultas autem est, quale debeat esse hoc dubium, vt hæc oriatur obligatio. Pro quo nota, triplex esse posse dubium. Primum, an id quod commisimus sit peccatum mortale. Secundum, an id quod fecimus simus iam confessi. Tertium, an aliquid fecerimus, vel non. Qui certus est se aliquid fecisse, & dubius an fuerit peccatum lethale, vel veniale, tenetur sub isto dubio confiteri: si verò postea comperiat fuisse lethale, non tenetur illud iterum confiteri tanquam lethale. Ratio huius est, quia non est opus vt pœnitens, aut confessarius certò sciat quodcumque peccatum quod clauibus subiicitur, esse determinatè graue, aut leue, quia id est moraliter impossibile, & valde onerosum esset iterare confessionem plurium peccatorum quæ quispiam adolescens pro dubiis habebat, & pro talibus bona fide explicabat, & doctior factus reperit certò fuisse lethalia.

144. Qui verò certus est se aliquod mortale commisisse, dubitat tamen an illud fuerit confessus, tenetur illud confiteri ob rationem in principio assignatam: aliàs temere se exponeret periculo peccandi, non subiiciendo peccata clauibus. Excipe ab hac regula scrupulosum, hic enim nisi certus sit se peccatum commisisse, & illud fuisse lethale, & illud non fuisse confessum, non tenetur illud confiteri, vt communiter docent omnes Doctores. Nec obstat hac ratione fortè se exponere periculo non confitendi aliqua mortalia. nam scrupulosis hoc periculum rarum est, nec tenentur cum tanto damno hærendi perpetuò in illis scrupulis, & cruciatibus, omnimodam integritatem confessionis procurare, à qua sæpe minora pericula excusant. Ita Ægidius disp. 7. dub. 8.

145. Denique in primo casu, quando quis dubius est post præmissum examen, an aliquod peccatum commiserit, nec ne, adhuc cum communi sententia dicendum est, teneri confiteri peccatum dubium; quia hoc postulat puritas confessionis, vt peccatum eo modo explicetur quo est in conscientia; tale autem peccatum est in conscientia saltem dubia.

146. Secunda conclusio. Quoties homo iudicat probabiliter se non peccasse mortaliter, vel iam esse confessum tale peccatum, etiamsi in contrarium habeat coniecturas probabiles, vel probabiliores, potest conformari priori iudicio, & non tenetur tale peccatum confiteri. ita recentiores communiter cum Suario disp. 22. sect. 9. Et ratio est, quia homo in practicis potest sequi opinionem probabilem, non obstante probabiliori: quapropter istud peccatum non est in dubio.

147. Notandum tamen est primò. Qui confitetur peccatum dubium aliquo modo ex dictis, debet illud confiteri vt dubium, ne aliter detur incerta materia ad certam formam; peccata enim dubia aliud requirunt iudicium, quàm certa: aliàs grauiter peccaret qui peccata dubia recenseret tanquam certa; confessor etiam debet dubia iudicare vt dubia, quia, vt dicit Syluester verbo sacerdos, in fine, non debet confessor determinari nisi in claris. Secundò nota, in tali confessione debere pœnitentem adiungere aliquam materiam certam, quia, vt prædixi suprà, incerta materia non caret forma certa, & in eo euentu debet pœnitens elicere attritionem de eo quod absolutè subiicit, fortè enim nullum aliud peccatum commisit, ne se exponat periculo quod sit irritum sacramentum.

Sectio XVII.

Quando locum habeat confessio solùm materialiter non integra.

148. COnfessio formaliter non integra est, in qua grauiter peccat pœnitens, omittendo aliquod peccatum lethale. Confessio verò materialiter non integra vocatur, in qua non peccat reus lethaliter omittendo peccatum, quod per se loquendo, tenetur sub graui culpa exprimere.

149. Sit ergo conclusio, cum omnibus Doctoribus, confessionem materialiter non integram locum habere, seu licitam esse, quoties ex materiali integritate graue damnum, aut incommodum, siue temporale, siue spirituale, vel pœnitenti, vel Confessori, vel aliis impendet, aut prudenter timetur. Ratio est, quia sacramentum Confessionis, vt de casu obliuionis definit Tridentinum sess. 14. cap. 5. sic non obligat ad confessionem materialiter integram cum graui damno faciendam. Percurramus aliqua damna, vel causas, quæ vel sufficiunt, vel etiam obligent ad curtandam confessionem, quæ ex triplici capite prouenire possunt, ex parte pœnitentis, ex parte Confessarij, ex parte aliorum.

Ex parte pœnitentis causa erit sufficiens, & obligans, si confessione inchoata pœnitens destituatur sensu, vel incidat in amentiam, vel alia simili causa nequeat progredi; vel periculum sit ne moriatur antequam confessionem perficiat: imò si ægrotus non possit absque notabili salutis dispendio confessionem ad finem perducere. Idem erit si confessarius sit peste infectus, & impendeat infectio pœnitenti; vel pœnitens ipse esset simul confessarius, & non posset suum peccatum aperire sine peccato alterius quod ex sola confessione nouit, manifestatione, & fractione sigilli. Idem potest fieri quando confessarius prudenter timet infectionem morbi periculosi, si in audiendo Pœni-

Digitized by Google

tentem detineatur: si autem confessarius velit detineri, inquit pœnitens integritatem confessionis omittere. Causa verò saltem sufficiens erit, si pœnitens prudenter timeat tale peccatum à Confessario reuelandum, vel ab aliquo tertio audiendum, vel se prosequendum odio, vel asperè tractandum à Confessario; præsertim quando in aliquibus rebus ab eo pendet, vt si ab eo sustentetur, vel ei inseruiat, aut cohabitet; debent autem hæc incommoda esse grauia. Vel denique si videat se alioqui diutiùs carituram absolutionis beneficio citra propriam culpam: quare si posset absque graui incommodo aliquantulum confessionem differendo alteri integrè confiteri, ad hoc teneretur: non tamen tenetur eam valde diu, præsertim extra consuetudinem, differre. Tenetur verò postea, qui non integrè confessus fuerit, ea peccata omissa confiteri: tempus autem huius obligationis, est idem quo tenetur implere annuam confessionem.

150. Ex parte confessarij sufficiens, & obligans causa erit, si ante auditam totam confessionem morbo corripiatur, & audire non possit periclitante ægroto: si non possit alius sacerdos substitui, erit etiam causa sufficiens: si valde probabiliter timeat se inficiendum morbo contagioso pœnitentis, vt prædictum est: licebit tamen si velit totam audire confessionem ad solatium ægroti.

151. Quæri hîc solet, an quando aliquis habet casus reseruatos, & alia peccata, Prælatus possit audire solos casus reseruatos, & ab his sacramentaliter absoluere, & remittere pœnitentem ad inferiorem, vt à reliquis directè, & integrè absoluatur, de qua re infrà ex professo erit sermo; interim videtur dicendum, hoc esse illicitum, communiter loquendo; quia integritas est de iure diuino, quod non facilè potest omitti; nec hæc est praxis Ecclesiæ, sed solùm absoluere à censuris, & reseruatione, & mittere pœnitentem vt ab inferiori absoluatur sacramentaliter.

152. Ex parte aliorum sufficiens causa, & obligans est, necessitas magna absolutionis, qua priuabuntur si confessarius in confessionibus integris detineatur: vnde si iam iam essent morituri, posset ac deberet confessarius, ex singulis singula, vel aliqua peccata audire, & sufficienter dispositos simul absoluere, vt in peste, aut in bello, aut naufragio: imò, vt notat Hurt. disp. 11. diff. 10. quando periculum imminens aliud non permittit, possunt omnes simul signo aliquo, vt genuflexione, vel tunsione pectoris significare se peccasse sic in communi, & de eo dolere: vt si confessarius dicat, omnes qui volunt à peccatis absolui genuflectant, in quo euentu possunt omnes simul absolui, obligat etiam ad confessionem dimidiandam si ex alicuius peccati manifestatione aliud graue damnum immineat complici.

153. In quo casu solet hîc inquiri, an possit ac debeat dimidiari confessio tacendo complicem, vel illam circumstantiam manifestatiuam complicis, eo fine tantùm vt Confessarius non veniat in complicis notitiam, affirmant Caiet. in summa verbo Confessio. Canus Relect. de Pœnitentia part. 5. Nauarr. in summa cap. 7. & ex Recentioribus nonnulli, quia præceptum non infamandi proximum est naturale; præceptum verò faciendi confessionem integram, est positiuum; ergo si ambo concurrant, prius vigebit, non posterius. Et confirmatur primò, quia præceptum diuinum integritatis confessionis non obligat, quando ex materiali integritate confessionis damnum proximo imminet, nec facilè potest ostendi hoc præceptum institutum in bonum animarum, debere impleri quoad materialem integritatem, cum tam magno proximi detrimento.

154. Dicendum tamen est, non debere dimidiari. Ita S. Thom. Bonauent. Palud. Angel. Rosell. Tolet. Petrus Soto, Enriq. Saa, Suar. Philut. Layman. Vazq. & alij, quos refert, & sequitur Fagundez, & videtur expressa sententia D. Bernardi opusculo de Formula honestæ vitæ. Vbi ait: *De nullo sinistrè loquaris, nisi in confessione, & hoc vbi non potes aliter peccatum tuum manifestare.* Et ratio est, quia reuelare peccatum alicuius non est ita malum, vt nunquam liceat, imò ob aliquas causas non solùm possum, sed etiam teneor, vt bene cum aliis docet Lessius cap. 11. dub. 8. & 9. & ne mihi sequatur incommodum, possum alterius occultum crimen reuelare, maximè cùm ex reuelatione nullum malum complici timeatur: si enim timeatur infamandum esse à Confessario apud alios, aut occidendum, tunc complex non est reuelandus, in eo enim euentu non obligat integritas materialis confessionis. Et confirmatur, quia integritas confessionis à Christo præcepta, & necessaria ad valorem sacramenti, maioris momenti est, quàm non infamare proximum apud vnum tantùm confessarium, & sub sigillo confessionis, præcipuè si aliud damnum non timetur.

155. Ad argumenta in contrarium respondetur, quòd quandiu perseuerat præceptum naturale, strictius obligat, quàm positiuum: quod autem asserimus est in casu posito, præceptum naturale non infamandi omnino cessare, sicut cessat in aliis casibus: ius enim naturæ non obligat concurrentibus aliquibus circumstantiis, vt patet in fama alterius, quem possum infamare detegendo crimen verum occultum ad infirmandum testimonium contra me factum in causa criminali. Ad vtramque confirmationem dicimus, ex eo non sequi graue detrimentum complici, qui tantùm manet infamatus apud vnum tantùm confessarium, & sub sigillo confessionis: eo vel maximè, quia satis probabile est, posse aliquem sine scrupulo, ad minus peccati mortalis, manifestare amico secreto, & taciturno, delictum alterius occultum; quod si fiat via consultationis, dubium nullum est; ergo multo magis in confessione, vbi sigillum tam strictè obligat.

156. Notandum tamen est primò, si peccatum rectè explicari possit non nominata persona complicis, id omnino fieri debere, & pœnitentes aliter facientes, grauiter obiurgari, & corripi debent à Confessario.

Nota secundò, quòd si alius Confessarius adiri possit qui personam complicis non cognoscat, is adeundus est.

Nota tertiò, cui solùm imminet periculum ex confessione actus externi, teneri internum affectum confiteri. Et similiter si tale periculum sequeretur ex circumstantia, omissa illa tenetur confiteri peccatum, quia tenetur quantum potest integram facere confessionem.

Denique nota idem dicendum esse de manifestatione criminis non complicis, ac diximus de crimine complicis. Ita Pisantus de integritate confessionis disp. 6. licèt contrarium teneat Hurt. & alij asserentes, non posse licitè tale crimen deegi.

SECTIO

Sectio XVIII.

An liceat confiteri sola peccata venialia, cùm non adest conscientia mortalium, vel quæ iam confessi sumus.

157. Circa primum, si pœnitens non est sibi conscius peccati mortalis, licitum est ei confiteri de solis venialibus. Ita colligitur ex Trident. sess. citata, & est totius Ecclesiæ sensus, & piorum hominum vsus. Verùm cùm peccata venialia nec diuinam amicitiam auferant, nec beatitudine cælesti priuent, aut pœnis tartareis addicant, oportet vt qui de solis venialibus confitetur, non nitatur his solis motiuis in detestatione, seu dolore, quem ad confessionem affert, quia non pugnabit detestatio cum materia exhibita; sed oportet de illis doleat, quia diuinæ bonitati vtcumque opponuntur; vel quia diuinam amicitiam aliquo modo refrigerant, vel ab ingressu cœlestis beatitudinis retardant, vel ex aliis motiuis supernaturalium attritionum.

158. Circa secundum constat etiam apud omnes Catholicos, validè & licitè fieri confessionem de solis peccatis iam antea directè absolutis, quando nullum est mortale quod non absolutum sit, quia licèt iudex non possit reum compellere vt sæpiùs in eadem causa iudicetur; non tamen est cur ipse reus non se possit voluntariè subiicere sæpiùs in eadem causa iudicandum, præsertim in hoc iudicio, vnde adeò magnum fructum reportat.

159. Difficultas tamen est de eo qui non habet conscientiam peccati mortalis, an sufficienter confiteatur explicans aliquod peccatum vitæ ante actæ in genere. v. g. Accuso quòd in superiori vita sæpius contra castitatem grauiter deliquerim. Et quidem si tunc aperiat simul aliqua venialia in specie, v. g. verba otiosa, mendacia leuia, de quibus probabiliter credat esse attritum, non est dubium quin censeri debeat sufficiens confessio, & impendi debeat absolutio. Itaque difficultas est, an in homine conscientiam lethalis non habente, sufficiens & licita sit ista confessio. Accuso quòd olim grauiter per incontinentiam peccauerim. Suarez disp. 23. sect. 1. existimat partem affirmantem speculatiuè tantùm posse defendi, non verò practicè, propter materiæ incertitudinem; ac proinde supposito quòd aliquis velit confiteri, debere aliquod peccatum, saltem veniale, in particulari exponere: si verò necessitas vrgeret, vel id fieri non posset, addit peccatum in genere explicatum. v. g. Mendacia, vel verba otiosa vitæ anteactæ fore materiam sufficientem.

160. In primis opinor, confessionem illam si bona fide fiat, validam esse, & vero sacramento sufficientem, quia non est de necessitate sacramenti, sed præcepti, explicare quoad speciem in confessione peccata, vt patet in moribundo, vel ignaro linguæ, qui nullum speciale possunt explicare peccatum, & exhibitis confessionis signis validè absoluuntur. Dices illud habere locum vrgente necessitate, & non aliàs. Contrà, quia neque citra necessitatem illa explicatio est necessaria in confessionibus omnino spontaneis, sicut nec explicare numerum peccatorum; quod videmus fieri apud pios, & doctos, qui confitentur de verbis otiosis, de mendaciis leuibus in genere, vitæ anteactæ, nullum ex eiusmodi peccatis particulare, nullumve eorum numerum exponendo, quas confessiones docti, & pij confessarij approbant, idque prudenter facere planè docet Vazquez quæst. 92. art. 2. disp. 1.

161. Secundò opinor, prædictam confessionem, per se loquendo, licitam esse, & colligitur ex eodem Vasquio. Et probatur ratione adducta, quia non magis requiritur ad hoc sacramentum vt exponatur peccatorum species, quàm numerus: sed exponere numerum non est necessarium, vt vidimus, & est praxis, & vsus piorum, & Doctorum: ergo. Deinde, quia si peccati species in confessione voluntaria deberet exponi, esset vt confessario notus esset pœnitentis status: at hæc ratio solùm habet locum in confessionibus necessariis. nam in liberis sicut liberè se exponit reus iudicandum, ita pro libito se exponit iudicandum de tali peccato in genere: quare sicut istud in summa necessitate, & validè, & licitè exponitur, & absoluitur: sic etiam in summa confitendi libertate. Vnde licèt, iuxta Trident. species & numerus peccatorum exponi debeant, hoc intelligendum est de confessione necessaria, non verò de libera.

162. Dices, ex hac doctrina sequitur, quòd hæc confessio sufficiet, & licebit: Accuso quòd olim graviter peccauerim; vel etiam ista: Accuso quòd olim peccauerim. Respondetur, quòd etsi speculatiuè videatur concedendum consequens, non tamen practicè; quia est contra totius Ecclesiæ consuetudinem.

Sectio XIX.

An confessio ex malo fine veniali sit inualida.

163. Dixi *ex malo fine veniali*, quia quando fit ex malo fine mortali, certum est inualidum esse, & conueniunt Doctores, quando confessio principaliter fit ex fine remissionis peccatorum, validè fieri, etiamsi minus principaliter fiat ex fine veniali. Difficultas ergo est quando principaliter ex fine veniali fit.

164. Conclusio est negatiua, nullam confessionem fieri inualidè quocumque fine fiat, dum in eo non peccetur mortaliter, quamuis ex eo fine principaliter fiat; dummodo etiam fiat ex fine remissionis peccatorum impulsiuè, quamuis minus principaliter. Ita communiter Doctores contra Syluest. verbo Confessio 1. quæst. 7. Et probatur, quia in eiusmodi confessione inueniuntur omnes partes essentiales sacramenti Pœnitentiæ, nec deficit intentio suscipiendi sacramentum.

165. Obiicies. Quia actus voluntatis imperatus ab alio actu voluntatis, non habet aliam bonitatem, aut malitiam prætet eam, quam habet actus imperans; ergo qui ex fine venialiter malo, v. g. vanæ gloriæ, velit confiteri, & ad hunc finem imperet sibi dolorem de peccatis, ille actus doloris vitiabitur extrinsecè ab intentione vanæ gloriæ à qua procedit confessio, ac proinde erit malus. Respondetur, nihil prohibere aliquem actum internum esse intrinsecè bonum ex obiecto, & ex fine intrinseco; ex fine verò extrinseco habere aliquam malitiam. Nec obstat, eumdem actum non posse esse simul bonum, & malum; meritorium, & demeritorium. Hoc enim intelligendum est de malitia

Digitized by Google

malitia intrinseca, non verò de extrinseca, & denominatiua.

Sectio XX.

Exponuntur nonnulli casus in quibus confessio est iteranda.

166. Svpponendum est primò, per se loquendo, neminem teneri iterum confiteri peccatum à quo semel directè, & validè absolutus est. Ita omnes Doctores, & extat diffinitum à Benedicto XI. Extrauag. 1. de priuileg. & à Ioann. XXII. Extrauag. *Vas electionis*, vbi oppositum vocatur erroneum. Et ratio huius est, quia peccatum illud iam fuit clauibus ritè subiectum, & per ipsas remissum. Dixi *per se loquendo*, nam per accidens aperiri debet sæpiùs, vt si quis voueat confiteri quotannis generaliter de toto anno, vel de toto vitæ discursu: aut si quis confessus fuit reseruata, & ab eis absolutus, cum onere comparendi, siue iterum confitendi.

167. Secundò supponendum est, qui inualidè confessus est de peccatis, vel inualidè absolutus est, teneri confessionem repetere, vt recipiat fructum huius sacramenti. Explicandi ergo sunt nonnulli casus in quibus confessio fuit irrita, ac proinde repetenda, & quidem ex duplici capite potest confessio esse inualida, tum ex parte pœnitentis, tum etiam ex parte Confessoris.

168. Ex parte pœnitentis est inualida, & repetenda, quando defuit necessarius dolor, iuxta supradicta; vel si noluit deserere statum, & occasionem proximam peccandi mortaliter: hoc enim signum est defectus doloris, seu attritionis, vel propositi iterum non peccandi. Similiter quoties non confitetur integrè formaliter, seu culpabiliter mortaliter, vel quia peccatum mortale commissum voluntariè concicuit, vel quia non commissum fuit explicatum: item, quia non præmisit debitum examen conscientiæ, iuxta superiùs dicta. An verò quis possit ab hoc excusari ob ignorantiam inuincibilem. Respondeo posse, si verè huius rei detur ignorantia inuincibilis; hæc enim semper excusat à peccato, & consequenter à nullitate confessionis, ob defectum examinis.

169. Ex quo infero, puerum qui vsque ad maiorem ætatem non se accusauit de ordinariis pollutionibus ob ignorantiam inuincibilem, non teneri repetere omnes illas confessiones, quando postea scit pollutionem esse peccatum mortale, pro quo Diana tom. 3. tract. 4. resol. 108. ex Nauar. Sylvest. Vazq. & Reginald. adducit doctrinam valde notandam à Confessariis ex eodem Reginald in praxi tom. 1. lib. 6. cap. 5. sect. 3. vbi sic ait. Cùm quis per ignorantiam aliquod peccatum mortale omisit in confessione, eo quòd erroneè putaret ipsum non esse tale, etiam si error vincibilis fuerit, nec à mortali perpetrantem excusaret; tamen excusantur ab iteratione totius confessionis, itavt sufficiat pœnitentem ipsum in sequenti confessione peccatum omissum declarare: sic ergo pueri, & puellæ, quæ grandiores factæ agnoscunt peccatum mortale esse, quod aliàs omiserunt confiteri, eo quòd ignorarent illud tale esse, non tenentur iterare confessiones eorum quæ confessi fuerunt legitimè, sed tantùm eorum, quæ omiserunt. Et idem dicendum est de circumstantia peccati omissa, & de numero peccatorum non expresso in confessione.

170. Hæc tamen doctrina patitur aliquam difficultatem, quia ex communi sententia ignorantia vincibilis non excusat à peccato: sed puer ille, vt supponitur, tantùm habuit ignorantiam vincibilem; ergo non excusatur à repetendis confessionibus: sed facilè respondetur, quamuis ille non fuerit excusatus à mortali quando peccatum perpetratum est, excusari tamen ab iteranda confessione, & satisfacere repetendo peccata prætermissa. nam ignorantia quæ fuit vincibilis respectu actus peccati, bene potuit inuincibilis esse respectu omissionis in confessione.

171. Deinde, pœnitens excommunicatus si voluntariè absoluatur prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, confessio nulla erit, & iteranda, quia facit contra prohibitionem censuræ in re graui: qui autem nescit, aut non cogitat se esse excommunicatum, aut excommunicationem susceptioni sacramenti obstare, & bene alioqui confitetur integrè, & cum attritione, confessio valida erit, quia sicut potest excommunicatus per veram contritionem antequam ab excommunicatione absoluatur, gratiam acquirere, ita etiam cum sacramento, cùm bene tunc disponatur.

172. Obiicies: Publicus percussor clerici, vel nominatim excommunicatus, suspensus, vel interdictus, iuxta Extrauagantem Martini V. Si sit confessor, licèt faciat actum contritionis, non absoluit validè, & confessio est iteranda; ergo idem est, quando pœnitens est excommunicatus; quia sicut excommunicatio priuat ab actiua, ita à passiua receptione sacramenti. Respondetur negando consequentiam, & ratio discriminis est, quia Confessarius excommunicatus licèt contritus sit, caret iurisdictione necessaria ad administrandum sacramentum: talis autem iurisdictio non requiritur ad recipiendum illud: quòd si excommunicatio priuat excommunicatum receptione passiua, intelligitur quando conscius est suæ excommunicationis, non quando ignorat illam.

173. Denique, qui bona, vel mala fide fecit confessionem inualidam, & postea eius rei inuincibiliter oblitus, iterum, ac sæpiùs, bona fide apud legitimum Confessarium per plurimos, aut sequentes annos confitetur, non tenetur repetere confessiones istas bona fide factas, sed solùm illam primam, quia sola illa inualida fuit, nec potuit valorem sequentium impedire. Ita Doctores communiter.

174. Aduertendum tamen est, qui inualidè confessus est de peccatis quæ fateri tenebatur, si diuersũ habeat Confessarium, debet illa omnia iterum exponere, perinde ac si de ipsis confessus non esset; quia diuersus ille confessarius aliter non habebit notitiã absolutioni requisitam, nempe ex confessione natam. Si verò confiteatur apud priorẽ confessarium, & iste recordetur peccatorũ, seu status pœnitentis, non opus est peccata illa particulatim repetere, sed sufficienter confitebitur, dicens, se irritam fecisse confessionem ob hanc, vel illam causam, accusando illam si culpabilis fuit, & simul dicendo accusare cæteras priùs explicatas. nam hæc accusatio cum illa status notitia sufficiunt, vt confessarius rectè iudicet, & pœnitentiam imponat; ac proinde vt conuenienter possit absoluere. Nec opus est, vt sacerdos distinctè recordetur peccatorum illorum. nam sæpè quando differt absolutionem ab vno die in alium, non ita recordatur, sed solum est opus vt recordetur status pœnitentis, quod Vazq. explicans quæst. 92. art. 3. dub. 3. ait sufficere, vt cognoscat

Digitized by Google

cognoscat talem esse pœnitentis statum, vt hæc debeat illi adhiberi medela. Si denique prior confessarius non retineat memoriam peccatorum quæ in priori confessione inualida audiuit, nec status pœnitentis, repetenda prorsus erit confessio ac si facta non fuisset, vt per se est manifestum. Contrarium tenet Diana 3. part. tract. 4. resolut. 123. existimans, absolutionem fore validam in eo euentu quamuis confessarius neque statum peccatoris generatim recordetur, sed solùm quod sibi confessus fuerit; peccare tamen confessarium in eo casu. Ego verò censeo communem sententiam sequendam esse, & confessionem iterandam: aliàs non poterit adhiberi medela necessaria.

175. Ex parte verò confessarij confessio redditur inualida, ac proinde iteranda, quando ipse omittit absoluere quocumque casu, vel ratione hoc fiat. nam in eo euentu nulla fit confessio. Si autem inquiras: Quid si nullam habet intentionem absoluendi, baptizandi, &c. & pœnitens ignarus huius defectus moriatur, an saluetur? Respondetur ex natura rei neque per illum baptismum, vel absolutionem remitti peccatum, & sic si non habuit contritionem, non erit saluus. Cæterùm, vt ait D. Thom. 3. part. in materia de Baptismo, piè credendum est, Deum, & Christum Dominum supplere malitiam, aut defectum minus principalis Ministri, scilicet sacerdotis. Vnicum consilium atque remedium ad similes difficultates est exercitium contritionis, & actuum conditionalium, nempe, si non essem baptizatus, volo, aut vellem baptizari.

176. Deinde, si Confessarius absoluit sine sufficiente iurisdictione, itavt in nulla peccata ex his quæ confessus est pœnitens iurisdictionem habeat, tunc nulla est confessio, & iteranda: sed si habuit in aliqua, v. g. in non reseruata, tunc est valida, quia manent indirectè remissa reseruata: sicut remittuntur peccata oblita si pœnitens sit in bona fide, cum obligatione tamen ea iterum confitendi postquam sciuerit.

177. Præterea, inualida est confessio, & iteranda, ob defectum attentionis in confessario, si ob somnum, vel aliam distractionem, non intellexit aliqua mortalia, aut circumstantias de necessitate confitendas; confessio namque est vt sacerdos peccata intelligat.

178. Inquires, an confessio fiat validè quando confessarius ex ignorantia non discernit an peccatum confessum sit mortale, aut veniale. Negatiuè respondent Sylvest. & Vict. Hoc tamen durum videtur. quare dicimus sufficere intelligat substantiam actus cum circumstantiis speciem mutantibus, vt commisisse adulterium in hoc sacro, quamuis credat esse veniale, quod est mortale: aut circumstantiam non mutare speciem quæ re vera mutat. Ita Ægidius, qui plures refert disp. 6. dub. 5. Quia aliàs vix possent reperiri vlli sufficienter idonei ad audiendas confessiones, quia etiam peritissimi dubitant hoc. Nec obstat quòd sit, vel non sit ex ignorantia, aut difficultate rei; quia si esset necessarium hoc discernere ex vno capite, ex omni teneret. Solùm ergo requiritur, & confessarius tenetur quantum hic, & nunc moraliter possit, curare, vt intelligat speciem peccati; & pœnitens se explicare vt Confessarius possit intelligere eam speciem peccati, non quòd teneatur dicere esse talis, vel talis speciei; sed sufficit quòd actum prout factus est explicet.

179. Tandem inquires, quid agendum sit à Confessario cum eo cuius idioma ignoratur. Respondeo, mittendum esse ad intelligentem: si autem non sit melius intelligens, nec speratur, absoluatur, dummodo appareant in eo dolor & propositum. Enriq. solùm hoc concedit tempore præcepti. Medina solùm tempore mortis. Lopez omni tempore.

SECTIO XXI.

An absolutio possit licitè conferri absenti.

180. AFfirmant S. Antoninus, Paludan. Sylvest. Tabiena, vterque Soto, Turrecremata, Nauarr. Sà, & plures alij. Hanc sententiam damnauit Clemens VIII. anno 1602. & ab aliquibus libris abrasari præcepit in speciali declaratione quæ inter Bullas Clementis est 87. Priùs autem eam reiecerant, & oppositum docuerant Caietan. verbo Confessio. Vict. num. 17. Ledesma, Cano, Toletus, Valentia, Suarius, & recentiores omnes oppositum docent.

181. Sit ergo conclusio. In nullo euentu licita est absolutio collata absenti. Probatur primò, quia Clemens VIII. hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosam damnauit, ac prohibuit, præcepitque, *Ne deinceps ista propositio publicis priuatisve lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad præxim quouis modo deducatur.* Quibus verbis apertè continetur, absolutionem in absentia in nullo euentu licitè posse confiteri. Ex qua ratione plures inferunt in nullo casu non solùm non licere, sed nec posse validè conferri. Nam si in casu necessitatis valida esset, nec Pontifex quæstionem præcipuam diriminisset, nec est credendum fore, vt in tali casu eam prohiberet Pontifex.

182. Secundò probatur. Quia Ecclesia id nunquam vsu probauit, imò cùm in Concilio Basilienſi multi Theologi posse dari censerent, abstinuit Concilium ab huiusmodi diffinitione. Quòd si quæ historiæ, vel textus, vel sancti Patres in contrarium afferuntur, intelligi debent de absolutione spectante ad publicam pœnitentiam, vel ad censuras, vel de benedictione aliqua, aut indulgentia.

Tertiò quia pronomen *te*, contentum in forma absolutionis, non potest dirigi ad personam absentem; ergo nec forma absolutionis. Nam ob eamdem rationem forma consecrationis, in qua continetur pronomen *hoc*, vel *hic*, dirigi non potest, nisi ad materiam præsentem. Dices, loco pronominis *te* substitui posset nomen Petri, vt, Absoluo Petrum. Contrà, quia Petri nomen eatenus valebit, quatenus æquiualebit pronomini *te*. Vnde nisi Petrum significet præsentem, nihil efficiet. Cur autem pronomen *te*, vel nomen *ipsi* æquiualens, & præsentem significans, pertinere debuerit ad essentiam absolutionis, inde colligi potest, quòd pœnitens post factam confessionem debet reddere certiorem confessarium de sua præsenti dispositione, vel disponi debet à Confessario, quod in absentia non habet locum; nam pro fragilitate humana qui nunc dispositus est, post breuissimum tempus grauiter peccat.

183. Atque hinc patet, non esse eamdem rationem huius

Digitized by Google

huius iudicij,& aliorum. nam alia non requirunt, nec attendunt internam animi dispositionem, vt sententia valida sit, sed solùm criminis, vel innocentiæ probationem: huius verò sententiæ valor, ex interna pœnitentis dispositione essentialiter pendet. Et sic soluta manent omnia quæ pro sententia contraria proferuntur. Quod verò dicunt de matrimonio inter absentes, quod est verum sacramentum, per epistolam, vel per procuratorem factum, non obstat. Nam matrimonium fundatum est in contractu purè humano, ac proinde sicut contractus ille validus est,ita & sacramentum in ipso fundatum.

SECTIO XXII.

An absolutio dari possit ac debeat moribundo,qui absente confessario dedit signa pœnitentiæ, & postea sensibus destitutus est.

184. OMnino negant plures Thomistæ cum Soto in 4. distinct.18. quæst.2. art.5. & Nauarr.in summa cap.16.num.25.quorum fundamenta infrà adducemus.

Sit conclusio. Absolui debet moribundus qui in absentia sacerdotis exhibuit pœnitentiæ signa dummodo ista per testimonium fide dignum sacerdoti iam præsenti innotescant. Hæc conclusio adeò communis est inter Doctores,vt superfluum sit eos recensere, quos vel nominare longum esset. Probatur primò ex Ecclesiæ sanctionibus. nam in Concilio Arausicano I. can.12. sic dicitur. *Subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium in aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* Idem constat ex Carthag. IV. cap.67. & ex epist.89. sancti Leonis Papæ. Denique id ipsum liquet ex Ritual. Romano Pauli V. iussu edito, vbi præcipit Pontifex Confessario, *quòd si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, & loquela ægri desiat, mutibus, & signis conetur*, scilicet sacerdos, *quoad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere, quibus vtcumque, vel in genere, vel in specie cognitis, vel etiamsi confitendi desiderium, siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est.* Sanè in his extremis verbis tria manifestè patent. *Primum* est, præcipi à Summo Pontifice, vt moribundus sensu destitutus,etiamsi sola signa voluntatis confitendi dederit,sacramentaliter absoluatur: & sic nescio quomodo hoc nunc negari possit. *Secundum* est, præcipi à Pontifice, vt dictus æger absoluatur,etiam si talia signa voluntatis confitendi non dederit Confessario per se ipsum immediatè,sed per alios. *Tertium* est Paulum V. nihil aliud præcipere, nisi quod Leo citatus, & Concilia prædicta præceperant.

Arausic.I.

185. Secundò probatur, quia si negari possit tunc absolutio, vel esset, quia confessio non facta fuisset in præsentia sacerdotis, vel quia non fuisset integrè facta indicando statum pœnitentis. Prior pars apertè est falsa. nam testes qui ex pœnitente acceperunt confitendi voluntatem, eamdem intimant sacerdoti iam præsenti; ergo tunc pœnitens per testes quasi per interpretes in præsentia confitetur. Posterior pars æquè facilè impugnatur, primò, quia qui recordatur se commisisse peccatum mortale, non tamen cuius speciei, & ideo solùm dicit lethaliter se peccasse, absolui debet, teste S.Thoma in 4. dist.17. quæst.2. art.1.ad 2. Deinde, quia si ægrotus non possit omnia peccata explicare priusquam moriatur, absoluendus est, etiamsi vnum tantùm explicet, vt tenet communis sententia; ergo non est opus vt confessio integra sit materialiter, nisi quantum fieri potest.

Addo primò, licèt sacerdos contrariam teneat sententiam, tenetur sub graui culpa eiusmodi moribundum absoluere. Ita Suarez disp.21. sect.4. & disp.23. sect.1. Vasq. quæst.91. art.1. dub.1. Ioan. Sanctius disp.44. num.12. & plures alij Recentiores, quia cùm nostra sententia sit probabilis, & in praxi tuta, quilibet potest eam vt probabilem sequi; ergo sub graui culpa tenetur. Nam cùm possit consulere æternæ saluti proximi, ad id tenetur saltem ex charitate, si non sit pœnitentis Parochus; si verò sit,etiam ex iustitia. 186.

Addo secundò, vt absoluatur prædictus pœnitens, non opus est petierit expressè confessionem, sed sufficit quòd significauerit se peccasse, & de peccatis dolere. Hanc sententiam tenuit Suarez, sed eam tradunt Enriq. lib.6. cap.10 & Manuel Sà verbo absolutio num.12. & alij plures. Et ratio est, quia exterior illa peccati, & doloris manifestatio, iure pro confessione haberi potest, & hoc aliquo modo insinuare videntur relati Canones. Et quoniam hæc sententia non est ita certa, & ambiguitas esse potest, num signa illa sint ex dolore orta, vel ex angustia mortis, conueniens erit in hoc euentu absolutionem dare sub conditione, si capax est, vel sufficienter confessus, mente retinendo eam conditionem, vel summissè pronunciando:hæc namque absolutio poterit prodesse infirmo, & non obesse sacramento, quia apposita conditione vitatur periculum sacrilegij. 187.

Addo tertiò, sufficere vnius testis fidem affirmantis, moribundum signa pœnitentiæ indicasse. Nec obstant verba illa Concilij Arausicani suprà relata, *Si voluntatis præteritæ testimonium in aliorum verbis habeat.* Id enim asseritur, quia frequentiùs contingit plures assistere infirmis morientibus. Quòd si nullus id testetur, non poterit Confessarius eum absoluere sub conditione:confessio namque debet fieri sacerdoti per pœnitentem, vel interpretem,vt ipse possit absolutionem præstare. 188.

Obiicies primò, quia Trident. vbi suprà, requirit confessionem per quam cognosci possit status pœnitentis,& ideo docet aperiri debere numerum peccatorum, & species. Sed facilè respondetur, Tridentinum requirere eam confessionem quam pœnitens exhibere potest. Vnde sufficiet confessio formaliter integra, cùm non possit fieri materialiter. 189.

Secundò obiicit Nauarr. quia confessio est pars essentialis huius sacramenti: illa autem pœnitentiæ significatio non est confessio. Respondetur, quòd voluntas confitendi in ordine ad æternam salutem consequendam,signo aliquo exteriori manifestata, sufficienter indicat dolorosam peccati conscientiam; quare licèt absque necessitate non sufficiat ad sacramentum, quia tunc præceptum diuinum requirit confessionem expressam; tamen ex necessitate sufficiet,vt ex suprà dictis constat.

Obiicies tertiò, quia Clemens VIII. expungi fecit explicationem suæ Bullæ suprà citatæ, in qua explicatione dicebat Suarius, non esse contra mentem Pontificis, non esse opus vt pœnitens ipse immediatè, & per se ipsum confiteretur præsenti Confessario, sed aliquando sufficere, vt præsenti confessario per alium confiteretur,& sic se habere 190.

moribundum

moribundum, cuius confitendi voluntatem præsenti iam confessario testes fide digni significarent. Respondetur, doctrinam Suarij nequaquam à Clemente VIII. fuisse damnatam. Primò, quia alioqui non licuisset tot Catholicis eam scripto, & typis, & executioni mandare. Secundò, quia ipse Pontifex rogatus, an moribundus in euentu posito deberet absolui. Respondit debere, neque aliter se facturum, neque id vnquam vetuisse suo illo decreto, quo absolutionem dari prohibuit in absentia, vt testatur Cardin. Bellarm. Imò adiunxit puniendum à se Parochum qui in simili euentu pœnitentem cunctaretur absoluere. Tertiò, quia alioquin multo minus potuisset Paulus V. oppositam sententiam tanquam sequendam iniungere toti Ecclesiæ. Ratio autem cur Clemens VIII. explicationem illam Suarij expungi iusserit, est, quia mentem eius adhuc viuentis interpretabatur.

Sectio XXIII.

Explicantur nonnulli casus, in quibus neganda est absolutio, vel differenda.

191. COnueniunt omnes, absolutionem negandam esse pœnitenti, quem Confessarius certò scit in confessione negare peccatum commissum, est enim integritas formalis de essentia confessionis, cuius defectu redditur irritum sacramentum, & huic irritationi cooperaretur confessarius in eo euentu, & abuteretur potestate sibi à Christo collata, indignum absoluendo, quem certò scit esse indignum. Conueniunt secundò similiter absolutionem negandam esse ei qui non affert dolorem necessarium, & efficax propositum non peccandi, iuxta superiùs dicta, quia etiam hi actus sunt partes essentiales huius sacramẽti. Difficultas ergo esse potest in tribus casibus. *Primus* est in eo qui non vult facere id ad quod tenetur. *Secundus* in eo qui habet consuetudinem peccandi, & post repetitas confessiones non emendatur, sed eodem modo relabitur. *Tertius* in eo qui persistit in occasione proxima peccandi. Et quidem primus casus non habet difficultatem, nam qui habet obligationem restituendi, vel soluẽdi debita, & non vult cùm commodè possit, absoluendus non est: si verò non possit statim eã implere obligationem, excusatur pro tunc, & satis est si proponat restituere, vel soluere tempore opportuno quando ad pinguiorem fortunam venerit.

192. Circa secundum. Sanctius in select. disp. 9. existimat, Confessariũ non habere ius ad interrogandum pœnitentem de consuetudine peccandi, cùm neque illud habeat vt bis eadem peccata quis confiteatur: ac proinde si verè habeat dolorem de præteritis, ac in posterum vitæ emendationem firmiter proponat debere pœnitentem statim absoluere. Ex quo infert, si pœnitens probabiliter credat confessarium negaturum illi absolutionem, si peccandi consuetudinem fateatur, posse æquiuocatione vti negando consuetudinem; hæc enim solummodo est circumstantia aggrauans, quæ non est necessariò exprimenda in confessione.

193. Contraria sententia communis est inter Doctores, iuxta quam

Dicendum est primò. Quamuis consuetudo peccandi non sit circumstantia quæ necessariò debeat exprimi, tamen quando à confessario iusta ex causa interrogatur, vt pœnitentis dispositionem intelligat, aperienda est; nec potest pœnitens vti æquiuocatione. Ita Vazquez quæst. 91. art. 1. dub. 3. Enriq. Reginald. Suarez, & plures alij, quos refert, & sequitur Diana 1. part. tract. 7. resol. 15. Quod simul declaratur, & probatur exemplo furti; quamuis enim pœnitens non teneatur exprimere circumstantiam aggrauantem, certum est teneri illam fateri si à Confessario interrogetur, nec potest eam negare, nec vti æquiuocatione, nec exprimere summam minorem, si maiorem fecerit: sic ergo ex eo quòd consuetudo peccandi solum sit circumstantia aggrauans, non bene infertur non debere aperiri in confessione, si à confessario ex iusta causa interrogetur, vt pœnitentis dispositionem, & animum, seu propositum emendationis melius percipiat, & conuenientius applicet absolutionem, & medicinam. Cùm enim confessarius non solùm sit iudex, sed etiam Medicus, habet ius ad interroganda illa, quorum notitia necessaria est ad cognoscendum statum pœnitentis, vt sciat quæ medicina sit ei applicanda, & an indigeat, nec ne, dilatione absolutionis. Nec hoc est cogere pœnitentem vt bis confiteatur eadem peccata directè; & per se, sed tantùm per accidens, & indirectè, ad declarandum statum suum, & indigentiam præsentem. Nam, vt rectè notat Lugus, sæpè necessarium est aperire in confessione peccatum præteritum, ad declarandum peccatum præsens, v. g. coniugatus qui cognouit consanguineam suæ vxoris, postea peccat quoties petit ab vxore debitum, ad quod exprimendum necessarium debet exprimere suum incestum præteritum, & sic in aliis euentibus.

194. Secundò dicendum est, quamuis absolutio non possit differri quando pœnitens est sufficienter dispositus, cæterùm quando non satis constat de firmo proposito emendationis ad id explorandum, bene potest confessarius, & debet differre absolutionem. Ratio huius est iam assignata, quia Confessarius est simul iudex, & Medicus, ac proinde tenetur curare pœnitentem, eo modo absoluendo, qui magis cedat in eius vtilitatem, & remedium; ac proinde quamuis pœnitens legitimè dispositus ius habeat, vt ei absolutio conferatur, non tamen habet ius ad hoc vt statim; & ideo si confessarius timet pœnitentem facilè relapsurum statim in eadem crimina, poterit differre absolutionem, vt sic territus meliùs agnoscat grauitatem peccati, nec maneat in tanto periculo remicidentiæ.

195. Circa tertium, regula generalis est, eum qui est in occasione remota peccandi, posse absolui; persistenti verò in occasione proxima absolutionem esse denegandam. Appellatur autem occasio proxima ea quæ moraliter videtur habere necessariam coniunctionem cum peccato, & quæ talis est ex suo genere, vt frequenter homines ad peccatum inducat, vel experientia constat in hoc homine talem effectum habere. Remota verò occasio dicitur, quæ non habet moraliter illam necessariam coniunctionem cum peccato. Ratio prioris regulæ est, quia aliàs deberemus egredi de hoc mundo qui plenus est innumeris occasionibus; imò omnis creatura dici potest occasio remota peccati, quatenus ex omnibus homo sua malitia potest sumere occasionem peccandi, iuxta illud Sapientiæ 14. *Quoniam creatura Dei in odium facta sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Sap. 14. Ratio verò posteriorís, quia qui in proxima occasione manet, non censetur habere sufficientem dolorem, ac propositum vitandi peccata in futurum, & quia qui vult causam ex qua

Digitized by Google

necessariò regulariter oritur aliquis effectus, ipsum effectum virtualiter vult: & qui amat periculum, in ipso parire necesse est. Vnde eodem præcepto quo tenemur vitare peccatum, tenemur etiam vitare occasionem proximam illius, saltè quando moraliter possumus. Ex quo infertur quando quis domi suæ concubinam retinet, aut in aliena domo, in qua liberè, & ad eius nutum patet aditus, absoluendus non est. Similiter nec absoluendus est, qui concupiscit sæpè fœminam secum in eadem domo habitantem, & sæpiùs admonitus à Confessario, non desistit à desideriis lasciuis: hæc enim desideria peccata mortalia sunt, ex præsentia fœminæ occasionem sumentia; sicut nec est absoluendus qui licèt rem iam non habeat cum concubina; præbet tamen scandalum quod tenetur vitare, quia non eiicit eam à domo, vel quia persistit in visenda ea alio loco commorante.

196. Notanda tamen valde est sententia Nauarri in Manuali cap. 3. quem sequuntur communiter Doctores, pœnitentem posse absolui, quamuis non relinquat occasionem peccandi, concurrentibus quatuor cõditionibus. *Prima* est dolor de peccatis præteritis. *Secunda* firmum propositum non peccandi de futuro. *Tertia* est credulitas qua credit se cum Dei auxilio non peccaturum, quando se in ea occasione inuenerit. *Quarta* quando adest rationabilis causa non separãdi se ab ea occasione, puta quando illa occasio relinqui non potest absque scandalo, vel graui infamia, vel detrimẽto magno spirituali, vel temporali: sic absoluendus est filiusfamilias, quamuis maneat domi ancilla cum qua solitus est peccare, quam ipse expellere non potest; vel si cum fratre, vel sorore habet occasionem peccandi, à quorum conuictu absque graui detrimento separari non potest, & sic in similibus casibus.

197. Inquires, quid aget Confessor quando pœnitens qui sæpiùs absolutus propter graue detrimentum quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, semper tamen eodem modo relabitur, teneturne absolutionem negare. Respondeo, vix posse certam regulam assignari, quia in eo euentu illa occasio non videtur voluntaria, neque assumpta, sed illata, propter quam non censetur pœnitens absolutione indignus; atque ita Ægidius disp. 8. dub. 17. & Suarius disp. 42. sect. 2. cum Nauarr. monent, in eo euentu adhibenda esse omnia media quæ possint pœnitentem ab eo peccato auertere; neque esse illi denegandam absolutionem, quamuis iterum atque iterum reincidat, maximè si aliquantulum se contineat, & numerum peccatorum aliquantulum diminuat: aliquoties etiam erit optimum consilium absolutionem differre, quòd si hæc non sufficiant, interdum etiam erit cogendus pœnitens, quamuis graue nocumentum temporale inde sequatur, sed certè, vt prædixi, non potest tradi certa regula, & sic hoc remittendum est prudentiæ confessarij.

198. Inquires secundò, an Confessarius possit impendere absolutionem pœnitenti, qui per ignorantiam est in statu peccati, vel debeat illum admonere. v. g. quando inter virum, & vxorem est impedimentum irritans matrimonium quòd ipsi inuincibiliter ignorant, & ideo bona fide debitum petunt, & reddunt, & confessarius est conscius huius impedimenti, quid debet agere in hoc, & similibus casibus. Respondeo cum eodem Suario, teneri monere si credit suam monitionem profuturam absque vllo scandalo, vel graui incommodo: si verò non sperat fructum, vel timet graue scandalum, vel aliud incommodum sequuturum, potest & debet tacere, ac pœnitentem in sua bona fide relinquere, ita plures Doctores, quos ibidem citat Suarius, & sumitur ex cap. *Consultationi*, de frigidis & malefic. vbi Pontifex declarauit, duos qui contraxerant matrimonium inualidum propter impotentiam coeundi, posse simul cohabitare vt fratrem, & sororem, propter scandalum, & infamiam, cùm tamen periculum esset tactuum, & aliorum peccatorum; quanto magis hoc verũ erit quando interuenit bona fides contrahentium, & laborant ignorantia inuincibili impedimenti.

DISPVTATIO V.

De Ministro confessionis.

SECTIO I.

An solus sacerdos sit Minister huius Sacramenti.

SVPPONENDVM est primò tanquam fide certum, Christum Dominum Ecclesiæ Pastoribus reliquisse potestatem dimittendi peccata. Sic constat ex Concilio Lateranensi in cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & ex Constantiensi sess. 8. & ex Florent. in decreto Eugenij IV. vbi diffinitur, *in hoc sacramento formam esse: Ego te absoluo; effectum verò remissionem peccatorum: & hanc potestatem in Ministro residere.* Et denique ex Trid. sess. 14. cap. 1. & 6. Quod probat Concilium ex illo Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. 1. Ioan. 20.

Secundò supponendum est, certum etiam esse de fide, hanc potestatem collatam fuisse à Christo per modum iudicij. sic diffinitur in eodem Tridentino sess. citata, vbi dicitur, esse actum iudicij, id etiam ostendit peccatorum exacta manifestatio, & vsus Ecclesiæ, atque Patrum consensus, qui omnes agnoscunt Ecclesiæ tribunal apud Sacerdotes, & ratio etiam congrua suffragatur, quia non decebat vt secunda restauratio lapsi post Baptismum esset æquè facilis atque Baptismus, sed laboriosior, & durior. 2.

Tertiò supponendum est, potestatem collatam sacerdotibus esse verè ad remittendam culpam. Et quamis circa hanc rem olim aliqua dissensio exiterit, modò tamen ita certa est, vt sine errore negari non possit, & colligitur apertè ex Florentino in eodem decreto, vbi dicitur, rem pœnitentiæ, hoc est, eius effectum, esse remissionem peccatorũ; quod interpretari nõ possumus de remissione quoad pœnam Et ex Trid. nam sess. de sacramentis in genere, postquam canon. 1. diffiniuit, pœnitentiam cum aliis esse verè, & propriè sacramentum, statim canone 6. diffinit, sacramenta & continere, & conferre gratiam, & non tantùm esse signa acceptæ iustitiæ. Deinde sess. 6. cap. 14. cùm dixisset, post remissam culpam nos debere adhuc satisfacere, subdit: *Non quidem pro pœna aterna, quæ vel sacramento, vel sacramenti voto, vna cum culpa remittitur.* Et sess. 14. cap. 3. dicit, effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo, quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet; ergo non solùm remissio pœnæ. Nam per remissionem pœnæ non reconciliamur cum Deo, sed per remissionem culpæ, & ratio id 3. Trident.

conuincit

conuincit deducta ex principiis fidei, quia ea potestas vel est tantùm ad remittendam pœnam temporalem, vel æternam: vtrumque autem est falsum, non primum, quia multis aliis mediis facilioribus potest remitti pœna temporalis per indulgentias, & alia pia opera, & remissio pœnæ temporalis non est ad salutem necessaria. Vnde sacramentum hoc si tantùm ex virtute clauium remittit pœnam temporalem, illud vt sic, non est necessarium ad salutem. Quòd verò non sit ad remittendam tantùm pœnam æternam, probatur, tum quia pœna æterna & culpa sunt inter se necessariò coniuncta, & quandiu manet culpa, manet reatus pœnæ æternæ, & tollitur ablata culpa; neque enim postea aliquis est dignus æterna pœna. Tum etiam, quia si à Deo remittitur culpa, & infunditur gratia, non potest adhuc manere reus æterni supplicij, quia semel infusa gratia absque aliquo alio fauore, fit sanctus, filius Dei, & dignus gloria; ergo impossibile est manere cum reatu pœnæ æternæ. Tum denique, quia minoris efficaciæ esset contritio in lege noua, quàm in veteri, in qua simul auferebat culpam, & reatum pœnæ æternæ, sine vlla absolutione.

4. Quartò supponendum est, ex communi Doctorum sententia, duplex considerari corpus Christi, scilicet verum, & mysticum. Verùm & naturale est illud quod ex Beata Virgine desumptum est: mystic um verò est Ecclesia. Sic etiam duplex distinguitur potestas ordinis sacerdotalis, vna in corpus Christi verum, & naturale, ad conficiendum illud sub speciebus panis, & vini per verba consecrationis. Alia verò in corpus mysticum. Et primam quidem concessit Christus Apostolis, cùm dixit in nocte cœnæ, *Hoc facite in meam commemorationem.* Secundam verò post resurrectionem cùm dixit Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum.* & in ordinatione sacerdotis primo confertur cùm dicit Episcopus, *Accipe potestatem offerẽdi sacrificium*, &c. Secundam verò cùm dicit paulo pòst, *Accipe Spiritum sanctum*, &c. Inquirimus ergo, an potestas remittendi peccata Ecclesiæ relicta, exigat necessariò potestatem ordinis.

5. Sit conclusio. Ad vsum huius potestatis necessariò requiritur etiam potestas Ordinis Presbyterij: hæc conclusio certa est secundùm fidem catholicã, solùm scilicet sacerdotem esse Ministrum huius sacramenti. Ita diffinitur in Trident. sess. 14. cap. 6. vbi ita asseritur. *Circa Ministrum autem huius sacramenti declarat sancta Synodus falsũ esse, & à veritate Euangely penitus alienas, doctrinas omnes quæ ad alios quoslibet homines, præter Episcopos, & sacerdotes, clauium ministerium perniciosè extendunt.* & canone 10. *Si quis dixerit, non solos sacerdotes esse Ministros absolutionis*, &c. *anathema sit.* Ex quo Trident.

6. Infertur primò, in nulla necessitate posse Ecclesiam dispensare, vt aliquis non sacerdos sacramentaliter absoluat, quod apertè colligitur ex Florentino, & Trid. locis citatis. In his enim, quæ diuinitus instituta sunt circa Ministrum, materiam, & formam sacramenti, Ecclesia nihil immutare potest. Accedit quòd Florentinum in nonnullis sacramentis cùm assignasset Ministrum ordinarium, expressit etiam quando alius esse poterat ex commissione, vt in sacramento Confirmationis: quare si non sacerdos posset etiam esse Minister huius sacramenti, etiam expressisset.

7. Secundò infertur, confessionem factam non sacerdoti, etiam in quacumque necessitate, nullam omnino esse ex defectu potestatis, quantumuis sanctitate fulgeat is cui fit confessio. Neque id negant aliqui Doctores catholici cùm dicunt posse fieri confessionem laïco, non enim agunt de sacramentali confessione, in quo valde discrepant ab hæreticis qui etiam sacramentalem confessionem laïco fieri posse autumant, & ab eo peccatorum absolutionem impetrare.

8. Contra hanc veritatem senserunt hæretici VViclef, & Lutherus, eiusque discipuli. Pro quorum errore potest adduci illud Iacobi 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* non ergo sacerdos tantùm est designatus Minister, & illud etiam 1. Petr. 2. *Vos autem genus electum, Regale sacerdotium,* quo loco cùm sermo sit ad Fideles omnes, omnibus tribuitur nomen sacerdotij. Et Apocalyps. 1. *Fecisti nos Deo regnum, & sacerdotes.* Sed facilè respondetur Iacobum non loqui de confessione sacramentali, sed de ea quæ fit ad capiendum consilium, vel si de sacramentali loquitur, ita facienda est alterutrum, vt non fiat cuilibet indiscriminatim, sed tantùm sacerdoti. Sic explicant hunc locum Beda, & Hugo de sancto Victore lib. 2. de sacramentis part. 4. cap. 1. Sensus itaque est, Confitemini qui absolutione indigetis, illis qui habent potestatem absoluendi. Ad testimonium D. Petri dicimus ea ratione dici de Fidelibus, quia Ecclesia sacerdotium continet, licèt non in omnibus suis membris. Sic intelligendum illud Apocalypsis, *Fecisti nos Deo regnum, & sacerdotes*; sicut enim non facit omnes Reges, ita neque sacerdotes; hoc itaque habet Ecclesia in aliquibus membris suis. Iacob. 5. 1. Petr. 2. Apoc. 1.

9. Secundò potest obiici textus in cap. *fures*, extrà de furtis, vbi præcipitur, vt fur qui in actuali furto interficitur, careat sepultura, & subditur. Si autem Presbytero, vel Diacono confessus fuerit, communione non priuetur; & confirmatur ex Cypriano lib. 3. epistola 17. vbi committit Diacono, vt in absentia Presbyteri reconciliet pœnitentem iam animam agentem. Respondetur, omissis aliis interpretationibus, verba textus hæc esse. *Fures, & latrones, si in furando, & depredando occiduntur, pro eis non esse orandum: quòd si comprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non esse negandam.* Vult ergo textus, pro eo qui occiditur in flagranti delicto, non esse orandum, neque offerendum Missæ sacrificium, tanquam pro eo qui in publico peccato obstinatus decessit, & qui est extra salutis statum: si verò comprehensi, vel vulnerati signa pœnitentiæ dederint coram Presbytero, vel Diacono, quibus in hoc maior fides debetur, sicut & maior auctoritas est, & tunc decesserint, vel ad supplicium rapti fuerint, vel suspensi, non esse negandam communionem. quæ verba non de communione Eucharistiæ accipienda sunt, sed de communione Ecclesiastica, iuxta quam & oratur pro mortuis, & offertur sacrificium: eam enim communionem concedit secundo latronum generi, quam negauerat primo. Itaque Presbyter, & Diaconus eo loco nominandi sunt, non tanquam confessionem sacramentalem excipientes, sed tanquam testes signorum pœnitentiæ, ob quæ sola vult Ecclesia non negare eis communionem in sepultura, orationibus, & oblationibus, sicut negatur decedenti in peccato mortali manifesto. D. verò Cyprianus apertè loquitur non de sacramentali absolutione, sed de solemni reconciliatione pœnitentis, sic explicat Soto in 4. distinct. 18. Et in hoc sensu accipiendum est, quod habetur Cypr.

Digitized by Google

in Concilio Eboracensi sub Celestino III. *Decernimus, vt nisi summa, & graui vrgente necessitate, Diaconus non baptizet, corpus Christi eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat.*

Sectio II.

An hæc potestas remittendi peccata sit diuersa à potestate Ordinis, & quomodo conferatur.

10. COnueniunt omnes Doctores, exceptis Durando, Almayno, & Armacano, potestatem hanc Ecclesiæ relictam non esse eamdem cum potestate Ordinis sacerdotalis, scilicet conficiendi corpus Christi; sed vlteriùs requiri potestatem iurisdictionis in illum qui absoluendus est, itavt sine hac iurisdictionis potestate, non possit pœnitens absolui licitè, sed neque validè, siue ignoràter, siue scienter id accidat: idque constat ex Florentino in decreto de sacramentis, & ex Tridentin. sess. 14. cap. 7. & ex diuisione Episcopatuum, & diœcesum, & ex praxi totius Ecclesiæ. Et in eodem Florentino dicitur, Ministrum huius sacramenti esse sacerdotem, habentem potestatem ordinariam, vel ex commissione. Et Trident. loco citato, ait, Trident. *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse, nullius esse momenti absolutionem quam sacerdos profert in eum in quem sibi ordinariam, siue subdelegatam iurisdictionem non habet.* Constat etiam ex ipsa institutione, quia sacramentum hoc per modum iudicij institutum est, & Ministri illud exercent ferendo sententiam: iudicium autem sine iurisdictione exerceri non potest. Certum denique est, non omnes sacerdotes indifferenter eam potestatem habere: alias non dixissent Concilia, huius sacramenti Ministros eos esse, qui ordinariam potestatem haberent; vel ex commissione, sed simpliciter omnes sacerdotes. Et confirmatur, quia si omnes sacerdotes eam potestatem iurisdictionis haberent cum ordine; ergo omnes essent iudices; ergo omnes haberent eam potestatem ordinariam, & nullus ex commissione, vel delegatam: ad quid enim esset necessaria delegatio, si eam potestatem sacerdos habet? Cùm autem hæc potestas iurisdictionis Ecclesiæ relicta, diuersa sit à potestate Ordinis, superest explicandum, vbi, quando, & à quo conferatur. Et quomodo in sacramento Ordinis dicantur sacerdotes iudices constitui; hæc enim inter se coniuncta sunt, & in his explicandis multum laborant Doctores.

11. Prima sententia absolutè docet, Ordinis potestatem conferri quidem in ipsa ordinatione, & immediatè accipi à Christo; potestatem verò iurisdictionis totam deriuari ab Ecclesia, ac proinde ab ea limitari posse ad certas personas, & ad certa peccatorum genera. Ita D. Bonauent. in 4. dist. 19. art. 3. quæst. 1, Suar. disp. 16. sect. 3. Lugus disp. 15. sect. 2.

12. Secunda sententia in vniuersum affirmat, hanc potestatem iurisdictionis conferri quidem sacerdoti immediatè à Christo in sacramento Ordinis, sed non omnino integram, & sine dependentia ab Ecclesia: quod tribus modis explicant. Primò enim nonnulli existimant iurisdictionem habitualem conferri, non actualem; quia prohibentur absoluere ab Ecclesia, & ea prohibitione impeditur iurisdictio, sic docet Nauarr. in summ. cap. 4. num. 3. & cap. 27. num. 39. Nomine autem potestatis habitualis intelligit, potestatem absoluendi à peccatis detracta materia per legem, & prohibitionem Ecclesiæ: actualem autem eam non impeditam lege humana quæ potest materiam subtrahere, ita docet in cap. *Placuit*, de Pœnitentia dist. 1. num. 48. Vnde admittit, omnes Presbyteros primitiuæ Ecclesiæ eam potestatem habuisse non impeditam, sed actualem iurisdictionem in omnes, poterant enim omnium confessiones audire.

13. Alij prædictam sententiam aliter explicant, dicunt enim dupliciter contingere aliquam habere potestatem iurisdictionis. Primò, ex parte principij iudicandi, quæ tribuit iudici vim, & efficaciam iudicandi, qualis est in Principe. Secundo modo ex parte illius qui iudicandus est, quatenus potest se submittere iudicándum alterius iudicio; & hanc dicunt requiri ad sacramentũ Pœnitentiæ, suppositа potestate ordinis in absoluente. Ita Caiet. tom. 1. opusc. tract. 7. quæst. 1. Ex quo infert, rectè posse Summum Pontificem se subiicere absoluendum alteri sacerdoti, qui non habet potestatem iurisdictionis in Pontificem, nec deriuatam à Christo, neque à Pontifice; acceptam sed tantùm à Christo habet potestatem Ordinis, iurisdictionis verò non alio modo, nisi quatenus Pontifex vult se subiicere illi habenti potestatem Ordinis.

14. Tertiò alij sentiunt, hanc potestatem iurisdictionis immediatè communicari à Christo Pontificibus, Episcopis, & Parochis; aliis verò tantùm ab Ecclesia. Ita Castro lib. 1. de iusta hæreticorum punitione cap. 24. Petrus Soto sect. 5. de confessione. Hæ tamen omnes sententiæ potius in modo loquendi, quàm in re differunt. Sit ergo

15. Prima conclusio. Hæc potestas iurisdictionis nõ tota ab Ecclesia cõfertur. Probatur primò. Quia sacerdos in ordinatione accipit potestatem soluendi atque ligãdi, cùm ei dicitur, *Accipe Spiritũ sanctum*, &c. Sed ea quæ accipit in sacramento Ordinis ex vi ordinationis, nõ accipit ex aliqua humana dispositione, sed ex diuina institutione; quòd si in eo sacramento accipit potestatem ligandi, atque soluendi; ergo etiam potestatem iudicandi, siue ius dicendi in peccata: aliàs non haberet potestatem ligandi atque soluendi; ergo etiam accipit iurisdictionem, quia iurisdictio non est aliud, quàm potestas de re cognoscendi, & iudicandi. Vnde meritò Trid. sess. 14. cap. 7. Ex eo quòd hoc sacramentũ sit institutum per modum iudicij, & in eo sacerdotes constituti sunt iudices, colligit in Ecclesia semper persuasum fuisse absolutionem sine iurisdictione esse nullam; iudices enim sine iurisdictione esse non possunt. Vrgeo, quia non potest assignari quis alius effectus sit illorum verborum, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. Respondet Suarez, ibi concedi potestatem sanctificandi homines existentes in peccato, & quia illa sanctificatio exerceri debet per modum iudicij, dari postea iurisdictionem ab Ecclesia. Sed contrà, nam falsum est illis verbis non dari determinatum modum sanctificandi, additur enim, *Quorum remiseritis*, &c. ergo datur non quæcumque potestas sanctificandi, sed ligandi atque soluendi: non enim habemus alia verba vnde magis præcipuè colligamus in hoc sacramento relictam esse à Christo potestatem per modum iudicij, nisi hæc verba Ioan. 20. ergo cùm hæc eadem verba ex quibus Ecclesia colligit potestatem hanc iudicandi, dicantur sacerdoti in ordinatione, & verè dicantur, planè concedendum est illis verbis tunc conferri potestatem ligandi atque soluendi: aliàs potiùs dici debere, accipietis suo tempore Spiritum sanctum non

Digitized by Go

non verò accipite nunc : & aliàs etiam sequeretur, non magis conferri sacerdoti per hæc verba, quàm per examen Episcopi, quia tunc etiam efficiuntur idonei vt possint eligi in iudices.

16. Secundò probatur ab inconuenienti, quia si ea iurisdictio in pœnitentem daretur iure humano, & Ecclesiastico, posset ergo vel consuetudine induci, vel etiam præscribi cõtra eam iurisdictionem. nam etiam contra iurisdictionem currit præscriptio : at Pontifex in cap. *Si Episcopus*, de pœnit. & remiss. in 6. dicit, Nulla consuetudine posse induci, neque præscribi vt aliquis sine superiorum licentia possit sibi confessarium eligere, cuius ratio est, quia contra ius diuinum nulla potest currere præscriptio, sequeretur etiam aliud inconueniens si ea iurisdictio ab homine conferatur, non posse Pontificem se submittere absoluendum confessori quem eligeret, quia iurisdictio exerceri non potest in superiorem, neque æqualem, vt lege receptum est 14. ff. de iurisdict. at in se ipsum nemo iurisdictionem alteri conferre potest; esset enim iudex in propria causa, quod est absurdum. Neque obstat quòd Pontifex in eo casu subeat personam pœnitentis. nam etiam tunc cùm pœnitens est, retinet potestatem superioris, & est origo illius iurisdictionis quæ in confessario resistet, atque adeò posset reuocare, & non acceptare iudicium.

17. Secunda conclusio. Hæc potestas remittendi peccata non datur actualis ex vi ordinationis, & prohibitione Ecclesiastica impeditur iurisdictio, vt vult Nauar. probatur, quia si iure diuino ex vi ordinationis confertur vnicuique sacerdoti potestas ad actu absoluendum pœnitẽtem, sequitur primò non posse ab Ecclesia priuari ea potestate, ita vt nullum sit quod fecerit, sequitur deinde quòd quamuis sua prohibitione impediret Ecclesia, adhuc validè ministraret sacramentum. Vtraque sequela probatur exemplo desumpto ex potestate ordinis, hæc enim quia planè conceditur à Deo ex vi sacramenti Ordinationis, inde fit, vt nunquam auferri possit à degradato sacerdote, nec potest Ecclesia sua lege efficere vt non conferatur ea iurisdictio, cùm in ordinatione dicatur, *accipite Spiritum sanctum*. Ex quo etiam sit, vt quamuis Ecclesia prohibeat sacerdoti vt non celebret, tamen non potest efficere vt inualidè & sine effectu celebret. Cuius ratio à priori est, quia Ecclesia non potest irritare actum sacramentalem, positis omnibus quæ necessaria sunt, licèt prohibeat exercitium talis actus ; ergo cùm in nostro casu concurrant omnia, non potest inualidũ efficere sua prohibitione. Neque enim dici potest ea prohibitione auferre materiã, & ideo non efficecere validè, quia prohibitio nõ est subtractio materiæ, vt patet in actu consecrandi, materiã enim eius tollere non potest nisi per vim auferendo panem : si ergo iure diuino ea potestas actualis collata est; ergo etiam iure diuino quicumque pœnitẽs subditus est actuali iurisdictione; neque enim actualis potestas sine actuali subdito potest intelligi. Neque vim habet id quod adducit Nauarr. olim in primitiua Ecclesia omnes sacerdotes habuisse eam actualem iurisdictionem in quosuis. nam quamuis id concedamus, adhuc dici potest, eam amplitudinem ex Ecclesiæ constitutione prouenire quæ omnem materiam applicuit omnibus, iuxta inferiùs dicenda in articulo mortis, vel de peccatis venialibus, & etiam de mortalibus iam ritè confessis.

18. Tertia conclusio. Hæc potestas iurisdictionis quæ est in confessario ad absoluẽdum, non tantùm est passiua ex parte eius qui iudicãdus est, sed etiam actiua, & ex parte principij, est contra Caiet. & probatur ex Conciliis Florent. & Trident. vbi dicitur, Ministrum huius sacramenti esse qui habet iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, adeò vt sine illa iurisdictione non solùm illicitè, sed nec validè possit absoluere : hæc autem verba non possunt accipi de iurisdictione tantùm passiua, cùm non sit pœnitentis conferre iurisdictionem ordinariam, vel delegatam ; neque ea subiectio pro voluntate pœnitentis potest applicare materiam iurisdictionis ordinariæ, & delegatæ.

19. Quarta conclusio. Potestas, seu iurisdictio ad absoluendum à peccatis quæ confertur sacerdotibus ex vi ordinationis, non est ex se completa, & sufficiens, ad validè absoluendum, sed tantùm inchoata nullum subditum determinatè respiciẽs; perficitur tamen ab Ecclesia quando sacerdotibus designat subditos, siue designatione ordinaria, siue delegata. Ita Vazq. & Turrian. quos refert, & sequitur Hurt. disp. 10. diff. 3. & hic modus explicandi hanc rem mihi videtur omnium facillimus, & ex eo facile colligitur, quomodo non quilibet sacerdos possit validè absoluere, sed ille tantùm, qui ab Ecclesia in iudicem constituitur aliquorum, designando ei subditos, assignatione ordinaria, siue delegata. Et hac ratione Summus Pontifex potest sibi eligere confessarium, perficiendo, & complendo iurisdictionem à Christo in ordinatione acceptã, se ipsum in eo foro illi subditum designando, ex potestate generali quam habet designandi subditos sacerdotibus. Ita rectè Hurtado vbi suprà.

SECTIO III.

An facultas concessa Sacerdotibus absoluendi in articulo mortis, sit de iure diuino.

20. SEntentia est affirmans, quam tenent Palud. Durand. Capreol. Canus, apud Hurt. diffic. 7. Quia aliàs defecisset Christus in necessariis, si hanc iurisdictionem immediatè non cõcessisset omnibus sacerdotibus, & id reliquisset Ecclesiæ faciendum.

21. Prima conclusio. Quilibet sacerdos in sui ordinatione dictam iurisdictionem completam non accipit immediatè à Christo, sed ab Ecclesia ; ac proinde hæc facultas concessæ omnibus sacerdotibus non est de iure diuino. Ita D Bonauent. Vazq. Suarez, & alij, quos refert, & sequitur Lugus disp. 18. sect. 1. & probatur primò ex Trident. sess. citata cap. 7. vbi ait : *Piè semper in Ecclesia fuisse custoditum, vt omnes sacerdotes possint quoslibet pœnitentes in articulo mortis constituntes absoluere à quibusuis peccatis, & censuris.* Trident. quibus verbis id reducit in pietatem Ecclesiæ ; non ergo fuit à Christo immediatè constitutum. Secundò, quia quando Pontifices reseruant sibi absolutionem alicuius peccati, semper solent excipere, *præterquam in mortis articulo* : hæc autem exceptio superflua foret, si iurisdictio pro illo articulo à Pontificibus non penderet. Tertiò, quia Christus, vt dictum est sectione præcedenti, reliquit Ecclesiæ assignationem, & applicationem subditorum ipsis sacerdotibus; nec est sufficiẽs fundamentum ad excipiendum hunc casum in articulo mortis, cùm ex nullo iure id constet. Nec ideo Christus deficit in necessariis, quia Ecclesia ab Spiritu sancto instructa, & edocta, potuit conferre hanc iurisdictionem omnibus sacerdotibus, sicut verè concessit, & ab exordio nascentis Ecclesiæ nunquam ea iurisdictione sublata est.

Addo contra Medinam, Couarr. Sotum, Nauar. & Ledesm. eam iurisdictionem absque vlla exceptione concessam ab Ecclesia fuisse omnibus sacerdotibus etiam hæreticis, schismaticis, degradatis, & excommunicatis non toleratis. Et ratio est, quia Trident. absque vlla exceptione loquitur, nec applicationi, & subiectioni, qua omnes subiicit Ecclesia in articulo mortis constitutis, obstat hæresis, nec schisma, nec excommunicatio. Ita tenent Recentiores communiter, quamuis vt licitè valeant etiam in eo euentu hoc sacramentum ministrare, necesse sit quòd per contritionem, aut aliter à peccato mortali iustificentur.

23. Secunda conclusio. Quamuis valdè probabile sit, quemlibet simplicem sacerdotem posse absoluere à peccatis, & censuris, in articulo mortis constitutum, etiam in præsentia proprij sacerdotis: tamen probabilius existimo non posse non solùm in præsentia proprij sacerdotis, sed nec etiam in præsentia delegati. Prior pars statuitur contra Turrian. in select. dub. 77. vbi affirmat, hanc sententiam esse improbabilem, & damnatam à Gregorio XIII. Sed certè fallitur in hac censura, & probatur ex Tridentino vbi suprà. Inquit enim.

Trident. *Verumtamen piè admodum, ne ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque ideo omnes sacerdotes, quoslibet pœnitentes à peccatis, & censuris absoluere possunt.* Quæ verba cùm vniuersalia sint, & nullam conditionem, vel limitationem apponant, & Concilium absolutè, & indistinctè dicat, omnes sacerdotes ea potestate gaudere in eo articulo, videtur omnibus parem iurisdictionem conferre; nec est cur à nobis limitentur, & restringantur, cùm lex ipsa non distinguat, nec restringat, & ita tenent grauissimi Doctores, Nauarr. Rodriq. Enriq. Villalob. Barbosa, Cotiolanus, Valerius, Zerola, Paulus Comitolus, Ledesma, & alij, quos refert, & sequitur Diana 1. part. tract. 5, resolut. 5.

24. Secunda pars probatur, quia cessante fine legis, cessat ipsa lex: finis autem huius confessionis fuit subuenire necessitati fidelium, vt colligitur ex illis verbis Concilij, *Ne ipsa occasione aliquis pereat*, fuit subuenire necessitati fidelium; ergo quando non datur hæc necessitas, eo quòd proprius confessarius adest, non concedit Ecclesia talem facultatem. Et confirmatur ex vsu, & praxi Ecclesiæ in aliis sacramentis, quæ certè numquam ministrantur infirmis ab alieno sacerdote, nisi in defectum proprij.

25. Et quod de articulo mortis diximus quando iam mors instat, simili modo intelligendum est de mortis periculo, cùm scilicet est probabile, seu prudens dubium mortis, quale est in actuali bello in longa nauigatione; in quauis infirmitate valdè periculosa vt doloris lateris, tabardilli, &c. quia ex vsu Ecclesiæ articulus mortis, & periculum mortis pro eodem vsurpantur, vt constat ex cap. *Eos*, de sentent. excommun. lib. 6. vbi ille qui vocatus fuerat articulus mortis, statim vocatur periculum, & ex cap. *Si quis suadente* 17. quæst. 4. vbi excipitur periculum mortis, & huius exceptionis fuit mentio in cap. *Non dubium*, & ibi appellatur articulus mortis, & latè, & doctè probat Sanctius lib. 2. decalogi cap. 13. & colligitur manifestè ex motiuo Ecclesiæ ad concedendam hanc facultatem omnibus sacerdotibus, ne scilicet ob defectum iurisdictionis aliquis periret; quod certè periculum non vitaretur, si semper expectandus esset mortis articulus, quando mors iam instat, & vita omnino desperata est; quia sæpè in eo euentu iam non esset opportunitas confessionis faciendæ. Itaque hæc regula seruanda est, quoties homo in tali periculo est constitutus, vt tam iure diuino, quàm positiuo, tum etiam iure naturali charitatis erga se ipsum teneatur confiteri, toties intelligitur Ecclesiam concedere supradictam facultatem.

26. Dices, ex hoc videtur sequi, quemlibet simplicem sacerdotem posse absoluere à censuris, & casibus reseruatis omnes parturientes, partus quidem dolores iam sentientes, vel partui proximè vicinas, tanquam constitutas in periculo mortis. Respondetur negando sequelam, loquendo de omnibus prægnantibus, & concedendo eam de prægnante quæ primum partum sit editura, vel de his, quæ difficiles, & periculosos partus solent habere. Ita Nauarr. in manuali cap. 2. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 5. Graffius part. 1. lib. 1. cap. 11. & plures alij.

27. Hæc dicta sunt de solis mortalibus non confessis. nam de confessis, & de venialibus dicendum est cum communi sententia, quemlibet sacerdotem etiam extra articulum mortis, siue quotiescumque voluerit extra necessitatem, posse absoluere, modò de illis solum fiat confessio: non quidem ex iure diuino, sed Ecclesiastico; etiam præsente sacerdote exposito, & approbato. Ita Suarez disp. 26. sect. 5. Ægidius disp. 8. dub. 2. & plures alij quos ipsi afferunt: aliàs non posset Ecclesia si hoc de iure diuino esset, auferre hanc potestatem, vt de facto id contingit in excommunicatis non toleratis, & degradatis, quos de facto priuat iurisdictione etiam ad confessionem venialium, & quamuis id neget Vazquez, est communis sententia Doctorum.

Sectio IV.

Qua ratione adquiratur Iurisdictio ordinaria.

28. Dvplex est Iurisdictio, vna ordinaria, & est illa quæ alicui competit ratione officij quo fungitur. Altera verò est delegata, quam quis habet ratione concessionis factæ ab eo, qui iurisdictionem ordinariam habet.

Omnes autem ordinarij iudices reducuntur ad tres ordines.

Primus continet solùm Summum Pontificem, qui habet iurisdictionem immediatè à Christo independenter ab alio; licèt enim eligatur ab hominibus; tamen neque ipsi, nec vniuersa Ecclesia dat illi iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediatè iurisdictionem confert, taliter quòd nemo potest illum priuare; habetque illam vniuersalissimam quoad loca, personas, & culpas, & quoad modum vtendi illa; siue per se immediatè, siue per alios. Ita docent omnes Doctores communiter, & constat ex illis verbis Ioan. 21. *Pasce oues meas.* Nec obstat, quòd quando Pontifex est hæreticus, deponitur, & censuris subiacet; ergo ab Ecclesia tollitur tunc iurisdictio. Respondetur, hanc censuram hæreticorum esse de iure diuino, & quousque talis esse probetur, declaretur, & deponatur, non perdit iurisdictionem. Ioan. 21.

29. De Apostolis autem est graue dubium. Quidam falsò asserunt accepisse iurisdictionem à D. Petro, inter quos sunt Turrecrem. & Palud. sed dicendum est

Digitized by Google

est Apostolos accepisse suam iurisdictionem immediatè à Christo Domino; diuerso tamen modo ab eo quo fuit concessa D. Petro. nam illis concessa fuit tanquam legatis in totum orbem: Petro verò tanquam Christi vicario, & Ordinario, cui alij Summi Pontifices succederent: ideo illa cum personis Apostolorum expirauit; hæc verò non expirauit cum persona D. Petri, & sic illorum iurisdictio potest reduci ad hunc primum ordinem.

30. Secundus Ordo continet Episcopos, ad quem reducuntur Vicarij Episcoporum, Abbates exempti, & similes, vt sunt Generales, & Prouinciales in sua Religione, & Prouincia. Et quidem circa Episcopos nonnulli asserunt, eos iure diuino & immediatè à Christo habere, & accipere suam iurisdictionem, non verò à summo Pontifice. ita Castro, Victoria, & alij multi. Verior tamen & communis sententia docet, eam iurisdictionem esse de iure humano, & illam accipere immediatè à Papa, quod facilè ostenditur ex eo quòd sunt multi Episcopi solùm titulares, hoc est, sine subditis, sine quibus non datur iurisdictio completiuè: tum etiam, quia Pontifex priuat Episcopos iurisdictione. Quapropter Episcopum habere tot, aut tot subditos, & huius, vel alterius loci, solùm est ex iure humano, & eo ipso quo quis constituitur Episcopus alicuius loci, accipit iurisdictionem in eos. Nec obstat quòd Episcopi sunt successores Apostolorum in dignitate, quia, vt prædictum est, iurisdictio illa data fuit Apostolis, tanquam legatis, & ideo cum illis expirauit. Vbi nota, Archiepiscopum non habere iurisdictionem in subditos Episcoporum ad eorum confessiones excipiendas, nisi tempore visitationis.

31. Tertius ordo continet Parochos. Ad hunc reducuntur Vicarius perpetuus Parochi, Archipresbyteri, & in Religionibus Prælati immediati, vt Priores, & Guardiani. Certum itaque est primò horum iurisdictionem esse ex iure humano. Secundò iurisdictionem terminari non loco, sed personis: quapropter possunt absoluere sibi subditos etiam in alieno territorio, quia hoc iudicium est sine strepitu. Tertiò non acquirere ius in personas quæ peccant in Parochia sua, sed eas debere confiteri illa peccata Parocho suo.

32. In vnaquaque autem Ecclesia parochiali, Parochus est proprius Minister omnium qui intra illius Parochiæ terminos morantur, siue sint laici, siue sacerdotes; seclusis priuilegiatis, vt sunt Religiosi, & Moniales, quæ si subiecti sint Episcopo, iste, aut alius ab eo designatus, erit proprius Sacerdos, siue Minister.

33. Reges, & Principes supremi, ex priuilegio solent esse exempti, & huic standum; à iure verò sunt exempti, familia Pontificis, & Cardinalium; isti enim sunt proprij sacerdotes illorum. Familia Episcopi à iure non est exempta, potest tamen, si velit, eximere. Quædam personæ in dignitate constitutæ, vt Decani, Archidiaconi, & similes, immediatè subiiciuntur Episcopis ex priuilegio, aut consuetudine.

34. His tamen positis, adhuc manet difficultas circa quinque genera personarum. *Primum* de habentibus duo, vel plura domicilia in diuersis Parochiis, in quibus habitant per diuersa anni tempora, & de his dico liberum esse illis confiteri vtrique Parocho, sicut in vtroque loco possunt sepeliri, & matrimonium contrahere. *Secundum* de his qui in vno loco habent domicilium fixum, in alio verò non fixum, vt sunt scholastici, litigantes, mercatores, &c. & de his dico esse eum in cuius Parochia habitant, etiamsi non sit fixa habitatio, & etiam eum, in quo domicilium habent; ita vt possint confiteri vtrique pastori, pro vt magis libuerit, eodem modo, ac quando quis domicilium habet in duabus Parochiis. *Tertium* de Vagabundis, qui nullum habent domicilium, neque certam, ac constantem sedem, & de his dico esse Parochum eum, qui est in loco in quo pro tempore reperiuntur; in his namque hominibus actualis habitatio succedit loco domicilij, cùm aliud non habeant; vel possunt confiteri cui voluerint, secundùm Nauarr. & Caietan. verbo Absolutio cap. 3. *Quartum* de Parochis, Episcopis, & Cardinalibus. Et de Parochis dico esse Episcopum, aut Abbatem. De Episcopis, & Cardinalibus, esse summum Pontificem. *Quintum* de iter agentibus, & peregrinis, qui habent alibi domicilium suum, & de his dico proprium Parochum esse illum, qui est in eo loco, in quo habent domicilium. Et quidem olim ab eo petebant facultatem confitendi aliis in itinere; nunc autem ex consuetudine, vel tacita Parochi licentia, possunt confiteri, vel Parocho loci ad quem perueniunt, vel aliis delegatis: imò probabiliter censeo validam esse confessionem iis factam, etiamsi hoc solo fine iter fiat.

35. Regulares itinerantes de licentia suorum superiorum, possunt confiteri cum alio Regulari alterius Ordinis, approbato à suo Superiore, quamuis ab Episcopo non sit approbatus: si verò confiteatur cum sacerdote seculari, poterit Superior exponere illis confessorem non approbatum ab vllo Episcopo, vt tenet Suarez disput. 28. sect. 4. ex Nauarr. in summa cap. 4. num. 7. quod probat, quia Tridentinum sess. 23. de Reform. cap. 15. tantùm requirit approbationem Episcopi ad audiendas confessiones secularium, etiam sacerdotum, & circa Regulares nihil decernit. Quando Prælatus concedit alicui vt confiteatur cum aliis, vt prædictum est, ex hac generali concessione non intelligitur quòd possit absolui à reseruatis, vt habetur in cap. finali, de Procuratoribus, vbi dicitur, quòd in concessione generali, non veniunt ea, quæ si specialiter peterentur, non essent concedenda. Prælati verò inferiores, vt sunt Priores, & Guardiani, possunt sibi eligere confessarios beneficio iuris communis, per cap. *si pro dilatione*, de Pœnit. & Remissione. In hoc autem standum esse censeo statutis, & ordinationibus cuiusque Religionis, & consuetudinibus, vim legis habentibus.

36. Hinc tamen subotitur difficultas, quid aget regularis Sacerdos, si haberet reseruatum, & deberet celebrare, ne infamia notaretur, & solùm adest confessarius secularis. Angles, Rodriguez & Miranda affirmant sufficere si se excitet ad contritionem, & quòd casus iste reputatur ac si non esset copia confessoris; nec ageret contra Trident sess. 13. cap. 7. quia licèt Concilium ibi petat confessionem ante celebrationem, intelligendum est cùm adest copia confessoris.

37. Crediderim tamen adhuc in eo euentu teneri ad confessionem, posseque tunc illam dimidiatam facere, confitendo solùm non reseruata, vt directè ab his absoluatur, & indirectè à reseruatis. Moueor, quia probabile est, confessionem ante communionem de iure diuino esse. Deinde, quia nullus Sacerdos, aut alius qui ad sacramentum altaris accedit, potest hoc facere quousque à reseruatis absoluatur: ergo præstat semper præmittere confessionem ante communionem. Atque hoc modo

Digitized by Google

sufficienter consulitur honori Religionis, si confessio fiat modo explicato.

Sectio V.

Quinam possint delegare iurisdictionem.

38. DVpliciter potest fieri delegatio. Primò directè, dando facultatem sacerdoti. Secundò indirectè, dando facultatem pœnitenti eligendi sibi confessarium, in quo casu indirectè conceditur facultas, & iurisdictio sacerdoti qui à pœnitente eligitur.

39. Dicendum ergo est primò, omnes qui habent ordinariam potestatem, posse eam delegare. Constat ex cap. *Cum Episcopus*, de officio ordinarij in 6. & est ratio manifesta, quia delegatio est vnus ex actibus iurisdictionis ordinariæ, ac proinde summus Pontifex potest illam delegare pro quolibet loco, & pro quibuscumque personis, etiam contra voluntatem Episcoporum. Episcopi etiam eodem modo pro sua diœcesi, dummodo Pontifex non resistat, aut non reseruet. Parochi etiam respectu suorum subditorum, seruata proportione. Sub Parocho comprehenditur Vicarius perpetuus, & quicumque ab Episcopo ponitur loco curati: secus verò de Vicario posito à Parocho, quia hic est merè delegatus. Hanc tamen inuenio differentiam post Decretum Tridentini sess. 23. cap. 15. quòd Parochi non possunt delegare iurisdictionem nisi sacerdoti approbato ab aliquo Episcoporum. Quando verò alicui committitur hæc iurisdictio, non vt per se illa vtatur, sed vt eam aliis communicet, illa non est propriè delegatio, sed ordinaria iurisdictio, seu participatio iurisdictionis ordinariæ: ita Vicarius Episcopi, non Sacerdos, quamuis per se ipsum nequeat hanc iurisdictionem exercere; sic tamen eam habet sibi commissam, vt possit aliis delegare. Laicis autem, siue fœminis, quando conceditur facultas nominandi confessarios pro suis subditis, nulla conceditur iurisdictio, cùm iurisdictionis spiritualis incapaces sint; solùm ergo eis datur potestas ad designandam personam, & Pontifex, seu Prælatus, qui talem potestatem dedit, iurisdictionem confert ab illis designatæ.

40. Secundo dicendum est, Pontificem posse concedere cuicumque fideli facultatem confitendi alteri sine licentia Episcopi & Parochi. Est de fide diffinitum a Ioanne XXII. in Extrauagant. *Vas electionis*. est enim supremus omnium Parochus, & Pastor. Quapropter Episcopi, aut Parochi, non possunt prohibere suis subditis ne confiteantur cum Religiosis approbatis habentibus priuilegium Pontificis ad audiendas omnium fidelium confessiones; ac proinde fideles satisfaciunt præcepto annuæ confessionis, confitendo eisdem Religiosis, nec debent iterum peccata confiteri Parocho, vt expresse declaratum est à Clemente VIII. speciali suo Breui datum 22. Decemb. 1592. Nec obstat, quòd Martinus V. statuit, vt qui fratribus confitebantur, suis Parochialibus sacerdotibus, semel saltem in anno confiteri teneantur, pro vt Concilium generale statuit. Et Sixtus IV. in Extrauag. *Vices*, præcipit quòd ipsi Mendicantes desistant prædicare quod Parochiani non sint obligati saltem in Paschate proprio confiteri sacerdoti. Quia iam hoc sublatum fuit, & relicta sola communio Paschalis apud Parochum ex obligatione facienda, vt notat Lugus disp. 19. sect. 2.

41. Tertiò dicendum est, eum qui habet officium delegatum, posse delegare facultatem audiendi confessiones: secus verò qui solam habet facultatem delegatam. Explicatur. nam si Parochus, v.g. ægrotaret, aut iter faceret, & tunc delegaret officium curati alicui sacerdoti, hic potest delegare facultatem audiendi confessiones alteri, quia iste est actus illius officij, & potest fieri ab omni habente tale officium: at qui facultatem habet delegatam, solùm potest exercere actus illius facultatis; poterit tamen Ordinarius ei concedere potestatem, non vt nomine proprio, sed vt nomine delegantis subdeleget, vt docet Sancius lib. 3. de Matrimon. disp. 31. & Ægid. disp. 8. dub. 4. Vbi nota, qui habent officium delegatum, non posse integrum officium subdelegare; cùm enim hoc non habeant proprium, non possunt in alium transferre: quare nec possunt delegare cum potestate subdelegandi, quia sic committerent ipsum officium. Vt autem quis validè alteri deleget iurisdictionem, requiritur vt non sit excommunicatus, aut suspensus non toleratus; quia delegatio est actus iurisdictionis quam tales nequeunt exercere. Ita Ægidius num. 27.

Sectio VI.

Quomodo delegetur, aut committatur iurisdictio ad absoluendum à peccatis.

42. COnueniunt omnes, delegationem hanc necessariò debere fieri signis externis, nec sufficere vt mentaliter tantùm fiat. nam, vt rectè Lessius de iustitia, cap. 18. dub. 5. & Sanctius lib. 3. de Matrimon. disp. 36. quos sequitur Ægidius disp. 8. dub. 5. satis absurdè alicui daretur iurisdictio, ita vt nunquam ea licitè vti possit: nunquam autem potest quis vti licitè iurisdictione quam nescit sibi datam, nec potest scire sibi esse datam, nisi hoc ei humano modo significetur. Est autem

43. Prima difficultas, an ratihabitio de futuro post collatam absolutionem, quando rationabiliter præsumitur futura, deleget, seu conferat iurisdictionem. Nonnulli apud Suarium disp. 26. sect. 1. id affirmant. Meritò tamen communiter Doctores negant asserentes, ratihabitionem de futuro nullo modo sufficere. Ita Sotus, Suarez, Vazquez, Ægidius, Turrian. Ochogauia quos refert & sequitur. Hurt. disp. 10. diff. 5. Lugus sect. 2. Basleus verbo Confessio 2, numero 18. Et ratio est, quia quando confertur absolutio, non est ratihabitio, sed futura post absolutionem: ergo insufficiens est ad tribuendam iurisdictionem quæ præsens debet esse, vt absolutio validè conferatur. Præterea, quia cùm ratihabitio dependeat ex voluntate consequenti, supponatque actum iam factum, si à principio actus non fuit validus, nec potest postea fieri validus, etiamsi Superior ratum habeat; quia sacramentum non potest esse suspensum, nec pendens ex futuro euentu, seu à consensu futuro superioris, vt diximus suprà in tractatu de sacramentis in genere.

44. Nec obstat regula decima iuris in 6. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.* quia hæc regula solùm intelligenda est de actibus, qui in suo valore immediatè pendent à ratihabitione alterius; vt fit in contractibus, quales non sunt actiones sacramentales, quæ si ab initio non valent, postea quando iam non sunt, non possunt valorem

Digitized by Google

valorem accipere, secundùm aliam iuris regulam: *Quod ab initio non valet, tractu temporis non convalescit.*

45. Secunda difficultas est, an ratihabitio de præsenti sufficiat ad delegãdam iurisdictionem quando scilicet proprius Sacerdos videt alienum confessionem audientem, & tacet: nec contradicit cùm facilè possit. Affirmant Doctores relati, & meritò; quia scientia, & patientia in his quæ sunt modici præiudicij, operantur consensum, & hac ratihabitione quandoquidem ante absolutionem existit, & signo exterioti, nempe dicta visione explicatur, cui non contradicitur cùm facile possit, verè confertur iurisdictio.

46. Limita, non semper sufficere quòd Parochus videat, & non contradicat. nam potest non contradicere, quia existimat ex priuilegio habere iurisdictionem, aut pœnitentem solum confiteri venialia, aut ne lites, aut iurgia excitentur, aut aliquod scandalum fiat, vt rectè notat Ægidius dub. 5. num. 35 Quare necesse est, vt sciat eum non habere iurisdictionem ad id, & talis esse conditionis qui sciens & videns libertimè contradiceret, si factum ratum non haberet. Vbi nota, idem intelligendum esse de approbatione, proportione seruata, scilicet sufficere approbationem tacitam quæ habetur ab Episcopis ex ratihabitione de præsenti, & non de futuro. Ita Toletus lib. 3. Summæ cap. 13. & cap. 10. Sanctius lib. 3. de Matrimon. disput. 35. & disp. 25. Fagund. 2. præcep. lib. 7. cap. 2. num. 71. qui alios plures allegat.

47. Ex quo infero, iurisdictionem petitam & minimè obtentam ad validam absolutionem non sufficere, quia nullo iure naturali, aut positiuo id conceditur: neque in cap. *Placuit*, de Pœnit. dist. 6. ibi enim tantùm conceditur facultas confessarium eligendi, quando proprius Parochus est ignorans, neque in eo agitur de petitione iurisdictionis.

48. Tertia difficultas esse potest, an licentia, seu iurisdictio, per vim, siue per metum, seu per dolum extorta, sufficiat Affirmant Sanctius suprà disp. 39. num. 13. vbi citat Lessium de iustitia cap 17. dub. 5. Sed magis placet id quod docet Hurt. disput. 10. diff. 5 qui distinguit inter licentiam, seu concessionem iurisdictionis, & approbationem sufficientiæ confessarij, & illam dicit non sufficere, quia est vera donatio iurisdictionis quæ fit ipsius cui datur, quæ non potest esse valida, cùm fiat absque aliquo titulo, adhuc liberalitatis: approbationem verò sufficientiæ illo modo factam, esse sufficientem & validam, quia non est donatio alicuius rei quæ fiat ipsius approbati, & ideo non eget titulo vt sufficiens & valida sit.

49. Quarta difficultas esse potest, an validè absoluat qui dubius est an habeat iurisdictionem. Duplex autem est dubium; aliud purè negatiuum, quia intellectus in neutram partem potest determinari per iudicium positiuum, & probabile, sed semper manet suspensus, & anceps. Secundum vocatur dubium positiuum, quando scilicet quis habet iudicium probabile, non tamen certum se habere iurisdictionem. Et quod attinet ad primum, certum est, quando dubium est merè negatiuum, neminem posse vti iurisdictione dubia, nisi in casu necessitatis: sicut non potest vti materia, vel forma dubia, nisi in eodem casu, vt subueniat proximo eo modo quo potest, vt in tractatu *de Sacramentis in genere*, docuimus. Et quamuis non possit tradi certa regula, qualis & quanta debeat esse necessitas, vt possit absolutio conferri cum iurisdictione dubia; duplex tamen assignatur conditio ab Auctoribus, præcipuè à Bonacina tom. 1. disp. 5. quæst. 7. parte 5. Suario disp. 26. sect. 6. num. 65. Vna est ex parte Pœnitentis, scilicet euidens necessitas, vt quando debet necessariò Eucharistiam sumere, vel per longum tempus confiteri non potest. Et ex parte Ministri quòd alius non occurrat qui certiorem habeat iurisdictionem. Altera est, vt absolutio detur sub conditione, & cum onere iterum confitendi illa peccata habenti iurisdictionem certam. Ratio horum est, quia necessitas facit vt actus non fiat temere, & conditio tollit periculum irritandi sacramentum; quia si in re subsistit, subsistit etiam sacramentum: si verò non subsistit, nulla ei irrogatur iniuria, cùm conditionalis nihil ponat inesse: satius erit in eo euentu confiteri aliquod veniale, vt omne dubium abigatur de valore sacramenti ex defectu iurisdictionis, cùm quilibet Sacerdos à venialibus possit directè absoluere.

50. Præcipua difficultas est, quando dubium est positiuum, & sub opinione exrat, an confessarius habeat iurisdictionem, necne. hæc tamen difficultas satis soluta manet suprà in tractatu de conscientia disp. de Conscientia probabili, seu opinatiua, vbi docuimus, licitum esse tam ex parte confessarij, quàm ex parte pœnitentis ministrare, & recipere hoc sacramentum cum iurisdictione probabili. Vide ibi ne eadem repetamus, vbi etiam docuimus, optimum consilium esse materiam aliquam certam in confessione exprimere, circa quam confessarius certam habet iurisdictionem, vt sunt peccata venialia, quod sufficit vt confessio bona fide facta rata sit, & verum conficiatur sacramentum; neque proximus alicui periculo exponitur, etiamsi confessio fiat in mortis periculo. Nam etiamsi contingeret opinionem probabilem in qua fundatur confessor ad audiendam confessionem in re ipsa falsam esse, adhuc confessarius absoluit directè à venialibus, & indirectè à mortalibus etiam reseruatis, & facit sacramentum validum, quo pœnitens iustificatur: peccata autem mortalia habebunt se tunc, sicut illa quorum pœnitens inculpabiliter est oblitus. ita præter Doctores ibi allegatos, tenent Granad. 1. 2. controuersia 2. tract. 22 sect. 4. Turrian. in select. parte 1. disp. 21. dub. 2. Bonacin. de Peccatis disp. 2. quæst. 4. punct. 9. Malder. 1. 2. quæst. 19. art. 5. disp. 86. Castrus Palao tom. 1. disp. 2. punct. 5. Eligius Basseus verb. confessarius 2. num. 26.

51. Quinta difficultas esse potest, an iurisdictio delegata ad confessiones audiendas, expiret morte concedentis. Affirmant nonnulli, quos refert Sanctius lib. 8. de Matrimon. disp. 28. num. 74. verius tamen est, non expirare, & idem dicendum quando is qui concessit, amouetur ab officio, vel suspenditur, vel alio quocumque modo amittit potestatem, quod intellige quoties delegatio iurisdictionis fit indefinitè absque temporis limitatione. nam si datur ad præfixum tempus, illo finito cessat ipso facto. Nec obstat in contrarium regula iuris. *Re integra existente, delegatum amittere iurisdictionem per mortem delegantis.* Quia delegatio huius iurisdictionis non est pensanda per regulas iustitiæ, sed gratiæ, & æstimanda potius est fauor & gratia, respectu eius cui fit, quàm nuda cõcessio iurisdictionis; ac proinde non est de ea iudicandum sicut de delegatione iurisdictionis in foro contentioso, sed sicut de gratia quæ per mortem concedentis non expirat. Itaque iura quæ dicunt iurisdictionem delegatam morte concedentis perire, loquuntur de contentiosa, non verò de gratuita: quod intelli-

lige,

Digitized by Google

lige, etiamsi concedatur cum illa clausula, *vsque ad mutum beneplacitum*, & ita consuetudine receptum est, vt mortuo Episcopo, adhuc licentiæ durare censeantur, donec à successore, vel à Capitulo sede vacante reuocentur.

52. Sexta denique potest esse difficultas, an communis error sine titulo colorato iurisdictionem tribuat. Et quidem certum est, Sacerdotem qui habet titulum coloratum iurisdictionis ad absoluendum, id est, qui à Superiore vero, vel putatiuo accepit iurisdictionem; siue verè eam acceperit, & eam iam occultè amiserit; siue tantùm apparenter, ob impedimentum aliquod occultum, accedente communi errore populi à quo censetur legitimus iudex, validè absoluere. Difficultas ergo tantùm est, quando adest communis error sine titulo colorato. Et quidem sententia communis negat, ac proinde dum quis sine titulo, & auctoritate Superioris, in officium confessoris se intrusit, licèt communis error populi accedat, gesta per illum non valent. Ita Sanctius suprà disp. 22. num. 49. qui plures citat. idem docet Ægidius de sacram. disp. 8. dub. 3. Fillucius, Fagundez, Lessius, Suarius, Valerius Reginaldus, Villalob. quos refert Diana part. 2. tract. 2. Miscellan. resolut. 45. Non tamen reticeam Basilium Leon. lib. 5. de Matrimon. cap. 20. contrariam sententiam tenere, inquit enim valere gesta per eum qui caret titulo, est tamen putatiuus, & intrusus: quod probat primò, quia negari non potest iurisdictionem acquiri præscriptione, vt colligitur ex cap. *duo simul*, & cap. *cùm contingat*, & ibi Glossa, & Panormit. & Rota decis. 2. in nouiss. de præscript. ergo iurisdictio non semper habetur ex superiore legitimo. Secundò probat, quia iurisdictio etiam acquiritur consuetudine, vt multis citatis docet Sayrus lib. 1. de censur. cap. 6. Ex quo infert, quamuis non Sacerdos existimatus Sacerdos inualidè absoluat, tamen Sacerdos existimatus Parochus, & intrusus, verè absoluit, & confert reliqua sacramenta: alias certè magna perturbatio sequeretur, si omnia sacramenta matrimonij & confessionis ab his ministrata fuissent inualida. Nec obstat eamdem perturbationem sequi si Parochus sine intentione ministrasset, & tamen certum est sacramenta Confessionis, & Baptismi, & alia in eo casu non fuisse valida. Nam respondetur, esse longè diuersam rationem, quia intentio in sacramentis iure diuino requiritur: at iure humano iurisdictioni applicatur materia; ac proinde ius facit quod potest ad euitandam rerum perturbationem, & ita censetur in his casibus iurisdictionem contulisse, vel materiam applicasse. Hæc Basilius. & hanc sententiam satis probabilem censent Ioann. Sanchez in select. disp. 44. num. 3. & Diana tractat. vbi suprà.

SECTIO VII.

Qua ratione requiratur approbatio Episcopi ad audiendas confessiones.

53. APprobatio nihil aliud est, quàm authenticum testimonium quo Sacerdos approbatus declaratur idoneus ad hoc munus audiendi confessiones exercendum: censetur autem Episcopus aliquem approbare hoc ipso quòd sciens, & volens, ei præcipit vt confessiones audiat. Et quamuis ex natura rei per hanc approbationem non conferatur vllum ius, neque vlla iurisdictio, ad audiendas confessiones, sed solùm persona iudicatur habilis, & idonea, cui illa conferantur, sine qua approbatione inualidè ei hoc munus committeretur ad audiendas confessiones secularium: quod constat in religiosis, qui quamuis ab Episcopo approbentur, tamen ab eo iurisdictionem non accipiunt, sed immediatè à summo Pontifice. Alij verò sacerdotes quotiescumque ab Ordinario approbantur ad excipiendas confessiones, semper eis confertur iurisdictio.

54. Et in primis supponendum est Decretum Tridentini sess. 23. de Reform. cap. 15. vbi ait. *Decernit sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones secularium etiam sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, & approbationem quæ gratis detur, obtineat; priuilegijs, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Ex quibus verbis manifestè deducitur, nullum confessarium posse licitè, nec validè, confessiones secularium, vel sacerdotum audire, nisi ab Episcopo approbatus sit, vel beneficium habeat Parochiale. Vbi Trident.

Nota primò consecratum Episcopum si titularis tantùm sit, & oues non habeat, nec licitè, nec valide posse hanc approbationem conferre, nec illam ab eo peti; cùm enim illam dare sit actus iurisdictionis, & ille dum caret ouibus, careat actuali iurisdictione, inde est quòd talis approbatio nec licitè, nec validè ab eo conferri possit. Nec etiam illam dare potest Episcopus electus tantùm, & non confirmatus, quia ante confirmationem non habet iurisdictionem: poterit tamen Episcopus electus & confirmatus, licèt non sit consecratus, quia iam tunc habet iurisdictionem, & potest illius actus exercere. Potest etiam peti à Vicario Generali Episcopi, & similiter dari, quia eamdem iurisdictionem habet cum Episcopo. nam Concilium non dicit vt Episcopus per se ipsum approbet: vnde sine dubio potest id facere per Vicarium generalem, vt tenet communis sententia, & confirmat praxis, & vsus.

55. Secundò nota, nomine Episcopi in eo decreto etiam comprehendi quoad hanc approbationem, quosdã Abbates seculares, & Priores Magni exempti, qui in suas oues habent iurisdictionem quasi Episcopalem; ita vt nullum alium Superiorem agnoscant præter summum Pontificem, à quo positi sunt loco Episcoporum, & cum tota iurisdictione Episcopali; possuntque dispensare in votis reseruatis Episcopis, & absoluere ab omnibus excommunicationibus Episcopis reseruatis, vt docet Nauarr. in Manuali cap. 12. num. 75. & cap. 27. n. 59. Non tamen intelliguntur nomine Episcopi quoad hanc approbationem erga confessionem secularium Generales, aut Prouinciales Religionum, quamuis exempti sint, & habeant iurisdictionem quasi Episcopalem; quia solùm habent illam in suos subditos Regulares. Ex quo etiam fit, Capitulum sede vacante posse approbare, & exponere Confessores per Vicarium à se electum, quia Capitulum sede vacante succedit in omni iurisdictione Episcopo, præter casus in iure expressos, & hic actus approbandi non est actus formaliter ordinis, & dignitatis Episcopalis, sed iurisdictionis ordinariæ in qua Capitulum succedit Episcopo, non vt inferior, sed vt æqualis, vt tenent Doctores communiter, & confirmat praxis, & videtur fieri Romæ. nam sede Apostolica vacante succedunt in iurisdictione gubernatiua Cardinales per Vicarium ab ipsis electum.

Tertiò

56. Tertiò nota, quòd quamuis sit diuersitas opinionum à quo Episcopo debeat fieri approbatio, quibusdam affirmantibus debere fieri ab Episcopo pœnitentis, quibusdam asserentibus ab actuali Episcopo confessarij: aliis denique censentibus cuiuscumque Episcopi approbationem sufficere, siue sit Episcopus loci vbi audiuntur confessiones, siue Episcopus pœnitentis, siue Episcopus confessarij: hæ tamen omnes sententiæ in re non differunt, & facilè conciliantur asserendo, requiri approbationem Episcopi ipsius confessarij; eamque approbationem solùm durare quamdiu manet sub illo Ordinario; ac proinde si domicilium mutet, requiri nouam approbationem noui Ordinarij. Imò etiamsi vt hospes ibi peregrinetur, non posse eligi per Bullam, aut Iubileum, sine approbatione Ordinarij illius loci, existimat Lugus disp. 21. sect. 2. sed de hoc infrà. Et ex his

Infertur primò Doctores, Lectores, Licentiatos in sacra Theologia, vel iure Canonico, & famosos Prædicatores, de quorum scientia constat, teneri hanc approbationem petere, & obtinere; siue sint seculares, siue Regulares, vt audiant confessiones. Ita Suarez, & Ægidius, & nouissimè Lugus disput. 21. sect. 1. Nam Concilium omnes illos excludit à munere audiendi confessiones, qui nec Parochi sunt, nec ab Episcopo approbati, dum asserit. *Nec ad id idoneum reputari, nisi aut ab Episcopo per examen, si illi videbitur, aut aliàs idoneus reputetur,* intelli-
Trident. ge ab eodem Episcopo. Addiderim tamen satis probabilem esse contrariam sententiam, prædictos non posse examinari ab Episcopis, licèt debeant se præsentare, & ab illis approbationem petere. & ita tenent Corduba, Gutierrez, Rodrig. Menoch. quia in motu proprio Pij V. pro mendicantibus expedito, expressè asseritur, Regulares, Magistros etiam laureatos, & prælectores, præsentandos esse Episcopis vt approbentur; vetat tamen eos examinare, & iuxta hos Auctores eadem est ratio de Doctore seculari, aut Licẽtiato in Theologia, & iure Canonico, quorum enim notoria sufficientia est, periculum examinis subire non debent, vt ait Pontifex in suo motu proprio: possunt tamen Episcopi de moribus, & prudentia inquirere, & non idoneos in his reiicere. Dixi satis probabilem esse hanc sententiam, nisi in contrarium staret, quòd ea Constitutio Pij V. anno 1561. edita reuocata iam sit à Gregorio XIII. decernente standum esse dispositioni Tridentini circa Confessariorum Regularium etiam mendicantium approbationem.

57. Secundò infertur, Prælatos, & Episcopos seculares decreto Tridentini comprehendi; quare licèt à iure habeant facultatem eligendi sibi confessarium idoneum, non possunt eligere, nisi vel Parochum, vel approbatum ab Ordinario, quia omnes alij à Tridentino declarantur non idonei. Ita Suarez & Ægidius, quos refert, & sequitur Lugus num. 3. & est communis sententia.

58. Tertiò infertur, approbatum ab vno Episcopo pro vna Diœcesi, non ideo censeri approbatum pro qualibet alia. Ita Vazquez quæst. 93. art. 3. dub. 4. Gutierr. & Ochogau. quos refert, & sequitur Hurtad. disp. 10. diff. 17. hæc enim est praxis totius Ecclesiæ, quæ eo modo intellexit Decretum Tridentini, contra Entiq. lib. 7. cap. 12.

59. Quartò infertur, Episcopum ex iusta causa posse negare approbationem, si defectus sit ex parte personæ, siue in doctrina, siue in moribus: non tamen posse pro solo libito negare approbationem personæ dignæ, cùm hic sit actus iustitiæ, & non mera gratia. Quòd si iniustè neget, quamuis negatio fuerit iniusta, valida erit quoad sacerdotes seculares. nam de Regularibus quoad hanc materiam infrà erit sermo: quia approbatio in Decreto Tridentini re ipsa requiritur ad valorem huius sacramenti. Nec obstat quòd sententia iniusta in foro conscientiæ non aufert ius quod vnusquisque habet ad rem suam; ac proinde, neque reprobatio iniusta habebit effectum coram Deo, & consequenter non reddet inualidas absolutiones. Nam respondetur, quòd Sacerdos ante sententiam iniustam nullum habebat ius vt posset audire confessiones, & per illam sententiam non potuit ius acquirere.

60. Quintò infertur, posse Episcopum approbare cum limitatione ad certum tempus, & certas personas, vnde qui approbatus est pro hoc solo anno, eo anno transacto, absque noua approbatione, non potest audire confessiones, & qui approbatus est solùm ad confessiones virorum, non potest audire confessiones fœminarum. Ita Suarez, Vazquez, Nauart. Fagund. Diana, quos refert, & sequitur Lugus num. 57. quia approbatio essentialiter requisita est ad valorem sacramenti, ille autem non est verè approbatus anno sequenti. Deinde quia iudicium approbationis non consistit in indiuisibili, vt non possit diuidi, & approbari aliquis ad vnum genus personarum, quin ad omnes approbetur. Quid circa Religiosos tenendum sit inferiùs explicabo.

61. Maior autem difficultas est, an approbatus cum limitatione ad tempus, vel ad personas, vel pro vno oppido tantùm, virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi eligibilis sit, vel etiam extra Diœcesim. Probabilis est sententia negans, & ita tenent Suarez, Rodrig. Ioan. de la Crux, Villalob. Homobonus, quos refert & sequitur Lugus num. 17. quia in dictis priuilegiis quando exigitur quòd Confessarius sit approbatus ab Ordinario, apertè intelligitur quòd sit approbatus iuxta formam Tridentini, iuxta quam approbatus non est qui fuit approbatus pro alia confessione, & reprobatus pro ista. Contrariam tamen sententiam, videlicet approbatum ab Ordinario, quamuis cum illa limitatione, posse virtute Iubilei, aut Bullæ eligi ab omnibus, sequuntur Enriq. lib. 6. cap. 6. Nunus in hoc loco quæst. 8. art. 5. dub. 5 Bonacin. de Pœnit. disput. 5. quæst. 7. punct. 4. num. 22. & alij; quos refert Sanctius lib. 8. de Matrimon. disp. 14. & hanc sententiam sequitur Diana 1 parte tract. 11. resolut. 7. 9. 10. 11. & 5. parte tract 12. resol. 52. vbi citat Petrum Fay Llamas, Portel, Ledesm. Fernand. Ægidium, Reginaldum, Medinam, & Bossium, quia Bulla nihil aliud requirit, nisi quòd confessarius approbatus sit ab Ordinario. quæ sententia probabilissima est, saltem quando limitatio non fuit ex defectu doctrinæ. Limita nisi in concessione Iubilei expressè dicatur, vt Confessarius sit approbatus ab Ordinario loci.

62. Sextò infertur, quòd quamuis approbatio ab Episcopo, vel à suo Vicario semel facta, non expiret morte Episcopi, vt suprà docuimus, etiamsi in ea apponatur illa clausula, ad nostrum beneplacitum, quia, vt rectè Hurtad. diff. 19. per illam clausulam non tam significatur consensus positiuus dictæ agprobationis, qui post mortem nequit perseuerare, quàm non reuocatio approbationis, quæ post mortem non reuocatur; tamen validè & licitè potest reuocari etiam ab eodem Episcopo à quo facta fuit, quia nullo iure id fieri prohibetur: quia nullibi

nullibi extat loquendo quoad sacerdotes seculares, sed ex meta voluntate Episcopi pendet: vnde sicut potuit à principio pro solo nutu Episcopi non concedi, ita semel iam concessa poterit liberè ab eodem Episcopo reuocari.

63. Quoad Parochos verò, quamuis certum sit intra eamdem Diœcesim posse sine licentia Episcopi, & Parochorum propriorum audire fidelium confessiones, vt tenent communiter Doctores, potest esse difficultas, an, vt virtute Bullæ Iubilei, &c. sit vbique eligibilis, opus sit vt actu habeat parochiale beneficium, vel sufficiat habuisse. Respondeo cum communi sententia requiri quòd actu habeat. nam Trident. expressè loquitur, nisi aut parochiale beneficium habeat. An verò Prælati Monasteriorum, vt Priores, Guardiani, &c. licèt non sint approbati ab Episcopo loci, gaudeant hoc priuilegio, & sint vbique eligibiles à secularibus virtute Bullæ, aut Iubilei: vel sint idonei vt Parochus secularis eis suas oues committat, cùm æquiparenter in iure habenti parochiale beneficium, sub lite est: quibusdam affirmantibus: quibusdam verò negantibus, quia Trident. expressè loquitur de secularibus parochiale beneficium habentibus; non verò de Religiosis, imò de his expressè affirmat debere ab Episcopo approbari, & idonei iudicari, vt possint confessiones secularium audire, & ita expressè tenet Suarez disp. 28. sect 8. Fagundez parte 2. lib. 7. cap. 2. Rodrig. in expositione Bullæ Cruciatæ §. 9. Affirmatiuam tamen sententiam docuerunt Mancius, Gallus, Bannes, Medina, Enriquez, Valerius, Salas, Ludouicus de la Cruz, Bossius, & hanc sententiam satis probabilem iudicat Diana, qui pro ea allegat supradictos Doctores parte 5. tract. 12. resol. 51. Quia nomine habentis beneficium parochiale, seu curatum, videntur etiam à Tridentino comprehendi supradicti Prælati, quibus cura animarum commissa est, siue eà cura committatur ab Episcopo, siue à quouis alio valente curatum beneficium conferre, quia eo ipso declarantur idonei ad confessiones audiendas.

64. Secundò potest esse difficultas, an Parochi parochiale beneficium habentes, possint committere suas oues sacerdotibus non approbatis ab Episcopo, delegando eis suam iurisdictionem. Respondeo, quamuis nonnulli docuerint probabilem esse sententiam affirmantem, Petrus de Ledesma in summa tom. 1. cap. 12. conclus. 5. Ludouicus de Sanjuan quæst. 7. art. 2 Ioann. de la Cruz in Direct. parte 2. quæst. 5. dub. 6. Quia hoc ius non competit Parochis ex aliquo priuilegio, sed ex officio, & potestate sua, quod non est sublatum per Tridentinum illis verbis, *Non obstantibus priuilegijs, & quacumque consuetudine.* hanc tamen sententiam omnino improbabilem censet Sanctius in select. disp. 46. num. 51. & contrariam, vt omnino veram, tradunt Suarez, Villalob. Fagund. Petrus Fay, Regius, quos refert & sequitur Diana tom. 2. tractatu 4. de sacram. resolut. 146. & nouissime Lugus num. 6. quia Tridentinum in vniuersum loquitur, *Nullum de cetero posse confessiones secularium audire, nisi vel Parochum, vel ab Episcopo approbatum.* Necratio in contrarium aliquid probat. nam reddita inhabili persona ad recipiendam iurisdictionem, sicut inhabilis redditur quisquis non fuerit Parochus, vel ab Ordinario approbatus, omnino sequitur non posse Parochum eidem delegare.

Trident.

Idem.

***

SECTIO VIII.

An Regulares Mendicantes, & qui eorum priuilegijs fruuntur semel ab Episcopo approbati, possint vbique eligi, virtute Bullæ, aut Iubilei.

65. PRæmittendum est, Regulares Mendicantes post Decretum Concilij Tridentini sectione præcedenti adductum, absque approbatione Episcopi non posse confessiones audire. Ita tenent Vazquez quæst. 93. art. 3. dub. 3. Suarez disput. 28. sect. 1. Barbosa in Collect. tom. 3. parte 2. lib. 3. Sancius in select. disput. 48. Fernandez in exam. Theol. Mor. parte 3. cap. 9. Reginal. in Praxi tom. 1. cap. 16. quæst. 5. Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 9. quia Concilium expressè diffinit, *Nullum nisi habentem parochiale beneficium, aut approbationem ab Episcopo, licitè, & validè posse audire confessiones, non obstantibus quibuscumque priuilegijs.* Verùm his non obstantibus, grauissimi Doctores tenent contrariam sententiam. Enriquez lib. 3. cap. 6. Ioann. de la Cruz lib. 2. cap. 6. dub. 1. Villalob. in summa tom. 1. tractatu 1. diff. 53. Layman in Theolog. Moral. lib. 4. tract. 6. cap 11. Cochier. de iurisdict. ordin. parte 4. quæst. 77. Finellius de cas. reseru. cap. 3. Graffis & alij, quos citat & sequitur Fagundez præcepto 2. lib. 7. cap. 1. Quod probant ex Bonifacio VIII. in Extrauaganti super Cathred. de sepulturis, vbi conceditur, quòd postquam Generales, vel Prouinciales, peterent facultatem ab Episcopo ad eligendos Confessarios, & electos ei præsentauerint, si tamen eos noluerit admittere, habeantur pro admissis Pontifice eos ex tunc admittente, quod de nouo confirmatum est in Concilio Viennensi in Clementina *Dudum*, de sepulturis, & ita Nauarr. in summa cap. 27. censet hoc priuilegium adhuc durare, etiam post Tridentinum, vtpote concessum in duobus Conciliis generalibus, & in corpore iuris contentum; nec videtur sufficienter reuocatum; ac proinde existimat sufficere approbationem petitam ab Ordinario, etiamsi denegetur. Ego verò priori sententiæ adhæreo, vtpote iuxta mentem Tridentini, cuius intentio fuit has facultates tam amplas reformare, nec dubium esse potest legem conciliarem, & Pontificiam, habere vim reformandi aliam legem conciliarem, quamuis in iure contineatur, & de ea expressa mentio non fiat.

Idem.

66. Præmittendum est secundò, non sufficere approbationem cuiuscumque Episcopi, vt Regulares possint vbique confessiones audire, vt latè probant Vazquez & Suarez locis citatis. Contrariam sententiam tenent Enriquez suprà, & plures alij, quia Concilium solum petit quòd sit ab Episcopo approbatus; nec dicit ab hoc, aut illo determinatè: ergo vbi lex non restringit, nec nos restringere debemus. Imò non solùm Regulares, sed etiam quoscumque alios sacerdotes semel ab vno Episcopo approbatos, ob eamdem rationem posse Parochum exponere ad audiendas confessiones, putant Ledesma, Ioann. de la Cruz, Enriquez, & Ægidius, quos citat Diana tom. 2. tract. 4. de sacram. resolut. 110. Tamen contraria sententia omnino tenenda est; est enim contra praxim & vsum Ecclesiæ, & sensum fidelium: aliàs quilibet Episcopus posset omnes sacerdotes totius mundi approbare, quod est absurdum, &, vt rectè Lugus, illa sententia iam nullam habet probabilitatem post Decretum Sanctiss.

Digitized by Google

ctiss. Domini nostri Vrbani VIII. editum anno 1628. reuocantem omnia priuilegia, & licētias audiendi confessiones, omnibus Ordinibus, vel Congregationibus, sine approbatione ab Episcopis Diœcesanis, & absque examine prævio ab eodē Ordinario.

67. His præmissis difficultas est, an Regulares semel ab vno Episcopo approbati, virtute Bullæ, seu Iubilei vbique eligibiles sint. Negant absolutè Rodriguez sibi contrarius tom. 1. Summæ in 2. editione cap. 60. Gutierrez & omnes docentes, facultatem & priuilegium ad eligendum cōfessarium, intelligendum esse de Confessario approbato ab Ordinario ipsius pœnitentis priuilegium habentis, non ab alio; vnum enim necessariò ex alio sequitur.

60. Sit tamen conclusio, quicumque Regularis in quauis Diœcesi approbatus virtute Bullæ, aut Iubilei, vbique eligibilis est, dummodo actu approbatus sit, quia non sufficit quòd aliquando fuerit approbatus. Ita Enriquez & omnes Theologi ex familia D. Augustini, & S. Dominici Cordub. Antonius Gómez, Llamas, Ægidius, Reginald. Nonius, Suarez, Ludouicus de Sanjuan. Vterque Ledesma summa Coron. Vega, Ouand. Cruz compilator priuilegiorum Mendicantium, Malderus quos citat Sancius in select. disp. 44. num. 1. Vbi affirmat, probabilem esse hanc sententiam ex principiis extrinsecis, & quamuis num. 10. affirmet per principia intrinseca esse improbabilem, & sacerdotem hac opinione ductum, audientem confessiones, peccare mortaliter contra iustitiam, & contra charitatem, tandem concludit num. 24. nullo modo peccare, dum pœnitens aliquod veniale simul cum mortalibus fateatur; quia cùm quiuis Sacerdos ad venialium absolutionem certissimam habeat iurisdictionem, absoluens gratiam causauit, & sic pœnitenti nulla irrogabitur iniuria; nec sacramento, cùm prudenter administretur sequendo opinionem adeò probabilem. Probatur autem nostra conclusio, quia Trident. vbi suprà non expressit necessarium esse quòd Sacerdos sit approbatus ab Episcopo loci, & Diœcesis in qua actualiter confessarius habitat, sed tantùm petit simpliciter quòd sit approbatus absolutè; quare id sufficiet virtute Bullæ, quæ idem petit vt Confessarius sit ab Ordinario approbatus.

Sectio IX.

An Regulares semel examinati, & approbati, possint iterum in eadem Diœcesi ab eodem Episcopo, vel saltem à successore examinari.

69. Gasp. Hurtado Societatis Iesv disp. 10. difficul. 17. existimat, reuocationem approbationis etiam Religiosorum, quantumuis sine rationabili causa pro solo nutu Episcopi factam, esse validam, & licitam; ac proinde approbationem qua Regulares ab Episcopo approbati sunt, posse ab eodem Episcopo reuocari: quia approbatio natura sua reuocabilis est, & nullo iure eius reuocatio irritatur: ergo si de facto fiat, etiam absque rationabili causa, valida erit. Et in hanc sententiam valdè inclinat Sancius in select. disp. 48.

70. Prima conclusio. Episcopus de nouo adueniens in propriam Diœcesim, potest compellere Regulares omnes ad nouum examen subeundum, quamuis ab antecessore fuerint examinati, & approbati. In hoc conuenio cum Doctoribus supradictis, quia nullum inuenio ius, nec priuilegium, eximens, ac liberans Regulares ab hoc examine, quod iam non sit redactum ad terminos iuris cōmunis, & Concilij Tridentini, nisi contentum in Clemētina *Dudum*, de quo iam dictum est sect. præcedēti, non obstare.

71. Secunda conclusio. Regulares semel examinati & approbati, non possunt ab eodem Episcopo iterum ad examen vocari & obligari: nec potest Episcopus approbationem semel concessam, suspendere, aut reuocare, nisi ex noua causa ad confessiones pertinente: nec potest eos approbare cum limitatione ad certum tempus, & personas; videlicet ad viros, non ad fœminas. Hæc conclusio est mihi adeò certa vt contraria omnino improbabilis videatur, nam quamuis Sancius vbi suprà num. 1. velit ad resolutionem huius dubij vtendum non esse declarationibus sacræ Congregationis. nam cùm pro vtraque parte adducantur, cui sit danda fides, certò constare non potest, & non magis vni, quàm alteri erit quis constrictus stare: tamen licèt id Sancio concedamus, declarationibus sacræ Congregationis à sancta sede Apostolica approbatis, & confirmatis omnino standum esse, nullus negat, nec negare potest: sed sic est quòd illa omnia quæ in nostra conclusione continentur, sunt declarata per sacram Congregationem, & à sancta sede Apostolica confirmata, & approbata: ergo his omnino standum est. Minor probatur, quia inter alias declarationes sacræ Congregationis, quas R. P. Dominicus de Molina Ordinis Prædicatorum Prouinciæ Bœticæ Procurator Generalis, à SS. Domino nostro Vrbano III. petiit confirmari, sunt hæ quæ sequuntur. *Ex particulari Memorialium Regularium 1597. die 13. Martij. Regulares reperti idonei, & habiles ad confessiones audiendas, admittantur in genere, & non ad tempus limitatum. Ex Registro Regularium anno 1615. in Congregatione habita die 20. Nouembris. Decretum circa Confessores. Cùm sacra Congregationi Cardinalium, negotijs Episcoporum, & Regularium præpositorum innotuerit, confessarios Regulares grauiter conqueri, quod ab Archiepiscopis, Episcopis, & locorum Ordinarijs, ab audiendis confessionibus quauis de causa indiscriminatim suspendantur; ac præterea sæpe contingere, vt ab eisdem locorum Ordinarijs, omnibus simul vnius Conuentus confessariis, confessiones audiendi facultas adimatur. Illustrissimi eiusdem sacræ Congregationis Patres, rati vix fieri posse, vt hæc sine scandalo, magnaque animarum pernicie contingant: re maturè perpensa, ad omnem scandali materiam submouendam, &c. statuunt, ac decernunt, locorum Ordinarijs ad quos Confessarios approbādi ius spectat, confessarios Regulares, aliàs ab ipsis liberè approbatos, ab audiendis confessionibus suspendere post hac minimè licere, nisi ex noua causa, eaque ad confessiones pertinente, aut cùm non seruatur interdictum ab ipsis Ordinarijs positum. Statuunt insuper eosdem locorum Ordinarios confessiones audiendi facultatem omnibus simul vnius Conuentus Regularibus confessariis, eadem sacra Congregatione inconsulta, vllo pacto adimere posse: quod quidem Decretum, vt ijdem illustrissimi Patres, opportunum, & necessarium duxerunt, ita & inuiolabiliter iubent obseruari. Præterea ex Registro Episcoporum anni 1615. folio 88. inter alia sic statuitur. Quod Clericus plebanus semel examinatus ad Confessiones audiendas, non subest amplius examini Episcopi, neque Regulares semel examinati, & approbati, non subsunt amplius examini Episcopi.* & infrà. *Regulares qui ad confessiones audiendas idonei generaliter ab Ordinarijs eorumve examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indistinctè, absque aliqua limitatione temporis, certorumve locorum,*

aut generis personarum, admittantur in Diœcesi propria. Signata F. Michael Bonellus Cardinalis Alexandrinus, & subscripta Georgius Pallavicinus. Quas declarationes Eminentissimorum sacræ Congregationis, suo Breui quod incipit, *In plenitudine potestatis Apostolicæ*, Sanctiss. Dominus noster Vrbanus VIII, confirmauit, & approbauit cuius expressa verba hæc sunt. *Exhibita siquidem Nobis nuper pro parte dilecti filij Dominici de Molina, Ordinis fratrum Prædicatorum S. Dominici, &c. petitio continebat. Nec non ipsorum priuilegiorum, & indultorum declarationes, & Decreta à Congregationibus Venerabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium desuper legitimè emanata, &c. Apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innouamus, ac de nouo concedimus, illisque inuiolabilis Apostolicæ firmitatis robur adijcimus, &c. Datum Romæ apud sanctum Petrum, anno 1625. tertio Idus Maij, Pontificatus nostri anno secundo.*

SECTIO X.

An Patres Capuccini virtute Bullæ Cruciatæ eligi possint ad audiendas confessiones secularium si approbationem habeant ab Episcopo.

71. HAnc difficultatem neminem vidi tractantem, tamen quia de illa non semel consultus fui, ideo placuit eam examinare.

Præmittendum est primò Decretum SS. Domini nostri Gregorij XIV. die prima Iunij 1591. editum, quod incipit, *Decet Seraphicam Religionem.* In quo fratres Capuccini eximuntur ab audiendis secularium confessionibus; sic enim ait. *Ne igitur optimam partem quam dilecti filij fratres Congregationis Capuccinorum Ordinis Minorum elegerunt, importuna secularium rerum administratio impediat; ac mundanarum occupationum cura distrahat: ad dicti Ordinis etiam Constitutionum confirmationem, motu proprio, &c. hac nostra perpetuò valitura constitutione, statuimus, & decernimus: nullum post hac Ordinis prædicti Religiosum posse, vel debere, in Iacorum vtriusque sexus, & Clericorum secularium quacumque dignitate fulciti sint, confessionibus occupari, vel confessiones eorum audire; etiam si ad id faciendum à Superioribus Ordinis, aut Protectore, aut etiam à Nobis, vel ab ipsa Apostolica sede, quomodolibet, & sub quacumque verborum forma licentias hactenus obtinuerint: quas auctoritate præsentium reuocamus. Decernentes nihilominus irritum, &c. non obstantibus quibuscumque in contrarium.* Quod certè Pontifex statuit, tum vt annueret votis, ac desideriis Capuccinorum; tum etiam vt se in hac parte conformaret eorumdem Constitutionibus, vt expressè testatur, easque confirmaret, ac suo decreto Apostolico roboraret. Nam in cap. 7. Constitutionum nostri Ordinis sic habetur. *Statuimus, ne vllo vnquam tempore in nostra Congregatione audiendi secularium cuiuscumque sexus, gradus, status, & conditionis fuerint, confessionibus aditus aperiatur, vetusque subinde nostræ Religionis consuetudo, & institutum conseruetur: seruatis porrò Pontificum decretis,* & rursus cap. 11. *Quoniam mulierum quantumcumque sanctarum consuetudo, & familiaritas, iuxta sanctorum Patrum, & cum primis sancti Hieronymi sententiam, Dei seruis est vitanda, sanctâque cautione fugiendâ: id circo ab vniuerso Generali nostro Capitulo, maxima maturitate, consilio, & deliberatione, præsens sancitur constitutio ab vniuersa nostra Congregatione inuiolabiliter obseruanda, ne vllo modo, aut sub quauis boni, aut sanctitatis specie, vel ad populorum, aut Dominorum preces, Monasteriorum mulierum, aut confraternitatum, aut alicuius virorum, vel mulierum Congregationis cura, & administratio suscipiatur, & ne illis confessarij tradantur: in hac potius saluberrimis Sanctorum doctrinis, quàm humanis persuasionibus credentes.* Ex quibus omnibus planè constat, fratres Capuccinos nullo modo licitè, & validè, posse secularium confessiones audire.

Dices, his non obstantibus adhuc videri potest, 73.
stando in iure posse Capuccinos secularium confessiones excipere, & hoc ex duplici fundamento.

Primum est, quia in Extrauaganti Bonifacij VIII. & in Clementina *Dudum*, de quibus suprà actum est, Fratres Minores instituti sunt Confessores, & accipiunt immediatè iurisdictionem à summo Pontifice, ibique expressè eis conceditur tam ampla potestas, sicut & Parochis; quod non extat derogatum per hanc nouam Gregorij Constitutionem: vt enim aliquod priuilegium in iure comprehensum, reuocetur, necesse est de eo fieri expressam mentionem. nam per clausulam, non obstantibus, quibuscumque priuilegiis, non intelliguntur derogata ea quæ sunt in iure, cùm naturam priuilegiorum non contineant: vt tenet communis sententia. Cùm enim gesta per Concilia matura consideratione decerni credantur, non derogantur, nisi illorum fiat expressa mentio: vt tenet Gambarupta de Reseruatis, plures allegans.

Secundum fundamentum est, quia Pontifex in 74.
ea Constitutione solùm intendit cassare, & nullas reddere licentias quas hactenus, siue vsque ad illud tempus, nonnulli importunis precibus obtinuerant, vel ab aliquo Superiore, vel à Protectore Ordinis, vel etiam à sede Apostolica, contra id quod expressè statutum erat in eiusdem Ordinis constitutionibus: vt colligitur manifestè ex verbis Pontificis, & constabit legenti contextum.

Sed facilè respondetur ad primum, Pontificem 75.
non intendere hac sua noua constitutione derogare Clementinam: imò censeo eam relinquere in suo robore, si verum est post Tridentinum adhuc robur habere, de quo modò non disputo. Itaque mens Pontificis solum fuit excipere fratres Capuccinos ab illa lege, & respectu eorumdem nouam legem condere. Inquit enim, *statuimus nullum post hac Ordinis prædicti Religiosum posse*, &c. Ad hoc autem non erat necesse derogare legem contentam in Clementina, & Extrauag. nam quando lex noua conditur, addens aliquid supra antiquam, vel aliquid ab ea detrahens, opus non est mentionem fieri reuocationis antiquæ, vt docet Triuiño in Praxi examinatorum, folio 181. leg. *Non est nouum* 26. leg. *ideoque*. Imò vt derogetur priuilegio in iure incluso per aliquam legem nouam, non est opus quod in lege noua fiat mentio reuocationis priuilegij, nec specialiter, nec generaliter. Sed lex per legem oppositam derogatur, & constitutio antiqua per nouam contrariam, quamuis in noua nulla fiat mentio reuocationis legis, seu Constitutionis antiquæ.

Ad secundum respondetur, illud liberè & abs- 76.
que solido fundamento dici. nam Pontifex expressè statuit, nullum Religiosum Capuccinum posthac, id est, in futurum, posse secularium confessiones audire. Insuper addit, etiamsi ad id faciendum à Superioribus, aut Protectore, aut à Sede Apostolica, licentias hactenus obtinuerint. Vnde hæc posterior

Digitized by Google

sterior clausula non est limitatiua, seu restrictiua, vel terminatiua prioris; sed potiùs ampliatiua; vel, si mauis, derogatiua omnium licentiarum in contrarium obtentarum.

77. Secundò præmittendum est, ad instantiam & petitionem multorum fidelium, Clementem VIII. Pontificem Maximum anno 1603. prædictam Constitutionem Gregorij modificasse, *ita vt Minister Generalis eiusdem Congregationis Capuccinorum, & Diffinitores in Capitulo generali congregati, & in eodem Capitulo tantùm, quibus vis eiusdem Congregationis Religiosis ad confessiones audiendas approbatis, pro vt ipsis Ministro Generali, & diffinitoribus videbitur, licentiam audiendi secularium vtriusque sexus confessiones vsque ad noui Capituli generalis celebrationem, & non vltrà, & sic de Capitulo generali in Capitulum generale, concedere respectiuè possint, & valeant, auctoritate Apostolica concedit, & impertitur.*

78. His positis difficultas præsens est, an qui iuxta formam in hac Constitutione Clementis præscriptam habent licentiam à Capitulo generali, limitatam tamen ad certa oppida, vel personas, & approbationem absolutè ab Ordinario: vel non habent licentiam à Capitulo generali, sed solùm approbationem ab Ordinario, virtute Bullæ Cruciatæ vbique possint eligi, ita vt licitè, & validè secularium confessiones excipiant.

79. Sit conclusio. Negatiua sententia omnino tenenda est, & probatur ex prædicta Constitutione Clementis VIII. quæ non est reuocatiua, sed modificatiua Constitutionis Gregorij, & in ea non alio modo conceditur facultas audiendi secularium confessiones, nisi secundùm formam in ea præscriptam: ergo qui à Capitulo generali non habet licentiam absolutè, sed tantùm limitatè quoad tempus, oppidum, & personas, non potest licitè, nec validè aliorum confessiones excipere, nisi tantùm eorum pro quibus expresse licentia impertitur. Secundò, quia ad audiendum ritè confessiones secularium duo requiruntur, licentia Prælatorum, & Episcopi approbatio; quia Episcopi approbationem conferunt dependenter à propriis Prælatis præsentantibus Religiosos ipsis Episcopis: ergo sine tali præsentatione, vel quoad certum tempus, oppida, & personas facta, nulla erit expolitio, & approbatio.

80. Dices, hanc rationem vim non habere, quia Confessarius Regularis ab Episcopo approbatus, sed prohibitus à Prælato Religionis, non obstante hac prohibitione adhuc per Bullam eligibilis est ad confessiones audiendas, & ita tenent Pitigianus, Nugnus, Salas, Angles, Ioann. de la Cruz, Homobonus, Villalobos, Miranda, quos refert & sequitur Diana 1. parte tract. 11. resol. 13. Respondetur, quidquid sit de hac sententia in aliis Religiosis, de Capuccinis contrarium omnino tenendum est, qui auctoritate, & præcepto Apostolico Clementis VIII. prohibentur confessiones excipere, nisi secundùm formam in sua constitutione præscriptam; sicque defectu iurisdictionis, illæ confessiones non erunt validæ.

81. Dices secundò, hæc non optimè cohærere iis quæ suprà in hac disput. sect. 8. docuimus, Regulares semel ab vno Episcopo approbatos, virtute Bullæ vbique & ab omnibus eligibiles esse. Respondetur negando sequelam. nam ibi doctrinam generalem dedimus communem omnibus Regularibus; hîc autem speciatim de Capuccinis loquimur, circa quos extant diuersa iura: dicimus ergo, non posse virtute Bullæ eligi, nisi tantùm ab eis, quibus licentia à Ministro generali, & diffinitoribus concessa est, stante constitutione Apostolica, ob defectum iurisdictionis; nec ad illos valet approbatio Episcopi. nam illa approbatio taliter debet intelligi, vt supponat subiectum capax iurisdictionis ad talem confessionem. Cùm ergo Capuccini iurisdictionem accipiant non ab Ordinario, sed immediatè à summo Pontifice, & non aliter quàm secundùm formam præscriptam in dicta constitutione, & à Capitulo generali concessam, sequitur planè approbationem Ordinarij circa illos nihil posse operari, & consequenter fore confessionem inualidam: quæ ratio meo iudicio est valde notanda, quia efficaciter conuincit intentum.

82. Dices, hanc rationem non esse adeò solidam. nam quando ex priuilegio Bullæ eligitur Confessarius ipse, tunc non eget licentia, siue iurisdictione Episcopi ad confessiones, quia hæc datur à Pontifice in priuilegio Bullæ; sed tantùm approbatione opus habet, vt docet Vazquez quæst. 93. art. 3. & Suarez disp. 28. sect. 8. Respondetur, hoc non tollere efficaciam illius rationis, quia concessio illa generalis quæ fit in Bulla, dirigitur ad omnes capaces, non verò ad eos qui ab Ecclesia, vel Pontifice priùs redditi sunt incapaces illius concessionis participandæ, pro vt redditi sunt Capuccini per Constitutiones Gregorij & Clementis, nisi iuxta formam in Constitutione Clementis præscriptam, vel, vt clariùs loquar, in eo euentu approbatio Episcopi nihil refert, quia secundùm prædicta iura fratres Capuccini inexponibiles sunt, nisi iuxta formam in eis præscriptam.

83. Nec inde inferas, Capuccinos eo quòd confessionibus audiendis non vacent, vtiles non esse in Ecclesia Dei; vt nonnulli indocti minus piè sentiunt, & eis obiiciunt. Eodem modo possent dicere, Paulos, Antonios, Hilariones, & ferè innumeros Anachoretas, qui in eremis, & solitudinibus, vitam cœlibem degerunt, extitisse inutiles in Ecclesia Dei, quod absit. Idem possent asserere de sanctissima Carthusianorum familia, tot præconiis, ac laudibus digna, imò ferè de omnibus Religionibus Monachalibus, quæ satis parcè huic ministerio incumbunt. Præterea Capuccini laborant maximè in concionando seminantes verbum Dei: in inuisendis & consolandis infirmis: in iuuandis moribundis, die noctuque assistentes sine exceptione: in inseruiendis infectis tempore pestis, quando flagellum hoc inundat & grassatur; quando ferè omnes fugiunt vt vitam propriam incolumem seruent; ipsi certatim aduolant salutem & vitam prodigentes. Denique in missionibus, conuersione, & reductione hæreticorum cum ingenti fructu in Germania, Gallia, Anglia, Belgio, & Hibernia, & aliis, sed de his satis. Nec desunt saluti proximorum incumbere eorum confessiones audiendo, vbi & quando necesse est, videlicet in oppidis, vbi habent Conuentus, & aliæ Religiones non sunt, quæ ibi possint hoc ministerium exercere.

SECTIO XI.

De alijs qualitatibus Ministri huius sacramenti.

84. HActenus actum est de adeò necessariis in Ministro, vt sine ipsis factum non teneret eius ministerium, superest agamus de his, quæ sunt necessaria, ad congruè, & debitè exequendum munus

Digitized by Google

munus ſuum. Hæc autem ſunt bonitas, & ſcientia; quis & quando teneatur confeſſiones audire: quam obligationem habeat interrogandi, docendi, & diſponendi pœnitentem, & qua ratione poſſit, & debeat ſupplere defectus in confeſſione commiſſos.

85. Circa primum licèt ad validè miniſtrandum nulla requiratur bonitas in Miniſtro, aliàs approbato, & iuriſdictionem habente, tamen, regulariter loquendo, vt honeſtè & ſine culpa poſſit exercere hoc miniſterium, neceſſaria eſt aliqua bonitas; hæc colligitur ex ipſa indigentia miniſterij ſacri, quod ex diuina inſtitutione & ipſo naturali dictamine requirit in Miniſtro honeſtatem, & religionem, & ideo vt licitè adminiſtret, neceſſe eſt, vt bona fide credat ſe eſſe in ſtatu gratiæ; ſacerdos enim ſancta ſanctè tractare debet: ac proinde qui conſcientiam habet peccati mortalis, priùs ſe debet diſponere, vel per confeſſionem, vel per veram contritionem, niſi fortè ſubita neceſſitas infirmi eum excuſet, ne moriatur ſine abſolutione dum confeſſarius priùs velit conari ad habendam contritionem. Et quamuis Vazquez exiſtimet ſtatum gratiæ requiri toto tempore quo confeſſarius audit confeſſionem; verius tamen exiſtimo ſufficere vt in gratia ſit, quando profert formam abſolutionis. Ita Lugus diſp. 8. de ſacramentis in genere, ſect. 9.

86. Circa ſententiam hæc neceſſariò requiritur in Confeſſario, vt omnes fatemur, quia ad iudicandum neceſſaria eſt cognitio cauſæ, & aliarum rerum, quæ ad rectum iudicium, & ſententiam ferendam pertinent. Hæc autem ſcientia multipliciter eſt neceſſaria, nimirum ad diſcernendum inter lepram & lepram; inter mortale & veniale, ſaltem in genere, inter ſpecies peccatorum, & etiam inter circunſtantias mutantes, vel non mutantes ſpeciem. Item debet ſcire obligationes reſtituendi, impedimenta matrimonij, caſuum reſeruationes, excommunicationes annexas, & irregularitates quæ frequentiores ſunt apud pœnitentes, à qua obligatione magna ex parte liberantur Religioſi, quia habent priuilegium abſoluendi à multis, & ſimiliter qui audiunt confeſſiones habentium Bullam Cruciatæ, per quam conceditur facultas abſoluendi fere ab omnibus reſeruatis: hæc tamen ſcientia non debet eſſe tanta, vt de omnibus quæ pœnitens dicit, poſſit diſcernere an ſint mortalia, vel venialia, quia id vix poſſunt doctiſſimi: imò neque an ſint, vel non ſint peccata, ſed ſufficit quòd id poſſit in peccatis, & caſibus quæ frequenter contingunt. Ex quo fit, hanc ſcientiam non requiri neceſſariò æqualem pro omnibus. nam minor ſcientia ſufficit ad audiendas confeſſiones puerorum, vel ruſticorum, quæ non erit ſufficiens reſpectu mercatorum, ſcribarum, iudicum, &c. qui caſus habent difficiliores; ſæpe etiam ignorantia confeſſoris ſuppleri poteſt ſcientia pœnitentis; huic enim poteſt, & debet confeſſarius fidem adhibere ſe accuſanti, & excuſanti: quare ſi eſt homo doctus, poterit iudicio eius inſtrui. Nec dilatanda eſt abſolutio quando confeſſario accidit caſus difficilis in confeſſione quem ipſe nequit ſtatim diſſoluere, ſed indiget maiori indagatione, aut ſapientum virorum conſilio, quia ipſe ſe ipſo non poteſt id reſoluere, vt circa imponendam reſtitutionem, aut prohibendum contractum dubium, &c. tunc enim poterit petere à pœnitente, an ſit paratus ad præſtandum quod iudicatum fuerit, vel à ſe, vel ab aliis viris doctis, & ſi pœnitens promittat ſe illorum conſilio ſtandum, poterit impendere beneficium abſolutionis, quia iam in eo euentu cenſetur ſufficienter diſpoſitus.

87. Ex quo infero, grauiter peccare eum qui ſine ſcientia requiſita ſe exponit ad audiendas confeſſiones, in quo excuſatur religioſus dubius de ſua ſufficientia ad illud miniſterium, ſi accedat iudicium Superioris qui eum bene nouit, imponentis ei tale munus, & iudicantis illum aptum eſſe. Excipitur caſus neceſſitatis, in quo quilibet Sacerdos tenetur audire confeſſionem, & abſoluere, videlicet in articulo mortis; in eo enim euentu ſufficiet, vt percipiat aliquod peccatum, vel peccatum in genere, quia in illo articulo non requiritur materialis integritas, ſed tantùm formalis. Nec ſemper ignorantia confeſſoris efficit confeſſionem inualidam; ſi enim eà quæ ſibi dicuntur in confeſſione de facto percipiat vt mala, licèt ratione dictæ ignorantiæ de facto non bene iudicet, nec diſcernat inter mortale, & veniale, inter ſpecies & numerum peccatorum, in caſibus frequenter occurrentibus, adhuc valida erit confeſſio, vt rectè Ægidius diſp. 6. dub. 5. quia actus pœnitentis cognitus vt peccata, ſunt materia ſufficiens abſolutionis: quamuis aliunde ex parte pœnitentis poterit confeſſio illa eſſe inualida, ſi ſciens & volens eligat, & confiteatur Sacerdoti ſic ignoranti, & quem ſcit non eſſe idoneum, licèt ſit approbatus; peccat enim mortaliter; ac proinde ex parte ipſius confeſſio fit nulliter ex defectu doloris, & integritatis confeſſionis.

88. Denique grauiter peccant Epiſcopi approbantes, & iuriſdictionem committentes in hoc foro ſacerdotibus non habentibus ſcientiam huic muneri requiſitam. Sæpe excuſantur in aliquibus oppidis exiguis, & remotis, quia propter exiguum ſtipendium non inueniunt doctiores qui velint curam illam ſuſcipere. Suppletur etiam ignorantia confeſſoris, ſi de his quæ frequentiùs non eueniunt, ſciat dubitare; ſi enim dubitat, poteſt legendo, vel alios conſulendo, ſcire quid in quolibet euentu in particulari oporteat facere.

89. Circa tertium, quis, & quando teneatur confeſſiones audire. Certiſſimum eſt, ex iuſtitia teneri Parochum, vel eum cui cura animarum commiſſa eſt, & licèt aliqui exiſtiment, inter quos eſt Reginaldus, & putat probabile Diana tom. 1. tract. 2. Miſcell. reſolut. 2. quando ipſi pœnitentes tenentur confiteri, nempe ſemel in anno, & in mortis periculo; vel quando confeſſio eſſet remedium neceſſarium pœnitenti ad aliquod peccatum mortale vitandum. Verius tamen eſt etiam aliis temporibus obligari, ſi ipſi ſubditi petant: ſi tamen non vrgeret grauis cauſa, vt, v.g quia ſubditus graui aliqua tentatione, aut difficultate premitur, vel quia longum & difficile iter aggreditur, vel certè, quia eſt tempus Iubilei, & priuaretur magna vtilitate. Si non confiteretur & ſimiles, non peccaret mortaliter Parochus ſi ſemel, vel iterum negaret hoc ſacramentum ſubdito petenti extra tempus neceſſitatis. Ita Suarius diſp. 32. ſect. 1. Verius tamen eſt non poſſe certam regulam tradi. nam ſi pœnitens ſit in ſtatu peccati, & deſideret remedium confeſſionis ad ſui iuſtificationem, difficile erit excuſare Parochum. Excuſabitur tamen ſemper, ſi illi prouideat de alio bono, & apto confeſſore cui poſſit ſua peccata confiteri. Limita, niſi fortè ſubditus habeat ſpecialem neceſſitatem vt à ſuo paſtore audiatur. Hi verò, qui non tenentur audire confeſſiones ex officio, ſed ſolùm ex charitate,

charitate, tantùm obligantur in casu extremæ necessitatis; tunc enim tenentur etiam cum periculo vitæ prop. ix.

90. Circa quartum similiter certum est, confessarium habere obligationem interrogandi, docendi, corrigendi, & disponendi pœnitentem. Quoad obligationem interrogandi prudenter se gerere debet confessor, ne in hoc nimius sit. Et conueniunt omnes quando pœnitens omisit aliquod peccatum ex defectu diligentis examinis, debere confessarium illud in memoriam reducere. Vnde non approbo sententiam Medinæ asserentis, quando confessarius videt pœnitentem diligenter examinasse conscientiam, & tamen videt illum oblitum alicuius peccati, non teneri illud in memoriam reducere, nisi peccatum esset in damnum tertij: hoc enim falsum est, aliàs neque esset interrogandus rusticus qui multa omittit ob ruditatem & ignorantiam, quamuis diligenter se examinauerit. Quomodo verò confessarius debeat pœnitentem corrigere, & eius auferre ignorantiam, docuimus suprà disp. 4. sect. 23. Denique de obligatione disponendi pœnitentem ad absolutionem, iam diximus suprà, confessarium non posse absoluere eum quem cognoscit nullum habere dolorem, & debitam dispositionem, quæ includit displicentiam de peccato commisso & propositum non peccandi de cætero. Quomodo etiam debet se gerere cum eo, qui habet obligationem restituendi, vel vitandi occasionem, iam suprà expositum manet, & iterum moneo quòd quamuis confessarius semel, aut iterum possit absolutionem impendere concubinario antequam de facto expellat concubinam, eo quòd fidit expulsurum; tamen ratò illam concedere debet, etiamsi detestetur peccatum, & proponat emendationem, vt docent Nauarr. cap. 16. Chapeauil. de reseruatis, fol. 386. Antonius Fernandez in Instr. Confess. part 1. docum. 8 quia, vt rectè Diana 5. part. tract. 16. resol. 107. experientia docet, ratò pœnitentes concubinarios occasionem expellere iam absolutos, præcipuè si ex illis sunt qui semel in anno ad confessionem accedunt, sed iterum eisdem, & grauioribus peccatis se implicare. Idem docet Palaus tom. 1. tract. 2. disp. 2. punct. 9.

91. Quando inter pœnitentem & confessarium datur diuersitas opinionum, si pœnitens vult absolui, confessarius autem iudicet non esse absoluendum, quia non est bene dispositus, peccat confessarius se conformando cum tali opinione, nisi confessarius saltem existimet opinionem pœnitentis esse probabilem; quia, vt rectè Lugus disp. 22. sect. 2. n. 45. tunc non solùm agitur de permittenda pœnitenti sua opinione, sed de amplectenda illa in operatione propria, vt confessarius operetur iuxta illam, quod non potest facere nisi iudicet illam esse probabilem. Si verò constet pœnitentem esse ritè confessum & dispositum, tenetur confessarius sub graui peccato illum absoluere, siue sit confessor proprius, siue alienus, etiamsi confessarius iudicet suam sententiam esse probabiliorem, adhuc in materia restitutionis: supponimus enim opinionem pœnitentis esse ita probabilem, vt ipse pœnitens possit tuta conscientia iuxta illam operari. Ratio huius est, quia quoties confessarius potest licitè beneficium absolutionis impendere, pœnitens habet ius ad illud exigendum, & confessarius ad id obligatur; siue sit proprius Parochus, siue alienus: quia pœnitens qui sequitur opinionem probabilem, iam habet dispositionem requisitam vt beneficium absolutionis debeat impendi.

Circa quintum, quando confessarius debeat 92. supplere defectus in confessione commissos, si defectus fuit solùm quoad absolutionem censuræ petat facultatem vt absoluat absentem, vt docent Suarez disput. 32. sect. 6. Vazquez quæst. 93. art. 3. dub. 8. num. 6. & Recentiores communiter. Si autem fuit quoad absolutionem peccatorum, tam ex parte sua, vt si non habuerit intentionem, quàm ex parte pœnitentis, vt si non habuerit dolorem, petat licentiam, & moneat illum, si non timet graue incommodum, vel scandalum; si autem probabiliter timet, relinquat illum bona fide: quia per confessiones sequentes remittentur ea peccata saltem indirectè: limita nisi pœnitens sit in periculo, aut in articulo mortis, in quo salus periclitatur æterna, & credi, aut timeri potest, quòd non sit iterum confessurus.

Confessarius qui pœnitentem non admonuit 93. de restitutione facienda, non tenetur ipse ad restitutionem; quia ea omissione nullam iniustitiam commisit contra eum cui facienda erat restitutio, quamuis peccauerit contra proprium officium non admonendo pœnitentem: si verò scienter, aut ex ignorantia culpabili consuluit positiuè pœnitentem, siue inducendo, siue suadendo ad non restituendum, tenetur ipse ad restitutionem damni quod tertius patitur; quia tunc culpabiliter fuit causa moralis non restitutionis: poterit tamen confessarius iterum admonere, aut consilium reuocare, vt sic retrahat influxum quem in damnum tertij exhibuerat.

DISPVTATIO VI.

De Ministro Confessionis quoad reseruata.

SECTIO I.

Qui & quorum peccata possint reseruari.

I. IN Ecclesia Dei esse potestatem reseruandi casus in foro conscientiæ, certum est de fide, & ita extat diffinitum in Trid. contra VViclephum, & alios hæreticos sess. 14. c. 7. vbi ita asseritur. *Magnopere verò sanctissimis Patribus nostris* Trident. *visum est, vt atrociora quædam, & graviora crimina non à quibuslibet, sed à summis duntaxat sacerdotibus absoluerentur. Vnde meritò Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum graviores suo poterunt peculiari iudicio reseruari,* & in eadem sess. Canon. 11. sic dicitur. *Si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam; atque ideo casuum reseruationem non prohibere quominus sacerdos à reseruatis verè absoluat, anathema sit.* Et ratio huius est, quia in hoc sacramento non solùm requiritur potestas Ordinis, sed etiam iurisdictionis quæ inferioribus à superioribus debet communicari, vt dictum est sectione præcedenti: reseruatio autem nihil aliud est quàm limitatio eiusdem iurisdictionis ad absoluendum in foro conscientiæ quoad aliquos casus: ergo superiores poterunt eam limitare dando illam inferioribus ad plures, vel pauciores causas; ad plures, vel pauciores personas,

pro vt ipſis magis expedire videbitur, quod eſt reſeruare ſibi abſolutionem eorum.

2. Et in primis ſummus Pontifex in toto orbe Chriſtiano, habet poteſtatem reſeruandi ſibi peccata (& de facto multa ſibi reſeruat in Bulla Cœnæ Domini) ita vt nullum ſit peccatum quod ab illo non poſſit reſeruari, quia cùm ſit ordinarius Epiſcopus totius orbis terratum, & à quo omnis iuriſdictio in peccata pendet, poteſt in toto orbe ſuam poteſtatem exercere: reſeruatio enim ſolùm conſiſtit in negatione iuriſdictionis ad aliqua peccata. Poteſt autem ea reſeruare vel cum excommunicatione, vel ſine illa; ordinariè tamen nunquam ſummus Pontifex reſeruat caſus in foro conſcientiæ ſine cenſura: vnde nullus eſt Papæ caſus reſeruatus qui non habeat annexam cenſuram.

3. Præterea Epiſcopi habent poteſtatem ad id immediatè à Papa, & de facto ius reſeruandi integrum eſt in Epiſcopis, qui cùm multos caſus reſeruent ſine cenſuris, data ab illis abſoluta facultate ad abſoluendum ab omnibus cenſuris ſibi reſeruatis, non ideo cenſetur abſolutè dari ad abſoluendum ab omnibus caſibus reſeruatis, ſed ſolùm ab illis qui cenſuras habent annexas: quando verò conceſſerint facultatem ad abſoluendum à peccatis quibus annexa eſt cenſura, & data ad abſoluendum à cenſura, iam peccatum non manet reſeruatum, & tunc à quolibet Confeſſario poterit pœnitens ab illo abſolui, vt notat Fagundez 2. præcepto lib. 8. cap. 1. & plures alij, qui idem aſſerunt intelligendum eſſe, quando ſummus Pontifex per priuilegium, aut Bullam, concedit facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis; tunc ſimiliter intelligitur data facultas abſoluendi à cenſuris illorum, niſi contrarium exprimant, quod numquam exprimunt. Quando verò cum reſeruatione caſus & cenſuræ Papalis, concurrit etiam reſeruatio caſus & cenſuræ Epiſcopi, tunc data facultate per Bullam & priuilegium à Papa ad abſoluendum ab omnibus caſibus, aut cenſuris ſibi reſeruatis, quamuis de iure non poſſit Confeſſarius abſoluere à cenſuris & caſibus reſeruatis Epiſcopo, abſque alia licentia, & facultate concella ab Epiſcopo; bene tamen de conſuetudine, vt docet Fagundez vbi ſuprà; quia qui concedit maius, concedit etiam minus. quando illud minus eſt eiuſdem rationis cum maiori, in illoque includitur, per regulam, *cui conceditur*, de regulis iuris in 6. Ex hoc tamen non ſequitur, quod facultate conceſſa à Papa, vel ab Epiſcopo, abſoluendi à caſibus & cenſuris Epiſcopo ipſi reſeruatis, poſſit Confeſſarius à Papalibus abſoluere; quia conceſſo minori, non conceditur maius, nec minor habet iuriſdictionem in ſuperiorem.

4. Deinde Parochi poſſunt reſeruare ſibi caſus pro ſua parochia, quia eo ipſo quòd ſunt parochi, habent iuriſdictionem ordinariam in ſuas oues, & quamuis id non ſit parochis in vſu, per non vſum tamen non amittitur hæc poteſtas, quamuis ferè inutilis eſſet illa reſeruatio, cùm alij poſſent abſoluere de licentia Papæ, vel Epiſcopi. Ex his

5. Infertur primò, omnia genera peccatorum, tam mortalium, quàm venialium, & etiam peccata merè interna, & idem eſt de mortalibus iam confeſſis, poſſe reſeruari à ſummo Pontifice, quamuis plura ex his reſeruari non expediat. Primum patet, quia ſacerdotes ab Eccleſia accipiunt iuriſdictionem ad abſoluendum ab omnibus illis, vt diximus ſuprà: poterit ergo Eccleſia eam validè auferre & limitare. Nec obſtat Eccleſiam non habere poteſtatem in actus merè internos. Nam quamuis id verum ſit loquendo de poteſtate præceptiua, vel punitiua, cùm eos non poſſit cognoſcere; falſum eſt de poteſtate iuriſdictionis à Chriſto communicata in hoc ſacramento in ordine ad abſolutionem. Sic Pontifex reſeruat ſibi diſpenſationem voti merè interni circa aliquas materias. Secunda pars etiam conſtat, quia reſeruatio venialium, & mortalium peccatorum quæ ſemel confeſſa ſunt, inutilis omnino foret: peccata item interna non ſunt aliis nociua, nec regulariter egent aliquo remedio ſpeciali, quod à Confeſſariis ordinarijs non poſſit adhiberi.

Similiter poteſt reſeruari peccatum mortale dubium ob rationem aſſignatam: difficultas autem poteſt eſſe, an quando peccatum aliquod mortale ſimpliciter reſeruatur, etiam cenſeatur reſeruatum quando eſt in dubio, & loquimur de dubio proprio, ſeu negatiuo; quia quando dubium eſt poſitiuum, & rationes vtrinque probabiles, certum eſt iudicandum eſſe in fauorem pœnitentis. Sed adhuc loquendo de dubio negatiuo, idem dicendum eſſe cenſeo; & ita tenent Sa, Ochogauia, Hurt, Homobonus, Fillucius, Suarez, Portel, quos refert, & ſequitur Diana 4. parte tract. 3. de Conſcientia dubia reſolut. 4. Quia reſeruatio cùm ſit lex odioſa, eſt ſtrictè interpretanda. Imò ſi poſtea pœnitens re melius examinata deponat dubium, & recordetur certò peccati commiſſi quod erat reſeruatum, non tenetur recurrere ad ſuperiorem pro abſolutione, quia iam cenſetur legitimè abſolutus, etiamſi peccatum illud haberet annexam cenſuram, & ita docet Lugus diſput. 20. ſect. 2. citans Sancium lib. 4. in Decalogum cap. 44. num. 10. & probat exemplo de eo qui dubius de voto caſtitatis emiſſo, petit diſpenſationem ab habente facultatem diſpenſandi in votis non reſeruatis, & eam obtinet; eo quòd votum caſtitatis dubium non ſit reſeruatum: poſtea verò comperta veritate & certitudine voti, inquit Sancius, non teneri recurrere ad Papam pro eius diſpenſatione. Et ratio eſt, quia cùm ratione dubij tunc votum non eſſet reſeruatum, potuit tunc in illo inferior diſpenſare, & legitimè vſus eſt poteſtate quam habebat ad diſpenſandum in votis dubiis. 6.

Infero ſecundò reſeruationem ſine iuſta cauſa factam validam fore, ſed non licitam. Prima pars conſtat, quia ſicut poteſt Superior nullam dare iuriſdictionem, ſic poteſt eam pro libito limitare, vel omnino auferre. Vnde Pontifex validè poſſet ſibi reſeruare omnes caſus, licèt illicitè id faceret: quia omnis poteſtas à Chriſto Domino procedens ordinata eſt; eſt enim huiuſmodi poteſtas reſeruandi à Chriſto Domino relicta Eccleſiæ in ædificationem illius, non in deſtructionem animarum, qualis eſt quæ ſine iuſta, & rationabili cauſa fit. Circa Epiſcopos eſt maior difficultas; cenſeo tamen etiam poſſe Epiſcopos abſque vlla cauſa pro mera ſua voluntate & libertate reſeruare peccata quæ voluerit; validè quidem, ſed illicitè, ita vt abſolutio contra eam data inualida ſit, ob eaſdem rationes. 7.

Inquires, quæ peccata ſint de facto reſeruata. Reſpondeo, ſi loquamur reſpectu ſummi Pontificis, plures eſſe caſus ei reſeruatos, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini, & in Decreto, & in Decretalibus, 8.

libus,& in Clementinis,& in Extrauag.& in Motibus propriis. Si verò loquamur de Episcopis, in iure communi nullum est peccatum Episcopo reseruatum, & sic inspiciendæ sunt constitutiones, & consuetudines Diœcesum. Ex reseruatis Pontifici,remittitur Episcopo percussio violenta clerici, quando non est enormis,& etiam enormis quando percutiens est legitimè impeditus adire Pontificem, sententia excommunicationis sub onere comparendi coram Pontifice cessante impedimento, & recepto super hoc ab ipso iuramento,quod Doctores extendunt ad omnia peccata Pontifici reseruata in eodem casu legitimi impedimenti. Deinde quodcumque peccatum Pontifici reseruatum, quando non est publicum, excipe peccatum hæresis exterioris,de quo suo loco dicemus. Consuetudine introducta reseruantur Episcopis, homicidia voluntaria, falsificatio scripturarum, sacrilega violatio immunitatis, & libertatis Ecclesiasticæ, sortilegia, seu diuinationes.

Sectio II.

An superiores Religionum possint reseruare casus.

9. SVpponendum est, Prouinciales, vbi ad id munus canonicè eliguntur,statim accipere iurisdictionem quasi Episcopalem à Summo Pontifice immediatè,dependenter tamen à suis Generalibus. Generales verò illam etiam accipere immediatè à Papa, & ideo eam illis Papæ possunt restringere, & temperare ex causa, quoties ita ad maiorem vtilitatem animarum iudicauerint. Idem dicendum est de reliquis superioribus localibus, veluti Rectoribus, Guardianis,&c. quocumque nomine vocentur, iurisdictionem etiam accipere immediatè à Pontifice,cum dependentia tamen à suis Prouincialibus,& Generalibus.Sicut ergo Episcopi in suis Episcopatibus,& Parochi in suis Parochiis;sic Generales in suis Religionibus, Prouinciales in suis Prouinciis,Prælati locales in suis Monasteriis,possunt de iure, nisi id sibi à Summis Pontificibus restringatur, reseruare casus, & peccata illa,nempe quæ ad maiorem suorum subditorum fructum expedire iudicauerint.

10. Est tamen valdè notandum, quia posset esse periculum ne Prælati Regulares excederent in reseruandis casibus, tale ius limitasse Clementem VIII. in sua constitutione data 26. Maij 1594. vbi decreuit, in vnaquaque Religione vndecim peccata posse reseruari, non plura, nec omnia; sed ex illis vndecim, vel omnia, vel aliqua pro beneplacito superiorum, videlicet:

1. *Veneficia, Incantationes,Sortilegia.*
2. *Apostasia à Religione, siue habitu remisso, siue retento, quando eo peruenerit, vt extra septa Monasterij, seu conuentus, fiat egressio.*
3. *Nocturna, & furtiua è Monasterio, seu conuentus,egressio;etiam non animo apostatandi facta.*
4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*
5. *Iuramentum falsum factum in iudicio regulari, seu legitimo.*
6. *Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.*
7. *Falsificatio manus,aut sigilli, officialium Monasterij, aut Conuentus.*
8. *Furtum de rebus Monasterij, seu Conuentus,in ea quantitate quæ sit peccatum mortale.*
9. *Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.*
10. *Occisio,aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.*
11. *Malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio literarum, à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.*

Deinde addit Pontifex, si quod aliud peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum videbitur, id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in toto ordine,aut Prouincialis in Prouincia matura discussione, & consensu. Ex quibus fit manifestè, nullum Prælatum Regularem posse reseruare aliquod peccatum, præter illa, quæ Pontifex hîc annumerat, aut quæ à Capitulo Generali, vel Prouinciali determinata fuerint. Vt autem sciamus quinam ex his vndecim casibus sint reseruati,& quomodo reseruentur, inspiciendæ sunt Constitutiones cuiusque Religionis, vt ex verbis reseruatoriis constet modus reseruandi, & obligatio reseruationis, aliter nihil in particulari possumus dicere. In nostra autem Religione omnes vndecim casus Capitulum generale admisit, & reseruauit, iussitque sic haberi. 11.

Ex quo infertur, Prouinciales (idem dico de Generalibus) non posse reseruare aliquod peccatum in particulari pro aliquo Monasterio, Collegio, aut domo, præter hæc vndecim numerata, etiamsi id iudicauerint expedire: possunt tamen cum consensu Capituli Generalis, vel Prouincialis, non verò localis;vt expressè habetur in eadem Constitutione. 12.

Est tamen difficultas, an præter huiusmodi vndecim peccata, possint Guardiani, & superiores locales, quocumque nomine vocentur, aliqua alia peccata non reseruare, sed sub excommunicatione prohibere ob grauem causam, reseruando sibi absolutionem prædictæ censuræ. Affirmant Suarez, Villalob. Tamburinus, Coriolanus, & Fagundez, quos refert Diana tom.2. tract. 2. de dubiis regularib. resolut.49. quia decretum Clementis VIII. expressè loquitur de reseruatione culparum. *Nemo*, inquit, *ex Regularium superioribus, peccatorum absolutionem sibi reseruet, exceptis iis*, &c. ergo non prohibetur reseruatio absolutionis à censura; hæc enim longè diuersa est, & ad diuersum forum, & iurisdictionem spectat; tum etiam, quia Prælatus potest excommunicare; ergo potest sibi reseruare absolutionem, quia ipso iure absolutio excommunicationis cùm sit ab homine, pertinet ad iudicem proferentem. 13.

Contraria sententia probabilior videtur, quam tenent noster Sigismundus à Bononia, Peirinus, Thom. Sancius, Megala, Molfesius, Ioan. Faber, quos refert,& sequitur Diana ibidem; quia omnis reseruatio Prælatis interdicta est in prædicta constitutione Clementis; ratione autem censuræ appositæ iam illud peccatum reseruatum maneret, & sic videtur inuentum, & excogitatum in fraudem legis Pontificiæ, nolentis, & prohibentis alia peccata reseruari, quàm vndecim expressa: & ita fuit declaratum à sacra Congregatione die 7.Iulij 1617. cùm à nonnullis Regularibus dubitaretur, an in decreto Clementis, &c. censuræ etiam comprehenderentur, itavt iisdem superioribus absque Capituli Generalis, aut Prouincialis consensu aliquibus peccatis in huiusmodi decreto non contentis, excommunicationem annectere, eiusdemque 14.

absolutionem sibi reseruare liceat sacra Congregatio Cardinalium negotiis Regularium Præpositorum, censuras in supradicto decreto comprehendi censuit.

Sectio III.

Quis possit absoluere à reseruatis.

15. IVrisdictio ad absoluendum à reseruatis duobus modis potest haberi. Primò potestate ordinaria. Secundò verò delegata. Sit ergo regula generalis, qui casum reseruat, potest ab illo absoluere. Limita, dummodo non desit illi potestas Ordinis: sunt enim nonnulli qui habent iurisdictionem quam possunt aliis communicare, eam tamen per se ipsos exercere non possunt, quia non sunt sacerdotes: ex quo fit quòd quamuis hi possint reseruare, non tamen possint per se ipsos absoluere, sed per eos quibus iurisdictionem concedunt. Ratio verò regulæ est, quia reseruatio est subtractio iurisdictionis; ergo is qui reseruat, habet in se sufficientem auctoritatem ad dandam, & tollendam aliis, & consequenter ad absoluendum si potestate Ordinis non careat. Prælati superiores, v. g. Episcopi, Generales, & Prouinciales Religionum, possunt absolui à suo Confessario ab his, à quibus ipsi possunt alios absoluere, vt colligitur ex cap. finali, de pœnit. & remissio. De vicario Episcopi potest esse aliqua difficultas, an sicut potest dare facultatem pro aliis, possit facere se ipsum absoluere a reseruatis. Negat Graffis in append. ad decis. lib 3. cap. 8. num. 22. verius est posse, & ita tenent communiter Doctores, quos refert, & sequitur Diana part. 3. tract. 4. de sacram. resolut. 142. & præcipuè Sancius de Matrim. lib. 8. disp. 3. & in summa tom. 1. lib. 2. cap. 11. num. 11. æquum enim videtur, vt qui alios potest absoluere, possit etiam se ipsum facere absoluere.

16. Præterea potest esse difficultas, an Prælati Regularium, videlicet Guardiani, Priores, &c. possint ipsi absolui à suo Confessario à peccatis reseruatis quæ Capitulum Generale, vel Prouinciale reseruauit. Respondeo in hoc standum esse constitutionibus, vsui, & praxi Religionum. In nostro Ordine non est talis vsus, imò in Capitulo generali negata est illis talis facultas. Et præterea præceptum fuit in Capitulo generali Romæ celebrato anno ... vt expũngerentur à nostro Cotiolano, in tractatu de Reseruatis part. 1. sect. 1. art. 22. num. 1. verba illa vbi affirmabat, Guardianos posse absolui etiam à reseruatis à Confessariis ab ipsis electis, non de iure, sed ex priuilegio. Deinde potest esse difficultas de peregrinis bona fide venientibus ad alium Episcopatum, an ibi possint confiteri, & absolui à peccatis reseruatis, & à quo debeant absolui; in quo resolutorie dicendum est, peregrinos iter agentes, & aduenas ex præcepto, & consuetudine æstimandos esse in ordine ad confessionem, sicut eos, qui sunt incolæ eiusdem loci, ac proinde possunt absolui à casibus reseruatis suo proprio Episcopo, quamuis Confessarius non habeat facultatem absoluendi à reseruatis, dummodo illi casus non sint reseruati etiam Episcopo loci vbi confessio auditur: si verò habeat casus reseruatos Episcopo loci in quo confitetur qui non sunt reseruati Episcopo proprij domicilij, non potest à quolibet simplici confessario absolui; sicut neque potest absolui quando habet casus reseruatos tam Episcopo proprij domicilij, quàm Episcopo loci in quo reperitur. Rationem horum omnium iam assignauimus ex vsu, & consuetudine recepta, iter agentes, peregrinos, & aduenas, iudicandos esse iuxta leges loci in quo reperiuntur.

Sectio IV.

An superior possit audire sola reseruata, & absoluere ab illis pœnitentem.

17. AFfirmant Caietanus verbo Confessio. Nauar. & vterque Soto, quos refert Suarez disp. 31. sect. 1. quia sæpè Prælati variis occupationibus sunt impediti, ob quas non vacat audire confessiones integras subditorum, & hanc esse consuetudinem Romanam. Ego verò existimo contrariam sententiam esse veriorem; ac proinde Prælatum non posse audire sola reseruata, & absoluere ab illis pœnitentem, sed debere vel non absoluere, vel audire confessionem integram. Ratio huius est, quia integritas confessionis est de iure diuino, quod omnino seruandum est, nisi aliter permittat vera & rationabilis causa, quæ in hoc casu, de quo loquimur, difficillimè potest assignari, nam occupatio Prælati non est sufficiens, cùm facilè possit audire reseruata, (vel etiamsi non audiat,) & remittere alicui sacerdoti, cui possit fidere, & remittere etiam pœnitentiam taxandam, si velit, & alia remedia adhibere. Nec est maximum inconueniens, quòd quis obligetur bis eadem peccata confiteri, cùm id fiat sub sigillo confessionis, nisi forte hoc concedamus contrariæ sententiæ in casu rarissimo, quando necessitas celebrandi, vel communicandi vrget, & propter aliquam circumstantiam superior iudicat necessarium esse audire pœnitentem.

18. Multo magis displicet quod docet Nauarr. à Suario relatus suprà, in illo euentu ex vtraque absolutione superioris, & inferioris, confici vnum integrum Sacramentum; quia illa absolutio eo quòd sacramentalis sit, primam gratiam confert, & directè remittit reseruata, indirectè verò non reseruata. Nec fauet consuetudo in contrarium, quod est fundamentum Nauarri, & contrariæ sententiæ. nam Romæ non viget talis consuetudo, quia, vt rectè Lugus disp. 20. sect. 6. Peccata pro quibus ad Romanam curiam venitur, sunt reseruata Pontifici ratione tantùm excommunicationis, qua sublata tollitur reseruatio: sicque ad quid opportebat absoluere sacramentaliter à peccato, cùm sufficeret absoluere ab excommunicatione, qua sublata auferebatur reseruatio peccati.

19. Inquires primò, an qui confitetur superiori, vel delegato, omnia peccata reseruata, & absoluitur, inualidè tamen ex defectu doloris, vel alterius similis causæ, teneatur iterum adire superiorem, vel delegatum, pro eorum absolutione consequenda. Respondetur, non teneri; quia quamuis prior illa confessio fuerit inualida, per eam tamen desierunt esse reseruata; tenebitur tamen illa peccata rursus confiteri, quandoquidem absolutio fuit inualida.

20. Inquires secundò, an facta semel confessione cum potente absoluere à reseruatis, censeatur ablata reseruatio eorum quæ pœnitens propter obliuionem omisit. Vel an obligetur postea dum eorum recordatur, iterum confiteri superiori, vel alteri habenti facultatem ad reseruata, ita vt à nullo alio validè absolui queat. Enriquez lib. 6. cap. 16.

Reginald.

Digitized by Google

Reginald. in praxi tom. 1. lib. 8. cap. 7. num. 99. Ægidius disp. 8. dub. 12. censent non teneri iterum confiteri ea peccata Prælato, vel potenti absoluere à reseruatis. Et probatur, quia quoties subditus bona fide confitetur superiori detegendo sinus, & latebras suæ conscientiæ, iam facit quantum est ex se, vt superior ei adhibeat remedia necessaria; ergo superior debet esse contentus illa manifestatione vt tollat reseruationem. Deinde, quoties confitetur superiori, desiderat, & implicitè petit absolutionem, & remissionē maiorem, quàm habere possit; ergo etiam præsumitur superiorem velle absoluere quantum potest, iuxta desiderium pœnitentis. hæc sententia valdè probabilis est.

21. Non tamen minus probabiliter Suarez disp. 31. sect. 4. Vazquez quæst. 91. art. 3. dub. 5. Mæratius disp. 30. contrariam sententiam defendunt, quia re vera nulla est sufficiens causa, siue ratio existimandi, sublatam esse illorum peccatorum reseruationem, cùm illa peccata ad tribunal superioris, vel delegati, non fuerint adducta, ad quod tamen erant reseruata; ac proinde nec de illis iudicatum fuerit, nec debita pœna, nec conueniens medicina adhibita; cùm tamen eo fine reseruentur. Absurdum etiam videtur, per quamlibet confessionem quacumque occasione factam cum superiore, etiamsi tantùm de verbis otiosis sit, nulla facta mentione de reseruatis, pœnitentem manere iam liberum ab omni reseruatione pro omnibus oblitis.

22. Obiicies, qui habet potestatem ordinariam, aut delegatam, si absoluit ab vna solùm excommunicatione reseruata, pœnitens non manet absolutus ab aliis quas fortè incurrerat: si verò absoluit generaliter ab omni excommunicatione in quantum potest, iam pœnitens manet absolutus à cæteris omnibus quas ignorabat, vel fuit oblitus; ergo similiter quando absoluit generaliter à peccatis, vincula eorum soluit quantum potest; ac proinde cùm vnum vinculum ex illis sit reseruatio, credi debet hoc etiam vinculum soluere per illa verba generalia. Respondetur negando consequentiam; est enim dispar ratio, quia censura tam cognita, quàm ignorata, tolli potest ab eo qui habet intentionem tollendi omnem censuram; at verò reseruatio peccati tolli non potest, nisi per sententiam absolutionis de eo prolata, quem sententiam sacerdos habens potestatem ordinariam, aut delegatam, non profert, nec proferre potest, nisi de iis peccatis quæ in confessione declarata sunt, nec illa absolutio sufficit ad auferendam reseruationem peccati inculpabiliter obliti, quia ea absolutio nequit supplere defectum confessionis illius media reseruatione requisitæ; nec defectum iudicij directi requisiti, & faciendi ab habente facultatem sufficientem media reseruatione. Quod ampliùs declaratur exemplo. nam per absolutionem indirectam non tollitur obligatio confitēdi postea peccatum oblitum eidem sacerdoti, cui priùs confitendum erat. v. g. Si Parochus absoluat subditum indirectè à mortalibus oblitis, non ideo eximitur ab obligatione ea confitendi eidem Parocho, vel alteri æquali; nec poterit simplex sacerdos ab eis iam directè absoluere, ex quòd indirectè fuerint absoluta; ergo similiter, quia reseruata per illam absolutionem indirectam soluta fuerint, non ideo eximuntur ab eo sacerdote ad quem antea pertinebant.

23. Maior tamen difficultas est in eo, qui bona fide accedit ad confessionem animo lucrandi Iubileum, & absoluitur à reseruatis in aliquo die septimanæ, antequam faciat alia requisita per totam hebdomadam, & post absolutionem non implet reliqua, & ideo non lucratur Iubileum, an maneat absolutus à reseruatis. Et quidem quoad ea reseruata, quæ iam confessus est, omnes concedunt manere absolutum, quia iam fuerunt semel directè ablata per absolutionem, quæ non fuit data sub conditione de futuro, sed omnino absolutè; imò absolutio facta cum ea conditione esset omnino nulla; ac proinde eo ipso quòd pœnitens virtute Iubilei absoluitur à reseruatis absque vlla conditione, verè & absolutè manet absolutus ab illis. Difficultas ergo est circa peccata oblita, an maneant postea reseruata; in qua difficultate negatiuam sententiam amplector cum Sancio lib. 4. in Decalogum cap. 54. num. 42. Quidquid reclamet Vazquez quæst. 91. artic. 3. dub. 5. Quia illa facultas absoluendi data est in fauorem pœnitentis, cui per Iubileum conceditur facultas eligendi confessarium qui eum à reseruatis possit absoluere; hæc autem ablatio reseruationis statim conceditur, ac homo absoluitur à peccatis independenter à futura conditione; ergo siue postea faciat reliqua opera necessaria, siue non, iam ille fructus comparatus manet, nec postea reuocatur, & ita tenet Suarez disp. 31. sect. 4. num. 24.

Sectio V.

An superior possit concedere facultatem absoluendi à reseruatis cum onere vt postea subditus compareat coram superiore.

24. Conclusio est affirmatiua, non solùm in casibus quibus annexa est excommunicatio, sed etiam in illis quibus non est annexa. Hanc tenent communiter Doctores, quos refert Coriolanus part. 1. sect. 1. art. 8. & nouissimè Hurt. disp. 11. diff. 11. propter mutuum consensum, seu pactum initum inter superiorem, & inferiorem, siue illud pactum fuerit expressum, siue implicitum in aliquo statuto generali. Et ratio est, quia superior posset non delegare iurisdictionem suam, & delegando gratiam, & fauorem subdito confert; ergo potest sub ea conditione eam concedere, vt si subditus velit tali gratia vti, consentiat obligationi comparendi coram superiore, & tunc subditus obligationem acceptans manet obligatus ex pacto mutuo. Nec obstat, quòd nullus potest obligari ad iterum confitendum peccatum iam semel confessum. Hoc enim falsum est, quia ex suo consensu bene potest ad id obligari. Et hic modus absoluendi à reseruatis directe cum obligatione comparendi coram superiore, est vsitatus in tota nostra religione: propositus namque fuit in Capitulo generali, & à toto Capitulo absque vlla contradictione fuit acceptatus: insuper fuit à sacra Congregatione approbatus; ac proinde obligat omnes nostros Religiosos: & pœnitentes tenentur sub mortali comparere statim, ac habent opportunitatem, vel per se ipsos, vel per Confessarium, si legitimam habeant causam per se ipsos non comparendi.

25. Vbi verò non datur huiusmodi statutum, nec pactum hoc interuenit inter superiorem, & subditum, non potest Confessarius absoluere à reseruatis, quantumuis pœnitens confiteatur etiam non reseruata;

Digitized by Google

reſeruata ; quia reſeruatio eſt ſubtractio iuriſdictionis; ac proinde nullus poteſt à reſeruatis abſolui, abſque facultate à ſuperiore conceſſa : quod ſatis expreſſit Tridentinum dicens ſeſſ. 14. cap. 7.

Trident. *Cùm extra articulum mortis ſacerdotes nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum perſuadeant pœnitentibus, vt ad ſuperiores pro beneficio abſolutionis accedant.* vbi ponderanda ſunt illa verba, *nihil poſſint*, &, *id vnum perſuadeant*. nam expreſſiſſimè loquitur Concilium : ac proinde ſtante hoc decreto, cenſeo hanc ſententiam adeò veram eſſe, vt contraria parum, vel nihil habeat probabilitatis. Ex quo fit habentem reſeruata, in caſu grauis notæ ex eo quòd non celebret, aut non communicet, debere ſe habere, ac ille qui non habet copiam confeſſarij; ac proinde poſſe abſque præuia confeſſione cum ſola contritione celebrare, aut communicare, quamuis peccatis reſeruatis annexa ſit excommunicatio, dum tolerata ſit.

26. Eſt tamen hîc difficultas, an ſuperior teneatur concedere facultatem ſubdito per ſe ipſum, vel per Confeſſarium petenti, vt à reſeruatis abſoluatur. In qua cum communi ſententia dicendum eſt, per ſe loquendo, quoties pœnitens timet aliquod graue damnum extrinſecum ſibi à ſuperiore inferendum, v. g. releuationem confeſſionis, vel odium ſuperioris, vel abuſum confeſſionis in ordine ad gubernationem, puta quia ſuffragium in electione ei negabit, vel à loco, & ab officio cum infamiæ nota amouebit, teneri ſuperiorem eam licentiam concedere : idem eſt quando ipſemet ſuperior timet graue nocumentum ſpirituale ſubditi, vt defectum integritatis confeſſionis, vel communionem abſque præuia confeſſione, aut niniam dilationem tam confeſſionis, quàm communionis. Si verò nullum damnum ex his timeatur, expedientius erit negare; quia id cedit in magnam vtilitatem ſubditi, qui ſæpè ſpe licentiæ faciliter obtinendæ à ſuperiore, ſæpiùs in grauia peccata labuntur.

27. Pater Suarius exiſtimat ingentem verecundiam ſufficere vt Prælatus teneatur petenti licentiam concedere, quod ſumpſit ex Nauarro in cap. *Placuit*, num. 14. Non tamen ſufficit qualiſcumque erubeſcentia, quia hæc quaſi intrinſeca eſt omni confeſſioni ſuperiori faciendæ, quod certè debuiſſent aduertere plures confeſſarij, qui ſæpè abſque examinatione legitimæ cauſæ liberant pœnitentes ab hoc onere comparendi, ne aliqualem verecundiam patiantur, & imponunt ſuis humeris onus alienum, qui Deo rationem reddent; præcipuè, quia illa verecundia comparendi coram ſuperiore, ſoleat eſſe magnum frenum ad ſimilia peccata, ne iterum, atque iterum, in ea relabantur.

28. Moneo tamen ſuperiores ne vllo modo difficiles ſe oſtendant, quia ſæpè ex denegatione licentiæ grauiora mala ſubſequuntur : pro quo notanda eſt doctrina D. Thomæ in 4. diſt. 7. quæſt. 3. art. 3. vbi ait.

D. Thom. *Peccare ſuperiorem, qui difficilem ſe præbet in concedenda hac facultate, quia multi ſunt adeò infirmi quòd potiùs ſine confeſſione morientur, quam tale peccatum tali confeſſori confiteantur. Vnde inquit S. Doctor, qui ſunt nimis ſolliciti, vt conſcientiam ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per conſequens ſibi ipſis. Et tandem concludit. Quamuis ex tali licentia nonnulla mali occaſio naſcatur, per eam tamen multis maioribus malis occurritur.* Ita Doctor Angelicus.

SECTIO VI.

An Regulares virtute Bullæ Cruciatæ poſſint eligere Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat.

AFfirmant plures Doctores, Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 4. artic. 3. Lopez cap. 8. de clauibus. §. Propterea. Curiel, Antolinez, Corneio, quos refert, & ſequitur Enriquez lib. 7. de Indulgentiis, cap. 22. Valerius in differentiis vtriuſque fori, differentia 1. concluſ. 5. Villalob. in ſumma, tom. 1. tract. 13. concl. 9. qui limitat dummodo confeſſarij, quos per Bullam eligunt, ſint ex deputatis, & approbatis, ab eorum Prælatis ad eorum confeſſiones audiendas. Fundamentum præcipuum huius ſententiæ eſt, quia Pontifex in Bulla abſque vlla exceptione concedit omnibus fidelibus facultatem eligendi confeſſarium : nec eſt cur à nobis limitetur facultas illa tam ampla; nec cur dicamus Religioſos non comprehendi in illa generali conceſſione. Sit tamen 29.

Prima concluſio. Omnino tenendum eſt, Regulares non poſſe virtute Bullæ vti ſupra dicta facultate. Hæc concluſio communis eſt ferè inter omnes Theologos, quos refert, & ſequitur Suarez tom. 4. de Religione, tract. 9. lib. 2. cap. 16. eam etiam docèt Coriolanus, Acoſta Miranda, Llamas, Portel, Bechius, Reginaldus, quos refert, & ſequitur Diana tom. 1. reſolut. 14. Et probatur ex pluribus declarationibus Summorum Pontificum qui id omnino prohibent, ſed præcipuè ex Clemente VIII. in ſua Bulla, quæ incipit, *Romani Pontificis*, &c. vbi ita habetur. *Confeſſionem ſanctæ Cruciatæ, & aliorum indultorum particularium, ad prædictum articulum eligendi confeſſorem, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum fratribus, & ſororibus Monialibus, quorumcumque Ordinum, & Congregationum, cuinſuis inſtituti, Mendicantium, & non Mendicantium, tam Prouincia Hiſpaniæ, quàm extra eam vbilibet, locum minimè habere, neque cenſeri. Sed noſtræ intentionis exiſtere, quòd iidem Fratres, & Moniales, quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitioni ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint, Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuò declaramus.* Quam declarationem Paulus V. in alio Breui anno 1608. confirmauit, & approbauit, & perpetuæ, & inuiolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiecit. 30.

Communis reſponſio eſt, prædicta indulta, & priuilegia, per Bullam ſubſequentem reuocari; in qua generaliter reuocantur omnia in contrarium; ac proinde adhuc Regulares validè poſſe confeſſarium etiam ſecularem eligere, qui eos à reſeruatis virtute Bullæ poſſit abſoluere. 31.

Sed quidquid fuerit de hac reſponſione, temporibus præteritis, modò iam hæc ſententia caret omni probabilitate, & nullatenus ſuſtineri poteſt, ſtante nouiſſimo decreto SS. Domini noſtri Vrbani VIII. qui prædictas Conſtitutiones Clementis VIII. & Pauli V. innouauit, & inſuper declarauit, *Confeſſionem ſanctæ Cruciatæ, quantum ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, & abſoluendi à caſibus reſeruatis, cum Regularibus quorumcumque Ordinum, & Congregationum, ſocietatiſque, & inſtituti, Mendicanticum, & non Mendicantium vtriuſque ſexus, locum minimè habuiſſe, neque habere: nec illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe : &* 32.

quòd

quòd iidem fratres, & Moniales, quantum ad ſacramenti Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & ſedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata, ſubiecti ſint. Ablata deinde facultate Nuntiis Apoſtolicis, ac Cruciatæ commiſſariis, aliter interpretandi. Ex quibus verbis manifeſtè colligitur, priorem ſententiam ſemper falſam omnino extitiſſe; dicit enim Pontifex, *Bullam in ordine ad eligendum Confeſſarium, & abſoluendi à reſeruatis cum Regularibus locum minimè habuiſſe, neque habere; nec illis vllo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe.* Niſi velis circa verum ſenſum verborum Bullæ, & declarationum prædictorum Pontificum, magis credendum eſſe illis Doctoribus aſſerentibus, potuiſſe ſuffragari, quàm decreto Pontificio aſſerenti, & teſtificanti, non potuiſſe præterito tempore ſuffragari, neque poſſe in futurum.

33. Dices, adhuc poſita prædicta declaratione, & conſtitutione Vrbani VIII. poſſe Regulares vti hoc priuilegio, quia illa conſtitutio, non eſt ſubditis notificata, & intimata, & ab illis acceptata: quia probabile eſt ad hoc vt leges Pontificiæ obligent in toto orbe terrarum, non ſufficere promulgationem Romæ factam. Sed quidquid de hoc ſit, de quo egimus in tractatu *de legibus*; tamen reuocatio priuilegij abſque dubio fieri poteſt, inuito priuilegiato; nec requiritur acceptatio reuocationis priuilegij ad validitatem reuocationis: nec opus eſt vt hæc reuocatio notificetur Regularibus per Prælatos ipſos, ſed ſufficit moralis certitudo talis reuocationis quauis via comparata, vt docet Suarez lib. 8. de legibus, cap. 40.

34. Secunda concluſio. Regulares virtute Bullæ adhuc non poſſunt eligere ſibi confeſſarium in Ordine ad alia peccata mortalia non reſeruata. Hæc concluſio apertè colligitur ex prædictis declarationibus Clementis VIII. & Pauli V. quas Vrbanus VIII. confirmauit, & ampliauit: expreſsè enim volunt quòd Regulares quantum ad ſacramentum Pœnitentiæ, ſeu confeſſionis adminiſtrationem, diſpoſitione ſuorum Prælatorum ſubiecti ſint. Nec obſtat quod Vrbanus VIII. referens eadem verba ſuorum prædeceſſorum, addit, quòd Regulares ſubiecti ſint diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, & ſedi Apoſtolicæ, quoad ſibi reſeruata. Quibus verbis videtur innuere hanc prohibitionem tantùm eſſe in Ordine ad abſolutionem à reſeruatis. Sed certè ſenſus horum verborum clariſſimus eſt. nam illa verba, *quoad ſibi reſeruata*, non referuntur ad Prælatos, ſed ad ſedem Apoſtolicam. Itaque ſenſus eſt, Religioſos debere ſubiici in ſacramento Pœnitentiæ ordinariæ diſpoſitioni ſuorum Prælatorum, tum etiam ſedi Apoſtolicæ quoad reſeruata eidem Sedi.

DISPVTATIO VII.

De ſigillo Confeſſionis.

SECTIO I.

Quo iure obliget ſigillum, ſeu ſecretum Confeſſionis.

1. VOx ſigilli metaphorica eſt, dicitur enim ſigillum, quaſi ſactum arcanum, quod nemini liceat infringere; vel quaſi quoddam ſignaculum, quo res in confeſſione dictæ, intra ſacram confeſſionis arcam, æterna ſera claudantur, nec vnquam manifeſtentur, nec inde extrahantur, niſi de licentia pœnitentis. Et diffinitur in hunc modum. Indiſpenſabilis obligatio occultandi ea, quæ in confeſſione ſacramentali dicuntur. Eſt ergo difficultas, vnde oriatur hæc obligatio ſeruandi ſecretum confeſſionis, ſeu quo iure ad id teneantur confeſſarij. Et quidem hæc obligatio primò colligitur ex vſu, & perpetua traditione Eccleſiæ, & ex cap. *Sacerdos*, de Pœnitentia diſt. 6. vbi dicitur, *propter nullum ſcandalum vitandum, frangendum eſſe hoc ſigillum.* Idem habetur in cap. *Omnis vtriuſque ſexus*, de pœnit. & remiſſ. Secundò etiam oritur ex iure purè naturali virtutis iuſtitiæ, quo tenemur famæ proximi conſulere. Et tertiò denique ex iure naturali diuino virtutis Religionis, ſuppoſita diuina inſtitutione confeſſionis, ob reuerentiam huic ſacramento debitam, ne odioſum reddatur. Quæ obligatio talis, ac tanta eſt, vt in nullo caſu, nec etiam pro tuendo Rege, vel liberando toto orbe, infringi poſſit: imò quamuis vniuerſa Eccleſia, & fides tota Chriſtiana per impoſſibile periret, niſi ſacramentale ſigillum reueletur, vt docent communiter Doctores.

2. Sed hinc oritur præcipua difficultas, ex quo capite talis, ac tanta obligatio, proueniat. nam primò deduci non poteſt ex iure naturali: hoc enim in multis caſibus non obligat cum tanto rigore, quoties ſcilicet in detrimentum proximi vergit, temporale, vel ſpirituale; vel in damnum publicum, & commune: lex enim naturalis dictat, ſeruandum eſſe ſecretum, vt famæ proximi proſpiciamus, niſi reuelatio neceſſaria ſit ad euitandum graue damnum proximo, vel communitati iniuſtè inferendum. Neque item prouenit ex præcepto tantùm Eccleſiaſtico, quia illud poſſet Pontifex abrogare ſi vellet: hæc autem obligatio ſemper extitit à principio inſtitutionis huius ſacramenti.

3. Dicendum ergo eſt, hanc tantam, & talem obligationem oriri, non ex aliquo præcepto poſitiuo Chriſti, vt vult Vazquez quæſt. 93. artic. 4. dub. 1. Quia tale præceptum nullibi extat; ſed ex iure naturali diuino Religionis, quia ſuppoſita inſtitutione diuina huius ſacramenti, grauis ei irrogaretur iniuria, ſeu irreuerentia, ſi in aliquo caſu liceret peccatum in confeſſione auditum reuelare, inde enim deterrerétur homines à confeſſione integra ſuorum peccatorum, & confeſſio fieret eis nimis grauis, & odioſa: quod eſt malum adeò pernitioſum, vt maius ſit, quàm quodcumque damnum temporale, nam Eccleſia careret fructu huius ſacramenti; ac proinde ipſa ratio naturalis dictat, ſuppoſita eius inſtitutione, vt in nullo euentu ſigillum hoc frangatur.

4. Ex quo fit, violatorem huius ſigilli ſemper peccare grauiſſimè contra Religionem, quia magnam iniuriam irrogat huic ſacramento, redditque illud difficile, & oneroſum pœnitentibus. An verò ſemper etiam peccet contra iuſtitiam, non eſt adeò certum. quia Vazq. ſuprà, & Hurt. diſp. 12. diff. 1. exiſtimant, excuſari à peccato contra iuſtitiam, quando pœnitens non habet ius iuſtitiæ, vt ſibi ſeruetur ſecretum, vt contingit in caſibus prædictis; quando ſcilicet eſt in propoſito inferendi aliquod graue damnum innocenti, quem iniuſtè vult lædere, nec vult à tali propoſito deſiſtere. Sed verius eſt, peccare etiam contra iuſtitiam, quia violat ſecretum contra fidem datam. nam confeſſarius qui rem accipit ſub ſecreto, obligat ſe ad illud non reuelandum,

Digitized by Google

reuelandum, quare ratione pacti impliciti tenetur ſecretum ſeruare; ac proinde ſi reuelet, peccat etiam contra iuſtitiam. Adeo poſſe confeſſarium excuſari a peccato mortali contra iuſtitiam quando id quod reuelatur eſt res parui momenti, quæ parum, vel nullum nocumentum affert pœnitenti: non tamen excuſatur à peccato mortali ſacrilegij adhuc in eo caſu, contra reuerentiam debitam ſacramento, cui grauis iniuria irrogatur, etiamſi ſolum peccata venialia pœnitentis reuelentur.

5. Ex quia autem confeſſione hæc obligatio prouenerit, regula certa, & communis ſit, oriri ex omni, & ſola confeſſione ſacramentali. Prior pars conſtat, quia præceptum vniuerſale eſt, & eadem eſt ratio de vnaquaque, ac de omnibus. nam ex reuelatione cuiuſcúque, redderetur odioſa confeſſio, & homines ab ea retraherentur: quod intellige, etiamſi confeſſio ob aliquam cauſam ad abſolutionem non perueniat. Secunda pars excluſiua etiam eſt manifeſta, quia hoc præceptum vel intrinſece oritur ex ſacramento, vel illi ſic connexum eſt: vnde obligatio ſigilli non oritur ex confeſſione quæ non ſit intentione ſacramentali, id eſt, animosè accuſandi in hoc foro, & ſubiiciendi ſe, & peccata ſua clauibus Eccleſiæ: alias non eſt confeſſio ſacramentalis: ſicut quando dicit ſe velle confiteri, & tamen ex modo dicendi, vel aliis circumſtantiis colligit confeſſor certitudine morali, illum non venire animo confitendi, quamuis ipſe dicat ſe illud manifeſtare ſub ſigillo confeſſionis. & non aliter; quia ex eo quòd id dicat confeſſio non ſit ſacramentalis, adhuc intentionaliter.

Sectio II.

Quas perſonas obliget hoc ſigillum.

6. Svppono tanquam certum, pœnitentem non obligari hoc ſigillo, cùm potiùs confeſſarius de eius licentia loqui poſſit, & in fauorem pœnitentis hoc præceptum impoſitum ſit; ac proinde pœnitentes poſſunt manifeſtare, & reuelare non ſolum peccata ſua confeſſa citra ſcandalum, ſed etiam monitiones ſibi à confeſſario in confeſſione factas, & pœnitentias ſibi iniunctas, etiamſi graues ſint, & confeſſarius præcipiat ne manifeſtet. Ita communiter Doctores, quidquid dixerit Nauarrus. Tenebitur tamè ad ſecretum naturale circa ea quæ confeſſarius illi ſub ſecreto dicit; non tamen tenebitur ſigillo ſacramentali. Et ſic exponendi ſunt Doctores aſſerentes, teneri pœnitentes ſeruare ſub ſecreto ea quæ confeſſarij dicunt, non quòd teneantur ſub ſigillo ſacramentali, ſed ſecreto naturali, quando animaduertunt ex reuelatione infamari confeſſarium, aut nocumentum illi redundare. Hoc poſito difficultas eſſe poteſt de confeſſario, de interprete, de Confeſſario, de Prælato, de ſacerdote ficto, de laico, & de eo qui inuenit chartam, & in ea peccata ſcripta, de quibus omnibus declarandum eſt, an obligentur ſigillo confeſſionis.

7. Et quidem de Confeſſario res eſt clara. nam ad illam directè pertinet hoc ſecretum, ac proinde ipſe eſt qui fractione ſigilli propriiſſimè irrogat iniuriam confeſſioni ſacramentali. Idem cenſeo de illo cui confeſſarius iniquè reuelauit peccata in confeſſione audita, quia illa notitia ex ſola confeſſione, & non aliunde habetur; ac proinde tota manere debet ſub poteſtate, & ſigillo pœnitentis, vt communiter docent Doctores, contra Medinam.

8. De Interprete verò quo aliquando vtitur pœnitens ad confitendum, conmunis, etiam ſententia cum D. Thom. in 4. diſt. 21. quæſt. 3. art. 1. q. 3. docet, contra Caietanum, obligari ſub ſigillo confeſſionis; quia cùm hoc ſacramentum ſit maximæ neceſſitatis, & multoties aliter fieri non poſſit, quàm per Interpretem, maximum grauamen ſentirent pœnitentes, ſi ipſe interpres præcepto ſigilli non teneretur; idque cederet in grauem iniuriam ipſius ſacramenti, quod hac ratione redderetur odioſum. Nec obſtat ratio Caietani, quòd Interpres non ſe tenet ex parte confeſſarij, ſed tantùm ex parte pœnitentis. Nam quamuis id verum ſit, nihilominus cognoſcit peccatum pœnitentis ex confeſſione inchoatiuè ſacramentali, quia etiam vt directa ad ipſum Interpretem eſt inchoatiue ſacramentalis, quia medio ipſo, & per ipſum fit, & dirigitur ad confeſſarium, & ſubiicitur clauibus, ac proinde obligare debet ſigillo confeſſionis; alias grauis iniuria irrogaretur huic ſacramento, quod eodem modo redderetur graue, & odioſum.

9. De Confeſſario item quem confeſſarius de licentia pœnitentis conſulit ad ſciendum quid debeat facere in aliquo caſu, eſt maior difficultas, an teneatur hoc ſigillo. Partem negantem tuentur Vazquez, Onuphrius, Nugnus, & Megala, quos refert & ſequitur Diana 2. part. tract. 1. Miſc. reſolut. 14. Quia Conſiliarius accipit notitiam peccatorum, ab ipſa confeſſione quaſi ſigillata, ſed ab ipſo pœnitente, ac ſi ipſe referret; quia idem eſt ac ſi de conſenſu illius referat ſacerdos, in quo caſu non nouit ex confeſſione pœnitentis; ſed relatione facta extra confeſſionem ab ipſo pœnitente, vt à ſacerdote de conſenſu illius, quod idem eſt ac ſi ipſe referret: quod verò ita refertur, nec in confeſſione, nec ex confeſſione refertur; ergo non oritur obligatio ſigilli confeſſionis.

10. Contraria ſententia affirmatiua, videlicet teneri ſub ſigillo, verior eſt, quam tenent Suarez, Bonacin. Filliucius, quos refert idem Diana loco citato; quia Conſiliarius participat actum clauium ſcientiæ, & ſupplet defectum Miniſtri, ita vt ex vtroque coaleſcat integer, ac ſufficiens Miniſter. Deinde, quia huiuſmodi conſiliarius in hoc negotio conſulitur ex confeſſione ſacramentali, & ideo tota notitia quam habet procedit ex ea; ac proinde ſubordinatur voluntati pœnitentis, vt non niſi ex eius conſenſu poſſit conſiliarius eam communicare, & cum tali limitatione communicetur: quare cùm ex confeſſione tota notitia procedat, verius videtur cadere ſub obligatione ſigilli. Quando verò vir doctus conſulitur ab ipſo pœnitente in ordine ad confeſſionem faciendam, non tenetur Conſiliarius ſigillo ſacramentali, ſed ſolùm ſecreto naturali; quia illa reuelatio non fit per confeſſionem, neque in eo caſu participat Conſiliarius vſum clauium. per quod patet ſolutio ad rationem in contrarium.

11. Deinde, ſi loquamur de Prælato quando ab eo petitur licentia ad abſolutionem ab aliquo peccato reſeruato, non dubito obligari ſigillo, quia tunc cauſa defertur ad illum tanquam ad iudicem ſuperiorem, petendo delegationem eius; ibique etiam repetitur quidam vſus clauium in hoc ſe: ergo

ergo tenetur eodem sigillo,aliàs odiosa fieret confessio.Idem dicendum, quando superior non audit casum reseruatum ad absoluendum sacramentaliter, sed tantùm imponit pœnitentiam, & remittit absolutionem inferiori;quia,vt docet Suarez disp. 31.sect.1. ad sigillum sufficit,quòd res in hoc foro dicatur alicui vt iudici habenti potestatem clauium in ordine ad inchoandam, vel consummandam confessionem.

12. Præterea, quando quis se sacerdotem fingit; & audit confessionem, obligatur ad sigillum sacramentale; quia illa confessio ex intentione pœnitentis fuit sacramentalis, ex quo fit confessionem factam laïco ex ignorantia,existimando eum posse in absentia sacerdotis absoluere,obligare sub sigillo.nam tunc peccatum nouit ex confessione intentionaliter sacramentali.Aliter dicendum est,quando deuotionis,vel humilitatis causa, quis laïco cõfitetur in quo euentu non tenetur sigillo, nisi tantùm secreto naturali:quia illa confessio non est sacramentalis à Christo instituta, nec oritur notitia illius peccati ex confessione sacramentali adhuc intentionaliter, cùm non fiat vero iudici, nec existimato. Qui verò casu, vel ex industria audit pœnitentem dum sacramentaliter confitetur, verè tenetur sigillo cõfessionis,quia id sciuit ex sola confessione sacramẽtali, cùm pœnitens nulli loquatur nisi confessario,cui peccata manifestat:& iniuriam faceret pœnitenti,& sacramento,si absque licentia pœnitentis reuelaret; quia hæc notitia ex vi confessionis habet hoc onus quasi adiũctum,vt à quacumque persona audiantur peccata, quãdo confessio sacramentalis fit,sub sigillo seruentur:cum hoc tamen discrimine, quòd qui furtiuè audit confessiones peccat; qui tamen propter inaduertentiam, vel casu,excusatur à culpa,sed neuter à sigillo.

13. Denique qui inuenit chartam in qua pœnitens sua peccata scripsit ad confessionem faciẽdam, non obligatur sigillo confessionis; quia illa scriptura nullo modo est confessio adhuc inchoata, sed valde remotè;& tantùm est materia confessionis præparata, vt faciliùs fiat confessio; tenetur tamen ad secretum naturale: & si iudex,aut Prælatus sit, ex sola tali notitia non potest procedere ad criminis inquisitionem: quòd si processus iam institutus fuit, debet rescindi,& pro infecto haberi.

Sectio III.

Quæ sit materia huius sigilli.

14. Materia huius sigilli, seu res quæ cadunt sub sigillo, in primo sunt omnia peccata, tam mortalia,quàm venialia,cum hoc discrimine,quòd mortalia non solùm in specie,sed etiam in genere; venialia verò in specie, non in genere, cadunt sub sigillo;quia confessio stare non potest sine materia peccaii venialis ad minimum. Vnde confessarius qui diceret pœnitentem feciſſe, aut confessum fuisse peccatum mortale,quamuis illud in particulari non exprimeret, faceret contra sigillum: & similiter qui diceret feciſſe, aut confessum fuisse peccatum veniale in specie, v. g. mendacium;non verò qui diceret feciſſe, aut confessum fuisse peccata venialia, non addendo plura: quia certum est eum qui confitetur,& absoluitur,ad minus cõfiteri venialia;cùm confessio absque his stare non possit.

Deinde obiecta, & circumstantiæ peccatorum, tam augentes,quàm minuentes sunt materia huius sigilli; dixi obiecta peccatorum, vt si pœnitens se accusaret de concubinatu Petri, v. g. dicens: Accuso de detractione concubinatus Petri, concubinatus Petri est obiectum detractionis, quod non potest reuelari.

Ob eamdem rationem contra sigillum est reuelare defectus naturales, qui occasione peccati, seu ad eius declarationem manifestantur in confessione,vt macula originis,&c. Fieret enim odiosa confessio:imò magis odiosa,quàm ex reuelatione peccati; potius enim vellet pœnitens sua peccata reuelari,quàm huiusmodi defectus.Et quamuis Hurt. disp.11. diff.4. existimet esse contra sigillum reuelare defectus pœnitentis qui ex confessione coniiciuntur, quamuis aliàs sint indicium bonæ, & timoratæ conscientiæ, vt esse scrupulosum, impertinentiis tempus conterere, obtundere caput confessarij: verius censeo id non esse contra sigillum. Nam confessarius eiusmodi defectus non audit ex relatione pœnitentis, nec sunt materia illius confessionis,sed ipsemet confessarius eos videt,& percipit, ac proinde sicut non dicuntur secretò, sic nec obligant sub sigillo. 16.

Similiter contra sigillum est reuelare peccata non commissa, vt si quis confiteretur propositum de futuro peccato, etiamsi maneat in illo proposito tempore confessionis: vt propositum furandi, vel occidendi aliquem; cuius optimam rationem reddit Hurt. citatus, quia confessio dicti propositi quamuis inepti absolutioni ob sui perseuerantiam, est verè sacramentalis, & per confessionem subiicitur clauibus;nõ quidem vt materia absolutionis, sed vt impedimentum ad absolutionem. nam cognitio impedimenti, non minus pertinet ad confessarium vt non absoluat, quàm cognitio peccati vt ab eo absoluat: aliàs quoties pœnitens non absoluitur propter indispositionem, vel quia habet reseruata, possent reuelari omnia eius peccata. Limita quando confessio illius propositi non fit verè animo confitendi, sed inducendi confessarium ad illud peccatum, vt si fœmina accederet ad confessarium animo alliciendi eum ad lasciuiam,vel hæreticus animo peruertendi, & ex eo fine confiteatur illi tentationes, & motiua quæ habet ad defendam fidem;tunc enim non tenetur celare, imò potiùs denunciare hæreticum illum,quia illa confessio non est sacramentalis. 17.

Præterea peccata publica quatenus in confessione audita, sunt etiam materia sigilli; quare non posset dicere confessarius talem homicidam publicum sibi esse confessum homicidium cum magno dolore, licèt hoc in laudem pœnitentis redundet, quidquid dicat Medina codice de Pœnitentia: quia quamuis id non sit contra iustitiam ob publicitatem, & notorietatem peccati; est tamen contra obligationem Religionis non manifestandi peccata confessa, quod ex se est retractatiuum à confessione sacramentali. Quòd si aliàs via publica nosset,posset ex hac notitia loqui;debet tamen cauere cõfessarius ne aliqua certitudo vel circunstantia addatur,propter scientiam confessionis. 18.

Denique peccatum complicis cadit etiam sub sigillo confessionis, siue pœnitens potuerit suum peccatum confiteri sine expressione socij,vel complicis,siue non.Quando verò complex indiget correptione,debet curare confessarius vt pœnitẽs ipse per se, vel per alium idoneum eam faciat: quòd si non possit reperiri idoneus ad graue malum impediendum, in eo euentu posset confessarius obligare pœnitentem vt sibi extra confessionem reuelet personam complicis,dummodo nullũ sequatur 19.

ſcandalum, aut irreuerentia ſacramenti, aut fractio ſigilli.

20. Hæc autem omnia quæ diximus, non poſſe manifeſtari à ſacerdote, intelligenda ſunt cum relatione ad pœnitẽtem, itavt agnoſcatur perſona quæ ea commiſit: alioquin loqui in generali de peccatis in confeſſione auditis, dummodo fiat prudenter, & citra ſcandalum, non eſt contra ſigillum. Monent tamen Doctores, ne confeſſarij faciles ſint ad loquendum de rebus in confeſſione auditis, quia vix id poteſt fieri ſine periculo, & abſque ſcandalo. Caueant ſimiliter ne offendant communitatem, aut religioſam familiam, nominando Religionem in particulari, aut monaſterium, quia præter periculum cognitionis pœnitentis, & fractionis ſigilli, moraliter loquendo, nunquam id fit, niſi cum magno dedecore, & iniuria communitatis.

Sectio IV.

Quomodo loqui debeat Confeſſarius ad vitandam reuelationem.

21. CIrca hoc poteſt eſſe triplex difficultas.

Prima eſt, an Confeſſarius poſſit extra confeſſionem cum pœnitente loqui de peccatis confeſſis, in qua dicendum eſt, non licere confeſſario abſque licentia pœnitentis loqui cum eo de peccatis in confeſſione auditis, etiamſi fortè hac ratione ſigillum, ſtrictè loquendo, non violetur; quia licèt ex ea locutione pœnitens non infametur, afficitur tamen pudore, & rubore; ſicque eſſet quædam improperatio peccati, quæ moleſtam, & odioſam redderet confeſſionem. Limita, niſi in caſu quando commiſit defectum in confeſſione, ex quo ſi commodè poteſt, tenetur ad monendum illum; tunc enim non loquitur illi extra confeſſionem, ſed in confeſſione eam perficiendo, ſupplendo defectus illius. Sicut non prohibetur confeſſarius data abſolutione, ſtatim de peccatis antea auditis quippiam quod oblitus fuerat monere, quia nondum plene perfectum erat miniſterium confeſſionis. Limita ſecundò, quando pœnitens peccata iterata in ſubſequenti confeſſione exponit, in quo caſu etiam licitè poteſt confeſſarius loqui de priùs auditis; id enim ſpectat ad neceſſarium remedium pœnitentis.

22. Secunda difficultas eſt, quomodo debeat reſpondere confeſſarius, quando interrogatur de peccato pœnitentis, etiamſi ſub iuramento, & à iudice interrogetur. Dicendum eſt adhuc in eo caſu, non poſſe confeſſarium manifeſtare peccatum pœnitentis, quod tantùm ex confeſſione nouit, aliàs frangeret ſigillum confeſſionis: imò poſſe, & debere negare, ſe illud ſcire, quamuis non addat reſtrictionem illam mentalem, *vt tibi dicam*; quia dum aliud non exprimitur, ea interrogatio eſt, aut debet eſſe, an ſciat tale peccatũ ea ſcientia quæ deſeruire poteſt ad illud dicendum, de qua ſcientia interrogant homines, & de ea, hoc eſt, de notitia habita extra confeſſionem, debet intelligi reſponſio.

23. Sed quid ſi interrogans iniuſtè vrgeat, & determinet ſenſum interrogationis, & petat an nouerit in confeſſione pœnitentem feciſſe peccatum illud. Sotus, & Paludanus docent, non poſſe tunc negare, quia mentiretur, quod nunquam licet, ſed debere reprehendere interrogantem. Communis tamen ſententia affirmat, poſſe etiam tunc negare, ſalua veritate, addendo mentaliter, *vt tibi dicam*, ſiue *vt poſſim dicere*; quia licèt non ſemper poſſit homo retinere hanc limitationem, ſeu reſtrictionem in mẽte, bene poteſt in hoc caſu, in quo adeſt iuſta, & rationabilis cauſa ad ſic negandum, etiamſi interrogans ea reſponſione decipiatur, cùm illicitè interroget.

Tertia difficultas eſt, an confeſſarius in aliquo caſu ſine fractione ſigilli, poſſit dicere, *non abſolui pœnitentem*. In qua difficultate quamuis Caietanus verbo Confeſſio, id affirmet, quia poſſunt eſſe plures honeſtæ cauſæ non abſoluendi. Communiter tamen id negant Doctores, quia ex eo dicto Confeſſarij, quando cauſa honeſta non declaratur, ob quam pœnitens non fuit abſolutus, non poteſt non generare ſuſpicionem vehementem de caſu reſeruato, vel de indiſpoſitione pœnitentis nolentis reſtituere, vel relinquere occaſionẽ proximam, quod eſt contra ſigillum; quia eſt quodammodo inſinuare prauum ſtatum pœnitentis: in his ergo, & ſimilibus caſibus, melius eſt reſpondere interroganti: Ego functus ſum meo munere. 24.

Quòd ſi pœnitens cui ob indiſpoſitionem negatur abſolutio, petat ſchedulam ſuæ confeſſionis, rectè Bonacina diſp. 5. q. 6. ſect. 5. punct. 4. dicit non eſſe dandam, ne via fraudibus aperiatur; nec hoc eſſe contra ſigillum, cùm confeſſarius nihil dicat, ſed ſolùm non approbet teſtimonio poſitiuo, illam confeſſionem, ad quod non tenetur. 25.

Similiter confeſſarius non poteſt ſine fractione ſigilli reuelare pœnitentiam quam impoſuit pœnitenti, niſi pœnitentia adeò leuis ſit, vt non excedat illam quæ ſolet imponi in confeſſione ordinaria de aliquo veniali, vt recitare ſemel ſalutationem angelicam, vel quid ſimile. 26.

Sectio V.

An Confeſſarius poſſit vti ſcientia habita ex confeſſione.

AFfirmant plures Doctores, quando id expedit propter bonum proprium, vel pœnitentis, vel communitatis, vel alterius innocentis; dummodo ſigillum confeſſionis directè, vel indirectè non videtur, & ſcandalum omnino vitetur. Ita D. Thom. in hoc loco, quæſt. 11. art. 1. ad 3. Bonau. diſt. 21. part. 2. art. 2. quæſt. 1. Scotus quæſt. 2 Nauar. in Manuali cap. 8. num. 12. & in cap. *Sacerdos*, num. 78. & 146. Suarez diſp. 33. ſect. 7. Vazquez quæſt 93. art. 4 diſp. 8. quia huiuſmodi vſus non eſt contra ſigillum confeſſionis, vt ſupponitur; nec aliunde habet adiunctam malitiam. Et hanc ſententiam nouiſſimè ſequitur Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 9. diff. 75. vbi ait, Confeſſarium poſſe negare ſuffragium illi quem ex confeſſione nouit eſſe indignum, dummodo ita cautè deneget, vt pœnitens nullam de hoc facto poſſit habere ſuſpicionem. Plerique tamen ex Doctoribus ſectatoribus huius ſententiæ, tot regulis, & limitationibus illam tradunt, vt difficillimum ſit eam in praxim deducere. 27.

Quapropter contrariæ ſententiæ omnino adhæreo, ſecundùm quam dicendum eſt in nullo caſu licere confeſſario ad actus externos vti ſcientia, & notitia habita ex confeſſione; ſicque non poſſe amouere pœnitentem ab officio, neque negare ei ſuffragium, aut quidpiam aliud facere circa eum, de quo ſit rationabiliter inuitus propter peccatum quod ex confeſſione nouerat. Ita Bañez 2. 2. q. 23. art. 8. 28.

Digitized by Google

art. 8. Malderus tract. de sigillo cap. 14. Layman lib. 4. tract. 6. cap. 15. num. 22. Fagundez præcepto 2. lib. 6. cap. 3. Ægidius de sacrament. disp. 9. dub. 4. num. 64. Veja part. 3. casu 10. Delrius in disquis. lib. sect. 2. quos sequitur Diana part. 3. resolut. 76. vbi affirmat, contrariam sententiam non debere doceri, nec in praxim adduci, vtpote periculosam, & nociuam honori, ac religioni sacramenti. Denique hanc etiam sententiam defendunt Hurtad. disput. 12. diff. 11. Lugus disput. 23. sect. 5. num. 93. Et probatur vnica ratione, qua communiter vtuntur prædicti Doctores quæ certè efficaciſſima est: quia hoc diuinum sacramentum, quod in salutem animarum est institutum, tanquam secunda tabula post naufragium, redderetur hominibus exosum, & nimis graue, si pœnitentes existimarent posse amoueri ab officiis, aut mutari in alia loca, & sibi negari suffragia, &c. ob notitiam habitam in confessione. Nec ad hoc opus est, quòd pœnitens sciat, aut suspicetur id fieri occasione confessionis in quo casu omnes admittunt esse contra sigillum, sed sufficit, quòd homines antecedenter sciant confessarios posse vti illa scientia occultè contra illos. nam eo ipso timerent infirmi, & pusilli, & retraherentur à confessione, & redderetur illis grauis nimis, & onerosa: quod certè esset contra salutem animarum; & contra honorem, & religionem huic sacramento debitam.

29. Obiicies primò. Quia confessarius ex vi sigilli tenetur audita confessione seruare: sed quando denegat suffragium in Capitulo, nemini reuelat peccata in confessione accepta; ergo, &c. Respondetur, quòd licèt in prædicto casu confessarius non sit propriè reuelator, adhuc tamen peccat contra sigillum, quod obligat vt non possit vti exterius notitia habita ex confessione contra ipsum pœnitentem, & ad vitandum omne id quod confessionem reddat odiosam, & difficilem.

30. Obiicies secundò. Quia confessarius per confessionem alterius, non priuatur iure suo; sed si talem confessionem non audiuisset, posset suffragium denegare; ergo similiter potest post notitiam habitam in confessione. Respondetur concedendo totum, quia nihil contra nos; non enim negamus posse confessarium propter causas aliunde cognitas negare suffragium in electionibus, sed quod constanter asserimus est, non habere ius, neque posse propter peccatum in sola confessione cognitum, itavt moueatur à notitia in confessione accepta.

31. Vbi obiter nota, superiores Religionum nullo modo vti posse scientia confessionis ad exteriorem gubernationem, propter decretum Clementis VIII. anno 1594. die 26. Maij editum, expressè id prohibentis, his verbis. *Tam superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*, &c. *atque ita per quoscumque Regularium superiores, quicumque illi sint, obseruari mandamus.* Vnde stante hoc decreto, videtur certè contrariam sententiam iam non habere probabilitatem. nam licèt Pontifex solùm loquatur de superioribus, & de vsu notitiæ ad exteriorem gubernationem; tamen ex eius verbis necessariò colligitur, idem de omnibus dicendum esse.

32. Denique circa pœnas quas confessarij frangentes sigillum incurrunt, nota, in canone *Sacerdos*, de pœnitentia, distinct. 6. impositam esse pœnam depositionis, & coactionis ad perpetuam, & ignominiosam peregrinationem, quam pœnam commutatam esse videtur in capite *Omnis vtriusque sexus*, de pœnit. & remiss. in reclusionem perpetuam in aliquod monasterium: non tamen incurritur ipso facto, sed per sententiam iudicis Ecclesiastici imponenda est.

DISPVTATIO VIII.

De satisfactione.

SECTIO I.

An homo iustus possit de condigno, seu adæqualitatem satisfacere pro pœna temporali relicta post remissionem culpæ.

SATISFACTIO nihil aliud est, quàm pœnæ temporalis relictæ ex peccato condonato mortali, vel veniali, volùntaria solutio. Vel est actio afflictiua corporis, vel animæ, per quam Deo voluntariè satisfacimus pro pœnis temporalibus ex peccatis relictis, & per pœnitentiam à Deo condonatis. Pro quo 1.

Supponendum est primò in iustificatione, in qua culpa simul cum pœna remittitur, interdum manere aliquam pœnam temporalem in hoc, vel futuro seculo. Ita docet Fides catholica, contra hæreticos nostri temporis, & hæc veritas diffinita est ab Eugenio IV. in suo decreto Fidei, & à Trident. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8. & canon. 12. & colligitur ex sacra Scriptura, ex qua constat remissa culpa non semper simul totam pœnam remitti. 2. Reg. 12. remisso Dauidis peccato, adhuc punitur morte Filij. Idem dicitur de Moyse, & Aaron Numerorum 14. Et idem est post remissam culpam venialem, aliquando remanet pœna temporalis luenda, & in Purgatorio, quamuis peccatum veniale media contritione remittatur, nihil pœnæ remittitur, donec media passione tota soluatur.

Nec obstant verba illa Ezechielis cap. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum eius non recordabor.* Nam eo sensu dicitur, Deum ampliùs non recordari peccatorum, quorum hominem pœnitet, quia morte, seu pœna æterna ampliùs non ea peccata punit. Deinde neque hoc derogat infinitæ perfectioni satisfactionis Christi, vt remissa culpa, & pœna æterna, remaneat reatus pœnæ temporalis pro quo per Dei gratiam satisfacere possimus. Nam licèt satisfactio Christi fuerit infinita quoad sufficientiam, quia scilicet meruit nobis dona gratiæ quibus efficiamus opera satisfactione; & quòd à Deo admittantur in locum pœnæ debita; & quod nobis applicentur, tam satisfactio Christi, quàm superabundantes Sanctorum satisfactiones; non tamen fuit infinita quoad efficaciam; itavt absque vlla nostra cooperatione, dignitas pœnæ in nobis ex peccato relictæ, remittatur: sicut neque repugnat infinitæ perfectioni meritorum Christi, quòd nobis non remittantur peccata; neque gratia infundatur, absque nostra cooperatione. 2. Ezech. 18.

3. Dixi *interdum*, quia aliquando ita remittitur culpa, vt nulla ſuperſit luenda pœna temporalis pro ea, vt contingit in Baptiſmo, & martyrio, & dum peccator tam intenſo, & perfecto charitatis erga Deum, vel contritionis actu, à peccato reſurgit, vt nulla ſuperſit pœna pro eo luenda.

4. Secundò ſupponendum eſt, prædictam pœnam manere luendam, non ex ſola Dei voluntate, ſed etiam ex natura rei, nam Deus neminem punit qui non ſit pœna dignus: peccator autem non manet pœna dignus, quia Deus vult, nam per extrinſecam alterius voluntatem nemo poteſt fieri dignus vel mercede, vel pœna; ſed dignus eſt, quia ipſe peccauit, & non plenè ſatisfecit. Vnde quamuis ex voluntate Dei pendeat grauiorem pœnam quam meretur reus, in leuiorem commutare; dignitas verò pœnæ luendæ, nullatenus pendet ex Dei voluntate. Nec obſtat Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. vbi in ſolam Dei voluntatem reducit, ita exigente diuina iuſtitia, quòd ſemper in ſacramento Baptiſmi tota pœna remittatur, non verò in ſacramento Pœnitentiæ. Nam Concilium non tribuit diuinæ voluntati, quòd in baptizatis nulla remaneat dignitas pœnæ, & quòd maneat in his qui baptiſmalem gratiam amiſerunt; ſed tantùm quòd iis hac pœna dignis Deus eam non remittat, illis verò maximè, & totam miſericorditer condonet: quia regulariter ante Baptiſmum ignoranter peccatur; non verò poſt Baptiſmum, quod certè longè diuerſum eſt à primo.

5. Tertiò ſupponendum eſt, ſatisfactionem pro pœna temporali poſſe eſſe duplicem, alteram extra ſacramentum ex opere operantis per propriam ſatisfactionem ipſius debitoris: alteram ſacramentalem, & ex opere operato per ſatisfactionem Chriſti quæ nobis applicatur per ſacramenta, aut per indulgentias. De priori ſatisfactione loquimur in præſenti. nam de poſteriori poſtea dicemus.

6. Prima concluſio. Iuſtus ſuis operibus poteſt ſatisfacere pro pœna temporali ex peccato condonato relicta. Hæc concluſio eſt certa ſecundùm fidem catholicam, & diffinitur in Trident. Trident. ſeſſ. 14. can. 3. his verbis. *Si quis dixerit pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel a ſacerdote iniunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, vel aliis etiam pietatis operibus, &c. anathema ſit.* Et aperte colligitur ex ſacra Scriptura, Tobiæ 4. Tob. 4. *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat.* Daniel. 4. Dan. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas eleemoſynis pauperum.* Ionæ 3. Ion. 3. *Vidit Deus opera Niniuitarum, & eorum miſertus eſt.* Dauid quoque ſe poſt peccatum lauare per ſingulas noctes lachrymis ſtratum ſuum, & cinerem tanquam panem manducare, & potum cum fletu miſcere aiebat. Conſonant Ambroſ. lib. 1. de Helia, & ieiunio, cap. 20. Hieronym. in cap. 1. Ioëlis. Auguſtin. in Pſalm. 24. & cæteri omnes Patres.

7. Secunda concluſio. Iuſtus ſuis operibus poteſt condignè, & ad æqualitatem ſatisfacere pro pœna temporali relicta ex peccato remiſſo quoad culpam. Ita diffinitum videtur à Gregorio XIII. in Bulla contra Michaelem Baium, in qua hæc propoſitio damnatur: *Satisfactiones laboriosæ iuſtificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.* Et probatur, quia certè nihil deficit operibus iuſtorum, vt valorem, & condignitatem habeant ad ſatisfaciendum pro dicta pœna: imò ex condignitate meriti ad vitam æternam, efficaciter colligitur condignitas ſatisfactionis pro pœna temporali: ſi enim opera iuſti æqualitatem, & condignitatem habent in ratione meriti in ordine ad beatitudinem æternam, profectò multo magis poſſunt habere condignitatem ad ſatisfaciendum pro debito pœnæ temporalis, cùm hoc ſit multo minus: neque habeant minorem proportionem ad remiſſionem pœnæ temporalis, quàm ad merendam vitam æternam.

8. Addo contra Vazquez quæſt. 94. art. 1. dub. 3. & 1. 2. diſput. 221. num. 32. noſtras ſatisfactiones adhuc egere extrinſeca Dei acceptatione, quod ſatis videtur indicaſſe Tridentinum vbi ſuprà, docens, Deum propter Chriſtum acceptare noſtras ſatisfactiones; ſic enim ait ſeſſ. 14. cap. 8. *In quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Et idem docet de flagellis à Deo inflictis, & patienter à nobis toleratis, dum ait cap. 9. *tantam eſſe diuinæ munificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut ſacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.* Itaque ſemper requiritur acceptatio Dei propter Chriſti merita. Trident. Idem.

SECTIO II.

De conditionibus requiſitis ad ſatisfaciendum.

AD ſatisfaciendum primò requiritur ſtatus viæ. Ita communiter Doctores, & ſatis conſtat ex his quæ diximus diſput. de Merito, vbi docuimus ſolum tempus huius vitæ eſſe tempus merendi, quod idem dicendum eſt de ſatisfactione, ad eam requiri, vt homo ſit in ſtatu viatoris. 9.

Secundò requiritur ſtatus gratiæ, quæ conditio manifeſtè colligitur ex verbis Tridentin. ſectione præcedenti allatis. *Vt omnis gloriſicatio noſtra in ipſo ſit, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent.* vbi ſupponit Concilium, ad hoc vt poſſimus ſatisfacere, neceſſariò requiri, vt in Chriſto viuamus; nec Chriſtus influit niſi in membra eius viua per gratiam. Et probatur, quia ſatisfactio neceſſariò includit reconciliationem cum Deo, nam ſicut peccator, & inimicus Dei dum in peccato manet, & inimicus eſt, non poteſt mereri; ſic nec poteſt ſatisfacere, quia ſicut eius opera non ſunt Deo accepta ad præmium, ita nec valent ad placandum Deum pro pœna debita, & ideo Eccleſiaſt. 34. dicitur. *Dona impiorum non probat Altiſſimus.* & Prouerb. 14. *Victima impiorum abominabiles.* & 1. Cor. 1. *Si charitatem non habuero, nihil mihi prodeſt.* 10. Trident. Eccli. 34. Prouerb. 1. Cor. 1.

Obiicies, quia homo exiſtens in peccato mortali, 11

Digitized by Google

mortali, & etiam damnatus in inferno, passione pœnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remisso, liberatur à debito talis pœnæ; ergo similiter existens in peccato mortali adhuc potest satisfacere pro pœna temporali relicta ex peccato mortali iam remisso; ac per consequens ad satisfaciendum non requiritur status gratiæ.

12. Respondetur, antecedens non esse adeò certum, quia illud negant Vazquez dub. 4. Curiel. quæst. 87. artic. 5. Lugus disput. 10. sect. 2. Nam solutio pœnæ apud Deum, etiam debet esse satisfactoria: aliàs per pœnalitates huius vitæ impatienter toleratas, solueremus pœnas debitas. Sed quamuis illud concedamus cum S. Thoma, Scoto, Durando, Gabriele, Nauarro, Vega, Medina, Ægidio, & Lorca, quos refert, & sequitur Hurtado disput. 13. diff. 5. Quia qui verè soluit pœnam quam debet, liberatur à debito illius, & illud extinguit; ac proinde qui existit in mortali, & in inferno, si patitur totam pœnam temporalem restantem, quam ob peccatum pati debebat, verè liberatur à debito illius, & illud extinguit, & absque fundamento dicitur ad hoc necessariò requiri statum gratiæ. Cæterùm quidquid de hoc sit, adhuc illa obiectio non habet vim, quia procedit ex manifesta æquiuocatione, confundens satisfactionem cum satispassione; ille enim propriè non satisfacit, sed solùm satispatitur; nos verò loquimur de satisfactione propriè dicta, ad quam dicimus necessariò requiri statum gratiæ, & sic negatur consequentia, quidquid sit de antecedenti.

13. Tertiò requiritur, vt satisfactio procedat ex opere bono, & honesto; vel saltem, vt per actum voluntatis moraliter bonum acceptetur, & in satisfactionem offeratur. nam si voluntas sit mala, potius erit digna pœna, quàm venia. Non tamen est necesse vt hic actus voluntatis sit in se formaliter supernaturalis, aut formaliter ex imperio charitatis procedens, sed sufficit vt ab homine in charitate, & gratia existente proficiscatur: sicut de merito dici solet. nam non est maior ratio vnius, quàm alterius, ac proinde satis est vt actus ipse aliquo modo sit supernaturalis, vel in se formaliter, vel saltem quòd procedat ab aliqua intentione supernaturali. Nec obstat, quòd licèt ad meritum præmij supernaturalis, necessarium sit opus supernaturale; tamen ad satisfaciendum pro pœna temporali id non videtur requiri, sed sufficere opus bonum ordinis naturalis: sicut ad merendum præmium temporale sufficiens videtur opus morale ordinis naturalis. Nam, vt rectè Suarez disput. 37. sect. 3. illa pœna quamuis dicatur temporalis, pro vt distinguitur ab æterna, non tamen est ordinis naturalis quæ per quodlibet opus merè naturale remitti possit, quia est quoddam spirituale bonum ad ordinem supernaturalem spectans, cùm inde acceleretur æterna Dei visio; ac proinde ad illud promerendum requiritur opus aliquo modo supernaturale.

14. Quartò requiritur, vt opus sit satisfactorium, vt aliquo modo sit liberum, & voluntarium; quia debet esse opus morale, quod sine libertate factum moralitatem habere nequit: tum etiam, quia sicut homo voluntariè peccauit, voluntariè etiam debet satisfacere. Dixi debere esse voluntarium, vel per modum actus eliciti, vel per modum actus imperati, vel denique per modum obiecti voliti, qua ratione pœnæ nobis à Deo inflictæ habent rationem satisfactionis, voluntariè eas acceptando, ac patienter tolerando, vt docuit Trident. sess. 14. cap. 8. Et hinc fit, amentem, vel dormientem non posse satisfacere pro peccatis, quamuis possit satispati, si Deus voluerit passionem illam pro pœna debita inferre. nam ad satispassionem non est necessaria voluntas influens, vel acceptans pœnam, vt ex supradictis constat.

15. Et ex his infero, per opera præcepta posse hominem satisfacere, quoniam præceptum non tollit rationem liberi, & voluntarij, nec rationem meriti; ac per consequens, nec rationem satisfactorij; nec illa opera ex eo quòd sint præcepta, amittunt rationem liberi, & voluntarij, vt ex se patet: imò ad hunc finem Ecclesia præcipit ieiunia, & alias corporis afflictiones, vt pro peccatis satisfaciamus, aliàs per eleemosynam extremè indigenti exhibitam, iustus non satisfaceret pro peccatis suis, quod est omnino incredibile.

16. Maior difficultas est, an per quælibet opera honesta etiamsi pœnalia non sint, possimus Deo satisfacere. Affirmant nonnulli, quos refert, & sequitur Vazq. dub. 5. quia omne opus honestum quamuis non sit pœnale, est meritorium vitæ æternæ; ergo similiter meretur ablationem impedimenti, scilicet reatus pœnæ temporalis. Contrariam sententiam tenent D. Thom. & plures alij, quos refert, & sequitur Suarius disp. 37. sect. 6. Quod indicasse videtur Trident. sess. 14. cap. 8. vbi opera satisfactoria vocat satisfactorias pœnas, nec alio fine pœnitentia imponitur à confessario, nisi in vindictam, & satisfactionem peccatorum, vt media ea pro peccatis plenè satisfiat. opus autem honestum quod non est pœnale, neque est satisfactorium pro pœna.

17. Cæterùm has duas sententias rectè conciliat Lugus disput. 14. sect. 3. num. 41. quia de facto omnis nostra operatio meritoria, est simul satisfactoria, quia omnis de facto est pœnalis. nam nullum est opus honestum quod non aduersetur alicui bono, vel delectabili, vel vtili, vel afferat aliquod malum secum: aliàs in exercitio liberum esse non posset; ac proinde semper affert aliquid difficultatis vincendæ. Et quamuis obiecta sint delectabilia, & facilia, semper vincitur aliqua repugnantia in rectificanda intentione, & in amplectendo ea, non propter eorum delectationem, sed propter finem honestum; ergo negari non potest, omne opus honestum de facto satisfactorium esse, quia semper de facto est pœnale. Quod etiam indicauit Trid. suprà can. 13. vbi opera satisfactoria vocauit *pœnas*, & subdit, *satisfactionem ieiunia, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus.* quibus omnia opera bona comprehendisse videtur. Trident.

18. Vbi nota, ad satisfaciendum non requiri, vt opus honestum fiat ex intentione satisfaciendi; sicut neque ad meritum requiritur intentio præmij. nam sicut valor meriti fundatur in æquitate, quia æquum est, vt qui bene operatur laudetur, & præmietur: ita valor satisfactionis in eadem æquitate fundatur; hæc enim exigit, vt qui voluntariè propter Deum, vel propter iustitiam passus est, iam non ampliùs puniatur.

* * *

Sectio III.

An ſatisfactio ſit pars ſacramenti, & habeat effectum ex opere operato.

19. COnueniunt Doctores, ſatisfactionem à ſacerdote impoſitam virtute clauium, eſſe partem huius ſacramenti,& ita diffinitur in Concilio Florentino in decreto de Sacramentis, & in Trident. ſeſſ.14.cap 5.& can.4.Sed eſt difficultas,an ſit pars eſſentialis,vel ſolùm integralis.

20. Prima concluſio. Satisfactio non eſt pars eſſentialis huius ſacramenti, ſed ſolùm integralis, ita tenent communiter Doctores contra Palud. Et probatur, quia ſatisfactio non ordinatur ad primarium effectum huius ſacramenti, quod eſt gratiæ infuſio,& culpæ remiſſio: ſed ſolùm ad ſecundarium, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis relictæ ex peccato iam quoad culpam,& pœnam æternam remiſſo Et confirmatur, quia ſacramentum hoc verè conficitur, & confert gratiam ante ſatisfactionem expletam; nulla autem res abſolutè poteſt eſſe ſine parte eſſentiali; ergo.

21. Nec obſtat, materiam debere antecedere formam; ſatisfactio autem non antecedit, ſed ſubſequitur abſolutionem, quæ eſt forma huius ſacramenti. Nam falſum eſt, ſemper omnes partes materiæ debere præcedere formam, vt videre eſt in compoſito humano, in quo poſt infuſionem animæ multæ aliæ partes per continuam nutritionem accreſcunt: eleuatur autem hæc materia ad ſuum effectum, ex opere operato præſtandum,quatenus à Confeſſario imponitur vt Miniſtro Chriſti, & provt ſic imponitur,dicitur materia partialis huius ſacramenti.

22. Secunda concluſio. Hæc pœnitentia ſacramentalis à Confeſſario impoſita, & à pœnitente impleta, ex opere operato cauſat remiſſionem pœnæ temporalis reſtantis poſt abſolutionem à culpa. Ita communiter Doctores, contra Sotum, & Ledeſmam, & probatur, quia ſatisfactio, vt prædictum eſt, eſt pars ſacramenti Pœnitentiæ à Chriſto Domino inſtitutæ; ac proinde neceſſariò debet habere aliquam ſignificationem, vt verè pars ſacramenti eſſe poſſit: ſicut omnia ſacramenta debent habere aliquam ſignificationem ſacramentalem, vt vera ſacramenta ſint: ſacerdos autem dum imponit pœnitentiam, eam imponit auctoritate Chriſti, & poteſtate à Deo accepta, ſignificans ſe imponere illam loco pœnæ, & ad expiandum ab illa; ergo neceſſe eſt vt ex opere operato conſequatur hunc effectum liberandi pœnitentem à debito pœnæ: aliàs ſacramenta non efficerent id quod ſignificant; ſignificat autem ſacerdos ſe virtute clauium remittere pœnam illam debitam per ſatisfactionem, & pœnitentiam impoſitam; ergo re vera id præſtat,& efficit.

23. Maior autem difficultas eſt, an pœnitentia prudenter à Confeſſario taxata, attenta grauitate peccatorum, extinguat debitum totius pœnæ temporalis reſtantis. Dixi prudenter *taxata*, quia quando confeſſarius ob iuſtam cauſam, videlicet propter infirmitatem,vel impotentiam pœnitẽtis, &c. imponit multo minorem pœnitentiam, omnes admittunt non tolli reatum totius pœnæ debitæ. In qua difficultate partem affirmantem tuentur Gabriel, Maior, Sotus, & Medina, quos refert, & ſequitur Hurtado diſp.14.diffic.15.Quia ex vna parte pœnitentia ſacramentalis inſtituta eſt à Chriſto, vt ex opere operato compleat remiſſionem peccatorum,remittendo totam pœnam reſtantem; & ex altera parte taxatio pœnitentiæ qua hæc remiſſio complenda eſt, commiſſa eſt iudicio prudentis confeſſarij, tanquam iudici: ſacramentum enim hoc inſtitutum eſt ad inſtar iudicij;ac proinde pœnitentia quæ ab eo prudenter iudicatur ſufficiens ad ſatisfactionem peccatorum, attendendo ad grauitatem eorum, & quòd hoc ſacramentum eſt tribunal miſericordiæ, ſufficiens etiam erit ad relexandam, & extinguendam totam pœnam reſtantem.

Contraria tamen ſententia negans multo probabilior eſt, quam ſequuntur Vazquez quæſt. 94. artic.2. dub.6. Suarez diſput. 38. ſect. 5. Præpoſitus quæſt.12. dub.6. num.88. Mæratius diſput.40. Lugus diſp.25. ſect.2. Et probatur, quia, vt rectè prædicti Doctores, Deus non decreuit pro quacumque leui ſatisfactione ſacramentali remittere quamcumque grauem pœnam in purgatorio luendam, ſed certa quadam proportione pro maiori maiorem, & pro minori minorem, quam nullus confeſſarius, quantumuis prudens, & doctus ſit, poteſt certò ſcire, abſque ſpeciali Dei reuelatione; cùm non poſſit certò ſcire qua menſura puniantur peccata in Purgatorio, & quanta pœna correſpondeat talibus peccatis, & qualis ſatisfactio ſacramentalis correſpondeat tantæ pœnæ Purgatorij: hoc etiam pendet ex opere operantis, ex maiori, vel minori intenſione contritionis, cum qua pœnitens peccata ſua confeſſus eſt; & ex opere operato ex gradu diſpoſitionis, quæ omnia ignorare confeſſarium neceſſe eſt:non ergo hoc relinquitur iudicio prudentis confeſſarij; cùm nullo modo poſſit iudicium prudenter ferre. Aliàs ex contraria ſententia ſequeretur, nullum ferè ex his qui ex hac vita decedunt paulo poſt confeſſionem, luere pœnas in Purgatorio, quod longè alienum eſt à communi ſenſu Eccleſiæ. 24.

Tertia concluſio. Pœnitentia ſacramentalis ex opere operato non cauſat augmentum gratiæ ſanctificantis. Hæc eſt contra Suarium vbi ſuprà. Et probatur, quia ſatisfactio ſacramentalis non ſignificat remiſſionem culpæ, nec ad eam ſignificandam à Chriſto inſtituta eſt: imò ſupponit iam culpam remiſſam per gratiam ſanctificantem, quæ non remittit pœnam temporalem, vt conſtat; ſed tantùm inſtituta eſt ſatisfactio ſacramentalis ad remiſſionem pœnæ: non eſt ergo vnde colligamus, quòd ex opere operato concurrat ad collationem gratiæ ſanctificantis, vel ad eius augmentum: nec ex eo quòd ſit pars integralis huius ſacramenti; hoc enim tantùm conuenit partibus eſſentialibus, & ſatisfactioni ſacramentali; quod ſit quaſi complementum gratiæ, & integritas remiſſionis culpæ, quatenus per eam tollitur reatus ad pœnam: & ob hanc cauſam dicitur pertinere ad integritatem ſacramenti, & ad plenam, & perfectam peccatorum remiſſionem. 25.

Quarta concluſio. Pœnitentia ſacramentalis ſi impleatur in ſtatu peccati mortalis, non habet ſuum effectum ex opere operato, hæc eſt contra Vazquium dub. 5. & quamuis difficile ſit huius rei rationem efficacem reddere; ſunt tamen aliquæ congruentiæ. Prima, quia cùm hic ſit effectus ſecundarius ipſius ſacramenti, videtur pendere 26.

dere à perſiſtentia effectus primarij, ſcilicet gratiæ ſanctificantis. Secunda, quia cùm remiſſio pœnæ temporalis ſit effectus ſupernaturalis aliquo modo præparans hominem, ſeu remouens impedimentum gloriæ, vt ſuprà oſtendimus, non videtur congruum vt conferatur, niſi ei qui eſt proportionatus ad gloriam, & amicus Dei. Vnde quamuis ſtatus peccati mortalis non ſit obex remiſſioni pœnæ temporalis faciendæ, media pœnitentia ſacramentali præcisè, cùm pœnitentia ſacramentalis non cauſet remiſſionem pœnæ temporalis media infuſione gratiæ; eſt tamen obex ex inſtitutione Chriſti, volentis hunc effectum ſecundarium pendere omnino ab effectu primario, ob congruentias aſſignatas. Non tamen approbo ſententiam prædictorum Doctorum aſſerentium, poſtea recedente obice, ſatisfactionem operari ſuum effectum; quia, vt rectè Hurtado diſſ. 14. Quamuis hoc conueniat Baptiſmo, & pœnitentiæ informi, ideo eſt, quia hæc duo ſacramenta, ſunt neceſſaria neceſſitate medij ad remiſſionem culpæ, & pœnæ æternæ: at pœnitentia ſacramentalis non eſt neceſſaria ad remiſſionem pœnæ temporalis reſtantis, quæ quidem poteſt pluribus aliis operibus haberi.

SECTIO IV.

An Confeſſarius teneatur pœnitentiam imponere, & quam menſuram ſeruare debet.

27. VT rem hanc breuiter explicemus, ſit Prima regula. Confeſſarius, regulariter loquendo, tenetur ſatisfactionem aliquam imponere. Ita colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 8. & ex cap. *Omnis vtriuſque ſexus.* Et ratio eſt, primò, quia tenetur integrum facere ſacramentum, & hoc quidem ex virtute Religionis. nam ſatisfactio eſt pars integralis ſacramenti Pœnitentiæ. Secundò, quia vt Iudex tenetur æquitatem ſeruare, curando vt homo ſatisfaciat Deo, & hoc quidem ex iuſtitia vindicatiua. Tertiò denique, quia vt medicus ſpiritualis tenetur ad medelam pœnitentis, quando ſatisfactio conueniens eſt ad præcauendum aliquod peccatum in futurum: vnde hæc obligatio ex ſuo genere grauis eſt; poteſt tamen aliquando ex paruitate materiæ eſſe ſolùm venialis, vt ſi pœnitentia leuis ob peccata aliqua venialia deberet imponi, in quo caſu ſi Confeſſarius nullam imponat pœnitentiam, ſecluſo contemptu, exiſtimo excuſati à mortali.

28. Dixi *regulariter*, quia excipiuntur aliqui caſus in quibus non tenetur. *Primus* quando pœnitens eſt omnino impotens, quia eſt in articulo mortis conſtitutus, vel iam ſenſibus caret. Si verò capax ſit, & ſenſus habeat, imponenda eſt aliqua pœnitentia quam tunc poſſit commodè exequi, & etiam alia ſub conditione ſi viuat, attenta grauitate peccatorum, commodiori tempore implenda. *Secundus* caſus eſt, quando ex confeſſione & ex aliis indiciis confeſſarius intelligit, pœnitentem integrè ſatisfeciſſe pro pœna debita, quia non eſt de integritate huius iudicij, & ſacramenti, vt ſemper imponatur pœnitentia; ſed tunc ſolùm quando intelligitur durare reatus pœnæ. Quia verò facilè poteſt confeſſarius in hoc iudicio errare, conſultius erit etiam tunc aliquam pœnitentiam imponere. *Tertius* eſt, quando ſcrupuloſus ſæpe intra horam redit cum nouis peccatis, vt ſæpe abſoluatur. Ita communiter Doctores, Enriquez, Medina, & alij, quos refert Fagundez 2. præcepto lib. 9. cap. 3. eſt quando pœnitens ſtatim lucraturus eſt indulgentiam plenariam, ſi aliàs ſatisfactio non ſit neceſſaria ad medelam & cautionem in futurum, quia in illo caſu non eſt neceſſaria ad ſatisfactionem pro pœna temporali, quæ quidem iam remiſſa eſt, vel ſtatim remittetur per indulgentiam plenariam.

29. Secunda regula ſit, quamuis nulla ſit certa ſatisfactionis menſura, & lege eccleſiaſtica taxata, quam confeſſarius teneatur imponere, & ſic poteſt vti arbitrio; tamen debet imponere pœnitentiam pro qualitate peccati, pro vt ſecundùm humanam prudentiam potuerit, & indicauerit. Ratio huius eſt, quia cùm ſit Iudex à Deo conſtitutus, tenetur æquitatem ſeruare, & ſicut ſi grauiſſimam pœnam imponeret pro leuiſſimo crimine, iniuriam faceret peccatori: ita econtrario, ſi pro grauiſſimo crimine leuiſſimam imponeret pœnam, eſſet iniurioſus ipſi Deo; quia eſt veluti medicus arbiter inter Deum & peccatorem. Pro quo notanda ſunt grauiſſima illa verba Tridentini ſeſſ. 14. cap. 8. *Debent ergo ſacerdotes Domini, quantum ſpiritus, & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & conuenientes ſatisfactiones iniungere, ne ſi forte peccatis connniuent, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quadam opera, pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Trident.

30. Tertia regula, ex rationabili cauſa, propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis, poteſt confeſſarius leuiorem ſatisfactionem imponere. ita Doctores communiter. Et ratio huius eſt, quia in hoc ſacramento magis intenditur ſalus pœnitentis, & eius emendatio, quàm ſatisfactio pro pœna relicta ex culpa remiſſa; ac proinde ne ſalus pœnitentis exponatur periculo propter eius fragilitatem, poterit leuior imponi ſatisfactio. Et ex hoc capite, vt rectè notat Lugus diſputatione 15. ſectione 4. excuſantur hoc tempore confeſſarij, qui pro grauiſſimis peccatis, leues pœnitentias imponunt, quod fit propter infirmitatem ſpiritualem pœnitentium, ne grauioribus pœnitentiis ſcandalizentur & confeſſionem fugiant, vel confeſſarios ineptos adeant, qui eos curare neſciant.

Eſt tamen duplex difficultas.

31. Prima, an confeſſarius poſſit imponere pœnitentiam omnino liberam faciendam arbitrio pœnitentis. Partem affirmantem tuentur Fillucius, Fagundez, Enriquez, Suarius, & Villalobos, quos refert & ſequitur Diana parte 3. tractatu 4. de ſacrament. reſolut. 83. & probat, quia Sacerdos imponendo tali pacto pœnitentiam, ligat, & ſoluit: ligat quidem, quatenus neceſſitatem huius pœnitentiæ imponit, non ſimpliciter, ſed ad hunc finem conſequendi ex opere operato remiſſionem pœnæ per hoc ſacramentum; ſoluit autem, quatenus facienti talem pœnitentiam, commutat pœnam Purgatorij in faciliorem pœnam, quam per ſe & ſine virtute clauium neceſſaria eſſet. Secundò probat ex illis verbis quibus vtuntur confeſſarij poſt abſolutionem. *Quicquid*

boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum.

32. Contraria tamen ſententia verior mihi videtur, quam defendunt Vazquez quæſt. 94. art. 2. dub. 1. Ægidius diſputatione 10. dub. 8. Turrianus diſputatione 35. dub. 2. Lugus diſputatione 25. ſectione 4. & colligitur ex ſupradictis, Confeſſarium teneri imponere pœnitentiam tanquam verus Iudex in vindictam peccatorum, & aliquando in medelam, & cautionem in futurum: iudex autem non poteſt punire niſi per vim coërcitiuam, qua obligat reum ad ſubeundam pœnam. Deinde, quia ſententia Iudicis ſi iuſta eſt, ſemper habet vim obligandi reum; ac proinde ſemper tenetur imponere pœnitentiam obligantem, cùm teneatur ferre ſententiam condemnatiuam.

33. Vnde falſum eſt illud quod aſſumit prior ſententia, per pœnitentiam illo modo impoſitam, pœnitentem ligari ex poteſtate clauium quam confeſſarius habet ad ligandum. nam pœnitentia per modum conſilij impoſita non ligat, quandoquidem eodem modo manet liber pœnitens, ſicut antea. Deinde neque illa verba adiuncta à Confeſſario, *quidquid boni feceris*, &c. habent vim ad probandum id quod intenditur, quia tantùm ſunt verba merè deprecatoria, ſicut alia plura verba quæ tunc proferuntur, ſicut, *Miſereatur tui*, &c. *& merita Beatæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum.*

34. Nec approbo id quod docet Diana loco citato ex mente Filliucij, & Fagundez, poſſe pœnitentem ex iuſta cauſa, & voluntate confeſſarij, pœnitentiam per alium implere, & ſuum effectum ex opere operato ſortiri in eo pro quo impletur: quia confeſſarius nequit præcipere opus alterius, nec eius præcepto ſatisfit per pœnitentiam ab alio impletam; ſicut nec aliis præceptis ſatisfacimus niſi per opera à nobis exhibita. Nec obſtat, vnum poſſe ſatisfacere pro alio pro pœna temporali, ſiue viuo, ſiue defuncto ex opere operantis. nam quamuis hoc verum ſit, non tamen poteſt confeſſarius præcipere opus alterius in vindictam peccatorum pœnitentis, quia in hoc foro non eſt ſuperior illius: igitur cùm Confeſſarius non poſſit imponere pœnitentiam, niſi ligando; nec poſſit ligare pœnitentem ad opus alterius, conſequens eſt vt quamuis vnus poſſit pro altero ſatisfacere ex opere operantis, nequeat tamen ſacramentaliter, & ex opere operato. Eo vel maximè, quia ſicut vnus non poteſt conteri, nec confiteri ſacramentaliter pro alio, ita non poteſt ſacramentaliter ſatisfacere: quia contritio, confeſſio, & ſatisfactio, ſunt partes huius ſacramenti.

35. Secunda difficultas eſt, quæ opera poſſint in pœnitentiam ſacramentalem imponi. Reſpondeo hæc ad tria capita reduci. *Primum* eſt ieiunium, ad quem reducuntur omnes corporis afflictiones, & carnis macerationes. *Secundum* eleemoſyna, ad quam reducuntur omnia opera miſericordiæ in proximum. *Tertium* oratio, ſub qua comprehenduntur omnia illa quæ ſpectant ad cultum Dei. Et ex his

Infertur primò ſuſceptionem Euchariſtiæ poſſe in pœnitentiam imponi, & pœnitentem teneri eam acceptare; eſt enim actus virtutis religionis, & ad præſeruandum à peccatis aptiſſima medicina, vt docuit Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 2. & præteritorum peccatorum vindicatiua, cùm ſemper adiunctum habeat laborem, tam præparationis, quàm gratiarum actionis. Nec obſtat Sancius diſputatione 33. num. 8. dicens, confeſſarium non poſſe obligare pœnitentem ad acceptandum opus ad quod implendum neceſſe ſit in ſtatu gratiæ ſe conſtituere; hòc enim falſum eſt, & ſine legitimo fundamento dictum: ſicut enim poteſt Eccleſia præcipere Sacerdoti vt miniſtret aliqua ſacramenta, quod fieri non debet niſi in ſtatu gratiæ; ita poterit confeſſarius præcipere ſumptionem Euchariſtiæ: quamuis ad eam ſtatus gratiæ requiratur. Similiter falſum eſt, quod idem auctor ibidem docet, in nullo euentu licere confeſſario imponere pœnitenti vt abſtineat aliquot diebus à communione. nam quamuis ceſſatio ab actu virtutis præcisè ſub præcepto non cadat; per accidens tamen quando ex ſtatu pœnitentis, & defectu diſpoſitionis, & reuerentiæ debitæ, prudenter iudicatur melius eſſe hîc & nunc abſtinere, quàm accedere, poterit id in pœnitentiam imponi; idque confirmat praxis.

36. Secundò infertur, poſſe in pœnitentiam imponi opera aliàs ex præcepto debita. nam cùm opus præcepti ſit ſatisfactorium, & poſſit eleuari vt ſit ſatisfactio ſacramentalis, & per illud perfici ſacramentum, & ex alio capite poſſit pœnitenti expedire, non eſt cur id negetur. Si tamen Sacerdos id non explicet, communiter intelligitur loqui de operibus ſupererogationis, & conſequenter pœnitens cui iniunctum eſt ieiunium, vel auditio ſacri, non ſatisfacit pœnitentiæ impoſitæ, ieiunando, vel audiendo ſacrum, eo die quo tenetur ex Eccleſiæ præcepto, niſi ex circunſtantiis oppoſitum poſſit præſumi de confeſſarij voluntate. Quando verò dubitatur de mente confeſſarij, conſulendus erit, ſi commodè aditi poteſt, quòd ſi non poſſit aditi, iudicium ferendum eſt ſecundùm regulas prudentiæ, v. g. ſi eleemoſyna iniuncta fuit, ſatisfit elargiendo eam extremè indigenti. nam cùm hic caſus ſit ratò contingens, non videtur confeſſarius eum voluiſſe excludere, ne fortè pœnitens nimis grauetur duplicem eleemoſynam elargiendo.

37. Tertiò infertur, actus internos poſſe etiam in pœnitentiam imponi, & aliquando poterit hoc expedire, ſi pœnitens, v. g. graui morbo laboret, poterit confeſſarius imponere, vt eliciat aliquoties propoſitum non peccandi, vel actum contritionis. Nec obſtat, ſatisfactionem eſſe partem huius ſacramenti, ac proinde debere eſſe ſenſibilem, & externam. Nam ſufficit quòd fiat ſenſibilis, ſicut contritio ratione alterius, videlicet ratione impoſitionis exterioris, & ratione acceptationis, quando exteriùs imponitur præceptum à confeſſario, & à pœnitente acceptatur. Præterea non obſtat, præcepta humana tantùm eſſe de actibus externis, nam hoc præceptum imponitur à confeſſario poteſtate ligandi à Chriſto accepta; ac proinde poteſt præcipi actus internus, ſicut poteſt dari abſolutio à peccatis omnino internis.

38. Denique de oratione, & aliis operibus factis pro defunctis, nonnulli cenſent non poſſe imponi pro pœnitentia ſacramentali, quia non proſunt pœnitenti ad ſatisfactionem pro ſe ipſo, cùm ſatisfactionem ſuam applicet defunctis. Cæterùm verius eſt poſſe, quod confirmat vſus confeſſariorum, & ita tenet communior ſententia.

Et

Digitized by Google

Et ratio est; quia quamuis satisfactio vt habet effectum ex opere operato, non possit alteri applicari; quia effectus sacramenti ex Christi institutione datur recipienti sacramentum; tamen quòd satisfactio operis impositi quam habet ex opere operantis, non est necesse maneat apud ipsum pœnitentem; neque quòd id confessarius præcipiat; neque potest assignari legitimum fundamentum quo oppositum conuincatur.

Sectio V.

An pœnitens obligetur ad acceptandam, & implendam pœnitentiam.

39. PRima sententia fuit, pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam; si tamen illam acceptet, teneri illam implere. ita Scotus, Gabriel, Medina, Sylvester, Nauarro, & alij, quos refert Suarius disputatione 38. sectione 7. quia homo non tenetur satisfacere in hac vita pro pœna temporali, sed potest licitè relinquere totam illam in Purgatorio luendam; ac proinde neque tenetur acceptare satisfactionem sacramentalem quæ ordinatur ad extinguendum illud debitum. Hæc tamen ratio non conuincit. nam quamuis concedamus illud ex natura rei licere; supposita tamen institutione huius sacramenti per modum iudicij, & supposito præcepto confessarij, non licet: quia ad potestatem iudicis spectat, quòd reus teneatur pœnam impositam exequi; quare pœnitens tenetur obedire confessario tanquam iudici, & superiori, etiam quando pœnitentia iniuncta est grauissima, dummodo attentis peccatis confessis, & fragilitate pœnitentis excessiua non sit.

40. Dicendum ergo est, pœnitentem obligari ad pœnitentiam acceptandam, & implendam: quod hoc tempore adeò certum est, vt sine temeritate negari non possit, quia videtur diffinitum in Trident. Tridentino sess. 14. cap. 8. vbi asseritur, *debere sacerdotes Domini quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum & pœnitentium scitate, & facultate, salutares satisfactiones iniungere, ne si forte peccatis connniuent, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quadam opera, pro grauissimis delictis iniungendo, aliorum peccatorum participes fiant*; & statim subdit, *Claues sacerdotum non ad soluendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas*. vbi ponderanda sunt illa verba, *debent ergo sacerdotes condignam pœnitentiam imponere, ne si leuem imponant participes, fiant peccatorum pœnitentis*; & insuper illa, *claues non solum esse concessas ad soluendum, sed etiam ad ligandum*. Ex quibus manifestè colligitur, pœnitentem obligari ad pœnitentiam; si enim non obligatur, certè Sacerdos non ligat, nec habet potestatem ad ligandum; cùm eodem modo pœnitens maneat liber, sicut antea: nec confessarius peccaret imponendo leuem pœnitentiam pro peccatis grauibus, cùm id faceret quod pœnitens vtens iure suo posset velle fieri. Et ratio id conuincit, quia sententia à iudice prolata, si recta sit, habet vim præcepti, & obligandi: impositio autem pœnitentiæ est vera sententia à confessario procedens, vt à iudice, quia hoc sacramentum institutum est ad instar iudicij: ergo verè habet vim obligandi.

1. Est autem hæc obligatio ex genere suo grauis, & sub reatu peccati mortalis, quia materia de se grauis est, & ad religionem, seu iustitiam vindicatiuam pertinens. At ob leuitatem materiæ omittere aliquam partem pœnitentiæ impositæ, omnes admittunt esse tantùm culpam venialem, quod constat ex generali regula peccatorum, quæ ex leuitate materiæ venialia sunt. Idem docent Doctores communiter, si omittatur tota pœnitentia quando leuis est, v. g. recitandi quinquies salutationem angelicam, etiamsi ob peccata grauia iniuncta sit: sicut omissio cuiuscumque alterius præcepti rei leuis. Contrariam sententiam tenet Sancius in select. disputatione 15. num. 14. ob rationem non contemnendam, quia non perficeret sacramentum; ac proinde reputatur materia grauis, partem integrantem sacramenti omittere. Ob id tamen non censeo recedendum à communi sententia, quia ex defectu impletionis pœnitentiæ, non videtur irrogari grauis irreuerentia sacramento, quia ob id non deficit ei aliqua perfectio essentialis, sed tantùm integralis, & ipsi valde extrinseca. Si verò ob peccata venialia, vel etiam ob mortalia iam semel ritè confessa grauis pœnitentia imponatur, verius est obligare sub mortali, vt contra Nauarr. & Viuald. aduertunt Ægidius, & Enriquez, quos refert, & sequitur Hurtado disputatione 14. sectione 1. Nam grauitas obligationis non est desumenda ex peccato pro quo imponitur, sed ex materia quæ præcipitur, vt tenent Fagundez lib. 9. 2. præcepto. cap. 3. & Nugnius quæstione 13. art. 2. diff. 2. Si enim quis promitteret ieiunium ad hunc finem satisfaciendi pro solis venialibus, votum illud obligaret sub mortali: ergo idem dicendum est de confessario, si ob eumdem finem ieiunium præcipiet.

42. Denique si confessarius designat tempus, intra illud pœnitentia implenda est: quòd si fortè intra illud non impleatur, non ideo cessat obligatio, quia intentio confessarij non est ita alligata ad tale tempus, vt velit esse pondus illius, quo elapso pœnitens maneat liber, quia principaliter intendit satisfactionem, & secundariò præscribit terminum ne vlteriùs differatur, de quo satis egimus suprà agentes de præcepto annuæ confessionis: si verò confessarius non præscribat tempus, obligatur pœnitens ad implendam pœnitentiam quàm primum commodè potest, & si dilatio non sit nimia, non erit peccatum mortale, quod relinquitur iudicio prudentis confessoris, quia difficile est certam regulam assignare.

43. Quibus adde, satisfactionem exhibitam in statu peccati mortalis, sufficere ad implendam obligationem à Confessario impositam, vt suprà docuimus; quia confessarius tantùm præcipit opus, & non modum eius: sicut cætera præcepta humana. & ita tenet communis sententia.

Sectio VI.

Quis possit pœnitentiam impositam tollere, vel mutare.

44. COnueniunt Doctores, pœnitentiam iniustam non indigere commutatione quantum ad id in quo iniusta est. nam potest proprio iudicio à pœnitente omitti, quia quantum ad id non obli-

gat.

Digitized by Google

gat. loquimur ergo quando pœnitentia iusta imponitur.

45. Et primò potest esse difficultas de ipso pœnitente, an propria auctoritate possit commutare pœnitentiam à confessario impositam in aliam meliorem. Affirmant Portel in addit. ad dub. Regul. verbo Pœnitentia sacramentalis, num. 6. & Villalob. parte 1. tract. 9. diff. 79. Sicut quando quis vouit, potest votum in melius commutare, quia non frangit votum qui in melius mutat. Nec obstat præceptum confessarij. nam illud opus præcipit in ordine ad spiritualem vtilitatem pœnitentis; quare si ei diceret se velle loco illius subrogare, magis vtilius certum est quòd consentiret confessarius; ac proinde ex hac præsumpta voluntate poterit pœnitens commutationem facere.

46. Contraria tamen sententia tanquam communis tenenda est, quia aliàs idem, & ex eodem argumento dici posset de quolibet præcepto ab Ecclesia impositio, imò de præceptis diuinis, posse quemlibet propria auctoritate in meliora commutare, vt ieiunium in susceptionem Eucharistiæ, & quando præceptum Eucharistiæ obligat, in votum castitatis, quod nullus admittit: confessarius autem in hoc foro superior est, & præcipit, sicut alij superiores. Nec ratio in contrarium adducta, est alicuius momenti, quia in voto obligatur vouens ex propria voluntate vouentis, & promittentis Deo tem quam credit ei esse gratam, & ideo non mirum si loco illius possit subrogare gratiorem: commutatio verò pœnitentiæ est actio sacramentalis, & actus iurisdictionis qui fit à Confessario tanquam à superiore: cùm ergo pœnitens non possit in se actionem iurisdictionis sacramentalis exercere, cùm non possit sibi esse superior, sequitur nec posse propria auctoritate pœnitentiam commutare.

47. Non tamen dubito per Indulgentias posse pœnæ remissionem acquirere ex opere operato; ac proinde vtendo indulgentiis, posse omittere pœnitentiam ad solam satisfactionem impositam, quia si imponatur vt medicina, non obstantibus indulgentiis manet obligatio illam implendi: quod satis confirmat forma qua plerumque indulgentiæ conceduntur *à pœnis iniunctis*, per quas non possunt aliæ pœnæ intelligi, quàm à confessarijs impositæ in sacramento Pœnitentiæ, & satis confirmat Concilium Lateranense primum cap. 62. & refertur in cap. *Cum ex eo*, de pœnit. & remiss. vbi dicitur, *per indiscretas, & superfluas indulgentias, eneruari satisfactionem pœnitentialem.* Quod non est extendendum ad alias pœnas voluntariè assumptas, quia pœna à iudice imposita reo in criminum punitionem, non potest propria auctoritate prætermitti, vel in aliam commutari.

48. Secundò potest esse difficultas de proprio confessario, an possit postea extra confessionem pœnitentiam à se impositam mutare, vel minuere. Negant plures, quia extra sacramentum non potest confessarius actum iudicialem exercere, qualis est impositio pœnitentiæ sacramentalis. Addunt tamen posse quando moraliter censetur, in eodem actu iudicij perseuerare, vt si pœnitens paulo post absolutionem id petat. Ita Suarez sect. 10. Alij determinant spatium vnius, vel alterius diei. ita Ægidius disputatione 12. num. 102. Alij dicunt, posse intra octo circiter dies, ita Enriquez, Ledesma, Vivaldus, & Valerius apud Dianam tract. 4. de sacram. resol. 54. Denique Vazquez quæst. 94. art. 2. dub. 3. affirmat, posse etiam post longum tempus, cuius sententiæ adhæreo, si confessarius recordetur confessionis, vel status pœnitentis, & illa actio referatur ad confessionem, & absolutionem præteritam], & cum illa vnum integrum iudicium componat. Cuius rei optimam rationem reddit Lugus disputatione 25. sect. 6. quia in hoc sacramento partes tempore distantes possunt moraliter vniri ad integrandum vnum sacramentum, vt constat in absolutione hodierna, quæ potest vniri cum confessione facta ante octo dies: ergo idem & propter eamdem rationem poterit esse de limitatione, & commutatione sententiæ. Qui rectè notat tunc non posse augere illam inuito pœnitente, quia sententia semel legitimè prolata, & acceptata, videtur transire in rem iudicatam quasi per modum contractus, ita vt non possit mutari, nisi ex consensu vtriusque.

Tertia difficultas est de pœnitentia impositа ab vno confessario, an possit ab alio æquali mutari. 49. Negant Dominicus Soto, Victoria, quos refert, & sequitur Vazquez loco citato, quia par in parem non habet imperium, nec Iudex eiusdem potestatis potest mutare sententiam ab æquali datam. Dicendum tamen est cum communi sententia, bene posse, & ratio id conuincit, quia pœnitens potest iterum eadem peccata confiteri, & nouum iudicium de eis subire; & quilibet confessarius habet potestatem absoluendi ab illis, & imponendi pœnitentiam pro illis: ergo poterit pœnitens, imò debet, se conformare sententiæ posterioris tribunalis, nec tenebitur ad sententiam prioris. Patet consequentia, quia non est cogendus pœnitens duplicem satisfactionem condignam pro eodem peccato implere. nam sicut Deus non iudicat bis in id ipsum, ita nec vult pœnitentem pro eodem numero peccato ad duplicem condignam pœnam esse obligatum. Nec in eo euentu, par in parem exercet imperium, sed vterque vtitur suo iure, & æqualem potestatem exercet in sibi subditum. Nec ex hoc fit iniuria priori confessario, qui iustam tulit sententiam, & præceptum iustum imposuit. Nam hoc iudicium ad bonum pœnitentis tantummodo ordinatur, & ex se est iterabile super eamdem causam in fauorem eiusdem, non per modum appellationis, sed per modum noui iudicij, æqualis præcedenti.

Inquires, an ad id debeat secundus confessarius audire peccata pro quibus pœnitentia fuit impositа. 50. Affirmant Vazquez, Suarez, Pesantius, Ægidius, Reginaldus, Molfesius, Megala, quos refert Diana parte 2. tractat. 1. Miscel. resol. 54. & Lugus disputatione 25. sectione 6. num. 107. Contraria tamen sententia est satis communis, quem tenent Nauarr. Toletus Portel, Enriquez, Beya, Raph. de Cæsare, Victoria, Villalobos, la Cruz, Sà, Rodriguez, Vivaldus, Valerius, Antonius Fernandez, Syluius, quos refert, & sequitur Diana ibidem.

Ego verò vtramque sententiam probabilem 51. iudico, & ex principiis intrinsecis probabiliorem esse priorem: quia confessarius non potest iurisdictionem in pœnitentem exercere, nec sententiam proferre nisi in hoc iudicio, quod certè non exercetur dum ipse pœnitens non se accu-

sat,

Digitized by Google

ſat, & defert peccata ſua ad hoc tribunal. Et confirmatur, quia inaudita cauſa non poteſt ſententia proferri, nec prior ſententia mutari: imò, vt prædiximus, ideo ſecundus confeſſarius poteſt commutare pœnitentiam, quia poteſt in eodem tribunali de eadem cauſa iterum iudicare, perinde ac ſi nunquam fuiſſet iudicata, quod fieri nequit, niſi iterum eadem peccata audiat; ex principiis verò extrinſecis, & ob auctoritatem tantorum Doctorum cenſeo, poſteriorem ſententiam eſſe tutam, & in praxi ſequendam.

52. Quartò poteſt eſſe difficultas, an inferior poſſit commutare pœnitentiam impoſitam à ſuperiore ob peccata reſeruata. Affirmant Vazquez dub. 3. Fernandez in Inſtruct. Confeſſ. parte 1. docum. 7. Valerius verbo iuriſdict. diff. 1. Quia per abſolutionem caſuum reſeruatorum, remanent illa peccata non reſeruata, & conſequenter non remanet reſeruata pœnitentia pro eis impoſita. Contraria tamen ſententia verior eſt, quia ſicut confeſſarius inferior non poteſt de illis peccatis iudicare, ita nec pœnitentiam imponere, nec in aliam commutare; quia circa priorem ſententiam non habet poteſtatem, cùm pertineat ad tribunal ſuperius.

53. Denique inquires, an pœnitens qui oblitus eſt pœnitentiæ iniunctæ, teneatur ad repetendam confeſſionem. Communis ſententia negat, & meritò, quia ius diuinum confeſſionis ſolùm obligat ad ſemel confitenda mortalia, quæ ſi ritè fuerunt ſubiecta clauibus, & pœnitens verè ab eis abſolutus, nulla eſt obligatio iterum repetendi, nec ex præcepto eccleſiaſtico, nec item ex præcepto confeſſarij, quod tantùm obligat adimpletionem pœnitentiæ quando pœnitens poteſt: nullus autem poteſt implere pœnitentiam inculpabiliter oblitam. Sed quid dicendum, ſi ſua culpa pœnitentiæ non recordetur. Reſpondeo ſufficere hoc peccatum confiteri, & ſi fortè obliuio accidit ſtatim poſt datam pœnitentiam, & pœnitens credit confeſſarium adhuc eius eſſe memorem, tenetur illum adire, ſi commodè poteſt, & ab eo petere quid iniunxerit, præſertim quando pœnitentia eſt grauis, vt docet Hurtado diſſic. 11. vbi notat ex præcedenti doctrina, pœnitentem non reportare lucrum aliquod ex ſua culpa, imò potius priuari fructu quem pœnitentia ex opere operato cauſaret.

TRACTA

TRACTATVS XXV.

DE CENSVRIS.

DISPVTATIO I.

De Censuris in communi.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Censura.

1. NOMINE censuræ, omissis aliis significationibus, intelligimus in præsenti, pœnam correctiuam ab Ecclesia impositam. Sicque censura Ecclesiastica in hunc modum potest diffiniri. *Censura est pœna spiritualis, & medicinalis, priuans vsu aliquorum spiritualium bonorum, imposita per Ecclesiæ potestatem, vt fidelis baptizatus à contumacia discedat.* Dicitur *pœna*, quia non infertur, nec contrahitur, nisi ob culpam, & in eius punitionem. Et per hoc excluditur irregularitas à ratione censuræ, quia irregularitas ex se non est pœna, sed proximè fundatur in indecentia, quæ sæpe est etiam sine peccato; vt constat in multis irregularitatibus, v.g. ex defectu lenitatis, vt in iudicibus ad mortem condemnantibus, & etiam in irregularitate ex defectu alicuius membri. Et ob eamdem causam cessatio à diuinis similiter excluditur à ratione censuræ, hæc enim tantùm respicit nocentem, siue peccantem: at cessatio à diuinis est omnimoda negatio diuinorum officiorum, æqualiter respiciens omnes, tam delinquentes, quàm non delinquentes.

2. Dicitur *spiritualis*, ad excludendas pœnas corporales & ciuiles, quibus iudices seculares puniunt malefactores. Dicitur *medicinalis*, etiam respectu illius qui censura ligatur, scilicet donec resipiscat, vt patet ex cap. *literas*, de Const. & cap. 1. de sentent. excommun. in 6. & ob hanc causam irregularitas ex delicto proueniens, degradatio etiam, & depositio, non sunt censuræ: illæ enim secundùm se sunt perpetuæ; censura verò non fertur vt pœna perpetua.

3. Dicitur *priuans vsu aliquorum spiritualium bonorum*, quia cùm Ecclesia sit horum bonorum dispensatrix, bene potest illis priuare: quòd si etiam aliquando priuat bonis temporalibus & corporalibus, vt conuictu & consortio communi, id facit indirectè, & in quantum conducunt ad bona spiritualia & supernaturalia.

4. Dicitur *imposita per Ecclesiæ potestatem*, quia in sola Ecclesia residet hæc potestas ferendi censuras, vel in eis quibus ab Ecclesia committitur. Dicitur denique *vt fidelis baptizatus à contumacia discedat*; tum quia nondum baptizati non sunt Ecclesiasticæ iurisdictionis; sicque nequit contra eos ferri censura: tum etiam, quia ille est finis Ecclesiæ in ferenda censura. quæ omnia ex dicendis in hac disputatione magis illustrabuntur.

5. Sit conclusio. Species censuræ tantùm sunt tres, scilicet, excommunicatio, suspensio, & interdictum. Hanc tenent communiter Doctores Canonistæ, & ex Theologis ferè omnes Recentiores contra Sotum & alios Thomistas. Et probatur ex Innocentio III. in cap. *Quærenti*, de verborum significat. vbi habentur hæc verba. *Quærenti quid per censuram Ecclesiasticam intelligi debeat cùm huiusmodi clausulam in literis nostris apponimus? Respondemus, quòd per eam non solùm interdicti, sed suspensionis, & excommunicationis sententia valeat intelligi.* Hactenus Innocentius. Ex quibus verbis constat manifestè solas tres annumeratas esse species censuræ. Nec obstat, quòd hoc argumentum cùm sit ab auctoritate negante, non videatur conuincere. Nam cum responsio Pontificis sit doctrinalis pro tota Ecclesia, apertè constat esse tantùm tres ab eo numeratas censuras, & non esse plures: aliàs diminuta esset responsio Pontificis, & quæstionem indecisam reliquisset, si adhuc aliæ species restarent.

6. Deinde probatur, quia in ipsomet iure in cap. 1. & cap. *Statutum*, de sentent. excommun. in 6. tantùm fit mentio harum trium censuratum, & nomine censuræ nunquam aliam pœnam intelligit ius. Et in literis Pontificiis sæpe datur facultas absoluendi à Censuris in iure contentis: ergo tantùm intelligit has esse censuras: alioquin magna esset confusio, & nullam haberemus certam regulam ad dignoscendum quæ censuræ possint absolui, vel non, cùm datur talis facultas. Præterea, quia, vt prædictum est, censuræ primariò feruntur propter correctionem & emendationem ipsius qui ligatur censura, & per modum vinculi, quod facile soluitur posita emendatione; ac proinde censuræ sunt pœnæ medicinales, quod non conuenit cessationi à diuinis, depositioni, degradationi, nec irregularitati propter delictum, quæ ex se sunt pœnæ perpetuæ. Insuper, quia sæpissimè in priuilegiis Papæ datur primò generatim potestas absoluendi ab omnibus censuris, & deinde speciatim datur facultas dispensandi in irregularitate contracta ex delicto, quod est signum eam non comprehendi nomine censuratum. Denique, quia, vt rectè Auila 1. parte dub. 5. qui violat censuras Ecclesiæ celebrando irregularitatem incurrit, & tamen quamuis quis celebret existens irregularis, non incurrit aliam irregularitatem, quod est signum manifestum irregularitatem propriè non esse censuram.

7. Ex quibus infertur, quando in priuilegio aliquo Pontificis datur facultas absoluendi *à censuris & à pœna*, non comprehendi irregularitatem propter delictum, quia quando vult Papa hanc etiam comprehendi, exprimit: quare illud verbum *à pœna*,

pœnis, vel declarat censuras esse pœnas, vel intelligit dari aliam pœnam, v. g. si propter superioris præceptum esset impeditus aliquis ne accederet ad sacramentum.

Sectio II.

Qui possint ferre censuras.

8. Fide sancitum est contra hæreticos, in Ecclesia Dei esse potestatem ferendi censuras, & ita extat diffinitum in Concilio Constantiensi contra errores VViclephi & Ioannis Hus, & in aliis Conciliis generalibus, & hæc fuit perpetua Ecclesiæ traditio, & praxis à tempore Apostolorum, & colligitur aperte ex sacra Scriptura, Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & publicanus*, & 1. Corinth. 5. *Tradere huiusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, vt spiritus eius saluus fiat*, & 1. ad Timoth. 1. *Tradidi huiusmodi hominem Satanæ, vt discat non blasphemare.* Ex quibus locis communiter Patres & Doctores deducunt, hanc potestatem esse in Ecclesia Dei. Quod etiam ipsamet ratio dictat, quia in omni Republica bene ordinata præter potestatem directiuam per leges & præcepta, debet etiam esse potestas exterior iurisdictionis, coërcens rebelles & inobedientes, vt scilicet hi puniantur, & corrigantur: ergo non debet denegari Ecclesiæ hæc potestas coërcendi suos subditos inobedientes, & rebelles, per pœnas Ecclesiasticas, eos priuando vsu ministerij Ecclesiastici, vel sacramentorum, vel communicationis in fructu aliquo sacrificiorum, orationum, & aliorum bonorum operum, quæ subiacent dispositioni ipsius Ecclesiæ; ad medicinam scilicet, vt spiritus saluus fiat, & propter bonum commune Ecclesiæ: quia fideles retrahuntur à patrandis peccatis propter metum censurarum, iuxta illud Prouerb. 19. *Pestilente castigato, stultus sapientior erit.*

Matth. 18. 1. Cor. 5. 1. Timoth. 1. Prou. 19.

9. Nec obstat Chrysostomus homilia de anathemate, vbi videtur damnare vsum censuratum, dicens: *Aut anathematizas viuentem, aut mortuum: si mortuum, impiè agis, quia iam sub iure humano non existit, sed Domino suo stat, vel cadit: si viuum, impiè etiam agis. nam eum qui ad bonum conuerti potest, abscindis.* Nam respondetur, Chrysostomum tantùm condemnare vsum immoderatum censurarum. nam aliquando habentes potestatem ferendi censuras, malè ea vtuntur: non tamen damnat vsum moderatum, & qui est, vt dicitur, claue non errante, vt fidelis baptizatus resipiscat, & pudore affectus conuertatur, & spiritus saluus fiat, vt retulimus ex D. Paulo, & ideo idem Chrysostomus homil. 4. in epistol. ad Hebræos, & refertur in cap. *Nemo contemnat*, 11. quæst. 3. approbat censuras, & monet non esse contemnendas (vt contendunt hæretici,) dicens, *Nemo contemnat Ecclesiastica vincula, non enim homo est qui ligat, sed Christus, qui nobis hanc potestatem dedit.*

Chrysost.

10. Deinde certum etiam est, hanc potestatem datam esse summo Pontifici, qui statuit formam censuræ pro vniuersa Ecclesia, quæ forma vbique est seruanda; qua ratione hæc potestas instituendi, & imponendi censuram, in solo residet Pontifice, licèt posset eam aliis communicare: at applicare prædictam formam & censuras, competit etiam aliis, & hoc dupliciter, vel iure ordinario, scilicet ex proprio officio & munere, vel ex delegatione, scilicet ex speciali concessione & commissione: ex quo fit duplicem esse potestatem ferendi censuras, aliam ordinariam quæ conuenit ex vi muneris & officij ex iure ordinario, siue diuino, siue humano: aliam verò delegatam, quæ tantùm conuenit ex commissione, & arbitrio iudicis Ordinarij.

11. Ordinaria potestas ferendi censuras, præter summum Pontificem, est etiam in Episcopis; hæc enim spectat & requiritur ad eorum officium ordinarium, sicut & potestas iudicandi & puniendi suas oues, vt habetur in Tridentino sess. 6. cap. 3. de Reformat. & sess. 14. cap. 4. & in 6. tit. de officio Ordinarij cap. *Ad reprimendam*, & cap. *Cùm Episcopus.* Hanc eamdem ordinariam potestatem pro suis subditis habent Archiepiscopi, & Patriarchæ. Archiepiscopus etiam habet potestatem ferendi censuras in diœcesibus suffraganeorum tempore visitationis statuto à iure, & etiam quando subditi suffraganeorum appellant ad Archiepiscopum. Eamdem potestatem habet Vicarius Episcopi, vel Archiepiscopi, ex cap. *licèt*, de officio Vicarij; quia Vicarius Episcopi vnum tribunal facit cum ipso. Capitulum etiam sede vacante, & Vicarius Capituli sede vacante, qui succedunt Episcopo in iurisdictione Episcopali, vt colligitur ex cap. *vnico*, de maioritate in 6. & ex Tridentin. sessione 24. cap. 16. de Reformatione. Item Legati à latere Sedis Apostolicæ, ex cap. *Legatos*, de officio legati in 6. Cardinales etiam in Ecclesia sui tituli, cap. his quæ de maioritate. Concilia etiam generalia, & Prouincialia, ex cap. Graue nimis, de præbendis. Superiores etiam Religionum ex cap. *Cùm in Ecclesiis*, eodem titulo. Sub his autem comprehenduntur Generales, Prouinciales, Superiores locales, & à fortiori Congregationes Religionum, de qua re inspicienda sunt priuilegia cuiusque Religionis. Eam etiam habent aliquæ dignitates, vt sunt multi Archidiaconi, Archipresbyteri, & Decani.

12. Potestas verò delegata ferendi censuras in illis solis reperitur, quibus delegatur, seu committitur ab habentibus potestatem ordinariam, dummodo capaces sint. Differt autem ordinaria potestas à delegata. nam habens potestatem ordinariam, potest eam alteri communicare; habens verò potestatem tantùm delegatam, non potest eam alteri committere, ex cap. vltimo, de officio legati. Secundò etiam differt, quia delegata expirat morte delegantis, nisi causa sit iam incepta.

13. Vtraque verò potestas nec licitè, nec validè potest exerceri, neque ab excommunicato, neque à suspenso non toleratis cùm priuati sint ab Ecclesia vsu iurisdictionis; ac proinde non possunt obligare suo præcepto, & consequenter nec suis censuris, quia incursio censuratum inobedientiam supponit, vt ex dicendis infrà magis patebit.

Est tamen duplex difficultas.

14. Prima, an fœminis possit delegari, & communicari potestas ferendi censuras. Et conueniunt Doctores, de iure communi non posse, ex cap. *de Monialibus*, de sententia excommunicationis. Et ratio est, quia non videtur decens assumere fœminam ad exercendum spiritualia, & ad iudicandum in Ecclesia. Nec obstat quòd aliquando in iure inueniatur Abbatissam aliquam vsam fuisse suspensione. Nam ibi suspensio sumitur latè, & impropriè, pro præcepto, & prohibitione aliqua ab aliquo officio; non verò propriè pro censura suspensionis.

sionis. Vnde qui violaret talem Abbatissæ suspensionem, non maneret irregularis, quod certè esset, si talis suspensio esset censura. Itaque de iure communi & humano, fœmina est incapax hac potestate. An verò etiam iure diuino sit incapax illius, est dissensio inter Doctores, quibusdam negantibus, quia quamuis fœmina sit incapax potestate clauium quoad interiorem reconciliationem in foro pœnitentiæ; ex nullo tamen capite potest sufficienter ostendi, quòd nullo modo sit capax alicuius partis illius potestatis, ita vt nec per summum Pontificem possit illi tribui iurisdictio Ecclesiastica. Aliis verò affirmantibus, quia diuinum jus loquens de hac potestate, nunquam de fœminis loquitur, & quia huiusmodi potestas Ecclesiastica tam grauis, ex potestate ordinis originem ducit, cuius est incapax fœmina, & hoc mihi videtur probabilius, quia Christus Dominus vtramque potestatem simul coniunxit, cùm dixit, *quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcumque solueritis*, &c.

15. Secunda difficultas est de laicis, An carentes prima tonsura sint capaces huius potestatis. In qua re dicendum est, ex iure humano de facto non esse capaces, ex cap. *Decernimus*, de iudiciis in 6. & distinctione 96. cap. *Vera quidem*, & de Constitutionibus, cap *Ecclesia S. Maria*; quia cùm hæc sit potestas Ecclesiastica, petit personam Ecclesiasticam, saltem per primam tonsuram. Vnde Religiosus etiam professus carens prima tonsura, est etiam incapax iure humano talis facultatis. Similiter habens primam tonsuram, vel quatuor minores, si sit coniugatus, ex cap. *Sanè*, de Clericis coniugatis; reputatur enim ac si esset merè laicus quoad hanc potestatem; ex commissione verò solius summi Pontificis merè laici, qui nec primam tonsuram habent, possunt ferre censuras, quia prima tonsura solo iure positiuo est ad id requisita, in quo Papa dispensare potest.

16. Restat videre in quibus iure diuino sit potestas ferendi censuras. In qua re breuiter dicendum est, hanc potestatem habere Episcopos diuino iure, quia sunt Apostolorum successores, ex cap. *Quorum vices*, distinct. 68. quibus, vt suprà dictum est, data est hæc potestas, Ioann. 20. Prælati verò Religionum tantùm habent eam iure humano, ex cap. *Cùm contingat*, de foro competenti. quia exemptionem quam habent ab Episcopis, habent ex iure humano. Archidiaconi, & Archipresbyteri aliqui, habent hanc potestatem tantùm ex iure humano, & omnes prædicti subiiciuntur summo Pontifici, quem etiam est certum de iure diuino hanc potestatem habere: sicut etiam certum est, omnes habentes potestatem delegatam, non eam habere iure diuino, cùm non sint iudices ordinarij, neque est caput vnde hoc colligatur.

17. Quamuis autem hæc vera sint, videlicet esse in Ecclesia hanc potestatem de iure diuino, manet difficultas, an de facto detur aliqua censura quæ non sit de iure humano. Nonnulli Doctores, inter quos est Armainus in 4. distinctione 18. existimant de facto impositam esse excommunicationem iure diuino hæreticis. Nituntur pluribus

Tit. 3. testimoniis sacræ Scripturæ, ad Titum 3. *Hæreticum hominem, post vnam, & secundam correptionem,*

Matth. 18. *deuita.* Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus.* Ioan. epist. 2.

Ioan. epist. 2. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domo; neque Aue ei dixeritis: qui enim dicit illi Aue, communicat operibus eius malignis*, 2. ad Thessalonic. 3. *Hunc notate, & non commisceamini cum illo.* 2. Thess. 3.

18. Communis tamen sententia tenet, quòd quamuis potestas ferendi censuras ortum habuerit à Christo, qui illam commisit Ecclesiæ, de facto verò exercitium huius potestatis, non esse nisi de iure humano; hoc est, ferre censuram esse ab homine, & non à Christo: sicut de iure naturali est Regem, vel Principem habere facultatem subditos coërcendi per pœnas temporales, & ciuiles, & tamen certum est, omnem pœnam impositam esse tantùm de iure humano: quod constat, quia in sacra Scriptura nulla reperitur talis censura lata.

19. Vnde ex allegatis locis sacræ Scripturæ in contrarium tantùm colligitur, nos iure diuino & naturali, teneri vitare inobedientes, ex charitate erga nos ipsos, ne eorum communicatio sit nobis nociua, & occasio peccandi. Quòd si in eis est sermo de censura aliqua, non est de censura lata ab ipso Christo, sed de deferenda à Prælatis Ecclesiæ postquam ex præcepto iubentur vitari.

SECTIO III.

Quibus modis possit ferri censura.

20. CEnsura alia est à iure, alia ab homine. Censura à iure dicitur, quæcumque est per legem, vel statutum. Censura verò ab homine vocatur, quæ est per præceptum non contentum in iure, vel in lege. Ex quibus fit, censuram duobus modis posse ferri, vno modo iure, seu lege perpetua præcipiente aliquid sub censura incurrenda statim, ac violatur ius: altero modo fertur præcepto transitorio præcipiente aliquid sub censura incurrenda statim, ac violatur præceptum. Ad ferendam censuram prioti modo, requiritur potestas ad ferenda iura, leges, seu statuta perpetua: ad ferendas verò illas posteriori modo, sufficit potestas exterior Ecclesiastica, siue ordinaria, siue delegata. Est autem differentia inter vtramque censuram. nam censura à iure manet etiam mortuo legislatore, donec reuocetur lex, vel per contrarium vsum, siue desuetudinem abrogetur: at censura ab homine expirat morte mandantis, vel à vocatione ab officio: quod autem ita intelligendum est, vt de nouo non incurratur censura post mortem mandantis. nam si quis ante mortem illam incurrisset, mortuo mandante, non manet absolutus à censura, sed indiget absolutione, ex cap. *Pastoralis*, de officio Ordinarij in 6. Est tamen

21. Prima difficultas, an censuræ quas solent ferre visitatores, sint à iure, vel ab homine. Et an expirent morte visitatoris, vel mutatione officij; vel potiùs durent donec à Superiore, vel ab alio potestatem habente, reuocentur. Cui difficultati sub distinctione respondendum est, An scilicet ferant has censuras per ordinationes scriptas, quæ sint veluti statuta, vel leges: vel an tantùm sint per mandatum; hæ enim posteriores expirant morte visitatoris, vel quando officium relinquit. Priori verò modo non cessant illæ excommunicationes mortuo visitatore, vel relicto officio, sed manent donec reuocentur ab Ordinario, vel ab alio potestatem habente: vnde bene possunt visitatores relinquere Ordinationes in scriptis cum pœna excommunicationis, quæ durant donec reuocentur,

Digitized by Google

tur, & ideo quodammodo sunt per modum statuti, vt rectè docet Aula 2. parte de Censuris cap. 1. disput. 2.

22. Secunda difficultas est, an si tempore quo impletur conditio requisita ad contumaciam, v. g. quando fertur censura ab homine sub conditione de futuro, vt si non restituat post mensem, maneat excommunicatus: an, inquam, si Iudex iam non habeat potestatem, vel propter mortem, vel suspensionem, vel propter aliquod aliud impedimentum, incurratur censura. In qua re cum communi sententia negatiuè respondendum est: Si antequam impleatur conditio, Iudex mortuus fuerit; si verò tempore medio ante impletionem conditionis, mandans suspendatur ab vsu iurisdictionis, & cùm ponitur conditio, iam est restituta iurisdictio, incurritur censura; quia tunc mandans habet potestatem quando impletur conditio, & potestas fuit continuata à tempore præcepti vsque ad adimpletionem conditionis. Si autem illo tempore intermedio ante impletam conditionem, mandans esset omnino priuatus potestate ferendi censuras, & postea restituatur potestas, & impletur conditio, non incurritur censura lata à mandante, quia illa positio censuræ iam est extincta medio illo tempore, respectu mandantis, vnde & extinctum fuit mandatum, & nihil refert quòd illi restituatur potestas, quia non intelligitur continuata. ita Suarez disputatione 3. de Censuris sect. 4.

23. Idem dicendum est de eo qui mutat domicilium ante impletam conditionem, non incurrere censuram, etiamsi postea impleatur conditio. Et ratio huius est, quia causa ob quam censura cessat, quando Iudex desinit esse Iudex, ideo est, quia iurisdictionem amittit; sed quando subditus domicilium mutat, desinit iurisdictio in iudice, quia subditus desinit esse illi subditus: ergo cùm inferre censuram sit actus iurisdictionis, omnino censura cessabit. Hoc autem intelligendum est, vt rectè notat idem Suarius sect. 5. quando censura est lata per statutum, vel per sententiam, vel per speciale præceptum, quibus prohibetur, vel præcipitur aliqua actio in futurum; si quis enim mutet domicilium ante completam conditionem, etiamsi postea agat contra statutum, sententiam, vel præceptum, non incurret censuram, quia iam desinit esse subditus. Non verò est intelligendum quando conditio respicit factum præteritum, tempore prioris domicilij; tunc enim ratione iuris acquisiti ex priori facto incurretur censura, etiam post mutationem domicilij. verbi gratia, si fuit obligatus ante mutationem domicilij restituere aliquid sub censura ad certum tempus, si non restituat, incurritur censura lata, etiamsi mutet dioecesim.

24. Idem etiam est, quando non præcessit delictum, sed præcessit aliqua causa quæ cœpta est trahi in iudicium, v. g. si præcessit aliquis contractus, vel debitum, cuius executio iam postulata fuerat apud superiorem per citationem partis; tunc enim si ex tali causa, vel in ordine ad eius progressum imponatur censura sub conditione intra certum tempus, licèt reus mutet domicilium, manet tamen subiectus in ordine ad talem causam. Ita expressè Gregorius IX. in cap. *Proposuisti*, de foro competen. Limitat tamen id Suarez, videlicet si huiusmodi persona in fraudem, vel proprio motu domicilium mutet. nam si ex præcepto Superioris propter commune bonum, vel aliam similem causam cogatur domicilium mutare, tunc omnino desinit esse subditus priori Iudici, etiam in causa inchoata apud illum, & ita cessabit contumacia; ac proinde etiamsi impleatur conditio, censura non ligabit ex defectu subiectionis iudici ferenti censuram.

Tertia difficultas est. Quid sit dicendum in censuris quæ feruntur ad instantiam partis, an scilicet consensus partis prorogantis terminum præfixum à Iudice, impediat, seu suspendat incursionem censuræ, vltra terminum à Iudice præfixum, absque nouo consensu Iudicis, v. g. si in fauorem creditoris præcipitur debitori sub censura, vt intra mensem soluat, & postea creditor concedit maiorem terminum, ita vt per duos menses expectare contentus sit, an tunc incurrat debitor excommunicationem impleto termino per sententiam præscripto. Partem affirmantem tenet Nauarr. cap. 27. num. 15. & ratio est, quia sicut proferre censuram est actus iurisdictionis, ita illam suspendere: ergo sine consensu Iudicis habentis iurisdictionem, insufficiens est partis consensus ad prædictum effectum. 25.

Contraria sententia verior est, quam tenet Suarez sect. 6. quia huiusmodi censuræ procedunt ex voluntate & intentione creditorum: quare si is non intendat vt excommunicetur debitor, hic non incurrit censuram etiamsi non soluat, quia hæc etiam est iudicis intentio: quare si inscio iudice creditor, postquam Iudex ad illius instantiam censuram tulit, vt si intra mensem non solueret debitor, ipso facto incurrat, si creditor proroget alium mensem, vel plus temporis, tunc non incurret debitor censuram, etiamsi non soluat, quia hæc est mens iudicis. Et ratio huius à priori est, quia censura non incurritur nisi ob contumaciam; hæc verò non reperitur quando pars consentit quòd solutio non fiat intra terminum præfixum à iudice. Ex quo etiam dissoluitur fundamentum Nauarri, quia etiamsi pars non possit directè & potestatiuè, suspendere incursionem censuræ: bene tamen indirectè auferendo materiam inobedientiæ & contumaciæ, quod quidem præstat differendo obligationem sui creditoris. 26.

Inquires, quid dicendum si debitor non soluat alio tempore prorogato vltra primum à suo creditore, an incurrat censuram illam primam. Toletus, Syluester, Angelus & Nauarrus, quos refert Suarez suprà, censent non incurrere, quia pars, seu creditor non potest ferre censuram, & cùm illud tempus vltra prorogatum sit tempus non prorogatum à iudice sub censura, erit iam necessaria alia excommunicatio, quia non est prorogatio eiusdem primi termini, sed innouatio prorogationis, siue noua prorogatio, & non sub censura, quia iudex non interuenit in illa prorogatione noua; ac proinde debitor non soluens tempore assignato per secundam illam prorogationem à creditore factam non incurret censuram. 27.

Verius censeo cum Suario loco citato, debitorem incurrere excommunicationem, non soluendo in illa prorogatione à creditore facta, quia Iudex qui præfixit terminum, vt intra mensem debitor soluat, non præfixit illum ad finiendum intra illum suum præceptum, sed tantùm ad finiendam licentiam differendi impletionem sui præcepti: ergo tale præceptum perseuerat post terminum ab ipso præfixum, etiamsi à creditore sit prorogatum: ergo ex vi illius absque nouo consensu Iudicis incurritur censura, & ita tenent Villalobos, Hurt. 28.

Digitized by Google

Enriquez & Sancius in ſumma, quos refert & ſequitur Diana parte 5. tract. 9. reſol. 22.

29. Deinde, Cenſura tam à iure, quàm ab homine, alia eſt lata, alia ferenda. Lata eſt quando ipſo facto incurritur, & non eſt neceſſaria noua ſententia Iudicis eam ferentis, ſed iam eſt ipſo facto impoſita à iure, vel ab homine, in patrantem tale delictum. Ferenda verò eſt comminatoria, ad quam neceſſaria eſt noua ſententia Iudicis, vt incurratur de facto. Ad dignoſcendum verò quando cenſura eſt lata, vel ferenda, poteſt eſſe regula generalis, videlicet. Quando in lege ſub cenſura ponuntur verba de præſenti, vel de præterito, vel quando ponuntur verba de futuro, cum addito, *ipſo iure, ipſo facto, lata ſententia, eo ipſo*, eſt cenſura lata; ſi verò ponantur verba de futuro ſine vlla reſtrictione, eſt cenſura ferenda. Et ex hac regula

30. Infertur primò, quando in iure ponuntur hæc verba, *eſt excommunicatus, ipſo iure, ipſo facto, lata ſententia, vel excommunicabitur ipſo iure, vel ipſo facto*, eſt cenſura lata; & idem eſt de aliis verbis æquiualentibus, *innodantes excommunicatione illum; vel excommunicatione duximus innodandum.* Similiter ſi apponantur hæc verba, *ſententiam excommunicationis incurrat*: vel *Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto*: vel *excommunicationis ſententiæ ſe nouerit ſubiacere.* Præterea quando dicitur, *excommunicatus ſit, anathema ſit, excommunicatus maneat*, certum eſt in decretis fidei ſignificari cenſuram latam; vt in Tridentino, & in aliis Conciliis ſtatuentibus aliquid de fide vbi excommunicantur oppoſitum dicentes. Limita, niſi in aliqua materia exprimat ius eſſe ferendam cenſuram. Videndus eſt Suarez de ſuperſtitione cap. 19. vbi apertè docet incantatoribus & ariolis tantùm eſſe impoſitam ferendam cenſuram in cap. *aliquando* 26. quæſt. 1.

31. Infertur ſecundò, ſi ponantur verba de futuro ſine vlla reſtrictione, eſſe cenſuram ferendam, vt ſi dicatur, *præcipio ſub pœna excommunicationis*. nam licèt quoad actum præcipiendi ſit de præſenti, quoad actum verò excommunicandi eſt de futuro: vel quando dicitur, *excommunicabimus, ſuſpendemus, vel excommunicetur, ſuſpendatur.*

32. De his verò terminis, *ex tunc, mox, ſtatim, omnino, prorſus*, iudicandum eſt iuxta exigentiam verborum quibus iunguntur; ſi enim ſint verba de futuro, ſignificant cenſuram ferendam: ſi verò iungantur verbis de præterito, vel præſenti, ſignificant latam cenſuram: ſi verò dicatur, *ſub pœna talis cenſuræ, ſub interminatione anathematis, ſub cenſura interpoſitione*, ex vi præcisè horum verborum ſignificatur cenſura ferenda; ſi verò addatur aliquid determinans ad latam, v. g. *ſub pœna ſtatim incurrenda, vel cui mox ſubiaceat*, erit cenſura lata: vel ſi Iudex declaret ſuam mentem eſſe, vt cenſura incurratur ipſo facto.

SECTIO IV.

Qui poſſint ligari cenſuris.

33. IN hac te regula generalis ſit, ſolos viros, adultos, baptizatos, ratione vtentes, qui habent ſuperiorem, poſſe cenſura ligari. Quatuor ergo conditiones requiruntur ex parte ſubiecti ad incurrendam cenſuram. *Prima*, vt homo ſit viuens hac vita mortali. *Secunda*, quòd ſit baptizatus. *Tertia* quòd ſit rationis compos. *Quarta* quòd in terris habeat ſuperiorem. Ex quibus

Infertur primò creaturas irrationales, vt locuſtas, &c. non poſſe cenſuris ligari, quia non ſunt ſubditæ alicui ſuperiori Eccleſiaſtico. Nec obſtat, locuſtas & alia animantia bruta quæ fructus terræ deuaſtant, interdum dici excommunicari ab Eccleſia. Nam reſpondetur, exorciſma illa Eccleſiæ ſolùm eſſe imprecationes quaſdam, quibus Chriſtianus populus poſtulat à Deo, vt illa auertat ac deſtruat: imò, vt rectè Nauarr. in ſumma cap. 27. num. 13. ſuperſtitioſum eſſet dicere illa verba intentione ferendi cenſuram. 34.

Infertur ſecundò, nec mortuos poſſe ligari cenſuris, quia ſimiliter Eccleſia non habet iuriſdictionem in mortuos, ſed tantùm in viuos. Deinde, quia vel talis cenſura ferretur in animam ſeparatam; & hoc non, quia iam eſt extra forum Eccleſiæ militantis: vel in corpus, quod non poteſt dici, quia iam eſt incapax rationis & emendationis, quæ eſt finis cenſuræ. Nec obſtat, hæreticos poſt mortem anathematizari ab Eccleſia, ex cap. finali 24. quæſt. 1. & illorum corpora præcipiuntur exhumari, & comburi. Reſpondetur, cenſuram illam propriè & directè non ferri in mortuos, ſed reſpicere viuos, quibus prohibetur ne poſſint ſepelire hæreticum in loco ſacro, nec pro eo ſuffragia offerre. Imò non ſolùm hæretici, ſed quicumque in ſtatu peccati mortalis publicè decedit, cum manifeſtis & ſufficientibus ſignis impœnitentiæ finalis, quamuis nulla cenſura ſit affectus, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura, cap. *ex parte* 2. de ſepult. Quòd ſi hæreticorum oſſa iubentur exhumari & comburi, id iuſtè ab Eccleſia fit, quia propter atrocitatem huius delicti ita expedit ad terrorem, & bonum commune. Eadem ratione, quamuis hi qui in excommunicatione mortui ſunt, præcipiantur abſolui, ſi ante mortem ſigna contritionis dederint, cap. *à nobis* 2. cap. *ſacris*, de ſentent. excommunicat. id intelligendum eſt de abſolutione indirecta, hoc eſt, de facultate conceſſa viuis vt eum ſepeliant, & pro tali defuncto orent. 35.

Neque etiam obſtat ſecundò Eccleſiam concedere indulgentias defunctis, quæ conceſſio eſt actus iuriſdictionis: non ergo rectè dicimus non habere iuriſdictionem in mortuos. Reſpondetur, id fieri ab Eccleſia per modum ſuffragij, id eſt, applicando eis partem theſauri Eccleſiæ; non verò per modum abſolutionis, liberando eos à pœnis purgatorij, & licèt conceſſio indulgentiarum reſpectu viuorum ſit actus iuriſdictionis, & non ſolùm reſpectu theſauri Eccleſiæ: at quando indulgentiæ conceduntur defunctis, non eſt actus iuriſdictionis reſpectu perſonarum, ſed tantùm reſpectu theſauri applicati. 36.

Infertur tertiò, nondum baptizatos non poſſe ligari cenſuris, quia cenſura eſt actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quæ exerceri nequit in non ſubditum: vt enim docuit Paulus 1. Corinth. 5. & refertur in cap. *Multi* 2. quæſt. 1. *De his quæ foris ſunt nihil ad nos.* Nec obſtat idem Paulus ad Galatas 1. vbi anathema dicit in eum, qui contra Euangelium docet, etiamſi Angelus de cœlo ſit. Nam reſpondetur, verbum anathematizandi interdum in ſacra Scriptura ſumi pro verbo execrandi & deteſtandi, Ioſuæ 6. *ſit ciuitas hæc* (ſcilicet Ierico) *anathema*, & *omnia quæ in ea ſunt Domino*, hoc eſt, execrabilis, & omnino deſtruenda: loquitur ergo ibi Paulus per exaggerationem ad oſtendendum quàm ſit execrabilis & fugiendus, qui contrarium prædicat. 37. 1. Cor. 5. Ioſue 6.

Infertur quartò, nec pueros ante vſum rationis,

Digitized by Google

nis, nec perpetuò amentes qui ante vsum rationis in amentiam inciderunt, posse ligari censuris, quia non sunt capaces delicti, propter quod in eos censura feratur, neque obligationis, seu effectus eiusdem censuræ. Quòd si Eucharistiæ sacramento priuantur, id fit propter reuerentiam tanto sacramento debitam, & non per modum censuræ. An verò priuentur sepultura Ecclesiastica in interdicto locali, suo loco infrà dicetur. Impuberes verò ratione vtentes, & doli capaces, possunt ligari quacumque censura à iure lata, imò & ab homine, quia hoc nullo iure prohibetur, vt docent Suarez, Ægidius, & Hurt. in præsenti. Nec obstat, quòd huiusmodi ætas insufficiens sit ad intelligendum ordinem iudiciarium. Quia de hoc possunt instrui, vel medio procuratore se defendere; ac proinde si intercedat peccatum lethale, & vera contumacia, ex illa parte censura non inualidatur. Idem dicendum est de amentibus, qui antequam inciderent in amentiam, dederunt causam sufficientem, posse censura ligari, vt tenet communis sententia, ratione contumaciæ præteritæ. Ex quo fit, eum qui aliquando vsum rationis habuit, posse ligari censura, propter culpam ante amentiam commissam. v. g. si dum ratione vtebatur mandauit seruo, vt clericum occideret, & postea in amentiam incidit, verè incurrit excommunicationem tempore amentiæ, si tunc seruus mandatum exequatur.

39. Infertur quintò, neminem posse ligari censura nisi à suo superiore. nam sicut in inferente censuram requiritur iurisdictio, ita in eo in quem fertur, necessaria est subiectio. Ex quo fit, neminem in se ipsum posse ferre censuram, quia nullus sibi ipsi potest esse subiectus, neque par in parem. Ob eamdem rationem Papa non est censura ligabilis, quia non habet superiorem in terris, nec alicui spiritualiter subiectus est. Imperatores, & Reges, stando in iure diuino, & in iure Canonico antiquo possunt ab Episcopis excommunicari, quia licèt non habeant in terris superiorem, quantum ad potestatem ciuilem & secularem, habent tamen illam quantum ad spiritualem: de iure verò nouo, & priuilegio exemptionis licèt non constet, communis tamen sententia tenet, Imperatores, & Reges, non posse ab Episcopis excommunicari.

40. Est tamen primò difficultas, an existens in alieno Episcopatu, vel etiam intra Episcopatum in loco exempto à iurisdictione sui Episcopi, possit ligari censuris à suo Episcopo. Nomine verò loci exempti quoad hunc effectum, non intelliguntur monasteria Religiosorum, vt contra Auilam rectè annotant Suarez & Ægidius, quia locus Monasterij non est exemptus, sed tantùm religiosi ipsi ratione sui, quia subiiciuntur suis superioribus: intelliguntur ergo nonnulli Abbatiæ, & aliqui Prioratus. Suarez disputatione 5. sect. 5. secutus Abbatem, & Vgolinum, ponit discrimen inter statutum, & præceptum, siue hoc sit generale, siue speciale, & de censuris annexis statuto tenet partem negantem: de censuris verò annexis sententiæ, vel præcepto generali, siue speciali, sequitur partem affirmantem, & ratio discriminis est, quia statutum est ratione territorij, atque ita extra territorium non obligat: sententia verò, vel præceptum, ratione personæ, & ita hanc afficit vbicumque sit. Et ratione probatur, quia ratio incurrendi censuram est contumacia; sed hic est contumax, etiam existens extra territorium sui Episcopi: ergo si sit imposita censura, re vera ligabit vbicumque subditus existat, & violet illud præceptum. nam executio censuræ latæ fit per ipsam legem sine vi externa, vel violentia, pacem, vel iurisdictionem perturbante. Et confirmatur exemplo. nam si superior Religionis iubeat alicui subdito, vt ieiunet diebus Veneris, ob aliquam causam sufficientem, vbicumque sit iste subditus, tenetur ieiunare: si tamen in sua Prouincia esset statutum, vt eisdem diebus ieiunetur, & iste transeat per aliam Prouinciam in qua est consuetudo legitima non ieiunandi illis diebus, non tenetur ieiunare: ergo similiter si præceptum sit generale, vel particulare sub censura, sequetur subditum vbicumque fuerit, & illum ligabit, licèt statutum non liget. Quare si Episcopus per præceptum siue generale, siue particulare, sub excommunicatione, vel suspensione præcipiat sacerdotibus, siue subditis, ne faciant sacrum extra suam Diœcesim; si faciant, incurrent excommunicationem, vel suspensionem ab Episcopo latam: vel si censura esset ferenda, posset ferri ab Episcopo contra eos extra diœcesim dicentes Missam, quia huiusmodi sententia, vel præceptum, sequitur subditos vbicumque delinquant, tali delicto prohibito à proprio Prælato sub censura.

Ego verò quoad hoc nullum inuenio discrimen inter statutum & sententiam, siue præceptum: quare opposita sententia verior & communior est, & ita tenent Couarruu. & Panormitanus, quos refert, & sequitur Auila 1. parte, cap. 3. disputat. 2. dub. 2. & videtur expressè definita in cap. 2. de Constitutionibus in 6. vbi Pontifex reddens rationem ob quam, qui extra territorium Episcopi furantur, non ligentur statuto Episcopi excommunicantes fures, ait: *Quia extra territorium ius dicenti, non paretur impunè.* Et quamuis in hoc textu solùm fiat sermo de censura lata per viam statuti generalis; eius tamen ratio æqualiter militat in censura lata per modum sententiæ, seu præcepti. Et ratio huius est, quia sicut Episcopus habet limites circa personas, ita habet circa locum; ac proinde non debet transgredi limites à iure præfixos. Vnde infertur, subditum qui deliquit in alieno territorio, & existit illi, quamuis conueniatur coram Prælato sui domicilij ratione delicti illic commissi, non posse ab eo citari, quia quantum ad iudicium fori exterioris, ratione delicti factus est subditus alterius Episcopi in cuius diœcesi peccauit. 41.

Hæc verò doctrina limitanda est primò vt intelligatur de crimine commisso in territorio alieno. nam ob crimen commissum in proprio territorio bene potest ligari censuris, etiamsi in alieno territorio existat: qua ratione habens curam animarum, bene potest excommunicari, si non resideat; quia tunc omissio residentiæ fit in proprio territorio, quamuis persona in alieno existat. Idem est si quis furtum fecit in proprio Episcopatu, & in alieno existens non satisfacit, quia ratione delicti sortitur quis forum, vt dicitur in cap. vlt. de foro competenti, & consequenter fit subditus: aliàs Ecclesiastica potestas facilè contemneretur, & defraudaretur quantum ad forum exterius. nam si is non posset excommunicari in territorio in quo deliquit, cùm non possit excommunicari in alieno ad quod se contulit, facilè posset subterfugere Ecclesiasticam iurisdictionem. 42.

Nec obstat, quòd Episcopus extra propriam Diœcesim, non potest punire subditum aliqua 43.

Digitized by Google

pœna corporali. Nam diuersa est ratio de pœna spirituali, quia corporalis non incurritur ipso facto post transgressionem legis, aut præcepti, sed per sententiam iudicis condemnatoriam, cuius executio debet fieri externa & corporali vi, quæ in alieno territorio exerceri non potest, ne pax & iurisdictionum ordo turbetur: at excommunicatio cùm sit pœna spiritualis, incurritur ipso facto, & secum trahit executionem, nec requirit externam vim; ac proinde statim incurritur post legis, aut præcepti violationem, cui annexa est.

44. Secundò limitanda est, nisi subditus postquam in alieno territorio delictum commisit, reuertatur ad proprium, & ibi conueniatur; in quo euentu potest a proprio Episcopo excommunicari, & aliis censuris compelli; quia ille est subditus proprij Episcopi ratione personæ, & causa talis delicti agitur in eius territorio.

45. Ad fundamentum contrariæ sententiæ suprà positum respondetur, negando ibi reperiri inobedientiam, vel contumaciam. nam Episcopus extra suam diœcesim non habet iurisdictionem. De Religiosis verò diuersa est ratio. nam Prælati Religiosorum non habent territoria diuisa sicut Episcopi, & sic vbique terrarum possunt à suis superioribus ligari censuris. Quod intellige de censuris annexis statuto totius Religionis, & præcepto Generalis. Nam quoad Prouinciales, & superiores immediatos domorum, standum est legibus, & consuetudinibus Religionum, vt obseruat Hurtad. in præsenti. An verò Episcopus sub excommunicatione, vel suspensione possit præcipere sacerdotibus sibi subditis, ne faciant sacrum extra suam Diœcesim, & si faciant, excommunicationem & suspensionem incurrant, sub lite est: id enim negant nonnulli. Sed quamuis hoc concedamus, nihil contra nos. nam cùm hæc prohibitio sit suspensio quædam personalis imposita intra proprium territorium pro territorio alieno, non incurritur de nouo à sacerdote quando in aliena diœcesi existit, sed ipse Sacerdos eam secum portauit, quando à proprio territorio exiuit.

46. Secunda difficultas est, an existens in alieno Episcopatu, possit ligari censuris ab Episcopo Episcopatus in quo est. Resolutio huius difficultatis pendet ex his quæ docuimus in tractatu *de legibus*, an peregrini astringantur legibus particularium locorum per quæ transeunt. In qua re sententia negans semper mihi visa est probabilior, scilicet tales peregrinos, vel forenses, non teneri legibus, vel consuetudinibus loci per quem transeunt, vel in quo repertiuntur per modum hospitij, cessante scandalo, & quando illæ leges non obligabant in proprio domicilio. Et quidem Episcopus loci per quem tranlit subditus alterius Episcopi, nequit cum eo dispensare sicut cum suis subditis, vel date sacramenta, nisi confessionem & communionem, & hoc ex tacita proprij Episcopi licentia: ergo signum est, talem transeuntem non esse subditum illius Episcopi, quoad statuta, vel consuetudines, & consequenter neque tenentur censuris annexis statutis, vel præceptis talium locorum; censentur enim hîc extranei, non subditi. Requiritur ergo vt quis teneatur legibus & censuris loci ad quem de nouo venit, vt veniat vel animo ibi habitandi perpetuò, vel saltem maiori parte anni, vel vt ibi moretur maiori parte anni, & tunc à prima die qua venit animo habitandi maiori parte anni, tenetur legibus loci ad quem venit.

Hæc tamen doctrina limitanda est primò quando legum transgressio cedit in damnum loci per quem transit peregrinus, vel forensis; tunc enim tenetur hic seruare legem illam, v. g. si sit lex ne extrahatur ex eo loco aliquid, vel ne ibi morentur transeuntes, nisi tot diebus, &c. Secundò in contractibus, in quibus seruanda est lex loci in quo quis reperitur, & contrahit. nam hoc habet contractus, vt ratione illius fortiatur quis forum vbi contractus fit: quamuis contractus dotis attendendus sit iuxta locum in quo vir habet domicilium. Tertiò limitanda est in vagis, nullam certam sedem habentibus, hi enim tenentur legibus loci per quem transeunt, & vbicumque sint, censentur ibi habere domicilium, ne sint exempti ab omnibus legibus. 47.

Quando verò quis dimidia parte anni habitat in vno loco, & alia dimidia in alio loco; eo tempore quo in vno est, tenetur legibus illius loci, & alio dimidio tempore tenetur legibus alterius loci in quo est. Denique statuto antea facto, & præcepto generali antea impositio, & censura eisdem annexa comprehenduntur ij, qui post factum statutum, vel impositum præceptum, & publicatum, fiunt subditi, vt contra Auilam aduertunt Suarez, Hurt. & Ægidius in præsenti. 48.

Tertia difficultas est, an Episcopus existens extra proprium diœcesim, possit ferre censuras in suos subditos. In qua re breuiter dicendum est, si delictum requirat iurisdictionem contentiosam, & iuridicam causæ cognitionem, non posse. nam iurisdictio contentiosa nequit exerceri extra proprium territorium. Et colligitur manifestè ex ratione textus suprà allati, *quia extra territorium ius dicenti non paretur impunè*; aliàs esset confusio in iurisdictionibus, & modo eas exercendi: quod etiam est verum, etsi per vim talis Episcopus esset expulsus à sua diœcesi, licèt tunc posset excommunicare ex loco viciniori suo Episcopatui, vel cum licentia Episcopi loci vbi est; si verò res non requirat causæ cognitionem iuridicam, & est manifesta, posse sine strepitu iudicij ferre censuram in suum subditum, tenet Nauarrus, cap. 26. num. 6. 49.

Quarta difficultas est, an eadem persona possit simul ligari multis censuris. Et certum est propter idem peccatum, posse ligari censuris specie diuersis, scilicet excommunicatione, suspensione, &c. si delictum sit dignum tanta pœna. Sicut etiam propter diuersa peccata potest puniri multis censuris solo numero differentibus, tum ab eodem superiore, tum à diuersis, v. g. multis excommunicationibus. Deinde in eadem causa propter contumaciam diuersam respectu diuersorum superiorum, potest quis diuersis numero censuris ligari, v. g. respectu Episcopi, & Papæ: imò in eadem causa crescente contumacia, idem poterit esse ab eodem superiore. 50.

Difficultas est, an quando delinquens facit peccata numero distincta, & propter quodlibet est imposita censura, v. g. excommunicationis, tot incurrat excommunicationes, quot fuerint peccata numero distincta. In qua re affirmatiuè respondendum est: vnde qui facit plures percussiones Clerici numero distinctas moraliter, vel homicidia Clericorum, in tot incidet numero distinctas excommunicationes, quot fecerit peccata numero distincta. Quare si quis vno ictu occidat decem Clericos, decem incurret excõmunicationes, quia, absolutè loquendo, decem sunt homicidia. 51.

Similiter

Similiter si quis simul confabuletur sine causa cum duobus excommunicatis denuntiatis, duas incurret excommunicationes.

Sectio V.

Propter quam causam possit ferri censura.

52. PRopter solùm peccatum censuram ferri posse certa res est. nam cùm sit pœna propriè dicta, necessariò dicit ordinem ad culpam, & cùm sit medicinalis, supponit culpam, quæ est morbus spiritualis, atque ita sicut potestas soluendi supponit peccatum à quo quis soluitur, ita potestas ligandi per censuram, debet supponere peccatum propter quod ligatur.

53. Est ergo prima difficultas, an censura possit ferri ob peccatum purè internum. Partem affirmantem tuentur plures Canonistæ, & ita concedunt hæreticum purè interiorem incurrere excommunicationem latam contra hæreticos. Dicendum tamen est cum communi sententia, censuram propter peccatum merè internum esse inualidam, sed requiri actum externum ab interiori, & mala voluntate manentem. Et probatur ex cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuis*, de simonia, & cap. *Christiana*, 32. quæst. 5. *Non enim*; ait, *habent latentia peccata vindictam*, scilicet humanam, & de Pœnitent. dist. 1. cap. 14. *Cogitationis pœnitentiam nemo patitur*. Quod quidem verum est tam in censura à iure, quàm ab homine. Nam cùm Ecclesia sit visibilis, actus quem punit, debet esse sensibilis, & externus, informatus à malitia actus interni mali, cuius sit indicatiuus ille actus exterior, ita vt ex se illum significet, vel ex circumstantiis possit ab aliis colligi, indicare actum illum malum internum. Quare hæresis externa manans ab interna, propter quam Ecclesia imponit excommunicationem, debet manifestare ex se, vel ex circumstantiis, hæresim internam, itavt si quis præsens esset, possit colligere illum esse hæreticum. Vnde si quis faceret opus ex se aliàs bonũ, vel indifferens, ortum ab hæresi interna. v. g. Si ex hac hæresi, Deum non esse trinum, & vnum, daret quis eleemosynam, vel ambulater, non incurreret excommunicationem contra hæreticos, sed esset occultus omnino respectu Ecclesiæ, tam per se, quàm per accidens, ac si tantùm mente hæresim retineret. Imò etiamsi ex animo hæreticali faceret opus ex se malum, quod re vera non esset manifestatiuum aliis illius hæresis. v. g. Si ex hac hæresi interna fornicatio est licita, fornicaretur quis, ex hac præcisè fornicatione externa, non colligeretur hæresis illa interna, neque talem fornicantem esse hæreticum, quamuis hoc neget Suarez disp. 4. sect. 2. Nostra tamen sententia verior est ob rationem allatam, quia ad hoc vt aliquis puniatur ab Ecclesia per censuram tanquam hæreticus, requiritur actus externus manifestatiuus ex se, vel ex circumstantiis hæresis internæ, & actum illum ab hæresi illa interna manare; quia aliàs re vera est, ac si esset omnino occultus per se, & veluti merè internus.

54. Obiicies primò, quia potestas Ecclesiæ est spiritualis; ergo potest præcipere, & prohibere etiam sub censura actus purè internos; quod variis exemplis potest confirmari, quia Prælati Religionum possunt dispensare in votis suorum subditorum sibi manifestatis; imò quæcumque eorum occulta vota irritare. Possunt etiam sibi reseruare peccata purè interna: similiter confessarius potest imponere pœnitentiam pro peccatis purè mentalibus, & illam taxare in actibus merè internis, vt in aliquibus actibus amoris Dei. Denique, quia in Clementina prima, de hæreticis, excommunicãtur Inquisitores, qui in causa fidei, odio, vel amore, aliquid omittunt: & in Clementina prima, de statu Monachorum, excommunicatur Monachus Benedictinus, qui absque licentia Prælati se confert ad Curiam Regiam, animo accusandi illum. Et in Canone *Si quis*, dist. 30. cap. 18. anathematizantur, qui in die Dominica ieiunant in contemptum eiusdem diei, & in Concilio Toletano I. qui dixerit, aut crediderit mundum hunc non esse à Deo omnipotente factum.

Respondetur, quòd licèt Ecclesiæ potestas sit spiritualis, etiam quoad forum contentiosum, id est, circa ea quæ conducunt animæ ad viram æternam; quia tamen residet in hominibus, debet humano modo exerceri: & ita solùm potest se extendere ad opera sensibilia externa, aut quæ sensibilibus signis manifestantur, quæ homines cognoscere possunt. Si verò Prælati possunt dispensare, & irritare vota etiam occulta suorum subditorum, hoc non fit ab Ecclesiæ ordinaria potestate suprema legislatoris humani, sed extraordinaria, speciali Christi commissione, gerens vicem Christi, qua ratione Ecclesia, & Prælati possunt in votis purè internis dispensare. Similiter possunt reseruare peccata merè interna, non quia habeant directè iurisdictionem erga illa, sed quia nolunt concedere confessario inferiori iurisdictionem ad ea absoluenda. Deinde confessarius in foro interiori pœnitentiæ bene potest absoluere, & imponere pœnitentiam pro peccatis purè internis, quia vt Dei minister in illo foro, habet potestatem iudicandi de eis: secus verò est de foro exteriori Ecclesiæ respectu cuius actus interni sunt occulti. Adde neque confessarium posse absoluere ab huiusmodi peccatis, nisi vt sibi manifestatis per confessionem externam, & sensibilem, & non aliter. Ex quibus constat, quomodo sit intelligendum quod decernitur in Canonibus in contrarium adductis; semper enim requiritur ad incurrendam censuram, aliquod signum, factum, vel dictum, quo quis ostendat se adhærere contrario eius quod ibi decernitur: imò vt excommunicati maneant Benedictini, requiritur, vt damnum re ipsa inferatur, vel, vt alij volunt, intentio nocendi exteriùs declaretur. 55.

Secunda difficultas est, an quando censura fertur ob aliquod peccatum, tantùm feratur ob illud completum in suo genere. In qua re dicendum est, actum illum externum quem punit Ecclesia, sub censura, debere esse consummatum. v. g. Si prohibeat homicidium sub excommunicatione, debet in re perfici homicidium; quare si impediatur etiam per miraculum, & non sequatur homicidium, non incurretur. Vnde qui conatur percutere clericum, si verè non percutit, non incurrit excommunicationem Canonis *Si quis suadente* Et qui scribit ad aliquem, non incurrit censuram latam ob scribendum ad illum: quousque ad illum perueniat scriptura, quia cùm impositio pœnæ sit odiosa, semper est strictè interpretanda. 56.

Tertia difficultas est, an censura possit validè ferri ob peccatum tantùm veniale. Circa quam conueniunt Doctores, actum illum externum ob quem incurritur censura grauis, debere esse mor- 57.

tale, vt habetur in canone *Nemo Epiſcoporum* 11. quæſt. 3. quia cùm cenſura ſit pœna grauiſſima, eſſet valdè inæqualis peccato veniali, vtpote leui; ac proinde iniuſta, & omnino nulla; quare excommunicatio propter percuſſionem clerici, non incurretur propter percuſſionem leuem externam, etiamſi oriatur ex animo mortali lædendi, quia debet eſſe materia grauis externa. Hæc autem grauitas actus externi prohibiti ſub cenſura, debet penſari ex circumſtantiis, & fine illam ferentis, licèt aliàs materia videatur leuis. nam ſæpè ex circumſtantiis, & fine, poterit eſſe grauis. Itaque quicumque actus exterior qui à culpa graui excuſetur, vndecumque id proueniat, ſiue ex ignorantia inuincibili, ſiue ex inculpabili inaduertentia, ſiue ex defectu ſufficientis aduertentiæ neceſſariæ ad peccatum mortale, excuſabitur etiam ab incurrenda cenſura, quia lex cenſuratum non eſt purè pœnalis, ſed ad culpam ſine dubio obligat, & eam præſupponit.

58. Materia verò cenſuræ leuis ſufficit ſit peccatum veniale externum, & ita excommunicatio minor incurritur ſæpe in iure propter peccatum veniale, in quo nulla eſt inter Doctores controuerſia. At ſuſpenſio, & interdictum, nunquam inueniuntur in iure lata, niſi propter peccatum graue: quia licèt excommunicatio minor ſecundùm quid ſit grauior pœna, quàm ſuſpenſio, & interdictum, quia illa priuat ſacramentorum ſuſceptione, non verò ſuſpenſio, & interdictum: abſolutè tamen & ſimpliciter, minus grauis eſt excommunicatio minor. nam facilè tollitur; ſuſpenſio verò, & interdictum, difficilius. An verò ſuſpenſio ab homine poſſit ferri propter culpam leuem, ſi ſit ſuſpenſio leuis, & ad breue tempus, & quæ afferat modicum damnum, controuerſia eſt inter Doctores, & affirmat Sancius lib. 9. de Matrim. diſp. 32. num. 29. ſed de hoc infrà.

59. Quarta difficultas eſt, vtrùm cenſura lata contra facientes, comprehendat etiam conſulentes, & mandantes. Et certum eſt quando excommunicatio fertur contra facientem, non comprehendi mandantes, nec conſulentes. nam quando lex vult punire, non ſolùm facientem, ſed etiam mandantes, & conſulentes. id explicat, vt patet ex cap. vltimo, de pœnis in 6. & Clementina prima, eodem titulo, quod non faceret ſi mandantes ſemper comprehenderentur ſub facientibus. Et ratio huius eſt, quia in iure nullus dicitur verè agere, niſi quis elicit, vel exercet talem operationem; ergo cenſura lata in facientem aliquid, non ligat mandantem, aut conſulentem, niſi hoc exprimatur ſaltem implicitè, quod fit quando apponitur aliqua particula in qua comprehendantur, vt ſi excommunicetur committens homicidium, aut quacumque ratione eiuſdem cauſa exiſtens; tunc enim comprehenduntur mandantes, conſulentes, & alij auxiliantes. Et quando excommunicatio extenditur ad mandantes, non comprehendit eum qui mandauit delictum fieri, ſi mandatus erat alias facturus delictum, tam prompto animo, & tanto connatu, ac ſi ſibi non eſſet mandatum, vt docet Auila part. 2. cap. 5. diſp. 3. dub. 4. Nam licèt habuerit animum influendi in effectum, tamen de facto non influxit. Idem docet de Conſiliario, quando conſilium eſt ita ſimplex quod non influit in effectum, quia alter erat alioqui facturus, & conſilium non auxit voluntatem. Quando verò conſilium influxit, vel non influxit, in effectum, ſciendum eſt ab ipſo qui conſilium recepit, vel ex aliis coniecturis iudicio prudentum. Similiter quando cenſura fertur ob mandatum, aut conſilium, non incurritur ante opus ſecutum, niſi cenſura principaliter feratur ob mandatum, vel conſilium, quia in hoc caſu ſtatim incurritur ante ſecutum opus.

Eſt ergo difficultas, ſi mandans, vel conſulens, 60.
reuocat mandatum, vel conſilium antequam delictum committatur, an incurrat cenſuram, ſi poſt talem reuocationem mandatus, vel conſultus committat delictum. Et certum eſt reuocationem à mandato, vel conſilio peruenientem ad notitiam mandatarij, vel conſulti, impedire incurſionem cenſuræ; tum, quia iam mandatum, vel conſilium deſinit mouere, ſeu eſſe efficax: tum etiam, quia iam nec mandans, nec conſulens eſt cauſa operis, ob quod ſolùm principaliter lata eſt cenſura. Difficultas ergo procedit quando reuocatio mandati, aut conſilij quantum eſt ex ſe eſt efficax, & tamen non impedit influxum mandati, aut conſilij in opus, quamuis mandans, aut conſulens adhibuerit ad id omnem diligentiam. Partem affirmantem tuentur Bonac. Molin. Nauarr. Ægidius quos refert Diana 5. part. tract. 9. reſol. 58 quia in tali caſu mandans, aut conſulens, verè eſt contumax, ſeu inobediens Eccleſiæ, quæ prohibuit mandatum, aut conſilium ſub cenſura.

Verior, & probabilior eſt ſententia negans, 61.
quam tenent Auila, Sayrus, & Hurt. quos refert, & ſequitur idem Diana. quia per dictam reuocationem ex ſe efficacem ceſſat, imò deſtruitur inobedientia actualiter perſeuerans. Eccleſia autem ſuppoſita inſtitutione cenſuratorum, nequit validè, vel non intendit ligare cenſura eum, qui ante incurſionem iam non eſt inobediens, ſed pœnitens efficaciter: ſicut etiam debet abſoluere à cenſura incurſa eum, quem efficaciter quantum eſt ex ſe, pœnitet inobedientiæ factæ. Addit tamen Auila, qui conſulit percuſſionem clerici, & conſilium reuocauit, ſi non firmiter credit conſultum reuocaſſe propoſitum, teneri indicare percutiendo, vel in particulari, vel in generali, vt ſibi caueat, etſi totum id faciat, quamuis ſequatur percuſſio, non incurrit excommunicationem, nec irregularitatem, ſed imputabitur tantùm ipſi conſulto.

Hurtado verò difficult. 15. obſeruat prædictam 62.
reuocationem conſilij, aut mandati non impedire obligationem ſatisfaciendi damno illato, medio conſilio, aut mandato verè influente in damnum illud, nec impedire irregularitatem annexam tali conſilio, aut mandato, quia ex vna parte præceſſit cauſa ſufficiens ad incurrendam irregularitatem, videlicet delictum ſemel commiſſum medio conſilio, aut mandato; ex altera verò irregularitas cùm non ſit cenſura, non requirit perſeuerantiam inobedientiæ vſque ad incurſionem illius, quod certè videtur valdè probabile; ſed de hoc infrà.

Quinta difficultas eſt, an quando actus exterior 63.
eſt malus, & tamen actus interior à quo procedit, non habet eam malitiam quæ eſt prohibita ſub cenſura, num homo incidat in illam cenſuram. In qua re ſententia negans ſequenda eſt, de facto non incurrere in cenſuram poſitam contra tale peccatum: vnde qui metu mortis facit actum exteriorem infidelitatis, retenta tamen interiùs fide, non incurret excommunicationem latam contra hæreticos; hæc enim ſolùm comprehendit eos, qui verè ſunt hæretici, qualis non eſt qui exteriùs tantùm negat fidem; nam de intrinſeca ratione hæreſis eſt error in intellectu contra fidem; atque ita hæreſis in actu interioris conſummatur: at tamen in foro exteriori iſte puni-

tetur

retur vt hæreticus, quia Ecclesia non iudicat de occultis.

Sectio VI.

De variis causis ob quas censura lata, vel ferenda sit nulla, & inualida.

64. Doctrina huius sectionis, & sequentium est valde necessaria ad decidendos varios casus in hac materia. Et in primis censura lata à potente aliàs ferre, si is sit publicè censura ligatus, est inualida, ex cap. *Audiuimus* 24. quæst. 1. Si verò tantùm sit censura ligatus occultè, seu toleratus, valida est censura, licèt iniusta, ex cap. *Si verò*, de sententia excommunic. de quo iterum agemus disp. sequenti, vbi explicabimus quid intelligatur per publicè censurâ ligatum.

65. Secundò, inualida est censura à delegato, si delegans sit publicè censura ligatus, ac proinde Episcopo publicè excommunicato, inualidè fert censuras eius Vicarius, ex cap. 1. de officio ordinarij in 6.

66. Tertiò, est inualida censura lata contra se ipsum, vt iam diximus suprà, quia debet esse à superiore, ex cap. *Quoties* 1. quæst. 7. Cum hoc tamen stat excommunicantem teneri seruare effectus excommunicationis à se latæ, quia licèt excommunicatio illa sit ab eo, & ita non comprehendat se ipsum; attamen effectus sunt à Papa, & ita eos debet seruare Episcopus, vel alius excommunicans, etiam in excommunicatione à se lata, vt rectè Suarez disp. 2. sect. 4. Quare si excommunicans faciat sacrum in Ecclesia à se interdicta est irregularis, & peccat si communicet cum excommunicato à se, & denunciato.

67. Quartò, inualida est censura in propria causa lata per modum iudicij, ex cap. *Inter querelas* 23. quæst. 4. Dixi *per modum iudicij* nam per modum defensionis potest ferre censuram in facientem ipsi violentiam, ex cap. *Delicto*, de sententia excommunic. in 6. nam vim vi repellere licet, & se tueri armis Ecclesiæ, quam in illo casu defendit. Imò quando causa est manifesta, itavt negari non possit, neque egeat aliquo examine, potest etiam per modum iudicij ferre censuram in propria causa, ex cap. *Cùm venerit*, de iudiciis.

68. Quintò, inualida est censura à iudice sine intentione interna eam ferendi manifestata per actum externum. Quando verò est ad instantiam partis, requiritur intentio partis, & non sufficeret sola intentio iudicis, si pars non intenderet, sed vellet terrere. Quando verò pars dat protogationem, iam dictum est suprà. Quando denique huiusmodi censuræ dantur ad instantiam partis. v. g. Excommunicatio in sibi non soluentes intra certum tempus, excusantur à censura debitores non potentes soluere in totum, vel in partem tempore signato; si tamen postea possunt, & non soluant, incurrunt, vt habet communis opinio, nisi intentio partis in contrarium colligatur ex aliquibus circumstantiis, vel aliquid contingat, vt in casu prorogationis, quem suprà explicuimus.

69. Sextò, an quando iudex propter metum cadentem in virum constantem fert censuram existentibus requisitis, sit valida censura propter inuoluntarium ex illo metu, est controuersia inter Doctores, quibusdam affirmantibus validam esse tunc, quia re vera iure naturæ, est sufficiens voluntarium, & absolutè tunc iudex vult, licèt secundùm quid inuoluntariè velit, & in iure positiuo ecclesiastico non inuenitur inualida impositio censuræ propter metum grauem. Quibusdam verò negantibus, quia absolutio data à censura propter talem metum est inualida, secundùm communem sententiam; ergo similiter impositio censuræ propter talem metum. Vtraque sententia est probabilis. Affirmans verò validam esse talem censuram probabilior est, cuius ratio est, quia absolutè est voluntaria, & nullo iure Ecclesiastico inualidatur. At absolutio censuræ data propter illum metum, meritò inualidatur iure Ecclesiastico, propter inconuenientia quæ ex illa sequerentur, & daretur occasio contemnendi censuras Ecclesiasticas, maximè quando viri potentes eis ligantur, quod non contingit in impositione censuræ propter talem metum.

70. E contrà verò metus grauis cadens in virum constantem, impedit incursionem censuræ, quia præceptum Ecclesiasticum qua censura imponitur, sicut quælibet alia lex humana, non obligat cum tanto discrimine; atque ita quoties talis metus excusat opus cui annexa est censura à culpa prærequisita ad illam, consequenter excusat à censura, quia ad eam incurrendâ prærequisita est illa culpa. Vnde si Petrus sub excommunicatione teneatur soluere debitum intra certum tempus, & ex tali solutione immineat ei periculum mortis, aut grauis infamiæ, non incurret censuram, quamuis differat solutionem. Limita, nisi metus ille grauis incussus sit in contemptum Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis, quia in eo euentu qui præceptum Ecclesiæ violaret, lethaliter peccaret, & censuram latam incurreret.

71. An verò talis metus excuset à censura, quando opus est tantùm contra ius, aut præceptum Ecclesiasticum, qualis est omissio Missæ, vel quando est contra ius diuinum purè positiuum, qualis est omissio susceptionis aliquorum sacramentorum, non verò quando est contra ius naturale, qualis est incestus, vel furtum quando prohibetur ab Ecclesia sub censura. Hurtado diff. 23. tenet partem negantem, existimat enim, metum grauem in eo euentu cùm non excuset à mortali, neque etiam excusare à censura. Contrariam sententiam tenet Suarez disp. 4. sect. 3 Et ratio est, quia licèt non excusat à culpa commissa contra ius naturale, excusat tamen à culpa commissa contra præceptum Ecclesiasticum, quo censura est imposita. Vnde qui virginem defloraret metu mortis, non incurreret censuram, si lata esset contra stupratores, quia censura hæc non incurritur propter inobedientiam ad legem diuinam, sed propter inobedientiam ad legem Ecclesiæ, ex hac ratione infert Suarez n. 14. excusari Christianos à censura lata contra adiuuantes Turcas, dimicantes contra Christianos metu mortis, ac tormentorum coactos, remigantes etiam quando Turcæ Christianos persequuntur; quamuis concedamus non excusari à peccato contra legem naturalem, quia cooperantur positiuè ad actionem intrinsecè malam, de quo disputant Doctores, licèt verius sit eos etiam à culpa excusari.

72. Septimò, inualida est censura indeterminatè lata, v. g. præcipio sub censura, non determinando quam censuram: similiter excommunico Petrum, & Paulum; in his enim modis non potest intelligi, quæ censura imponatur, vel quis ligetur.

Octauò,

Digitized by Google

73. Octauò, censura per sententiam lata, id est, per iudicium, est inualida, si non seruatur ordo iudicialis substantialis. v. g. requiritur legitima partis citatio, & causa iuridicè probata: quare quamuis culpa præcesserit, si tamen legitimè non probetur, & sententia proferatur, nulla erit censura. Si verò ordo tantùm sit accidentalis, valida erit, quamuis hic non seruetur, v. g. quando fertur sine trina monitione, vel sine scripto, licèt tunc peccet quis mortaliter, & sit suspensus ab ingressu Ecclesiæ ipse excommunicans, ex cap. *Constitutionem*, de sententia excomm. in 6.

74. An verò iniustitia censuræ proueniens tantùm ex defectu causæ, quando scilicet verè non est causa, videlicet peccatum, est tamen iuridicè, & sufficienter probata, impediat incursionem censuræ, itavt innocens in quem lata est, non ligetur tali censura, & ei non teneatur obedire, est controuersia inter Doctores. Partem affirmantem tuentur ex antiquis plures Doctores. D. Thomas, Ricardus, Durandus, & plures alij, quos refert Diana part. 5. tract. 9. resolut. 27. quia cùm sententia illa valida sit, debet habere suum effectum, & cùm iudex iuste per illam præcipiat, tenetur subditus in conscientia obedire. nam si quis innocens secundùm allegata, & probata cõdemnatur ad mortem, tenetur obedire, & sustinere illam; nec potest licitè per vim resistere, etiamsi possit, ergo idem dicendum est in præsenti.

75. Contraria sententia verior, & probabilior est, quam defendunt Suarez, Præpositus, & Hurt. in præsenti, quia efficacitas sententiæ non excedit iustam intentionem ferentis: at non est verisimile Ecclesiam Dei velle innocentem ligare, quia talis intentio non esset iusta: imò excederet Ecclesia limites potestatis ligandi, quam solùm accepit ad coërcendos inobedientes, non verò ad ligandum innocentes; in foro tamen externo ille se debet gerere vt censura ligatus, & tenetur obedire; si tamen non obediret, & celebraret, non maneret irregularis, non solùm quando in occulto celebrat, sed etiam quando in publico, quia non celebrat censura ligatus. Consequenter asserendum est, talem excommunicatum non excludi ab orationibus Ecclesiæ generalibus pro fidelibus, à quibus excluduntur excommunicati; neque manere priuatum actione actiua, & passiua beneficiorum, quia certè videretur rigidissimum innocentem in re, probatum tamen nocentem, puniri ab Ecclesia in suffragiis spiritualibus, & bonis communibus in conscientia, & reddi inhabilem ad beneficia, & dignitates. Ex quo patet ad fundamentum contrariæ sententiæ, quia etiam qui verè est innocens, potest declinare pœnam, quantum citra vim fieri potest.

76. Notandum est tamen, quòd quamuis innocens non obligetur tali censura in foro conscientiæ ratione sui, tenetur tamen eam exteriùs seruare, quatenus est necesse ad tollendum scandalum; quia si nullo modo posset exercere functiones per censuram prohibitas sine scandalo eorum ad quos peruenit notitia talis censuræ, & quin censeretur potestas Ecclesiastica contemni, tenetur eam exteriùs seruare, & si non obediret in foro illo externo, posset puniri ab Ecclesia, & sub censura præcipere vt obediat, & si tunc non obediat, tunc ligabitur censura, propter illam inobedientiam nouam.

77. Nonò, inualida erit excommunicatio lata immediatè contra Vniuersitatem, & Collegium, ex cap. *Romana*, de sententia excommunicationis in 6. Si verò feratur contra singulos nocentes de communitate, valida erit. Forma prioris excommunicationis erit. *Excommunico talem Communitatem, vel Collegium.* Forma posterioris. *Excommunico omnes, & singulos nocentes de tali Collegio, qui commiserunt tale, vel tale delictum.* Vel, *Excommunico Petrum, Paulum, & Franciscum*, &c. nominàndo singulos de tali Collegio, quos constat esse nocentes.

78. Vt autem hoc aptiùs intelligatur, obseruandum est, vniuersitatem posse sumi dupliciter, vno modo absolutè, vt abstrahit, & præscindit à singularibus membris: alio modo pro omnibus singularibus membris simul sumptis. Si excommunicatio feratur in vniuersitatem, primo modo est nulla, siue præcedat examen, siue non; quia Vniuersitas hoc modo sumpta, non est persona vera, sed ficta; excommunicatio autem tantùm ligat veram personam: tum etiam, quia excommunicatio maior non fertur nisi pro peccato mortali; vniuersitas autem non peccat, quia peccatum est actus personalis. Si verò excommunicatio feratur contra vniuersitatem nullo examine præcedente, & nulla facta restrictione ad solos delinquentes, similiter est nulla, taliter quòd nec ligat eos qui fuerunt in culpa. Ratio huius est, quia talis excommunicatio contineret errorem intolerabilem contra ius naturale, & diuinum, quod prohibet puniri innocentes, qui nullo modo sunt probati nocentes. Si autem præcedente examine constaret omnes, & singulos de tali communitate esse nocentes, excommunicatio lata ab Episcopo contra talem communitatem sumptam pro singulis membris esset illicita, vtpote prohibita in illo cap. *Romana*. Esset tamen valida, cùm constaret singulos istius communitatis esse nocentes, & consequenter nullum innocentem puniri. Denique bene potest ferri excommunicatio per viam statuti, seu præcepti contra singulos de Vniuersitate, quòd scilicet nullus Collega egrediatur noctu è Collegio sub excommunicatione latæ sententiæ, & tunc quilibet delinquens ligaretur. Ita Auila part. 2. cap. 4. disp. vnic. dub. 6.

79. Decimò, inualida est censura lata à recusato legitimè, durante recusatione. Similiter est inualida censura quando ante latam legitimè à iudice appellatur, ex cap. *Quoties* 2. quæst. 6. & cap. *Cùm contingat*, de officio delegati, nisi quando iudici concessum est, vt non obstante appellatione procedat in causa. Et reddit rationem Bonifacius VIII. in cap. *Si à iudice*, de appellationibus in 6. quia per appellationem suspenditur iudicis iurisdictio. Circa hoc autem nonnulla sunt aduertenda.

Primum est, hoc intelligendum esse de censura lata ab homine, quia de ea quæ à iure fertur, seu per viam statuti, appellari non potest, quia sententia iuris semper præsumitur iusta; & ideo per appellationem non suspenditur eius effectus.

80. Secundò est notandum, appellationem factam post sententiam censuræ purè latam, non suspendere eam, quoniam censura secum trahit executionem. Cæterùm quamuis hæc appellatio non habeat effectum suspensiuum, habet tamen deuolutiuum.

81. Tertiò notandum, appellationem post sententiam excommunicationis latam sub conditione si fiat ante impletam conditionem, suspendere excommunicationem; vt quando dicitur, si non solueris intra tres dies, interposita appellatione ante impletionem conditionis, impedire illius incursionem:

sionem : hæc autem appellatio fieri potest etiam post decem dies à puncto sententiæ latæ, quia terminus ille decem dierum assignatur pro appellatione à sententia perfecta, & absoluta, qualis non est sententia lata sub conditione quousque impleatur conditio ; ac proinde non comprehenditur sub iure assignante decem dies ad appellandum intra eos à sententia. Et ratio huius est, quia ad excommunicationem requiritur contumacia, quæ reperitur tempore impletæ conditionis, & non antea. Quòd si appellatio facta non prosequatur, sed relinquatur deserta, vel ei fuerit renuntiatum, non incurritur excommunicatio, etiam post illud tempus in quo prosequenda erat, quia ex quo appellatio legitimè facta fuit ante excommunicationem, postea illam suspendit. Eadem ratione appellatio legitima suspendit declarationem excommunicationis, vt cùm Iudex declarat aliquem incurrisse talem excommunicationem à iure, vel ab homine, & ipse legitimè appellat, suspenditur talis declaratio, quia iudex potuit hoc iniustè declarasse.

82. Denique notandum, appellationem debere esse legitimam, quia si illegitima & sine causa sit, non defendit appellantem. cap. *Solitudinem*, de Appellationibus, quia talis appellatio fuit nulla. Si verò à iudice admittatur, impedit incursionem, quia quamuis fuerit nulla, & ob eam causam propter appellationem non liberetur à censura, eximitur tamen ab ipso iudice, sua voluntate illum eximente, dum appellationem admittit.

Sectio VII.

An censura possit validè ferri absque inobedientia, & contumacia respectu Ecclesiæ, & consequenter absque Canonica monitione.

83. Conueniunt primò Doctores contra Caietanum, Almaynum, & Cordubam, censuram non posse validè ferri, ac proinde nec incurri, nisi ob peccatum inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ, quia censura instituta est ab Ecclesia auctoritate sibi à Christo tradita Matth. 18. in pœnam contra sibi contumaces, seu inobedientes, illis verbis : *Quòd si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus. Amen dico vobis : quæcumque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Et ideò in iure canonico præcipitur, vt ad eam infligendam fiat trina monitio, aut vna pro tribus, in cap. *Romana* 5. & in cap. *Constitutionem* 9. de sentent. excomm. in 6. & in cap. *Reprehensibilis* 26. de appellationibus, & sæpe alibi.

Matth. 18.

84. Conueniunt secundò, ad ferendam censuram medio iure, aut præcepto, pro peccatis futuris sub conditione si fiant, nullo iure prærequiri aliam monitionem, quàm lationem iuris, aut præcepti, & eorum promulgationem, eis annectendo censuram ipso facto incurrendam, quia ipsummet ius, aut præceptum, cui censura annectitur, non tantùm semel, aut iterum, sed continuè, & perpetuò admonet. Difficultas ergo procedit de censura ferenda ab homine media noua sententia propter peccatum iam omnino commissum.

85. Prima conclusio. Censura pro peccato præterito, nec licitè, nec validè potest ferri, nisi ob peccatum inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ. Ratio huius est iam adducta, desumpta scilicet ex institutione Ecclesiæ, quæ tantùm instituit censuram in pœnam contra sibi inobedientes, & contumaces ; ergo contra institutionem, & naturam censuræ est, ferri ob peccatum quòd non sit inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ : & consequenter aliter lata non solùm erit illicita, sed etiam nulla, vtpote lata contra ius canonicum, & suæ naturæ, quam habet ex Ecclesiæ institutione auctoritate sibi à Christo tradita.

Obseruat autem rectè Hurtado de censuris in communi difficult. 18. discrimen esse inter excommunicationem ex vna parte, & inter suspensionem, & interdictum ex altera, quòd excommunicatio non agnoscitur instituta, nisi vt censura, ac proinde semper ad eam prærequiritur inobedientia, seu contumacia, & consequenter monitio ; suspensio verò & interdictum, quamuis instituta sint vt censuræ, ac proinde ad ea vt sic prærequirantur inobedientia, & monitio ; nihilominus tamen aliquando feriuntur non vt censuræ, sed in puram pœnam, seu vindictam, vt in cap. *Tam literis* 33. de testib. & attestationibus. & in cap. *Cùm in cunctis* 7. de electione, & in cap. 1. de sententia excommunic. in 6. & in cap. *Sacro* 48. de sentent. excommunicat. Quia in his capitibus fertur ad tempus determinatum, ante quod non exigunt auferri, quamuis posita sit emendatio, & tunc ad eorum lationem non prærequiritur monitio, & consequenter nec inobedientia, seu contumacia. 86.

87. Secunda conclusio. Ad valorem censuræ prærequiritur inobedientia, & contumacia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura. Ita contra Hurt. tenent Soto, Medina, Suarez, Sanchez, Graffis, Enriquez, Sayrus, Vgolinus, Auila, & Ægidius, quos refert, & sequitur Diana 5. part. tract. 9. resolut. 55. & colligitur ex verbis Christi prælegatis, *Si Ecclesiam non audierit*, id est, si Ecclesiæ non obedierit, *sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Et ratio huius est. nam cùm excommunicatio separet hominem à sufftragiis, & orationibus Ecclesiæ, & à conuictu fidelium, natura sua petit vt non feratur nisi contra illum, qui per inobedientiam seipsum ab Ecclesia subducit ; inobedientia autem qua quis peccat contra aliquod præceptum habens annexam communicationem latam, vel ferendam, sola est quæ facit contumaciam propriè dictam ; tunc enim homo verè contemnit claues Ecclesiæ, siquidem non timet grauissimam pœnam omnium quas Ecclesia potest infligere ; ergo ad valorem censuræ non sufficit inobedientia generalis, qua homo transgreditur Ecclesiæ præceptum, sed vlteriùs prærequiritur inobedientia, & contumacia respectu Ecclesiæ comminantis sub censura. Idem.

88. Tertia conclusio. Aliqua monitio ita est de essentia excommunicationis, vt hæc non possit ferri ab Ecclesia etiam de plenitudine potestatis, pro peccato præterito quod nulla præcessit monitio, aliàs erit nulla. Hæc conclusio est communis inter Doctores contra Hurtado, & nonnullos alios, quos refert ipse difficult. 12. imò contra Dianam resolut. 18. minus certè in hoc sibi constans iis quæ docuerat conclusione præcedenti resolut. 55. Et probatur ex verbis Christi Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus*, &c. super quæ verba Concilium Rothomagen. & refertur canone *Omnes decima* 16. quæst. 7. asserit, *esse præceptum diuinum quòd homo admoneatur antequam excommunicetur.* Idem habetur can. *Presbyterorum* 17. quæst. 4. Consonat Paulus ad Titum 3. *Hæreticum hominem* Idem. Tit. 3.

hominem post primam, & secundam correptionem deuita. Quia potestas excommunicandi solùm concessa est Ecclesiæ contra rebelles, & contumaces qui eam non audiunt: at quando Ecclesia non admonet sub excommunicatione, non censetur homo contumax, nec contemptor ecclesiasticæ potestatis, nec clauium Ecclesiæ, quia fortè paratus est obedire quando monetur sub excommunicatione: quando verò ita monetur, & non obedit, cùm Ecclesia nó habeat efficacius remedium ad corrigendum eum, iam est contumax, & censetur contemnere claues, & potestatem Ecclesiæ; ergo aliqua monitio ita est de essentia excommunicationis, vt absque ea omnino nulla, & inualida sit.

89. Obiicies primò. Quia Ecclesia excommunicantem sine monitione priuauit ingressu Ecclesiæ, & diuinis officiis per mensem, præcipit superiori vt talem censuram sine difficultate relaxet, quod certè non esset necessarium si valida non fuisset. Respondetur hoc argumento tantùm probari, censuram latam sine Canonica monitione validam esse, quia per canonicam monitionem intelligitur trina, vel vna pro trina cum competenti interuallo dierum: at nostra conclusio loquitur de quacumque monitione etiam simplici, quæ quidem omnino necessaria est ad inobedientiam, seu contumaciam, & consequenter ad valorem censuræ.

90. Obiicies secundò. Quia D Paulus 1. Corinth. 5. excommunicauit incestuosum illum absentem, nulla monitione præmissa. *Ego quidem*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit*, &c. Respondetur iam priùs incestuosum illum fuisse à D. Paulo admonitum, quia non est verisimile tunc egisse contra propriam doctrinam traditam ad Titum suprà, *Hereticum hominem post vnam, & alteram correptionem deuita.* Sic ex interpretatione D. Thomæ colligit Suarez disput. 3. sect. 11. num. 9.

1. Cor. 5.

91. Quarta conclusio. Ad censuram regulariter requiritur trina monitio, vel vna pro tribus. Ita communiter Doctores, & probatur ex cap. *Omnes decimæ* 16. quæst. 7. & cap. *Presbyterorum* 17. quæst. 4. cap. *Constitutionem* 5. de sentent. excommun. in 6. Ex quo

92. Infertur primò, iudicem qui excommunicat non præmissa trina monitione, vel vna pro tribus, manere suspensum per vnum mensem ab ingressu Ecclesiæ (excipe Episcopos, iuxta cap. *Quia periculosum*, de sentent. excommun. in 6.) & affici aliis pœnis, vt habetur cap. *Sacro*, & cap. *Cùm medicinalis*; ac proinde talem iudicem peccare mortaliter. Hæc autem monitio debet fieri cum competenti interuallo aliquorum dierum, nisi necessitas aliud exposcat, itavt biduum saltem inter vnamquamque illarum intercedat, cap. *Constitutionem*, de sentent. excommun. in 6. ibi, *Obseruent aliquot dierum competentia interualla.* Ex quibus verbis conuincitur ad minus debere esse duo, aut separatim, aut simul: separatim quidem, quando fiunt tres monitiones distinctæ: simul verò, quando fit vnica monitio pro tribus, assignando vnicum tantùm terminum qui valeat pro 1. 2. & 3. monitione cum eodem temporis interuallo, vt si iudex dicat: Præcipio, aut moneo te, vt infra sex dies, quorum duo sint pro prima, duo pro secunda, & reliqui pro tertia satisfacias. Vel si dicat: Monemus te vt vsque ad talem diem pro primo, secundo, & tertio termino peremptorio, hoc, vel illud facias. Et quamuis nonnulli velint non esse licitum quòd præmittatur vna monitio pro tribus, nisi adsit vrgentissima causa, vt si clericus raperetur ad supplicium, & iam eius executio instaret, posset tunc, imò & deberet talis iudex ab Episcopo excommunicari ipso facto, sine præuia trina monitione, vel vna pro tribus cum interuallis assignatis. Nihilominus verius est, non peccare iudicem præmittentem vnam monitionem pro tribus cum competentibus interuallis, secundùm præsentes circumstantias, vt colligitur ex cap. *Constitutionem* allegato, vbi absolutè dicit, quòd iudices vtantur tribus monitionibus, siue vna pro tribus.

Secundò infertur, quòd quamuis ante monitionem constet de contumacia, vt si reus publicè asseueranerit etiam iuramento se monitionibus minimè pariturum, adhuc non posse sine monitionibus censura ligari, quia censura supponit contumaciam actu ipso exteriori perfectam, & consummatam, quæ non est nec inuenitur, donec reus actu moneatur. 93.

Tertiò infertur, etiam quando excommunicatio fertur à Prælato non per modum iudicij, sed per modum defensionis ad proprium ius defendendum, requiri etiam monitionem, vt tenent communiter Doctores cum Vazquio, & Suario, quos refert, & sequitur Diana suprà resol. 18. quia iura præcipientia monitionem nullam talem faciunt exceptionem. 94.

Quartò infertur, etiam quando à iure statuta est excommunicatio, vel alia censura non latæ, sed ferendæ sententiæ in eum qui tale crimen commiserit, non posse iudicem contra reum conuictum procedere ad excommunicationem ei infligendam, sine alia monitione. Ita Cornejo, Hurt. & Suarez, quos refert, & sequitur Diana suprà contra Sancium, Auilam, & Bonacinam, quod colligunt ex cap. *Reprehensibilis*, de appellatione: aliàs sæpè contingeret censuram infligi propter crimen metè præteritum, aut emendatum. Deinde, quia cùm hæc censura actualiter non feratur à lege, sed ab homine; non videtur sufficere legis monitio, nisi etiam hominis monitio præcedat. 95.

Obiicies, quia ille iam erat per legem sufficienter admonitus; ergo transgressor illius legis iam est potestati Ecclesiæ inobediens, & contumax; ac proinde poterit statim excommunicari. Et confirmatur, quia monitio legis est sufficiens ad censuram latam ipso facto per ipsam legem; cur ergo non erit sufficiens ad censuram quæ ex legis dispositione est ferenda ab homine. Respondetur admonitionem à lege factam esse sufficientem ad censuram latam ab ipsa lege, non verò ad eam, quam homo imponit. Deinde transgressor talis legis non est inobediens homini, sed legi; ac proinde non potest ab homine excommunicari donec sit ei inobediens, seu contumax, ad quod prærequiritur monitio. Per quod patet ad confirmationem: stando verò in contraria sententia, adhuc iudex non poterit talem reum excommunicare sine citatione, dando ei terminum ad allegandum pro se; quod adeò verum est, vt etiam quando lex excommunicat ipso facto, non possit iudex declarare transgressorem excommunicatum sine citatione, & si aliter fiat declaratio, erit nulla. lege Auilam 2. part. cap. 5. disp. 1. dub. 5. 96.

Quintò infertur, semel excommunicatum, interdictum, aut suspensum à iure ipso facto, non posse iterum ab homine propter idem delictum prædictis censuris ligari sine alia monitione à se facta, 97.

Digitized by Google

facta, quia noua censura indiget noua contumacia, & consequenter noua monitione; ille autem tantùm fuit contumax respectu legis à qua fuit admonitus, non verò respectu iudicis.

98. Sextò infertur, etiam Prælatos Regulares teneri præmittere canonicam monitionem in ferendis excommunicationibus, aliàs incident in pœnas iuris relatas; neque habent priuilegium ad omittendam canonicam monitionem, quamuis illud habeant Mendicantes, vt possint ferre sententiam excommunicationis solo verbo sine scriptis, vt habetur in compendio Minorum, verbo *Excommunicatio*.

99. Septimò infertur, quas conditiones debeat habere monitio canonica, qualis prærequiritur ad latione censuræ. Primò enim requiritur, vt sit iuridica, id est, non priuatim facta, sed ordine iuris, & nomine iudicis, & ipsi reo, nisi malitiosè abscondatur; tunc enim sufficiet quòd fiat in domo propria rei, vel in alio loco, vnde præsumatur quòd ad eius notitiam perueniet, dummodo tandem perueniat, quia aliàs non erit inobediens. Secundò debet esse trina, vel vna pro tribus, vt manet expositum. Tertiò debet fieri sub comminatione censuræ, & ita tenet praxis, & consuetudo omnium iudicum, & colligitur ex cap. *Sacro* 48. Quartò, vt à iudice feratur censura contra eos qui communicant cum excommunicato in his ob quæ iure incurritur excommunicatio minor, prærequiritur canonica monitio, qua expressè, & nominatim moneatur ille, qui censura ligandus est. Quintò quòd monitio fiat coram personis quibus possit iuridicè probari, vt habetur in cap. *Sacro*, citato.

100. Denique infertur, quòd licèt excommunicatio quando prætermissa est canonica monitio, sit iniusta, nihilominus erit valida. Ita communiter Doctores, & colligitur ex cap. *Romana*, de sentent. excommunicat. in 6. vbi statuitur, *quòd iudices non ferant sententias excommunicationis sine competenti monitione, & si contrà præsumpserint, nouerint illas esse iniustas.* vbi non dicit esse nullas. Limita quando excommunicatio est lata à iudice contra participantes cum excommunicato ab ipso iudice, vt iam manet prædictum: tum etiam in excommunicatione lata à iudice delegato, quando iurisdictio delegatur cum potestate excommunicandi trina monitione præmissa.

101. Nec obstat, quòd ex præcepto Christi Matth. 18. videtur prærequiri triplex monitio. Nam respondetur, trinam illam monitionem ibi assignari non tanquam de essentia censuræ, sed primam, & secundam poni pro præcepto correptionis fraternæ; tertiam verò pro censura: ideo docuimus aliquam monitionem esse de essentia censuræ; quòd verò hæc sit canonica, & trina, vel vna pro tribus, hoc habetur iure canonico, & ex Ecclesiæ præcepto.

SECTIO VIII.

Quæ ignorantia excuset ab incurrenda censura.

102. DOctrina huius sectionis est valde necessaria ad dissoluenda plura dubia circa censuras Ecclesiasticas impositas propter delicta. Videndum ergo est an excuset à censura ignorantia iuris, siue legis, vel præcepti Ecclesiastici impositi sub censura. Et an ignorantia solius censuræ licèt sciatur lex Ecclesiastica, excuset etiam. Et quid etiam quando scitur ab aliquo lex, & censura, ignoratur tamen factum ipsum esse contra talem legem, & vocatur hæc ignorantia facti. Et denique quanta debeat esse ignorantia iuris, vel facti; vt excuset à censuris Ecclesiasticis impositis propter delictum.

103. Et quidem omnes conueniunt, quando aliquid non est prohibitum nisi per aliquam legem ignorantes inuincibiliter totam legem, talem à culpa, & à pœna illius legis eximi: res enim quæ culpa carent, in damnum vocati non debent, cap. *Cognoscentes* 2. de Constitut. Nec sine culpa quis est puniendus, regula *Sine culpa* 23. de regulis iuris. An verò idem sit quando scitur actus alia lege prohibitus sine tali pœna, & ignoratur noua lex quæ sub censura prohibeat, ex dicendis constabit. Et primò agemus de ignorantia inuincibili iuris, vel censuræ, vel facti, quæ ignorantia dicitur inuincibilis, antecedens, inculpabilis, & probabilis, iusta, & inuoluntaria; & idem est de obliuione, vel inaduertentia inuincibili. Secundò agemus quando est ignorantia vincibilis iuris, vel censuræ, vel facti, quæ ignorantia dicitur consequens, culpabilis, improbabilis, iniusta, & voluntaria. Aliquid etiam dicemus de ignorantia iuris, vel censuræ concomitante; tum etiam de ignorantia crassa, & supina; & denique de affectata.

104. Vt autem cum claritate procedamus, reuocanda sunt, breuiter in memoriam quæ iam alibi docuimus, scilicet ignorantiam, vel obliuionem, vel inaduertentiam inuincibilem esse, quando nulla ratio occurrit de præcepto, neque dubium, neque scrupulus, & ita non potuit vinci talis ignorantia, quia non erat ratio aliqua qua posset vinci: at verò ignorantiam vincibilem, vel obliuionem, vel inaduertentiam esse similiter vincibilem, quando se obtulit ratio aliqua præcepti, vel dubium, vel scrupulus; & dicitur culpabilis, quia eam potuit quis vincere, & tenebatur apponere diligentiam ad vincendam, & scrutandam illam rationem legis, vel censuræ, & non apposuit sufficientem secundùm prudentiam, & circumstantias. Et rursus ignorantiam vincibilem, alteram esse supinam, seu crassam, quæ videlicet non vincitur, quia ignorans ex tædio addiscendi non curat scire; & alteram esse affectatam, & est, quando quis data opera vult ignorare ex fine aliquo, siue liberiùs viuendi, siue ex alio, & ideo omittit requirere, & scire. Quæ doctrina multum interest ad sciendum quando in iure dicitur incurrere censuram aliquid facientem scienter, vel habentem crassam, vel supinam ignorantiam; vel præsumentem, vel contemnentem, vel temeratium.

105. Prima conclusio. Ignorantia inuincibilis legis Ecclesiasticæ excusat à censura, v. g. si sit imposita propter furtum, etiam si quis sciat furtum esse peccatum contra legem naturalem; si tamen ignoret inuincibiliter esse etiam prohibitum per legem Ecclesiasticam per censuram, non incurret censuram, quamuis iste peccet contra legem naturalem.

Probatur primò, quia ignorantia inuincibilis iuris Ecclesiastici sub censura, facit vt non sit transgressio formalis legis Ecclesiasticæ: sed censura tantùm imponitur propter transgressionem, & contumaciam in Ecclesiam; ergo non incurritur censura, quia licèt furans sit inobediens iuri naturali

naturali diuino, non tamen Ecclesiastico, quia hoc inuincibiliter ignorat.

106. Secundò probatur, quia lex sub censura requirit, vt moneantur ij quibus imponitur. nam censura sine monitione aliqua inualida est; ergo requiritur vt sciatur talis lex ab eo qui censuram incurrit; ergo si ignoratur inuincibiliter, excusabitur; ergo etiamsi quis det operam rei illicitæ, vel malæ secundùm se, vt furto, non incurret censuram, quia legem Ecclesiasticam inuincibiliter ignorat: aliàs ad quid requiriteretur monitio. Denique hoc idem colligitur ex cap. 20. de Constitut. in 6. vbi ita ait Pontifex: *Vt animarum periculis occurratur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes.* Quæ ratio æquè militat in quibuscumque legibus & præceptis sub censura, & ita tenet communis Doctorum sententia.

107. Secunda conclusio. Similiter excusatur à censura eam ignorans inuincibiliter, licèt sciat præceptum Ecclesiasticum illudque violet, probatur rationibus præcedentis conclusionis, & ex ratione censuræ, quæ est medicinalis, & in correctionem delinquentis: quam rationem non haberet si eam incurreret illam inuincibiliter ignorans: quod præcipuè militat in censura excommunicationis; sed tamen idem est in suspensione, & interdicto ob easdem rationes, & etiam in irregularitate propter delictum, vt suo loco dicetur. Et denique probatur, ex cap. *A nobis*, de sententia excommunicationis, & ex cap. *Excellentissimus* 11. quæst. 3. vbi sic habetur. *Qui ex necessitate, vel ex ignorantia deliquerint, auctoritate nostra per te absoluantur.* id est, absoluti iudicentur. secundùm glossam, hoc est, non egent absolutione.

108. Tertia conclusio. Quando est ignorantia inuincibilis facti, licèt non sit ignorantia legis, neque censuræ, excusat à censura, quia tale factum non est tunc peccatum; ergo neque meretur illam pœnam, ex cap. *Si verò*, de sentent. excommun. in 6. Quare si quis hominem occidat, ignoret tamen inuincibiliter esse clericum, non erit sacrilegus formaliter: vnde neque incurret excommunicationem Canonis *Si quis suadente.*

109. Quarta conclusio. Volens præceptum sub censura cum ignorantia concomitante, excusatur à censura. Probatur, quia ignorantia concomitans excusat ab illo effectu exteriori, quantumuis quis esset animo præparatus ad illud faciendum si forte sciret, quia non punitur quod quis faceret, sed quod facit, vel fecit. Vnde qui cum ignorantia concomitante occideret clericum, existimans inuincibiliter esse feram, habens tamen actualiter animum quòd quamuis sciret esse clericum, nihilominus illum occideret, excusaretur à censura; tunc enim occisio clerici non haberet malitiam sacrilegij, quia circumstantia clericatus fuit inuincibiliter ignorata, quamuis animus habeat talem malitiam; quia censura tantùm est lata ob occisionem exteriorem sacrilegam, non verò ob animum sacrilegum. Et ita tenet Vazquez 1. 2. disp. 136. quem plures alij sequuntur. Limita in casu qui mittens sagittam in feram dubitaret, esset ne clericus, vel fera, & vellet occidere, etiamsi esset clericus, & re vera erat clericus, & illum occideret, tunc incurret censuram, quia iam habet effectum externum ab interno habentem malitiam requisitam ad illam censuram. Sicut incurreret etiam censuram volens occidere Petrum clericum, & occidat Ioannem clericum, existimans Ioannem esse Petrum, quia re vera voluit occidere clericum, & occidit.

110. Quinta conclusio. Ignorantia vincibilis censuræ, vel facti tantùm, quæ non est crassa, vel supina, excusat à censura simpliciter lata. Et intelligitur conclusio tam de censura Pontificia, quàm aliorum iudicum inferiorum, vel ordinariorum. Ita Tannerus, & Celestinus, quos refert, & sequitur Diana suprà resolut. 17. & Sanchez disp. 32. num. 31. Fundamentum huius conclusionis est, cap. citatum 2. *de Constitutionibus*, in 6. vbi dicitur excusare à censura ignorantiam, vt obuietur periculis animarum. Et probatur ratione, quia ad incurrendam censuram requiritur veluti contemptus, quia censura est pœna propter hunc contemptum, qui quidem non reperitur vbi adest ignorantia, quamuis sit vincibilis, & culpabilis. Intelligitur autem hoc quando censura imponitur absolutè sine additione aliquorum terminorum, qui requirunt vel scientiam expressam, vel ignorantiam affectatam; quando enim requiritur vel hæc scientia expressa, vel ignorantia affectata ad censuram, excusat ab ea crassa, vel supina.

111. Contrariam sententiam tenet Suarez disput. 4. sect. 10. existimans, nullam ignorantiam vincibilem mortalem excusare à censura, sed omnem hanc mortalem esse crassam, & supinam, & sufficientem ad incurrendam censuram absolutè latam, quam sententiam in praxi communiter moderni amplectuntur. Nostra tamen sententia est valdè probabilis, & tuta, & valdè notanda pro multis materiis in particulari, qua ratione possunt plures in foro conscientiæ excusari ab incursione censuræ. Obiicit tamen Suarez, quia ignorantia vincibilis, & moralis alicuius censuræ non excusat ab inobedientia præcepti Ecclesiastici sub censura; ergo neque excusabit à censura, propter quam rationem ait Suarez nostram sententiam videri sibi neque practicè, neque moraliter probabilem. Respondetur tamen, sine dubio probabilem esse cui ius, & auctoritas grauium Doctorum, & ratio fauet. Nec ratio in contrarium adducta aliquid conuincit, quia ignorantia inuincibilis censuræ secundùm ipsum, etiam excusat à censura, quamuis sit scientia præcepti Ecclesiastici, & tunc sine dubio est inobedientia; ergo præcisè ratio inobedientiæ præcepti Ecclesiastici non est sufficiens ratio, vt intelligatur incussa censura, nisi addatur modus ex parte scientiæ, vel ignorantiæ eiusdem censuræ. Et confirmatur, quia ignorantia crassa, vel supina censuræ excusat ab ea, quandò in præcepto ponitur vt eam incurrat scienter faciens; tunc enim requiritur expressa scientia, vel ad minus affectata ignorantia, iuxta varietatem sententiarum ad incurrendam censuram; & tamen tunc sine dubio est inobedientia præcepti Ecclesiastici; ergo non qualiscumque inobedientia sufficit, sed statuta à iure in quo ad censuram absolutè latam requiritur saltem ignorantia crassa, vel supina: ergo ratio Patris Suarij non est adeò efficax, vt ob eam deserenda sit nostra sententia, quæ conformior videtur iuri, & rationi, & benignitati Ecclesiæ.

112. Sexta conclusio. Ignorantia vincibilis iuris, vel facti, excusat à censura, siue sit crassa, vel supina, siue etiam affectata, quando in censura apponuntur hi termini, scienter, consultò, ausu temerario, & præsumptione, præsumpserit, ex malitia, ex

Digitized by Google

ex dolo audaćter, vel ausus fuerit: quando ergo hi termini apponuntur in impositione censuræ, excusat etiam ignorantia affectata, quæ crassissima dicitur, & est latissima ignorantia. Ita tenent Vazquez, Sylvester, Angelus, & Tabiena, quos refert, & sequitur Hurtado diff. 21. & nouissimè eam amplectitur Diana resolut. 17. Et ratio est, quia quod fit ex ignorantia, vel cum ea quæcumque sit, non fit scienter, seu cum dolo; quia verè fit ignoranter; & in iure pro eodem sumuntur præsumere, aut facere aliquid ausu temerario, & illud facere scienter, seu ex dolo. Nec obstat fundamentum contrariæ sententiæ, quòd prædicta ignorantia ferè æquiualet scientiæ, seu dolo. Hoc enim verum est quoad incurrendam culpam, non verò quoad incurrendam censuram, quando hæc imponitur contra scientem, seu ex dolo peccantem. Ita Hurt. vbi suprà.

DISPVTATIO II.

De Excommunicatione.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Excommunicatio.

1. EXCOMMVNICATIO in hunc modum diffinitur. *Censura Ecclesiastica priuans, seu separans à communione fidelium.* Dicitur *censura Ecclesiastica*, in quo differt ab irregularitate, degradatione, depositione, & cessatione à diuinis, & aliis inhabilitatibus, vel pœnis, quæ non sunt censuræ. Per priuationem communicationis, differt ab interdicto quod priuat diuinis rebus, vel officiis vt sic, & à suspensione quæ priuat Ecclesiastico ministerio vt sic. Excommunicatio verò priuat his quatenus sunt communicatio cum fidelibus. Communicatio autem hæc cum fidelibus quæ priuat excommunicatio, vel est ciuilis, & politica, scilicet in actionibus externis ad humanam societatem pertinentibus. v. g. in confabulatione, salutatione mutua, communi mensa, &c. Vel est spiritualis, & sacra partim exterior, partim interior, consistens, v. g. in participatione Sacramentorum, sacrificij, suffragiorum communium, officiorum diuinorum, & orationum, quæ nomine Ecclesiæ fiunt, & quibus datur vel impetratur bonum internum spirituale. Hac ergo communicatione priuat excommunicatio absolutè, si priuet omni communicatione, siue aliqua, secundum qualitatem excommunicationis.

2. Communicatio autem merè interior per gratiam, charitatem, & fidem, secundùm quam fideles inter se, & cum Christo copulantur, non tollitur per excommunicationem, ob quam communicationem iusti inter se communicant sua merita, in ordine ad impetranda à Deo beneficia specialia, & peculiarem protectionem, & secundùm quam vnus iustus potest alteri iusto communicare suas priuatas satisfactiones, non quidem quia augeatur charitas vnius iusti ex merito alterius, sed quia Deus ratione charitatis iustorum, quæ est amicitia, ratione huius amicitiæ tantùm, propter merita vnius in charitate, multa bona confert aliis existentibus in charitate: & hæc est communio, siue communicatio Sanctorum in symbolo fidei contenta, de qua Dauid in Psalmo 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Psal. 118. Itaque hæc communicatio non tollitur per excommunicationem, ea enim gaudet quilibet excommunicatus si sit in gratia, vel si non sit in gratia, habet illam cuius fuerit particeps, v. g. alter potest illi impetrare bona aliqua per opera facta priuato nomine, & proprio.

3. Vnde communicatio qua priuat Ecclesia, est illa, quæ subditur Ecclesiæ: at communicatio in gratia, & charitate, & aliis virtutibus, non subditur per se, & directè Ecclesiæ, & ita neque impediri potest, neque potest eam tollere. nam licèt hæc excommunicatio incurratur propter peccatum mortale, potest tamen de eo esse contritio, etiam manente excommunicatione; potest etiam dari casus in quo quis excommunicationem incurrat existens in gratia, vt si alicui prohibeatur sub excommunicatione ferenda aliquid, & hoc faciat, potest contingere, vt quando excommunicationem incurrat, iam habeat contritionem. Excommunicatio ergo per se, & directè, non priuat hac communicatione merè interna, sed illa prima externa, & illa secunda partim externa, partim interna. Dixi non priuare directè, & per se illa merè interna communicatione, quia indirectè priuat, quatenus priuat sacramentis, quæ si susciperentur, augerentur gratia, & virtutes infusæ supposita dispositione; & quatenus priuat suffragiis, & orationibus nomine Ecclesiæ factis, quibus impetrantur bona interna spiritualia. Excommunicatio ergo priuat communicatione prædicta, siue omnino, siue ex parte, vt sic comprehendamus tam excommunicationem maiorem, quàm minorem.

4. Circa secundum quotuplex sit excommunicatio. Excommunicatio alia est maior, alia minor. Maior est, quæ priuat omni communicatione fidelium, scilicet duplici suprà relata, & per quam separatur quis à gremio Ecclesiæ, vt constat ex cap. *Presbyterorum* 17. quæst. 4. Minor verò excommunicatio est quæ priuat communione fidelium in passiua receptione Sacramentorum, & beneficiorum Ecclesiasticorum. De qua agitur cap. *Vnico*, de clerico excommunicato ministrante. Vbi nota, quòd quando in iure nomen *excommunicationis* absolutè profertur, communi vsu Ecclesiæ, semper intelligitur excommunicatio maior, nisi aliàs ex materia, aut verbis textus constet, prolatam censuram intelligendam, & explicandam esse de minori excommunicatione.

5. Deinde excommunicatio alia est à iure, alia ab homine: & vtraque vel lata, vel ferenda, de qua diuisione, & signis cognoscendi quando sit lata, vel ferenda, dictum est disp. præcedenti.

6. Denique multa mala, & damna excommunicatio maior infert excommunicato, scilicet priuationem suffragiorum publicorum nomine Ecclesiæ factorum, receptionis Sacramentorum, ministrationis eorumdem, & sacrificij Missæ, & diuinorum Officiorum, auditionis sacri sepulturæ Ecclesiasticæ fructuum beneficij ante excommunicationem obtenti inhabilitatis ad obtinendum de nouo manente excommunicatione Ecclesiasticæ iurisdictionis humanæ, & ciuilis externæ communicationis, & priuatæ, & forensis ac iudicialis, hi sunt effectus excommunicationis maioris, de quibus in sequentibus agendum est.

Digitized by Google

Sectio II.

De primo effectu excommunicationis maioris.

7. OMnes Doctores conueniunt, excommunicationem maiorem priuare excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis, itavt non possit quis nomine Ecclesiæ pro eo facere hæc suffragia, v. g. sacrificium Missæ, quod nomine totius Ecclesiæ offertur, & orationes ordinatæ, & cerimoniæ factæ, vel actiones communes institutæ ab Ecclesia, quæ à Ministris illius vt sic fiunt, & indulgentiæ à Summo Pontifice concessæ, vel ab aliis potentibus eas dare, his omnibus ex intentione Ecclesiæ priuatur excommunicatus excommunicatione maiori. Et ratio est, potestas & voluntas Ecclesiæ, quæ hos separatos ab Ecclesia priuat huiusmodi suffragiis, quorum est domina, vel dispensatrix, & ita est in vsu ex cap. *A nobis*, & cap *Sacris*, de sententia excommunicationis, & huiusmodi præceptum, ne fiant hæc suffragia pro tali excommunicato, obligat sub mortali, vt docet D. Thom. quotlib. 11. art. 9. & Doctores communiter, quia materia ex se est grauis. Prohibetur autem ab Ecclesia oratio publica, & nomine ipsius pro excommunicatis directè offerre. nam si oratio fiat in generali, v. g. pro Ecclesiæ dilatatione, vel vnione, vel augmento, licèt indirectè hæc oratio redundet in bonum quorumcunque excommunicatorum, quorum conuersione Ecclesia augetur, talis oratio publica non est prohibita, nam per se, & directè pro Ecclesia fit, vt iam alibi diximus.

8. Et quamuis nonnulli dubitent, quo sensu excommunicatio possit dici medicinalis, si hunc effectum habet; res tamen est clara, quia non ideo dicitur medicinalis, quia ex se bona sit; sed quia ex intentione Ecclesiæ illam ferentis, in bonum ordinatur, videlicet vt excommunicatus agnoscat suam culpam & statũ, & sic resipiscat, & pœnitentiã agat.

9. Est tamen difficultas, an prædicta priuatio suffragiorum, intelligatur etiam respectu excommunicatorum toleratorum. Dicuntur autem excommunicati tolerati, cum quibus licitè possunt fideles communicare in humanis, & diuinis. Sicut non tolerati vocantur, cum quibus fideles non possint licitè communicare in diuinis, nec in humanis. Et certum est, prædictam priuationem intelligi de manifesto clerici percussore, & de excommunicato nominatim, & denuntiato, qui dicuntur non tolerati, & publicè excommunicati. Difficultas ergo est de occultis excommunicatis, vel licèt publicis, non tamen in particulari nominati, vt sunt omnes hæretici, qui sunt excommunicati, non tamen sub propriis, vel æquiualentibus nominibus eorum sunt denuntiati, vel nominati; & ob id in comparatione non toleratorum dicuntur occulti excommunicati, licèt sciatur eos esse excommunicatos.

10. Pro quo sciendum est, post Concilium Constant. & Basilienſe, nos solùm teneri vitare duo genera excommunicatorum, scilicet nominatim denuntiatos, & notoriè percussores clericorum. In Basilien. Concilio enim Basilienſi sess. 20. sic statuitur. *Ad euitanda scandala, & multa pericula, subueniendumque conscientiis timoratis, statuit etiam, quòd nemo deinceps à communione alicuius in sacramentorum administratione, vel receptione, aut alias quibuscumque diuinis, vel extra, prætextu cuiuscumque sententiæ, aut censuræ Ecclesiasticæ, seu suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à iure generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum Ecclesiasticum obseruare, nisi sententia, prohibitio, suspensio, vel censura huiusmodi, fuerit in, vel contra personam, Collegium, Vniuersitatem* (subintellige quoad interdictum, quia vniuersitas, vt suprà diximus, non potest excommunicari,) *Ecclesiam, aut locum certum, à iudice publicata, vel denuntiata specialiter, & expressè, aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari. nam à communicatione illius abstineri vult, iuxta canonicas sanctiones. Per hoc tamen huiusmodi excommunicatos, suspensos, interdictos seu prohibitos, non intendit in aliquo relaxare, nec eis quomodolibet suffragari.* In qua constitutione difficultas stat in illis verbis. *Aut si aliquem ita notoriè excommunicationis sententiam constiterit incidisse, quòd nulla possit tergiuersatione celari, aut aliquo modo iuris suffragio excusari.* Nam iuxta hæc verba etiamsi excommunicatus nec denuntiatus sit, vel publicatus nominatim, erit vitandus, si certò sciatur excommunicatus.

11. In Concilio verò Constantiensi stabilitur, ne deinceps teneretur quis euitare quemcũque, etiam publicum, & notorium excommunicatum à iure, vel ab homine, etiã nominatim, nisi priùs ipse denuntiatus sit, & declaratus à iudice, excepto publico, & notorio clerici, percussore, cuius factum nulla possit tergiuersatione celari, aut iuris suffragio excusari. Cui autem harum duarum Constitutionum standum sit, non conuenit inter Doctores. Nam constitutio Basilienſis, vt constat ex 4. tom. Conciliorum approbata fuit à Martino V & Nicolao V. in suis Bullis, imò & à Concilio Lateranensi sub Leone X. sess. 11. & cùm Concilium Basilienſe, & Lateranense, fuerit post Constantiense, videtur dicendum esse standum Basilienſi. Quo argumento pressit Couarru. cap. Alma mater §. 2. Et certè ex vi iuris ita videtur esse dicendum; quia verò constitutio Constantiensis aptior est ad sedandas conscientias, & iam est vsu in Ecclesia recepta, standum est illi, & non constitutioni Basilienſi, & Lateranensi, quæ non sunt ab Ecclesia receptæ; & ita modò non obligant; atque ita Doctores passim faciunt mentionem Constantiensis, non verò Basilienſis.

12. Ex Extrauaganti ergo Constantiensi constat, neminem esse vitandum, quamuis certò constet incurrisse excommunicationem, nisi sit nominatim excommunicatus; imò quamuis expressè, & nominatim sit declaratus excommunicatus, non esse necessariò vitandum, nisi sit denuntiatus, seu publicatus vt excommunicatus, vel in templo, vel affigendo litteras in publico loco, vel alio modo iuridico, vt possit venire in communem notitiam. Vnde quando Parochus habet apud se sententiam declaratoriam excommunicationis alicuius nominatim excommunicati, non tenetur illum vitare donec tempore præscripto illam publicet, vt tenet communis sententia. Et post hanc denuntiationem, seu promulgationem, quomodolibet notitia moraliter certa huius veniat ad alios à fide dignis, erit obligatio vitandi hos excommunicatos nominatim denuntiatos, ex Nauarro lib. 5. consiliorum tit. de sentent. excommunicationis, consilio 54. Non tamen approbo id quod tradit Suarez disput. 6. sect. 2. sufficere ad vitandum excommunicatum quòd contra eum sit lata, seu denuntiata sententia declaratoria criminis cui est annexa

Digitized by Google

annexa excommunicatio, cuius ratio est, quia per sententiam criminis declaratoriam, cui est annexa excommunicatio, vel alia censura, sufficienter denunciatur excommunicatio, vel censura. Hoc, inquam, non valet, quia iste non est declaratus, neque denuntiatus excõmunicatus, sed solùm crimen illud cõmisisse: at in Extrauagãti requiritur, quòd excõmunicatio sit expressè, & specialiter denuntiata.

13. Præterea, per dictam Extrauagantem non relevantur ipsi excommunicati; quare hi semper tenentur se abstinere sicut ante illam, vt constat ex illis verbis: *Per hoc autem non intendimus ipsos excommunicatos, suspensos, vel interdictos in aliquo relaxare, aut eis quomodolibet suffragari*; & ita semper ante oculos habendum est, an aliquid redundet primò, & per se in fauorem ipsius excommunicati; hoc enim non conceditur etiam respectu excommunicati tolerati. Vnde illicitum est ei ex se ipso incipere, & se ingerere ad communicandum cum aliis. Fideles verò possunt licitè, hoc est, sine peccato contra prohibitionem Ecclesiæ, communicare cum excommunicato tolerato in quibuscumque diuinis, & extra, ac si non esset excommunicatus, etiam cum prouocando, adhuc in administratione, & receptione sacramentorum. At verò excommunicato ipsi tolerato illicitum est, quando non prouocatur à fidelibus ex se ipso incipere, & se ingerere ad communicationem, & eam ex se ipso continuare, quamuis fideles acquiescant; & ideo si non prouocatus à fidelibus celebrat sacrum, vt illud fideles audiant, fit irregularis: imò etiam quando prouocatur, si potuit post prouocationẽ absolui ab excommunicatione, vt tenet Hurt. disp. 2. diff. 4.

14. Deinde declarandum est, quis dicatur notorius percussor clerici, vt illum vitare teneamur. Duplex est autem notorium iuris, & facti. Ad notorietatem per euidentiam facti requiritur, quòd sciatur euidenter à tota ciuitate, vel populo, vel à maiori parte: & quia secundùm nonnullos decem personæ faciũt populum, ideo illud dicetur notorium quod sit saltem coram decem hominibus: iuxta verò sententiam aliorum, sufficit quòd fiat coram sex, quia est maior pars eorum, qui requiruntur ad constituendum populum, licèt de facto non sint maior pars populi. Sed certè non potest assignari regula certa, quia qui percutit clericum coram decem, non erit notorium in magna ciuitate, bene tamen in oppido paruo, & qui in domo priuata percutit clericum coram sex, vel septem, non erit notorium; si verò in Collegio, seu Conuentu paruo Religiosorum, respectu illorum erit notorium, atque ita hoc relinquendum est iudicio prudentum. Notorium verò iuris dicitur illud, de quo constat per iuridicam sententiam latam in legitimo iudicio, vel per confessionem ipsius rei in iudicio, vel per legitimam testium depositionem in eodem iudicio.

15. Vt ergo quis sit publicus, & notorius percussor clerici, vt teneamur illum vitare, talis debet esse, vt eius percussio nulla possit tergiuersatione celari, nullo iuris remedio excusari; sicque non sufficit fama publica, cùm adhuc iuris remedio excusari possit allegando in iudicio rumoris falsitatem, vel se ebrium esse, aut in sui iustam defensionem fecisse: neque sufficit vt percussio notoria sit, & patens multis, si non sit notorium iis, qui illam viderunt, percussorem nullam habuisse legitimam excusationem, qua à peccato excusaretur: hoc autem, quia constare non potest nisi per iudicis sentẽtiam, ideo requiritur quòd illa percussio sit notoria notorietate iuris, vt nullo iuris remedio possit excusari, quæ notorietas haberi non potest, nisi per legitimam iudicis sententiam in iudicio latam, &c. vt suprà expositum est. Ita Fagundez præcept. 1. lib. 2. cap. 5. num. 12.

Et ex his colligitur resolutio difficultatis in principio propositæ, in qua dicendum est, non licere sine mortali ex se facere suffragia nomine Ecclesiæ pro excommunicatis toleratis, vt docuimus in tractatu de sacrificio Missæ. nam primò, & per se hoc crederet in fauorem ipsius excommunicati, cùm tamen Extrauagans noluerit eos releuare in aliquo directè: & hæc est intentio Ecclesiæ, vt huiusmodi excommunicati non resipiscentes, & manentes in excommunione, non gaudeant his suffragiis. 16.

Infertur secundò, pro excommunicatis toleratis contritis, manentibus tamen in excommunicatione, non licere suffragia nomine Ecclesiæ facere, quia cùm excommunicatio non tollatur nisi per absolutionem, ita neque eius effectus: vnde sicut potest quis esse in gratia, & manere in excommunicatione, ita similiter cum effectibus excommunicationis. Dixi *nomine Ecclesiæ*, nam nomine proprio, & nomine Christi potest sacrificium Missæ offerri, etiam pro nominatim excommunicato, qui si sit contritus, & iustus, re ipsa percipiet fructum huius sacrificij, vt docui de sacrificio Missæ disp. 1. sect. 4. Quamuis id illicitè fiat contra Ecclesiæ prohibitionem. 17.

Infertur tertiò, orans nomine Ecclesiæ pro excommunicato non tolerato, licèt peccet mortaliter ob materiæ grauitatem, non tamen incurrere excommunicationem minorem, quia orare pro non tolerato nomine Ecclesiæ, non est communicare cum illo. nam non est orare cum illo, vel coram illo. 18.

Denique infertur, pro excommunicatis omnibus etiam non toleratis, posse fieri orationes priuatas, & pia opera. Ita tenet communis sententia Doctorum. Et ratio est, quia Ecclesia de facto hoc non prohibuit, ac proinde potest licitè, & fructuosè pro illis priuatim orari, & alia suffragia priuata offerri. Et ita etiam in Missa in *Memento*, quando mentaliter, vel occultè orat sacerdos, licebit hoc nomine proprio; licèt enim *Memento* sit pars publici officij, nihilominus in eo non prohibetur priuatim etiam orare pro quibus sacerdos voluerit. Verba verò sequentia, *Pro quibus tibi offerimus*, tantùm debent referri iis, pro quibus in *Memento* nomine Ecclesiæ oratur. 19.

Sectio III.

De secundo effectu excommunicationis maioris.

Secundus effectus excommunicationis maioris est priuatio susceptionis sacramentorum: vnde quilibet excommunicatus, siue toleratus, siue non toleratus, peccat mortaliter etiam sacrilegè recipiens sacramenta, quia materia ex se est grauissima, nisi ex ignorantia, aut alia iusta causa excusetur, qualis est ad vitandam infamiam quando excommunicatio est occulta, vel propter vitandum aliquod graue malum imminens, & ita habetur expressè in iure, excommunicatum suscipientem sacramentum, ex se, & per se loquendo, peccare mortaliter, ex cap. *Cùm illorum*, & cap. *Si quem*, de sent. excommunic. & cap. *Illud*, & cap. *Si celebrat*, de 20.

cleric. excommun. Et ratio iuris eſt, contumacia in Eccleſiam, propter quam incurritur excommunicatio; propter illam enim priuat Eccleſia excommunicatum fontibus gratiæ, id eſt, ſacramentis, & propter hoc dicitur excommunicatio maior æternæ mortis damnatio, & maxima pœna, & per eam dicitur excommunicatus tradi ſatanæ. Eſt igitur peccatum mortale, & ſacrilegium, cùm ſit indigne rem adeò ſacram contrectare, recipere in excommunicatione ſacramenta. Tum etiam, quia cùm receptio ſacramentorum ſit prohibita ſub mortali excommunicato excommunicatione minori, multo magis excommunicato excommunicatione maiori. Nulla autem eſt impoſita pœna excommunicato propter meram receptionem ſacramentorum peccaminoſam, niſi in receptione Ordinis, quem ſi recipiat excommunicatus manet ſuſpenſus, ex cap. 1. de ſentent. excommunicat. in 6.

21. Eſt tamen primò difficultas, quam pœnam incurrat dans ſacramentum excommunicato. Et ſi loquamur de excommunicato non tolerato, dans illi ſacramentum, & peccat mortaliter ex ſe contra Eccleſiæ præceptum, & pœnam incurrit, ex 11. quæſt. 3. & cap. *Epiſcoporum*, de priuilegiis in 6. & cap. *Significaſti*, & cap. *Cùm deſideres*, de ſentent. excommunicat. Quia dat ſacramentum ſciens recipienti illud indignè, &, vt dicitur, dat margaritam porcis; peccat ergo mortaliter in re grauiſſima, & etiam incurrit excommunicationem minorem, communicat enim cum prohibitis, ſcilicet excommunicato non tolerato; incurrit etiam pœnam ingreſſus Eccleſiæ, ex cap. *Epiſcoporum*, & dans ſacramenta fautoribus hæreticorum, eſt priuandus ſuo officio, ex cap. *Excommunicamus* 1. de hæreticis.

22. Quando talis excommunicatus ob neceſſitatem aliquam, v. g. in articulo mortis, poteſt recipere ſacramenta, tunc illi miniſtrans non peccat, quia huiuſmodi prohibitio directè tendit in ipſum excommunicatum, & per redundantiam in Miniſtros Eccleſiæ; atque ita hoc ipſo quòd excommunicatus excuſatur accipiendo, excuſatur etiam Miniſter dando: quod intellige quando Miniſter non poteſt aliter per tale ſacramentum ei ſubuenire: ſi enim prius poſſet auferre ab illo excommunicationem, quàm ſacramentum conferat, tenetur illam auferre. Quòd ſi excommunicatio ſit reſeruata, & extra articulum mortis occurrat excommunicato non tolerato grauis neceſſitas recipiendi Euchariſtiam, ad cuitandam grauem infamiam, vt ſi ſit in loco remoto vbi eius excommunicatio ignoratur, aut deſideretur ſatisfactio partis, tunc manente excommunicatione poterit ei adminiſtrari ſacramentum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, & à ſolis peccatis abſolui.

23. Poteſt etiam contingere quòd miniſtrans peccet contra præceptum naturale, & diuinum, non tamen contra Eccleſiaſticum, vt ſi Miniſter id faciat per coactionem, & metum cadentem in conſtantem virum; tunc enim licèt excuſetur à præcepto Eccleſiaſtico, quod non obligat cum tanto diſcrimine; nihilominus peccat contra ius naturale, & diuinum, miniſtrando ſacramentum indigno, quod cùm ſit intrinſecè malum, nulla circumſtantia poteſt honeſtari.

24. Quando verò huiuſmodi excommunicatus propter ignorantiam iuris accedit ad recipiendum ſacramentum, monendus eſt à Miniſtro vt non accedat, aliàs peccaret mortaliter dans illi ſacramentum, licèt alter propter ignorantiam inuincibilem non peccaret recipiendo; quia huiuſmodi excuſatio eſt per accidens, & non reddit reſpectu Miniſtri licitam miniſtrationem ſacramenti.

25. Si verò loquamur de excommunicato tolerato, dans illi ſacramentum, licèt peccet contra præceptum diuinum miniſtrans ſacramentum indignè ſuſcipienti, non tamen peccat contra Eccleſiaſticum præceptum, neque per hoc incurrit cenſuram excommunicationis minoris, ex Extrauagante citata ſectione præcedenti. Nec obſtat, quòd prædictis excommunicatis lege excommunicationis prohibetur recipere ſacramenta à Miniſtris, etiam vltrò offerentibus; ergo etiam eadem lege excommunicationis eccleſiaſtica prohibetur Miniſtris ea illis miniſtrare, cùm hæc duo, ſcilicet dare, & recipere ſint correlatiua. Nam reſpondetur, optimè potuiſſe Eccleſiam id vni prohibere, & non alteri: neque eſt vlla repugnantia, quòd ex vi legis humanæ, qua formaliter, & præcisè prohibetur vni receptio, non intelligatur alteri prohibita donatio; mihi enim ratione voti paupertatis prohibita eſt receptio pecuniæ ſine licentia Prælati, & tamen laïcis ratione eiuſdem voti præcisè non eſt prohibita donatio. Aliquando etiam poterit Miniſter excuſari à peccato contra ius diuinum. v. g. quando occultus excommunicatus ab illo publicè ſacramentum petit, ne illum infamet. Si tamen occultè petat, in occulto negandum eſt illi ſacramentum.

26. Secunda difficultas eſt, an ſacramenta ſuſcepta ab excommunicato excommunicatione maiori ſint valida. Et conueniunt Doctores ſacramenta recepta ab excommunicato, ſiue tolerato, ſiue non tolerato, etiam excommunicatione reſeruata, & etiam quando peccat in receptione eorum valida eſſe, excepto ſacramento Pœnitentiæ, de quo ſtatim dicam. Ratio huius eſt, quia poſſunt eſſe requiſita ex inſtitutione Chriſti ad valorem ſacramenti, ſcilicet materia, forma, & intentio; ergo erunt valida, licèt effectum gratiæ propter recipientis indiſpoſitionem non producant. Itaque Euchariſtia, Confirmatio, Extrema vnctio, Matrimonium (licèt hoc potuerit ab Eccleſia irritari, cùm ſit contractus, non tamen irritauit,) Ordo etiã, recepta ab huiuſmodi excommunicatis, valida erunt, & Confirmatio, & Ordo characterem imprimunt: hic enim effectus, ſcilicet character, ſicut in Baptiſmo ſubſtantiam horum duorum ſacramentorum comitatur, licèt effectus gratiæ non ſequatur ex defectu diſpoſitionis ſubiecti recipientis. Quòd ſi contingat, ipſum excommunicatum recipientem non peccare in receptione, & eſſe rectè diſpoſitum, etiam per illa ſacramenta recipiet gratiam ex opere operato, quia tunc talis effectus nequit impediri, cùm ſit de iure diuino. Quòd ſi aliquando Ordo ſuſceptus ab excommunicato dicatur irritus, id tantùm dicitur, quia quoad executionem non valet, non verò quia quoad ſubſtantiam, non ſit validus talis Ordo.

27. Difficultas ergo eſt de ſacramento Pœnitentiæ, de quo certum eſt, quòd ſi ſuſcipiens illud non excuſetur à mortali, quod ex vi excommunicationis committit ſuſcipiendo illud, in eo caſu eſſe nullum; quia tunc nó ponitur requiſita materia, ſcilicet vera confeſſio, & dolor requiſitus. Certum etiam eſt validè ſuſcipi ab excommunicato tolerato, ſi à tali culpa excuſetur ignorantia, aut inaduertentia inuincibili; quia Miniſter poteſt illud licitè tolerato conferre, ac proinde validè. Itaque difficultas

procedit

Digitized by Google

procedit de excommunicato non tolerato, an præcisè ex vi ipsius excommunicationis sacramentum pœnitentiæ sit nullum, quamuis excommunicatus nullum peccatum committat in susceptione illius.

28. Vazquez de excommunicatione dub. 4. quem sequuntur Torres, & Hurtado in præsenti affirmat esse nullum ex defectu iurisdictionis, quia id prohibitum est ab Ecclesia. Et probatur ex cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato, vbi sic dicitur: *Peccat autem conferendo Ecclesiastica sacramenta, sed ab eo collata virtutis non carent effectu, cùm non videatur à collatione, sed à participatione sacramentorum, qua in sola consistit perceptione remotus.*

29. Contrariam sententiam tenent Suarez, Auila, Sayrus, Ægidius, quos refert & sequitur Cornejo tract. 5. disput. 10. dub. vltim. iuxta quam dicendum est, si contingat etiam excommunicatum non toleratum, etsi sit excommunicatio reseruata, rectè esse dispositum, & excusari à peccato, vel per obliuionem, vel per necessitatem, re vera & sacramentum Pœnitentiæ recipiet & gratiam. Ratio huius est, quia tunc possunt dari requisita ad valorem & effectum huius sacramenti, scilicet materia, forma, intentio, & dispositio, & iurisdictio in Ministro, aliàs habente eam, quia propter excommunicationem subditi non priuatur iurisdictione Sacerdos, qui antea habebat iurisdictionem in illum, & contrarium voluntariè & sine solido fundamento dicitur, cùm nullo iure constet. Et quidem si opposita sententia esset vera, sequeretur, sacramentum Pœnitentiæ receptum ab excommunicato minori rectè disposito, ab illo qui antea habebat iurisdictionem in eum esse nullum, quod videtur incredibile, licèt sequelam nonnulli ex aduersariis admittant.

30. Ad fundamentum in contrarium respondetur, ex illo textu in quo Vazquez fundatur, tantùm haberi, excommunicatum esse remotum à receptione, quia scilicet licitè ex se non potest recipere. Ex quo

31. Infertur primò, cum Cornejo suprà, quando instat mors excommunicati adeò repentina, vt non sit tempus absoluendi eum priùs ab excommunicatione, tunc absolutionem à peccatis esse validam, siue confessarius id faciat ex ignorantia, siue bona fide, existimans in eo casu non esse necesse præmittere absolutionem ab excommunicatione, vel non esse tempus sufficiens, vel non posse eodem verbo, *te absoluo*, vtrumque præstare: siue etiam id mala fide faciat, dummodo à peccatis absoluat, factum tenet.

32. Infertur secundò, eum qui suæ excommunicationis inuincibiliter oblitus, aut ignorans à peccatis integrè confessis absoluitur, non præmissa absolutione ab excommunicatione, verè & fructuosè absolui, nec teneri eam confessionem iterare: si verò postea suæ excommunicationis sit conscius, tenetur eius absolutionem impetrare. Si verò pœnitens de sua excommunicatione conscius integrè, tam peccata, quàm excommunicationem manifestat, vt ab vtroque absoluatur; confessor autem inculpabiliter, aut malitiosè eum à peccatis dumtaxat absoluit, verè etiam & fructuosè in hoc casu absoluitur, quia tunc saluatur vera materia, & forma, & intentio ad sacramentum requisita.

33. Denique infertur, si excommunicatus conscius de sua excommunicatione, ex iusto ac inculpabili iuris, vel facti errore, existimet se posse prius à peccatis quàm ab excommunicatione absolui, & sic de facto absoluatur à Confessario, siue scienter, vel ignoranter, factum tenere, & absolutionem validam & fructuosam esse, ob eamdem rationem, quia saluatur vera materia, forma, & intentio.

SECTIO IV.

De tertio effectu excommunicationis maioris.

TErtius effectus excommunicationis maioris est, priuatio actiuæ administrationis sacramentorum: vnde excommunicatus vitandus, seu non toleratus, peccat mortaliter ex se fine iusta causa sacramenta ministrans; valida tamen sunt sacramenta ab ipso facta, excepto sacramento Pœnitentiæ, de quo postea erit sermo. Primum constat ex cap. *Si celebrat*, de Clerico excommunicato ministrante, & quia in re grauissima violat præceptum Ecclesiæ. Secundum etiam est manifestum, quia potest dari vera materia & forma & intentio requisita Ministri: ergo validè faciet; validè etiam assistere matrimonio tradit Sancius lib. 3. de Matrimonio disput. 31. quæst. 1. quem plures sequuntur, quia assistere matrimonio, non est actus propriè iurisdictionis, cùm etiam inuitus possit assistere, & idem est de notorio irregulari, & suspenso, contra Auilam 2. parte cap. 6. disput. 3. dub. 2. & licèt talis excommunicatus expellatur in iure ad hoc vt sit testis, tamen quando infamis admittitur vt sit testis, non reiicitur excommunicatus: at in matrimonio admittitur etiam testis infamis, imò eiusmodi excommunicatum validè dare licentiam alteri, docet idem Sancius disput. 21. quæst. 1. Dixi *sine iusta causa sacramenta ministrans*, quia per accidens variis casibus potest excusari à culpa, videlicet propter ignorantiam inuincibilem, vel obliuionem, vel inaduertentiam, vel graue damnum vitandum, etiam infamiæ, si casus occurrat, quando in alio loco est occultus, vel propter grauem necessitatem propriam, vel alienam particularem, vel communem; quia sicut dantur causæ; vt vidimus sectione præcedenti, quæ reddunt licitam receptionem sacramentorum in excommunicato non tolerato; ita similiter dari poterunt in ministrante, dummodo ex alio capite sanctè, & dispositione requisita ministret. nam hîc tantùm loquimur ex parte excommunicationis præcisè. 34.

Ex quo infertur, si excommunicatus non toleratus non possit abstinere à sacro faciendo absque graui infamia, vel scandalo, posse sine peccato & violatione censuræ celebrare, qui casus occurrere potest, si ad alium locum se transferat in quo eius censura ignoratur. Similiter in articulo mortis licitè poterit sibi sumere Eucharistiam, vel ad id sacrum facere, si alius non sit qui illi ministret, vel velit, vel etiam vt detur communio moribundo, cui aliter non possit succurri; quia licèt Eucharistia non sit simpliciter necessaria ad salutem necessitate medij, est tamen maximè vtilis, & quia fortè posset casus contingere vt daret per accidens primam gratiam, & propter maximum auxilium quod confert hoc sacramentum, & ita videmus in quouis interdicto tria sacramenta conferri morientibus, scilicet Baptismum, Pœnitentiam, & Eucharistiam: in articulo ergo mortis saltem, licet per excommunicatum non toleratum Eucharistia ministrari. Aliquando etiam erit obligatio in 35.

tali excommunicato non tolerato ſacramentum miniſtrare ex charitate, v.g. in extrema neceſſitate articuli mortis baptizare paruulum morituru. Quòd ſi D. Thomas 3. parte quæſt. 64. art. 6. & ſæpe alibi docet ſpecialiter de hæretico, etiam in articulo mortis non licere ab eo Euchariſtiam accipere, explicandus eſt ſanctus Doctor vt loquatur tantùm, quando eſſet periculum ſubuerſionis, vel iniuriæ Religionis; tunc enim non liceret ab huiuſmodi excommunicato hæretico Euchariſtiam accipere, vt contigit in Beato Hermenigildo, qui noluit ab Arriano hæretico communionem recipere, ne videretur conſentire hæreſi patris Arriani.

36. Eſt tamen ſpecialis difficultas de ſacramento Pœnitentiæ, an in eodem mortis articulo liceat excommunicato non tolerato illud miniſtrare. In qua re plures & graues Doctores, quos refert Suarez diſp. 11. ſect. 1. defendunt partem negantem, quia propter neceſſitatem propriam ipſius confeſſoris etiam extremam, v.g. ad vitandam propriam mortem, ſi per mortis metum ab eo abſolutio extorqueatur, non datur ei iuriſdictio, vt poſſit validè & licitè indignum abſoluere: ergo neque propter neceſſitatem alterius dabitur ei talis iuriſdictio, ſeu liber vſus illius.

37. Dicendum tamen eſt cum communiori ſententia, in articulo mortis etiam validè & licitè quantum eſt ex vi excommunicationis, poſſe ſacerdotem non toleratum etiam hæreticum, miniſtrare ſacramentum Pœnitentiæ; quia in articulo mortis nulla eſt reſeruatio, neque iuriſdictionis ablatio; ea enim gaudent omnes ſacerdotes, & colligitur ex Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. vbi aſſeritur. *Verumtamen pie admodum, ne hac occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis; atque adeò omnes ſacerdotes quoſlibet pœnitentes, à quibuſcumque peccatis & cenſuris, abſoluere poſſunt.* Quæ verba cùm ſint adeò generalia, & nullum, neque ex parte ſacerdotis, neque ex parte pœnitentis, excludentia, & fauores animarum ſint ampliandi, & maximè in ſacramento adeò neceſſario ad ſalutem in illo articulo; re vera validum erit, ſi recipiens ſit diſpoſitus per contritionem, vel attritionem requiſitam; ergo ſicut licèt quis adultus per contritionem poſſit ſaluari, ſi tamen non eſt baptizatus, eſt baptizandus, etiam à non tolerato in articulo mortis, ne fortè damnetur ſi contritionem non habeat; ita ſimiliter licèt baptizatus per contritionem ſine dubio ſaluetur, ſi in ea decedat, nihilominus danda erit pœnitentia, ne fortè ſi contritionem non habeat, ſed attritionem tantùm, damnetur. legendus eſt Vazquez tom. 4. quæſt. 93. art. 1. dub. 5. & 6. cuius tamen ſententiam non approbo in eo quod docet, excommunicatum non toleratum poſſe validè abſoluere à venialibus, quia quilibet Sacerdos ad id habet iuriſdictionem iure diuino. quod quidem mihi non probatur, quia iuriſdictio etiam reſpectu venialium iure Eccleſiaſtico ſacerdotibus competit, & eam poteſt Eccleſia ſuſpendere, & conſtat ſuſpendiſſe illam excommunicatis non toleratis. ita Auila cap. 6. dub. 1.

38. Ad fundamentum in contrarium reſpondetur, ſalutem ſpiritualem proximi longè ſuperare ſalutem corporalem propriam: vnde quamuis Eccleſia non det iuriſdictionem, ſeu vſum liberum illius, vt Sacerdos ſaluet vitam corporalem propriam, quando deficit diſpoſitio neceſſaria ad valorem ſacramenti, quia pœnitens eſt in peccato; dat tamen illam, ne pereat ſalus & vita æterna proximi.

39. Ex quo infertur, Pœnitentiæ ſacramentum extra prædictam neceſſitatem datum ab excommunicato non tolerato, eſſe inualidum, & ſimiliter commiſſionem abſoluendi ab eo alteri datam eſſe nullam, quia in tali caſu huiuſmodi Sacerdos non habet iuriſdictionem, ex cap. *ad probandum*, de ſententia & re iudicata. Si tamen quis ignorantia inuincibili verè diſpoſitus, confiteatur excommunicato non tolerato habenti aliàs titulum coloratum ad abſoluendum, vt ſi habeat beneficium parochiale, aut licentiam audiendi confeſſiones, & ad hoc publicè expoſitus ſit, ſacramentum erit validum; vt tenent communiter Doctores, quia propter bonum commune, & communem errorem facti probabilem, datur illi ab Eccleſia iuriſdictio, ex lege *Barbarius*, ff. de officio Prætoris, propter damna & inconuenientia quæ ſequerentur ſi non ita fieret; quia tunc non habetur ratio impedimenti humani, ſed ſuppletur à potente ſupplere legendus eſt Sancius 3. de Matrimon. diſput. 32. vbi eſt maximè notandum, non ſufficere communem populi errorem, niſi accedat titulus putatiuus à legitimo ſuperiore datus, vt notat ipſe Sancius, & oppoſitum ait eſſe improbabile. Si verò ignorantia ſit ſolius pœnitentis, etiamſi ſit inuincibilis, & illum excuſet à culpa, irritum erit ſacramentum Pœnitentiæ ab huiuſmodi excommunicato non tolerato datum, vnde illa confeſſio erit iteranda.

40. Hactenus diximus de excommunicato non tolerato. Quoad toleratum verò

Dicendum eſt primò ex vi huius excommunicationis toleratæ, non teneri fideles ſe abſtinere ab eo in receptione ſacramentorum. Ita habetur expreſsè in Extrauagante *Ad vitanda*, &c. *Indulgemus vt nemo deinceps à communicatione alicuius in ſacramentorum adminiſtratione, vel receptione*, &c. *teneatur abſtinere, prætextu alicuius cenſuræ.* ergo Concilium apertè docet, excommunicatos non eſſe vitandos à fidelibus, etiam in miniſtratione & receptione ſacramentorum, & conſequenter nullo iure poſitiuo tenemur eos vitare, & ab eis non recipere ſacramenta.

41. Ob eamdem rationem licet fidelibus ab eis petere, quia nulla eſt communicatio prohibita ex iure poſitiuo: ergo neque petitio; ac proinde licebit fidelibus petere ab his excommunicatis ſacramenta, & inducere eos ad miniſtrandum. Sicut licet inducere Miniſtrum non excommunicatum ſi in cæteris ſit æqualitas, ſcilicet ex parte poteſtatis & diſpoſitione Miniſtri quoad probabilem carentiam mortalis peccati. nam conceſſio Concilij eſt abſoluta, & omne tollit impedimentum, & æqualem dat facultatem his excommunicatis, ac ſi non eſſent excommunicati, quando fideles volunt ab eis petere ſacramenta, & cum illis in hoc communicare.

41. Similiter non eſt prohibitum his excommunicatis ſimpliciter ex vi cenſuræ, miniſtrare ſacramenta, ſicut eſt prohibitum excommunicatis non toleratis. Ratio eſt, quia fideles licitè poſſunt ab his excommunicatis toleratis petere ſacramenta: ergò hi excommunicati licitè poſſunt miniſtrare in huiuſmodi petitione. Nam aliud eſt alterum non poſſe facere aliquid ſine peccato, & aliud non facturum ſine peccato: quia quando non poteſt facere per ſe ſine peccato, mihi non licet petere: quando verò non eſt facturus ſine peccato, poteſt tamen ex ſe licitè facere in multis caſibus, quia quod

Digitized by Google

quod peto non est peccatum, & alter sine peccato potest facere, v. g. quando ab vsurario peto mutuum, quod ipse sine peccato potest dare, licèt nolit sine peccato dare, & tunc petens si necessitas aliqua sit considerabilis, non pecco petendo mutuum. Similiter dicendum est in præsenti; excommunicatis verò non toleratis simpliciter prohibetur ministratio actiua sacramentorum; ac proinde fideles prohibentur ab eis recipere, & petere. Dices Ecclesiam tantùm abstulisse suum præceptum respectu fidelium ne communicarent cum ipsis excommunicatis toleratis, reliquisse verò obligationem naturalem. Hoc autem falsum est, neque ex aliquo capite ostendi potest illam prohibitionem esse de iure naturali, ablato Ecclesiæ impedimento. Licita ergo est administratio actiua sacramentorum huiusmodi excommunicatis toleratis, quando fideles licitè petunt ab eis sacramenta; propter excommunicationem enim toleratam non perdunt iurisdictionem quam ante excommunicationem habebant. Et hic est fauor datus fidelibus per se in Extrauagante, & indirectè ipsis excommunicatis propter fideles.

43. Secundò dicendum est, hos excommunicatos toleratos peccare grauiter quando ipsi se ingerunt, & quasi se inuitant ad ministrandum sacramentum. Et ratio est, quia quando ipsa administratio actiua concipitur vt fauor primò & per se ipsius excommunicati tolerati, tunc ei non est licita illa administratio, quia iam esset fauor excommunicatorum, qui tamen negatur illis à Concilio. Sicut similiter quando fideles in externis & communicatione ciuili communicare & confabulari volunt cum istis excommunicatis, licitè possunt id facere ipsi excommunicati; non tamen licet eis sese ingerere, vel fideles inuitare ad hoc vt communicent cum ipsis. Et licèt quando ipsi inuitant peccent; fideles tamen non peccant communicando cum illis, quia non cooperantur peccato illorum, sed vtuntur facultate quam habent fideles ipsi, vt non reneantur eos vitare.

44. Tertiò dicendum est, quamuis valde probabile sit, non licere petere sacramentum à Ministris excommunicatis toleratis & non paratis, vt docuimus disp. 5. de sacramentis in genere, sect. 4. & 5. Non tamen improbo oppositam sententiam asserentium licere petere, siue sit parochus, siue non, quando per eum non stat absolui ab excommunicatione, quando est ministraturus sacramenta petentibus licitè, etiamsi sine necessitate aliqua petantur. Et ita tenet Sancius 1. de matrimon. disp. 9. vbi plures allegat, & probatur ex fine Extrauagantis volentis sedare conscientias; tollere scrupulosos, qui aliter non tollerentur. nam statim quis dubitaret an habeat necessitatem sufficientem: an alter sit paratus, vel non: si præuenio etiam, si non præuenio: si est alius qui æquè bene, vel non. Ad tollendos ergo omnes scrupulosos in fauorem fidelium, valde probabilis est hæc sententia, fundata in prædicta Extrauagante, & in auctoritate tot grauium Doctorum.

45. Dixi, quando per ipsum excommunicatum toleratum non stat absolui ab excommunicatione, quando petitur vt ministret, licèt antea fuerit negligens in petenda absolutione. nam tunc non stat per ipsum absolui: si tamen pro tunc per ipsum staret non absolui ab excommunicatione, iam esset in mortali ratione excommunicationis, & ab existente in mortali non exposito, non est licitum sine causa sufficiente petere id quod est cum peccato facturus, vt communiter dicitur de petente mutuum sine necessitate à non exposito ad dandum cum vsura, & charitas hoc docet, vt latè diximus disput. citata, tractantes, an liceat à Ministro ex officio deputato ad ministrandum sacramentum in mortali ministrante petere sacramenta.

Quando verò excommunicatus toleratus non vult absolui, & per ipsum stat non absolui ab excommunicatione, tunc si paratus sit, vel expositus, vel habitualiter, vel actualiter, licitum est ab eo petere sacramenta; siue sit parochus, siue non: quia tunc non cooperor ad peccatum alterius, sed tantùm vtor malitia alterius in meum commodum in re quæ potest fieri bene ab illo, licèt malè faciat ob suam malitiam, & cùm iam sit cum animo malo & proposito ad malè faciendum, quod bene posset facere, ideo licitè potest ab eo petere, maximè quando est parochus, respectu cuius habet ius iuditiæ subditus ad petendum sacramentum. Vide quæ diximus loco citato sect. 4. 46.

Quartò dicendum est, eodem modo licere fidelibus petere ab huiusmodi excommunicato, vt coram eis celebret, & faciat sacrum; est enim hic fauor primo & per se fidelium concessus in prædicta Extrauagante, propter plures vtilitates quas ex Missæ auditione capiunt; poterit ergo licitè excommunicatus toleratus Missam dicere coram fidelibus quando ab eis petitur, & hoc etiam est verum, siue huiusmodi excommunicatus sit parochus, siue quiuis alius Sacerdos, sublato scandalo, quod tolli potest monendo circunstantes licitè hoc fieri, quia ius Ecclesiasticum dat facultatem ad hoc in prædicta Extrauagante. Et à fortiori hoc dicitur, si contingat esse diem festum in quo fideles petentes tenentur Missam audire; petunt enim communicationem sibi licitam, & possunt assistere, & Sacerdos celebrare rogatus, dummodo non se ingerat. nam se ingerere non licet illi, quamuis si se ingerat, possunt fideles licitè Missam ab illo audire, quia illis ius non prohibet hanc communicationem, & si ille Sacerdos re vera peccet. Non tamen inde inferas licere fidelibus petere ab excommunicato tolerato, vt faciat sacrum ipsis absentibus, quia à Concilio conceditur fidelibus huiusmodi fauor per modum communicationis cum illo tolerato; absentes verò non dicuntur communicare cum illo. 47.

SECTIO V.

De quarto effectu excommunicationis maioris.

QVartus effectus excommunicationis maioris est, priuatio exterioris communicationis cum diuinis officiis, rebus sacris, & Ecclesiastica sepultura, vt constat ex cap. *Responsio*, & cap. *Nuper*, de sententia excommunicationis, & cap. *Alma mater*, quæ omnia sigillatim exponenda sunt. 48.

Prima conclusio. Excommunicati tolerati priuantur ne possint interesse, vel assistere sacro, siue illud audire, vel ei inseruire. Constat ex iuribus citatis, & ex cap. *Illud*, de Clerico excommunicato ministrante. Et probatur, quia hoc est fauor primò & per se respectu illorum, quo priuantur in Extrauagante prædicta, & peccant mortaliter; ac proinde non licet excommunicatis toleratis se ingerere in Missæ auditione, vel ei inseruire; neque 49.

etiam

etiam licet illos inuitare, vel inducere ad hoc, eſt enim fauor illorum per ſe, etſi inducens ſit Sacerdos excommunicatus, & faciat alium ſacerdotem coram ſe celebrare, talis inducens incurret irregularitatem, ex cap. citato, de Clerico excommunicato. Ex quo

50. Infertur primò, excommunicatum toleratum non teneri quærere abſolutionem ab excommunicatione, vt audiat ſacrum in die feſto, vel quando aliàs tenetur, & eo impedimento alligatus non poteſt licitè illud audire, vt alibi annotabamus. An verò idem ſit in præcepto confeſſionis, & communionis, quando quis eſt negligens in quærenda abſolutione ab excommunicatione, Auila 2. parte cap. 6. diſp. 4. dub. 7. affirmat teneri, vt impleat hæc præcepta; quia ſunt partim diuina: at præceptum audiendi ſacrum eſt merè humanum. Ego tamen valde dubito de hac exceptione, quando ratione præcepti Eccleſiaſtici tantùm debent hæc præcepta impleri.

51. Secundò infertur, quando Sacerdos eſſet facturus ſacrum, & non eſſet qui poſſet inſeruire niſi excommunicatus toleratus, in eo euentu poſſet tunc inſeruire iſte toleratus, quia in hoc caſu concipitur per ſe fauor ſacerdotis, licèt indirectè ſit fauor excommunicati tolerati.

52. Tertiò infertur, quando toleratus vult aſſiſtere ſacro, etſi male faciat & peccet, nihilominus non tenentur alij audientes idem ſacrum illum vitare, neque expellere; quia communicare cum illo in tali caſu eſt fauor fidelium conceſſus in prædicta Extrauagante.

53. Secunda concluſio. Excommunicato non tolerato non eſt licitum audire ſacrum, neque aliis fidelibus aſſiſtere cum illo in eodem ſacro, quia in prædicta Extrauagante reſpectu excommunicatorum non toleratorum non eſt aliquid innouatum, ſed manet ius antiquum integrum. Dixi *in eodem ſacro*, nam ſi excommunicatus non toleratus aſſiſtat in altero ſacro, & fidelis in alio, licèt ſint in eodem templo, hoc non prohibetur; cùm non intelligatur communicatio cum non tolerato, reſpectu fidelis audientis aliud ſacrum.

54. Vnde ſi Sacerdos non incepit ſacrum, & accedat excommunicatus non toleratus, qui velit ſacro illi intereſſe, debet ſacrum omittere. Si verò incepit & venit excommunicatus vitandus, & monitus ſemper velit intereſſe, ſiſtat Sacerdos, & publicet excommunicationem nouam Pontifici reſeruatam, ex Clement. 1. de ſententia excommunic. contra excommunicatos vitandos, qui moniti à celebrante nolunt exire ſacerdote celebrante. Quòd ſi adhuc velit intereſſe, expellatur per vim, etiamſi ſit Sacerdos, quod fiet abſque periculo incurrendi Canonem *ſi quis ſuadente*, quia hoc fit propter defenſionem immunitatis Eccleſiæ. Quòd ſi neque per vim poſſit expelli, propter ſcandalum, vel aliud graue malum, quod prudenter timeatur, tunc ſi Canon nondum eſt inceptus, omittatur ſacrum: ſi verò ſit iam inceptus, & nondum incepta conſecratio, an tunc ſit omittenda Miſſa, opinio eſt inter Doctores, & vtraque probabilis. Illud tamen certum, incepta conſecratione etiam præſente non tolerato, teneri celebrantem procedere vſque ad ſumptionem, non obſtante præcepto Eccleſiaſtico vitandi excommunicatum non toleratum; quia magis vrget præceptum diuinum de perficiendo ſacrificio. Peracta verò ſumptione reliquum Miſſæ vſque ad finem, omittat Sacerdos.

55. Audientes verò illud ſacrum tenentur exire, vel non audire illam Miſſam, etiam incepta conſecratione, ne communicent cum illo excommunicato. nam in audientibus non militat ratio integritatis ſacrificij, quæ in ſacerdote celebrante: vnde in dicto caſu debet manere Sacerdos tantùm cum Miniſtro ſibi inſeruiente, & alij audientes tenentur illam Miſſam omittere, etiam in die feſto, etiamſi non poſſit alia audiri, quia præceptum vitandi eiuſmodi excommunicatum etiamſi tantùm ſit humanum, magis vrget, quàm præceptum audiendi Miſſam, propter reuerentiam quam Eccleſia vult haberi in cenſuris ſeruandis. Hæc autem communicatio exterior inter audientes Miſſas intelligitur, quando ſimul in eodem loco idem ſacrum audiunt. nam ſi excommunicatus etiamſi ibi ſit, non tamen audiat ſacrum, non intelligitur communicatio cum illo in Miſſa, vel etiamſi ſit in alia Miſſa in diuerſa Capella.

Tertia concluſio. Quod diximus de communicatione externa prohibita in Miſſa cum excommunicatis non toleratis, & toleratis, idem etiam eſt dicendum in aliis diuinis Officiis, quoad miniſtrationem, quoad cooperationem in ſolemni officio & publico, & quoad aſſiſtentiam; in huiuſmodi enim non licet communicare cum non toleratis; cum toleratis verò licere, eo modo quo in Miſſa diximus, quando non concipitur fauor primò & per ſe, & directe, reſpectu excommunicatorum toleratorum. 56.

Nomine autem diuinorum Officiorum intelliguntur Horæ Canonicæ, quæ publicè in Eccleſia recitantur, publica proceſſio, omnis oratio publica, vel benedictio, v. g. aquæ, palmarum, candelarum, conſecratio chriſmatis, vel aliæ ceremoniæ Eccleſiaſticæ ex Chriſti, vel Eccleſiæ inſtitutione factæ ſolemniter, & ſemper annexæ alicui ordini Clericali. Officia ergo ita propria alicuius Ordinis Clericalis, & ita inſtituta vt à Miniſtro publico Eccleſiæ ad illa conſecrato fieri debeant ſolemniter, nomine diuinorum officiorum comprehenduntur, ex cap. *Si quis Epiſcopum* 4. cum aliis 11. quæſt. 3. & cap. *Is qui*, de ſentent. excommunic. in 6. & cap. 1. de ſentent. & re iudicata in 6. 57.

Ex quibus etiam colligitur primò cuilibet excommunicato etiam non tolerato, licere audire Concionem, & ſacram lectionem Theologiæ; quia hæc audire, præſertim concionem, ordinatur in conuerſionem audientium, vnde intenditur etiam conuerſio non tolerati, & alij audientes concionem, vel lectionem ſacram poſſunt adeſſe, quia huiuſmodi aſſiſtentia ſimultanea in concione, vel lectione ſacra, non concipitur communicatio ſicut in Miſſa; nihilominus non liceret cum non tolerato diſputare de lectione, vel cum illo conuerſari, neque magiſtro reſpondere ad dubia. An verò ipſi excommunicato prohibitum ſit concionari, certa eſt pars affirmans, ſcilicet non poſſe concionari in diuino officio, ſi intelligatur de excommunicato vitando, & ſi concionetur, non incurret irregularitatem contra Nauarrum, quia non eſt ad id deputatus ab Eccleſia Miniſter ratione Ordinis: at excommunicatus toleratus poterit extra diuinum Officium concionari propter aliquam audientium vtilitatem, ſi ipſi ab eo poſtulent concionem, non tamen licebit ei ſe ingerere. 58.

Secundò colligitur, excommunicatum non poſſe recitare horas Canonicas ſolemniter publicè; teneri verò priuatim recitare, ſi aliàs tenetur, quia huiuſmodi eſt onus à quo non leuat excommunicatio; tenetur tamen omittere, *Dominus vobiſcum*, 59.

&

& loco illius dicere, *Domine exaudi*, &c. & in hac priuata recitatione non se habet vt Minister publicus Ecclesiæ, quia si ita se haberet, in publica, & solemni recitatione, dicendo, *Dominus vobiscum*, fieret irregularis, ex Nauarro de orat. cap. 7. Nisi excuset ignorantia, vel inaduertentia, vel fortè materiæ leuitas. In priuata verò recitatione si fiat aduertenter, dicendo, *Dominus vobiscum*, peccabit venialiter; propter hoc tamen non incurritur irregularitas ex delicto. Et quamuis ratione excommunicationis priuetur quis fructibus beneficij; beneficiarius tamen tenetur recitare, quia retinet titulum, & sua culpa non recipit fructus.

60. Adde cum Nauarro suprà, non licere ei cum alio socio horas Canonicas recitare, etiam priuatim, licèt à mortali possit hoc excusari, secundùm Couarruu. in cap. *Alma mater*. Quia videtur communicatio leuis, vt tenet Suarez in præsenti sect. 2. num. 18. excusaretur etiam à veniali si recitaret cum famulo, vel etiam si famulus sit excommunicatus, & recitet cum domino non excommunicato, si antea se inuicem solebant iuuare in hac recitatione priuata; quia excommunicatus non priuatur communicatione cum famulo, vel domino, quantum ad ea in quibus inseruire tenetur.

61. Tertiò colligitur, excommunicatis quibuscumque maiori excommunicatione, esse prohibitum omne officium Ecclesiasticum, id est, ne solemniter & ex officio ministrent in aliquo munere sacro pertinente ad suum Ordinem, sicut de ministratione sacramentorum & de Missa dicebamus, cum differentia assignata inter toleratos, & non toleratos, & contrafacientes irregularitatem incurrere: vnde qui in choro facit munus hebdomadarij inchoando officium, dicendo Capitulum, & orationem, incurrit irregularitatem, quia hoc facit ex officio, & ad id est deputatus.

62. Quartò colligitur, quid sit faciendum si quando diuina Officia celebrantur, velit assistere illis excommunicatus vitandus; idem enim faciendum est quod diximus de Missa ante consecrationem. Dixi *si velit assistere*, & attendere. nam si tantùm transeat per Ecclesiam, & ibi genuflectat, & priuatim oret tantisper, non est hoc attendere, vel assistere diuino officio. Vnde neque alij intelligentur cum illo communicare, vt obseruat Auila cap. 6. disp. 9. dub. 7.

63. Quintò colligitur, vsum sacramentalium priuatum, deuotioni particulari & Religioni inseruientem, licitum esse cuique excommunicato. v. g. possunt aqua benedicta vti, & aliis rebus sactis, templa ingredi, & in eis priuatim orare quando officia non celebrantur: nullibi enim in iure hoc reperitur prohibitum; priuatur tamen quilibet excommunicatus vsu rerum sacrarum, vel sacramentalium, ad specialem fructum capiendi ex merito, vel applicatione Ecclesiæ: vnde si oret coram imagine cui applicatæ sunt à Pontifice indulgentiæ, non lucrabitur eas; quia cùm sint membra præcisa ab Ecclesia, non vult illa gaudere fauore ratione Ecclesiæ proueniente.

64. Quarta conclusio. Excommunicati non tolerati post mortem, priuantur sepultura Ecclesiastica, vel alio honore Ecclesiastico, ex cap. *Sacris*, de sepulturis, & Clementina prima, eodem titulo. Et reddit rationem Pontifex, quia æquum est ne communicemus defuncto, cui non communicauimus viuo. Quòd si decesserit cum signis contritionis, poterit post mortem à censura absolui, & tunc sepeliri in loco sacro; si verò non absoluatur, & sepultum est corpus in loco sacro, debet exhumari, ex cap. *Sacris*, si ab aliis corporibus possit discerni: quòd si non potest discerni, non est exhumandum, cùm minus malum sit quòd in loco sacro maneant ossa excommunicati, quàm quòd inde corpora fidelium eiiciantur: locus tamen reconciliandus erit. Per corpus verò excommunicati tolerati defuncti non polluitur sepultura; quare non erit exhumandum: sicut enim dum viueret poterat communicare cum illo quiuis fidelis, ita similiter quando est defunctus. Ita Nauarrus cap. 27. num. 137. quem sequitur Suarez in præsenti sect. 4. quia prohibitio sepulturæ dirigitur non ad mortuum, qui iam non est capax excommunicationis, sed ad viuos, quibus non prohibetur communicare cum toleratis.

65. Ex quo infertur, sepelientem in loco sacro excommunicatum vitandum, peccare lethaliter, quia materia est grauis, & ab Ecclesia prohibita, & incurritur excommunicatio minor: & Clementina prima de sepulturis, præcipitur vt huiusmodi sepeliens excommunicetur etiam maiore excommunicatione, & vt non absoluatur nisi arbitrio Episcopi competenter satisfecerit, qui præsumpserit temeritatis audacia sepelire in loco sacro. Vnde iuxta superiùs dicta, excusantur qui quomodolibet ignoranter id fecerint. Et per actionem sepeliendi intelligitur immissio cadaueris in sepultura propriis manibus, non verò qui sua auctoritate, vel imperio facit illum sepeliri, vt contra Suarium & Ægidium docet Auila cap. 6. disp. 9. dub. 6. Nam licèt qui mandant, sepeliant; non tamen omnino strictè, ad quod dicta Clementina vtpote pœnalis restringenda est. Quare minus intelliguntur per sepelientes comitantes funus, deferentes luminaria & crucem, neque cantantes, hi enim in rigore non dicuntur sepelire. Similiter nec intelliguntur fodientes sepulchrum, ex hac præcisa actione, neque deferentes cadauer vsque ad Ecclesiam. Simili modo restringenda est excommunicatio quæ in cap. 2. de hæreticis in 6. imponitur ipso facto iis qui scienter præsumunt in loco sacro sepelire hæreticos, aut eorum fautores, publica sententia damnatos, à qua excommunicatione nequeunt absolui nisi propriis manibus publicè extumulent hæreticum, & inde illum eiiciant, & pars illa loci in qua sepulti fuerint, inhabilitatur, vt deinceps non possint cadauera fidelium sepelire, nec possit ampliùs reconciliari.

66. Denique hi excommunicati vitandi priuantur etiam honore in sepultura, scilicet pompa, & Clerici etiam priuantur ne eleemosynas, vel oblationes pro his defunctis excommunicatis accipiant, ex cap. *Sacris*, & cap. *A nobis*. Quamuis si accipiant, non incurrant irregularitatem; Clerici verò sepelientes raptores, deponendi sunt, vel suspendendi.

SECTIO VI.

De quinto effectu excommunicationis maioris.

67. QVintus effectus excommunicationis maioris est, incapacitas & inhabilitas ad beneficia Ecclesiastica, & ad fructus eorum, quod qua ratione intelligendum sit, explicandum est.

68. Prima conclusio. Nullus excommunicatus etiam non toleratus priuatur ipso facto beneficiis rectè

&

& validè obtentis ante excommunicationem; ac proinde valide & licitè ex hoc retinet beneficium ſibi datum ante illam. Conſtat ex cap. *Paſtoralis §. verùm*, de Appellationibus, & cap. *Rurſus* 11. quæſt. 3. nec in iure habetur talis priuatio. Quòd ſi aliquando dicatur in ipſo iure, excommunicatum priuari *ipſo facto* beneficiis obtentis ante excommunicationem, hoc intelligitur poſt ſententiam, quia cùm ſit pœna rigoroſa, non tenetur reus ante ſententiam eam exercere in ſe. quare illa verba *ipſo facto* tantùm ſignificant poſt ſententiam eſſe priuatum beneficio cum fructibus à die incurſionis cenſuræ.

69. An verò excommunicatio maior priuet fructibus beneficij ante ipſam legitimè obtenti, diſſenſio eſt inter Doctores. Et prima opinio tenet, priuari fructibus his ipſo facto, & eſſe in conſcientia reſtituendos, non expectata iudicis ſententia, quandiu excommunicatus in mora eſt petendi abſolutionem ab excommunicatione, ſiue eſt negligens: ſi verò non ſit in mora, vel non ſit negligens, in hoc dicunt non priuari fructibus. Ita Fillucius, Vgolinus, Couarruu. Suarez, Toletus, Mercerus, quos refert Diana 5. parte tract. 9. reſol. 104. Nonnulli addunt non eſſe danda alimenta excommunicato exiſtenti in mora, vel negligenti, etiamſi egeat, quia ſua culpa egeat; non verò eſſe neganda non exiſtenti in mora, vel non negligenti in quærenda abſolutione ab excommunicatione, ne cogatur mendicare in opprobrium Ordinis Clericalis, & ita videtur exprimi in cap. *Paſtoralis* 53. de Appellationibus, dum dicitur: *Illi promouatur Eccleſiaſtici meritò ſubtrahuntur, cui Eccleſia communio denegatur.*

70. Gutierrez, Cano, Aragon & quidam alij relati à Couarruu. 3. variarum cap. 13. exiſtimant manere priuatum fructibus, etiamſi non fuerit negligens in procuranda abſolutione in odium excommunicationis, quam propter ſuam culpam incurrit, & præterea, quia beneficium datur propter officium, ex cap. finali, de reſcriptis in 6. & cùm excommunicatus ſit ſuſpenſus ab adminiſtratione officij, ex cap. *Paſtoralis*, citato, etiam intelligitur priuatus fructibus. Sed certè in his iuribus, non dicitur eſſe priuatus, ſed tantùm dignus vt priuetur.

71. Quare mihi videtur dicendum eſſe primò ſi excommunicatus non faciat officium quod petit beneficium, non poſſe percipere fructus. Ita Auila cap. 6. diſput. 6. dub. 1. & in hoc caſu fructus ſunt reſtituendi ante ſententiam tanquam alieni, quia non impleuit beneficiatus conuentionem, propter quam dantur fructus; hoc etiam petit lex naturalis, quare non eſt pœna. Secundò dicendum eſt, ſi excommunicatus officium faciat, facere fructus ſuos, quia licèt demus peccare aliquando tale officium faciendo, facit tamen in vtilitatem Eccleſiæ, vel aſſiſtendo, vel miniſtrando validè per ſe, aut per alium, quod ſæpiſſimè contingit in excommunicato tolerato; quare fructus facit ſuos, quantumuis pingues, contra Auilam, qui hoc limitat quando fructus non ſunt pingues; immeritò tamen, vt patet in beneficiis non ſeruitoris, in quibus tantùm eſt obligatio recitandi diuinum officium, quod ſi recitetur, vt re vera debet recitari à beneficiato quantumuis excommunicato, tunc fructus talis beneficij quantumuis pingues facit ſuos excommunicatus. Ita Vazquez, Nauarrus, Ægidius & Hurtado, quos refert & ſequitur Diana ſuprà, quia nullo iure excommunicati priuantur his fructibus, nec excommunicatio ex eo quòd generaliter eſt priuatio communionis fidelium, priuat dictis fructibus; quia perceptio eorum non eſt communicare cum fidelibus, & in cap. *Paſtoralis*, citato pro prima opinione, tantùm eſt ſermo de ſubtractione facienda per iudicem, media ſententia noua ſuperaddita excommunicationi, vt notant Vazquez & Hurt. & quidquid ſit de iure ſaltem ex conſuetudine non priuantur, vt fatentur Suarius & Mercerus, ex quo ſequitur ad eorumdem reſtitutionem non teneri ante ſententiam iudicis.

Secunda concluſio. Nullus excommunicatus excommunicatione maiori, quamuis ſit occultus, ſiue ſit toleratus, eſt capax beneficij habendi, de nouo exiſtens in excommunicatione, quomodocumque illi detur beneficium Eccleſiaſticum, & ipſe recipiat, ſiue ſcienter, ſiue ignoranter, ſiue bona fide, putans ſe non eſſe excommunicatum, ſiue mala fide, & collatio ipſo facto eſt nulla. Ita habetur ex cap. *Paſtoralis*, de Clerico excommunicato, & ita tenet communis Doctorum ſententia, Ægidius, Auila Raynaudus, Sancius, Fabrus, Cornejo, Turrianus & Villalobos, quos refert & ſequitur Diana contra Hurtadum diſp. 6. diffic. 2. & ratio huius eſt, ius ipſum ita præſcribens in odium excommunicationis, in qua beneficium Eccleſiaſticum recipitur, & quia beneficium datur propter officium à quo eſt ſuſpenſus excommunicatus ex ſe. Quare non eo ipſo quòd datur abſolutio ab excommunicatione reualidatur collatio beneficij recepti in excommunicatione, ſed poſt abſolutum ab excommunicatione, iterum dandum eſt beneficium à potente illud dare, alioquin eſt relinquendum tanquam alienum, vnà cum fructibus perceptis; quia ſine titulo ex re aliena cepit fructus; quare reſtituendi ſunt in conſcientia, vel pauperibus, vel Eccleſiæ, vel aliis beneficiatis, iuxta diſpoſitionem Eccleſiarum, maximè ſi ſint diſtributiones: ſi tamen bona fide beneficium accepit in excommunicatione, eique deſeruiuit, poterit accipere; aut retinere ſtipendium ſeruitio proportionatum, non verò reſiduum, niſi bona fide acceperit & conſumpſerit, & exinde non ſit ditior factus. Ita Suarez diſput. 15. ſect. 1. quem ſequitur Ægidius diſputatione 14. dub. 9. 72.

Beneficia autem Eccleſiaſtica, quorum eſt capax quiuis excommunicatus maiori excommunicatione, valida ſunt, ſiue curata, ſiue ſimplicia, ſiue maiora, ſiue minora, ſiue perpetua, ſiue non, v. g. Vicariatus Epiſcopi, Officium Gubernatoris Epiſcopatus, ex cap. *Is cui*, de electione in 6. Similiter eſſe Prælatum in Religione, etiamſi non habeat fructus, & tantùm ſit ad tempus. Officium verò Legati, & delegati, & Inquiſitoris, licèt non ſint beneficia Eccleſiaſtica, inualidè tamen dantur huiuſmodi excommunicatis; hoc enim officium eſt dignitas Eccleſiaſtica, & ordinatur ad iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & ad maximam communicationem. 73.

Inquires primò. An excommunicatus ſit etiam inhabilis ad recipiendas penſiones. Affirmatiuè reſpondit Villalobos in ſumma tom. 1. tract. 17. diff. 9. & ita tenet Gigas quæſt. 14 Couarruu. in cap. *Alma mater*. §. 7. quia ſunt redditus Eccleſiaſtici, & ita aiunt eſſe in vſu Curiæ Romanæ præmittentis abſolutionem ab excommunicatione quando huiuſmodi penſiones dantur. Dicendum tamen eſt, quamuis excommunicatus ſit priuatus beneficio, non tamen priuari penſione, ac proinde conſignationem illius factam excommunicato 74.

validam

validam esse. Ita Turrianus, Vazquez, Enriquez, Layman, Cornejo, Auila & Præpositus, quos refert & sequitur Diana suprà resol. 103. quia nullibi inuenitur in iure, quòd concessio pensionis facta excommunicato sit irrita, nec id sequitur ex eo quòd excommunicatus sit incapax beneficij, quia pensio non est beneficium cùm in illa non sit ius perpetuum ad fructus, quod requiritur ad rationem beneficij. Excipe pensiones perpetuas datas in titulum beneficij, & præstimonia.

75. Inquires secundò, An excommunicatus validè acceptet beneficium si ante excommunicationem fuerit ei collatum. Et conueniunt Doctores quòd ad beneficium propriè Ecclesiasticum, nulla est collatio, nulla præsentatio, nulla electio, nulla nominatio facta ipsi excommunicato maiori, ex cap. *Cùm dilectus*, de consuetudinibus. Nam illa omnia ordinantur ad beneficij collationem, vel consequutionem, & idem est de resignatione beneficij in fauorem excommunicati, & idem de permutatione beneficij cum illo, & idem de impetratione sine præuia absolutione ab excommunicatione, ex cap. de Rescriptis in 6.

76. De acceptatione verò si ante excommunicationem fuerit ei collatum, Hurtado disputat. 6 diff. 3. Ægidius disputat. 14. dub. 9. Similiter existimant inualidam esse, quia non minus quis acquirit ius in beneficium per validam collationis acceptationem, quàm per ipsam collationem. Vnde cùm collatio facta excommunicato sit omnino inualida, vtpote incapaci ad acquirendum ius in beneficium, ita similiter acceptatio ab eodem facta erit inualida.

77. Dicendum tamen est cum Turriano lib. 1. disputatione 16. dub. 2. & Mercedo quæst. 21. dub. 8. validam esse, & ratio desumitur ex Vazquio de excommunicatione dub. 6. quia in iure non inuenitur talis inualiditas acceptationis in excommunicatione beneficij collati ante excommunicationem, sed tantùm inuenitur in iure priuari excommunicatum collatione, & his quæ ordinantur ad collationem; non verò acceptatione, licèt per eam ius in re, vel beneficio consummetur, vt apertè probat Couarruu. ex cap. *Si tibi absenti*, de Præbend. in 6. Imò prædictam acceptationem à peccato excusat Suarez disput. 13. sect. 1. quia non est communicatio, sed declaratio propriæ voluntatis, quæ non prohibetur per ius. Argumentum autem contrariæ sententiæ tantùm probat, acceptationem illam non esse validam quantum ad acquisitionem iuris, non verò quantum ad consensus declarationem; ac proinde si post talem acceptationem absoluatur ab excommunicatione, non indigebit alia noua collatione, aut acceptatione; sed cùm primùm absoluitur, acquirit ius in beneficium. Ex quibus

78. Infero primò commendationem Ecclesiæ, vel commendam factam excommunicato esse nullam, ex cap. *Nemo*, de elect. in 6. quia commenda æquiparatur beneficio Ecclesiastico. Rescriptum etiam datum excommunicato esse nullum, similiter & gratiam: gratia verò facta communitati, cuius omnes partes sunt excommunicatæ, est etiam nulla propter incapacitatem subiecti; si tamen vna persona tantùm illius communitatis non sit excommunicata, valida erit gratia, ex lege *sicut mancipium*; non enim vtile per inutile debet vitiari: neque innocens suo iure priuari propter nocentes. quare tunc communitas in illo casu censetur cõseruari in vno.

Infertur secundò, absolutionem in rescriptis datam à Pontifice ad beneficia obtinenda non prodesse illi, qui iciens per annum insorduit, vel manlic in excommunicatione; is enim habetur hæresis suspectus, nisi sciens Papa insordisse per annum det beneficium; tunc enim intelligitur dispensare cum illo. 79.

Inquires tertiò. Quid faciet excommunicatus occultus si detur illi beneficium. Respondeo si potest non se infamando excusare, tenetur non acceptare. Si verò non potest sine infamia, & nisi reuelet suum crimen occultum acceptare, potest sine peccato, donec quamprimum possit impetret dispensationem, vel resignet simpliciter, & iterum petat: non enim potest resignare causa permutationis. nam cùm ipse nullum ius habeat, non potest alteri dare, neque acquirere: neque potest resignare in fauorem alterius; neque accipere fructus, & si accipiat, tenetur restituere. 80.

Inquires quartò Quid faciat Elector vel Patronus sciens illum esse excommunicatum cui dandum est beneficium. Respondeo si occulta fiant suffragia, non det suffragium tali excommunicato, quia non infamat. Si verò palàm fiant suffragia, non neget propter illam scientiam priuatam, si nulla sit alia causa publica, propter quam neget: aliàs daret scandalum negans illi suffragium cui debetur, & infamaret illum quem supponimus non esse infamatum. Vbi obserua, conferenti, vel præsentanti excommunicatum ad beneficium, in cap. *Postulasti*, impositam esse censuram suspensionis à munere conferendi, vel præsentandi, quæ suspensio non intelligitur posita, sed ponenda, & intelligitur quando sciens facit. Respectu verò excommunicati recipientis beneficium, nulla est in iure imposita pœna præter irritationem, vel annullationem collationis, vel præsentationis. 81.

Denique inquires, quis potest dispensare in collatione beneficij facta excommunicato. Respondeo in beneficiis collatis per Papam non posse Episcopum dispensare, neque quando electio est ab aliis facta, sed necessariò est iteranda facta absolutione. Quando verò beneficium potuit ab Episcopo conferri, tunc poterit Episcopus dispensare dummodo non contulerit beneficium, sciens illum esse excommunicatum. Dispensare enim in collatione beneficij tantùm intelligitur posse, habens potestatem conferendi beneficium coniunctam cum iurisdictione Episcopali; qui ergo potest dispensare, debet etiam posse conferre. nam dispensatio est quædam virtualis collatio. 82.

Et omnia quæ diximus suprà collationem beneficiorum, & dispensationem, respectu cuiuscumque excommunicati maiori excommunicatione, intelligenda sunt etiam de collatione respectu suspensi, interdicti, & irregularis, vt tradit Nauarrus cap. 25. num. 133. 83.

Sectio VII.

De sexto effectu excommunicationis maioris.

84. Sextus effectus excommunicationis maioris est, priuatio iurisdictionis Ecclesiasticæ externæ. Hæc autem iurisdictio externa dupliciter sumi potest. Primò strictè pro potestate propria iudicis, vel superioris Ecclesiastici, v. g pro potestate

Digitized by Google

præcipiendi ſub cenſura, vel ſine cenſura in rebus Eccleſiaſticis; vel leges ferendi eccleſiaſticas, vel diſpenſandi, vel dandi licentiam ad munus eccleſiaſticum exercendum, vel ferendi iudicium, vel delegandi iuriſdictionem eccleſiaſticam. Secundò ſumi poteſt latè pro iure conferendi beneficia eccleſiaſtica, vel inſtituendi, vel ad ea eligendi, præſentandi, reſignandi in fauorem tertij. nam de reſignatione ſimpliciter beneficij, non eſt dubium quin poſſint fieri ab excommunicato etiam non tolerato, quia hoc tantùm eſt expoliare ſe ſua re.

85. Prima concluſio. Excommunicatus non toleratus peccat mortaliter vtendo iuriſdictione propriè dicta, quia excommunicatio maior priuat generaliter omni vſu, ſeu exercitio cuiuſcumque iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, & talis excommunicatus eſt ſeparatus omnino ab Eccleſia in hoc, & eſt ſuſpenſus ab officio, ex Canone *Audiuimus* 24. quæſt. 1. & cap. 1. de officio Vicarij in 6. & cap. *Is cui* 12. de officio delegati in 6. Ex quo infertur inualidos eſſe quoscumque actus iuriſdictionis eccleſiaſticæ exercitos à tali excommunicato, ex cap. *Ad probandum*, de re iudicata, & ex cap. *Audiuimus*.

86. Secunda concluſio. Omnia prædicta facta ab excommunicato tolerato valida ſunt, conſtat ex Extrauagante toties allegata, quod verum eſt, quamuis ſit publicus talis excommunicatus, dummodo non ſit denuntiatus nominatim, vel manifeſtus Clerici percuſſor; quia eo ipſo quòd Eccleſia permittit & tolerat illum in fauorem aliorum fidelium, relinquit illum ſufficientem, vt validè exerceat actus erga illos. Nihilominus quando ipſi ſe ingerunt ad hos actus ſine neceſſitate, vel aliis fidelibus non petentibus, quamuis validè, illicitè tamen faciunt; quia hoc non intelligitur in illorum fauorem, ſed in fauorem fidelium. Quamobrem fideles poſſunt, ſi velint, acceptare hos actus, vel ſi nolunt, poſſunt recuſare, non enim poſſunt cogi ad obediendum illis, licèt præcipiant ſub excommunicatione.

87. Eſt tamen difficultas de iuriſdictione lata, v.g. an excommunicatio maior priuet poteſtate actiua dandi beneficium. Et conueniunt Doctores excommunicatos non toleratos priuari tali iuriſdictione, & nihil validè facere, & grauiter peccare, ex cap. Ne ſede vacante in 6. & cap. *Poſtulaſtis*, de Clerico excommunicato miniſtrante. Vnde collatio beneficij facta ab excommunicato non tolerato, eſt nulla, & ſimiliter electio ad beneficium, ex cap. *Cùm inter* 16. de electione. Si tamen multi ſunt electores, & pars ad electionem ſufficiens non ſit excommunicata, valida erit electio; ac proinde quando aliàs non conſtat fuiſſe ſuffragia ſufficientia, abſque ſuffragio excommunicati electio cenſenda eſt nulla. Similiter ſi omnium vota requirerentur, vnius excommunicati votum inualidaret electionem.

88. Limita in electione Summi Pontificis, quæ valida eſt, quamuis fiat à Cardinalibus excommunicatis & denuntiatis, ex Clementina *Ne Romani*, de electio. in 6. Hæc enim dignitas non eſt ab homine puro, ſed à Chriſto Domino datur immediatè perſonæ ritu ab Eccleſia ordinato electæ, & etiam propter pericula ſchiſmatum, & nocumenta quæ poſſent ex oppoſito ſequi. hoc peculiare eſt in hac electione: ſicut ſi quis cùm eſſet excommunicatus, eligeretur in ſummum Pontificem, validè eligeretur, & eſſet verus Pontifex.

89. Secunda difficultas eſt, an præſentatio ad beneficium facta ab excommunicato non tolerato ſit valida. Et conueniunt Doctores præſentationem factam à perſona eccleſiaſtica inualidam eſſe, quia per talem præſentationem confertur ius ad beneficium, quod non poteſt ab excommunicato conferri, nec licitè, nec validè, & quia in iure electio & præſentatio æquiparantur, ideo qui non poſſunt eligere, nequeunt præſentare. Difficultas ergo eſt de Patrono laico, vel etiam de Clerico ſi habet patronatum laicalem, & non eccleſiaſticum, & ratione beneficij prouenientem. In qua re affirmatiuam ſententiam cenſeo probabiliorem cum Villalobos in ſumma tract. 17. diff. 12. & quia ita fuit obſeruatum in Rota in quadam cauſa Zamorenſi, vt teſtatur Gomez in tractatis expectatiuarum num. 6. & idem Villalobos ſuprà.

90. De reſignatione verò facta ab excommunicato non tolerato in fauorem tertij, idem eſt dicendum quod de collatione, quia videtur cooperatio ad iuridicè beneficium dandum.

91. Denique prædicti actus validè poſſunt fieri ab excommunicato tolerato, ſicut de actibus iuriſdictionis propriè diximus in ſecunda concluſione, cum eiſdem etiam limitationibus, quia poteſt repelli, & nequit ſe licitè ingerere, ſed propter neceſſitatem, vel petitionem aliorum; quamuis ſi ſe ingerat ad eos, licèt illicitè, validè faciat.

SECTIO VIII.

De ſeptimo effectu excommunicationis maioris.

92. SEptimus effectus excommunicationis maioris eſt, priuatio communicationis forenſis, vel iudicialis. Vnde excommunicatus vitandus non poteſt vti actibus iudicij forenſis, ſeu pertinentibus ad iudicium forenſe, etiam ſeculare, vt ſunt iudicare, agere, procurare, aduocare, ſcribere, & teſtificari, ex cap. *Decernimus* 8. de ſentent. excommunicat. & ex cap. 1. de Exceptionibus in 6. & ex cap. *Veniens* 38. de Teſtibus, & ex aliis iuribus, niſi ſit excommunicatus toleratus, ſi inuitetur ab his cum quibus communicat eos exercendo. Et ex his

93. Infertur primò. Excommunicatum vitandum non poſſe eſſe iudicem, non ſolùm Eccleſiaſticum, ſed nec ſecularem, & ita tenet communis ſententia, & praxis Eccleſiæ, & videtur colligi ex cap. *Præſidentes*, de Hæreticis in 6. vbi aliis deficientibus datur peculiaris poteſtas iudicibus excommunicatis procedendi contra hæreticos ad inſtantiam Ordinariorum; ſupponit ergo Pontifex eorum poteſtatem aliàs impediri ratione excommunicationis. Vnde acta iudicis ſecularis excommunicati non tolerati, irrita ſunt ex defectu iuriſdictionis; ac proinde inualidè fiunt à tali iudice, v.g. dare priuilegia, diſpenſationes, leges, eligere, delegare, confirmare iudices, & idem eſt de iudice compromiſſario, vel arbitro habente iuriſdictionem. Componere verò aliquid ſine iuriſdictione, vt ſolent priuatim viri prudentes, validè faciet is excommunicatus non toleratus; excommunicatus verò non vitandus, vel toleratus, propter commune bonum & leuamē aliorum, validè & licitè vtetur iuriſdictione quam habet, ſi velint partes coram illo agere, vel faciant pactum coram illo agendi, non tamen poterunt, ſi nolint, ab illo compelli; cùm enim non

teneantur

teneantur cum illo communicare, non poterunt compelli ab illo vt Iudice.

94. Infertur secundò, nullum etiam excommunicatum posse esse actorem in iudicio, siue Ecclesiastico, siue seculari, quia non potest cum aliis communicare in sui fauorem; quare intelligitur etiam de non vitando, ex cap. *Decernimus*, ac sententia excommunicationis, & ex c. 1. de Except. in 6. Quando verò excommunicatus intendit se non esse excommunicatum, vel esse absoluendum, potest esse actor in iudicio, ex cap. 1. de Rescript. in 6. vbi dicitur, *Rescriptum impetratum ab excommunicato, esse nullum, nisi fuerit impetratum ad obtinendam absolutionem.* Non tamen erit audiendus, si tantum velit probare excommunicationem fuisse iniustam, licet validam, donec absoluatur, ex cap. *Per tuas*, de sentent. excommunicationis. Extra hunc casum non est audiendus in iudicio, siue seculari, siue Ecclesiastico, nec per se, nec per procuratorem, ex cap. *Decernimus*, & in quacumque parte litis potest ei obiici, seu poni hæc exceptio, vt ex tunc repellatur, ex cap. *Exceptionem*, de Exceptio. in 6. Repellendus etiam est sine oppositione, quando est vitandus. Si tamen sit necesse ad defensionem; beneficium defensionis non negatur, quia hoc petit iustitia. Et si excommunicato non opponatur excommunicatio, & agat in iudicio, valide aget, ex cap. de Exceptionibus. etiamsi sit vitandus.

95. Obseruat autem Turrianus lib. 2. disp. 14. dub. 3. non peccare lethaliter, si ius suum petat in iudicio, donec vel per exceptionem, vel per officium iudicis repellatur, si alias petat iustitiam debitam, & non vtatur vi, aut fraude. Si verò sit excommunicatus toleratus, quamuis possit à iudice reiici, non tamen tenetur, nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excommunicationem, quia licèt possit non communicare cum illo, non tamen tenetur eum vitare.

96. Infertur tertiò, quemcumque excommunicatum in quacumque causa posse trahi ad iudicium vt reum, ex cap. *Intelleximus*, de iudiciis, alias reportaret commodum ex sua contumacia, & in hoc casu ad se defendendum, vel appellandum, est audiendus iure naturæ, siue per se, siue per alium, licet aliqui dicant hoc debere fieri per alium, quia id videtur significari in dicto cap. *Intelleximus*, de iudiciis, & ita tenet Hurt. disputat. 8. diffic. 4. Verius tamen est, posse respondere per se ipsum, quia non est ei negandum quod iure communi cuiuis reo conceditur, præsertim cùm defensio de iure naturali sit: vnde potest actorem reconuenire in eadem causa de qua est accusatus, quia talis reconuentio non est noua actio, sed propria defensio. Ita Cornejo disp. 10. §. 9.

97. Infertur quartò, excommunicatum non posse exercere officium Tabellionis, ex cap. 1. de Except. in 6. An verò si faciat instrumenta, sint valida, est controuersia inter Doctores, & certum est si loquamur de excommunicato tolerato, valida esse, nec peccare si exerceat munus tabellionis, si ab aliis requiratur. Difficultas est quando excommunicatus est vitandus, & non toleratus. Negant communiter Canonistæ, quorum sententia in foro exteriori vera est. Nihilominus in foro conscientiæ si partes sciant esse excommunicatum, & ex consensu earum instrumenta faciat, valida erunt, quia textus qui in contrarium adferuntur, non ostendunt acta non sufficere ad faciendam fidem, si Tabellio excommunicatus admittatur, sed solùm quòd non debeat admitti, & ita tenent Suarez, Præpositus, & Turrianus, quos refert & sequitur Diana tract. 1. 12. Omnes tamen conueniunt peccare mortaliter Tabellionem, si instrumentum publicum faciat, quia res videtur grauis.

98. Infertur quintò, excommunicatum vitandum non posse esse testem in iudicio, ex cap. *Veniens* 3. de Testibus, & cap. *Decernimus*, de sentent. excommunic. in 6. nisi in causa fidei, ex cap. *In fine*, de hæreticis in 6. & similiter in fauorem matrimonij. Si tamen testimonium non toleratì admittatur, validum erit, quia nullum est ius irritans eius testimonium quando admittitur. Toleratus verò si requisitus testetur, non solum valide, sed etiam licitè id facit.

99. Infertur sextò, excommunicatum non posse esse Aduocatum, nec procuratorem, ex cap. *Decernimus* 8. de sentent. excommunic. in 6. nisi quando est toleratus, & inducitur a fidelibus. Si verò à iudice de facto admittantur, & eis non obiiciatur excommunicatio, patrocinia ab ipsis facta valida sunt, quia nullibi irritantur, & in eo euentu poterunt pro illis stipendia accipere.

Denique infertur, excommunicatum non posse esse tutorem, seu curatorem. Contractus verò ab eo facti quamuis illiciti, validi sunt; quia nullum datur ius eos irritans.

Sectio IX.

De octauo effectu excommunicationis maioris.

100. Octauus effectus excommunicationis maioris est, priuatio ciuilis & politicæ externæ communicationis, & non loquimur de excommunicatis toleratis. nam, vt sæpiùs dictum est, cum his excommunicatis possunt fideles communicare, licèt ipsi non possint se ingerere in tali communicatione priuata externa, quia Extrauagans non est facta in fauorem primò & per se illorum, sed aliorum fidelium. Loquimur ergo de excommunicatis vitandis, & non toleratis.

101. Sit conclusio. Hi excommunicati priuati sunt omni ciuili & politica externa communicatione aliorum fidelium, ex cap. *Cum excommunicato* 11. quæst. 3. cap. *Nuper*, cap. penult. de sentent. excommunic. Quæ prohibitio intelligenda est, tam de actiua, quàm de passiua communicatione; vt neque ipse possit communicare cum aliis, neque alij fideles possint communicare cum illo, sed potiùs teneantur illius communicationem fugere.

102. Omnia verò in quibus excommunicati vitandi sunt, continentur his versibus.

Si pro delicto anathema quis efficiatur,
Os, orare, vale, communio, mensa, negatur.

Per *os* prohibetur, dari osculum pacis excommunicato non tolerato, & omne aliud signum beneuolentiæ, vel amicitiæ, vt amplexus, missio munerum, vel receptio illorum, vel loqui cum eo per signa, vel per nutus, ipsum audire data opera, ita vt intelligatur communicare cum illo, scribere, & mittere ad eum nuntium, & ab eo recipere literas, vel nuntium.

103. Per *orare* prohibetur, communicare in recitando, aut cantando simul, aut alternatim, diuinum officium, vel idem sacrum audiendo; non tamen prohibetur quando quis est in eodem loco cum eiusmodi excommunicato non tolerato, & pulsatur *alas Auemarias* recitare simul *Auemaria*, quia

hæc tantùm est communicatio materialis, non verò formalis.

104. Per *vale*, prohibetur omnis honorifica salutatio, qua significetur bona æstimatio, vel reuerentia facta tali excommunicato, non solùm verbalis, sed etiam aliis signis facta, vt aperiendo caput, aut assurgendo ei reuerentiam facere. Vnde quod nonnulli Doctores docent, tantùm hîc prohiberi salutationem per verba, & non per signa, & ita licere resalutare eos, quia hoc fit tantùm propter vrbanitatem, non videtur probabile ab intrinseco, licèt sit probabile ab extrinseco, propter Doctores graues, & fauet praxis communiter recepta: alias etiam liceret ad huiusmodi excommunicatos scribere, eos salutando, & ita tenent Vazquez dub. 8. & Suarez disp. 15. sect. 1. quia illa est vera salutatio exterior, & vera communicatio. Nihilominus non prohibetur salutare hos excommunicatos salutatione deprecatoria, vt, Deus te conuertat, illuminet, &c.

105. Per *communionem*, vt nomen hoc à cæteris distinguitur, prohibetur cohabitatio, conessio, simultanea sessio, cooperatio in negotiis & contractibus petentibus mutuam operam, & generaliter quicumque contractus emptionis, venditionis, locationis, donationis, & mutui, cuiuscumque alterius actus legitimi, & collaborate, iter agere simul socialiter. Vbi semper attendendum est in huiusmodi rebus, an secundùm prudentiam communicatio intelligatur formalis, an verò materialis tantùm, quia non prohibetur esse in eadem ciuitate simul, vel platea, vel vico, imò neque in eadem domo quomodocumque, sed prohibetur formalis communicatio. In particulari verò iudicare quando in prædictis intelligatur formalis communicatio & aliqua societas, spectat ad iudicium prudentis, attentis circunstantiis.

106. Denique per *mensam*, prohibetur communicatio externa in mensa, v.g. se inuitando ad conuiuium, vel inuicem, vel si alter tantùm alterum inuitet, vel habitando socialiter in eodem cubiculo, vel etiam in diuersis socialiter. Si tamen contingeret in eadem mensa, cubiculo, vel lecto esse, & intelligeretur tantùm communicatio materialis, & non formalis, non intelligeretur hoc prohibitum. v.g. si in eadem mensa, vel etiam in eodem lecto vnusquisque esset tanquam hospes extraneus, tunc enim potest concipi tantùm materialis communicatio; hoc verò secundùm prudentiam iudicandum est in casibus particularibus.

107. Inquires, quale peccatum sit facere contra prohibitionem communicationis externæ priuatæ. Respondeo iam ex suprà dictis constare, communicationem in diuinis, v.g. in sacramentis, in diuinis officiis solemniter, seu publicè celebratis, & in ecclesiasticè sepeliendo, & in beneficiis Ecclesiasticis, ex se esse peccatum mortale, ob grauitatem materiæ; quamuis per accidens possit esse veniale, ob eiusdem materiæ parultatem. Loquimur ergo de communione ciuili, politica, externa, & priuata, de qua dicendum est cum communi sententia, ex se tantùm esse veniale, quia est materia leuis, & maximè vulgaris, & frequens, & facilè quis labitur in eam; & non est credendum de pietate Ecclesiæ has res frequêres, & ex se leues, præcipere sub mortali.

108. Erit tamen prædicta communicatio mortalis, primò si fiat ex contemptu formali excommunicationis, & clauium Ecclesiæ, vel quia reputatur talis prohibitio inutilis & vana. Secundò, si prædicta communicatio fiat cum excommunicato in crimine criminoso. Tertiò quando propter talem communicationem incurritur maior excommunicatio, vt in quibusdam casibus, tunc enim est peccatum mortale, nam propter hoc incurritur maior excommunicatio. Quartò quando sub graui attentis circunstantiis, prohibetur talis cómunicatio à Iudice.

Inquires secundò, quam pœnam incurrant qui illicitè communicant cum excommunicato non tolerato. Respondeo pœnam quæ incurritur propter hanc communicationem cum tali excommunicato esse excommunicationem minorem, ex cap. *Nuper*, & cap. *Cùm consideres*, de sentent. excommunic. & in aliis iuribus. Excipiuntur aliqui casus, in quibus punitur excommunicatione maiori. 109.

Primus, quando quis scienter communicat cum excommunicato in crimine criminoso, id est, in eo crimine, ob quod incursa est excommunicatio influendo per se in illud, aut per auxilium, aut per consilium, aut aliter, ex cap. *Nuper*, & ex cap. *Si concubina*. Ad hanc tamen excommunicationem incurrendam requiritur primò quòd communicet in crimine ob quod lata & incursa est excommunicatio. Secundò vt communicet in eo crimine, postquam propter illud fuit excommunicatus. Tertiò quòd communicet sciens illum iam incurrisse excommunicationem. Quartò quòd is cum quo communicat in crimine, sit nominatim excommunicatus, ac proinde non sufficit quòd sit notorius percussor Clerici, neque quòd excommunicationem generaliter latam ob illud crimen incurrerit. Quintò quòd talis nominatim excommunicatus sit etiam publicè denuntiatus. Vbi obserua eum qui incurrit hanc excommunicationem, non posse absolui, nisi ab eo, à quo potest absolui ipse excommunicatus cum quo communicauit.

Secundus casus qui excipitur est, quando Clericus scienter & sponte admittit excommunicatum à Papa ad Officia diuina, & hæc excommunicatio est ipsi Papæ reseruata in cap. *Significauit* 18. de sentent. excommunicat. 110.

Tertius casus est, quando quis communicat cum excommunicato excommunicatione etiam lata contra participantes, seu communicantes cum illo, ex cap. *In dubijs* 30. de sentent. excommunicat. Hæc autem excommunicatio inualidè fertur, nisi feratur specialiter contra certam & determinatam personam eam priùs monendo ne communicet, ex cap. *Statuimus* 3. & cap. *Constitutionem* 9. ac proinde Iudices qui generaliter contra participantes ferunt excommunicationes, nihil faciunt. Quamuis Sotus & Nauarr. existiment obligari sub mortali, quia est noua prohibitio proueniens ex nouo & sufficiente motiuo, vt ob eius transgressionem feratur excommunicatio maior.

Quartus casus est, quando quis scienter & temerariè præsumit sepelire in loco sacro publicè, aut nominatim excommunicatum, vt iam diximus suprà.

SECTIO X.

De causis quæ excusant à communicatione ciuili cum excommunicatis.

EX cap. *Cùm consideret*, de sentent. excommunic. & cap. *Quoniam multos* 11. quæst. 3. excusant à peccato, sequentia contenta in his versiculis. 111

Hæc anathema faciunt, nec possunt obesse,
Vetile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Prima

112. Prima particula est *Vtile*. Sit ergo regula generalis, ob vtilitatem spiritualem, vel temporalem tam propriam, quàm ipsius excommunicati, potest quis communicare cum excommunicato, quando nequit æquè commodè ab aliis subueniri. v. g. possum ab hoc excommunicato petere consilium, quando æquè bonum ab alio non spero. Similiter possum vti Medico excommunicato non tolerato magis idoneo. Item possum à tali excommunicato petere eleemosynam, & emere necessaria cum maiori commoditate, & debitum ab eo petere, ex cap. *Intelleximus*, de iudiciis. Et non modò propter meam vtilitatem, sed etiam propter vtilitatem ipsius excommunicati, vel in vita, vel in statu, vel in honore & fama, vel propter salutem eius spiritualem. Vnde licitum est habere concionem ad huiusmodi excommunicatos, similiter eos priuatim monere, ad eos scribere ad bonum conscientiæ illorum, & illis dare eleemosynam in communi necessitate, & auxilium & defensionem, si patiuntur iniuriam in fama, honore, & aliis bonis. Et ad prædicta licet vti verbis requisitis ad vrbanitatem, vel salutationem, & etiam aliis verbis, vt notarunt Auila & Vazquez, contra nonnullos, nimis scrupulosè in hoc loquentes. Et ipsi excommunicati possunt hæc omnia petere ab aliis sine vlla culpa.

113. Secunda particula est *Lex*, per quam intelligitur lex matrimonij, ob quam excipitur vxor à prohibitione communicationis cum marito excommunicato, ex Canone *Quoniam multos*, 11. quæst. 13. propter legem matrimonij in redditione & petitione debiti, & in priuata communicatione ciuili. Et eadem ratione licet matito non excommunicato communicare cum vxore excommunicata non tolerata, quamuis caput dictum iuris tantùm loquatur de communicatione vxoris cum marito non tolerato, quia vtrobique est eadem ratio. Quod etiam est verum, non modò quando excommunicatio incutritur, postquam matrimonium est contractum, sed etiam quando excommunicatio præcessit matrimonium. nam quamuis peccauerit contrahens mala fide cum excommunicato non tolerato, nihilominus iam in matrimonio existentes non prohibentur se inuicem communicare, propter rationem capitis citati, ad vitanda pericula animæ quæ essent frequentia si hæc communicatio non liceret; quæ ratio etiam militat siue bona fide, siue mala contractum sit matrimonium, validum enim fuit: sicut etiam sunt validi alij contractus cum excommunicato non tolerato, & ita tenent Sancius lib. 9. de Matrimon. disput. 14. & Suarez disput. 15. sect. 5. qui displicet in eo quod docet, non esse verum quando matrimonium fuit mala fide contractum. Similiter verum est, licèt contingat vtrumque coniugem esse excommunicatum non toleratum, & etiam ante matrimonium incurrisse excommunicationem. Cauendum tamen est, ne ex prædicta communicatione faueatur contumaciæ in excommunicatione, ex hoc enim capite possit reddi illicita talis communicatio, quia esset iam communicatio in crimine criminoso.

114. Ex quo infertur, si excommunicatio feratur in participantes cum excommunicato in communicatione prædicta, non intelligi vxorem, vel maritum, inter quos, vt diximus, licita est participatio in communicatione dicta, nisi ob aliquam causam particularem inter hos iudicaret superior, adhuc prædictam communicationem non esse licitam. Et quod diximus de matito & vxore respectu communicationis licitæ, intelligitur etiam quando matrimonium non est consummatum, sed tantùm est sponsa de præsenti, & mattimonium est ratum. Quare non intelligitur de sponsa de futuro, siue in sponsalitiis de futuro. Neque etiam intelligitur quando coniuges per diuortium legitimum sunt separati, quia tunc dispositio capitis *Quoniam* non habet locum, quia tunc non sunt pericula animæ frequentia, cùm sint separati; licet re vera non obstante excommunicatione possint reconciliari, & facta reconciliatione gaudere concessis in prædicto capite.

115. Tertia particula est *humile*, & significat seruitutem, ob quam possunt communicare hac priuata communicatione ciuili subiecti alicui, vt filij cum parentibus, serui, vel famuli, vel mancipia, & alij seruientes cum suis dominis excommunicatis etiam de participantibus, propter debitum quod filij habent ad parentes, & serui ad dominos, eodem modo ac si non essent excommunicati respectu huius ciuilis communicationis, quia ius absolutè loquitur sine restrictione ad res, ad officium tantùm pertinentes. Et per filios intelliguntur non solùm non emancipati & sub cura parentum existentes, sed etiam emancipati in domo parentis ab eo sustentati: imò & emancipati extra domum parentis existentes extra eius dominium, secundùm Paludanum in 4. dist. 18. quamuis id neget communis sententia, quia etiam hi filij tunc tenentur parenti obedire, & eum honorare. Et idem dico de illegitimis respectu parentis ob easdem rationes, quia cùm ius non restringat, nec nos restringere debemus. Filiis verò adoptiuis extra curam & domum parentis existentibus negatur talis communicatio, quia tunc absolutè censentur extranei: si verò sint in domo parentis, idem dicendum est sicut de aliis filiis. Nomine etiam filiorum comprehenduntur qui moraliter filij censentur, & tales reputantur, v. g. nurus, gener, dum simul viuunt, & potiori iure idem dicendum est de nepotibus, & pronepotibus respectu aui, vel progenitorum, quia de his philosophandum est sicut de filiis naturalibus. Et idem etiam est de pupillo respectu tutoris, tempore curæ.

116. Similiter possunt serui communicare cum dominis non toleratis in omni humana ciuili priuata communicatione, dum in eorum sunt seruitio. Idem est de rusticis, id est, colonis, vel villicis ruri inseruientes, qui possunt communicare eodem modo cum dominis excommunicatis, quia Canon non restringit vt tantùm communicent in his, quæ muneris sunt, sed absolutè loquitur. Fauet etiam ratio Canonis, scilicet ad deuitanda animæ pericula, & ad tollendos scrupulos seruientium, an scilicet hoc esset sui muneris, an non, & ita tenet Auila 2 parte cap. 6. disp. 11. dub. 6. vbi alios refert. Imò probabile est prædictos etiam in diuinis posse communicare, v. g. comitando dominos non toleratos ad diuina, Horas Canonicas recitando cum eis, vt docent idem Auila cum Nauarr. cap. 27. num. 27. quia ius non restringit.

117. Similiter Religiosi secundùm præfatos Doctores, possunt in omnibus dictis non modò in ciuili priuata communicatione & subiectione religiosa, sed etiam in diuinis, communicare cum superiore non tolerato, sicut diximus de filiis & seruis, vt docet idem Auila citatus; habent enim hi Prælati potestatem temporalem & politicam ad gubernationé domus Religiosorú, non modò respectu professorum,

Digitized by Google

sed etiam nouitiorum, & licèt iurisdictio spiritualis sit suspensa in superiore non tolerato, nihilominus re vera manet superior, & si faciat tunc contractus aliquos in fauorem saltem Monasterij sunt validi, & si professionem alicuius nouitij completo anno admittat, vel committat alteri ad admittendam professionem, valida erit professio, vel talis commissio; hæc enim non sunt actus iurisdictionis, sed superioritatis cuiusdam, qua non priuatur ob excommunicationem non toleratam; ac proinde potest manere superioritas sine vsu iurisdictionis, vt rectè probat Sancius lib. 5. in Decalogum cap. 4. num. 78. & sicut prædictis inferioribus omnibus licita est illa communicatio cum superiore non tolerato, ita similiter licita est superioribus non excommunicatis cum suis inferioribus non toleratis, propter easdem rationes: sicut diximus de marito non excommunicato respectu vxoris non toleratæ; non enim debet esse melioris conditionis superior non toleratus, quàm non excommunicatus.

118. Similiter sicut licèt filiis & seruientibus communicatio dicta cum patre, vel domino non tolerato, & patri, vel domino cum filiis & famulis non toleratis: ita quando vnus filius est non toleratus, & sunt alij filij, & vnus famulus non toleratus, & sunt alij non excommunicati, possunt communicare cum illo non tolerato; sicut & pater, vel dominus cum quo censentur idem: aliàs esset moraliter difficile vitare illam communicationem, & essent mille scrupuli, vt rectè annotat Suarez; quod tamen non est satis firmum, nisi quatenus necessarium est, vt communicent cum superioribus, & superiores cum ipsis.

119. De Clericis verò secularibus respectu Episcopi, si sint eius familiares, vel seruientes, & domestici, idem est dicendum quod de famulis, quia in hoc nulla potest signari differentia. Si verò non sint ei seruientes, vel eius familiares, sed subditi communiter sicut & laici, tunc non possunt Clerici communicare cum Episcopo non tolerato, nisi in necessariis, ex cap. *vltimo*, de excessibus Prælatorum.

120. Vasalli verò, vel subditi alicui in iurisdictione temporali, non possunt communicare cum dominis excommunicatis non toleratis in priuata dicta ciuili communicatione, neque dominus cum illis, ex cap. *Nos Sanctorum* 5. quæst. 6. quia, moraliter loquendo, non est necessaria hæc communicatio, sicut est necessaria cum aliis dominis particularibus, cum quibus est cohabitatio; nihilominus propter vexationes, & alia quæ possunt timere hi subditi, sæpe numero possunt excusari; dum verò non excusantur nisi in necessariis ad suum munus, vel iura exigenda, communicare nequeunt.

121. Quarta particula est *Res ignorata*, qua significatur, ignorantiam excusare à prædicta communicatione, quod intelligitur tam de ignorantia facti, id est, quando ignoratur illum esse excommunicatum non toleratum, quàm iuris, id est, esse peccaminosam illam communicationem, & propter illam impositam esse excommunicationem minorem. Et quidem si intelligatur de ignorantia inuincibili, res est sine controuersia. An verò solùm ignorantia affectata non excuset ab incurrenda hac excommunicatione, & excuset omnis alia vincibilis, diximus disputatione præcedenti. In dubio verò non peccat quis communicando, imò non potest tractari vt excommunicatus absque iniuria illius, quia in dubiis melior est conditio possidentis. Itaque requiritur notitia moraliter certa non modò excommunicationis, sed etiam denuntiationis eiusdem, aut incursionis notoriæ in excommunicationem, aut percussionem Clerici. Postquam verò quis certò nouit aliquem esse excommunicatum non toleratum, tandiu est ab ipso vitandus, quandiu ipsi non constet probabiliter esse absolutum. Sufficiet ad id quod plures fide digni id pro certo affirment, imò quando vnus, vel ipsemet excommunicatus, si fide dignus sit. Sufficiet quoque fama publica absolutionis.

Vltima particula est *Necesse*, qua significatur necessitatem excusare à prohibitione prædictæ communicationis, siue hæc necessitas spectet ad animam, siue ad corpus, siue ad famam, siue ad alia temporalia bona alicuius momenti, ex quocumque capite oriatur, vel ex vi, vel ex metu graui, & coincidit hæc particula cum alia, scilicet *vtile*, suprà explicata, & intelligitur necessitas siue ipsius non tolerati, siue alterius cum eo communicantis, & non requiritur extrema, vel grauis, sed sufficit vera indigentia, etiam quando eleemosyna est tantùm sub consilio, & similiter quando communicatio est necessaria ad vitandum damnum. 122.

Denique restant duo obseruanda.

Primum est, excommunicationem maiorem etiam habere alium effectum, efficit namque nulla rescripta Papæ ab excommunicato impetrata & processum virtute illorum factum, super alio quàm super excommunicationis, aut appellationis articulo, ex cap. 1. *de Rescriptis* in 6. nisi rescripta dentur cum clausula absolutionis ad effectum validationis eorum. 123.

Secundum est præter dictos effectus excommunicationem maiorem habere alios effectus remotos. *Primus* est, pœna quæ incurritur ob transgressionem excommunicationis, vt est irregularitas quam incurrit Clericus qui excommunicatus exercet vt minister, seu solemniter officium Ordinis sacri, quem habet ex cap. 1. de sentent. & re iudicata. Et suspensio, quam incurrit qui excommunicatus ob percussionem Clerici suscipit Ordinem, ex cap. *Cùm illorum* 12. de sentent. excommunic. *Secundus* effectus est, eum qui ob aliquod crimen conuenitur, & ob contumaciam excommunicatur, & in excommunicatione per annum perseuerat, censeri conuictum de eo crimine, ex Cano. *Rursus*, & ex Cano. *Quicumque*, & qui suspectus de hæresi, vocatur ab Inquisitoribus, & non comparet, & ob id excommunicatur, & in excommunicatione per annum perseuerat, censetur conuictus de hæresi, ex cap. *Cùm contumacia* 7. *Tertius* effectus est, eum qui aliqua censura innodatus obdurato animo in ea per annum perseuerat, fieri suspectum de hæresi, ex Trident. sess. 25. cap. 3. & debet abiurare de leui, in quo si deficiat, poterit puniri vt hæreticus. 124.

Sectio XI.

Quomodo tollatur excommunicatio.

EX dictis disput. præcedenti sect. 6. facilè potest colligi, quænam sint causæ, propter quas ligatus censuris non teneatur eas seruare; excusant enim metus grauis, vis, coactio, infamia, & scandalum, & ideo non est necesse vt in explicatione harum causarum immoremur: quare deinceps explicandum est, quomodo excommunica 125.

Digitized by Google

communicatio tollatur; hæc autem iuxta communem Doctorum sententiam duobus modis potest tolli, scilicet per eius cessationem, vel per absolutionem.

116. Prima conclusio, quando excommunicatio fertur ad tempus certum, cessat eo completo, est cap. *In loco* 5. quæst. 4. Et ratio est, quia excommunicatio maior est pœna lata à iure, vel ab homine; ergo non durat amplius, quàm vult inflictor ipsius: & hoc idem, & ob eamdem rationem contingit in suspensione, & interdicto; sicque tunc non est necessaria absolutio, sed ipsa ex se cessat finito tempore, quia tantùm fertur vsque ad eum terminum cum carentia voluntatis prolongandi excommunicationem post illum terminum; ac proinde ex defectu voluntatis eam promulgandi, ipsa ex se cessat.

117. Quando verò excommunicatio est lata ab homine, cessat morte illius qui eam tulit, & ita de nouo non incurritur: si tamen est iam incursa, & si qui eam tulit moriatur, necessaria est absolutio à potente absoluere. Secuta verò satisfactione, vel emendatione, non eo ipso tollitur censura iam contracta, ex cap. *Cùm desideres*, de sentent. excomm. Si verò dicatur in censuræ impositione hoc modo: Sit censura ligatus donec satisfecerit, in hoc casu secuta satisfactione intelligitur iam absolutio, seu ablata censura ex iudicis intentione. nam tunc iam manifestatur voluntas iudicis non volentis prolongare censuram posita illa conditione. Si verò dicatur hoc modo, si satisfecerit, absoluatur, tunc necessaria est absolutio de nouo.

118. Secunda conclusio. Quando censura tollitur per absolutionem, dicitur propriè tolli, & secundùm fidem residet in Ecclesia hæc potestas, cùm sit ad ædificationem, & tali absolutione ab excommunicatione eget qui moritur excommunicatus, ex cap. *A nobis*, 2. & cap. *Sacrum*. Et per illam absolutionem declaratur posse à viuis pro tali mortuo orari nomine totius Ecclesiæ; licèt enim in mortuum non feratur censura, potest tamen in eo manere effectus censuræ ab eo contractæ dum viueret. nam neque eius corpus non potest in loco sacro sepeliri, neque pro eius anima nomine Ecclesiæ orari, & sic est vera absolutio quoad actus viuorum.

119. Vt autem defunctus post mortem absoluatur ab excommunicatione, requiritur, vt ante mortem dederit signa contritionis ad minus, vel intelligatur moraliter decessisse in gratia, in quo casu tantùm est absoluendus ab eo, qui poterat absoluere extra articulum mortis à censura, tunc enim iam non est necessitas articuli mortis. Tenetur verò hanc absolutionem post mortem procurare hæres defuncti, vel habens curam animæ illius. Si verò defunctus mortuus est in censura occulta, si fieri possit occultè absoluatur, quòd si non possit occultè absolui, omittatur ne infametur. nam probabile est si decessit in gratia, & bona fide, non esse intentionem Ecclesiæ, vtpote piæ matris, hunc priuare suffragiis factis nomine ipsius.

Sectio XII.

Qui possint absoluere ab excommunicatione maiori.

130. IN hac re regula generalis est, excommunicationem maiorem debere tolli per habentem potestatem, vel iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam, siue per priuilegium cuius tenor semper diligentes est attendendus, & respiciendus modus excommunicationem reseruandi, à quo sit reseruata, vt ex sequentibus magis constabit.

131. Prima conclusio. Ab excommunicatione lata ab homine per generalem sententiam, si non reseruatur in ipsamet impositione excommunicationis, secundùm probabiliorem, & veriorem sententiam, potest absoluere, qui potest absoluere à peccatis. Et ita contra Suarium, & Vazquez tenent Cornejo, Ægidius, Auila, Hurtado, & alij, quos refert, & sequitur Diana tract. 11. de excommunic. resolut. 4. quia eo ipso quòd eius absolutio non reseruatur, committi videtur cuicumque qui potest absoluere à peccato ob quod incurritur, non minus, quàm absolutio à iure lata. Nec obstat, quòd talis excommunicatio est simpliciter ab homine, & non à iure, de qua in cap. *Nuper*, decernitur quòd non possit absolui nisi à iudice qui illam posuit, vel à suo superiore. Nam respondetur, eo ipso quòd hæc excommunicatio æquiparatur excommunicationi latæ à iure, & superior à quo imposita est, eam non reseruauit, videtur absolutionem commisisse cuicumque facultatem habenti: prædictum autem caput loquitur de excommunicatione speciali, & non per sententiam generalem lata. Itaque ab excommunicatione lata in particulari in aliquem, tantùm potest absoluere qui eam tulit, vel eius superior, vel successor habens æqualem potestatem in officio, vel qui habuerit commissionem, vel priuilegium à potente concedere, ex cap. *Propositi*, de foro competenti.

132. Ab excommunicatione incursa ante appellationem potest absoluere ille ad quem est appellatum, ex cap. *Per tuas*, de sentent. excommunic. Et potest etiam absoluere iudex ille, à quo quis appellauit, etiam durante appellatione, quia hic non amisit iurisdictionem in hoc; neque hoc impedit appellationem, siue eius effectum, ex cap. *Cùm cessante*, & cap. *Cùm teneamur*, & cap. *Si audiui*, de appellationibus, quod etiam militat in iudice delegato, quamuis de hoc aliqui negent. Ligatus verò excommunicatione ad instantiam partis, tantùm potest absolui ab habente aliàs facultatem, & non ab eo quem voluerit pars signare, quia pars non dat iurisdictionem, ex cap. *de Causis*, de officio legati.

133. Secunda conclusio. Ab excommunicatione à iure communi non reseruata Pontifici expresè, ex vi iuris communis potest absoluere, qui potest absoluere à peccatis, ex cap. *Nuper*, de sentent. excommunic. Quia conditor Canonis, dum non reseruauit sibi absolutionem, specialiter sibi eam non retinuit. Et idem dicendum est de excommunicatione non reseruata lata per statuta particularia, Diœcesum, Prouinciarum, ex cap. *Nuper*, citato, & ita tenet communis sententia cum Suario disp. 7. sect. 2. Qui ergo habet potestatem siue ordinariam, siue delegatam, absoluendi aliquem è mortalibus, poterit eumdem absoluere à prædicta excommunicatione non reseruata.

134. Tertia conclusio. Ab excommunicatione reseruata potest absoluere reseruans, vel eius successor, vel superior, vel habens potestatem delegatam, vel priuilegia; Episcopus verò ex Tridentino potest absoluere ab excommunicatione reseruata Papæ quando delictum est occultum, imò quando est publica excommunicatio, & excommunicatus est impeditus, ita vt non possit recurrere ad Papam,

Digitized by Google

ex cap. *De cætero*, de sentent. excommunicat. & ita tenet Nauarr. cap. 27. num. 9. Hæc autem impedimenta sunt. Primò periculum mortis in itinere. Secundò infirmitas longa, etiamsi periculosa non sit, ex cap. *De hiis*, & cap. *Quamuis*. Tertiò paupertas, nemo enim tenetur mendicare, vt ad Curiam vadat pro absolutione, nisi aliàs mendicus esset, tunc enim ire tenetur, nisi fortè mendicando se, vxorem, atque filios aleret, & ad hanc paupertatem reducitur obligatio alendi vxorem, filios, ac familiam proprio labore. Quartò, ætas siue senilis, siue puerilis, hæc in puberibus. Quintò, sexus fragilitas, vt examina cuiuscumque conditionis. Sextò, qui sui iuris non est, sed alteri adstrictus, vt filiusfamilias, & seruus qui Papam adire non possunt, sine præiudicio parentis, vel domini. Septimò, curam animarum, vel temporale dominium habentes, quando timetur quòd per absentiam oues, aut vasalli detrimentum patiantur. Octauò, debilitas in viris delicatis qui labores itineris sustinere non valent, siue etiam debilitas in membris, vt cœcus, & claudus; siue quodlibet aliud impedimentum, quod arbitrio prudentis legitimum iudicetur. Et hæc omnia constant ex variis iuribus in quibus sic decernitur. Adde contra Nauarrum num. 89. quòd si excommunicatus impeditus est ex supradictis causis adire Papam, non tenetur adire Legatum, vel alium habentem priuilegium Papæ ad absoluendum, sed satis esse non posse adire Papam, vt ab Episcopo absolui possit, quia nullibi ampliùs requiritur vt possit Episcopus absoluere, nisi quòd non posset Pontifex adiri.

135. Excipitur communiter ab hac regula respectu Episcoporum hæresis, etiam occulta externa procedens ab interna, propter specialem grauitatem huius peccati, & propter declarationem Cardinalium quæ fertur esse de hac re, vt videre licet in Sancio lib. 2. Decalogi cap. 11. Quamuis nonnulli contrarium sentiant. An verò nunc possit Episcopus vti prædicta concessione Tridentini quoad casus Bullæ Cœnæ Domini, & quoad excommunicationes eis annexas. Affirmant Enriquez, Ledesma, Rodriguez, Lorca, Granados, & probabile iudicat Auila, & Ægidius quoad omnes casus, excepto hæresis. Alij verò negant, Toletus, Azor, Molina, Suarez, & plures alij, quos omnes refert Hurtado disp. 15. diff. 3. Qui vtramque opinionem iudicat probabilem etiam quoad casum hæresis, vbi obseruat variis Religionibus concedi facultatem absoluendi ab omnibus excommunicationibus Papæ reseruatis, & per Bullam Cruciatæ concedi vt eam habentes semel in vita, & iterum in articulo mortis possint absolui à sacerdotibus approbatis ab excommunicationibus Papæ reseruatis, etiam contentis in Bulla Cœnæ, excepta excommunicatione hæresi annexa.

136. Obseruandum etiam est, quando Papa dat facultatem à sibi reseruatis, dare etiam facultatem à reseruatis cuicumque inferiori; aliàs non posset habere effectum illa facultas à Pontifice data, & ita præsumitur Papam velle. Quando verò intelligatur dari facultas à superiore reseruante alteri ad absoluendum à reseruatis, inspicienda sunt verba in tali facultate; siue hæc detur ore ad os, siue detur per rescriptum: & ex circumstantiis est colligendum, an facultas illa extendatur ad reseruata, quando non habetur expressè, sed datur per verba generalia. Quando verò Episcopus dat alicui facultatem, vt possit excipere confessiones, ex hoc non intelligitur dare facultatem à sibi reseruatis.

Deinde obseruandum est, in priuilegiis, vel Bullis, in quibus datur facultas generalis absoluendi ab omnibus censuris reseruatis, non intelligi casus Bullæ Cœnæ Domini, quia cùm huiusmodi casus peculiariter excipiantur à Pontifice, ob rationem peculiarem, indigent expressa, & peculiari declaratione, in talibus Bullis, vel priuilegiis. Nam, vt habetur de regulis iuris 81. in 6. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset concessurus in specie veri similiter. nam ob peculiarem rationem non sunt hæc priuilegia ita amplè interpretanda. Et similiter, si detur facultas absoluendi à peccatis, & censuris contentis in Bulla Cœnæ Domini, non intelligitur dari facultatem absoluendi ab hæresi nisi exprimatur, propter eamdem rationem regulæ. Quamuis contrarium, videlicet facultatem generalem Pontificis absoluendi ab omnibus sibi reseruatis nihil excludere, non sit improbabile, neque qui sequeretur aliqua nota esset censurandus, iuxta Suarez sect. 2. Quia cùm huiusmodi priuilegia dentur in animarum fauorem, videntur ita latè interpretanda: & præter Doctores suprà allegatos de hæresi occulta in tali priuilegio dari facultatem, apertè docet Graffis lib. 4. cap. 18. n. 2. & cap. 25. num. 56. 137.

Denique obseruandum cum Suario disp. 30. de Pœnitent. sect. 3. vbi hanc regulam statuit. Quoties non patet aditus ad Papam, vel eius legatum, vel delegatum, nisi cum magna difficultate, & mora posse quem absolui ab inferiore sacerdote iurisdictionem habente, cum onere comparendi coram Papa, vel obtinendi ab eo facultatem. 138.

Quarta conclusio. In periculo, seu articulo mortis, omnes sacerdotes etiam simplices, possunt absoluere à quacumque excommunicatione reseruata, sicut & à peccatis reseruatis, ex Tridentin. sess. 14. cap. 7. Quia in hoc casu omnes sacerdotes habent æqualem iurisdictionem saltem ex voluntate Pontificis, & Concilium indistinctè loquitur. Hoc autem etiam est verum secundùm probabilem multorum sententiam, quamuis adsit sacerdos qui aliàs posset, & haberet iurisdictionem; quia cùm Concilium non distinguat, non est cur nos distinguamus: & respectu cuiuscumque sacerdotis militat ratio Concilij, *Ne scilicet hac occasione, aliquis existens in tali articulo pereat.* quòd enim sit præsens is qui aliàs habet iurisdictionem, hoc est per accidens, & ita tenent Nauarr. Sà, Rodriguez, Vega, Enriquez, quos refert Sancius lib. 2. Decalogi cap. 12. Et quamuis ipse oppositum teneat, dicens num. 12. tantùm posse in eo articulo absolui à censuris reseruatis impedientibus sacramentorum receptionem, vel Ecclesiasticam sepulturam, v. g. ab excommunicatione, & ab interdicto personali, non verò à suspensione ab Ordine, vel beneficio, vel officio, vel ab irregularitate Hoc tamen non placet, quia cùm Concilium non distinguat, sed absolutè concedat ab omnibus reseruatis, non est cur distinguamus. 139.

Vbi nota etiam primò, si in tali articulo contingat non posse absolui à peccatis, quia, v. g. infirmus non esset sanæ mentis, nec vlla dedisset signa contritionis, nihilominus absoluendus est à censuris, vt sepeliri possit in loco sacro, vel etiam vt fiant pro illo suffragia nomine Ecclesiæ, vt rectè obseruat Suarez disp. 7. sect. 7. & si non esset sacerdos præsens, absoluat clericus primæ tonsuræ 140.

tonsuræ à censuris. nam proderit hæc absolutio ad Ecclesiasticam sepulturam, & ad prædicta suffragia secundùm probabilem sententiam, videndus Sancius num. 13. Imò, & deficiente clerico primæ tonsuræ, absoluat laicus à censura, quia secundùm probabilem sententiam in eo articulo, clerico absente, vel nolente, potest laicus validè ab ea absoluere secundùm præsumptam voluntatem Pontificis; & addit Sancius ita debere fieri cùm sit probabilis ea opinio, quam probabilem etiam reputat Auila cap. 7. disp. 1. dub. 3.

141. Secundò nota, quando confessarius absoluit in articulo mortis à censuris reseruatis ob magna crimina, v. g. propter peccata reseruata in Bulla Cœnæ, vel propter manifestos clericorum percussores, vel propter incendiarios, debet curare vt absoluendus det cautionem, vt patet ex Bulla Cœnæ, & ex cap. *De catero*; ea autem captio est, vt absoluendus iuret se pariturum Ecclesiæ, & hoc iuramentum est præstandum etiam facta satisfactione, quia præcipitur vt excommunicatus caueat de cætero similia crimina, ex cap. *Cùm desideres*, de sentent. excommunic. quod iuramentum quando sit exigendum à pueris, vel impuberibus, relinquitur arbitrio absoluentis, & ab impuberibus non solet exigi propter peccatum ante pubertatem, etiamsi post pubertatem detur absolutio. Materia autem huius iuramenti de parendo Ecclesiæ est, ne iterum illud peccatum faciat, propter quod incidit in excommunicationem reseruatam. Deinde in casibus Bullæ Cœnæ absoluens in articulo mortis, exigat ab absoluendo cautionem de satisfaciendo si sit facienda aliqua satisfactio; ista autem cautio sit pigneratitia, vel si hæc nequeat dari, sit fideiussoria, vel si hæc nequeat esse, sit iuratoria; & relinquitur prudentis arbitrio quænam ex his cautionibus sit facienda, & semper debet præmitti, si fieri potest, ne absoluens peccet.

142. Tertiò nota, in eodem articulo mortis, vel alio impedimento, absoluens ab excommunicatione reseruata Summo Pontifici, vel alio, siue à iure, siue ab homine, moneat absoluendum, vt cessante morbo, vel impedimento se præsentet coram superiore, qui extra illum casum poterat illum absoluere; quia si cùm possit, non se præsentet, reincidet in eamdem excommunicationem reseruatam, ex cap. *Eos qui*, de sentent. excommunic. in 6. Quando verò casui reseruato non est annexa excommunicatio, non est imponendum illud onus, quia absolutio fuit directa, & nullo iure imponitur talis obligatio se præsentandi deinde coram superiore. Tempus autem quo cessante impedimento tenetur se præsentare absolutus in articulo mortis ab excommunicatione reseruata ne reincidat, taxandum est prudentis arbitrio, attentis circumstantiis personæ, loci, & temporis, ita vt non intelligatur negligentia, vel fraus. Et hoc onus se præsentandi est imponendum sub iuramento, exceptis pueris; ita vt absoluendus iuret se præsentaturum coram superiore cùm poterit, ex cap. *Ea noscitur*. Quæ quidem præsentatio non est vt reus absoluatur cùm iam sit absolutus, sed vt superior medicinam, vel satisfactionem necessariam imponat.

143. Quartò nota, hoc onus se præsentandi esse personale, & non transire ad hæredes, sed tantùm onus restituendi, si defunctus tenebatur aliquid restituere. Perseuerat etiam hoc onus se præsentandi, adhuc satisfacta parte, contra Nauarr. & Enriquez, vt docet Suarez disp. 22. sect. 1. quia præsentatio ista non solùm est facienda vt fiat satisfactio, sed est pœnitentia imposita propter tale delictum, & satisfactio requisita pro illo: & hanc obedientiam vult Ecclesia, quamuis non sit alia pars cui debeatur satisfactio, & ita imponitur in absolutione cuiuscumque excommunicationis reseruatæ; cùm tamen non omnis excommunicatio reseruata habeat annexam satisfactionem. Et hoc onus se præsentandi non est imponendum habenti impedimentum perpetuum, ex cap. *Quamuis*, de sentent. excommunic. in 6. Nam si impedimentum nunquam cessabit, inutiliter ponitur illud onus se præsentandi. Quòd si confessarius per obliuionem, & inaduertentiam, non petat tale iuramentum, adhuc pœnitens tenetur se præsentare, ex cap. *Eos qui*, de sent. excommun. in 6.

144. Quintò nota, qui in articulo mortis virtute Bullæ, vel Iubilei absoluitur à censuris reseruatis, non esse ei imponendum hoc onus se præsentandi, quia priuilegium hoc dat, alias nihil daret. Ita Suarez de Pœnitentia disp. 30. sect. 1. Qui verò carens priuilegio absoluitur in articulo mortis cum tali onere, si deinde euadat, & accipiat priuilegium, potest per illud absolui ab excommunicatione reseruata, & tunc cessabit illud onus se præsentandi. nam prima absolutio sine priuilegio, non impedit nouam absolutionem per priuilegium, sic Sancius num. 32.

145. Sextò nota, huic obligationi se præsentandi posse satisfieri per procuratorem, & etiam per litteras, quia quod per procuratorem facimus, per nos dicimur facere, secundùm ius: quod limita in absolutione excommunicationis percussoris clerici, ex cap. *Quod de his*, de sentent. excommunic. propter peculiarem rationem grauitatis huius delicti, quod non est extendendum ad alios casus, vt perperam nonnulli volunt. Imò etiam in percussione clerici posse fieri per procuratorem, si aliqua iusta causa sit, tenet Sancius num. 33.

146. Septimò nota, quòd in articulo mortis quilibet absoluendus est ab excommunicatione, vel censura reseruata, si nullam possit præstare cautionem. nam nullus ad impossibile tenetur, ita idem Sancius num. 34. & 35. vbi rectè obseruat, si confessarius quando potest dari cautio se præsentandi, hanc omittat petere, vel per obliuionem, vel per negligentiam, vel per ignorantiam in tali articulo, absolutionem tamen tenere: & idem est de aliis cautionibus, & idem dicendum esse extra articulum mortis, si sit facultas absoluendi: quod etiam docet in excommunicationibus Bullæ Cœnæ: vnde licèt illicita sit talis absolutio, cùm secundùm formam iuris solitam requirantur illæ cautiones, non tamen erit irrita absolutio, vel inualida, nisi aliter aliquando exprimatur.

SECTIO XIII.

An sit licita absolutio ab excommunicatione, data nolenti, vel absenti.

147. CIrca primum conueniunt Doctores, validam esse absolutionem datam nolenti, & inuito; an verò sit licita, est difficultas. In quâ re loquendum est cum distinctione de absoluente per potestatem ordinariam independentem à voluntate excommunicati, vel per Bullam Cruciatæ, vel per Iubileum, vel aliud priuilegium concessum in fauorem pœnitentis: & si hoc posteriori modo loquamur,

Digitized by Google

quamur, exiſtimo, non poſſe abſolui nolentem, & inuitum, quia vſus priuilegij pendet ex voluntate vtentis illo; ac proinde ſi excommunicatus non vult vti eo priuilegio, neque confeſſarius habet facultatem abſoluendi virtute illius. Si verò loquamur priori modo, cenſeo, attentis aliquibus circumſtantiis, abſolutionem ab excommunicatione collatam inuito licitam eſſe. v. g. quando iudex cognoſcens quòd excommunicatio non prodeſt, ſed obeſt, & conſequenter non eſt medicina, ſed venenum, eo quòd excommunicatus non velit deſiſtere à contumacia; tunc enim ſi iudex prudenter cognoſcat quòd ſi abſoluatur etiam inuitus, & contumax, hoc illi proderit, licitè poterit ipſum abſoluere, & ita tenent Suarez, Vazquez, Turrianus, & Fabrus, quos refert, & ſequitur Diana reſolut. 10. Quod intelligendum eſt non ſolùm de abſolutione ab homine, ſed etiam de abſolutione à iure, ſi adſint tres conditiones: Prima, niſi in iure caueatur, vt nullo modo abſoluatur, niſi ſatisfaciat. Secunda, quòd non ſit in præiudicium tertij. Tertia, quòd non adſit ſcandalum, nec contemptus cenſuræ.

148. Circa ſecundum conueniunt etiam Doctores, abſolutionem ab excommunicatione datam abſenti validam eſſe, quando non eſt annexa abſolutio excommunicationis, ſacramentali abſolutioni, vel confeſſioni. Eſt tamen grauis difficultas, an abſolutio cenſuræ data abſenti, habeat effectum ab inſtanti quo datur ab abſoluente; an verò ab inſtanti quo talis abſolutio peruenit in notitiam rei antea ligati excommunicatione. Quæ difficultas generalis eſt de aliis gratiis, an gratia habeat effectum ab inſtanti quo datur, vel ab inſtanti quo legitimè fertur, vel ſciri potuit ab eo pro quo facta eſt talis gratia.

149. In qua difficultate, omiſſis variis dicendi modis Theologorum, vnum vt certum ab omnibus ſupponitur, ſcilicet Principem ſupremum poſſe, ſi velit, dare priuilegium efficax, & validum ante acceptationem, & notitiam in priuilegiato, quia in hoc nulla eſt repugnantia, neque ex parte dantis priuilegium, neque ex parte priuilegij, neque priuilegiati, neque rationis naturalis: & conſtat in priuilegio exemptionis ab aliquo onere; ſicut enim onus imponi poteſt ignorante ſubdito, ſic etiam & tolli: & in Religionibus ſæpe videmus, propter iuſtam aliquam cauſam à ſuperiore tolli onus ieiunandi, etiam repugnante ſubdito. Et de facto aliquando in promiſſionibus, & donationibus, non requiritur acceptatio, neque notitia ad eius valorem, vt conſtat in donatione, vel promiſſione facta abſenti, ſi promittens, vel donans moriatur antequam abſens acceptet: & de promiſſionibus humanis cauſæ pietatis, vel boni publici factis, aliquando in iure diſponitur, vt tradit Couarru. 1. variarum cap. 14. & de infante eſt certum, donationem illi factam ſine vlla acceptatione eſſe validam; ergo non excedit poteſtatem Principis facere validum priuilegium antequam ſciatur, & acceptetur à priuilegiato.

150. Ex quo infertur, attendendum eſſe ad naturam, & conditionem priuilegij. nam aliquando tale eſt, vt non intelligatur egere notitia, vel acceptatione actuali, vel virtuali, ſed ſufficere habitualem, vt in priuilegiis exemptionis ne quis poſſit excommunicari ne ſoluat tributa, vel decimas: huiuſmodi enim priuilegia non egent notitia, neque acceptatione in priuilegiato, ſed habent effectum à tempore conceſſionis, & retrotrahitur effectus ad diem conceſſionis ab inſtanti quo acceptantur, & videmus indulgentiam applicatam animæ purgatorij per modum ſuffragij, non requirere in illa anima notitiam indulgentiæ, vel conſenſum, & acceptationem, vt tradit Suarez de indulgentiis diſp. 53. ſect. 4. Neque eſt certum apud Theologos, an Deus reuelet animæ ſemper per indulgentiam liberari à purgatorio, ſi propter eam liberetur; & tantùm intelligitur in illa anima habitualis quædam acceptatio incluſa impliciter in ipſo ſtatu gratiæ. Imò nonnulli volunt ad lucrandas indulgentias per Bullam Cruciatæ conceſſas danti eleemoſynam, ſatis eſſe vt vnus ſua ſponte talem eleemoſynam pro altero det, & pro illo Bullam accipiat, etiam alio nihil ſciente: quamuis Suarez exiſtimet hoc non ſufficere, ſed ſaltem requiri, vt alter conſentiat, ac proinde neceſſariò eſſe requiſitam notitiam, & acceptationem Bullæ pro ſe ab alio acceptæ; fatetur tamen diſp. 52. ſect. 7. Si aliqua indulgentia obtineatur per ipſam acceptionem Bullæ, ſatis eſſe ratihabitionem poſtea ſubſecutam, quia ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur, ex regulis iuris. Iuxta hæc ergo in indulgentiis conceſſis ignoranti, probabile eſt conceſſionem habere effectum pro tempore quæ fuerunt ignoratæ dependenter à ratihabitione illius pro quo Bulla eſt accepta, ſicut de exemptione ab onere dicebamus; quia indulgentia eſt veluti exemptio à ſoluenda pœna in purgatorio, ſiue ab onere ſoluendi pro peccatis commiſſis, pro quibus in hac vita non erat facta plena ſatisfactio.

151. Nihilominus difficile eſt aſſignare rationem, quare in defunctis quibus applicatur indulgentia, non requiratur ratihabitio actualis in anima cui fit gratia, & requiratur ſemper in viuis. Quod magis vrget in eo qui accipit Bullam pro exiſtente in gratia, qui incidit in amentiam perpetuam, & habet ſoluendas pœnas in purgatorio pro peccatis commiſſis ante amentiam, & pro quibus plenè non ſatisfecit, in quo caſu idem videtur dicendum quod de defunctis exiſtentibus in purgatorio, ſufficere ſcilicet acceptationem habitualem, & non requiri neque actualem, neque virtualem; ergo aliqua ſunt priuilegia talis conditionis, vt ad ſui effectum non requirant in priuilegiato neque notitiam, neque acceptationem actualem, vel virtualem. Per hoc tamen non eſt negandum, priuilegia ordinariè talem acceptationem requirere, vt patet etiam in indulgentiis, in quibus qui eas lucraturus eſt, neceſſariò eſt aliquid facturus. nam vel debet orare pro hac, vel illa intentione Pontificis, ad quod requiritur notitia, & acceptatio indulgentiæ, & ſimiliter in aliis priuilegiis.

152. Sed quidquid de hac notitia, & acceptatione ſit, ad vſum tamen licitum priuilegij, v. g. ad faciendum aliquid, vt ad contrahendum matrimonium, ad non ſoluendum tributa, neceſſariò requiritur notitia ſufficiens, & proportionata: vnde habens diſpenſationem ignoratam, licèt re vera contrahat, ſine dubio malè faciet: & quamuis aliquis faciat opus cui lex præmium dat, vel promittit, non poteſt licitè præmium ſibi aſſumere, niſi ſufficienter probet tale opus feciſſe.

153. Itaque dicendum eſt, regulariter loquendo requiri notitiam, & acceptationem in priuilegiato, ſaltem per alium, v. g. per procuratorem, nuntium, vel epiſtolam, quando aliud non exprimitur in forma priuilegij, vel gratiæ, ſed abſolutè datur à Principe, vt conſtat etiam in priuilegio dato per legem alicui communitati, quod acceptatum

tum est ab ipsa: & quamuis contingat aliquem particularem illius communitatis ignorare tale priuilegium, hoc est per accidens, neque tollit effectum in illo particulari ignorante. Vnde si Religioni datum sit priuilegium absoluendi in aliquo casu, si aliquis particularis confessarius talis religionis ignorans tale priuilegium absoluat, putans se posse absoluere, valida erit absolutio. nam quamuis ignorans iurisdictionem contentiosam inualidè ea vtatur, in iurisdictione tamen voluntaria, vt in dicto casu, non est ita: quia cùm illud priuilegium sit acceptatum à Religione, iam in illo particulari religioso ignorante intelligitur acceptatum per alium, scilicet per suâ Religionem. Idem etiam constat in priuilegio per modum dispensationis, nunquam enim fit dispensatio nisi ad supplicationem alicuius, vel per se, vel per alium, vel per epistolam. Vnde requiritur notitia talis priuilegij, & acceptatio saltem per alium. At in priuilegio per quod datur exemptio ab onere, non requiritur talis notitia. nam si detur in præiudicium tertij, vt est exemptio à tributis, vel vt non possit excommunicari, non requiritur talis notitia talis priuilegij, vel gratiæ in illo tertio cui fit præiudicium; ergo neque in ipsomet priuilegiato, sed ad summum acceptatio subsequens, & consequenter notitia ad ratihabitionem explicatam.

154. Ex quibus omnibus etiam infertur resolutio difficultatis præcipuæ, an absolutio ab excommunicatione data absenti, valida sit à tempore quo datur, de qua dicendum est idem quod de priuilegio exemptionis ab aliquo onere, regulariter requirere saltim ratihabitionem, quamuis in hoc differat ab illo priuilegio quòd absolutè possit absoluens dare illam absolutionem, etiam nolenti absolui, & absenti; & sic absoluens intendat ex tunc absolutionem habere effectum quando ab eo datur, re vera habere effectum, neque expectandam esse acceptationem rei, vel notitiam absolutionis in eo: sicut etiam, etsi nolit existens in carcere exire, potest erui à iudice.

155. Vbi nota, me suprà in principio huius dubij dixisse hoc fieri posse, quando non est annexa absolutio excommunicationis confessioni sacramentali, propter Nauarrum cap. 16. num. 31. existimantem virtute Bullæ Cruciatæ, vel Iubilei, non posse excommunicatum absolui ab excommunicatione, nisi in confessione sacramentali; quia dictum priuilegium conceditur in ordine ad absolutionem à peccatis. Contraria tamen sententia est multo probabilior, quia absolutio ab excommunicatione non pendet à sacramento Pœnitentiæ, & quamuis dictum priuilegium concedatur in ordine ad absolutionem à peccatis, hoc non obstat, quia potest quis esse contentus sola absolutione ab excommunicatione, & nolle gaudere priuilegio in totum, & quoad principalius: imò quamuis in priuilegio addatur, peccatis in confessione auditis, seu confessione audita; quia hoc additur pro absolutione à peccatis, quæ principaliter priuilegio intenditur. Imò etiam quamuis addatur, pro foro tantùm conscientiæ, & pœnitentiali. Nam quamuis absolutio ab excommunicatione fiat extra confessionem, valebit tantùm pro foro conscientiæ, relinquendo iudici potestatem tractandi excommunicatum vt talem, & puniendi peccatum ob quod excommunicatio fuit incursa, & ita tenent Auila, & Ægidius, quos refert, & sequitur Hurtado disp. 15. diff. 5.

SECTIO XIV.

Proponuntur, & explicantur aliquæ difficultates circa eamdem absolutionem.

156. PRima difficultas est, an excommunicatus ab vno Episcopo, si mutet domicilium, possit ab alio Episcopo absolui. Vazquez dub. 20. & Turrianus disp. 15. dub. 5. tenent partem affirmantem, quando iam est sub iurisdictione alterius Episcopi. Suarez disp. 7. sect. 2. partem negantem defendit, quia causa est iam incepta, & ad priorem Episcopum pertinet eiusdem causæ consummatio. Sed distinctione videtur vtendum. nam si fuit excommunicatio per sententiam generalem lata, potest ab alio Episcopo absolui, quia talis excommunicatio non fuit reseruata ei à quo lata fuit: imò quamuis esset reseruata in tota sua Diœcesi, id non impediret quin ab alio Episcopo absolui posset, per hoc enim quòd aliquis Episcopus excommunicationem reseruet in sua Diœcesi, non potest impedire absolutionem alterius: secus dicendum est de excommunicatione lata ob delictum commissum, tunc enim non potest absolui nisi ab Episcopo in cuius Diœcesi deliquit, & à cuius excommunicatione ligatus fuit, quia ratione illius delicti delinquens est subditus illius Episcopi. Vnde qui per sententiam particularem contraxit excommunicationem, debet absolui à iudice qui eam tulit, quia hæc excommunicatio huic est singulariter reseruata. Similiter qui existens in alieno Episcopatu, citatus fuit in aliqua causa coram illo Episcopo, in qua causa contingat ipsum excommunicari, non potest ab alio Episcopo absolui, quia ex lite coram ipso, Episcopus ille accepit ius in illum, ex cap. *Proposuisti*, de foro compet.

157. Vbi pro communi casu sæpè occurrente obserua, quòd quando contingit subditum Episcopi Cæsaraugustani, habere casum reseruatum suo Episcopo, & se confert ad alium Episcopatum, in quo ille casus non est reseruatus, ait Suarez de Pœnitent. disp. 30. sect. 1. posse absolui à communibus confessoribus Episcopatus ad quem proficiscitur, quia consuetudine est introductum, vt confessores approbati vnius Episcopatus, excipiant confessiones venientium illuc; & cùm ibi ille casus non sit reseruatus, modò aliorum incolarum tractandi sunt venientes, & absoluendi, quod est probabile, & vtile scitu pro censuris reseruatis ab Episcopis; confessores enim vnius Episcopatus non tenentur scire reseruata in altero Episcopatu.

158. Secunda difficultas est, an absolutio ab excommunicatione possit ferri sub conditione de futuro, v. g. si solueris intra mensem. In qua re licitam, & validam esse censeo cum Suarez, & Vazquez disp. 7. sect. 8. Quia nullo iure irritatur, nec prohibetur, & quia omnis absolutio conditionata ab excommunicatione, impleta conditione fit absoluta, licèt hic modus absoluendi ratò fit in vsu, sed impleta conditione datur absolutio de nouo. Quòd verò absolutio sacramentalis non detur nisi quando datur materia, & præsente pœnitente, & sine his conditionibus de futuro, sed iuxta dispositionem præsentem pœnitentis. Hoc non obstat, est enim diuersa ratio, quia absolutio sacramentalis ex Christi institutione, & eius effectus, annexus est

est ipsi prolationi verborum positæ in rerum natura, absque potestate suspendendi talem effectum post præfatam prolationem: at absoluere ab excommunicatione sub conditione de futuro, non est contra institutionem, & naturam excommunicationis; sicut nec excommunicare sub conditione de futuro.

159. Tertia difficultas est, an quando datur absolutio ab excommunicatione ad reincidentiam, sit necessaria noua culpa, vt quis in eam reincidat. Duobus autem modis potest dari eiusmodi absolutio, vno modo ad certum tempus absque vlla conditione; vt si dicatur, Absoluo te ab excommunicatione ad tres dies. Altero modo sub conditione alicuius operis, vt quando dicitur: Absoluo te ab excommunicatione, ita vt si intra tres dies non solueris, incidas iterum in eamdē excōmunicationem. Et priori modo certum est, excommunicatum ad reincidentiam vsque ad illud tempus, eo transacto iterum incidere absque noua culpa, ob antiquam ex vi prioris sententiæ. Difficultas ergo procedit quando absolutio datur posteriori modo. Suarez, & Filliucius quos refert, & sequitur Hurtado disp. 14. assic. 3. tenent partem affirmantem, scilicet in eo casu reincidere absque noua culpa, id est, quamuis inculpabiliter omittat implere conditionem, nisi in ea conditione addatur, si commodè possit illam implere, aut ponantur alia verba æquiualentia; tunc enim quamuis deficiat opus, si non deficiat, seu omittatur culpabiliter, perseuerat absolutio. Fundamentum huius sententiæ est, quia ille non absoluitur, sed sub conditione operis, nullo superaddito, quo indicetur respectus ad culpam; ergo deficiente conditione, quamuis absque culpa deficiat, non perseuerat absolutus, sed reincidit in excommunicationem ex vi prioris sententiæ latæ.

160. Hæc sententia est satis probabilis, sed non minus probabilis est opposita, scilicet in eo casu non reincidere absque noua culpa, & ita tenent Corduba, Rodriguez, Enriquez, Bañes, quos refert, & sequitur Auila 2. part. cap. 7. disp. 3. cap. 14. & Ægidius disp. 14. num. 210. Nauarr. cap. 27. n. 277. Quia excommunicatio non potest incurri sine contumacia; quare nequit homo reincidere in illam, nisi reincidat in contumaciam, quæ sine noua culpa dari non potest. Vnde ad fundamentum in contrarium respondetur, cùm certum sit in casu de quo loquimur, excommunicationem non manisse suspensam, sed omnino fuisse sublatam, impossibile esse eam de nouo redire, nisi de nouo intercedat aliqua culpa ob quam etiam censura de nouo producatur. Et certè hæc sententia videtur conformior pietati, & rationi, à qua alienum videtur vsque noua culpa quempiam iterum excommunicatione ligari.

161. Quarta difficultas est, an excommunicatus possit validè absolui, quando non est facta satisfactio, & commodè fieri potest. Et certum est, licitè non posse absolui si fuit excommunicatus ob iniuriam, seu iniustitiam alteri illatam, nisi priùs satisfacta parte, si commodè possit: quòd si non possit absque graui detrimento, poterit absolui à iudice ordinario, & à quocumque habente priuilegium; quia in absoluente est iurisdictio requisita, & in excommunicato cessauit contumacia, cùm paratus sit omnem satisfactionem exhibere. Difficultas ergo est, an quando in priuilegio, v. g. in Bulla Cruciatæ, vel Iubileo conceditur, vt fiat absolutio satisfacta parte, an sit valida, & licita, si detur non satisfacta parte, quando excommunicatus satisfacere non potest. Ratio difficultatis est, quia quamuis absoluendus non possit soluere, nihilominus absoluens nequit absoluere, nisi seruata forma priuilegij.

Dicendum tamen est, in eo casu validam, & licitam esse, si præcedat sufficiens cautio, vt suprà, quia talis additio de satisfactione intelligenda est, quando commodè fieri potest. Adde sacerdotem virtute Bullæ, aut Iubilei, absoluentem excommunicatum potentem satisfacere parti læsæ absque præmissa satisfactione, quamuis peccet lethaliter contra formam priuilegij, & teneatur ad restitutionem damni inde secuti eidem parti læsæ; validè tamen absoluere, quia dicta additione, scilicet satisfacta parte, non limitatur potestas delegato collata ex prædicto priuilegio, sed tantùm fit ei admonitio, vt seruet formam iuris communis, & cùm in iure communi prædicta verba non irritent absolutionem, quamuis illicitam illam reddant; ergo neque etiam in priuilegio. Et ita contra Suarez, Vazquez, & Ægidium, tenent Tannetus, Faber, Auila, & Hurtado, quos refert, & sequitur Diana resol. 12. 162.

Quinta difficultas est, an absolutio data virtute Bullæ, aut alterius priuilegij, valeat pro foro exteriori quando excommunicatio est iam deducta ad forum iudiciale. Hurtad. disp. 15. diff. 4. existimat, non esse validam adhuc pro foro conscientiæ, aliàs perturbaretur Tribunal iudicis, si verè, & quoad Deum prædictus reus absoluatur; nec est credendum dicta priuilegia ad id concedi. Auila cap. 7. disp. 3. dub. 10. docet, viam regiam, & planam esse, illum remittere ad iudicem qui excommunicauit, vel coram quo pendet lis, vt accepta satisfactione, vel cautione illum absoluat, vel det licentiam vt à confessario absoluatur. Nihilominus addit, satisfacta parte, vel si non potest, posita sufficienti cautione, validam esse, & licitam. Ita etiam tenet Suarez disp. 7. sect. 5. Et ratio est, quia ex vna parte in dicto priuilegio facultas absoluendi absolutè, & absque restrictione conceditur, & ex altera est gratiosa, & liberalis; ergo non est restringenda, & limitanda. Si verò detur pro foro conscientiæ, & constet etiam iudici externo per confessarium doctum, & prudentem cui teneatur fidem adhibere, etiam in foro externo debet reputare absolutum, quia illa particula in foro tantùm conscientiæ non apponitur in priuilegio, vt ex vi illius absolutus non habeatur vt absolutus, etiam in foro exteriori, & contentioso, sed vt iudex possit adhuc de delicto cognoscere, & pro hoc foro pœnitentiam accommodatam imponere. 163.

Restant nonnulla obseruanda. 164.

Primum est, quando quis habet varias censuras, si absoluens possit, & velit absoluere, & absoluat, licèt reus per obliuionem aliquas omiserit explicare, manet ab omnibus absolutus, neque est opus etsi deinde memoriæ occurrant, iterum fateri oblitas.

Secundum est, absolutum per Iubileum à reseruatis censuris, vel peccatis, animo lucrandi Iubileum, & faciendi omnia requisita, si deinde post absolutionem nolit lucrari, neque facere alia requisita, manere absolutum, neque reincidere in censuras reseruatas à quibus est absolutus, neque teneri se præsentare superiori. Ita Corduba in summa quæst. 22. 165.

Tertium est, absolutionem datam à censura per metum, vel vim grauem, nullam esse, ex 166.

cap.

cap. de his quæ vi in 6. vbi habentur illa verba: *Omnibus viribus enacuamus*, scilicet talem absolutionem.

167. Quartum est, quando tempus vrget, simul posse quempiam à censuris, & à peccatis absolui, cum intentione ab vtrisque absoluendi, & tunc prius natura intelligitur absolutio ab excommunicatione, quàm à peccatis: quod est notandum, propter casus occurrentes, quando est morti proximus pœnitens dans materiam, & alia requisita ad absolutionem sacramentalem.

168. Quintum est, formam seruandam in absolutione à censura secundùm substantiam nulla petere verba determinata, nisi tantùm sensibile signum, vel verbum, quo significetur tolli vinculum censuræ. v. g. tollo, absoluo, reconcilio, aufero, &c. cum intentione absoluendi à censuris, neque erit necesse exprimere causam censuræ, neque censuram determinatam si sit intentio absoluendi ab omnibus quas possit absoluens. Quòd si plures possit, & tantùm vnam intendat absoluere, nec eam designet, à nulla absoluet, quia non erit ratio cur ab vna absoluat magis, quàm ab alia.

169. Cerimoniæ verò seruandæ in absolutione à censura in foro pœnitentiæ, & interiori nullæ sunt, præter spectantes ad sacramentum Pœnitentiæ; pro foro verò externo, siue pro solemni, & publica absolutione, consule summistas.

Sectio XV.

De Excommunicatione minori.

170. Excommunicatio minor est censura priuans receptione, seu passiua participatione omnium Sacramentorum, ex cap. 2. de Exceptionibus, & cap. vltimo, de Clerico excommunicato, & cap. penult. de sentent. excomm. Vnde excommunicatus minori excommunicatione peccat mortaliter recipiendo sacramenta, validè tamen recipit, excepto Pœnitentiæ sacramento, quod non est validum quando in eo mortaliter peccatur ex parte recipientis, quia eius materia est etiam dispositio ad gratiam: & quamuis hic excommunicatus mortaliter peccet in receptione Sacramentorum, nisi ignorantia, vel alia causa excuset, non tamen incurrit irregularitatem, quia non habetur hæc pœna in iure. Neque priuatur hic excommunicatus communicatione ciuili, neque publica, neque priuata, neque iurisdictione, neque suffragiis, neque administratione actiua Sacramẽtorum, quæ licitè etiam potest ministrare. Quando verò contingit vt faciendo sacramentum etiam recipiat, peccabit sine dubio mortaliter ratione receptionis, in quo casu loquitur Gregorius IX. cap. vlt. de Clerico excommunicato ministrante; non verò præcisè, quia ministret sine receptione.

171. Ad prædictam priuationem passiuæ participationis Sacramẽtorum, reducitur electio excommunicati hac excõmunicatione ad beneficia, & dignitates Ecclesiasticas; quæ electio valida est, non irrita, siue fiat scienter, siue ignoranter ab electoribus, vel recipiatur scienter ab eiusmodi excommunicato. Quòd si aliquando in iure significatur illam electionem esse irritam, intelligẽdum est post sententiam, & esse irritam declarandam; non verò quòd sit irrita ipso facto, vt contra Couarr. & alios docent Vazq. Auila, & Ægidius, quos refert, & sequitur Hurt disp. 16. diff. 1. & prædicta prohibitio ad beneficia Ecclesiastica intelligitur, non solùm in excommunicato minori denunciato, sed etiam in occulto. Qui verò cõmunicant cum his excommunicatis etiam denuntiatis, dandotillis sacramẽta, non incurrunt minorem excommunicationẽ, quia nõ habetur in iure, licèt re vera peccẽt mortaliter.

Causa ob quam fertur excommunicatio, est peccatum, & sæpè incurritur propter mortale, vt quando in diuinis, v. g. in Sacramentis, communicat quis cum non tolerato. Sæpè etiam propter veniale, v. g quando quis scienter communicat cum non tolerato in priuata, & ciuili communicatione. 172.

Circa absolutionem ab hac excommunicatione est difficultas, an simplex sacerdos non approbatus ab Ordinario, possit ab ea absoluere. Negant Tannerus, Cornejo, Ægidius, Vazq. & Auila, quos refert Diana resol. 5. Affirmant Felin. Tabiena, Armilla, Nauar. & Tolet. Ioannes de la Cruz, & videtur colligi ex D. Thoma in additionibus q. 14. art. 1. quando sic excommunicatus non habet peccatum mortale, quia quicumque sacerdos etiam non approbatus, vel iure diuino, vel saltem ex permissione Ecclesiæ, habet potestatem absoluẽdi à venialibus, & consequenter ab hac excommunicatione, quando coniuncta non est cum mortali. Imò addit. Hurt. diff. 1. hanc excommunicationem incursam ob peccatum veniale etiam posse absolui à simplici sacerdote, quamuis hic excommunicatus habeat peccatum mortale, cùm ille possit absoluere à peccato ob quod fuit incursa, quod est valdè probabile. 173.

DISPVTATIO III.

De Suspensione.

Sectio I.

Quid, & quotuplex sit Suspensio.

1. Loquimvr de suspensione strictè, & propriè sumpta, & prout est censura Ecclesiastica propria Clericorum, & definitur in hunc modum. *Suspensio est censura Ecclesiastica, qua Minister Ecclesiæ impeditur, ne exerceat Ecclesiasticas functiones, seu priuatur vsu potestatis Ecclesiasticæ, siue ratione beneficij, siue ratione officij, siue ratione vtriusque.* Differt ab excõmunicatione maiori, quia licèt sint eadem materialiter multa, quibus priuant excommunicatio maior, & suspensio; sunt tamen diuersa formaliter, quia sub diuersa ratione. nam excommunicatio maior priuat, v. g. celebrare, quatenus est communicatio in diuinis. Suspensio verò non priuat hac ratione, sed quatenus celebrare est actus Ordinis, & Ecclesiasticæ potestatis, & vsus actiuus proprius Clericorum. Ab excommunicatione minori differt, quia excommunicatio minor priuat perceptione, vel vsu passiuo Sacramentorum, non verò suspensio. Ab interdicto differt, quia licèt priuent sæpè eadem re materialiter, sub diuersa tamen ratione, quia interdictum priuat re, quatenus per eam est præsens interdictus loco sacro, vel rei sacræ officij diuini, etiam ad modum laici. Suspensio verò tantùm priuat, vt sunt proprij actus Clericorum. Et interdictum priuat sepultura Ecclesiastica, & vsu passiuo Sacramentorum, quibus non priuat suspensio.

2. Hæc autem suspensio strictè sumpta lata in pœnam medicinalem ipsius suspensi, non potest validè ferri, nisi ob culpam propriam illius qui

ſuſpenditur, neque poteſt ferri ob culpam tantùm venialem, vt contra Nauarrum, & Auilam tenent Vazq. 1. 2. diſp. 153. cap. 5. & Suarez diſp. 4. ſect. 4. quia ex ſe eſt pœna grauis, & quæ non facile tollitur; ac proinde nequit ferri niſi ob culpam grauem, ſeu mortalem.

3. Poteſtate ordinaria poſſunt ſuſpendere omnes illi in quibus ex vi proprij muneris iure ordinario, ſiue humano, ſiue diuino, reſidet poteſtas Eccleſiaſtica in foro exteriori. Poteſtate verò delegata illi ſoli poſſunt ſuſpendere, quibus fuerit delegata, ſeu commiſſa talis poteſtas ab habente poteſtatem ordinariam.

4. Suſpendi poſſunt, excepto Summo Pontifice, omnes alij clerici viuentes, vtpote vt ſubditi Eccleſiæ, & capaces officij Eccleſiaſtici, & beneficij à quibus fit ſuſpenſio: qui verò non ſunt clerici, non ſunt capaces effectuum ſuſpenſionis.

5. Deinde ſuſpenſio duobus modis poteſt ferri, vno modo vt pœna medicinalis, quæ poſita emendatione exigat auferri, & hac ratione eſt propriè cenſura Eccleſiaſtica: alio modo vt purè pœna, ſeu vindicta alicuius peccati. Regula autem ad diſcernẽdum quando ſuſpenſio aliqua in iure erit cenſura, & quando non, ſed tantùm pœna, hæc eſt. Quotieſcumque ſuſpenſio ponitur vt per eam tantùm delictum puniatur, & non vt recedatur à contumacia, & inobedientia contra præceptum Eccleſiæ poſitum ſub ſuſpenſione, tunc illa ſuſpenſio non eſt cenſura, ſed ſola pœna, vt patet ex cap. *Tam litteris*, de teſtibus, & cap. *Cùm in cunctis*. §. vltimo, de electione in 6. & Clementina prima. §. penultimo, de hæreticis. Et hæc ſuſpenſio quæ tantùm eſt pœna, & non cenſura, ſolet poni ad certum tempus, quo tranſacto ſine vlla abſolutione tollitur, ſicut exilium completo tempore eo ipſo tollitur. At verò ſuſpenſio quæ eſt cenſura, non ponitur ad terminum certum, ſed quando recedit à contumacia, tollenda eſt per abſolutionẽ. Et ſuſpenſio quæ tantùm eſt pœna, aliquando longiori tempore durat propter grauitatem culpæ præteritæ, quam punit, & non petit præuiam monitionem. Suſpenſio verò quæ eſt cenſura, neceſſariò petit monitionem præuiam vt incurratur: & ideo ab incurrenda ſuſpenſionis cenſura, excuſat ignorantia eo modo, quo diſp. 1. de cenſuris in communi diximus.

6. Suſpenſio etiam quædam eſt lata, ſcilicet quæ ipſo facto incurritur; quædam verò ferenda, ſiue comminatoria. Ad cognoſcendum verò quando ſit lata, vel ferenda, attendenda ſunt verba ipſo facto, vel latæ ſententiæ, vel ſuſpendendus eſt. Diuiditur etiam in occultam, & publicam. Publica dicitur quæ eſt denunciata per iudicem. Occulta verò quæ non eſt denuntiata, etiamſi aliàs communiter ſciatur, quod oportet ſcire ad cognoſcendum quando geſta in iuriſdictione valida ſint à ſuſpenſo.

7. Celebris autem diuiſio cenſuræ ſuſpenſionis eſt, in ſuſpenſionem ab officio tantùm, & in ſuſpenſionem à beneficio tantùm, & in ſuſpenſionem ab officio, & beneficio ſimul. De prima agitur in cap. *Quia in omnibus*, de vſuris, & Clementina vnica, de rebus Eccleſiæ non alienandis, ſiue ſit ſuſpenſio ab officio abſolutè, id eſt, ab omni officio Eccleſiaſtico, ſiue à particulari tantùm, v. g. ab officio ſacerdotali. De ſecunda agitur in cap. *Nihil*, de electione, & Clementina ſecunda, de vita, & honeſtate Clericorum, & cap. *Cùm in cunctis*. §. vlt. de electione. De tertia verò agitur in Clementina vnica, de decimis, & in cap. *Tuarum*, de priuilegiis. Quòd ſi aliquando inueniatur ſuſpenſio ſine expreſſione ab officio, vel beneficio, cùm non ſit maior ratio quare intelligatur de vno, quàm de alio, intelligitur de vtroque ſimul, ſiue de ſuſpenſione illum integratum effectum complectente. Quòd ſi feratur ſuſpenſio hac ratione, ſit ſuſpenſus ab officio, vel beneficio, tunc nulla eſt ſuſpenſio, quia non eſt à quo determinatè ſuſpendat: quamuis Hurtado diff. 4. tract. de ſuſpenſione, cenſeat, manere ſuſpenſum ab vno, vel ab altero determinatè, pro optione ſuſpenſi. Per officium verò intelligitur hîc, omnis poteſtas ſpiritualis ad aliquem actum ſpiritualem exercendum, ſiue ordinis, ſiue iuriſdictionis, ſiue adminiſtrationis Eccleſiaſticæ. Per beneficium verò intelligitur ius ad capiendos Eccleſiaſticos fructus, vel prouentus.

SECTIO II.

De effectibus ſuſpenſionis.

SVſpenſio, vt dictum eſt, aliquando imponitur abſolutè, & tunc priuat ab officio, & beneficio ſimul. Aliquando tantùm ab officio, & hoc dupliciter, vel ab officio abſolutè, & totaliter, vel ab aliquo particulari officio. 8.

Prima concluſio effectus ſuſpẽſionis ſimpliciter ab officio, eſt priuatio omnis vſus ordinis, & iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, quantum perſona Eccleſiaſtica vt ſic eſt capax, id eſt, ſi habuerit Ordinem, ab omni vſu Ordinis: ſi habuerit iuriſdictionem Eccleſiaſticam, ab omni vſu iuriſdictionis: ſi habuerit poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis, ab omni vſu Ordinis, & iuriſdictionis. Ita cõmuniter Doctores, & probatur, quia nõ eſt maior ratio, cur huiuſmodi ſuſpenſio ab officio lata, priuet ab vno vſu, quàm ab alio; ergo priuat omnibus. Vnde ſi ita ſuſpẽſus vtatur in diuinis, officio illo à quo eſt ſuſpenſus, fit irregularis, ex c. 1. de ſentent. & re iudicata in 6. v. g. ſi ſuſpenſus ab Ordine celebret; ex c. 1. verſu *Caueant*, de ſentent. excomm. in 6. Ex quo 9.

Infertur primò, ſuſpenſum abſolutè ad officio, ſi in ſuſpenſione non deſignetur locus, in omni loco eſſe ſuſpenſum: ſicut excommunicatus ab Epiſcopo, pro omni loco eſt excommunicatus, quia eſt pœna perſonalis quæ perſonam vbique comitatur. Et quidem de ſuſpenſo ab Ordine, communis eſt ſententia; ſicut depoſitus vbicumque eſt depoſitus, ex c. *Si quis Presbyter* 7. quæſt. 1. De ſuſpenſo verò à iuriſdictione, nonnulli exiſtimant ſolùm ſuſpendi intra territorium ſuſpendentis, extra territorium verò, ſiue in alieno territorio poſſe eligi in officium Eccleſiaſticum. Oppoſita tamen ſententia magis placet cum Suarez diſp. 26. ſect. 1. nam licèt ſuſpenſionis cenſura ab Epiſcopo particulariter feratur intra ſuum territorium, nihilominus ea poſita effectus ſunt à iure communi, & ita vbique ligat quoad effectus, ſicut dicitur de excommunicatione. Vnde ſuſpẽſus à iuriſdictione Eccleſiaſtica, nullibi poterit eligi in officiũ Eccleſiaſticum. Si verò in ſuſpenſione ipſa determinetur locus, vel ex circunſtantiis colligatur, tantùm intra ipſum eſt ſuſpenſus. Vnde qui Cæſarauguſtæ ſuſpenditur ab officio concionandi, vel audiendi confeſſiones, poterit concionari, vel audire confeſſiones in alio Epiſcopatu cum licentia illius Epiſcopi, quia effectus ſuſpenſionis ſæpe ſunt partiales, & non totales, & reſpectu vnius loci, & non alterius: quod non euenit in excommunicatione; qui enim in vno loco eſt excommunicatus, vbicumque eſt excommunicatus. 10.

Infertur ſecundò, in ſuſpenſo ab officio abſolutè, & 11.

Digitized by

& ſine limitatione temporis, durare ſuſpenſionem donec auferatur ab habente poteſtatem. Vnde ex ſe eſt peccatum mortale violare ſuſpenſionem ab officio, quia materia ex ſe eſt grauis, niſi excuſet inaduertentia, vel aliquando aliqua leuis materia ex accidenti. Actus verò ſuſpenſi ab officio aliquãdo erunt validi, aliquando non. Nam ſi ſint actus ſolius Ordinis, non requirentes iuriſdictionem, validi ſunt, quia Eccleſia non poteſt impedire quoad valorem, ſuppoſita debita materia, & forma, & intentione Miniſtri. Vnde ſacerdos ſuſpenſus ab Ordine, conſecrans, validè conſecrat. Actus verò petentes iuriſdictionem ſunt inualidi in ſuſpenſo ab officio per ſe loquendo, cùm ſic ſuſpenſus priuatus ſit vſu iuriſdictionis: per accidens verò poterunt eſſe validi, vt ſi ſuſpenſus ſit occultus, & ab Eccleſia communiter toleratus in officio publico, ſupplet enim Eccleſia iuriſdictionem propter commune bonum, ſicut dicebamus ſuprà de excommunicato. Deinde ſi ſuſpenſus ab officio non ſit ſpecialiter denuntiatus, ſi vtatur iuriſdictione ex ſe ſe ingerendo peccat; quoad alios verò non eſt priuatus iuriſdictione, & ita alij poſſunt ab occulto ſuſpenſo petere abſolutionem ſacramentalem, vel quemlibet alium actum ſpectantem ad iuriſdictionem fori contentioſi; hic enim fauor conceſſus eſt fidelibus in Extrauagante *Ad euitanda*.

12. Infertur tertiò, ſuſpenſum ab officio exercentem actum Ordinis ipſo facto incurrere irregularitatem, ſiue ſit denunciatus, ſiue non, à qua excuſabitur quoties excuſabitur à culpa mortali in miniſtrando, v.g. ad vitandam infamiam, vel ſcandalum. Qui verò exercet tantùm actum iuriſdictionis, nullam pœnam incurrit ipſo facto, ſed poteſt puniri arbitrio iudicis, quia talis pœna non inuenitur in iure.

13. Secunda concluſio. Suſpenſus ſiue à iure, ſiue ab homine, ab officio ſimpliciter, non priuatur beneficio habito, neque fructibus talis beneficij. Probatur, quia nullibi in iure talis pœna aſſignatur, & prædictæ priuationes ſunt diuerſæ, & ita tenet cõmunis ſententia, ac proinde poterit ſuſpenſus ab officio omnes ſui beneficij fructus percipere, dummodo inſeruiat beneficio, vel per ſe, vel per alium. Imò multi ſunt fructus beneficij, qui tãtùm requirunt recitare horas Canonicas, quas ſuſpenſus beneficiatus priuatim tenetur recitare; ergo reſpectu horum non eſt cur debeat priuari ſuſpenſus ab officio huiuſmodi fructibus. Quando verò fructus reſpondent officio à quo impeditur ſuſpenſus, vt in diſtributionibus, quæ non dantur niſi vel miniſtrantibus, vel aſſiſtentibus in choro, tunc his fructibus priuatur. Vbi nota ſi de facto aſſiſtat ſuſpenſus horis Canonicis in officio chori, non teneri reſtituere illas diſtributiones, quia iam facit officium vtile Eccleſiæ propter quod dantur, licèt peccet faciendo tale officiũ, vt latiùs in tract. de Reſtitutione. Et idem dicendum de quolibet alio officio licèt in eo exercendo malè faciat propter quod lucratur.

14. An verò ſuſpenſus ſimpliciter ab officio impediatur à conſecutione noui beneficij, itavt collatio talis beneficij ſit irrita, vel tantùm irritanda, diſſentiunt Doctores. Placet verò ſententia quam ſequuntur Hurtado diſſ. 4. & Turrian. lib. 4. diſp. 39. dub. 2. contra Auilam, Suarez, & Vazq. non eſſe irritam, quia nullo iure poſitiuo, id eſt prohibitum, cùm nũ conſtet de tali iure expreſſo, & in pœnis tanti momenti non eſt cauſa ob quam dicamus, reum illas incurrere, quando in iure non ſunt expreſſæ. In cap. verò *Cùm bona memoria*, 8. decernitur collationem beneficij factam ſuſpenſo per triennium in ſuſpenſione perſeueranti eſſe irritandam.

15. Tertia concluſio. Suſpenſio ſimpliciter ab Ordine priuat omni vſu Ordinum, ſiue maiorum, ſiue minorum, nec eſt cur limitetur ad vnum Ordinem magis, quàm ad alium; non tamen priuat vſu iuriſdictionis, niſi hic vſus inuoluat vium Ordinis, vt eſt in abſolutione ſacramentali. Si verò ſuſpenſio ſit ab Ordine ſuperiore, non intelligitur priuare vſu Ordinis, vel ſuſceptione inferioris: & ita ſuſpenſus à celebratione, vel à receptione ſacerdotij, non intelligitur priuatus vſu Ordinum inferiorum, ac proinde poterit ſacerdos ſuſpenſus à celebratione Miſſæ, exercere officium Diaconi, vel Subdiaconi in Miſſa ſolemni: & ratio huius eſt, quia non inuenitur in iure. Imò etiam eſt valdè probabile, ſuſpenſum ab inferiore Ordine, non intelligi ſuſpenſum ab vſu ſuperioris, ob eamdem rationem, quia non inuenitur talis ſuſpenſio expreſſa in iure, & eſt communis regula Doctorum, ſuſpenſionem non incurri niſi exprimatur in iure. Vnde argumentum quod ſolet fieri. *Qui non poteſt minus, non poteſt maius*, licèt in naturalibus vim habeat, nihilominus in moralibus, & maximè in pœnalibus, nihil efficit: ac proinde nulla incurretur irregularitas ſi ſuſpenſus ab inferiori Ordine, exerceat ſuperiorem, niſi in caſu in quo eſt neceſſarius vſus Ordinis inferioris ad vſum Superioris: quare ſuſpenſus à Diaconatu nequit celebrare, quia tunc ordo ſuperior non poteſt exerceri ſine vſu Diaconatus à quo eſt ſuſpenſus; quia in hoc caſu eſſentialiter ſunt connexi vſus Ordinis ſuperioris, & inferioris. Denique ſuſpenſus à Pontificalibus, non priuatur vſu Ordinum quos exercet ſine Pontificalibus, ob eamdem rationem: quare poteſt huiuſmodi Epiſcopus ſic ſuſpenſus, dicere Miſſam priuatam ſicut ſimplex ſacerdos. Et quamuis ſuſpenſus ab Ordine illum exercens, per ſe peccat mortaliter, quia eſt materia grauis, & incurrit irregularitatem; ſi tamen in vſu talis Ordinis excuſetur à mortali, ob aliquam cauſam, vel infamiæ, vel inaduertentiæ, non incurretur irregularitas, quia hæc pœna non incurritur niſi ob culpam grauem.

16. Quarta concluſio à iuriſdictione abſoluta, priuat omni vſu ſpiritualis iuriſdictionis, non enim eſt ratio cur magis de vno intelligatur, quàm de alio. Quando verò ſuſpenſio declarat materiam iuriſdictionis, de ea tantùm intelligitur, quia eſt tantùm partialis, & non totalis, & ſiue ſit totalis, ſiue partialis, non priuat ab actu Ordinis non requirentis iuriſdictionem. Qui verò violat prædictam ſuſpenſionem à iuriſdictione, nullam pœnam incurrit in iure, poteſt tamen puniri ad arbitrium iudicis. Et ſi ſuſpenſus à iuriſdictione non ſit denunciatus, actus eius validi ſunt, quia Eccleſia non inualidat eos; inualidi verò, ſi ſint denunciatus, vt conſtat ex Extrauagante. *Ad euitanda ſcandala*.

17. Quinta concluſio. Suſpenſio à beneficio priuat poſſeſſorem beneficij vſu iuris ad emolumentum ratione beneficij, ne ſcilicet beneficiarius fruatur fructibus beneficij, ex cap. *Cùm bona memoria*, de ætate, & qualitate, & cap. *Cupientes*, §. *cæterùm*, de electione in 6. & c. *Sicut*, de cohabitatione clericorum, & mulierũ, ex quibus iuribus patet etiam ſuſpenſum à beneficio, non eſſe priuatũ beneficio habito legitimè ante ſuſpẽſionem, vel à titulo beneficij. Neque per ſuſpenſionem præcisè eſſe ſuſpẽſum ab officio ad quod obligat beneficium. Quare tenebitur

bitur ſic ſuſpenſus à beneficio, exercere officium ad quod obligat beneficium, ſiue ſit iuriſdictionis, ſiue Ordinis. nam cùm ſuſpenſio ſit pœna, & ſit ſuſpenſus propter ſuam culpam, non eſt mirum ſi maneat obligatus ad munera beneficij, & priuetur fructibus. Quare ſi beneficium habeat obligationem Miſſas dicendi, tenetur ſuſpenſus à beneficio illas dicere, & non poteſt frui fructibus, nec debent fundatores beneficiorum priuari ſacris propter culpam ſuſpenſi, qui priuatur fructibus, & in illis punitur, manens obligatus ad functiones ſecundùm inſtitutionem beneficiorum.

18. Vnde ſi ſuſpenſus à beneficio capiat fructus beneficij, & peccat mortaliter ex ſe, & tenetur eos reſtituere, quia capit non ſuum; nullã tamen pœnam incurrit, quia non inuenitur in iure. Et ſi non ſint circumſtantiæ ex quibus colligatur ſic ſuſpenſum tantùm priuari fructibus beneficij, intelligitur eſſe priuatum omnibus fructibus omniũ beneficiorum quæ poſſideat tempore ſuſpẽſionis, vbicumque illa habeat, nam ſuſpenſio perſonam ſequitur vbicumque ſit, niſi aliter exprimatur in ſuſpenſione, vel ex circumſtantiis colligatur limitatio ad vnum beneficium, & non ad aliud: quod nõ ſolùm intelligendum eſt de ſuſpenſione à beneficio à Papa, vel à iure, ſed etiam de ſuſpenſione ab Epiſcopo particulari habenti limitatam iuriſdictionem in ſua Diœceſi, ob rationem prædictam, quia ſuſpenſio perſonam ſuſpenſi ſequitur vbicumque ſit, & ita colligitur ex cap. *Poſtulaſti*, de foro competenti, vbi decernitur, quòd licèt ſententia ſuſpenſionis ſit in vno Epiſcopatu, & beneficium in alio, fiat executio ſententiæ in Epiſcopatu vbi exiſtit beneficium.

19. Ex quo ſit, ſuſpenſum à beneficio, illicitè accipere de nouo beneficium in loco vbi eſt ſuſpenſus, ex c. *Per inquiſitionẽ*. An verò ſit irrita talis collatio, quæſtio eſt inter Doctores, placet ſententia Suarij, & Ægidij, & aliorum plurium Doctorum, quos refert, & ſequitur Diana 5. part. tract. 10. reſol. 7. non eſſe irritam, quia cùm quæ in contrariũ adducuntur, tantùm probant talem acquiſitionem eſſe irritandam, non verò irritam. Si verò detur beneficium de nouo ſuſpenſo à beneficio non habenti beneficium, huiuſmodi ſuſpenſus, & validè accipit beneficium, & fructus facit ſuos, ſi facit id ad quod obligat beneficium. Et ratio eſt, quia nemo ſuſpenditur ab eo quod non habet; ergo ſi non habeat beneficium, non ſuſpenditur ab eo; ergo ſi ei de nouo detur, & validè recipit, & licitè, & facit fructus ſuos. quamuis Suarez diſp. 27. ſect. 1. exiſtimet, talem collationem eſſe irritandam.

20. Fructus quibus priuat ſuſpenſio à beneficio, ſunt omnes redditus temporales ratione beneficij accepti, ſiue fructus terræ, ſiue animalia, ſiue pecuniæ, ſiue diſtributiones quotidianæ, quæ dantur ratione tituli beneficij; alia verò emolumenta quæ intelliguntur dari ex alio capite, v. g. ſtipendia peculiaria promiſſa alicui commẽdata ex deuotione, & fortè anniuerſaria, his emolumentis nõ priuatur beneficiatus ſuſpenſus à beneficio. In hoc tamen attendendum eſt ad conſuetudinem. Probabile etiã eſt & ſecurum, poſſe ſuſpenſum à beneficio ſibi retinere fructus beneficij à quo eſt ſuſpenſus, reſpondentes labori quem impendit ſeruiendo beneficio, illos ſcilicet qui darentur alteri ob idem ſeruitium alieno nomine. Ita Auila 3. part. diſp. 3. dub. 1. vbi etiam adducit cauſas quæ excuſare poſſunt à reſtitutione fructuũ in caſu quo eos tenetur reſtituere, v. g. inopia ad ſui, vel ſuorum ſuſtentationem modeſtam, ita vt aliunde non habeat, quamuis nec per ſe, nec per alium beneficio ſeruiat, propter ius naturæ quod habet ad hoc, vel ſimilis alia cauſa ex ſolitis excuſantibus à reſtitutione.

SECTIO III.

Qua forma ferenda ſit ſuſpenſio ab homine, & quomodo tollatur.

FOrma ſuſpenſionis à iure ſunt verba, quibus in iure hæc ſuſpenſio ponitur. Forma verò ſuſpenſionis ab homine, ſunt verba, quibus homo ſignificat tale vinculum imponi, vel aliud quod æquiualeat verbis: & vt rectè fiat hæc ſuſpenſio, debet imponi ſcripto exprimendo cauſam ſuſpenſionis, & debet ſuſpenſo tradi inſtrumentum ſcripturæ intra menſem ſi petatur, aliàs ſuſpendens manebit per menſem ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, licèt ſi feratur ſine ſcriptura validè fiat, quamuis illicitè. 21.

Antecedens appellatio annullat ſuſpenſionem, ſi Papa aliud non exprimat. Difficultas eſt de appellatione ſubſequenti, an ſcilicet ſuſpenſio ſit valida, ſi poſt illam interponatur appellatio. Sententiam affirmantem abſolutè tenent Turrianus diſp. 42. dub. 2. & Faber in 4. diſt. 15. quæſt. 1. diſput. 6. cap. 1. Oppoſita ſententia verior eſt, quam defendunt Nauarrus, Ægidius, Auila, & Hurtado, quos refert, & ſequitur Diana reſolut. 16. Omnem ſuſpenſionem per appellationem ſubſequentem ſuſpendi, præter ſuſpenſionem ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ. Vnde ſuſpenſio à beneficio, & ab aliis diſtinctis ab officio, & ingreſſu Eccleſiæ per ſubſequentem appellationem ſuſpenditur, quod videtur innui in cap. *Is cui*, de ſentent. excomm. in 6. dum dicitur, *ſuſpenſionem ab officio, & ab ingreſſu Eccleſiæ non impediri per ſequentem appellationem*, & id tacetur de ſuſpenſione beneficij, & ab aliis. 22.

Suſpenſio quæ tantùm eſt pœna, ſi ſit ad certum tempus, hoc completo eo ipſo tollitur; ante tempus verò completum non poteſt tolli niſi ab ipſo ſuſpendente, vel ſuperiore, vel ſucceſſore, vel ex horum facultate: vnde ſi ſit à iure communi, non poterit validè tolli ante illud tempus ab Epiſcopo, niſi ſit contracta propter delictum occultum, tunc enim poterit, vt notant communiter Doctores, de irregularitate contracta propter delictum occultum, excepto homicidio voluntario; ſi verò feratur ad tempus incertum in iure, tollenda eſt à ſuſpendente, & ſi non ſit reſeruata, poterit & ab Epiſcopo; aſſimilatur enim ſuſpenſioni propter contumaciam non reſeruatæ. 23.

Suſpenſio verò quæ eſt cenſura, non tollitur eo ipſo ablata contumacia, vt vult Couarruu. 4. decretal. 2 part. cap. 6. ſed per abſolutionem potentis abſoluere, ſicut, & aliæ cenſuræ, & ita tenet cõmunis ſententia. Si ſit à iure reſeruata, debet abſolui à ſuſpendente, vel ab alio de eius licẽtia, vel priuilegio: ſi verò non reſeruetur à iure, poteſt abſolui ab Epiſcopo, vel ab habente Epiſcopalẽ auctoritatem; non verò poteſt abſolui à Parocho, vel à quouis confeſſario potente abſoluere à mortalibus, in quo differt hæc cenſura ſuſpenſionis à iure non reſeruata, ab excommunicatione à iure non reſeruata; hæc enim poteſt abſolui à quouis confeſſario potente abſoluere à mortalibus, propter maiorem neceſſitatem abſolutionis excommunicationis ad recipienda ſacramenta, quæ ratio non inuenitur in ſuſpenſione; non enim priuat 24.

Digitized by Google

aut suffragiis Ecclesiæ, neque receptione Sacramẽtorum, sicut priuat excommunicatio, & ita tenent Laymã, Auila, Entiq. & Hurt. quos refert, & sequitur Diana tetol. 25. quamuis oppositum non sit improbabile, vt docent Viuald. in Candelabro de suspentione n. 31. Præpositus de suspẽsione dub. 4. n. 31.

25. Suspensionis censura lata ab homine debet absolui a suspendente, vel à superiore, vel successore, vel ab habente facultatem ab his. Quòd si lata sit sub conditione donec satisfaciat, vel restituat, secuta satisfactione, vel impleta cõditione tollitur ipso facto sine aliqua absolutione; hoc enim differt inter excommunicationem ex vna parte, & suspẽsionem, & interdictum ex alia, quòd illa nullam exposcunt certam formam, neque requirunt verba vt cessent, sed sufficit tacita superioris voluntas quæ resultat ex illis verbis. *Suspendo*, vel *interdico* donec satisfecerit; excommunicatio verò certam formam prærequirit ad hoc vt excommunicatus absoluendus sit, neque eius absolutio potest ex coniecturis, & tacita excommunicantis mente deduci, & ita tenent Cornejo disp. 5. dub. 2. q. 1. Layman. lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 4. & Hurtad. diff. 12.

26. Illud denique nota, quòd quamuis excommunicatio propter maximam eius grauitatem, nunquam in communitatem vt sic, ferri possit, vt suprà annotabamus; nihilominus cõmunitas Ecclesiastica clericorum potest vt sic, id est, vt corpus quoddam politicum suspendi ab officio quod sibi competit, vel iurisdictionis, vel eligendi, vel alios actus Ecclesiasticos exercendi. Similiter à beneficio. nã sæpe Capitula, & etiam Monasteria habent beneficia sibi annexa, & fructus beneficiorum, totum hoc cõstat ex c. vnico, ne sede vacãte, in 6. & c. *Romana*, & cap. *Si sententia*, de sent. excom. in 6. & cap. *Quisque*, de electione in 6. & ex Trid. sess. 24. c. 16. Potest etiam hæc suspensio ferri directa, non ad communitatẽ vt communitas est, sed ad particulares personas secundùm se, cum hoc discrimine, quòd suspensione lata contra communitatem, vt communitas est, suspenduntur etiã inculpabiles, non quidem per se, sed indirectè, & per accidens, vt membra illius cõmunitatis, quamuis sint inculpabiles à functionibus cõuenientibus illis, vt sunt membra communitatis: suspensione verò lata ad particulares personas secũdùm se, non ligantur inculpabiles. & ita tenẽt Suar. disp. 28. & Ægid. disp. 15. dub. 5. & cõmuniter DD.

Sectio IV.

Quomodo differat suspensio, siue vt pœna, siue vt censura, à depositione, & degradatione.

27. EX supradictis constat, prædictam suspensionem non esse ex se perpetuam, neque annullare officium ipsum, nec beneficium habitum, & esse pœnam medicinalem, & in hoc differre à depositione, & degradatione, quæ sunt perpetuæ ex se, ac proinde neque medicinales, neque censuræ, & priuant officio, & beneficio habitis, & reddũt inhabiles ad beneficia de nouo obtinenda. Ex quo fit, vt si aliquando suspensio perpetua feratur, esse depositionẽ quæ sic potest diffiniri. *Depositio est pœna qua quis cogitur, officiũ, vel dignitatẽ Ecclesiasticam, vel beneficium, vel vtrũque deponere propter delictũ tali pœna dignum.*

Hæc autem depositio triplex est. *Prima* absolutè non ordinata ad degradationem, & hæc nõ requirit aliquam solemnitatem. *Secunda* est ordinata ad degradationem actualem, & diffinitur. *Priuatio perpetua clericalis muneris per canonicam sententiam cum debita solemnitate prolatam.* Et fieri debet per Episcopum, vel eius Vicarium cum comiudicibus a iure signatis, & hæc depositio dicitur degradatio verbalis, quia ordinatur ad degradationem realem, & actualẽ. *Tertia* depositio quæ est degradatio actualis, definitur. *Perpetua priuatio clericalis muneris, & priuilegij fori, & Canonis, facta post dictam sententiam, & depositionem verbalẽ solemnem, adiuncta reali actione, & ceremonia per Canones sta uta.* Quæ degradatio actualis fit tantùm per Episcopum, est enim actus Ordinis, & executio depositionis verbalis: & ita se habent hæ duæ sicut sententia, & executio sententiæ, ex cap. *Degradatio*, de pœnis in 6. & cap. *Si quis laicus* 22. q. 5. & cap. *in causa* 15. quæst. 7.

28. Loquendo ergo de depositione non ordinata ad degradationem, si sit tantùm à beneficio priuat beneficio habito, & habendo validè; suspẽsionis verò censura nõ priuat beneficio habito, & respectu habendi est controuersia, quibusdam affirmantibus, quibusdam verò negantibus, vt diximus suprà. Deinde si depositio sit tantùm ab officio, priuat officio habito, & vsu illius, vt in officio iurisdictionis, vel simili; in officio verò sacri Ordinis priuat vsu licito. nam sacerdos & iã degradatus validè consecrat. Et hæc depositio ab officio priuat etiã à beneficio, non tamen priuat priuilegio clericali fori, & Canonis, ex c. *Si Clerici*, de iudiciis, & c. *Tua*, de pœnis. Manet etiã obligatus ad recitandas horas Canonicas si sit in sacris, & ad seruandam castitatem sacris Ordinibus annexam. Ex quo fit damnatos in sactis ad triremes gaudere priuilegio Canonis, & eos percutientem incurrere excommunicationem Canonis. Sed flagellator, vulgò *Comitis*, designatus ad puniendos nolentes validè remis incumbere, excusatur, quia quando eos castigat, id facit vt Minister Prælati, qui eos ad triremes damnauit. Et huiusmodi depositus si sit ab Episcopo, potest ab eodem restitui, licèt hoc fieri non soleat, ex c. *Qui semel*, & c. *Peruenit*, dist. 50. vt notat Sà verbo depositio n. 4.

29. Loquendo verò de depositione ordinata ad degradationem, hæc depositio addit solemnitatẽ designatam in iure, in c. *Degradatio*, de pœnis in 6. & in cap. *Si quis*, cum sequentibus 15. q. 7. & moderatam à Trident. sess. 13. c. 14. & sine hac solemnitate, sententia depositionis verbalis ordinatæ ad degradationem actualem est inualida, ex cap. 1. de excessibus Prælatorũ Et est actus iurisdictionis, & potest Episcopus eam committere suo Vicario generali, & eam potest ferre Capitulum sede vacante. Si sit ad degradandum in minoribus, fit cum aliquibus ex Capitulo, vel aliis personis. Ad degradandum Episcopum præter Metropolitanum, requiruntur alij duodecim Episcopi, vt cõiudices, & maior pars eorum requiritur ad valorem sententiæ. Ad degradationem Presbyteri verbalem, requiruntur sex Episcopi, vt coniudices, vel sex Abbates mitram, & baculum habentes, vel si non possit commodè, requiruntur sex personæ graues doctæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ. Ad degradandum Diaconum, vel Subdiaconum, præter proprium Episcopum requiruntur alij tres, vel tres Abbates, vel si hoc non posset fieri, tres aliæ personæ dictæ. Et huiusmodi sic depositus verbaliter adhuc gaudet priuilegio fori, & Canonis, donec actu degradatus sit. Per quod tamen non tollitur quod à iure habent sactæ fidei Inquisitores in damnationem clericorum in sactis ad degradationem actualem, sine aliis coniudicibus dictis, vt patet ex vsu sactæ Inquisitionis.

30. Denique loquendo de degradatione actuali, hoc est executio depositionis solemnis nuper explicatæ, & fit tantùm à proprio Episcopo consecrato; est enim actus Ordinis, & iurisdictionis Episcopi induti Pontificalibus cum solitis Ministris, & coram sistitur degradandus, indutus vestimentis sui Ordinis, & habens instrumenta illius, & tolluntur singula incipiendo ab vltimo quo est indutus: & ad singula solet Episcopus degradans proferre verba significantia tolli tale vestimentum: & in vltimo profert hæc verba ex cap. *Degradatio*. de pœnis in 6. *Auctoritate Dei omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, & expoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio, & priuilegio clericali.* Et omnibus ablatis, traditur caput degradati, & manet vt merus secularis, sine vestigio, vel signo aliquo clericatus; & siue occidendus sit, siue non, manet sine priuilegio fori, vel Canonis, & iudex secularis potest illum punire, & illum percutiens non incurrit excommunicationem Canonis. An verò si huiusmodi degradatus non sit occidendus, maneat cum obligatione recitandi Horas canonicas, communior opinio affirmat, & est securior.

Sectio V.

De nonnullis suspensionibus quæ iure sunt latæ in susceptione, & vsu Ordinum præcipuè.

31. Svpponendum est primò, cum communi sententia Doctorum, quando actio illa, propter quam est impolita suspensio, à iure excusatur à culpa graui, non incurri illam suspensionem, quantumuis sit expressa in iure; cum enim sit pœna grauis, supponit culpam grauem. Quòd si aliquando etiam quando culpa non est, dicatur quis suspensus, vel non vtatur Ordine sine dispensatione Episcopi, vel absolutione, intelligitur hoc donec Episcopus declaret non fuisse culpam, & constet legitime de excusatione, & satisfactione, & in hoc sensu dicitur tunc dispensare Episcopus, vel absoluere à suspensione illa impropria, etiamsi culpa ordinati non præcesserit, sed aliquando culpa ordinantis: & hæc suspensio est veluti irregularitas, & impedimentum ad non vtendum tali Ordine suscepto. & ita qui oppositum faceret, licèt peccaret contra præceptum illud, non tamen incurrere irregularitatem: quod est maximè notandum pro multis casibus, in quibus in hac materia, etiam quando non est peccatum in susceptione Ordinis, dicitur quis suspensus, & indigere ad vsum, vel dispensatione, vel absolutione Ordinarij, vt rectè obseruat Suarez disp. 31. sect. 1.

32. Secundò supponendum est contra Castrum 2. de lege pœnalium, cap. vlt. Quamuis illa actio, propter quam incurritur suspensio, sit peccatum occultum exterius, re vera suspensionem illam incurri; quod satis apertè colligitur ex Trident. sess. 24. cap. 6. vbi datur facultas Episcopis dispensandi in suspensione propter crimina occulta; ergo supponit Concilium propter crimen occultum, vel exterius, incurri suspensionem, licèt aliquando propter aliquã causam ex his quæ excusant ab obseruatione censuræ, excusetur suspensus ab obseruatione effectus suspensionis, vt in superioribus docuimus.

33. Primò ergo manet suspensus ab executione Ordinis suscepti, qui in sacris ordinatur etiam cum facultate sui proprij Episcopi ab Episcopo hæretico schismatico, aut excommunicato non tolerato, aut simoniaco iuridicè declarato, aut qui ab Episcopo qui renunciauit Episcopatui, quando renunciauit ex facultate Papæ, vt constat ex cap. 1. & 2. de schismaticis, & ex cap. 1. & 2. de ordinatis ab Episcopo, & ex canon. *Si quis à Simoniaco* 1. q. 1. Et licèt validus sit Ordo receptus propter potestatem indelebilem characteris Episcopalis; est tamen illicita illa ordinatio, & prohibita sub suspensione citata. Quando verò qui Episcopatui renunciauit, renunciauit tantùm loco, & non dignitati, poterit quis licitè, cum licentia tamen sui proprij Episcopi, ab eo ordinari, vt expressè testatur Alexander III. in cap. illo, de ordinatis ab Episcopo. Dixi *in sacris*, quia de his tantùm loquitur Pontifex, nisi Episcopus etiam expressè quoad minores renunciasset dignitati Episcopali.

34. Secundò. Qui se ordinare præsumpserit in sacris ab alieno Episcopo, sine licentia, vel dimissoriis proprij Episcopi, manet suspensus ipso facto ab executione Ordinis suscepti quoad placuerit proprio Episcopo; & Episcopus ordinans manet suspensus per annum à collatione Ordinum, ex Trid. sess. 23. cap. 8. Excipitur casus quando quis commoratus est per triennium cum aliquo Episcopo ordinatio tanquam familiaris illius, vel tanquã vnus de familia illius, ex eodem Trident. c. 9. Requiritur autẽ vt huiusmodi Episcopus ordinans hunc suum familiarem sine licentia proprij, det illi statim beneficium. Nec dicitur familiaris qui est absens, etiamsi sustentetur ab Episcopo, quando non nouit mores illius, vt notat Auila 3. p. disp. 5. dub. 7. Nec sufficit commoratio triennalis cum Episcopo titulari tantùm. Vnde ab hoc non poterit quis ordinari sine licentia proprij, ex eodem Trid. sess. 14. c. 2.

35. Dixi *in sacris*. Nam si quis recipiat Ordines minores ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis, non incidit in suspensionem latam in Bulla Pij II. vt rectè obseruat Miranda in Manuali Prælat. tom. 1. quæst. 39. art. 7. ex Trident. verò sess. 23. cap. 8. sic ordinati suspenduntur ab Ordinum executione quandiu proprio Ordinario videbitur, ac proinde si ante obtentam licentiam à proprio Episcopo ministrent, fiunt irregulares.

36. Vbi obserua, litteras dimissorias ad Ordines non posse concedi à Capitulo sede vacante infra annum vacationis, nisi ratione beneficij accepti, vel accipiendi, quòd petat ex obligatione intra illum annum ordinari, ex Trident. sess. 7. cap. 10. de Reformatione, & manet suspensus ab executione Ordinis suscepti ad beneplacitum futuri Episcopi, cum talibus litteris ordinatus in sacris.

37. Tertiò, manet suspensus ab executione Ordinis suscepti, ordinatus à proprio Episcopo in aliena Diœcesi, sine licentia Diœcesani, ex Trident. sess. 6. cap. 5. Vnde si quis ab Episcopo non suo in aliena etiam Diœcesi ordinaretur, duas incurreret suspensiones, & quia sine litteris dimissoriis, & quia in tali loco.

38. Quartò manet suspensus ab executione Ordinis suscepti, ordinatus in sacris ante legitimam ætatem, ex Extrauagante Pij II. & ex Pio V. Sixto V. & Clemente VIII. Ad quam suspensionem incurrendam requiritur præsumptio: & ad irregularitatem contractam ex vsu Ordinis sic suscepti, requiritur etiam præsumptio. Vnde qui non solùm cum ignorantia inuincibili, sed etiam moraliter vincibili

vincibili & crassa, ordinatur ante legitimam ætatem, non incurrit suspensionem latam à Pio II. in prædicta Extrauagante, & consequenter neque incurrit irregularitatem celebrando cum prædicta ignorantia, vt contra Bonacinam tenent Portel & Præpositus, quos refert & sequitur Diana resol. 32. & Nauarrus cap. 27. num. 125. vbi notat, qui bona fide, vel etiam ex ignorantia crassa est ordinatus ante ætatem, quamdiu nequeat vti Ordine antequam ad illam peruenerit, vbi tamen pertigerit ad legitimam ætatem, potest eo vti absque peccato, & violatione censuræ. Nauarrum sequuntur Hurtadus diffic. 13. & Ægidius de sacrificio disputat. 16. dub. 5. Nota etiam cum Suarez de Censur. disp. 31. sect. 1. ordinatum scienter, aut ex ignorantia affectata, aut absque dimissoriis, & ob id suspensum ab Ordine sic suscepto, posse absolui ab Episcopo. nam quamuis Sixtus V. in sua Extrauagante Papæ reseruauerit illius absolutionem, reuocatum fuit à Clemente VIII. vt tradit Hurtad. vbi suprà. Imò superiores Regulares posse absoluere suos subditos sic suspensos, docet Portel in dub. Regul. verbo Ordinis sacri suspensio, & Hieronymus Rodriquez resol. 106.

39. Deinde nota, Sacerdotem scienter suscipientem presbyteratum ante legitimam ætatem, vel sine dimissoriis consecrantem cum Episcopo à quo ordinatur, & similiter Diaconum cantantem Euangelium, & Subdiaconum epistolam, licèt omnes hi sint suspensi suspensione prædicta, non esse tamen irregulares in vsu illo, vt contra Auilam docet Suarez disput. 51. sect. 1. quia non vtuntur Ordine iam suscepto extra ordinationem, sed in ipsa ordinatione, & in eo officio in quo ordinantur, & moraliter censetur illorum ordinatio dum durat officium; licèt metaphysicè re vera vtantur Ordine iam suscepto.

40. Præterea nota cum Cornejo de suspensione disp. 4. casu 3. ordinatum ante legitimam ætatem, licèt absoluatur à suspensione, non posse ante illam exercere Ordinem illum, nisi Papa dispenset; illa verò absolutio à suspensione proderit ad hoc, vt licèt talis ordinatus exerceat Ordinem ante impletam ætatem legitimam, quamuis peccet mortaliter, non tamen incurrat irregularitatem, quia non exercet cum suspensione.

41. Denique notandum, si quis bona fide, vel sine suspensione, ordinetur in sacris ante legitimam ætatem; vel etiam si sit suspensus propter Ordines susceptos ante legitimam ætatem, poterit exercere Ordines alios ritè susceptos, vt contra Villalobos, Nauarrum & Rodriguez tenent Auila, Enriquez & Scottia, quos refert & sequitur Diana resol. 35. Quia per Extrauagantem Sixti V. solùm impeditur vsus Ordinis malè susceptí, & in quo deliquit, & ne ad superiorem Ordinem ascendat; non verò ne vtatur Ordine inferioti, si legitimè illum susceptt.

42. Quintò manet ipso facto suspensus ab executione Ordinis susceptí, ordinatus in sacris extra tempora ab Ecclesia signata sine dispensatione, ex prædicta Extrauagante Pij II. citata. Vnde ministrare poterit in Ordinibus susceptis legitimis temporibus, & requiritur ad hanc suspensionem præsumptio. Prima tonsura potest dari quauis die, hora, & loco; minores verò Ordines quouis die festo, ex cap. *De eo*, de temporibus ordinationum. Qui verò ordinatur in sacris, non seruatis interstitiis statutis in Trident. sess. 23. cap. 13. & 14. quamuis peccet mortaliter, si faciat hoc absque licentia Episcopi, non tamen incurrit suspensionem; quidquid dicat Portel suprà num. 14. quia nullo iure talis pœna est expressa, nec ita seuerè prohibitum, quin possit Episcopus ex iusta causa dispensare, & pœna suspensionis ipso facto imposita à Sixto V. sublata fuit per Clementem VIII. Interstitia verò minorum Ordinum nunc sunt ad arbitrium Episcopi, & ex Congregatione Cardinalium possunt quatuor minores eodem die recipi.

43. Sextò ordinatus per saltum est ipso iure suspensus ab Ordine sic suscepto, ex cap. *Solicitudo*, distinct. 52. & colligitur ex Trident. sess. 23. cap. 14. vbi asseritur: *Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, Episcopus ex legitima causa potest dispensare.* manet ergo sic ordinatus suspensus ab vsu Ordinis suscepti, & inhabilis ad alios suscipiendos, & si ministret in Ordine suscepto, irregularitatem incurrit. Dicitur autem quis ordinari per saltum, quando recipit Ordinem superiorem, non suscepto inferiori: licèt negandum non sit, superiorem Ordinem etiam inferioti non recepto, esse validum, excepto Episcopatu, qui ad sui valorem essentialiter supponit presbyteratum; sicut cætera sacramenta, Baptismum, & potestas remittendi peccatum, essentialiter supponit potestatem cõsecrandi. Non tamen est omnino improbabile eum, qui relictis Ordinibus minoribus per saltum subdiaconatum recipit, quamuis grauiter peccet, & teneatur ad suscipiendos Ordines minores, non incurrere suspensionem; quia prædictum caput *Solicitudo*, solùm loquitur de illo, qui suscepit Ordinem Diaconi, & Presbyteri, omisso Ordine Subdiaconi, & cap. vnicum, de Clerico promoto per saltum, solùm loquitur de Subdiacono qui omisso Ordine Diaconi, recipit Ordinem Sacerdotis: neque est aliquod ius in quo decernatur pœna suspensionis, ei qui relictis Ordinibus minoribus subdiaconatum recipit.

44. Septimò qui suscipit Ordinem sacrum sine titulo vero beneficij, vel patrimonij, & sine peccato propter ignorantiam iuris, vel quia scit Prælatum hoc scire, & esse doctum, & putat posse, tunc non incurrit suspensionem; quia non præcessit peccatum ordinati, quamuis præcesserit in ordinante, propter quam culpam tenetur ordinans alere ordinatum illum, donec beneficium habeat, vel patrimonium vnde alatur, ex cap. *Cùm secundùm Apostolum*, de Præben. Aliquando tamen poterit Episcopus licitè ordinare quem scit, neque habere beneficium, neque patrimonium, v. g. quando ordinandus est vir aliquis doctus insignis in gradu, vel collegio, quia tunc certum est moraliter hunc vel consecuturum Cathedram, vel beneficium, vel præbendam, & ita hîc non erit suspicio, vt aliquando emendicet. ita Auila de suspens. disp. 5. dub. 6. Si verò ordinatus ordinetur peccando cum aliquo dolo, vel fraude in patrimonio, vel titulo, faciendo pactum cum Episcopo ordinante, vel cum Patrono, præsentante illum ad Ordines, vel beneficium, cum iuramento, vel alio modo firmo, se obligando ad nunquam petendum sustentationem, vel beneficium, certum est inter Doctores, huiusmodi esse suspensum ab executione Ordinis sic suscepti, donec à Sede Apostolica obtineat dispensationem, & ordinans incurrit suspensionem per triennium, & præsentans ab executione Ordinum; est enim hoc expressum in iure cap. penult. de simonia, & cap. *Per tuas*, etiam de simonia. Qui denique ordinatur fraude, vel dolo, recipiendo Ordinem sine titulo, vel patrimonio, vel fingendo se habere, vel mentiendo,

tiendo,vel probando falſo ſe habere quod non habet, vel habere pluſquam habeat, nec ſufficiat ad ſuſtentationem, vel accipiendo ab alio fictam donationem,vel licet veram,faciendo tamen pactum quod non fruetur talibus bonis donatis, neque ab eo peret ſuſtentationem, non eſt ipſo iure ſuſpenſus,quia talis ſuſpenſio non eſt expreſſa in iure,ſed tantum ſuprà relata de facience pactum cum ipſo ordinante, vel cum præſentante ad Ordines, propter ſpeciem ſimoniæ quæ ibi videtur eſſe.quæ ratio non eſt extendenda ad hunc caſum de quo loquimur,cùm ſit pœna. Et ita tenent Auila relatus, & Enriquez cap. 37. vbi refert graues Theologos & Canonistas, & pœna ſuſpenſionis lata a Sixto V. contra hos in ſua Extrauagante, reducta eſt ad ius commune, in quo non eſt ſuſpenſio ipſo facto. Eandem ſententiam tenent Ægidius dub. 5. & Hurtado diſſic.13.

45. Octauò quamuis valde probabile ſit, eum qui ficto titulo impetrat dimiſſorias, & ſic ordinatur, incurrere ſuſpenſionem, quam incurrit ordinatus ab alieno ſine licentia proprij, quia huiuſmodi literæ ſunt ſubreptitiæ, & contra voluntatem dantis,& ita tenet Suarez diſp.31.ſect.1. Oppoſita tamen ſententia etiam eſt probabilis,quam defendit Auila diſputat.5. dub. 1. quem ſequitur Villalobos tom.1.tract.18.diſſ.10. quia ille habet veras dimiſſorias. Neque obſtat quòd ficto titulo eas obtinuerit. nam ad Epiſcopum pertinet informationes capere quòd titulus ſit verus: alias ſi fictio patrimonij ad id ſufficeret, etiam ſufficeret falſitas in probatione morum & generis. nam etiamſi ſciret Epiſcopus,Reuerendas non concederet. Vbi nota renuntiatione tituli, propter quem quis eſt ordinatus, validam eſſe, ſi habet aliquid aliud quo ſuſtentetur. Si verò non habeat, renunciatio benehcij inualida eſt,ex Trident.ſeſſ.21.cap.2. ſic enim habet,*aliter facta renunciatio nulla ſit*. De renunciatione verò patrimonij eſt difficultas, quia forma loquendi non eſt ita expreſſa,dicit enim, *vt nullatenus alienari poſſit*,ſcilicet patrimonium, & certum eſt violationem huius præcepti eſſe peccatum graue; verius tamen eſt inualidam eſſe, quamuis propter eiuſmodi renunciationem nulla incurratur ſuſpenſio.

46. Nonò. Recipientes Ordinem, cùm ſint ligati matrimonio,siue conſummato, siue rato,incurrunt ipſo facto ſuſpenſionem ab vſu Ordinis ſic ſuſcepti,& ab officio & beneficio eccleſiaſtico habendo, & durat hæc ſuſpenſio etiam ſoluto matrimonio, & ſolus Papa diſpenſat in huiuſmodi ſuſpenſione,nisi in aliquo caſu Metropolitanus. Habetur hæc ſuſpenſio in Extrauagante *Antiqua*, de Voto, Ioannis XXII.

47. Decimo. Recipiens Ordinem quando eſt aliqua cenſura ligatus, manet ipſo iure ſuſpenſus ab Ordine ſic ſuſcepto, ex cap.1. de eo qui furtiuè Ordines ſuſcepit,& cap.*Cum illorum*,de ſentent. excommunicationis. Et intelligitur etiam de recipiente minores.

48. Vndecimò. Recipiens Ordinem per ſimoniam realem ab ipſo ordinato commiſſam, manet ipſo facto ſuſpenſus ab omnibus Ordinibus quos habuerit,ex Extrauagante 2. Pauli II. *de ſimonia*. Si verò ipſo ordinato ignorante, vel contradicente, alter commiſit ſimoniam, v.g.parens, vel amicus ordinati, tunc non manet ſuſpenſus. Ita Sà verb. ſuſpenſio,num.12.

49. Duodecimò. Qui ob percuſſionem Clerici excommunicatus ſuſcipit Ordines, manet ſuſpenſus à ſuſceptis, à qua ſuſpenſione ſolus Papa abſoluit, niſi Religioſus id aliquo modo ignoranter fecit, quem eius Prælatus abſoluit, ex cap. *Cum illorum* 32.de ſentent.excommunic.

Decimotertiò.Sacerdos,vel ſecularis,vel Regularis,qui auſus fuerit cõiungere matrimonio ſponſos alterius Parochiæ, ſine licentia Parochi illorum,ex Trident.ſeſſ.24.cap.1. manet ipſo facto ſuſpenſus, & durat hæc ſuſpenſiõ donec abſoluantur ab Ordinario Parochi, qui debebat intereſſe, vel benedicere. 50.

Decimoquartò. Clerici Sodomitæ ſunt ipſo iure ſuſpenſi,ex conſtitutione Pij V. ſic enim habet, *Omnes,& quoſcumque Preſbyteros, & alios Clericos ſeculares & Regulares,cuiuſcumque gradus & dignitatis, tam dirum nefas exercentes, omni priuilegio clericali, omnique officio,dignitate, & beneficio eccleſiaſtico, præſentis Canonis auctoritate priuamus*. Ad quam pœnam requiritur,vt peccatum ſit conſummatum, & non ſufficit ſemel,vel bis commiſiſſe,ex illo verbo Pontificis *exercentes*, vt rectè obſeruat Nauarr. cap. 27. num. 148. & requiritur ſaltem ſententia criminis declaratoria. Clerici verò concubinarij quamuis ſint notorij, vel euidentia facti, vel per ſententiam, vel per confeſſionem propriam, non ſunt ipſo facto ſuſpenſi, & ita videtur colligi ex Tridentino ſeſſ. 25. cap.14. dum ait. *Iſtos prius eſſe monendos,& puniendos in fructibus, & deinde ſuſpendendos*. ergo ſupponit Concilium non eſſe ſuſpenſos,vel ſi olim erant iam non eſſe in vſu. 51.

Vbi obſerua, Confeſſarium virtute Bullæ electum, poſſe abſoluere ab omni ſuſpenſione ſiue à iure,ſiue ab homine, toties quoties, ſi non eſt reſeruata; ſi autem ſit reſeruata ſemel in vita & iterum in articulo mortis. An verò hoc etiam intelligendum ſit de ſuſpenſione incurſa per ordinationem ante legitimam ætatem, placet ſententia affirmans,quam defendit Trullench in Bulla Cruciat.lib.1.§.7.cap.2.dub.16. quia Bulla abſolutè & ſimpliciter concedit facultatem abſoluendi ab omni cenſura, nec excipit dictam ſuſpenſionem; poterit ergo ſic ſuſpenſus virtute Bullæ abſolui, quamuis non poſſet in eo Ordine miniſtrare ante ætatis complementum. Et hoc procedit, etiamſi ſuſpenſio proueniat ex delicto publico, vt notat Enriquez lib.7.de Indulg.cap.13.quia Bulla facultatem quam concedit abſoluendi à ſuſpenſionibus non reſeruatis, vel quamuis ſint reſeruatæ ſemel in vita,& iterum in articulo mortis,non limitat ad delictum occultum. Imò confeſſariis Societatis IESV per priuilegium conceſſum eſt,vt poſſint abſoluere ab omni ſuſpenſione, vt notat Auila diſp.6.dub.2.quo priuilegio gaudent aliæ Religiones communicantes cum Societate. 52.

DISPVTATIO IV.

De Interdicto.

SECTIO I.

Quid & quotuplex ſit Interdictum.

INTERDICTVM non ſumitur hic, quatenus omnis prohibitio Interdictum vocatur, ſed pro quadam pœna ſpeciali Eccleſiaſtica priuatiua quorundam bonorum eccleſiaſticorum per modum cenſuræ, & ita diffinitur. 1.

Cenſura

Censura ecclesiastica qua homo separatur à certis sacramentis, omnibusque diuinis officiis, & ecclesiastica sepultura. Vel, vt alij volunt, *Censura prohibens vsum quarumdam rerum diuinarum fidelibus communem, quatenus est talis vsus sacer.* Differt ab aliis censuris. nam quamuis habeat materialiter plures effectus communes cum illis, sub diuersa tamen ratione formali, vt diximus initio disputationis præcedentis.

2. Diuiditur autem interdictum in purè locale, purè personale,& mixtum,ex vtroque,ex cap. *Præsenti*,cap.*Si sententia*, & cap. *Si ciuitas*, de sentent. excommunicat. in 6. Purè locale est, quando immediatè & directè tantùm interdicitur locus, & in eo prohibentur officia diuina modo à iure præscripto,& indirectè dirigitur ad fideles, quibus interdicitur in tali loco diuina audire facere, vel recipere. Purè personale est, quando immediatè & directè tantùm persona,& non locus interdicitur, & tunc illa persona nullibi potest diuina audire. Mixtum est, quando & locus & persona simul interdicuntur, & fertur in hunc modum : Interdicimus Petrum & quemcumque locum vbi Petrus fuerit;vel vbicumque fuerit Petrus,sit locus interdictus. Et hoc interdictum dicitur deambulatorium, quia ambulat cum persona, ita vt locus ad quem iuerit talis persona,sit interdictus.

3. Rursus, Interdictum locale diuiditur in generale,& speciale,ex cap.*Cùm de imparibus*, de verborum significatione. Generale est,quod dirigitur in aliquem locum generalem complectentem plura loca particularia,v.g.si interdicatur Regnum,Prouincia,Diœcesis, ciuitas, villa, castrum, tota Parochia alicuius ciuitatis. Itaque vt locus dicatur generaliter interdictus, duo genera locorum debet continere, scilicet locum sacrum, seu cultui diuino dicatum,& locum prophanum. Ex quo

4. Infertur primò, interdictum impositum in tota vna Parochia ciuitatis, esse interdictum generale,quia nomine Parochiæ non intelligitur sola Ecclesia, sed etiam totum distrietum locale vbi Parochiani habitant, continentem locum sacrum, & non sacrum, ita vt nemini liceat intra ambitum totius districti parochialis,nec intra,nec extra Ecclesiam,diuina celebrare,aut audire.

5. Secundò infertur, quando in vna ciuitate interdicuntur omnes Ecclesiæ illius,esse interdictum particulare,quia non interdicitur totus locus, scilicet tota ciuitas,sed loca particularia determinata, quæ omnia non faciunt totam ciuitatem, & quantum est ex vi illius interdicti non prohibentur celebrari diuina officia extra illas Ecclesias in priuatis Oratoriis,aut aliis locis non sacris,ad quod possent deseruire in necessitate,& possent etiam destinari : si autem interdictum esset generale, non possent. Si verò interdicatur ciuitas, & excipiatur vna parochia,esset interdictum generale,quia ex se interdictum in totum locum fertur tunc;quòd verò excipiatur aliqua pars,est per accidens.

6. Interdictum verò locale particulare est, quando non fertur in totum locum vt sic', plura simul loca continentem ; atque ita extra illum potest persona interesse diuinis, nisi talis persona causam dederit illi interdicto particulari locali ; tunc enim nullibi poterit interesse diuinis,sed vbique se gerere debet vt persona interdicta.nam in hoc casu interdictum particulare locale infert secum personale, ex cap. *Si sententia*, de sentent. excommunicat. Ex quo etiam

7. Infertur primò, interdictum vnius Ecclesiæ esse particulare, non enim continet locum sacrum, & non sacrum, sed omnia loca quæ continet sunt sacrá ; atque ita interdicta Ecclesia illa omnia sacella & Altaria illius,intelliguntur interdicta.

Secundò infertur, in interdicto generali locali ciuitatis,in qua est Cathedralis, vel Metropolitana,etiam intelligi hanc interdictam. Imò etiam in particulari interdicto, v.g. si interdicantur omnes Ecclesiæ ciuitatis, propriè enim est pars ciuitatis & Ecclesia,& ita contra Couarruuiam & Sà, tenet Suarez disp. 32. sect.2. Interdicta etiam ciuitate muris circundata, manent interdicta omnia loca, quæ vnum quid faciunt cum illa ciuitate, & ita intelliguntur suburbia ædificia continentia, id est, non multum distantia,Monasteria,vel prædia suburbana,ex cap. *Si ciuitas*. Intelliguntur etiam loca exempta, v.g.Ecclesiæ Religiosorum, ex Trident. sess.25.cap.12. Idem est si contingat in illa ciuitate interdicta esse Ecclesiam aliquam subiectam alteri Episcopo, ob rationem capitis *si ciuitas*, ne scilicet interdictum generale locale sit inefficax. Idem si in loco generali interdicto fiat aliqua Ecclesia,quia in loco interdicto est constructa : quod non contingeret in interdicto speciali locali, quo interdicuntur Ecclesiæ ciuitatis. nam si de nouo fiat Ecclesia,non erit interdicta, cùm non sit facta in loco interdicto. Denique quando interdicitur terra alicuius domini, intelligitur terra propria illius in quam habet iurisdictionem, siue sit tota simul, siue in diuersis locis, & si alienet illam, transit cum interdicto,non tamen intelligitur terra quam habet in pignus, neque quam acquisiuit post interdictum positum, nisi in interdicto aliud exprimatur. In interdicto verò speciali locali, interdicta Ecclesia, intelliguntur etiam interdictæ omnes Capellæ, etiam extra eam, si sint contiguæ, & Cœmeterium. nam hæc intelliguntur facere vnum corpus sacrum in illo templo interdicto.Interdictis verò omnibus Ecclesiis ciuitatis, non comprehenduntur Oratoria particularia;hæc enim non dicuntur Ecclesiæ. Neque Ecclesiæ exemptæ Religiosorum si interdictum sit Episcopi tantùm, quia is non potest has specialiter interdicere,cùm non sint ei subiectæ.

Præterea,interdictum personale, diuiditur similiter in generale,& speciale.Personale generale est, quod fertur in aliquam communitatem personarum,vt est corpus politicum collectionum plurium personarum,& in personas singulas, vt sunt partes illius communitatis;vt quando interdicuntur omnes personæ vnius Regni, vel ciuitatis, vel Collegij, vel Capituli. Particulare verò personale est, quod fertur in aliquas personas determinatè. Ex quo 8.

Infertur primò, interdictum talis communitatis non extendi ad eos qui non sunt partes talis communitatis,& ita interdicto Clero,non interdicitur populus,quia populus non est pars Cleri:neque interdicto populo, interdicitur Clerus ; quia Clerus non est pars populi : at si interdicatur Academia, in qua sunt laici & Clerici, vel si interdicantur omnes Doctores, intelliguntur siue laici, siue Clerici. Itaque attendenda sunt verba interdicti, & secundùm ea iudicandum est, vt videatur quæ sunt partes illius communitatis interdictæ: vnde si populus Cæsaraugustanus interdicatur,intelliguntur etiam laici ciues habitantes in suburbiis distantibus aliquantulum à ciuitate, & etiam nobiles,nisi gaudeant aliquo priuilegio, saltem ex consuetudine.Hospites verò etiam longi temporis 9.

non

non intelliguntur, quia non ſunt populus huius ciuitatis, ſicut neque Scholaſtici exteri, quia ſunt veluti hoſpites. Qui verò habet duo domicilia in diſtinctis populis, & in vno loco populus eſt interdictus & in alio non, intelligitur interdictus ſi habitet in loco interdicto; quia pro tunc intelligitur pars illius, non verò quando habitat in loco non interdicto, quia tunc illius pars cenſetur.

10. Infertur ſecundò. Interdicto Clero, interdici omnes perſonas Eccleſiaſticas gaudentes priuilegio clericali, id eſt, Religioſos etiam, & Nouitios, & conuerſos; fœminas etiam Religioſas, & conuerſas. Ita tenent Suarez diſp. 32. ſect. 2. quem plures alij ſequuntur. Sed certè oppoſita ſententia mihi videtur probabilior, quia perſonæ religioſæ in odioſis non comprehenduntur nomine Cleri, niſi ex adiunctis aliud colligatur, niſi Religioſus habeat beneficium ſeculare, vel cenſura feriatur ſub nomine perſonarum Eccleſiaſticarum, & ita tenent Præpoſitus, Portel, Vgolinus, Alterius, Ægidius, Auila & Layman, quos refert & ſequitur Diana 5. parte tract. 10. reſol. 90. vbi nota ſi interdicantur Religioſi, non comprehendi Nouitios, quia in odioſis non veniunt nomine Religioſi.

11. Infertur tertiò, in quo differant interdictum generale perſonale, & ſpeciale. nam illud ligat interdum perſonam quæ eſt pars communitatis, etiam ſine ſua culpa: at perſonali interdicto ſpeciali nemo ligatur ſine propria culpa, ſicut neque excommunicatione, neque ſuſpenſione. Ex quo etiam oritur aliud diſcrimen, quòd generale interdictum perſonale, poteſt auferri à perſona, ſi hæc deinceps eſſe pars communitatis (dummodo non dederit cauſam interdicto) etiamſi communitas maneat interdicta. Sicut quando communitas eſt interdicta, ſi quis de nouo fiat illius pars etiam intelligitur interdictus, propter interdictum communitatis quæ eſt interdicta, cuius ille fit pars. Particulare verò perſonale interdictum, nunquam auferetur a perſona, niſi interdictum relaxetur.

12. Deinde interdictum diuiditur in totale & partiale. Totale eſt quod fertur ſine limitatione, & comprehendit omnes effectus interdicti: partiale verò quod fertur cum limitatione in ordine ad effectus. Diuiditur etiam interdictum, in interdictum à iure, vel ab homine: à iure eſt quod eſt per legem, vel ſtatutum: ab homine verò quod eſt per præceptum. Denique diuiditur interdictum, in cenſuram, & tantùm pœnam.

SECTIO II.

De primo effectu interdicti.

13. PRimus effectus eſt, quod tempore Interdicti abſolutè lati prohibetur ſuſceptio omnium ſacramentorum, quæ in iure non ſunt ſpecialiter, & expreſsè excepta, ex cap. *Si ſententia*, vbi dicitur: *perſonas interdictas non debere ſuſcipere Eccleſiaſtica ſacramenta* quod intelligendum eſt, vt prædiximus, niſi in iure excipiantur.

14. Vnde tempore interdicti licita eſt receptio Baptiſmi tam paruulis, quàm adultis ſolemniter facta. ex cap. *Reſponſo*, de ſentent. excommun. in 6. & cap. *Quoniam*, ibidem, & cap. *Non ex vobis*, de ſponſalibus, & cùm ius abſolute & ſine reſtrictione loquatur, intelligitur tam in interdicto locali generali, quàm particulari. Et cùm expreſsè dicat, vtendum eſſe in tali Baptiſmo chriſmate, apertè loquitur de adminiſtratione ſolemni. nam chriſma tantùm ponitur quando Baptiſmus ſolemniter adminiſtratur. Ex quo etiam ſequitur, poſſe confici omnia præparatoria ad Baptiſmum, v.g. Catechiſmum baptizandi, benedictionem fontis, vel aquæ, & conſecrationem chriſmatis, licèt requiratur officium aliquod diuinum cum moderatione tamen capitis *Alma mater*, infrà declaranda. Et propter eamdem rationem, ſcilicet, quia non eſt in iure expreſsè prohibitum, poteſt perſona interdicta quæ non dedit cauſam interdicto, ſolemniter baptizare. Si verò cauſam dedit, tunc tantùm in neceſſitate & ſine ſolemnitate, poterit baptiſmum dare, quia neceſſitas excuſat. Et quod diximus licere baptiſmum in loco interdicto, intelligitur etiamſi ſit alius locus non interdictus in quo poſſit Baptiſmus miniſtrari; quia laborioſum eſſet Parochianis vnius Eccleſiæ interdictæ, ad aliam ire Parochiam pro Baptiſmo.

15. Similiter licita eſt receptio ſacramenti Confirmationis ſolemnis in loco generaliter, vel ſpecialiter interdicto, etiamſi ſint alia loca non interdicta in quibus poſſit dari, ex cap. *Quoniam*, quod ſine reſtrictione loquitur, & conſequenter licet chriſma conficere ad confirmationem. Et ratio huius eſt, ius ita præſcribens, & quia Confirmatio eſt veluti complementum Baptiſmi, quia datur ad profitendam fidem in Baptiſmo receptam; ac proinde ſicut Baptiſmus licitus eſt, & poteſt dari tempore interdicti etiam ſanis, ita confirmatio, & vtrumque ſacramentum dicitur in iure eo tempore dandum eſſe, propter moræ periculum; quia ſcilicet periculum eſt ne infantes moriantur ſine Baptiſmo, & in adultis periculum eſt ſi priuentur auxilio, quod per confirmationem datur ad reſiſtendum tentationibus contra fidem. Perſonaliter verò interdictus qui cauſam non dedit interdicto, poteſt licitè recipere confirmationem, quia in hoc iſte comparatur interdicto locali; ſi verò dedit cauſam, non poterit licitè. De miniſtrante verò confirmationem idem dicendum eſt quod de baptizante. nam ſi non dedit cauſam, poterit confirmare; ſi verò cauſam dedit, licèt validè faciat, non tamen licitè, ex cap. *Epiſcoporum*, de priuilegiis in 6. vbi interdicti, & excommunicati prohibentur admitti ad ſacramenta, ſiue recipienda, ſiue conficienda.

16. Deinde licita eſt receptio ſacramenti Pœnitentiæ, non modò infirmis in articulo mortis, ſed etiam ſanis, quoties voluerint, ex cap. *Alma mater*, propter neceſſitatem huius ſacramenti, quod procedit in quouis interdicto, ſiue locali, ſiue perſonali, in quo perſona interdicta non dedit cauſam interdicto. Si verò priùs delicto ſatisfaciat, aut det ſufficientem cautionem de ſatisfaciendo, aut ſi neutrum poſſit, iuret quam primum poſſit ſe ſatisfacturum, in quo caſu poterit abſolui. Quòd ſi contingat perſonam interdictam eſſe excommunicatam, videatur qualitas excommunicationis an ſit reſeruata, vel non, ac proinde an poſſit confeſſarius ordinarius ab ea abſoluere: ſi enim ſit reſeruata, non poterit, ex cap. *Alma mater*, vbi dicitur poſſe interdictis dari Pœnitentiæ ſacramentum, niſi ſint excommunicati, nec eſſe abſoluendos niſi in articulo mortis.

17. De miniſtrante hoc ſacramentum, ſiue de abſoluente ſi ſit interdictus, idem dicendum eſt, quod dicebamus de baptizante & confirmante. An verò interdictus denuntiatus nominatim validè det abſolutionem ſacramentalem extra articulum mortis bona fide confitenti, & ita non priuetur iuriſdictione,

Digitized by Google

dictione, res est dubia & sub lite, sicut de nominatim suspenso denunciato, & irregulari. Placet sententia Suarij disput. 40. sect. 2. validè posse absoluere, quia neque irregularitas, neque suspensio, neque interdictum priuant secundùm ius iurisdictione, sed tantùm impediunt vsum licitum illius. Nec obstat personaliter interdictum non posse validè absolui: ergo nec absoluere, est enim dispar ratio. nam inualiditas absolutionis receptæ ab interdicto, non prouenit ob defectum iurisdictionis in absoluente, sed defectu debitæ dispositionis; quia cùm peccat recipiendo illam, reddit eam inualidam: at inualiditas absolutionis latæ ab interdicto, nullo iure constat, & ita valida est.

18. Præterea Extrema vnctio, tam secundùm substantiam, quàm secundùm solemnitatem, prohibita est tempore interdicti generalis localis, vel specialis, in locis sic interdictis. nam extra illa licita est, nisi quis dederit causam tali interdicto, ex cap. *Quod in te*, de Pœnitentiis & remissionibus. In interdicto verò personali, siue generali, siue speciali, nullibi licitè potest sic interdictus recipere Extremam vnctionem, quia interdictum personale, vt iam diximus, sequitur personam. In diebus verò, in quibus relaxatur interdictum generale locale infrà assignandis, non est licita Extrema vnctio, quia circa Extremam vnctionem, nihil innouatur in cap. *Alma mater*. Quod verum etiam est tam respectu Clericorum, quàm Religiosorum, si non habeant priuilegium. Vnde immeritò Paludanus in 4. dist. 18. quæst. 8. ait secundùm ius licere Clericis & Religiosis tempore interdicti Extremam vnctionem, sicut licita est illis Ecclesiastica sepultura, ex cap. *Quod in te*, quia sepultura Ecclesiastica manifestè conceditur illis à iure, non verò Extrema vnctio, cùm nullibi respectu illorum excipiatur. & ita tenet communis sententia. Est tamen notandum id quod docet Trullench suprà lib. 1. §. 3. dub. 7. tempore interdicti posse moribundo conferri Extremam vnctionem, quando non potest recipere sacramentum Pœnitentiæ, v.g. si postquam moribundus ostendit signa contritionis, amisit vsum rationis; & ob id non potest confiteri, poterit loco sacramenti Pœnitentiæ in eo casu Extrema vnctio conferri; quod certè non est improbabile, cùm possit facere de attrito contritum, & sequitur Diana resol. 77.

Secundò notandum, Extremam vnctionem non prohiberi Religiosis mendicantibus ex priuilegio, neque habentibus Bullam cruciatam, imò habentes Bullam possunt omnia sacramenta suscipere.

19. Similiter Ordo non potest ab aliquo recipi in loco generaliter, vel specialiter interdicto; neque à personaliter, generaliter, vel specialiter interdictis. Et attendatur modus interdicti personalis; si enim sit interdictum tantùm Cleri, tunc poterit secularis ordinari, quamuis non possit vlteriùs promoueri. Si interdictum sit tantùm populi, tunc iam Clericus poterit vlteriùs promoueri. Si interdictum sit populi & Cleri, tunc nullus ex illis poterit ordinari. Quòd si rara necessitas contingat ordinandi Ministros tempore pestis ad subueniendum infirmis, vel in alio casu simili, & aliter fieri non posset, licitus esset tunc Ordo tempore interdicti, quia dato tunc esse ministranda sacramenta, necessarij sunt ministri, & ita dato primo, datur secundum.

20. Deinde non licet matrimonium in loco generaliter, vel specialiter interdicto, neque alibi, à personis generaliter, vel specialiter interdictis; quia hoc sacramentum non excipitur in iure. Nihilominus secundùm consuetudinem licitum est, dummodo fiat sine benedictionibus, istæ enim cùm sint officium diuinum, non licent tempore interdicti, & videtur colligi ex cap. *Appellamus*, de feriis, vbi dicitur, matrimonium quocumque tempore contrahi posse, & ita contra Suarez & alios tenent Hurtado de interdicto diff. 8. Auila disput. 4. sect. 1. dub. 6. Sancius tom. 2. lib. 7. disp. 8. Quia matrimonium est contractus: contractus autem non est prohibitus tempore interdicti, neque personis interdictis, quamuis in baptizatis habeat etiam adiunctam rationem sacramenti. Benedictio verò nuptiarum tempore interdicti illicita est, quia inter diuina officia computatur, & habet adiunctam Missam & preces solemnes, quæ tempore interdicti sunt prohibitæ. Notat verò Turrianus lib. 6. disp. 49. dub. 4. eiusmodi benedictiones posse fieri in diebus in quibus permittuntur diuina officia, vt Paschatis, &c.

21. Similiter tempore interdicti in loco interdicto siue generaliter, siue specialiter, & si sint alia loca non interdicta, potest licitè recipi & ministrari Eucharistia per modum viatici, ex prædicto cap. *Quod in te*, & cap. *Alma mater*. Idem dicendum est in probabili mortis periculo, vndecumque periculum illud proueniat, siue ex infirmitate, siue ex periculosa nauigatione inchoanda, siue ex bello, siue ex damnatione Iudicis ad mortem, siue ex periculoso partu. Et quamuis sit personaliter interdictus qui non dedit ei causam, potest recipere viaticum; si tamen dedit, satisfaciat priùs, & absoluatur à censura interdicti, & deinde detur ei viaticum: qui verò non dedit causam, non est absoluendus à censura interdicti, quia cùm sit innocens, non est cur ab ea absoluatur. Et quando in casu dicto Eucharistia defertur ad infirmos, debet ferri cum solemnitate & pompa ordinaria, vnde pulsatur campana ad congregandum populum, & in via pulsatur campanula, & fertur lumen; non tamen debet dici officium diuinum in interdicto generali locali, & possunt comitari etiam personæ interdictæ, hoc enim non prohibetur illis; sicut & possunt videre & adorare Eucharistiam, nisi in Missa, vbi prohibentur assistere, quia est officium diuinum. Ministrare verò poterit viaticum quiuis Sacerdos aliàs habens facultatem, qui non dedit causam interdicto, vel dare facultatem ministrandi alteri sacerdoti non impedito: si verò dedit causam, non poterit licitè ministrare nisi in casu necessitatis, & defectu alterius non impediti; poterit tamen dare alteri facultatem, quia ad hoc non impeditur, sicut neque à iurisdictione.

22. An verò sacerdotes, qui tempore interdicti generalis localis post cap. *Alma mater*, possunt celebrare Missam quotidie cum moderatione ibi posita, & Clerici diuinis officiis assistere, possint etiam communicare more laicorum. Placet sententia affirmans quam contra Auilam, Villalobos & Hurtadum, defendunt plures & graues Doctores, inter quos sunt Suarez disput. 33. sect. 2. & Ægidius disput. 17. dub. 8. quia sacerdotes eo tempore possunt celebrare & assistere sacrificio Missæ, & similiter Clerici: ergo & possunt tunc communicare more laicorum, quia cui communicatur facultas assistendi Missæ, consequenter conceditur vt de ea possit participare, &, vt rectè Suarez obseruat, in cap. *Alma mater* dicitur: *Dicantur diuina officia sicuti prius*; sed prius, id est, ante interdictum, ita celebrantur vt non Sacerdotes Clerici sumant Eucharistiam more laico, & similiter Sacerdotes

aliquo

aliquo impedimento non potentes celebrare eodem modo communicant: ergo. Ex quo infertur in illis diebus, in quibus tempore interdicti licitum est laicis sacrum audire, posse etiam Eucharistiam sumere. Vnde habentes priuilegium, vt sunt Religiosi, & Moniales, & habentes Bullam cruciatam, poterunt Eucharistiam accipere, & similiter in diebus solemnibus, in quibus solet interdictum locale generale relaxari, vel cessatio à diuinis, de quibus infra erit sermo, & in quibus licitum est sacrificio Missæ assistere, tunc etiam licitus est vsus Eucharistiæ, & ita licitè potest dari Eucharistia omnibus etiam laicis, qui non dederunt causam interdicto generali locali, vel cessationi à diuinis. Et ita tenent plures Doctores grauissimi, ob rationem suprà dictam, quos in magno numero refert & sequitur Diana resol. 85. Ex quo vlteriùs fit, quòd si tunc se offerat præceptum communicandi, esset obligatio communicandi, quia sublatum est impedimentum implendi præceptum, & non est onus tunc vti priuilegio, sed fauor.

23. An verò in prædictis diebus possit quis non modò in Missa quam audit, sed extra communicare in aliis Altaribus, vbi tantùm ministratur Eucharistia, dubitari posset, & Suarez expresse ait, & meritò, posse, quia dato posse assistere sacrificio, videtur etiam consequenter permitti hanc participationem, etiam in alio Altari.

24. Inquires primò, quodnam peccatum sit violare interdictum in sacramentorum susceptione, vel ministratione, & quæ pœna sit imposita. Respondeo esse peccatum ex se mortale, & sacrilegium, tam in laicis recipientibus tantùm, quam in Clericis ministrantibus, vel recipientibus, nisi excusent bona fides, ignorantia, vel inaduertentia, quia materia ex se est grauis. Clerici autem violantes interdictum, modo proprio Clericorum ministrantes, vel celebrantes, incurrunt irregularitatem, siue interdictum sit locale generale, vel speciale, siue personale, ex cap. *Is cui*, de sentent. excommunic. in 6. Quod etiam est verum in his, qui non dederunt causam interdicto, & incurritur etiam ab Episcopis violantibus interdictum positum à iure, vel à Papa, & etiam positum ab ipsis, quia eo posito effectus interdicti sunt à iure, nisi pro tunc ab eis relaxetur, vel suspendatur. Quod similiter verum est, quando Minister est interdictus, etiamsi non sit denunciatus, siue det sacramentum personæ non interdictæ, & in loco non interdicto; siue illud det in loco interdicto, denuntiato tamen, iuxta Extrauagantem *Ad euitãda*, etiamsi persona recipiens non sit interdicta, neque ipse Minister sit interdictus. Si verò Minister non sit interdictus, neque det in loco interdicto, det autem personæ interdictæ non denuntiatæ, dubitant Doctores an incurrant irregularitatem. Suarez disp. 33. sect. 3. num. 8. defendit partem negantem, & meritò, quia non habetur expressum in iure, sicut in duobus primis casibus. Si autem recipiens sacramentum esset interdictus denuntiatus, ministrans esset interdictus ab ingressu Ecclesiæ, ex cap. *Episcoporum*, de priuilegiis in 6. & quando incurritur irregularitas, quia Minister ex officio est interdictus, & ministrat sacramentum in loco interdicto denuntiato, duplicem incurrit irregularitatem, vnam, quia ipse est interdictus; alteram, quia in loco interdicto denuntiato, ac proinde in dispensatione vtraque est explicanda.

25. Et prædictæ pœnæ tantùm comprehendunt ministrantes, non verò assistentes, vel cooperantes, nisi cooperatio sit ipsa ministratio, & requirunt vt interdictum scienter violetur, vel ex præsumptione & ex contemptu, quod est valde notandum pro resolutione plurimorum casuum. Quid verò significent prædicti termini in violatione censurarum, iam manet suprà explicatum.

Clerici etiam violantes interdictum modo supradicto, sunt inhabiles, vt eligantur, ex cap. *Is qui*, & cap. *is cui*, de excommunicationibus, quas incurrunt Religiosi & Moniales, non seruantes interdictum generale, & fratres Minores admittentes tempore interdicti ad diuina fratres tertij Ordinis, & domini temporales cogentes in suis terris aliquem ad diuina facienda, videatur Clementina 1. 2. & 3. de sentent. excommunicat. 26.

Si verò loquamur de laicis violantibus interdictum in receptione sacramentorum, & idem est de Clericis more laicorum ea recipientibus, nulla est pœna imposita, quæ habeatur expressè in iure. 27.

Sectio III.

De secundo effectu interdicti.

Secundus effectus est, prohibitio diuinorum officiorum. Vnde tempore interdicti localis generalis in loco sic interdicto non est licitum celebrare sacrum cum solemnitate, nisi modo & forma stabilita in cap. *Alma mater*, vbi decernitur: *vt singulis diebus in Ecclesiis & Monasteriis Missa celebrentur, & alia dicantur diuina officia sicut prius, submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis ac interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* licitum ergo est in loco generaliter interdicto singulis diebus cuilibet Sacerdoti, aliàs non impedito, sacrum facere cum moderationibus prædictis. Per Ecclesias & Monasteria intelliguntur omnia loca, in quibus ante interdictum dici poterat Missa, siue Ecclesiæ, siue Monasteria, siue priuata Oratoria approbata ab Ordinario, iuxta Trident. sess. 22. & de his Oratoriis tenet communior sententia Recentiorum. Exprimit verò caput *Alma mater*, Ecclesias & Monasteria, quia ibi frequentiùs sacrificium fit. 28.

Debet etiam Missa dici *summissa voce*, ita vt extra Ecclesiam non possit audiri, vel videri Missa, *& ianuis clausis*, licèt non ita debeant esse clausæ, vt non possint aperiri ab habentibus priuilegium. Neque est præceptum adhibendi custodem ad ianuas. nam sufficit monitio ipsa interdicti, & modus ordinarius clausuræ, vt arceantur non habentes priuilegium ab ingressu. Quòd si quis non habens priuilegium ingrediatur quando fiunt diuina, si aduertatur à Ministris illius Ecclesiæ, tenentur eos expellere; non verò ad hoc tenentur alij audientes, vel assistentes officiis diuinis. 29.

Campanis non pulsatis, id est, ad conuocandum populum ad Missam, vel ad alia diuina officia, & idem dicendum de quouis alio signo ad conuocationem dictam. licitum tamen erit pulsare campanam ad concionem, ad salutationem Angelicam, ad comitandam Eucharistiam deferendam ad infirmos, & ad aduentum Regis, & similia, quia non sunt officia diuina: non verò erit licitũ campanam pulsare quando in Missa eleuatur sacramentum. nam licèt quibuslibet interdictis quando non celebrantur diuina officia, liceat videre & adorare Eucharistiam si patens sit, nihilominus in Missa non licet illis, quia tunc est officium diuinum, & ita pulsatio ex se esset ad conuocandum populum ad adorandam Eucharistiam in Missa, & pertinet hoc ad solemnitatem Missæ: quare non est licita pul- 30.

satio

satio campanæ, sicut nec organorum, vel alia similis solemnitas.

31. *Excommunicatis & interdictis exclusis*, id est, non habentibus priuilegium; fit autem mentio excommunicatorum & interdictorum, quia etiamsi hi aliàs habeant priuilegium tempore interdicti Missam audiendi, & alia diuina officia, non gaudent tali priuilegio. Intelliguntur ergo omnes non habentes priuilegium. nam si tempore interdicti generalis localis solum essent expellendi excommunicati & interdicti personaliter, & qui dederunt causam tali interdicto, eneruaretur interdictum, quia illi excommunicati & interdicti sunt sæpe pauciſſimi. Pueri & amentes non sunt expellendi, quia tantùm prohibetur assistentia moralis & humana. Neque excluduntur Clerici coniugati, vt rectè Ægidius disp. 17. dub. 2. Si iuxta decretum Tridentini ex mandato Episcopi alicui Ecclesiæ inseruiant. nam eo ipso quo tali seruitio deputati sunt, videntur in hoc aliis Cleticis coæquari, & inter eos esse computandos. Neque arcetur ab ingressu Ecclesiæ omnis ingressus, vt rectè Nauarr. cap. 27. num. 170. sed tantùm tempore diuinorum officiorum, ac proinde quando non fiunt diuina, possunt interdicti ibi orare priuatim: imò non est improbabile posse transire per Ecclesiam dum celebrantur diuina, & ibi transeunter aliquantulum orare. ita Auila parte 5. disp. 4. dub. 5. Similiter non sunt excludendi adulti habentes priuilegium Bullæ, imò isti, vt alibi dicebamus, diebus festis tenentur audire sacrum.

32. Habentes priuilegium, vel facultatem celebrandi Missam, vel alia diuina officia, vel eis assistendi, possunt secum ducere suos familiares domesticos, ex cap. *Licèt*, de priuilegiis in 6. si non dederunt causam interdicto: per quos domesticos intelliguntur non omnes familiæ, sed tantùm serui soliti comitari dominum, siue cum eo habitent domi, siue non: quia priuilegium debet intelligi vt incedant priuilegiati decenter, & idem est de Bullam habentibus, quare non debent recipi de nouo famuli in fraudem interdicti, ex cap. *finali*, de verborum significationibus in 6. quòd si famuli soliti comitari sint absentes, vel infirmi, alij possunt sumi à domino loco illorum, & potest modò cum quibusdam, modò cum aliis, siue hoc faciat ex deuotione, siue ex intentione, vt alij famuli audiant sacrum, vt notat Auila, quamuis glossa in cap. *Licèt*, hoc vltimum neget.

33. Est tamen specialis difficultas, an quando tempore interdicti ex priuilegio Bullæ, celebrantur Missæ in Oratorio, & possunt assistere familiares & consanguinei, an scilicet debeant assistere simul cum domino habente Bullam, & prima sententia est affirmans, quam sequuntur Enriquez, Rodrig. & Trullench. vnde si dominus ille habeat multos familiares & consanguineos, & cum multis audiuit Missam, non possunt reliqui familiares, vel coguati absente domino habente Bullam aliam Missam audire. Opposita sententia est etiam probabilis, quam sequitur Diana resol. 76. quia Bulla concedit posse celebrari in sua, ac familiarium, & domesticorum, necnon consanguineorum suorum præsentia. Ex quibus verbis infert, quòd sicut posset celebrari in sola præsentia domini, non obstante illa particula copulatiua, *&*, ita etiam in sola præsentia famulorum, maximè habentium Bullam.

34. De celebratione verò diuinorum officiorum tempore interdicti generalis localis ex iuribus citatis constat, eodem modo philosophandum esse atque in Missa in loco interdicto generali. Intelliguntur autem per diuina officia, deprecationes, vel orationes ad Deum in nomine Ecclesiæ à Ministris ab eadem Ecclesia deputatis, vel consecratis ad ea officia certo apparatu, ita vt solis illis cum tali apparatu liceat illa facere. Vnde quæ non fiunt ita, sed à quocumque priuato laico fieri possunt, non sunt officia diuina; ac proinde neque prohibita tempore interdicti, v. g. salutatio Angelica, benedictio mensæ, vel itinerarium, & etiam officium Breuiarij, quod potest à quocumque nomine priuato dici, & ita Clericus qui aliàs tenetur dicere illud, ratione Ordinis, vel beneficij, non excusatur ab obligatione recitandi tempore cuiuscumque interdicti. Officia verò diuina in loco interdicto generali possunt fieri à Ministris in choro tempore interdicti, bini, vel terni, cum moderationibus capitis *Alma mater*, modò non audiantur à prohibitis audire, & etiam extra Chorum separatim inter se, vel bini cum aliis binis.

35. Notandum tamen est ex eodem cap. *Alma mater*, licere in loco generaliter interdicto Missam & alia diuina officia dicere cum omni solemnitate, & assistere eis, exceptis excommunicatis, certis quibusdam temporibus, v. g. in Paschate Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, & in die Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, quibus diebus suspenditur à iure interdictum, & nullus arcetur à diuinis, nisi excommunicatus, & ideo etiam qui dedit causam interdicto, & denuntiatus, potest assistere, dummodo qui dedit causam, non appropinquet Altari ad communicandum, vel offerendum in Missa.

36. Hoc autem licet, à primis vesperis talium festorum vsque ad completorium inclusiuè diei tertij, tres enim dies intelliguntur nomine Paschatis, & in vigilia Resurrectionis & Pentecostes à tempore Missæ, seu à Gloria in excelsis, incipit Festum. Martinus V. addidit festum corporis Christi, & Eugenius IV. hoc extendit ad totam octauam huius festi, & Leo X. addidit diem Conceptionis cum tota octaua. Religiosi verò consulant sua priuilegia in hac parte post caput *Alma mater*, concessa, vel confirmata. nam concessa ante hoc cap. in eo sunt reuocata, & in his diebus licet Eucharistiam accipere omnibus, quibus licet assistere diuinis officiis, exceptis iis qui dederunt causam interdicto; hos enim excipit ius, sicut & excommunicatos. Sacramenta verò quæ non licent tempore interdicti generalis localis, neque licent dictis diebus, quia respectu illorum in iure nulla facta est mutatio. Et in prædictis festiuitatibus non possunt Ordinarij ferre interdictum generale locale, vtpote in iure exceptis, & si ferrent, non tenerentur Religiosi illud seruare; quamuis aliis diebus teneantur seruare interdictum Prælatorum, ex Trident. sess. 25. cap. 11. Imò sub excommunicationis sententia tenentur seruare interdictum, quod viderint seruari à Cathedrali, vel Matrice, vel Parochiali oppidi in quo habitant, ex Clementina 1. de sentent. excommun.

37. Inquires primò, quid faciendum tempore specialis interdicti localis in loco sic interdicto. Respondeo quæ diximus licere tempore interdicti generalis localis in loco generaliter interdicto circa Missam & alia diuina officia, non licere in loco specialiter interdicto, sed tantùm dicenda est vna Missa singulis hebdomadis, pro renouanda Eucharistia, vel administrandum infirmis.

38. Inquires secundò, quid faciendum in personali interdicto, siue generali, siue speciali. Respondeo, quando interdictum est personale tantùm, siue

generale, ſiue ſpeciale, nullibi licere quæ diximus ipſis perſonis perſonaliter interdictis, quia prædictum cap. *Alma mater*, ſolùm loquitur de interdicto generali locali; at in perſonali nulla eſt facta mutatio, & perſonam ſequitur: quòd ſi aliqualis facta eſt mutatio, quando ſcilicet excommunicati ſunt excludendi in prædictis feſtiuitatibus, iam manet prædictum, & circa aſſiſtentiam in illis diebus, iam diximus licere, dummodo non appropinquent Altari.

39. Inquires tertiò, quomodo perſona non interdicta ſe debeat gerere in diuinis, cum perſonis perſonaliter interdictis. Reſpondeo, perſonas non interdictas, ad quas non ſpectat expellere à diuinis perſonaliter interdictos, non teneri vitare eos etiam denuntiatos, ſed poſſe cum eis in diuinis aſſiſtere. Imò quamuis Sacerdos ipſe nominatim denuntiatus ſit & celebret, perſona tamen non interdicta poteſt licitè ab eo Miſſam audire in loco non interdicto, & etiam in interdicto, ſi aliàs habeat priuilegium audiendi Miſſam in loco interdicto; quia interdictum non priuat communicatione cum aliis, ſed tantùm ne ſit cooperatio, vel conſilium. Quod ſi perſonaliter interdictus denuntiatus aduenìat iam incepto ſacro in loco interdicto, & ſine ſcandalo non poſſit per vim expelli, idem faciendum eſt quod diximus ſuprà, quando accedit excommunicatus denuntiatus, ſcilicet omittendum eſſe ſacrum ſi iam Canon Miſſæ non ſit inceptus, vel conſecratio, iuxta ibi dicta.

40. Inquires quartò, quodnam ſit peccatum violare interdictum in diuinis officiis. Reſpondeo, Clericos violantes interdictum ex ſe peccare mortaliter, nam ad illos maximè ſpectat illud ſeruare niſi ex leuitate materiæ aliquando excuſentur. Similiter laici perſonaliter interdicti audiendo diuina officia, ex ſe peccant mortaliter, quia huiuſmodi ſunt qui præcipuè prohibentur. Quòd ſi laicus non interdictus in loco ſacro ſine ſcandalo ſacrum audiat, vel aſſiſtat diuinis officiis, cenſeo peccare ad minus venialiter, contra Caietanum exiſtimantem nullo modo peccare, quia tranſgreditur præceptum Eccleſiæ, niſi habeat priuilegium, vel ſit familiaris priuilegium habentis, & illum comitetur; vel quando Clericus indiget aliquo miniſterio laici, vt ſacrum celebret modo ſibi licito.

41. Denique inquires, quam pœnam incurrant violantes interdictum in officiis diuinis. Reſpondeo Clericos violantes interdictum ſiue locale, ſiue perſonale per actum Ordinis, manere irregulares, & ineligibiles actiuè & paſſiuè. Similiter quiuis Clericus ſiue ſecularis, ſiue Regularis, præſumens celebrare coram interdictis non toleratis, ſuſpenditur ab ingreſſu Eccleſiæ donec ſatisfaciat ei cuius ſententiam violauit, ex cap. *Epiſcoporum*, de priuilegiis in 6. laici verò propter meram interdicti tranſgreſſionem nullam pœnam Eccleſiaſticam, vel cenſuram incurrunt, non enim inuenitur in iure. In Clementina verò ſecunda, de ſentent. excommunicat. ipſo facto excommunicantur laici, quempiam cogentes celebrare diuina officia in loco interdicto, vel vocantes publicè prohibitos, vt diuinis officiis in loco interdicto interſint, vel prohibentes ne interdicti Miſſæ intereſſentes exeant moniti priùs à celebrante, & ſimiliter excommunicantur ipſi interdicti, qui priùs moniti non exeunt.

SECTIO IV.

De tertio effectu interdicti.

TErtius effectus eſt, priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, vnde in loco generaliter interdicto non poteſt quis ſepeliri, niſi habeat priuilegium, ex cap. *Quod in te*, de pœnitent. & remiſſio. & Clement. 1. de ſepulturis, & ſæpe alibi, vbi præcipitur ne corpus aliquod defunctum cuiuſcumque fidelis laici etiam infantis, non habentis vſum rationis, ſepulturæ Eccleſiaſticæ tradatur in tali loco interdicto, non tamen prohibetur huiuſmodi corpora in alio loco ſacro non interdicto ſepeliri, licèt quando interdictum eſt perſonale, & perſona ſic interdicta moritur, nullibi poſſit ſepeliri in loco ſacro; ſicut neque ille, qui cauſam dedit interdicto generali locali, ex cap. *Si ciuitas*, de ſentent. excommunicat. 42.

Ab hac prohibitione Eccleſiaſticæ ſepulturæ in loco generaliter interdicto excipiuntur Clerici, & Eccleſiaſticæ perſonæ, non prohibitæ intereſſe diuinis, vel celebrare tempore interdicti generalis localis, niſi huiuſmodi cauſam dederint interdicto, vel ſint perſonaliter interdicti, vel non ſeruauerint interdictum proprium Clericorum, ex cap. *Is cui*, de ſentent. excommunicat. Vnde ſi tantùm violarent Clerici interdictum, hoc more laicorum non priuantur Eccleſiaſtica ſepultura in loco generaliter interdicto, quo priuilegio gaudent Clerici omnes etiam primi tonſurati, exceptis degradatis, vel realiter depoſitis; depoſitio autem verbalis non tollit hoc priuilegium. Et nunc poſt caput *Alma mater*, intra Eccleſiam fieri poſſunt officia ſacra pro defuncto Clerico ſepeliendo, videlicet Miſſa & officium defunctorum, cum moderationibus in eodem capite aſſignatis. Illis autem diebus quibus ſuſpenditur interdictum, de quibus diximus ſuprà, licebit ſepelire mortuos fideles eodem modo, quo quando non eſt interdictum. Vbi obſerua, quando corpus Eccleſiaſticæ perſonæ defunctæ tempore interdicti ad Eccleſiam defertur, non licere canere alternis choris Pſalmos per viam, neque ſi ſepelitur in cœmeterio publico, ſepulturam benedicere, quia tunc non poteſt ſeruari moderatio capitis *Alma mater*; ſi verò ſepeliretur in Eccleſia, poſſunt fieri diuina officia cum moderatione ibi aſſignata: quod idem ſeruandum eſt cum aliis habentibus priuilegium ſepulturæ Eccleſiaſticæ tempore interdicti generalis localis. 43.

An verò laici habentes priuilegium tempore interdicti generalis localis aſſiſtendi diuinis Officiis, eo ipſo gaudeant Eccleſiaſtica ſepultura, dubitant nonnulli. Verius eſt non gaudere. nam hi effectus ſunt ſeparabiles & independentes, & ex vi conceſſionis circa vnum, non intelligitur circa aliud, ſicque videmus tempore interdicti corpora infantium defunctorum ſepeliri in loco prophano, & tamen dum viuerent, admittebantur ad diuina officia. Si verò quis haberet priuilegium vt tempore interdicti admittatur ad diuina, tunc etiam eſſet admittendus ad Eccleſiaſticam ſepulturam, quia illo modo loquendi etiam comprehenditur. 44.

Inquires primò, quale peccatum ſit violare interdictum generale locale in Eccleſiaſtica ſepultura. Reſpondeo eſſe lethale, & colligitur ex gra- 45.

uitate

uitate pœnæ quæ est excommunicatio, Clementina 1. de sepulturis, & nulla alia pœna præcisè propter hoc incurritur in iure. Qui verò dicantur sepelientes, iam manet suprà explicatum. Sepultus verò contra prædictam prohibitionem non est exhumandus, & in loco non sacro sepeliendus; hoc enim non habetur in iure, sicut habetur de excommunicato. At sepultus extra locum sacrum tempore interdicti, transacto interdicto transferendus est in locum sacrum.

46. Inquires secundò. Quid sit faciendum cum personaliter interdictis circa sepulturam. Respondeo si sint nominatim interdicti, quamuis sint Clerici, non gaudere Ecclesiastica sepultura, siue non sint nominatim interdicti, nec dederint causam interdicto. Suarez disput. 32. sect. 4. quem sequuntur Cornejo de irregularitate. §. 3. quæst. 2. & Megala lib. 6. cap. 2. existimat posse post Extrauagantem *Ad euitanda*, vbi conceditur priuilegium erga eos, qui non sunt nominatim denuntiati. Turrianus verò lib. 6. disput. 51. dub. 1. & Præpositus de interdicto dub. 4. censent non posse, quia aliàs sequeretur etiam, quòd neque priuarentur dum viuerent aliis effectibus, scilicet celebratione diuinorum officiorum, & participatione quorumdam sacramentorum, quod est contra essentiam interdicti: quælibet sententia est probabilis, censeo tamen standum esse consuetudini.

SECTIO V.

De causis interdicti.

47. PRimò potest esse difficultas, qui possint interdicere. Respondeo eos omnes & solos posse ferre interdictum, qui habent potestatem Ecclesiasticam siue ordinariam, siue delegatam in foro contentioso, & communiter loquendo, potest interdicere qui potest excommunicare & suspendere, ex cap. *Cùm Ecclesiarum*, de officio Ordinarij. Prælati regulares licèt possint interdictum personale ferre; non tamen locale, quia hoc non est necessarium ad finem disciplinæ religiosæ, & sufficit primum. Capitulum sede non vacante sine Episcopo regulariter non habet talem potestatem. Episcopus verò habet illam in tota sua Diœcesi sine consensu Capituli, & potest ponere interdictum in Clericos & in laicos, ex cap. 3. de consuetudinibus in 6. Quam verò iurisdictionem habeat sede vacante, & quomodo succedat in iure ordinarij Episcopi, non est huius loci. Denique an nominatim interdictus & denuntiatus possit licitè & validè interdicere, quando aliàs habet facultatem, dubitant Doctores. Respondet Auila 5. parte disput. 2. dub. 3. posse, & meritò, quia interdictus non priuatur iurisdictione in foro externo. nam huiusmodi iurisdictio neque est sacramentum, neque diuinum officium, neque Ecclesiastica sepultura, licèt quando quis violauit interdictum, priuetur vsu iurisdictionis in pœnam, ex cap. *Tanta*, de excessibus Prælatorum.

48. Secunda difficultas est, qui possint interdici. Respondeo quòd locus generalis & specialis, vniuersitas etiam siue collectiuè, siue diuisiuè, tam enim locus, quàm personæ, possunt esse sub iurisdictione superioris potentis interdicere, & loca siue sacra, siue profana etiam interdici, constat in interdicto generali locali, quamuis sola loca profana non soleant interdici; si tamen fiat, factum tenebit. Potest etiam interdici Communitas personaliter, ex cap. *Si sententia*, de sentent. excommunic. in 6. & hoc interdicto generali personali non comprehenduntur infantes, vel amentes, & ita possunt sepeliri in loco sacro: comprehenduntur verò in locali, siue speciali, siue generali, quod directè afficit locum.

Tertia difficultas est, ob quam causam possit ferri interdictum. Respondeo, si simpliciter feratur, & sit personale speciale, requirere culpam mortalem propriam. nam cùm sit pœna grauis, supponit culpam proportionatam, nisi per interdictum illud intelligatur tantùm aliquis effectus leuis, vel quia sic exprimitur, vel colligitur ex circunstantiis; tunc enim interdictum erit leue, ad quod sufficiet culpa venialis, vt rectè Fillucius tract. 18. cap. 1. his tamen non obstantibus Hurtado diff. 13. existimat, si sit interdictum personale purum, id est, non coniunctum cum locali, siue generali, siue speciali (hac enim ratione solùm potest ferri ob culpam grauem, sicut & ipsum locale cui adiungitur) quando non est reseruatum, siue sit latum à iure, vel ab homine, posse ferri ob culpam tantùm venialem, quia interdictum hoc ex vna parte non est priuatio intensiuè maior, quàm excommunicatio minor, & ex altera ita facilè potest auferri, ac excommunicatio minor; quia potest auferri à Confessario ordinario, quamuis si sit specialiter ab homine, existimat non posse ferri nisi ob culpam grauem, quia difficilè tollitur, sed de hoc infrà. 49.

Si verò interdictum sit generale personale, requirit culpam grauiorem, quàm speciale personale; est enim maior pœna cùm complectatur communitatem. Si autem interdictum sit locale generale, requirit culpam mortalem & publicam. nam cùm hæc pœna redundet in communitatem, prætequiritur culpa grauis, vbi nota pro debito pecuniario non posse poni hoc interdictum sine licentia Papæ, ex Extrauagante *Prouida*, de sentent. excommunicat. Si denique interdictum sit speciale locale, requirit etiam culpam grauem, cùm etiam redundet aliquo modo in communitatem, quod verum est quando interdictum fertur simpliciter: si enim non ita feratur, nisi respectu alicuius parui effectus, sufficere poterit culpa venialis. Vbi etiam nota, quòd quamuis nullum interdictum possit validè ferri absque culpa, cùm sit pœna: at interdictum locale, siue generale, siue speciale, & interdictum generale personale potest validè ferri ob culpam alienam, vel Communitatis, vel domini, vel alicuius personæ publicæ, ex cap. *Si sententia*, de sentent. excommunicat. & cap. *Non ex vobis*, de sponsalibus, quia tunc talis pœna in particulares vt partes Communitatis redundans, est proportionata culpæ quæ fuit Communitatis, aut capitis communitatis; respectu verò innocentium potius habet rationem defensionis iustæ, quàm pœnæ. 50.

Quarta difficultas est, qua forma ferendum sit interdictum. Respondeo, formam substantialiter requisitam esse verba significantia interdictum poni, ex quibus colligetur quando sit amplè intelligendum, & quando restringendum. Quando verò interdictum sit pœna, vel censura, cognoscetur ex signis datis suprà pro suspensione, & quia interdictum quod est censura essentialiter petit aliquam præuiam monitionem. Reliqua accidentia sunt quæ videri possunt in cap. 1. de sentent. excommunic. in 6. 51.

Hìc se offerebat in particulari facere mentionem de interdictis personalibus generalibus & particularibus

particularibus, & ſimiliter de localibus generalibus & particularibus contentis in iure; ſed paſſim apud Doctores & Summiſtas inuenientur, & ideo omitto. Solùm obſerua interdictum generale locale, vel ſpeciale in iure contentum, non ligare niſi denuntietur; ſpeciale verò perſonale obligare perſonam ad quam ſpectat, etiamſi non denuntietur: alij verò non teneri huiuſmodi vitare, niſi ſit denuntiatus, & idem dicendum eſt de generali perſonali, obligat enim perſonas ſic interdictas; nos verò non tenemur vitare eas, niſi communitas illa ſit denuntiata interdicta. Denuntiatio verò interdicti generalis localis, ſufficit fieri nominando locum, v. g. talem ciuitatem, vel locum; eo enim ipſo cenſentur omnia illius loca particularia denuntiata: ſicut etiam in denunciatione interdicti perſonalis generalis, ſufficit vt Communitas denuncietur, atque ita conſtando aliquem eſſe partem illius Communitatis, eo ipſo eſt denuntiatus.

Sectio VI.

Quomodo ceſſet & tollatur interdictum.

53. INterdictum ſi ſit pura pœna ad certum tempus, hoc finito eo ipſo ceſſat. Ante tempus verò ſignatum vt ceſſet, indiget relaxatione ſuperioris, vel illius qui illud poſuit, vel ſucceſſoris. Hurt. diſſ.16. exiſtimat, Interdictum ſic latum vt puram pœnam, ſiue à iure, ſiue ab homine, non poſſe auferri niſi à potente diſpenſare in eo iure, quando à iure eſt latum; & niſi à Papa quando à iudice latum eſt, quia nullus iudex inferior poteſt diſpenſare in pura pœna lata per ſententiam ab ipſo; hoc enim interdictum non aufertur abſolutione, ſed diſpenſatione tantùm, ad quam non eſt poteſtas in inferiore adhuc reſpectu pœnæ à ſe latæ. Idem docet Auila diſputat. 6. dub. 4. & Gloſſa in cap. *Ad hæc*, de appellatione. Suarez verò diſp.38. ſect.3. diſtinguit inter Epiſcopum qui illud interdictum protulit, vel in aliis, & de Epiſcopo concedit pro certo tempore, aut cauſa ſuſpendere poſſe; de aliis verò inferioribus Romano Pontifici id negat quod idem docet Barboſa in Collect. Doctor. tom.1.lib.2 tit.18.cap.55.

54. Si verò interdictum feratur vt cenſura & pœna medicinalis, ſi ſit perſonale, eget abſolutione; ſi ſit locale, relaxatione, & ſi ut reſeruatum, debet tolli a reſeruante, & ab habente poteſtatem; non enim tolli poteſt per inferiorem, quia requiritur poteſtas iuriſdictionis contentioſæ. Si autem ſit perſonale particulare non reſeruatum, poteſt abſolui à Confeſſario potente abſoluere à mortali, vt recte Suarez diſputat.38. ſect.1. modò fiat ſatisfactio, vel detur cautio ſufficiens; quod conſtat à ſimili de excommunicatione, quia interdictum perſonale ſpeciale non minus, quam excommunicatio prohibet à perceptione ſacramentorum: ergò ſicut quius confeſſarius expoſitus, poteſt tollere excommunicationem ante abſolutionem à peccatis, ſi non ſit reſeruata, ex cap. *Nuper*, de ſent. excommunicat. ita poterit tollere hoc interdictum perſonale. Quando autem fertur donec quis ſatisfaciat, facta ſatisfactione, & ablata contumacia, eo ipſo tollitur ſine relaxatione, vel abſolutione, vt de ſuſpenſione ſuprà docuimus.

55. Quando locus eſt interdictus, etſi vendatur à domino ob quem interdictum illud locale poſitum eſt, vt ceſſet tale interdictum, indiget relaxatione potentis relaxare ne interdictum contemnatur. Deſtructo etiam loco manet interdictum in ſolo ipſo remanente; quare ſi de nouo fiat in eo ſolo aliqua Eccleſia, manet interdicta, atque ita vt interdictum illud tollatur, eget relaxatione.

Interdictum verò generale perſonale deſtructa 56.
communitate eo ipſo tollitur, quia iam non manet communitas vt ſic. nam licèt maneant ſingulæ perſonæ, non tamen manent vt partes communitatis. Nec obſtat quòd in loco, vt diximus, etiamſi deſtruatur quod ſuper illum eſt ædificatum, adhuc manet interdictum. Quia ibi manet ſolum, & in eo partes integrantes, quæ non ſeparantur: at communitas habet partes politicas quæ ſeparantur omnes deſtructa communitate. Si tamen iſtæ dederunt cauſam interdicto, egent abſolutione, vel relaxatione, quia tunc eſt perſonale ſpeciale interdictum. Ex quo fit, quòd ſi pars communitatis interdictæ deſinat eſſe pars, quamuis maneat communitas, illa pars non manet interdicta, niſi dederit cauſam interdicto.

Interdictum ſpeciale perſonale ſecundùm pro- 57.
babilem ſententiam, eo ipſo tollitur ſi perſona illa moriatur; quare ſi hic moriatur cum ſignis pœnitentiæ, poterit ſepeliri in loco ſacro, quamuis nulla adhibita ſit abſolutio. Et ita tenent Cornejo de interdicto diſp.2.§.4.quæſt.2. Auila parte 5. diſput.4. ſect.3.dub.1. Quia eo ipſo quòd deceſſit cum pœnitentia, manſit abſolutus à iure, quia hoc interdictum quantum ad hunc effectum poſitum erat niſi pœnituerit, & ideo impleta conditione ſublatum fuit, quamuis Suarez & Bonacin. diſp.5. puncto 5. exiſtiment egere abſolutione, vt poſſit in loco ſacro ſepeliri. Ego verò priori ſententiæ adhæreo.

Denique forma ſubſtantialis ſeruanda in ab- 58.
ſolutione, vel relaxatione interdicti, talis debet eſſe, quæ exprimat tolli tale interdictum. In Interdicti verò relaxatione locum habet etiam relaxatio ad cautelam, ab eo qui poteſt illud totaliter auferre in foro exteriori. Poteſt etiam ſuſpendi ad tempus quoad ſuos effectus, ab eo qui poteſt eum totaliter auferre, ſeu extinguere, vt rectè Hurtado diſſ.16.

Sectio VII.

De ceſſatione à diuinis.

CEſſatio à diuinis eſt vinculum quo ligantur 59.
Eccleſiæ Miniſtri ad celebrationem publicam diuinorum officiorum, & ſacramentorum adminiſtrationem, & alij tenentur etiam ſe ab auditione eorumdem abſtinere; eſtque hæc ceſſatio ſignum maximi mœroris Eccleſiæ ob enormem iniuriam ipſi factam, & quia non fit in punitionem alicuius peccati, ideo non eſt cenſura; hæc enim debet eſſe pœna medicinalis: fit etiam ab Eccleſia in defenſionem vt cogat iniuriantem deſiſtere, ex cap.1. de ſentent. excommunicat. differt ab interdicto generali locali, quia licèt ſimilia ferè prohibeant, diuerſo tamen modo. nam ceſſatio non eſt cenſura, nec propriè habet rationem pœnæ primò & per ſe, neque fertur ad aliquem puniendum, ſed eſt veluti ſimplex prohibitio primò & per ſe in ſignum mœroris, & per modum iuſtæ defenſionis, vt manet prædictum. Deinde violans præcisè ceſſationem etiam in celebratione, non incurrit irregularitatem. At interdictum primò & per ſe eſt pœna & cenſura, & illud violans in celebratione irregularitatem incurrit.

Tempore

Digitized by Google

60. Tempore cessationis nulla sunt facienda publicè diuina officia, etiam cum moderatione capitis *Alma mater*, vt docet communis sententia; priuata tamen recitatio sub obligatione ratione beneficij, vel Ordinis, non tollitur eo tempore. Missa pro renouanda Eucharistia pro infirmis singulis hebdomadis, vel quoties fuerit necessarium pro communicando morbundo, licita est etiam tempore cessationis à diuinis.

61. In diebus Paschatum & aliarum festiuitatum, in quibus à iure suspenditur interdictum, & fiunt, vt diximus, diuina officia, quamuis inspecto iuris rigore non videatur licitum officia diuina celebrare tempore cessationis, cùm dicta exceptio solùm facta sit de interdicto; ex vsu tamen idem fit quando est cessatio à diuinis, & suspenditur tunc cessatio, & ita tenet praxis propter solemnitatem talium dierum, & propter tacitam voluntatem Pontificis, & consequenter est licita communio Eucharistiæ. lege Sancium lib. 7. de Matrimon. disput. 8.

62. Tempore cessationis non possunt licitè dari Ordo, neque Extrema vnctio, neque Eucharistia, nisi per modum viatici; neque etiam licèt solemnitas matrimonij. Licitè tamen dantur etiam cum solemnitate Baptismus, tam paruulis, quàm adultis; confirmatio etiam, quæ est veluti complementum Baptismi. Similiter est licitum conficere chrisma, & Eucharistia per modum viatici deferri potest ad infirmos cum solemnitate, & campanula, sine recitatione tamen diuini Officij. An verò sit licitum sacramentum Pœnitentiæ etiam sanis, negat Hurtado de cessatione diff. 2. Auila verò 6. parte disput. 1. dub. 9. censet, quòd quamuis stando in rigore iuris non liceat; licere tamen iuxta benignam interpretationem Doctorum interpretantium mentem Ecclesiæ, refert Couarruuiam, Henriquez, Medinam, & affirmat fuisse resolutionem Salmanticensem.

63. Præterea, an Ecclesiastica sepultura liceat tempore cessationis, est etiam controuersum. plures negant, alij concedunt Clericis, alij tantùm sacerdotibus. Hi tamen omnes sine fundamento iuris loquuntur, in quo tempore cessationis non inuenitur prohibita Ecclesiastica sepultura præcisè, quare Suarez disputatione 39. sect. 2. docet in rigore iuris non esse prohibitam, cum silentio & absque officio funerali. Pulsatio verò campanarum & organorum, illicita est eo tempore, eo modo quo suprà diximus, tempore interdicti. Extra locum verò cessationis, non ligat cessatio eos, qui causam dederunt illi, quia non inuenitur in iure, in quo differt ab interdicto locali, cui qui causam dedit vbicumque manet personaliter interdictus, & quamuis in iure nullam incurrant pœnam violantes cessationem; peccant tamen mortaliter ob materiæ grauitatem, exceptis religiosis qui non seruantes generalem cessationem quam seruat Matrix, excommunicantur Clementina 1. de sentent. excommunicat.

64. Ad ponendam cessationem requiritur iurisdictio fori contentiosi, & semper cessatio est ab homine, & numquam à iure. Causa ob quam imponitur, est peccatum mortale contrarium communi bono Ecclesiæ, vel particularis Ecclesiæ, vnde non propter quodlibet peccatum mortale externum ferenda est cessatio à diuinis.

65. De forma seruanda in ferenda cessatione agitur in cap. *Si Canonici* 2. & cap. *Quamus* 8. de officio ordinarij in 6. & primò requiritur potestas legitima. Secundò causa euidenter iusta, & proportionata. Tertiò, vt constet euidenter talem causam esse datam, & alio modo non posse emendari, neque frangi contumaciam. Quartò, vt priùs causa illa exprimatur instrumento publico, & muniatur sigillo. Quintò, vt tradatur parti contra quam est ferenda. Sextò, vt pars ita monita rogetur vt velit satisfacere. Septimò, vt posita cessatione si intra mensem nolit satisfacere qui læsit, tunc vtraque pars, scilicet & cessans, & ille cuius causa posita est, Romam adeat per procuratorem, vt coram Papa agatur causa. Et si mense finito pars velit satisfacere, potest cessatio relaxari, & si pars quæ tulit cessationem mense elapso Romam non ierit, eo ipso tollitur cessatio. Octauò, vt quando Capitulum, vel Conuentus debent ponere cessationem, priùs conuocentur absentes, vt conuocati de tota re deliberent. Nonò, vt maior pars Capituli iudicet ponendam esse cessationem, & his non seruatis cessatio est nulla & non seruanda. Et quamuis ius loquatur de cessatione facta à Capitulo, nihilominus secundùm graues Doctores etiam in Prælatis requiruntur sex primæ, excepta illa de monitione per instrumentum publicum sigillo munitum.

66. Quando cessatio est iusta, qui dedit causam, tenetur resarcire omnia damna Clericis, qui propter eam non sunt lucrati distributiones, & alia. Si verò fuit cessatio iniusta, tenetur ad hæc damna qui illam posuit, non expectata sententia Iudicis, ex cap. *Si Canonici*. Tollitur autem cessatio à diuinis ab eo qui eam posuit, vel ab alio potestatem habente, & si ponatur donec satisfecerit, secuta satisfactione, eo ipso tollitur.

DISPVTATIO V.

De Irregularitate.

SECTIO I.

Quid & quotuplex sit Irregularitas.

1. IRREGVLARITAS est impedimentum canonicum ex se primariò ac directè impediens acceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & eorum administrationem. Dicitur impedimentum, & non pœna, quia datur irregularitas quæ nullo modo est pœna, neque supponit peccatum, qualis est irregularitas ex defectu lenitatis. Irregularitas verò quæ est pœna, primò & per se ponitur in vindictam, & non in correctionem, in quo differt à censura, quæ est pœna propter correctionem per se. Dicitur impedimentum Canonicum, quia Ecclesia hoc impedimentum posuit, nec est de iure diuino, vt quidam perperam volunt. Dicitur per se primò & directè impediens susceptionem Ordinum, in quo differt irregularitas ab aliis censuris, quæ primò & per se non impediunt acceptionem Ordinum vt sic, seu vt Ordines sunt; sed sub aliis rationibus particularibus suprà explicatis. Quòd si iam inueniat Ordinem susceptum, priuat vsu illius, in quo differt à depositione & degradatione, quæ ex se supponunt Ordinem susceptum, & eo priuant quantum possunt. Denique differt à censuris; quia irregularis ex eo quòd celebret in irregularitate, non contrahit irregularitatem; at verò celebrans, ligatus censura, contrahit

contrahit irregularitatem, & ſi iterum celebret, contrahit aliam irregularitatem; non quia celebret in irregularitate, ſed quia ligatur cenſura.

2. Ex quo infertur cum communi Doctorum, quando in Bulla, vel alio priuilegio datur facultas abſoluendi à cenſuris, non dari licentiam ad abſoluendum, vel diſpenſandum in irregularitate, etiam ex delicto contracta, quia hæc irregularitas non eſt cenſura, & quia quando hæc facultas conceditur, ſolet irregularitas exprimi, vt recte obſeruat Henriquez lib. 14. de Indulgentiis cap. 12. Imò etiamſi in priuilegio detur facultas ad abſoluendum ab omnibus cenſuris & pœnis à iure, non intelligitur facultas abſoluendi, vel diſpenſandi ab irregularitate ex delicto aliquo niſi exprimatur; quia quando conceditur irregularitas, ſemper ſoler exprimi. Quare illa verba *à pœnis*, in reſcripto intelliguntur de pœnis impoſitis à confeſſario, vel de pœnis quas pœnitens promiſit ſubire, vel de pœnis ſecundùm Canones antiquos; non verò de irregularitate quæ eſt pœna, niſi exprimatur. Quibus non obſtantibus exiſtimo oppoſitam ſententiam eſſe probabilem & tutam, videlicet poſſe confeſſarium per Bullam Cruciatæ diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto prouenientibus, & eſt ſententia communiter recepta in ſchola D. Thomæ, & videtur colligi ex Bulla Pij IV. anno 1561. in qua conceditur confeſſario facultas abſoluendi ab excommunicatione, ſuſpenſione, & interdicto, & ab aliis cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, nec præter excommunicationem, ſuſpenſionem & interdictum, poteſt dari alia cenſura, niſi irregularitas ex delicto prouenies: vnde, vt rectè Fagundez de Præcept. tract. 2. lib. 8. cap. 8. ſtilus ille Curiæ Romanæ fundatur in probabilitate contrariæ ſententiæ; non verò tollit quòd etiam hæc ſententia ſit probabilis.

3. Cùm autem omnis irregularitas contrahatur præcisè propter indecentiam ſignatam in iure, quæ eſt ratio communis omnibus irregularitatibus, & hæc indecentia poſſit oriri ex defectu tantùm ſine peccato, & etiam ex peccato, ideo irregularitas primò poteſt diuidi in eam, quæ eſt ex defectu tantùm, & in eam, quæ eſt ex peccato, ſiue delicto. Deinde illa indecentia aliquando contrahitur per proprium actum, ſiue licitum, v. g. per ſententiam iuſtam Iudicis ad mortem, ſiue per illicitum, v. g. propter celebrationem in cenſura: aliquando ſine proprio actu, v. g. ex defectu originis, ætatis, &c. ideo irregularitas. Secundò poteſt diuidi in eam quæ contrahitur per proprium actum, & in ea quæ contrahitur ſine proprio actu.

4. Præterea indecentia illa aliquando oritur ex proprio actu licito, aliquando verò ex proprio illicito, vt prædiximus; ad vtramque autem requiritur actus externus, quia propter actum merè internum nunquam incurritur irregularitas. Quòd ſi aliquando reperiatur irregularitas mentalis, hoc dicitur, quia eſt ex delicto occulto, externo tamen; vel quia eſt propter actum externum pendentem ex aliqua conditione mentali, v. g. quòd fiat ex certa ſcientia, vel pertinacia, vel contemptu, vel præſumptione; & etiam requiritur quòd actus ille externus ſit conſummatus, v. g. irregularitas quæ contrahitur propter homicidium, requirit homicidium conſummatum. Et quando eſt irregularitas propter actum illicitum, debet eſſe mortalis: quare ſi excuſetur à peccato mortali, vel propter defectum aduertentiæ plenæ, vel propter leuitatem materiæ, nunquam incurretur irregularitas de facto. Sufficit autem quòd actus ille externus ſit occultus, nec poſſit probari, excepta irregularitate ex infamia, & colligitur ex Tridentino aſſerente poſſe Epiſcopum diſpenſare in omni irregularitate prouenience ex delicto occulto, niſi in homicidio: ergo ſupponit dari peccata occulta externa propter quæ irregularitas ſubeatur. Et non ſemper requiritur vt iſte actus externus ſit ex contemptu & dolo, niſi id exprimatur, ſed ſufficit mortalis externus: quare Doctores dicentes requiri dolum, vel contemptum ad irregularitatem ex delicto, loquuntur latè, quatenus in omni peccato mortali includitur quodammodo contemptus legis.

5. An verò peccatum propter quod eſt impoſita irregularitas vt pœna, requirat notitiam præcepti Eccleſiaſtici ſub irregularitate, vt irregularitas incurratur: an verò ſufficiat eſſe aliàs peccatum mortale, & non requirat haberi notitiam prohibitionis Eccleſiæ, neque irregularitatis impoſitæ, ſolet eſſe quæſtio inter Doctores, de qua iam diximus ſuprà de cenſuris in communi, requiri notitiam prohibitionis Eccleſiæ, imò & irregularitatis; quia in hoc aſſimilatur irregularitas cenſuris, & ita tenet Sancius lib. 9. de Matrimonio diſputatione 32. quæſt. 4. Quare ſi inuincibiliter ignoretur Eccleſiæ prohibitio ſub irregularitate, excuſabitur quis ab illa propter illam culpam; quia irregularitas quæ eſt pœna, habet modum cenſuræ, & ita petit peccatum, vt eſt contra prohibitionem Eccleſiæ ſub irregularitate. Imò requiritur ignorantia craſſa, vel ſupina, & non ſufficit quælibet ignorantia vincibiliter mortalis, & præter Sancium tenent hanc ſententiam Nauarrus, Reginaldus, Bonacina, Merolla, Caſtrus Palao, Ægidius, Mercerus & Portel, quos refert & ſequitur Diana parte 4. tractat. 2. reſolut. 85. Limitanda tamen eſt hæc ſententia in irregularitate proueniente ex homicidio voluntario, vel mutilatione. Vnde etiamſi quis ignoret homicidio, vel mutilationi impoſitam eſſe irregularitatem, illam incurret ſi aliquem occidat, vel mutilet, quia hæc irregularitas, licèt videatur eſſe ex delicto, nihilominus includit præcipuè defectum lenitatis; ac proinde incurritur, etiamſi occidens ignoret talem irregularitatem homicidio impoſitam eſſe. Quid verò dicendum ſit in dubio iuris, vel facti, explicandum eſt ſectione ſequenti.

Sectio II.

An in dubio cenſendus ſit quis irregularis.

6. SVpponendum eſt primò, duplex eſſe poſſe dubium, ſcilicet iuris, quando dubitatur de lege ſub irregularitate: vel facti, quando dubitatur, an tale factum ſit ex his, quæ prohibet lex ſub irregularitate. Secundò ſupponendū eſt tanquam certum & ab omnibus admiſſum, dubitantem tam dubio iuris, quàm facti, grauiter peccare, ſi cum tali dubio operetur antè diligentiam ſufficientem adhibitam ad illud dubium expellendum, & veritatem aſſequendam; quia non poſita hac diligentia ſufficienti ad arbitrium viri prudentis, attentis circunſtantiis, temerè quis operaretur cum periculo irregularitatem violandi: ſicut in dubio præcepti peccatum

eſt

est facere contra tale præceptum, non adhibendo priùs diligentiam ad assequendam notitiam præcepti: & in dubio speculatiuo nondum plenè examinato in materia morali idem contingit, quia hoc dubium ante examen sufficiens, infert secum dubium practicum circa operationem moralem, quod non potest prudenter deponi sine sufficiente examine. Difficultas ergo est, quando positum est examen sufficiens, & diligentia adhibita, an sit in iure talis irregularitas, vel dato illam esse, & hoc sciri, an si dubitetur factum aliquod esse tale, vt propter illud incurratur irregularitas, an in hoc casu possit talis dubitans ita se habere, ac si non esset irregularitas.

7. Supponendum est tertiò, tunc aliquem esse dubium, quando est suspensus, & anceps, itavt nulli parti dubij assensum determinatum præbeat. Et in hoc differt dubium ab opinione, quia opinio includit assensum determinatum, vel iudicium ad vnam partem, licèt cum formidine, an altera pars sit vera.

8. Vazquez 1. 2. disp. 66. cap. 1. Turrianus de censur. lib. 8. disp. 57. dub. 5. & Hurtado in præsenti diffic. 4. tenent partem affirmantem tam in dubio iuris, quàm facti, hominem censendum esse irregularem; atque ita qui dubius est, an iure sit alicui delicto quod commisit, aut defectui quem habet, annexa irregularitas: vel qui dubius est an commiserit crimen, aut habeat effectum cui expresè est annexa irregularitas, censeri debere se esse irregularem, & gerere vt talem: aliàs sic dubius temere se exponeret periculo transgrediendi præceptum, vel prohibitionem.

9. Prima conclusio. In dubio iuris irregularitatis etiam homicidij, facta sufficienti diligentia, & semper manente dubio, non tenetur quis se gerere, vt irregularem, neque in foro interno conscientiæ, neque externo. Ita Auila part. 7. disp. 2. dub. 5. Suarez disp. 40. sect. 6. & est communis inter Doctores.

Et probatur primò, quia quando est dubium de lege, vel iure irregularitatis etiam homicidij, non est hæc irregularitas expressa in iure respectu dubitantis; ergo non incurritur. Antecedens est certum, consequentia est decisa in iure à Bonifacio VIII. in cap. *Is qui*, de sentent. excommunic. in 6. vbi Pontifex decidit, celebrantem etiam ex præsumptione, vel temerariè in Ecclesia sanguinis, vel seminis effusione polluta, vel præsentibus excommunicatis maiori excommunicatione, laqueum irregularitatis non incurrere, cùm non sit expressum in iure: ex quo sic arguo. Ille sic celebrans non incurrit irregularitatem, quia non est in iure expressa, sed respectu illius, qui facta diligentia adhuc dubitat de lege, vel iure irregularitatis homicidij, non est expressa lex irregularitatis; ergo ille non incurret irregularitatem, neque tenetur se gerere vt irregularem in foro interno, neque externo.

10. Obiicies ex cap. *Ad audientiam*, de homicidio, vbi Pontifex decidit, dubium de homicidio debere se gerere vt irregularem, quia in dubiis tutior pars est eligenda, siue, vt verbis vtar Pontificis, *semitam debemus eligere tutiorem*. Respondetur, Clementem III. ibi non loqui de dubio iuris irregularitatis homicidij, sed de dubio facti, vt constat apertè legenti textum. Replicabis, quia ratio data à Pontifice in dubio facti homicidij, etiam militat in dubio iuris irregularitatis homicidij; quia ideo ait in dubio facti homicidij esse irregularem, dubitans, vel se debere gerere, & reputare tanquam irregularem, quia in dubiis tutior pars est eligenda: sed etiam in dubio iuris irregularitatis tutius est se reputare irregularem, & vt sic se gerere; ergo tenebitur ad hoc dubius de iure irregularitatis, tam in foro interno, quàm externo. Respondetur, rationem illam Pontificis, scilicet, in dubiis tutior pars est eligenda, tantùm ibi applicari ad dubium facti homicidij, & in eo velle tantùm obligare, vt statim dicam: quod quidem fecit Pontifex, propter atrocitatem homicidij, quod etiam in dubio facti vult Ecclesia abesse à suis Ministris. nam illa ratio, tutior pars est eligenda in dubiis, non semper obligat. In dubio enim, an res sit alicuius, vel non, si eam bona fide possidebat, & dubitet postea an sit sua, non tenetur propter dubium rem illam restituere; cùm tamen tutior pars esset restituere: non ergo in dubiis semper tutior pars est eligenda sub obligatione. Et in opinionibus sæpe contingit, vt opinio minus probabilis sit tutior, & tamen certissimum est, posse sequi opinionem probabiliorem, etiamsi sit minus tuta.

11. Secundò probatur, quia sine dubio huiusmodi ius est dubium; ergo non potest efficere effectum certum, scilicet irregularitatem illam, cùm non habeatur in iure expressa. Dices hoc argumentum non conuincere. nam etiam in dubio facti in homicidio re vera est dubium, & tamen infert irregularitatem certam, ex dicto cap. *Ad audientiam*; ergo similiter in dubio iuris est dicendum. Contra hoc tamen est, quia si non esset in dubio facti homicidij expressum ius inducens irregularitatem, idem esset dicendum de dubio facti, & de dubio iuris in homicidio: at tamen habemus ius expressum in dubio facti in homicidio esse irregularem, quod non habemus in dubio iuris: & ob eamdem rationem dicemus postea, in quouis dubio facti in aliis delictis non incurri irregularitatem, quia non est expressa in iure.

12. Tertiò probatur, quia quando lex est dubia, nullus iudex licitè potest reum condemnare; quia in dubio semper fauendum est reo; ergo in foro externo non erit irregularis reputandus, etiam à semetipso, dubius de iure irregularitatis: & ex hoc magis conuincitur neque esse reputandum in foro interno. nam hoc est benignius; ergo in dubio irregularitatis homicidij, neque in foro interno, neque externo est reputandus quis irregularis.

13. Denique, quia in dubiis melior est conditio possidentis, & in materia iustitiæ est certum, & similiter verum esse in omni alia materia virtutum ostendimus in tractatu de Conscientia. Cùm ergo dubius de irregularitate, siue de lege, possideat suam libertatem, & immunitatem ab irregularitate, propter dubium aduenies non est illa spoliandus.

14. Secunda conclusio. In dubio facti irregularitatis homicidij, tam in foro externo, quàm interno, est reputandus dubitans irregularis. Hæc conclusio constat ex cap. prædicto *Ad audientiam*, & cap. *Significasti* 2. & cap. penult. de homicidio. In quibus ita statutum est. Quòd autem etiam in foro interno sit iste irregularis, videtur colligi ex verbis illis capitis *Significasti*, scilicet, *à suo officio abstinere debet*. Fateor tamen non esse improbabile posse explicari ius de foro tantùm externo, & ita requiri sententiam iudicis, vt ille abstinere debeat. Verius tamen, & probabilius est

quod diximus, in vtroque foro reputandum eſſe irregularem. Et ex his

15. Infertur primò. Qui dedit cauſam aborſui, & aborſus eſt ſecutus, & dubitat an fœtus eſſet animatus, cenſendum eſſe irregularem; quia eſt dubium facti homicidij. Similiter, qui dedit conſilium ad homicidium, & factum eſt homicidium, poſtea verò dubitat an ſine ſuo conſilio ſit factum, & an ad illud operatus ſit conſilium datum, cenſendum etiam eſſe irregularem, quia eſt dubium facti homicidij, vt contra Henriquez docent Couarru. & Sayrus, quos refert, & ſequitur Sancius lib. 1. Decalogi cap. 10. num. 44. Neque obſtat ratio ſuprà adducta, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, quia in noſtro caſu eſt expreſsè deciſum in iure.

16. Infertur ſecundò. Quando eſt dubium iuris, vel facti in aliis quibuſcumque irregularitatibus, prouenientibus ex aliis quibuſcumque delictis diſtinctis ab homicidio, neminem eſſe cenſendum irregularem, neque in foro interno, neque externo; atque ita hìc non eſſe ſequendam partem tutiorem ex obligatione, ſed ſtandum eſſe pro poſſeſſione dubitantis. Et hìc militare etiam regulam iuris, ſcilicet, *in dubio eſſe abſoluendum reum. & cùm iura partium ſunt obſcura, reo potius fauendum eſſe, quàm actori.* Et certè eſſet duriſſimum obligare propter dubium, vt quis in ſe ipſum exerceat grauiſſimas pœnas, & eas ſubeat.

17. Infertur tertiò. Quando eſt dubium facti in mutilatione iniuſta, non eſſe cenſendam irregularitatem, quia ius tantùm dicit in dubio facti homicidij eſſe cenſendam irregularitatem: at mutilatio etiam iniuſta, non eſt homicidium totale, de quo loquitur ius, ſed tantùm partiale, videlicet partialis occiſio alicuius membri. Et ita docet Rodriquez tom. 1. regul. quæſt. 14. art. 10.

Sectio III.

Quos effectus habeat irregularitas.

18. Conueniunt primò Doctores, irregularitatem impedire licitam ſuſceptionem Ordinum. Dixi *licitam*, nam validè recipitur Ordo ab irregulari, dummodo adſint cætera requiſita ex inſtitutione Chriſti; ſolùm ergo impedit irregularitas ne licitè Ordo ſuſcipiatur ab irregulari, ex cap. 1. de eo, qui furtiuè Ordinem ſuſcepit. Et quamuis potuerit Eccleſia irritare primam tonſuram ſuſceptam ab irregulari, cùm ſit de iure humano; hoc tamen non fecit, vt tenet communis ſententia.

19. Secundò conueniunt, irregularem ſuſcipientem Ordinem prohibitum ſub irregularitate peccare mortaliter. nam materia eſt grauis; ergo huiuſmodi præceptum obligat ſub peccato graui: quod non ſolùm eſt verum in ſuſceptione Ordinum maiorum, ſed etiam in ſuſceptione minorum, imò etiam in ſuſceptione primæ tonſuræ; quia res eſt grauis, & prima tonſura diſponit ad Ordines, & dat priuilegia magni momenti, & conſtituit in ſtatu clericali. Sic tamen ſuſcipiens Ordines, non incurrit aliam irregularitatem, vel aliam pœnam ipſo facto, vt iam diximus, quia non eſt expreſſa in iure.

20. Tertiò conueniunt, irregularitatem priuare vſu licito ex officio, Ordinum acceptorum, & hoc ſub peccato mortali, propter materiæ grauitatem, ex cap. vlt. de temporibus ordinationum, & cap. *Inquiſitionis* 1. de accuſatione; non tamen propter hoc incurritur alia irregularitas, quia non inuenitur in iure. Dixi *ex officio*, quia alios actus quos poteſt licitè exercere merè laicus, vel recipere, hos etiam poteſt recipere, & exercere quiuis irregularis. nam irregularitas tãtùm priuat actibus Ordinum. Quare irregularis licitè poteſt recipere ſacramentum Pœnitentiæ, Extremæ vnctionis, Confirmationis, Matrimonij, Euchariſtiæ more laicorum; poterit etiam baptizare ſine ſolemnitate in caſu quo poteſt laïcus. Validè etiam poteſt exercere quemcumque actum, ſiue iuriſdictionis, ſiue non iuriſdictionis, qui non ſit vſus Ordinum, vt ſunt abſoluere à cenſuris, diſpenſare in votis, concedere licentiam audiendi confeſſiones, aſſiſtere matrimonio, & alia quæ non ſunt vſus Ordinis ex officio facta, quamuis ſupponant primam tonſuram, vt tradit Hurt. diff. 5.

An verò irregularis poſſit validè adminiſtrare ſacramentum Pœnitentiæ, negant Auila part. 7. diſp. 2. dub. 6. & Hurt. diff. 11. Contraria tamen ſententia mihi magis probatur, quam tenent Suarez diſp. 40. ſect. 2. & Turrianus de cenſur. lib. 8. diſp. 58. dub. 2. Quamuis grauiter peccet, valida tamen erit abſolutio, quia Eccleſia non irritat actus iuriſdictionis: vnde quamuis irregularis peccet mortaliter eo quòd exerceat officium Ordinis; ſi tamen de facto abſoluat, valida erit abſolutio; quia habet poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis. 21.

Quartò conueniunt, irregularitatem non priuare beneficiis obtentis ante irregularitatem, neque fructibus illorum, ex cap. *Litteris*, de exceſſibus Prælatorum; neque talis pœna inuenitur in iure. Imò etſi inueniretur, vt ipſo facto incurreretur talis pœna, eſſet expectanda ſententia iudicis, ſaltem declaratoria. Ex quo fit, irregularem non teneri reſtituere fructus dictorum beneficiorum captos tempore irregularitatis, dummodo per ſe, vel per alium ſeruiat miniſterio propter quod dantur; etiamſi fortè peccauerit exercendo tale miniſterium, quia in iure talis priuatio non inuenitur. 22.

Eſt tamen difficultas, an per irregularitatem fiat irregularis incapax noui beneficij, & ad fructus percipiendos. Affirmant graues Doctores, Nauarr. cap. 27. num. 351. Auila diſput. 2. dub. 6. Leſſius lib. 2. cap. 34. dub. 22. & eſt communior ſententia, quam probare nituntur ex variis iuribus. Sed certè nullum ius inuenitur in quo talis pœna decernatur, neque adduci poteſt. Quapropter oppoſita ſententia ſatis probabilis eſt, ſcilicet peccare lethaliter irregularem acceptando beneficium in irregularitate, & retinendo illud; poſſe tamen facere fructus ſuos, nec teneri eos reſtituere; poſſeque impetrare diſpenſationem irregularitatis, & ea obtenta licitè beneficium retinere, abſque alia habilitatione, vel noua collatione, & hanc ſententiam iudicant probabilem Suarez diſp. 40. ſect. 2. Hurt. diff. 10. & Ægidius diſp. 18. dub 1. Et ſtando in hac ſententia infertur ex illa, collationem beneficij factam irregulari, quamuis illicitam, & irritandam, vtpote prohibitam; validam tamen eſſe, & nullo modo irritam: & ita iuxta illam irregularis & validè recipit beneficium, & fructus facit ſuos, ſi faciat miniſterium requiſitum per beneficium. Neque obſtat, quòd beneficium datur propter officium, ſiue propter exercitium Ordinis; ergo qui per irregularitatem non poterit Ordines exercere, incapax eſt 23.

vt

vt ei beneficium conferatur; ac proinde inualida erit collatio. Respondetur negando consequentiam, quia irregularitas non reddit irregularem omnino inhabilem ad ministerium Ordinis, sed solùm reddit eum impeditum ad licitum exercitium illius, & consequenter tantùm reddit illum impeditum ad licitam receptionem beneficij, non tamen ad validam.

24. Denique poterit irregulari concedi iurisdictio delegata in foro pœnitentiæ validè, & licitè; ipse tamen non poterit licitè ea vti, quia vsus includit executionem Ordinis, scilicet in confessione sacramentali. Ratio tamen validitatis talis iurisdictionis est, quia in iure non inuenitur prohibitio illius. Ex quo etiam fit, confessionem factam sacerdoti nominatim denunciato irregulari inualidam esse, vt tenet Auila suprà, non quidem ex defectu iurisdictionis, sed quia irregularis nominatim denunciatus est vitandus; ac proinde pœnitens poneret obicem ad gratiam cooperando peccato sacerdotis exercentis functionem Ordinis, contra pœnam irregularitatis. Si autem sacerdos non esset nominatim denunciatus, esset proculdubio valida confessio; tunc enim nec pœnitens peccaret communicando cum irregulari, & aliunde sacerdos non caret iurisdictione. Imò quamuis Confessarius esset nominatim denunciatus irregularis, si hoc ignoretur à pœnitente, confessio bona fide facta tali sacerdoti valida erit, sicut & absolutio ab ipso collata; quia nihil deest ex parte pœnitentis si alias sit rectè dispositus, nec peccet participando cum tali irregulari; neque ex parte sacerdotis, quia irregularitas non tollit potestatem Ordinis, & iurisdictionis.

Sectio IV.

Qui possint irregularitatem contrahere, & qua forma in iure inducatur.

25. Conueniunt Doctores, eum qui non est capax Ordinis, non posse propriè irregularitatem contrahere; quia qui non est capax habitus, neque est capax priuationis illius: quare fœminæ non sunt propriè irregulares, neque hermaphroditi in quibus saltem fœmineus sexus prædominatur, sed de his infrà erit sermo. Is verò, qui est capax Ordinis, etiam est capax irregularitatis, si habeat superiorem in terra; quia qui est capax habitus, etiam est capax priuationis illius, dummodo sit baptizatus, qua ratione infantes baptizati etiam ratione carentes, sunt capaces irregularitatis, quia sunt capaces Ordinis, ex cap. *Vel non est compos*, de temporibus ordinationum, & cap. *Pueri* 1. quæst. 1. Dixi, *Si habeat superiorem in terra*, quia Papa non est capax irregularitatis, quia non habet superiorem. Imò si quis irregularis siue occultus, siue publicus, eligatur in Papam, electio erit valida, ex cap. *Licèt*, & cap. *Vbi periculum*, de electione in 6. Quare statim atque est electus, tollitur irregularitas, quia definit ligari vi coërciua. Episcopi verò sunt capaces irregularitatis, saltem quoad vsum Ordinum, & comprehenduntur lege in communi statuente irregularitatem, etiamsi non exprimantur, sicut comprehenduntur excommunicatione.

26. Circa formam verò verborum quibus in iure inducitur irregularitas, obseruandum est in primis, verba iuris inducentia irregularitatem, debere esse significantia Canonici impedimenti ipso facto incurrendi, nulla expectata iudicis sententia etiam declaratoria criminis. Requiritur etiam, vt verba quibus irregularitas declaratur, ita sint propria, vt in specie declarent tale impedimentum, vt ab aliis distinctum: vnde quando in iure verba non significant ipso facto pœnam, non significant irregularitatem. Vbi etiam est aduertendum, quòd quando expressè ponitur irregularitas, & si iungatur verbo de futuro, v. g. irregularis fiet, intelligitur ipso facto, quia ita limitat, & petit natura ipsa irregularitatis, quamuis illi verbo non addatur, ipso facto, vel aliud simile. Verba ergo iuris quæ significant irregularitatem, sunt hæc: non potest esse Clericus, vel ne sit Clericus, vel ad clericatum ne promoueatur, vel ne fiat Clericus, nunquam ordinetur, vel Clericus non efficiatur, vel ad ministerium Ecclesiasticum nullo modo adducatur, vel non admittatur, vel non aspiret ad Ordines: qui modi loquendi inducentes irregularitatem, videri possunt in Canonibus Apostolorum 18. 21. & 60. & disp. 34. cap. *Si laici*, & cap. sequenti.

Denique quando verba iuris significent totalem irregularitatem, facile colligitur, quando verò tantùm significent partialem, attendendæ sunt circumstantiæ, an pro suspensione, vel depositione, possint intelligi. Quando verò in iure ponitur priuatio sacerdotij, solet aliquando imponi totalis irregularitas; quia omnis Ordo ad sacerdotium ordinatur, & ita nomine sacerdotij totus Clericatus intelligitur: an verò aliquando sumatur tantùm pro Ordine sacerdotali strictè, colligendum est ex circumstantiis. 27.

Sectio V.

Quando ex peccato receptionis, & administrationis Sacramentorum incurratur irregularitas in iure.

Conueniunt Doctores primò, esse irregularem eum qui post semel receptum Baptismum iterum baptizatur, intentione iterum suscipiendi verum Baptismum, etiam si metu faciat; & toties incurritur hæc irregularitas, quoties ita rebaptizatur à quocumque rebaptizetur, siue catholico, siue hæretico, ex cap. *Confirmandum*, dist. 50. & cap. *Qui in aliqua*, dist. 51. & cap. *Qui in qualibet* 1. quæst. 7. & hæc irregularitas est tam ad ascensum Ordinum, quàm ad executionem susceptorum, ex cap. *Eos quos*, de consecrat. dist. 4. Quam irregularitatem posuit ius ad exterminandam hæresim asserentium, licitam, & validam esse rebaptizationem, recepto vero Baptismo; & voluit Ecclesia hanc pœnam ponere contra imitatores talis hæresis: & quia cùm in Baptismo moriamur, & sepeliamur in Christo; Christus verò semel mortuus est, & sepultus; ita Baptismus tantùm semel validè potest recipi. Ex quo primò fit, si quis millies baptizetur sine intentione recipiendi Sacramentum, non incurrere hanc irregularitatem, quia tantùm incurritur supposito vero Baptismo, & per susceptionem iteratam cum intentione iterum suscipiendi idem sacramentum. Secundò fit, si quis etiam dubitans, an primus Baptismus fuerit validus, iterum baptizetur, vel cum conditione, vel absolutè, vel ex ignorantia culpabili, quamuis peccet mortaliter si sine causa, & sine diligentia adhibita 28.

Digitized by Google

hibita faciat, non incurrere irregularitatem, quia ex parte recipientis deficit intentio rebaptizationis. Tertiò etiam fit, si quis verè in re non fuit baptizatus, licet ipse putet fuisse verè baptizatum, & cum animo iterum baptizandi recipiat verum Baptismum, in hac vice secunda non fieri irregularem, quia in tali rebaptizatione non supponitur in re vere Baptismus antè receptus, licèt ex conscientia erronea supponatur; & ex hoc capite ille tenebitur se gerere vt irregularem, donec veritatem sciat.

29. Conueniunt secundò rebaptizantem, & qui rebaptizanti ministrat, scientes verè fuisse baptizatum, fieri irregulares ad Ordines suscipiendos, non verò vt nequeant iam susceptos exercere, ex cap. *Litterarum*, de Apostatis. Vt autem incurratur hæc irregularitas propter crimen rebaptizantis, vel cooperantis, requiritur ex iure citato, vt crimen sit publicum. Et quidem de acolyto illo, seu ministrante, res est certa; de rebaptizante verò dubia, an scilicet sufficiat esse rebaptizationem occultam, & secundùm communem tententiam sufficit esse occultam, sed attento iure videtur illi conformius requiri publicam rebaptizationem, & ita tradit Hurt. de irregularit. disp. 2. diff. 1. quia tam Minister, quàm rebaptizans ex eodem iure manent irregulares. Qui verò rebaptizat sub conditione, si non es baptizatus, vel qui absolutè, sed sine intentione, vel cum negligentia culpabili, vel ignorantia Baptismi recepti a baptizato, non incurret irregularitatem; quia primo, & secundo modo neuter baptizat; certio verò modo non videtur rebaptizatio scienter, & sic completa, qualis videtur requiri ad hanc pœnam.

30. Conueniunt tertiò, recipientem Baptismum ab hæretico, sciens esse hæreticum, & hoc esse prohibitum, esse irregularem, ex cap. *Qui in qualibet* 1. quæst. 7. & cùm huiusmodi irregularitas sit ex delicto, excusat ignorantia, ex cap. *Placuit*, & ex cap. *Qui apud* 1. quæst. 4. excusat etiam necessitas: quare infantes ante discretionem baptizati ab hæreticis, non sunt irregulares, quia non peccant in tali receptione. Illa verò culpa quam committit, habens discretionem, suscipiens Baptismum ab hæretico, subiicitur foro sacramenti Pœnitentiæ, quia committitur eo instanti, qui est baptizatus, & ita punitur pœna Ecclesiastica irregularitatis, quæ non contrahitur in homine nisi baptizato.

31. Similiter est etiam irregularis suscipiens Baptismum, differens illud vsque ad articulum, vel periculum mortis, extra quæ non reciperet Baptismum illum, ex cap. dist. 27. Propter suspensionem imperfectæ conuersionis ad fidem: vnde si sic recipiens Baptismum purget suspicionem bona vita, aut sit inopia Clericorum, poterit ordinari; quia pœna hæc non incurritur ob delictum dilationis Baptismi, sed ob defectum probatæ fidei. Vbi notandum est, quando baptizatus incurrit irregularitatem in casibus prædictis, eam irregularitatem incurrere siue publicè, siue occultè baptizetur; quia ius absolutè loquitur sine mentione, & distinctione Baptismi occulti, vel publici, in quo differt rebaptizatus à rebaptizante, qui expressè ex iure tantùm incurrit irregularitatem quando publicè rebaptizat, vt diximus.

32. Deinde conueniunt, per nullam etiam reiteratam licèt mortalem receptionem præcisè aliorum Sacramentorum, incurri irregularitatem, neque per receptionem Confirmationis, & Ordinis iteratam; quia non habetur hoc expressum in iure, vt rectè notat Auila 7. part. disp. 7. dub. 5. contra Antoninum, & Nauarrum oppositum dicentes, & philosophantes in iteratione Confirmationis, & Ordinis, sicut in iteratione Baptismi; sed sine fundamento, quia ius quod adducunt ex cap. *Dictum*, de consecrat. dist. 5. solum docet non esse Confirmationem, & Ordinem iterabiles, sicut neque est iterabilis Baptismus.

Præterea, neque ex receptione Ordinum in peccato mortali præcisè, incurritur irregularitas; neque ex receptione simili alterius sacramenti: neque ex iterata Ordinis eiusdem susceptione; neque ex susceptione Ordinis sine præuio Confirmationis sacramento, quia non habetur talis irregularitas in iure. Fateor tamen validum esse Ordinem sic susceptum, si adsint cætera requisita, vt obseruat Suarez disp. 38. sect. 1. vbi ait, non esse mortale recipere Ordines non recepta priùs Confirmatione, quia in Trident. sess. 23. cap. 4. præceptum de Confirmatione ante primam tonsuram, & ex consequenti ante alios Ordines, neque est sub censura, neque videtur ita rigorosum, vt obliget sub mortali: & idem est de confirmante, vel ordinante, etiamsi ipse non sit confirmatus, scilicet non peccare mortaliter dando sacramentum Confirmationis, vel Ordinis: & multo minus peccabit dans alia sacramenta, vel recipiens ante Confirmationem. Et quamuis concederemus susceptionem Ordinis sine sacramento Confirmationis esse mortalem, adhuc non incurreretur irregularitas, quia non habetur in iure. 33.

Is verò qui suscipit Ordines furtiuè, id est, vel quia non admissus se ingerit cum aliis ordinandis, vel vsurpando nomen alterius approbati, vel faciendo alium examinari pro se, dando illi nomen suum, incurrit irregularitatem, ex cap. 1. & vltimo, de eo qui furtiuè Ordines suscipit. Quæ irregularitas est saltem quoad ascensum ad Ordines, & dispensatio in ea spectat ad Papam si sit publica, & ad Episcopos, etiamsi sit occulta. 34.

Similiter qui post matrimonium etiam tantùm ratum, & nondum consummatum Ordines recipit inuita vxore, est irregularis, & quoad ascensum ad superiores, & quoad vsum Ordinis suscepti; & etiam quoad officium, & beneficium Ecclesiasticum, ex Extrauagante *Antiqua*. Per nullam verò aliam receptionem Ordinum ex vi talis receptionis incurritur irregularitas, quia nullum inuenitur ius quod non possit rectè explicari de suspensione. Quare neque ordinati ante legitimam ætatem, vel ab alieno sine licentia proprij, vel extra tempora sine dispensatione, vel non seruatis interstitiis, vel per saltum; neque suscipiens Ordinem ligatus aliqua censura, vel irregularitate, sunt irregulares, licèt sint suspensi, non verò propriè irregulares, nisi quatenùs in suspensione includitur generalis quædam irregularitas. 35.

Deinde ministrans siue sit Clericus, siue laïcus in Ordine, quem non habet, est irregularis, ex cap. 1. & 2. de Clerico non ordinato ministrante, vbi dicitur de tali sic ministrante, nunquam ordinetur, non distinguens de Clerico, vel laïco, sed absolutè loquitur. Vnde perperam nonnulli hoc tantùm intelligunt de Clerico non ordinato ministrante, decepti ex titulo appositio, *de Clerico excommunicato ministrante*, quia titulus ille post capite fuit positus; caput verò illud absolutè loquitur, vt rectè notat Hurt. cum aliis diff. 2. Et irregularitas hæc respectu laïci est totalis [illegible] 36.

Digitized by Google

verò Clerici est partialis, vt non possit ascendere ad Ordines superiores,& manet suspensus ab executione Ordinis præstantioris,& vltimi,per biennium, vel triennium ad arbitrium Episcopi; non verò ab vsu aliorum Ordinum inferiorum susceptorum. Requiritur etiam vt hic vsus Ordinis non habiti, fiat seriò, & non ioco. Obseruat autem rectè Hurt. qui in Missa canit Epistolam sine Manipulo,quamuis cum Dalmatica; & qui canit Euangelium absque stola, quamuis cum Dalmatica, & manipulo, non incurrere irregularitatem. Imò quamuis canat prædicta cum omnibus requisitis, quamuis peccet, non fieri irregularem, censet Auila disp. 9. sect. 2. dub. 13. si id non efficiat animo exercendi eum Ordinem, sed supplendi defectum ordinati; ad incurrendam ergo irregularitatem prædictam requiritur, vt actus Ordinum exerceantur solemniter; quare qui baptizat non solemniter, quamuis sit laicus, & extra necessitatem, non fit irregularis.

37. Denique Clericus exercens Ordinem quo est priuatus quoad vsum,quia ligatus censura,violando illam censuram in tali vsu, est irregularis, ex cap. de Clerico excommunicato ministrante, & cap. 1. de sententia,& re iudicata,& cap. *Is qui*, & cap. *Is cui*, de sentent. excommunicat. in 6. illa verò ministratio Ordinis, per quam hæc irregularitas contrahitur, debet esse propria Clericorum, ita vt eo modo non fiat à laicis. Per aliam verò Ordinis administrationem, licèt mortalem, nunquam incurritur irregularitas, quia non inuenitur in iure expressa: licet nonnulli in quibusdam casibus quos refert,& sequitur Mayolus lib. 3. cap. 8. sine fundamento velint, incurri irregularitatem in ministratione Ordinis habiti illicita, etiam in non ligato censura; nihilominus quod diximus est verum, & communis sententia Doctorum, ac proinde si ministratio Ordinis quamuis sit illicita mortaliter, non fit contra censuram contractam, per eam non incurritur irregularitas.

Sectio VI.

Quando ex delicto hæresis, & aliis criminibus ei annexis, incurratur irregularitas in iure.

38. COnueniunt Doctores, propter delictum hæresis incurri irregularitatem, ex cap. *Saluberrimum*, & cap. *Conuenientibus* 1. quæst. 7. & cap. 2. de hæreticis in 6. §. *Hæretici*, & intelligitur hæc irregularitas tam in laicis, quàm in Clericis, tam ad ascensum ad Ordines, quàm ad vsum receptorum. Est tamen difficultas, propter quam hæresim hæc irregularitas incurratur. Et certum est,incurri propter hæresim externam ex se manifestatiuam hæresis internæ à qua dimanat; propter hæresim, inquam, internam simul, & externam,licèt occultam. Vnde non requiritur esse notoriam, siue euidentia facti, siue propria confessione hæretici in iudicio,siue per sententiam iudicis,vt contra Henriquez, Sà, Sayrum, & Auilam requirentes aliquam notorietatem ex dictis ad incurrendam irregularitatem propter hæresim,rectè probat Sanchez tom. 1. lib. 2. cap. 15. & sufficere externam hæresim, licèt occultam, vt iam suprà diximus explicantes peccatum requisitum, & sufficiens ad pœnam irregularitatis, ex Tridentino supponente, propter crimen occultum irregularitatem incurri.

Similiter, prædictam irregularitatem incurrunt receptatores, fautores, defensores, credentes dictorum hæreticorum; quod intelligendum est formaliter, id est, quia hæretici sunt, seu in his, quæ pertinent ad hæresim, & non ob alium respectum, ex loco iuris relato, vbi hi omnes reddutur inhabiles ad beneficia, & officia publica, quale etiam est officium Ordinis. Hurtado verò diff. 3. difficile existimat, & non sine fundamento, suprà dictos incurrere irregularitatem; quia in prædicto capite tantùm dicuntur inhabiles ad officia, & beneficia. Quòd verò nomine officiorum non intelligatur Ordo,probat; tum quia baptizatus non potest fieri inhabilis ad Ordinem, & eius ordinatio nequit esse irrita ab Ecclesia, vt supponitur in duobus dictis capitibus de hæreticis, futura collatio beneficij, & officij publici: tum etiam, quia prius dicitur illos esse inhabiles ad beneficia,quàm ad officia publica; & si nomine officiorum etiam intelligeretur ordo, priùs dicerentur inhabiles ad officia, quàm ad beneficia: sicut collatio Ordinis præsupponitur ad collationem beneficij. 39.

Suspecti de hæresi, secluſa cooperatione dicta (quia sic essent fautores, & incurrerent irregularitatem iuxta communem sententiam) non sunt irregulares,si huiusmodi suspicio sit occulta,propter crimen occultum, ex quo oritur talis suspicio, v.g. vt si per annum quis perseueret in excommunicatione, qui ex iure habetur suspectus de hæresi, ex Trident. sess. 25. cap. 3. de reformat. siue quia factum hanc suspicionem innuit, vt facere pactum cum Dæmone, vel illum inuocare, vel colere, & ab eo expectare responsum, sine tamen errore aliquo intellectus: hæc ergo suspicio dum crimen est occultum, nullam irregularitatem inducit: si verò sit notorium, eam inducit ratione infamiæ ex notorietate talis criminis; atque ita ablata infamia, & purgata suspicione, aufertur irregularitas. Et ideo qui abiurat de vehementi hæresi, de qua erat suspectus, facta abiuratione sufficienter purgatur, & delet suspicionem, & ita non manet irregularis, neque inhabilis ad officia, & beneficia Ecclesiastica. Secus est in hæretico probato tali, licèt abiuret; quia quamuis peccatum tollatur per pœnitentiam sufficientem, non tamen ex hoc tollitur irregularitas ex hæresi contracta. 40.

Externè tantùm negans fidem,vel à fictè apostatans, siue sponte, siue per metum quando occultè hoc tantùm fit (nam si notoriè fiat incurretur irregularitas ex infamia) probabile est non incurrere irregularitatem hæreticorum,quia iste non est hæreticus completè. Certius tamen videtur incurrere aliam irregularitatem, ex cap. *Presbyteros* 10. vbi dicitur, *immolantes idolis esse arcendos ab Ordinibus*, & ita vt probabilius defendit Suarez disput. 43. sect. 2. & Sanchez in Summa lib. 2. cap. 25. 41.

Schismatici vt sic, scilicet recedentes ab obedientia Papæ propter aliquam causam sine hæresi, vel cooperatione hæreticorum, non sunt irregulares ex iure; quia non habetur talis irregularitas. Ita Suarez, licèt incurrant alias pœnas contra schismaticos latas. Religiosus verò professus apostata à religione est irregularis, ex cap. finali, de apostatis, vbi decernitur, durante eo statu non esse admittendum ad Ordines. Falsi verò testes in materia hæresis incurrunt irregularitatem, & alias pœnas quas incurrerent si essent hæretici illi, contra quos falsò testificantur de hæresi; quia secundùm ius, testis falsus punitur pœna talionis, id 42.

id eſt, eadem pœna qua puniretur accuſatus ſi illius delictum probaretur.

43. Inquires primò, à quo poſſit diſpenſari irregularitas ex delicto hæreſis. Reſpondeo ſi ſit ex delicto publico, ſpectare ad Pontificem diſpenſationem: ſi verò ſit ex crimine occulto hæreſis, poſſe etiam diſpenſare Epiſcopum. nam Tridentinum vbi ſuprà, non limitauit diſpenſationem in irregularitate hæreſis occultæ, ſicut limitauit abſolutionem in ea hæreſi. Vnde quamuis (concedamus in Bulla Cœnæ reuocatam eſſe facultatem quam dat Tridentinum Epiſcopis ad abſoluendum ab hæreſi etiam occulta, tamen diſpenſationem in irregularitate illa non reuocauit. Ita Sanchez num. 18. Clericus verò conuerſus ab hæreſi, poteſt circa vſum Ordinum ſuſceptorum diſpenſari ab Epiſcopo vſque ad Diaconatum inclusiuè, vt colligitur ex cap. *Saluberrimum*; quoad vſum tamen ſacerdotij diſpenſatio pertinet ad Papam. Ita Suarez diſp. 43. ſect. 1.

44. Inquires ſecundò, ad quos filios, vel perſonas deſcendentes reſultet irregularitas cauſa hæreſis. Reſpondeo, quando quis eſt hæreticus, eius filij, & nepotes ſunt irregulares: quando verò mater eſt hæretica tantùm, irregularitas extenditur ad filios, & non ad nepotes, ex cap. *Statutum* 2. de hæreticis. Quòd ſi ſint conſtitutiones aliquæ Pontificiæ extendentes hanc irregularitatem vſque ad quartam generationem, vel non ſunt receptæ, vel iam ſunt reductæ ad ius commune citatum. Filij verò & deſcendentes relati, incurrentes irregularitatem prædictam, ſunt illi, quorum pater certò fuit hæreticus. nam ſi dubium ſit, an pater fuerit hæreticus, non cenſetur filius irregularis; quia in dubio tunc in fauorem filij eſt iudicandum. Requiritur etiam quòd filij ſint geniti poſt hæreſim externam ab interna manantem parentum, & mortuorum in ea; quare filij geniti ante crimen hæreſis parentum, non erunt irregulares, vt tradit Sanchez cap. 17. num. 14. Quia filij geniti ante crimen hæreſis parentum, non ſunt formaliter filij hæreticorum, ſed tantùm materialiter: & cùm ſint geniti ante hæreſim parentum, poſſident immunitatem ab irregularitate, qua non ſunt priuandi adueniente hæreſi patris; ſicut ſi habeant bona propria, non priuantur illis propter aduenientem hæreſim patris, vel matris, etiamſi in hæreſi moriantur: tum etiam, quia cùm verſemur in materia odioſa, benignè explicanda eſt. In praxi tamen videtur receptum, etiam filios ante hæreſim patris natos hac pœna comprehendi, quia iura præſumunt fore, vt etiam filij nati ante hæreſim, parentum mores imitentur. Et ita teſtantur Simanch. in inſt. tit. 29. num. 21. & Peña in director. part. 3. comm. 164. Pœna verò quæ per conſuetudinem admiſſa eſt, omnino eſt exequenda, non minus quàm per legem.

45. Requiritur præterea, vt patres non ſint emendati, & conuerſi ad fidem, ac reincorporati Eccleſiæ; quare ſi ſint reincorporati per iuridicam, & ſolemnem conuerſionem ad fidem, vel abſolutionem, filij non incurrent prædictas pœnas, ex prædicto cap. *Statutum* 2. Ex quo fit, cùm hac iuridica abſolutione, & ſolemni careant patres, qui comburuntur propter hæreſim, licèt ad fidem conuertantur, plures Doctores cenſent, horum filios eſſe irregulares, propter defectum prædictæ reincorporationis, ſeu abſolutionis ſolemnis. Alij verò Doctores exiſtimant, ſufficere ad euadendam irregularitatem hanc in filiis, quòd parentes hæretici ad fidem conuertantur, & conuerſi moriantur, licèt non habeant illam ſolemnem reincorporationem. Vtrumque probabile, ſed verior prior ſententia, quam tenent Simanchas, Peña, & alij, quos refert, & ſequitur Sanchez quæſt. 3. num. 22. & 23. Idem dicendum de filiis eorum, quorum ſtatuæ comburuntur, eo quòd vocati legitimè non comparent; quia iudicio Eccleſiæ tales habentur tanquam conuicti de hæreſi, quorum ſtatuæ ob contumaciam comburuntur. Et quamuis ficta confeſſio ex contumacia regulariter non ſufficiat, vt pœna ad hæredes tranſeat; fallit tamen in crimine læſæ Maieſtatis diuinæ, vt ex Bartolo probat Sanchez ſuprà quæſt. 2. Requiritur etiam ad prædictam irregularitatem filiorum, vt hæreſis parentum fuerit notoria, vel per ſententiam iudicis, vel per confeſſionem in iudicio, vel per euidentiam facti, vbi ex euidentia facti eſt infamia eſſe hæretici filium.

46. Filij hæreticorum receptatorum, fautorum, & credentium ipſorum, ſunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica, & officia publica, & dignitates, ſicut eorum parentes, ex prædicto cap. *Quicumque*, §. *ad hoc*, de hæret. in 6. An verò etiam ſint propriè irregulares ad Ordines, philoſophandum eſt de eis, ſicut de eorum parentibus ſuprà docuimus, iuxta diuerſitatem ſententiarum. Prædictæ autem pœnæ non extenduntur ad filios eorum, qui ſuſpecti de hæreſi mortui ſunt, neque ad filios hæreticorum genitorum poſt hæreſim parentum, etiam in tali hæreſi mortuorum denuntiantes coràm Inquiſitores patres ſuos hæreticos; quia zelus fidei illorum dignus eſt, vt non obſtante hæreſi parentum, prædictas pœnas iuris euadant, vt notat Sanchez num. 29. vbi etiam num. 25. obſeruat, quamuis falſi teſtes in hæreſi incurrant irregularitatem ſuprà dictam, nihilominus non extendi ad illorum filios, quia non habetur in iure, & crimina ſunt valdè diuerſa. Et quod diximus de filiis hæreticorum fautorum, &c. intelligitur tam de filiis legitimis, quàm illegitimis, quomodocumque ſint illegitimi.

47. In diſpenſatione verò iſtorum, diuerſo modo philoſophandum eſt, ac in irregularitate ipſorum hæreticorum: quia in irregularitate deſcendentium ab hæreticis ſolus Papa diſpenſat ad aſcenſum Ordinum, quamuis hæreſis parentum non ſit deducta ad forum contentioſum: vnde Epiſcopi non habent facultatem in ea diſpenſandi; nullum enim inuenitur ius talem facultatem illis concedens. Videndus eſt Sanchez cap. 26. num. 8. neque etiam conceditur Inquiſitoribus hæc diſpenſatio.

48. Denique inquires, an filij fideles baptizati non Neophyti, aliorum infidelium non baptizatorum ſint irregulares. Reſpondeo non eſſe irregulares, neque eſſe inhabiles ad officia, & beneficia Eccleſiaſtica. nam iura ſolos filios hæreticorum, &c. excludunt. Dicuntur verò non Neophyti, id eſt, non recenter baptizati adulti. Neophytus verò eſt qui liberè ſuſcipit fidem in Baptiſmo recenter, vel nuper ad fidem conuerſus. Quare filij Infidelium baptizati ante vſum rationis non dicuntur Neophyti, quia ab infantia fidem in Baptiſmo ſuſceperunt; ac proinde nec ſunt irregulares, quamuis eorum parentes adhuc Mauri, vel Iudæi, vel Gentiles perſeuerent. Itaque diuerſa eſt ratio in filiis baptizatis horum infidelium, & in hæreticorum filiis, qui propter delictum parentum irregularitate afficiuntur. nam Eccleſia dictorum infidelium delictum, neque in ſe, neque in

filiis

filiis punit. Imò filij etiam horum infidelium,& si baptizati iam adulti,habiles sunt ad Ordines,& beneficia,quando iudicio Episcopi in fide ita sunt instructi, vt iam veterani Christiani censeantur, ex cap.1.dist.57.vt tradit Auila part.7. disp.4. num.4. Censentur autem Christiani veterani,non ex tempore à quo Baptismum susceperunt,sed ex morum probitate, & integrà legis euangelicæ instructione, vel ex antiqua Christianæ religionis professione,quod iudicio Episcopi relinquitur. Si autem verè Neophyti sint, sunt irregulares, & solus Papa dispensat;atque ita Episcopus propriè non dispensat,nisi iudicando quando iam non Neophyti censeantur, & cesset iam impedimentum : quare non est sequendus Nauarrus cap. 27. num. 205. inquiens, post decem annos à conuersione ad fidem desinere quem esse Neophytum; hoc enim in nullo iure fundatur, sed potiùs arbitrio Episcopi ex signis datis relinquatur : & ita scimus olim viros sanctissimos recenter baptizatos statim fuisse ordinatos, etiam Episcopos, quia morum grauitas, & probitas, & instructio in rebus fidei, & firmitas, ita erit in eis,vt veterani Christiani meritò censerentur.

Sectio VII.

De irregularitate ex delictis infamibus.

49. Bona fama ex Augustino lib. 83. quæst. q. 31. est clara cum laude notitia. Ita infamia erit notitia obscura,& reprehensione, seu vituperatione digna, potestque diffiniri publica opinio praua de vita, & moribus alicuius. Infamia autem duplex est, alia iuris, alia facti. Infamia iuris contingit quando committitur delictum,cui à iure canonico imposita est pœna infamiæ, & etiam à iure ciuili, dummodo per ius Canonicum reuocata non sit. nam omnis infamia iuris ciuilis quæ per ius canonicum non est expressè sublata, etiam est infamia canonica, ex cap. *Omnes* 1. 6. quæst. 1. vbi Pontifex: *Omnes infames esse dicimus, quos leges seculi infames appellant.* quod intelligendum est, vt dixi, nisi ius ipsum Canonicum talem infamiam abstulerit. Crimina verò, ob quæ infamia iuris incurritur, sunt, adulterium, incestus, raptus virginum, sodomia, veneficium, duellum, sacrilegium, simonia, hæresis, fauor illius, crimen læsæ Maiestatis, hostilis insecutio Cardinalium, periurium in iudicio (licèt de hoc neget Lessius lib.2. de iustitia cap. 42. dub. 14.) & varia alia crimina quæ recensentur in Canone *Infames* 16. quæst. 1. Infamia verò facti contingit, quando committitur aliquod delictum quod infame censetur apud viros probos, honestos, & graues.

50. Et conueniunt Doctores, tam infamiam iuris siue Canonici,siue ciuilis, cui non resistit Canonicum, quàm infamiam facti, facere hominem irregularem : infamiam quidem iuris ad Ordines suscipiendos,& exercendum susceptos, infamiam verò facti ad Ordines suscipiendos, vt tradit Auila suprà disp.4. dub.5. Prædictam autem irregularitatem incurri ob infamiam inflictam à iudice per sententiam, & etiam ob infamiam ex publica punitione corporali, vt ex publica verberatione, & ob infamiam ex officio, quales sunt histriones qui ex officio publicè tale officium exercent, & filij publicæ meretricis, quamuis esset coniugata, aut ex quacumque alia causa infamia proueniat, docet Hurtado diffic. 4. & colligit ex dicto cap. *Infames.*

An verò irregularitas orta ex infamia iuris contrahatur, si crimen sit occultum, affirmat Suarez disp.48. sect.1. Opposita verò sententia verior, & probabilior videtur,requiri scilicet, quòd crimina sint notoria, siue confessione rei in iudicio, siue sententia declaratoria,siue notorietate facti,quando crimen ita euidens fuit maiori parti vicinæ,aut Collegij,vt nulla possit tergiuersatione celari, exceptis criminibus illis, quibus ratione sui secluſa infamia, annexa est irregularitas, de quibus diximus suprà. Et ratio id conuincit. nam cùm infamia opponatur bonæ famæ,quæ est clara cum laude notitia,necesse est, vt infamia oriatur ex publica notitia criminis perpetrati : & certè dum delictum est occultum, delinquens non videtur infamis,& ita tenet Auila dub.7. Ex quo fit, neque simoniam,neque concubinatum in sacerdote, si hæc delicta sint occulta,inducere irregularitatem, quia non inuenitur textus expressus in quo talis irregularitas infligatur. 51.

Vbi nota infamiam multis modis auferri posse. nam primò per Baptismum tollitur omnis infamia consurgens ex delicto; cùm enim infamia sequatur peccatum,ablato peccato per Baptismum, tollitur etiam eius infamia. Secundò si sit infamia iuris Canonici, & ciuilis, potest à Summo Pontifice auferri; imò illa quæ est iuris ciuilis, potest etiam auferri à Principe,qui eam tulit,qua sublata, tollitur etiam irregularitas. Tertiò potest etiam auferri per dispensationem Episcopi, quatenus potest dispensare in adulterio, & aliis criminibus minoribus adulterio. Denique si sit infamia facti,aufertur per emendationem.nam res per quas causas nascitur,per easdem etiam dissoluitur. 52.

Sectio VIII.

De irregularitate orta ex homicidio, & mutilatione voluntariis.

Nomine homicidij voluntarij,intelligitur homicidium illicitum, & prohibitum in 5.præcepto Decalogi, & quod in se expressè, & formaliter est volitum, vel in causa ita propinqua, vt sit moraliter impossibile velle illam causam, & non velle illam mortem : vt si quis alteri venenum propinet,vel in eo loco vulneret, vt necessariò, & inseparabiliter mors sequatur, prætuidens, aut suspicans mortem inde euenturam. Propter hoc ergo homicidium incurri irregularitatem,tam ad ascendendum ad Ordines, quàm ad ministrandum in susceptis, concors est omnium Doctorum sententia,& constat ex tit. de homicid.in 6. & in Decretalibus. Ex quo 53.

Infertur primò.Si quis post fœtus animationem procuret abortum,incurrere hanc irregularitatem, quia talis est verè homicida, dummodo fœtus sit animatus. nam si non sit animatus non incurritur,ex cap. *Sicut litterarum*, de homicidio. Quòd si dubitetur de animatione fœtus, Præpositus quæst. 5.de irregular.dub.8.existimat,si adhibita diligentia verè remaneat dubium,non incurri,nec esse cẽsendum irregularem,& hunc casum esse diuersum ab eo de dubio facti homicidij, in quo in iure stabilita est irregularitas in cap. *Ad audientiam* 12. & in cap.*Significasti* 18.nam in hoc casu dubium versatur circa cõditionem subiecti,an scilicet viueret, 54.

Digitized by Google

nec ne, ac proinde dispositio illorum capitum, non est intelligēda de dubio in præsenti casu. Opposita tamen sententia tenenda est tanquam communis inter Doctores, quam sequuntur Auila part. 7. disp. 2. dub. 1. & Barbosa in collect. tom. 2. lib. 5. tit. 12. cap. 12. quia in hoc casu qui præbuit causam abortus, est dubius an sit homicida; ergo censendus est irregularis. Vbi nota Prælatos Regulares posse dispensare in hac irregularitate cum suis subditis, dummodo sit occulta, vt contra Emanuelem Rodriquez, tenent Portel. in dubiis Regularium, verbo Abortus, & Villalobos in summa tom. 2. tract. 11. diff. 14.

55. Secundò infertur cum Præposito suprà, si plures concurrant ad occisionem alicuius, manere omnes irregulares, quamuis fortè singulorum vulnera seorsim sumpta ab aliis non essent lethalia; quia eo casu singuli concurrunt ad mortem inferendam per modum causæ partialis, & ex illis exsurgit vna causa totalis mortalis alterius; & singuli saltem impediunt inuasum ne sese possit contra alios defendere. Si verò ex interuallo percutiant, nec vnus cum alio censeatur concurrere, ij soli incurrunt irregularitatem, quorum vulnera sunt lethalia, quando potest id discerni: si autem discerni nequeat, ex cuius ictu occubuerit, omnes manent irregulares, ex prædicto capite *Significasti*.

56. Tertiò infertur cum Turriano lib. 9. disput. 63. dub. 3. & Hurt. diff. 7. eum qui homicidium suo nomine ab altero factum postea approbat, & ratum habet, si nullum alium influxum præbuerit, non incurrere irregularitatem; quia hæc irregularitas tantùm infligitur contra eos, qui sunt causa homicidij; in hoc verò casu supponitur homicidium iam factum. Neque obstat Nauarr. cap. 27. num. 233. vbi ex regula illa iuris, *Ratihabitio mandato comparatur*, colligit, prædictum esse irregularem. nam sicut ex mandato homicidij incurritur irregularitas, ita ex ratihabitione. Nam respondetur verum esse ratihabitionem mandato comparari quoad culpam, non verò quoad pœnam, nisi in iure aliter disponatur.

57. Quartò infertur cum eodem Turriano disp. 63. dub. 4. & Præposito dub. 11. adulterum non manere irregularem, eo quòd maritus acceptis litteris amatorijs missis adulteræ, aut cognito adulterio, interficiat vxorem; quia ad contrahendam irregularitatem ex hoc homicidio prouenientem, non sufficit quælibet causa, sed necessariò requiritur vt vel opus illud per se sit aptum ad inferendum homicidium, vel vt sit causa immediata illius, quorum neutrum reperitur in adulterio.

58. Quintò infertur cum Hurtado diff. 9. eum qui non impedit homicidium quod ex iustitia tenetur impedire, non incurrere irregularitatem, etiamsi ex dolo non impediat. Ratio huius est, quia licet iste sit causa moralis, seu voluntaria homicidij, quod non impedit, & consequenter influat moraliter, & voluntariè in illud, nihilominus non est causa positiua influens positiuè, vel opere aliquo, vel auxilio, vel consilio; & in iure hæc irregularitas non fertur, nisi contra verè, & positiuè homicidas, saltem consilio, aut animatione; non verò contra non impedientes: & ob eamdem rationem qui sciens non contradicit volentibus alium occidere in vindictam iniuriæ ei illatæ, non incurrit irregularitatem. Neque sacerdos qui sciens mulierem prægnantem à se redditam, abortu procurare, illam impedire non studet; quia in his casibus permittentes homicidium, seu non impedientes, non influunt positiuè: & à fortiori non est irregularis, qui alteri suadet furtum, cui scit impendere supplicium mortis, quia non peccaret contra iustitiam circa mortem inferendam latroni, sed contra fortitudinem, quia consulit illi quando, & quomodo non oportet, vt se exponat periculo vitæ, & ita tenet Vazquez 1. 2. disput. 100. art. 8. dub. 5. & reddit rationem; quia hoc modo non est causa homicidij positiuè influens, sed tantùm peccat contra fortitudinem, suadendo illi, vt se offerat periculo vitæ sine causa; nec is dicitur homicida per se, & propriè in iure ad effectum irregularitatis. Idem est de consulente alteri in bello fugam cui est annexa pœna mortis, quamuis sciret fugientem exponere se periculo capturæ, & etiam de consulente alteri, vt fugiat à carcere à quo sub pœna mortis fugere non potest, vel vt effrāgat carcerem, cui effractioni esset imposita pœna mortis, & iuxta hanc doctrinam possunt resolui plures casus.

59. Sextò infertur, eum qui plura homicidia commisit, contrahere plures irregularitates necessariò in dispensatione manifestandas, & ita tenet Suarez de legib. lib. 6. cap. 24. & videtur esse stilus Curiæ; sed certè opposita sententia est satis probabilis, quam tenet Castrus Palao tom. 1. tract. 3. disp. 6. punct. 16. §. 4. quam plures, & graues Doctores sequuntur. Et probatur à simili, quia copula sæpiùs reperita non inducit nouum impedimentum, neque est necessariò facienda mentio omnium illorum delictorum, sed sufficit si vnius tantùm mentionem faciat, vt tradit Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 24. Et qui ter, vel quater cōtraxit nuptias, non est necesse, vt id exprimat quādo petit dispensationem bigamiæ, vt docet idem Sanch. lib. 7. disp. 86.

60. Septimò infertur cum Lessio lib. 2. cap. 9. dub. 15. & Hurt. diff. 8. eum qui vulnerauit aliquem vulnere non lethali, si moriatur ex propria, vel Medici incuria, non incurrere irregularitatem; quia quamuis vulnus fuerit aliqua occasio, nihilominus re vera non fuit causa mortis, sed potiùs negligentia Medici, vel ipsius vulnerati; quia vterque tenebatur diligentiam adhibere; ac proinde ei qui neglexit, imputandus est effectus.

61. Denique infero cum Præposito dub. 10. qui mandat aliquem verberari modo cauto, & prudenti, & cum ministro fideli, & ille occiditur, non incurrere irregularitatem; quia ita mandans nullo modo est reus homicidij. Neque obstat cap. vlt. de homicid. in 6. quòd hanc irregularitatem ponit solùm quia mandator in culpa fuit, & hoc euenire posse debuit cogitare. Quia decisio huius capitis tantùm videtur agere de eo, qui reus est homicidij, & qui potuit præuidere homicidium fore ex verberatione secuturum.

62. Circa irregularitatem ortam ex mutilatione voluntaria, eodem modo philosophandum est, ac de irregularitate orta ex homicidio, tam quoad ascensum ad Ordines, quàm quoad ministerium in susceptis, vt constat ex Clement. *Si furiosus*, de homicidio, & ex cap. vlt. de homicid. in 6.

Est tamen prima difficultas, an consulens ad mutilandum aliquem, sit irregularis. Negant Cornejo de irregularit. disput. 2. dub. vnic. quæst. 5. & Præpositus dub. 9. quia de hoc non datur textus expressus, nec sequitur, consulentes sunt irregulares quando concurrunt ad homicidium; ergo similiter quando concurrunt ad mutilationē, quia, vt sæpiùs prædictum est, nulla irregularitas incurritur, nisi sit in iure expressa. Opposita tamen sententia cōmunis est,

Digitized by Google

est,& sequenda,cum Molina tom.4.tract.3.disp.75. Placet tamen id quod tradit Præpositus,si quis volenti occidere suadeat vt potiùs mutilet, non fieri irregularem,eo quòd talis nullo modo peccet.

63. Secundò est difficultas,an qui mutilauit alterius pollicem, sit irregularis. Respondeo cum Auila disp.5.sect.1.& Villalobos tom.1. tract.21. diff.19. non fieri irregularem.nam,vt docent communiter Doctores, non quælibet pars, quamuis specialem habeat operationem cum membro principali, vt habet digitus, dicitur propriè membrum; sed tantùm illa pars, quæ ratione sui habet distinctum officium in corpore, vt manus, pes, oculus, &c. & ita colligitur ex cap. 2. de Clerico ægrotante, vbi Clericus cui dimidia palma abscissa erat cum duobus digitis,dicitur debilitatus,& habere membrum deformatum, quibus verbis satis indicatur digitos non esse membra. Vnde qui alteri abscindit auriculam,id est,cartilaginem,non est irregularis; quia cartilago solùm deseruit ad ornatum, & tutelam auris: neque qui excæcauit hominem, eum priuando solo visu, dummodo oculum non extraxerit;quia is non dicitur mutilare membrum. Qui verò sibi abscindit digitum, imò & partem notabilem digiti,& qui se ipsum castrat, aut se castrare permittit, fit irregularis, ex cap.5. & 11.dist. 55. non verò qui alterum castrat,quia non est mutilator membri.

64. Tertiò est difficultas,quando quis sua culpa fuit ab alio mutilatus, & membrum est occultum, nec impediens vsum Ordinis, an fiat irregularis. Partem negantem tenent Præpositus dub.14.num.117. & Hurt.diff.4.quia in iure non est expressa talis irregularitas; irregularitas autem non incurritur, nisi sit in iure expressa. Contraria tamen sententia est communis,quam tenent Molina,Sayrus,Bonac. Reginaldus,& Villalobos, quos refert,& sequitur Diana resol.60. Vnde si adultero, aut alteri inhonesto,membrum virile, aut testiculi abscindantur in vindictam delicti commissi, eo ipso inhonestus ille irregularitatem incurrit. Vbi nota in mutilatione occulta, quâuis industria facta,posse Episcopum dispensare,& est sententia communissimè recepta. & ita declarasse sacram Congregationem Cardinalium,vt tradit Hurt.diff.20.num.66.

Sectio IX.

De irregularitate orta ex mandato,aut ex consilio,aut ex cooperatione ad homicidium iniustum.

65. Mandantes,& consulentes, & auxiliantes,seu cooperantes ad homicidium iniustum, fieri irregulares,si re ipsa sequatur homicidium,constat ex canone *Si quis viduam*, & cap. *Sicut dignum*, & cad. *Significasti*, quia omnes hi verè, & positiuè concurrunt ad homicidium. Ex quo

66. Infertur primò cum Huttado diff. 6. in bello iniusto omnes adhortantes, & omnes milites, quamuis sint plura millia, imò omnes custodientes pugnantium sarcinas,quamuis vnus tantùm occidat,aut mutilet,esse irregulares,quia quilibet assistentia aliorum animatur, & custodia adiuuatur, & ita tenet communis Doctorum sententia contra Ægidium disp.18. dub.10. hoc tantùm extendentem ad quinquaginta,vel centum milites,qui mutuo se possunt animare. Secus tamen dicendum est de militantibus in bello iusto aggressiuo, dummodo suis manibus sanguinem nõ fundant,quamuis alij mutilent, vel occidant, quia ita statuitur in iure in cap,*Petitio*, de homicidio.

Infertur secundò, quando multi simul aggrediuntur aliquem, etiamsi subitò, & sine præmisso consilio aggrediantur, si occidatur, omnes manere irregulares,licèt vnus tantùm percutiat; quia reliqui sua aggressione animando,& defendendo percutientem,eum adiuuarunt. 67.

Infertur tertiò, eum qui tradit arma Petro, vt Ioannem occidat, si ea præbet absque intentione homicidij,non fieri irregularem:quia in eo euentu non dicitur occidere,nec ad id iuuare,quandoquidem tantùm tribuit arma, quibus occidens posset bene,& malè vti,absque intentione mali vsus; arma enim ita sunt vtilia ad homicidium, vt etiam sint vtilia ad alia boua. Secus dicendum esset,si ea præberet ex intentione homicidij, tunc enim verè diceretur occidere iuuando ad illud. Et ita tenet Hurt. diff. 8. cuius sententia videtur mihi valdè probabilis,quamuis opposita sit communis, si tradens arma suspicionem aliquam habuit illa peti ad homicidium perrandum. 68.

Infertur quartò, eum qui alteri dedit mandatum,aut consilium,vt occidat inimicum,nõ incurrere irregularitatem, si is cui dedit mandatum,aut consilium,occisus est. Ità contra Auilam,& plures alios tuentur Turrianus disp. 63. dub. 4. & Hurt. diff.6. quorum sententia longè verior,& probabilior videtur, quia in iure irregularitas non est lata, nisi ob mandatum, aut consilium, quo quis mandat,aut consulit aliquem, vt vel se ipsum, vel alterum occidat,secuto effectu. 69.

Inquires primò, quid teneatur facere mandans homicidium ad vitãdam irregularitatem. Respondeo si fuit iam homicidium factum,nullum esse remedium, quia nihil prodest reuocatio. Si verò sit res adhuc integra,& reuocet mandatum,& reuocatio perueniat ad mandatarium, non incurrit irregularitatem,quia iam ampliùs non est causa homicidij, sed malitia mandatarij: censetur autem reuocatum mandatum, si redit in amicitiam cum amico, vel contraxit cum eo affinitatem. Vnde si hoc constat mandatario, mandans immunis erit ab irregularitate,& homicidio; cùm ampliùs non procedat ex eius imperio. An verò si mandatarius nolit desistere, teneatur monere occidendum vt caueat,est controuersia inter Doctores,& sententia negans videtur mihi probabilior cum Auila disp.6.sect.1.dub.4.quia mandatarius non agit nisi in gratiam mandantis; ac proinde satis est ei intimasse reuocationem mandati,quòd si nolit desistere, amplius non procedit ex eius imperio, sed ex propria malitia. 70.

Inquires secundò, an eodem modo philosophandum sit de consulente. Lessius lib.2. cap.13. dub.3. tenet partem negantem, quia adhuc censetur causa moralis homicidij. nam rationes,& consilia à se data adhuc manent,& mouent;quare non est simile de mandante, quia mandatarius agit solùm in causa mandantis, & in eius vtilitatem; ac proinde sufficit vt mandans efficaciter reuocauerit mandatum cum notitia mandatarij: at consiliarius agit in causa propria, motus rationibus acceptis à consulente; atque ita si adhuc manent rationes,& consilium, censetur manere,& operari. Cæterùm quamuis hæc sententia sit communis, oppositа videtur satis probabilis cum eodem Lessio suprà, & Ægidio disput. 14. dub. 15. in hoc nullam esse differentiam inter mandantem, & consulentem; 71.

Digitized by Google

ſicque ſufficeret reuocare conſilium,& tunc actionem iniuſtam non procedere ex eo conſilio,ſed alterius malitiæ eſſe imputandam.Et iuxta hanc ſententiam Clericus qui non potuit dimouere fœminam à conſilio dato de abortu faciendo, non ſit irregularis,quia, vt rectè Villalobos, conſilium tantùm eſt cauſa moralis, & non phyſica,& naturalis, quæ neceſſariò inferat effectum ſicut venenum; quare ſi conſulens fecit quod potuit, & debuit, ad cuitandum effectum, non imputabitur ei homicidium: ſi verò quis maneat dubius, an ſuum conſilium influxerit ad homicidium factum,debet ſtare dictis ipſius conſulti, aliàs debet ſe reputare irregularem.

Sectio X.

De irregularitate proueniente ex homicidio caſuali.

72. Dvplex eſt homicidium caſuale. Aliud eſt omnino caſuale, quod neque in ſe, neque in ſua cauſa eſt volitum;quia neque præuiſum eſt, neque potuit præuideri ſecuturum Et de hoc omnes conueniunt non inducere irregularitatem. Aliud verò eſt quòd quamuis in ſe non fuerit directè volitum, nec intentum,indirectè tamen cenſetur volitum in ſua cauſa,ex qua potuit præuideri ſecuturum.Et ſimiliter conueniunt Doctores ob homicidium caſuale vt ſic,& idem eſt de mutilatione caſuali,quãdo fuit præuiſum in cauſa ſaltem ex ſuſpicione, & non fuit adhibita debita diligentia,incurri irregularitatẽ,tam ad aſcenſum ad Ordines,quàm ad miniſtrandum in ſuſceptis,vt conſtat ex c. *Dilectus*,& c.*Significaſti* 16.& c. *Ioannes* 23. de homicidio.

73. Quæ autem diligentia excuſet à prædicta irregularitate,relinquitur iudicio viri prudentis. Illud verò eſt certum, ad eam incurrendam requiri negligentiam quæ, omnibus conſideratis, perueniat ad peccatum mortale. nam irregularitas homicidij caſualis, eſt pœna peccati commiſſi in non adhibendo diligentiam requiſitam; cumque hæc pœna ſit valde grauis, non videtur eſſe intentio Eccleſiæ eam infligere propter leuem culpam.

74. An verò etiamſi adhibita fuerit debita diligentia, irregularitas hæc incurratur ob homicidium caſuale, quando factum fuit dando operam rei illicitæ, eſt non parua controuerſia inter Doctores. Partem affirmantem ſequuntur communiter Thomiſtæ, cum Caietano 2. 2. quæſt. 64. art. 9. præcipuè quando homicidium ſequitur dando operam rei illicitæ periculoſæ, & tendenti ad illud, quod probant ex cap.*Tua nos*, de homicidio, vbi quidam Monachus dicitur eſſe irregularis,quia ſumpſit officium ſibi non congruens aperiendi tumorem quemdam cuiuſdam ægroti,qui poſtea mortuus eſt, eo quòd contra præceptum Monachus ille incautè ſe expoſuit tali periculo,& ait Pontifex huiuſmodi eſſe irregularem, quamuis nullo modo fuerit negligens,& alioqui eſſet peritus, & idoneus ad medendum ægrotum; quia exercuit officium ſibi prohibitum; ergo quando mors ſequitur ex opere prohibito, ſatis eſt, vt oriatur irregularitas,quamuis nulla negligentia intercedat.

75. Oppoſita ſententia tenenda eſt, ſcilicet ob homicidium omnino caſuale, cuius nulla præceſſit ſuſpicio,aut dubitatio,quamuis factum dando operam rei illicitæ, adhuc tendenti ex ſe ad homicidium, non incurri irregularitatem, & ita tenet Vazquez 1. 2. diſp. 100. num. 39.& diſp. 114.cap.1. quem plures alij ſequuntur, quia irregularitas non incurritur niſi in caſibus iure expreſſis: at in nullo iure expreſſum eſt, homicidam eſſe irregularem ob homicidium omnino caſuale, quamuis factum dando operam rei illicitæ. Et fauet cap. *Tua nos*, in contrarium adductum, quia ibi Pontifex ait, *Monachum illam poſſe celebrare, ſi peritus omnem diligentiam adhibuerit, & culpa ægroti mors acciderit, alioquin ſi imperitus, aut negligens fuerit, ab Altari amouendum.* Ex quibus verbis apertè colligitur, non fore irregularem niſi temere fuerit cauſa mortis, exercendo artem in qua non eſſet peritus. Nec obſtat quòd ibi dicatur miſericorditer cum eo agi; hoc enim dicitur propter culpam quam commiſerat ob vſurpatum officium ſibi prohibitum. Ratio huius à priori eſt,quia homicidium quod non eſt voluntarium ſaltem indirectè, non inducit irregularitatem: at homicidium omnino caſuale, cuius nulla præceſſit ſuſpicio, nec dubitatio, nullo modo eſt voluntarium, cùm nullo modo ſit præcognitum; adhoc enim parum refert quòd quis det operam rei licitæ, vel illicitæ. Ex quo

76. Infertur primò. Infantes, amentes,& dormientes, non contrahere hanc irregularitatem alterum occidendo;quia hæc irregularitas non contrahitur abſque peccato mortali,& conſtat ex Clementina. *Si furioſus*,& idem dicendum eſt de ebrio,quod intelligendum eſt, ſi non potuerit præuidere ſe in ebrietate occiſurum; ſi enim nouit ſe in ebrietate ad rixas propenſum, debet adhibere debitam diligentiam, aliàs ſi quempiam occidat, incurret irregularitatem, cùm homicidium ſit ei voluntarium ſaltem in cauſa.& idem iudicium eſt de dormiente; ſi enim præuideat ſe ſolere arma in ſomno arripere, & alios percutere, ſi non præueniat homicidium,ſimili modo irregularitatem incurret.

77. Infertur ſecundò.Qui tradit aliquid infirmo bona fide quod non eſt illi prohibitum, vel qui reuoluit infirmum in lecto, non vt citiùs pereat, ſed vt faciliùs ſomnum, quietem, vel cibum capiat, etiamſi mors ex hoc aliquo modo acceleretur, non incurrere irregularitatem; neque oportere in hoc eſſe nimis ſcrupuloſos, ſed ſufficere adhibere eam diligentiam,quam communiter adhibent inſeruientes infirmis.

Sectio XI.

An incurratur irregularitas ob homicidium factum ob ſui defenſionem.

78. Conclusio eſt negatiua, & communiter recepta,eum qui ſe inuadentem occidit pro defenſione propriæ vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrere irregularitatem ſi violentiam aggreſſoris aliter auertere non poteſt,ex Clementina *Si furioſus*, de homicidio. Idem eſt de eo qui occidit inuaſorem ad ſe defendendum ne ab eo mutiletur,aut grauiter vulneretur,aut deformetur, hoc eſt, *por defenderſe que no le de de palos.* Idem etiam eſt de eo, qui occidit inuaſorem in defenſionem bonorum temporalium, honoris, & pudicitiæ; quia huiuſmodi homicidium non eſt peccatum,dummodo nocumentum temporale ſit graue, & actu iniuſtè inferatur, & non poſſit alio modo fieri defenſio, niſi per mortem aggreſſoris. Idem dicendum de eo, qui cum moderamine

inculpæ

inculpatæ tutelæ occidit alterum in defensionem proximi innocentis, quamuis defensio non cadat sub obligatione iustitiæ, sed tantùm sit licita, & ita tenet communior sententia Theologorum.

Obseruat autem rectè Hurt. diff. 10. prædictam doctrinam veram esse, quamuis occidens dederit occasionem alteri vt ipsum inuadat, vt dicendo verbum contumelioſum, aut adulterando cum vxore inuadentis, si nequit aliter se defendere. Ex quo fit, adulterum qui maritum aggressorem causa necessariæ defensionis occidit, non fieri irregularem. Et ita contra Villalobos, & alios, tenent Auila, Turrianus, & plures alij Doctores, quos refert, & sequitur Diana resolut. 2. quia etiam tunc occidens licitè occidit, si nequit aliter se defendere: ob homicidium autem licitè à priuata persona factum, non incurritur irregularitas. Quando verò in omnibus casibus prędictis exceditur moderamẽ inculpatæ tutelæ, itavt mortaliter peccetur, non est dubium incurri irregularitatem homicidij casualis.

79. An verò incurrat irregularitatem, qui fugiens potuit mortem euadere, & maluit inuasorem occidere, dicendum est cum Suario disp. 46. sect. 1. non esse irregularem, qui nõ potuit euitare occisionem aggressoris iniusti, nisi fugiendo cum dedecore notabili; non enim tenetur cum tanto detrimento vitare mortem iniustè inuadentis. Limita, nisi quando inuasus dedit causam grauem inuasioni, vt quando aggressori alapã dedit, aut iniurioſum verbum dixit, aut cum eius vxore inuentus est; tunc enim si inuasus potest fugere, non potest se licitè defendere occidẽdo. Secundò limita in Clerico, & Religioso; his enim non est ignominioſum fugere. & idem dicendum est de homine infimæ notæ, qui etiam ex fuga nullam incurrit infamiam.

Sectio XII.

De irregularitate contracta propter occisionem in bello.

80. DE irregularitate contracta ex bello iniusto iam suprà diximus, in præsenti agimus de bello iusto, in quo dicendum est, nullum fieri irregularem præter eos, qui propria manu occidunt, vel mutilant, vel saltem ad aliquem in particulari occidendum hortantur, vt apertè colligitur ex cap. *Petitio*, de homicidio. noluit enim ius, vt pugnantes in bello iusto essent irregulares, nisi propria manu occidant. nam si omnes pugnantes in bello iusto fierent irregulares, magna hominum multitudo inhabilis ad Ordines redderetur, & hac de causa multi retraherentur à bellis iustis.

81. Si bellum sit defensiuum, & ad salutem Reipublicæ necessarium, adhuc clerici in eo pugnantes, & occidentes, non incurrunt irregularitatem; id enim necessarium est ad bonum Reipublicæ, & ad id obligantur iure naturæ. Imò quamuis bellum sit aggressiuum, si similiter est necessarium ad salutem Reipublicæ, adhuc etiam Religioſi pugnantes, & occidentes, non incurrunt irregularitatem, ob eamdem rationem, quia cùm ad actum illum iure naturæ obligentur, durum nimis esset, si ob id irregularitatem incurrerent. Et ob eamdem rationem milites si in bello iusto occidant alios ad defendendam propriam vitam cum moderamine inculpatæ tutelæ, non incurrunt irregularitatem; quia talis defensio est licita, & in hoc casu militat eadem ratio, quæ in priuata defensione. Similiter vendentes, vel donantes arma militibus ad bellum iustum, etiamsi arma sint offensiua, & in ipso conflictu belli; & quamuis sit Clericus in sacris, non manent irregulares. Ita Auila disp. 5. sect. 3. dub. 2. ob prædictam rationem, quia ex iure tantùm pugnantes in bello iusto, & propria manu mutilantes, & occidentes, manent irregulares.

82. Ex quo infertur, tam Clericos, quàm laïcos posse interesse bello iusto absque irregularitate, etiamsi hortentur milites ad fortiter pugnandum, & vt suo fungantur munere, dummodo id in genere faciant, nisi per se ipsos mutilent, vel occidant, vel hortentur ad occidendum aliquem in particulari. Vnde nec Princeps indicens iustum bellum, etiamsi ex eo sequatur multorum occisio, nec Consiliarij, nec Dux exercitus, nec pulsantes tympana, nec alij quauis ratione concurrentes irregularitatem incurrunt; hoc enim ita iure sancitum est in fauorem iusti belli.

83. An verò qui pugnauit in bello iusto, & manet dubius, an occiderit, vel mutilauerit, debeat se gerere vt irregularis. Affirmant Villalobos tract. 21. diff. 28. & Bonacina disp. 7. quæst. 4. punct. 5. ex cap. *Petitio*, de homicidio, vbi Clericus assistens bello iudicatur irregularis, si aliquem interfecit, vel si dubiam de hoc habet conscientiam. Oppoſita tamen sententia probabilior videtur cum Auila disp. 6. sect. 3. dub. 2. quia Pontifex in dicto capite, non loquitur in casu dubij; sic enim ait: *si de interfectione cuiusque, tua conscientia te remordet.*

84. Vbi obserua, in irregularitate contracta causa belli, non posse dispensare Episcopum, quia in Tridentino tantùm conceditur ei facultas dispensandi in irregularitate proueniente ex delicto occulto, excepta irregularitate homicidij voluntarij; irregularitas autem de qua loquimur, aut non prouenit ex delicto, vt quando bellum est iustum; si verò prouenit ex delicto, homicidium est voluntarium, aut saltem publicum.

Sectio XIII.

De irregularitate orta ex defectu lenitatis.

85. IRregularitas ex defectu lenitatis dicitur, quæ oritur ex homicidio iusto, vt quando quis occidit, aut mutilat hominem absque peccato, is enim non præsefert pacem, & mansuetudinem Christi, nec ipsum repræsentat. Et conueniunt Doctores, iudices proferentes sententiam sanguinis, id est, mortis, aut mutilationis, & omnes ministros iustitiæ ad eam cooperantes: accusatorem qui in causa criminali alium accusat, petendo vindictam: testem ferentem testimonium in causa sanguinis: Aduocatum, seu procuratorem accusatoris, & Tabellionem: torquentes reum ad extorquendam veritatem: comitantes eum causa securitatis; struentes focum vt hæreticus viuus comburatur, & quoslibet alios ministros ad executionem sententiæ physicè concurrentes, fieri irregulares, sententia executioni mandata, ex can. 1. dist. 51. & cap. 3. Ne Clerici, vel Monachi in 6. & cap. 2. de homicidio in 6.

86. Est tamen primò notandum cum Hurtado diff. 11. vendentes, aut donantes ligna ad viuos comburendos, gladios, & funes, & alia instrumenta, ad

Digitized by Google

interficiendos delinquentes, nec exigentes furcam, nec famulos qui à Notario dictata scribunt, non fieri irregulares, quia nullus ex prædictis occurrit ad prædicta iniuste, neque vt minister iustitiæ.

87. Secundò notandum, accusatorem siue sit laïcus, siue Clericus, non incurrere irregularitatem, si protestetur se non intendere pœnam sanguinis, sed retortionem damni sibi, vel suis rebus, vel parentibus illati, & ita decernitur in cap. 2. de homicidio in 6. Idem est quando accusator accusat ad euitandum graue damnum innocentis, vel Reipublicæ, quod aliter impedire non potest: imò in hoc casu censet Auila sect. 2. dub. 11. non esse necessariam protestationem. Adde prædictam protestationem etiam si ficto animo fiat intus vindictam desiderando liberare ab irregularitate, vt rectè contra Nauarrum obseruat idem Auila, quia protestatio ficta tantum valet apud iudicem ignarum fictionis, quantum valeret si ex animo, & non fictè fieret. Deinde, quia Ecclesia in prædicto capite solùm requirit protestationem externam; nec imponi irregularitatem ob intentionem, & actum internum, sed propter omissionem protestationis.

88. Et quamuis communis sententia teneat aliter esse iudicandum de Aduocato, & testibus, qui etiamsi in causa sanguinis protestationem præmittant, fiunt irregulares; quia in iure facultas protestationis solùm videtur concedi accusatori, nihilominus censeo probabilem esse sententiam Ægidij disp. 18. dub. 10. vbi asserit, in casu quo accusator cum protestatione non incurrit irregularitatem, nec eam incurrere Aduocatum, & testem, quia in his eadem est ratio. nam cui conceditur aliquid, censentur etiam concedi illa quæ ad id sunt necessaria, ne concessio sit inutilis: at priuilegium concessum accusatori in aliquibus casibus sine metu irregularitatis præcedente protestatione, inutile videretur, si testis non posset absque irregularitate cum protestatione testari. Et idem est de Aduocato. nam timore tantæ pœnæ retraheretur à testando; sicque nihil probare posset, nec obtinere.

89. Tertio notandum ex Præposito quæst. 5. dub. 13. Aduocatum non incurrere irregularitatem si ex accidenti sequatur mors accusatoris, dummodo in progressu non obiiciat ei crimina: si autem id esset omnino necessarium, quia aliàs vita rei grauiter periclitaretur, censet, præmittendo prædictam protestationem, non fieri irregularem.

90. Quartò notandum, probabile etiam esse, nec fieri testem irregularem quando vel iure naturæ, vel iusto iudicis præcepto, vel graui metu coactus, obligatur ad ferendum testimonium in causa sanguinis, præmittendo protestationem; tunc enim non videtur voluntariè ad mortem concurrere. Ita Cornejo disp. 11. dub. 1. quæst. 7. Nihilominus oppositam sententiam probabiliorem censeo cum Hurtado diff. 11. quia quamuis in prædictis casibus nullus sit defectus lenitatis formaliter, quia testis id efficit obligatus, & coactus; reperitur tamen defectus lenitatis materialiter, & indecentia per se, & ex obiecto in cooperatione ad mortem, intuitu cuius indecentiæ lata est dicta irregularitas: sicut etiam fieret irregularis iudex sua sententia interficiens, aut mutilans, quamuis obligatus, & coactus, assumeret officium, & ferret sententiam. Illud verò est certum, & ab omnibus admissum, quando testis fert testimonium in fauorem rei, non incurrere irregularitatem, quamuis sit Clericus, si ob id sequatur mors accusatoris; quia dictum testis per se, & ex natura sua, ordinatur ad manifestandam rei innocentiam, & in illius defensionem; quòd verò ex ipsius testificatione sequatur mors accusatoris, respectu illius censetur sequi per accidens.

91. Quintò notandum, Clericos habentes iurisdictionem temporalem, non fieri irregulares ex eo quòd constituant iudicem pro criminibus capitalibus, etiamsi in communi dicant iudici, cui causas delegant, vt contra malefactores inuigilet, vel etiamsi in particulari pro aliquo committat casum dignum morte, ex cap. vltimo, Ne clerici, vel Monachi in 6. Idem est de Principe laïco, in hoc enim Clerici non sunt magis exempti, quàm laïci. Similiter idem est dicendum de Ecclesiasticis, qui aliquem degradatum tradunt brachio seculari, ex cap. *Nouimus* 27. de verborum significationibus.

92. Sextò notandum, Confessarium obligantem pœnitentem iuridicè interrogatum ad confitendum delictum dignum morte, non incurrere irregularitatem; quia in hoc solum intendit consulere animæ pœnitentis. Idem est si illi consulat, vt consentiat sententiæ mortis iustæ quam differre non posset, nisi per appellationem iniustam: si verò consuleret omittere appellationem iure concessam, proculdubio fieret irregularis, quia esset causa accelerationis mortis. Imò si iudex nollet condemnare ad mortem eum quem tenetur condemnare, teneretur Confessarius eum non absoluere, quia per hoc tantùm vult prospicere suæ conscientiæ, & pœnitētis, ad quod obligatur: quòd verò inde mors rei sequatur, est per accidens. Consiliarius verò quem iudex consulit de crimine quod mortem meretur, poterit in genere respondere, crimen esse dignum morte: si verò in casu particulari consulatur, poterit similiter respondere, homicidas secundum leges morte puniendos.

93. Septimò notandum, comitantes reum vt illum spiritualiter adiuuent, dicentes, pergamus alacriter, nec intendentes accelerationem mortis, & qui siue voce, siue punctione, siue percussione instigant iumentum quo interficiendus vehitur, non fieri irregulares, quamuis ex eo mors acceleretur, neque sacerdos qui roganti carnifici respondet, functus sum meo munere, nemo te impedit, nec qui afficiendo morte duriore imperrat leniorem, quamuis celeriorem, quia in his omnibus nullus ex dictis concurrit iniustè, neque vt minister iustitiæ: & irregularitas ex homicidio non incurritur ob concursum ad illud, nisi aut factum à Ministro publico, quamuis iustè; aut factum à persona priuata iniustè, ita Hurt. ex Vazquio diff. 11. quia in prædictis iuribus in quibus fit mentio dictæ irregularitatis, tantùm est sermo de iudicibus, & aliis officialibus concurrentibus ad occisionem, aut mutilationem, vt publicis personis, & ministris iustitiæ. Quæ doctrina est valdè notanda ad tollendos varios scrupulos in Confessario, & quocumque alio consulente iudicem, aut quemlibet alium ministrum publicum vt concurrant ad interfectionem delinquentis.

94. Denique notandum cum Auila sect. 5. dub. 1. & Villalobos tract. 21. diff. 18. Prælatos Regularium posse dispensare in irregularitate contracta ex defectu lenitatis circa suos subditos, quia habent priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, & homicidio voluntario.

Certius

Digitized by Google

Certius est eamdem facultatem habere Commissarium Cruciatæ, quia in eius commissione dicitur, *& super quacumque alia irregularitate qua non procedat ex homicidio voluntario.*

Sectio XIV.

De irregularitate ex defectu sacramenti.

95. Bigamia est nuptiarum, seu matrimonij duplicatio; dicitur autem defectus sacramenti, quia secundum matrimonium caret significatione coniunctionis Christi cum vna Ecclesia. Triplex autem bigamia assignatur à Doctoribus ex diuersis iuribus in ordine ad inducendum hunc effectum irregularitatis, vera, interpretatiua, & similitudinaria. Vera bigamia est, cùm quis validè contraxit matrimonium cum duabus, siue ante, siue post Baptismum, ex cap. 1. & 2. de bigamis. Bigamia interpretatiua, ob quam similiter incurritur irregularitas, contingit multis modis. Primò, si quis ducat viduam, vel ab alio relictam, quamuis duxerit ante Baptismum, ex Can. *Si quis viduam*, distinct. 50. Secundò si ducat ab alio corruptam, Canon. *Præcipimus*, & Canon. *Curandum*, distinct. 24. Can. *Qui in aliquo*, dist. 51. Tertiò, qui vxorem cognoscit post eius adulterium, Canon *Si cuius*, & Canon. *Si laici* distinct. 34. Quartò, qui mortua legitima vxore, vel eadem legitimè castitatem vouente, promotus ad sacros Ordines, contrahit cum altera inualidè, ex cap. *Nuper*, de bigamis. Denique bigamia similitudinaria dicitur, cùm quis post matrimonium spirituale per votum, init matrimonium carnale inualidum, quamuis cum Virgine, ex Canone *Quotquot* 27. quæst. 1. Votum autem castitatis debet esse solemne, & Hurtadus diffic. 13. censet bigamiam & irregularitatem hãc, tantùm habere locum in Religioso, & non in seculari sacris initiato; quia superflue esset apposita pro secularibus in sacris constitutis, in quibus sufficit contrahere post ordinationem, vt irregularitatem incurrant.

Sunt tamen nonnulla obseruanda.

96. Primò notandum est laicum bis inualidè contrahentem, aut inualidè, vel fictè contrahentem secundum matrimonium, vel cum vidua, & similiter ducentem fœminam à se ipso defloratam, neminem ex his incurrere irregularitatem, vt obseruant Hurt. diff. 13. & Auila disp. 8. dub. 1. & 2.

97. Secundò notandum, certius & probabilius esse, maritum post adulterium violentum cognoscentem propriam vxorem vi ab altero cognitam, incurrere irregularitatem bigamiæ, & ita tenet Sanchez lib. 7. de Matrimon. disput. 84. quia vis illa illata excusat quidem fœminam à culpa; non verò efficit, vt matrimonium illud sit aptum ad significandam coniunctionem Christi cum vna Ecclesia. Et similiter cum eodem Sancio censeo, incurrere eamdem irregularitatem, si cognoscat vxorem post eius adulterium quamuis non sit notorium, & siue scienter, siue ignoranter cognoscat illam, ob eamdem rationem; quia talis irregularitas incurritur ex defectu significationis coniunctionis Christi cum vna Ecclesia, qui re vera est in nostro casu.

98. Tertiò notandum, ad incurrendam prædictam irregularitatem requiri copulam, & seminis virilis emissionem intra vas fœmineum, vt docet idem Sanchez disput. 83. Imò non solùm requiritur effusio seminis viri, sed etiam fœminæ; quia iuxta Medicorum sententiam magis receptam semen fœmineum est necessarium ad generationem, & consummationem matrimonij; quamuis opposita sententia sit satis probabilis, quam docet D. Thom. 3. parte quæst. 31. art. 5. ad 5. videlicet semen fœmineum necessarium non esse ad generationem, & consequenter neque ad consummationem matrimonij.

Denique notandum, in irregularitate ex vera bigamia, solum Papam posse dispensare; in bigamia verò interpretatiua nonnulli censent posse Episcopum, quando est occulta, & oritur ex delicto etiam alieno, quam contrahit is qui cognouit vxorem postquam commisit adulterium cum alio. Sed tutius & probabilius est non posse. At in bigamia similitudinaria bene potest Episcopus dispensare, etiam quoad ascensum ad sacros Ordines, ex cap. *Sanè*, de Clericis coniugatis, & cap. 1. qui Clerici, vel vouentes. Similiter Prælati Regulares possunt dispensare cum suis subditis in eadem bigamia, tam ad suscipiendos sacros Ordines, quàm ad vtendum antea receptos, vt tradit Suarez disputat. 49. sect. 3. 99.

Sectio XV.

De irregularitate ex defectu natalium.

100. Irregularitas ex illegitimitate prouenies, dicitur irregularitas ex defectu natalium. Illegitimum ergo irregularem esse constat, ex cap. 1. de filiis presbyt. in Decret. & in 6. nisi fiat Religiosus & faciat professionem in religione approbata; tunc enim fit habilis ad Ordines, licèt non ad prælatiam, ex Const. Gregorij XIV. moderantis in hac parte constitutionem Sixti V. dummodo filius illegitimus in religione in qua pater, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit ipso patre viuente, non admittatur, & insuper reualidauit priuilegia Religionibus concessa dispensandi cum illegitimis ad quascumque dignitates & officia religionis. Dixi, *si faciat professionem in religione approbata*, vel etiam si tria vota simplicia in Societate Iesv emiserit. nam illegitimi si post annullatam professionem in seculum redeant, manent irregulares, quia irregularitas ex defectu natalium tollitur per professionem: at in casu de quo loquimur, non fuit vera professio, sed nulla. Vbi obiter nota, eiectos à religione iuxta formam præscriptam in Constitutione de Apostatis & eiectis iussu Vrbani VIII. sub die 21. Septembris, anno 1624. & extra religionem degentes, manere perpetuò suspensos ab exercitio Ordinum, in qua suspensione Episcopi dispensare non possunt.

101. Dicitur autem illegitimus, qui non est ortus ex legitimo matrimonio, sed ex fornicatione, stupro, incestu, vel adulterio. Vnde illegitimus est filius natus ex parente, qui contracto & nondum consummato matrimonio, emisit professionem in religione approbata, & postea coniugem carnaliter cognouit; non enim est natus ex legitimo matrimonio, quia matrimonium illud iam fuit dissolutum per professionem. Idem dicendum est de filio nato ex parentibus coniugatis, quando pater factus est Sacerdos de consensu, vel absque consensu suæ vxoris; tunc enim si vxorem carnaliter cognoscat, filius inde natus censetur illegitimus & irregularis, dummodo matrimonium fuerit consummatum: si enim consummatum non fuerit, & inscia vxore promotus sit, filius postea natus est legitimus, quia matrimonium in hoc casu non dirimitur. Imò potest vxor cogere virum suum etiam

Presbyterum ad consummationem matrimonij. Non verò est illegitimus filius natus ex matrimonio inter duos inualidè contracto ob aliquod occultum impedimentum, dummodo vterque contrahens, vel saltem vnus eorum bona fide in facie Ecclesiæ ex probabili ignorantia iuris, vel facti, contraxerit coram parocho,& testibus.

102. Filius conceptus ex simplici fornicatione, ab iis qui tempore conceptionis poterant validè contrahere,legitimatur per subsequens matrimonium, ex cap.*Tanta*,qui filij sint legitimi, &, vt obseruat rectè Præpositus quæst.5.dub.16.hoc non solùm est verum quando tempore intermedio nullum intercessit dirimens impedimentum, sed licèt intercesserit, v.g. si post prolis conceptionem pater aliam ducat in vxorem; si enim ea mortua ducat illam quam priùs cognouerat,proles legitimatur.

103. Est tamen prima difficultas,quando quis est dubius an sit illegitimus, debeat ne censeri irregularis? in qua re negatiuam sententiam probabiliorem iudico,quam contra Vazquez tuetur Ægidius disp.18.dub.12.quia, vt suprà docuimus, extra casum homicidij in dubio iuris, vel facti, nullus tenetur se reputare irregularem;quia extra illum casum, nullo iure exprimitur quòd in dubio quis sit irregularis;neque filius tenetur credere matri asserenti eum esse illegitimum,nisi circunstantiæ valde vrgeant.

104. Secunda difficultas est de expositis, an censendi sint illegitimi. In qua cum communi sententia contra Hurtad.diff.14.censeo non esse reputandos vt illegitimos & irregulares,ita Pesantius in additionibus ad 3.partem quæst.10.disp.5. & ita colligitur ex Gregorio XIV. in Bulla edita anno 1591. in gratiam confraternitatis pro expositis, vbi decernitur, vt habeantur pro legitimis, neque quòd aliquis exponatur est signum sufficiens quòd sit extra matrimonium susceptus. nam parentes ob paupertatem interdum filios suos exponunt.

105. An verò Episcopus possit dispensare cum illegitimis ad sacros Ordines & beneficium curatum, tutius & probabilius est non posse, quamuis irregularitas sit occulta, & ita tenet communior sententia. Quoad minores verò Ordines, & ad beneficium simplex, etiam quoad Canonicatus Collegiatarum Ecclesiarum poterit dispensare, & etiam Capitulum sede vacante, cum causa tamen & eorum suffragantibus meritis. Ita Barbosa de potestate Episcopi parte 2.alleg 45.

SECTIO XVI.

De irregularitate proueniente ex defectu animæ, vel corporis.

106. AD irregularitatem ex defectu animæ, triplex defectus reducitur à Doctoribus. *Primus* est illius, qui mox ad fidem accessit, ac proinde neophyti sunt irregulares eo modo, quo in superioribus docuimus. *Secundus* est defectus vsus rationis, quocirca perpetuò amentes sunt irregulares, & etiam qui ex crebra indispositione in furiam incidunt: secus est de phrenetico ex vi morbi,aut vulneris,aut iræ transeuntium: hi enim statim ac desinunt esse tales, non sunt irregulares. *Tertius* est defectus literaturæ,seu scientiæ, ex cap.*Illiterates*, dist.36. vbi nota cum Religiosis non multum literatis posse Episcopos dispensare, vt ad sacros Ordines promoueantur; non enim in illis requiritur tanta scientia, ac in Clericis secularibus; quia ad curam animarum non ordinantur: tum etiam, quia ex continuo conuictu & communicatione cum doctis in religione, in dies in scientia accrescunt.

107. Ex defectu verò corporis manet irregularis quicumque ita est defectuosus in corpore, vel adeò deformis,aut morbo adeò fœdo affectus, vt absolutè non possit Ordines exercere, vel sine nota,aut sine horrore aliorum. Vnde fit, vt qui caret digitis dextræ manus, quibus formatur signum Crucis, vel est cœcus,imò si careat altero oculo, esse irregularem, & etiam qui caret visu sinistro, si nequit sine indecentia ad Missale conuerti; non verò si absque indecentia possit apte se vertere & legere. Cui desunt auriculæ,non manet irregularis, si illum defectum possit capillis aptè tegere. Neque qui est surdus vtraque aure, quia non est simpliciter necessarium, vt Sacerdos audiat ministrum respondentem; non est tamen admittendus ad Missam solemnem celebrandam. Similiter gibbosus non est irregularis, nisi gibbositas coniuncta sit cum nimia deformitate. Monstrosus verò, vt qui habet duo capita, vel quatuor manus, &c. & qui aliquo caret pede; vel cui necessarius est pes ligneus,etiamsi non careat vero pede,est irregularis. Similiter qui sibi membrum abscidit, vel aliquam sui partem, vt qui abscindit sibi partem digiti, ita vt in eo mortaliter peccauerit, fit irregularis: non verò si ab alio sit abscissum, vel vi, vel curationis causa, modò carentia membri non impediat functionem Ordinis, nec obstet quin minus decenter obiri possit. Deinde laborantes lepra, vel morbo caduco,sunt irregulares, vel paralytici, & apoplexia. Quando autem sit morbus caducus, ad Medicos pertinet iudicare: non verò sunt irregulares qui leuem mentis alienationem, vel vertiginem, vel deliquium animæ patiuntur; debent tamen curare vt habeant sacerdotem sibi assistentem quando periculum est,qui possit sacrificium perficere. Qui verò hoc morbo laborant, non sunt ordinandi.

108. Hermaphroditi in quibus prævalet sexus fœmineus,vel in quibus vterque sexus censetur æqualis,sunt irregulares quia,vt rectè Hurt.diff.14. credi potest ex institutione Christi esse incapaces characteres,sicut fœminæ. Æthiopes verò non sunt irregulares, & ita tenet Gauantus in Enchirid. Episcopor.verbo irregularitas num.18.De damnatis ad triremes,probabile est esse irregulares, & ita tenet Barbosa suprà allegar.43. Sed æquè probabile est non manere irregulares: vnde Clerici & Religiosi damnati per aliquod tempus ad triremes, elapso tempore, & ad religionem reuersi,nó manent irregulares,& ita docet Riccius in decis. parte 1. decis. 119.quia hæc irregularitas non est in iure expressa, neque damnati ad remigandum contrahunt infamiam,vt docet Borellus consil.52.

109. Arrepti à dæmone,seu energumeni,sunt irregulares, ita vt nunquam possint ordinari, etiamsi liberentur,ex Canon.*Maritum*,& Can.*Communiter*, & Can.*Clerici*, dist.33. Si verò iam antè promoti erant,potest Episcopus dispensare, vt in susceptis Ordinibus ministrét, quando sunt perfectè liberati. Et idem dicendum est de furiosis. Mancipia non possunt ordinari ante manumissionem, ex tit. de seruis non ordinandis; potetit tamen ordinari si dominus sit contentus, tunc enim donatur libertate;qua etiam donatur si ordinetur domino sciente,& non contradicente. Imò si inscio domino sacris initietur, liber etiam euadit; Episcopus autem fraudis.

Digitized by Google

fraudis conscius tenetur duplum reddere domino: quòd si nullus præter ipsum seruum sit in culpa, & factus sit Presbyter, priuandus est peculio, vel ex ministeriis sui officij tenetur satisfacere.

110. Denique obligati ad ratiocinia, quandiu durat hæc obligatio, sunt irregulares, ex cap. vnico, de obligatis ad ratiocinia; dicuntur autem obligari ad ratiocinia omnes exercentes officium publicum seculare, vel administrationem publicam rerum secularium, vt sunt iudices, Tabelliones, depositarij publici, tutores, curatores, & Procuratores.

Sectio XVII.

Quomodo tollatur irregularitas.

111. IRregularitatem non tolli propriè per Baptismum, constat, quia ante Baptismum non est propriè irregularitas: quinam verò defectus & indecentiæ existentes ante Baptismum, & manentes post illum, faciant irregularitatem, & quinam non, dictum est suprà. Conuenit tamen inter Doctores in homine baptizato nullam manere irregularitatem ratione præcedentium actionum, vel conditionum, nisi vbi habetur in iure expressum, vt de bigamia etiam ante Baptismum diximus, manere post Baptismum, & similiter defectus corporis, qui sunt ante Baptismum durantes post illum signati in iure, faciunt irregularitatem. Per nulla verò peccata commissa ante Baptismum fit quis irregularis recipiens Baptismum; quare neque homicidium factum facit irregularem homicidam; neque sententia sanguinis in iudice secuta morte data ante Baptismum facit iudicem irregularem, si recipiant Baptismum, quia non habetur in iure talis irregularitas.

112. Irregularitas verò contracta ante ingressum Religionis, tollitur per ingressum Religionis per professionem, siue per vota simplicia facientia Religiosum, & hoc siue iure, siue ex consuetudine, siue ex priuilegio; & Sotus in 4. dixit seruari hoc in Religionibus, excepta bigamia & regularitate resultante ex homicidio voluntario. Sed re vera non est sufficiens fundamentum ad hoc asserendum, nisi in irregularitate proueniente ex defectu natalium, & ideo consulenda sunt priuilegia Religionum.

113. Irregularitas tollitur propriè per dispensationem, & non per absolutionem, licèt aliquando neque sit necessaria dispensatio vt tollatur. Et in primis differunt absolutio, & dispensatio. nam absolutio significat iustitiæ actum, quo terminatur iudicium, vel sententia: at verò dispensatio est exceptio à lege communi, vel prohibitione; quare cùm irregularitas sit prohibitio vel absoluta, vel perpetua, vel simpliciter, vel durante tali statu rerum, necessario dispensationem petit, vt non obstante tali prohibitione in communi, tollatur respectu huius, & ideo quando tollitur per dispensationem irregularitas, seruandæ sunt regulæ de dispensatione: si verò cesset causa irregularitatis, eo ipso sine alia dispensatione cessat irregularitas, quod est maximè notandum pro defectibus inducentibus irregularitatem, vel perpetuam, vel ad tempus.

114. Similiter tollitur irregularitas per abrogationem legis imponentis irregularitatem, & ideo in eo qui ante abrogationem contraxit irregularitatem, si deinde lex abrogetur, eo ipso cessat irregularitas antè contracta: quamuis censura semel contracta, etiamsi deinde lex censuram ferens abrogetur, requirat absolutionem.

115. Potestas dispensandi in irregularitate est in Papa, qui potest etiam sine causa validè dispensare, cùm irregularitas sit de iure humano. In Episcopis etiam tantùm confirmatis, & non consecratis, habentibus subditos, est etiam hæc potestas ad dispensandum in foro conscientiæ in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delicto occulto, excepto homicidio etiam occulto voluntario, & exceptis irregularitatibus deductis iam ad forum contentiosum, ex Trident. sess. 24. cap. 6. de Reformat. Quod decretum ex Congregatione Cardinalium non militat vbi Tridentinum non est receptum. nam cùm ibi non sint recepta onera Concilij, neque fauores dandi sunt. Per irregularitates verò prouenientes ex delicto occulto, intelliguntur à Concilio non solùm casus illi, qui à nemine sciuntur, nisi ab ipso pœnitente; sed etiam omnes alij occulti, dummodo non sint deducti ad forum contentiosum. Itaque quantumcumque sint tales casus probabiles in foro externo, si tamen non sint deducti ad illud, cadunt sub dispensatione Episcopi, & dicuntur occulti, vt distinguuntur à publicis per denuntiationem, vel accusationem in foro contentioso coram legitimo iudice factam. Quare non requiritur delictum esse probatum, vel declaratum, sed tantùm vt sit deductum, quamuis re vera non sit probabile. Quòd si non probetur delictum, & absoluatur, & iudicetur reus innocens per sententiam, in tali casu res deducitur ad eum statum, in quo erat crimen ante accusationem, vel denunciationem, & potest dispensari ab Episcopo, quando nec plenè, nec semiplenè est probatum.

116. Quando verò plenè, vel semiplenè probatum est crimen, quamuis absoluatur à iudice fortè delictum, non manet sicut antè, propter infamiam secutam ex semiplena probatione, & ita non manebit crimen occultum sicut antè. An verò tunc sit irregularitas dispensabilis, res est dubia. Et plures volunt non posse tunc Episcopum dispensare, quia iam delictum est publicum. Auila verò parte 7. disput. 10. dub. 7. cum Henriquez & aliis ait posse, quia iam est satisfactum scandalo publico per sententiam iudicis, & sic purgauit delictum irregularis, & manet iam crimen sicut antequam ad iudicem deferretur.

117. Quare in huiusmodi dispensationibus non sumitur occultum, vt aliàs sumi solet, quod scilicet non est probabile in iudicio; vel quòd non est notum maiori parti viciniæ, & maiori parti decem, iuxta varias sententias Doctorum: sicut sumitur in 2. parte capitis 6. relati ex Trident. vbi occultum sumitur hoc secundo modo, quando dat facultatem Episcopis absoluendi casus reseruatos Pontifici occultos. Vbi occultum sumitur pro eo quod non est publicum in iure. Publicum verò dicitur in iure ordinariè, quod vel probabile est in iudicio, vel notorium maiori parti viciniæ, vel maiori parti decem, vel quod delatum est ad iudicium; quod est valde notandum, ne quis decipiatur in modo explicandi occultum in dispensatione irregularitatis, vel suspensionis ex delicto occulto, & in absolutione casuum reseruatorum occultorum, de quibus loquitur caput Concilij in 2. illius parte.

118. An verò nomine Episcopi in illo decreto Tridentini intelligantur etiam Abbates exempti, aliàs habentes iurisdictionem, negat Suarez disput. 41. sect. 2. & ita ait declarasse Congregationem Cardinalium; quare in hoc, subditi aliorum exemptorum,

rum, ſubiicientur Epiſcopo Diœceſis in qua ſunt. Aulla verò ſupra, abſolute aut poſſe Abbates exemptos habentes iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, diſpenſare in irregularitatibus, ſicut poſſunt Epiſcopi, & ita ſeruari in praxi. Et idem eſt de Capitulo ſede vacante, quod Epiſcopo ſuccedit in iuriſdictione ordinaria, vt tradit Sanchez lib. 8. de Matrimon. diſp. 2. qui etiam reſpondet ad declarationem Congregationis relatam, non conſtare authenticè de ea; & diſp. 34. num. 58. recte obſeruat, regulam ad cognoſcendum quando irregularitas ſit ex delicto occulto, ſcilicet delictum dici occultum, donec ſit deductum ad forum contentioſum, & intimatum parti denuntiatæ, vel accuſatæ, & hoc per citationem: quare vt completè dicatur delictum deductum ad forum contentiotum requiri præter accuſationem, vel denuntiationem coram iudice, intimationem fieri parti. nam citatio eſt primus actus iudicij, & ſine citatione, quamuis delictum deferatur ad iudicem, videtur eſſe ſicut antea occultum, & ita poterit in irregularitate diſpenſare Et etiam ſi quis falſis teſtibus abſoluatur à iudice à delicto de quo eſt verè accuſatus, & verè commiſit, manere delictum ſicut ante accuſationem; ac proinde occultum. nam iam purgauit in iudicio.

119. Poteſt ergo Epiſcopus diſpenſare in irregularitate proueniente ex mutilatione occulta, quamuis ex induſtria facta, vt obſeruat Hurt. diff. 20. ex declaratione Congregationis Cardinalium, quia mutilatio diſtincta eſt ab homicidio. Similiter in irregularitate proueniente ex homicidio caſuali occulto, per quod non tantùm intelligitur quod eſt indirectè commiſſum, ſed etiam quod eſt directè commiſſum excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, & præterea quod eſt commiſſum ex ſubita ira, quamuis directè & plenè voluntariè.

120. Archiepiſcopus dum viſitat Diœceſes ſuffraganeorum, poteſt cum horum ſubditis in irregularitate dicta diſpenſare, vel in gradu appellationis. Collegium Cardinalium ſede ſuprema vacante, gaudet etiam prædicta facultate. Prælati verò Regulares virtute ſuorum priuilegiorum poſſunt cum ſuis ſubditis diſpenſare in quacumque irregularitate, excepta ea, quæ prouenit ex bigamia, ex mutilatione, & homicidio voluntario. Imò, vt tradit Rodriguez tom. 1. quæſt. 61. & quæſt. 24. art. 12. Martinus V. conceſſit Benedictinis, & Sixtus IV. vt quando homicidium & mutilatio ſunt omnino occulta, poſſent etiam diſpenſare, aliàs non, propter ſcandalum. Idem Sixtus IV. conceſſit fratribus Ordinis minimorum facultatem diſpenſandi ſuper quacumque irregularitate, & abſoluendi ab omnibus caſibus excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, Ordinario tam à iure, quàm ab homine reſeruatis, toties quoties opus fuerit, ad vota quæcumque permutandi & relaxandi, & pœnitentiam ſalutarem iniungendi, ſicut poteſt diœceſanus. Ita habetur in monumentis Ordinis. Quod etiam conceſſum eſt eis pro ſecularibus, vt tenent Corduba & Rodriguez tom. 1. quæſt. 61. art. 3. Sayrus lib. 7. cap. 15. Henriquez lib. 14. cap. 9. Ioannes de la Cruz lib. 2. de Priuilegiis cap. 7.

121. Notandum etiam eſt, quando irregularitates ſunt eiuſdem rationis propter idem delictum ſæpiùs iteratum, non eſſe neceſſarium in petitione diſpenſationis numerare omnes irregularitates illas, ſed ſufficere petere diſpenſationem ab irregularitate contracta propter tale delictum; quando verò irregularitates ſunt diuerſæ rationis ex delictis ſpecie diuerſis eſſe omnes explicandas.

122. Denique circa formam ſeruandam in diſpenſatione irregularitatis, ſufficit quoduis ſignum quo ſignificetur voluntatem diſpenſantis eſſe, diſpenſare in irregularitatibus contractis, vel omnibus, vel aliquibus, & ad hoc attendatur. nam ſi fortè ſignificet ſuam intentionem tantùm eſſe diſpenſare in quatuor irregularitatibus, & illæ ſint plures, & non explicet in quibus diſpenſat; diſpenſatio erit nulla, quia non eſt cur magis de vna, quàm de alia intelligatur. Si verò velit in omnibus diſpenſare, debet hoc ſignificare, vel diſpenſando ſine exceptione aliqua, vel dicendo ab omni irregularitate, vel ſi diſpenſet totaliter ad omnes effectus, abſolutè diſpenſet. Quòd ſi ad aliquos tantùm, vel ab aliquibus irregularitatibus, debet hoc ſignificare. Eſt etiam obſeruandum, an id in quo diſpenſatur, habeat connexionem inſeparabilem cum aliis, tunc enim ſi id ſciat Superior diſpenſans in primo, diſpenſat etiam in aliis.

123. Maior verò difficultas eſt, quando diſpenſatio irregularitatis non fit verbis, ſed facto. nam non eſt neceſſe vt per verba fiat, quando ſcilicet colligatur factum aliquod ſuperioris potentis diſpenſare eſſe ſignum intentionis diſpenſandi. Poteſt tamen colligi ex hac regula: quoties potens diſpenſare admittit ad aliquem actum habentem iuris impedimentum ad talem actum, vel patitur talem actum ab illo exerceri, ſciens quomodocumque ſciat, eum habere tale impedimentum, erit ſignum intentionis diſpenſandi. Ex quo etiam colligitur, quando taciturnitas ſuperioris videntis talem actum exerceri ab impedito, & ſcientis non eſſe diſpenſatum, ſit ſignum tacitæ diſpenſationis. Eiuſmodi ſignum erit, quando Superior facile poſſet contradicere, & non contradicit, ſed tacet; quia illa taciturnitas videtur eſſe ratihabitio de præſenti, quæ dat veram iuriſdictionem, etiam ad audiendas confeſſiones: aliàs enim grauiſſimè peccaret talis Superior non impediens cùm facile poſſet: ne ergo præſumamus illum peccare, dicendum eſt diſpenſare, & ita tenet Sanch. ſuprà diſp. 4. per totam.

TRACTA

Digitized by Google

TRACTATVS XXVI.

DE MATRIMONIO.

DISPVTATIO I.

De Sponſalibus.

SECTIO I.

Quid ſint Sponſalia, & quæ conditiones ad illa requirantur.

1. PONSALIA à ſpondendo dicuntur. Nam mos erat olim antiquis, vt puella nupta promitteretur viro à patre, vel tutore, vel amicis, vt ex Aulo Gellio notat Sanctius lib. 1. de Matrimonio, diſput. 1. num. 1. & qui promittebantur vocabantur *ſponſus* & *ſponſa*, quaſi alteri promiſſi; *ſponſor* qui promittebat, & contractus ipſe *ſponſalia*.

2. Et quamuis ſponſalia nonnumquam ſumantur pro muneribus ſponſæ ab ſponſo collatis, lege 1. C. ſi nuptiæ ex reſcript. Quo ſenſu 1. Regum cap. 18. dicitur, *Non habet Rex ſponſalia neceſſe.* Aliquando verò & frequentiùs pro ipſo contractu matrimonij rato, nondum tamen conſummato, qua ratione Matth. 1. dicitur, *Cùm eſſet deſponſata Mater* IESV *Maria Ioſeph.* Tamen propriſſimè ſponſalia ſumuntur pro mutua vtriuſque futuri matrimonij promiſſione, & in hoc ſenſu in hac diſputatione loquimur de ſponſalibus.

3. Quæ ſic definio ex Valentia diſput. 10. quæſt. 2. punct. 1. & Toleto lib. 7. cap. 2. *Sponſalia ſunt mutua promiſſio futuri matrimonij, ſigno aliquo ſenſibili expreſſa.* Illuſtratur hæc diffinitio. Dicitur promiſſio, quæ neceſſariò debet eſſe voluntaria, quia ſponſalia inducunt obligationem; vis autem obligandi oritur ex voluntate. Sponſalia ergo debent fieri voluntariè, & liberè; ac proinde deliberatè, quia abſque aduertentia & deliberatione nullus actus poteſt eſſe perfectè humanus, & conſequenter neque fœcundus, ſeu potens ad inducendam obligationem humanam.

4. Inquires, quæ deliberatio requiratur & ſufficiat ad ſponſalia. Reſpondeo, requiri & ſufficere illam, quæ requiritur, & ſufficit ad peccatum mortale. Ita communiter Doctores. Cùm enim ſponſalia obligent ſub mortali, petunt plenam deliberationem, & maturum iudicium, quale ad mortale requiritur. Vnde minus rectè Bonacin. quæſt. 1. punct. 4. ex eo quòd ſponſalia ſint obligatio ad futurum & perpetuum ſtatum, deducit neceſſarium eſſe pleniorem vſum rationis, & futurorum prouidentiam. Reiicitur tamen facilè, quia Eccleſia ætatem ſufficientem ad ſponſalia ſeptennium deſignauit, quæ ætas ſufficiens eſt ad vſum rationis, & ad grauiter peccandum; ac proinde is vſus rationis ſufficiens erit ad ſponſalia. Et confirmatur, quia is vſus rationis ſufficiens eſt ad obligandum ſe per votum ſolemne Ordinis ſacri, & per votum ſimplex Religionis, quæ eſt obligatio ſtatus perpetui, & maior, quàm ſponſalium: ergo ſufficiet etiam ad ſponſalia.

5. Præterea promiſſio illa debet eſſe mutua, & reciproca; quia ſicut matrimonium eſſentialiter eſt quidam contractus, ita & ſponſalia; contractus autem non eſt, niſi duorum ſaltem inter ſe paciſcentium, & ex pacto mutuam obligationem inter ſe ſubeuntium. Similiter ſicut matrimonium eſt duorum mutuam & reciprocam ſuorum corporum poteſtatem tradentium: ita ſponſalia ſunt duorum mutuam, & reciprocam ſuorum corporum poteſtatem promittentium; res enim quæ in matrimonio traditur, vi ſponſalium promittitur: ergo neceſſariò requiritur quòd talis promiſſio ſit mutua & reciproca. Ex quo ſequitur, ſi vnus promitteret matrimonium, & alter non repromitteret, ſponſalia non eſſent.

6. Deinde hæc promiſſio debet eſſe acceptata, quia, vt infrà dicam, ante acceptationem non obligat. Rurſus dicitur hæc promiſſio futuratum nuptiarum, in quo differunt ſponſalia à matrimonio; hoc enim eſt contractus ad nuptias; ſponſalia verò obligatio ad contrahendum in futurum. Denique dicitur ſigno aliquo ſenſibili expreſſa, quia hæc promiſſio debet innoteſcere contrahentibus, aliàs non poſſet eſſe mutua. Ex quo etiam infertur, non ſufficere promiſſionem merè internam. nam contractus ſponſalium eſt contractus obligatorius inter duos, & requirens acceptationem, & reciprocam promiſſionem: ac proinde debet eſſe externus, & manifeſtus inter ipſos contrahentes.

7. Tres ergo conditiones requiruntur ad ſponſalia, ex communi ſententia Doctorum. *Prima* quòd ſit promiſſio voluntaria. *Secunda* quòd ſit mutua, & acceptata. *Tertia* vt ſigno aliquo externo ſit ſufficienter expreſſa, & manifeſtata, quæ ex dicendis ampliùs illuſtrabuntur.

SECTIO II.

An promiſſio Matrimonij ad ſui valorem requirat acceptationem.

8. DIfficultas procedit de promiſſione gratioſa, non verò de reſpectiua, & per modum contractus oneroſi facta, quia in eo caſu neceſſaria eſt acceptatio, & repromiſſio alterius, vt valida & efficax ſit: quia in contractu vltro citróque obligatio vtriuſque partis neceſſaria eſt, aliàs contractus eſſe non poteſt.

9. Concluſio eſt affirmatiua, promiſſionem matrimonij ad ſui valorem requirere acceptationem.

Ita

Ita Vazquez disp.4.num.42. & plures alij,quos refert & sequitur Bonacin. quæst.1. punct. 1. num.6. & probatur,quia ante acceptationem promissio illa non obligat,neque ex iustitia,neque ex fidelitate: non ex iustitia, quod eleganti ratione probat Pontius lib. 12. cap. 4. quia cùm ius vnius ad alterum ex voluntate oriatur,sicut in promissione contingit,non potest non nasci ex vtriusque consensu; non enim ego possum alteri obligari, nisi ipse acquirat ius in me,nec potest illud acquirere,nisi volens,quod fit per acceptationem. Quomodo enim absque illius consensu potest incipere esse illius; aliàs idem posset,ipso renitente, & resiliente promissionem.Deinde neque ex fidelitate, quia ei cui fides oblata est, & eam non acceptauit ab offerente, non est necessariò seruanda. nam ei qui nihil curat de promissione,non debetur fidelitas in promissis,sicut non debetur ei,qui remittit promissum.

10. Obiicies primò. Promittens, & promissa non complens, quamuis alter non acceptet, non conformat facta promissis; ergo facit contra fidelitatem,& veritatem in factis: sicut qui mentitur, facit contra veritatem in dictis.Respondetur negando consequentiam.Est namque discrimen inter veritatem in dicendo, & in operando:quia veritas in dicendo absolutè obligat, & sine respectu ad eum quem alloquimur; secus verò veritas in operando.

11. Obiicies secundò.Quia naturalis obligatio oritur ex consensu; sed consensus promittentis ante acceptationem perfectissimus est: ergo parit obligationem. Respondetur, verum esse naturalem obligationem in vnoquoque contractu oriri ex consensu, sed iuxta naturam & exigentiam illius; natura autem promissionis hæc est, vt non obliget nisi dependenter ab acceptatione alterius: vnde neque promissio, neque consensus ad eam requisitus perfectus est,donec alter acceptet. Ex quo

12. Infertur primò, nullam promissionem obligare ante acceptationem,ac proinde ante eam posse reuocari. Quod etiam verum est de promissione Matrimonij facta infanti, quæ ante acceptationem potest reuocari, nec tenetur promittens expectare donec infans ad septennium perueniat, vt videat an acceptet promissionem,necne?si enim tunc non acceptat,manet promittens liber; si verò acceptat, tenetur seruare fidem, vt contra Sanctium docet, & rectè, Pontius lib.12. cap.4. num.2. Similiter idem dicendum est in promissione facta alicui loco pio, non obligare ante acceptationem, nisi illi causæ piæ fiat promissio in Dei cultum, & honorem,ita vt animus promittentis feratur non in rem creatam cui promittit,sed in Deum:vt,v.g promitto Deo, me daturum tali loco pio. nam in hoc casu promissio ipsi Deo fit. Ita Sanchez disp.6. num.16.

13. Secundò infertur, promissionem matrimonij non mutuam,hoc est,ab vno factam absque repromissione alterius, validam esse, & sufficientem ad obligandum.Ita Hurt.difficult.4.& 5. contra Vazquez & Pontium, quia nulla videtur repugnantia, quòd illa promissio ab vno gratis, & absolutè fiat, & non sub conditione repromissionis, & quòd ab altero absque repromissione acceptetur,& in quantum est in sui fauorem, hoc est, vt solùm promittens ipsi obligetur.

14. Dices,eo ipso, quòd alter acceptat, censetur repromittere, quia acceptans promissionem matrimonij,affirmat promittenti se velle mattimonium cum eo inire;hæc autem affirmatio est repromissio. Respondetur negando antecedens, quia illa acceptatio sufficienter fit admittendo fidem oblatam, quæ admissio non est repromissio, quia non est oblatio fidei propriæ,sed tantùm acceptatio alienæ.

15. Obiicies secundò,quia traditio corporis,quæ fit in matrimonio,non potest fieri gratis, & absolutè, sed sub conditione retraditionis corporis alterius; quia contractus matrimonij essentialiter est contractus mutuus, includens mutuam traditionem: ergo similiter, neque promissio tradendi corpus pro corpore,potest fieri gratis, & absolutè, sed sub conditione repromissionis. Et confirmatur, quia promissio futuri matrimonij non est promissio de donando,sed de commutando;hoc est,non est promissio rei donandæ gratis, sed commutandi cum altero:sicut contractus matrimonij non est gratuitus,& quasi donationis; sed est mutuus, & quasi commutationis: ergo talis promissio ab vno solo facta,non est efficax ad obligandum absque repromissione.

16. Respondetur tam ad argumentum, quàm ad confirmationem, negando vtramque consequentiam. Quia non bene infertur,nec est eadem ratio in matrimonio, ac in promissione illius. Quod ostendo à simili in aliis contractibus, præcipuè venditionis. nam quamuis per actualem venditionem non possit equus pro pretio commutari, quin vicissim hoc cum illo commutetur; potest tamen Petrus se obligare vendere equum Ioanni pro tanto pretio, si ipse velit emere pro hoc mense; facta autem hac promissione & acceptatione,proculdubio manebit Petrus obligatus,quin Ioannes repromittat, & obligetur, sed adhuc retineat liberam emendi,vel non emendi potestatem. Sic in nostro casu,quamuis contractus matrimonij fieri non possit,quin corpus viri cum mulieris corpore commutetur; bene tamen fieri potest promissio, promittente viro mulieri se intra mensem, v.g. corpus suum traditurum, si ipsa vicissim voluerit suum corpus ei tradere; qua promissione facta, & acceptata,manebit vir obligatus;mulier verò libera, & adhuc retinens liberam tradendi,vel non tradendi potestatem per contractum matrimonij.

17. Denique infero cum Nauarro cap.18. num.6. & Vazquez disp.15. n.13. prædictam promissionem, quamuis gratuitam, & liberam, obligare sub mortali,quia omnis promissio rei grauis, vt est matrimonij, obligat sub mortali;quia non tantùm obligat ex fidelitate, qua ratione fortè tantùm obligaret sub veniali; sed etiam obligat ex iustitia; quia promissione confertur ius iustitiæ ei cui fit promissio ad rem promissam; iustitia verò in re grani obligat sub mortali.

18. Contrariam sententiam tuetur Meratius disp.12. sect.5.num.4.& plures alij, affirmantes prædictam promissionem tantùm obligare sub veniali ex virtute fidelitatis, dummodo ex violata promissione nullum aliud damnum redundet in personam cui matrimonium promissum est, præter carentiam matrimonij promissi. Sed prior sententia videtur probabilior.Consule Sanctium lib.1.disp.5.dub.3. vbi latè eam defendit,& probat.

Sectio III.

An promissio matrimonij externa,& ficta, sit valida ad obligandum.

19. TRibus modis potest fieri promissio ficta. Primò ita,vt deficiat animus promittendi.Secundò, ita vt sit animus promittendi, non tamen se obligandi. Tertiò, si promittens habeat animum promittendi,

promittendi,& se obligandi;non tamen adimplendi promissum.

20. Prima conclusio. Promissio omnino ficta quæ à promittente fit,non solùm animo non implendi,& non se obligandi,sed etiam non promittendi,quia verbis solùm,& oretenus fit,non est valida ad obligandum.Hæc conclusio est contra Vazquez disp.6. num.27.& Pontium lib.12.cap.2. Eam tamen defendit Sanctius lib. 1. disp.9. Meratius disput.12. sect.5. & communiter Doctores, & probatur,quia promissio solis verbis, & oretenus facta, non est promissio, sed simulatio promissionis; ergo non habet vim obligandi. Patet consequentia, quia obligatio, quæ est propria promissionis, tantùm oritur ex promissione, quæ est vera promissio;non tamen ex promissione omnino ficta.

21. Obiicies ex Vazquez vbi suprà, asserente,hanc sententiam non minus falsam esse,quàm si quis diceret, hominem velle verba infamatoria proferre coram multis sine animo detrahendi, aut posse lethaliter ferire exteriùs, sine animo feriendi: ergo ex natura promissionis sequitur, neminem posse exteriùs promittere voluntariè, & verba promissionis proferre absque animo,& voluntate promittendi.Respondetur negando consequentiam,& ratio discriminis est, quia qui voluntariè exteriùs profert verba infamatoria, & lethaliter ferit, eo ipso habet animum,& intentionem feriendi,& infamandi;quia diffamatio inest externo verbo independenter à voluntate proferentis,à qua nõ dependet illius verbi significatio.Idem est in ictu lethali, qui ex se præcisè habet quod lethalis sit independenter à voluntate feriẽtis,vnde qui sciens,& volens, facit rem illam externam, eo ipso habet animum,& intentionem faciendi eam talem,qualis re ipsa est in se. At promissio verbo tantùm externo prolata,non est promissio præcisè,sed dependenter à libera intentione adstringendi suam fidem ei, cui illud verbum dicitur; ac proinde deficiente illa intentione,nulla manet obligatio.

22. Obiicies secundò,quia promissio oretenus facta est vera, & sufficiens promissio respectu hominis. nam per prædicta verba offertur alteri fides: ergo est valida ad obligandum ex fidelitate.Antecedens est manifestum,quia promissio nihil aliud est,quàm enuntiatio qua fidem alicui offerimus:solis autem verbis sufficienter offertur fides alteri.Consequentia verò probatur, quia contra fidelitatem est non stare promissis,quia fidelitas nihil aliud est, quàm veritas quædam in adimplendis promissis,ad quam veritatem seruandam tenentur homines ipso iure naturæ,sicut tenentur seruare veritatẽ in dictis;ergo eo ipso,quo quis sciens,& volens profert verba promissionis,iure naturę tenetur seruare veritatem in promissis,nec est in eius potestate tollere prædictam obligationem:sicut non est in potestate eius, qui affirmat aliquid de præsenti non dicere verum.

23. Propter hoc argumentum Hurt. disp.1. diffi.11. existimat, quamcumque promissionem oretenus factam, quamuis non obliget ex iustitia, quia ius iustitiæ solis verbis non confertur absque animo, & intentione conferendi illud ius;validam tamen esse ad obligandum ex fidelitate, & hanc obligationem tantùm esse sub veniali. Sed facilè respondetur, totum illum discursum legitimum esse in promissione vera, non tamen in omnino ficta, de qua loquimur, in qua promittens nec habuit animum promittendi, nec se obligandi, vnde non ex quacumque promissione consequitur naturalis obligatio standi promissis,sed tantùm ex illa, quæ vera promissio est.Imò ex contraria sententia apertè requiritur, nulla posse esse sponsalia, nulla vota Deo facta, quæ defectu interioris consensus & intentionis irrita essent, quod certè à communi sententia abhorret.

24. Secunda conclusio. Promissio facta ex animo promittendi,sed cum animo non se obligandi,non est valida ad obligandum. Ita Sanctius vbi suprà, quod probat optima ratione, quia conditio verbis expressa,aut mente retẽta,quæ aduersatur substantiæ matrimonij,ipsum annullat, quamuis contrahens cum illa conditione habeat intentionem contrahendi,ex capite finali,de conditionibus appositis: ergo similiter inualidabit sponsalia, & quamcumque promissionem conditio contraria substantiæ illorum:at de intrinseca ratione sponsalium,& cuiusuis alterius promissionis,est animus & intentio se obligandi: ergo conditio, quæ huic animo aduersatur,reddit promissionem inualidam.

25. Ex quo infero, nec huiusmodi promissionem animo non se obligandi factam, obligare etiamsi firmetur iuramento,quia nisi is, qui promittit,vouet, aut iurat, habeat animum se obligandi, non manet obligatus.

26. Tertia conclusio. Is qui verè promittit matrimonium, aut quidpiam aliud cum animo se obligandi,quamuis habeat animum non implendi, tenetur ipsa promissione. Ita communiter Doctores sine controuersia, & probatur, quia obligatio sequitur naturaliter ex voluntaria promissione animo se obligandi facta,sicut illuminatio ex luminoso: ergo sicut semel posito luminoso velit nolit apponens,sequitur illuminatio: ita posita promissione voluntaria animosè obligandi facta,sequitur naturalis obligatio, quæ impediri non potest per contrariam voluntatem non adimplendi,quia nullus potest positis rerum naturis earum effectus necessarios impedire.

27. Quando verò quis dubius est,an promiserit matrimonium, vel an habuerit animum se obligandi, seruanda est regula tradita in tractatu *de Conscientia*,disp.de Conscientia dubia. Iuxta quam sit

Quarta conclusio Qui facta sufficienti diligentia adhuc manet dubius, an matrimonium promiserit, non tenetur seruare fidem. ita Sanctius loco citato n.13. & probatur, quia in dubiis melior est conditio possidentis: sed in hoc dubio voluntas possidet suam libertatem,cùm de promissione non constet,sed potiùs dubitetur:ergo in hoc dubio pro libertate iudicandum est. Confirmatur,quia nemo tenetur satisfacere dubio incerto solutione certa: ergo nec tenetur seruare fidem promissi matrimonij quando dubius est an promiserit.Denique quia hoc cedit in fauorem sponsalium, quæ magnam postulant libertatem,cap.*Gemma*,de sponsalibus.

28. Quinta conclusio. Qui certus de promissione matrimonij, dubius est, an habuerit animum se obligandi,tenetur matrimonium contrahere. Probatur, quia in hoc casu possessio stat pro obligatione.nam promissionem naturaliter sequitur obligatio, nisi expressè apponatur cõditio contraria:ergo dũ de promissione cõstat,& dubitatur de contrario animo, præsumptio & possessio stat pro obligatione;ac proinde in hoc dubio pro ea iudicãdum est.

29. Obiicies,quando quis dubius est de promissione matrimonij,non tenetur cõtrahere ex quarta conclusione: ergo nec quando dubius est de animo se obligandi.Probatur consequentia,quia dubium de animo se obligandi redundat in ipsam promissionem.nã sicut ablato animo se obligandi non manet

vera promiſſio, ita quando dubitatur de animo ſe obligandi, dubitatur, de vera promiſſione. Reſpondetur illationem non eſſe legitimam ob rationem allatam, quia quando quis dubius eſt de promiſſione, nulla eſt poſſeſſio ex parte promiſſionis, in cuius fauorem pronuntiandum ſit, ſed tota poſſeſſio ſtat pro libertate: at cùm de exteriore promiſſione conſtat, & animus ſe obligandi tantùm eſt dubius, poſſeſſio ſtat ex parte promiſſionis; ac proinde in eius fauorem iudicandum eſt.

Sectio IV.

An qui defloruit virginem ſpe fictæ promiſſionis matrimonij, teneatur eam ducere.

30. PRima concluſio. Qui ſub ſpe fictæ promiſſionis defloruit virginem, tenetur ſub mortali eam ducere in vxorem, nec ſatis facit damno illato conſtituendo ei dotem ſufficientem, vt nubat viro ſibi ſimili in qualitate. ita Vazquez diſp. 6. Sanct. diſp. 10. Meratius diſp. 12. ſect. 7. & probatur, quia etſi fictus promiſſor non obligetur ex promiſſione, quia re ipſa non fuit vera promiſſio, ſed promiſſionis fictio, obligatur tamen ex iuſtitia commutatiua, videlicet ex contractu ad hanc iuſtitiam pertinente, iuſtitia autem commutatiua non tantùm petit reddi æquale, ſed vt idemmet reddatur, vt ſi equum furatus es, non ſatisfacis reddendo pecuniam. nam vnum pro alio inuito creditore reddi non poteſt; ſed in hoc caſu interuenit perfectus contractus, videlicet, do, vt des; vel, facio, vt facias: ergo cùm puella impleuerit tradendo corpus ſuum innitens promiſſioni matrimonij ſi ſe defloradam dediſſet, tenetur fictus promiſſor implere ducendo eam, adhibendo conſenſum ex iuſtitia debitum, non quidem ratione damni illati, quia nullum damnum eſt illatũ virgini conſentiẽti, ſed ratione contractus & pacti, initi. Conſequentia eſt manifeſta, ex omnibus aliis contractibus conditionalibus, vbi interuenit pactum, & illa cõditio, do, vt des, & facio, vt facias.

31. Confirmatur, quia in hiſce contractibus vbi alter ex ſua parte impleuit, tenetur alter implere, quamuis ficte contraxerit, quia ex iuſtitia tenebatur verè contrahere; vt ſi Petro fictè promiſi centum aureos, vt Matritum ſe conferat, vbi Petrus Matritum adibit, teneor dare; cùm ergo hic contractus fuerit mutuus & virgo impleuerit tradendo corpus ſuum, tenetur fictus promiſſor implere ducendo eam.

32. Secunda concluſio. Is qui fictè promiſit, & ſub ea ſpe virginem defloruit, tenetur implere promiſſum, quamuis ſint diſparis conditionis in nobilitate, vel in diuitiis. Quæ concluſio intelligenda eſt, non ſolùm quãdo mulier fuit inæqualitatis inſcia, ſed etiam dum fuit ſatis conſcia, ſibi tamen perſuaſit matrimonium ab illo ex animo promitti. Ita Vazquez, & Meratius contra Sanctium vbi ſuprà. Probatur ratione præcedentis concluſionis, quia ibi interuenit verus contractus obligans ex iuſtitia commutatiua ad faciendum id, de quo pactum initum eſt ſub conditione alicuius rei ab altero dandæ poſtquam res hæc ab altero data eſt. Nec inæqualitas rei promiſſæ pro altera iam data in materia matrimonij, eximit promittentem ab obligatione adimplendi id quod fictè promiſit; aliàs etiamſi ex animo promiſiſſet, non maneret ſua promiſſione obligatus ob eamdem inæqualitatem. Confirmatur, quia, vt rectè annotarunt Vazquez diſp. 6. c. 4. & Pontius lib. 12. cap. 2. n. 15. ad ſubſtantiam contractus matrimonij ſolùm ſpectant corpora coniugum; nobilitas verò, pulchritudo, diuitiæ, &c. ſunt prorſus accidentaria, ac proinde quantumcumque cognoſcatur illa inæqualitas inter limites matrimonij, nihil deeſt ad æqualitatem in contractu ſeruandam.

Obiicies, quia hæc inæqualitas virgini nota, fuit ſufficiens indicium, & argumentum doli, aut fraudis, & non verè, ſed fictè ab alio matrimonium promitti; ac proinde dum in eo caſu copiam ſui corporis fecit, non id fecit ſpe futuri matrimonij, quia ſatis agnouit ſibi fictè promitti, ſed perinde ac ſine illa ſpe inuitata ad copulam liberè in ea conſenſiſſet. Reſpondetur negando antecedens, quia ſæpe Nobiles, vel diuites non ſolùm ſponſalia, ſed etiam matrimonium ſolent contrahere cum mulieribus abiectis, & infimæ notæ; atque ita potuit illa virgo credere ſecum fieri, quod cum aliis factum eſt. Vnde ſi ſimplici animo conſenſit, contractus tenet, & fictus promiſſor tenetur promiſſum implere; nec ſatisfacit dotem conſtituendo, niſi ipſa remittat. 33.

Tertia concluſio, ſi fictus promiſſor ſigna dedit, quibus fœmina ſufficienter potuit agnoſcere ſubeſſe dolum promiſſioni; vel ipſa agnoſcendo inæqualitatem reuera intellexit, vel ſuſpicata eſt, fictè ſibi promitti matrimonium, in eo caſu non tenetur fictus promiſſor ad implendam promiſſionem. Ita D. Thom. in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 2. ad quartum, in quo omnes Doctores conueniunt. Et ratio eſt, quia in hoc caſu virgo non conſenſit in copulam ex vi contractus initi, quem ſatis intellexit nullum eſſe; nec ſpe futuri matrimonij, quia ſatis agnouit ſibi fictè promitti, ſed ſimulauit hac ſpe in copulam conſentire; re vera autem ex mera ſua voluntate conſenſit; atque ita non fuit decepta, quamuis decipi ſe finxerit, vt verbis vtar D. Thomæ: ergo ad nihil ampliùs tenetur fictus promiſſor. 34.

Sectio V.

An ſponſalia addant fornicationi ſponſæ, aut ſponſi cum alia perſona nouam malitiam.

35. PLures Doctores, quos refert Diana tom. 1. tract. 7. reſol. 5. ſequuntur partem affirmantem, prædictam fornicationem addere nouam malitiam iuſtitiæ ſpecie diſtinctam, & neceſſariò in confeſſione explicandam. Sanct. lib. 1. diſp. 2. dub. 1. exiſtimat, hoc tantùm eſſe verum in fornicatione ſponſæ, quæ & qui cum illa mœchatur, grauem iniuriam inferunt ſponſo; non verò in fornicatione ſponſi, per quam leuis iniuria ſponſæ irrogatur. Coninch diſp. 22. dub. 1. Hurt. diſp. 2. diffic. 2. eodem modo, & conſequẽtiùs de vtriſque philoſophatur; quia ſi iniuſtitia eſt, neceſſe eſt vt ex vtraque parte ſit, & cùm ſit in re graui, ex vtraque parte erit culpa lethalis; ac proinde in confeſſione aperienda. Quod verò apud homines non reputetur adeò grauis iniuria ſi ſponſus fornicetur, parum refert: quia etiam poſt contractum matrimonium apud homines non tam grauis cenſetur fornicatio mariti.

36. Sit tamen concluſio negatiua. Sponſalia non addere nouam malitiam ſupra fornicationem, ac proinde hanc circunſtantiam non mutare ſpeciem, nec eſſe neceſſariò in confeſſione explicandam. ita Pontius lib. 12. c. 6. & Meratius ſect. 8. & probatur. Nam in primis huiuſmodi peccatum non eſt adulterij, quod conſtat ex definitione adulterij, quam

adducit

adducit D.Thom. ex Gelasio Papa 2.2. quæst.154. art.8. *Adulterium est alieni tori violatio*; sponsis autem de futuro nullus est totus, quia hic ante matrimonium de præsenti non conceditur sponsis; ergo accedens ad sponsam de futuro non violat alienum torum, ac proinde nec adulterium committit. Deinde nec committitur alia iniustitia, quia substantia contractus sponsalitij in eo stat, vt sponsus, & sponsa futuro tempore matrimonium contrahendum mutuo promittant, & ad id se obligent; contra hanc autem obligationem nihil faciunt, dum cum alia persona fornicantur, quia semper manet obligatio, & voluntas implendi promissum.

37. Obiicies, quia sponsi per sponsalia sibi mutuo reddunt ius iustitiæ ad corpora: ergo violatio corporis promissi sponsi, aut sponsæ est iniusta, videlicet contra ius, quod quilibet sponsus habet in corpus alterius. Respondetur negando consequentiam, quia illud ius non est aliud, quàm ius in vno habendi alium aliquando in coniugem, & acquirendi dominium corporis eius: quod ius nec tollitur, nec violatur per fornicationem, quia plenè ei satisfiet dum alteri se tradet in coniugem.

Sectio VI.

Qui possunt sponsalia contrahere.

38. COnueniunt Doctores, ab illis solis posse validè sponsalia contrahi, qui aliquando possunt validè & licitè matrimonium contrahere, quia cùm res aliqua est impossibilis, vel illicita alicui, non potest validè promittere se eam facturum; nemo enim potest obligari ad faciendum id, quod nunquam facere potest, aut nonnisi illicitè. Conueniunt similiter, quòd quamuis iure naturali nulla ætas excludatur, dummodo adsit sufficiens vsus rationis; iure tamen positiuo septennium completum requiritur in vtroque sponso; quia vsus rationis & libertas regulariter septennio incipit. Ita habetur in cap. *litteras* 4. & in cap. *Accessit* 5. & in cap. *Ad dissoluendum* 13. & in cap. *vnico*, de desponsat. impub. Quòd si septennio nondum illuxit vsus rationis, sponsalia nulla sunt, quia debent esse cum deliberatione.

39. Est tamen triplex difficultas. *Prima*, an ad valorem sponsalium requiratur septennium Mathematicè completum. *Secunda*, an malitia suppleat ætatem, hoc est, an quando ante septennium vsus rationis est perfectus, sponsalia sint valida ante illud. *Tertia*, an peccent, qui ante septennium contrahunt sponsalia.

40. Prima conclusio. Ad valorem sponsalium requiritur septennium mathematicè completum. ita Sanctius lib.1.disp.16. Pontius lib.12.cap.5. & probatur, quia professio ante 16. annum transactum, est ipso iure irrita, ex Trident. sess.25.cap.15. & testamentum ante annos pubertatis expletos ipso iure est inualidum, l. *Qui state*. ff. qui testamentum condere possint. ergo similiter sponsalia ante septennium completum celebrata, cùm eadem sit vtrobique iuris dispositio. Vnde regula illa, Quod parum distat, nihil distare videtur, non habet locum vbi terminus est à iure præscriptus, vt in anno Religionis probationis, & in ætate ad Ordines. Cùm enim ius præfiniat tempus, & exigat illud esse completum, nisi malitia suppleat, hìc non habet locum illa regula. Videtur tamen sufficere, quòd vltimus dies septennij fuerit inceptus, licèt nondum totus effluxerit; quia in rebus fauorabilibus id sufficit, qualia sunt testamentum, matrimonij, & sponsalium contractus. Et ita in fauorem testamenti statutum est lege *qua state*. ff. de testamentis.

41. Secunda conclusio. Non ita iure septennium definitur, vt si antea malitia suppleat, non valeant sponsalia. Itaque valida sunt sponsalia ante septennium contracta, si plenus rationis vsus, hanc ætatem anteuertit. Et probatur, quia sponsalia sunt quædam matrimonij inchoatio, seu dispositio ad illud: sed in matrimonio malitia, seu prudentia supplet ætatem iure positiuo requisitam 14. annorum: ergo similiter in sponsalibus. Patet consequentia, quia si præfinitum tempus matrimonij non ita determinatus est, quin malitia supplere possit defectum ætatis, nulla ratio efficax adduci potest, cur non idem dicamus de sponsalibus ita eis fuisse præfixum tempus à iure, vt malitia defectum temporis supplere non possit? Pro quo facit textus in cap. *Iuuenis*, de sponsalibus, in quo dicitur, *ex sponsalibus viri cum puella minori septennio oriri impedimentum publicæ honestatis*. quod non esset, si sponsalia valida non fuissent; nec possent valida esse, nisi Pontifex iudicaret malitiam ætatem suppleuisse.

42. Obiicies primò, quia dum à lege præscriptum est certum, & determinatum tempus, illud non potest præueniri, vt constat in Professione. Respondetur id verum esse dum lex nihil excipit: secus si addit exceptionem, vt in matrimonio, & sponsalibus contingit, vbi addit exceptionem malitiæ supplentis ætatem.

43. Obiicies secundò. Quia hinc sequitur frustrà esse dispositionem iuris præscribentis septennium. Sequelam probat Hurt. diff. 14. quia ex vna parte, quando vsus rationis est perfectus ante septennium, validè fiunt sponsalia, & ex altera, quando non est talis vsus rationis, etiam post septennium non fiunt validè: ergo ad nihil deseruit dicta dispositio; quia si malitia supplet ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt validè, siue ea dispositio extet, siue non extet.

44. Respondetur negando sequelam; & reddo rationem ob quam ius septennium præscripsit, vt in dubiis quando non constat an sponsi vsum rationis habuerint, valida fuisse sponsalia, vel inualida censeamus, si ante, vel post septennium celebrata fuerint; quia in illa ætate vsus rationis aduenire præsumitur, & non antea.

45. Tertia conclusio, qui ante septennium contrahunt sponsalia, non peccant adhuc venialiter. Ita Doctores relati, & probant, quia si malitia supplet ætatem, valent sponsalia: si non supplet, nihil agunt, sed more Psittacorum verba proferunt; neque iniuria irrogatur alicui sacramento: ergo non est vnde hoc peccatum assignari possit.

46. Nec obstat cap.2. de desponsat. impub. *Districtius inhibemus ne aliqui, quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus præscriptam, non peruenerit, coniungantur, nisi forte aliqua vrgentissima causa interueniente*. Hoc, inquam, non obstat, quia prædicta verba intelligenda sunt de matrimonio, non de sponsalibus, vt liquidò constat ex ly *ne coniungantur*, quia sponsalia non sunt coniunctio, sed coniunctionis promissio.

47. Quibus adde, nec esse peccatum lethale matrimonium ante legitimam ætatem inire. Quia matrimonium de præsenti inter impuberes multis Canonibus permissum est, quasi sint verba de futuro, & habeant vim sponsalium. Vnde optimè Panormitanus explicat illum textum, vt tantùm prohibeat,

Digitized by Google

hibeat, ne impuberes contrahant matrimonium, simulque copulæ carnali dent operam. lege Sanct. disp. 17.

Sectio VII.

An iniustè à sponsalibus resiliens, cogendus sit ea implere.

48. CErtum est in foro conscientiæ, compellendos esse à Confessario, si datam fidem seruare noluerint; quia cùm sponsalia obligent ex iustitia, nisi rationabilis causa excuset à contrahendo, tamdiu quis perseverat in peccato mortali, quandiu sine iusta causa differt, vel renuit promissum implere; ac proinde absoluendus non est à Confessario, nec ad Eucharistiam admittendus.

49. Conueniunt etiam Doctores, quòd si certus dies præfixus sit matrimonio contrahendo, terminus præfixus omnino seruandus est, nisi inter eos aliter conueniat; si verò sponsalia fiant absque termino præfixo, quia nullus dies certus præscribitur, implenda sunt quando alteruter ex sponsis petat, & hoc generale est omnibus contractibus, ex regula 14. de regulis iuris. *In omnibus obligationibus vbi dies non ponitur, præsenti die debetur.* Nisi altera pars sponte (non timore, reuerentia, aut obliuione) videatur dilationem concedere, quod præsumitur quoties cùm facile posset, non vrget.

50. Prima conclusio. Per se loquendo iniustè à sponsalibus resiliens petente parte debet primò admoneri, & si nolit parere, per censuras, & alia iuris remedia cogendus est vt ea impleat. Ita Recentiores communiter contra nonnullos, quos latè refert Sanctius lib. 1. disp. 29. variè in hac re opinantibus. Et probatur ex c. 10. de sponsal. Vbi Pontifex præcipit quemdam à sponsalibus resilire conantem, monendum esse ne resiliat. *Quòd si non acquieuerit monitis Ecclesiasticis, censuris compellendum, vt ipsam in vxorem recipiat.* Et quamuis ibi sermo sit de promissione iuramento confirmata, idem dicendum esse quando sponsalia sola fide firmata sunt, recta ratio conuincit. Quia contrahentes sponsalia ex iustitia tenentur seruare fidem: ergo possunt compelli à iudice; quia Iudex ex officio tenetur compellere ad reddendum vnicuique quod suum est. Quod potiori iure dicendum est, quando puella sub spe futuri matrimonij defloratà fuit, vel aliud graue damnum incurrit, in quo casu maior coactio debet adhiberi, quia in resistiente est maior obligatio.

51. Notanter dixi, *per se loquendo.* nam per accidens fieri potest, vt compelli non debeant, etiamsi sponsalia iurata sint, quando ex coactione grauius malum timetur: vt quòd coactus fictè contrahat, perpetuas rixas cum coniuge habeat, & tandem eam deserat. Sic intelligendus est textus in cap. *Requisiuit*, de sponsal. vbi asseritur; *Cùm matrimonia libera esse debeant, monenda esse potius, quàm cogenda, cùm coactiones difficiles soleant exitus habere.* Denique confirmatur ex eodem cap. 10. in principio allegato, de sponsal. *Compellas vt ipsam, nisi rationabilis causa obstiterit, vxorem ducat.* Nam existente huiusmodi rationabili causa, quæ ad prædicta mala extendi potest, compellendus non erit.

52. Quapropter obseruant communiter Doctores, & meritò, Iudices vt compellant sponsos matrimonium contrahere, quando præcisè tantùm agitur de fide promissa, etiam iuramento firmata, nec ex violatione sequitur aliud damnum, non debere vti nimia pœnarum acerbitate. Imò si sponsum obstinatum viderint, nec monitis primùm, nec postea excommunicationi parentem, sed matrimonium pertinaciter recusantem, debere absoluere, nec vlteriùs progredi, ne grauiora mala sequantur ex matrimonio tam vehementi coactione contracto, eo vel maximè, quia talis coactio in graue damnum petentis cedit.

53. Obiicies, quia dicta compulsio videtur contraria naturæ matrimonij, quod debet esse liberum; metus enim excommunicationis videtur cadere in constantem virum. Respondetur, metum iustum excommunicationis non cadere in constantem virum, solus enim metus iustus irritat matrimonium.

Sectio VIII.

An in sponsalibus possint tradi arrhæ amittendæ ab iniustè resilienti.

54. ARrha in præsenti est id quod à sponso sponsæ datur in argumentum sponsalium contractorum, & est veluti pignus, quod vulgo appellatur *Señal* quod inter sponsos datur matrimonij contrahendi.

Prima conclusio. In sponsalibus possunt tradi arrhæ amittendæ ab iniustè resilienti. Ita communiter Doctores. Et ratio est, quia id nullo iure Canonico prohibitum est, & expressè approbatur in iure ciuili, l. *Arrhis.* & l. *final.* C. de sponsal. l. 1. Castellæ tit. 11. p. 4. A quo recedendum non est, nisi in contrarium ius Canonicum adferatur.

55. Secunda conclusio. Arrhæ validè possunt constitui in quacumque quantitate, & non solùm in re mobili, sed etiam in fundo. Ita communiter Recentiores. Et ratio est eadem. Quia nullo iure restringuntur, vel limitantur, neque illarum traditio in re immobili aliqua lege reprobatur. In l. tamen Castellæ arrhæ non possunt excedere decimam partem bonorum dantis illas. l. 1. tit. 2. lib. 3. fori. l. 2. tit. 2. lib. 5. recopil.

56. Tertia conclusio. Arrhæ validè possunt ab vtroque contrahente tradi, in quo casu traditio mutua superflua non est, quamuis videatur æquiualens recipi, eius quod in arrham datur. Quia iniustè resiliens, non solùm amittit arrhas à se traditas, verùm etiam tenetur sibi traditas restituere.

57. Quarta conclusio. Quando matrimonium promissum contrahitur, arrhæ redeunt ad eum, qui eas tradidit. Cuius ratio est, quia sunt pignora, ac proinde contracto matrimonio absque iusta causa retinentur à recipiente l. *Ex empto* 11. Nisi in contrarium vigeat consuetudo. Quando verò matrimonium sequutum non est, si per dantem steterit, arrha amittitur: si verò per recipientem, duplum, vel etiam quadruplum tenetur restituere, si id est in vsu, vel ita conuenerunt. Si autem iustam causam resiliendi habuit alteruter, hæc pœna cessat. l. *Quis.* & l. *final.* Excipe in minori vigintiquinque annorum, vt tantùm teneatur addere arrhas acceptas; non verò duplum, vel quadruplum.

58. Est tamen difficultas, an accipiens arrhas, & iniustè resiliens, teneatur soluere illam pœnam dupli, aut quadrupli ante iudicis sententiam. Probabile est non teneri; quia est pœna, & leges pœnales secundùm probabiliorem sententiam non obligant ante sententiam iudicis. Pontius verò lib. 12. cap. 19. & Hurt. diff. 20. partem negatiuam meritò tradunt, quia hæc pœna est conuentionalis

uentionalis non minus, quàm amissio arrharum; sed accipiens arrhas, & iniustè resiliens, tenetur ante sententiam iudicis eas restituere ex conuentione, & contractu; ergo ob eamdem rationem tenetur soluere pœnam dupli, aut quadrupli. Non tamen teneri ante petitionem partis, existimant Pontius, & Coninch disp. 22. dub. 4. Verius est teneri etiam ante petitionem partis, quia prædicta pœna debetur ex conuentione & contractu, nisi pars non petendo censeatur remittere.

Sectio IX.

An in sponsalibus possit apponi pœna iniustè fidem frangenti.

59. COmmunis Doctorum sententia negat, etiamsi prædicta pœna iuramento firmata sit, vel non sit soluenda à sponsis, sed vel ab eorum amicis, vel consanguineis, probant ex l. *Titia*, & ex l. *Mulier* 5. & præcipuè ex iure Canonico cap. *Gemma*, de sponsal. vbi expressè asseritur, promissionem illam pœnæ esse omnino irritam, & inualidam; vtpote libertati ad matrimonium requisitæ omnino contrariam, ne timore pœnæ soluendæ, matrimonium coactè celebretur: ac proinde fidei violatorem in vtroque foro non teneri eam soluere, & consequenter iuramentum de soluenda illa pœna irritum & inualidum esse, & nulla ratione obligare. Quia promissio illa est mala & peccaminola, vtpote contra expressam iuris prohibitionem, qua bono communi consulitur, videlicet matrimonij libertati, ex qua tranquillitas Reipublicæ maximè pendet: ergo iuramentum illud non obligat. Quia iuramentum sequitur naturam actus; aliàs esset vinculum iniquitatis, quandoquidem tribueret vim obligandi promissioni iniquæ.

60. Quòd si obiicias, qui iurauit soluere pretium meretrici pro illicito vsu sui corporis, tenetur iuramentum seruare, & qui iurat soluere pecuniam ludo perdendam, similiter tenetur eam soluere, non obstante quòd ludus pecunia credita iure Regni prohibitus sit, & promissio soluendi irrita. l. 8. & 9. & denique qui iurauit promissionem reddendi vsuras pro pecunia debita, tenetur iuramentum seruare; quamuis talis solutio non solùm sit contra iuramentum, sed etiam contra ius naturæ: ergo idem dicendum est in sponsalibus de pœna apposita, & iuramento confirmata, si quis iniustè fidem frangat.

61. Respondet Sanctius disp. 32. disparem esse rationem in exemplis adductis. Nam promissio illa soluendi pecunias meretrici est bona, & actus iustitiæ; quia est promissio soluendi mercedem pro vsu sui corporis venali: quòd si habet aliquam malitiam adiunctam ratione inductionis ad malum, est omnino extrinseca, & qua nulla ratione vestitur solutio: at promissio soluendi pœnam in sponsalibus est omnino prohibita, & illicita contra matrimonij libertatem. Similiter ludus pecunia credita tantùm est interdictus ob priuatam vtilitatem, quia bono communi parum refert, siue ciuis amittens, siue lucrans eam pecuniam retineat: cumque vnusquisque possit licitè iuri suo priuato renuntiare, potest illam soluere absque culpa; ac proinde iuramentum de solutione non est de re illicita, & bene potest promissio illa iuramento firmari. Pœna autem apposita in sponsalibus, & promissio solutionis illius interdicta sunt propter bonum communе ob libertatem matrimonij, cui priuatus renuntiare non potest, nec promissionem iuramento confirmare. Denique promissio soluendi vsuras licita est, & actus virtutis charitatis erga se ipsum ad redimendam vexationem; ac proinde iuramentum firmat promissionem.

62. Sit conclusio probabilius censeo licitè posse apponi pœnam fidem frangenti iniustè, ac proinde obligare iuramentum de solutione illius pœnæ. ita Pontius lib. 12. cap. 19. quem sequitur Diana de Sacram. resol. 111. quia non est contra libertatem matrimonij, quòd impediatur quis iniustè resilire à contractu implendo; sicut non est contra eius libertatem, quando quis iustè per censuras cogitur contrahere, quia is metus iustè incutitur. Confirmatur ex his, quæ sectione præcedenti docuimus, de amittendis arrhis cum solutione dupli, aut quadrupli si conuentum fuerit: nec potest conueniens discrimen assignari, cur prædicta solutio, quæ sæpe quantitatem excedit pœnæ adiectæ, non sit contra libertatem matrimonij, nec prohibeatur in iure; hæc verò improbetur; præsertim cùm illa solutio dupli, aut quadrupli sit quædam pœna conuentionalis. Præterea, quia, nullum esse peccatum apponere pœnam iniustè resilienti, docuerunt graues Doctores, Vazquez Opusc. de Testamentis cap. 3. dub. 2. Suarez tom. 2. de Relig. lib. 2. cap. 23. & alij plures: ergo iuramentum additum promissioni firmauit promissionem. Denique, quia textus in dicto cap. *Gemma*, in quo præcipuè fundatur aduersariorum sententia, aperte loquitur de sponsalibus inualidis celebratis ante septennium; atque ita immeritò fuit addita pœna ad tollendam libertatem. Itaque intelligendus est in casu, in quo iustè non seruantur sponsalia, & ex causa legitima, quæ pœna meritò improbanda est.

Sectio X.

An qui prius votum castitatis, vel Religionis emisit, & puellam defloruit, cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potiùs ad votum.

63. DIfficultas procedit quando puella insciа erat voti. nam si conscia fuit, nulla erit obligatio ducendi eam, immo nec resarciendi damnum illatum; quia mala fide permisit damnum illud sibi inferri. Et quidem plures Doctores censent, votum castitatis, aut Religionis impedire obligationem ducendi sic defloratam, ac proinde defloratem teneri voto. ita Layman lib. 1. tract. 5. parte 1. cap. 1. Hurt. diff. 21. Diana resol. 180. quamuis existimet vtrumque esse probabile.

64. Sit conclusio, qui priùs votum castitatis, vel Religionis emisit, & postea virginem, vel fœminam honestæ famæ defloruit promissione matrimonij, non obstante voto tenetur eam ducere, ita Sanctius disputat. 45. Lessius lib. 2. cap. 10. dub. 4. Vazquez de Restitutione cap. 2. §. 2. dub. 6. Pontius lib. 6. cap. 12. Probatur, quia votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia: si enim quis vouisset eleemosynam, & postea damnum intellexisset proximo illatum, nec posset vtrumque soluere, teneretur damnum reparare omissa voti impletione, quia votum non obligat stante obligatione ex iustitia: sed in hoc casu mediat damnum notabile virginis defloratæ ex iustitia soluendum: ergo impeditur obligatio voti.

Maior probatur, quia qui damnum infert, est rei alienæ vsurpator; qui verò promisit, non est vsurpator rei alienæ: sed nullus potest esse vsurpator rei alienæ, vel inferre damnum ad soluendam promissionem: ergo nec ad soluendum votum.

65. Confirmatur, quia omnis promissio & votum semper intelligitur de propriis; qui autem post damnum illatum vult soluere promissum, quod fecit, ex alienis virtualiter soluit. Præterea, qui in omnium opinione, qui vouit castitatem, & postea duxit vxorem, tenetur reddere debitum, quamuis non possit petere, ne contra iustitiam iniuriam faciat vxori. Vbi iam vides obligationem voti cedere obligationi iustitiæ. Denique, quia votum non obligat adueniente notabili rerum mutatione; at in hoc casu adest notabilis mutatio, eo quòd superuenit vinculum iustitiæ, & grauissimum proximi damnum ex iustitia soluendum.

66. Obicies, quia per votum Deus prius acquisiuit ius, quod non potest vouens propria auctoritate tollere, maiorem cum altero obligationem contrahendo, aut suscipiendo statum voto contrarium. Respondetur, hoc verum esse, sed intelligendum quando res non sunt notabiliter mutatæ; hac autem mutatione subsequuta, quamuis non dissoluatur prior voti obligatio, adest iusta causa eam differendi. Vnde mortua vxore tenebitur abstinere à nuptiis, & si votum Religionis emisit, tenetur illam ingredi.

67. Vnde minus approbo, quod probabile censuit Pontius vbi suprà, quòd si deflorator emisit prius votum Religionis, debet contrahere, & ante consummationem teneri ad Religionem transire; si quidem commode potest vtrique obligationi satisfacere, iustitiæ contrahendo, sic enim resarcitur damnum illatum; voto autem transeundo ad Religionem. Hoc, inquam, non placet, quia non fit satis damno, si illam ducat, & cum ea non perseueret. nam hoc modo tam damnificata manet, ac si matrimonium non contraxisset: ergo vt damnum resarciat, debet non solùm contrahere, sed etiam consummare: alias parum referret illam non ducere, & statum ad Religionem transire.

Sectio XI.

De dissolutione sponsalium.

68. PLures causas assignant Doctores, ex quibus sponsalia dissolui dicuntur, quas Hostiensis his versibus complectitur:

'Dissensu, crimen fuga, tempus, & ordo; secundò
Morbus, & affinis, vox publica cunque reclamant.

Quæ omnia claritatis gratia sigillatim expendenda sunt.

§. I.

Sponsalia puberum solo mutuo eorum consensu dissolui possunt.

69. IMpuberes dicuntur pueri, qui non attigerunt 14. ætatis annum, & puellæ non attingentes 12. & consequenter puberes vocantur qui 14. annum iam attigerunt, & puellæ quæ 12. annum. Igitur sponsalia puberum solo mutuo eorum consensu validè, & licitè dissolui; vel si vnus resiliat, & alter accepter. Probatur, quia hic contractus non est natura sua indissolubilis, vt habetur in cap. 2. de sponsalibus: ergo sicut potest confici mutuo contrahentium consensu, sic etiam dissolui. Consequentia probatur ex cap. 1. de regul. iuris, *Res omnis per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur*, subintellige si dissolubilis est, neque id aliquo iure naturali, aut positiuo prohibitum est. Nec obstat, prædictum caput de sponsalibus, vbi dicitur, *eos qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse vt castitatem fidem seruent; si autem se ad inuicem admittere noluerint, ne fortè inde deterius contingat esse in patientia tolerandum.* Respondetur, meritò id dici, quia quando sponsalia absque rationabili causa dissoluuntur, non fit absque aliqua nota leuitatis, & occasione obloquiorum, quod quamuis peccatum non sit, expedit tamen euitari.

Idem dicendum est quamuis sponsalia fuerint 70.
iuramento confirmata, quia cùm materia iuramenti in quam cadit, sit promissio facta homini, altero remittente promissionem, cessat obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur, cap. *Debitores*, de iureiurando. Quod etiam intelligendum est etiamsi iuramentum absolutè sit Deo factum intuitu pietatis, videlicet ducendi aliquam fœminam pauperem; tum, quia etiam in hoc casu cùm fiat incommodum partis, fit tacitè sub ea conditione, si illa persona in cuius commodum fit, non respuat; tum etiam, quia, vt rectè Molina tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 149. & Pontius lib. 2. cap. 9. iuramentum absolute Deo factum, & non certæ personæ, habet rationem, & obligationem voti; votum autem debet esse de meliori bono, & melius bonum est cælibatus, quàm matrimonium.

§. II.

Sponsalia impuberum solo eorum mutuo consensu non possunt dissolui.

ITa statutum est in cap. *De illis* 7. de desponsi. im- 71.
pub. vt si intra annos pubertatis contraxerint, non liceat eis, neque eorum alicui ante pubertatem reclamare, sed expectandum esse tempus pubertatis, quo tempore adueniente si vel vnus eorum reclamauerit, sponsalia dissoluuntur. Præterea statuitur, vt si aliquis priùs peruenit ad annos pubertatis, & reclamauerit, etiam sponsalia dissolui, & non esse opus expectare, vt alter ad annos pubertatis perueniat. Denique decernitur si pubes cum impubere contraxerit, resilire non posse, sed teneri expectare an impubes cùm pubertatem attigerit, velit reclamare; si enim reclamet, sponsalia dissoluuntur, aliàs minimè. Cuius dispositionis ratio hæc fuit, vt occurratur immaturitati impuberum, qui ob eam sæpiùs contraherent, & dissoluerent. Itaque ante pubertatem ex mutuo dissensu resilire non possunt, bene tamen cùm primum pubertatem attingunt: quod similiter statutum est, vt si fortè minus prudenter se obligauerint, cùm ad maiorem ætatem deuenerint, possint obligationem excutere. Debent autem statim reclamare, aliàs censentur contractum approbare. Statim autem dicitur in iure fieri, quod intra triduum fit. l. final. C. de errore Aduocatorum, & l. final. C. de iudiciis.

Quæ omnia intelligenda sunt, nisi impuberes 71.
contrahentes sponsalia, ea iuramento obstrinxerint: in quo casu non possunt postea parte inuita reclamare, ita Sanct. disput. 51. num. 12. & probat ex cap. *ex literis* 2. de sponsal. vbi expressè habetur: *Impuberes iurantes sponsalia* (subintellige si sunt doli capaces) *cogendos esse ea perficere.*

Nec

Digitized by Google

73. Nec obstat, quia iuramentum sequitur naturam obligationis, cui adiungitur; sed sponsalia impuberum iure communi dissoluuntur altero eorum reclamante, cùm pubertatem attingit; ergo idem dicendum est, quamuis iuramentum accedat. Respondetur negando minorem, quando ius aliter disponit: at, vt rectè Sanct. num. 16. idem ius disponens, cap. *De illis*, ineſſe tacitam conditionem ſponſalibus impuberum, niſi poſt pubertatem reſiliant, ſtatuit cap. *Ex litteris*, id deficere quando iuramento firmata ſunt.

74. Non tamen approbo id quod docuit idem Sanctius num. 25. poſſe Epiſcopum diſpenſare, in eo iuramento, vt licitè reclamet, quando iurans non habuit ſufficiens iudicium, vt poſſet intelligere vim obligationis quam ſubit; quod non præſumitur habere ante ætatem proximam pubertati, videlicet quando maſculus non excedit decimum, & dimidium annum, & fœmina nonum, & dimidium. Hoc, inquam, ſatis firmum non eſt, quia ſi iurans fuit doli capax ſufficienter, vt poſſit peccare mortaliter, validum efficit iuramentum, per quod fuit parti ius acquiſitum; ergo in damnum, & præiudicium partis, non poteſt Epiſcopus in eo iuramento diſpenſare.

§. III.

Sponſalia diſſoluuntur per ingreſſum Religionis.

75. HOc intelligendum eſt ex parte manentis in ſæculo, & non ex parte indigentis. Ita Pontius cap. 10. Coninch. diſp. 23. dub. 3. num. 22. Hurtad. diff. 6. Et prior pars probatur, quia quando fit notabilis mutatio, ceſſat obligatio ſponſalium in omnium ſententia. nam contractus ſponſalitius tacitè habet hanc conditionem, niſi fiat notabilis mutatio. Vel res pro qua facta eſt promiſſio, non fiat notabiliter deterior, aut eius impletio notabiliter durior; quæ omnia in hoc caſu concurrunt. nam ingreſſu religionis, permanens in ſæculo cogitur expectare, an alter profiteatur, quod eſt onus graue: & Religionem ingrediens moraliter fit minus aptus ad nuptias poſt diſceſſum à Religione, quia non paruam notã leuitatis, & inconſtãtiæ incurrit.

76. Secunda pars etiam probatur, quia non fit liber iure aliquo poſitiuo, quia nullum extat; neque ipſo ingreſſu, quia hic incompoſſibilis non eſt cum matrimonio. nam ingrediens poteſt poſtea egredi; ergo ſi egrediatur, & alter velit, tenetur ſtare promiſſis. Et hoc intelligendum eſt, ſiue ingrediatur dolosè, ſiue ex animo profitendi, quia ratio æquè probat in vtroque caſu; ac proinde non liberatur.

77. Obiicit Sanctius, quia ſicut per profeſſionem per quam cõſummatè aliquis Religioſus efficitur, diſſoluitur omnino matrimonium ratum. Ita per nouitiatum, qui initium quoddam eſt profeſſionis, per quam Nouitius initiatiuè fit Religioſus, dirimuntur ſponſalia, quæ initium ſunt matrimonij. Reſpondetur, nullam eſſe conſequentiam, quia illud primum ſtatutum eſt in iure, hoc verò ſecundùm minimè, nec eſt rationi conſonum, vt qui retro cedit, gaudeat fauore religionis, ſed vt in ſæculum redeat cum antiquis obligationibus.

78. Obiicit ſecundò, quia votum Religionis dirimitur per ingreſſum bona fide animo permanendi, itaut ſi vouens egrediatur, experiens eum ſtatum non ſibi conuenire, liber maneat; ergo talis ingreſſus ſufficit ad dirimendum ſponſalia. Reſpondetur ſimiliter negando conſequentiam. Eſt enim diſpar ratio, quia illo ingreſſu in Religionem, & experientia illius impletur votum, & ipſo ingreſſu dicitur eius obligatio ceſſare; ingreſſus autem in Religionem non eſt impletio ſponſalium, neque mutatio in melius, donec perſeuerer, & profiteatur.

Ex quibus infero, etiamſi ſponſalia ſint iurata, poſſe quemlibet ex ſponſis ingredi religionem antequam contrahat matrimonium, niſi aliud obſtet; quia cùm iuramentum ſit in confirmationem ſponſalium, ceſſante obligatione ſponſalium, ceſſat etiam obligatio iuramenti. 79.

§. IV.

Sponſalia diſſoluuntur per votum ſimplex caſtitatis ſubſequens, vel ſuſcipiendi Ordinem ſacrum.

ITa Vazquez de reſtitut. cap. 3. dub. 6. Pontius cap. 11. Suarez lib. 1. de voto cap. 4. contra Sanct. diſp. 46. & plures alios, quos ipſe refert. Et probatur, quia ſponſalibus ex ipſa natura rei, ſubintelligitur ſemper exceptio perfectioris ſtatus; nemo enim promiſſione ſponſalia cenſetur ſtatui perfectiori renunciare: ſed ſtatus, qui eligitur, videlicet cælibatus, vel ſuſceptio ſacrorum Ordinum, eſt perfectior; ergo. Confirmatur, quia hoc votum validum eſt. nam in cap. *Veniens*, mulieri, quæ poſt ſponſalia votum caſtitatis emiſerat, concedit Pontifex vt Epiſcopus cum ea diſpenſet, quod ſuperfluum eſſet, niſi votum validum fuiſſet. Neque hoc negat Sanctius, quia docet vouentem manere obligatum ad non petendum, & peccare contrahendo matrimonium; ſentit ergo votum illud obligare, ac proinde non poteſt non diſſoluere ſponſalia, quia vtraque obligatio voti, & ſponſalium incompoſſibilis eſt. 80.

Obiicit Sanctius ex prædicto cap. *Veniens*, vbi illi fœminæ, quæ promiſerat matrimonium, imponitur pœnitentia de fide mentita ſponſo, & tamen poſtea emiſit votum caſtitatis; ergo votum caſtitatis ſubſequens non dirimit ſponſalia. Reſpondetur, ſi attentè legatur illud caput, potiùs confirmare noſtram ſententiam; imponitur autem fœminæ pœnitentia de fide mentita ſponſo, quia tunc non conſtabat de voto, & mulier ad illicitos concubitus inhiabat, præcipit autem Pontifex diſpenſationem ei dari, quia poſtea publicum factum eſt votum, quam diſpenſationem Pontifex non concederet, niſi votum obligaret, vt prædictum eſt. 81.

Obiicit ſecundò, quia Deus non acceptat promiſſionem rei priùs alteri promiſſæ, & in eius præiudicium, vt ſi promiſi equum Petro, & poſtea repromitto Eccleſiæ, præualet prior promiſſio; ſed ſponſus per ſponſalia promiſit ſuum corpus alteri: ergo repromiſſio eiuſdem corporis facta Deo per votum, non eſt illi accepta. Reſpondetur, maiorem eſſe falſam, quando prior promiſſio eſt obſtaculum implendi perfectiorem ſtatum, ob rationem aſſignatam: in aliis verò promiſſionibus quæ perfectiori ſtatui non obſtant, qualis eſt aſſignata in argumento, & ſimiles, eſt vera illa doctrina. 82.

Illud denique obſeruandum, quando vnus ex ſponſis vouet caſtitatem, alterum manere liberum à 83

ſponſalibus, quia ſuo voto cenſetur renunciare obligationi alterius, quia intendit ſe obligare ad id, quod eſt incompoſſibile cum matrimonio ſibi promiſſo.

§. V.

Sponſalia diſſoluuntur per matrimonium ſubſequens factum cum alia perſona.

84. DE hac re nulla eſt inter Doctores diſſenſio, quia ita diffinitum extat in cap. 1. de ſponſa duorum, & in cap. *Si inter* 31. de ſponſal. Quod verum eſt ex parte vtriuſque quandiu durat matrimonium. Difficultas tamen eſt, an qui cum ſecunda contraxit, diſſoluto matrimonio, ſiue morte, ſiue profeſſione ſecundæ, teneatur contrahere cum prima, ſeu relicta ipſa volente. nam ex parte iſtius nemo dubitat, quòd ſoluta maneat ſi velit; at ſi expectat, difficultas eſt, an teneatur implere.

85. Et ſententia affirmans mihi videtur probabilior, quam defendit Pontius cap. 13. contra Sanct. diſp. 48. videlicet ſponſum qui cum alia contraxit matrimonium, non liberari omnino à priori obligatione, ſed hac mortua teneri ducere priorem ſi ipſa velit. Cuius ratio eſt, quia obligatio validè contracta, per impedimentum fortius ſuperueniens non extinguitur, ſed ſuſpenditur: vt cùm quis votum religionis emiſit, & poſtea contraxit matrimonium, & conſummauit, mortua vxore teneatur religionem ingredi; ergo idem, & propter eandem rationem dicendum eſt in præſenti.

86. Nec obſtat id quod obiicit Sanctius, quia is qui vouit profiteri in ſtrictiori religione, liberatur omnino ab eo voto per profeſſionem in religione laxiori. Nam reſpondetur, eſſe longè diſparem rationem, quia votum illud ſimplex commutatur in ſolemne, aut iure Pontificio, aut ab ipſo profitente; quia certè maius bonum eſt profeſſio, quamuis in religione laxiori, quàm velle profiteri in ſtrictiori.

§. VI.

Per ſecunda ſponſalia non diſſoluuntur prima.

87. RAtio huius eſt, quia poſterior promiſſio, vtpote rei illicitæ, videlicet iam alteri promiſſæ, irrita eſt, & nulla, ſaltem relata ad tempus iuris prioris promiſſarij. Quod etiam intellige, etiam ſi poſteriora ſponſalia iuramento firmentur, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis; atque ita non firmat promiſſionem illam.

88. Sed eſt difficultas, an priora ſponſalia diſſoluantur per poſteriora, copula ſubſequuta cum poſteriori ſponſa carnaliter cognita ſub ſpe matrimonij, & ignara priorum ſponſalium. nam ſi conſcia fuit, tunc non poteſt dici decepta. In qua re mihi dicendum videtur cum Coninch. diſp. 23. dub. 4. & Pontio cap. 14. in eo caſu ex parte vtriuſque diſſolui ſponſalia, & cogendum eſſe ad ducendam ſecundam. Quod probat optimè Rebellus lib. 4. quæſt. 8. ſect. 8. Nam quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum eſt, quàm primo: ſed ſecunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior verò, vt lucrum acquirat; ergo illi potiùs fauendum eſt, quia prior, vel nullum, vel leue patitur nocumentum. Et confirmatur à Pontio exemplo contractus venditionis, in quo ſecunda venditio ſequuta traditione præualet priori. l. *Quoties.* C. de rei vendic. Quòd ſi primis ſponſalibus acceſſit etiam copula, illis ſtandum eſt; cùm enim vtraque ſponſa damnum paſſa ſit, quæ prior fuit tempore, potior debet eſſe in iure.

§. VII.

Per abſentiam ſponſi diſſoluuntur ſponſalia.

89. QVod intelligendum eſt, non de ſimplici diſceſſu animo recreandi, vel alicuius negotij cauſa facto, cum intentione redeundi, ſed de eo, quod ſit mutatione domicilij non obtenta licentia ſponſæ, & abſque ſpe celeris reditus. Ita habetur expreſsè in cap. *De illis* 5. de ſponſal. cuius diſpoſitionis ea eſt ratio, quia ſponſus tam longè diſcedens, videtur iuri ſuo renuntiare; atque ita poteſt fœmina eam renuntiationem acceptare, & matrimonium cum alio contrahere. Tum etiam, quia ſponſa de futuro, virum aliò commigrantem, vel vagabundum ſequi non cogitur, cùm ad hunc euentum non cenſeatur ſe obligare. Ita tamen dicto diſceſſu liberatur ſponſa obligatione ſponſalium, vt ſtatim ac ſponſus diſcedit, libera maneat, & non teneatur expectare biennium, vel triennium, vt deciditur l. 2. C. de repudio. Quia hæc lex correcta fuit iure Canonico d. dicti capitis *De illis*, vbi abſolutè, abſque vlla temporis expectatione dicitur ſponſam liberam manere; ſed quid agendum ſit quando ſponſus non relicta ſponſa, ſed ex cauſa, ſiue neceſſaria, ſiue libera, iuſta tamen, abſens eſt abſque conſenſu ſponſæ, & abſque ſpe celeris reditus, non mutato domicilio, non conuenit inter Doctores. Nonnulli, inter quos eſt Caniſius in dictum caput *De illis*, cenſent, in eo caſu ſeruandam eſſe diſpoſitionem iuris ciuilis allatam, vt ſi ſponſus intra Prouinciam abſit, per biennium expectandus ſit: ſi verò extra Prouinciam, per triennium, niſi vrgens cauſa, qualis eſt infirmitas, vel mors parentum longiori tempore abeſſe cogat.

90. Sanctius verò diſp. 54. docet, quòd ſi ſponſus diſcedit, ſiue intra, ſiue extra Prouinciam abſque ſpe celeris reditus, quamuis animo redeundi, ex tunc ſponſam liberam manere ad contrahendum cum alio. Et ita cenſet diſpoſitum in dicto cap. *De illis*, & correctum in hac parte ius ciuile. l. 2. C. de Repudio.

91. Hoc tamen falſum eſt, quia, vt rectè notat Pontius cap. 15. caſus hic de quo loquimur, non eſt deciſus in iure Canonico, quia cap. *De illis*, allatum loquitur in diuerſa facti ſpecie; agit enim tantùm de diſceſſu ſponſi, relicta ſponſa, & mutato domicilio, vt patebit legenti. Quare vel ſtandum eſt priori ſententiæ, quia cùm res hæc non ſit iure Canonico deciſa, definitio iuris ciuilis tenenda, & obſeruanda eſt; cùm enim lex illa per ſe iuſta ſit, ſeruari debet, quando non reperitur aliud in contrarium iure Canonico conſtitutum. Vel hoc iudici Eccleſiaſtico remitti debet, qui inſpecta qualitate perſonæ, & aliis circunſtantiis, tempus moderari poterit, & interim iubere vt ſponſo ſignificetur, cum proteſtatione, ſi intra id tempus non redeat, ſponſam liberam fore certò ſciat: quia cùm mulieri interdum expediat ob periculum incontinentiæ, vel ob alias cauſas, vt tandiu

ſponſum

sponsum non expectet, hoc iudex arbitrari debet. Ita Layman tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 14.

§. VIII.

Elapso termino sponsalibus præfixo dissoluuntur.

92. INtelligendum est, si terminus ille præfixus sit tanquam terminus finiens obligationem, vltra quem contrahentes nolunt obligari. In hoc ergo casu, is per quem non stetit quominus iniretur matrimonium, obligatione liberatur. Ita Sanct. disp. 13. num. 5. Et ratio est, quia ad id fuit assignatus prædictus terminus, vt eo transacto finiatur obligatio; ergo is per quem non stetit, manet liber, quia tantùm voluit obligari vsque ad prædictum terminum, & non vltrà. Imò contractus cum ea conditione est initus, omnis autem contractus conditionalis deficiente conditione irritus est, & definit obligare. Et ita habetur in cap. *Sicut* 22. de sponsal.

93. Dixi *per quem non stetit*. nam is per quem stetit, non manet liber, nisi transactio termini, aut mora contrahendi sit ei omnino inculpabilis, vt contra Coninch. & nonnullos alios, docent Sanctius disp. 53. num. 7. & Pontius cap. 16. & meritò, quia legitimè impedito tempus non currit. l. 1. C. de Annal. excepr. in fine. Et quia tunc non potest dici per eum stare quominus contractus impleatur; ac proinde conditio debet reputari impleta, ex reg. iuris 41. in 6. Quòd si per vtrumque steterit, vterque manet liber, quia vterque censetur iuri suo renuntiasse, & mutuo consensu sponsalia dissoluisse.

94. Si verò terminus ille præfigatur, non ad finiendam, sed ad differendam tantùm obligationem, itavt ante illud tempus non obliget ad implendam, certum est in eo casu ante illum diem nullum ex sponsis cogi posse ad contrahendum, eo verò die transacto posse.

95. Denique si nullus terminus præfixus erit, nec alia conditio, non tenetur promissor statim implere, sed tantùm requirente eo, cui promissio facta est; tunc verò cùm alter petit, tenetur contrahere; hoc enim generale est in omni debito absque diei præfixione, solùm enim tenetur debitor soluere à creditore requisitus. Ita Sanct. disp. 26. num. 2. quem nouissimè sequitur Villalobos tom. 1. tr. 12. diff. 9. num. 2.

§. IX.

Fornicatio sponsi, vel sponsæ superueniens dat innocenti ius dissoluendi sponsalia.

96. DE fornicatione sponsæ nulli dubium est, & ita exprimitur in cap. *Quemadmodum* 25. de iureiurando, non solùm, quia per fornicationem sponsa fit notabiliter vilior, verùm etiam, quia sponsus ea conditione matrimonium promisisse censetur, si alter contra fidem sponsalium non egerit: aliàs fidem frangenti fides seruanda non est. Quæ ratio æquè probat de sponso, vt communiter docent Doctores, qui fornicando similiter frangit notabiliter fidem. Idem dicendum est, si sponsa vi comprimatur, quia etiam in eo casu fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium, nec sine nota vir potest eam ducere. Et ob eamdem rationem dissolui possunt, si sponsa permittat se turpiter tangi, quia etiam notabiliter per hoc fit vilior, & habetur omnino impudica. Quibus adde, idem dicendum esse quando sponsa corrupta fuit ante sponsalia, si sponsus credit eam omnino virginem, quia etiam est notabiliter vilior: quare sponsus grauiter decipitur, & tantùm per errorem consentit; contractus autem cui error causam dedit, potest à decepto irritari. Vbi notat Sanctius disp. 55. ob eamdem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ existimatæ honestæ ante sponsalia commissam, & postea cognitam ab sponso, posse ipsum resilire, quia reddita est vilis, & impudica. Sponsa autem non potest resilire ob fornicationem præcedentem sponsi, quamuis ignoratam, & postea cognitam, quia sponsus ob illam non est notabiliter vilior in Ordine ad matrimonium.

Nec obstat, prædictum cap. *Quemadmodum*, vbi dicitur, sponsum non posse obijcere sponsæ fornicationem præcedentem sponsalia. Nam apertè loquitur de fornicatione præcedente cognita ante sponsalia, vt communiter exponunt Doctores. 97.

Est tamen duplex difficultas. Prima, an propter tactus impudicos sponsi cum alia fœmina possit sponsa resilire. Secunda, an si post sponsalia vterque sponsus fornicetur, compensetur delictum delicto, itavt neuter possit resilire. 98.

Priori difficultati respondetur negatiuè, ita ferè communiter Doctores, quia id sponsæ non est dedecus. nam per eiusmodi tactus, vir non redditur ita infamis, vt nota inuratur sponsæ. Limitat Coninch. nisi fortè essent adeò frequentes, vt indicarent propensum valde spousi in alteram animum, vt meritò possit timeri ne ipse minus sit sponsam amaturus, & fidem ei non seruaturus.

Circa secundam difficultatem, Bonac. de matrimon. quæst. 1. punct. 8. num. 6. existimat, neutrum posse in tali casu à sponsalibus resilire. Contrarium est probabilius, & ferè communis sententia Doctorum, quia quamuis quoad fidei fractionem facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad vilitatem; quia sponsa notabiliter fit vilior, non tamen sponsus, quia delicta sunt valde imparia, longéque ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere; & ex fornicatione sponsæ longè grauius damnum sponso imminet, propter incertitudinem secututæ prolis; itaque vtroque sponso post sponsalia fornicante, sponsus resilire potest, non sponsa. 99.

§. X.

Quodlibet impedimentum superueniens sponsalibus, siue dirimens, siue impediens, dissoluit sponsalia.

RAtio est, quia si impedimentum sit dirimens, facit vt subsequens matrimonium licitè contrahi non possit: si autem sit tantùm impediens, facit vt non possit validè contrahi; ergo omnino cessat obligatio sponsalium. Quia ad contrahendum matrimonium, quod non potest contrahi, nisi aut inualidè, aut illicitè, nulla esse potest obligatio. 100.

Est tamen difficultas, an is cuius causa impedimentum contractum est, teneatur procurare dispensationem, altero id exigente. Cui difficultati 101.

respon-

respondendum est affirmatiuè. Ita Sanctius disp. 56. & Coninch disp. 23. dub. 5. & ratio est, quia contra ius alterius liberè apposuit impedimentum; ergo ex iustitia tenetur ad illud auferendum. Excipe, nisi dispensatio absque notabili incommodo, vel absque magnis sumptibus obtineri non possit, quia non videtur se obligasse ad impletionem medio adeò difficili. Excipe etiam quando pars innocens pateretur notabilem iacturam ex non impletione sponsalium, in quo casu tenetur dispensationem procurare, & illud impedimentum auferre.

§. XI.

Superueniens notabilis mutatio dat ius dissoluendi sponsalia.

102. ITa docent communiter Doctores, quia contractus sponsalitius, tacitè fit sub hac conditione, quòd si adsit notabilis mutatio ob quam impletio sponsalium fiat notabiliter onerosior, is cui fit talis, resilire possit. Adde, quòd promissio semper intelligitur facta rebus in eodem statu permanentibus, ex cap. *Quemadmodum*, de iureiurando. & ex hac doctrina

Inferunt primò Doctores propter morbum contagiosum, lepram, paralysim, morbum Gallicum; vel si oculos, vel oculum, aures, siue nasum, alter ex sponsis amiserit; vel aliqua notabilis turpitudo superueniat; aut debilitas ex morbo habituali, quæ molesta coniugi meritò iudicari possit, sponsalia posse dissolui. Imò propter oris graueolentiam, tenet Sanct. disp. 57.

103. Secundò infertur, idem dicendum esse si alteruter sponsus notabilem famæ iacturam patiatur; vel si graues inter sponsos, vel eorum parentes, & consanguineos inimicitiæ incidant, nimirum quia altera pars omnino se opponit matrimonio, ita vt ex eo infelices exitus timeantur. Idem etiam, & ob eamdem rationem dicendum est, si superueniat notabilis morum asperitas, quæ etiam est sufficiens causa diuortij, vel noscatur sponsus de nouo grauiter deditus ebrietati, scortationibus, ludo, & similibus vitiis; vel si sponsa dotem promissam afferre nequeat; vel si superueniat notabilis paupertas, siue alteri, siue vtrique, censetur etiam notabilis mutatio; quia non est vnde matrimonij onera subire possunt; graue etiam onus incumberet alteri parti sustentandi onera matrimonij.

104. Tertiò colligitur, quòd si tempore sponsalium aliqua culpa ex suprà dictis extiterit, ignorata tamen ab altero ex contrahentibus, ea postea cognita, posse ab sponsalibus resilire; cùm enim sponsaliorum tempore defectus non apparebat, perinde erat ac si non esset; quando verò incipit apparere, perinde est ac si de nouo existat. nam in iure patia censentur, non esse, & non apparere, argumentum l. *Infundi*. ff. de contrah. empt. Denique hæc intelligenda sunt, etiamsi sponsalia iuramento firmata sint, quia, vt sæpè dictum est, iuramentum sequitur naturam promissionis, & cessante obligatione promissionis, cessat etiam obligatio iuramenti.

105. Est tamen difficultas, an is qui eiusmodi defectibus impeditus vult contrahere sponsalia, teneatur eos manifestare alteri parti; & procedit difficultas quando iudicat alterum non contracturum si sciret. nam si probabiliter iudicaret contracturum, etiamsi eos defectus agnosceret, certum est non teneri. In qua re dicendum est cum Pontio lib. 12. cap. 18. Coninch disp. 23. dub. 12. Diana de sacrament. resol. 287. distinguendos esse defectus in duplici genere. *Primum* est eorum, qui insunt vni ex contrahentibus, siue culpabiliter, siue inculpabiliter, qui reddunt nuptias minus appetibiles, non tamen pernitiosas, vt si mulier quæ existimatur pulchra, vel diues, quia absens est, sit deformis, vel pauper: & quæ existimatur honesta, non sit virgo, sed corrupta, vel vi, vel sponte; quando tamen studeret in posterum honestè viuere. nam si id non proponeret, nuptiæ non solùm essent minus appetibiles, sed etiam pernicioſæ. *Alterum* genus defectuum est, qui non solùm reddunt nuptias minus appetibiles, sed etiam pernicioſas, videlicet morbus contagiosus, improbi mores, à quibus desistere non vult, grauis infamia, siue personalis, siue generis, quæ possit honestam familiam deturpare.

106. In defectibus primi generis dicendum est, non teneri contrahentem aperire eos; sed sibi imputet, qui contraxit, si non diligenter inquisiuit. Et obseruant prædicti Auctores, habenti huiusmodi defectus, non licere dicto, vel facto positiuè simulando, vana spe ad nuptias alterum allicere. Dixi *positiuè simulando*, quia tales defectus, maximè quando cum aliqua infamia coniuncti sunt, non tenetur manifestare, atque ita poterit dissimulare, aut tegere defectum; ac proinde corrupta potest licitè promittenti sibi nuptias, defectum corruptionis artificiosè occultare, quia tunc non tam fingit se esse virginem, quàm tegit, & dissimulat corruptionem. Imò si interrogata an sit corrupta, neget, subintelligendo mentaliter in communi existimatione, aut ad dicendum tibi, non peccat; quia non tenetur ad interrogationem tam duram vniuocè respondere: & ob eamdem rationem, si interrogata, an sit virgo, affirmatiuè respondeat, mentaliter subintelligendo in communi existimatione, non peccat.

107. Si verò defectus sunt secundi generis, tenetur manifestare, vel sponsalia recusare, quia hi defectus sunt nuptiis pernicioſi, & ad vsum nuptiarum, generationis actum, & educationem prolis parum accommodati: sicut qui vendit alicui ligna putrida, & cutiosa ad ædificandum, tenetur aperire vitium ante traditionem.

108. Ex quibus facilè infertur, an is qui defectum aliquem ex suprà dictis patitur, possit ignarum eius defectus tenuentem implere sponsalia, cogere vt adimpleat. Nam si sunt defectus posterioris generis, non potest, etiamsi post sponsalia in eos defectus inciderit, & idem dicendum est de patiente defectus primi generis, si dolo induxit alterum ad sponsalia contrahenda: si verò defectus sunt prioris generis, neque alium induxit ad contrahendum, probabilius est non posse illum resilientem cogere. Quæ omnia desumpta sunt ex prælegatis Doctoribus.

109. Denique duo supersunt obseruanda.

Primum est in duobus casibus licere propria authoritate dissoluere sponsalia. Primò dum hæc clam contracta fuerunt, & causa ea dissoluendi occulta est, iusta tamen, & certa. Secundò dum publicè fuerunt contracta, & iusta causa ea dissoluendi, certò etiam, & publicè constat, quia ex hac dissolutione propria auctoritate facta, nullum scandalum oritur. Si autem causa dissolutionis dubia sit, quia certò non constat causam esse iustam, & sufficientem; tunc non licet propria auctoritate ea dissoluere,

Digitized by Google

dissoluere, quia vi contractus sponsalitij, quilibet sponsus est in possessione iuris acquisiti, vt fiat quod promissum est; in dubio autem nemini licet propria auctoritate deturbare alterum de possessione sui iuris, sed legitima iudicis auctoritas requiritur.

110. Secundò obseruandum est, vt iudex dissoluat sponsalia ob impedimentum aliquod matrimonij, sufficere vnum testem iuratum, vel etiam famam impedimenti. Ita communiter Doctores, & habetur in cap. *Super eo*, de consang. Ad dissoluendum autem sponsalia ob aliquem defectum ex sufficientibus, qui non sit impedimentum, vt ob fornicationem, requiruntur duo testes omni exceptione maiores, sicut in omnibus aliis causis, quia hîc agitur de præiudicio tertij, & non de vitando peccato. Quòd autem ibi sufficiat vnus testis, est speciale priuilegium in supradicto capite concessum, oppositioni impedimenti, quia tunc agitur de vitando peccato, quæ ratio non militat in matrimonio, ad cuius dissolutionem duo testes requiruntur omni exceptione maiores, vt dicitur in cap. *Licèt ex quadam*, & in cap. 1. de consang. quia quamuis tum etiam agatur de vitando peccato, res tamen est grauissima, & magni præiudicij.

DISPVTATIO II.

De natura, & essentia Matrimonij.

SECTIO I.

Quid sit Matrimonium.

1. MATRIMONIVM, non vno tantùm, sed variis nominibus appellari solet. Dicitur *coniugium*, quia duos sub eodem iugo perpetuo coniungit: vnde coniuges dicuntur eo quòd sint pares eiusdem iugi. Dicitur etiam *connubium*, siue *nuptia*, à nubendo, eo quòd velamine tegantur coniuges cùm benedictionem accipiunt; qui vsus antiquissimus est, vt videri potest Genes. 20. quando Abimelech dedit mille argenteos, vt Abraham velamen emeret Saræ, quo cognosceretur esse nuptam. Denique dicitur matrimonium, à matris munere in spe, vt docuit Isidorus lib. 9. Etymol. quia mulier ideo nubat, vt mater fiat, non autem dicitur Patrimonium à patris munere, quia in filiorum generatione mater certior est, quàm pater, maiorem etiam operam ponit in filiorum generatione, & procreatione.

2. Cùm autem in matrimonio multa sint, vt communiter obseruant Doctores, videlicet contractus ipse, siue actio contrahendi, mutua obligatio ex contractu consurgens, vinculum animorum vtriusque coniugis indissolubile; potestas ad vtendum corpore coniugis, & vsus huius potestatis. Ideò variæ adducuntur de matrimonio diffinitiones, quæ apud Recentiores in hoc loco videri possunt. Communis tamen, & recepta diffinitio est, desumpta ex Alexandro III. in cap. *Illud quoque*, de præsumpt. ***Matrimonium est coniunctio maritalis viri, & mulieris, inter personas legitimas, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.*** Quæ diffinitio sic illustranda est. Dicitur *coniunctio*, non corporum, sed animorum, quia matrimonium non coïtus, sed consensus facit. Dicitur *viri, & mulieris*, vt excludantur personæ eiusdem sexus, quarum coniunctio matrimonium non est. Dicitur etiam *viri, & mulieris* in singulari, quia matrimonium debet esse vnius tantùm cum vna. Dicitur *inter legitimas personas*, quia hæc obligatio tantùm datur inter personas habiles secundùm leges; excluduntur itaque, quia aliqua lege prohibentur matrimonio copulari. Dicitur *maritalis*, ad differentiam concubinatus, & ad excludendas alias obligationes, quas inter se vir, & mulier contrahere possunt. Denique dicitur, *indiuiduam vitæ consuetudinem retinens*, ad explicandam indissolubilitatem matrimonij, in quo ab aliis contractibus differt, quorũ vinculum mutuo contrahentium consensu dissolui potest; hic verò minimè. Explicatur etiam per illa verba finis matrimonij, scilicet amicabile coniugium, societas, & commercium.

3. Inquires, an hæc diffinitio sit essentialis. Respondetur cum Pontio lib. 1. cap. 2. esse tantum descriptionem. Ratio est, quia per illam non explicatur contractus matrimonij, sed mutua radicalis obligatio, seu vinculum, quod est primarius effectus resultans ex ipso consensu, & contractu, tanquam à causa efficiente moraliter. Vnde si matrimonium consideretur, vt contractus est, & vt sacramentum, secundùm vtramque rationem rectè diffinitur à Toleto in summa lib. 7. cap. 5. ***Est contractus viri, & fœmina legitimus, quo mutua corporum potestas traditur, gratia spiritualis collatinus.*** Ex quibus

4. Infertur primò, matrimonium prout est contractus, & sacramentum, esse quid transiens sicut alia sacramenta, excepta Eucharistia; finitis enim verbis quibus celebratur, finitur matrimonium: aliàs si quid permanens esset, vsus illius gratiam conferret, sicut vsus Eucharistiæ; quod ergo remanet transacta actione contrahendi, est vinculum ortum ex tali contractu perseuerans vsque ad finem vitæ.

5. Colligitur secundò, quòd illa coniunctio maritalis non est ipsa copula carnalis, quia ante illam est verum, & legitimum matrimonium: imò sine copula potest per totam vitam durare, vt patet in Deipara, & sanctissimo Ioseph. Neque etiam est mutua purè animorum coniunctio, quia hæc inter fratres, & amicos haberi potest; ergo in eo sita est, quòd ex mutuo consensu per quem semel facta est dominij corporum mutua traditio, vterque coniux habet potestatem vtendi corpore alterius ad actum coniugalem; quæ potestas, seu ius potest aliquando esse impeditum in actu secundo, vel ad tempus, vel per totam vitam.

SECTIO II.

A quo sumpserit originem institutio contractus Matrimonij.

6. INstitutio Matrimonij potest sumi dupliciter, vno modo pro ordinatione, vel quasi ordinatione, qua instituatur contractum matrimonij posse fieri. Alio modo pro prima executione, & celebratione contractus.

7. Prima conclusio, Matrimonium vt contractus quidam naturalis est priori modo sumptum, solo iure naturali, non humana, neque diuina voluntate institutum est. Ita Vazquez disp. 1. cap. 2. quem sequuntur Pontius lib. 1. cap. 5. Hurt. disp. 4. diff. 1. & probatur, quia institutio matrimonij non est celebratio

celebratio ipsa contractus, neque eius vsus, vt constat: sicut institutio emptionis, venditionis, vel alterius contractus, non est eius celebratio; sed tribuere ius ad illum celebrandum: at ab ipsa natura, & eius dictamine, seclusa quacumque ordinatione, & dispositione positiua extrinseca, siue humana, siue diuina, conuenit mari, & fœminæ posse coniungi mutuo consensu ad prolis generationem, cùm natura ipsa inclinet ad conseruationem speciei, teste Philosopho asserente, *naturalissimum esse homini generare sibi simile*; ergo ex ipsa natura hoc ius deriuatur.

8. Secunda conclusio, celebratio matrimonij facta fuit in Paradiso à primis Parentibus, liberè consentientibus ex inspiratione Dei, illis verbis Genes. 2. cap. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.* Nam illis verbis Adami consensus exprimitur, sine quo matrimonium stare non potest: quibus Eua suum quoque adiunxisse consensum, & consimilibus expressisse verbis, satis credibile est: quia hæc est natura, & ratio huius contractus, vt absque mutuo contrahentium consensu, verbis, vel sufficientibus signis exteriùs expresso, constare non possit. Neque potest aliud tempus commodius celebrationis huius matrimonij, vel ante, vel postea, ita probabiliter assignari.

9. Ex quibus infertur primò, rectè dici posse, Deum Opt. Max. fuisse Auctorem, & institutorem matrimonij: idque non tantùm vna, sed multiplici ratione. Prima, quia primos homines virum, & mulierem esse voluit, & illam sexuum diuersitatem constituit, eo fine vt matrimonium contraherent, & ex eo liberos procrearent, quam intentionem satis expressit Genesis 2. cùm dixit, Idem. *Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi*, vt exponit August. lib. 9. de Genes. ad litt. etiam cap. 3. 5. & 11.

10. Secunda ratio, quatenus eius inspiratione matrimonium illud celebratum est, quæ autem Deo incitante, & inspirante fiunt, optimo iure ipsi tanquam Auctori, & causæ tribuuntur: vt constat ex operibus bonis, quæ eo ipso quod ex Dei inspiratione, & eius gratia excitante fiunt, ipse dicitur Auctor, & causa eorum. Vnde illa verba, Genes. 2. Idem. *Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem*, &c. quæ, vt explicat Trident. sess. 24. cap. vnic. ex Dei inspiratione protulit Adam. Christus Dominus Matth. 19. tribuit ipsi Deo: Phatisæis namque interrogantibus, an liceret homini dimittere vxorem Matth. 19. ex quacumque causa Respondit. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam fecit eos. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Hæc, inquam, verba ex ore solius Adami prolata, ab ipso Deo fuisse dicta, asserit Christus; quia Deo inspirante prolata sunt. In quo etiam sensu intelligendum est, quod subiungit *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* Et in eodem sensu intelligendi sunt Patres, & Concilia, cùm dicunt matrimonium institutum fuisse à Deo in Paradiso ante peccatum.

11. Tertia ratio, quia cùm Deus sit Auctor naturæ, etiam contractum ipsum, qui iure naturæ constat, meritò facere dicitur. Nec vim huius rationis eneruat Meratius disp. 1. sect. 2. Cùm obiicit, Deum eadem ratione dici posse auctorem emptionis, venditionis, & aliorum contractuum, qui liberè ab hominibus exercentur, quia Deus etiam est Auctor humanæ naturæ, cui ex sua conditione conuenit potestas ineundi illos contractus. Hoc, inquam, non valet, nec est eadem ratio, quia de contractu matrimonij datur præceptum naturale ob finem naturæ maximè consonum, qualis est procreatio filiorum, quod in illis contractibus non inuenitur.

Colligitur secundò, Deum non instituisse matrimonium, quando protulit illa verba Genes. 2. 12. *Non est bonum hominem esse solum*, sed tantùm expressisse finem, ob quem primos Parentes creauerat, videlicet vt contraherent prout ipso iure naturæ poterant. Deinde, neque ipsa creatione Euæ celebratum fuit matrimonium, quod absque mutuo consensu constare non potest: & quamuis posset, non erat conueniens vt matrimonium, quod futurum erat initium, & norma aliorum, absque eorum consensu contraheretur. Denique neque illis verbis, *Crescite, & multiplicamini*, institu- Genes. 1. tum neque celebratum fuit matrimonium, sed tantùm benedictio collata fuit primis parentibus iam matrimonio coniunctis, vt docuit August. 14. de ciuit. Dei cap. 12. quamuis per anticipationem scripta sint à Moyse Genes. 1. Quod optimè confirmatur Genes. 8. vbi Deus eadem verba protulit Noë, & filiis eius, de quibus constat, ante ingressum in arcam matrimonium contraxisse, & liberos habere.

Sectio III.

An Matrimonium licitum sit, & an cadat sub præcepto.

CIrca primum, conclusio est affirmatiua, & 13. de fide definita in pluribus Conciliis, Grangensi cap. 11. can. 9. Brac. can. 11. Tolet 1. & probatur ex sacra Scriptura 1. Corinth. 7. *Qui matri-* 1. Cor. 7. *monio iungit virginem suam, bene facit, & si nupserit virgo, non peccabit.* & ad Hebr. 13. appellatur *hono-* Hebr. 13. *rabile coniugium, & thorus immaculatus.* Et ne quis dicat, copulam illicitam esse, quamuis matrimonium licitum sit, præcipit idem Apostolus, vt vir vxori debitum reddat, & vxor viro. Et probatur, quia matrimonium est medium proportionatum ad finem per se bonum, & honestum, videlicet ad propagationem generis humani, & procreationem filiorum, eo modo quod decet humanam naturam.

Dices ex hoc sequi, quemlibet concubitum viri, 14. & fœminæ, etiam extra matrimonium, licitum esse, quandoquidem medium est ad propagandum genus humanum. Sed neganda est sequela. nam talis concubitus non est medium accommodatum ad rectam procreationem, & educationem prolis, vt docuit D. Thom. quæst. 63. art. 3. & 4. Imò esse proli nociuum, cùm non habeat certum parentem, à quo recte educari, & prouideri possit. Plura alia argumenta congerunt Hæretici contra honestatem matrimonij, quæ quia facile dissolui possunt, & passim obuia apud Recentiores, omitto.

Ex quibus deducitur, actum coniugalem esse 15. meritorium gratiæ, & gloriæ, quia est actus iustitiæ si fiat ad reddendum debitum, vt docuit Paulus vbi suprà. Est etiam actus religionis ad procreandos filios in Dei cultum. Nec obstat abstinentiam à coïtu matrimoniali esse bonam, & meritoriam. nam bonum est homini mulierem non tangere, vt inquit idem Paulus; ergo coïtus non potest esse bonus; quia si vnum contrariorum est bonum, necesse est vt alterum malum sit: aliàs

consulendum esset coniugibus, vt frequentarent matrimonij copulam, vt ampliùs mererentur. Respondetur, actum coniugalem, & abstinentiam ab illo, non esse contraria in esse morali, sed habere se sicut maius, & minus bonum. Vnde non est consulenda crebra nimis frequentia, nisi secundùm regulas rationis, & prudentiæ, ne saluti noceat.

16. Circa secundum, ferè omnes Doctores conueniunt, extitisse præceptum de contrahendo matrimonio, & plures credunt contineri illis verbis Genes. 1. *Crescite, & multiplicamini.* Quibus benedictionem prolis iam ex August. diximus contineri, vel approbationem matrimonij; non verò præceptum.

17. Verius existimo cum Vazq. disp. 1. cap. 3. Pontio cap. 4. Hurt. disp. 4. diff. 4. In principio mundi, & post diluuium, in principio reparationis illius, extitisse præceptum naturale, quo singuli obligabantur ad contrahendum matrimonium, vt mundus propagaretur, tunc enim ipsa ratio propagationem exigebat, & in eum finem diuersum sexum natura constituerat, & propagandi potentiam dedit; ergo tunc non contrahere matrimonium contra rationem esset, quia alio modo genus humanum non poterat licitè propagari.

18. Est tamen difficultas, an etiam nunc genere humano iam sufficienter propagato, huiusmodi præceptum cessauerit. Hæretici vitam cælibem auersantes, volunt adhuc extare, & eo præcepto singulos obligari. Quos damnat Concilium Florentinum in litteris vnionis, & Tridentin. sess. 24. can. 9. & D. Paulus 1. Corinth. 7. *Bonum est si sic permanserit secundùm meum consilium.* Communis sententia docet adhuc stare hoc præceptum, sed non obligare singulos, sed tantùm communitatem vagæ. Dicendum tamen est cum Doctoribus præallegatis, adhuc stare hoc præceptum, quia præcepta naturalia nunquam reuocantur; cessare tamen eius obligationem, quia cessauit causa, videlicet necessitas propagandi genus humanum; est enim præceptum hoc affirmatiuum, quod quamuis obliget semper, non tamen obligat absolutè, sed sub illa circumstantia necessitatis propagationis, quæ cùm omnino defierit, cessauit etiam præcepti obligatio.

Gen. 1.

1. Cor. 7.

Sectio IV.

An in noua lege matrimonium sit sacramentum gratiam conferens.

19. Dixi *in noua lege*, nam in lege veteri, vel naturæ, vel in statu innocentiæ, quamuis fuerit verum, & legitimum matrimonium, non tamen habuit rationem sacramenti.

20. Prima conclusio. Matrimonium in noua lege à Christo Domino institutum, est vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ gratiam conferens. Hæc conclusio est de fide diffinita in Concilio Florentino in Decreto fidei, vbi decernitur septem esse sacramenta nouæ legis, inter quæ Matrimonium enumerat. Et in Trident. sess. 24. cap. vnico asseritur, matrimonium veteribus connubiis præstare gratiam, ac proinde inter sacramenta nouæ legis computandum. Et Canon. 1. damnantur, qui dixerint non esse sacramentum à Christo institutum, vel non esse sacramentum nouæ legis; eadem veritas constat ex vniuersali, & perpetua Ecclesiæ traditione à tempore Apostolorum. Et ratione probatur, quia matrimonium est signum practicum causatiuum, & collatiuum gratiæ; ergo est verè, & propriè sacramentum. nam cùm multa sint inter coniuges, ad quæ speciale donum gratiæ prærequiritur, mutua cohabitatio, perpetua communicatio operum, amor, & fides erga se inuicem, filiorum pia, & religiosa educatio, & alia quamplura: & Deus non deficiat in necessariis his, qui ab ipso in aliquo munere, & officio constituti sunt, asserendum est, Deum mediante matrimonio conferre gratiam, & auxilia ad prædicta munera rectè, & meritoriè adimplenda.

21. Obiicies primò, quia pro contrahendo matrimonio offertur licitè pecunia, vt patet in dote, & arrhis; ergo matrimonium non est sacramentum: aliàs committitur simonia. Respondetur negando consequentiam, quia pecunia illa non datur pro gratia sacramenti, sed ad sustentanda onera matrimonij, quæ remanent transacto sacramento: sicut etiam in Baptismi, & aliorum sacramentorum collatione conferri solet pecunia ad ministrorum alimenta.

22. Obiicies secundò, quia matrimonium retardat homines à perfectione vitæ spiritualis, vt docuit Paulus 1. Corinth. 7. ergo non est sacramentum. Et confirmatur, quia melius est recipere sacramentum, cùm per eius receptionem recipiatur gratia, vel augmentum gratiæ, quàm ab eius receptione abstinere: sed qui nubit, non facit melius, quàm qui non nubit, teste eodem Apostolo asserente, *Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit*; ergo nubere non est sacramentum.

23. Respondetur, Matrimonium esse impedimentum vitæ spiritualis, non in quantum sacramentum est, sed in quantum est status imperfectus, vel non ita perfectus; in quo qui nuptus est, cogitat non solùm quæ sunt Dei, sed etiam, quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, vel vxori, ac proinde diuisus est, vt docuit idem Apostolus. Ad confirmationem respondetur similiter, quòd quamuis, qui nubit, quando matrimonium contrahit, crescat in gratia, & quantum ad hoc melius faciat, quàm qui non nubit; simpliciter tamen peius facit, quia statum imperfectiorem eligit. Vnde Paulus in præallegatis verbis, tantùm comparat statum cum statu; non verò comparat statum cum sacramento.

24. Secunda conclusio. Certò non constat quo tempore à Christo Domino fuerit institutum hoc sacramentum. Viguerius lib. instit. cap. 16. existimat, institutum fuisse dum Christus interfuit nuptiis in Cana Galileæ. Verùm in hoc loco nihil aliud de Christo legitur, nisi quòd illas nuptias sua præsentia, & mirabili conuersione aquæ in vinum honorauerit. Sanctius lib. 2. disput. 4. & alij plures apud ipsum censent, dum Christus Matth. 19. protulit illa verba, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*. his tamen verbis, Christus solùm expressit indissolubile vinculum matrimonij, quod lata significatione dicitur sacramentum in quantum significat indissolubilem vnionem Christi cum Ecclesia. Meratius disp. 2. sect. 7. Probabilius credit fuisse institutum post resurrectionem ante ascensionem Domini, dum illis diebus apparens Apostolis, vt habetur Actor. 1. loquebatur cum illis de regno Dei, hoc est, de rebus ad statum Ecclesiæ pertinentibus. Matth 19.

25. Tertia conclusio. Matrimonium est vnicum, & simplex sacramentum, & non duo sacramenta partialia

partialia ex quibus vnum totale ſacramentum coaleſcat. Probatur, quia quamuis in matrimonio ſit duplex conſenſus, neuter tamen ab alio ſeparatus habet rationem ſacramenti, ſicut non habet rationem contractus. Et confirmatur. nam non vnius tantùm conſenſus verbis, vel ſignis expreſſus eſt forma huius ſacramenti, ſed vtriuſque, vterque etiam ſimul, & indiuiſibiliter ſignificat gratiam quæ per hoc ſacramentum confertur. Confirmatur amplius, quia hoc ſacramentum eſt eſſentialiter contractus, qui vnus eſt tantùm inter duos. Nec poteſt deſumi argumentum in contrarium ex ſacramento Euchariſtiæ, in quo quælibet ſpecies, vt ab altera condiſtincta, conſtat materia, & forma, & habet veram rationem ſigni, & cauſat gratiam; quod non eſt in ſacramento Matrimonij. Ex quibus

26. Infertur primò. Matrimonium infidelium non eſſe ſacramentum. Ita communiter Doctores. Quia Baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorum, ac proinde nullus niſi ſuſcepto Baptiſmo capax eſt alicuius ſacramenti. Idem dicendum de matrimonio fidelis cum infideli, etiam ſi infidelis habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vt contra Sotum docent Sanctius lib. 2. diſp. 8. Vazquez diſp 2. cap. 4. & alij ab his relati, & meritò, quia Chriſtus Dominus in ſolo contractu integro conſtituit hoc ſacramentum, vt prædictum eſt; ſed in ſolo baptizato non eſt integer, & perfectus contractus, ſed in vtroque coniuge; ergo in ſolo baptizato non habet rationem ſacramenti.

27. Secundò deducitur, Matrimonium contractum inter infideles, nunquam fieri poſſe verum ſacramentum, ita Vazq. diſp. 2. cap. 10. Pontius cap. 9. contra Sanctium lib. 2. diſp. 9. Cuius rei rationem ſatis efficacem reddit Coninch. diſput. 24. dub. 1. num. 25. quia ſacramentum Matrimonij eſſentialiter eſt contractus initus inter baptizatos, qui inter infideles, nullo modo inueniri poteſt. nam contractus præteritus nec fuit inter baptizatos, nec iam exiſtit, vt liquidò conſtat; nec illi infideles poſſunt de nouo matrimonium contrahere, cùm non poſſint ſibi mutuo corpora tradere, quia neuter iam habet poteſtatem ſui corporis: & nemo poſſit alteri tradere, quod ſuum non eſt; ergo matrimonium inter infideles nulla ratione poteſt fieri ſacramentum. Et confirmatur à Pontio. Quia ratio, & eſſentia ſacramenti Matrimonij annexa eſt fieri contractus, non vinculo permanenti poſt contractum; hoc enim ſacramentum eſt, quid tranſiens in fieri & in actione conſiſtens: poſito autem ſemel matrimonio validè contracto, non poteſt eſſe de nouo aliud fieri illius contractus; ergo neque poteſt eſſe ſacramentum: conſequentia probatur, quia vinculum relictum iam in nullo pendet à cõſenſu eorum, qui contraxerunt, ac proinde non poteſt reuocari, & denuo haberi nouus contractus.

28. Tertiò colligitur, quòd quamuis ſacramentum Matrimonij non poſſit eſſe ſine ratione contractus, quia vtriuſque cõſenſus verbis, vel ſignis ſufficienter expreſſus eſt forma huius ſacramenti, vt infrà oſtendam. Ratio tamen contractus adhuc inter baptizatos poteſt ſeparari à ratione ſacramenti. Vnde ſi quis contrahat abſque intentione faciendi, quod facit Eccleſia & celebrãdi matrimonium, tanquam rem ſacram, vel cum intentione expreſsè contraria; cum intentione tamen celebrandi illud in ratione contractus: in hoc caſu erit legitimum, & verum matrimonium; re vera tamen non erit ſacramẽtum ex defectu intentionis Miniſtri. ita Vazq. Pontius, & Hurt. contra Sanct. locis citatis. Vtrumque autem probatur efficaciter, quia valor ſacramenti in vſu conſiſtentis, quale eſt matrimonium, pendet non ſolùm ab intentione miniſtri ſacramentum conficientis, ſed etiam perſonæ illud ſuſcipientis; ita vt nullum ſit ſacramentum quando vel conficiens, vel ſuſcipiens habet actualem expreſſam intentionem, non conficiendi ſacramentum, vel non ſuſcipiendi illud: ſed in hoc caſu, de quo loquimur, tam miniſtri, quàm ſuſcipientes ſunt ipſi contrahentes; ergo cùm habeant expreſſam voluntatem, nec conficiendi, nec ſuſcipiendi ſacramentum, re vera non datur verum ſacramentum. Quòd autem ibi detur legitimum matrimonium in ratione contractus, probatur, quia ad hoc nihil amplius deſideratur, quàm vt contrahentes habiles ſint ad contrahendum, quòd liberè conſentiant, & conſenſum ſuum verbis, vel ſignis cum circunſtantiis à iure requiſitis exprimant: quæ omnia habere poſſunt, quamuis matrimonium, vt ſacramentum eſt expreſsè nolint, etiamſi peccatum mortale ſacrilegij committant, quia tenebantur habere intentionem ſacramenti, cùm Chriſtus Dominus matrimonium in ſacramentum inſtituerit. Sicut quilibet alius miniſter Sacramentorum peccat mortaliter, dum abſque intentione conficiendi ſacramentum præſtat id quod Chriſtus in ſacramentum inſtitut.

Nec obſtat quod Sanctius diſp. 10. num. 6. & Coninch. diſp. 24. dub. 1. in contrarium adducunt, ex inſtitutione Chriſti inſeparabilem eſſe rationem ſacramenti à contractu matrimonij; ac proinde intentionem non conficiendi ſacramentum repugnare intentioni conficiendi matrimonium, vt contractus eſt. Hoc enim abſque legitimo fundamento dicitur. nam Chriſtus euehendo matrimonium in ſacramentum, ipſum contractum matrimonij in ſua natura reliquit, & tantùm illi adiunxit ſignificationem infallibilem gratiæ ſanctificantis; ergo non repugnat dari matrimonium validum, & legitimum in ratione contractus, non verò in ratione ſacramenti. 29.

Quartò infertur, Matrimonium ſumptum pro contractu, & non pro vinculo, inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino in ſacramentum collatiuum gratiæ. Vnde matrimonium ſumptum pro vinculo non eſt verè, & propriè ſacramentum, vt notat Coninch. diſp. 24. dub. 2. num. 11. Et meritò, quia quodlibet ſacramentum ſuo vſu ex inſtitutione Chriſti gratiam confert: vinculum autem matrimonij ſuo vſu non ſanctificat; aliàs quoties coniuges in ſtatu gratiæ vterentur matrimonio, non ſolùm ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato gratiam nouam acciperent, quod eſt apertè falſum. 30.

Denique infertur, etiam in hoc ſacramento reperiri tria illa, quæ in quolibet ſacramento ex ſententia Scholaſticorum reperiuntur. Sacramentum tantùm, res & ſacramentum ſimul, & res tantùm. Nam in hoc ſacramento verba, ſiue ſigna quibus conſenſus exprimitur, ſunt ſacramentum tantùm; quia ſignificant, & non ſignificantur. Res & ſacramentum ſimul, eſt vinculum, ſeu obligatio, quæ remanet ex contractu, & ſignificat vnionem Chriſti cum Eccleſia. Denique res tantùm, eſt gratia, quæ virtute huius ſacramenti confertur. 31.

Sectio V.

An matrimonium baptizatorum per Procuratores contractum sit validum, & propriè sacramentum collatiuum gratiæ.

32. Conclusio est affirmatiua. Et prior pars quòd matrimonium inter absẽtes per Procuratores celebratum, etiam post Tridentinum, vbi viget, sit validum, communiter recipitur ab omnibus, & constat ex praxi Ecclesiæ, dummodo concurrant conditiones infrà assignandæ. Posterior verò pars, quòd sit propriè sacramentum gratiam conferens, defenditur à Recentioribus, Valentia disput. 10. quæst. 1. punct. 6. Pontio lib. 1. cap. 10. Hurt. disp. 3. diffic. 17. Merat. disp. 2. sect. 8. contra Caietanum Victoriam, Ledesmam & alios. Et probatur, quia Christus, vt constat, in nullo prorsus immutauit naturam contractus matrimonij; sed illam euexit ad rationem sacramenti. Florentinum etiam, & Tridentinum absolutè, & absque vlla restrictione matrimonium in lege gratiæ esse vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ diffiniunt: sed matrimonium per Procuratores contractum est verum, & legitimum; ergo est verè, & propriè sacramentum. Et certè si matrimonium inter absentes non esset sacramentum, prohibitum esset à Tridentino inter fideles, cùm indecens sit fideles coniungi vinculo matrimonij sine sacramento, suppositâ Christi institutione. Vel saltem præcepisset his, qui eo modo contraherent, vt postea præsentes iterum contraherent, vt eorum contractus fieret sacramentum: quod præceptum nullibi extat. Et confirmatur, quia in hoc matrimonio concurrunt omnia necessaria ad substantiam sacramenti, materia, forma, & intentio. nam intentionem adesse supponimus; datur etiam materia, scilicet corpora contrahentium; & legitima forma, videlicet consensus vtriusque sufficienter expressus, scilicet verba, vel signa mandantis, quatenus per Procuratorem innotescunt; vel verba Procuratoris, pro vt relata ad mandantem, vt vult Pontius loco citato; ergo nihil deest ad substantiam sacramenti. Quæ rationes æquè probant, matrimonium per epistolam, aut per nuntium celebratum, esse propriè sacramentum; quia est verum, & legitimum matrimonium.

33. Obiicies primò, quia omnia alia sacramenta postulant præsentiam suscipientis, & Ministri, itavt in absentia neque recipi, neque administrari possint; ergo idem dicendum est in sacramento matrimonij. Respondetur negando consequentiam; quia hoc est speciale in sacramento matrimonij, eo quòd fundatur in contractu, & subsequitur eius naturam: contractus autem ex sua natura non postulat præsentiam contrahentium, sed potest inter absentes perfici.

34. Obiicies secundò, Pœnitentia requirit præsentiam ad absoluendum, quia in eius forma dicitur, *Ego te absoluo*, & similiter Baptismus, & alia sacramenta, ob eamdem rationem; sed etiam in matrimonio dicitur, *Ego te accipio in coniugem*; ergo etiam requirit præsentiam contrahentium. Respondetur negando consequentiam, quia in aliis sacramentis illa determinata verba cum illis pronominibus, sunt de necessitate sacramenti ex institutione Christi, & ad eorum veritatem requisita est præsentia: at illa verba, *Ego te accipio in coniugem*, non sunt determinatè requisita, quia per quæcumque verba, vel etiam signa exprimentia consensum traditionis dominij corporis potest perfici matrimonium: huiusmodi autem consensus, & traditio, & etiam expressio consensus, possunt esse inter absentes per Procuratorem, vel per epistolam. Quod non leuiter insinuat Florentinum dum diffinit, *Causam efficientem matrimonij esse regulariter consensum mutuum, per verba de præsenti expressum*; quæ dictio *regulariter*, nequit referri ad consensum; quia consensus ita est causa matrimonij, vt semper sit, neque alia pro eo esse queat. Itaque dictio *regulariter* refertur ad verba, ita vt seusus sit, quamuis regulariter matrimonium per verba celebretur, posse tamen per litteras, aut nutus celebrari, atque adeò inter absentes.

35. Obiicies tertiò, quia hoc sequitur, posse dormientem peccare mortaliter; si enim tempore, quo Procurator nomine absentis contrahit, ipse dormiat, & sit in mortali, proculdubio committet nouum peccatum sacrilegij recipiendo sacramentum indignè. Similiter sequitur, dormientem recipere nouam gratiam, & de peccatore fieri iustum, si dormiens tempore quo eius Procurator contrahit, sit in statu gratiæ, vel quamuis sit in peccato mortali, habeat attritionem existimatam contritionem, in quo casu, virtute sacramenti matrimonij ex attrito fiet contritus, & iustificabitur.

36. Respondetur concedendo totum, nullum namque est inconueniens, dormientem peccare mortaliter ratione consensus liberi habiti in vigilia; sicut etiam peccat ebrius occidendo hominem ratione liberæ voluntatis, qua voluit se inebriare, non obstante homicidio præuiso. Et similiter non est inconueniens dormientem recipere gratiam, vt cùm quis in infirmitate dormiens, aut amens absoluitur, aut extremè vngitur. Vnde qui per Procuratorem contrahit matrimonium, tenetur sub mortali esse in statu gratiæ, eo tempore, quo prudenter iudicat celebrandum esse contractum, & peccare mortaliter si in gratia non sit.

37. Inquires, quid requiratur vt matrimoniũ validè per Procuratorẽ contrahatur. Respondetur aliquas cõditiones requiri, vt cõstat ex c. fin. de Procu. in 6.

Prima est, quòd Procurator habeat specialem commissionem ad id Vnde non sufficit mandatum generale datum Procuratori ad contrahẽdum matrimonium; est enim hoc negotium valdè diuersum ab omnibus aliis, & maximi momenti, & à quo totius vitæ status pendet, ac proinde nemo censetur velle cum aliqua contrahere, nisi eam priùs aliquo modo nouerit, & expresè in eam consenserit. Itaque mandatum generale, vt sibi commodam vxorem quærat, non sufficit, nisi quæsita in particulari describatur, & hic in eam consentiat.

38. Secunda conditio, quòd Procurator id per se ipsum efficiat, quia nequit alterum substituere, nisi ei sit specialiter cõmissum. Vnde Procurator excedens fines mandati, nihilominus agit; quare si mandatum sit ei, vt contrahat cum Berta certa dote constituta, inualidè contrahit, aut nulla, aut minore constituta. Idem est in cæteris conditionibus.

39. Tertia conditio, quòd commissio reuocata non sit tempore quo celebratur contractus; quia procurator reuocato mandato iam non potest, mandantis nomine contrahere. Potest autem reuocatio fieri, siue per nuntium, siue per epistolam, siue per verba, siue per factum contrarium, etiamsi mandans iuramento promisisset se non reuocaturum. Nec est necesse, vt reuocatio mandati innotescat procu-

ratori,vel parti,quia etſi alij contractus validè fiant per Procuratores,etiam poſt reuocatum mãdatum, quandiu reuocatio nec Procuratori, nec parti innotuit;ſecus tamen eſt in matrimonio;& ratio eſt, quia in aliis contractibus ius poteſt ſupplere conſenſum partis, non tamen in matrimonio, quod nullo modo conſtare poteſt,ſi deficiat partis vnius conſenſus. Quibus adde, in foro conſcientiæ ſufficere reuocationem mentalem, & internam, quia tunc Procurator nequit conſentire nomine principalis,quia iam reuocauit commiſſionem. Ex quibus

40. Infertur primò, contra Pontium lib. 2. cap. 15. eum qui poſt datum mandatum in amentiam incidit,validè contrahere,dummodo antequam inciderit, mandatum non reuocauerit; quia, vt rectè Coninch. diſp. 24. dub. 9. vt quis validè per Procuratorem contrahat, non eſt neceſſe vt vtatur ratione,dum contractus celebratur:aliàs ſi tunc dormiret, aut ebrius eſſet, inualidè contraheret; ſed tantùm requiritur quòd liberè mandatum dederit, & poſtea non reuocauerit, quod etiam docet Sanctius lib. 2. diſp. 11.

41. Secundò colligitur contra eundem Pontium, eum qui priùs fictè dedit Procuratori mandatum, quamuis poſtea conſentiat antequam contractus ineatur,inualidè contrahere. Ratio eſt,quia Procurator ſe habet tanquã index,& interpres conſenſus ipſius mandantis, vnde vt contractus valeat, actus Procuratoris debet procedere à libero conſenſu mandantis,tanquam ab imperante.quod in hoc caſu non fit;ergo contractus non poteſt eſſe validus. Quòd ſi verè ex animo mandauit fieri contractum, & mutata voluntate ſecretò mandatum reuocauit, ſufficiet id iterum ſecretò approbare ante contractum, quia prior conſenſus per reuocationem extinctus, per approbationem iterum reuiuiſcit,ac ſi non fuiſſet reuocatus. Ita Coninch diſp. 24. dub. 9.

42. Tertiò deducitur,non eſſe neceſſariũ adhuc poſt Tridentinum,aſſignationem Procuratoris fieri coram Parocho, & teſtibus, dummodo contractus ipſe coram Parocho, & teſtibus celebretur. Item non eſſe neceſſe, vt Procurator ſit in gratia, cùm contrahit, quia nec ipſe recipit ſacramentum, nec eſt miniſter illius.

Sectio VI.

Quæ ſit materia,& forma,& Miniſter huius ſacramenti.

43. CVm quodlibet ſacramẽtum tribus perficiatur, vt ſæpe ex Florentino tetulimus,ſcilicet materia,forma,& intentione Miniſtri, examinandum eſt,quæ ſit materia,forma,& Miniſter in hoc ſacramento. Et quidẽ rem per ſe ſatis conſpicuam,difficilẽ reddiderunt tot tamque diuerſi modi operãdi.

44. Prima concluſio. In ſacramento Matrimonij materia non eſt mutuus conſenſus vtriuſque coniugis, verbis, vel ſignis ſufficiẽtibus expreſſus:nec forma verbum illud Dei, & Chriſti Gen. 2. & Matth. 19. *Propter hoc relinquet homo patrem ſuum,& matrem,& adhærebit vxori ſuæ,& erunt duo in carne vna.* Hæc eſt contra Catharinum in opuſc. de Matrim. quæſt. 1. quem meritò impugnant omnes Theologi,quia ſacramenta,præſertim quæ in vſu conſiſtunt,de quorum numero eſt ſacramentum Matrimonij, debent habere materiam, & formam ſimul in eodem tempore ſaltem moraliter:at inter materiã, & formam à Catharino in hoc ſacramento aſſignatam,tantum temporis intercedit, quantum interuenit inter illa verba, & inter matrimonia, quæ eorum prolationem ſequuta ſunt, & vſque ad finem mundi ſequentur; ergo illa verba non poſſunt eſſe forma huius ſacramenti.

Genes 2. Matth. 19.

45. Secunda concluſio. Materia huius ſacramenti non eſt prædictus conſenſus; nec forma hæc, aut æquialentia verba ſacerdotis. *Ego vos in matrimonium cõiungo in nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti.* Eſt contra Canum lib. 8. de locis theolog. c. 5. Quem etiã meritò reiiciunt omnes Theologi,quia contrarium ſatis apertè colligitur ex Tridentino. Et probatur, quia ante Tridentinum matrimonia clandeſtina erant vera matrimonia,& rata,vt diffinitur ab eodem Trident. ſeſſ. 24. c. 1. ergo erant vera ſacramenta. Confirmatur, quia illa verba Parochi non ſunt de eſſentia matrimonij, ſed his prorſus omiſſis conſtat matrimonium,vt infrà oſtendetur, vbi declarabimus quem ſenſum habeant illa verba; ergo Parochus nec eſt Miniſter,nec debet neceſſariò proferre aliqua verba, quibus ſacramentum conficiat.

46. Tertia concluſio. In hoc ſacramẽto materia non eſt interior conſenſus coniugum, & forma non ſunt externa ſigna, quibus conſenſus exprimitur. Hæc eſt contra Nauarr. c. 22. n. 20. Valent. diſp. 10. quæſt. 1. punct. 6. Et probatur, quia tam materia, quàm forma ſacramenti debent eſſe quid ſenſibile, cùm ipſum ſacramentum ſit ſenſibile ſignum; ſed conſenſus interni nõ ſunt ſenſibiles;ſunt enim putè ſpirituales; ergo non poſſunt eſſe materia huius ſacramenti. Nec obſtat,quòd in ſacramento Pœnitentiæ contritio eſt materia quæ tamen eſt inſenſibilis,& ſpiritualis. Nam contritio,vt eſt actus interior,non eſt totalis materia ſacramenti Pœnitentiæ;fitque ſenſibilis per verba,quæ etiam ſunt materia;nec eſt inconueniẽs, vt partialis materia non ſit per ſe ſenſibilis. Eſt tamen maximum inconueniens quòd materia totalis contractus, aut ſacramenti, inſenſibilis ſit, cùm ad hominum Rempublicam pertineant. Et eodem argumento impugnatur ſententia Maioris in 4. diſt. 26. quæſt. 1. aſſerentis,verba eſſe materiam,conſenſus formam.

47. Secundò probatur. Quia materia ex natura ſua, vt conſtat ex Phyſica,eſt quid indeterminatum, & indifferens,quod determinatur per formã;ſed tam conſenſus internus, quàm ſigna externa, vnam, & eandem rem determinatè ſignificant.nam viri conſenſus in matrimonium eſt determinatè de ducẽda certa muliere in vxorem,& huius rei ſignum naturale; eius autem verba determinatè ſunt de eadem re,eamque determinatè ſignificant, non ex ſe, ſed ex hominum inſtituto: & eodem modo philoſophandum eſt de conſenſu mulieris,& eiuſdem verbis;ergo verba, ſeu ſigna nullo modo determinant conſenſum internum,cùm ſint determinatè de eadem re, ac proinde materia huius ſacramenti non poteſt eſſe conſenſus internus,nec forma verba,ſeu ſigna,quibus exprimitur.

48. Quarta concluſio. Priora verba vnius contrahentis, vel verba priùs ab alterutro contrahente prolata, non ſunt materia poſteriora verba alterius contrahentis, ſiue ab altero poſteriùs prolata, non ſunt forma huius ſacramẽti. Hæc eſt contra Victoriam in ſumma num. 245. Et probatur,quia poſſunt contrahentes eodem ſimul tempore conſenſum ſuum verbis exprimere. In quo caſu illud matrimonium,vel non eſſet ſacramentum, vel non haberet materiam,& formam;quia non eſſent verba priora, & poſteriora, quorum vtrumque abſurdum eſt, &

confirmatur,

confirmatur, quia iam matrimonium non haberet materiam,& formam certas,ſed vagas:imò in contrahentium poteſtate eſſet ex materia facere formam, & è contra.

49. Quinta concluſio. Verba,ſeu ſigna exprimentia conſenſum mutuum vtriuſque coniugis ſecundùm diuerſas rationes, non ſunt ſibi mutuo materia, & forma huius ſacramenti. Hæc concluſio eſt contra Suarium 3.p. tom.3. diſp.2. ſect.1. Sanctium lib.2. diſp.5. Coninch. diſp.24.dub.3. Pro cuius intelligentia nota, quòd quilibet conſenſus contrahentium verbis expreſſus, reſpectu alterius habet duo. Primum eſt, quòd ſit traditio proprij corporis in poteſtatem alterius. Secũdum eſt,quòd ſit acceptatio traditionis ab altero facta: v. g. illa verba viri: *Accipio te in meam*,duo exprimunt.Primum eſt conſenſus, quo vir tradit ſuum corpus vxori. Secundum eſt conſenſus,quo acceptat corpus vxoris ſibi ab ea traditum: & eodem modo philoſophandum eſt de verbis vxoris erga virum habere eam duplicem rationem, & traditionis proprij corporis, & acceptationis corporis viri: qua ergo parte, verba vtriuſque coniugis habent rationem traditionis, ſunt materia huius ſacramenti; quia traditio præſupponitur ad acceptationem, & determinatur per eam: qua verò parte ſunt acceptatio, habent rationem formæ determinantis traditionem.

50. Hunc verò dicendi modum rectè impugnant Vazq.diſp.3.cap.1.& Meratius diſp.3.ſect.1.Primò, quia nemo hactenus dixit,formam donationis eſſe conſenſum expreſſum verbis eius cui donatio fit, acceptantis traditionem donantis,quamuis illa acceptatio adueniat traditioni, vt forma materiæ, & illam compleat,& perficiat.Secundò,quia falsò dicitur,traditionẽ determinari ab acceptatione.nam mutuo ſe determinant traditio,& acceptatio,quia, vt rectè notat Pontius, cùm quis alteri aliquid offert gratis,aut titulo commutationis, ſicut oblatio illa non complet contractum, donec accedat acceptatio: ita ſimiliter,ſi acceptatio præcedat, ſicut poteſt præcedere,non habet effectum,neque complet contractum donec accedat traditionis oblatio ex parte alterius. Quod probat ex eo qui rem aliquam ab alio poſtulat; habet enim hæc poſtulatio vim acceptationis,ſine alio nouo conſenſu,& præcedere debet traditionẽ oblationis,non ſubſequi,vt per ſe patet: & confirmat ex l.1. §. *Si quis ita.* ff. de verborum obligationibus,vbi dicitur,quòd ſi quiſpiam ita interroget,dabis?altero reſpondente,quid ni? oriri obligationem ſtipulationis; ergo traditio ſuapte natura,non eſt materia,cùm in prædicto caſu determinet acceptationem,eamque compleat.

51. Sexta concluſio. Materia huius ſacramenti ſunt corpora contrahentium:forma verò ſigna externa ſufficienter exprimentia conſenſum. ita D. Bonau. in 4.diſt.28.quæſt.5.Vazq.diſp.2.c.5.Pontius lib.1. cap.7.Hurt.diſp.3.diff.21.Meratius diſp.3.ſect.3.Et probatur,quia,vt omnes fatentur,eadẽ eſt materia, & forma matrimonij,vt ſacramentum eſt,& vt ciuilis contractus, quia Chriſtus Dominus in nullo penitus mutauit materiam huius contractus,ſed illum ſub Principũ diſpoſitione relinquens,id quod fuit legitimus contractus matrimonij, euexit, ſeu eleuauit, vt eſſet ſacramentum gratiæ collatiuum: ſed materia,& forma matrimonij prout eſt contractus,eſt ſuprà aſſignata;ergo etiam vt eſt ſacramentum.Minor probatur,quia eadem materia,& forma eſt aſſignanda in hoc contractu, ac in aliis contractibus ciuilibus,quæ ſacramẽta non ſunt:at in aliis contractibus, materiam eſſe eam de qua contrahitur, & inter contrahentes conuenit: & formam mutuum contrahentium conſenſum ſignis externis expreſſum liquidò conſtat,vt in contractu venditionis res ipſæ, quæ venduntur, ſunt materia contractus, equus ſcilicet, vel domus,& forma eſt conſenſus ipſe, vt expreſſus per verba, vel ſigna: nec antequam matrimonium in ſacramentum eueheretur, alicui Philoſophorum in mentem venit, aliam materiam, & formam aſſignare præter prædictam; ergo in hoc ſacramento conſenſus verbis, vel ſignis expreſſus erit forma, & materia corpora contrahentium.

52. Obiicies primò ex D.Thom.in 4.diſt.26.quæſt.2. vbi expreſsè affirmat, verba coniugum eſſe formam ſacramenti Matrimonij, materiam verò eſſe eorumdem actus. Reſpondetur concedendo D. Thom.in hoc loco fauere Doctoribus relatis ſuprà in 5.concluſione.Sed non minus expreſsè fauet nobis diſt.42.q.3.vbi art.2.in corpore ſic ait. *Dicẽdum, quòd vbicumque inueniuntur illa,quæ ſunt de eſſentia ſacramenti,illud eſt verum ſacramentum: vnde cùm in ſecundis nuptiis inueniãtur omnia,quæ ſunt de eſſentia ſacramenti,quia eſt debita materia,quam facit perſonarum legitimitas, & debita forma, ſcilicet expreſſio conſenſus interioris per verba, conſtat etiam quòd ſecundum matrimonium eſt ſacramentum, ſicut primum.* Ecce ex D. Thom.perſonas cõtrahentes eſſe ipſam materiam.

53. Obiicies ſecundò.Quia in omnibus ſacramentis reperitur materia proxima, & remota, ſed corpora contrahentium nõ ſunt materia proxima,& ex qua ſacramentũ componitur,ſed ſolùm materia remota,& circa quam verſatur; ergo aſſignanda eſt alia materia ex qua,& proxima,ſicut in aliis ſacramentis. Reſpondetur, quòd ſicut in aliis contractibus, aut nulla eſt materia ex qua, & proxima, aut eſt ea ipſa circa quam contractus verſantur:ita in matrimonio. Quod etiam conſtat in compoſito ex accidente, & ſubiecto, quod certè conſtat ſubiecto vt materia ex qua comparatione totius,& ipſum ſubiectum eſt materia circa quam, comparatione accidentis. Vnde ex eo quòd in aliis ſacramentis aſſignetur materia proxima, & remota,non ſequitur eſſe aſſignandam in hoc ſacramento; quia cùm ſacramenium hoc fundetur in contractu, ſequitur naturam ipſius contractus.

54. Obiicies tertiò. Si materia huius ſacramenti eſſent corpora coniugum, ſequeretur matrimonium eſſe quid permanens, ſicut corpora contrahẽtium; hoc autem de nullo ſacramento conceditur, excepta Euchariſtia. Reſpondetur negando ſequelam, quia hæc materia non habet permanentem ſignificationem gratiæ ſanctificãtis, niſi pro eo tempore, quo ſubiicitur ſignis exprimentibus interiorem conſenſum, quæ ſunt forma tranſiẽs.nam Chriſtus non illi materiæ ſeorſum ſumptæ, ſed ſimul cum tali forma dedit eam ſignificationem, vnde licèt phyſicè perſeueret materia, ratio tamen matrimonij vt ſacramentum eſt,non perſeuerat.

55. Denique obiicies, Eccleſiam non poſſe mutare materiam,& formam Sacramentorum. Sed poteſt Eccleſia variare materiam prædictam; quia poteſt vtrumque conſenſum de habili ad contrahendum inhabilem reddere, & è contra; ergo. Reſpondetur, Matrimonium variari ab Eccleſia, non qua parte ſacramentum eſt, hoc eſt, in quantum eſt ſignum ſenſibile,& practicum gratiæ ſanctificantis: ſed qua parte eſt contractus humanus,& liber; qua ratione ſubditus eſt poteſtati Eccleſiæ.

56. Septima concluſio. Miniſter huius Sacramenti ſunt ipſi contrahentes, ita Doctores communiter

contra Canum vbi ſuprà. Et probatur, quia hoc ſacramentum in ipſo contractu conſiſtit; contractum autem non ſacerdos, ſed ipſi contrahentes celebrant; ergo ipſi contrahentes, & non ſacerdos ſunt Miniſtri huius ſacramenti; ac proinde vterque concurrit efficienter, vel phyſicè, vel moraliter, ſecundùm diuerſas opiniones ad producendam gratiam, non ſolùm in ſe ipſo, ſed etiam in altero coniuge. Vnde ſenſus verborum ſacerdotis, dicentis, *Ego vos coniungo*, &c. eſt: Ego vos declaro coniunctos, vel approbo coniunctionem veſtram maritalem: & ideo contrahentes quando in peccato mortali contrahunt, peccăt mortaliter, indignè ſuſcipiendo ſacramentum. An verò etiam committant aliud peccatum indignè miniſtrando, negant Sanctius, & Coninch. quia non ſunt miniſtri conſecrati. Affirmant Lugo diſput. 8. ſect. 9. Vazquez diſp. 136. num. 38. Hurt. & Pontius vbi ſuprà, quia quamuis non ſint Miniſtri conſecrati; ſunt tamen veri miniſtri Chriſti, & videtur grauis deformitas indignè, & in peccato miniſtrare tantum ſacramentum. Vtrumque probabile.

Sectio VII.

Quo iure prohibita ſit Polygamia, ſiue pluralitas vxorum.

57. PRima concluſio. Pluralitas coniugum ſucceſſiuè valida eſt, & licita. In hac concluſione omnes Catholici conueniunt contra hæreticos, & colligitur apertè ex D. Paulo ad Romanos 7. & 1. Corinth. 7. 1.Cor.7. *Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius vivit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino*; & paulo inferiùs. *Dico autem non nuptis, & viduis bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut & ego. Quòd ſi non ſe continent, nubant; melius enim eſt nubere, quàm vri.* & Matth. 22. interrogatus Chriſtus à Sadducæis de muliere, quæ ſeptem viros habuerat ſucceſſiuè, cuius eſſet poſt reſurrectionem futura vxor. Reſpondit, *erratis nescientes Scripturas, in reſurrectione enim neque nubent, neque nubentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei.* Matth 22. Quibus verbis ſatis expreſſit, matrimonium toties repetitum non eſſe illicitum, & probatur, quia morte vnius coniugis diſſoluitur vinculum, & obligatio in ſuperſtite, quandoquidem non eſt, cui ſit obligatus; ergo liberè poteſt contrahere cum altero, ſi quidem ex priori matrimonio, nullum relinquitur impedimentum.

58. Obiicies primò. Quia nullus punitur ob rem licitam, cùm pœna ſupponat culpam; ſed qui ſecundò nubit, manet irregularis, itavt non poſſit ad ſacros Ordines promoueri, cap. 1. & 2. de bigamis. Item in iure ciuili ſtatutæ ſunt pœnæ adnersùs eos, qui ad ſecundas nuptias tranſeunt. Inſuper benedictio denegatur ſecundis nuptiis; ergo ſecundæ nuptiæ ſunt illicitæ. Reſpondetur irregularitatem incurri ratione bigamiæ, & non quia ſecundæ nuptiæ illicitæ ſint, quia ſecundo matrimonio deficit perfecta ratio ſacramenti, non quidem ſacramenti propriè gratiam conferentis, quia hæc ratio non deficit illi; ſed ſacramenti impropriè, id eſt, ſignificationis vnionis Chriſti cum Eccleſia, quæ vnica eſt. Quod genus irregularitatis impoſuit Eccleſia 1. ad Timoth. 3. vbi dicitur, Epiſcopum debere eſſe vnius vxoris virum: irregularitas autem abſque aliqua culpa poteſt incurri. Quòd ſi imponitur pœnitentia in iure his, qui ſecundò nubunt, non eſt quia id illicitè faciant, ſed ob eorum præſumptam innocentiam. Denique ſi aliquando denegatur benedictio ſecundis nuptiis, non eſt quia ſint inualidæ, aut illicitæ, ſed quia, cùm alia vice benedicti ſint, eorum benedictio iterari non debet, ne repetitione vileſcat, vt docuit Vrbanus Papa III. de ſecundis nuptiis cap. 3.

59. Secunda concluſio. Polygamia iure diuino poſitiuo prohibita eſt in lege euangelica. Hæc eſt de fide diffinita in Tridentino ſeſſ. 24. can. 2. *Si quis dixerit licere Chriſtianos, plures ſimul habere vxores, & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit.* Trident. Et colligitur apertè Matth. 5. & cap. 19. Marci 10. Lucæ 16. quibus locis Chriſtus expreſsè docet, eſſe adulterum eum, qui dimiſſa vxore ducit aliam: quod non eſſet ſi viuente priori, alia poſterior eſſet vxor illius. Expreſſiùs continetur præceptum de Monogamia, hoc eſt, de vnitate vxoris, 1. Corinth. 7. *His autem qui matrimonio coniuncti ſunt, precipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* 1.Cor.7. Notanda ſunt etiam verba Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos. Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem*, &c. *Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro.* Matth.19. Quæ verba ſic premit D. Hieronymus in eum locum. *Propter hanc rationem non dici, maſculum, & fœminas creauit eos, ſed maſculum, & fœminam: neque adhærebit vxoribus, ſed vxori: neque propter has relinquet patrem, & matrem; ſed propter hanc: neque erunt plures in carne vna, ſed duo.*

60. Tertia concluſio. Polygamia iure naturali eſt irrita, & illicita, & probatur ratione, quia contractus matrimonij celebratur inter eos, quorum vterque quantum ad rem de qua contrahit, eſt æqualiter ſui iuris, & ex vi huius contractus, vterque ſe donat, & tradit alteri æqualiter; ita vt quantum eſt ius, quod vir acquirit in corpus mulieris, tantum eſt ius, quod mulier acquirit in corpus viri, vt docuit Paulus loco vbi ſuprà. *Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir; ſimiliter vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed mulier.* ergo ſicut mulier ſe donat viro, vt nihil naturalis iuris retineat ad ſe donandum alteri ſimul vito, & validè cum eo contrahendum: ſic mulieri ita ſe donat vir, vt nihil retineat iuris naturalis ad ſe donandum ſimul alteri mulieri, & ad ineundum validè cum ea coniugium. Quæ ratio æquè conuincit de vtroque coniuge, videlicet pluralitatem maritorum ſimul cum vna vxore, & pluralitatem vxorum ſimul cum vno viro, iure naturali eſſe illicitas, & irritas.

61. Quamquam de pluralitate maritorum ſit etiam alia ratio, quia hæc pluralitas eſt contra primarium finem contractus matrimonij, videlicet contra prolis generationem, cui, teſte experientia, pluralitas virorum maximè nocet, & bonæ educationi prolis.

62. Quarta concluſio. Antiquis Patriarchis, tam pro ſe, quàm pro toto populo Dei, facta fuit diuina conceſſio, vt plures vxores ſimul haberent; non quidem poſitiua aliqua lege lata verbo, vel ſcripto id permittente; ſed interioti Dei inſpiratione, ita expreſsè D. Thom. in 4. diſt. 33. quæſt. 1. art. 2. ad 3. Hæc autem conſuetudo exemplo populi Dei extenſa fuit ad reliquas gentes.

63. Obiicies, quia ius naturæ eſt inuariabile, vt patet Inſtitut. de iure naturali, gentium, & ciuili.

§. *Sed*

§. *Sed & naturalia*; & in iure Canonico distinct. 5. cap. *ea quæ*: ergo sicut non licet modò pluralitas vxorum, quia est contra ius naturæ, ita numquam licuit. Huic obiectioni optimè occurrit Hurt. disp. 9. diff. 2. Id quod erat contra ius naturale concessione Dei desinere esse contra illud, quia desinit esse contra ius vxoris; quia Deus vt supremus dominus corporum, potest concedere viro facultatem, vt validè & absque iniustitia in vxorem, suum corpus tradat aliis vxoribus: sicut diuina concessione facta alicui vt alterum occidat, vt eius bona accipiat, occisio, & bonorum acceptio desinunt esse contra ius naturale, quia Deus est supremus dominus tam vitæ, quàm bonorum omnium. Hinc fit eodem modo posse Deum permittere mulieri, multis simul validè, & licitè nubere, ob eamdem rationem.

64. Obiicies ex Bellarm. lib. de Matrimon. cap. 11. Matrimonium vnius mulieris cum multis simul viris repugnare primario fini matrimonij, scilicet generationi prolis, quæ eo modo maximè impeditur, vt constat ex meretricibus, quæ sunt steriles vtplurimum. Respondetur, quòd etiamsi hoc incommodum sequatur, cùm Deus sit liberorum, ac parentum absolutus dominus, posset Deus liberè illud velle, aut permittere pro suo in omnes supremo, & absoluto dominio, & illi malo alio remedio occurrere, quod non deesset diuinæ sapientiæ.

DISPVTATIO III.

De causa efficienti Matrimonij, hoc est, de consensu absoluto.

SECTIO I.

An mutuus consensus contrahentium sit omnino necessarius, vt Matrimonium consistat.

1. CONCLVSIO est affirmatiua, & colligitur apertè ex Concil. Florentino in decreto fidei, vbi Eugenius IV. Id expressè diffinit, dum ait, *Causa efficiens matrimonij, regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus.* Vnde si consensus contrahentium referatur ad ipsam essentiam contractus ciuilis, iam inter fideles eleuati à Christo Domino ad rationem sacramenti, secundùm Tridentinum sess. 24. Can. 1. non est verè & propriè causa efficiens, sed formalis constituens matrimonium vt contractus est: si verò referatur ad potissimum eius contractus effectum, scilicet ad stabile vinculum coniugale, etiam perseuerans contractu celebrato, verè, & propriè est causa efficiens physica, aut moralis; quo modo intelligendus est Eugenius IV. Iam probatur conclusio de matrimonio sumpto pro contractu, quia contractus essentialiter includit mutuum consensum contrahentium, & sic diffinitur ab Vlpiano, *vtro citróque obligatio*, addunt Doctores *ex partium voluntate, & pactione consurgens.* Confirmatur, quia contractus est quoddam pactum; pactum autem intrinsecè, & essentialiter includit consensum. l. 1. ff. de Pactis §. 1. Institut. de emptione, & venditione. Vbi pactum diffinitur, *duorum, aut plurium in idem placitum atque consensus.* Idem probatur, si matrimonium sumatur pro sacramento, quia sacramentum Matrimonij est ipsemet contractus à Christo eleuatus.

Est tamen difficultas, an ita sit necessarius consensus contrahentium, vt prædicto coniugali vinculo associentur, vt nequeat tale vinculum aliunde proficisci, scilicet à Deo vtente sua potestate absoluta. In qua re Sanct. lib. 2. disput. 26. cùm aliis aduertit, duo esse certa apud omnes. Primum, matrimonium vt sonat contractum ciuilem viri & fœminæ, non posse consistere sine ipsorum consensu; quia huiusmodi contractus ciuilis essentialiter constat vtroque consensu viri, & fœminæ. Secundum, Deum vtpote supremum dominum omnium animatum & corporum, posse dare viro, & fœminæ ius in alterius corpus, ac subinde posse eos colligare in ordine ad finem matrimonij: itaque eò tendit difficultas, an huiusmodi ius datum à Deo, verè & propriè esse, ac dici possit vinculum coniugale. Negat Sanctius cum pluribus ab ipso relatis, quos sequitur Ochogauia tractatu 2. quæst. 8. & Fillucius cap. 3. 2.

Affirmant Meratius disp. 7. sect. 1. Becanus de Matrimonio cap. 45. Enriquez, & Coninch, quos refert & sequitur Hurt. disp. 3. diff. 6. & probatur, quia si vir propter dominium, quod habet sui corporis, potest libera sua voluntate tradere mulieri ius iustitiæ in illud in ordine ad actum coniugalem & prolis generationem, & vicissim mulier viro: multo magis id poterit Deus ob supremum, & absolutum dominium in res omnes creatas: prædictum autem vinculum ortum ex Deo certè nequit aliud esse, quàm coniugale, quia coniuges nullo alio modo se possunt constringere, nec actualiter se constringunt vinculo matrimonij, quàm tribuendo illud ius. Eo vel maximè, quia vinculum matrimonij essentialiter consistit in prædicto mutuo iure, & obligatione ex illo naturaliter resultante; ac proinde, qui auctor & causa est illius mutui iuris, necessariò est auctor & causa istius mutuæ obligationis. 3.

Obiicit Sanctius primò, quia consensus coniugum est de essentia status, seu vinculi matrimonij, aut essentialiter debet supponi ad illud: ergo vinculum matrimoniale nequit esse sine mutuo consensu. Confirmatur primò, quia matrimonium ex sua essentia est vinculum mutui amoris, diffinitur enim, animorum corporumque coniunctio: vinculum autem mutui amoris sine mutuo consensu esse non potest. Confirmatur secundò, quia illa coniunctio animorum pendet ab vtriusque voluntate consentiente, non solùm in genere causæ efficientis, sed etiam in genere causæ formalis; est enim affectiua coniunctio amantis, & amati ab amore voluntatis procedens, & dependens. Confirmatur tertiò, quia Deus non potest matrimonio copulare dissentientes: ergo necnon consentientes. Respondetur, omnia quæ tam in argumento, quàm in confirmationibus adducuntur, vera esse de matrimonio sumpto pro actuali contractu, & falsa de matrimonio accepto pro vinculo coniugali, quia cùm mutuus consensus sit causa efficiens illius, vt docet Florent. omnino est extra eius essentiam, & quid extrinsecum. 4.

Obiicit secundò, vinculum matrimonij nihil aliud est, quàm relatio quædam consurgens ex mutuo coniugum consensu, tanquam ex fundamento: ergo nequit fieri à solo Deo, sicut nequit fieri paternitas in aliquo absque generatione ab eo prouenient. Respondetur, fundamentum illius 5.

relationis, siue illa realis sit, siue tantùm rationis, seu denominatio extrinseca, esse omne illud ex quo potest oriri in vtroque coniuge mutuum ius, siue sit mutuus contrahentium consensus, siue dominium à Deo concessum: quod constat exemplo relationis serui ad dominum, cuius fundamentum esse etiam potest diuina voluntas, quæ pro absoluto in eum dominio, potest eum in seruum tradere, cui placuerit.

6. Obiicit tertiò, statum religiosum non posse à Deo in aliquo fieri absque eius consensu libero; ergo neque status matrimonialis. Respondetur, si status religiosus sumatur pro actuali promissione, quæ Deo fit, non posse à Deo fieri absque libero consensu Religiosi; at si sumatur pro vinculo, seu obligatione naturaliter consequente illam promissionem, posse à solo Deo fieri, imponendo illi obligationem, & præceptum, quo obligetur ad id, quod ipse sese obligat dum vouet.

7. Ego tamen opinor, hanc controuersiam vocibus hærere, & posse has duas sententias facilè conciliari. Quare si per vinculum coniugale, velis intelligi illud quod tantùm oritur ex mutuo consensu contrahentium, concedo prædictum vinculum non esse coniugale. Si verò per vinculum coniugale intelligas vinculum inter virum, & fœminam, vt alter potestatem habeat in corpus alterius, siue tale vinculum immediatè oriatur à Deo, siue aliunde ex consensu contrahentium, negari non potest prædictum vinculum esse coniugale. In priori sensu procedit prior sententia, in secundo verò posterior.

8. Secundò potest esse difficultas, an huiusmodi vinculum (dicatur, aut non dicatur coniugale) possit viro ac fœminæ accedere ex humana potestate Ecclesiastica, aut ciuili. Fatentur omnes, quamuis Princeps Ecclesiasticus, aut secularis, possit præcipere vt vir, aut fœmina consentiant in matrimonium, tamen sine eorum consensu, neutiquam posse eosdem maritali vinculo copulari, quia Princeps Ecclesiasticus, aut secularis, non potest dare viro ius in corpus fœminæ; aut fœminæ in corpus viri, quia id non expedit bono communitatis, cui satis consulitur, si præcepto aliquo viri, aut fœminæ compellantur ad matrimonium ipsismet consentientibus. Nec hactenus vnquam visum fuit, vt vir, & fœmina absque proprio consensu vinculo coniugali associentur. nam ad tot onera, quæ secum affert tale vinculum, oportuit contrahentium consensum expectari.

9. Obiicies ex cap. *hii qui fidem* 3. de sponsalibus, vbi decernitur, *sponsalia transire in matrimonium per copulam subsequutam*, & ex cap. final. de conditionibus appolit. Vbi etiam decernitur, *matrimonium sub conditione impossibili contractum esse validum*; & tamen in his sæpe deficit consensus contrahendi: ergo potest Ecclesia absque coniugum consensu eos vinculo coniugali associare. Respondetur, in neutro ex illis casibus in foro interno matrimonium fieri, si consensus deficiat: tamen, quia ex facto ab Ecclesia præsumitur talis consensus, in foro exteriori matrimonium validum esse iudicat, & probationem dissensus contra talem præsumptionem non admittit.

10. Obiicies secundò, quia Eugenius vbi suprà dixit, *causam efficientem matrimonij regulariter esse mutuum consensum contrahentium*; ergo aliquando extra morem ordinarium potest esse aliud, nempe humana potestas, causa efficiens matrimonij, hoc est, vinculi coniugalis, vt supra exposuimus. Respondetur, particulam *regulariter* non esse construendam cum illo verbo *mutuus consensus*, sed cum illo, *per verba de præsenti expressus*; quia expressio etsi regulariter fiat per verba, quandoque tamen fit per nutus, & alia signa, vt in muto contrahente, &c.

SECTIO II.

An ad valorem Matrimonij sufficiat consensus fictus.

CONclusio est negatiua. Si quis animo simulato, & fictè contrahat absque interiori consensu, verè, & in foro conscientiæ non contrahit matrimonium, nec eius vinculo ligatur, & ratio est, quia matrimonium non concubitus, & coitus, sed consensus, & voluntas facit: ergo vbi deest consensus interior, deest quoque contractus, & matrimonij vinculum ex tali consensu procedens. Et confirmatur ex cap. *Tuanos*, de sponsalibus, & cap. *Sufficiat* 27. quæst. 2. & cap. *Cùm locum*, de sponsalibus, vbi expresè habetur nostra decisio. Sed aduertunt omnes Theologi, & Canonistæ cum Sanctio lib. 2. disput. 32. & Recentioribus communiter, sic contrahentem fictè peccare mortaliter, tum contra reuerentiam debitam sacramento, tum etiam contra iustitiam, fit enim grauis iniuria personæ deceptæ: quinimo teneri deposita simulatione verè consentire, si aliter non possit resarcire damna. 11.

Sed difficultas est, quomodo istud simulatum matrimonium, aliudve simile, quod nullum fuit, ratificare oporteat. Plures Doctores quos refert, & sequitur Sanctius, vbi suprà, opinantur, quando matrimonium fuit nullum ex defectu consensus, satis esse interiùs verum consensum elicere, vel copulam habere maritali affectu, qui est virtualis quidam consensus, quando opus sit exteriùs illum exprimere, vel quòd alter coniux denuo consentiat. 12.

Oppositam sententiam tenet Hurt. disput. 3. diff. 9. Pontius lib. 4. cap. 14. qui adducit pro se quoddam responsum Clementis VIII. asserentis, opus esse in tali casu iterari consensum eius, qui primitus consensit, alio simulante consensu. Et probat, quia ille qui verè consensit, etiam habitualiter destitit à suo consensu, dum alter fictè consensit: ergo vt reualidetur contractus, vtriusque consensus necessarius est, tam eius, qui fictè, quàm qui verè consensit. Antecedens probatur, quia qui verè & legitimè consensit, credit contractum iam esse perfectum; ergo desistit ab eo consensu, seu intentione, & voluntate contrahendi. Et confirmatur, quia si opinio contraria admitteretur, latissima aperiretur via hominibus sceleratis ad decipiendas sæpe fœminas, si semel sibi persuadeant non teneri ad contrahendum. Neque satis erit interiùs renouari consensum, sed necessarium est, vt exteriùs renouetur. Confirmatur secundò, quia forma huius sacramenti sunt vtriusque consensus signo exteriori expressi; quare nisi sint simul moraliter, ita vt ad eamdem rationem ordinari videantur, non est tota forma, sed pars formæ: ergo ille contractus à principio fuit nullus ex defectu veritatis formæ; ac proinde non potest cum sequenti consensu alterius vnum contractum legitimum matrimonij efficere, sed vterque simul renouari debet. 13.

Hæc sententia mihi videtur probabilior, quamuis 14.

Digitized by Google

nis prima ſua probabilitate non careat, quia videtur in caſu quæſtionis ſufficere, vt ſupplcatur defectus tantùm ex parte eius in quo fuit, nempe ex parte fingentis. Et falſum videtur ex parte alterius, qui verè conſenſit, non perſiſtere ſemper habitualiter eius conſenſum. In vtraque tamen ſententia certum eſt, ſolum eſſe ſupplendum defectum ex parte conſenſus, & priſtinam aſſiſtentiam Parochi & teſtium, non eſſe iterandam.

15. Ex quibus infertur, quandoquidem conſenſus contrahentium faciunt matrimonium & coniunctionem coniugalem, aliorum conſenſum, ſcilicet parentum, vel tutorum, expectari non deberi ad valorem contractus matrimonij, ſed illis inuitis, adhuc valere contractum, vt expreſsè diffinitur in Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reformatione Matrimonij. Ad valorem, inquam, matrimonij, quia vt liberi licitè contrahant, dum parentibus ſuppetit rationabilis cauſa eos retrahendi à matrimonio, parentum beneplacitum deſiderari oportet, vt ferè omnes Theologi apud Meratium diſput. 7. ſect. 18. Qui meritò repellit Sanctium aſſerentem, filios iure pietatis teneri petere conſilium à parentibus, vt matrimonium contrahant, ſed eiſdem non teneri parere. Meritò, inquam, quia ius pietatis filiorum erga parentes non modò poſcit, vt eos conſulant in rebus tanti momenti, ſed vt eis quoque obſecundentur, ne ab honeſto in turpe aliquod declinent coniugium.

16. Maior tamen difficultas eſt, an ad legitimam renouationem conſenſus requiratur, vt coniux ignarus fiat conſcius nullitatis. In qua re Sanctius lib. 2. diſput. 32. exiſtimat, quando matrimonium fuit nullum ex defectu conſenſus vnius qui fictè conſenſit, aut ex metu, neceſſarium non eſſe vt vterque fiat conſcius nullitatis, ſed tantùm vt verè conſentiat ille qui fictè conſenſit. Addit verò diſput. 36. ſi matrimonium fuit nullum ex aliquo impedimento dirimente matrimonium, neceſſarium eſſe notificare ignaro nullitatem contractus, ſi nullum timetur ſcandalum, nec infamia, nec periculum, attenta conditione viri, & fœminæ; ſi verò timeatur, nec poſſit extorqueri conſenſus, aliqua cautela vtendum: vt ſi coniux impedimenti conſcius, ſic ab alio petat, vt conſentiat quaſi tunc contraheretur matrimonium. Diligis me ita, vt ſi inter nos non fuiſſet matrimonium contraheres, & ex nunc vis me in coniugem, ac ſi non fuiſſet hactenus validum: quòd ſi neque hoc modo extorqueatur conſenſus, poterit abſque verbis matrimonium illud conſiſtere media copula carnali affectu maritali habita.

17. Probabilius & verius eſt quod docet Hurt. & alij plures apud ipſum diſp. 5. diffic. 10. in vtroque caſu vtrumque coniugem conſcium debere fieri de nullitate matrimonij, & omnino ignarum nullitatis alio modo non poſſe ſufficienter conſentire ad reualidandum matrimonium nullum. Ratio eſt, quia ille contractus à principio fuit nullus ex defectu conſenſus, ſaltem vnius coniugis, ac proinde reualidari debet cum intentione tradendi denuo dominium corporis, & de nouo ſe obligandi, quia abſque hac intentione contractus matrimonij non poteſt eſſe validus; at in eo qui caret notitia nullitatis, & credit fuiſſe validum, nequit eſſe talis intentio, niſi adſit aliqua notitia, ſaltem formidoloſa, qua iudicet fortaſſe contractum fuiſſe nullum: ergo ad reualidandum dictum contractum, neceſſariò requiritur aliqua notitia nullitatis.

SECTIO III.

Quodnam ſit obiectum, & materia, circa quam verſari neceſſariò debeat coniugum conſenſus.

18. SIt concluſio, præfatus conſenſus expreſsè fertur vt in obiectum, & materiam circa quam, in mutuam dominij corporum tranſlationem & acceptationem, & in vinculum, ſeu ius, & poteſtatem corporibus vtendi in ordine ad actum coniugalem, & carnalem copulam; non quidem explicitè, ſed implicitè.

Dixi primò, *In mutuam traditionem dominij.* Dominij, inquam, non pleni, & ſtrictè ſumpti, ſed lata quadam ratione, prout ſignificat, non ius in re, ſed ad rem. Etenim coniuges non mutuò dominantur corporibus dominio perfecto, vti mancipiis dominantur domini; ſed tantùm ius habent ad rem, id eſt, ad actum coniugalem, & carnalem copulam, & ad ea quæ annexa ſunt vinculo coniugali.

Dixi ſecundò, *mutuam corporum traditionem, & acceptationem.* Quia contractus matrimonij ſola traditione non conſtat, ſed perficitur mutua acceptatione.

Dixi tertiò, *Non explicitè*, contra Medinam lib. 5. cap. 7. poſtulantem ad matrimonium explicitum conſenſum, & propoſitum carnalis copulæ. Quia, vt pulchrè S. Thom. 3. part. quæſt. 29. art. 2. explicita voluntas copulæ carnalis, non deſideratur in matrimonio, ſed ſufficit implicita. Ideo, inquit, inter virginem matrem Dei, & Ioſeph, verum omnino fuit matrimonium, quia vterque conſenſit in copulam coniugalem (id eſt, in vinculum coniugale prædictum) non autem expreſsè in copulam carnalem. Quia ergo conſenſus explicitus in vinculum coniugale, neceſſarius eſt ad eſſentiam, ſeu integritatem matrimonij; non tamen expreſſus ad copulam carnalem, cum firmiſſimo propoſito colendæ caſtitatis, & perfectiſſima virginitate, potentia ac debitum ad carnalem copulam ſtare poteſt, vt in ſanctiſſimo & putiſſimo coniugio Deiparæ & Ioſeph cernere licet.

19. Dixi quartò, *ſed implicitè.* Primò contra Pontium, prima part. variarum diſput. quæſt. 5. ſcholaſt. & tractat. de impediment. matrimonij cap. 31. aſſerentem, poſſe ſtare verum & perfectum matrimonium amoto omni ordine, etiam implicito ad copulam carnalem, cuius contrarium expreſsè docet S. Thom. ſuprà quæſt. 29. art. 2. & in 4. diſt. 28. quæſt. 1. art. 4. *Matrimonium*, inquit, *non eſt eſſentialiter ipſa coniunctio carnalis, ſed quædam aſſociatio viri, & vxoris in ordine ad carnalem copulam, & hæc aſſociatio coniugalis copula dicitur. Vnde patet, vt bene dixerunt illi, quòd conſentire in matrimonium, eſt conſentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè.* Hæc D. Thom. Deinde ſecundò contra alios excludentes à matrimonio ordinem implicitum ad copulam carnalem alio titulo, quatenus videlicet exiſtimant, traditionem corporum in coniugio, ſolùm inducere dominium ſupra corpus coniugis præciſè, ne alteri poſſit commiſceri; ſecus verò vt ſibi debitum reddat per copulam coniugalem, & vſum corporis carnalem. Quod inde clarè etiam falſitatis euincitur, quòd tale dominium, ſi copulam carnalem ſecludas ad inuicem reddendam, poſſit inueniri inter virum, & virum; vnde conſiſtere nequit, viri & fœminæ naturale, & maritale coniugium, prædicto illo dominio: quod ſi inuenitur

inter

inter virum, & fœminam ideo est, quia supponit aliud dominium proprium matrimonij, ratione cuius vxor viro, & vir vxori debitam reddit copulam carnalem, quia ex hoc debito oritur, ne alteri possit commisceri citra iniuriam coniugis.

20. Conclusionem nostram vniuersa fere Theologorum schola probat, quos memorat, & sequitur Meratius disp. 7. sect. 3. & Hurt. disp. 3. diff. 5. Qui vehementer decipitur dum asserit, hanc esse quæstionem de nomine inter Pontium, & alios excludentes ab essentia matrimonij etiam implicitum ordinem ad copulam, & inter communem sententiam prædictum ordinem postulantem, quia re ipsa vtrique discordant, dum illi dicunt posse consistere matrimonium per solam vitæ societatem, nulla habita ratione copulæ carnalis, etiam in debito, & in potentia. Hi verò econtra asseuerant, habendam esse rationem copulæ carnalis, saltem in debito & in potentia, quibus plurimum suffragatur Paulus 1. ad Corinth. 7. & Eugenius IV. dum primum & potissimum bonum matrimonij prolem designant, quod sine implicito saltem ordine ad copulam carnalem, qua proles procreatur, stare non potest.

21. Iam probanda est conclusio, & prior pars probatur, quia illa corporum traditio pertinet ad essentiam matrimonij, vt suprà ostendimus; ergo vt matrimonium subsistat, necessariò, & essentialiter debet ferri consensus in mutuam corporum traditionem.

Secunda etiam pars constat, quia illud vinculum, seu ius dominij, necessariò efficienter resultat ex essentia matrimonij: ergo etiam necessariò debet ferri consensus in illud, quia qui absolutè rem aliquam vult, necessariò etiam vult ea quæ ipsam essentialiter necessariò consequuntur. Et vtraque pars amplius probatur, quia videlicet vir, & fœmina per voluntarios consensus in matrimonium, & voluntatem efficacem redigendi suum corpus in alterius potestatem, eiusdem corporis transferunt dominium in alium coniugem in ordine ad copulam carnalem, & vtum coniugalem, cuius debitor est vterque alteri, vt testatur Paulus vbi suprà, id

1. Cor. 7. explicans, *Mulier, inquit, sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem, & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier. Et vxori vir debitum reddat: similiter vxor viro.*

22. Tertia denique pars manet suprà probata contra Medinam, quia copula carnalis non pertinet ad essentiam, nec ad integritatem matrimonij, vt rectè ostendit Meratius disp. 2. sect. 5. ex D. Thom. in 4. distinct. 26. nam copula carnalis tantùm est actus potestatis, & vsus rei per matrimonij contractum comparatus; is autem actus & vsus nunquam dicitur pars contractus; ac proinde cùm matrimonium dicitur per copulam consummari, non ideo dicitur, quia matrimonium compleatur quoad aliquam sui partem integrantem, sed quia potestas, & dominium rei per propriam operationem, & actum completur: ergo perfectissimum matrimonium stare potest absque explicito consensu in copulam, imò cum explicito dissensu contrario. Confirmatur & declaratur, quia cùm dominium rei distinguatur ab vsu, potest dari explicita volitio iuris, ac dominij ad aliquem actum, cum explicita nolitione vnquam exercendi illum actum, quia potest quis velle potestatem illam non vt liberam, & expeditam ad actum, sed vt ligatam, & impeditam ob promissionem Deo, vel homini factam nunquam exercendi talem actum, vt de sanctissimo connubio sanctæ Deiparæ & S. Ioseph prædiximus.

Obiicies, tale dominium in mutua corpora est omnino inutile, quia nullum habet vsum: ergo est nullum. Respondetur cùm dominium distinguatur ab vsu, non repugnat habere aliquem dominium inutile, absolutè tamen dominium illud non est inutile, efficit enim, vt coniuges nequeant aliud matrimonium contrahere, & si ad alium, vel ad aliam accedant, adulterium committant, & nisi vouerent castitatem, si sponte se cognoscant non peccent. Ex dictis 23.

Infertur primò, contra Pontium, non solùm ante Decretum, & motum proprium Sixti V. quod refertur à Ledesma quæst. 59. art. 1. Matrimonium contractum ab Eunuchis, dum in ordine ad copulam carnalem contractum fuit, sed etiam contractum quomodolibet, etiam ad castè viuendum, esse inualidum, quia nulla ratione contrahere valuerunt in alium finem vero contractu matrimonij; quia si in ordinem ad copulam carnalem contrahere tentauerunt, inualidè quidem, vt ipse Pontius fatetur; non ergo illorum matrimonium validum fuit, sicut neque eorum, qui modò contrahunt, laborantes impotentia ad carnalem copulam cognita impotentia, etiamsi contrahant ad castè viuendum; in quo etiam decipitur Pontius, vt amplius infrà suo loco. Itaque consensus in aliam coniunctionem, quam in maritalem ordinatam ad copulam modo dicto non facit matrimonium. 24.

Colligitur secundò, contra Meratium disput. 7. sect. 3. non bene implicantiæ & falsitatis arguere Sanctium, dum lib. 2. disput. 28. asseruit, implicitum consensum ad copulam carnalem necessarium esse ad essentiam, seu integritatem matrimonij, ex parte quidem contractus, non tamen ex parte contrahentium. Quod probè intellectum verissimum est. nam hic est sensus legitimus à Sanctio intentus: quòd implicitus consensus ad copulam necessarius est ex parte contractus, id est, ex parte illius consensus, quem essentialiter contractus requirit: quamuis non sit necessarius vllus alter consensus ad copulam ex parte ipsorum contrahentium, in quibus potest esse voluntas alia exclusiua omnino omnis actualis copulæ carnalis, vt sæpe dictum est in augustissimo & facto coniugio Virginis Mariæ & S. Ioseph, in quibus coniunctum est coniugale vinculum, cum perfectissima castitate. 25.

Sectio IV.

An ad contractum Matrimonij, sufficiat consensus internus.

PRima conclusio. Ad huiusmodi contractum non sufficit consensus merè internus, sed requiritur, vt exteriùs significetur. Ita communiter Doctores, & probatur, quia hic contractus est respectiuus: sed in contractibus respectiuis ex vtraquè parte extat obligatio; ergo necessariò debet vtrique manifestari consensus. Probatur consequentia, quia cùm sit vltrò citróque obligatio, ad id omnino requiritur, vt consensus manifestentur. Hinc fit, quòd quamuis Deus reuelaret mutuum consensum vtriusque, neuter acquireret actionem in consentiente, quia isti contractus sunt humani, ac proinde hominum degentium, & constituentium Rempublicam politicam, & externam, quæ ex natura sua petit, vt externo sermone, aut signis, res quælibet agatur, & contractus celebrent ur. 26.

Secunda

Digitized by Google

27. Secunda concluſio, verba non ſunt neceſſaria ſimpliciter ad valorem huius contractus, ſed adhuc in potentibus loqui ſufficiunt ſigna, dummodo ſint æquiualentia, ſeu ſufficientia ad exprimendum contractum; ita etiam communis ſententia, & probatur, quia nullo iure ſtatutum eſt, vt hic contractus verbis celebretur; nec ſunt neceſſaria ex inſtitutione Chriſti, quia Chriſtus eleuando matrimonium ad eſſe ſacramenti, nihil immutauit circa naturam illius. Nec denique ſunt neceſſaria ex præcepto Eccleſiæ, quia eiuſmodi præceptum nullibi extat. Quamuis ergo verba ſint conuenientiſſima, tamen hic contractus validè celebratur nutibus, ſcriptura, vel aliis ſignis æquiualentibus, & conſenſum ſufficienter exprimentibus. Et etiam taciturnitati puellæ, vel pueri, quando altero contrahente exprimente ſuum conſenſum. Pater, vel mater, vel etiam tutores, curatores, vel qui pupillorum curam gerunt, reſpondent pro puella, vel puero, eius conſenſum exprimendo.

28. Verba, vel ſigna talia debent eſſe, vt exprimatur conſenſus de præſenti. Quòd ſi fuerint dubia, attendenda eſt mens, & intentio contrahentium, quid illis verbis ſignificare voluerint. Si autem de hac intentione conſtare non poſſit, inſpicienda eſt propria, & communis ſignificatio verborum apud eas gentes, inter quas matrimonium contrahitur. Quòd ſi adhuc res eſt obſcura, fauendum eſt potiùs matrimonio, ſi iam eſt contractum, & in illius fauorem iudicandum. Ita Pontius lib. 2. cap. 8.

29. Illud tamen non omittam, quòd quamuis iure antiquo ex copula habita poſt ſponſalia præſumatur ab Eccleſia matrimonium contractum, cap. *Veniens* 15. & cap. *Ita qui fidem*, & cap. *finali*, de ſponſalibus. Tamen poſt Tridentinum vbi viget, non tranſeunt ſponſalia in matrimonium quando neque ſponſalia, neque copula fuerunt habita coram Parocho, & aliis teſtibus; quia abſque eorum præſentia matrimonium contractum inualidum eſt. Immo etiamſi copula habeatur coram Parocho, & aliis teſtibus, ſponſalia non tranſeunt in matrimonium adhuc præſumptum, vt declaratum eſt à Congregatione Eminentiſſ. Cardinalium, vt habetur apud Rebellum num. 42. Quia copula adhuc præſuppoſitis ſponſalibus, non eſt verum ſignum conſenſus, ſed tantùm indicium contractus facti ante copulam ipſam, quod certè indicium fallax eſſe poteſt.

Sectio V.

An ſit neceſſarium, quòd conſenſus contrahentium ſimul tempore exprimatur.

30. Concluſio eſt negatiua, quam ſequuntur Sanctius lib. 2. diſp. 32. Pontius cap. 16. & cæteri Theologi communiter, & probatur ex aliis contractibus, in quibus non requiritur quòd contrahentes ſimul tempore proprias voluntates manifeſtent. l. 1. § 1. ff. de verborum obligatione, & l. 1. § ſed verius, ff. de contrahenda emptione; ergo neque requiritur ad matrimonium. Quod etiam manifeſta experientia conuincitur in matrimoniis per epiſtolam, nuntium, aut Procuratorem celebratis, in quibus conſenſus ſimul exprimi non poteſt, vt conſtat.

31. Hoc idem probatur ſi loquamur de matrimonio, quatenus ſacramentum eſt; quia ſi illud non exigit vt contractus; neque etiam exiget vt ſacramentum; quia natura contractus non eſt immutata ex eius eleuatione ad eſſe ſacramenti. Tum etiam, quia in aliis ſacramentis in prolatione formæ, & applicatione materiæ, aliquando non parua diſtantia temporis interuenire ſolet: ſæpe enim poſt confeſſionem peccatorum, multo pòſt, datur, & profertur abſolutio: ergo quamuis neceſſarium ſit eo tempore perſeuerare conſenſum actu, vel habitu, quo alter coniux ſuum præbet conſenſum (perſeuerat autem quo vſque non reuocatur) ſimul tamen exprimi neceſſarium non eſt; eo enim modo datur ſimultas moralis, & ſufficiens, quamuis phyſica non intercedat.

32. Obiicies primò, quia hæc doctrina non cohæret cum his quæ ſuprà docuimus ſectione 2. ſecundùm probabiliorem ſententiam, videlicet, cum, qui conſentit in eam, quæ fictè conſenſit, non perſeuerare habitualiter in priori conſenſu, & intentione contrahendi, ac proinde renouari debere vtriuſque conſenſum, & non tantùm illius, qui fictè contraxit, vt matrimonium validum ſit. Reſpondetur negando aſſumptum, quia, vt ibidem docuimus, qui verè conſenſit, credit iam contractum fuiſſe perfectum, ac proinde nec habitualiter perſeuerat in intentione contrahendi; eſt igitur longè diſpar ratio in caſu de quo hîc loquimur.

33. Obiicies ſecundò, quia ſi expreſſio conſenſus vnius præceſſit: ergo iam præteriit partialis forma huius contractus, & ſacramenti; ergo neceſſe eſt, quando poſtea aduenit expreſſio alterius, vt iterum renouetur. Reſpondetur ſatis eſſe, quòd prior expreſſio maneat in virtute, & habitualiter, ad quod ſufficit, quod conſenſus priùs expreſſus, non ſit reuocatus, ſed quaſi ſuſpenſus, expectans expreſſionem alterius.

34. Quæ autem mora ſufficiat inter expreſſionem vtriuſque coniugis, vt dicatur eſſe ſimultas moralis non conuenit inter Doctores. Hurt diſputat. 3. difficul. 8. ſequutus Nauarrum cap 21. num. 80. exiſtimat, nullam temporis diſtantiam inter vtriuſque conſenſum, quamuis maximam, obſtare valori matrimonij, dum prior conſenſus ſaltem habitualiter permaneat. Sanctius lib. 2. diſput. 12. ſequutus Couarruu. Enriquez. Ledeſm. & Sotum, docet requiri quòd non ſit maxima diſtantia inter vtriuſque conſenſum. Diſcrepant etiam iſti Doctores in taxanda diſtantia, quæ valori huius contractus obſtet. Nam Sotus exiſtimat diſtantiam ſeptennij obſtare, Enriquez diſtantiam biennij, Ledeſma diſtantiam vnius anni. Meliùs tamen reſpondetur, hoc relinquendum eſſe iudicio prudentis, attentis peculiaribus circunſtantiis. nam, vt rectè Sanctius vbi ſuprà, & Pontius lib. 2. cap. 16. ſi multum temporis intercedat, magna eſt in iure præſumptio contra huiuſmodi matrimonium, cùm homines facile ſententiam mutare ſoleant.

***

DISPVTA

DISPVTATIO IV.

De consensu clandestino.

SECTIO I.

An Matrimonium clandestinum sit validum, & licitum.

1. DVOBVS modis matrimonium dicitur clandestinum, vel ex defectu solemnitatis nouo iure requisitæ, quando sine Parocho & testibus celebratur; vel ex defectu proclamationum, aut denuntiationum, quæ præmitti solent ante contractum matrimonij. De matrimonio clandestino priori modo procedit præsens difficultas, quia clandestinum posteriori modo factum, quamuis prohibitum sit à Tridentino, non tamen est irritum, quia nullo iure irritatur.

2. Conclusio est negatiua. Quamuis matrimonium clandestinum, ante Tridentinum validum fuerit, tamen post diffinitionem Tridentini, omnino irritum, & illicitum est. Vtraque pars constat ex eiusdem Concilij verbis cap. 1. de Reformatione matrimonij. *Tametsi dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quandiu ea Ecclesia irrita non fecit, & proinde iure damnandi sint illi; vt eos sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata esse negant*, &c. & infrà. *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus, matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat.*

3. Quòd autem Ecclesia potuerit irritare matrimonia clandestina, nemini dubium esse debet; quia quamuis nihil possit immutare de materia, & forma sacramentorum, tamen in hoc sacramento matrimonij hoc est peculiare, vt ita institutum sit à Christo Domino, vt legitimus contractus matrimonij, deinceps esset signum, & causa gratiæ, nulla facta mutatione, in materia & forma matrimonij, quatenus contractus est. Qui quidem contractus, cùm suapte natura subdatur imperio Principis sicut alij contractus, ideo hac ratione irritari potest ab Ecclesia, habilitando, vel inhabilitando contrahentes, vel aliquid mutando ex parte materiæ, vel aliquid addendo ex parte formæ, quia in hoc sacramento nullam specialèm materiam, & formam, & Ministrum præscripsit Christus, sed eamdem materiam, & formam, & Ministrum esse voluit in genere sacramenti, atque erant in genere contractus; contractus autem ciuiles subduntur legibus Principum, quoad materiam, formam, & conditiones personarum contrahentium, quæ si seruentur, validus est contractus, aliàs irritus.

4. Ex quo infertur, validum esse matrimonium absque Parocho, & aliis testibus celebratum in locis, in quibus Tridentinum non viget, & etiam, quando celebratur à non baptizatis, quamuis temporaliter subditis Ecclesiæ, & habitantibus vbi Tridentinum est receptum, quia leges Ecclesiasticæ non comprehendunt eos, qui sunt extra Ecclesiam, & spiritualiter non sunt ei subiecti.

SECTIO II.

An Matrimonium clandestinum, post Tridentinum, in aliquo casu sit validum.

5. DIfficultas procedit, an quando absque graui nocumento, siue in articulo mortis, siue extrà, nequit matrimonium omitti, aut differri, celebretur inualidè absque Parocho, cuius copia non est. Nonnulli apud Sanctium lib. 3. disp. 17. docent, in prædicto casu validè celebrari matrimonium in absentia Parochi, dummodo adsint testes, quia lex humana non obligat cum graui nocumento: quare huiusmodi casum possumus coniectari noluisse legislatorem comprehendere. Soto in 4. quem sequitur Graffis lib. 2. decis. cap. 86. exprimit aliquos casus, in quibus valeat matrimonium clandestinum, etiam sine Parocho, & testibus celebrato; præcipuè cùm quis lethaliter vulneratus contrahit clandestinè cum fœmina concubina, vt filios legitimos reddat, & faciliorem paret viam ad salutem, si tunc copia Parochi, & testium haberi non potest.

6. Sit tamen conclusio. Verius existimo, & Tridentino conformius, in nullo casu valere clandestinum matrimonium in locis in quibus Concilium viget, ita Sanctius lib. 3. disp. 17. Pontius lib. 5. c. 6. Hurt. disp. 5. diff. 3. & probatur, quia à Tridentino vbi suprà, omnino irritatur matrimonium absque Parocho celebratum, & reddit personas inhabiles, quæ nulla necessitate possunt fieri habiles.

7. Vnde ad rationem in contrarium respondetur, quòd quamuis vrgens necessitas excuset ab obligatione legis positiuæ, non tamen efficit habilem, aliàs lege inhabilem, neque validum, quod lege irritante est nullum, vt constat in lege irritante matrimonium inter consanguineos intra quartum gradum.

8. Ex quo infertur, incolas locorum, in quibus Tridentinum viget, quando vadunt ad loca in quibus non obligat, validè in his contrahere matrimonium absque Parocho, & testibus, etiamsi vadant animo non constituendi in eis domicilium, sed per modum hospitij, aut transitus, ita Sanctius disp. 18. & Pontius cap. 9. contra Rodriguez, & Vazquez, quia contrahentes quoad contractus fortiuntur forum loci, in quo contrahunt, & iuxta leges talis loci contracturi sunt, cap. vltim. de foro compet. l. *si fundus*. ff. de Euictionibus. Et quamuis dictæ personæ decreto Tridentini fuerint astrictæ & factæ inhabiles, non tamen vniuersaliter, sed tantùm pro locis in quibus habebant domicilium. Idem & ob eamdem rationem dicendum est, quamuis ad illum locum vadant eo fine, vt clandestinè contrahant, nec id dicitur fieri in fraudem legis, quia ius habent eundi ad illum locum, & qui vtitur iure suo, non facit fraudem. Idem sentiendum de Christianis euntibus in Prouincias infidelium, etiam absque animo in eis permanendi, ob eamdem rationem, quia contrahentes quoad contractus, fortiuntur forum loci in quo contrahunt.

9. Est tamen maior difficultas, quando matrimonium contrahitur absque consensu interno, & celebratum fuit coram Parocho, & testibus, an quando reualidatur contractus, satis sit occultè iterum contrahere, an rursus adhibendi sint Parochus & testes. Idem casus est, cùm duo contraxerunt cum aliquo occulto impedimento, & contracto matrimonio,

monio, & consummato, impetrant dispensationem à Pontifice, an satis sit clandestinè mutuum exprimere consensum, quia si hoc sufficit, in his casibus proculdubio valebit matrimonium clandestinum.

10. Respondeo valere sic occultè contractum, nec esse necessarium, vt coram Parocho & testibus renouetur consensus, ita Meratius, Hurt. & Sanctius lib. 2. disputat. 37. & plures alij apud ipsum, quia ratio finalis Decreti Tridentini, vt vitentur, grauia peccata ex matrimoniis clandestinis consurgentia, non se extendit ad illos duos casus, in quibus matrimonium est inualidum, & publicum in foro Ecclesiæ, & ideo si aliud matrimonium contrahere vellent, impedirentur ab Ecclesia, quæ primum matrimonium validum iudicaret. Nec obstat quòd in Bulla Cruciatæ conceditur facultas commissario dispensandi vt similia matrimonia possint de nouo clandestinè celebrari, & aliquando Pontifex dispensauit. Quia in Bullis sæpe conceduntur aliqua non prohibita, neque irritata, & in eis à Pontificibus dispensatur quando est difficultas, an sint prohibita, aut irritata, vt ita conscientiæ pacentur.

11. Illud denique obseruandum, si inuincibiliter ignoretur Tridentina lex, non deesse Auctores asserentes, validè contrahi matrimonium absque Parocho, & testibus. id tamen falsum reputo. nam ignorantia legis licèt excuset à culpa, non tamen facit quòd actus contra legem irritantem sit validus, ita communiter Doctores apud Sanctium lib. 3. cap. 17.

Sectio III.

Quæ requirantur in Parocho, vt validè assistat Matrimonio.

12. REquiritur primò, quòd sit verè Parochus. Deinde sufficit quòd sit Parochus vnius, vel alterius contrahentis, siue in propria, siue in aliena Parochia matrimonio assistat: tum, quia assistentia non est actus iurisdictionis; tum etiam, quia sic fit satis Tridentino. ita Sanctius, & Coninch contra Nauarrum, & Pontium lib. 5. cap. 16. Præterea cum eisdem assero, Parochum extra propriam Parochiam non solùm validè, sed licitè assistere, quia cùm assistentia non sit actus iurisdictionis; non est cur illi prohibeatur, quamuis non possit licitè in aliena Parochia denuntiationes, seu admonitiones facere, neque solemnem benedictionem, quia hæc exigunt externum strepitum, qui superioribus in alieno territorio est prohibitus.

13. Nonnulli volunt requiri quòd Parochus sit Sacerdos vt validè assistat, & videtur deduci ex Tridentino dum dicitur. *Qui aliter quàm præsenti Parocho, vel alio sacerdote.* qua particula *alio* denotari videtur, personam antecedentem esse similis qualitatis cum subsequente. Vera tamen, & communis sententia est, non requiri, quia cùm Parochus sit verè Parochus, quamuis non sit Sacerdos, satis sit Tridentino per assistentiam Parochi, non sacerdotis. Neque obstant verba Concilij, *præsente Parocho, vel alio sacerdote*, quia particula *alius*, non semper denotat personam antecedentem similis qualitatis, cum consequenti, iuxta illud Lucæ 23. Ducebantur, & alij duo nequam cum eo. Deinde, non solùm validè, sed etiam licitè assistit Parochus non Sacerdos, quia licèt iure antiquo requireretur assistentia Sacerdotis, iam verò iure Tridentino sufficit assistentia Parochi. Ita Sanctius, Pontius, & Coninch, quos refert, & sequitur Hurt. diff. 7. num. 24. Is verò qui de licentia Parochi, vel Ordinarij assistit matrimonio, necessariò debet esse Sacerdos; aliàs matrimonium erit nullum, ita ex Tridentino colligunt omnes Doctores.

14. Inquires, an ad valorem Matrimonij sufficiat assistentia Parochi illius Parochiæ, ad quam quis diuertit recreationis gratia, vel alia de causa, non tamen animo ibi commorandi, per maiorem, aut æqualem partem anni. Pontius lib. 5. cap. 17. Sà verbo Parochus num. 2. respondent sufficere. Communius, & verius est, non sufficere, quia à Tridentino requiritur proprius Parochus contrahentium, qui non est alius nisi ille, in cuius Parochia habent domicilium, vel quasi domicilium, ita Sanctius, & Menochius, quos refert & sequitur Hurt. difficult. 4. num. 19.

15. Inquires secundò, respectu vagorum quinam censeatur Parochus. Respondeo quemlibet esse Parochum respectu illorum; licitè tamen non potest Parochus vagorum matrimonio assistere, nisi priùs ab Ordinario licentiam obtinuerit, vt statuitur à Tridentino sess. 14. cap. 6. ea tamen obtenta si ambo, vel vnus ex contrahentibus vagus sit, quilibet Parochus validè, & licitè eorum matrimonio assistit.

16. Certum est etiam apud omnes, summum Pontificem posse cuique matrimonio assistere, & cuilibet sacerdoti licentiam præbere ad assistendum. Similiter Episcopum in sua diœcesi. Item & habentes Episcopalem iurisdictionem. Præterea certum est non posse Archiepiscopum assistere Matrimonio subditorum sui suffraganei, neque ad id licentiam præbere, quia non est illorum Ordinarius, nisi visitet Diœcesim, aut ad eum appelletur.

17. De Vicario Generali, & Prouisore, dubium est, an possit matrimonio assistere, & licentiam concedere. Negat Ledesma quæst. 45. art. 5. punct. 3. dub. 4. Communis autem & vera sententia affirmat, quod etiam Congregatio Cardinalium declarauit, quia Prouisor, seu Vicarius generalis verè est Ordinarius.

Sectio IV.

Congerit alia requisita ad validam assistentiam Parochi.

18. COnueniunt Doctores, Parochum excommunicatum, non toleratum, interdictum, suspensum, & irregularem, validè assistere matrimonio. Ratio est, quia huiusmodi assistentia non est actus iurisdictionis. Est tamen difficultas, an sic excommunicatus possit validè conferre licentiam Sacerdoti, vt assistat Matrimonio. Negant Ledesma vbi suprà, & Coninch disputat. 27. dub. 2. quia existimant conferre hanc licentiam esse actum iurisdictionis. Sanctius verò, Pontius, & Enriquez, quos sequitur Hurt. num. 27. affirmant. Nam huiusmodi licentia non est actus iurisdictionis, sed tantummodo designatio quædam facta à Parocho ex ordinatione Tridentini, à quo accipit Sacerdos potestatem assistendi, suppositâ designatione. Præterea Parochus sic excommunicatus licitè assistit, aut confert licentiam ad assistendum, quia quamuis in his communicet cum aliis, id tamen efficit propter

Digitized by Google

vtilitatem, & neceſſitatem contrahentium. Ita Sanctius, quem ſequitur Hurt. num. 28. contra Pontium.

19. Si autem Parochus ab Epiſcopo, vel alio iudice competente prohibeatur matrimonio aſſiſtere, aut licentiam conferre; ſi tamen id efficiat, quamuis peccet, validè tamen efficiet, quia ea prohibitione non priuatur poteſtate aſſiſtendi: immo nec priuari poteſt, quandiu manet Parochus, niſi à Papa, vel à Concilio generali, quia ab his accipit poteſtatem ad dicta, abſque ſubordinatione ad Epiſcopum, quoad eorum valorem. Vnde Epiſcopus non poterit valorem horum actuum irritare, quia non ſunt actus iuriſdictionis, & ideo, nec ab Epiſcopo irritari poſſunt, etiamſi Parochus prohibitus ſit ſacramenta adminiſtrare, quia aſſiſtere matrimonio, vel licentiam ad id conferre, non eſt adminiſtrare ſacramentum.

20. Qui autem verè Parochus non eſt, habet tamen titulum coloratum, ita vt communiter reputetur verus Parochus, validè aſſiſtit, & licentiam aliis ad id conferre poteſt. nam in hoc caſu Eccleſia ob commune bonum, intelligitur ſupplere defectum, & conferre poteſtatem ad validè exercendum munus Parochi, vt contingit in omnibus Iudicibus, iuxta legem *Barbarius*. ff. de officio Prætoris.

Sectio V.

Qualis licentia requiratur in Sacerdote, vt validè aſſiſtat Matrimonio.

21. Difficultas eſt, an requiratur licentia ſpecialis, an verò ſufficiat generalis. Concluſio eſt, ſufficere licentiam generalem, qua illi concedatur gerere vicem Parochi, quod etiam declarauit Congregatio Cardinalium, quia aſſiſtendo ex ea licentia ſatisfit Tridentino, quia ea eſt vera licentia, quamuis ſub verbis generalibus collata. Nec requiritur licentia in ſcriptis, ſed ſufficit verbalis, quia hæc verè, & propriè eſt licentia. Ita Sanctius diſputat. 35. Coninch diſput. 27. dub. 3.

22. Non autem ſufficit ratihabitio futura poſt aſſiſtentiam matrimonij; quamuis probabiliſſimè præſumatur, quia tunc de præſenti quando aſſiſtitur, non eſt licentia, cùm nec de præſenti ſit ratihabitio. Nec obſtat regula iuris 10. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari.* Id enim ſolum eſt verum, quando valor actus pendet tantùm ex voluntate ratihabentis; quod non contingit in matrimonio, cuius valor pendet etiam ex conſenſu contrahentium. Sufficiet verò ratihabitio præſens, quæ dicitur licentia tacita, quæ contingit, quoties Parochus videt ſacerdotem parari ad aſſiſtentiam, vel illam incipere, & nihilominus illum permittit. ita Sanctius, Coninch, & Pontius, quos refert, & ſequitur Hurt. num. 39. contra Enriquez, & alios. Ratio eſt, quia licentia tacita verè eſt licentia, & non purè interna, cùm per taciturnitatem Parochi verè exprimatur.

23. Præterea obſeruandum eſt, ſufficere licentiam extortam per vim, metum, aut fraudem; quia cùm verè concedatur, veram licentiæ rationem obtinet. Ita Sanctius & Coninch, quos ſequitur Hurt. vbi ſuprà. Deinde exiſtimo, validè ſacerdotem aſſiſtere quando ſibi conceſſa eſt licentia, quam petiuit per nuntium, licèt Sacerdos id penitus ignoret; quia tunc Sacerdos verè habet licentiam acquiſitam, & acceptatam per nuntium. Ita Sanctius diſputat. 36. Coninch diſputat. 27. Contrarium tenet Hurt. num. 45. quia non eſt credibile Tridentinum & Parochum velle, vt licentia conceſſa valeat, quouſque is cui conceditur, poſſit ea licitè aſſiſtere; qui autem ignorat licentiam ſibi eſſe conceſſam, nequit ea licitè aſſiſtere matrimonio.

24. Deinde obſeruandum eſt, teneri Parochum, vel ſacerdotem, de eius licentia aſſiſtentem matrimonio, interrogare contrahentes de mutuo conſenſu: ſi tamen certus ſit conſenſus illorum, omiſſio talis interrogationis erit ſolum peccatum veniale. Si verò certus non ſit de eorum mutuo conſenſu, erit peccatum mortale; tunc enim talis omiſſio grauibus incommodis occaſionem & anſam præbet.

25. Denique obſeruandum, Parochum, vel ſacerdotem aſſiſtentem matrimonio, teneri ſolùm ſub veniali proferre illa verba: *Ego vos coniungo in nomine Patris*, &c. quia licèt Tridentinum id præcipiat, paruitas tamen materiæ excuſat à mortali. Ita Sanctius, & Coninch, contra multos, qui exiſtimant eſſe mortale.

Sectio VI.

Quæ requirantur validè aſſiſtentibus Matrimonio.

26. REquiruntur ad validitatem matrimonij ex Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. duo teſtes ſimul cum Parocho, coram quibus contrahatur, vt poſſint eſſe conteſtes de matrimonio, tanquam de vno, & eodem contractu: ſufficit tamen eorum præſentia, quamuis tranſeunter aſſiſtant, vt ſic enim ſufficienter percipere valent conſenſum mutuum contrahentium. ita Sanctius lib. 3. diſputatione 39. Ledeſma quæſt. 45. art. 5. punct. 3. dub. 2. Layman cap. 4. num. 6. Hurt. num. 50. quam ſententiam cenſet probabilem Bonacina, quamuis ipſe cum aliis oppoſitum teneat. Item requiritur in teſtibus, & Parocho præſentia moralis, id eſt, quod aduertant, & intelligant quod agitur, vt ſic de contractu teſtificari poſſint. Quare amentes, dormientes, ebrij, vel omnino diſtracti tempore contractus inualidè aſſiſtunt, vt docent communiter Recentiores.

Deinde validè aſſiſtunt tam teſtes, quàm Parochus, quamuis coacti, aut dolo detineantur. Hæc enim aſſiſtentia ſufficiens eſt ad teſtificandum, prout requiritur à Trident.

27. Eſt tamen obſeruandum, eſſe peccatum mortale Parochum perſonam Eccleſiæ repræſentantem, dolo, vel vi cogere ad aſſiſtendum; grauis enim iniuria ipſi, vt Eccleſiæ miniſtro irrogatur, niſi fortè cauſa iuſta, & neceſſitas grauis vrgeat; tunc enim doloſa æquiuocatione adduci poſſet ad aſſiſtendum, non tamen vi; quia priuatæ perſonæ non licet eam aliis inferre. Ita communiter Doctores. Et quamuis Hurt. num. 51. cenſeat, eſſe peccatum mortale contrahere matrimonium teſtibus coactis; ego tamen de hoc maximè dubito, quia nulla ſufficienti ratione mihi probatur, niſi fortè fieret illis tam ingens violentia, vt reputaretur grauis iniuſtitia.

28. In teſtibus autem præter vſum rationis, & aſſiſtentiam

ſtentiam moralem, nulla alia qualitas requiritur: quare poterunt eſſe conſanguinei, immo & excommunicati, quia nihil amplius requiritur à Tridentino, quàm quod teſtificati poſſint. Ita communiter Doctores cum Sanctio lib. 3. diſp. 41.

29. Inquires, qua pœna puniendus ſit Parochus, qui ſine teſtibus aſſiſtit matrimonio. Reſpondeo, puniendum eſſe arbitrio Ordinarij, vt Tridentinum docet. Vnde pœna impoſita in cap. fin. de clandeſtina deſponſat. vt Parochus aſſiſtens matrimonio ſine teſtibus ſuſpendatur triennio ab officio, ceſſauit per nouum ius, & pœnam arbitrariam impoſitam noua lege Tridentini. Si verò Sacerdos, vel regularis ſine Parochi licentia matrimonio aſſiſtat, ſuſpenſionem ipſo iure incurrit, donec abſoluatur ab Ordinario Parochi contrahentium, vt ſtatuitur in eodem Tridentino, per quam legem ceſſauit pœna excommunicationis lata contra Religioſos matrimonia ſolemnizantes in Clementina 1. de Priuilegiis.

SECTIO VII.

De Denuntiationibus præmittendis ad Matrimonium.

30. QVamuis ſine diſpenſatione, & ſine cauſa iuſta omittantur denuntiationes, non ideo matrimonium eſt innalidum, vt communiter docent Doctores; quia Concilium non irritat matrimonium abſque denuntiationibus celebratum. At cùm ex præcepto Tridentini requirantur, dubium eſt, an eorum omiſſio ſit peccatum mortale. Sotus in 4. diſtinctione 28. quæſt. 1. art. 2. ad 1. docet, tantùm eſſe veniale. Sed communiter reiicitur à Doctoribus, quia omiſſio earum de ſe eſt grauiſſimis incommodis expoſita; ac proinde eas omnino omittere proculdubio eſt peccatum mortale. An verò ſit peccatum veniale vnam tantùm omittere, in controuerſia eſt. nam Pontius lib. 5 cap. 30. & Coninch diſputatione 27. dub. 5. exiſtimant eſſe mortale, quia omiſſio vnius proclamationis, non eſt materia leuis. Contrarium docet Sanctius eſſe tantùm veniale vnam tantummodo denuntiationem omittere, quando moraliter certum fuerit, nullum adeſſe impedimentum; eſt enim materia leuis, cui ſententia adhæreo, & illam ſequitur Barboſa de poteſt. Epiſc. p. 2. allegat. 32. Gutierrez cap. 57. Villalob. tom. 1. tract. 13. diſp. 24.

31. Præterea, denuntiationes faciendas eſſe in vtriuſque Parochiis vbi diutiùs verſati ſunt, & principaliorem habuerunt larem. Docent Coninch diſputat. 27. dub. 5. Barboſa, & Gutierrez vbi ſuprà, contra Pontium, & meritò, quia denuntiationes efficiuntur, vt contrahentium impedimenta detegantur, quæ commodè detegi non poſſunt per breuem moram in aliqua Parochia vbi ignoti ſunt, & impedimenta ignorantur, & ita declaratum fuiſſe à ſacra Cardinalium Congregatione, teſtatur Diana reſol. 235.

32. Poſſunt etiam fieri denuntiationes extra Eccleſiam, ſi locus ſit aptus, vt ad multorum notitiam perueniant. Quamuis enim Tridentinum tribus continuis diebus feſtis, in Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia denuntiationes fieri præcipiat. Id tantùm præcipere videtur, vt coram populi frequentia fiant: quare nihil refert, licèt extra Eccleſiam, vel die non feſto, ſi concio habeatur à Parocho, vel eius iuſſu ab alio Concionatore, matrimonium denuntietur. ita Layman. tract. 10. part. 2. cap. 4. num. 10.

Si adſit prudens ſuſpicio, quòd matrimonium malitiosè impedietur, vel obj aliam iuſtam cauſam, omitti poterunt omnes denuntiationes, vel duæ tantùm ante contractum matrimonij, prout expedire iudicabitur ab Epiſcopo ad vitandum inconueniens quod timetur. Poſtea verò contracto matrimonio, ſed nondum conſummato, ſufficiet vnam denuntiationem præmittere, quia quamuis Concilium dicat, ante conſummationem fiant denuntiationes, loquitur quidem in plurali, non reſpectu cuiuſlibet matrimonij, ſed reſpectu omnium, in quibus ante contractum matrimonij omiſſæ fuerunt admonitiones, vt docet Hurt. num. 62. 33.

Parochus non poteſt omittere denuntiationes, quia ex Tridentino id ſpectat ad Ordinarium, ſi ipſe ex iuſta cauſa id expedire iudicauerit. Nomine autem Ordinarij etiam intelligitur Vicarius generalis, quia Ordinarius eſt, & in Tridentino hæc poteſtas conceditur Ordinario, niſi Epiſcopus hanc facultatem diſpenſandi ſibi reſeruauerit, ita Sanctius lib. 3. diſp. 7. Riccius in Praxi, tom. 1. reſol. 226. Coninch diſputat. 27. dub. 6. Hæc tamen ſententia non procedit in Vicariis foraneis, vt notat Diana reſol. 238. 34.

Inquires, ex vi denuntiationum quænam ſit obligatio manifeſtandi impedimentum. Reſpondeo cum communi Doctorum ſententia, quemlibet teneri deferre impedimentum, quod probari poteſt, quamuis importet infamiam, veluti ex ortum ex fornicatione cum conſanguinea in gradu prohibito: debet tamen impeditus priùs admoneri iuxta regulam fraternæ correctionis. Ita docet Hurt. num. 74. 35.

Eſt tamen difficultas, an quis teneatur deferre impedimentum occultum, quod ipſe ſolus nouit, ideoque teſtibus illud probare non poteſt. Pontius cap. 34. ſequitur ſententiam negantem, quæ docet, neminem teneri deferre impedimentum occultum, quod probare non poteſt. Sanctius lib. 3. diſputat. 13. Coninch diſputat. 27. dub. 7. & alij communiter docent, quemlibet teneri deferre impedimentum occultum, quamuis ipſe ſolus ſciat. Quæ opinio vera, & ſuſtinenda eſt; quia vnuſquiſque tenetur vitare peccatum mortale proximi, dummodo commodè poſſit: at denuntiando impedimentum occultum vitantur plura peccata, quæ contrahentes cum impedimento committerent; ergo vnuſquiſque tenetur impedimentum occultum denuntiare, quamuis illud teſtibus probare nequeat. Eo vel maximè, quia cùm in prædicto caſu non agatur de punitione, ſed ſolùm de euitando peccato, ſufficit ad id vnicus teſtis iuratus. Addidi *dummodo commodè poſſit*, quia ſi ex eo graue ſibi incommodum ſequatur, aut ſcandalum aliorum, non tenebitur denuntiare. 36.

Hæc quæ diximus intelliguntur, etiamſi quis ſub ſecreto naturali, & iuratus ſciuerit impedimentum occultum, & quamuis ex illo infamiam paſſurus ſit denuntiatus. Quia plutis habenda eſt ſalus animæ proximi, quàm ſeruare ſecretum, & famæ illius conſulere: neque iuramentum in tali caſu obligat, eſſet enim contra charitatem, & contra præceptum, quod imponitur per denuntiationes. 37.

Deinde tenetur denuntiare is qui audiuit impedimentum à perſona fide digna, ipſa non denuntiante: imò & qui audiuit à perſona non fide digna,

Digitized by Google

dummodo impedimentum infamiam non contineat; quia huiusmodi denuntiatio non potest obesse, potest autem prodesse. Si verò audiuit, non tamen recordatur à qua persona, non tenetur denuntiare, quamuis impedimentum infame non sit.

39. Præterea, ipsimet contrahentes interrogati tenentur manifestare proprium impedimentum, quamuis occultum, & infame, si nolint à matrimonio desistere: tunc enim cùm non agatur de supplicio, sed de vitando peccato, quod in fauorem contrahentium est, possunt ab Ordinario interrogari, quamuis nulla infamia præcesserit.

40. Si verò impedimentum occultè dispensatum sit, non tenetur illud denuntiare: sicut nec tenetur Parochus impedimentum occultum denuntiare, quando illud nouit in confessione; si autem extra confessionem nouerit, quamuis sit omnino occultum, & infame, non poterit in matrimonio procedere, propter rationem suprà allatam. Ita Sanctius, & Coninch, quos refert, & sequitur Hurt. num. 75. Illud denique obserua, Parochum ex præcepto Tridentini sess. 24. cap. 1. teneri sub mortali habere librum, & in eo scribere nomina coniugum, testium, locum, & tempus, vbi, & quando celebratum fuit matrimonium.

DISPVTATIO V.

De consensu ex metu.

SECTIO I.

An ad contractum matrimonij sit necessarius consensus liber.

1. CONCLVSIO est affirmatiua. Ad contractum matrimonij necessaria est & sufficit ea libertas, quæ sufficiens est ad peccatum mortale, sicut suprà diximus agentes de sponsalibus. Ita communiter Doctores, & probatur, quia contractus humanus ex se & suapte natura talis est, vt aptus sit parere obligationem in contrahentibus sub mortali, & re ipsa pariat, si materia de qua contrahitur, grauis est; at matrimonium est contractus humanus, cuius obiectum, & materia circa quam versatur, est valde grauis, videlicet traditio proprij corporis sub potestate alterius; ergo necessariò perit plenam rationis aduertentiam, & voluntatem deliberatam, sine qua peccatum mortale esse non potest.

2. Ex quo colligitur, insanos, & mente captos tempore quo vsu rationis carent, non posse validè matrimonium contrahere, & de furioso definitur in cap. *Dilectus*, de sponsalibus, & in lege 6. tit. 2. part. 4. Dixi *tempore quo vsu rationis carent*, quia si defectus iste superueniat matrimonio iam contracto, non dirimit illud, aut si furiosus non perpetuo careat vsu rationis, sed habeat lucida interualla, vel si circa aliquam peculiarem materiam insanæ mentis sit, non verò circa omnes, præcipuè si in materia matrimonij sanæ mentis sit, valebit contractus etiamsi in alia materia insaniat.

3. Præterea idem dicendum censeo de matrimonio ab ebriis contracto, matrimonium ab iis celebrari non posse; ac proinde eamdem esse illius, & amentis rationem, etiamsi ante ebrietatem habuissent voluntatem contrahendi, siue formalem & expressam directè volendo matrimonium in se ipso; siue solùm virtualem & in causa, vt si aduertentes ex sua ebrietate futurum esse vt matrimonium contraherent, nihilominus se voluntariè inebriauerint.

4. Obiicies primò, ex Fabiano Papa, & refertur 32. quæst. 7. cap. 16. vbi dicitur: *Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt, sed si fortè contractum fuerit, non separentur.* quæ verba satis indicant validum esse eorum matrimonium. Respondetur, imò illa verba manifestè declarare mentem Pontificis. Sensus enim legitimus illorum verborum est, non posse furiosum contrahere tempore furoris; si autem ante furorem contraxerit, & post contractum furor aduenerit, non esse separandum, quia furor matrimonio superueniens non dirimit illud.

5. Obiicies secundò. Baptismus tempore ebrietatis, aut insaniæ receptus, validus est ratione voluntatis formalis, & expresè antecedentis recipiendi illud; ergo idem dicendum est in matrimonio. Et confirmatur, quia peccatum homicidij imputatur ebrio, si ante ebrietatem præuiderit ex ea sequuturum homicidium, & nihilominus liberè voluerit se inebriare; quod certè esse non posset, nisi perfectè liberum esset, ea libertate sufficienti, quæ ad contrahendam huius peccati malitiam sufficit, & requiritur.

6. Huic obiectioni, & confirmationi respondet Sanctius disputat. 8. quæst. 3. non esse eamdem rationem in matrimonio, & in Baptismo. Nam in Baptismo suscipiens illum non est agens, sed patiens, & ideo in suscipiente sufficit illa prior intentio, & vt non ponat obicem: at conferens sacramentum est agens per rationem & intellectum, & per operationem humanam, ac proinde debet habere intentionem; qua ratione non est vera absolutio, si quis ante amentiam, vel ebrietatem, confessionem audiuit, & habuit voluntatem absoluendi, & postea in amentia, vel ebrietate absoluit. Præterea ad confirmationem dicit, esse etiam diuersam rationem euentus sequuti in ebrietate. v. g. homicidij, & matrimonij, vt illud imputetur in ebrietate, hoc verò non; quia bonum ex integra causa constat; malum autem ex quouis defectu. Cùm autem matrimonium sit quoddam bonum, omnino exigit actionem humanam; homicidium verò cùm sit malum, non requirit nisi voluntarium in causa. Præcipuè, quia non imputatur ad culpam tempore quo committitur, quia tunc non est actus humanus, ex actualis rationis aduertentia, & voluntatis libertate procedens; sed tantùm eo tempore, quo ebrietas liberè, & directè volita est, & in ea tanquam in causa, ex qua sequuturum præuidetur, est volitum indirectè, seu virtualiter interpretatiuè.

7. Hæc doctrina placuit nobis in tractatu de *Sacramentis in genere*, disputat. 4. sect. 7. habet tamen nonnullam difficultatem, quia inexplicatum manere videtur, cur in ebrietate maneat virtualis intentio, vt constat in eo qui ante Baptismum voluit baptizari, & eadem virtualis intentio si manet etiam in ebrietate, non sufficiat pro matrimonij contractu. Præterea, quamuis verum sit illud discrimen inter suscipientem, & administrantem sacramentum, quòd susceptio non sit humana actio; administratio verò maximè; ac proinde debeat esse ex deliberatione profecta, tamen non videtur verum debere simul cum verbis concurrere

concurrere actualem consensum, quia sufficit virtualis, siue ad rationem contractus, siue ad rationem sacramenti, vt docuimus suprà in eodem loco, & constat in sacerdote consecrante; licèt enim non adsit actualis intentio in consecratione, tenet consecratio, si intentio præcessit, eo quòd aliis mediis actionibus, quæ oriuntur ex illa expressa priore intentione virtute continuatur. Et idem est in contractu, ad quem tantùm requiritur actio humana, quæ cum intentione virtuali esse potest, vt constat.

8. Quare melius respondetur cum Vazquez disp. 5. cap. 3. num. 30. & Pontio lib. 4. cap. 1. duobus modis se habere posse is qui in ebrietatem incidens contrahit matrimonium.

Primò si ante ebrietatem non quidem consensit, sed habuit voluntatem consentiendi, præuidendo quòd in ebrietate prolaturus esset verba consensus, qua ratione certum est non contrahi matrimonium, quia consensus quem in ebrietate futurum præuidit, nec est liber quando præsens est in se, cùm sit in ebrietate, nec ex actu voluntatis quo præuisus est ante ebrietatem. Quia hoc est discrimen inter actus voluntatis & aliarum potentiarum, quòd actus aliarum non possunt aliunde participare libertatem, nisi à voluntatis affectu ex quo oriuntur, ac proinde ex præcedenti voluntate, à qua virtute saltem oriri possunt. Vnde homicidium secutum in ebrietate imputatur, non quidem quia cùm sit liber sit, sed quia causa ex qua sequitur libera fuit libertate participata ex affectu voluntatis: at actus voluntatis non potest participare libertatem ex alio affectu voluntatis priori, sed immediatè à voluntate; actus enim quo diligo Deum cùm priùs habuerit voluntatem diligendi, non habet libertatem ex priori actu quo diligere volui, sed immediatè ab ipsa voluntate. Itaque voluntas consentiendi, & contrahendi futuro tempore matrimonium, quæ tantum præcessit ebrietatem, non potest deriuare libertatem in consensum voluntatis in ebrietate habitum, quando in ipsa ebrietate non exit liberè à voluntate, à qua deberet immediatè participare libertatem.

9. Secundo modo potest se habere is qui in ebrietatem incidit, si ante ebrietatem habuit re vera consensum præsentem matrimonij, non tamen expressit verbo, exprimit tamen postea cùm ebrius est. In quo casu adhuc non fit contractus, quia ea prolatio verborum non est actio humana, quia non coniungitur humano modo cum voluntate præcedente, nec sufficit quòd sit humana in causa, sed debet esse humana in se, quia quamuis ex voluntate indirecta procedat, tamen non tendit directè in materiam, & formam sacramentorum; quæ ratio non militat in susceptione sacramenti, cùm non sit actio. Quæ omnia ferè transcripti ex Pontio, quia illustriùs rem hanc declarant.

Sectio II.

An consensus in matrimonium futurus sit liber à coactione, & metu.

10. Dvplex libertas ad rem considerari potest. Altera dicitur à necessitate, quæ opponitur necessitati, & determinationi ad vnum, qua fruitur natura rationalis dum fruitur vsu rationis. Altera dicitur libertas à coactione, & opponitur coactioni, & violentiæ, quia elicitur ab homine quando vllo metu, aut vi adstrictus, & impulsus aliquid sponte agit & vult. De prima libertatis ratione iam prædiximus requiri ad matrimonium, quia cùm sit contractus humanus de re graui, & inferente grauem obligationem sub peccato mortali, absque dubio postulat libertatem in consentientibus ad matrimonium, non qualemcumque, sed magnam, plenam, & perfectam, ex perfecta, & plena deliberatione & aduertentia prodeuntem. Itaque de secunda libertate, scilicet à coactione & metu procedit hæc difficultas.

11. In qua supponendum etiam est, adhuc duplicem esse libertatem à coactione & metu coniunctam cum vero, & reali consensu absolutè libero secundùm primam libertatem. Est enim libertas libera à metu graui cadente in constantem virum. Est etiam libertas libera à metu leui non cadente in virum constantem. Vtraque libertas fiet nota vtroque metu explorato. Ergo metus grauis cadens in constantem virum, est ille, quem vir constans & fortis, prudenter & rationabiliter concipit: econtra verò metus leuis non cadens in constantem virum est ille quem concipit vir exili, & pusillo animo; vel etiam fortis imprudenter, & irrationabiliter. Explicat autem hæc S. Thom. apud Valentiam disputat. 10. quæst. 3. punct. 2. Vt timor mali tunc temporis censeatur dignus viro forti, & constanti, dum eo timore ducitur fortis, & constans, id facit, quod non feciſſet eo timore semoto: quod tunc contingit, inquit S. Doctor, dum eligitur minus malum, vt maius vitetur, quod Sanctius disput. 2. num. 4. & disput. 18. num. 15. explicat, & intelligit de maiori, aut minori malo sumpto ex parte obiecti; secus verò ex parte subiecti: vt si quis, v. g. latroni pecunias porrigat vt liberetur à morte, quo casu minus malum est pecunias porrigere, quàm mortem subire, & similia.

12. Quæ autem sint mala grandia, quorum timor meritò cadat in virum constantem, remittendum est prudentis iudicis arbitrio, & in foro conscientiæ, prudentiæ confessoris, vt docuit Nauarr. in summa cap. 52. num. 51. Illud autem est certum, metum mortis cadere in constantem virum. Deinde metum abscissionis alicuius membri, & grauis corporis cruciatus.

13. Metum etiam seruitutis, captiuitatis, exilij, vel carceris, & vinculorum, vt docuit Farinacius 1. parte Praxis criminalis quæst. 5. vbi ostendit carcerati contractus si ad eum finem metus carceris iniustè incutiatur, nullos esse. Eadem est ratio de metu amissionis status, vel honoris, vel omnium bonorum, vel maioris partis illorum. Idem iudicium est de timore stupri, quo nomine non tantùm intelligo vim virgini illatam, sed etiamsi virgo non sit, dummodo sit mulier honesta, siue nupta, siue vidua. Idem dicendum de metu infamiæ, dummodo grauis sit, & cui facilè occurri non potest. De metu reuerentiali, qui cadere solet in Clericum respectu Episcopi, in subditum comparatione magistratus, in filium respectu Patris; in vxorem erga maritum, in pupillum erga tutorem, seu curatorem solet esse aliqua difficultas. Dicendum tamen est, si metus indignationis superioris sit leuis, & quæ citò transeat, non cadere in constantem virum, præcipuè quando eo ingenio superior, aut pater est, vt non offendatur ex eo quòd ipsi non præstetur obedientia, aut leuiter offendatur, vel citò transeat eius indignatio, vt prædictum est. Si autem metus indignationis grauis sit, maximè si addantur minæ, vel verbera,

vel verba obiurgatoria, ex his certum est coalescere metum grauem. Importunas autem preces præcise si aliud non addatur, censeo metum grauem non inducere.

14. Prima conclusio, metus leuis non irritat matrimonium, ita communiter Doctores, Sanctius, Pontius apud Hurt. disput. 6. diffic. 1. contra Nauarrum, vbi suprà. Et probatur, quia metum leuem iuta æstimate non solent. l *Nec timorem.* ff. de eo quod metus causa. & cap. *Cùm dilectus*, de his quæ vi, &c. Vnde sumitur ratio à priori, quia quamuis metus leuis aliquo modo minuat rationem voluntarij in consensu, tamen non minuit rationem perfectam voluntarij. Secundò, quia alij contractus, & religiosa professio, v. g. ex simili metu non irritantur. Tertiò, q ita daretur occasio magnis scrupulis.

15. Hoc posito, transfertur dubitatio in metum grauem cadentem in constantem virum, an irritet matrimonium. Pro quo

Obseruandum est primò duplicem esse metum grauem, alium intrinsecum, qui prouenit à causa intrinseca, vt si oriatur ex remorsu conscientiæ, & metu gehennæ. Alium extrinsecum, qui prouenit à causa extrinseca, scilicet ab homine priuato, vel à Iudice, &c. Si ab intrinseco prouenitat metus, certum est non irritate matrimonium, quia sponte fit, & totum est ab intrinseco absque vlla vi. Si verò metus proueniat ab extrinseco, adhuc potest contingere duobus modis, vno iustè, vt si fiat à Iudice comminante malum pœnæ, & sic cogente ad matrimonium, & hoc etiam pacto metus iustè incussus ad extorquendum consensum non irritat matrimonium; quia hoc modo cogitur ad id, quod ipse contrahens facere tenebatur; qua ratione metus potius videtur esse ab intrinseco, quàm ab extrinseco. Alio modo iniustè, & cum iniuria coacti; & hoc modo procedit difficultas, an talis metus irritum reddat matrimonium.

16. Secundò obseruandum est, adhuc eiusmodi metum duobus modis incuti posse. Primò directè in finem exprimendi consensum. Secundò non directe in eum finem, sed in alium, cui adiungitur per accidens consentus in matrimonium. In primo casu militat difficultas, non in secundo. In quo omnes conueniunt talem metum non impedire valorem matrimonij, non tantùm dum iustè incutitur, sed etiam dum iniustè. Metus iniustè incussi exemplum est in eo, qui apud Turcas, v. g. iniustè captiuus spe libertatis vxorem ducit consanguineam tenentis ipsum captiuum; in hoc enim casu ille coactus metu allentit in matrimonium, & valide, quia directe metus non incutitur à detinente captiuum, vt illam ducat vxorem: at ipse ducitur illo metu, vt spe concepta libertatis media vxore quam ducit, eamdem accipiat in vxorem. Exemplum autem metus iustè incussi est in eo, qui morte damnatus vxorem ducit meretricem iuxta morem aliquarum regionum, vt liberetur à morte, quo casu Iudex non incutit metum, vt ducatur vxor, sed potiùs metus mortis iam ob propria delicta conceptus, aufertur oblatione matrimonij. Itaque in solo metu graui extrinsecus incusso iniustè directè ad eliciendum consensum consistit difficultas.

17. Secunda conclusio, hic metus irritat, & annullat matrimonium, ita supra dicti Doctores & plures alij ab ipsis relati, & probant ex Alexandro III. & Honorio Papa cap. *Cùm locum*, cap. *Veniens* 2. de sponsal. cap. *Significauit*, de eo, qui duxit in matrimonium, & ex aliis innumeris. Et ratio est, quia res tanti momenti & ingentis oneris postulat vt sponte, & absque vi magna sumatur. Ex quo

18. Infertur primò etiam matrimonium metu graui contractum, & simul consummatum eodem metu, nullum esse, & neutiquam ratificari, per copulam consummatam, vt docet cum aliis Sanctius disp. 18. num. 15. Pontius lib. 4. cap. 18. Quamuis matrimonium metu graui contractum, postea habita copula spontaneè ratificetur, dummodo affectu maritali habeatur.

19. Infertur secundò cum, qui consentit in matrimonium per metum grauem, nulla ratione peccare, quia dum consensit, vel cognouit nullum esse matrimonium, necne: si cognouit esse nullum, consequenter cognouit nec esse sacramentum: si verò sibi persuasit esse validum matrimonium, & consequenter esse sacramentum, proculdubio bona fides ipsum saluum fecit à culpa. Ita Hurt. disp. 6. diffic. 5. Bonacina quæst. 3. punct. 8. num 30. & apud ipsum Rodriguez Sà, Valentia, Gutierr. Sanctius, & Fillucius.

20. Infero tertiò, iuramentum non posse ratificare matrimonium nullum ex metu graui, quia iuramentum non potest supplere defectum nullitatis præteriti contractus, & quandiu perseuerat metus personæ, sunt inhabiles ad validè contrahendum; cùm ergo iuramentum non abiiciat metum, consequenter semper relinquit personas inhabiles inire matrimonium, ita Sanctius disp. 20. n. 52. Hurt diffic. 6. Pontius cap. 17.

21. Infero quartò, quando quidem dum alter coniux iniuriam passus per metum iniustum consensit, matrimonium est nullum ex parte vtriusque, posse eum qui sponte & absque vi consensit, resilire à matrimonio antequam ille, qui inuitus contraxit per nouum consensum renouet pristinum matrimonium. In quo omnes Doctores videntur conuenire, casu, quo ille qui fuit immunis à metu, non fuit particeps criminis iniuriæ illatæ alteri, qui per metum consensit; quia si talis criminis fuit particeps, dubium est an teneatur denuo consentire, & non resilire ab eo matrimonio. Sanctius disputat. 11. Hurt. diffic. 4. Ochogauia tractat. 3. quæst. 30. opinantur non teneri, nisi compulsus per sententiam Iudicis, si non intulit aliquod graue nocumentum, quod nequeat aliunde resarciri, quam sententiam nouissimè tuetur Villalobos tractatu 3. diffic. 37. quia non tenetur ratione delicti, & coactionis in pœnam illius; hoc enim exigit Iudicis condemnationem ante quam nemo tenetur subire pœnam; nec ratione iniuriæ illatæ per coactionem, quia hæc iniuria non est tanta, quando aliud damnum non sequitur, vt per matrimonium resarciri debeat.

22. Contrariam sententiam tuetur Pontius cap. 15. cum Nauarr. Sylvest. & Enriquez apud Bonacin. Nec esse necessariam iudicis sententiam, cùm ex iniuria allata nascatur naturalis obligatio sarciendi in eodem genere cùm possit, nec censenda est illa iniuria leuis, sed grauis, cùm in ea coactione committatur peccatum mortale. Vtraque sententia probabilis est.

23. Infero quintò, etiam sponsalia de *futuro*, metu graui interueniente, esse nulla & irrita, quamuis iurata sint, vt tenet Barbosa tom. 2. lib. 4. cap. 11. Quia iuramentum non firmat præteritum contractum alioquin nullum. Vnde in nostro proposito relinquit spōsalia inepta inducere impedimentum

publicæ

publicæ honestatis, quod solùm oritur ex sponsalibus validis, iuxta Trident. sess. 24. cap. 3.

Sectio III.

Quo iure nullum sit matrimonium contractum metu graui.

24. Quadruplex ius in præsenti considerari potest. *Primum* est ius naturale, quod rebus conuenit ex natura rei penes dictamen rationis. *Secundum* est ius positiuum Ecclesiasticum, quod prouenit ex dispositione Ecclesiæ. *Tertium* est ius ciuile, quod lege Principis sæcularis stabilitur. *Quartum* est ius gentium, quod ex principiis naturalibus per modum conclusionis colligitur, & commune ferè omnibus gentibus; vt colligitur ex l. *Omnes populi*. ff. de iustitia, & iure. Vbi ius gentium dicitur illud, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, & apud omnes ferè custoditur.

25. Præterea aduertere oportet, posse aliquem contractum multiplici iure annullari, v. g. contractus vsurarius qui irritatur tam iure diuino naturali, & scripto, quàm humano, Ecclesiastico, & ciuili: quo iure petitur modò an vno tantùm iure prædictum matrimonium irritetur, an verò duplici, & multiplici. Tertiò obseruandum est, aliquem contractum matrimonij irritum esse iure naturali, vt patris cum filia; matris cum filio, & similia: & pariter esse posse contractum matrimonij validum iure naturali, & irritum iure ecclesiastico, quia potest Ecclesia inhabiles reddere ad contrahendum, quos natura habiles fecit, ac proinde potest Ecclesia inducere impedimenta dirimentia matrimonium alioqui validum, vt diffinitur in Trident. sess. 24. can. 3. & 4. & cap. 1. & 6. Itaque præsens dubitatio est, an prædictum matrimonium sit validum iure naturali, sed irritum iure ecclesiastico; an vtroque iure, naturali, & ecclesiastico nullum sit. nam de iure ciuili, & Gentium postea erit sermo.

26. Tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & altera media. *Prima* tenet esse tantùm irritum iure naturali, non tamen ecclesiastico. Ita Couarr. & Rebell. apud Hurt. disp. 16. diff. 2. Meratius disp. 7. sect. 8. *Secunda* sententia affirmat esse tantùm irritum iure Ecclesiastico positiuo, non autem iure naturali, ita Sanctius disput. 14 Layman cap 5. Bonac. quæst. 3. punct 8. Hurt. diffic. 2. Molina de iustitia, & iure tract. 2. disp. 236. & est communis inter Recentiores Theologos, & Iurisperitos. *Tertia* sententia media graditur via, & vtroque iure censet prædictum matrimonium irritum, & nullum esse. Ita Pontius de impedimentis Matrimonij cap. 31. pro qua refert sanct. Thomam, Turrecrem. Altisiodor. Scotum, & Comitio.

27. Prima conclusio. Huiusmodi matrimonium spectato iure naturali irritum, & nullum est. Ita Doctores primæ, & tertiæ sententiæ. Et probatur, quia si solo iure positiuo essent irrita hæc matrimonia, & non iure naturali, apud infideles modò valerent, & in Ecclesia valuissent mille retro annis, ante tempora Alexandri III. & Honorij III. qui mille annis post Christum natum, illa capita ediderunt, ex quibus colligitur irritatio positiua Ecclesiæ. Secundò probatur à priori, quia matrimonium de se est perpetuum, afferens secum vinculum insolubile humana potestate, *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; sed metus grauis iniustè, & ab extrinseco incussus, repugnat huic perpetuitati, quia sic impulsus contrahere, potest petere restitutionem in integrum, quæ impossibilis est; ergo talis metus tollit matrimonium ex ipsa natura matrimonij. Et confirmatur, quia matrimonium affert secum perpetuam coniunctionem viri, & fœminæ per indiuiduam animorum, & vitæ societatem; ergo ex natura rei desideratur voluntas libera ab omni iniusta coactione, quæ impedimento est ad prædictam vitæ societatem, & reciprocum amorem coniugalem.

28. Obicies primò, hinc sequi, metum etiam iustè incussum ea ratione, & titulo facere nullum matrimonium, siquidem etiam euertit illam perfectam rationem voluntarij & liberi, quæ æquè minuitur, siue coactio sit iusta, siue iniusta. nam vtrobique contrahens premitur ab extrinseco consentire Respondetur, sequelam esse veram quoad substantiam, secus quoad modum. nam iusta coactio absque iniuria ducit contrahentem consentire, vt ipse alioqui tenebatur, quod in causa est, vt moraliter sic se habeat coactio ac si non esset; cùm ipse coactus dederit causas vnde cogatur; quapropter ea coactio non impedit effectum, & valorem consensus quem daret consentiens, si esset omnino à metu liber. At coactio iniusta, cùm sit iniuriosa etiam moraliter impedit valorem, & effectum consensus, & perfectam rationem voluntarij, qualis requiritur ad contrahendum vinculum matrimonij, & subeunda onera ipsius in perpetuam, & indiuiduam vitæ societatem. In quo ratione materiæ, & magni momenti contractus, matrimonium differt ab aliis contractibus, qui iure naturæ valent, etiamsi fiant ex prædicto metu graui, vt optimè expendit Pontius vbi suprà, quia cùm cæteri contractus facile per superiorem rescindi valeant, neque contineant tanti momenti ligamen, metus ille, & coactio bene potuit permittere valorem contractus vbi datur locus restitutionis in integrum; non sic in matrimonio.

29. Obicies secundò, iuramentum, & votum factum ex metu cadente in constantem virum, item & Baptismus simili metu receptus, valent iure naturæ, aut iure Christi diuino; ergo & matrimonium tali metu contractum Respondetur, aliter sentiendum esse de matrimonio, & voto, ac de iuramento, & Baptismo. nam matrimonium, & votum proficiscitur ex sola voluntate vouentis, & contrahentis quantum ad obligationem, & ideo hæc obligatio, & vinculum postulat perfectum, voluntarium, liberum à graui metu At quia Baptismus est opus Dei, vt docuit D. Thom. suprà, & iuramentum obiectiuè est quædam religiosa interpositio diuinæ auctoritatis in testimonium veritatis, non habent ex solo consensu, & voluntate baptizati, & iurantis obligare; quin imò etiam, & principaliùs ex ipso opere Dei, id est, Baptismo, & ex ipsa religione quasi obiectiua iuramenti: vnde factum est, vt hæc inferant obligationem, sufficere voluntarium absolutè, mixtum inuoluntario coactionis, vt sufficit ad peccatum mortale; quod aliter est in matrimonio, & voto, quorum vis obligandi ex sola oritur voluntate contrahentis, & vouentis.

30. Obicies tertiò, quia nihil magis repugnat consensui contrahentium, quàm dolus, & error; sed hoc non obstante, matrimonium contractum dolo, aut errore, quandoque valet, scilicet dum dolus, & error non est contra substantiam personæ, sed contra illius accidentia; ergo multo magis ratum erit iure naturæ, matrimonium contractum

per metum grauem. Reſpondetur, dolum circa accidentia perſonæ præcisè non impedire valorem matrimonij, dummodo circa ſubſtantiam non verſetur, quia hoc modo non obſtat legitimo conſenſui contrahentis, vt conſtabit infrà cùm de errore annullante ſermo erit. At metus iniurioſus obſtat legitimo conſenſui matrimonij, & perfecto voluntario quod requirit, propter rationē ſuprà allatam.

32. Secunda concluſio, prædictum matrimonium etiam eſt irritum iure poſitiuo Eccleſiaſtico. Ita Doctores ſecundæ, & tertiæ ſententiæ, qui omnes id probant, præſertim ex cap. *Cùm locum.* cap. *Veniens.* cap. *Conſultationi*, de ſponſal. & Matrim. & aliis ſimilibus. Hæc autem capita expendit Meratius ſect. 8. num. 4. probans ex illis minimè colligi ius eccleſiaſticum irritans prædictum matrimonium. Sed facilè reſpondetur ex Sanctio diſp. 14. num. 7. quamuis ex illis capitibus clarè non conſtet irritatio facta per Eccleſiam, nihilominus tamen per traditionem communem Doctorum creditur facta à Pontificibus in prædictis capitibus. Nec obſtat, quia ſi Alexander III. & Honorius III. in illis textibus intendiſſent irritare prædictum matrimonium, id expreſſiſſent verbis ſignificantibus clarè irritationem, vt fecit Tridentinum ſeſſ. 24. cap. 6. dum fecit irrita matrimonia ſine Parocho, & teſtibus inita, illis verbis: qui aliter quàm præſente Parocho, &c. eos inhabiles reddit, & eiuſmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit. Hoc, inquam, non obſtat, quia non ſemper irritatio facta per Eccleſiam eodem modo conſtat, & certa eſt: facta quidem à Tridentino certa eſt, & conſtans, quia verbis clariſſimis eſt expreſſa. Non ſic in caſu de quo loquimur, vnde hæc dubia eſt, & ſolùm ſub opinione, quare non ſunt petenda verba clariſſima Pontificum, vt petit argumentum. nam ſi eſſent talia verba, res eſſet extra controuerſiam, & non poſita in opinione.

33. Sed iam traducitur difficultas ad ius ciuile, & ius Gentium, an ſcilicet prædictum matrimonium prohibeatur hoc vtroque iure. Sotus, & Enriquez apud Sanctium affirmant irritum eſſe apud infideles, vtroque prædicto iure; Sanctius verò opinatur eſſe validum, niſi aliqua lege ciuili alicubi irritetur; irritati autem iure Cæſareo indicat Layman tract. 10. part. 2. cap. 5. num. 4. per leg. *Nec filium.* C. de ritu nuptiarum, & Baldus, & Gloſſ. in l. *Si patre.* ff. de ritu nuptiarum. Certius tamen eſt, ex iure naturali apud infideles ea matrimonia celebrata metu graui irrita eſſe, ac proinde ad eorum nullitatem opus non eſſe confugere ad ius ciuile, vel Gentium, ſiquidem ius naturale commune eſt omnibus mortalibus, & apud omnes vrget.

DISPVTATIO VI.

De Conſenſu conditionato.

SECTIO I.

Quæ ratione conditiones de præſenti, aut de præterito, non obſtent valori Matrimonij.

1. CONSENSVS alius eſt abſolutus, qui datur abſque vlla conditione; alius eſt conditionatus, qui non datur, niſi mediante conditione, vt ſi quis conſentiat, quòd alter coniux ſit nubilis, vel diues, &c. Et certum eſt apud omnes, (vt in aliis contractibus) validè, & inualidè poſſe apponi conditionem contractui matrimonij. Quocirca oportet explicare diuerſa genera conditionum, vt innoteſcat, quæ validè, quæ inualidè apponantur matrimonio. Conditio ergo alia eſt de præſenti, alia de præterito, alia de futuro. Hæc autem de futuro, alia eſt neceſſaria, quæ neceſſariò euenier; alia eſt contingens quæ contingenter. Deinde alia eſt conditio poſſibilis, quæ poteſt eſſe; alia impoſſibilis, quæ non poteſt eſſe. Præterea alia eſt turpis, & inhoneſta; alia honeſta, & licita. Denique alia eſt contra ſubſtantiam intrinſecam matrimonij, vel contra eius aliquam inſeparabilem proprietatem; alia non eſt contra hæc duo, ſed extra illa ſe habet. Vbi aduerto aliquas ex his conditionibus eſſe poſſe de quolibet tempore.

His poſitis ſit concluſio, ſi conditio appoſita à 2.
contrahente eſt de præterito, aut de præſenti, (ſi non ſit illicita, aut contra ſubſtantiam, aut proprietatem aliquam inſeparabilem matrimonij.) Quæcumque illa ſit, conſenſus ſub ea conditione valet, & eſt ratum matrimonium, ſi verè, & realiter extitit, aut exiſtit conditio: inualidus autem eſt conſenſus, irritumque matrimonium, ſi verè, & realiter conditio non extitit, nec exiſtit. Ita communiter Doctores, & ratio eſt euidens. nam qui conſentit ſub ea conditione, ſolùm intendit ſe obligare data veritate talis conditionis; ergo ſi detur manet obligatus; ſecus ſi non detur. Patet conſequentia, quia totus valor, & obligatio matrimonij, vt in voto, naſcitur ex ſola voluntate contrahentis, qui ſe vult obligare: & conſequenter ſi ſe non vult obligare niſi exiſtente tali conditione, non manebit obligatus.

Dixi valere, ſi re ipſa exiſtit, aut extitit conditio, quia, vt notat Sanctius lib. 5. diſp. 7. cum Hurt. diſp. 7. diffic. 2. contra Coninch diſp. 29. dub. 1. ſatis eſt ad valorem matrimonij, ſi conditio re ipſa ſubſiſtat, quantumuis, qui conſenſit ſub ea conditione, non habeat notitiam eius exiſtentiæ; & ratio eſt, quia ille qui conſenſit, non deſiderauit ad ſe obligandum notitiam exiſtentiæ conditionis, ſed nudam eius exiſtentiam, v. g. Titius dedit conſenſum contrahere cum Caia, ſub conditione, quòd hæc die heſterno adſtiterit ſacro; ponamus ergo re ipſa adſtitiſſe, & Titium id neſcire, proculdubio valuit eius conſenſus in matrimonium, cùm conditio iam ſubſiſtat. 3.

Obſeruandum tamen eſt, conditiones de præ- 4.
ſenti, quæ ſunt de eſſentia matrimonij, vel ſine quibus matrimonium inter fideles conſiſtere nequit, non verè cenſeri conditiones, nec facere conſenſum conditionatum, ſed perinde ſe habere ac ſi non adiicerentur. v. g. Conſentis in matrimonium, ſub conditione, quòd alter conſentiat, vel quòd alter maneat debitor carnalis copulæ, vel ſub conditione, quòd Deus permittat talem contractum celebrari; hæ namque conditiones ſunt veluti de eſſentia matrimonij, aut omnino neceſſariæ, vt matrimonium ſubſiſtat: vnde implicitè clauduntur ſub omni valido conſenſu matrimonij. Dixi, *vel ſine quibus matrimonium inter infideles conſiſtere nequit*, quia illæ conditiones, ſi non ſis conſanguinea, vel affinis, & aliæ omnes, quibus cætera Eccleſiaſtica impedimenta dirimentia exprimuntur, ſi ab infidelibus in ſuis contractibus apponerentur, re vera conſenſum ſuſpenderent, & matrimonium, ſi conditio non verificaretur.

nam

nam infideles non tenentur legibus Ecclesiasticis, & ideo huiusmodi conditiones non essent intrinsecæ respectu suorum contractuum.

5. Hinc fit à contrario, si conditio apposita de præsenti (idem est si sit de futuro) omnino euertat essentiam matrimonij, aut aliquam eius inseparabilem proprietatem, omnino irritare valorem matrimonij, cùm fiant dependenter ab existentia conditionis impossibilis cum ipso contractu: vt si quis consentiat sub conditione, quòd alter coniux non consentiat; vel quòd neuter in alterum sui corporis dominium transferat; vel quòd alter non teneatur seruare fidem, aut possit fœmina fœtus impedire conceptionem, vel conceptum impedire ne prodeat; aut denique quòd saltem remotè alius non teneatur debitum reddere; quia omnes hæ conditiones directè repugnant essentiæ matrimonij, aut eius alicui committi indiuiduo.

6. Obiicies primò, quia legatum relictum alicui sub hac conditione, si ipse acceptauerit, est conditionale, & manet suspensum quousque legatarius expresè acceptet; ergo expressio conditionis generalis, & tacitè inhærens contractui, suspendit actum, & consequenter matrimonium. Respondetur, illas conditiones, quamuis communes sint, & à iure insint, suspendere tamen ipsum actum, & illum reddere conditionatum, quia non apponuntur absolutè, & sine limitatione, eo modo quo insunt, sed aliter quàm expressæ sunt in iure, & insunt ipsi actui, vnde illa conditio, si legatarius acceptauerit, considerata vt inest ipsi legato, intelligitur de acceptatione præsumpta; ac proinde accepta eo modo quo inest, statim legatarius dominium legati acquirit. Si autem alio modo ponatur, scilicet si expresè acceptauerit, hoc est, si expresè declarauerit se acceptare, suspendit legatum quousque id declaret, quia non ponitur eo modo quo inest.

7. Obiicies secundò, Matrimonium sub hac conditione contractum, si Ecclesiæ placuerit, suspenditur quousque constet de approbatione Ecclesiæ; ergo similiter erit suspensum, si addatur illa conditio, si non est consanguinea, aut si nullum obest dirimens impedimentum. Respondetur negando consequentiam, ob eamdem rationem, quia quando dicitur, Duco te si non es consanguinea, aut si non subest impedimentum, apponitur conditio, eo modo quo tacitè inhæret ipsi contractui, & ideo non suspendit matrimonium, quia expressio rei, quæ iure inest, non induit suspensiuam conditionem; at quando dicitur, Duco te, si Ecclesia approbauerit, adiicitur diuerso modo, reddit enim hunc sensum, si facta super hoc sufficienti discussione, matrimonium hoc ab Ecclesia approbetur, ac proinde hæc conditio suspendit consensum donec de Ecclesiæ approbatione constet. Sicut hæc conditio: Confero tibi beneficium si fueris idoneus, non suspendit collationem, quia illa conditio tacitè inest: hæc tamen conditionalis, si idoneus repertus fueris, collationem suspendit, quia non adiicitur conditio vt inest, sed alio modo, & ideo ex vi illius requiritur informatio, & approbatio idoneitatis, quæ ipso iure non exigebatur.

* * *

SECTIO II.

An consensus sub conditione de futuro necessariò euenturo, sufficiat ad Matrimonium.

8. CONclusio est affirmatiua. Si conditio de futuro sit necessaria, hoc est, de re necessariò, & infallibiliter ventura, talis conditio non suspendit consensum, sed matrimonium sub illa contractum, eo ipso est validum, ac si talis conditio adiecta non esset, nisi ita consentiens sub ea conditione, velit alligare suum consensum, ad conditionem de futuro. Ita communiter Doctores cum D. Thom. quæst. 47. art. 5. Et probatur, quia talis conditio habet se veluti de præsenti. nam tale futurum est præsens in suis causis, & consequenter non suspendit in futurum valorem contractus. Et confirmatur, quia conditiones, quæ respiciunt futurum euentum necessarium, non suspendunt obligationem. §. *Conditiones.* Institut. de verborum obligationibus, & l. *Si pupillus.* §. 1. ff. de nouationibus. vbi dicitur eum qui stipulatur sub conditione, quæ omnino extitura est, perinde se habere ac si purè, & sine conditione stipuletur.

9. Ex quo infertur, matrimonium ita contractum, Duco te si cras oriatur sol, ex nunc esse validum, neque expectandum esse ortum Solis. Idem dicendum est si conditio non habeat diem certum, sed incertum, vt, Duco te si pater meus moriatur, continuò tenet matrimonium, quia conditio apposita necessariò est euentura, idem dicendum existimo de conditione de futuro contingente simpliciter infallibili, vt, Duco te, si venerit Antichristus, quia sicut ortus Solis crastina die futurus, est hodie quodammodo præsens in sua causa proxima, ratione infallibilitatis suæ futuritionis, ita natiuitas Antichristi futura est modò præsens in diuina præscientia, & respectu contrahentium non minus necessaria, quàm ortus crastinus Solis, quia intimata est testimonio infallibili sacræ Scripturæ, & ita tenent Sanctius lib. 5. disp. 2. Rebell. lib. 2. quæst. 10. sect. 2. Hurt. disp. 7. diff. 6. contra Couarr. & Pontium. Si autem matrimonio apponeretur hæc conditio, si Antichristus venerit intra decem annos, verè illud suspenderet vsque ad dictum tempus, quia ratione temporis superadditi illa conditio non est certa, & infallibilis.

10. Dixi in conclusione, nisi ita consentiens sub ea conditione velit alligare suum consensum ad conditionem de futuro. nam si id intendebat, non fit ex tunc matrimonium, donec conditio impleatur; quia matrimonium esse non potest sine consensu; ergo si contrahens noluit nubere, nisi subsecuta conditione, ante illius aduentum non erit matrimonium.

11. Quòd si loquamur de conditione de futuro possibili contingente licita, & honesta, v. g. Accipio te in coniugem, si pater tuus consensum dederit, vel si frater tuus centum in dotem constituerit; omnes conueniunt completa conditione valere matrimonium, & non valere, non expleta conditione; quia existente illa conditione adest consensus necessarius, vt illico sit matrimonium; & non existente deest talis consensus; & constat ex aliis contractibus, qui huiusmodi conditionibus non suspenduntur, vt patet ex l. *Institutio talis.* ff. de conditionib. instit. l. *Cùm ad præsens.* ff. si certum petatur. §. *Conditiones.* Institut. de verborum obligat.

Est

12. Est tamen difficultas, si patet primò dissentit, & postea consentit, an consensu isto posteriori impleatur dicta conditio, & perficiatur matrimonium. Negat Sanctius lib. 5. disp. 7. Affirmant Nauarr. cap. 22. num. 61. & Coninch. disp. 29. dub. 2. quia licèt verbis dictæ conditionis in rigore sumptis eo priori dissensu deficiat conditio, tamen iuxta communem sensum, & intentionem contrahentium, illa verba non sumuntur in rigore, sed morali quodam modo, vt sensus sit, si à patre obtentus fuerit consensus intra tempus aliquod arbitrio prudentis, attentis circumstantiis; ergo quamuis pater initio dissentiat, si postea intra id tempus consentiat, valet contractus; sicut matrimonium sub hac conditione contractum, si Papa dispensauerit, valet, quamuis Papa initio deneget dispensationem, si postea illam concedat. Et similiter, matrimonium contractum sub hac conditione, si patri placuerit, inualidum est, quamuis pater primò consentiat, si postea intra tempus aliquod saltem breue dissentiat, & repugnet, ob eamdem rationem, quia hic est communis sensus, & intentio contrahentium.

Sectio III.

An consensu sub conditione impossibili, vel inhonesta sufficiat ad Matrimonium.

13. PRima conclusio, quando contrahentes ita seriò apponunt conditionem impossibilem, vel turpem, vt nolint contrahere, nisi dependenter à subsistentia illius, vt quando dicitur: Contraho tecum si cælum digito tetigeris, vel si furtum commiseris, illud matrimonium in foro conscientiæ inualidum est. Et probatur, quia qui non consentit nisi sub conditione impossibili, vel turpi, re vera non consentit, vt habetur in l. *Non solùm.* ff. de actionib. & obligatio. Deficiente autem consensu, matrimonium constare non potest. Confirmatur, quia talis conditionis adiectio est indubitatum signum dissensus. Denique, quia contractus ex consensu conditionato initus, inualidus est, non stante conditione, quam consensus inuoluit, cùm totus ex ea pendeat; sed neque stare potest conditio, quandoquidem impossibilis est; ergo neque stare potest contractus matrimonij.

14. Secunda conclusio, in foro externo matrimonium sub conditione impossibili, vel turpi initum, validum est iudicio Ecclesiæ præsumentis tale esse, ac si talis conditio non esset adiecta. Ita communiter Doctores cum Sanct. lib. 5. disp. 3. quia ita diffinitum extat, in fauorem matrimonij à Gregorio IX. in cap. finali, de conditionibus appositis. vbi decernit, turpes, & impossibiles conditiones, quæ substantiæ matrimonij non aduersantur, esse pro non adiectis habendas, hoc est reiiciendas esse in foro iudiciali. quod decretum intelligendum est, quoad forum exterius, & præsumptionem; quia Ecclesia quando oppositum non constat, præsumit conditionem impossibilem iocosè, & non seriò fuisse appositam, nec id absque ratione præsumit, quia quando oppositum non constat, præsumitur in re adeò graui, & sancta, contrahentes noluisse nugari, & suum actum irritum reddere, ac proinde coguntur ab Ecclesia; in quo casu ipsi coniuges vt licitè procedant, tenentur verè contrahere, si dubium est an conditio turpis, vel impossibilis fuerit seriò apposita, necne, vt securi sint in foro conscientiæ.

Sectio IV.

An conditio de futuro apposita matrimonio, illud suspendat in futurum.

15. SEnsus est, an in contractu matrimonij, vbi consensus est sub conditione de futuro, valeat consensus expleta conditione, præcisè ex sola positione conditionis, non expectato alio nouo consensu? An potiùs hic expectandus sit, vt valeat matrimonium.

16. In qua difficultate prima sententia tenet, sine nouo consensu completa conditione præcisè valere matrimonium. Ita Sanctius lib. 5. disp. 8. allegans pro se Palud. Petr. de Soto, Viguer. Innoc. Hostien. Panormitan. Ioannem Andr. & Nauarr. eamdem sententiam sequitur Coninch. disp. 29. num. 11. Rebell. lib. 2. quæst. 10. sect. 6. & Hurt. disp. 7. diff. 3. qui addit idem esse dicendum inter habentes impedimentum dirimens, si consentiant sub hac conditione, si Papa dispensauerit, videlicet expleta hac conditione præcisè, ex tunc matrimonium valere, & huiusmodi contractum non habere vim sponsalium de futuro. Quod probant ex innumeris vtriusque iuris testibus, ex quibus induci videtur, omnem contractum sub conditione de futuro suspendi vsque ad existentiam conditionis, qua veniente, & purificata, perinde valere contractum sub conditione, ac si esset absolutus à conditione. l. *Potior.* ff. qui potiores in pignore hab. vbi sic loquitur Iurisconsultus. *Cùm semel conditio exiſtit, perinde habetur, ac si illa tempore quo ſtipulatio interpoſita eſt, ſine conditione facta eſſet.* & l. *Hac venditio*, ff. de contractu emptionis, ibi: *Conditionales venditiones, tunc perficiuntur cùm completa fuerit conditio.* Ex quibus desumitur ratio pro hac sententia; quia contractus conditionatus purificata conditione redditur absolutus; ergo, & matrimonium expleta conditione obligat, non expectato nouo consensu ex vi prioris consensus, completa conditione præcisè.

17. Secunda sententia, à contrario affirmat, expectandum esse nouum consensum, vt sit vinculum matrimonij, & ex vi prioris consensus, & expleta conditione solùm consurgere sponsalia de futuro. Ita Meratius sect. 11. allegans plures alios, Dominicum Soto, Ledesm. Bonauent. Victor. Enriquez, & Valent. quibus subscribit Diana, Pontius, & Barbosa; & probat sic. Contractus matrimonij inter fideles validus, tunc est sacramentum nouæ legis, dum est validus; sed huiusmodi contractus matrimonij sub conditione de futuro absque nouo consensu, verbis, vel signis expresso, nunquam est sacramentum; ergo signum est nunquam esse validum ex præcisa existentia conditionis, nisi accedat nouus consensus. Minor probatur, nam ante expletam conditionem non est sacramentum, quia pro eo tempore adhuc est suspensus valor contractus, & consequenter non est validus; sed neque expleta conditione, potest tunc esse sacramentum, quandoquidem tunc nihil est actu sensibile ex parte contrahentium, quod possit eleuari per modum formæ, ad rationem sacramenti, vel etiam ad causandam gratiam; ergo. Secundò probat, quia aliàs etiam forma absolutionis in sacramento Pœnitentiæ sub conditione de

Digitized by Google

de futuro prolata posset suspendi vsque ad existentiam conditionis, quod est falsum, & contra omnes Doctores.

18. Sit conclusio. Vtraque sententia probabilis est, sed prima semper mihi visa est probabilior, propter eius fundamentum. Quare ad fundamenta secundæ sententiæ respondetur. Et ad primum, matrimonium sub conditione de futuro valere, & perfici à puncto conditionis expletæ, & non antea, vt liquet à simili contractu matrimonij inter infideles, vbi non vrget argumentum, cùm talis contractus non sit sacramentum; & consequenter asserendum est ex tunc esse sacramentum, & non antea, quia tunc perficitur contractus matrimonij. Neque obstat tunc non esse aliquid sensibile pertinens ad sacramentum, quia etsi non existat physicè tunc forma sactamenti, existit tamen, & perseuerat moraliter, quod sufficit, vt possit moraliter causare gratiam, vt diximus, seruata proportione in sacramento Baptismi, quod recedente fictione, causat moraliter gratiam ob solam præsentiam, & perseuerantiam moralem.

19. Ad secundum argumentum, respondetur assignando discrimen inter formam absolutionis, & inter matrimonium, quare illa data sub conditione de futuro non valeat; valeat autem matrimonium sub ea conditione, iam expleta; est ergo discrimen, quia matrimonium essentialiter est contractus, & ratio sacramenti in eo fundatur super ipsius essentia, & validitate; cùm autem valor contractus suspendi possit vsque ad existentiam conditionis, qua veniente perficitur ipsemet contractus, consequenter ratio, & valor sacramenti in matrimonio potest suspendi vsque ad existentiam conditionis, & perfici eius aduentu. Secus in formis aliorum sacramentorum. v. g. Pœnitentia, quæ vt non fundatur super validitate contractus, ita de præsenti semper valet, aut non valet, nec potest suspendere valorem, vsque ad existentiam conditionis de futuro: & hoc maximè, quia sic Christus Dominus creditur instituisse.

20. Est tamen difficultas, an vbi ad valorem matrimonij desideratur assistentia Parochi, & testium, necessum sit Parochum, & testes assistere, dum expletur conditio, vt de valore matrimonij valeant ipsi testificari? An potiùs sufficiat adstitisse dum primum præstitus est consensus sub ea conditione de futuro, verbis, aut signis illum exprimentibus.

Prima sententia requirit nouam assistentiam Parochi, & testium dum adimpletur conditio, vt ipsemet Parochus, & testes certò sciant existentiam conditionis. Ita Bonac. quæst. 3. punct. 10. num. 22. Hurt. disp. 7. diff. 7. Pontius lib. 5. cap. 22. Ratio est, quia assistentia Parochi, & testium ex eo necessaria est, vt si opus fuerit, ipsi possint testificari de valore matrimonij, saltem quantum ad ea, quæ exteriùs requiruntur, vt perfectum euadat matrimonium; quod quidem non valebunt præstare, nisi assistant dum completur conditio.

21. Secunda sententia probabilior, & conformior his, quæ suprà docuimus, non requirit nouam assistentiam Parochi, & testium, sed credit sufficere præteritam, ita Sanctius lib. 5. disp. 8. & alij ab ipso relati. Ratio est, quia non est necessaria noua assistentia propter rationem, qua nititur contraria sententia. nam etsi Parochus, & testes non assistant omnibus, quæ necessaria sunt, vt possint testificari de valore matrimonij, vel etiam ignorent aliquid necessarium ad huiusmodi testimonium, adhuc non est necessaria eorum iterata assistentia; quia in primis non est opus, vt ipsi videant litteras, v. g. in matrimonio per Procuratorem, quibus datur potestas Procuratori ad ineundum matrimonium nomine alterius, quamuis non valeat tale matrimonium, nisi in vi earum litteratum. Deinde matrimonium inter consanguineos in gradu prohibito non valet nisi obtenta dispensatione: sed non est opus, vt Parochus, & testis videant eam dispensationem, sine qua visa non potest dari plenum testimonium de valore talis matrimonij; ergo, &c.

DISPVTATIO VII.

De indissolubilitate & perpetuitate Matrimonij.

SECTIO I.

An, & quo iure Matrimonium sit insolubile.

MATRIMONIVM communiter diuiditur à Doctoribus, in legitimum, ratum, & consummatum. Consummatum est, quod iam carnalis copula consummauit apta ad generationem prolis. Legitimum dicitur quod iuxta leges est: vnde matrimonium infidelium, quod ipso iure naturali spectato contrahitur, legitimum appellatur. Ratum denique dicitur matrimonium baptizatorum, in quo datur significatio coniunctionis Christi cum Ecclesia; de matrimonio sub hac triplici ratione procedit hæc difficultas. 1.

Prima conclusio. Matrimonium legitimè contractum, siue præcisè ratum, siue etiam consummatum inter fideles, & infideles continet nexum perpetuum, & insolubilem. Sic præsertim de matrimonio fidelium diffinit Trident. sess. 24. in hæc verba. *Matrimonij perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis Parens diuino Spiritûs instinctu pronuntiauit, dum ait, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.* Habetur etiam cap. vltimo, de conditionibus appositis, quatenus ibi Gregorius IX. determinat, conditionem repugnantem perpetuitati matrimonij esse contra essentiam, & substantiam eiusdem matrimonij Idcirco Paulus ad Romanos 7. dixit: *Mulier viuente viro alligata est legi*, &c. nam quando superstites sunt coniuges, deuincti sunt maritali vinculo, & lege matrimonij. Vnde ortum habuit vulgaris matrimonij diffinitio. *Est viri, & fœminæ maritalis coniunctio, individuam vitæ societatem, & consuetudinem retinens.* Quam quidem inseparabilem societatem firmauit ampliùs Christus lege à se data Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet.* 2. Trident. Rom. 7. Matth 19.

Hæc conclusio firma, & stabilis est apud Catholicos, contra Hæreticos sectarios, qui turpiter affirmant, pro libito contrahentium posse matrimonium dissolui, quod non tantùm repugnat fidei, sed etiam rationi naturali, quæ dictat insolubilitatem matrimonij propter fidem illius, scilicet procreandæ prolis: & ob rationem materiæ, quæ tanti momenti est, vt semel coniuncti maritali nexu, nequeant 3.

queant ab homine, seu humana potestate separari. In quo cessat, & patitur exceptionem vulgaris, & communis regula desumpta ex cap. 1. de regulis iuris. *Omnis res per quascumque causas nascitur, per easdem dissoluitur.* Quod solùm tenet in aliis contractibus ciuilibus, in quibus ratione materiæ possunt contractus dissolui; tum ex potestate superioris rescindentis ipsos ex causa; tum etiam ex ipsamet voluntate contrahentium, qui vt liberè contraxerunt, ita & pro suo arbitratu suo iuri cedentes possunt cassare contractum.

4. Hoc posito, inter Catholicos concertatio est, quoniam iure matrimonium sit indissolubile. Quidam affirmant, non iure naturali, sed supernaturali diuino, vel ab origine mundi, vel etiam à Christo domino in lege gratiæ, ita Sanct. lib. 2. disp. 13. & Coninch. disp. 26. dub. 2. Alij ex sola Ecclesiæ dispositione, sic multi Iurisperiti apud Sanct. vbi supra. Postremo alij cum Vazquez, Pontio, & Meratio disp. 6. sect. 1. & 2. opinantur etiam iure naturali esse indissolubile matrimonium tam consummatum, quàm ratum.

5. Secunda conclusio. Iure naturali, seu ex natura rei, matrimonium tam cõsummatum, quàm ratum est indissolubile. Probatur, quia propria ratio, & diffinitio matrimonij essentialiter includit indiuiduam vitæ societatem, non pro hoc, aut illo tempore, sed in perpetuum. Vnde non possunt contrahentes validè contrahere ad tempus, sed pro tota vitæ periodo, quod postulat essentialiter prolis generatio, & educatio, quæ est finis matrimonij à natura intentus; & non posset consistere si aliquando matrimonij vinculum solueretur ex voluntate contrahentium, vel alia humana potestate. Confirmatur vrgentiùs, viuente viro ratio dictat ne fœmina possit nubere alteri viro, quia hoc modo esset omnino prolis incertitudo: quocirca olim quamuis polygamia vnius viri cum multis fœminis fuerit permissa à Deo, numquam tamen permissa fuit polygamia vnius fœminæ cum multis viris, quia proli educandæ hæc polygamia obstabat: sed similiter solubilitas matrimonij plurimum obstat educandæ proli; ergo hæc à natura omnino irritatur; ac proinde matrimonium à natura est insolubile.

6. Tertia conclusio, etiam est insolubile iure diuino supernaturali, à mundo condito. Probatur ex Trid sess. 14. dum ait: *Matrimonij perpetuum indissolubilemque nexum, primus humani generis Parens diuini Spiritus instinctu pronuntiauit.* ergo intercedente diuini Spiritus instinctu factus est matrimonij nexus indissolubilis, & consequenter nouo titulo ex diuino imperio: quod innotuit Adamo ex diuino instinctu, & reuelatione. Neque obstat, Iudæis olim permissum esse libellum repudij, quo vinculum matrimonij solueretur. Quia in lege Moysis, diuina dispensatione id factum est ad maiora damna vitanda, & ob duritiam cordis eorum, vt ait Christus Dominus Matth. 19.

7. Quarta conclusio, etiam est insolubile iure diuino à Christo Domino in lege gratiæ Matth. 19.
Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*; quia auctoritate humana non potest fieri separatio inter virum, & fœminam post contractum matrimonium, nisi morte intercedente. In qua re ex testimonio Christi Domini, expendit Maldonatus ad illa verba Pauli 1. ad Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur cum ea*; non dixisse Christum, quos Deus coniunxit, sed quod Deus coniunxit; quia virtute matrimonij vir, & fœmina ita coniunguntur, vt iam non videantur duæ personæ, sed vna; ergo quia Christus Dominus suo mandato sic adstrinxit virum, & fœminam coniugali nexu, vt omnino non sit inter eos separatio, sicut non est vnius à se ipso, proculdubio matrimonium insolubile est iure Christi diuino. Quod etiam validissimè firmauit cum sacra religione, & eleuatione Sacramenti ipsummet matrimonium decorauit.

Den que quod attinet ad ius Pontificium existimo etiam esse indissolubile, & Sanctius num. 6. adducit plures textus, ex quibus colligitur probabiliter Ecclesiam, eam insolubilitatem firmasse. Dixi *probabiliter*, quia non certò colligitur. 8.

Sectio II.

An, & quo iure matrimonium, non consummatum religiosa professione dissoluatur.

9. MAtrimonium carnali copula consummatum non posse dissolui per religiosam professionem, omnes Catholici conueniunt. Vel ex eo maximè, quòd matrimonium consummatum significat vnionem insolubilem Christi cum Ecclesia, ex illo Pauli ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia.* Deinde, quia priuilegium datum à Christo Domino professioni religiosæ de dissoluendo matrimonio, de matrimonio non consummato intelligit Ecclesia in Tridentino sess. 24. can. 6. cùm diffinit. *Si quis dixerit, matrimonium ratum non consummatum per solemnem professionem alterius coniugis non dirimi, anathema sit.* Vbi duo definiuntur, primum dirimi matrimonium ratum. Secundum matrimonium consummatum non dirimi. Ephes. 5.

10. Vbi primò obseruandum est, si ante celebratum matrimonium coniuges se cognouerint carnaliter, si postea inito matrimonio se non cognoscant, tunc temporis non censeri consummatum matrimonium, quia hæc consummatio, vtpote vsus matrimonij, supponit essentialiter iam celebratum matrimonium.

11. Obserua secundò, dari coniugatis bimestre à puncto initi contractus ante consummatum matrimonium, vt quilibet pro suo arbitratu alio coniuge etiam renuente possit religionem ingredi, & post annum probationis profiteri. Ita communiter Doctores, ex cap. 7. de conuersione coniugat. qua peracta professione, vt matrimonium præteritum dissoluitur, ita & alter coniux validè, & licitè poterit ad secundas nuptias transire. Elapso autem bimestri, poterit coniux cogi ad consummandum matrimonium; quod si non consummentur, poterit etiam elapso bimestri Religionem ingredi, & profiteri, quamuis plures anni elapsi sint à matrimonio inito, quia in dicto capite absolutè conceditur facultas ingrediendi religionem ante consummatum matrimonium, & bimestre tantùm assignatur, vt intra eum nequeat cogi ad consummandum, & eo transacto possit vel obligari religionem ingredi. Vbi etiam aduerto, cum Sanct. & Pont. lib. 9. & c. 9. posse coniugem etiam sine intentione ingrediendi religionem, & in ea profitendi intra bimestre non reddere debitum alteri petenti, vel consummationem matrimonij, quia sic vtitur suo iure, quamuis hoc non placeat Hurt. disp. 8. diffic. 8. quia in dicto capite tantùm conceditur dictum

tempus

Digitized by Google

tempus cogitanti, & volenti ingredi religionem; & ex alia parte ſtatim ac fit contractus, traditur dominium corporis alteri, ac proinde qui non cogitat ingredi religionem, ſtatim tenetur reddere alteri petenti. Vtraque ſententia probabilis eſt. Prima mihi probabilior. Deinde aduerto, ſi per vim conſummetur matrimonium intra bimeſtre, poſſe coniugem, qui paſſus eſt vim, ingredi religionem, & ſic diſſolui matrimonium, quamuis oppoſitum ſit probabile, & ſaltem in omni ſententia videtur certum, in eo caſu poſſe, qui paſſus eſt vim abſque conſenſu alterius valide profiteri, quamuis non dirimatur matrimonium, & tunc qui intulit vim, non poterit ad ſecundas nuptias tranſire.

12. Obſerua tertiò, licèt conſummato matrimonio poſſint coniuges ex mutuo conſenſu religionem ingredi, & valide profiteri; vel etiam fœmina poſſit profiteri ex conſenſu viri, ipſo etiam in ſæculo manente, ſi grandæuus ſit, & prouectæ ætatis, ſicut etiam vir conſenſu fœminæ poſſit profiteri ipſa in ſæculo manente, ſi grandæua ſit, & prouectæ ætatis, eadem enim eſt vtriuſque ratio, & par conditio, vt docet Pont. lib. 9. c. 12. non tamen in his caſibus dirimi matrimonium quoad vinculum, & ius remotum petendi debitum, & obligationẽ reddendi, quamuis proximum ius omnino euaneſcat.

13. Obſerua quartò, quamuis ordo, & dignitas Epiſcopalis ſit perfectior ſtatus, quàm religioſa profeſſio: & Ordo ſacer ſit verè, & propriè ſacramentum, quam perfectionem non attingit religioſa profeſſio; adhuc tamen ſolius profeſſionis præ Epiſcopatu, & ordine ſacro eſt, poſſe dirimere matrimonium ratum non conſummatum, vt habetur in Extrauag. *Antiqua*, de voto.

14. Opponit quiſpiam. Matrimonium ratum, vt prædiximus, eſt omnino indiſſolubile; ergo non poteſt diſſolui per religioſam profeſſionem. Reſpondetur, matrimonium non dici indiſſolubile eo quòd nó poſſit diſſolui, per auctoritatem diuinam, ſed quia non poteſt per humanam contrahentium, vel ſuperiorum non habentium poteſtatem à Deo, qua ratione matrimonium ratum non confirmatum diſſolui poteſt per profeſſionem religioſam.

15. Hæc apud omnes ferè Doctores explorata videntur. Quod autem in controuerſiam eſt, quo iure religioſa profeſſio dirimat matrimonium. Prima concluſio, iure naturali, & inſpectis naturis rerum, matrimonium ratum non dirimitur religioſa profeſſione. Ita communiter Doctores contra Durand. Sotum, Caietan. & Valentiam, apud Merat. diſp. 8. ſect. 3. & probatur, quia attenta natura matrimonij, continet vinculum inſolubile humana voluntate; ergo attento eo iure non eſt ſolubile per humanam voluntatem profitentis ſolemniter in religione, quia huiuſmodi profeſſio voluntaria non excedit poteſtatem humanæ voluntatis. Confirmatur, quia traditio, qua quis profeſſione traditur Deo, & religioni, non eſt natura ſua incompoſſibilis cum vinculo matrimonij, vt conſtat in eo, qui poſtquam conſummatum matrimonium ex licentia alterius coniugis profitetur ſolemniter, in quo poſt profeſſionem perſeuerat vinculum. Imò quamuis natura ſua eſſet incompoſſibilis cum vinculo matrimonij, potius hoc vinculum, vtpote antecedens, impediret valorem profeſſionis, quàm diſſolueretur per eam ſuperuenientem, vt rectè notat Hurt. diſp. 8. diffic. 6. Quia coniux per contractum matrimonij ex iuſtitia eſt iam factus alterius, ac proinde poſtea non poſſet profeſſione alteri validè conferri. Deinde, quia vota ſimplicia paupertatis obedientiæ, & caſtitatis extra religionem nuncupata, ſunt eiuſdem naturæ in eſſentialibus, quæ tamen dirimunt matrimonium ratum, vt omnes fatentur; ergo nec vota ſolemnia in religione attenta præcisè eorum natura, & eſſentia. Conſequentia eſt manifeſta, quia ea vota fieri in religione, aut eſſe ſolemnia accidit illis ex Eccleſiæ diſpoſitione, vt planè colligitur ex cap. vnic. de voto in 6. & ex Gregor. XIII. in Extrauag. *Aſcendente Domino in nauicula.*

Obiicies primò. Profeſſio religioſa eſt ſtatus maius perfectionis, quàm matrimonium; ergo ex natura ſua diſſoluit matrimonium. Reſpondetur conſequentiam eſſe nullam, quia etiam Epiſcopatus eſt maioris profectionis, quàm matrimonium, & tamen eum non diſſoluit. Deinde hoc argumento etiam diſſolueret matrimonium conſummatum, quod eſt falſum, nam etiam matrimonium conſummatum cedit in perfectione profeſſioni religioſæ. 16.

Obiicies ſecundò. Status coniugij repugnat cum ſtatu religionis; ergo matrimonium dirimitur ex natura rei per ſtatum religionis. Reſpondetur negando antecedens ſimul cum conſequentia, quia coniugium non repugnat cum Religione. nam ſi coniuges communi conſenſu ingrediantur religionem, & profiteantur, tenebit profeſſio, manente vinculo matrimonij, vt prædiximus, & omnes fatentur. Deinde, ſi qua eſſet repugnantia inter vinculum matrimonij, & profeſſionem religioſam, inde tantùm ſequeretur non valere profeſſionem poſt matrimonium prius initum, quia cum poſſeſſione matrimonij non cohæreret profeſſio. 17.

Secunda concluſio, iure diuino deriuato à Chriſto Domino in fauorem profeſſionis religioſæ, hæc dirimit matrimonium ratum non conſummatum. Ita communiter Doctores, quos allegant, & ſequuntur Merat. vbi ſuprà, & Sanct. lib. 2. diſp. 19. Pont. lib. 9. cap. 5. Potiſſimum fundamẽtum noſtræ concluſionis eſt, quia ita colligitur ex Alex. III. cap. *Ex publico*, de conuerſione coniugatorum, & cap. *Ex parte* 2. eodem titulo. vbi aſſeritur. *Ex ſacri eloquij interpretatione, & diuina reuelatione in Eccleſia Chriſti, ſemper fuit cuſtoditum, vt ratum matrimonium per profeſſionem ſolemnem diſſolueretur.* Vnde ex Chriſti priuilegio, profeſſio religioſa creditur obtinuiſſe vim dirimendi matrimonium, quod non aliunde conſtat, quàm per traditionem fidelium. 18.

Tertia concluſio, etiam ex iure poſitiuo Pontificio ortum habuit prædicta virtus dirimendi matrimonium ratum, non conſummatum, conueniens profeſſioni ſolemni. Ita Vazquez 1. 2. diſp. 165. cap. 7. Suar. tom. 4. de Relig. lib. 4. cap. 2. Leſſius de iuſtitia, & iure lib. 2. cap. 41. dub. 8 Hurt. diſp. 8. diff. 4. quæ concluſio probari aliter non poteſt, niſi per antiquiſſimam Doctorum traditionem, vel, vt docet Hurt. quia olim extitit fortaſſe de hac re decretum ſcriptum in Eccleſia, & temporum iniuria deperditum fuit. 19.

Ex quo colligitur primò contra Pont. vota ſimplicia Societatis IESV non habere prædictam vim dirimendi matrimonium ratum, non conſummatum. Ita communi conſenſu omnes Doctores Societatis IESV, & alij plures. Et ratio eſt, quia hoc priuilegium ſic debet accipi, & intelligi, vt intelligit Eccleſia; ſed Eccleſia illud tantùm intelligit de profeſſione ſolemni in Trident. ſeſſ. 24. canon. 6. ibi, *Per ſolemnem profeſſionem*, &c. & 20.

in cap. *Verum*, & in cap. *Ex parte*; ergo non extenditur tale priuilegium ad vota simplicia societatis, quæ longè distant à professione solemni.

21. Obiicies primò, ex cap. *Ex publico*, & cap. *Ex parte* 2. de conuersione coniugatorum, vbi solùm exprimitur status religiosus, nulla facta mentione professionis solemnis ad dirimendum matrimonium non consummatum; ergo ad hunc effectum solum desiderat Ecclesia statum religiosum præcisè, ac proinde cùm ea vota simplicia eum constituant, diriment matrimonium. Respondetur, iure communi in idem reincidere professio solemnis, & status religiosus. Nam, vt rectè Vazquez probat ex Gregorio XIII. cap. 9. vsque ad tempora societatis numquam fuit in Ecclesia alius modus vitæ religiosæ, nisi per professionem solemnem, aut saltem in iure nullius alterius notitia est.

22. Obiicies secundò. Ratio cur Christus Dominus addixit professioni solemni vim dirimendi matrimonium ratum, ea fuit, quia per eam professionem Religiosus sequitur Christum, vitam agit perfectam, & consiliis Euangelicis adhæret; sed hoc totum hæc vota simplicia complectuntur, vt constat; ergo à paritate rationis priuilegium Christi etiam se extendit ad vota simplicia societatis. Respondetur negando antecedens, quia priuilegium concessum professioni solemni, non est præcisè, quia constituit Religiosum, vtcumque, sed quia solemniter, & vndequaque ligatum, tam ex parte sui, quàm ex parte religionis; licèt enim vota simplicia societatis perpetuò ligent religiosum ex parte ipsius, & sic verè, & propriè constituant eum Religiosum; tamen ex parte religionis est potestas eum dirimendi liberum à votis: vnde prædicta vota simplicia non continent vt professio solemnis, vinculum vndequaque perpetuum, indissolubile, & irreuocabile, cùm possit dissolui ex potestate religionis: secus ac in professione solemni, in qua non potest religio dissoluere vinculum, quia etsi possit Religiosum expellere ob sua crimina, sed non liberum à votis.

23. Secundò probatur, quia si hæc vota simplicia dirimerent matrimonium ratum non consummatum; irritarent vtique, & matrimonium subsequens, quia semper in Ecclesia hæc duo simul connexa fuerunt in statu professionis religiosæ, & dirimere matrimonium præteritum, non consummatum, & annullare futurum; vota autem simplicia societatis à constitutione Gregor. XIII vim habuerunt irritandi matrimonium futurum; ac proinde ante eam constitutionem prædicta vota non conferebant inhabilitatem ad contrahendum matrimonium; ergo ex iure Christi Domini non habent vim dirimendi matrimonium ratum præcedens.

24. Secundò infertur, per vota Clericorum, & monialium Ordinis militaris in claustro viuentium dissolui matrimonium non consummatum, quia sunt vota solemnia; & ob eamdem rationem per vota Equitum militantium non viuentium in claustro, v. g. per vota, & professionem Equitum Calatrauæ, Alcantaræ, & S. Iacobi, quamuis sint veri Religiosi, non dissoluitur matrimonium ratum, quia tantùm vouent castitatem coniugalem. Aliter dicendum est de Equitibus S. Ioannis, quia professio horum est solemnis, & in ea vouent castitatem absque restrictione.

25. Tertiò infertur, per vota Mantellatorum, & Mantellatarum S. Francisci, & S. Dominici, quas vulgo Beatas, seu Tertiarias vocant, dissolui matrimonium ratum, dummodo collegialiter viuant, sub regimine Prælati ex vi suæ regulæ approbatæ, sub qua emittunt tria vota solemnia: secus de non viuentibus collegialiter, sed in propriis domibus.

26. Denique obserua, tunc matrimonium dici consummatũ itavt nequeat professione dissolui, quando semen viri recipitur intra vas fœmineum etiamsi vas penetratum non fuerit, quia hoc est sufficiens ad generationem. Non tamen sufficit sola vasis fœminei penetratio absque prædicta seminis receptione, quia sola vasis penetratio non est commixtio perfecta, & ad generationem sufficiens, ac proinde non consummat matrimonium ad generationem ordinatum; eo vel maximè, quia per eam commixtionem carnalem, coniuges non fiunt vna caro, quæ nequeunt fieri deficiente seminis emissione intra vas.

SECTIO III.

An Matrimonium infidelium dissoluatur per conuersionem alterius ad Fidem.

27. SEnsus est, an per conuersionem ad fidem vnius coniugis infidelis, alio permanente in infidelitate, dissoluatur matrimonium; si enim vterque conuertatur ad fidem, matrimonium semper permanet, & in aliquorum sententia ex tunc incipit esse sacramentum.

Sit conclusio. Matrimonium ratum, & consummatum dissoluitur quoad vinculum per conuersionem vnius coniugis infidelis ad fidem, modo infrà explicando est communis, & certa Theologorum sententia, & deducitur ex illo Pauli 1. ad Corinth. 7. vbi ait. *Quòd si discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*; quæ verba rectè explicat Cornelius à Lapide in eum locum, *quòd si discedit*, id est, si infidelis quærit dissolutionem matrimonij opere suo nolendo conuerti ad fidem, vel cohabitare sine iniuria creatoris; *discedat*, id est, separetur equidem sua culpa. Vnde Ambrosius apud eumdem Cornelium de prædicto infideli loquens, sic habet. *Qui in infidelitate perseuerat, non debetur ei reuerentia coniugij, qui horret Auctorem coniugij: sed potest alteri se coniungere.* Addit Paulus: *Non enim seruituti subiectus est frater, aut soror, in huiusmodi.* hoc est, frater, aut soror conuersa ad fidem, non sit anxia, & solicita de eiusmodi contemptu coniugis permanentis infidelis, quia tunc liberatur à subiectione, & legibus matrimonij, ex diuina Christi dispensatione in fauorem fidei, quam conuersus amplectitur in Baptismo. Idem etiam deducitur ex Innocentio III. cap. *Quanto*, de diuortiis, vbi id ipsum expressè determinat ex hoc eodem Pauli testimonio. 1. Cor. 7.

28. Est tamen difficultas, quid requiratur ex parte infidelis permanentis in sua infidelitate, vt alter coniux ad fidem conuersus soluto matrimonio, aliud possit contrahere. Omnes conueniunt ex illo cap. *Quanto*, & ex cap. *Gaudemus*. Si ex parte infidelis, qui non conuertitur, est animus non cohabitandi cum conuerso: vel si est animus cohabitandi, non vult pacificè sine Creatoris contumelia cohabitare, quinimo intendit, fidelem conuersum

conuersum à fide remouere, & in peccatum mortale trahere; posse conuersum illud matrimonium dissoluere, absque vlla controuersia.

29. Hinc tamen duplex suboritur dubitatio.

Prima est, an illico dissoluatur matrimonium antequam conuersus transeat ad secundas nuptias. In qua dubitatione existimo, tantùm dissolui cùm aliud initur matrimonium, & non antea. Ita Sanctius, Coninch, & Pontius, quos sequitur Hurt. disp. 8. diff. 13. & colligitur ex illo Pauli 1. Cor. 7.

1. Cor. 7. *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hac consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier fidelis habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat illum.* Ergo supponit Paulus, non illico vinculum matrimonij solutum iri, dum ad fidem conuertitur vnus ex infidelibus coniugibus, sed expectandum esse, an qui manet infidelis, consentiat habitare, & ita infidelis sanctificetur per fidelem, id est, conuertatur ad fidem. Vnde subiungit Apostolus, *Sanctificatus est enim vir infidelis, per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem.*

30. Secunda dubitatio, an si coniux infidelis velit habitare cum fideli conuerso pacificè absque iniuria Creatoris, & sine periculo pertrahendi ipsum in apostasiam à fide, vel in aliud peccatum mortale, ille qui venit ad fidem, pro suo arbitratu possit illud matrimonium dissoluere, aliud de nouo celebrando. Neque plures Doctores, Rebell. Valent. Tolet. Nauarr. & alij apud Dian. resolut. 252. quibus accedit Hurt. disp. 8. diff. 12. affirmant Sanct. lib. 7. disp. 74. Coninch. disp. 26. dub. 5. Meratius disp. 6. sect. 7. & meritò, quia etsi liceat in eo casu habitare cum infideli, & non dissoluere matrimonium spe sanctificandi, & lucrandi illum ad fidem, vt Paulus vbi suprà consulit, vt ex August. Anselm. & D. Thom. aduertit Cornelius à Lapide in eum locum; verum tamen non est obligatio, & præceptum Christi, vt necessariò permaneat in matrimonio cum tali infideli: inquit enim Paulus consulens, non præcipiens. *Cæteris ego dico, non Dominus: si quis frater*, &c. ergo potest fidelis conuersus si velit aliud inire matrimonium, quamuis Ecclesia non præcipiat eius discessum ab infideli, (in quo deceptus est Meratius suprà.) Ad quem discessum habendum licitè, sufficit ipsa Creatoris contumelia, quam infidelis præcisè committit in ipsa permanentia in infidelitate, vt verbis expressis docuit Ambrosius vbi suprà illis verbis. *Non debetur ei reuerentia coniugij, qui horret Auctorem coniugij*, scilicet permanens in sua turpi infidelitate, per quam horret Deum Auctorem coniugij.

Idem.

SECTIO IV.

An Matrimonium ratum non consummatum de plenitudine potestatis Romani Pontificis dispensari queat.

31. MAtrimonium carnali copula consummatum indissolubile esse, etiam per Romani Pontificis potestatem, certa res est, ex illo Matth. 19.

Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, saltem intelligendo de matrimonio iam consummato. Controuersia ergo est de matrimonio nato nondum consummato, an solubile sit ex eiusdem Pontificis imperio graui interueniente causa; hac enim deficiente, certum videtur nón posse validè dissolui per dispensationem Romani Pontificis, sicut etiam videtur certum casu quo possit, & posse ipsis etiam renuentibus coniugibus, & à puncto dispensationis dissolutionem matrimonij tenere.

32. Sit conclusio affirmatiua, quam sequuntur innumeri Iurisperiti, quos citat, & sequitur Sanct. lib. 2. disp. 24. & ex Theologis Bellarm. Enriquez, Nauarrus apud Meratium, & Hurt. disp. 8. diff. 3. quibus accedit Layman tract. 10. part. 3. cap. 6. Bonac. quæst. 2. punct. 11. Rebell. lib. 2. sect. 3. quorum fundamentum est, quia, vt affirmant Caiet. Enriq. & Antoninus. Martinus V. Eugenius IV. Paulus III. & Pius IV. super matrimonio rato non consummato dispensauerunt de facto. Tum etiam, quia Romanus Pontifex potest dispensare, & de facto dispensauit in professione solemni, quod est vinculum potentius, cùm hoc dirimat vinculum matrimonij non consummati. Præterea, quia Romano Pontifici data est à Christo Domino potestas dispensandi non solùm in iure ecclesiastico, sed etiam in iure diuino, quando hoc ius oritur ex voluntate fidelium, & ad bonum Ecclesiæ expedire censetur ex illo Ioan. 21. ad Petrum, & eius successoribus. *Pasce oues meas*; Ioan 21. sed quandoque expedit sic dispensare in matrimonio rato nondum consummato; ergo hæc potestas non est neganda Romano Pontifici.

33. Contrariam sententiam tuentur plures Theologi, Bonauent. Scotus, Cordub. Palud. vterque Sotus, vterque Ledesma, Arrag. Veracruz, quos refert, & sequitur Meratius, vbi suprà cum Pontio lib. 9. cap. 3. Præcipuum fundamentum cui innititur hæc sententia, quæ est valdè probabilis, hoc est, quia Christus Dominus dum dixit Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, non solùm Matth. 19. loquutus est de matrimonio consummato, sed de solùm rato. Et confirmatur, quia eadem ratione liceret affirmare, posse Romanum Pontificem dispensare in polygamia vnius viri cum multis vxoribus; hæc autem fundamenta infirma sunt. Nam ad primum respondetur, quamuis concedamus illam Christi sententiam comprehendere etiam matrimonium ratum non consummatum; adhuc tamen asserendum est, Romanum Pontificem non posse dissoluere tale matrimonium vt hominem, & vt humana pollentem potestate, qua ratione in Regibus, & Principibus talis potestas non residet: sed vt vicarium Christi, & vt diuina pollentem auctoritate, quo sensu non dicitur homo, sed quasi Deus ad eum modum quo Matth. 16. secundùm expositionem Hieronymi Apostoli non homines, sed dij appellatur.

34. Ad secundum respondetur, non posse Romanum Pontificem dispensare in polygamia, cùm possit in matrimonio rato, quia polygamia prohibetur iure naturali antecedenter ad omnem voluntatem hominum, & consequenter abstinere ab illa est iuris naturalis promanantis à solo Deo, & non à voluntate hominum: ideirco dispensare in illa est solius Dei, vt olim in veteri lege, vnde superat potestatem Romani Pontificis: at ius naturale, & obligatio vinculi matrimonij non se habet hoc modo, sed oritur ex iure naturali pendente à voluntate hominum, quæ cùm sit subiecta superiori Romano Pontifici, hic potest dispensare super eiusmodi iure, & rumpere vinculum, quod inducit humana voluntas, siue in vinculo matrimonij, siue in obligatione voti, & iuramenti.

DISPVTATIO VIII.

De vsu, & debito coniugali.

SECTIO I.

An actus coniugalis licitus sit.

1. CONCLVSIO est affirmatiua, & de fide, copulam carnalem licitam esse si debitè fiat, & deducitur apertè ex illo Genes. 1. vbi Deus primorum Parentum nuptiis benedicit, & eorum vsum vel præcipit, vel commendat, illis verbis, *Crescite, & multiplicamini.* & ex illo Pauli ad Hebr. 7. *torus* coniugatorum dicitur *immaculatus*, & ratione ostenditur, quia matrimonium est licitum, vtpote ex Dei inspiratione institutum; ergo, & eius vsus. Consequentia est euidens nam cùm ex matrimonio oriatur obligatio ad actum coniugalem, si is actus esset malus, matrimonium esset illicitum, eo quòd obligaret ad malum, & peccatum. Denique, quia in eo actu seruatur iustitia, & ex sua natura ordinatur ad bonum finem; ergo ex se, & ex suo obiecto bonus est: imò, & meritorius ex opere operantis, si in gratia exerceatur. Quòd si aliquando Patres affirmant in eo actu esse quamdam immunditiem, quod significari videtur Apocalyps. 14. dum de virginibus dicitur, *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati.* tantùm volunt, in eo actu semper reperiri immunditiem aliquam naturalem propter deformitatem, & rebellionem concupiscentiæ, & membrorum, qua ratione habet aliquam indecentiam, quia membris, & motibus pudendis exercetur, non tamen in eo reperitur immundities moralis, seu culpa, de qua hîc loquimur.

Genes. 1. Hebr. 7. Apoc. 14.

2. Est tamen difficultas, quo fine exercendus sit talis actus, vt licitè fiat. Et conueniunt omnes, actum coniugalem non solùm ob prolis generationem, qui est eius finis primarius, & immediatus, sed etiam ad vitandam incontinentiam in altero coniuge, dum alter videt illum esse in periculo, esse licitum, & honestum, quia est actus charitatis ex fine salutis spiritualis proximi, & etiam iustitiæ reddere indigenti quod suum est. An verò in actu coniugali facto ad vitandam propriam incontinentiam, sit aliqua culpa saltem venialis, discrepant Doctores. Nam Magister in 4. distinct. 31. quem nonnulli Theologi, & Summistæ sequuntur, existimat, in eo esse peccatum veniale. Alij verò, quos refert D. Bonauent. ibidem artic. 2. quæst. 3. censent, peccatum esse mortale solius voluptatis causa illum actum exercere.

3. Secunda conclusio. Nullum est peccatum, nec veniale, coniugem petere debitum præcisè, vt incontinentiam in se ipso vitet. Ita Nauarrus, Rebell. Coninch. & Pontius, quos refert, & sequitur Hurt. disp. 10. diff. 2. & colligitur ex D. Paulo 1. ad Corinth. 7. *Propter fornicationem autem, vnusquisque vxorem suam habeat*; & infrà, cùm suasisset coniugibus aliquando orationi vacare, & ex mutuo consensu à coniugio abstinere, subdit. *Iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram.* quibus verbis hortatur, vt vtantur matrimonio, quo vitent periculum fornicationis. Et probatur, quia si ad vitandam fornicationem in altero coniuge licitus est talis actus, cur non erit licitus ad vitandam fornicationem in se? cùm multo magis teneatur vnusquisque suæ saluti consulere, quàm alterius. Præterea probatur ratione qua vtitur Scotus, & supplementum Gabielis in 4. distinct. 26. quæst. 1. artic. 3. dubio 2. quia Deus dereliquit hominem, & sua sibi, in quibus non obligauit ipsum sibi; ergo potest homo corpus suum transferre in aliam, vt sic eo bene vti possit, cum sua, cùm à Deo prohibitus sit accedere ad non suam; ergo facta translatione potest vti ex eo fine, sicut qui emit rem aliquam, vt rectè ea vtatur aliquo vsu ex multis ad quos ordinari poterat, solumque fiet vt sit vsus minus bonus ex eo fine, non verò malus. 1. Cor. 7.

Terria conclusio. Actus coniugalis tuendæ, aut restaurandæ salutis causa, non est peccatum, nec veniale. Ita Coninch, Pontius, & Hurtad. vbi suprà. Et probatur, quia, vt rectè Pontius, huiusmodi finis non est malus, vt constat; medium etiam est licitum, scilicet actus coniugalis, & conueniens ad eum effectum, vt Medici docent; ergo non est vnde detiuetur malitia; quòd enim alio medio possit vti ad conseruandam, vel restaurandam sanitatem parum refert, quia satis est vti medio ex se licito, & aliàs conuenienti. Neque datur inordinatio ex eo quòd actus coniugij referatur ad alium finem præter intrinsecos, quia eiusmodi fines non excluduntur tacitè, nec expresè, vt constat; ergo. Et confirmatur, quia si talis actus esset illicitus, & malus, ideo esset, vel quia obiectum illius, scilicet conseruatio, aut restauratio sanitatis, est malum, quod certè dici non potest: vel quia vitatur medio illicito, vt cùm quis dat eleemosynam ex furto: sed neque hoc dici potest, quia actus coniugalis potest esse meritorius, vt prædictum est; quare salus non intenditur malo medio. Vel denique est malum ex eo quòd præponitur fini principaliori, scilicet exercendi illum actum propter prolem; sed neque hoc dici potest. nam talis actus non excludit illum finem actu, vel habitu; ergo ex nullo capite potest vitiari. 4.

Quarta conclusio. Vsus coniugalis factus solius voluptatis, & delectationis gratia, quæ in ipso actu est, ex genere suo nullum est peccatum. Ita præfati Auctores contra Sanct. lib. 9. disp. 12. existimans esse veniale, & probatur ratione præcedentis conclusionis, quia intendere illam voluptatem ex obiecto suo non est malum, quia delectari cum vxore non est malum; sed neque est prohibitum, quòd habeatur illa volitio, cùm non feratur circa aliquid prohibitum: neque est mala ex medio per quod intenditur, dummodo neque actu, neque habitu excludantur alij fines matrimonij, quia hac ratione non tantùm esset veniale, sed mortale; ergo talis actus ex illo fine præcisè ex suo genere, nisi vitietur aliqua circumstantia, non est malus. 5.

Obiicies, verba illa Tobiæ 6. vbi Angelus Tobiæ iuueni reluctanti nuptias cum Sara, eo quòd qui illam duxerunt in ipsa prima nocte mortui essent, in hæc verba prorupit. *Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, vt sua libidini ita vacent, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem Dæmonium super eos.* Quibus satis indicatur, matrimonium contrahere, vel ad vxorem accedere voluptatis Tob. 6. 6.

luptatis gratia esse peccatum mortale, & confirmatur ex D. August. de bono coniugali, cap. 6. vbi ait, *Coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentia verò faciendæ, venialem habet culpam.* Respondetur, illis verbis tantùm eos notari, qui voluptatem pro supremo fine habent. nam, vt rectè Almayn. in 4. dist. 26. quæst. 1. Sunt nonnulli, qui tanto impetu feruntur in delectationem, vt ex affectu suo eodem modo delectarentur cum quauis. Alij verò sunt, qui finem generationis, & prolis excludunt, & abhorrent, potiorem ducentes voluptatem, de quibus loquitur Angelus. Augustinus verò intelligendus est, vt in plurimum, quia ex vehementi voluptate, seu ex desiderio niniæ delectationis, peccatum aliquod veniale copulari solet; hoc autem est ex accidenti, quia ex genere suo præcisè nullum est peccatum.

Sectio II.

An coniuges teneantur sub præcepto petere, & reddere debitum.

7. CONueniunt Doctores, neutrum coniugem teneri per se petere debitum alteri, quia nullus tenetur vti iure suo, & vnicuique libetum est iuri suo renuntiare. Dixi *per se*, quia per accidens aliquando tenetur, cùm scilicet prudenter credit immittere alteri periculum incontinentiæ, quod petendo possit auertere. In quo casu tenetur illi subuenire exigendo ab eo debitum, quæ exactio potiùs est quædam redditio, qua necessitati clamanti, & exigenti subuenitur. Ad id autem, an teneatur ex iustitia, vel ex charitate, discrepant Doctores. Sanct. lib. 9. disp. 2. Coninch disp. 34. dub. 2. existimant tantùm teneri ex charitate, quia per matrimonium tantùm traditur alteri dominium corporis, & consequenter ius eo vtendi, ex quo nullo modo sequitur obligatio cogendi illum, vt vtatur re sua. Sicut vendendo alicui equum, obligo me ne impediam, quin eo vbi libuerit vtatur; at non obligor vt cogam ipsum eo vti, eumve ad hoc inuitem, etiamsi hoc sit necessarium ad eius vitam seruandam.

8. Verius tamen existimo cum Pontio lib. 10. cap. 2. teneri exigere ex vtraque virtute, ac proinde actum illum esse in duplici specie, charitatis scilicet ex fine operantis; iustitiæ verò duplici titulo, vno primario, quia sic redditur debitum necessitati ex contractu. nam illa necessitas est quædam tacita petitio: altero secundario, videlicet iustitiæ erga se ipsum, quando actus incontinentiæ quem timet in altero, est contra iustitiam erga se ipsum, vt rectè Hurt. disp. 10. diff. 11.

9. Sit conclusio. Quilibet coniux tenetur sub mortali alteri coniugi debitum reddere, siue expressè, siue tacitè, seu interpretatiuè petat; ita communiter omnes Doctores, & colligitur apertè ex Paulo 1. Cor. 7. 1. ad Corinth. 7. vbi id præcipit, inquiens; *Vxori, vir debitum reddat, & vxor viro*; & ratione probatur, quia quilibet coniux habet ius, seu potestatem in corpus alterius in ordine ad vsum coniugalem, attestante eodem Paulo, *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir*, &c. Vnusquisque autem tenetur ex iustitia reddere alteri quod suum est, vt eo pro sua voluntate vtatur; ergo in vtroque coniuge est obligatio reddendi alteri exigenti, quia iuri in vno, correspondet obligatio in altero.

10. Dixi *alteri petenti*, subintellige tanquam debitum, quia si sic non petat, sed tantùm benevolè, & amicè, vt res alias debitas solemus ab amicis petere, & non animo obligandi, in eo casu non est obligatio reddendi, vt notant Hurt. vbi suprà, & Rebell. lib. 2. quæst. 16. sect. 1. Dixi *expressè, vel tacitè, seu interpretatiuè*, quia non est necesse vt verbis petatur, sufficiunt signa; quare cùm vir iudicat ex signis peti debitum à fœmina, & appeti copulam, tenetur reddere tacitè petenti, præsertim fœminæ; quæ quidem propter naturalem verecundiam frequenter non audent petere; quare vir tenetur ei reddere quoties ex signis aduertit id eam petere. Idem dicendum est de fœmina erga virum, si ob naturalem pudorem, vel ob reuerentiam erga fœminam, quia magnæ auctoritatis est, vel ob eius morum asperitatem, non auderet verbis petere, sed tantùm signis, quia eadem ratio militat vtrobique.

11. Dixi denique teneri sub mortali, (nisi immoderatè petat, quia ex matrimonio non oritur obligatio ad immoderatam, & importunam redditionem) quia ille actus est in materia iustitiæ; copula enim est res grauis, in qua regulariter est obligatio mortalis, nisi excuset leuitas materiæ: vt si non sæpè, sed semel, aut altera vice negetur; vel negetur remissè tantùm petenti; vel quando non tam negatur redditio, quàm pro paruo tempore differtur, vt quando exigenti manè, redditur nocte, vel è contra.

12. Quare si omnino neget sine causa, vel si rarò, & magna cum difficultate reddat, peccat mortaliter, quia notabiliter defraudaret coniugem debito, vel si ex negatione debiti orientur discordiæ, & inimicitiæ; vel timeretur periculum incontinentiæ, siue in se, siue in altero coniuge. Idem est, si coniuge se excusante ex causa non omnino sufficienti, alter coniux instanter peteret, in quo casu negari non posset sine mortali. Ita Sanct. Pont. Coninch. & Hurt. locis citatis. Qui etiam aduertunt obligationem esse in coniugibus ad moderatè, & iuxta rationem vtendum coniugio. nam lex iustitiæ, quæ obligat ad reddendum, obligat etiam ad media necessaria vt reddi debitum possit. Ac proinde virum peccare, si medij etiam aliàs licitis inuita vxore reddat se notabiliter impotentem ad reddendum, vt longis ieiuniis, ac pœnitentiis, quia nemo potest se efficere impotentem ad id quod tenetur; quod verum est, siue ieiunia sint voluntaria, siue ex præcepto Ecclesiæ, quia fortius est istud iustitiæ vinculum; ac proinde posset præcepta ieiunia non obseruare, quoties id necessarium est, vt satisfiat coniugi moderatè petenti, quod certè regulandum est arbitrio prudentis, attenta valetudine vtriusque coniugis, conditione, & ingenio, quia quædam segniùs, quædam ardentiùs incitãtur venereis stimulis. Et ob eamdem rationem vxor excusatur à ieiunio, etiamsi sit ex Ecclesiæ præcepto, si per id efficiatur notabiliter deformior, timerique possit ea causa odiosam futuram marito, vt sit periculum, ne vir minus quàm par est eam amet, & auertatur eius animus ab ipsa ad quærendas alias; defectus namque amoris viri erga vxorem, vipotè valde necessarij ad pacificè traducendam vitam, est fœminæ damnum non leue, cum quo non tenetur ad obseruationem ieiunij ecclesiastici.

13. Ob eamdem rationem tenentur coniuges ad mutuam cohabitationem, ac proinde neuter potest ab altero inuito diu absque necessitate abesse, vt si vir relicta vxore velit longas peregrinationes susci-

Digitized by Google

pere; id enim esset pro longo tempore se impotentem constituere ad reddendum debitum, quod est contra ius alterius, secus si coniux consentiat, aut id necessitas exigat, quia vir non debet permittere, vt res domesticæ pereant, vt vxori satisfaciat, nec tenetur cum magnis molestiis, & sumptibus eam quocumque tendit secum ducere.

14. Cùm autem hæc obligatio sit affirmatiua, quamuis obliget semper, sed non pro semper, & ideo non obligat, nisi cùm alter coniux debitè, & legitimè petit; aliqua enim sunt, quæ excusare possunt, aliqua verò, quæ impedire debiti redditionem. Certum enim est apud omnes, coniugem excusari ab obligatione reddendi, quando ex copula sequitur notabile nocumentum in salute corporali, vt probat D. Thom. quæst. 64. art. 1. quia ordo naturæ postulat, vt individuum prius in se ipso perficiatur virtute nutritiua, & deinde hæc ministret superfluum generatiuæ; ergo cùm matrimonium institutum sit in officium naturæ, & vnus coniux non habeat potestatem supra corpus alterius, quantum ad ea, quæ ordinata sunt ad conseruationem individui, nisi solùm quantum ad virtutem generatiuam, non potest ab eo debitum petere, nisi salua alterius personali incolumitate: quare non solùm non tenetur coniux exactus reddere, verùm si redderet, peccaret; quia cùm non sit dominus propriæ vitæ, non potest eam periculo exponere. Limitant nonnulli, nisi petenti immineat graue periculum incontinentiæ, quia tenemur proximo constituto in periculo salutis spiritualis, cum damno corporali succurrere. Verius tamen est, vt aduertunt Sanct. Coninch. & Hurt. vbi suprà, quòd quamuis laudabile sit tunc reddere debitum exigenti, non tamen teneri; quia nullus tenetur vitam exponere, & cum tanto detrimento vitare peccatum alterius, nisi in extrema necessitate sit, in qua talis non est, cùm in eius sit potestate illud periculum alia ratione superare.

15. Idem dicendum existimo, si alter coniux morbo laboret contagioso, vt lepra, aut morbo Gallico, quia quamuis licitè possit reddere, non tamen ad id obligatur cum tanto detrimento. Neque obstat textus in cap. 1. & 2. de coniugio leprosorum, vbi præcipitur, sanum cum leproso coniuge habitare, quia id intelligendum est, quando lepra non est contagiosa, nec est periculum infectionis; secus quando immineat eiusmodi periculum; non tamen si timeatur infectio tantùm prolis, vt docet D. Th. vbi suprà, quia melius est proli infirmam, aut leprosam, quàm penitus non esse. Vnde nulla ei irrogatur iniuria.

16. Deinde idem dicendum est ratione amentiæ coniugis exigentis, alterum coniugem excusari à reducendo, vt docet Sanct. lib. 9. disp. 22. contra Nauarr. cap. 26. quia, vt rectè Hurtad. quamuis amens retineat dominium, & ius in corpus alterius coniugis; huic tamen iuri tantùm correspondet obligatio reddendi ei, qui exigit vt homo est, & rationis particeps; amens autem non exigit vt homo.

17. Est tamen difficultas, an coniuges excusentur à reddendo ex eo quòd plures filij nascantur, Sanct. & Coninch vbi suprà, negant id licere, quia cùm matrimonium ordinetur ad multiplicationẽ prolis, absurdum est ab eius obligatione excusari, ne proles multiplicetur. Verius tamen est, si absit periculum incontinentiæ, licitè negari debitum ne plures filij nascantur, quàm parentes possent alere; nec mirum est incommoditatem magnam alendi filios, eximere ab obligatione reddendi debitum: quia etiam solutio aliorum debitorum non obligat cum tanto incommodo; & incommoditas magna restituendi eximit ab obligatione restituendi. Ita Sotus in 4. dist. 32. art. 1. quem sequitur Hurt. diff. 12. nec displicet Sanctio vbi suprà.

SECTIO III.

Qua ratione votum castitatis impediat vsum Matrimonij.

18. COnueniunt Doctores, eum qui votum castitatis emisit, siue ante, siue post contractum matrimonium emiserit, non posse petere debitum; teneri autem reddere ad petitionem alterius coniugis, post consummatum matrimonium. Ratio prioris partis est, quia quantum ad hoc, ille potest seruare castitatem, & est omnino liber ad non petendum. Ratio posterioris etiam est manifesta, quia post consummationem matrimonij, coniux habet ius petendi debitum, quia habet potestatem in corpus alterius; ergo alter coniux tenetur petenti coniugi debitum reddere.

19. Est tamen difficultas, an ante consummationem is, qui votum castitatis emisit, teneatur ingredi religionem ad non violandum votum, quando alter scilicet non vult seruare castitatem. Nauarr. & plures alij relati à Coninch. partem affirmatiuam tuentur, quia talis ante matrimonium tenebatur absolutè seruare castitatem, nec per suum scelus, quo matrimonium contraxit, potuit se illa obligatione eximere; ergo etiam postea tenetur seruare castitatem quantum potest: sed potest eam absolutè seruare ingrediendo religionem; ergo ad hoc tenetur.

20. Verius tamen est, non teneri ingredi religionem, sed posse debitum reddere matrimonio iam consummato. Ita Sotus, Sanct. Enriq. Coninch. & Pontius, quos refert, & sequitur Hurt. disput. 10. diff. 8. & probatur, quia si vouens non emisit votum religionis, sed tantùm castitatis; ergo non obligatur ad ingressum religionis; quia nimis durum videtur ad seruandum votum castitatis obligari ad assumendum medium ita arduum, & difficile; imò difficiliùs re ipsa quam vouit, & huic sententiæ maximè fauet Ioan. XXII. in Extrauag. *Antiqua*, de voto, in qua decernit, initiarum sacris, in quibus votum solemne castitatis emittitur, etiam si initietur post matrimonium contractum, non teneri religionem ingredi, sed aut ingredi, vel consummare: imò ibi ingressus in religionem non illi iniungitur, sed tantùm admonetur.

21. Aduertendum tamen est cum prædictis Doctoribus, eum qui post contractum matrimonium ante eius consummationem vouit castitatem, teneri ingredi religionem, si quando vouet aduertat, se non posse aliter implere votum. Et ratio est, quia vouens aliquid, censetur vouere media, quæ nouit ad hoc necessaria; ergo quicumque rem aliquam seriò vouet, implicitè vouet ea omnia, quæ scit esse necessaria ad voti impletionem, aliàs sciens velit simul incompossibilia; ergo si aduertit quando vouet, se aliter non posse implere votum, nisi ingrediendo religionem, implicitè id etiam vouet; ac proinde ad id tenetur.

22. Ex quibus infertur primò, eum qui emisit votum castitatis, siue ante, siue post contractum matrimonium, in consummando peccare mortaliter si

si exigat debitum ; non verò si reddat. Et ob eamdem rationem idem dicendum esse de eo, qui emisit votum suscipiendi sacros Ordines, & contraxit matrimonium, non teneri ante consummationem religionem ingredi, vt in ea possit sacros Ordines suscipere. nam hic est casus expressè decisus in prælegata Extrauaganti ; quare potest & petere, & reddere debitum, quia cùm non vouerit castitatem, hoc eius voto non repugnat.

23. Secundò infertur, eum, qui emisit votum ingrediendi religionem, obligari ante consummationem matrimonij ad implendum votum ; quia ante consummationem potest illud votum implere : ac proinde peccare in consummatione matrimonij; quia liberè apponit impedimentum impletioni voti, cùm iam consummato matrimonio, non possit ad religionem transire : post consummatum autem matrimonium potest petere & reddere debitum; quia, vt rectè Pontius, lib. 10. cap. 5. quamuis petat, non peccat contra votum castitatis, cùm tale votum non emiserit; neque contra votum religionis, quia per consummationem matrimonij iam factus est impotens ad implendum votum, perseuerante matrimonio ; ac proinde si postea petat, aut reddat debitum, non apponit ampliùs impedimentum impletioni voti. Mortuo tamen coniuge, vel adulterante, vel volente religionem ingredi, siue ante, siue post consummatum matrimonium, is qui votum castitatis emisit, vel suscipiendi Ordines sacros, vel ingrediendi religionem, tenetur votum implere, quia tunc iam est in eius potestate adimpletio illius voti.

24. Tertiò infertur contra Pontium lib. 10. cap. 5. eum qui vouit non contrahere matrimonium, quamuis peccet contrahendo, non tamen peccare consummando ; quia, vt docet Sanct. lib. 9. disp. 34. consummare matrimonium, non est contrahere. Sicut is qui iurat contrahere matrimonium, implet iuramentum contrahendo ; non verò tenetur consummare : ergo à contrario, is qui vouit non contrahere, non censetur vouisse non consummare.

25. Iam verò si post consummatum matrimonium ex mutuo consensu, coniuges vouent castitatem; tunc nec possunt reddere, nec petere debitum, vt docent communiter Doctores ; ac proinde tales coniuges omnino toto separandos esse ob periculum incontinentiæ. Quòd si vnus coniux absque consensu alterius vouet castitatem, quamuis non possit petere debitum, tenetur tamen reddere quoties coniux petit, etiamsi tacitè petat per aliqua signa. Limitant nonnulli, nisi in altero periculum incontinentiæ aduertat ; in quo casu posse petere affirmant Angelus verbo *Matrimonium.* Rosella verbo *Impedimentum.* Quod certè mihi non probatur. Et ratio est, quia vnusquisque magis tenetur vitare periculum propriæ incontinentiæ, quàm alienæ, sed ob nullum proprium periculum incontinentiæ liberatur ab obligatione voti: ergo nec ob alienum.

26. Denique si coniuges ante consummationem matrimonij ex mutuo pacto vouent ingredi religionem, peccant mortaliter consummando matrimonium; quia exponunt se manifesto periculo, vt fiant impotentes ad implendum votum ; tum, quia post consummationem neuter poterit ingredi, si pars noluerit, aut non potuerit ; tum maximè, quia exponunt se periculo ne vxor concipiat, atque ita fiat impotens ingredi religionem, & consequenter maritus etiam ingredi non possit.

SECTIO IV.

An actus coniugalis fiat illicitus ratione cognationis spiritualis, vel affinitatis superuenientis.

CIrca primum sciendum est, cognationem spiritualem tunc superuenire matrimonio, quando vnus coniux matrimonio iam contracto, prolem alterius coniugis, siue ex prioti coniuge iam mortuo, siue communem vtriusque, & ex se natam, baptizat ; aut tamquam patrinus leuat, aut suscipit in Baptismo, aut Confirmatione: in quo mortaliter peccare, si id efficiat scienter, vel ex ignorantia vincibili absque necessitate, conueniunt omnes; quia est res grauis, & prohibita, vt constat ex tota causa 30. quæst. 1. Quòd si hoc accidat, vt accidere potest absque vlla culpa, vt si alias puer sine Baptismo esset morituras : aut si eum suscipiat, inuincibiliter ignorans esse vxoris suæ filium, conueniunt etiam huiusmodi cognationem nullo modo impedire vsum matrimonij, quando nullius culpa hoc accidit. Si verò id accidat vnius tantùm culpa, teneri innocenti debitum reddere. 27.

Hæc certa sunt. Difficultas tamen est, an quando cognatio spiritualis culpabiliter siue ab vno, siue ab vtroque contrahitur, baptizando, siue suscipiendo, in eo casu nocens impediatur à petitione debiti. Affirmant plures Doctores, quos refert, & sequitur Sanctius lib. 9. disput. 26. & probant ex cap. 3. 4. 5. & 6. & cap. *Ad limina* 30. quæst. 1. Quia cùm huiusmodi iura diffiniant hoc impedimentum non nasci, vel cùm in fraudem, vel ob necessitatem leuatur, aut baptizatur : ergo cùm exceptio firmet regulam in contrarium, apertè colligitur si vel malitia, vel necessitas absit, incurri hoc impedimentum ; ac proinde si contracto matrimonio, alter coniux aut communem, aut alterius tantùm filium baptizet, vel suscipiat absque necessitate, scienter tamen, non verò in fraudem, aut fraudandi animo, contrahitur hoc impedimentum : atque ita si vnus tantùm fecerit sine scientia alterius, is priuatur debiti petitione : si autem id ex scientia vtriusque fiat, neuter potest petere, neque reddere. 28.

Verius tamen & probabilius est, eum qui etiam sua culpa siue scienter hanc cognationem cum altero coniuge contraxit, etsi grauiter peccauerit, posse nihilominus petere debitum. Ita plures quos refert, & sequitur Coninch disp. 14. dub. 8. Suarez tom. 3. de Sacram. quæst. 67. art. 8. Hurt. disputat. 10. diff. 6. & Sanct. disp. 26. reputat probabile. Et probatur, quia dicta priuatio, seu prohibitio petendi, in nullo iure in sua obseruantia perseuerante continetur, nec ex aliquo iure sufficienter deducitur, vt probat Hurt. loco citato, exponendo Canones, qui pro aduersariis adducuntur. Imò ex Canone *de eo* 30. quæst. 1. & ex cap. *Si vir* 2. de cognatione spirituali, deducit, coniuges, siue ambo, siue vnum, quamuis cognationem spiritualem culpabiliter contrahant, nullo modo priuari actu coniugali. 29.

Circa secundum quod inquirebatur, an actus coniugalis fiat illicitus ratione affinitatis superuenientis. In primis certum est ex copula cum consanguinea vxoris, affinitatem oriri, & hanc affinitatem impedire debiti petitionem; non tamen impedire redditionem debiti ; ac proinde teneri reddere petenti, vt constat ex cap. 1. de eo qui cognouit consanguineam. Et idem est si vxor cognoscat consanguineum mariti, vt non possit petere, & 30.

Digitized by Google

teneatur reddere; etiamsi ea affinitas sit occulta, quia incurritur ipso facto, & ante iudicis sententiam.

31. Similiter etiam est certum, si vterque coniux id impedimentum contraxit, quia vterque rem habuit cum consanguineis vxoris, & vterque conscius est impedimenti, neutrum posse petere, neque reddere. Quæ doctrina procedit quando incestus fit scienter, & absque vi; quare per copulam metu graui extortam non contrahitur hoc impedimentum; ac proinde ea quæ inuita cognita est, non priuatur iure petendi debitum.

32. Est tamen difficultas, in quo gradu consanguinitatis sufficiat quòd sit persona consanguinea coniugis cognita ab altero coniuge, vt hic priuetur iure petendi. Nonnulli apud Hurt. diff. 7. existimant, incestum habitum cum persona consanguinea coniugis etiam in quarto gradu sufficere vt incestuosus priuetur iure petendi. Quia incestus grauius crimen est, quàm adulterium: ergo cùm adulterium priuet iure petendi debitum, multo magis incestus. Hoc tamen falsum est, quia adulter non peccat, si petat debitum.

33. Quare verius existimo, quamuis iure antiquo ea consanguinitas extenderetur vsque ad quartum gradum, hoc tamen ius correctum fuit per Trident. sess. 24 cap. 4. ac proinde copulam habitam cum consanguineis alterius coniugis vltra secundum gradum, non impedire debiti exactionem, quia impedimentum hoc non tam ex incestu, quàm ex affinitate inde contracta oritur, vt est communis sententia, & constat, quia incestuoso cum propriis consanguineis non interdicitur debitum petere, quamuis hic incestus sit grauior: idque non alia ratione, nisi quia ex illo non oritur affinitas cum proprio coniuge: ergo si iuxta Tridentinum ex copula habita cum consanguineis alterius coniugis vltra secundum gradum non oritur affinitas, neque interdicitur ius petendi debitum. Denique, quia ita declarauit Congregatio Cardinalium his verbis. *Congregatio Concily censuit, decretum Tridentini sess. 24. de Matrimonio cap. 4. ad primum, & secundum gradum restringens impedimentum inductum propter affinitatem ex fornicatione contractum, censeri etiam ad eosdem gradus restrinxisse impedimentum exigendi debitum ab vxore, quod inducitur ex affinitate proueniente ex illicita copula à viro cum consanguinea suæ vxoris post matrimonium habita.*

Sectio V.

Quando ratione temporis illicitus sit actus coniugalis.

34. Sub hoc titulo multa comprehenduntur. Et primò est difficultas, an actus coniugalis ante benedictiones nuptiales sit illicitus. Antoninus, Enriquez, & alij relati ab Hurt. diff. 3. docent esse illicitum. Et ex his nonnulli existimant esse peccatum mortale consummare ante acceptam benedictionem. Alij mortale taptùm agnoscunt in prima consummatione; non verò in aliis actibus coniugalibus, qui sequuntur. Alij esse peccatum in petendo; non autem in reddendo. Denique alij existimant tantùm esse culpam venialem.

35. Verius tamen & probabilius est, secluso scandalo, aut excommunicatione, nullum esse peccatum consummare matrimonium ante benedictiones nuptiales, quia Trident. sess. 24. cap. 1. tantùm dixit. *Hortatur sancta Synodus*, quo verbo consilium, non præceptum indicatur. Quòd si antiquitus extiterunt aliqua iura in quibus videtur præceptum, ne consummaretur matrimonium ante benedictiones, iam contraria consuetudine sunt abrogata, & noua lege Tridentini, cùm solùm suadeat, & hortetur, vt matrimonium ante benedictiones non consummetur.

36. Secundò est difficultas, an in diebus festiuis, vel supplicationum solemnium, vel in die Communionis, sit illicitus actus coniugalis. Plures Doctores apud Sanct. lib. 9. disp. 12. & 13. sibi persuadent, illicitum esse. Et ex his nonnulli existimant esse culpam lethalem. Alij verò solùm esse venialem, quia dies festi principaliter ad vacandum Deo, & orationi instituti sunt: ergo contra rationem est vacare Veneri, quo mens à diuinis abstrahitur. Idem specialiter probatur de die Communionis, quia Oza 2. Regum cap. 6. à Deo percussus est, quòd Arcam tetigerit: cuius rationem reddunt Hebræi, quoniam illa nocte ad vxorem accesserat: ergo multo magis culpa erit ad Eucharistiam post copulam coniugalem accedere.

37. Dicendum tamen est. Quamuis diebus festiuis, vel supplicationum solemnium, consilium sit à copula coniugali abstinere; tamen nulla est culpa tunc exigere, & reddere debitum coniugale. Et ratio est, quia id nullo iure est prohibitum, & nulla est culpa, vbi nullius præcepti adest prohibitio. Neq; ad hoc obligat præceptum de colendis diebus festiuis, quia eiusmodi præcepto tantùm prohibentur operationes externæ seruiles: nec finis præcepti, vt liberiùs vacetur Deo, cadit sub præcepto.

38. Quibus adde. Quamuis conuenientissimum sit post copulam coniugalem abstinere ea die à sacra Communione, idque semper sit consulendum, nisi aliqua iusta causa oppositum suadeat, quia talis actus nescio quid habet indecentiæ; tamen, absolutè loquendo, nulla est culpa ea die ad sacram Eucharistiam accedere. Quòd si aliquando Patres asseuerant non licere, exaggerando loquuntur, & dicunt non licere id quod non decet. Vnde

39. Ad primam rationem in contrarium respondetur. Vacare orationi diebus festiuis esse finem præcepti, qui non cadit sub præcepto.

Ad secundam. Non illam fuisse causa mortis Ozæ, sed quia cùm Sacerdos non esset, temere Arcam tetigit, quod solis sacerdotibus permittebatur, vt exponit D. Thom. in 4. distinct. 19. quæst. 2. art. 2. quæstiuncula 3. velut vult Abulens. quæst. 10. super eum locum, quia modica reuerentia, & quasi rem profanam Arcam tetigit.

40. Illud tamen aduertendum censeo, coniugem non eximi ab obligatione reddendi debitum, eo quòd illa die Eucharistiam recepturus sit, quia hæc obligatio oritur ex ipsa lege iustitiæ, nec inuenitur aliquod ius hunc casum excipiens; poterit tamen coniux moderatis, & honestis precibus petitionem repellere, nisi aliter ex circunstantiis colligat expedire.

41. Tertiò est difficultas, an actus coniugalis sit illicitus tempore menstrui. Et conueniunt Doctores, illicitum non esse quando fluxus menstruus est præternaturalis, perpetuus, vel diuturnus: aliàs rarissimè possent coniuges vti iure suo, quod esset nimis durum. Similiter ad vitandum desidium, & odium vxoris, quia in eo casu bonum pacis excusat. Et quidem plures Doctores apud Sanct. lib. 9. disp. 21. existimant culpam esse lethalem tempore fluxus naturalis menstrui, petere, vel reddere debitum,

bitum, quando hoc non est necessarium ad vitandum dictum desidium; quia cùm adest periculum grauis mali, culpa lethalis est vxori copulari; at in hoc casu, & propriæ salutis, & monstruosæ prolis periculum subest, vt Medici affirmant: non ergo tunc licet actus coniugalis; ac proinde nec vir potest licitè exigere, nec fœmina reddere. Sanct. verò ibidem. Pontius lib. 10. cap. 4. & Coninch disp. 34. dub. 9. dicunt esse tantùm veniale, quia tunc semen sine causa frustratur præcipuo fine, scilicet prolis effectu, in quo tantùm leuis inordinatio, & culpa reperitur.

42. Castro de L. pœnali, & plures alij, quos refert, & sequitur Hurt. existimant, nullam esse culpam eo tempore ad vxorem accedere, quia nullum est periculum infectionis prolis, vel valde exiguum, & quamuis esset magnum, & magni mali, nulla tamen in eo fit iniuria proli, quia melius est ei sic nasci, quàm non nasci; neque talis actus est illicitus ex eo quòd sit superfluus ad conceptionem, quia non est necesse vt fiat ob prolis generationem, cùm sint alij plures fines, & honesti, ob quos potest fieri. Per quod patet ad rationes in contrarium, nihil enim conuincunt.

43. Quartò est difficultas, an copula coniugalis sit illicita cùm vxor est grauida. Et certè si sit periculum abortus, prolis iam formatæ, nemo id dubitat esse peccatum lethale, vt tenet communis sententia. Dixi *prolis iam formatæ*, quia, vt aduertunt Sanct. & Hurt. contra Tabienam vbi suprà, ante formationem tempore quo materia incipit coagulari, quamuis sit probabile periculum dissipationis materiæ, non ob id erit mortaliter illicita, quia illa dissipatio non videtur tanti momenti, vt ob eius periculum copula coniugalis sit mortalis eis, qui habent ius ad illam, præsertim, quia id rarissimè accidit, vt constat experiētia, & consonat Auicenna.

44. Difficultas ergo procedit, quando cessat prædictum periculum. Pontius & alij apud ipsum existimant esse illicitam venialiter, quod probant ex August. de bono coniugali, cap. 6. *Sunt*, inquit, *adeò incontinentes, vt coniugibus nec grauidis parcant.* Ambros. super 1. ad Corinth. 7. vbi ait. *Ratio conceptus, & partus, iuxta legem cessare temporibus his debere, demonstrant.* Hieron. lib. 1. contra Iouinian. *Qui dicunt se causa Reipublicæ, & generis humani iungi, imitentur saltem pecudes, & postquam venter vxoris intumuerit, ne perdant filios.*

45. Probabilius est, quod docent Sanct. Coninch & Hurt. huiusmodi copulam nec illicitam esse venialiter, quia nullo iure prohibitum est, & vbi necessitas non cogit, non oportet culpas multiplicare, quia quòd effusio seminis frustretur fine generationis, non refert vt sit illicita, quia potest ad alios fines honestos deseruire. Vnde Patres loquuntur, quando est verisimile abortus periculum, vel id reprehendunt, non quia illicitum, sed quia minus perfectum. Ex quo infertur, quid dicendum sit de copula habita statim post partum, ante purificationem ex sanguine, quia in hoc casu eodem modo iudicandum est, atque de ea quæ cum vxore menstruata habetur. Idem dicendum est de copula habita tempore, quo lactatur infans, non solùm non esse mortalem, vt nonnulli absque fundamento affirmant, sed neque venialem, quia nullum imminet periculum proli, quæ lactatur, neque fœtui qui concipitur. Limitat Pontius, nisi coniuges valde inopes sint, quia in eo casu, si vxor concipiat, non habebit lac quo filium alat, vnde sequetur notabile proli detrimentum.

SECTIO VI.

Quomodo actus coniugalis sit illicitus ratione loci, aut situs.

46. QVoad circunstantiam loci conueniunt Doctores, actum coniugalem habitum in loco publico, seu coram aliis, esse mortaliter illicitum; quia grauiter dissonat rationi, decentiæ, & honestati humanæ, & ex se est occasio ruinæ aspicientibus: quod etiam nonnulla animalia ratione carentia auersantur. Est ergo difficultas, an locus sacer reddat actum coniugalem illicitum, & sacrilegum. Affirmant Paludan. Antonin. Caiet. Valentia, Graffis & Toletus relati à Pontio lib. 10. cap. 10. Limitant Suarez 1. de Religione lib. 3. cap. 8. Coninch disp. 34. dub. 9. Sanct. lib. 9. disp. 15. Nisi actus coniugalis necessarius sit ad vitandam fornicationem, aut incontinentiam: vt cùm coniuges longo tempore, id est, per vnum mensem detenentur inclusi intra Ecclesiam, & non possunt ad turrim, aut ad cubicula adhærentia exire.

47. Alij verò plures, quos referunt, & sequuntur Pontius vbi suprà, & Hurt. diff. 4. absolutè docent nullum esse peccatum, neque sacrilegium, si coniuges copulentur in loco sacro, neque Ecclesiam violari, siue copula habeatur in casu necessitatis, siue non, quorum sententiæ adhæreo, quia talis actus in loco sacro non habet labem sacrilegij ex naturali, aut diuino iure; sed neque ex iure Ecclesiastico, quia nullibi extat hoc ius; si enim extaret, maximè in cap. final. de consecratione Ecclesiæ, dum dicitur, *si Ecclesia cuiuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta.* In eo autem cap. tantùm asseritur violari Ecclesiam, si cuiuscumque, hoc est, siue viri, siue fœminæ, pollutione maculetur. Quo verbo non significatur maritalis actus, quia debet esse illicita seminis effusio: actus autem maritalis ex se non est illicitus; ergo Ecclesia non polluitur actu coniugali, sed tantùm effusione seminis, vel actu non coniugali contra castitatem illicito.

48. Ex quo infertur, effusionem tantùm seminis ex se illicitam, & quæ cum peccato mortali fit, polluere Ecclesiam & illam solam in loco sacro commissam, habere speciem sacrilegij, dummodo non sit occulta, sed publica, id est, quæ confessione rei in iudicio, vel euidentia facti in multorum notitiam deueniat, vt cum communi sententia docet Vazquez 1. 2 disput. 98. Nomine autem loci sacri quoad hunc effectum, intelligitur Ecclesia consecrata, aut benedicta, hoc est, totum corpus Ecclesiæ. Vnde si supra tectum Ecclesiæ, vel subtus pauimentum illius (dummodo hæc loca non sint deputata celebrandis officiis, aut sepeliendis corporibus) aut in turri, vel in cubiculis corpori Ecclesiæ adhærentibus, aut in sacristia, vel in choro, effusio sanguinis, vel seminis perpetretur, non dicitur fieri in loco sacro. legendus est Pontius loco citato, vbi latè hæc omnia prosequitur.

49. Circa secundum, qua ratione actus coniugalis fiat illicitus ratione modi, aut situs. Aduertendum est, modum naturalem concubendi quoad situm esse, si mulier succuba, vir autem incubus sit; ac proinde omnem deuiationem ab isto modo concubendi, aduersari aliquo modo naturæ: vt si coniuges à latere vel sedendo, vel stando coniungantur, &, quod peius est, si præposterè pecudum more, aut viro succubente. Et quidem certum est, eiusmodi concubitum esse culpam lethalem, quando

do eſt probabile periculum effuſionis ſeminis extra legitimum vas. Difficultas tamen eſt, an ceſſante hoc periculo, & non exiſtente aliqua neceſſitate, ob quam fiat variatio, ſit culpa lethalis, dum vir inuerſo ſitu, ſeruato tamen vaſe debito, vxorem cognoſcit. Dixi *non exiſtente aliqua neceſſitate*, quia aliquando inuerſio ſitus abſque vlla culpa fit; vt cùm diſpoſitio corporis aliud non permittit propter pinguedinem viri, vel propter periculum ſuffocationis fœtus in prægnante.

50. Et prima ſententia tenet, eſſe culpam lethalem, maximè quando ſit modo præpoſtero, modo brutorum, ita Abulenſis in cap. 5. Matth. quæſt. 227. Vincentius in ſuo ſpeculo morali tom. 3. lib. 3. Philiarchus de officio ſacerdotis. Caietan. Enriquez, Veracruz, & plures alij, quos refert Sanct. diſp. 16. quia hic modus naturæ ordini aduerſatur, nec ita certa eſt proles, maximè ſi vir ſuccubat, qui modus valde repugnat receptioni ſeminis in vas fœmineum, ac eius retentioni. Deinde de modo præpoſtero idem probatur, quia cùm natura hunc modum beſtiis præſcripſerit, vir eum appetens & exercens, illis ſimilibus efficitur.

51. Verius tamen eſt, variationem modi naturalis concubendi quoad ſitum, non eſſe culpam lethalem quouis modo fiat, ſiue à latere, ſiue præpoſterè, ſiue viro ſuccubante, dummodo ſeruetur vas legitimum; eſſe tamen culpam venialem, ac proinde increpandos eſſe coniuges illo modo & abſque neceſſitate coëuntes. Ita Sanct. vbi ſuprà. Hurt. diff. 5. Coninch dub. 9. Pontius cap. 11. & plures alij ab his relati. Et ratio eſt, quia talis variatio non obſtat generationi, cùm non impediat effuſionem ſeminis intra vas; ac proinde non debet cenſeri grauiter inordinata. Quod rectè probat Sanct. ex D. Thom. quodlib. 6. art. 18. & ex Ariſtot. 2. de generatione animalium cap. 4. quia ſemen non recipitur in matricem fœmineam per infuſionem, ſeu deſcenſum, ſed per attractionem; eo quòd in ea ſit virtus naturalis ſemen attrahens; ac proinde, nullus corporis ſitus in concubitu obſtat generationi, & conſequenter non conſtituit culpam lethalem, cùm ſeruetur finis matrimonij legitimus, qui eſt poſſe prolem concipi: inordinate autem quærere delectationem intra limites matrimonij, tantùm eſt culpa venialis.

52. Ad primam rationem in contrarium reſpondetur, quòd in actu coniugali variatio modi naturalis, non eſt contra naturam quoad ſubſtantiam, cùm fiat intra legitimum vas, ſed tantùm eſt contra naturam quoad modum, & taliter vt non impediatur generatio, in quo non cernitur grauis inordinatio, quæ ſit culpa lethalis.

Ad ſecundam non poſſe negari ſimilem beſtiis effici, qui eo modo coniungitur; quia tamen id tantùm eſt in modo quodam accidentali, non cenſetur culpa lethalis Ex quo

53. Infertur primò, præternaturalem copulam viri cum vxore eſſe peccatum mortale, & nullo modo honeſtari poſſe, quia coniuges ſolùm habent poteſtatem ad vſum corporis, qui matrimonio deſeruiat; non verò ad copulam ſodomiticam cum propria vxore. Quod non tantùm eſt verum de copula ſodomitica conſummata, ſed etiam de inchoata; quare inchoare copulam in vaſe præpoſtero vxoris, quo ſe magis excitet, aut turpiſſimè voluptatis gratia, animo tamen conſummandi in vaſe naturali, etiamſi abſit periculum effuſionis ſeminis, mortale peccatum eſt; quia, vt rectè Pontius, vbi ſupra, & Sanct. diſput. 17. non omnes tactus licent inter coniuges; ac proinde non licet perfricare pudendum in vaſe præpoſtero vxoris.

Secundò infertur cum eiſdem Doctoribus, ſeminationem extra vas vtriuſque, vel alterius coniugis, ſi conſultò id accidat, ſiue in principio, ſiue in medio, ſiue in fine copulæ fiat, eſſe peccatum mortale mollitiei. Dixi *ſi conſultò fiat*, quia poteſt aliquando contingere ſine vllæ culpa, vt in viris potentibus dum congredi conantur, poterit euenire vt ex feſtinatione præter intentionem ſemen effundatur, quod non vitio, ſed naturæ feſtinationi, & vigori tribuendum eſt. 54.

Tertiò infertur, vxorem quæ in actu ipſo iam ſeminauit, ſi ſeminationem viri non expectet, peccare mortaliter peccato contra naturam; quia tunc prodigit ſuum ſemen ad generationem ordinatum, & etiam peccato mortali iniuſtitiæ contra ius mariti, ſi id efficiat contra eius voluntatem. An verò maritus, qui iam in actu ipſo ſeminauit, ſi non expectet ſeminationem vxoris, peccet mortaliter contra naturam, diſſenſio eſt inter Doctores. Negant Sanct. & Pontius, quia iuxta ſententiam Medicorum, & Philoſophorum, ſemen fœminæ non eſt principium actiuum generationis; ac proinde vir non tenetur expectare ſeminationem vxoris. Affirmant Hurt. vbi ſuprà. Ochogauia tractat. 5. quæſt. 3. quia ad generationem etiam requiritur ſeminatio fœminæ. Illud autem eſt certum, ſi poſtquam vxor ſeminauit, maritus deſiſtat à ſeminando, peccare peccato mortali contra naturam, fruſtrando ſemen fœmineum, & peccato mortali iniuſtitiæ contra ius vxoris. Quòd ſi neuter coniux in actu ipſo ſeminauit, poſſunt abſque culpa à copula deſiſtere nullam expectando ſeminationem, quia copula abſque ſeminatione eſt tantùm quidam tactus, qui licitus eſt coniugibus. 55.

SECTIO VII.

An tactus turpes inter coniuges ſint liciti.

Difficultas procedit quando huiuſmodi tactus in coniugibus fiunt tantùm ad capiendam libidinem, ſeu voluptatem in ipſis repertam. nam quando fiunt ob copulam coniugalem, in quam ſuapte natura ordinantur, vel ob alium finem honeſtum, v. g. ad ſedandam tentationem carnis, vel ad oſtendendum amorem erga alterum coniugem, omnes conueniunt eſſe licitos, dummodo abſit periculum effuſionis ſeminis extra vas: in quo caſu iam eſſent illiciti, & lethales ſi ſine neceſſitate fierent; quia tunc pollutio eſſet interpretatiuè volita in illis, vt in cauſa proxima ad pollutionem ordinata. 56.

Sit concluſio. Quicumque tactus, oſcula, licèt ſint in partibus pudendis; verba etiam impudica, & aſpectus partium verendarum inter coniuges citra periculum pollutionis, ita non ſunt peccatum mortale. Ita communiter Doctores contra Pallud. Sylueſtr. & Roderiq. in ſumma tom. 2. cap. 129. Et ratio eſt, quia hi tactus natura ſua ordinantur ad copulam coniugalem: ergo libido, quæ in illis reperitur, non quæritur omnino extra matrimonium, ſed in ipſo; ac proinde ſicut matrimonium excuſat delectationem, ſeu libidinem quæſitam in copula, excuſabit ſimiliter quæſitam in dictis tactibus. 57.

Quibus adde cum Sanctio diſp. 46. adhuc eiuſmodi

modi tactus non esse mortaliter illicitos, etiamsi illis præuideatur commotio membrorum seruientium generationi, & sequutura distillatio, quia non est graue damnum generationis in tali statu. Legantur Ochogauia tract. 5. quæst. 12. & Hurt. diff. 10. qui etiam excusant à mortali, coniugem sua membra pudenda libidinosè tangentem in absentia alterius coniugis, quando non est probabile periculum pollutionis, quia etiam illi tactus natura sua ordinantur ad actum coniugalem, quamuis ab ipso actu non referantur.

58. Contrariam sententiam tenent Montes. 1. 2. quæst. 74. art. 8. quæst. 5. Vazquez quæst. 78. art. 8. disp. 113. Ioann. Sanct. in select. disp. 21. quæ certè mihi videtur verior, & probabilior, quia coniux non habet dominium proprij corporis in ordine ad vsum Veneris secum explendum, sed tantùm habet dominium corporis consortis sui; ac proinde vtens proprio corpore in ordine ad Venerem, secum vtitur, & ideo peccat mortaliter, quam sententiam nouissimè sequitur Diana resol. 215.

SECTIO VIII.

An quoties coniux peccat petendo debitum, alter peccet ei reddendo.

60. VT hanc difficultatem dissoluam, Sanct. lib. 9. disp. 6. & Coninch disp. 34. dub. 4. notant, ex duplici cap. posse contingere vt coniux petens debitum peccet. Vno modo ratione ipsius externi actus, qui ratione alicuius circunstantiæ in se hîc, & nunc illicitus est; vt si sine necessitate petat debitum in loco sacro; aut quando copula est grauiter noxia alterutri coniugi, aut proli iam conceptæ. Alio verò modo solùm ratione alicuius circunstantiæ, quæ non afficiat ipsum actum externum secundùm se, sed solam personam exigentis: vt quia hæc vouit continentiam, aut ex malo fine petit debitum. Quo prænotato tradunt hanc regulam. Quando copula priori modo illicitè petitur, non licèt coniugi eam reddere: quando verò illicitè petitur secundo modo, alter coniux non solùm potest, sed etiam tenetur ei debitum reddere. Primum probatur, quia cùm externa copula tunc sit verum peccatum, à neutro potest licitè exerceri. Secundum etiam patet, quia cùm ille actus non sit ex natura sua illicitus, sed ex circunstantia se tenente ex parte exigentis, idemmet actus, vt se tenet ex parte coniugis reddentis, in quo non reperitur aliqua circunstantia vitians, erit licitus, imò & debitus ex iustitia. Deinde, quia voto castitatis se astringens, non amisit dominium corporis alterius coniugis per matrimonium acquisitum, sed tantùm peccat exigens in ordine ad Deum, cui fidem voti violat: ergo tenetur coniux exactus reddere petenti rem suam; sicut si nummos apud alterum à se depositos, peteret ad fornicandum. Et confirmatur, si quis apud inopem centum aureos deposuisset, & postea nec donans, neque promittens inopi, soli Deo voueret se illos minimè petiturum, teneretur inops reddere exigenti illos, vtpote nullum ius retinendi habens; nec ob id diceretur cooperari sacrilegæ factioni voti petentis: ergo idem dicendum est in hoc casu.

61. Hanc tamen regulam merito impugnat Pontius quoad secundam partem, lib. 9. cap. 3. quia circunstantia illa, quæ se tenet ex parte personæ, vitiat actum prout hîc, & nunc fit: ergo qui petit illum actum ab eo qui acquiescens non potest bene, vel malè exerceri, sed necessariò debet malè exerceri, petit id quod necessariò faciendum est male si fiat; ac proinde qui cooperatur vsui corporis cum petente impedito, v. g. voto, peccat; sicut qui ministrat carnes in die Veneris, aut cœnam ieiunanti parat, peccat, vel qui eam administrat scienti habere votum ieiunandi illo die; cùm tamen hæc omnia non sint secundùm se mala, sed ex circunstantia personæ. Quia petit id quod necessariò faciendum est malè, si fiat. nam illa circunstantia vitiat non solùm petitionem, sed etiam vsum petentis, cui vsui alter cooperatur reddens.

62. Quare facilior & verior est regula, quam tradunt idem Pontius, & Hurt. diff. 13. Quando petens debitum, vel aliam rem, petit illicitè, quod quando illicitè exigitur, non subest libertati exigentis, vt si possit, ab eo liberari, sic illicitè exigenti non posse licitè reddi; quia id esset cooperari actui, qui iam exigenti non potest non esse peccatum. v. g. quando quis exigit illicitè, quia antea emisit votum, aut quia contraxit affinitatem cum coniuge, sic illicitè petenti, non potest licitè reddi. At verò illicitè petenti ratione alicuius, quod quando exigitur subest libertati petentis, potest licitè reddi, vt cùm petit ex praua fine; quia in eo casu cooperatur actui, quem ille hîc, & nunc potest bene exercere, & sua culpa facit malè, quia petit ex aliqua causa, quam ipse tollere, & remouere ab eadem petitione potest, & ideo reddenti non imputatur eius peccatum; & explicatur exemplis, quia hac ratione non peccat, qui petit sacramentum confessionis à Sacerdote, quem scit esse in peccato mortali, quia potest habere actum contritionis, quo digne ministret, & sua culpa non habet. Similiter non peccat, qui petit mutuum ab vsurario, quem scit exacturum vsuras, quia ille petit tantùm mutuationem pecuniæ quam posset bene exercere. Itaque quoties petitur actus ab aliquo, qui hîc & nunc non potest ab illo fieri bene, vel malè; peccat qui exigit, & cooperatur peccato illius: at cùm potest fieri bene, & culpa facientis sit malè, non peccat, neque cooperatur.

63. Denique quid faciendum sit quando quis dubius est de valore matrimonij, quem bona fide contraxit, an possit non solùm reddere, sed etiam petere debitum. Consule quæ diximus in tractatu de Conscientia disp. 4. sect. 2. & 3. vbi docuimus, eum, qui bona fide contraxit, postea dubitans de valore matrimonij post sufficientem diligentiam adhibitam, posse non solùm reddere, sed etiam petere debitum. Tum propter rationem ibi assignatam; tum etiam, quia possessor bonæ fidei si dubitat rem esse alienam, & facto sufficiente examine nequit dubium vincere, potest non tantùm rem retinere, sed etiam illa vti: ergo coniux dubitans si præmiserit sufficiens examen, & adhuc dubius maneat, poterit non solùm vti matrimonio reddendo, sed etiam petendo. Et confirmatur, quia durissimum esset compellere culpæ immunes, vitam cælibem ducere, vt compellerentur, qui bona fide contraxerunt, & postea ambo dubitant, in quo casu neuter posset absque culpa lethali petere.

DISPVTATIO IX:

De impedimentis Matrimonij.

SECTIO I.

Ad quem pertineat ſtatuere impedimenta dirimentia Matrimonium.

1. DVPLEX impedimentum matrimonij recenſeri ſolet. Primum dicitur tantùm impediens. Secundum etiam dirimens. Primum reddit tantùm illicitum matrimonium, ſed non impedit eius valorem. Secundum duo præſtat,& facit illicitum,& reddit nullum, & irritum, etſi ſuperueniat matrimonio, impedit petitionem debiti dumtaxat, non redditionem. De impedientibus dicemus poſtea, modò agemus de dirimentibus, quæ ſunt quatuordecim, ex quibus duodecim, aut iure naturali, aut iure Eccleſiaſtico antiquo, ſunt introducta,& alia duo iure nouo Tridentini, quæ his carminibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis,
Si Parochi & duplicis deſit præſentia teſtis.
Raptave ſit mulier, nec parti reddita tuto.
Hæc ſocianda vetant connubia, facta retractant.

2. Hæc impedimenta ſuo ordine exponenda ſunt, & in hac ſectione priùs differendum de impedimentis dirimentibus in communi, ad quem ſcilicet pertineat ſtatuere impedimenta dirimentia matrimonium. Cùm autem matrimonium aliud ſit Chriſtianorum, quod verè, & propriè eſt ſacramentum, quia inuenitur in baptizatis; aliud verò non ſit ſacramentum, quia eſt contractum inter infideles, de vtroque exponendum eſt, ad quem pertineat pro vtroque condere impedimenta dirimentia.

3. Prima concluſio. Omnis Principis, & Magiſtratus ſeculatis, potens ſuis ſubditis condere leges, poteſt & matrimonij impedimenta dirimentia ſancire reſpectu matrimonij, quod non eſt ſacramentum, ſiue Princeps ſit infidelis, ſiue fidelis,& baptizatus. Ita communiter omnes Doctores, & probatur, quia Principibus ac Regibus data eſt à Deo poteſtas condendi leges pro ſubditis ad eorum rectam gubernationem in bonum Reipublicæ: ſed quandoque expedit ad bonum Reipublicæ, & Communitatis prædicta impedimenta inducere: ergo prædicti Principes valent legitimè ſtatuere ea impedimenta matrimonij. Et confirmatur, quia eodem titulo, ac iure, poſſunt alios contractus ciuiles irritare, & has, vel illas perſonas ad eos inhabiles reddere, appoſitis impedimentis eoſdem contractus dirimentibus: ergo pari ratione id poſſunt in ordine ad contractum ciuile matrimonij, vbi in eo ratio ſacramenti non inuenitur. Ex quo

4. Infero primò, cum Sanct. lib. 7. diſputat. 3. & ferè communi ſententia, etiam Principes Chriſtianos id ipſum poſſe etiam reſpectu matrimonij, quod eſt ſacramentum, ſcilicet attento præcisè iure, & poteſtate ſuæ dominationis regalis: niſi Eccleſia iuſtas ob cauſas ſibi reſeruaſſet munus, & poteſtatem ſtatuendi ea impedimenta; eoque modo reſtrinxiſſet poteſtatem, quam de ſe alioqui habent Principes Chriſtiani: reſtrinxiſſet, inquam, quia id factum non eſt, (vt perperam affirmat Petrus de Soto lib. 4. de impedimentis) ex Chriſtianorum Principum pietate, & quaſi voluntaria ceſſatione in Romanum Pontificem; ſed ex abſoluto imperio, & poteſtate Eccleſiæ ſibi data à Chriſto Domino Ioan. 16. *Paſce oues meas.* Vbi data eſt Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſima poteſtas ad regimen fidelium neceſſaria in omnibus, quæ ſpectant ad ſpiritualem vitam rectè agendam, ad quod pertinet etiam diſponere de impedimentis dirimentibus circa matrimonium fidelium, quod verè eſt ſacramentum. Ioan. 16.

5. Infertur ſecundò. Si aliquis Chriſtianus ſit ſubditus Regis infidelis, qui pro ſua republica aliqua inſtituit impedimenta dirimentia, eumdem Chriſtianum non ſubiacere his impedimentis, ſed ſolùm ſubiici ſtatutis ab Eccleſia, quia in eo articulo non eſt ſubditus illius Regis, ſed ſolius Eccleſiæ: eo vel maximè, quia eius matrimonium contrahendum eſt verè ſacramentum. Vnde à contrario infertur, ſi aliquis Iudæus, v. g. ſit ſubditus Regis infidelis, in illis ſeruandis impedimentis ſubiacere eidem Regi; quia neque ipſe eſt Chriſtianus, neque eius matrimonium ſacramentum. Quod ſi ſubditus ſit Romani Pontificis (vt Romæ Iudæi degentes) ei non ſubiacet in ſtatutis impedimentis in Eccleſia pro ſolis baptizatis. Cæterùm ſi Romanus Pontifex vt dominus temporalis eorum, vellet eis ſtatuere impedimenta, tenerentur ipſi Iudæi iis impedimentis, cùm hæc iam non cenſerentur Eccleſiaſtica, ſed pùrè ciuilia.

6. Infertur tertiò, Regem & Principem Chriſtianum, etſi poſſit interdicere ſua lege omnino pœnali, ne quis miniſter ipſius abſque licentia ſua poſſit contrahere matrimonium, vt contingit in Hiſpania, vbi Magiſtratus à Regis conſilio non poſſunt ſine Regis facultate inire matrimonium, inde tamen non ſequi, talem legem obligare in conſcientia, eſſet enim impedimentum tantùm impediens, eo quòd id tranſcendit poteſtatem Regis Chriſtiani, & eſt ſolius Eccleſiæ, cuius eſt poſſe facere illicitum ſua lege matrimonium alioqui validum: illicitum, inquam, non ſolùm in ſpecie inobedientiæ, ſed etiam in ſpecie ſacrilegij, vt tenet Layman parte 4. cap. 1. num. 5. adiiciens, & copulam habitam cum impedimento dirimente, eſſe eiuſmodi ſpeciale peccatum, dum ſcilicet tale impedimentum fuit introductum ratione copulæ carnalis, vt eſt impedimentum voti ſolemnis caſtitatis, & diſparitatis cultus: ſecus ſi impedimentum ſit alterius rationis, niſi fiat in contemptum Eccleſiæ. Fundamentum illationis non ſolùm eſt ratio generalis, qua lex purè pœnalis, vt plures opinantur, non obligat in conſcientia, præcipuè ſecundùm ſententiam Nauarri, vt retulimus in tractatu de legibus diſputatione 4. ſectione 4. ſed etiam ratione ſpeciali, quia Rex Chriſtianus caret iuriſdictione ad id præcipiendum ſub obligatione peccati.

7. Secunda concluſio. Solius eſt iuris Eccleſiaſtici inducere impedimenta matrimonij, tam impedientia, quàm dirimentia pro fidelibus baptizatis, in quibus matrimonium eſt ſacramentum: vnde ſolus Papa, & generale Concilium poſſunt ea impedimenta ſtatuere. Ita omnes ferè Catholici Doctores. Et quidem quòd poſſit Eccleſia illud facere, definitum eſt in Trident. ſeſſ. 24.

Digitized by Google

sess. 24. cap. 4. *Si quis dixerit Ecclesiam non posse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.* Quòd verò sola Ecclesia possit, constat ex ratione generali, quòd omnia attinentia ad contractum matrimonialem, vel quæ ex illo proximè sequuntur, sint tantùm fori, & iuris Ecclesiastici, cap. *Per tuam*, de ordine cognitionis, & habetur ex Trident. vbi suprà cap. 12. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Dixi *solus Papa, & Concilia generalia*, quia etsi Episcopus & Concilia Prouincialia fortè attento suo officio, vt inquiunt Sanct. & Pontius apud Hurt. diff. 2. quos ipse sequitur contra Suar. Coninch, & alios, possent pro suis subditis ea impedimenta inducere; tamen ex contraria consuetudine vim legis habente, soli Romano Pontifici, & Concilio generali prædicta potestas reseruata est.

8. Inquires, an consuetudine possint induci impedimenta dirimentia noua, vel abrogari antiqua. Respondetur, posse equidem, dummodo concurrant conditiones in consuetudine, quibus ipsa vim habeat legis, & præcipuè quòd ea consuetudo sit cognita, & approbata saltem tacitè à Superiore potente dicta impedimenta statuere, vel illa auferre, seu abrogare: quia nulla prohibitio neque irritatio potest fieri, nisi ab habente iurisdictionem.

9. Inquires secundò, quomodo obligent hæc impedimenta. Et certum est apud omnes, esse peccatum mortale scienter contrahere cum impedimento, quia est contra Ecclesiæ prohibitionem in re graui. Difficultas tamen est, an in eo casu committatur duplex peccatum mortale, vnum inobedientiæ, & alterum contra religionem sacramenti, quod inhabiles tentant suscipere. Affirmat Coninch, disputatione 30. dub. 2. quia præter peccatum inobedientiæ contra ius naturale, aut Ecclesiasticum, quo impedimentum fuit introductum, etiam irrogatur iniuria sacramento, quo sic contrahentes abutuntur ad nequitiam honesto nomine velandam, quod ei omnino iniuriosum est. Hæc sententia est satis probabilis: probabilius tamen videtur, quod docuit Sanct. lib. 7. disputat. 5. in eo casu tantùm committi vnum peccatum contra prohibitionem in impedimento inclusam; quia tunc non irritatur sacramentum matrimonij, cùm non efficiatur id cui ex institutione Christi conuenit ratio sacramenti, nempe contractus validus.

Sectio II.

De impedimento erroris.

10. Error quatuor modis potest contingere in matrimonio. Primò potest esse error personæ, vt cùm Petrus existimat contrahere cum Maria, & est Catharina. Secundò potest esse error conditionis, vt si existimet contrahere cum libera, & postea inuenta sit serua. Tertiò potest esse qualitatis, cùm credit se contrahere cum pulchra, nobili, virgine, & est deformis, plebeia, corrupta. Quartò potest esse error fortunæ, vt si existimet contrahere cum diuite, re vera tamen sit pauper. Quicumque autem ex his erroribus potest esse duplex, vt de ignorantia docuit D. Thom. 1. 2. quæst. 6. art. 8. Quia vnus est error antecedens consensum, qui causam præbet actui faciendo, ita vt eo existente, actus nequaquam fieret. Alter verò est concomitans consensum, qui scilicet non inducit ad actum, sed ita concomitatur illum, vt eo non existente actus fieret, vt quando Petrus existimans ducere Mariam Virginem, & diuitem, illam ducit, minimè ducturus veritate cognita, est error antecedens. Si verò ducit illam, ita tamen vt idem faceret comperto errore, & veritate cognita, est error concomitans actum.

Prima conclusio. Error personæ si sit antece- 11.
dens, dirimit matrimonium, non solùm iure positiuo Ecclesiastico, sed etiam iure naturali, vt si quis ducat Ioannam putans esse Mariam. Prior pars constat ex cap. vnico 25. quæst. 1. Secunda verò pars probatur, quia iure naturæ requiritur consensus ad matrimonium; sed error antecedens tollit consensum voluntarium, cùm nihil sit volitum quin præcognitum, nec possit esse voluntarium, quod est ignoratum: ergo matrimonium cum tali errore est contra ius naturale.

Obiicies primò, inter Iacob, & Liam fuit verum 12.
matrimonium, & tamen ibi fuit error personæ, quia Iacob putabat contrahere cum Rachele. Et confirmatur, quia Genes. 27. dum Isaac benedixit filio suo Iacob, existimans esse Esau, errauit in persona, & tamen fuit valida benedictio. Respondetur, consensum erroneum præcedentem, non fecisse Iacob, & Liam veros coniuges, sed consensum subsequentem, &c. Ad confirmationem, illam benedictionem fuisse initio inualidam ob personæ errorem, habuisse tamen valorem ex confirmatione illius postea secuta, eo quòd ipsomet Deo inspirante, intellexit Isaac eam fuisse diuinam voluntatem, vt docuit D. August. 16. de Ciuitate Dei cap. 37.

Obiicies secundò, quia error personæ non irri- 13.
tat alia sacramenta: vt si quis baptizet, confirmet, absoluat, &c. Petrum putans esse Paulum, conficit verum sacramentum: ergo nec is error irritat sacramentum matrimonij. Respondetur negando consequentiam, quia ad alia sacramenta error personæ accidentariè pertinet, quia qui administrat alia sacramenta, verè intendit personæ sibi præsenti, & propositæ administrare quæcumque illa sit, & ministrans tantùm debet habere eam intentionem: aliàs se exponeret manifesto periculo sacrilegij aliter baptizans, absoluens, aut ordinans. At in matrimonio cùm sit contractus ad iustitiam pertinens, & qui versatur circa corpora tanquam circa materiam, error circa personam, non potest non esse substantialis, & auferre æqualitatem, quam essentialiter petit contractus matrimonij.

Secunda conclusio. Error personæ concomi- 14.
tans etiam irritat matrimonium. Ita communiter Doctores, & probatur, quia ad hunc contractum vt legitimum sit, est necessarius consensus & voluntas positiua; at error concomitans, quamuis non efficiat actum esse inuoluntarium, efficit tamen non esse voluntarium; quod non sufficit ad contractum matrimonij, qui ratione suæ excellentiæ, & quia indissolubilis omnino est, requirit positiuum, & expressum voluntarium.

Obiicies, qui contrahit cum Ioanna, existimans 15.
errore concomitante esse Mariam, habet voluntatem actualem interpretatiuam contrahendi cum ipsa Ioanna; quia postquam manifestatur error, complacet sibi in facto, quod est signum habuisse actualem voluntatem, saltem interpretatiuam contrahendi cum illa: ergo error concomitans non tollit voluntarium sufficiens ad consensum. Respondetur, hoc argumento ad summum pro-

Digitized by Google

bari, quòd habuerit voluntatem, & conſenſum in habitu; hoc eſt, in præparatione animi ad contrahendum cum Ioanna: conſenſus autem in animi præparatione, non ſufficit ad matrimonij contractum, ad quem requiritur conſenſus actualis, & de præſenti.

16. Tertia concluſio. Error fortunæ & qualitatis non dirimit matrimonium. Probatur, quia error qualitatis perſonæ non impedit perfectum, & ſimpliciter voluntarium, & conſenſum circa ipſam perſonam, quæ eſt materia ſubſtantialis matrimonij, quamuis efficiat inuoluntarium ſecundùm quid. Cuius rei optimam reddit rationem Sanct. lib. 7. diſputatione 18. quia cùm nihil ſit volitum quin præcognitum, quando error eſt in apprehenſione rei non neceſſariæ ad eſſentiam contractus, & ad ipſius finem, ſed in accidenti quodam, efficit vt contractus ſit quoad eſſentiam voluntarius, & quòd tantùm ſit inuoluntarius ſecundùm quid, & quantum ad illud accidens in quo verſatur error; non verò reddit illum inuoluntarium ſimpliciter quantum ad ſubſtantiam.

17. Obiicies, ſi quis ficta paupertate accipiat eleemoſynam, non acquirit dominium illius, defectu conſenſus largientis: ergo nec coniux fingens diuitias, aut nobilitatem, acquirit dominium corporis alterius coniugis ſibi per matrimonium traditi. Reſpondetur eſſe diſparem rationem, quia tunc in elargitione eleemoſynæ deficit titulus, paupertas ſcilicet; ac proinde deficit etiam valor elargitionis: at in traditione dominij corporis, non deficit titulus, quamuis deficiat qualitas; ac proinde valet contractus, quia talis traditio non fit pro qualitate, ſed corporis pro corpore.

18. Limita, niſi conſenſus errantis circa qualitatem, vel fortunam, non fuerit conditionatus, ſed abſolutus; quia ſi qualitas, vel fortuna appoſita fuit in contractu vt conditio, vt ſi nubens dicat: Duco te ſi diues, aut nobilis, aut virgo ſis, in quo caſu ſi conditio deficiat, matrimonium erit inualidum defectu conſenſus, vt docuimus ſuprà tractatu de conſenſu conditionato. Deinde limita, quando error qualitatis, aut fortunæ, non redundat in errorem perſonæ; quia aliàs matrimonium erit inualidum: vt ſi fœmina proponat ſibi in mentem ducere filium primogenitum Regis in quem directè vult conſentire, & exiſtimans contrahere cum eo, contrahat cum eiuſdem Regis ſecundo filio, talis contractus eſt inualidus; quia error illius qualitatis redundat in errorem perſonæ.

19. Inquires, an cum errore facti, & ſcientia iuris, poſſit eſſe conſenſus ad matrimonium; vt ſi quis falsò exiſtimet ſe teneri aliquo impedimento dirimente, cùm tamen non teneatur, & ſub eo errore contrahit, cum ſcientia tamen iuris, matrimonium cum impedimento dirimente non poſſe ſubſiſtere, an is conſenſus cum eo errore ſufficiat ad matrimonium. Sanct. lib. 2. diſputat. 31. exiſtimat valere, quia hæ perſonæ ſunt re vera habiles ad contrahendum, & intendunt quatenus poſſunt contrahere: ergo verè contrahunt. Negant Ioann. Andreas, Præpoſitus, Nauarrus, Cucus, Sotus, & plures alij ab eodem Sanct. relati; quia in hoc caſu erratur circa ſubſtantiam matrimonij, cùm coniuges credant ſibi eſſe impoſſibilem corporis traditionem, & voluntas non poſſit ferri in impoſſibile.

20. Vtramque ſententiam conciliat Pontius lib. 4. cap. 13. quia duobus modis poteſt ſe habere intentio contrahentium in prædicto caſu. Primo modo ſi ibi ſunt duo actus, & iudicia, quorum vnum feratur in impedimentum, quem falsò ſubeſſe exiſtimant, & in ſcientiam iuris, & ea ſuppoſita volunt adhuc contrahere, quamuis ius reſiſtat. Secundo modo; vt quamuis habeant eam cognitionem circa factum, & ius; etiam habeant aliam, qua ipſis occurrat fortaſſe non teneri eo impedimento, & conſenſus ſit quaſi conditionatus, qui ſic exprimi poteſt. Et ſi teneamur impedimento, & ius reſiſtat; tamen ſi fortè poteſt initi inter nos matrimonium, conſentimus in illud. Priori modo non datur intentio contrahendi, ac proinde nec matrimonium, & in eo ſenſu procedit ſecunda ſententia. Poſteriori modo bene poteſt eſſe conſenſus ſufficiens ad matrimonium, & in hoc ſenſu procedit prior ſententia; quia conſenſus ille eſt quaſi conditionatus, & cùm conditio ſit de præſenti, ſi non teneor fortè aliquo impedimento, & re vera non teneatur illo, ſtatim ſubſiſtit contractus matrimonij.

SECTIO III.

De conditione ſeruitutis, qua ratione dirimat matrimonium.

21. SIt concluſio. Error conditionis ſeruitutis, vt ſi liber contrahat cum ancilla, quam putat eſſe liberam, reddit matrimonium inualidum iure Eccleſiaſtico poſitiuo; atque ita hic error apud infideles non irritat matrimonium. Ita Sanctius, & Coninch, quos refert & ſequitur Hurt. diſputat. 14. ſect. 1. & eſt communis inter Doctores, & prior pars probatur ex cap. *Si quis ignoret* 15. quæſt. 2. cap. *Propoſuiſti*, cap. *Ad noſtram*, de coniugio ſeruorum, & iure Regni in l. 11. tit. 2. & l. 1. tit. 5. partit. 4. & quamuis in nullo Canone prædictum matrimonium irritetur, ſemper tamen ſupponitur eſſe nullum, quod eſt ſignum aliquando hoc ius fuiſſe ſcriptum, & iniuria temporis ſcripturam periiſſe. Secunda verò pars oſtenditur, quia ſeruitus non eſt defectus ſubſtantialis perſonæ, ſed qualitatis: ergo error illius non aufert conſenſum perfectum, & ſimpliciter neceſſarium circa perſonam, cùm non reddat inuoluntarium ſimpliciter, ſed tantùm ſecundùm quid. Et confirmatur, quia matrimonium liberi cum ancilla, cognita ſeruitute validum eſt, vt fatentur omnes: ergo ſeruitus ſuapte natura non aduerſatur matrimonio; ac proinde non dirimit illud iure naturæ. Conſequentia probatur, quia quæ iure naturæ ad matrimonium ſunt requiſita, aut illi aduerſantur, nequeunt contrahentium voluntate renunciari: ſicut quia iure naturæ naturalis impotentia dirimit matrimonium, non poteſt fœmina cum viro, cùm impotentem cognoſcit, validè contrahere, & iuri ſuo renuntiare. Denique confirmatur, quia ſeruitus non tollit ſimpliciter liberum vſum matrimonij, ſed ſolùm impedit certis temporibus, quando dominus licitè occupat ſeruum; ac proinde non aduerſatur naturæ matrimonij, quod, vt prædiximus diſputatione præcedenti, non obligat ad reddendum debitum pro ſemper, ſed tantùm quando legitimum impedimentum non obſtiterit.

22. Obiicies, quia in hoc matrimonio ex natura rei deeſt abſolutè conſenſus in perſonam ſe tradentem æqualiter alteri coniugi in ordine ad finem matrimonij, & vſum coniugalem; ergo non poteſt eſſe validum. Antecedens probatur. [illegible]

seruitutem corpus,per se loquendo,coniugis serui, non est aptum, & expeditum ad onus matrimonij, cùm subdatur,in omnibus dominò suo, & sic nequeat pro libito alterius coniugis reddere debitum. Respondetur negando antecedens,& ad probationem, ad valorem matrimonij ex natura rei sufficere traditionem corporis, quantum satis est ad generationem filiorum, nec hoc impediri potest à domino, quamuis non tradat illud plenariè, & pro omni tempore, quod non pertinet ad essentiam matrimonij, ad quam tantum requiritur ex natura rei traditio corporis, quantum est ex se expediti ad vsum, quamuis aliena voluntate possit aliquo modo impediri: aliàs etiam seruitus cognita dirimeret ex natura rei, ob eamdem rationem,quod est falsum. Ex quo

23. Infertur primò, si dominus serui consentiat illum contrahere matrimonium cum libero seruitutem ignorante, idque tali domino constet, hoc ipso seruum manumitti,& libertate donari, vt habetur in Authentica de nuptiis collat.4. Idem dicendum est, quando ipsum mancipium contrahit cum libero ignaro seruitutis domino ipso sciente, & ex studio,siue dolosè tacente, & non contradicente,vt habetur in eadem Authentica. Cuius ratio non est desumenda ex tacito aliquo consensu domini, vt quidam falsò existimant, cùm tacens non censeatur consentire in his, quæ in eius præiudicium redundant, cap.44. de regulis iuris in 6. Vera ergo ratio est, quia dominus in eo casu non reuelans seruitutem sui mancipij,sed eam studiosè occultans,cooperatur iniuriæ, quæ irrogatur coniugi libero,in cuius delicti pœnam punitur à lege sui serui libertate.

24. Est tamen difficultas,an in eo casu,in quo mancipium consequitur libertatem, matrimonium validè fiat. Negant Couarruu. & Gregorius Lopez, quos refert & sequitur Hurt. diff. 3. quia in l.1. tit.9.partit.4. expressè dicitur, tunc seruum libertatem consequi, matrimonium verò nullum esse, & ratio est, quia matrimonium liberi cum ancilla eius conditione ignorata, est ipso iure inualidum: sed in hoc casu tempore coniugalis consensus, coniux erat re vera ancilla, quia in eo casu libertas consequitur ex matrimonio,ac proinde priusquam libertas consequatur, præcessit matrimonium: ergo fuit re vera inualidum.

25. Sanctius verò, & alij plures ab ipso relati lib.7. disp.20.existimant,& meritò, in eo casu matrimonium validum esse, tum quia ita traditur in dicta Authentica de nuptiis; tum etiam, quia quamuis priùs natura matrimonium illud libertatem præcedat;quia tamen simul,& in eodem temporis instanti,in quo matrimonium perficitur,manet liber coniux,qui seruus erat,fit vt seruitus illa matrimonio non obstet; quia iam seruitus illa nullius considerationis est, vt possit matrimonium irritare, quia ita est ac si non esset, cùm in eodem instanti desinat esse. Per quod patet ad rationem in contrarium.

26. Secundò infertur, mancipium contrahentem cum domino, aut cum domina, iure ipso naturæ statim consequi libertatem. Ratio est, quia status matrimonij ex natura rei pugnat cum statu seruitutis; coniux enim ex vi matrimonij fit alteri socius, & vna caro cum altero coniuge, quod non compatitur cum statu seruili. Nec obstat, quòd Agar fuit vxor vera Abrahæ, & tamen Genes. 16. & ad Galat.4. dicitur ancilla. Eo namque nomine appellatur, quia antea fuit ancilla, & postea non fuit assumpta ad gubernationem domus;non verò, quia post matrimonium manserit talis.

Tertiò infertur, mancipia non solùm validè,sed etiam licitè posse contrahere inuitis dominis. Ita communiter Doctores, & deducitur ex cap. 1. de coniugio seruorum, neque id aliquo iure positiuo prohibitum est; neque traditio mancipij ad obsequia domino præstanda, repugnat, aut est incompossibilis cum traditione corporis ipsius ad prolis generationem.In Concilio autem Cabilonensi relato cap.vlt.29. quæst. 2. & adducto pro contraria sententia, tantùm dicitur huiusmodi matrimonia non esse dissoluenda, quando voluntate domini contracta sunt. Ex quo non infertur irrita esse quando fiunt inuito domino. 27.

An verò mancipium teneatur potius satisfacere domino,quàm coniugi, variant Doctores. Nobis tamen placet cum Hurt.diff.6.si matrimonium fuit prius initum, quàm seruitus contracta, potiùs esse satisfaciendum coniugi rationabiliter petenti: si verò seruitus fuit prius contracta, quàm matrimonium, potiùs esse satisfaciendum domino rationabiliter præcipienti; quia iuri iam acquisito nullus præiudicare potest; qui enim prior est tempore, potior est iure. Et eodem modo resoluenda est illa difficultas,an dominus possit vendere mancipium coniugatum ad partes remotas; si enim matrimonium mancipij fuit prius factum, quàm seruitus contracta, id non potest dominus, quia impediretur vsus matrimonij: si verò seruitus fuit prior, attento iure naturali, bene potest, quamuis vsus matrimonij sit impediendus,quamuis iure regni l.1.tit.5.part.4.id prohibitum sit. Ratio huius est iam assignata, quia qui prior est tempore, potior est iure. 28.

Sectio IV.

De impedimentis voti & Ordinis.

QVod attinet ad votum simplex castitatis,certum est non dirimere matrimonium contrahendum,vt constat ex cap.vnico, de voto in 6. excipe votum simplex castitatis coniunctum cum aliis duobus votis simplicibus in Societate IESV emissis post biennium nouitiatus, de quibus iam suprà docuimus dirimere matrimonium.Vbi etiam probauimus,votum solemne castitatis in religione emissum,illud dirimere,& quo iure. 29.

Quod verò attinet ad Ordinem sacrum à Subdiaconatu vsque ad Episcopatum, idem dicendum est ac de voto solemni in Religione approbata, ex Trident.sess.24.Can.9.& ex Bonifacio VIII. cap. vnico,de voto, & voti redemptione, & ex Ioanne XXII.in Extrauaganti *Antique*, cap. vnico, eodem titulo, & ex aliis. Ex quibus constat,iure Ecclesiastico positiuo, matrimonium dirimi per prædictum Ordinem sacrum,siue ratione Ordinis,siue ratione voti solemnis illi annexi, siue ratione vtriusque secundùm diuersa placita Doctorum. 30.

Ex quo infertur,Primam tonsuram, & quatuor minores Ordines,neque dirimere,neque impedire matrimonium, quia nullum extat ius in quo id prohibeatur.

Illud tamen aduerte,tam Religiosos,& Moniales,quàm Clericos in sacris matrimonium contrahentes, incurrere ipso facto excommunicationem latam in Clementina vnica, de consanguinitate. 31.

***

Sectio V.

De impedimento cognationis naturalis, seu consanguinitatis.

32. TRiplex est cognatio, quæ matrimonium dirimit, naturalis, spiritualis, & legalis. Cognatio naturalis, quæ dicitur consanguinitas, est vinculum quoddam personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Cognatio verò spiritualis, est vinculum, seu propinquitas personarum ex statuto Ecclesiæ consurgens propter quorumdam sacramentorum collationem. Cognatio denique legalis, quæ dicitur adoptio, est propinquitas quædam orta inter aliquas personas, ratione adoptionis. Prima est à sanguine per communionem, & consortium sanguinis. Secunda oritur ex collatione, & ministratione Baptismi, & Confirmationis. Tertia à lege humana per adoptionem vnius personæ in filium. Et in hac sectione agemus de cognatione carnali, seu de impedimento consanguinitatis: in duabus sequentibus de spirituali, & legali.

33. Cognatio ergo naturalis, vel consanguinitas, significat vnitatem sanguinis, &, vt prædixi, est propinquitas personarum per carnalem propagationem contracta, quæ vel descendunt ab eodem stipite communi, vel vna ex alia. Est autem stipes persona illa à qua cæteræ, de quarum coniunctione tractatur, originem ducunt. Gradus inter eas personas computatur per lineas. Est autem gradus habitudo personarum distantium, qua cognoscitur quanta distantia, vel propinquitate consanguinitatis, personæ inter se coniunctæ sint, & sicut in scala, ita in consanguinitate plures sunt gradus, primus, secundus, tertius, &c. Linea autem est ordinata collectio personarum consanguinitatem inter se habentium. Et hæc linea est triplex, vna secundùm habitudinem principij ad eos qui inde deriuantur, & dicitur linea descendentium, hoc est, eorum qui ab ascendentibus originem trahunt, vt filij, nepotis, prænepotis, abnepotis, &c. Altera secundùm habitudinem eorum, qui deriuantur ad principium suum, & dicitur linea ascendentium, hoc est, eorum à quibus ducitur origo, vt patris, aui, proaui, &c. Tertia est obliqua transuersalis, seu transuersa, vel collateralis, eorum scilicet, qui ab eodem stipite descendunt, cùm neuter ab alio procedat. In linea ascendentium, & descendentium, quæ solet appellari linea recta, tot gradibus duæ; ertonæ inter se coniunguntur, quot generationibus vna ab alia procedit, ac distat. In linea verò transuersali, tot gradibus duæ personæ inter se coniunguntur, quot ipsæ distant à primo communi stipite, eique coniunguntur. Et quamuis ad hoc illustrandum plures regulæ soleant ab Auctoribus tradi, communiter tamen reducuntur ad tres, quarum prima est pro linea recta, & duæ posteriores pro transuersali.

34. Prima regula est. Quando personæ, quarum gradus consanguinitatis inuestigantur, sunt in recta linea ascendentium & descendentium, si inter eas nulla alia persona mediet, sunt in primo gradu; si verò mediet vna, aut plures, tunc tot erunt gradus numerandi, quot fuerint omnium illarum personarum, non solùm earum quæ sunt intermediæ, sed etiam extremarum, quarum consanguinitas inuestigatur, excepto stipite, seu prima persona à qua originem ducunt, v. g. pater & filius sunt in primo gradu lineæ rectæ, quia nulla persona mediat inter eos: auus & nepos sunt in secundo gradu, quia inter eos mediat alia persona, scilicet pater nepotis: proauus & pronepos, sunt in tertio gradu: abauus, & abnepos in quarto gradu, & sic deinceps.

35. Secunda regula est. Quando personæ sunt in linea transuersali æquali, eodem gradu distant inter se, quo vtraque distat à communi vtriusque stipite. v. g. frater, & soror sunt in primo gradu lineæ transuersalis, quia eodem primo gradu secundùm lineam rectam distant à patre, qui est amborum stipes. Patrueles verò, & consobrini, seu filij, & filiæ fratris, & filij & filiæ sororis, sunt in secundo gradu. Nepotes, & neptes ex fratre, & nepotes, & neptes ex sorore sunt in tertio gradu: pronepotes, & proneptes ex fratre, & pronepotes & proneptes ex sorore sunt in quarto gradu.

36. Tertia regula. Quando personæ sunt in linea transuersali inæquali, eodem gradu distant inter se, quo earum remotior secundùm lineam rectam distat ab stipite; v.g Patruus & nepos ex fratre sunt in secundo gradu, quia eodem distat nepos ex fratre ab auo, qui est stipes vtriusque, & similiter pronepos distat à patruo in tertio gradu, quia eodem distat à proauo, & sic deinceps.

37. Quibus prænotatis sit conclusio. Etsi olim ex Can. *ad sedem* 35. quæst. 5. Consanguinitas vsque ad septimum gradum inclusiuè matrimonium dirimeret: iam verò tantùm vsque ad quartum inclusiuè dirimit, ex cap. *Non debet*, de consanguinitate, & affinitate, & confirmatur à Trident. sess. 24. c. 5. de Reform. quod debet intelligi non solùm in gradibus in linea collateralium, sed etiam in recta ascendentium, & descendentium; ita vt quicumque consanguinei vltra quartum gradum possint matrimonio iungi; non autem intra quartum.

38. Est tamen duplex difficultas. Prima, an iure naturali consanguinitas in recta linea per quatuor iam assignatos gradus matrimonium dirimat. Secunda, an etiam eodem iure naturali in prædictis gradibus lineæ transuersalis. Et quidem in primo dubio, omnes vt ratum, & firmum supponunt, in primo gradu lineæ rectæ irritum esse matrimonium iure naturali, nimirum patris cum filia, vel matris cum filio, ob strictissimum pietatis, & obseruantiæ vinculum, quo eos natura inter se colligauit. Quocirca tale coniugium ad carnalem copulam horret natura. Vnde Ambrosius epist. 60. ad Paternum, hæc pulchrè dixit. *Ne pater filiam suam accipiat vxorem, interdictum est naturæ iure; interdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum; interdictum est inuiolabili præscriptione pietatis*, & ideo Adamus diuina illustratione instructus, cùm esset contracturus cum Eua, ea protulit verba: *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ.* A patre & matre diuungens liberorum connubium.

39. Sed quid dicendum si vrgeret necessitas genus humanum propagandi, & solus pater cum filia esset in mundo superstes, aut mater cum filio, valeret ne matrimonium in eo gradu consanguinitatis? Non dissimilis est quæstio apud Dian. de sacramen. resolut. 289. si in mundo non essent seculares, sed tantùm Religiosi, & Religiosæ, valeret ne tunc matrimonium ob eumdem finem inter Religiosum, & Religiosam? & sequitur affirmatiuam sententiam cum Sanct. Reginald. Villalob. & aliis. Sed quidquid de hoc sit, in quæstione proposita affirmant Sanct. & Pont. apud Hurt. qui cum aliis disp. 19. diff. 3. & Merat. disput. 9. sect. 6. negat.

Ego

Ego verò in affirmantem sententiam magis propendeo, quo casu cessaret irreuerentia filiorum in parentes, propter bonum commune. Sic enim Chrysost. & Ambrosius, apud Fillucium tract. 10. parte 2. cap. 5. num. 168. defendunt filias Loth à culpa concubentes cum Patre, quia sibi persuadebant omnia in cineres abiisse, & nullum præter se & patrem superesse.

40. Disconueniunt autem Doctores, an in cæteris gradibus lineæ rectæ ius naturale dirimat matrimonium. Sanct. & plures alij apud Hurt. vbi suprà opinantur, in omnibus gradibus non dirimere ius naturale, nisi vsque ad certum & præfixum terminum, videlicet vltra primum, vt Sanct. cum Laym. cap. 6. vel vltra secundum, vt Sotus & Valent. vel vltra quartum, vt Angelus, & Rosell. vel denique vltra septimum, vt Couarruu. Scotus verò, Vazq. Bellarm. Coninch. Pont. & alij, quos refert & sequitur Hurt. & Merat. suprà. Probabilius opinantur, in omnibus gradibus lineæ rectæ vsque ad Adamum primum parentem dirimi matrimonium per ius naturale; quia in omnibus inuenitur ratio principij, & principiati; quod est fundamentum reuerentiæ filiorum in parentes, & obseruantiæ descendentium in ascendentes.

41. In secundo dubio suprà posito conueniunt pariter omnes, in secundo gradu & aliis lineæ transuersæ per ius naturale non irritari matrimonium, & videtur colligi ex Innocentio III. cap. *Gaudemus*, de diuortiis. vbi infideles conuersos ad fidem, coniunctos antea matrimonio, præcipit non separari, si consanguinei sint in secundo, & cæteris gradibus: supponit ergo iure naturæ valuisse matrimonium in secundo gradu. Est ergo controuersia, an valeat in primo, eodem spectato iure naturali, videlicet inter frattem, & sororem. Merat. disput. 9. sect. 7. Abulens. Sot. Sanct. & Vazquez, apud Hurt. disput. 18. diff. 5. sentiunt non valere. Scotus verò, Caietan. Pont. & Coninch, quos refert & sequitur Hurt. opinantur valere, & meritò; quia ex natura rei non est tanta indecentia in carnali copula inter eos, vt ipsorum matrimonium natura irritet. Accedit quòd initio mundi contra ius naturale fratres contraxissent cum sororibus Deo in eorum matrimonio dispensante: quod videtur falsum, vt auctor naturæ, naturam condens, mox recentis naturæ violasset iura; quod facile vitatur si tale matrimonium natura permitteret, quod etiam non obscurè deducitur ex verbis Thamar ad Amon
2. Reg. 13. frattem suum 2. Reg. 13. *Noli frater mi, opprimere me, noli facere stultitiam hanc, quin potiùs loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* ergo tunc non existimabatur iure naturæ irritum matrimonium fratris cum sorore. Nec obstat, Ecclesiam nunquam in hoc gradu dispensare, quia non satis constat, an etiam iure naturæ hoc impedimentum irritet matrimonium, propter opinionem contrariam, quæ satis probabilis est, & ideo Pontifices in eo gradu nunquam dispensarunt. Et ob eamdem rationem in cap. *Gaudemus*, suprà adducto, tantùm definitur infideles ad fidem conuersos separandos non esse à matrimonio, quo tempore infidelitatis contraxerunt in secundo & aliis gradibus consanguinitatis, eo quòd matrimonia in istis gradibus iure tantùm Ecclesiastico sint irrita, ad quod infideles non tenentur: nihil determinans de primo gradu lineæ transuersalis; quia non satis constabat apud Doctores, an irritaret matrimonium iure naturæ.

SECTIO VI.

De impedimento cognationis spiritualis.

PRima conclusio. Hoc impedimentum cognationis spiritualis, quod solùm iure Ecclesiastico introductum est, tantùm contrahitur à solis baptizatis, dum baptizant, vel confirmant, vel exercent ministerium circa Baptismum. ita communiter Doctores, & probatur ratione D. Thomæ quæst. 56. art. 3. quia qui nondum est spiritualiter natus per Baptismum, non potest esse cognatus spiritualis alterius; sicut qui nondum est carnaliter natus, nequit esse alterius cognatus carnalis. Deinde, quia sicut ad carnalem cognationem inter duos requiritur, quòd vterque ab eodem stipite secundùm carnalem generationem procedat; ita ad spiritualem cognationem requiritur processio vtriusque ab eodem stipite spirituali, scilicet Christo, secundùm spiritualem regenerationem per Baptismum. Denique, quia sicut non baptizatus non subiacet legibus, & statutis Ecclesiæ; ita non potest contrahere impedimentum statutum ab Ecclesia. 42.

Nec obstat, cognationem carnalem contrahi ab infideli ante Baptismum, ratione cuius post conuersionem nequit inire matrimonium cum consanguinea. Quia consanguinitas naturaliter consequitur generationem ipsam naturalem, ac proinde ab omnibus contrahitur: at cognatio spiritualis solo iure Ecclesiastico est introducta, cui non subest, qui fidelis non est. Et ob eamdem rationem fidelis baptizans filium infidelis, non contrahit cognationem spiritualem cum parentibus infidelibus ipsius baptizati; quia hæc cognatio spiritualis est relatio mutua, quæ non potest contrahi ab vno extremo, quin contrahatur ab altero: cùm ergo infidelis non possit eam contrahere respectu fidelis, ita à contrario nec fidelis potest eam contrahere respectu infidelis. 43.

Secunda conclusio, quamuis huiusmodi cognatio spiritualis olim multa comprehenderit; tamen iam per Tridentinum sess. 24. cap. 2. de reformatione ita restricta est, vt vnus tantùm, siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna, baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, necnon inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem tantùm spiritualis cognatio contrahatur. Hæc Trident. circa cognationem ortam ex Baptismo. De cognatione autem orta ex Confirmatione sic concludit in fine capitis. *Ea quoque cognatio, quæ ex confirmatione contrahitur, confirmantem, & confirmatum illiusque patrem, & matrem, ac tenentem, non egrediatur.* 44.

Circa quæ Tridentini statuta

Obserua primò cum Sanct. lib. 7. disp. 54. Merat. num. 8 Hurt. disp. 18. diff. 1. & Recentioribus communiter, hanc cognationem spiritualem minimè contrahi inter virum, & fœminam ad inuicem tenentes baptizatum, aut confirmatum: quia neque olim ante Tridentinum illam contrahebant; multoque minus post Tridentinum antiquas cognationes restringens: quapropter vir, & fœmina sic suscipientes ex vi huius possunt matrimonium inire, etsi coniugati sunt, debitum petere. 45.

Obserua secundò, si præter vnum, vel vnam legitimè in patrinos electos, scilicet à parentibus baptizati, vel confirmati, vel ab aliis loco parentum, vt tutoribus, vel Parocho, quibus ea incumbit 46.

designatio, alij adhibeantur illegitimi patrini, hi proculdubio cognationem spiritualem prædictam non contrahent, vt ibi expresè Tridentinum decernit.

47. Obserua tertiò, ex eodem Tridentino hanc cognationem spiritualem tantùm contrahi inter hos. Primò ex vno extremo, & capite inter patrinos, & ex alio inter ipsum baptizatum, & confirmatum, patrem, & matrem illius. Secundò similiter ex vno extremo inter baptizantem, seu confirmantem, & ex alio inter baptizatum, seu confirmatum, patrem, & matrem ipsius. Cæteras antiquas cognationes spirituales compaternitatis, & confraternitatis, Tridentinum abrogat.

48. Obserua quartò, ad hanc cognationem spiritualem contrahendam has omnes conditiones requiri. Prima quòd Baptismus, & confirmatio validè ministrentur. Secunda, vt patrini baptizati sint in Baptismo, & in Confirmatione confirmati. Tertia, vt patrini physico, & reali contactu baptizatum, vel confirmatum teneant. Quarta, vt patrini intendant id munus exercere ad quod deputantur. Quinta, vt patrini à legitimo consignatore deputentur. Quòd si plures quàm vnus, & vna ab eo legitimo designatore deputentur, peccabit designator contra Tridentinum suprà: ipsi tamen designati contrahent omnes cognationem spiritualem secundùm probabiliorem sententiam, quam sequitur Rebell. lib. 3. quæst. 6. Hurt. diff. 8. Merat. sect. 9. contra Sanct. & Coninch apud eumdem Hurt. Suarium, Gutierr. Fillucium, & alios.

49. Obserua quintò, contra Nauarrum apud Hurt. infrà, in administratione Baptismi priuata absque solemni ritu, cognationem spiritualem non contrahere ipsos patrinos, si qui intercedant (non enim tunc est obligatio vti patrinis.) ita Sanct. disputatione 62. num. 15. Suarez 3. parte quæst. 67. art. 8. N ñus ibi. Rebell. quæstione 6. Hurt. suprà. Merat. sect. 9. Diana de sacramentis resol. 18. Ratio est, quia ea cognatio inter prædictos non contrahitur præcisè propter munus quod exercent, sed quia solemniter. Aduerte tamen, cognationem spiritualem baptizantis semper persistere in Baptismo etiam priuato, vt obseruat Sanctius, quia præcisè contrahitur propter munus baptizandi, excepto casu in quo parentes baptizant in extrema necessitate, quia alius non adest, quo casu consequenter non impeditur petitio debiti.

SECTIO VII.

De impedimento cognationis legalis.

50. COgnatio legalis ex S. Thom. distinctione 42. quæst. 2. art. 2. est propinquitas proueniens ex adoptione. Adoptio autem est duplex, alia perfecta, quæ dicitur arrogatio, per quam adoptatus transit in potestatem adoptantis, & fit hæres illius, non secus, ac filius naturalis; neque fit nisi authoritate supremi Principis. Alia est imperfecta, quæ dicitur simplex, & fieri potest authoritate Magistratus inferioris Principe, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia est sub potestate patris naturalis, & non est hæres necessarius, quamuis sit hæres ab intestato.

51. Prima conclusio. Cognatio legalis dirimens matrimonium, ex sola adoptione perfecta oritur. Ita Sanct. Coninch apud Hurt. disputat. 19. diff. 2. Merat. disputat. 9. sect. 10. Bonacin. quæstione 3. punct. 5. §. 3. adducens Reginald. & Filluc. contra Hurt. & Rebell. parte 2. lib. 3. quæst. 7. & probatur, quia eiusmodi adoptio est simpliciter & absolutè adoptio; imperfecta autem nonnisi secundùm quid. Deinde, quia iura quibus hoc impedimentum introducitur, potius restringenda, quàm dilatanda sunt in fauorem matrimonij: ergo cùm loquantur de adoptione absolutè, intelligi debent de sola adoptione perfecta; quia imperfecta absolutè talis non est.

52. Secunda conclusio. Triplex est cognatio legalis. *Prima* quasi descendentium, & fit per lineam rectam inter patrem adoptantem, & inter filium naturalem, & nepotes filij adoptati. *Secunda* quasi transuersalis, quæ est inter ipsum filium adoptatum, & inter filium naturalem adoptantis. *Tertia* per modum cuiusdam affinitatis, quæ est inter vxorem patris adoptantis, & inter filium adoptatum, & similiter econtra inter vxorem filij adoptati, & inter ipsum patrem adoptantem. Itaque hæc triplex cognatio dirimit matrimonium ex solo iure Ecclesiastico, vt communiter affirmant omnes Doctores ex iuribus citatis à Sanct. lib. 7. disp. 63. num. 3.

53. Est tamen difficultas, in quoto gradu se extendat prima cognatio legalis in linea recta. Nam de secunda transuersali, & tertia per modum affinitatis non excedere primum gradum, planum est, cùm secunda tantùm intercedat inter filium adoptatum, & filium naturalem adoptantis, quo mortuo hæc expirat cognatio: tertia verò solùm interueniat inter vxorem adoptantis cum adoptato, & inter vxorem adoptati cum patre adoptante. Itaque restat dubium in prima cognatione. In quo explosis opinionibus, quas optimè refutat Merat. disputat. 9. sect. 10. placet quarta sententia, quam ipse refert & sequitur num. 5. cum Sanct. Syluestro, Lopez, quibus subscribit Hurt. disputatione 19. diff. 5. istam cognationem solum extendi ad eos filios, & nepotes filij adoptati, qui tunc erant sub eius potestate, dum per adoptionem positus est sub potestate Patris adoptantis. Quocirca pater adoptans poterit nubere filiis, vel nepotibus descendentibus, qui nati sunt filio adoptato post adoptionem, vt constat clarissimè ex l. *si pater familias* ff. de adoptio. vbi solùm censetur adoptari cum patre adoptato ab alio, qui tunc extant filij sub eius potestate.

SECTIO VIII.

De impedimento criminis.

54. CRimen matrimonium dirimens est duplex, scilicet homicidium, & adulterium, quod qua ratione fiat explicandum est.

55. Prima conclusio. Tunc homicidium præcisè, secluso adulterio, matrimonium dirimit, quando vir & fœmina ex intentione contrahendi coniugium inter se conspirant in necem mariti mulieris, vel in necem vxoris viri, morte secuta; quouis modo ad eam necem concurrant, siue vtroque physicè per se ipsos necando, siue moraliter imperio, aut consilio, suasione, &c. siue altero physicè, siue altero moraliter. Ita omnes Doctores ex cap. 1. de conuers. fidel. & Can. *Si quis vinetæ*, 31. quæst. 1.

56. Quatuor autem conditiones requiruntur secundùm omnes, vt homicidiũ dirimat matrimonium.

Prima,

Digitized by Google

Prima, vt vxor occidat maritum, vel maritus vxorem, physicè, aut moraliter. (ratihabitio sine cooperatione non sufficit.) *Secunda*, vt ambo simul cooperentur in eam necem. *Tertia*, vt in finem contrahendi ipsi vir,& fœmina machinentur mortem: si enim in alium finem fecerit, tunc homicidium non dirimet matrimonium, & sufficiet hunc finem intendi saltim ab alterutro. Aduertit tamen Pontius ex Vazq. cum Hurt. suprà necessarium esse eam intentionem exteriùs proferri; quia si [in animo tantùm maneat, non dirimet matrimonium tale homicidium. *Quarta*, vt mors ipsa sequatur realiter, & ex vi actionis illorum; quia si ex incuria Medici, aut Chirurgi, vel ex alia causa sequatur, tunc tale homicidium non dirimet matrimonium.

57. Secunda conclusio. Vt adulterium dirimat matrimonium, quod postea adulteri inire tentauerint, vnum ex tribus his delictis debet habere coniunctum. *Primum* vel homicidium. *Secundum* vel matrimonium contractum de præsenti superstite coniuge, qui patitur iniuriam adulterij: vel denique *Tertium*, scilicet promissionem futuri matrimonij mortuo coniuge, vt constat ex iuribus relatis à Bonacin. Merat. & Hurt. vbi suprà.

58. Itaque adiunctum adulterio primum crimen est homicidium coniugis commissum, vel ab vno saltem adultero cum animo contrahendi cum coniuge superstite. Vnde existimo Dauidis matrimonium cum Bersabe adultera valuisse, non solùm, vt inquit Becanus cap 47. quia hac lege ecclesiastica non fuit adstrictum illud matrimonium; sed etiam, quia ibi non intercessit homicidium Vriæ ex animo contrahendi cum eius vxore, sed potiùs ex odio, & vindicta Vrię, quòd noluerit Regi obedire, & venire in domum suam, &c. vt colligi videtur ex 2. Regum 11.

59. Secundum crimen adulterio adiunctum est matrimonium inter adulteros, siue præcedat, siue subsequatur adulterium; siue matrimonium contrahatur clandestinè, siue corã Parocho, & testibus; semper tamen ambo futuri sunt conscij adulteri formaliter, id est, quòd viuat coniux, ratione cuius interuenit adulterium: quòd si vnus sciat, & alter ignoret, ignorans quidem post mortem coniugis, alium conscium poterit ad matrimonium compellere. Sed quid dicendum si ambo existimarent esse realiter adulterium, cùm tamen non sit, quia coniux iam decessit, quod ipsi ignorant? Existimo hoc impedimentum tunc non interuenire, quia quidquid sit de culpa formaliter adulterij regulata per apprehensionem; tamen in re ipsa non est adulterium, cui annexum est hoc impedimentum.

60. Tertium delictum est promissio futuri matrimonij sub his quatuor conditionibus. *Prima*, vt promissio sit seria, & ex corde. *Secunda*, vt sit mutua. *Tertia*, vt acceptetur ab vtroque. *Quarta*, vt sit absoluta, & sine conditione præter conditionem mortis ipsius coniugis. Non tamen est opus iuramento, vt firmetur promissio. Nec requiritur alterius ad alterum præcedentia, quia vt hoc contrahatur impedimentum, parum refert quòd promissio adulterium, vel è contra adulterium promissionem præcedat.

SECTIO IX.

De impedimento disparis cultus.

PEr cultus disparitatem intelligunt Doctores, impedimentum irritans matrimonium inter personam baptizatam, & non baptizatam, quamuis hæc sit fidelis, & catechumena; quia vtrique conuenit dispar cultus ratione status, & professionis: si enim persona non baptizata sit infidelis, habet disparem cultum positiuè: si verò sit fidelis catechumena, habet disparem cultum negatiuè, id est, ratione status, & professionis non habet eundem cultum, & religionem. 61.

Sit conclusio. Disparitas cultus, siue positiuè, siue negatiuè, non irritat matrimonium iure naturali, sed tantùm iure ecclesiastico positiuo. *Prior* pars ostenditur, quia talis disparitas non obstat substantiæ, & fini matrimonij: & manifestè constat plures viros contraxisse cum infidelibus, Iacob cum filiabus Labam, qui fuit idolorum cultor, Salomon cum filia Pharaonis, Esther cum Assuero, Ioseph cum alienigena, sancta Monica cum Patricio quodam Gentili, & sic de aliis. Item nec iure diuino à Christo Domino, quia nullibi hoc extat, vt falsò existimauit Viguer. in summa cap. 16. Vazq. de Matr. disp. 2. & alij apud Merat. disp. 9. sect. 3. & ratio est, quia ratio, & eleuatio sacramenti solùm est in matrimonio contracto ab vtroque coniuge baptizato, vnde ratio sacramenti in matrimonio inter baptizatum, & non baptizatum, non potuit inducere nullitatem ex Christi dispositione, provt instituentis sacramentum. *Secunda* pars quòd prædicta nullitas introducta sit ex solo iure ecclesiastico, est communiter recepta ab omnibus, quamuis prædictum ius nullibi extet scriptum, sed peremni vsu, & consuetudine Ecclesiæ vim legis habente. 62.

Obiicies Deuteronomij 7. vbi interdicitur Hebræis matrimonium cum Gentilibus, & Oseæ 9. *Separati sunt Hebræi ab vxoribus, quas duxerant*; & 2. Corinth. 6. inquit Paulus: *Nolite iugum ducere cum infidelibus*, quod de iugo, & vinculo matrimonij intelligunt expositores sacri. Respondetur, illa testimonia solùm probare hoc matrimonium esse iure diuino prohibitum, non tamen esse irritum. Nec obstat locus Oseæ declarans præceptum Deuteronomij esse irritans, quia dicendum est, illud quatenus irritans fuisse ceremoniale; & sic cessauit morte Christi, sicut & cætera legalia. 63. Oseæ 9. 1. Cor. 6.

Inquires, an valeat matrimonium inter fidelem baptizatum, & hæreticum etiam baptizatum. Respondetur, valere, vt tenent communiter Doctores; esse tamen peccatum lethale si Catholicus contrahat matrimonium cum hæretica, aut contrà, quod optimè probat locus Pauli suprà, *Nolite iugum ducere cum infidelibus*. consonat Concil. Carthagin. cap. 12. & Chalcedonense sub Leone I. vbi asseritur, neque debet copulari nuptura hæretico, aut Iudæo, vel Pagano, nisi fortè promittat ad orthodoxam fidem se per personæ catholicæ copulam transire. Limitat Sanct. exceptis Prouinciis vbi Catholici pacificè degunt cum hæreticis, vbi tale matrimonium licitum est dum abest periculum peruersionis. Hoc tamen, vt rectè Coninch. disp. 31. dub. 3. num. 45. in praxi rarò videtur tutum, quia vix eiusmodi pericula omnino cessant, & experientia constat Catholicos ex eiusmodi matrimoniis scandalizari, præcipuè, quando hæreti- 64.

cus se gerit pro tali, & palàm talis nascitur. Potest autem summus Pontifex ex graui causa dispensare, vt fidelis cum non baptizato contrahat, si speretur eius conuersio, nec periculum immineat prolibus, cùm infidelis paratus sit permittere, vt catholicè educentur.

Sectio X.

De impedimento ligaminis.

65. PEr hoc impedimentum intelligunt Doctores, vinculum primi matrimonij validi, quo quis alteri coniugi est ligatus; ergo ligamen hoc impedit ne matrimonium possit contrahi, & præterea facit, vt matrimonium cum alio ita contractum omnino sit irritum, & inualidum. Quo autem iure polygamia prohibita sit, diximus in superioribus. Quocirca, qui semel ritè contraxit, non potest transire ad secundas nuptias, nisi moraliter certus sit de morte prioris coniugis. cap. *Decimus*, de secundis nuptiis: vnde non sufficit fama, nec absentia per plures annos, nisi certò constet, saltem moraliter primum coniugem esse defunctum, vel per testes qui fidem faciant, aut per epistolam, à viro, vel viris fide dignissimis, conscriptam.

Sectio XI.

De impedimento publicæ honestatis.

66. IMpedimentum publicæ honestatis est propinquitas quædam orta, vel ex sponsalibus de futuro vndequaque validis; vel etiam matrimonio rato, non consummato. Vtraque ante Tridentinum, vsque ad quartum gradum inclusiue dirimebat matrimonium, cap. *vnico*, de sponsal. modò verò post Tridentinum sess. 24. cap. 3. honestas ex sponsalibus de futuro, primum gradum non excedit; quæ autem oritur ex matrimonio rato, non consummato, manet adhuc in sua vi dirimendi, vsque ad quartum inclusiuè, prout declarauit Pius V. in motu proprio incipiente, *Ad Romanum Pontificem*, cuius inter alios meminit Meratius disput. 9. sect. 15.

67. Circa quæ obserua primò, hoc impedimentum distingui ab impedimento affinitatis, quia hæc contrahitur solùm per copulam carnalem licitam, vel illicitam; honestas verò ex sponsalibus, vel ex matrimonio rato non consummato, prout dictum est.

68. Obserua secundò, circa honestatem ex sponsalibus de futuro, illam scilicet non contrahi, nisi ex validis omnino; nec oriri ex inualidis defectu consensus, vt tenent communiter Doctores contra Enriquez lib. 12. de matrimonio cap. 10. & Sanct. lib. 7. disp. 68. num. 14. quia Tridentinum vbi suprà, clarissimè decernit ex sponsalibus quacumque ratione inualidis, non oriri impedimentum publicæ honestatis.

69. Obserua tertiò, circa impedimentum honestatis ex sponsalibus de futuro, illud scilicet cessare dissolutis sponsalibus ex mutuo consensu. Ita tenent Rebell. & Pont. quos refert, & sequitur Hurt. disp. 11. diff. 1. contra Sanct. & ratio est, quia dum sponsalia dissoluuntur ex mutuo consensu, tunc quasi euanescunt ratione sui immediatè, id est, per eamdem causam consensus mutui, per quam introducta sunt; dum verò spirant ratione mortis, tunc non cessant immediatè ratione sui, sed mediatè, id est, ratione subiecti pereuntis: quocirca in hoc vltimo casu manet honestas, sed non in primo, vt declarauit Congregatio Cardinalium, teste Rebello.

70. Obserua quartò, impedimentum publicæ honestatis ortum ex matrimonio rato non consummato vsque ad quartum gradum inclusiuè, etiam locum habere in matrimonio pariter nullo, dummodo non proueniat nullitas ex defectu consensus, sic enim non inducit publicam honestatem, ita communiter Doctores; imò Pius V. in illo suo motu proprio suprà, expressè declarauit, Tridentinum solùm innouasse in hoc puncto publicæ honestatis, quantum ad honestatem prouenientem ex sponsalibus de futuro, cæteris relictis in suo pristino statu: ante Trident. autem publica honestas oriebatur ex matrimonio rato non consummato etiam nullo, dummodo nullitas nonesset ex defectu consensus.

Sectio XII.

De impedimento affinitatis.

71. AFfinitas est proximitas personarum ex carnali copula prouenientes, omni carens parentela, id est, nulla alia indigens parentela, ex carnali, inquam, copula, siue licita, & coniugali, siue fornicaria, & illicita. Contrahitur autem ex vno capite inter consanguineos viri cognoscentis fœminam, & ex alio inter ipsam fœminam cognitam præcisè: & similiter ex vno capite inter consanguineos fœminæ cognitæ, & inter ipsum virum cognoscentem dumtaxat. Affinitas contracta ex copula coniugali, & licita eo modo quo consanguinitas dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum inclusiuè. Affinitas verò orta ex copula fornicaria, & illicita, ex Trident. sess. 24. cap. 4. solùm contrahitur vsque ad secundum inclusiuè.

72. Gradus autem affinitatis ita computantur, vt consanguinei viri cognoscentis fœminam eum gradum affinitatis teneant cum ipsa, siue per lineam rectam, siue per transuersam, quem ipsi consanguinei tenent cum eo viro, qui cognouit fœminam. Et similiter ex parte fœminæ, eum gradum affinitatis teneant cum viro cognoscente fœminam, quem fœminæ consanguineæ illius mulieris cognitæ tenent consanguinitatis cum ipsa hac muliere cognita; sicut in primo tenent consanguinei viri cognoscentis cum cognita. Ex quo infertur neque cognoscentem contrahere affinitatem cum cognita, vel è contrà: neque consanguineos cognoscentis cum consanguineis cognitæ, vel è contrà. Quibus bene consideratis, certam, & fixam habes regulam cognoscendi gradus affinitatis in quouis casu occurrente. Sed non omittam in ordine ad confessiones, incestum cum affine ex copula licita vsque ad quartum gradum esse necessariò aperiendum in confessione; & vsque ad secundum ex copula illicita. In cæteris gradibus non est opus aperire in quo gradu, sed sufficit dicere se incestum commisisse, quandoquidem in cæteris gradibus non mutatur species incestus.

73. Obserua primò, carnalem copulam quæ inducit affinitatem, vt iam suprà tetigimus, debere esse perfectam, id est, ex qua sequi valeat ex natura rei prolis generatio: sin autem non inducet affinitatem. Cæterùm vt perfecta sit copula talis futura est ex S. Thoma in 4. dist. 41. quæst 1. art. 1. vt virile semen intra vas naturale fœmineum emittatur,

emittatur, & cum eiusdem fœminæ commiſceatur ſemine. Inquit enim S. Thom. ſic. *Dicendum quòd vir, & fœmina efficiuntur in carnali copula vna caro per commixtionem ſeminis: vnde quantumcumque aliquis claustra pudoris innadat, vel frangat, niſi commixtio ſeminum ſequatur, non contrahitur ex hoc affinitas.* Hæc S. Thom. quæ præfixit ſolita modeſtia ad dignoſcendam carnalem copulam perfectam, quæ inducit affinitatem dirimẽtem matrimonium. Quibus adde, vt ipſemet Angelicus Doctor apertè ſubindicat, fœmina non ſeminante, quantumuis ſeminet vir, neque eſſe copulam carnalem perfectam, neque ex ea affinitatem conſurgere, vt contra Pontium opinatur Hurt. diſp. 20. diff 1. ex Innocentio cap. *Fraternitatis*, de eo qui cognouit conſanguineam. Et ratio eſt, quia ex Galeno, & Auicenna fœmineum ſemen requiritur ad generationem.

74. Obſerua ſecundò, ex carnali copula ſpadonum, qui verum ſemen non emittunt, nec idoneum generandæ proli; vel etiam ex copula carnali dum intra vas fœmineum ſemen non emittitur, vel ſi emittitur, omnino non retinetur à fœmina, nec illius pars aliqua, non oriri affinitatem, quæ dirimat matrimonium; quia numquam eſt copula carnalis perfecta apta generationi.

75. Obſerua tertiò, ex copula coniugali iure naturali oriri affinitatem, vt omnes affirmant. nam cùm per illam fiant coniuges duo in carne vna, id eſt, fiant de ſe principium ſufficiens vnius carnis, & prolis, conſequenter vtriuſque conſanguinei attingunt ex natura rei alterius coniugis ſanguinem, & de ſe habent cum eo coniuge communionem, & coniunctionem quamdam, non ex lege eccleſiaſtica, ſed ex natura rei. Vnde infertur contra Merat. diſp. 9. ſect. 11. num. 7. pari ratione affinitatem ex copula fornicaria, & illicita contrahi ex iure naturali etiam, quandoquidem per copulam fornicariam ipſi carnaliter conueniẽtes vnum
1. Cor. 6. corpus fiunt, aſſerente Paulo 1. Corinth. 6. *Qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur*; vnde conſanguinei vtriuſque attingunt fines alterius carnaliter conuenientis. Nec obſtat quod ait Meratius, ex copula fornicaria potius rixas, quàm beneuolentiam oriri: quia hoc eſt per accidens ad vinculum affinitatis, quod oritur præcisè ex prædicta ſeminum, vel ſanguinis commixtione.

76. Obſerua quartò, non ſolùm affinitatem in primo gradu lineæ tranſuerſæ iure naturali non dirimere matrimonium, vt conſtat ex innumeris diſpenſationibus factis ab Eccleſia ſuper eo gradu, ſed etiam nec affinitatem in primo gradu lineæ rectæ dirimere, ſpectato eodem iure naturæ, vt tradunt Caiet. Sanct. Pontius, & alij quos refert, & ſequitur Hurt. ſuprà diff. 4. Merat. diſp. 9. ſect. 3. latiſſimè id probans contra Coninch. Vazquez, & alios. Et ratio eſt, quia in eo nulla apparet irreuerentia, vti in conſanguinitate; ergo ſolo iure eccleſiaſtico omnis affinitas in gradibus dictis dirimit matrimonium. Nec obſtat iure naturali contrahi prædictas affinitates, quia etſi iure naturali contrahantur, ſed non iure naturali dirimunt matrimonium; quia longè diuerſum eſt vnum, & alterum. nam conſanguinitas à ſecundo gradu vſque ad quartum incluſiuè, ſolo iure eccleſiaſtico dirimit matrimonium; tamen iure naturali conſanguinitas contrahitur.

SECTIO XIII.

De impedimento impotentiæ.

77. SVpponendum eſt, ſine potentia ad copulam carnalem, nullum poſſe inire matrimonium, nec eſſe poſſibile matrimonium ſine ea potentia præcisè ad caſtè viuendum, vt contra Pontium rectè probat Hurt. diſp. 21. diff. 4. & communiter ſentiunt Doctores, & videtur apertè deduci ex Sixto V. dum abſque vlla diſtinctione, & reſtrictione definit, impotentes ad copulam carnalem perfectam, ineptos eſſe ac fuiſſe vero matrimonio contrahendo. Quo poſito inueſtiganda eſt impotentia ad copulam carnalem, quæ etiam iure naturali reddit irritum matrimonium, nondũ contractum; nondum, inquam, contractum, quia ſi hæc impotentia ſuperueniat matrimonio contracto, illud neutiquam diſſoluit, vt omnes fatentur.

78. Impotentia hæc eſt defectus potentiæ ad coëundum, id eſt, ad habendam copulam carnalem perfectam iam expoſitam à S. Thoma ſectione præcedenti; nimirum ad habendum carnalem congreſſum, quo cum penetratione fœminei vaſis à viro ſemen emittatur in illud, facta vtriuſque ſeminis, ſcilicet viri, & fœminæ, commixtione. Hæc impotentia eſt duplex, alia dicitur abſoluta, id eſt, in ordine ad omnem perſonam: alia reſpectiua, id eſt, non in ordine ad omnem perſonam, ſed tantùm reſpectiuè in ordine ad aliquam determinatam. Item vtraque, alia eſt perpetua, id eſt, quæ medio naturali abſque miraculo, vel etiam ſine peccato, aut graui corporis incommodo, aut vitæ periculo tolli non poteſt: alia eſt temporalis, ſeu ad tempus, quæ naturalibus remediis citra miraculum, & peccatum, aut magnum corporis incommodum, tolli poteſt. Vtriuſque impotentiæ eſſe poſſunt tres cauſæ. *Prima*, naturalis prouenions ab intrinſeco ex naturali corporis diſpoſitione, & complexione, vt frigiditas in viris, qua nequeant vas fœmineum penetrare; & in fœminis tanta arctitudo ſigilli pudoris, vt à viro nequeat effringi: vel etiam ſuſceptum ſemen retinere, neque ex parte quidem: aut denique fœmina non valeat ſeminare. *Secunda* eſt etiam naturalis, ſed ab extrinſeco, vt computatio virilium, aut teſtium in viris. *Tertia* denique non eſt naturalis, ſed præternaturalis ex cacodæmonis malefitio, qui ſolet ligare, maximè in viris potentiam ad carnalem congreſſum. In quibus omnibus ſuppono, quod iam prænotaui, ſi in potentia ſuperueniat matrimonio iam contracto, illud neutiquam diſſoluere. Eſt ergo ſermo de impotentia antecedente matrimonium.

79. Prima concluſio. Impotentia abſoluta, & perpetua, à quauis cauſa proueniat, ſiue naturali intrinſeca, aut extrinſeca; ſiue à præternaturali ratione maleficij ope Dæmonis contracti; ſiue ſit ex parte vtriuſque, viri & fœminæ ſimul; ſiue ex parte vnius tantùm, omnino dirimit matrimonium. Ita communiter Doctores ex innumeris iuribus, quæ inuenies apud Recentiores, præſertim, ex cap. 5. de frigidis, & maleficiatis. Et ratio eſt manifeſta, quia per matrimonium fit natura corporum traditio cum obligatione viciſſim ad carnalem copulam perfectam de ſe aptam generandi proli; ſed vbi non eſt poteſtas ad talem copulam, ſeu vbi non eſt poſſibilis talis copula, non eſt poſſibilis talis traditio, & obligatio; nullus enim

tradere

tradere poteſt quod non habet, neque ad impoſſibile aliquis poteſt teneri; ergo, &c. Dixi de copula carnali perfecta, de ſe apta generationi, quamuis per accidens ſit inepta; quia vir, & fœmina ſteriles, quorum ſemen de ſe eſt prolificum, per accidens tamen infœcundum, apti ſunt matrimonio, vt conſtat experientia, & fatentur omnes.

80. Vt autem hæc pleniùs intelligantur,

Obſerua primò, Eunuchos vtroque teſte, nunquam potuiſſe matrimonium validum inire, ſed irritum ſemper fuiſſe iure naturali, quia numquam fuit in eis potentia ad generandum, quod planè conſtat ex Bulla Sixti V. vbi Pontifex non facit illos inhabiles ad matrimonium, quaſi de ſe habiles, vt quidam falsò putarunt: quinimò declarat, ipſo iure naturæ eorum matrimonium eſſe ac fuiſſe ſemper inualidum; quia, vt dixi, non habent potentiam generandi ex defectu veri ſeminis, quod non emittunt; ſed alium liquorem per ſe omnino inutilem generationi, vt conſtans eſt Medicorum opinio. Vnde minus bene Pontius exiſtimat, etſi poſt illud decretum non valeant Eunuchi matrimonium inire, nec ad finem caſtè viuendi: potuiſſe tamen ad hunc finem legitimum matrimonium celebrari, videlicet ad caſtè viuendum: & credit Pontius Papam ſibi ſuffragari in eodem decreto, dum mandat Nuntio Apoſtolico Hiſpaniæ, vt ſi quos inuenerit huiuſmodi, volentes vt fratres in poſterum degere, eos non ſeparet. Ex quo, ni fallor, potius refragatur Pontio Pontifex, quàm ſuffragatur; quia illos permittere degere, vt fratres, non eſt dicere fuiſſe antea coniuges: ſed Summus Pontifex intendit lenire decretum, quatenus ſi quos inuenerit Eunuchos, qui velint vitam tranſigere caſtè, eis concedatur ſocialis, & fraternalis amicitia cum illis fœminis, quas putabant eſſe vxores ſuas; id tamen amoto periculo incontinentiæ.

81. Obſerua ſecundò, impotentiam ad penetrandum vas fœmineum perpetuam, abſolutam, vel reſpectiuam, dirimere matrimonium, quamuis emittatur ſemen ad os vaſis per accidens ſufficienter ad generationem, ſiue id fiat ope Cacodæmonis, vel etiam virtute fœmineæ matricis attrahentis ſemen; quia ex vi huius non eſt copula perfecta per ſe apta, vt fiant duo in carne vna, & ſufficiens principium ex natura rei generandæ prolis.

82. Obſerua tertiò, ſi fœmina non poſſit retinere virile ſemen, aut ſaltem partem illius, quæ ſufficiat ad generationem, cenſeri impotentiam ſimpliciter, quamuis ipſa fœmina ſuum ſemen emittat, & retineat: cùm vtriuſque ſeminis commixtio requiratur ad generationem. Quocirca ſi fœmina certò ſciat ſe habere hanc impotentiam retinendi, non poterit licitè, & validè contrahere. Quòd ſi bona fide contraxit dubia de hac impotentia, ſi non omnino deſperetur tandem retentura, poteſt per triennium experiri, retineat, necne. Et idem eſt ex parte viri, qui per triennium expertus eſt ſuum ſemen à fœmina non retineri, non poterit amplius in matrimonio permanere, vt declarauit Eccleſia.

83. Vnde infero, ſi poſt contractum matrimonium, nulla ſubſit ſpes viro emittendi ſemen intra vas; vel etiam fœminæ non ſuppetat ſpes, vel partem ſeminis retinendi, abſque dubio erit illicitus inter eos carnalis congreſſus; quia deficiente tali ſpe non vacatur rei licitæ. Quod aliter contingit in conante per triennium peruadere pudoris clauſtra virginis, quam duxit vxorem, quamuis extra vas ſemen emittat, ſi tunc non deſperetur penetratio vaſis; qua deſperata non licebit, nec ſic conari ad carnalem copulam perfectam; quia iam cenſetur impotentia perpetua. Idem dico de ſenibus, iam prouectæ ætatis, qui nec poſſunt intra vas ſeminare, neque arte, & mediis naturalibus ad eum effectum iuuari poſſunt, non poſſe matrimonium inire; vel ſi initum eſt, non poſſe petere, aut reddere debitum, deficiente prædicta ſpe.

84. Obſerua quartò, etiam impotentiam ortam ex maleficio, ope Dæmonis inductam, dirimere matrimonium, ſi perpetua ſit, & abſoluta in ordine ad omnes, vel reſpectiua in ordine ad eos, ad quos priuatim eſt impotentia. Ratio eſt, quia ſi impotentia eſt perpetua, abſoluta, vel reſpectiua, parum refert, quòd proueniat à cauſa maleficij, vel ab alia cauſa naturali intrinſeca, vel extrinſeca: vt conſtat ex toto titulo de frigidis, & maleficiatis, & tenent communiter Doctores. Inquires quando maleficium cenſendum ſit perpetuum? Quando facta triennij experientia perſeuerat adhuc. Triennium autem computandum eſt à die copulæ vſque ad finem arithmeticè.

85. Secunda concluſio. Impotentia reſpectiua perpetua ex quauis proueniat cauſa, ſiue ex parte vtriuſque, ſiue ex parte vnius tantùm interueniat, planè dirimit matrimonium, ex cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & ex can. final. 33. quæſt. 1. & probatur eadem ratione facta pro aſſertione præcedenti, quæ etiam facit pro hac concluſione, quæ ſupponit doctrinam à nonnullis negatam, ſed à pluribus affirmatam, & confirmatam, nempe poſſe dari ex natura rei, eam impotentiam perpetuam reſpectiuam, ita Sanct. lib. 7. diſput. 93. Merat. diſput. 8. ſect. 6. Pont. lib. 7. cap. 61. Hurt. diſp. 22. diff. 6. num. 21. Quod probat, quia poteſt contingere vt vir ſit ita debilis, & mulier ita arcta, aut membrum viri ſit ita groſſum, & os vaſis fœminei ita anguſtum, quòd fœmina nulla humana induſtria poſſit abſque vitæ periculo ei viro proportionari, vt ab eo cognoſcatur; & quòd ſit proportionata alteri, aut poſſit proportionari abſque dicto periculo, vt poſſit ab eo cognoſci; ergo non poteſt negari poſſibilem eſſe impotentiam aliquam naturalem reſpectiuam, quæ ſit perpetua, ac proinde dirimens matrimonium.

86. Tertia concluſio. Impotentia temporalis ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua quandoquidem tolli poteſt ſine miraculo, peccato, vitæ periculo, aut graui incommodo, non dirimit matrimonium. Ita communiter Doctores ex cap. 6. de frigidis, & maleficiatis. Et ratio eſt, quia vnuſquiſque modò ſe poteſt obligare ad aliquid præſtandum in poſterum, quamuis modò non poſſit illud præſtare: ſi poſſit in poſterum; ergo poteſt fieri traditio corporum per matrimonium ad copulam coniugalem modò impoſſibilem, poſtmodum tamen poſſibilem.

87. Inquires, an virgo quæ ratione arctitudinis non poteſt perfectè à viro cognoſci, poteſt tamen reſerato pudoris clauſtro, quia vir potentiam habet ad corruptam, teneatur ne ſciſſionem pati, vt ab eo valeat cognoſci, ac proinde matrimonium initum cum illa validum ſit. In qua re valde diſcordant Doctores. Quidam opinantur cum Pontio ſuprà, virginem illam nec teneri, nec poſſe licitè

ſciſſionem

Digitized by Google

scissionem pati, ac proinde ab initio illud matrimonium fuisse nullum, & impotentiam censendam esse perpetuam, si peractis tribus annis à iure designatis ad experiendam potentiam viri, adhuc non valuerit pudoris claustra reserare; & consequenter in hoc casu integrum esse vtrique ad secundas nuptias transire. Alij è contra probabilius censent, debere pati scissionem, si absit vitæ periculum, & incommodum graue; ac proinde matrimonium esse validum, quamuis sectio ipsa allatura sit molestiam, & dolorem. Ita Sanct. & Hurt. vbi suprà, & plures alij, quibus dissenserat Dian. resol. 201. sed postea consensit sub distinctione mox subiicienda in secundis additionibus resol. 3. allegans Megalam asserentem, & dolentem oppositam Pontij sententiam esse contra sacros Canones cap. *Ex litteris*, & cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & multiplicatis, vbi sancitur, eam censeri impotentiam perpetuam, quæ Medicorum ope iuuari non potest; ergo si potest iuuari aliquo artificio, quæ arcta est, vt apta fiat coniugali copulæ, non censebitur laborare impotentia perpetua. Et ratio huius est, quia dum fœmina contrahit, absolutè se obligat ad copulam coniugalem; ergo implicitè se obligat ad media necessaria ad eam copulam, si non sit vitæ periculum, aut incommodum graue; ergo se obligat ad prædictam scissionem, à qua obligatione non liberatur ob molestiam doloris, quia similem quandoque patitur fœmina dum virginale claustrum reseratur.

88. Addit Diana, & meritò, dum defectus congrediendi cum fœmina non oritur ex nimia, & speciali arctitudine fœminæ, sed ex parte viri, ob extraordinariam debilitatem, aut quid simile, tunc non teneri fœminam scissionem pati: imò ipsi viro incumbere, vt se ope medicinæ reddat habilem ad copulam. Quòd si per triennium facto experimento non valeat coïre, declarabitur per Ecclesiam nullum esse matrimonium.

89. Obserua tamen in temporali impotentia, quæ oritur ex defectu ætatis quæ requiritur ad matrimonium, in fœmina annus duodecimus expletus, in viro decimusquartus etiam expletus, ex cap. *Puberes*. cap. *Continebatur*. cap. *Attestationes*. & cap. *Ex litteris*, de dispensat. impub. eam videlicet impotentiam solo iure ecclesiastico dirimere matrimonium, quia iure naturali valeret, si contrahentes essent doli capaces, & vsu rationis plenè vterentur; quia in eo statu se possent obligare ad copulam coniugalem ipsis postmodum possibilem progressu ætatis. Imò, vt conueniunt omnes Doctores ex prædictis iuribus citatis, etiam valet matrimonium ante prædictam ætatem pubertatis iure ecclesiastico, si malitia suppleat ætatem, id est, si potentia generandi in vtroque præmaturè præueniat eam ætatem; quod explorare erit iudicis ecclesiastici. In casu autem, quo malitia non suppleat ætatem, erit peccatum mortale contrahere matrimonium in die vltima in qua ætas completur, quia, vt rectè Sanct. disp. 104. & Pont. cap. 65. requiritur dicta ætas mathematicè completa, quia cùm sit præscripta, & taxata in iure, debet in indiuisibili consistere; ac proinde illa regula, *Quod parum distat*, &c. locum non habet in taxatis à iure.

90. Inquires rursus, quanto tempore ante dictam ætatem malitia eam suppleat. Sanct. id reliquit arbitrio iudicis, quia nihil videtur iure præscriptum. Hurt. diff. 12. censet, esse tempus vnius integri anni, vt exprimitur in cap. *Continebatur*, ac proinde puellam habentem vndecim annos completos, & puerum habentem tredecim, esse proximos pubertati, vt malitia supplente ætate, possint validè matrimonium contrahere.

Denique inquires, an Hermaphroditus, id est, habens vtrumque sexum, possit validè matrimonium contrahere. Et certum est posse iuxta sexum præeminentem. l. *Quæritur*. ff. de statu hominum; quia in eo sexu potest generare: & insuper ratione illius præeminentiæ potiùs vir, aut fœmina appellabitur. Deinde si vterque sexus sit æqualis, præstito iuramento se alio sexu nunquam vsurum esse durante matrimonio, cap. *Non Presbyteros* 16. quæst. 1. poterit matrimonium contrahere: quo dissoluto per mortem alterius coniugis, poterit vti alio sexu, modo præscripto nuper à iure. 91.

Est tamen difficultas, an possit validè contrahere secundùm sexum minus præualentem, quando vterque sexus est inæqualis. Negat Sanct suprà. Affirmat Pontius, quem sequitur Hurt. diff. 10. quia etsi alter sexus præemineat, tamen minus præualens absolutè est potens ad generationem, prout in eo sexu requiritur. Dices quando sexus virilis præeminet, potest ordinari; si verò fœmineus magis præemineat, non potest ordinari; ergo similiter non potest contrahere in illo sexu minus præualente. Respondetur negando consequentiam, quia ad statum matrimonij vterque sexus est idoneus: at ad Ordines sactos requiritur virilitas, vnde vel vir tantùm, solùm est capax ordinis; vel si hermaphroditus, ille tantùm in quo virilitas præemineat. 92.

Sectio XIV.

De impedimento raptus.

Sit conclusio. Raptus fœminæ dirimit matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu hæc manet sub potestate raptoris. Ita Tridentin. sess. 24. cap. 6. *Decernit S. Synodus inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium: quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat.* Vbi nota impedimentum hoc habere solùm vim, vbi Tridentinum viget, quapropter in Gallia non tenet. Deinde hoc impedimentum tantùm esse, dum vir rapit fœminam, non è contra. Ita Sanct. Pont. & Coninch. quos refert, & sequitur Hurt. disp. 23. diff. 3. Quamuis non desint plures extendentes etiam hoc impedimentum, dum fœmina rapit virum, inter quos est Meratius disp. 10. sect. 3. Quorum fundamentum est, quia per hoc decretum Tridentini consulitur libertati contrahentium, quod æquè militat, siue vir rapiat, siue fœmina. Hoc tamen fundamentum nullius momenti est, quia consulitur libertati, sed in iis quæ frequenter accidunt, tarò autem fœmina rapit, & decretum ipsum tantùm loquitur de raptore. 93.

Obserua secundò. Si raptus fiat, non gratia ineundi matrimonium, sed capiendæ libidinis, non irritare matrimonium. Ita Sanct. & Coninch. quos refert, & sequitur Hurt. suprà contra Meratium, & alios. Quia per hoc decretum tantùm consulitur libertati contrahentium, quæ semper inualet, quamuis raptus fiat libidinis causa. 94.

Denique obserua, non censeri raptum dum in eum fœmina consentit lubens, etiam inuitis parentibus, 95.

parentibus, quia in hoc decreto conſulitur libertati, non parentum, ſed ipſorum contrahentium.

SECTIO XV.

De impedimentis, quæ non dirimunt, ſed tantùm impediunt.

96. IMpedimenta non dirimentia, ſed tantùm impedientia ſolent plurima circumferri. Ex illis quædam abolita ſunt per contrariam conſuetudinem, vt aſſerunt infrà citandi Doctores, ex aliis verò aliquot, nempe tempus feriarum, ſcilicet ab aduentu vſque ad Epiphaniam incluſiuè: à die Cinerum vſque ad octauam Paſchæ incluſiuè, tantùm procedit in ſolemnitate nuptiarum, non in ipſo matrimonio ſubſtantialiter. Quocirca iniri poteſt illis temporibus matrimonium abſque prædicta nuptiarum ſolemnitate.

97. Itaque tria reliqua ſunt impedimenta, ſcilicet interdictum, hoc eſt, prohibitio Epiſcopi, qui poteſt prohibere matrimonium aliquibus, ſi adſit iuſta cauſa. Deinde votum caſtitatis, & religionis, ſi celebretur matrimonium cum animo conſummandi; quia ſi abſit talis animus, votum caſtitatis non impedit matrimonium; & ſermo eſt de voto caſtitatis ſimplici extra Religionem. Denique ſponſalia celebrata antea, quæ impediunt inire matrimonium cum alio, vel cum alia; quod ſi de facto celebretur, valebit; erit tamen iniuſtum, & illicitum contra obligationem iuſtitiæ ortam ex ſponſalibus; quia per ſponſalia acquiritur ius non in re, ſed ad rem; per matrimonium autem de facto acquiritur ius in re, videlicet in corpore alterius per mutuam traditionem, & acceptationem corporum in ordine ad copulam coniugalem. Ita Sanct. lib. 7. diſput. 17. Pont. lib. 6. cap. 4 Hurt. diſp. 25. diff. 1. & Doctores communiter. De impedimento denuntiationum conſule quæ ſuprà docuimus.

DISPVTATIO X.

De diſpenſatione impedimentorum Matrimonij.

SECTIO I.

Quis poſſit diſpenſare ſuper impedimentis Matrimonij.

1. DIſpensatio, iuxta Panormit. in cap. 12. de ſchiſm. definitur ſic. *Eſt relaxatio iuris communis cum cauſæ cognitione facta ab eo, qui ius, vel poteſtatem habet.* Hæc tamen diffinitio meritò reiicitur, quia vera diſpenſatio ſine cauſæ cognitione dari poteſt. Quare ſic diffinitur communiter ab Auctoribus. *Diſpenſatio eſt iuris alicuius relaxatio, ſubintelligè, facta ab eo qui poteſtatem habet.* Ita Suar. de legibus lib. 6. cap. 1. Salas ibidem diſp. 20. ſect. 1. & communiter Doctores.

2. Prima concluſio. Summus Pontifex poteſt diſpenſare in omnibus impedimentis non dirimentibus, eorumque vinculum, & obligationem omnino relaxare. Imò etiam in voto, quamuis iure naturali impediat, commiſſione extraordinaria Chriſti, ipſi conceſſa Ioan. 21. illis verbis, *Paſce oues meas*, ad remittendum nomine Dei obligationem ortam ex voto ipſi Deo facto. Similiter poteſt diſpenſare in vinculo ſponſaliom de futuro, quod impedit tantùm, ne quis licitè valeat cum alio de præſenti contrahere, quamuis ſi contrahat factum teneat: & ratio eſt, quia eius eſt ſoluere, cuius eſt ligare: & omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur. de reg. iur. in 6. Si ergo Romanus Pontifex ſtatuto ſuo poteſt prædicta omnia impedimenta indicere, vtique poterit eorum relaxare vinculum. Hoc tamen non poteſt Epiſcopus, vt rectè Enriq. lib. 12. cap. 13. quia nullo fundamento poteſt talis facultas Epiſcopo attribui, cùm per ſponſalia acquiratur ius iuſtitiæ ad corpus alterius, quod Epiſcopus auferre nullatenus poteſt.

Secunda concluſio. Summus Pontifex non poteſt diſpenſare in impedimentis dirimẽtibus ex iure naturali, aut ex iure diuino; quia id exuperat omnem humanam poteſtatem, etiam Eccleſiæ, quia eſt ſolius Dei; ac proinde neque in impedimẽto impotentiæ perpetuæ, neque in impedimento ligaminis, neque in impedimento cõſanguinitatis in linea recta in quouis gradu adhuc remotiſſimo, neque in impedimento erroris diſpẽſare valet, quia tria priora dirimunt iure naturali, poſterius verò ex defectu conſenſus, quem Pontifex ſupplere non poteſt. At verò in cæteris impedimentis dirimentibus, & etiã in voto ſolemni caſtitatis, & in impedimento Ordinis ſacri, poteſt Papa diſpenſare: quia hæc dirimunt ſolo iure eccleſiaſtico, &, vt diximus, Omnis res per quaſcumque cauſas naſcitur, poteſt per eaſdem diſſolui; ac proinde cùm hæc impedimenta iure Eccleſiaſtico ſtatuta ſint, eodem iure poſſunt relaxari. 3.

Tertia concluſio. Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper impedimentis tantùm impedientibus, præter votum abſolutum caſtitatis, & religionis ſoli Papæ reſeruatum. Ratio eſt, quia ſic obtinuit conſuetudo habens vim legis, vt propter impedimenta tantùm impedientia, opus non ſit Rom. Pontificem adire: poteſt ergo Epiſcopus in illis diſpenſare; poteſt tamen in voto cælibatus, ſeu non contrahendi matrimonium, quia votum hoc non eſt caſtitatis ſimpliciter, & in voto ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, & in voto coniugis non petendi debitum, vt contra Nauarrum, & Valent. docet Hurt. allegans Sanct. & Coninch diſp. 26. diff. 2. 4.

Quarta concluſio. Epiſcopus non poteſt iure ordinario diſpenſare ſuper impedimentis dirimentibus, quemadmodum non poteſt ea impedimenta conſtituere; quia inferior non poteſt diſpenſare ſuper ſtatuto à ſuperiore. At ex tacito conſenſu Papæ poteſt Epiſcopus diſpenſare in impedimentis matrimonium dirimentibus ſub his conditionibus. *Prima*, quòd impedimentum ſit occultum. *Secunda*, quòd matrimonium iam exterius, & publicè celebratum ſit. *Tertia*, quòd coniuges non poſſint ſeparari ſine magno ſcandalo, & inconuenienti. *Quarta*, quòd non ſit facilis aditus ad Rom. Pontificem ex paupertate contrahentium, aliáve cauſa: vel etiam non ſit facilis aditus ad alium, qui vices habeat Pontificis in hac re, vt eſt Nuncius Apoſtolicus, vel etiam Commiſſarius Cruciatæ in caſu infrà explicando. Similiter poteſt Epiſcopus diſpenſare in eiſdem impedimentis dirimentibus, etiam ante cõtractum matrimonium, in caſu neceſſitatis, ſi non patet aditus ad ſuperiorem. 5.

Vt

Digitized by Google

Vt si quis morti proximus ad legitimandos liberos, vel ad restaurandum honorem concubinæ, vel pro bono pacis deberet citò contrahere, & obstaret impedimentum dirimens. Ita Sanct. & Vazq. quos refert, & sequitur Pont. lib. 8. cap. 13. Salas de legibus disput. 20. sect. 3. Hurtad. diffic. 2. Qui etiam aduertunt, quando aliqui contraxerunt dispensatione impedimenti impetrata, subreptitie tamen, ac proinde nulla, in eo casu posse Episcopum dispensare, illam dispensationem confirmans, & ita tenent Glossa, Hostiensis, Cardinalis, Enrichus, Alexander de Neuo. Et probant ex cap. *Quia circa*, de Consanguinitate, vbi consultus Pontifex de quibusdam qui matrimonium contraxerunt subreptitia impetratione, respondet: Dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta, cùm ex separatione graue videas scandalum imminere.

6. Deinde potest Episcopus dispensare in impedimentis dirimentibus superuenientibus matrimonio iam contracto, impedientibus petitionem debiti, vt possit licitè peti, vt tenent Valent. disput. 10. quæst. 5. punct. 5. & Pont. lib. 8. cap. 13. Quia iam Episcopi consuetudine acquisierunt iurisdictionem dispensandi. Idem dicendum de impedimento cognationis spiritualis, vt si quis teneret filium suum, & leuaret è fonte Baptismatis, vt docet etiam Sanct. libr. 8. disput. 12.

7. Commissarius quoque Bullæ Cruciatæ habet potestatem dispensandi in impedimento occulto in foro conscientiæ cum his qui bona fide saltem alterius, inualidè contraxerunt ob affinitatem occultam ortam ex fornicatione, etiam in primo gradu, vt iterum validè contrahant, vt docent Hurt. Pont. & Sanct. qui etiam aduertunt hanc potestatem solum esse concessam Commissario, non aliter; nisi detecta priùs nullitate matrimonij. Habet etiam auctoritatem ad dispensandum in impedimento orto ex affinitate superueniente ad petendum debitum, quam etiam auctoritatem habẽt Religiosi mendicantes, qui communicant cum aliis in Priuilegiis dispensandi in eodem impedimento superueniente ex copula fornicaria in ordine ad petendum debitum, requiritur autem ad hoc commissio Prouincialis. leg. Sanct. lib. 8. disp. 16.

Sectio II.

Quid requiratur vt valeat dispensatio.

8. Dispensatio quandoque potest cadere in aliqua quorum obligatio naturalis est, vt in voto, iuramento, matrimonio rato, &c. Et ad dispensandum in his secundùm communem sententiam certum est, requiri causam iustam, quæ si deficiat, non solùm est illicita, sed etiam inualida dispensatio. Ita communiter Doctores, quos refert Sanct. lib. 8 disp. 17. Cùm enim in his dispensent Prælati non auctoritate propria, sed potestate extraordinaria sibi à Deo concessa, non est credendum datam esse illis hanc potestatem ad destructionem, sed potiùs ad ædificationem, & dispensationem fidelem, vnde in his casibus tutum non est vti his dispensationibus, sine causa iusta concessis.

9. Si verò dispensatio cadat in alia, quorum obligatio consurgit ex lege Ecclesiastica, dispensatio facta à Rom. Pontifice, etiam sine causa est valida; quia in spiritualibus habet supremam dominationem in terris; peccare tamen tenet Caiet. Armil. Ledesm. Vega, & Rodig. apud Dian. tract. 10. de legibus resol. 35. cuius oppositum ipse tenet, & merito cum Sanct. Valent. & Villalob. ab ipso relatis. Facta autem dispensatio ab alio inferiore delegato sine causa, est irrita, & nulla. Causæ autem legitimæ hæ sunt potissimè. *Prima* extinctio grauis litis, & discordiæ. *Secunda*, alioqui condignas nuptias non inueniri. *Tertia*, defectus dotis conuenientis in fœmina, & præter has tres, sunt etiam aliæ plures, quæ similiter sufficiunt, videlicet conseruatio familiæ illustris intra eundem sanguinem, vel ampliſſimarum diuitiarum intra eamdem familiam, ne causa dotis distrahantur ad aliam: excellentia meritorum erga Ecclesiam: magnæ pecuniæ quantitas ad opera pia. Alias causas vide apud Sanct. disp. 19.

Vbi nota cum Sanct. disp. 30. Pont. cap. 10. Hurt. diff. 3. non existente causa motiua, qua Pontifex motus fuit ad committendum Ordinario dispensationem, eo tempore quo fit commissio à Papa, quamuis antea extiterit, non valere commissionem. Ratio est, quia concessio commissionis innititur existentiæ causæ motiuæ: similiter, quando commissa à Pontifice dispensatio est Ordinario, nondum tamen dispensauit, necessariò debet perseuerare causa; alias si non perseueret, ruit dispensatio; quia iam non possit licitè fieri ab Ordinario, quia fieret absque causa. Denique deficiente causa motiua post dispensationem factam ab Ordinario, antequam matrimonium fiat, ruit etiam dispensatio, vt docent Sanct. & Hurt. contra Pont. vbi suprà. His positis 10.

Est prima difficultas, an dispensatio valeat in cuius petitione, vel conticetur verum, vel profertur falsum? an potiùs sit subreptitia, & nulla, id est, data ex errore, dante causam concessioni. Et primò si taciturnitas veri, aut relatio falsi sit alicuius quod iure præcipitur non taceri, aut omnino declarari in petitione, absque dubio nulla est, & subreptitia dispensatio. Quòd si secundò, etiam si non præcipiatur iure, si tamen id pertineat ad causam motiuam dispensandi, id est, ad causam sine qua non daretur dispensatio, tunc temporis, quia taciturnitas veri, & prolatio falsi inducit ad substantiam concessionis, & non solùm ad modum facilitatis, vt præstat ratio impulsiua, proculdubio etiam facit nullam dispensationem. Secus dicendum est in ratione impulsiua, vbi conticeri verum, aut falsum proferri, non irritat dispensationem, quia alioqui concederetur, ægrè tamen, vt Sanct. Couarr. & alij affirmant, quos refert, & sequitur Hurt. diff. 5. 11.

Secunda difficultas. An taciturnitas copulæ carnalis habitæ inter consanguineos, & affines, reddat nullam dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis. Et quidem si in dispensatione expressè non ponatur illa conditio, dummodo copula non interuenerit; & copula interuenerit post factam concessionem, & remissionem ad Ordinarium, siue ante concessionem, verius est valere dispensationem, vt tenent Rodrig. Ceuall. Pont. Ouand. & alij, quos citat, & sequitur Hurt. suprà, quia talis incestus non est impedimentum dirimens, ac proinde non indiget Pontificis dispensatione. Maior tamen difficultas est, quando dispensatio data fuit expressè sub illa conditione, dummodo copula non interuenerit, & re vera interuenerit ante datam concessionem Pontificis, an in eo casu taciturnitas copulæ in 12.

petitione faciat dispensationem nullam. Affirmant Sanct. disp. 25. Coninch disp. 33. num. 83. & plures alij. Negant Pont. cap. 17. §. 6. Hurt. diff. 5. Quod verum est, etiam quando copula carnalis malitiosè interuenit cum animo extorquendi dispensationem per illam copulam, si talis dispensatio obtenta sit pro foro externo, & copula non plenè constat Ordinario, quamuis sit infamia, aut semiplena probatio. Vnde qui dispensationem petunt, non tenentur respondere ad interrogationem Ordinarij de copula, sed possunt sine peccato negare reticendo in mente, vt tibi dicam. Nec obstat decretum Trid. sess. 24 c. 5. vbi sancitur. *Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat: idque in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit*; quia, vt rectè Pont. suprà, Trid. expressè loquitur quando inter prohibitos interuenit copula carnalis cum intentione de facto consummandi matrimonium antea inter illos scienter contractum.

13. Addit Hurt. suprà, & meritò, si Ordinario copula plenè constet, & dispenset, dispensationem esse nullam, quia non dispensat Pontifex absolutè, sed sub ea conditione, ac proinde si hæc non existit, dispensatio non tenebit. Et ob eandem rationem, quando in petitione exprimitur copula, & in commissione additur illa clausula, dummodo copula illa habita non sit spe facilioris dispensationis, si Ordinario iuridicè constet ea spe fuisse habitam, dispensatio ab eo facta erit nulla: secus verò si non plenè constet, quamuis verè sic interuenerit. Si verò commissio Papæ fiat pro foro conscientiæ: vt quando committitur discreto viro, & in eo ponitur illa clausula, *Dummodo copula non fuerit*, aut illa, *dummodo non sit habita spe facilioris dispensationis*, si copula fuit verè habita; vel dicta spe fuerit habita, dispensatio erit nulla, quia fuit concessa dependenter à veritate illarum conditionum. Non sufficit autem spes intùs concepta, quia hæc non subest humanæ potestati, sed debet esse exteriùs significata.

14. Tertia difficultas est, quinam gradus exprimi debeant in petitione, vt valeat dispensatio super consanguinitate, affinitate, & publica honestate prouenientes matrimonio rato, non consummato. Pius V. decernit in suo Motu proprio, qui incipit *Sanctissimus*, vt exprimatur gradus tam remotior, quàm coniunctus communi stipiti, à quo procedunt volentes contrahere. Vnde ad valorem dispensationis requiritur, vt quando propinquior stipiti proximo distat in primo gradu, etiam iste primus exprimatur, & nō sufficiat expressio remotioris, quia Pontifex numquam intendit in eiusmodi gradibus dispensare; quia hæc matrimonia habent singularem indecentiam ob reuerentiam his personis debitam, ferè similem, ac parentibus; nec vllum huiusmodi dispensationis exemplum extat: si verò contracturi distent à stipite gradu inæquali, vt vnus in secundo, alter in tertio, non est necessariò vterque exprimendus, sed sufficit remotiorem exprimere, quia trahit ad se propinquiorem, vt sancitum est in eodem decreto, vt solùm fiat mentio remotioris, habitis tamen litteris declaratoriis super propinquiori, quæ quidem litteræ non sunt necessariæ ad matrimonij valorē, sed pro foro externo, & ad vitandum scandalum, quod solet in vulgo oriri existimante duos inæqualiter distantes, alterum in secundo, & alterum in quarto esse magis propinquos, quàm si vterque distaret in quarto. Vnde si sine prædictis litteris dispenset Ordinarius, matrimonium valet, vt tenent Sanct. Pont. Hur. & Coninch. suprà, & Doctores.

DISPVTATIO XI.

De diuortio.

SECTIO I.

Ob quas causas licitum sit diuortium.

DIVORTIVM, vel à diuersitate mentium dicitur; vel quia in diuersas partes eunt, qui matrimonium distrahunt. Diffinitur autem sic. *Legitima viri ab vxore, vel è contra separatio.* Dicitur autem separatio legitima, quia nō debet fieri sine lege, vel ratione. Et dupliciter solet vsurpari. Primò, pro dissolutione matrimonij quoad torum, & habitationem. Secundò, pro dissolutione etiam quoad vinculum. Loquimur autem in præsenti de diuortio in priori sensu, sic enim communiter vsurpatur à Theologis nam in posteriori, hoc est, de indissolubilitate matrimonij, diximus in superioribus. 1.

Et primò conueniunt Doctores, posse coniuges ex mutuo consensu, secluso periculo incontinētiæ, toro separari, aut ad tempus, aut in perpetuum, vt meliùs Deo seruiant, aut ob aliam honestā causam: imò posse etiam continentiam vouere, quamuis neuter Religionem ingrediatur; quod tamen non est faciendum nisi cum matura deliberatione, & longa experientia ob periculū incontinentiæ, quod facilè incurreret ex mutua cohabitatione. 2.

Secundò conueniunt, neutrum posse religionem ingredi, nisi vterque ingrediatur, vt exprimitur in cap. *Cùm sit* 4. & in cap. *Vxoratus* 8. de conuersione coniugatorum. vbi excipitur, posse maritum ingredi non ingrediente vxore, quando vxor est senex, & non suspecta de incontinentia, si castitatem voueat; & similiter si consentiat vir vt vxor religionem ingrediatur, ipse etiam ingredi debet, neque potest in sæculo remanere, nisi vir sit adeò prouectæ ætatis, vt in sæculo sine periculo manere possit; eadem enim est vtriusque ratio, & par conditio; nec ad hoc requiritur licentia Episcopi, neque ad valorem professionis, neque ex necessitate præcepti; neque vt coniux postea reuocari non possit à manente in sæculo. lege Sanctium lib. 7. disp. 32. 3.

Conueniunt tertiò, virum contracto matrimonio, neque antea, neque post cōsummationem, non posse inuita vxore ad Ordines sacros promoueri, imò non sufficere licentiam vxoris, nisi ipsa aut religionem ingrediatur, aut sit senex, & incontinentia nullo modo suspecta, castitatem in sæculo voueat; quia esset maius periculum incontinentiæ, quod vxor manens in sæculo, aut vterque incurreret; cùm vir iam ordinatus ex antiqua cum ea consuetudine facilè possit inflecti, vt ea iterum vt coniuge vteretur, si in sæculo permanentes mutuo haberent ad se liberum accessum. 4.

Quibus positis, declarandæ sunt causæ, ob quas diuortium licitè fieri potest. 5.

Sit prima conclusio. Coniuges ob adulterium non possunt quoad vinculum separari; potest tamen vir ob adulterium vxoris eam dimittere in perpetuum à suo toro, & cohabitatione.

Prior

Digitized by Google

Prior pars diffinita est in Trid. sess. 24. can. 7. &
1 Cor. 7. deducitur apertè ex D. Paulo 1. Cor. 7. vbi ait, *Præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere: quòd si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* quæ verba sic exponit Augustinus 1. de adulterinis coniugiis à cap. 1. vxorem non posse à viro discedere ex præcepto Domini, absque iusta causa, quam Christus Matth. 19. dixit esse fornicationem. Quòd si discesserit ex causa iusta, ob fornicationem scilicet, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Quibus verbis optio ei datur, vel vt innupta maneat, vel vt viro suo reconcilietur: si ergo vxor à viro adultero discedens, debet manere innupta, ex sententia Apostoli, matrimonium non dissoluitur per adulterium.

6. Secunda verò pars, quòd vir ob adulterium vxoris possit eam dimittere in perpetuum à suo toro, & cohabitatione, ostenditur ex triplici iure, naturali, diuino, & ecclesiastico: naturali quidem, quia iure naturæ, seu ex ipsa natura matrimonij, frangenti fidem, vt frangit adulter, non est seruanda.
Matth. 19. Diuino verò Christi Domini Matth. 19. *Quicumque dimiserit vxorem, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Quibus verbis loquitur Christus tantùm de dimissione quoad torum, & cohabitationem, & particula exceptiua, *nisi*, vt notant Catholici contra hæreticos, tantùm refertur, & cadit supra verba præcedentia, non tamen cadit super mediatè sequentia, *& aliam*
Matth. 5. *duxerit*. Idem probatur Matth. 5. *Qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat.* Denique quòd id etiam possit iure positiuo ecclesiastico, constat ex cap. *Significasti* 4. & ex cap. *Ex litteris* 5. & ex cap. *Gaudemus* 8. de diuortiis. Suntque in hac re æquales tam vir, quàm vxor, quæ eodem modo ob adulterium mariti potest ab eo separari, vt docent communiter Doctores contra Caietan. quia vterque sibi mutuo obligatur ex iustitia ad fidem seruandam cap. finali 32.

7. Hæc tamen doctrina generalis limitanda est.

Primò si ab vtroque coniuge adulterium commissum est, in quo casu neuter potest alterum dimittere tuta conscientia, quia iniuria vni facta compensatur iniuria ei ab altero facta: nec sufficit, quòd vnus vnicum tantùm commiserit adulterium, & alius plura: nec quòd vnus tantùm secreto, alter publicè adulterauerit, quia pares sunt quoad hoc, quod est esse fidei fractores, & dedisse causam sufficientem diuortij: denique non sufficit quòd vnus sit emendatus, & alter persistat, quia emendatio non aufert iniuriam illatam.

8. Secundò limita, nisi innocens post diuortium adulteret; tunc enim tenetur alterum emendatum admittere, quia iniuria sibi facta sufficienter compensatur per adulterium postea à se contra alterum commissum. Quod verum habet, quamuis diuortium sit factum per sententiam iudicis, & quæ transierit in rem iudicatam, vt contra Sanct. & Rebell. tenent Coninch. disp. 35. dub. 2. & Hurt. disp. 11. diff. 3. Ratio est, quia semper manet vinculum matrimonij, & tenetur alteri etiam dimissi seruare fidem; ac proinde etiam post diuortium peccans, adulter est, & contra iustitiam agit. nam per sententiam non acquisiuit ius adulterandi, per quam tantùm declaratum fuit habere ius diuertendi ab adultero; quia sententia ius sancit, non crimina fouet; ergo verè iniuriam intulit, & consequenter est compensanda. Confirmatur, quia quamuis sententia lata sit, illa tamen tantùm respexit statum præsentem, iuxta quem lata est, & ideo non tollit ius reo compensationis, si innocens in futurum fiat nocens; & quod ob nouam causam, videlicet iniuriam per recens adulterium sibi factam possit intentare litem, eumque repetere.

Ex quo infertur, eum qui commisit adulterium 9.
post diuortij sententiam nondum mutato statu, etiam si non compellatur à iudice, teneri reconciliare sibi coniugem dimissum. Dixi *nondum mutato statu*, quia si iam legitimè professus, vel sacris initiatus, adulterium commiserit, nec tenetur, nec potest iam redire cùm religio acquisierit ius in Religiosum, quod strictius est iure coniugis dimissi.

Obserua tamen, facta reconciliatione ob mu- 10.
tuum adulterium, si vnus relabatur, posse alterum diuortium petere; quia prior reconciliatio reduxit matrimonium ad suum pristinum statum, ac si nullum commissum fuisset adulterium; ac proinde coniux postea delinquens fit reus diuortij: adulterium enim post reconciliationem commissum non potest dicta prædicta iniuria, vtpote per reconciliationem remissa, compensari.

Tertiò limita, quando iniuria adultero remissa 11.
est, in quo casu innocens non potest ob adulterium recedere ab adultero, quia remissione cedit iuri suo discedendi. Potest autem remissio fieri expressè, vel tacitè, vt si coniux conscius alterius adulterij, eam liberè cognoscat, censetur tunc iniuriam remittere: secus si ignarus sit, aut non voluntariè omnino, sed redimendæ vexationis causa id faciat, vt quando vxor metu mariti, aut præcepto iudicis antequam possit adulterium probare, ad id compellitur, vt notant Coninch. disp. 35. n. 11. & Sanct. disp. 14.

Quartò limita, si vir sit causa fornicationis vxo- 12.
ris, vt si eam prostituat, siue lenocinium exerceat. In quo casu ob adulterium cuius ipse auctor fuit, eam repudiare non potest. cap. *Discretionem.* §. *quod si forsitan*, de eo qui cognouit. l. *Cùm mulier* 47. ff. soluto matrimonio, vbi eleganter Scæuola, cur is probet maritus mores, quos ipse aut antè corrupit, aut postea probauit. Quod verum habet, siue inuitam prostituat, siue volentem. Idem dicendum, si vir adulterij conscius non prohibeat, cùm possit absque graui damno. Non est autem censendus vir consentire adulterio, si indirectè tantùm occasionem præbeat vxori, illam v. g. expellendo iniustè domo, aut necessaria alimenta denegando, vel si debitum negaret, non ad fornicandum, nulla ratione debet adduci mulier, quin potiùs omnia mala perpeti debet, quàm fornicari. Secus dicendum est de vxore, quæ si conscia sit, & non prohibeat, non sufficit; quia communiter vxores non audent viros reprehendere, & ipsa inferior est.

Denique limita, quando adulterium commis- 13.
sum est sine culpa coniugis adulteri; vt quando vxor probabiliter credens, virum mortuum alij nubit, ob hoc adulterium non potest à coniuge superueniente dimitti. Similiter si vxor cognita sit per fraudem ab aliquo se virum simulante. Idem dicendum si per vim cognita ab alio fuerit, & compressa, dummodo illata vis reddat omnino copulam inuoluntariam.

Est autem duplex difficultas. *Prima*, an vir non 14.
solùm possit, sed etiam teneatur dimittere vxorem adulterantem, & in adulterio persistentem. *Secunda*, an licitum sit vxoricidium. Et primæ difficultati respondetur, virum non teneri dimittere vxorem, etiam in adulterio persistentem, ex cap.

Quemadmodum 15. de iureiurando. §. vltimo. Ita Sanctius lib. 10. disp. 13. Coninch. & Hurt. suprà. Quia non tenetur ratione adulterij, quia id potest ei remittere: neque ratione correctionis fraternæ, ad quod sufficit, vt eam moneat, ac moderatè puniat: nec ratione scandali, quod nullum erit si crimen sit occultum; aut si publicum sit, sufficiet publicè conati eam emendare ne videatur crimi hi consentire. Quòd si adhuc aliqui putent eum consentire, erit scandalum acceptum, non datum, quod non tenetur vitare cum tanto incommodo cælibē vitam viuendo, domum solus regendo; imò pernicioſum vxori, quæ dimissa liberiùs mœchabitur.

15. Nec obstat id quod dicitur in cap. *Si vir*, vbi asseritur, *si vir sciens vxorem suam deliquisse, & in fornicatione permanere, cum ea viuat, reus erit, & peccati particeps*; & lib. 6. constitutionum cap. 14. vbi etiam dicitur, *similiter qui retinet eam, qua legem naturæ violauit, legis violator est*, & deduci videtur ex illo Prouerb. 18. Prouerb. 8. *qui autem tenet adulteram stultus est, & insipiens.* Nam hæc tantùm intelligitur quando vir pacifice, & quietè cohabitat cum dicta vxore, & nullum aliud medium extat ad emendationem, & ad vitandum scandalum, & dimissio non est valde incommoda marito, nec ei subest periculum incontinentiæ; quia in eo casu strictiùs, & priùs est præceptum de salute propria, quàm de aliena. Certius est vxorem non teneri à viro adultero diuertere, quia hic per hoc non emendaretur, & eius non est virum corrigere.

16. Circa secundam difficultatem, an liceat viro occidere vxorem in adulterio deprehensam, & etiam adulterum, omnino tenendum est in foro conscientiæ nullo modo licere, ita communis sententia. Legatur Pontius lib. 9. cap. 15. vbi allegat. 49. Doct. quos etiam sequitur Barbosa tom. 4. part. 2. causa 33. quæst. 2. & leges ciuiles, quæ in contrarium adducuntur, videntur improbatæ per canones. nam in prædicta causa 33. quæst. 2. cap. *inter hæc*, consultus Nicolaus Papa, an marito liceat secundùm legem mundanam, nempe Longobardorum, vt ait Glossa, quæ tunc in Italia seruabatur, vxorem quæ adulterium perpetrauit, occidere. Respondit, *Sancta Dei Ecclesia mundanis numquam constringitur legibus, gladium non habet nisi spiritalem, quo non occidit, sed viuificat.* Imò vt aduertunt Doctores, illæ leges non sunt præcipientes, sed tantùm permittentes viro impunè occidere, ob vehementem dolorem, quem concipit ex illato dedecore. Quòd si aliquæ illarum videntur præcipientes, loquuntur post sententiam à iudice latam. Et certè si prædicta potestas concederetur, exponeretur manifesto periculo salus animæ, non tantùm mariti, qui in eo conflictu non zelo iustitiæ, sed vlciscendæ iniuriæ, quam suis oculis aspicit, duceretur: sed etiam eorum, qui sic interficiuntur, vt ex se pater; idque absque vlla necessitate. nam possunt capi, accusari, & per sententiam puniri. Nec obstat lex ciuilis tribuens potestatem occidendi bannitos. nam hi capi non possunt.

Secunda conclusio. Diuortium potest etiam fieri ob alias causas præter adulterium, vt definitur in Trident. sess. 24. can. 8. sed non in perpetuum, vt fieri potest ob fornicationem; sed ad tempus dum causæ durant: vt quando non potest cohabitare cum alio, nisi cum graui detrimento animæ, vel corporis, vel quando prouocatur ad peccatum; vel quia alter coniux incidit in hæresim; vel si ob nimiam eius sæuitiam, vel furorem timeat aliquod graue malum, quod virum constantem terreat; vel ob morbum contagioſum; quia ratio non exigit, vt cum tanto detrimento obligationi naturali cohabitandi satisfiat. Cessante autem periculo, recurrendum est ad cohabitationem. Limita nisi in casu hæresis, in quo innocens non tenetur postea admittere hæreticum, quamuis emendatum, vt habetur expressè in cap. *de illis*. 17.

Tertia conclusio. Diuortium propria auctoritate fieri potest, quando adulterium est publicum, & notorium, vt habetur in cap. *Significasti*, de diuortiis: vel quando probationes sunt in promptu aduersùs nocentem, vt tenent communiter Doctores. Si verò adulterium sit occultum, & plenè probari non potest, quamuis sit moralis, aut sufficiens certitudo illius, verius videtur non sufficere priuatam auctoritatem, etiam in foro conscientiæ, vt contra Coninch & Hurt. suprà tenet Pontius lib. 9. cap. 18. quia crimen proximi occultum non est in vulgus prodendum, quod accideret si ob occultum adulterium diuortium fieret, tum etiam, quia publica pœna ob occultum crimen non est imponenda: nec obstat textus in cap. *Dicit Dominus* 32. quæst. 1. vbi dicitur. *Propter fornicationem, aut suspicionem fornicationis, liberè dimittitur vxor.* nam illud aduerbium, *liberè*, non excludit sententiam, sed idem est, quod tuta conscientia, aut licitè. 18.

Quarta conclusio. Coniux innocens post diuortium ritè factum ob adulterium, etiam altero inuito, potest castitatem vouere, sacris initiari, & Religionem ingredi, cùm iam in perpetuum ab altero sit solutus quoad torum, & cohabitationem. Adulter autem non potest altero inuito; etiamsi separatio facta sit per iudicis sententiam, quia lata fuit in fauorem innocentis; non verò in fauorem nocentis; ac proinde quoties innocens velit, alter manet obligatus, & est ad ipsum reuocandus. Vnde non potest inuito, aut inconsulto innocenti ad religionem transire, nec sacris initiari, aut castitatem vouere; & si professus sit, vel sacris initiatus, vel votum emiserit, potest ab innocente reuocari, & votum irritari: professio enim non valet contra ius coniugis innocentis. 19.

TRACTA

TRACTAT. XXVII. & vlt.

ALIORVM QVATVOR SACRAMENTORVM.

DISPVTATIO I.

De ſacramento Baptiſmi.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Baptiſmus, & quando inſtitutus.

1. QVIVOCA priùs diuidenda, quàm diffinienda ſunt. Eſt ergo celebris diuiſio Baptiſmi, quam omnes probãt, cum S. Thom. 3. part. quæſt. 66. art. 11. qua Baptiſmus diuiditur in Baptiſmum ſanguinis, flaminis, & fluminis. *Primus* eſt martyrium, quod Chriſtus Dominus appellauit Baptiſmum Lucæ 12. *Baptiſmo habeo baptizari, & quomodo coarctor, vſque dum perficiatur*, & Marci 10. *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibo, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari. Secundus* eſt quo charitatis, aut contritionis igne quis crematur, & liberatur à peccato originali, quamuis abſque ſanguinis effuſione, & ſine reali ſuſceptione ſacramenti Baptiſmi, de quo dicitur Lucæ 17. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni*, & ibidem cap. 3. cùm de Ioanne Baptiſta dicit Dominus prædicaſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. *Tertius* eſt qui verè, & propriè, & vnicè eſt ſacramentum Baptiſmi, quod aqua naturali, & flumine exercetur, & ideo fluminis appellatur, & in ſacris litteris multis nominibus inſignitur. Nam modò dicitur lauacrum regenerationis, Ioann. 3. Quia per Baptiſmum renaſcitur homo in vita ſpirituali. Modò dicitur circumciſio non manu facta, ad Coloſſ. 2. quia per illam circumciditur homo peccatis, & veteri ſuccedit circumciſioni. Denique vocatur ſepultura Ioan. 3. quia vetus homo peccati ſepelitur, & mergitur in Baptiſmo.

Luc 12. Marc. 10. Luc. 17.

2. Sacramentum autem Baptiſmi rectè diffinitur à Magiſtro in 4. diſtinct. 3. *Eſt abſolutio corporis exterior, facta ſub forma præſcripta verborum.* Quod ſacramentum realiter ſuſceptum, neceſſarium eſt paruulis ad ſalutem æternam, hi enim niſi reali ſuſceptione Baptiſmi, ſaluari non poſſunt. Et ideo audiendi non ſunt nonnulli apud Hurt. diſſ. 18. de ſacramento Baptiſmi, aſſerentes, paruulos decedentes in vteris maternis, de lege ordinaria ſaluari poſſe in fide parentum, cùm apertè contradicant Chriſto Domino Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. Vnde egregiè Auguſtinus lib. de anima, & eius origine cap. 6. dixit, *Noli credere, noli dicere, infantes antequam baptizentur morte præuentos peruenire poſſe ad originalium indulgentiam peccatorum, ſi vis eſſe catholicus.* Infantes ergo non poſſunt ſaluari ſine reali ſuſceptione Baptiſmi, niſi martyrio coronentur, & occidantur, etiam in vteris maternis in odium fidei, vt latè probat Meratius exemplo ſanctorum Innocentium ab Herode interfectorum diſp. 7. ſect 4. Dixi *de paruulis*, quia in adultis non eſt neceſſaria ad ſalutem realis ſuſceptio Baptiſmi, quia ſufficit Baptiſmus flaminis: ergo eis neceſſarius eſt Baptiſmus in re, vel in voto: ſicut lapſis in Baptiſmo poſt peccatum mortale, neceſſaria eſt pœnitentia in re, vel in voto, vt ſuprà docuimus ex Trident.

1.

Hoc ergo Sacramentum inſtitutum fuiſſe à Chriſto Domino, definitum eſt in Trident. ſeſſ. 7. canon. 1. Conſilium tamen conſultò non diffinit tempus, quo inſtitutum fuit, id enim non eſt omnino certum, ſed in opinione Theologorum poſitum. Quidam enim affirmant, poſt reſurrectionem ſacramentum Baptiſmi fuiſſe inſtitutum, illis verbis Marc. 16. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Ita cenſent ex Latinis Patribus, Leo, & Rupertus Abbas, ex Græcis Chryſoſtomus, & Theophylactus, & ex Theologis nonnulli Scholaſtici. Verius, & probabilius eſt, & abſolutè tenendum, ante paſſionem, & mortem Chriſti hoc ſacramentum inſtituturn fuiſſe, vel in Iordane dum Chriſtus baptizatus eſt à Ioanne, vel poſtea alio tempore commodiore poſtquam Chriſtus baptizatus eſt in Iordane. Itaque certum eſt, & communiter receptum, ſacramentum Baptiſmi inſtitutum eſſe ante mortem Chriſti, & poſt reſurrectionem. Matth. vlt. promulgatum eſſe vniuerſo mundo ex præcepto Chriſti, quia antea nec promulgatum erat, nec ſub præcepto. Cuius rei maxima coniectura ſatis probabilis eſt, quia in nocte cœnæ Apoſtoli ordinati, & ſacra Euchariſtiæ alimonia refecti ſunt; ergo iam erant baptizati, & facti habiles, & idonei per ianuam Sacramentorum ad prædicta ſacramenta; quia confugere ad ſpecialem diſpenſationem factam à Chriſto cum Apoſtolis ſine fundamento eſt, dum nihil cogat id affirmare. Quo argumento vſus eſt S. Auguſtin. epiſt. 163. *Quomodo*, inquit, *poterant Euchariſtiam accipere nondum baptizati.*

Marc. 16.

3.

SECTIO II.

De materia remota, & proxima ſacramenti Baptiſmi.

4. PRima concluſio, ſola aqua naturalis ſimplex, & elementaris, eſt legitima materia remota

Baptiſmi ſecundùm fidem. Ita diffinitur in Florent. & Trident. ſeſſ. 7. canon. 2. de Baptiſmo, vbi dicitur. *Si quis dixerit aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque adeò verba illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit, anathema ſit*; & probatur ex verbis ſactæ Scripturæ ſupradictis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. & Actorum 8. ait Eunuchus Philippo: *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* & Actorum 10. *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi.* & ad Epheſ. 5. *Mundans eam lauacro aquæ*. Hoc autem ipſo, quòd aqua à Scriptura perhibetur materia, intelligènda eſt naturalis, quia vſualis eſt, communis, & vulgaris. Et iuxta regulam D. Auguſt. intelligendi, verba Scripturæ accipienda ſunt vſu communi, & vulgari, niſi aliquid cogat ad tropos, & figuram recurrere.

Trident. Act. 8. Act. 10. Epheſ. 5.

5. Neque aliter probari poteſt concluſio, niſi ex voluntate Chriſti inſtituentis aquam veram, & naturalem in ſacramentum Baptiſmi. Cuius duplex eſt congruentia. *Prima*, quia ex liquoribus balneo aptis, nullus eſt aptior ad abluendum, quàm aqua, & inde nullus aptior ad ſignificandam ſpiritualem ablutionem Baptiſmi. *Secunda*, quia ex liquoribus, nullus frequentior ad manus, ac proinde nullus accommodatior, inſeruire ei ſacramento, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſalutem, vt eſt Baptiſmus.

6. Nec obſtant verba Ioan. ſuprà adducta. *Ille baptizabit vos in Spiritu ſancto, & igni*, quibus probari videtur, ignem eſſe materiam Baptiſmi. Nam, vt rectè Maldonatus in cap. 3. Matth. ibi per *ignem* intelligitur ipſe Spiritus ſanctus, vt innueret Ioannes Baptiſta, ſe baptizare quidem in aqua ſola, ſolum corpus attingente; Chriſtum verò, in aqua quidem non ſola, nec ſolum corpus emundante, ſed ad animam quoque penetrante, eamque Spiritus ſancti gratia perfundente, qua tanquam diuino igne & purgaretur à peccatis, & in amorem Dei inflammaretur, vt rectè Merat. diſput. 2. ſect. 1. Ex quibus

7. Infero primò, nominatam eſſe materiam Baptiſmi aquam maris, & aquam quæ à niue, gelu, glacie, & à ſale, aut à vite profluxit. Dixi *profluxit*, quia niſi gelu, nix, & alia liquefiant, non ſunt apta materia Baptiſmi in eo ſtatu, quia ſic non ſunt apta abluere, ita communiter Recentiores

8. Infero ſecundò, cæteros liquores, vt vinum, ceruiſiam, ſiceram, ſudorem, lachrymas, vrinam, aquam roſaceam, & ſpurum, non eſſe materiam legitimam Baptiſmi, quia re vera non ſunt aqua naturalis, & elementa.

9. Infero tertiò, ſi aqua naturalis miſceatur alteri extrinſecæ materiæ, vel etiam alteri liquori, vt vino, vel lacti; itavt non ſit apta abluere, vel etiam ſit adeò exigua, vt altera materia, vel liquor præemineat, non eſſe aptam, nec legitimam materiam Baptiſmi: ſi autem manet aqua, & talis denominatur vſu communi, quamuis ſit fœtida, turbida, & aliquo alio colore alterata, erit ſufficiens materia Baptiſmi, vt lixiuium, &c. Peccabit tamen Miniſter vtens his rebus ad Baptiſmum, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. Vbi non adeſt alia commodior materia: ſicut & peccabit Miniſter vtens aqua non benedicta, & baptizans extra Eccleſiam, niſi vrgente prædicta neceſſitate, vt habetur Clemẽtina de Baptiſmo, & eius effectu, vbi Clem. V. in Concilio Viennenſi ita præcipit.

10. Secunda concluſio, materia proxima Baptiſmi, ex qua ſimul cum forma componitur hoc Sacramentum, eſt abſolutio per quam Miniſter Baptiſmi abluit baptizatum, & probatur ex illis verbis Marc. vlt. *Baptizantes eos in nomine Patris*, & ex verbis formæ baptiſmalis, *Ego te baptizo*, id eſt, abluo. Vnde pulchrè exclamat Auguſt. tract. 80. in Ioan. *Quæ eſt tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat*; ergo per immediatum contactum corporis factum ab aqua ſacramentali perficitur ablutio, & conſequenter ipſa ablutio eſt proxima materia huius ſacramenti. Marc. 16.

11. An verò quilibet contactus aquæ immediatè ſuper corpus baptizati ſufficiat, vel neceſſarium ſit, vt talis contactus eo modo fiat, vt à Miniſtro ſucceſſiuè fiat per motum localem ex vna parte corporis, in aliam; affirmant Sûar. 3. part. tom. 3. diſp. 20. ſect. 2. Gran. de Baptiſmo, diſp. 4. n. 1. Bonac. diſp. 2. q. 2. punct. 3. Layman. cap. 5. quemlibet contactum ſufficere tenent Vazq. diſp. 145. num. 32. Merat. diſp. 2. ſect. 4. n. 8. Mihi autem placet hæc ſententia, quamlibet ſtillam aquæ ſufficere, ſi moueatur localiter ſupra corpus baptizati, quia ſi immota manet, certum eſt non ſufficere, quia per illam nõ fit ablutio, & ita tenet Hurt. diſp. 1. de Bapt. diſt. 6. Ex quo ſequitur ſi omnino perficiatur forma Baptiſmi, eo puncto perfici ſacramentum Baptiſmi ex parte abluentis, dum hæc fit in ea proportione, & quantitate, quæ ſufficit ad rationẽ ablutionis, quamuis Miniſter pergat vlteriùs in ablutione. Et ratio eſt, quia tunc eſt ſacramentum, quando eſt legitima materia, forma & intentio Miniſtri.

12. Itaque proxima materia Baptiſmi eſt ablutio, non quomodolibet facta ſuper veſtes, vel quid ſimile, ſed immediatè ſuper corpus, vel partem corporis: vbi interuenit & actio Miniſtri abluentis, & quodammodo paſſio, & contactus paſſiuus corporis abluti, quo vtroque perficitur ſacramentalis ablutio, atque adeò ablutio eſt proxima materia huius ſacramenti, nõ tantùm provt paſſio, ſed etiam provt ſimul eſt actio Miniſtri baptizantis.

13. Et quia ablutio tribus modis poteſt contingere. Primò per immerſionem, ſi corpus intra aquam mergatur. Secundò, per effuſionem, ſi corpus perfundatur aqua è manu, vel vaſe dilapſa. Tertiò per aſperſionem, ſi corpus digitis, vel hyſſopo aſpergatur aqua, videndum eſt, quiſnam modus ablutionis ſit neceſſarius, aut ſufficiens ad hoc ſacramentum.

14. In qua re dicendum eſt, quòd quamuis olim naſcente Eccleſia, trina immerſio fuerit neceſſaria ſub Apoſtolorum præcepto, vt ſic magis, ac magis, tam ipſa ablutione, quàm forma Baptiſmi in nomine Patris, &c. Diuinarum perſonarum Trinitate exprimeretur, & innoteſceret: poſtea tamẽ decurſu temporis, & Eccleſiæ, iuſtas ob cauſas vnica immerſio permiſſa eſt, vel effuſio, vel aſperſio, vt conſtat ex Concilio IV. Toletano cap. 6. & Pius V. in Catechiſmo monet, ſeruandum eſſe ritum Prouinciæ, Diœceſis, vel Eccleſiæ in qua fit Baptiſmus. Quamuis Granadus ſatis rationabiliter opinatur, ſecluſo contemptu, non eſſe peccatum mortale aliter baptizare, quàm habeat vſus ablutionis.

15. Si verò ablutio fiat per immerſionem, dubium eſt inter Doctores, an neceſſe ſit vt immerſioni ſuccedat emerſio, id eſt, an ad valorem ſacramenti requiratur vt immerſus puer extrahatur ab aqua; non enim deſunt Doctores affirmantes abſque emerſione, immenſionem non ſufficere. Et ratio eſt, quia immerſio verè, & propriè non eſt abſolutio, ſed dira, & lethalis ſuffocatio. Contrarium tenendum eſt cum communi ſententia illam

illam immersionem puram sufficere, & esse verè, & propriè ablutionem idoneam Baptismo, quamuis illicitam, iniquam, & mortiferam, ita communiter Recentiores, quos referunt, & sequuntur Hurt. disput. 1. difficult. 5. Bonac. disput. 2. punct. 3. num. 17. quorum fundamentum est, quia illa immersio verè & propriè est ablutio; si enim infans pollutus sit sordibus, & sic immergatur, mundabitur absque dubio: abluetur ergo, & consequenter baptizabitur; quia ad Baptismum sufficit baptizatum ablui, si cætera adsint.

16. Ex quo infertur, si Minister infantem deiiciat in puteum, vel in flumen, intendens facere quod facit Ecclesia, adhibita legitima forma, ratum conficere sacramentum Baptismi; reum tamen esse irregularitatis & homicidij; non enim facienda sunt mala, vt inde proueniant bona, vt docuit Paulus, ad Rom. 3. Qua etiam ratione non licet necare, & secare matrem, etiam consentientem moribundam, vt puer è viscеribus eductus baptizetur. Si autem daretur casus, in quo puero existenti in extremo vitæ discrimine, saltem per aspersionem modicissimæ aquæ, aliqualis fieret mortis acceleratio, licitè posset eidem ministrari Baptismus; quia leuissimo vitæ dispendio, æternum spiritualis vitæ commodum præponi potest, ac debet. Ita Hurt. vbi suprà.

17. Inquires, quænam, & quanta humani corporis pars ablui debeat ad valorem sacramenti. Et certum est, si totum corpus abluatur aqua, optima erit ablutio, sed non necessaria; satis enim est si præcipua, vel notabilis pars corporis, vt caput, pectus, scapulæ vel humeri abluantur; quia illis lotis, verè, & propriè dicitur homo ablui, præsertim si abluatur caput, vt fieri solet, vbi sensus residunt. Difficultas ergo est, an ad valorem Baptismi sufficiat quamlibet perexiguam corporis partem ablui, partem, inquam, quia si lauetur quod verè, & propriè non est pars humani corporis, non erit ablutio congrua Baptismo. Quod aduertendum est propter pilos, & capillos, & vngues. nam si non sunt pars humani corporis, vt placet quibusdam, eorum ablutio, nisi caro tingatur aqua, relegabitur à materia Baptismi. Si autem verè, & propriè (vt docuimus in Philosophia) sunt humani corporis pars integralis, eorum ablutio erit idonea Baptismo, si sufficiat ablui per exiguam humani corporis partem.

18. Hoc autem negat Suar. & plures alij, quos refert Merat. vbi suprà. Quia ex ablutione minimæ partis corporis humani, satis impropriè dicitur ablui corpus humanum, & consequenter in eo casu non potest verificari forma Baptismi: Ego te abluo, vel baptizo.

19. Probabilius tamen est sufficere prædictam ablutionem. Et tenent plures Recentiores, quos refert, & sequitur Merat. vbi suprà; quia quæcumque vel exigua pars corporis abluatur, propriè dici potest hominem, vel corpus ablui denominatiuè ab illa parte lota; quemadmodum etiamsi minima pars corporis tangatur, pungatur, vulneretur, aut maculetur, non est insolens dicere, tangi, pungi, vulnerari, aut maculari corpus: imò aliquando etsi mediatè tangatur per vestes, homo dicitur tangi, etiamsi minima pars vestium tangatur; sic Lucæ 8. Christus Dominus, dum fimbriam tantùm vestimenti eius tetigit mulier, inquisiuit, dicens, *Quis me tetigit.*

20. Et ex hoc sequitur valere Baptismum, collatum puero iam egredienti ab vtero materno, ostendenti quamlibet partem minimam sui corporis, manum, digitum, pedem, &c. quia sic ablui potest pars eius minima, & super eam ablutionem, verè cadere potest legitima forma Baptismi.

In quo casu, & similibus, vbi dubium est de valore sacramenti propter dubiam materiam remotam, aut proximam; dubiam formam, aut quid simile de necessitate sacramenti, sequenda est doctrina D. Thom. 3. part. quæst. 65. art. 11. ad 4. vbi docet, hæc tria seruari debere. *Primum* est, non licere vti materia, aut forma dubia, nisi in casu extremæ necessitatis quando alia certa non suppetit. *Secundum*, in eo casu apponendam esse hanc conditionem, si possum, & hæc sit legitima materia, & forma. *Tertium*, in eo casu postmodum rebaptizandum esse, etiam sub hac conditione, *si non es baptizatus, ego te baptizo*, &c. quia res tanti momenti, vt est salus æterna, eruenda est à periculo nullitatis sacramenti, cui obnoxia est dubia ministratio sacramenti. 21.

Sectio III.

De forma sacramenti Baptismi.

PRima conclusio, forma Baptismi est, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Ita extat ab Eugenio IV. diffinitum in Concilio Florentino, vbi addit postquam prædictam formam præfixit. *Non tamen negamus, quoniam per illa verba, baptizetur talis seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Vel, *baptizetur manibus meis talis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, verum perfici Baptisma. Itaque forma Baptismi præscripta ab Eugenio Papa pro Latinis, & Græcis, in omnibus tenenda est, ita vt non liceat, ex illa vllum verbum omittere. Nam etsi *ego*, quia virtute continetur in *baptizo*, & præpositio *in*, & coniunctiones *&*, *&*, non sint de essentia formæ, semper tamen seruanda est in omnibus integra forma sub illis verbis data ab Eugenio, latinè à Ministro deputato ex officio, vel Hispanè, v.g. ab ignorante linguam Latinam. Quamuis secluso scandalo tantùm sit veniale omittere illa verba *Ego*, *in*, *&*, *&*, vt tenet Soto in 4. distinct. 3. quæst. 1. cap. 5. Verbum *Amen* in forma Baptismi, nulla ratione est necessarium; quocirca consultò omissum est ab Eugenio Papa. 22.

Deinde, necessitate sacramenti requiritur, vt forma Baptismi exprimat personam baptizatam, per illud verbum *te*, aut illud *talis seruus*, determinando in singulari personam baptizatam, vt hoc modo explicetur distinctio inter personam baptizantem, & baptizatam, quod necessarium est ad valorem Baptismi. Et ideo Innocentius III. cap. *Debitum*, de Baptismo, quemdam Iudæum, qui seipsum in extrema necessitate baptizabit, iterum baptizari decreuit, quia necessaria est distinctio inter eum, qui baptizat, & inter eum, qui baptizetur, per illam particulam *te*, in forma Latinorum, & per particulam *talis seruus*, in forma Græcorum, quæ vbique sufficiens est, & post definitionem Eugenij, vt sufficiens indubiè tenenda. 23.

Præterea non sufficit per formam Baptismi exprimi personam baptizatam, sed vlterius opus est, etiam necessitate sacramenti, exprimi ipsam actionem baptizandi, per illud verbum *baptizo*, vel *baptizetur*, vel quid simile. Non enim sufficeret, si quis diceret dum baptizat, *Ego facio hoc super corpus tuum, in nomine Patris*, &c. sed requiritur, vt ipse exprimat actum baptizandi, non solùm ipso facto, 24.

Digitized by Google

ſed & verbo ſignificante ablutionem, vt colligitur expreſsè ex Alexandro III. de Baptiſmo, & eius effectu c. 1. *Si quis*, inquit, *puerum in aqua immerſerit in nomine Patris*, &c. *& non dixerit, Ego te baptizo, non eſt puer baptizatus.* Et ratio eſt, quia in collatione Baptiſmi duplex intercedit cauſa, ſcilicet principalis ſancta Trinitas, & inſtrumentalis, ideſt, Miniſter baptizans: ergo forma Baptiſmi vtrumque debet exprimere, & Trinitatem inuocatam, cuius nomine, auctoritate, & virtute fit Baptiſmus, & exteriorem actum baptizandi, qui fit à Miniſtro.

25. Et quamuis in hoc conueniant omnes Doctores, diſcordant tamen, an præterea opus ſit, vt forma exprimat actum exteriorem baptizandi, non vtcumque, ſcilicet vt à Deo, vel Chriſto præcisè, ſed etiam vt à Miniſtro. In quo rurſus etiam omnes conueniunt, ſi in forma Baptiſmi fiat poſitiua excluſio Miniſtri, non eſſe verum ſacramentum, vt ſi quis ita diceret, *Baptizet te Deus, aut Chriſtus, ſed non per me, & per manus meas*; id enim aperte repugnat inſtitutioni, & formæ Baptiſmi in illis verbis, *baptizantes eos*, &c. vbi committitur Apoſtolis, & eius ſucceſſoribus, munus, & actio baptizandi: ergo poſitiua excluſio Miniſtri nocet ſacramento.

26. Controuerſia ergo in eo ſita eſt, an valeat baptiſmus dum forma exprimit actum baptizandi vt eſt à Deo, præciſiuè ſe habens circa Miniſtrum, vt ſi quis dicat, *Baptizet te Deus, aut Chriſtus, in nomine Patris*, &c. Affirmant nonnulli Thomiſtæ Nuño quæſt. 66. art. 5. difficult. 1. Cabrera ibidem, quibus videtur conſentire Suarez diſp. 21. ſect. 2. quorum fundamentum eſt, quia forma Græcorum, quam vt ſufficientem vbique approbat Eugenius vbi ſuprà, non exprimit actionem Miniſtri, vt à Miniſtro, ſed tantùm vt à Deo, vel à Chriſto, ſcilicet, *Baptizetur talis ſeruus Chriſti*, ſubintelligi videtur à Chriſto, vel à Deo: ergo hæc expreſſio Miniſtri non eſt neceſſaria. Antecedens probatur, quia ratio cur Græci ſpreta forma Latina, *Ego te baptizo*, vtuntur ſua, *Baptizetur talis*, &c. ea eſt, vt præcluderetur via, & occaſio incidendi in errorem Corinthiorum, qui putabant ſe non eſſe baptizatos in nomine Chriſti, aut Dei, ſed in nomine Pauli, Cephæ, & Apollinis baptizantium: ergo Græci conſultò omittunt expreſſionem Miniſtri, ne detur prædicta occaſio errandi, quam turpiter aſſeuerant dari à Latinis in ſua forma.

27. Secunda concluſio probabilius exiſtimo, actionem baptizandi à Miniſtro exprimendam, eſſe de neceſſitate ſacramenti à forma Baptiſmi, ita Vazquez diſput. 192. cap. 2. & ferè omnes Recentiores, quos late referunt, & ſequuntur Hurt. Merat. Granat. in hoc loco, & probatur primò, quia in forma præſcripta à Chriſto Domino, ſicut adſtruitur inuocatio Trinitatis, ita & ipſum officium baptizandi Miniſtri; *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. ergo, quia forma Baptiſmi vtrumque debet exprimere, & Trinitatem, & actionem Miniſtri vt à Miniſtro. Secundò, quia Eugenius IV. vbi ſuprà expreſsè affirmat, actum exteriùs baptizandi Miniſtri exprimendum eſſe in forma: ergo formaliter vt à Miniſtro. Tertiò, quia ipſemet Pontifex formam Græcorum, & Latinam æqualem facit ſubſtantialiter in ſenſu verborum: ergo forma Græca exprimere debet actum baptizandi, vt à Miniſtro expreſsè, aut implicitè, vt explicat forma Latina, alioqui eſſent formæ inæquales ſubſtantialiter in ſenſu, & ideo Eugenius, quaſi explicans ſenſum formæ Græcæ, *Baptizetur talis ſeruus Chriſti*, ſubdit, vel, *baptizetur manibus meis talis*, &c. vbi particula *manibus meis*, apertè indicat in forma, quam prædixerat, ſubaudiri *manibus meis*, quia vtrobique ſaltem virtualiter exprimitur actio, vt à Miniſtro. Denique, quia in quauis forma, ſiue Latina, ſiue Græca, ſemper exprimitur fieri Baptiſmus, *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* ergo ſemper exprimitur actio baptizandi, non vt à ſolo Deo, vel Chriſto, ſed etiam vt à Miniſtro, cui ſoli quadrat baptizari *in nomine*, id eſt, in virtute, & auctoritate alterius diſtincti, ſcilicet *Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, quandoquidem impropriè nimis Deus, aut Chriſtus dicitur baptizare in nomine Patris, &c.

28. Ad fundamentum contrariæ ſententiæ reſpondetur, non eſſe ſatis perſpectum finem Græcorum, in ſua forma fuiſſe præcludere illam occaſionem errandi, & dilabendi in errorem Corinthiorum. Quidquid tamen de hoc ſit, & an in eo errauerint Corinthij, dicendum eſt, in forma Græcorum non ſubaudiri *à Deo, vel à Chriſto*, & conſequenter non ſumi paſſiuè verbum *baptizetur*, ſed imperatiuè, vt Geneſ. 1. *fiat lux, fiat firmamentum*, &c. Imperatiuè, inquam, in ordine ad actionem baptizandi, quam imperat Miniſter quodammodo. Si ergo ſignificatio eſt imperatiua, vtique exprimitur actio Miniſtri, vt à Miniſtro imperante. Quòd ſi velis, verbum *baptizetur*, ſumi paſſiuè, referendum eſt ad ipſum Miniſtrum, cuius manibus baptizatur puer, & ſenſus eſt, *Baptizetur manibus meis, vel per manus meas*, vt explicuit, & interpretatur Eugenius vbi ſuprà. Geneſ. 1.

29. Tertia concluſio, ad valorem Baptiſmi neceſſaria eſt expreſſio, & inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis, ſub vnitate deitatis, quod ſignificatur illo verbo *in nomine*, non in nominibus, quia non in multis Diis, ſed in vnius Dei Patris, & Filij, & Spiritus ſancti auctoritate, & virtute. Vnde nocet formæ ſi in plurali *nominibus* proferatur forma. Non tamen nocet, etſi non licet, ter repeti in nomine, vt ſi dicas: *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus ſancti*, quia hæc repetitio non euertit ſubſtantialem ſenſum formæ.

30. Itaque expreſſa diuinarum perſonarum inuocatio neceſſaria eſt per nomina exprimentia tres diuinas perſonas, & non ſufficit exprimere tantùm vnam, vel alteram perſonam, vel Chriſtum Dominum tantùm; vel etiam Trinitatem, non expreſſis perſonis, vt extat diffinitum ab Eugenio IV. vbi ſuprà, & in aliis Conciliis: vnde in hac re ſequendus non eſt magiſter cum Adriano in 4. diſtinct. 3. aſſerentium, ſatis eſſe ſi in forma exprimatur, vel Chriſtus tantùm, vel ſancta Trinitas, ſuppreſſis nominibus Patris, Filij, & Spiritus ſancti, quibus fauere videtur Nicolaus Papa de conſecratione diſtinct. 4. Nam illis temporibus hic articulus exprimendæ Trinitatis non erat ita exploratus, vt hodie poſt Concilium Florentinum.

31. Dices, naſcente Eccleſia Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti. Sed reſpondetur, vel id fuiſſe permiſſum à Chriſto Domino ſpeciali diſpenſatione, vt magis eo tempore Chriſti nomen innoteſceret. Vel ipſos Apoſtolos etiam ſeruaſſe formam Baptiſmi conſuetam, cum expreſſa inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis facta ſpeciali mentione Ieſu Chriſti in ſecunda perſona. hoc modo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Ieſu Chriſti filij eius, & Spiritus ſancti.*

32. Quarta concluſio, Baptiſmus collatus ſub hac forma exprimendo Trinitatem perſonarum, ſub aliis nominibus, ſcilicet *genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*, validus eſt. Probatur, quia in idem recidunt

recidunt Pater,& Genitor; filius,& genitus;Spiritus sanctus, & procedens ab vtroque: vnde illa mutatio non est substantialis,sed accidentalis. Verùm, quia contrariam sententiam tuentur plures Recentiores, & res est dubia, nulli licebit à consueta forma discedere. Quòd si contingat aliquem fuisse baptizatum sub hac forma, *genitoris*, *geniti*, &c. iterum baptizandus est sub conditione, *si non es baptizatus*, &c. vt communis est obseruatio,in casu dubij iterandum esse Baptismum.

33. Quinta conclusio,forma in qua loco *Filij* ponitur *Iesu Christi*, non addendo *filij eius*, non est valida. Ratio est, quia etsi sub eo nomine *Iesu Christi* lateat filij eius, non tamen sufficienter exprimitur: vt si poneretur vice *Filij*,dictio *Verbi*,hoc modo: *In nomine Patris,Verbi,& Spiritus sancti*.Quamuis oppositum probabilitate non careat,quia Verbum, & Filius idem prorsus videntur significare, asserente D.Augustino secunda persona ea ratione est filius,qua Verbum, & ea ratione verbum, qua Filius.

Sectio IV.

De Ministro Baptismi.

34. PRima conclusio, quæuis persona est sufficiens Minister Baptismi, dummodo possit alium abluere, & proferre legitimam formam, cum debita intentione faciendi,quod facit Ecclesia.Ita omnes Catholici contra Caluinum requirentem personam consecratam,etiam in extrema necessitate. Et licèt antiquis temporibus, hæc res etiam multis Patribus Ecclesiæ fuerit sub dubio, modò tamen absque erroris periculo negari non potest, vtpote expressè diffinita ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi,cap. *Firmiter*, de summa Trinitate, & fide Catholica, & ab Eugenio IV. in suo Decreto fidei definiente,in casu necessitatis non solum Sacerdotem, vel Diaconum, sed etiam laicum, vel mulierem, immò etiam Paganum, & Hæreticum baptizare posse. Si ergo in casu necessitatis quæuis persona ex dictis baptizare valet licitè, vtique & in omni casu validè baptizabit, quamuis illicitè. Congruentia huius rei, & institutionis Christi est maxima necessitas Baptismi; vnde oportuit validè posse ministrari à quauis persona humana habente supradicta requisita.

35. Neque obstant in contrarium plura Concilia Prouincialia,& plures Patres Ecclesiæ,quorum testimonia collegit Gratianus in Decretal. Quibus omnibus in genere respondetur, illa Concilia, & Patrem voluisse, Baptismum collatum à Paganis non valere,quia ei defuit vel legitima materia,forma,aut intentio. Vel voluisse, Baptismum datum à fœminis in extrema necessitate dignum esse reprehensione,non quia fuerit inualidus,sed quia illicitus adstante ibi viro,vel alia persona præferenda, cui præ fœmina incumbit ministrare Baptismum in eo casu.

36. Secunda conclusio, soli Presbytero incumbit ex officio ex vi Ordinis,& consecrationis, ministrare Baptismum: Diacono autem etiam ex vi Ordinis ex sola commissione Presbyteri,& Parochi, & ratio est,quia,vt ait S.Thom.quæst.67. art. 2. in corpore. Cùm Sacerdos ex vi Ordinis recipiat potestatem efficiendi sacramentum corporis,& sanguinis Domini,quod est sacramentum vnitatis,ex inde consequenter habet iure diuino,vt & ex officio baptizet, reddatque baptizatum membrum Ecclesiæ,& socium illius vnitatis. Consonat D Augustin. epistola ad Bonifacium, & refertur cap. *Nulli*, de consecratione distinct.4. Quatenus dicit, *baptizatum per ipsum baptismum fieri participem in voto corporis,& sanguinis Domini in Eucharistia*.Ex quo fit,attento iure religionis,& sacramenti,vt rectè docuit Hurt. diffic.2. quemlibet simplicem sacerdotem, licitè posse quemlibet baptizare, non expectato consensu Parochi, qui solum expectandus est iure æquitatis,& iustitiæ; habet enim Parochus ius ne aliquis se inuito suo gregi aggregetur per Baptismum; quapropter Sacerdos baptizans inuito Parocho,iniurius est ipso Parocho. Diaconus verò etiam ratione Ordinis redditur habilis, & idoneus, cui ex commissione Presbyteri concedatur facultas, etiam solemniter baptizandi extra casum extremæ necessitatis; vrgente tamen necessitate graui, extra quam non est licita prædicta commissio.Hæc autem necessitas sufficit vt sit vel infirmitas,vel multitudo baptizandorum, vel alia grauis, & necessaria occupatio,ob quam Sacerdos non possit satisfacere omnibus petentibus Baptismum. Ita Vazquez disp.147.num.14.

37. In casu verò extremæ necessitatis periclitantis pueri, quæuis persona humana rationis particeps, vir, aut fœmina fidelis, aut infidelis, etiam licitè baptizare potest, dummodo non adsit alia persona dignior. Vnde hæc regula generalis seruanda est. Præsente persona digniore, inferiori non licet baptizare in casu extremæ necessitatis. Ordo autem dignitatis,& Prælationis hic est. Primò Sacerdos, deinde Diaconus, postea Subdiaconus, postmodum initiatus minoribus Ordinibus, inde habens primam tonsuram,illico laicus; vir præfertur fœminæ:fidelis autem fœmina præfertur viro infideli. Denique extranei præferendi sunt parentibus propter periculum cognationis spiritualis, si fortè hæc proueniat ex Baptismo priuato.

38. Inquires, an sit peccatum mortale hunc ordinem inuertere. Nam dubium non est esse graue peccatum, si quis qui non sit Sacerdos baptizet sine graui,aut extrema necessitate Et ferè omnes conueniunt, inuersionem illius Ordinis quantum ad Sacerdotem,& Diaconum, quibus ratione Ordinis competit baptizare, esse peccatum mortale, quamuis nonnulli relati à Dian.tractat.4.de sacramentis, resol.4. contendant esse solùm veniale, si fiat absque contemptu, & sacerdote non renitente.In cæteris autem infra Diaconum ordinem inuertere, quidam affirmant esse peccatum mortale ex grauitate materiæ. Alij solùm veniale, quia leuis est materia. Vtrumque est probabile.

39. Rursus inquires, an plures simul vni & eidem possint validè Baptismi sacramentum ministrare. Quod quatuor modis potest contingere. *Primus* est,si plures simul, & eodem tempore corpus abluant, & debitam formam cum debita intentione proferant. *Secundus*, si plures simul id faciant, sed vno priùs altero,vel abluente,vel formæ prolationem absoluente. *Tertius* vno tantùm abluente, & altero formam tantùm proferente. *Quartus*,si plures abluant,& hanc formam proferant, *Nos te baptizamus,in nomine Patris*, &c. In prioti casu Baptismus validus est. ita communiter Doctores, & ratio est, quia quilibet applicat materiam sufficientem ad sacramentum, profertque verba cum intentione: ergo vterque perficit sacramentum,præsertim cùm vterque versetur circa non baptizatum. Et confirmatur, quia aut neuter baptizat,aut alteruter, aut vterque. Primum dici nequit, quia

adsunt

adſunt omnia requiſita ad baptizandum: nec ſecundum: cur enim magis vnus, quàm alius? Videantur rationes, quibus confirmare ſolent Auctores conſecrationem vnius hoſtiæ à pluribus ſacerdotibus; recenter enim creati ſacerdotes ſimul cum Epiſcopo verè conſecrant: eadem enim ratio eſt in præſenti caſu, in quo quilibet eſſet cauſa totalis effectus ſacramentalis, qui in baptizato ex opere operato produceretur; neque enim repugnat dari plures cauſas totales eiuſdem effectus, dummodo morales: ſint ſacramenta autem, vt ſuprà docuimus, non phyſicè, ſed tantùm moraliter concurrunt ad productionem gratiæ.

40. In ſecundo caſu non eſt dubium quin ille, qui primus adhibita iam ablutione formæ verba abſoluit, Baptiſmi ſacramentum conficiat, altero nihil efficiente. nam ſubiectum vtpote iam baptizatum incapax eſt Baptiſmi.

41. In tertio caſu communis eſt etiam Theologorum ſententia, Baptiſmum non valere. Et ita expreſsè docet D. Thom. quæſt. 67. art. 6. vbi decernit, etiam in articulo neceſſitatis, ſi conueniant mutus, & mancus, non poſſe puerum baptizare, ita vt mutus lauet, & mancus verba proferat. Et ratio eſt, quia ſi mancus proferat formam, *Ego te baptizo*, tunc falſum profert, cùm ipſe non baptizet, ſed mutus, & conſequenter nequit eſſe conueniens forma ſacramenti. Idem eſt ſi diceret, *Nos te baptizamus*, quia cùm ab vno ſolùm baptizetur, propoſitio etiam falſa eſt.

42. In quarto denique caſu cenſeo, Baptiſmum non eſſe validum, ita Vazquez diſput. 148. num. 5. Coninch quæſt. 67. art. 6. dubio 1. num. 43. & probatur, quia tali forma ſignificaretur plures conuenire ad vnum Baptiſmum, quod eſt contra inſtitutum Chriſti Domini, ſi nimirum conueniant tanquam cauſæ partiales. Et confirmatur, quia per illam formam exprimitur intentio contraria intentioni Chriſti. nam ſignificatur plures conuenire ad vnum ſacramentum, quod aduerſatur Miniſtro. nam Miniſter baptizat vt gerens vicem Chriſti; cùm ergo Chriſtus ſit vnus, vnus tantùm debet eſſe Miniſter. Conſule Vazquez, vbi ſuprà, qui latè proſequitur hanc rationem.

43. Denique probatur, quia ibi datur in forma variatio eſſentialis. Quod ſic probo, quia forma baptizandi ex modo ſuo ſignificandi, ſignificat Baptiſmum cauſari ab vno Miniſtro, cùm ſit hæc, *Ego te baptizo*, &c. & conſequenter ſignificat ab illo cauſari adæquatè, & independenter ab alio: at hæc forma, *Nos te baptizamus*, licèt ſignificet me baptizare, ſignificat tamen baptizare cum alio, & inadæquatè: ergo habet diuerſum modum eſſentialem ab eo qui inſtitutus eſt à Chriſto Domino.

44. Tandem inquiritur, an nequeat quis plures baptizare hac forma, *Ego vos baptizo*; ſicut nequeunt plures hac forma, *Nos te baptizamus*. Reſpondeo, vnum Miniſtrum poſſe plures baptizare illis verbis, quod eſt communiter receptum; non enim eſt contra inſtitutionem Baptiſmi, plures ſimul baptizari ab vno, immo videtur fundari in illis verbis, *baptizantes eos*, &c. & ita credibile eſt baptizaſſe Apoſtolos tot millia hominum, quot referuntur Actorum 2. ita tamen baptizare extra grauem neceſſitatem eſſet peccatum mortale; eſſet enim contra ritum ab Eccleſia conſuetum.

SECTIO V.

De perſona recipiente Baptiſmum.

PRima concluſio. Quæuis perſona humana eſt capax Baptiſmi. Si adulta ſit, & rationis compos, conſentire debet, & abſque conſenſu non valet Baptiſmus, ex illo Marc. vlt. *Prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Omnis ergo creatura, ad quam auditus fidei peruenire poteſt, baptizari poteſt ex lege Chriſti. 45. Marc. 16.

Inquires, an monſtrum de quo dubium eſt, an ſit homo, necne? poſſit baptizari? Reſponderur poſſe, adhibita hac conditione, *Si homo es, ego te baptizo.* Quòd ſi poſtea certò conſtiterit eſſe hominem, non eſt rebaptizandus, quia illa conditio ſemper fuit vera. 46.

Secunda concluſio. Si baptizatus ſit puer, vel amens, non eſt opus vt baptizetur eius conſenſu, ſed ſufficit voluntas Eccleſiæ: ſicut enim prædicti peccato originali maculati ſunt per alienam voluntatem primi hominis, ita per alienam Eccleſiæ voluntatem per Baptiſmum ab ea labe mundari poſſunt. Vbi aduerto, pueros poſſe baptizari in vteris maternis reſectis, vel etiam dum extrahunt aliquod membrum, vnde ipſi pueri ſufficienter lauari poſſint, quia per ipſam conceptionem ſufficienter cenſentur nati, vt ſacro regenerationis lauacro verè dicantur renati.

Tertia concluſio. Infantes filij infidelium validè baptizantur eorum parentibus inuitis, quamuis id fiat cum iniuria parentum; non tamen licitè, ita Hurt. de Baptiſmo diſp. 3. difficult. 3. & eſt communior ſententia Recentiorum. Prior pars probatur, quia huiuſmodi infantes capaces ſunt Baptiſmi, & poſſunt eis applicari omnia eſſentialiter requiſita ad eius valorem, materia, & forma cum debita intentione: nec requiritur proprius conſenſus, quia non eſt poſſibilis, neque parentum, vel aliorum, quia in his, quæ ſpectant ad iuſtificationem, voluntas parentum non cenſetur voluntas filij, niſi in iure ciuili ad aliquos effectus ciuiles à voluntate Reipublicæ pendentes: ergo poſſunt validè baptizari. 47.

Secunda pars quòd id licitè non fiat, oſtenditur. Quia in eo caſu deberet infans extrahi ab educatione, & conſortio parentum, ob manifeſtum periculum Apoſtaſiæ, quando ad adultam ætatem peruenerit, quod fieri nequit abſque iniuria parentum, & contra patriam poteſtatem, parentes enim iure naturæ habent ius educandi apud ſe filios, quo iure licitè abſque culpa priuari non poſſunt. Et confirmatur ex conſuetudine, & vſu Eccleſiæ, quæ nunquam ſolet tales baptizare inuitis illorum parentibus, quamuis ipſi ciuiliter ſubiecti ſint Principibus Chriſtianis. 48.

Excipe, niſi in caſu, in quo infans eſſet in certo periculo mortis, de cuius vita deſperatum eſt, tunc enim non eſſet neceſſarium, vt vi à parentibus extraheretur, nec ob inſtantem mortem periculum Apoſtaſiæ, & quòd à patre peruerteretur; in eo ergo caſu licitè baptizari poſſet. 49.

Excipienda etiam ſunt mancipia, quia infantes mancipiorum infidelium abſolutè ſunt res ipſius domini, qui habet abſolutum ius ad prolem à patre abſtrahendam vendendam, aut pro ſuo libito educandam; atque adeò abſque vlla ſerui iniuria poteſt curare vt baptizetur, & in Chriſtiano ritu educatur. 50.

Vnde

Digitized by Google

51. Vnde sequitur, infantes baptizatorum, quamuis hæreticorum, & Apostatarum, validè baptizari inuitis eorum parentibus; hi enim cùm ratione Baptismi subditi sint Ecclesiæ, possunt cogi ad seruanda eius præcepta; ac proinde ad baptizandos suos infantes; ac proinde si hoc non faciant, eosdem (ipsis inuitis) baptizari posse.

52. Secundò sequitur, licere etiam baptizare filios infidelium, etiamsi in potestatem Christianorum per iniuriam veniant, quando eorum parentibus restitutio non est possibilis, quia, vt rectè Coninch quæst. 68. art. 10. dub. vnico, per hoc nihil, aut parum præiudicatur iuri parentum, quia ius, quòd habent ad educandam prolem, in hoc casu illis omnino inutilis est.

Sectio VI.

De effectibus Baptismi.

53. PRima conclusio. Baptismus duplicem habet effectum. *Primus* est impressio characteris, ita definitur ab Eugenio I V. in suo decreto fidei, & à Trident. sess. 7. Canon. 9. *Secundus* est, infusio gratiæ regenerationis, & plena, & integra peccati originalis, & aliorum actualium remissio, etiam quantum ad reatum totius pœnæ, ex Trident. sess. 14. cap. 2. & sess. 5. decreto de peccato originali, & ex illo symboli: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*, & Actor. 2. *Actorum 2. Baptizetur vnusquisque vestrùm in remissionem peccatorum.*

54. Itaque primus effectus est character, qui est signum indelebile existens in anima, in æternum duraturum, saluetur, aut damnetur baptizatus. Vnde Baptismus iterari non potest. Per istum characterem baptizatus fit habilis ad recipiendum validè reliqua sacramenta; est enim Baptismus sacramentorum ianua, vt loquitur Tridentinum vbi suprà. Insuper per eiusmodi characterem baptizatus fit membrum Ecclesiæ visibilis, eiusque legibus subditur. Ad hunc effectum characteris recipiendum præcisè in adultis, non est necessaria alia dispositio, quàm sola voluntas, & consensus baptizandæ personæ, quamuis eius consensus graui metu extorqueatur, immo quamuis eius consensus sit peccatum mortale, vel cum peccato mortali coniunctus.

55. Secundus effectus Baptismi est infusio gratiæ, & remissio peccati originalis, & aliorum actualium. Vnde ratione huius effectus dicitur Baptismus à Tridentin. vbi suprà, *prima tabula post naufragium*, quia baptizatus per Baptismum euadit primum naturæ naufragium ex peccato originali.

56. Inquires, quæ dispositio requiratur in adulto ad hunc effectum Baptismi recipiendum, & quia adultus, qui baptizatur, tribus modis se potest habere. Primò ita, vt tantùm habeat peccatum originale absque vllo actuali. Secundò ita, vt etiam habeat tantùm veniale. Tertiò ita, vt etiam habeat mortale.

57. Secunda conclusio. In primo casu non est opus dolere de peccato originali, immo fortè impossibilis est talis dolor, maximè per modum pœnitentiæ & retractationis, sed sufficit spes, & fides, sine qua impossibile est placere Deo, ad Hebr. 11. Requiritur ergo, vt qui baptizatur priùs crediderit, asserente Christo Domino, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, quæ tantùm est necessitas præcepti, cuius ignoratione inuincibili baptizatus saluari potest.

58. Tertia conclusio. In secundo casu probabile est, non esse opus dolere de venialibus vt deleantur per Baptismum, dummodo baptizatus super illis non complaceat, vt testatur Granad. disputat. 2. num. 9. & probatur à simili in sacramento Eucharistiæ delente peccata venialia, etiam absque dolore. Cæterùm probabilius est, ad remissionem venialium in vtroque sacramento Baptismi & Eucharistiæ, opus esse dolore conueniente, vt docuimus tractat. de Pœnitentia sect. 6. & colligitur ex Trident. vniuersaliter petente absque vlla distinctione inter peccatum veniale & mortale, dolorem peccati ad eius ventam.

59. Quarta conclusio. In tertio casu ad prædictum effectum remissionis peccati mortalis, opus est vero supernaturali dolore saltem attritionis. ita communiter Doctores. Dixi *saltem attritionis*, quia valde rigidum videtur petere necessariò contritionem. Et probatur, quia remissio peccati originalis, per se loquendo, ex vi institutionis Baptismi, est effectus eiusdem Baptismi realiter suscepti: at si contritio esset necessaria in baptizato reo peccati mortalis, semper remissio peccati in eo casu conueniret contritioni, siue Baptismo in voto, & nunquam Baptismo in re; ergo absque fundamento petitur contritio, vt necessaria in eo casu.

60. Vlteriùs inquires, an Baptismus recedente fictione prædictum effectum operetur. Vbi nota, fictionem hîc significare obicem & impedimentum appositum ab adulto dum baptizatur, ne consequatur effectum Baptismi, id est, gratiam, & remissionem omnium peccatorum, quibus antea tenebatur. Quod impedimentum dupliciter potest contingere. Vno modo omnino inculpabiliter, vt si baptizatus inuincibiliter ignoret, se teneri ad dolorem, qui necessarius est ad prædictum effectum, ac proinde sine culpa omittat eum dolorem: in quo casu non percipiet fructum sacramenti ex defectu legitimæ dispositionis, quamuis ea omissio fiat sine peccato, & consequenter baptizatus non erit reus sacrilegij eo modo recipiens Baptismum. Alio modo apponi potest impedimentum omnino culpabiliter, vt si baptizatus in ipso instanti Baptismi, actu delinquat mortaliter per affectum odij, adulterij, &c. hoc enim peccatum actuale omnino impedit ne Baptismus conferat gratiam, & remissionem peccati originalis. Ad hoc impedimentum peccati mortalis simul concurrentis cum ipsa receptione Baptismi, consequitur aliud peccatum sacrilegij, quod inde resultat ex iniqua, & sacrilega receptione sacramenti. In priori casu sublata fictione, hoc est, posita attritione requisita, consequitur effectum sacramenti; in posteriori, verò non consequitur effectum sacramenti recedente fictione, sed necessaria est contritio, vel attritio simul cum sacramento Pœnitentiæ, subiiciendo clauibus omnia illa peccata, vt latiùs docuimus tractatu *de sacramentis in genere*, disp 6. sect. 2.

61. Denique inquires, quo tempore obligantur adulti ex præcepto diuino ad suscipiendum Baptismum. Certum est obligari in extremo vitæ periculo, immo teneri ante illud baptizari ex præcepto diuino statim atque commodè possunt, quia absque aliqua graui, & rationabili causa, non possunt differre Baptismum, ita Vazquez disputatione 149. cap. 4. & Recentiores communiter. Causa autem sufficiens ad dilationem erit, vt

baptizan

Digitized by Google

baptizandus meliùs instruatur, vel vt solemniùs baptizetur.

DISPVTATIO II.

De Sacramento Confirmationis.

SECTIO I.

An Confirmatio sit Sacramentum nouæ legis.

1. PRima conclusio. De fide est, sanctæ Confirmationis sacramentum esse vnum è septem nouæ legis sacramentis. ita diffinitur in Trident. sess. 7. de Sacramentis in genere, Canon. 1. & de Confirmatione Canone etiam primo, & ab Eugenio IV. in Florentino, vbi Pontifex colligit huius sacramenti institutionem ex illo Actorum 8 *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Per manus impositionem aduertit ipse Eugenius intelligi chrismatis vnctionem, per accipere Spiritum sanctum, intelligit donum gratiæ sanctificantis. Actor. 8.

2. Nec obstat, quòd ex nullo loco sacræ Scripturæ possit efficaciter deduci institutio huius sacramenti. nam plura de fide credimus, quæ ex Scriptura non constant, sed ex perpetua traditione Ecclesiæ, secundùm illud Pauli 2. ad Thessal. 2. *Tenete*, inquit, *traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per Epistolam nostram*; institutio autem huius sacramenti constat ex perpetua traditione Ecclesiæ, quam nobis scriptam reliquerunt plures Pontifices, & Patres, quos latè referunt Bellarm. in hoc loco cap. 3. & Suarez disputat. 32. sect. 1. 2. Thess. 2.

3. Secunda conclusio. Hoc sacramentum institutum fuit à Christo Domino in nocte Cœnæ. ita Bellarmin. & Suarez locis citatis, & communiter Recentiores, quod probatur ex Fabiano Papa Epistola 2. cap. 1. *In illa die*, inquit, *Dominus Iesus, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, (sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) chrisma conficere docuit.* Vbi per chrisma sacramentum Confirmationis intelligitur, vt notat Hurt. in hoc loco, difficultate 3. licèt Coninch quæstione 71. art. 1. dub. 2. satis rationabiliter credat, nocte cœnæ nemini datam esse potestatem conferendi hoc sacramentum, sed Christum eam contulisse Apostolis post resurrect Ioann. 20. Cùm dedit eis plenam potestatem Ordinis sacerdotalis, & Episcopalis.

SECTIO II.

Quæ sit materia, & forma huius sacramenti.

4. PRima conclusio, materia remota huius sacramenti est chrisma confectum ex oleo, & balsamo per Episcopum benedicto, ita Eugenius IV. vbi suprà. Vbi

Obserua primò vtriusque mixtionem, scilicet olei oliuarum, & balsami, essentialiter requiri ad valorem huius sacramenti, & oleum tantùm non sufficere, aut balsamum. Ita plerique Doctores apud Dianam de sacramentis resol. 23. qui quosdam refert asserentes, oleum sufficere.

Secundò obserua, solam impositionem manuum non esse materiam huius sacramenti, vt latè probat Coninch vbi suprà dub. 2. num. 59.

Tertiò, necessarium esse necessitate sacramenti, vt chrisma sit consecratum ab Episcopo, nec hanc consecrationem posse committi simplici Sacerdoti etiam ex Romani Pontificis dispensatione, vt contra nonnullos est communis opinio apud Dianam loco citato. Et ratio est, quia Eugenius IV. præscribens regulam fixam materiæ remotæ huius sacramenti, præscripsit omnia hæc, quæ obseruaui, ita enim ait Pontifex, *Secundum sacramentum est Confirmatio, cuius materia est chrisma confectum ex oleo, quod nitorem significat conscientiæ, & balsamo quod odorem significat bonæ famæ per Episcopum benedicto.* Idem probat Suarez & rectè, in hoc loco sectione 1. ex verbis formæ huius sacramenti, *Confirmo te chrismate salutis*, hoc enim vocabulum chrismatis, mixtionem olei cum balsamo significat proculdubio.

5. Obiicies primò, etiam Eugenium Papam aquam dixisse admisceri debere vino, quod est materia remota Eucharistiæ, & tamen vinum sine aqua est materia sufficiens; ergo similiter etsi balsamum misceri debeat oleo; oleum tamen sufficiet pro materia. Respondetur, ex hoc argumento magis confirmari nostram assertionem, quia Eugenius non constituit pro materia remota Eucharistiæ compositum ex vino, & aqua, sed solùm dixit esse vinum de vite, & ratione mysterij subiungit, modicissimam aquam misceri vino debere, quasi ex necessitate præcepti. At in nostro sacramento directè materiam constituit compositum ex oleo, & balsamo. Itaque dispari modo præfixa est materia pro vtroque sacramento.

6. Obiicies secundò, Apostolos sacramentum Confirmationis ministrantes, sola manuum impositione vsos fuisse, non oleo, neque chrismate. Respondetur ex D. Thoma quæst. 62. art. 2. hoc fecisse Apostolos ex singulari Christi priuilegio pro eo solùm tempore, quo Spiritus sanctus supra fideles descendebat sub visibilibus signis; ac proinde tunc non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis. Quando verò huiusmodi visibilia signa non exhibebantur, vsi sunt Apostoli chrismate in exhibitione huius sacramenti. Vel secundò respondetur cum Bellarmin. cap. 9. Apostolos in conferendo hoc sacramento, semper vsos fuisse chrismate, ac proinde illam impositionem manuum semper coniunctam fuisse cum vnctione chrismatis, quia qui eo fidelem vngit, hoc ipso super eum manum imponit.

7. Secunda conclusio. Materia proxima huius sacramenti est vnctio chrismatis, vt ablutio in Baptismo. Vbi obserua primò, vnctionem hanc fore in fronte necessitate sacramenti, vt abundè probat contra Ledesmam Meratius in hoc loco sectione 5. Secundò obserua ex eodem Meratio, vnctionem hanc fore in formam Crucis eadem necessitate sacramenti. Tertiò nota, immediatè futuram per manuum Episcopi, siue dextram, siue sinistram; siue fiat pollice, siue alio digito. Quamuis Ecclesiæ mos iam obtinuit, vt pollice fiat.

8. Tertia conclusio. Forma huius sacramenti est, *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* ita expressè

Digitized by Google

expresè Eugenius vbi suprà. Et circa hanc formam recolenda sunt, quæ diximus in simili suo loco de forma Baptismi, quibus adde, *primum*, si omitteretur illud verbum *salutis*, adhuc valeret sacramentum, quia adhuc manet integer sensus formæ. *Secundum* etiam omisso illo verbo *confirmo*, integrum manere sensum, & valere sacramentum: secus esset si vice illius verbi *consigno*, poneretur illud *confirmo*, quia, vt optimè aduertit Suarez disputatione 35. sect. 5. verbum *confirmo*, non significat actionem vngendi Ministri, quam exprimi necesse est, vt in Baptismo, forma expressura est actionem baptizandi Ministri, vt suprà diximus. *Tertium*, expressam etiam inuocationem sanctissimæ Trinitatis, vt in Baptismo, necessariam esse.

Sectio III.

De Ministro huius sacramenti.

9. PRima conclusio, Minister ordinarius Confirmationis est solus Episcopus. Probatur ex Tridentino sess. 7. & ex Concilio Constantiense sessione 8. & ex Eugenio IV. in suo decreto fidei. Cuius rationem reddit ibi Pontifex, quia de solis Apostolis, quorum vicem tenent Episcopi, legimus, quòd per manus impositionem Spiritum sanctum dabant: ergo solis Episcopis congruit, vt ordinariis Ministris hoc sacramentum ministrare.

10. Secunda conclusio. Vt Ministro extraordinario ex Romani Pontificis commissione, confectio huius sacramenti delegari potest simplici Sacerdoti. ita communiter Doctores, & constat ex facto Gregorij Magni, qui tandem permisit Presbyteros Sardiniæ confirmare. Cuius meminisse videtur Eugenius IV. dum in Florentino, vbi suprà, ita ait, *Legitur aliquando per Apostolica sedis dispensationem, ex rationabili, & vrgente causa, simplicem sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse confirmationis sacramentum.* Simplici, inquam, Sacerdoti: quia alteri, vel etiam Diacono, tale munus non potest committi, etiam à Roman. Pontifice. Dixi præterea *à solo Romano Pontifice*, quia Episcopus, vt est concors Theologorum sententia, etiam ad suos subditos non potest committere munus confirmãdi simplici sacerdoti; potest tamẽ alteri Episcopo per literas dimissorias.

11. Hîc inquirit Dian. de sacram. resolutione 1. An si quis habeat literas dimissorias à suo Episcopo, vt possit ab alio ordinari, hoc ipso si ordinandus non sit confirmatus, possit etiam ab eo Episcopo confirmari priusquam ab ipso ordinetur. Respondet, & bene, affirmatiuè. nam qui concedit finem, concedit consequenter, quæ sunt necessaria ad eum finem. Ex quo sequitur, posse simliter absolui ordinandum ab irregularitate occulta, à qua posset Episcopus absoluere, quia liberari ab irregularitate est medium ad licitè recipiendos sacros Ordines.

Sectio IV.

De recipiente hoc sacramentum, & eius effectibus.

12. PRima conclusio. Subiectum capax recipere hoc sacramentum est solus, & omnis baptizatus, quia Baptismus est ianua sacramentorum faciens baptizatos sacramentorum capaces. Et licèt infantes ante vsum rationis validè queant confirmari, tamen rationis vsum expectandum esse, praxis Ecclesiæ docet. Furiosus similiter est capax huius sacramenti, quamuis expediat quandoque rationis vsum in eo expectari. Deinde si timeatur fore, vt infantes nequeant postea confirmari, quia non aderit Episcopus, vel saltem illico sint morituri, confirmari possunt: quo etiam iure Confirmatio etiam perpetuò amentibus conferri potest, vt docet Diana de Confirmatione, resolut. 10. dummodo non credatur in peccato mortali dementiam inuasisse, quia si in peccato mortali non sunt facti amentes, confirmari possunt.

13. Est tamen difficultas, an baptizati prædicti rationis vsu, teneantur accedere ad hoc Confirmationis sacramentum. Affirmant plures apud Merat. disputatione 9. Sed alij probabilius negant cum Suarez disputatione 38. sect. 1. & est sententia communior inter Recentiores, nullum dari præceptum de hoc sacramento suscipiendo, sicut nec de sacramento Ordinis, nec Matrimonij; ac proinde semoto contemptu, nullum est peccatum omittere hoc sacramentum.

14. Secunda conclusio. Effectus huius sacramenti est duplex. *Primus* augmentum gratiæ, & collatio auxiliorum, quibus roboretur baptizatus in spirituali militia Christi contra hostes fidei, & charitatis. *Secundus* est, character indelebilis, quo Christianus insignitur, ac deputatur miles Christianæ militiæ, & ideo hoc sacramentum iterari non potest. Quare graue sacrilegium erit bis confirmati, & bis eundem confirmare: ob neutrum tamen incurritur irregularitas, quia nullo iure exprimitur hæc censura, vt tenet Hurtad. difficult. 9.

15. Dispositio necessaria ad recipiendum augmentum gratiæ, quæ in hoc sacramento confertur, est vel perfecta contritio, vel attritio cum sacramento Pœnitentiæ, vt docent communiter Doctores.

16. Ex quibus omnibus infero, quid sit Confirmatio? *Est vnctio exterior chrismatis ab Episcopo consecrati in fronte manu Episcopi in modum crucis facta sub præscripta verborum forma*; vel breuiùs sic potest diffiniri, *est sacramentum confirmatiuum in fide.*

DISPVTATIO III.

De Sacramento Ordinis.

Sectio I.

Quid, & quotuplex sit Ordo, & an sit verè Sacramentum.

1. NOMEN *Ordinis* sumitur hîc pro signo, seu cerimonia externa, qua confertur homini gradus dignitatis, & officium in Ecclesia Christi, & diffinitur à D. Thom. quæst. 34. add. art. 2. *Sacramentum quo traditur spiritualis potestas circa Eucharistiam in sacrificio Missæ*, intellige, immediatè, vel mediatè, vt comprehendantur tam Ordines maiores, quàm minores.

2. Hoc sacramentum institutum fuit à Christo Domino in vltima Cœna, illis verbis Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, vt docuit Trident. sess. 22. cap. 1. can. 2. Ibi enim contulit Apo- Luc. 22.

ſtolis omnes Ordines ſimùl. nam ordinando eos Sacerdotes,cæteros etiam Ordines præſtitit.

3. Prima concluſio.Prima tonſura, neque propriè eſt Ordo, neque ſacramentum, ſed præparatio ad Ordines ſuſcipiendos, per quam tonſura initiatus, ſegregatur à populo laico, & fit membrum eccleſiaſtici gregis, capax eccleſiaſtici beneficij, & immunis à laica poteſtate. ita communiter Doctores, & ſatis apertè deducitur ex Tridentino ſeſſione 23. Canone 2. ex illis verbis: *Vt qui iam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores, & maiores Ordines ad ſacerdotium aſcenderent.* Vbi expreſsè primam tonſuram à numero etiam minorum Ordinum excludit.

4. Poſt primam tonſuram ſuccedunt minores Ordines, & gradus,deſtinati inſeruire ſacrificio Miſſæ, quilibet ſuo modo, videlicet Oſtiarius, Lector,Exorciſta, Acolytus. Munus oſtiarij eſt, ſolos dignos admittere Eccleſiæ & ſacrificio Miſſæ, oſtium Eccleſiæ aperiendo; vel indignis, & excommunicatis claudendo. Lectoris verò eſt, epiſtolam legere in Eccleſia, vt qui Miſſæ aſſiſtunt, reuerentiùs aſſiſtant. Exorciſtæ verò eſt, Dæmones expellere, vt obſeſſi ab eis, aptiùs aſſiſtant eidem ſacro. Denique officium Acolyti eſt,inſeruire Miſſæ, cereos afferendo, & miniſtrando ampullas, & ſimilia. Hi ergo gradus inſtituti ſunt ob ſacrificium Miſſæ: cui,vt inſeruiant, etiam inſtituti ſunt Subdiaconatus,& Diaconatus Officium Subdiaconatus eſt, ſubſeruire in his,quæ pertinent ad ſacrificium, calicem, & patenam in vſu ſacrificij miniſtrando, & epiſtolam in ſacrificio Miſſæ canendo. Officium verò Diaconi eſt, miniſtrare ad altare,baptizare & prædicare eo modo,quo docuimus in tractatu de Baptiſmo, & cantare Euangelium in ſacrificio Miſſæ.

5. Secunda concluſio. Omiſſa prima tonſura, ſeptem ſunt Ordines in Eccleſia quaſi partialiter integrantes vnum Ordinem completum,& conſummatum, ſcilicet quatuor minores gradus, & Ordines iam enumerati, & explicati, Subdiaconatus, Diaconatus, & Preſbyteratus. qui eſt duplex, alter ſimplex, quo præcisè aliquis fit Sacerdos habens poteſtatem in corpus Chriſti naturale, panem, & vinum conuertendo in corpus, & ſanguinem Chriſti, & in corpus myſticum fidelium, abſoluendo à peccatis virtute characteris ſacerdotalis. Alter eſt Superior, & Epiſcopalis,qui ſuperaddit ad priorem poteſtatem ordinandi alios, conficiendi chriſma, & benedicendi oleum, & miniſtrandi ſacramentum Confirmationis poteſtate ordinaria. Hæc concluſio eſt communiter recepta, & probatur ex Trident. loco citato, vbi diffinit ſeptem eſſe Ordines Eccleſiæ, & prædictos enumerat. Præterea Theologi tres poſteriores,maiores, & ſacros appellant: maiores, quia per eos ordinati ad maius officium deputantur: Sacerdos ad conſecrandum: Diaconus & Subdiaconus ad aſſiſtendum proximè, & miniſtrandum Sacerdoti in altari conſecranti: ſacros verò, quia habent annexum perpetuum caſtitatis votum, quo quaſi homines Deo conſecrantur. Quatuor verò priores, minores & non ſacros vocant: minores, quia non tam proximè, ſed longiùs adminiſtrandum deputantur, & in ſolis miniſteriis inferioribus: non ſacros verò,quia non habet annexũ caſtitatis votum.

6. Obiicies, quia Epiſcopatus eſt ſacramentum Ordinis diſtinctum à ſimplici ſacerdotio, & ipſi ſuperadditum,quod ſic probo,quia eſt gradus quidam, & poteſtas in Eccleſia Dei, ritu eccleſiaſtico, & modo ſtabili collata in ordine ad ſacrificium Miſſæ, nempe ad ordinandos ſacerdotes, & alios miniſtros eidem ſacrificio deſeruientes: ergo Ordines Eccleſiaſtici ſunt plures, quàm dicti ſeptem. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Epiſcopatus non eſt Ordo totalis à ſimplici ſacerdotio ſimpliciter diſtinctus, ſed tantùm partialiter; ac proinde ex his duobus integratur, ac perficitur vnum ſacerdotium, & Epiſcopatus eſt complementum & perfectio Ordinis ſacerdotij, vt rectè Hurt.difficult.3.

7. Obiicies ſecundò, quia ſi Epiſcopatus eſſet Ordo, & verum ſacramentum, deberet habere aliquem reſpectum ad conficiendam Euchariſtiam: nam ex hoc reſpectu conſtituuntur diuerſi Ordines in Eccleſia,quem tamen non habet, vt conſtat: ergo.Reſpondetur negando minorem:habet enim Epiſcopatus peculiarem reſpectum ad Euchariſtiam quatenus ordinat ſacerdotes, qui ipſam conficiunt, & alios Miniſtros, qui ad eam conficiendam inſeruiunt.

8. Tertia concluſio.Tres Ordines maiores & ſacri, ſunt verè & propriè ſacramenta, & imprimunt characterem per quandam extenſionem, & integritatem; ita tamen vt fiat ex illis vnus integer, & conſummatus character: ita communiter Theologi,& probatur ex Trident ſeſſ.23. can.6.Cuius hæc ſunt verba. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam,quæ conſtat ex Epiſcopis,Preſbyteris, & Miniſtris, anathema ſit.*Ex quibus non obſcurè deducitur, miniſtrorum nomine intelligi à Tridentino, alios Eccleſiaſticos Ordines ab Epiſcopatu,& Preſbyteratu diſtinctos, & his gradibus inferiores.

9. Sed eſt difficultas, poſito quòd hi tres Ordines ſacri ſunt verè ſacramenta,& imprimunt characterem, an prædicti characteres ita ſint connexi ex natura rei, vt character Diaconatus de ſe ſupponat characterem Subdiaconatus, & ſimiliter de charactere Preſbyteratus,& Epiſcopatus. Merat.diſp.5. ſect.1.Hurt.difficult.11. & alij opinantur, & meritò, prædictos characteres non eſſe inter ſe connexos ex natura rei,ſed poſſe vnum imprimi ſine alio, ſi excipias in preſbyteratu partialem characterem ad abſoluendum à peccatis, qui ex natura rei petit characterem ad conſecrandum panem, & vinum. Quocirca ſi quis crearetur Presbyter ab Epiſcopo, eſſet verè Sacerdos, etiamſi non fuiſſet Subdiaconatu,& Diaconatu initiatus. Cæterùm ſi non fuiſſet ordinatus Sacerdos ad conſecrandum,neque acciperet characterem ad abſoluendum à peccatis. Quamuis econtra poſſet ordinari Sacerdos ad conſecrandum, quamuis non ordinaretur Sacerdos ad abſoluendum à peccatis.Et in Epiſcopatu idem dicendum eſt, non poſſe aliquem Epiſcopum creari, & accipere characterem Epiſcopalem,niſi præſupponatur Sacerdos ad conſecrandũ,& abſoluẽdum.

10. Quarta concluſio. Epiſcopatus eſt verè & propriè ſacramentum Ordinis ſuperior ſacerdotio. Probatur, quia Epiſcopatus eſt Ordo inſtitutus à Chriſto Domino, vt docet Anacletus Papa epiſtola 3. & non obſcurè deducitur ex Trident. ſeſſ.23. can.6. vbi Epiſcopatum gradum Eccleſiæ appellat. Dices hinc ſequi eſſe plura, quàm ſeptem ſacramenta Eccleſiæ,ſi ordinationes Diaconi,& Subdiaconi,& Epiſcopatus ſunt vera ſacramenta.Sed non ſequitur, quia quamuis ſint plura in ſpecie infima, non tamen in ſpecie ſubalterna. Qua verò ratione Presbyteratus, & Epiſcopatus conſtituant vnum ſacramentum,expoſitum eſt.

Quinta

11. Quinta concluſio. An quatuor minores Ordines ſint verè ſacramenta, & imprimant characterem, in controuerſiam poſitum eſt, quibuſdam negantibus cum Merario diſputat. 3. quorum fundamentum eſt, eiuſmodi Ordines ex Eccleſiæ inſtitutione eſſe, non verò ex inſtitutione Chriſti. Quibuſdam verò affirmantibus, quos ſequitur, & refert Hurt diff. 9. quia hi Ordines fuerunt in Eccleſia ab initio ipſius; atque adeò valde credibile eſſe, inſtitutos fuiſſe à Chriſto Domino. Vtrumque eſt probabile.

Sectio II.

De materia, & forma horum Ordinum.

12. EVgenius IV. in Concilio Florentino in ſuo decreto fidei vniuerſæ diffinit, materiam cuiuſlibet Ordinis eſſe illud, per cuius traditionem Ordo confertur: formam verò eſſe illa verba, quibus traditur Ordo, pro vt in Romano Pontificali continetur.

13. Ergo ad ſingulos Ordines deſcendendo. Materia Subdiaconatus eſt traditio Calicis vacui, & patenæ vacuæ, & ſimul traditio libri Epiſtolarum; quia his omnibus exprimitur officium Subdiaconi, v.g. ad ſolemniter canendum Epiſtolam, & miniſtrandum Sacerdoti vaſa corporis, & ſanguinis Domini. Forma ſunt verba, quibus fit vtraque traditio ab Epiſcopo. ita Hurt. in hoc loco, difficult. 13. licèt Vazquez diſputat. 238. cap. 5. probabiliter teneat, in ordinatione Subdiaconi materiam proximam ſitam eſſe in traditione Calicis & patenæ vacuæ, & formam in verbis ſub quibus fit.

14. Materia Diaconatus eſt traditio libri Euangeliorum; forma verò ſunt verba illa, quibus ab Epiſcopo fit talis traditio. Vnde ſequendus non eſt Durandus in 4. diſtinct. 14. quæſt. 3. exiſtimans, huiuſmodi materiam conſiſtere in impoſitione manuum Epiſcopi, quia, vt rectè Hurt. difficult. 12. Manuum impoſitio, quæ fit in ordinatione Diaconi, introducta fuit ritu Apoſtolorum, vt dicitur in cap. *Preſbyter* 3. de ſacramentis non iterandis.

15. Materia Preſbyteratus eſt traditio Calicis cum vino, & traditio patenæ cum pane: forma verò, verba illa, *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis & defunctis*, &c. quod intellige de Preſbyteratu, qua parte continet poteſtatem conſecrandi. nam de Preſbyteratu, qua parte continet poteſtatem abſoluendi à peccatis, materia eſt manuum impoſitio; forma verò hæc verba, *Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, quorum retinueris, retenta ſunt.*

16. Materia Epiſcopatus eſt impoſitio manuum Epiſcoporum; forma verò verba illa à tribus Epiſcopis prolata, *Accipe Spiritum ſanctum*; quæ etſi ſint verba generalia, hîc & nunc denotant, ac ſignificant Apoſtolicam dignitatem, qua creatus Epiſcopus in Eccleſia præfulget. Vbi nota, Epiſcopum ab Epiſcopo ordinari debere, non ab inferiore ſimplici ſacerdote, immo à tribus Epiſcopis ſaltem iure Eccleſiaſtico. Sed difficultas eſt, an etiam iure diuino? Reſpondeo iure ordinario tres Epiſcopos requiri ad valorem ordinationis Epiſcopalis, amota diſpenſatione Romani Pontificis, qua tamen ſtante vnus ſufficit Epiſcopus, vt docent Bellarm. & Vazquez & refert Hurt. difficult. 19. & Merat. diſputat. 9. ſect. 2. ex facto & diſpenſatione Gregorij Magni, quod etiam ſignificat Simon Chananæus Apoſtolus apud Clementem lib. 8. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 27. art. 13. Quamuis non ſatis conſtat de veritate illius textus facti D. Gregorij, nec de auctoritate dicti libri Conſtitutionum. legatur Hurtad. loco citato, vbi admittit, ordinationem Epiſcopi validè fieri poſſe ex commiſſione Pontificis ab vno tantùm Epiſcopo, aſſiſtentibus duobus aliis Sacerdotibus, loco aliorum duorum Epiſcoporum.

17. In ordinatione Oſtiarij, materia proxima eſt traditio clauium Eccleſiæ; forma verò, verba ipſi correſpondentia. In ordinatione Lectoris, materia eſt traditio libri lectionum; forma verò verba ſub quibus fit. In ordinatione Exorciſtæ, materia eſt traditio libri exorciſmorum; forma verò, verba ipſi correſpondentia. Denique in ordinatione Acolyti, materia coaleſcit ex traditione vrceoli vacui, & candelàbri cum cereo extincto; forma verò ex verbis ipſi correſpondentibus.

18. Inquires, an ad valorem ſingularum ordinationum ex parte ordinandi requiratur tactus phyſicus rei cuius traditione ordinatur. Reſpondetur, quoſdam requirere tactum phyſicum ſaltem mediatum eius materiæ cuius fit traditio, dum conceditur poteſtas Ordinis. Ita Bonacin. diſputat. 8. quæſt. 1. punct. 3. & ratio eſt, quia dictus tactus requiritur ad verificationem formæ, in qua dicitur, *Accipe*, v.g. *librum*, &c. Quod autem non apprehenditur, aut tangitur, non accipitur. Alij autem eiuſmodi phyſicum contactum non requirunt neceſſitate ſacramenti, ſed ſola neceſſitate præcepti, ita Vazquez diſputatione 246. Hurt. difficult. 15. quia ad verificationem formæ, non eſt neceſſarius tactus phyſicus materiæ: vt enim quis verè & propriè dicat, *Accipe hoc*, *vel illud*, non eſt neceſſe, vt ille cui offertur, ſeu porrigitur, accipiat illud, ſed ſufficit, vt ipſi offeratur, ſeu porrigatur. Veruntamen ſecurius eſt, vt abigatur omnis ſcrupulus tangere phyſicè, & immediatè. Videatur Diana de ſacramentis, reſolut. 185. vbi obſerua, ſi fortè in calice non fuerit appoſitum vinum in ordinatione Preſbyteri, ſimiliter quoſdam affirmare adhuc valere ordinationem; alios verò negare, vt teſtis eſt idem Diana reſolut. 186. Sed ſimiliter ſecurius eſt iterum ordinari cum vino ſub conditione.

Sectio III.

De Miniſtro, & ſuſcipiente hoc ſacramentum, ac de eius effectibus.

19. MIniſter poteſtate ordinaria conferendi Ordines Eccleſiaſticos eſt ſolus Epiſcopus, & quamuis ſit excommunicatus ſuſpenſus, hæreticus & degradatus, poteſt validè ordinare, quamuis non licitè; illa enim poteſtas annexa eſt characteri Epiſcopi ex inſtitutione Chriſti qui deleri non poteſt. Ex commiſſione Romani Pontificis fortè ſimplex Sacerdos ordinare poteſt, vt tenet Merat. diſputat. 9. ſect. 2. vbi obſerua, quemlibet Epiſcopum non poſſe licitè ordinare non ſibi ſubditum niſi ex licentia proprij Epiſcopi. Ei tamen in Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 9. conceditur vt poſſit ordinare familiarem ſuum, qui per triennium cum ipſo fuerit commoratus, quamuis nullum habeat patrimonium, nec vrgeat neceſſitas Eccleſiæ,

Digitized by Google

cum onere concedendi illi beneficium, quamprimum vacet.

20. Subiectum capax Ordinum est vir, non fœmina. Ex dispensatione verò Roman. Pontificis possunt fœminæ prima tonsura initiari, ita Hurt. difficult. 20. quia hæc ordinatio est ex sola institutione Ecclesiæ. Idem dicendum est de quatuor minoribus in sententia illorum, qui dicunt non esse verè sacramenta ex institutione Christi, sed tantùm ex institutione Ecclesiæ. Hermaphrodita in quo præeminet sexus virilis, subiectum est capax Ordinum.

21. Effectus huius sacramenti est augmentum gratiæ, & auxilia diuina, quibus præmunitur ordinatus, vt dignè, & conuenienter exequatur suum Ordinis munus. Insuper effectus Ordinis sacri est character indelebilis, quo quisque in suo Ordine accipit potestatem ad eum finem, & effectum, cui per proprium Ordinem destinatur.

22. Et quamuis iure diuino, & ex institutione Christi, & consequenter ad valorem Ordinis, nulla certa ætas requisita sit in ordinando; tamen iure Ecclesiastico præscripta est pro singulis Ordinibus. Pro prima tonsura ætas vsus rationis; pro gradibus, quatuordecimus annus requiritur. Pro Subdiaconatu, vigesimus secundus: pro Diaconatu, vigesimus tertius; pro Presbyteratu, vigesimus quintus. Hos annos intellige inceptos, quia in iure annus inceptus, pro completo reputatur, dum expressè non petitur à iure annus expletus. Pro Episcopatu requiritur trigesimus annus.

23. Eodem iure præscribitur tempus ordinationum. Ordines sacri dari non possunt, nisi in Sabbato quatuor temporum anni: in Sabbato ante dominicam passionis, & in Sabbato ante dominicam resurrectionis. Prima tonsura quouis anni tempore, Ordines minores quauis die Dominica, immo vna, aut altera persona quouis die festo potest ad Ordines minores promoueri. In Hispania iam consuetudo inualuit, vt in ieiunio quatuor temporum ante Sabbatum minores Ordines conferantur. Episcopatus conferri non potest nisi in die dominica.

24. Eodem iure præscripta sunt interstitia, Subdiaconatus. Diaconatus non potest conferri nisi post annum à susceptione postremi gradus; potest tamen Episcopus dispensare pro vt necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ postulauerit: similiter inualuit consuetudo in Hispania vt Ordines minores eodem die, absque interstitiis conferantur.

25. Vbi obserua, sacris initiatos obligari ad continentiam, tam ex voto, quàm lege Ecclesiastica. Vnde si committat aliquem actum venereum exteriorem, erit reus triplicis peccati distinctæ speciei, luxuriæ contra castitatem, sacrilegij contra religionem, ex qua obligat votum, & inobedientiæ ratione legis Ecclesiasticæ id prohibentis intuitu reuerentiæ statui Ecclesiastico debitæ; ita Hurt. difficult. 26. vbi addit voluntatem & appetitum venereum internum non esse contra legem Ecclesiasticam, quia Ecclesia de internis non iudicat, & sic non esse speciale peccatum.

26. Secundò obserua, eodem iure prohibitum esse sacris Ordinibus initiatos, matrimonium contrahere, & ad id esse inhabiles; ita Trident. sess. 24. Canone 9. vbi ait. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, anathema sit.*

27. Denique obserua, ordinatos Ordine sacro teneri sub mortali gestare coronam, communiter, & regulariter, quæ obligatio non ita stricta est ad initiatos cæteris Ordinibus. Vnde hos non gestare coronam ad breue tempus, dummodo non omittant omnino, nullum est peccatum.

DISPVTATIO IV.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

SECTIO I.

An Extrema Vnctio sit Sacramentum nouæ legis, quæ sit eius materia, quæve eius forma.

PRIMA conclusio. Vnctio sacra, qua agentibus extremum vitæ Catholica subuenit Ecclesia, verè, & propriè est sacramentum nouæ legis gratiam conferens. ita definitum est ab Eugenio IV. in suo decreto fidei, & à Trident. sess. 14. Canone 1. & promulgatum, & commendatum apud Iacobum 5. ibi. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* In his verbis B. Iacobus à Christo Domino edoctus comprehendit, quæ pertinent ad sacramentum hoc sanctæ Vnctionis, non quòd ipse Apostolus hoc sacramentum instituerit, vt fides habet Tridentina (cùm Christus Dominus illud instituerit, quamuis non constet quo tempore, probabilius est, vel in nocte cœnæ, vel potiùs post resurrectionem Ioann. 20. post sacramentum Pœnitentiæ, cùm Apostoli creati sunt iudices ad remittendum peccata, tam in sacramento Pœnitentiæ, quàm in hoc; vt cum aliis docet Meratius disputatione 1. sect. 2.) Sed quia, auctore Trident. vbi suprà, hoc sacramentum à Iacobo promulgatum est speciatim. Quapropter Ecclesia, ex his verbis Apostoli in Tridentino, & Florentino præsertim, didicit doctrinam pertinentem ad hoc sacramentum, quantum ad materiam, formam, Ministrum, subiectum capax huius sacramenti, & effectum eiusdem. 1. Iacob 5.

Secunda conclusio. Materia remota est oleum oliuarum, non quomodolibet, sed benedictum ab Episcopo, vt decernit Tridentin. & Eugenius Papa vbi suprà: vnde ad valorem huius sacramenti, hæc benedictio necessaria est: neque potest etiam à Roman. Pontifice committi simplici Sacerdoti, quia Concilia postulant benedictionem factam ab Episcopo, non secus ac in chrismate sacramenti Confirmationis. Vbi aduerte, nullam esse formam benedictionis præscriptam, sed quamlibet factam ab Episcopo sufficere. Deinde oleum futurum est purum, non ita tamen, vt si aliquam partem balsami admittat, dummodo præmineat oleum, 2.

Digitized by Google

oleum, nequeat esse materia sufficiens vnctionis sacræ.

3. Sed an ex præcepto Ecclesiæ necesse sit oleo nouo illius anni inungere infirmos, an liceat veteri oleo hoc ministrare sacramentum, difficultas est. In qua Diana de sacramentis resolutio. 116. pro vtraque parte probabili Auctores refert, & fundamenta; ipse tamen propendet, & meritò in sententiam affirmantem, esse peccatum mortale sine causa veteri oleo infirmos inungere.

4. Tertia conclusio. Materia proxima huius sacramenti est ipsa vnctio, vt ablutio in Baptismo: Vnctio, inquam, non in modum crucis, vt in Confirmatione, nisi sola necessitate præcepti, & in ea quantitate, quæ sufficiat vt saluetur ratio, & conceptus Vnctionis: vt in Baptismo petitur ille aquæ contactus successiuus, qui sufficiat saluare rationem ablutionis.

5. Inquires, quot futuræ sint vnctiones? Eugenius IV. suprà requirit septem vnctiones, in sensibus quinque, sextam in pedibus, & septimam in renibus: vnde hæ omnes vnctiones saltem sunt in præcepto, exceptis duabus vltimis, vbi contraria consuetudine non sunt in vsu. Itaque vbique saltem quinque sunt in præcepto in quinque organis sensuum, videlicet in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus.

6. Dubium tamen est, an hæ quinque vnctiones etiam sint necessariæ necessitate sacramenti. Communis sententia affirmat cum Soto, Bellarmin. Valentia, Tannero, & aliis, quos refert & sequitur Hurt. difficult. 6. & probat praxis totius Ecclesiæ, vbique recepta. Aduertunt autem prædicti Doctores, non esse opus inungere vtramque partem organi sensus ad valorem sacramenti, sed sufficere inungere alteram partem, vt vnum oculum, v.g. vel aurem vnam; quamuis necessitate præcepti vtraque pars inungenda sit. Aduertunt deinde, si infirmo deficiat organum sensus, tunc partem illi viciniorem vngendam esse.

7. Contraria tamen sententia probabilitate non caret, vnam tantùm vnctionem sufficere ad valorem, & effectum sacramenti, cæteris ad integritatem illius concurrentibus: ita tamen, vt cuilibet suæ gratiæ portio correspondeat, ita Becanus de sacramentis cap. 15. quæs. 7. Diana de sacram. resol. 168. & 179. referente Laimanum, & alios. Quorum fundamentum est, quia quælibet vnctio cum sua forma absolutè & perfectè significat effectum sacramenti: vnde si infirmus decedat cum vna solùm vnctione, fruetur effectu sacramenti.

8. Mihi tamen probabiliot videtur prior sententia, quia hoc sacramentum essentialiter perficitur indiuisibiliter illis quinque vnctionibus, & formis ipsis correspondentibus, ac proinde gratia non confertur, nisi in, vltimo instanti terminatiuo quintæ vnctionis, & prolationis suæ formæ, quod mihi valde persuadet, quia verba, quibus illæ quinque formæ constant, significant etiam remissionem mortalium, vt prædictum est, & quia vnum mortale sine alio remitti nequit, ideo opus fuit vt forma significans remissionem mortalis commissi, v.g. per visum, nec significaret, nec sortiretur suum effectum, nisi coniunctim sumpta cum cæteris formis per quas remittuntur mortalia commissa per alios sensus.

9. Quarta conclusio. Forma huius sacramenti est. *Per istam sanctam vnctionem, & suam pissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid peccasti per visum*, &c. Vbi

10. Obserua primò, etsi quidam affirmant hanc formam valere, adhuc per verbum imperatiui, vel indicatiui; communius tamen, & probabilius esse, etiam necessitate sacramenti exprimi debere modo deprecatiuo, ex illo Iacobi suprà, *& orent super eum*, vt tenet Diana de sacram. resol. 175. & plures alij, quos ipse refert.

Ex quo obserua secundò, non sufficere si Sacerdos dicat, *Vngo te, vt per suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Deus*, &c. quia hoc modo non fit ad Deum deprecatio.

Obserua tertiò, non esse Trinitatem inuocandam necessitate sacramenti: imò, nec necessitate præcepti, nisi contrarium obtineat consuetudo.

Obserua quartò, illa verba, *sanctam, & suam pissimam misericordiam*, non requiri ad valorem sacramenti, sed ex solo præcepto Ecclesiæ adhibenda esse, quia sine illis adhuc subsistit perfectus sensus formæ, vt plerique affirmant cum Diana vbi suprà, resol. 180.

Sectio II.

De Ministro, & suscipiente, ac de effectibus huius sacramenti.

11. Minister huius sacramenti est solus Presbyter, ex illo Iacobi, *Inducat Presbyteros*, & ex Tridentin. & Eugenio suprà. Vnde nec ex Romani Pontificis commissione, vel etiam Diaconus potest esse Minister huius sacramenti, vt simplex Sacerdos potest esse minister Confirmationis, ex Romani Pontificis commissione; quia hoc ex praxi Ecclesiæ planè constat; illud verò nunquam fuit in Ecclesia visum, propter verba Iacobi nuper relata.

12. Subiectum capax huius sacramenti est baptizatus infirmus, qui aliquando vsus est vsu rationis sufficiente ad peccandum, quamuis nunquam accesserit ad Eucharistiam ex defectu plenioris vsus rationis, qui maior requiritur quàm ad peccandum. Infirmus, inquam, qui versatur in extremis vitæ, iudicio Medici, vel alterius, qui articulum mortis cognoscat, quamuis de eiusdem infirmi vita non desperetur. Infirmus, inquam, quia non sufficit existere, vtcumque in periculo, vel articulo mortis, sed requiritur periculum & articulum mortis proueniens ex infirmitate, ex illo Iacobi, *Infirmatur quis in vobis?* Vnde mulieres prægnantes, damnati ad mortem, nauigantes non sunt capaces huius sacramenti, quia non sunt in periculo mortis ex infirmitate, sed aliunde.

13. Quod attinet ad obligationem recipiendi hoc sacramentum, nullum est præceptum obligans ad illud recipiendum, quantumuis sit moribundis summopere proficuum; quia tale præceptum nullibi extat, & esse hoc sacramentum valde vtile de se non est sufficiens ratio, ad inducendam talem obligationem præcepti; non est enim obligatio ad aliquid faciendum ex eo præcisè quòd sit valde vtile.

14. Effectus huius sacramenti est augmentum gratiæ, & collatio auxiliorum, quibus roboratur infirmus

infirmus ad exitum vitæ, vt hostes deuincat. Item remissio peccatorum venialium. Deinde remissio etiam peccatorum mortalium, si quæ habet infirmus, quæ habere se bona fide inuincibiliter ignorat, vel quando ei deficiunt sensus, vel loquela, quod satis apertè deducitur ex relatis verbis D. Iacobi, *Si in peccatis sit, remittentur ei*; & ex forma huius sacramenti, *Indulgeat tibi Deus quidquid peccasti*, &c. quæ verba omnia & singula peccata commissa, tam mortalia, quàm venialia comprehendunt.

Præterea, sanitas corporis si animæ expediat, est etiam effectus huius sacramenti, vt apertè dicitur in Florent. & Trident. & colligunt Auctores, præcipuè D. Thom. & Bonauent. in 4. distinct. 13. ex illis verbis, *& oratio fidei alleuiabit infirmum*. Dicuntur autem à D. Iacobo *oratio fidei* illa verba, quibus Minister vngens vtitur, quia fide diuina credimus per illa verba perfici hoc sacramentum, ac proinde causari effectum illius. 15.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum notabilium, quæ in hoc ſecundo Tomo continentur.

Prior numerus paginam notat, poſterior eſt marginalis.

A

Abbas.

ABBATES ſaltem ex conſuetudine, vel conceſſione Summi Pontificis, ſunt ad Concilium generale conuocandi. pag.35.n.71

Aborſus.

Non licet procurare aborſum per media per ſe, & directè ordinata ad illum, ſiue poſt animationem fœtus. 199.43

Licitum eſt ſumere medicinas per ſe ordinatas ad ſalutem propriam, quando non adeſt aliud remedium, etiam ſi indirectè inde ſequatur abortus. 45

Illicitum eſt ſumere medicinas ad aborſum fœtus, vel ad impediendam generationem, quamuis aliàs peccatum ſit detegendum, & fœmina occidenda à marito. 46

Multo minus licet ad vitandam infamiam, neque propter periculum, quod aliquando fœmina fuit experta in partu. ibid.

Abraham.

Per voluntatem immolandi filium, an meruerit vt Deus ex eo carnem ſumeret. 335.96

Abſolutio.

Abſolutionem conferre abſenti non licet. 581.180. & ſeqq.

Moribundus, qui in abſentia Confeſſarij dedit ſigna pœnitentiæ, ſi per teſtimonium fide dignum ſacerdoti iam præſenti innoteſcant, abſoluendus eſt. 582.184

Quamuis ſacerdos teneat contrariam ſententiam, adhuc tenetur illum abſoluere. 186

Non eſt opus vt petierit expreſsè confeſſionem, ſed ſufficit quòd ſignificauerit ſe peccaſſe, & de peccatis dolere. 187

Sufficit etiam teſtimonium vnius teſtis affirmantis, ſigna pœnitentiæ indicaſſe. 188

Si nullus id teſtetur, non poterit eum abſoluere ſub conditione. ibid.

Abſolutio in quibus caſibus deneganda. 583.191

Qui non vult facere id ad quod tenetur, non eſt abſoluendus. ibid.

Quando ſufficienter non cõſtat de propoſito emendationis, rectè poteſt differri abſolutio. 194

Perſiſtenti in occaſione proxima, neganda. 195

Pœnitens poteſt abſolui quamuis non relinquat occaſionem peccandi, & in quibus caſibus. 584. 196

Abſolutio non eſt differenda quando Confeſſario accidit caſus difficilis in confeſſione, quem ipſe ſtatim nequit diſſoluere, & quid tunc faciendum. 569.86

Abſolutio licèt ſemel aut iterum poſſit impendi concubinario antequam de facto expellat concubinam, id tamen rarò fieri debet. 599.90

Qui bona fide accedit ad confeſſionem animo lucrandi Iubilæum, & abſoluitur à reſeruatis in aliquo die ſeptimanæ, antequam faciat alia requiſita per totam hebdomadam, & poſt abſolutionem, non implet reliqua, & ideò non lucratur Iubileum, abſolutus manet à reſeruatis, adhuc obligatis. 603.23

Quando in priuilegio Pontificis datur facultas abſoluendi à cenſuris, & pœnis, non comprehenditur irregularitas contracta propter delictũ. 618.7

Oppoſitum eſt ſatis probabile. 672.2

Abſolutio hæreſis reſeruata eſt Papæ ratione excommunicationis annexæ. 64.37

Facultas abſoluendi ab hæreſi occulta Epiſcopis conceſſa per Tridentinum, fuit reuocata per Bullam Cœnæ. 38

Prælati Regulares non poſſunt ſibi ſubditos abſoluere ab hæreſi occulta. 39

Abſolutio rariſſimè neganda ignoranti catechiſmum puerorum. 48

Abſolutio non deneganda ei qui frequenter blaſphemat, ſi aliquam diligentiam adhibeat, in coercenda lingua. 68.24

Abſoluens fœminam, quam putat eſſe virum, vel Petrum quem putat eſſe Paulum, an conficiat verum ſacramentum. 413.60

Abſolutio data ſub conditione de præterito, vel præſenti, valida eſt: ſub conditione de futuro, inualida. 541.43

Ab excommunicatione lata ab homine per generalem ſententiam, ſi non reſeruatur in ipſamet impoſitione cenſuræ, poteſt abſoluere quiuis Confeſſarius, qui poteſt à peccatis abſoluere. 649. 131

Ab excommunicatione incurſa ante appellationem, poteſt abſoluere iudex ad quem eſt appellatum, & is à quo quis appellauit. 132

Ligatus excommunicationis ad inſtantiam partis, tantùm poteſt abſolui ab habente aliàs facultatem. ibid.

Index Rerum.

Ab excommunicatione à iure communi non reſeruata Pontifici, poteſt abſoluere quiuis Confeſſarius. 133

Si ſit reſeruata, poteſt abſoluere reſeruans, vel eius ſucceſſor, vel ſuperior, vel habens poteſtatem delegatam per priuilegia. 134

Ab excommunicatione reſeruata Papæ, poteſt abſoluere Epiſcopus, quando crimen eſt occultum. Item quando excommunicatio eſt publica, & excommunicatus impeditus, vt non poſſit recurrere ad Papam. Et quæ ſint hæc impedimenta. ibid.

In Bullis, ſeu priuilegiis, in quibus conceditur facultas abſoluendi ab omnibus cenſuris reſeruatis, non intelligitur caſus Bullæ Cœnæ Domini. Oppoſitum non eſt improbabile. 650.137

Quoties non patet aditus ad Papam, niſi cum magna difficultate, & mora, quilibet ſacerdos approbatus poteſt abſoluere cum obligatione comparendi. 138

In articulo mortis quiuis ſacerdos poteſt abſoluere à quacumque excommunicatione, vel alia cenſura reſeruata, etiam ſi adſit ſacerdos aliàs habens iuriſdictionem 139

In articulo mortis conſtitutus, qui non poteſt abſolui à peccatis, quia non eſt mentis compos, vel nulla dedit ſigna contritionis, abſoluendus tamen eſt à cenſuris, vt poſſit ſepeliri in loco ſacro, etiam à clerico tonſurato abſente ſacerdote, vel laico deficiente clerico primæ tonſuræ. 140

Quando Confeſſarius in articulo mortis abſoluit à cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis, debet exigere ab abſoluendis cautionem de ſatisfaciendo, ſi ſit facienda aliqua ſatisfactio; & qualis debeat eſſe hæc cautio. 651.141

In eodem articulo, vel alio impedimento, dummodo perpetuum non ſit, abſoluens ab excommunicatione Papæ reſeruata vel alio, ſiue à iure, ſiue ab homine moneat abſoluendum, vt ceſſante morbo vel impedimento, compareat coram ſuperiore: aliàs reincidet in eandem excommunicationem reſeruatam. 142

Tempus taxandum arbitrio prudentis. ibid.

Hoc onus ſe præſentandi perſeuerat adhuc ſatisfacta parte, & ſi Confeſſarius, per obliuionem aut inaduertentiam non petat iuramentum, adhuc pœnitens tenetur comparere. 144

Poterit huic obligationi ſatisfieri per procuratorem, vel per litteras, niſi in excommunicatione percuſſionis clerici. 148

Qui nullam poteſt præſtare cautionem in articulo mortis abſoluendus eſt; quod ſi Confeſſarius omittat eam petere, adhuc tenet abſolutio. 146

Abſolutio ab excommunicatione collata nolenti, & inuito, an ſit valida, & licita. 147

Abſenti data, valida eſt. 651.148

Excommunicatus ſi mutet domicilium, poteſt ab alio Epiſcopo abſolui, niſi excommunicatio lata ſit ob delictum commiſſum, vel per ſententiam particularem contraxerit excommunicationem, vel ſi in aliqua cauſa particulari citatus fuerit coram Epiſcopo. 653.156

Abſolutio ab excommunicatione poteſt ferri ſub conditione de futuro. 158

An quando datur abſolutio ab excommunicatione ad reincidentiam, ſit neceſſaria noua culpa, vt quis in eam reincidat. 654.159

Excommunicatus ob iniuriam, vel iniuſtitiam alteri illatam, non poteſt licitè abſolui, niſi prius ſatisfacta parte, vel niſi præcedat ſufficiens cautio. 161

Sacerdos virtute Bullæ aut Iubilæi abſoluens excommunicatum potentem ſatisfacere parti læſæ non præmiſſa ſatisfactione, validè abſoluit quamuis illicitè; tenetur tamen ad reſtitutionem damni ſequuti eidem parti læſæ. 162

Quando excommunicatio eſt deducta ad forum iudiciale, abſolutio data virtute Bullæ, aut Iubilæi, licita & valida eſt etiam in foro exteriori ſatisfacta parte, vel adhibita ſufficienti cautione: quod ſi iudici conſtet per Confeſſarium doctum, & prudentem, debet reputare abſolutum. 163

Quando quis habet plures cenſuras, ſi abſoluens velit, & poſſit ab omnibus abſoluere, licet reus per obliuionem aliquas omiſerit explicare, manet ab omnibus abſolutus. 165

Abſolutio à cenſura per metum vel vim extorta, inualida eſt. 166

Quando corpus vrget, ſimul poteſt quis à cenſuris, & peccatis abſolui. 655.167

Forma, & cæremoniæ ſeruandæ in abſolutione à cenſura. 168

Acceptio perſonarum.

Quid ſit, & quale peccatum. 188.1. & ſeqq.

Ex peccato acceptionis perſonarum in cathedris, & beneficiis eccleſiaſticis, oritur obligatio reſtituendi. 197.26

Oppoſitum eſt probabile, dummodo digni eligantur. ibid.

Acceptilatio.

Quid ſit. 235.7

Accidens.

Non potuit à Deo aſſumi. 339.4

Accidentia quomodo concurrant ad productionem ſubſtantiæ. 444.17

Actus, Agere.

In actibus voluntatis duplex perfectio, altera intenſiua, extenſiua altera: quid vnaquæque, & vnde ſumatur. 113.71

Actus ſupernaturalis non poteſt vitari, nec fieri malus, & peccaminoſus. 41.10. & ſeqq.

Diuina virtute non implicat, actum ſupernaturalem elici à voluntate creata ſine habitu, vel alio auxilio intrinſeco. 128.1

Actus infinitus vnibilis eſt cum finito, non tanquam forma, ſed tanquam termino. 302.6

Ad agendum actione corporea tranſeunte, an ſit neceſſarius contactus phyſicus agentis, & paſſi. 457.32

Adam.

Auxilia quæ habuit Adam in ſtatu innocentiæ, non fuerunt ei collata ex meritis Chriſti. 321. 152

Qua ratione tota gloria quam habet Adam, correſpondeat meritis Chriſti. 153

Admiratio.

Admiratio fuit in Chriſto. 364.14

Adoptio.

Quid ſit. 377.1

Verè & propriè reperitur in Deo. 1

Differt ab adoptione, quæ fit inter homines. ibid.

Ad filiationem Dei adoptiuam, non requiritur vt quis prius fuerit extraneus. 378.4

Chriſtus in quantum homo, non eſt filius Dei adoptiuus. 6

Adoratio.

Digitized by Google

Index Rerum.

Adoratio.

Adorate Sanctos propter Deum, & adorare Deum propter se specie differunt. 121.6
Adoratio qua ratione differat ab aliis actibus Religionis. 379.1.& seqq.
Adoratio propriè quid sit. 5
Potest interius essentialiter compleri absque signo externo. 7
Adoratio multiplex. 380.9.& seqq.
Adoratio latriæ soli Deo debetur. 381.13
Potius consistit in intentione animi, quàm in actu exteriori. 14
Pro diuersitate perfectionum, quæ sunt in Deo, non differunt specie adorationes. 15
Datur præceptum diuinum, & naturale de adorando Deum. 18

Adulterium.

Adultera an teneatur detegere filium ex adulterio susceptum. 203.11
Tenetur iurare vt marito, & filiis legitimis, fiat recompensatio. 13
Adulter tenetur credere adulteræ dicenti suam esse prolem, nisi in contrarium habeat motiua sufficientia; & restituere sumptus à patre putatiuo factos. 14
Si dubius sit an proles sit sua, ad nihil tenetur. 15
Seclusо contractu, nihil tenetur adulteræ restituere. 204.17
Adultera quidquid acquirit, marito acquirit. ibid.
Nullo modo licet viro occidere vxorem in adulterio apprehensam, neque adulterum. 754.16

Affectus.

Affectus pius voluntatis prærequisitus ad credendum, est supernaturalis quoad substantiam. 40.8

Affinitas.

Affinitas vnde oriatur. 733.30

Altare.

Quale debeat esse, & quot modis consecrationem amittat. 511.75
Qualis ornatus requiratur in eo ad celebrandum. 77

Amor, Amicitia.

Non est de ratione amoris concupiscentiæ, vt bonum concupitum ordinetur in illud cui concupiscitur, sed vt sit volitum alteri. 70.5
Amor mundanus quid. 82.12
Quantumuis sit intensus non est peccatum mortale, nisi ex eo aliquod præceptum violetur. 13
Amor circa Deum duplex, concupiscentiæ, & beneuolentiæ. 90.2
Inter Deum, & homines datur propria, & vera amicitia, & in quo consistat. 92.10.& seqq.
Exponuntur proprietates veræ amicitiæ. ibid.
Amor seu dilectio Dei duplex, naturalis, & supernaturalis. 98.6.& seqq.
Aliqua dilectio Dei potest esse sine adiutorio gratiæ, non tamen dilectio Dei super omnia. 99.11
Dilectio Dei naturalis, & supernaturalis erga Deum, essentialiter differunt. 12
Dilectio Dei naturalis ad specialem virtutem spectat. 100.13
Amor Dei super omnia in quo consistat. 125.27
Amor Dei in Christo duplex, alius necessarius, alius liber. 371.13

Angelus.

Angeli in primo instanti habuerunt fidem simul cum euidentia in attestante. 9.43
Angelus non penetrat omnipotentiam Dei, nec totam capacitatem obedientialem creaturæ. 304.18
Non potuit lumine naturali cognoscere carentiam subsistentiæ humanitatis Christi. 20
Subsistentia creata in humanitate Christi, an repræsentetur Angelo suis viribus relicto, vt existens. 305.27
Angelus quamuis non videat in humanitate Christi propriam subsistentiam, non ideo positiuè cognoscit carentiam eius. ibid.
Angelus qua ratione confortauerit Christum in horto. 359.51

Annihilatio.

Annihilatio quid sit. 449.50
Non fit per actionem positiuam, sed per subtractionem concursus. 54

Anima.

Anima Christi ab instanti suæ incarnationis fruebatur diuina essentia. 354.8

Animal.

Animalia siluestria ab aliquo capta, si ante mansuefactionem euaserint illius potestatem, fiunt capientis. 215.4

Appellare.

Appellatio legitimè facta ante sententiam latam, impedit censuram. 628.79
Appellatio post sententiam latam sub conditione, si fiat ante impletam conditionem, suspendit censuram. 81
Appellatio legitimè facta, similiter suspendit declarationem censuræ. ibid.
Appellatio antecedens annullat suspensionem, nisi Papa aliud exprimat: subsequens verò suspendit illam, excepta suspensione ab officio, & ingressu Ecclesiæ. 658.22

Apostolus.

Apostoli in die sancto Pentecostes, quam plenitudinem scientiæ acceperint circa credibilia. 21. 118

Aqua.

An possit conuerti in vinum. 431.27

Arrha.

Quæ nubit, potest accipere arrhas, & retinere, quamuis se fingat virginem. 220.2
Vide *Sponsalia.*

Articulus.

Articulus fidei quid addat supra propositionem de fide. 20.113
Inter articulos fidei nullus datur, qui sit primo creditus. 21.115
Articuli fidei successu temporis creuerunt in ordine ad explicitam fidem. 118
Articuli fidei quinam expliciti credendi à fidelibus etiam rudibus. 47.45
In qua ætate teneantur pueri scire articulos sub mortali. 46
Quomodo se debeat gerere Confessarius in audiendis confessionibus illorum, qui articulos ignorant. 48.48
Articulus vnde dictus. 20.112
Quid sit illud, quod facit aliquam propositionem articulum fidei. 113
Articuli fidei an conuenienter numerentur. 22.122. & seqq.

Artifex.

Artifices, qui res alienas accipiunt vt in eis aliquid efficiant, quomodo teneantur ad restitutionem. 173.73

Attritio.

Attritio quid sit. 696.88

Ex

Digitized by Google

Index Rerum.

Ex quibus motiuis oriatur. 570.89
Debet esse supernaturalis secundùm substantiam.93
Attritio quomodo fiat contritio, & peccator ex attrito contritus. 571.100
In quo attritio,& contritio conueniant,& differant. 101

B

Baptismus.

BAptizari an possint filij infidelium inuitis parentibus. 58.5.& 760.47
An additio in forma Baptismi, *& in nomine Beatæ Virginis*, sit essentialis mutatio, vel accidentalis. 393.80
Laïcus existens in mortali si baptizet in extrema necessitate, non peccat mortaliter. Idem est de sacerdote baptizante sine solemnitate. 409.29
Baptismus quid.& quotuplex. 755.1,2
Quando institutus à Christo. 3

Materia Baptismi.

Materia remota Baptismi est sola aqua simplex, & elementaris. 4
Gelu, & nix nisi liquefiant, non sunt materia apta Baptismi. 756.7
Nec etiam aqua naturalis, si misceatur alteri materiæ extrinsecæ. 9
Materia proxima est ablutio. 10
Requiritur contactus aquæ immediatus super corpus baptizati. 11
Sufficit quælibet stilla aquæ, si moueatur localiter super corpus baptizati. ibid.
Non est necessaria trina immersio,nec vt immersioni succedat emersio. 14
Quæ & quanta humani corporis pars ablui debeat ad valorem sacramenti. 757.17
An sufficiat ablutio minimæ partis corporis. 18
Quid faciendum quando est dubium de valore sacramenti. 21

Forma Baptismi.

Quæ sit forma Baptismi. 22
De necessitate sacramenti est,vt forma Baptismi exprimat personam baptizatam. 23
Item actionem baptizandi. 24
Exprimi debet hæc actio non vt à Deo, vel à Christo præcisè,sed etiam à ministro. 758.26
Necessaria etiam est expressio sanctissimæ Trinitatis sub vnitate Deitatis. 29
An sit validus Baptismus collatus exprimendo Trinitatem sub aliis nominibus. 32
Quid si loco filij ponatur IESV *Christi*, non addendo filij eius. 759.33

Minister Baptismi.

Quælibet persona est sufficiès minister Baptismi.34
Qua ratione hoc munus conueniat soli sacerdoti,& Diacono. 36
In casu extremæ necessitatis, quis ordo seruandus inter personas baptizantes. 37
Inuertere præfatum ordinem, an sit peccatum mortale. 38
An possint plures simul vni, & eidem, Baptismi sacramentum ministrare. 39
Vnus, & idem minister potest plures simul baptizare. 760.44

Suscipiens Baptismum.

Quæuis persona humana est capax Baptismi.Requiritur consensus illius,si sit rationis compos. 45
Monstruum de quo dubitatur an sit homo, potest baptizari sub conditione. 46
Ad baptizandum puerum vel amentem, non requiritur eius consensus. ibid.
Pueri possunt baptizari in vteris maternis resectis, vel si aliquod membrum extrahant. ibid.
Infantes mancipiorum infidelium possunt baptizari inuitis parentibus. 50
Item infantes Hæreticorum,& Apostatarum.761.51
Similiter infantes infidelium,si per iniuriam in potestatem Christianorum veniant. 52

Effectus Baptismi.

Duplex est effectus Baptismi, impressio characteris, & infusio gratiæ regenerantis, cum plena, & integra peccati originalis,& aliorum actualium remissione. 53
Quæ dispositio requiratur in adulto ad suscipiendos effectus Baptismi. 56
An recedente fictione sortiatur suos effectus. 60
Adulti quo tempore teneantur ex præcepto diuino, ad suscipiendum Baptismum. 61

Beatificatio.

Quid sit,& ad quem pertineat. 37.80
Quando conceditur facultas sacerdotibus certæ Religionis ad celebrandam Missam de sancto beatificato die, quo è vita decessit, Clerici sæculares possunt in eius honorem Missam celebrare, siue in sua Ecclesia, siue in aliis; siue ipso die, siue quouis alio. 38.88

Bellum.

Bellum vnde dicatur,& quid sit. 149.1
Bellum aliud defensiuum,aliud aggressiuũ. Vtrumque honestum,si concurrant debitæ conditiones.2
Ad bellum requiritur legitima auctoritas, quæ solùm residet in Principe, vel Republica, quæ non recognoscit superiorem. 150.5
Iusta etiam causa, seu legitimus titulus bellandi, & qualis sit. 6
Princeps quomodo se debeat gerere, quando causa belli est dubia. 151.7
In bello iniusto nulli licet militare. quid in dubio. 152.13
Tam in initio belli, quàm in prosequutione illius, ante partam,& post partam victoriam, seruandus est debitus modus. 14
In belli congressu,& post partam victoriam,licitum est occidere omnes nocentes, & rebelles, nisi sub promissione vitæ se dederint. 15
Innocentes,quales iure naturæ sunt pueri,& mulieres; & iure ecclesiastico Monachi, & Religiosi, per se occidi non possunt, dum arma sumpsisse non constet. 16
Licitum est in bello hostes libertate priuare. Excipiuntur Christiani, & eorum filij, ab aliis Christianis capti. 17
Bona hostium immobilia sunt Principis: mobilia verò in actuali conflictu capta, sunt capientium. 18
Per se loquendo licitum est Principi vocare infideles in sui auxilium: & quando illicitum. 153.19
Licitum est omnibus militare in bello iusto,nisi his quibus iure positiuo prohibitum est. 20
Ecclesiastici, & Religiosi possunt militare, quoties est necessarium ad conseruandam propriam vitam,vel ad defensionem Reipublicæ. ibid.
Explicantur peccata,quæ in bello Principes,Duces, & milites,solent committere. 21

Beneficentia.

Quid sit,& ad quam virtutem pertineat. 132.19
Beneficentia duplex, alia corporalis, spiritualis altera. ibid.

Beneficium.

Beneficium Ecclesiasticum quid sit. 190.10

Datur

Digitized by Google

Index Rerum.

Datur naturalis obligatio, non conferendi illud niſi in perſonas dignas,& idoneas. ibid.
Beneficium Eccleſiaſticum triplex. 11
Graue peccatum eſt, conferre beneficia eccleſiaſtica perſonis, quæ pro dignitate officij digni non ſunt. 12
Qua ratione conferentes teneantur ad reſtitutionem. 13
Quot modis quis ſit indignus ad beneficia eccleſiaſtica. 14
Prouiſio beneficij in perſonam minus idoneam inualida eſt,ſi in Eccleſiis cathedralibus habeat annexum officium legendi ſacram Scripturam, aut Theologiam. 191.16
Quamuis prouiſio beneficij in perſonam idoneam, & dignam prætermiſſa digniori valida ſit, committitur peccatum mortale relinquendo digniorem. 17
An idem dicendum ſit in beneficiis, quæ non habent annexam curam animarum. 21
Quid quando proponuntur, vt per examen in concurſu multorum diſtiſtribuantur. 192.24

Blaſphemia.

Blaſphemia quid ſit. 64.1
Ad blaſphemiam non requiritur expreſſa intentio, ſeu affectus faciendi contra diuinam excellentiam, ſed ſufficit actus natura ſua contumelioſus in Deum,vel Sanctos. 65.4
Blaſphemia ex genere ſuo eſt mortalis, ex imperfecta tamen libertate poteſt fieri venialis. 5
Indeliberatè prolata non eſt mortalis, etiam ſi ex conſuetudine blaſphemandi prius præuiſa procedat. ibid.
Blaſphemia per ſe primò opponitur virtuti Religionis. 6
Poteſt etiam opponi confeſſioni fidei. ibid.
Blaſphemia eſt affirmare aliquid falſum de Deo, vel negari id quod verè eſt in ipſo, vel tribuere creaturæ id,quod eſt proprium Creatoris. 7
Poteſt quis dicere id quod verè eſt in Chriſto, aut in Sanctis, & nihilominus erit blaſphemia, ſi dicatur per modum rei turpis, & per modum conuitij. ibid.
Blaſphemia quotuplex. 66.8
Blaſphemiæ contra Deum, & Sanctos differunt ſpecie, & ſimiliter blaſphemia hæreticalis, & non hæreticalis. 11
Blaſphemiæ contra Deiparam,vel Chriſtum Dominum,differunt ſpecie à blaſphemia in Sanctos.ib.
Blaſphemia eſt nominare membra Chriſti, quæ abſque pudore nominari non poſſunt. 67.15
Regulariter loquendo non eſt blaſphemia iurare per vitam Dei, aut per membra honeſta Chriſti. ibid.
Item nec maledicere creaturæ, niſi formalis, & expreſſa intentio feratur in eam, in quantum Dei creatura eſt. 16
Nec miſcere cantilenas, aut res profanas dum fit ſacrum: nec Scripturam detorquere ad profanos ſenſus, niſi fiat expreſſo animo irridendi ſacrum, aut Scripturam. 17
Expenduntur nonnulla verba an ſint blaſphemia, necne? 19.& ſeqq.
Blaſphemia ex ſurreptione quando lethalis,quando non. 8.21
Ex leuitate materiæ blaſphemia in Deum, vel in Sanctos formaliter vt Sancti ſunt,nequit eſſe venialis. 23

Bigamia.

Quid, & quotuplex. 685.95
Quot modis per bigamiam incurratur irregularitas. ibid.
Vide *Irregularitas.*

Bona.

Fortunæ bona reſtituenda non ſunt cum notabili detrimento famæ; nec bona famæ, cum detrimento vitæ. 185.157
Bona inuenta, ſi poſt factam debitam diligentiam non ſit ſpes inueniendi dominum, ſunt inuentoris. 217.4
Niſi per Papam,aut Principem ſint alicui applicata. ibid.
Quæ bona habenda ſint pro derelictis,itavt ſint primò occupantis. 221.12
Quæ in mari abiiciuntur ad leuandam nauim, non habentur pro derelictis: & ſi hæc bona ſint Chriſtianorum,ea occupantes incurrunt excommunicationem Bullæ Cœnæ. ibid.
Quæ per alluuionem flumina deferunt, habenda non ſunt pro derelictis, ſed ſunt reſtituenda dominis. 222.14
Cuius ſint bona peregrini morientis ſine teſtamento,vel in hoſpitali. ibid.

Bulla Cruciatæ.

Virtute Bullæ Cruciatæ quiuis Confeſſarius poteſt abſoluere ſemel in vita,& ſemel in articulo mortis ab excommunicatione lata contra Duellantes. 155.32
Imò Religioſi extra Italiam virtute ſuorum priuilegiorum. ibid.
Approbatus ad audiendas confeſſiones cum limitatione ad tempus, vel perſonas, vel pro vno oppido tantùm, virtute Bullæ Cruciatæ, aut Iubilæi eligibilis eſt,etiam extra Diœceſim. 593.61
Parochus vt virtute Bullæ, aut Iubilæi ſit vbique eligibilis, debet actu habere parochiale beneficium. 594.63
Probabile eſt, Prælatos Monaſteriorum licèt non ſint approbati ab Epiſcopo loci, virtute Bullæ, aut Iubilæi eſſe vbique eligibiles. ibid.
Habentes, Bullam Cruciatam ſemel in vita, & iterum in articulo mortis, poſſunt abſolui à ſacerdotibus approbatis, ab omnibus excommunicationibus Papæ reſeruatis,etiam contentis in Bulla Cœnæ,excepta excommunicatione hæreſi annexa 650.135

Bulla Compoſitionis.

In bonis incertis, Bulla Compoſitionis liberat ab onere reſtituendi,& in qua quantitate. 188.175
Quid ſi Compareat Dominus. 176
Quamuis creditor ſit certus,in duobus caſibus prodeſt Bulla Compoſitionis. 177
Non liberat ab onere reſtituendi fructus beneficiorum malè habitos. 178

C

Calix.

EX qua materia debeat eſſe. 512.82
Si Eccleſiæ legatur Calix, intelligitur argenteus. ibid.
Conſecratio Calicis quomodo deperdatur. 83
Si quis bona fide celebrauit in Calice nondum conſecrato,non ideò manet conſecratus. 84
An quando perit inauratio partis interioris Calicis, & innouatur,pereat conſecratio. 85
Calix à quo debeat conſecrari. ibid.

Cambium.

Cambium quid ſit. 291.1
Cambium aliud reale, aliud ſiccum. quid vnumquodque. 292.2

Index Rerum.

Cambium reale ſubdiuiditur in minutum, & locale. 3
Campſoria ars periculoſa; ex ſe tamen nec illicita, nec damnanda. 4
Cambium minutum licitum, & Reipublicæ neceſſarium. 5
Cauſæ ob quas licitum eſt in cambio minuto lucrum accipere. ibid.& ſeqq.
Pretium in Cambio minuto ſumendum eſt, vel ex taxa Principis, vel ex communi æſtimatione. 293.14
Famulus vel Procurator, qui accipit à domino pecuniam auream vt ſoluat creditori, & ipſe eam commutat pecuniis argenteis, & ſoluit cum lucro,an teneatur ad reſtitutionem. 15
In cambio locali ſeu per litteras, quando campſor prior accipit vt alibi reſtituat, duplici titulo poteſt aliquid lucrari;nimirum,ſeu quia æquiualenter transfert pecuniam ab vno loco in alium, & quia ſumit periculum illius. 16
Lucrum hoc accipi poteſt,etiam quando intra Prouinciam exercetur. 18
Ob virtualem tranſlationem Campſor non poteſt tantum exigere,quàtum ſi realiter transferret. 19
Similiter quando Campſor dat prior vt alibi recipiat, poteſt lucrari primò, ob virtualem tranſlationem pecuniæ ex vno loco in alium. 294.20
Secundò ob maiorem æſtimationem pecuniæ in loco vbi datur,quàm vbi redditur. 21
Tertiò ratione lucri ceſſantis, & an hoc poſſit deduci in pactum. 22
Quartò ob priuilegium perdendi pecuniam, & carentiam commoditatis ea negotiandi. 23
Non eſt illicitum Cambium cum pro Campſorio reſpondet Procurator Campſoris non de propriis,vel alienis pecuniis; ſed cum pecuniis eiuſdem Campſoris. 24
In hoc Cambio litteræ nec mittuntur, nec redeunt inanes, nec fit ſolutio in eodem loco virtute primi Cambij. 295.26
Vna & eadem perſona poteſt ſubire diuerſa officia, & ſibi ipſi ſoluere; ſibique eſſe creditorem, & debitorem. 27
Hoc Cambium non eſt ſuadendum. 296.29
Peccat lethaliter Campſor cum onere reſtituendi, qui dat Cæſarauguſtæ pecuniam ſoluendam Metinæ, vbi ſcit Campſarium nec habere factorem, nec creditum ſeu amicum,qui pro eo ſoluat.ibid.
An continuationes ſeu recambia ſint licita, non ſolùm ratione lucri ceſſantis, vel damni emergentis,ſed etiam ex natura ipſius recambij. 30
Licitum eſt Campſoribus quando poſt multa Cambia,& recambia debitor ſoluit,non acceptare partem illam in ſolutionem ſortis, donec ſoluantur Cambiorum detrimenta. 33
Campſor ſeu numularius,qui pecuniam accipit cuſtodiendam,cum obligatione cuſtodiendi,& reddendi quando petatur, licitè poteſt accipere prouiſiones, ſeu iuſtam mercedem pro hac cuſtodia, & obligatione, ſi de ea antea ſtipulatus fuerit, vel ex conſuetudine dari ſoleat. 297.36
Numularius,qui nomine eius, qui pecuniam depoſuit, alteri ſoluit, ſolum poteſt accipere prouiſionem ſui officij, & laboris ab eo, qui pecunias depoſuit. ibid.
Campſor licitè poteſt aliquid exigere à Campſario nomine prouiſionis, ſi periculum ſortis volente Campſario in ſe ſuſcipiat, quamuis aliàs ſit ſecurus ſuæ ſortis. 37
Reſpondens Campſoris, vel Campſarij, licitè etiam poteſt exigere prouiſionem ab eo, cuius nomine pecuniam ſoluit. 38
Quæ quantitas debeatur Campſoribus ratione operæ,quam præſtant. 39
An Campſores in recambiis, & continuationibus poſſint exigere toties quoties,ſupradictam quantitatem. ibid.
Maior prouiſio debetur pro Cambio magno, quàm pro paruo. 298.40
An qui bona fide dedit pecuniam alicui ad cambium ſoluendam Lugduni, exiſtimans illum habere pecuniam in tali loco, & poſtea inuenit non habere, an inquam poſſit tantum exigere, quantum lucri percepiſſet ſi Campſarius Lugduni ſoluiſſet. 41
Quando vterque ex Cambio reportat æquale commodum, & onus,an ſit licitum vni cambientium recipere ab alio mercedem Cambij. 42
Referuntur conditiones quas Pius V. requirit in ſua Bulla de Cambiis. 43
Vbique non obligat, nec quoad omnes eius conditiones eſt recepta. ibid.
Licitè poteſt quis dare mercatori aliquam ſummam pecuniarum cum pacto, vt in fine anni accipiat quinque, vel ſex pro centenario, dummodo intendat explicitè,vel implicitè,celebrare tres concontractus. 299.48.& ſeqq.
Explicatur Forum Regni Aragonum circa hoc diſponens. 300.54
An ſit licitus contractus per quem ſaluo, & ſecuro capitali, accipitur annuatim certum aliquod lucrum. 301.57.& ſeqq.

Canonizatio.

Sanctorum Canonizatio quid ſit, & in quo differat à beatificatione. 37.79
Probabilius eſt de fide eſſe, Papam errare non poſſe in Canonizatione,& beatificatione Sanctorũ. 82

Capuccini.

Patres Capuccini, an poſſint excipere confeſſiones ſæcularium. 567.71
Quid virtute Bullæ Cruciatæ. ibid.
Quàm vtiles Eccleſiæ Dei. 569.83

Captiuare.

An liceat ire ad captiuandos Æthiopes, vel Barbaros, & vendere eos, & incumbere huic negotiationi. 206.11

Cardinales.

Quo iure ad Cardinales pertineat, ferre ſuffragia in Concilio Generali, vide *Concilium.*

Caſus reſeruati.

In Eccleſia Dei reſidet poteſtas reſeruandi caſus in foro conſcientiæ. 584.1
Poteſtas hæc reſidet in Summo Pontifice. 2
Epiſcopi habent immediatè à Papa hanc poteſtatem. 3
Epiſcopi cum ſoleant reſeruare plures caſus ſine cenſuris, data ab illis abſoluta facultate ad abſoluendum ab omnibus cenſuris ſibi reſeruatis,non ideo cenſetur dari ad abſoluendum ab omnibus caſibus reſeruatis. ibid.
Omnia genera peccatorum poſſunt à Papa reſeruari: ſed non expedit reſeruare peccata merè interna, nec venialia. 585.5
Quando peccatum aliquod mortale ſimpliciter reſeruatur, non cenſetur reſeruatum cum eſt in dubio. 6
Reſeruatio ſine iuſta cauſa valida,ſed non licita. 7
Quæ peccata ſint reſeruata Pontifici, & quæ Epiſcopis. 8

Prælati

Digitized by Google

Index Rerum.

Prælati Regulares præter vndecim peccata à Clemente VIII. reſeruata nequeunt alios caſus reſeruare, niſi ex conſenſu Capituli Generalis pro toto Ordine: vel Prouincialis pro tota Prouincia. 9

An Prælati Regulares poſſint aliquid præcipere, vel prohibere, ſub excommunicatione ſibi reſeruata. 586.13

Qui ſibi reſeruat Caſum, poteſt ab illo abſoluere, ſi habet poteſtatem Ordinis. 15

Prælati ſuperiores vt ſunt Epiſcopi, Generales, & Prouinciales, poſſunt abſolui à ſuo Confeſſario ab omnibus, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere. Idem de Vicario Epiſcopi. ibid.

Prælati locales vt ſunt Guardiani, Priores, &c. an poſſint abſolui à reſeruatis à ſuo Confeſſario. 587.16

In noſtro Ordine ſublata eſt eis talis facultas. ibid.

Peregrini, & aduenæ, à quo poſſint abſolui à reſeruatis. ibid.

Prælatus non poteſt audire ſola reſeruata, & ab eis pœnitentem abſoluere. 17

Qui ſuperiori, vel delegato confitetur omnia reſeruata, & inualidè abſoluitur, non tenetur iterum illum adire. 19

Probabilius eſt, per confeſſionem factam cum potente abſoluere à reſeruatis, non auferri reſeruationem eorum, quæ pœnitens per obliuionem omiſit. 21

Superior rectè poteſt concedere facultatem abſoluendi à reſeruatis cum onere, vt poſtea ſubditus compareat coram ſuperiore. 588.24

In quibus Caſibus teneatur ſuperior concedere facultatem abſoluendi à reſeruatis, ſubdito petenti per ſe ipſum, vel per Confeſſarium. 26

Quanta debeat eſſe verecundia pœnitentis, vt talis facultas concedatur. 27

Grauiter errant Confeſſarij, qui abſque examinatione legitimæ cauſæ, liberant pœnitentes ab onere comparendi. ibid.

Superiores faciles ſe oſtendant in concedenda facultate. 28

Epiſcopi an poſſint abſoluere à caſibus reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, & ab excommunicationibus eis annexis. 650.135

Quando Papa dat facultatem abſoluendi à ſibi reſeruatis, dat etiam facultatem abſoluendi à reſeruatis cuicumque inferioti. 136

Qui habet Caſus reſeruatos ſuo Epiſcopo, & confert ſe ad alium Epiſcopatum in quo ille Caſus non eſt reſeruatus, poteſt abſolui à quouis Confeſſario, & idem eſt de excommunicationibus reſeruatis. 655.157

Catechumeni.

Inter Eccleſiæ membra Catechumeni debent computari. 28.31

Cenſura.

Cenſura quid ſit. 618.1

Tres tantùm dantur ſpecies cenſuræ, excommunicatio, ſuſpenſio, & interdictum. 5

In Eccleſia datur poteſtas ferendi Cenſuras. 619.8

Hæc poteſtas iure ordinario in quibus reſideat. 10

Qui habeant poteſtatem delegatam. 12

Vtraque poteſtas nec validè, nec licitè poteſt exerceri ab excommunicato, neque à ſuſpenſo non toleratis. 13

Iure communi poteſtas ferendi cenſuras, non poteſt fœminis communicari, quid iure diuino. 14

Ex iure humano laici carentes prima tonſura, & coniugati etiam ſi quatuor minores habeant, non ſunt capaces huius poteſtatis. 620.15

Quamuis poteſtas ferendi Cenſuras ortum habuerit à Chriſto, de facto tamen exercitium illius eſt de iure humano. 18

Quid ſit Cenſura à iure, quid ab homine: & qua ratione differant. 20

Cenſuræ latæ à viſitatoribus an expirent morte illius, vel mutatione officij. 21

In Cenſura lata ab homine ſub conditione de futuro, ſi iudex non habeat poteſtatem, non incurritur Cenſura. 621.22

Quid ſi tempore intermedio ante impletionem conditionis ſuſpendatur ab vſu iuriſdictionis, vel omnino priuetur poteſtate ferendi Cenſuras, & cùm ponitur conditio iam ſit reſtituta iuriſdictio, vel poteſtas. ibid.

Qui mutat domicilium ante impletam conditionem non incurrit Cenſuram, etiam ſi conditio poſtea impleatur. 23

Oppoſitum eſt tenendum, quando cenſura reſpicit factum præteritum tempore prioris domicilij. ib.

Quid dicendum quando non præceſſit delictum, præceſſit tamen aliqua cauſa, quæ cœpta eſt trahi in iudicium. 24

In cenſuris, quæ feruntur ad inſtantiam partis, ſi hæc proroget terminum præfixum à iudice, ſuſpendit incurſionem Cenſuræ vltra terminum à iudice præfixum, abſque nouo conſenſu iudicis. 26

Si debitor, v. g. non ſoluit in illa prorogatione à creditore facta, non eſt neceſſaria noua Cenſura, ſed incurretur illa prima. 28

Quid ſit Cenſura lata, quid ferenda. 29

Traduntur regulæ ad dignoſcendum quando Cenſura eſt lata, vel ferenda. ibid.

Ligari Cenſuris tantùm poteſt homo viuens, baptizatus, rationis compos, habens ſuperiorem. 621.33

Cenſuræ irrationales nequeunt Cenſura ligari. 34

Mortui non poſſunt ligari Cenſuris. 35

Neque nondum baptizati. 37

Nec pueri ante vſum rationis, nec amentes niſi antequam inciderent in amentiam dederint cauſam Cenſuræ. 38

In ſeipſum nullus poteſt ferre Cenſuram; nec par in parem. 623.39

Papa non eſt Cenſura ligabilis. ibid.

Imperatores, & Reges non poſſunt ab Epiſcopis excommunicari. ibid.

Exiſtens in alieno Epiſcopatu, vel etiam intra Epiſcopatum in loco exempto, non poteſt ligari Cenſuris à ſuo Epiſcopo. 40

Propter crimen commiſſum in proprio territorio, licèt quis in alieno exiſtat, poteſt ligari. 42

Item propter crimen commiſſum in alieno territorio, ſi reuertatur ad proprium, & ibi conueniatur. 724.44

Peregrinus exiſtens in alieno Epiſcopatu, an poſſit ligari Cenſuris ab Epiſcopo Epiſcopatus in quo eſt. 46

Quid de vagis. 47

Quid de iis qui dimidia parte anni habitant in vno loco, & alia dimidia in alio loco. 48

An Epiſcopus exiſtens extra propriam Diœceſim, poſſit ferre cenſuras in ſuos ſubditos. 49

Propter idem peccatum poteſt quis ligari Cenſuris ſpecie diuerſis. 50

Index Rerum.

Qui facit peccata numero distincta, quando propter quodlibet est imposita censura, tot incurrit censuras eiusdem speciei, quot fuerint peccata numero diuersa. 51

Censura solùm ferri potest propter peccatũ. 625.52

Requirit actum externum; lata verò propter peccatum meré internum, est inualida. 53

Actus externus, quem punit Ecclesia sub censura, debet esse consummatus. 56

Vndecumque excutetur à peccato mortali, excusatur etiam à censura. 57

Censura leuis potest imponi ob veniale. 626.58

Quando censura fertur contra facientes, non comprehendit mandantes, nec consulentes. 59

Quando extenditur ad mandantes, & consulentes, non comprehendit illos, si mandatus erat aliàs facturus. ibid.

Si mandans, vel consulens, reuocet mandatum, vel consilium antequam delictum committatur, & talis reuocatio perueniat ad notitiam mandatarij vel consulti, non incurrit censuram. 60

Quando reuocatio est ex se efficax, & nihilominus non impedit influxum mandati aut consilij in opus, an impediat incursionem censuræ. ibid.

Quamuis actus exterior sit malus, si tamen actus interior à quo procedit, non habet malitiam prohibitam sub censura, non incurritur. 63

Censura lata à ligato Censura occultè seu tolerato, valida est. 627.64

Inualida est lata à delegato, si delegans sit publicè Censura ligatus. 65

Lata etiam contra se ipsum. 66

Item lata in propria causa per modum iudicij, non verò per modum defensionis. 67

Lata etiam sine intentione interna eam ferendi, per actum externum manifestata. 68

Censura lata à iudice propter metum grauem cadentem in constantem virum, valida est. 69

Indeterminatè lata, inualida. 72

Censura lata per sententiam non seruato ordine substantiali iuris, inualida. 628.73

Quando verè non est causa, hoc est peccatum, quamuis sit legitimè probatum, non ligat in foro conscientiæ: seruanda tamen in foro externo in quantum est necessarium ad tollendum scandalum. 75

Lata a iudice legitimè recusato durante recusatione, inualida. 79

Ad ferendam Censuram medio iure, aut præcepto pro peccatis futuris, non requiritur monitio. 629.83

Censura pro peccato præterito nec licitè, nec validè potest ferri, nisi ob peccatum inobedientiæ, seu contumaciæ respectu Ecclesiæ. ibid.

Limita in suspensione, & interdicto, quando non imponuntur vt censuræ, sed in pœnam, & vindictam. 86

Inobedientia, & contumacia debet esse respectu Ecclesiæ comminantis sub Censura. 87

Aliqua monitio essentialiter est necessaria ad excommunicationem. 88

Regulariter requiritur trina, vel vna pro tribus. 630 91

Debet fieri cum competenti interuallo aliquorum dierum, nisi necessitas aliud exposcat. 92

Iudex excommunicans non præmissa trina monitione, vel vna pro tribus, peccat mortaliter; & per mensem manet suspensus ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Episcopus. ibid.

Quamuis ante monitionem constet de contumacia, adhuc sine monitione non potest quis Censura ligari. 93

Etiam quàndo excommunicatio fertur à Prælato per modum defensionis, requiritur monitio. 94

Quando à iure statuta est Censura ferenda, non potest iudex contra reum conuinctum procedere ad excommunicationem sine alia monitione. 95

Stando in contraria sententia, nequit iudex talem reum excommunicare sine citatione, dando terminum ad allegandum pro se. 96

Semel ligatum Censura, nequit iudex propter idem delictum iterum Censura ligare, sine noua monitione. 97

Quas conditiones debeat habere monitio canonica, qualis prærequiritur ad lationẽ Censuræ. 631.99

Census.

Census quid sit. 284.1

Diuiditur in reseruatiuum, & consignatiuum. 285.3

Reseruatiuus quid sit, & qua ratione differat ab emphyteusi. 284.2

Consignatiuus Census quid sit. 285.3

Quot modis diuidatur. 4

Licitè potest quis vendere ius percipiendi redditus, vel pensionem ex re propria, & alius emere tale ius. 5.& seqq.

Emptio census realis licita est. 286.9

Item emptio census personalis. 10

Quod verum est, etiam si pensiones sperentur excessuræ pretium. 11

Persona supra quàm census constituitur, debet esse fructifera. ibid.

In emptione huius census, licitum est exigere hypothecam securitatis causa. ibid.

Licita etiam est emptio census mixti. 287.14

Emptio Census perpetui irredimibilis minori pretio facta, quam pensiones speratæ, licita est. 15

Pereunte re, periit etiam Census, & potest exigi hypotheca; & ad quid deseruiat. 16

Probabile est, emptionem Census personalis irredimibilis licitam esse. 17

Ex natura rei licitus est Census realis ad certum vel incertum tempus, pro minori pretio, quàm sit quantitas pensionum, quæ ex eo soluendæ sunt. 18

Census vitalitius emi potest minori pretio, quàm pensiones speratæ. 19

Census personalis ad certum tempus, potest emi minoris, quàm pensiones speratæ. 20

Emptio Census cum pacto, vt non possit redimi nisi ante vel post certum tempus, licita est, & in vtroque casu pretium debet esse maius. 288.22

Emptio Census cum pacto vt venditor possit redimere quando voluerit, licita est. 23

An' sit licitum quando tale pactum adiicitur in fauorem emptoris, itavt possit illum reuendere quando voluerit, vel resoluere contractum, recepto quod dedit. 24

Quodnam sit iustum pretium Census. 26

Explicantur conditiones ex natura rei requisitæ ad Censum licitum. 25

Exponuntur conditiones ex Bulla Pij V. requisitæ in emptione Censuum. 289.27

An vbi hæc Bulla recepta est, omnino sit seruanda in foro conscientiæ. 291.42

An pactum vt census non possit redimi nisi in eadem moneta, sit licitum, vel illicitum. 43

Certitudo.

Certitudo quid sit. 92.18

Ad

Digitized by Google

Index Rerum.

Ad quam potentiam pertineat. 73.24

Ceſſatio à diuinis.

Ceſſatio à diuinis quid ſit. 670.59
Tempore ceſſationis nulla officia diuina poſſunt publicè celebrari, priuata verò recitatio non tollitur. 60
In diebus Paſchatum, & aliarum feſtiuitatum, in quibus à iure ſuſpenditur interdictum, ſuſpenditur etiam ex conſuetudine ceſſatio à diuinis. 61
Quæ ſacramenta non liceat miniſtrare tempore ceſſationis. 62
An liceat Eccleſiaſtica ſepultura. 63
Ob quam cauſam poſſit imponi ceſſatio à diuinis, & quæ iuriſdictio requiratur ad eam tollendã. 64
Qua forma ſit inferenda. 65
Dantes cauſam ceſſationi quomodo teneantur ad reſtitutionem. 66
A quo tollatur ceſſatio. ibid.

Ceſſio bonorum.

Ceſſio bonorum quid ſit. 185.160
Quæ bona poſſit retinere, & occultare, qui cedit bonis; & alij cuſtodire. ibid.

Caſio lignorum.

An incola aut ciuis vrbis, peccet mortaliter, & teneatur ad reſtitutionem, ſi abſque facultate cædat aliquas arbores ex ſyluis communibus. 217. 15
An ſolummodo teneatur ad pœnam deprehenſi, qui ligna cædunt ex montibus vicorum conuicinorum. ibid.

Character.

Nomen Character quid ſignificet. 401.1
Character quid ſit. 2
Non eſt relatio rationis. 3
Nec relatio realis. 4
Eſt qualitas ſupernaturalis de prima ſpecie qualitatis. 404.10
Non eſt potentia phyſica actiua, vel paſſiua. 11
Diſponit ſubiectum in quo eſt, ad rectè ſuſcipienda, conficienda, vel miniſtranda ſacramenta. 405.13
Eſt in anima indelebiliter. 15
Manet in alia vita, tam in Beatis, quàm in damnatis. 20
Tria tantùm ſacramenta imponunt Characterem, Baptiſmus, Confirmatio & Ordo. 21

Charitas.

Nominis Charitas multiplex ſignificatio. 90.1
Charitatis diffinitio. ibid.
Formale obiectum Charitatis eſt Deus, quatenus Deus eſt bonus in ſe, bonitate pertinente ad ordinem rerum ſupernaturalium, vel quatenus eſt principium bonorum ſupernaturalium. 3
Charitas eſt qualitas, & habitus creatus. 91.6
Eſt vera amicitia hominis erga Deum. 91.11
Charitati eſſentialiter conuenit beneuolentia erga Deum, non verò ratio amicitiæ. 93.19
Actus dilectionis Dei non repugnat formaliter cum peccato habituali. ibid.
Charitas eſt vera virtus. 20
Eſt vna virtus ſpecie, à reliquis diuerſa. 21
Imperat actus aliorum virtutum. 94.24
Eſt excellentiſſima omnium virtutum, tam in genere moris, quàm in eſſe qualitatis. 96.25. & ſeqq.
Charitas eſt forma omnium virtutum, non per informationem realem, & intrinſecam, ſed per denominationem extrinſecam. 95.33 & ſeqq.
Charitas eſt in voluntate tanquam in ſubiecto. 97.1
Charitas à Deo efficitur in nobis per infuſionem, ſine nobis. 3
Qua ratione infundatur iuxta quantitatem diſpoſitionum. 5
Tam quoad habitum, quàm quoad actum, eſt in eſſentia ſua ſupernaturalis. 4
Charitas in hac vita poteſt augeri, non ſolùm in eſſe morali, ſed etiam phyſicè, & in ſua reali entitate. 100.14
Augetur ſtatim per actus intenſiores, & feruentiores. 16
Habitus gratiæ, & Charitatis, non ſolùm augentur per actus ipſis intenſiores, ſed etiam per actus ſibi æquales. 102.23. & ſeqq.
Per huiuſmodi actus iuſti ita creſcunt in iuſtitia, & ſanctitate, vt per illos etiam acceptentur ad maiorem gloriam cæleſtem. 103.29
Quod intelligendum eſt non de gloria accidentali, ſed de præmio beatitudinis eſſentialis. 104.32
Quamuis nunquam habeant alium actum intenſiorem. 33
Iuſti per omnes actus charitatis adhuc remiſſiores, quos poſt iuſtificationem eliciunt, verè ac propriè creſcunt in iuſtitia, & ſanctitate. 105.37
Merentur etiam augmentum gloriæ eſſentialis, ac proinde etiam gratiæ, & charitatis. 38
Idem augmentum merentur per continuationem operum Charitatis. 107.42
Augmentum gratiæ, & Charitatis, quod merentur iuſti per actus remiſſos, ſtatim confertur. 109.53
Quid mereantur actus remiſſi per continuationem, & quando conferatur. 10.57
Augmentum Charitatis gratiæ, & gloriæ, cæteris paribus maius eſt, ex præſtantia operis honeſti, quod à charitate imperatur. 58
Non rectè inde infertur, meritum eſſentiale magis principaliter reſpondere aliis virtutibus, quàm Charitati. 113.73
Charitatis augmentum non poteſt eſſe adeo magnum in hac vita, vt ſuprà illud non poſſit creſcere homo iuſtus. 114.76
Charitas ex ſua natura in quolibet ſubiecto poteſt magis, ac magis creſcere in infinitum; ita vt nullum habeat terminum augmenti, cui non poſſint addi alij gradus Charitatis. 78
Non poteſt dari Charitas actu infinita ſecundum intenſionem. 115.82
Charitas in hac vita poteſt eſſe perfecta. 83
In quo conſiſtat hæc perfectio. 84
Explicantur tres gradus Charitatis, incipientium, proficientium, & perfectorum. ibid.
Habitus Charitatis poteſt eſſe intenſior in via, quàm in patria. 116.85
Actus etiam Charitatis in via poteſt eſſe intenſior, quàm in patria. 87
Actus Charitatis in via, & in patria, non differunt ſpecie, neque in perfectione eſſentiali, ſed in individuali. 89
Charitas quæ per peccatum corrumpitur, an corrumpatur demeritoriè tantum, an verò phyſicè effectiuè, & ex natura rei. 117.91. & ſeqq.
Repugnantia, quæ eſt inter peccatum, & charitatem, reducitur ad oppoſitionem contrariam. 119 106
Secundum diuerſas rationes Charitas corrumpitur effectiuè, & demeritoriè per peccatum. 107
Obiectum materiale primum, & præcipuum Charitatis eſt Deus; minus præcipuum proximus. 120.1
Charitatis obiectum materiale multiplex. 4
Peccatores, & inimici ſunt ex Charitate diligendi. 121.7
Dæmones, nec damnati, non ſunt ex Charitate diligendi. 8

Index Rerum.

Charitatis ordo.

Inter obiecta Charitatis amabilia, seruandus est aliquis ordo. 123.20.& seqq.
Ordo Charitatis consistit in maiori appretiatione obiectorum, non in maiori, vel minori intentione. 124.24
Homo tenetur diligere Deum appretiatiuè magis, quàm se ipsum,& cætera omnia. ibid.
Non tenetur diligere Deum magis intensiuè. 25
Præceptum Charitatis non obligat ad diligendum Deum, cum certo, & determinato gradu intensionis, sed solùm ad diligendum Deum super omnia. ibid.
Præceptum diligendi Deum ex toto corde, ex tota anima, &c. tantum inducit obligationem diligendi Deum super omnia apretiatiuè. 125.28
Naturaliter magis inclinatur homo ad diligendum Deum, quàm se ipsum. 126.30.& seqq.
Ex præcepto Charitatis tenetur homo se ipsum magis diligere in bonis, quæ ad obseruantiam diuinæ legis sunt necessaria, quàm quoslibet alios proximos. 127.38.& seqq.
Hunc ordinem non inuertit Paulus dum dixit, *Optabam Anathema esse*,&c. 39
Nec qui propter bonum temporale proximorum, omittit aliquod opus præceptum. v. g. factum in die festo. 40
Vnusquisque tenetur ad diligendum magis proximum in spiritualibus, quàm se ipsum in corporalibus. 41
Tenetur etiam subuenire extremæ necessitati spirituali proximi cum periculo propriæ vitæ. ibid.
H quibus ex officio incumbit cura salutis alienæ, etiam in graui necessitate tenentur cum periculo vitæ. ibid.
Inter proximos aliqui sunt magis diligendi quàm alij,ram affectu interno, quàm externo. 128 42
Parentes filiis in dilectione præferendi. ibid.
Coniunctio consanguinitatis quoad dilectionem, præferenda coniunctioni spirituali. ibid.
In bonis corporalibus bonum commune præferendum est bono proprio. 43
Nullus potest honestè vitam propriam exponere periculo,ad succurrendum periculo alterius:quare illicitum est mortem subire pro vita temporali alterius sibi æqualis. ibid.

Actus Charitatis.

Actus Charitatis quid sit. ibid.1
Est supernaturalis secundùm substantiam. ibid.
Actus Charitatis sine habitu inhærenti, elici potest cum solo auxilio externo. 129.2.& seqq.
Ab eadem virtute Charitatis possunt promanare plures actus essentialiter diuersi, & numerantur. 131.4

Charitatis præceptum.

Datur præceptum speciale charitatis, quod non cadit sub aliorum vinculo; estque distinctum à præcepto Decalogi. 132.21
Probabilius est, solo amore amicitiæ satisfieri huic præcepto. 24
Præceptum hoc vt spectat ad Deum finem naturæ, est naturale;vt verò ad Deum finem gratiæ,est supernaturale. 133.25
Ex ea parte,qua est negatiuum, obligat pro semper. 26
Ea verò ratione qua affirmatiuum est, non obligat in primo instanti vsus rationis. 27
Neque diebus festiuis. 28
Nec quando adultus non recipit Baptismum. 29
Nec quando quis aggreditur Martyrium. 30
Nec quando recipit aliquod insigne beneficium,vel liberatur ab aliquo malo grauissimo. ibid.
Nec in casu,quo periclitetur honor diuinus,videlicet quia Deus blasphematur. 134.31
Tenetur quis aliquoties in vita exire in actus charitatis erga Deum. 32
Dilatio trium annorum censetur materia grauis. ibid.
Præceptum diligendi Deum super omnia, præcipuè obligat instante morte. 33
Referuntur alij casus, in quibus hoc præceptum obligat per accidens, ratione alterius præcepti. 34
Dilectio proximi, quo tempore obliget formaliter, & expressè. 35

Christus.

Christus vt homo, habuit infinitam dignitatem ratione personalitatis Verbi diuini. 317.119
Christus in quantum fuit constitutus caput hominum, & suscepit onus satisfaciendi pro hominibus,subiit obligationem iustitiæ. 319.137
In Christo non fuit permixtio,nec confusio naturarum, neque operationum. 324.10
Christus est caput omnium hominum, etiam infidelium. 351.73
Item infantium existentium in vteris maternis. 79
Non est caput damnatorum. 77
Non fuit caput primorum Parentum pro statu innocentiæ. 352.80
Non solum quoad animam, sed etiam quoad corpus,est caput hominum. 81
Gratia capitis competit Christo ratione vnionis hypostaticæ, non ratione gratiæ habitualis. 85
Non tantùm vt Deus,sed etiam vt homo, est caput Angelorum. 87
Quid influat in Angelos. 353.89
In quantum homo verè, & propriè est filius Dei. 377.3
Hic homo Christus in diuina, & humana natura subsistens,adorandus est latria. 381.19
Item Christus in quantum homo specificatiuè. 382.21
Humanitas Christi præcisa vnione ad Verbum,adoranda est Hyperdulia. 24
Non esset licita nec decens, adoratio cum ea præcisione. 26

Ciborium, seu Pyxis.

Pyxis,seu Ciborium,in qua sanctissimum asseruatur, ex qua materia debeat esse, & an egeat consecratione. 512.86
Qua ratione liceat, vel non liceat, hæc sacra vasa tangere. 88

Clerici.

An possint vacare negotiationi, vide *Negotiatio.*
An teneantur soluere Gabellas, vide *Tributum.*

Columbaria.

Qui positis illecebris in suo Columbario, columbas alterius eò traducit,tenetur ad restitutionem, si id faciat cum fraude. 204.2
Columbæ quando censeantur reliquisse prius Columbarium. 3
Columbaria an licita. ibid.

Cognatio spiritualis.

Quando superueniat matrimonio. 733.27
Peccat mortaliter, qui prolem alterius coniugis baptizat, aut tanquam patrinus leuat, aut suscipit in Baptismo,vel Confirmatione. ibid.

Communio.

Digitized by Google

Index Rerum.

Communio.

Vide *Suscipiens Eucharistiam.*

Post copulam prohibitam, nullum est peccatum ad communionem accedere, si præcedat sacramentalis confessio. 487.66

Consultius verò est eo die abstinere, & etiam post actum coniugalem. ibid.

Communio non est prohibita fidelibus Feria sexta maioris Hebdomadæ. 508.50

Conuenientissimum est die communionis abstinere à copula coniugali. 734.38

Compensatio.

Quomodo licita, vel illicita. 186.62

Compositum.

De ratione compositi substantialis non est, vt constet ex entibus incompletis. 325.21

Neque vt extrema habeant rationem partium. ibid.

Neque vnum sit actus, alterum potentia. ibid.

Concilium.

Concilij nomen vnde dictum. 35.70

Conciliorum triplex genus. ibid.

Concilium generale quibus de causis possit congregari. ibid.

Potestas cogendi Concilium generale, in Romano Pontifice residet. 71

In Concilio generali solus Romanus Pontifex debet præsidere per se, aut per suos Legatos. ibid.

In Concilio generali soli Episcopi iure ordinario habent ius suffragij, ex priuilegio verò etiam alij. ibid.

Definitio Concilij generalis ante confirmationem Pontificis, non habet infallibilem veritatem. 72

Decretum generalis Concilij nunquam est infallibile, absque confirmatione Summi Pontificis, incluſa saltem in suffragio ipsius, cum quo consentiat maior Concilij pars. 36.75

Si verò Legatus mittitur cum instructione certæ sententiæ, cum qua maior pars Ecclesiæ consentit, hoc sufficit. 77

Confessarius.

An habeat ius ad interrogandum de consuetudine peccati. 583.193

An pœnitens possit vti æquiuocatione, negando consuetudinem. ibid.

Confessarius quomodo se geret, quando pœnitens, qui sæpiùs absolutus propter graue detrimentum, quod sequeretur ex remotione occasionis proximæ, semper tamen eodem modo relabitur. 584.197

An possit impendere absolutionem pœnitenti, qui per ignorantiam est in actu peccati, & an teneatur illum admonere. 198

An solus sacerdos sit minister sacramenti Pœnitentiæ. ibid.

Confessio facta non sacerdoti, etiam in quacumque necessitate, inualida est. 585.7

Duplex distinguitur potestas Ordinis sacerdotalis. 586.10

Non sufficit potestas Ordinis, sed vlterius requiritur potestas iurisdictionis in eum, qui absoluendus est. ibid.

Potestas iurisdictionis non confertur tota ab Ecclesia. 15

Non datur actualis ex vi ordinationis. 587.17

Non tantum est passiua ex parte eius, qui iudicandus est, sed etiam actiua, & ex parte principij. 18

Ex vi ordinationis, non est ex se completa, & sufficiens ad validè absoluendum, sed solùm inchoata. 19

Perficitur ab Ecclesia cum subditi designantur. ibid.

Facultas concessa omnibus sacerdotibus absoluendi in articulo mortis, non est de iure diuino. 21

An quilibet simplex sacerdos possit absoluere à peccatis, & censuris, constitutum in periculo mortis, etiam in præsentia proprij sacerdotis. 588.23

Quid de prægnantibus. 26

De peccatis mortalibus iam confessis, & de venialibus, quilibet sacerdos potest absoluere. 27

Qui habeant iurisdictionem ordinariam. 28

An iurisdictio ordinaria iure diuino resideat in Episcopis. 589.30

An Parochus, & eius Vicarius perpetuus, Archipresbyter, & Prælati locales Religionum, habeant iurisdictionem ordinariam. 31

An iurisdictio ordinaria quoad forum internum, terminetur personis, vel localibus terminis. ibid.

Qui sint exempti à iurisdictione Parochi. 32

Quid de habentibus duo, vel plura domicilia. 34

Quid de iis qui in vno loco habent domicilium fixum, in alio verò non fixum. ibid.

Quid de vagabundis. ibid.

Quid de Parochis, Episcopis, & Cardinalibus. ibid.

Quid de iter agentibus. ibid.

Quid de Regularibus itinerantibus. 35

Iurisdictionem possunt delegare omnes, qui habent ordinariam potestatem. 580.38

Pontifex potest concedere cuicumque fideli facultatem confitendi alteri, sine licentia Episcopi, vel Parochi. 40

Habens officium delegatum, potest delegare facultatem audiendi confessiones: secus qui solum habet facultatem delegatam. 41

Delegatio necessariò debet fieri signis externis. 42

Non sufficit ratihabitio de futuro post collatam absolutionem. 43

An sufficiat ratihabitio de præsenti. 45

Iurisdictio petita, & non obtenta, est insufficiens. 591.47

An sufficiat per vim, metum, aut dolum extorta. 48

Quid de iurisdictione dubia. 49

An iurisdictio expiret morte concedentis. 51

Communis error sine titulo colorato, an tribuat iurisdictionem. 592.52

Ex decreto Tridentini, nullus potest sæcularium etiam sacerdotum confessiones audire, nisi sit approbatus ab Episcopo, vel parochiale beneficium habeat. 54

Quid intelligatur nomine Episcopi. 55

A quo Episcopo debeat fieri approbatio. 593.56

Doctores, Lectores, & Licentiati in sacra Theologia, vel iure Canonico, tenentur approbationem petere, & obtinere. ibid.

Prælati, & Episcopi sæculares, comprehenduntur eo decreto. 57

Approbatus ab vno Episcopo pro vna Diœcesi, non ideo censetur approbatus pro alia. 58

Episcopus pro libito, & sine iusta causa, non potest negare approbationem: & quid si iniustè neget. 59

Potest approbare cum limitatione ad certum tempus, & certas personas. 60

Parochi habentes beneficium Parochiale, nequeunt committere suas oues sacerdotibus non approbatis ab Episcopo. 594.64

Digitized by Google

Index Rerum.

Quæ bonitas requiratur in Confeſſario. 598.85
Sufficit ſi ſit in gratia, quando formam abſolutionis profert. ibid.
Qua ſcientia debeat eſſe præditus confeſſarius. 86
Qui ſine ſcientia requiſita ſe exponit ad audiendas confeſſiones, grauiter peccat. 87
Item Epiſcopus approbans, & iuriſdictionem committens. 88
Parochi, & alij habentes curam animarum, ex iuſtitia tenentur confeſſiones audire; & non ſolùm in mortis periculo, vel ſemel in anno, ſed & aliis temporibus, ſi ſubditi petant. 89
Qui ex officio non tenentur audire cõfeſſiones, tantùm obligantur in caſu extremæ neceſſitatis. ibid.
Quam obligationem habeat Confeſſarius interrogandi, docendi, corrigendi, & diſponendi pœnitentem. 599.90
Quando inter Confeſſarium, & pœnitentem datur diuerſitas opinionum, quid agendum. 91
Confeſſarius, qua ratione debeat ſupplere defectus in confeſſione commiſſos. 92
Confeſſarius qui non admonuit pœnitentem de reſtitutione facienda, an teneatur ad reſtitutionem. 93

Confeſſio ſacramentalis.

Dari præceptum diuinum confeſſionis, fides docet. 557.2
Præceptum hoc non obligat, niſi lapſo poſt Baptiſmum. 558.9
Non obligat ſtatim, ac quis peccat. 559.11
Neque quoties ex dilatione oritur periculum probabile obliuionis peccatorum. 12
Probabile eſt per accidens obligare, quoties cenſetur medium neceſſarium ad vitanda peccata. 13
Eodem modo obligat ratione Euchariſtiæ ſuſcipiendæ. 11
Per ſe obligat, quoties quis eſt in extrema neceſſitate. 14
Extrà caſum neceſſitatis obligat vagè, & indeterminatè. 15
Suppoſita inſtitutione ſacramenti Confeſſionis, ſi Chriſtus reliquiſſet liberũ eius vſum, adhuc potuiſſet Eccleſia præcipere confeſſionem. 560.21
In eo caſu non potuiſſet directè præcipere interiorem dolorem cordis, neque interiorum tantum peccatorum confeſſionem. 561.23
Eccleſia poteſtate ſibi à Deo conceſſa, modificauit tempus præcepti diuini confeſſionis ad tempus vnius anni. 25
Hæc determinatio obligat fideles ad interiora peccata confitenda. 26
Præceptum hoc obligat omnes, & ſolos baptizatos. 562.29.
Etiam Hæreticos. 31
Obligat pueros, ſiue maſculos, ſiue fœminas, cum ad annos diſcretionis peruenerint. 32
Meretrices publicæ tenentur hoc præcepto, & incurrunt excommunicationem imponi ſolitam tranſgreſſoribus. 34
Summus Pontifex tenetur hac lege. 35
Is ſolùm tenetur hoc præcepto, qui ſibi conſcius fuerit peccati mortalis. 36
Qui tantum habent venialia, non obligantur hoc præcepto. 563.38
Nec tenentur ad eorum confeſſionem in genere. 39
An ad euitandum ſcandalum, teneantur coram ſacerdote comparere. ibid.
An Eccleſia potuerit præcipere confeſſionem venialium. 40
Annus in hoc præcepto, quomodo computandus. 564.47
Iure communi nullum eſt tempus determinatum adimpletioni huius præcepti, ſed quocumque die anni quis confiteatur, ſatisfaciet eius obligationi. 565.52
Nec iure ſpeciali nec conſuetudine tenetur quis confiteri determinato anni tempore. 53
Vniuerſalis conſuetudo confitendi in Paſchate non eſt introducta pro præcepto confeſſionis præcisè, ſed vt homines ſe præparent ad Euchariſtiam quæ eo tempore debet ſuſcipi. ibid.
Qui ſemel in anno confeſſus eſt, non tenetur eo anno iterum confiteri ex vi præcepti Eccleſiæ. 56
Etiamſi ante Paſcha committat aliqua mortalia. 57
Qui ſemel ritè confeſſus aliqua mortalia aliorum eſt oblitus ſine culpa, ſatisfecit præcepto annuæ confeſſionis, neque tenetur eo anno iterum confiteri quamuis poſtea memoriæ occurrant, ſed poteſt differre vſque ad confeſſionem anni ſequentis. 566.59
Oppoſitum dicendum de eo qui confeſſus eſt venialia ſi poſtea incidat in mortale. 60
In duobus caſibus tenetur quis anticipare confeſſionem. Primus quando præuidet futurum impedimentum propter quod non poſſit confiteri ſuo tempore. Secundus quando adeſt periculum mortis, vt in morbo, bello, nauigatione, &c. 567.71
Obligatio huius præcepti non finitur elapſo anno, ſed adhuc perſeuerat. 568.75
Qui non abſoluitur à confeſſario, vel quia eſt in publico peccato, vel in occaſione proxima peccandi, aut alia ſimili cauſa, non ſatisfacit huic præcepto. 78
An per confeſſionem informem impleatur. 80
Pœnæ contra eos qui non adimplent præceptum confeſſionis. 81
An incurrat has pœnas qui non confertur integrè, vel ſine dolore interno. 569.82
An ad confeſſionem neceſſariò requiratur formalis diſplicentia, & dolor peccatorum. 85
Non requiritur contritio, ſed ſufficit attritio etiam cognita vt talis. 86
Non ſufficit dolor quo quis dicet ſe non habere dolorem de peccato. 570.89
Hic dolor debet eſſe de omnibus lethalibus. 90
Qui confiterur ſola venialia, vel ſimul cum lethalibus, quem dolorem teneatur afferre. 91
Non eſt neceſſe vt dolor confeſſionem præcedat, ſat eſt ſi ipſam ſequatur ante abſolutionem. 92
Quando confeſſio fit de ſolis venialibus, neceſſariò requiritur dolor efficax, ſaltem alicuius venialis. 96
Propoſitum ſaltem virtuale cauendi peccata in poſterum, eſt neceſſarium ad valorem confeſſionis. 572.108
Prærequiritur etiam diligens examen peccatorum. 110
Qualis diligentia ſit exhibenda. ibid.
Nullus tenetur ad ſcribenda peccata, quamuis timeat, aut certò ſciat aliquorum ſe oblitum. ibid.
An poſſit dari confeſſio, ſeu ſacramentum validum, ſed informe. 570.98.& ſeqq.
Confeſſio debet eſſe ſenſibilis. 573.111
Validè fieri poteſt ſine verbis. 112
Nequit licitè fieri per nutus, aut alia ſigna, niſi ex iuſta cauſa. 113

Index Rerum.

Cùm per ſcripturam quis confitetur, non eſt opus, vt confeſſarius, audiente pœnitente legat peccata. 116

An ſi quis ſit mutus, vel Confeſſarius ſurdus, teneatur peccata mortalia per ſcripturam confiteri. 117

Non eſt de ratione confeſſionis vt ſecretò fiat, eſt tamen valde expediens. 118

An ex vi præcepti confeſſionis, teneatur quis confiteri per interpretem. 574.119

Negans peccatum mortale, quod non attinet ad confeſſionem præſentem, nec habet connexionem cum illa, non peccat mortaliter. 124

Qui mentitur in confeſſione circa peccatum mortale nondum confeſſum, vel imponendo ſibi mortale, quod non commiſit, peccat lethaliter. 125

Mentiri in confeſſione ſibi falsò imponendo veniale, quod non commiſit; ſi alias confitetur aliud peccatum, quod verè commiſit, non eſt peccatum mortale. 126

Qui vni Confeſſario primò confitetur omnia mortalia, & deinde alteri venialia, per ſe loquendo non peccat mortaliter. 575.127

Peccata mortalia, quæ Baptiſmum præceſſerunt, non ſunt confitenda. 128

Quid de peccatis, quæ committuntur, dum Baptiſmus ſuſcipitur. 129

Ad valorem confeſſionis, per ſe loquendo, neceſſarium eſt confiteri eidem confeſſario omnia lethalia poſt Baptiſmum commiſſa, à quibus pœnitens non fuit abſolutus. 132

Omnes etiam ſpecies peccatorum. 576.134

Quid de circunſtantiis. 136

Item numerum peccatorum. 137

Et qualiter explicandus. 138

Quomodo [illegible]gerere debeat confeſſarius cum ruſticis. 139

Peccata mortalia dubia ſunt exprimenda. 577.142

Qui certus eſt, ſe aliquid feciſſe, & dubitat an fuerit mortale, tenetur ſub iſto dubio confiteri. 145

Similiter ſi certus eſt, ſe aliquod mortale commiſiſſe, & dubitat an illud confeſſus fuerit. 144

Quoties quis probabiliter iudicat, ſe non peccaſſe lethaliter, vel iam eſſe confeſſum tale peccatum, non tenetur illud confiteri. 146

Peccata dubia exprimenda in confeſſione vt dubia, debet verò pœnitens adiungere aliquam materiam certam. 147

Quando dicatur confeſſio formaliter non integra, quando verò materialiter. 148

Proponuntur caſus, in quibus locum habet confeſſio materialiter non integra, tam ex parte pœnitentis, quàm ex parte confeſſarij. 149. & ſeqq.

An poſſit dimidiari confeſſio, vt confeſſarius non veniat in complicis notitiam. 578.153

Grauiter peccant pœnitentes nominando perſonam complicis, ſi peccatum rectè explicari poteſt non nominata perſona. 156

Adeundus eſt alius confeſſarius ſi inueniri poteſt, qui perſonam complicis non agnoſcat. ibid.

Quando tantùm imminet periculum ex confeſſione actus externi, exprimendus eſt internus. Idem de circunſtantia. ibid.

Cùm non adeſt conſcientia peccati mortalis, licitum eſt confiteri ſola venialia, vel peccata de quibus pœnitens iam antea fuit abſolutus. 579. 157

An in eo caſu ſufficienter quis confiteatur, explicans aliquod peccatum vitæ anteactæ in genere. 159

Confeſſio quocumque fine fiat, ſi in eo non peccatur lethaliter, validè fit. 163

Nullus tenetur per ſe loquendo iterum confiteri peccatum, à quo ſemel validè abſolutus eſt. 580. 166

Qui verò inualidè confeſſus, vel inualidè eſt abſolutus, tenetur confeſſionem repetere. 167

In quibus caſibus confeſſio ſit inualida, & iteranda ex parte pœnitentis. 168

An iteranda ſit confeſſio, quando aliquod peccatum mortale prætermiſſum fuit ex ignorantia vincibili mortaliter. 169

Pœnitens excommunicatus, ſi voluntariè abſoluatur prius à peccatis, quàm ab excommunicatione, confeſſio eſt nulla, & iteranda. 171

Quid de eo, qui neſcit, aut non cogitat ſe eſſe excommunicatum, aut excommunicationem obſtare valori ſacramenti. ibid.

In quibus caſibus confeſſio ſit inualida ex parte confeſſarij. 581.178

Quid de confeſſione facta confeſſori ignaro. ibid.

Quid agendum cum eo cuius idioma ignoratur. 179

Confirmationis ſacramentum.

Sacramentum Confirmationis quid ſit. 763.16

Confirmatio eſt vnum ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis. ibid.1

Inſtitutum à Chriſto in nocte Cœnæ. 764.3

Materia & forma.

Materia remota huius ſacramenti eſt chriſma confectum ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedicto. 4

Sola manuum impoſitio non eſt materia huius ſacramenti. ibid.

Conſecratio olei non poteſt committi ſimplici ſacerdoti. ibid.

Materia proxima eſt vnctio chriſmatis. 7

Quæ ſit forma huius ſacramenti. 8

Miniſter.

Miniſter ordinarius huius ſacramenti eſt ſolus Epiſcopus. 9

Simplici Sacerdoti delegari poteſt à ſolo Papa. 10

Quando quis habet litteras dimiſſorias à ſuo Epiſcopo vt poſſit ab alio ordinari, ſi non ſit confirmatus, an poſſit ab eo Epiſcopo confirmari. 765.11

Suſcipiens.

Subiectum capax Confirmationis eſt omnis, & ſolus baptizatus. 12

Vſus rationis an ſit expectandus, vt ſacramentum Confirmationis conferatur. ibid.

An baptizati rationis vſu prædicti, teneantur recipere hoc ſacramentum. 13

Effectus.

Duplex effectus huius ſacramenti. 14

Quæ diſpoſitio requiratur. 15

Conueniens.

Quid addat ſupra bonum, & quot modis dicatur. 306.30

Conuerſio.

Conuerſio quid, & quotuplex. 441.2

Ad conuerſionem ſubſtantialem quæ conditiones requirantur. 3. & ſeqq.

Natura diuina nequit conuerti in rem vllam creatam, nec econtra. 451.64

Perſonalitas creata poteſt conuerti in perſonalitatem diuinam, non econtra. ibid.

Conuerſio partialis tam formalis, quàm materialis, vtraque

Digitized by Google

Index Rerum.

vtraque possibilis. 66
Potest Deus quodlibet corpus conuertere in quodlibet aliud corpus. 452.67
Substantia spiritualis non potest conuerti in aliam, neque in substantiam corpoream. 69
Quælibet substantia corporea potest conuerti in substantiam spiritualem. 70
Accidens à subiecto separatum, non potest in aliud conuerti. 72
Nulla res totaliter potest in aliam conuerti. 73

Correctio fraterna.

Correctio duplex, alia iudicialis, alia fraterna, & quid vnaquæque. 139.1
Correctio fraterna est actus charitatis, vel misericordiæ, iuxta motiuum à quo oritur. 140.2
Datur præceptum, tam diuinum, quàm naturale de correctione fraterna, obligans sub mortali. 3
Rarius obligat hoc præceptum quando peccatum est ex malitia. 4
Obligat omnes generatim, & non Prælatos tantum. 6
Filij, nec subditi, nec peccator, non excusantur ab impletione huius præcepti. ibid.
Materia huius præcepti est peccatum mortale proximi. 141.7
Peccatum veniale non est materia necessaria, nisi sit dispositio moralis, & proxima ad mortale. ibid.
Probabilius est, peccatum commissum, & non emendatum, secluso etiam periculo relabendi, esse materiam grauem huius præcepti. ibid.
Correctionis præceptum, quando, & cum quibus circunstantiis obliget. 9
Quæ notitia delicti prærequiratur. ibid.
Requiritur vt frater indigeat mea correctione. 10
Debet etiam esse probabilis spes emendæ, & non sufficit dubia. 142.11
Non ideo omittenda, eo quod emendandus, tristitiam, vel iram aliquam concipiat. ibid.
Cum graui suo incommodo, nullus tenetur corrigere. 12
Potest differri cum creditur fore magis profecturam, expectando tempus commodum. ibid.
Correctionis ordo assignatus Matthæi 18. simpliciter loquendo per se cadit sub præcepto. 13. & seqq.
Hoc præceptum in lege Euangelica non fuit à Christo superadditum. 143.16
Ille ordo seruandus est, antequam delictum fratris denuntietur Prælato tanquam iudici. 18
Præfatus Ordo non est ita in præcepto, vt in quolibet euentu obliget. 19
Quando spes est certa æquè profuturam monitionem ac delationem, non licet deferre Prælato etiam vt patri, crimen occultum fratris, ante præmissam monitionem. 144.22
In Religionibus licitè & honestè, potest denuntiari Prælato vt patri, peccatum occultum fratris, si sit spes maioris vtilitatis illius, & Prælatus sit prudens, & charitate præditus. 23
Impugnatur Lorca. 145.25
Quando frater non est plenè emendatus, & est periculum relapsus, licitum est, & valde conueniens, deferre peccatum occultum Superiori vt patri, absque præmissa monitione. 27
In delictis, quæ vergunt in damnum tertij, aut communitatis, licita est eadem delatio. 146.29
Exponitur locus Matthæi. 18.31
Diuus Thomas explicatus. 32
Infamia quæ ex tali denuntiatione sequitur, Religioso, valdè exigua. 147.34

Contractus.

Contractus propriè quid sit. 234.1
Contractus minus propriè, qua ratione diffiniatur. 3
Contractus adhuc latiùs, quid sit. 235.7
Contractus quotuplex iuxta Sotum. 8
Explicantur variæ species contractus. ibid.
Contractus diuiduntur in eos in quibus transfertur dominium, & in quibus non transfertur. 11
In lucratiuos, & oneroſos. ibid.
In respectiuos, & non respectiuos. 236.12
In contractus bonæ fidei, & stricti iuris. 13
In nominatos, & innominatos. 14
In nudum, & vestitum. 15
Ex omni contractu proprie dicto, oritur obligatio in vtroque foro. 16
Quilibet contractus etiam nudus, ac innominatus, parit obligationem realem. 17
Contractus nudus dum non vestitur, non parit obligationem in foro ciuili. 18
Ad irritandos contractus habet ius publica potestas. ibid.
Contractus nudus si iuramento firmetur, parit obligationem in vtroque foro. 19
Qua ratione contractus firmentur, vel non firmentur iuramento, vide *Iuramentum.*
Error antecedens, qui dat causam contractui circa substantialia, iure naturæ reddit illum inualidum. 238.28
Idem dicendum si error sit concomitans. ibid.
Ex præcedenti doctrina inferuntur nonnulla. 29
An error antecedens circa qualitatem accidentalem, irritet contractus. 239.30.& seqq.
Regula datur. 35
In omni contractu cui dolus causam dedit, tenetur decipiens ad reparandam inæqualitatem. 36
Iure positiuo si dolus dedit causam contractui circa substantialia, contractus est nullus, & decepto datur actio aduersus decipientem. Quid si sit circa qualitatem. 37
Contractus cui metus grauis iniustè illatus causam dedit, iure naturæ non est irritus, sed venit irritandus. 244.39
Soluuntur obiectiones in contrarium. 40.& seqq.
Limitatur in voto, & matrimonio. ibid.
Iure positiuo contractus siue oneroſus, siue lucratiuus, cui metus grauis causam dedit, non est irritus, sed irritandus. 241.44
Eodem iure excipiuntur nonnulli contractus. 46
Probabilius est, omnes contractus factos per metum leuem, rescindi posse in foro conscientiæ, si velit qui metum est passus, & repetere quæ tradita sunt, & qui ea obtinet, tenetur restituere. 47
Quæ solo metu reuerentiali acta sunt, possunt rescindi, & qui commodum inde percepit, tenetur ad restitutionem. 48
Beneficium restitutionis in integrum conceditur minoribus, Ecclesiis, & locis piis, si damnum notabile acceperint ex contractu. 49
Probabile est, contractum celebratum sine solemnitatibus substantialibus à iure requisitis, validum esse in foro conscientiæ; non verò in foro externo. Probabilius autem in neutro foro valere. 242.51
Signa ad dignoscendum quando in contractu solemnitas sit substantialis. 54
Accepta per contractum lucratiuum sine debita solemnitate factum, restituenda sunt etiam ante iudicis sententiam; non verò accepta per contractum oneroſum. 53

Digitized by Google

Index Rerum.

Contumelia.

Contumelia quid ſit. 218.10
Quot modis fiat. 11
Quando liceat conuitiantem altero conuitio repercutere. ibid.
Quamuis peccata, quæ obiiciuntur, differant ſpecie, omnes tamen contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei. 13
Honor per contumeliam ablatus, qua ratione reſtituendus. 232.38

Controuerſiæ.

Controuerſiæ quotidie exortæ inter Doctores Catholicos, nec ſunt, nec contingunt abſque vnanimi & conformi vnius fidei profeſſione. 30.42

Cauſa efficiens.

Efficiens cauſa neceſſariò exigit præſentiam, & propinquitatem, ad phyſicè operandum. 362.14
Diuina virtute nihil poteſt eleuari vltra ſuas vires ad efficiendum aliquid, niſi habeat circa illud aliquam virtutem, ſaltem inchoatam. 15

Circumciſio.

Circumciſio fuit ſacramentum veteris legis. 394.4
Circumciſio non conferebat gratiam ex opere operato. 5
Infantibus in Circumciſione infundebatur gratia, & remittebatur originale peccatum ex mera Dei liberalitate, poſita illa conditione. ibid.
Adultis in Circumciſione, quomodo dabatur gratia, & remittebatur peccatum originale. ibid.

Contritio.

Deteſtatio peccati quid ſit. 544.5
Deteſtatio ex multiplici virtute ſpecie diſtincta poteſt oriri. 6
Diſplicentia propriè ſumpta, eſt idem realiter cum deteſtatione. 7
Peccati deteſtatio realiter differt à dolore, & triſtitia. 8
Deteſtatio peccati eſt actus inefficax, & conditionatus ex parte obiecti. 545.11
Qua ratione ſit efficax, & abſolutus. ibid.
Deteſtatio vel dolor vnius peccati, ſi nitatur tantùm motiuo particulari illius peccati, non eſt virtualis deteſtatio aliorum. 13
Secus dicendum, ſi nitatur motiuo peccatis omnibus communi. ibid.
Contritio vnde dicta, & quot modis ſumatur. 16
Contritio propriè quid ſit. 546.17
Debet eſſe formalis deteſtatio peccati. 18
Non ſufficit qualiſcumque deteſtatio, ſed neceſſaria eſt ſeria & efficax. 19
Obiectum materiale contritionis eſt omne peccatum actuale proprium, ſiue mortale, ſiue veniale, & etiam iam dimiſſum. 20
Peccatum originale, propriè loquendo, nequit eſſe obiectum contritionis. 21
Debet eſſe deteſtatio omnium peccatorum mortalium, implicitè, vel explicitè. 22
Actus contritionis vt ſit vera contritio, debet eſſe deteſtatio peccati ſupra omne deteſtabile. 23
Siue debet eſſe dolor appretiatiuè ſummus. ibid.
An vnum peccatum poſſit deteſtari magis, quàm aliud. 547.25
An ſit magis deteſtandum peccatum proprium, quàm alienum. 26
Ad veram contritionem extra ſacramentum Pœnitentiæ, formaliter requiritur charitas, ſeu amor Dei ſuper omnia. 28
Contritio eſt actus elicitus charitatis. ibid.
Sola contritio perfecta abſque alio actu charitatis, ſufficiens eſt extra ſacramentum ad iuſtificationem. 548.33
Dolor de peccatis non eſt de eſſentia contritionis, quamuis illum neceſſariò inferat. 35
Formale propoſitum vlterius non peccandi, non eſt de eſſentia contritionis. 38
Ad veram contritionem non requiritur intenſio actus in tali, vel tali gradu. 39
Neque duratio temporis. 549.41
Ad valorem contritionis extra ſacramentum, non requiritur examen, & recogitatio explicita ſingulorum peccatorum in particulari. 42
Dolor de peccatis proximi ad iuſtificationem diſponit, quoties in primo eius inſtanti coniungitur realiter cum contritione. 43
Contritio non eſt cauſa phyſica efficiens expulſionem peccati. 48
Neque cauſat remiſſionem peccati in genere cauſæ formalis. 550.51
Contritio non eſt forma ſanctificans nos formaliter. 53
Eſt diſpoſitio ad remiſſionem peccati mortalis. 551. 61
Eſſe hanc diſpoſitionem non conuenit illi ab intrinſeco, ſed ex Dei inſtitutione. 63
Datur præceptum contritionis. 65
Præceptum hoc obligat ex duplici motiuo. 68
Omittens adimpletionem huius præcepti, peccat duplici ſpecie peccati. ibid.
Præceptum hoc non obligat ſtatim, ac peccator peccauit. 552.71,75
Neque quoties peccata memoriæ occurrunt. 72
Neque omnibus diebus feſtis. 73
Neque quando ingruit Reipublicæ magna aliqua calamitas. 74
Per ſe loquendo obligat peccatorem in periculo mortis, ſi non habeat copiam Confeſſarij. 553.81
Probabile eſt, extra periculum mortis etiam obligare illum, qui poſt peccatum diutiùs viuit. 82
Quando obliget per accidens. 554.83
An qui ſine formali contritione iuſtificatur extra ſacramentum per formalem Dei amorem, cum obliuione ſuorum peccatorum, cùm ipſorum poſtea recordatur, teneatur elicere formalem contritionem. 84

Crux.

Iam in qua Chriſtus pependit, quàm omnes aliæ Cruces, ſunt adorandæ. 386.60
Lignum ſanctæ Crucis duplici titulo adorandum. 61
Materia Crucis, in qua Chriſtus pependit, non ſolùm adoranda dum retinet formam Crucis, ſed etiam ea forma deſtructa. ibid.
Cur omnes Cruces ſint adorandæ, non omnes claui, lanceæ, &c. 63
Crux in quantum repræſentat Chriſtum Crucifixum, adorari debet eadem adoratione, qua adorantur imagines Chriſti. 385.65
Ratione contactus Crux, qua adoratione ſit adoranda. 66

Creatio.

Creatio quid ſit. 449.50

Credere, Credibilitas.

Credibilia euidenter ſunt Chriſtianæ fidei myſteria. 1682
Proponuntur fundamenta huius credibilitatis. 83. & ſeqq.
Credibilitas hæc non eſt fidei infuſæ, ſed acquiſitæ. 91

Nulla

Index Rerum.

Nulla eſt repugnantia, quod eadem res ſit credita, & euidenter cognita. 17.93.& ſeqq.
Quid ſit credere implicitè, quid explicitè. 43.27
Quid fuerit neceſſarium omni tempore explicitè credere. 28

Culpæ.

Alia Theologica, alia iuridica. 169.55
Culpa triplex, lata, leuis, & leuiſſima. 171.66

D

Damnati.

DAmnati triſtantur non ſolùm de amiſſione beatitudinis, ſed etiam de Deo ipſo vt abſenti. 70.6
In damnatis nulla datur fides ſupernaturalis. 56.25
Neque ſpes. 78.47

Damnum.

Damnum emergens, quot modis dicatur. 261.83

Debita, Debitor.

Debitor quomodo teneatur ad reſtitutionem, quando ſolutio debiti mittitur per aliquem, ex cuius malitia, aut negligentia fit, vt res non detur creditori. 173.78.& ſeqq.
Debita quo ordine ſint ſoluenda. 181.130
Debitum reale ſemper eſt præferendum, ac primo loco ſoluendum. ibid.
Debitum certum præferendum, & ante omnia incerta, integrè ſoluendum. 132
Inter debitores certos, an priùs ſoluendum ſit venditori. Probabilior ſententia negans. 134
Quæ debentur ex titulo oneroſo, ſoluenda ſunt ante illa, quæ debentur titulo gratioſo. 182.36
Inter debita ex titulo oneroſo, quæ pro ſecuritate habent hypothecam, aut pignus, præferenda, & primo loco ſoluenda. 137
Inter debita ex delicto & ex contractu, nullus datur ordo, ſed æquè ſolui debent. 139
In debitis ſoluendis, non eſt habenda ratio antiquitatis. 141
Debitor non poteſt præferre in ſolutione aliquem ex creditoribus, quos ſcit concurrere in eodem gradu. 183.143
Debitor in extrema neceſſitate exiſtens, an teneatur ſoluere creditori exiſtenti in eadem neceſſitate. 211.46
Debita incerta poſt adhibitam diligentiam vt vero domino tradantur, ſi ſint fidelium viuorum, aut defunctorum, ſunt elargienda pauperibus. 217.1
Non eſt neceſſe vt pauperioribus dentur. 3
De conſilio Prælati poterit debitor ſi ſit pauper, ea ſibi applicare. ibid.

Defectus corporis.

Chriſtus aſſumpſit corpus paſſibile. 363.1
Et defectus corporis, & quales. 4
Non eſt dicendus eos contraxiſſe, ſed aſſumpſiſſe. ibid.
Non aſſumpſit defectus corporis particulares, qui non ſunt communes toti naturæ. 5
Actualem corporis corruptionem, neque contraxit, neque aſſumpſit. 364.7
Si non fuiſſet occiſus, an ſenio tandem moreretur. 363.6

Degradatio.

Degradatio quid ſit. 660.30
Quam ſolemnitatem requirat. ibid.
A quo poſſit fieri. ibid.

Depoſitio.

Depoſitio quid ſit. 659.27
Non eſt cenſura, ſed ex ſe pœna perpetua. ibid.
Priuat officio & beneficio habitis, & reddit inhabiles ad alia de nouo obtinenda. ibid.
Depoſitio quotuplex ſit. ibid.
Depoſitio non ordinata ad degradationem, ſi ſit tantùm à beneficio, priuat à beneficio habito, & habendo validè. 28
Si ſit ab officio, priuat officio habito, & vſu illius. ibid.
Si ſit ſacri Ordinis, priuat vſu illius. ibid.
Depoſitio ordinata ad degradationem quid ſit. 29

Depoſitum.

Depoſitarius qua ratione teneatur ad reſtitutionem, ſi ex ſua negligentia pereat res depoſita. 173.77

Dæmon.

In Dæmone nulla datur fides ſupernaturalis. 56.25
Neque ſpes. 78.47

Denuntiatio.

Alia Euangelica, alia iudicialis. Quid vnaquæque. 143.20
Denuntiatio iudicialis ſit Superiori vt iudici: Euangelica verò vt patri. ibid.
Ex denuntiatione paterna, non poteſt Prælatus procedere iudicialiter, & delinquentem punire. 147.35
Poteſt procedere ad pœnitentiam aliquam ſecretam, ſi delictum ſit graue, & poteſt probari. ibid.
Poteſt ſubditum à loco vel miniſterio remouere, quando fieri poteſt ſine infamia illius. ibid.
Poteſt cum ſuis conſultoribus agere, quando id iudicatur expediens, & coram illis corrigere ſecretò. ibid.
Poteſt deſignare delinquenti ſocium fidelem. ibid.
Si ei conſtet de delicto per delationem vnius teſtis omni exceptione maioris, & delictum ſit in damnum communitatis, vel tertij, poteſt præcipere delatori vt iudicialiter denuntiet, vel creare fiſcalem, qui denuntiatoris officium ſumat. ibid. & 148.39
In criminibus exceptis licitum eſt deferre Superiori vt iudici, peccatum occultum fratris. 147.36. & ſeqq.
Peccatum fornicationis apud Regulares computandum inter crimina excepta. 148.37.& ſeqq.
Solicitatio ad Venerem in confeſſione, & alia crimina, quæ in edictis dominorum Inquiſitorum apponuntur tanquam ſuſpecta de hæreſi, denuntianda ſunt ante vllam admonitionem. 147.36
Crimen hæreſis non ſolùm quando eſt publicum, ſed etiamſi vnus ſolus ſciat, tenetur illud denuntiare. 62.30.& ſeqq.
Non eſt inutilis hæc denuntiatio, cum iudex poſſit procedere ad inquirendum. 63.31
Ab hac obligatione non excuſatur, qui ſub ſecreto etiam iuramento confirmato, hæreſim agnouit. ibid.
Non eſt obligatio præmittendi correctionem, etiamſi ſit ſpes emendationis. 32
Patres tenentur denuntiare filios, & filij parentes. 35
Filius deferens patrem, manet liber à pœnis in hæreticorum filios iure ſtatutis. ibid.
Probabilius eſt, hanc obligationem non eſſe in mariro reſpectu vxoris, neque in vxore reſpectu mariti. 36

Deſperatio.

An poſſit quis deſperare reuelata ſibi ſua damnatione. 88.20

Detractio.

Quid ſit, & qua ratione differat à contumelia. 227.7

Ex

Digitized by Google

Index Rerum.

Ex ſuo genere eſt peccatum mortale. 228.8
Leuitas vel grauitas materiæ detractionis, deſumenda ex qualitate perſonæ, quæ infamatur. ibid.
Detractio dupliciter fit, vel crimen falſum imponendo, vel verum occultum reuelando. 9
Detractio contra Patrem, vel Prælatum, ſpecie non differt ab aliis detractionibus. 13
Audiens detractorem quando peccet lethaliter, & teneatur ad reſtitutionem. 229.14
Qui audit defectum perſonæ incognitæ, peccat curando eam agnoſcere. 16
Qui refert peccata grauia alicuius, dicens ſe audiuiſſe ab aliis, an & qua ratione peccet. 17
Reuelans ſine cauſa vni viro graui & prudenti, crimen graue occultum alterius, an peccet lethaliter. 19
Qui ad euitanda tormenta leuia crimen ſibi falsò imponit propter quod eſſet occidendus, peccat lethaliter: non autem ſi crimen occultum verum pandat. 230.21
Ad euitanda grauiſſima tormenta, poteſt quis ſine peccato ſibi graue crimen imponere. 22
Item poteſt peccatum occultum alterius manifeſtare, vel aliud ſecretum, vnde mors ſit illi obuentura, dummodo alia via non poſſit euadere. 24
Etiamſi crimen alterius ſub ſecreto, & ſigillo iuramenti ſit commiſſum. 26
Nunquam licet nec ad tormenta, nec ad ipſam mortem vitandam, crimen falſum alteri imponere. 231.28
Qua ratione peccet, qui peccatum proximi publicum in vno loco, reuelat in alio in quo eſt occultum. 30

Deus, Deitas.

Deitas eſt radix omnium diuinorum attributorum. 3.13
Si per impoſſibile Deus non eſſet verus in dicendo, non eſſet ratio aſſentiendi myſteriis fidei. ibid.
Deus nec de lege ordinaria, nec de potentia abſoluta poteſt mentiri. 12.58.& ſeqq.
Non ſolùm per ſe ipſum, ſed neque per alium, etiam de potentia abſoluta, poteſt dicere falſum. 61
Neque poteſt eſſe infidelis, aut violare promiſſionem ſuam. 60
Exponuntur teſtimonia ſacræ Scripturæ, quæ in contrarium poſſunt adduci. 13.65
Poteſt tam in Scriptura, quam in aliis reuelationibus, vti verbis obſcuris, ac tropicis. 14.69
Repugnat Deo producere ſpeciem impreſſam, aut habitum inclinantem ad falſum. 13 63
Deo vt ſummè bono, conuenit ſe ſummè communicare. 306.43
An ſemper velit id quod eſt optimum. 307.45
Inuoluit imperfectionem indignam Deo, libertas phyſica tantùm, cum impotentia morali. 308.50
Deus quomodo ſapientiſſimus artifex in operando. 54
Deus poteſt pati damnum in honore, & de facto patitur quando à peccatore offenditur. 313.87
Poſita promiſſione, ex iuſtitia tenebatur Deus acceptare ſatisfactionem Chriſti. 319.138
An ſi omnia poſſibilia in eo cognoſcerentur, comprehenderetur à creatura. 354.12

Diaconus.

Diaconus exiſtens in mortali, non peccat mortaliter exercendo operationes ſui Ordinis. Idem eſt de Subdiacono. 410.34

Diſpenſatio.

Diſpenſationes quæ à Superioribus ſine mendacio impetrantur, & abſolutè conceduntur, validè ſunt, quamuis taceantur aliqua de iure non exprimenda, quæ ſi exprimerentur, non concederentur. 277.59

Diuites.

Non debent eſſe nimis curioſi in inueſtigandis neceſſitatibus pauperum, quæ ſibi proponuntur. 137.17
Diuites immiſericordes, nec facientes eleemoſynas, damnantur. 138.21

Diuortium.

Diuortium quid ſit. 752.1
Coniuges ex mutuo conſenſu, ſecluſo periculo incontinentiæ, poſſunt thoro ſeparari. 2
Qua ratione poſſint ingredi Religionem. 3
Vir contracto matrimonio, neque antea, neque poſt conſummationem, poteſt inuita vxore ad ſacros ordines promoueri. 4
Coniuges ob adulterium, nequeunt quoad vinculum ſeparati; poteſt tamen vir vxorem dimittere in perpetuum. 5
Niſi ab vtroque coniuge adulterium ſit commiſſum. 753.7
Vel niſi innocens poſt diuortium adulteret. 8
Quando iniuria adultero remiſſa eſt, nequit innocens ob adulterium recedere. 11
Vir qui proſtituit vxorem, ſiue lenocinium exercet, nequit vxorem repudiare. 12
Si adulterium ſit commiſſum ſine culpa coniugis adulteri, non poteſt vxor dimitti. 13
An vir non ſolùm poſſit, ſed etiam teneatur, dimittere vxorem adulterantem, & in adulterio perſiſtentem. 14
Diuortium etiam ob alias cauſas, poteſt licitè fieri. 754.17
Quando adulterium eſt publicum & notorium, poteſt diuortium fieri propria auctoritate. 18
Coniux innocens poſt diuortium ritè factum ob adulterium, etiam altero inuito, poteſt caſtitatem vouere, ſacris initiari, & Religionem ingredi. 19

Doctor.

Qui falſam doctrinam docet, cum ex officio teneatur docere veritatem, tenetur ex iuſtitia retractare doctrinam, & verum docere. 226.2

Dominium.

Dominium quid ſit. 193.1
Quotuplex ſit dominium. 2
Ad acquiſitionem dominij regulariter requiruntur titulus, & traditio. 4
In aliquibus caſibus traditio non requiritur. ibid.
Homo proprie loquendo, non eſt dominus ſuæ vitæ, aut membrorum. 194.8
Non poteſt transferre in alium dominium ſuæ vitæ, aut ſubſtantiæ, bene tamen ſuarum operationum. 10
Dominium vnius hominis ſupra alterum, quid ſit. 204.2
Duobus modis acquiritur. 3
Res quæ nullius ſunt domini, fiunt illius à quo primò occupantur. 206.13
Res quæ non ſentiunt, nec habent vim fugiendi à dominis, non deſinunt eſſe illorum, niſi à dominis derelinquantur. 14
Animalia, qua ratione deſinant eſſe ſub poteſtate prioris domini. 17

Donatio.

Quid ſit, & quas conditiones exigat. 244.12
Donare non poſſunt, qui carent vſu rationis. 245.13
Nec prodigus, nec impubes, nec filiusfamilias, nec minor

Digitized by Google

minor 25.annis, ſi curatori ſubſit, nec vxor, nec ſuperiores Regularium ad vſus profanos. ibid.
Subditi Regulares, niſi ad cauſas pias, & ex conſenſu Superiorum, donare nequeunt. ibid.
Iure poſitiuo vt valida ſit donatio, requiritur inſinuatio. 14
Si quantitas excedat ſummam 700. ſcutorum, id quod ꝓ rædictam ſummam excedit, retineri poteſt donec repetatur. ibid.
Idem dicendum de remiſſione debiti. ibid.
In quibus caſibus donatio ſit valida abſque inſinuatione. 15
Donatio facta à Clerico loco tituli ad Ordines ſuſcipiendos, valida eſt. Et quamuis intercedat pactum renuntiandi, ſuſceptis Ordinibus, nec poteſt, nec tenetur renuntiare, etiam poſt beneficium obtentum. 16
Donatio facta per Epiſcopum intra 20. dies ante obitum, inualida eſt in foro exteriori, non verò in interiori. 17
Quid faciendum ſi publicetur excommunicatio contra non reuelantes bona Epiſcopi defuncti. ibid.
Donationes factæ cognatis per Epiſcopos, & Clericos, illicitæ. 246.18
Donatio omnium bonorum, tam præſentium, quàm futurorum, an ſit valida. 19
Donans Eccleſiæ, vel monaſterio omnia ſua bona, retento ſibi vſufructu, ſi poſtea filios habeat, non reuocatur in totum donatio, ſed quoad eorum legitimam. 20
Donatio inter virum & vxorem iure communi inualida, & ad arbitrium donantis reuocabilis, morte verò confirmatur. 21
Exprimuntur caſus, in quibus valida eſt donatio inter virum & vxorem. 22
Veſtes, annuli, & ſimilia, quæ vxoribus traduntur à maritis, an cenſeantur donata, vel ad vſum conceſſa. 247.23
Quid de ſponſalitia largitate. ibid.
Quid etiamſi oſculum intercedat. ibid.
Donatio patris in filium nondum emancipatum, an ſit valida. 24
Donatio inter viuos poteſt reuocari ob ingratitudinem, vel ratione prolis ſuſceptæ, vel ſi ſit inofficioſa. 25
Donatio mortis cauſa facta, poteſt reuocari ſi pœniteat donatorem: ſi donatarius moriatur ante donatorem: ſi dedit intuitu alicuius inſtantis periculi ex quo metuit mortem incurrere. ibid.
Donatio facta ad certum finem, vel onus, ſi illud onus, vel finis non præſtetur, an ſit valida. 26

Donum.

Donum Spiritus ſancti quid ſit. 84.25
Quot ſint dona Spiritus ſancti. 349.61
Non ſolùm quoad actum, ſed etiam quoad habitum, fuerunt in Chriſto omnia dona Spiritus ſancti. 62

Dubius.

Dubitatio de rebus fidei, nunquam eſt ſine aliquo errore poſitiuo. 56.23
Bona fide rem poſſidens, incipiens poſtea dubitare an ſit aliena, ſi adhibita diligentia non potuerit veritatem cognoſcere, honeſtè poteſt illam habere, & conſummare. 168.51
In hoc caſu ad quid teneatur poſſeſſor malæ fidei. ibid.
Si cognoſcat nullum eſſe periculum ne inueniatur dominus, honeſtè poteſt illam diſtrahere, ſi bona fide poſſideat. 169.52
An liceat emere ab alio rem, de qua quis dubitat, an illius ſit. 53
Dubius an ipſius mandatum, vel conſilium influxerit ad damnum alterius, tenetur ad reſtitutionem illius. 177.99
Dubius de iuſtitia vectigalis, ſi poſt adhibitam diligentiam adhuc manet dubius, non tenetur ſoluere. 225.32
In dubio iuris irregularitatis etiam homicidij, facta ſufficienti diligentia, & ſemper manente dubio, non tenetur quis ſe gerere vt irregularis, neque in foro interno, neque externo. 673.9
In dubio facti irregularitatis homicidij, dubitans, eſt reputandus irregularis, tam in foro interno, quàm externo. 14
In dubio facti in omnibus aliis irregularitatibus prouenientibus ex quibuſcumque delictis diſtinctis ab homicidio, nullus eſt cenſendus irregularis, neque in foro interno, neque externo. 674.16
Qui dedit cauſam aborſui, & aborſus eſt ſequutus, & dubitat an fœtus eſſet animatus, cenſendus eſt irregularis. 15. & 679.54
In dubio facti in mutilatione iniuſta non eſt cenſendus quis irregularis. 674.17
Dubius an promiſerit matrimonium, & facta ſufficienti diligentia adhuc manens dubius, non tenetur ſeruare fidem. 691.27
Qui certus de promiſſione matrimonij manet dubius, an habuerit animum ſe obligandi, tenetur matrimonium contrahere. 28
Qui dubius eſt de valore matrimonij, ſi bona fide contraxit, honeſtè poteſt reddere debitum, & etiam petere. 737.63

Duellum.

Duellum propriè quid ſit. 154.23
Eo fine intentum, vt medio illo Deus oſtendat veritatem, eſt grauiſſimum peccatum. 24
Item ad oſtendendas vires proprias, & dexteritatem in armis. 25
Non poteſt acceptari ob defenſionem honoris. 26
Ad defendendam propriam vitam, vel bona temporalia magni momenti, poteſt quis ad duellum prouocare, vel illud ab alio indictum acceptare. Explicatur. 27. & ſeqq.
Duellum tunc eſt licitum, quando bellum iuſtum reſoluitur in duellum paucorum. 155.31
Principi licitum eſt indicere, aut acceptare duellum, ad debilitandos hoſtium animos, & roborandos proprios milites. ibid.
Pœnæ latæ à Tridentino contra duellantes abſque legitima cauſa. 32
Omnes pœnæ præter excommunicationis & interdicti pœnam, requirunt ſententiam iudicis. ibid.

E

Eccleſia.

EST regula infallibilis rerum à nobis credendarum. 7.32
Eccleſiam Dei veram in mundo eſſe vſque in finem duraturam, omnino certum. 27.22
Quid hæc Eccleſia ſit. 23
Eccleſiæ membra ſunt omnes ac ſoli homines viatores fidem habentes, quamuis in peccato mortali exiſtant. 26
Expenduntur ſigna & notæ, ad dignoſcendam veram Eccleſiam. 28.33
Eccleſia Chriſti & nunc eſt, & ſemper fuit in mundo vnica. ibid.

Eccleſiam

Digitized by Google

Index Rerum.

Eccleſiam eſſe ſanctam,& vnde talis dicatur. 29.34
Eſſe Catholicam,& Apoſtolicam,fides docet. 35
Eſt etiam viſibilis per externa ſigna. 38
Hoc ſignum eſt externa profeſſio vnius fidei ſub obedientia ſucceſſoris D.Petri. 30.41
Eſt ab Spiritu ſancto gubernata, ac proinde infallibilis regula in tradenda doctrina fidei,& morũ.43
Extra Eccleſiam ſalus eſſe non poteſt. 31.47
Vera Eccleſia eſt ſola illa,quæ obedit Romano Pontifici, & ſub illius obedientia vnam fidem profitetur. 32.55
Eccleſia vnde dicta. 27.22
Eccleſia quomodo poſſit compellere ad audiendam,vel ſuſcipiendam fidem. 58.3
Eccleſia violatur per homicidium voluntarium & publicum,intra Eccleſiam factum. 510.69
Per humani etiam ſanguinis effuſionem. 511.70
Item per humani ſeminis effuſionem voluntariam, & illicitam. 71
Per ſepulturam hominis infidelis, vel excommunicati. 72
Quoad hunc effectum, quid intelligatur nomine Eccleſiæ. 73
Eccleſia violata à quo reconcilianda. 74
Vide etiam. 735.48

Eccleſiaſtici.

Habentes beneficium Eccleſiaſticum omittentes profeſſionem fidei,quam pœnam incurrãt.52.68
Eccleſiaſtici an poſſint bellare. 153.10
Eccleſiaſtici & eorum bona, vel etiam Eccleſiaſtica loca,quàm habeant in bello immunitatem.152.18
An habeant dominium bonorum Eccleſiaſticorum, & qua ratione teneantur ea diſtribuere. 207.3

Eiecti.

Eiecti, ſeu expulſi à Religione, extra Religionem degentes, manent perpetuò ſuſpenſi ab exercitio Ordinum. 685.100

Eleemoſyna.

Quid ſit,& cuius virtutis opus. 134.1
Diuiditur in ſeptem opera corporalia, & ſeptem ſpiritualia. ibid.
Eleemoſyna quomodo extinguat peccata, & obtineat illorum veniam. 135.5
Item quomodo illius beneficio conſeruetur diuina gratia,homo præſeruetur à peccato,& vitam adipiſcatur æternam. 6
Datur præceptum naturale & diuinum de Eleemoſyna. 7
Præcipuè vrget quando proximus eſt in extrema neceſſitate. 8
An tunc debeatur proximo eleemoſyna ex iuſtitia, vel ex charitate. 136.9
Eleemoſyna facienda non eſt de neceſſariis ad propriam vitam,vel ſuorum. 12
Extremè indigenti facienda, non ſolùm ex ſuperfluis,ſed ex neceſſariis ſtatui, quamuis hic ſit minuendus. 13
Si ab ſtatu cadendum ſit, non tenetur quis ex illis bonis opitulari extremè indigenti. 137.14
Si proximus ſit verè pauper, non ſatisfit huic præcepto mutuando,etiam ſub conditione ſi ad pinguiorem fortunam venerit. 15
Secus ſi hic & nunc indiget, & alibi habet alia bona,vel ſpem proximam habendi. 16
Ex hoc præcepto nullus tenetur inquirere egenos, ſed eſſe paratus illis ſubuenire, cum neceſſitas moraliter ſibi conſtet,niſi ſit Magiſtratus Prælatus,vel Epiſcopus, vel tempore peſtis. 17
Præceptũ hoc non obligat quando quis probabiliter credit eleemoſynam fore ab alio erogãdam. ibid.
In graui neceſſitate tenemur ſub mortali ſubuenire proximo indigenti de bonis,quibus non egemus, neque ad vitam, neque ad dignitatem ſtatus. 18
Superflua ſtatui,quæ dicantur. ibid.
Non eſt attendendum ad ſtatum futurum, ſed ad præſentem. ibid.
In neceſſitate grauiſſima quamuis non ſit extrema, interdum obligatur quis ad ſubueniendum egeno ex bonis aliquo modo neceſſariis ad ſtatũ.138.22
In communibus neceſſitatibus tenetur quis aliquoties eleemoſynas facere ex ſuperfluis. 23
Satisfacit huic præcepto, is qui habet ſuperflua, & propoſitum faciendi eleemoſynam,& ſæpe facit, quamuis ſæpe omittat. 24
Eleemoſyna facienda non ex alienis, ſed ex bonis propriis, vel quorum quis habet dominium, aut legitimam,& abſolutam adminiſtrationem. 25
Ex iniuſtè acquiſitis cum iniuria alterius,non poteſt fieri eleemoſyna:ſecus ex turpiter acquiſitis.139.26
Seruus,filiusfamilias, vxor, & Religioſus,non poſſunt eleemoſynas facere, abſque conſenſu domini,patris, mariti,aut Prælati. 27
Simulantes paupertatem tenẽtur ad reſtitutionẽ.29
Cui facienda ſit reſtitutio. ibid.

Emptio, vide *Venditio.*

Enuntiatio.

Iſtæ duæ enuntiationes:Chriſtus eſt mortalis,Chriſtus eſt immortalis,non ſunt cõtradictoriæ.303.8
Hæc enuntiatio: Deus eſt homo,eſt propria & formalis. 368.13
Hæc etiam eſt vera: Deus factus eſt homo. 15
Non verò hæc: Homo factus eſt Deus. ibid.
Hæc eſt omnino falſa: Chriſtus eſt homo dominicus. 369.17
An hæc ſit vera: Chriſtus eſt creatura. 18
An etiam hæc: Chriſtus fuit bis natus. 20
Hæc etiam eſt falſa:Eſſentia diuina eſt nata de Virgine. 21
Item hæc eſt falſa: Chriſtus eſt plures,vel plura.22
Ad veritatem enuntiationis de præſenti, an ſufficiat coëxiſtentia obiecti pro quolibet inſtanti eorum, quibus enuntiatio profertur. 470.50
Ad veritatem enuntiationis ſufficit,quod ſubiectum & attributum exprimantur, cum diuerſo modo ſignificandi. 471.64

Epiſcopus.

Epiſcopis per Tridentinum fuit collata facultas abſoluendi ab hæreſi occulta, ſed poſtea ſublata per Bullam Cœnæ. 64.38

Error.

Error quid ſit. 59.8
Qua ratione irritet,vel non irritet contractus, vide *Contractus.*

Euchariſtia.

Ad adorandam hoſtiam abſolutè & ſine conditione, ſufficit vt quis moraliter certò ſciat, eam eſſe conſecratam. 11.56.& 387.72
Euchariſtiæ debetur adoratio latriæ. 382.21
Verba cõſecrationis in Euchariſtia,ſunt ſimul cauſa efficiens,& formalis ſacramẽti.395.45 & 526.33
Sacerdos exiſtens in mortali, non peccat mortaliter, ſi extra Miſſam Euchariſtiam iam confectam & conſecratam miniſtret. 410.31
Euchariſtiæ varia nomina in ſacra Scriptura, & apud Patres. 420.1
Nominis Euchariſtię Etymologia,&ſignificatio.1,3
Euchariſtia eſt verè & propriè ſacramentum nouæ legis,diſtinctum à cæteris. 5

Index Rerum.

Eſſentialiter conſiſtit in aliqua re permanenti, & habente eſſe ante ſumptionem. 421.9. & 424.32
Sacramentum hoc eſſentialiter non conſiſtit in ſumptione, quamuis hæc ſit neceſſaria, vt Euchariſtia operetur, & gratiam conferat. 421.10
Neque conſiſtit in conſecratione ſumpta pro mirabili actione, qua panis & vinum conuertuntur in corpus, & ſanguinem Chriſti. 11
Neque in verbis conſecrationis, licèt ſint pars ſacramenti. 12
Species panis & vini, pertinent ad rationem eſſentialem huius ſacramenti. 422.13
Item corpus Chriſti, vt connotatum eſſentiale. 14
Non verò in recto tanquam pars eius. 16
Euchariſtiæ ſacramentum, ſupponit in recto pro aggregato, ſeu compoſito ex ſpeciebus & verbis conſecrationis, tanquam pro integro & proximo fundamento relationis ſignificationis ſacramenti; cónotat verò eſſentialiter corpus, & ſanguinem Chriſti, tanquam terminũ illius relationis. 423.21
Corpus Chriſti eſt res & ſacramentum ſimul. 22
Quam cauſalitatem exerceant ſpecies ſacramentales in corpus Chriſti. 424.27
Species ſacramentales ſimul cum corpore Chriſti, ſunt cauſæ inſtrumentales morales gratiæ. 29
Non ſolùm corpori Chriſti, ſed etiam ſpeciebus conſecratis, tribuenda eſt latriæ adoratio. 30
Sacramentum hoc abſolutè & ſimpliciter, eſt vnum in ſpecie infima. 425.34
Quælibet ſpecies per ſe ſumpta, non eſt integrum ſacramentum, ſed eius pars. 36
Qui vnam ſpeciem accipit, tantum recipit, ſicut qui duas. 37
Vtraque ſpecies eſt pars eſſentialis materiæ huius ſacramenti. 426.42
Faciunt vnum integrum fundamentum relationis illius. ibid.
Relatio ſigni totalis refectionis, fundata in vtraque ſpecie, eſt vna numero vnitate ſimplicitatis, & indiuiſibilitatis. 43
In vtraque ſpecie datur duplex relatio ſigni, vna in ordine ad ſignificata, quæ continent; alia in ordine ad ſignificandam gratiam, quam cauſant. 44
In pluribus hoſtiis conſecratis, ſunt plura numero ſacramenta. 45

Euchariſtiæ neceſſitas.

Euchariſtia in re ſuſcepta, nec infantibus, nec adultis eſt medium neceſſarium ad primam gratiam obtinendam. 427.48
Realis eius ſuſceptio, nec infantibus, nec adultis, eſt medium ſimpliciter neceſſarium ad perſeuerandum in gratia. 52
Votum Euchariſtiæ non eſt ſimpliciter neceſſarium paruulis, vel adultis, ad obtinendam primam gratiam, vel ad perſeuerandum in ea finaliter. 53
Euchariſtia in re vel in voto ſuſcepta, adultis eſt moraliter neceſſaria. 55
In quo ſenſu poſſit dici eiſdem eſſe in voto neceſſaria. 428.56

Euchariſtiæ materia.

Materia conſecrationis corporis Chriſti neceſſariò debet eſſe panis triticeus. ibid. 3
Spelta, far, & amydo, non ſunt materia idonea, bene tamen ſiligo. 6
Typha eſt materia dubia. ibid.
Farina debet in maſſam reduci, ſola mixtione aquæ naturalis, & ad purum ignem coqui. 7
Si miſceatur ſaccharum, mel, lac, &c. vel ſi conficiatur in alia aqua, quàm naturali, non erit materia apta conſecrationi. ibid.
Chriſtus conſecrauit in pane azymo. 429.8
Non verò eſt de neceſſitate, quod panis ſit azymus, vel fermentatus. 10
Græci licitè conſecrant in pane fermentato, Latini in azymo. 11
Vtrique tenentur præcepto Eccleſiaſtico ſeruare ritum ſuæ Eccleſiæ, & oppoſitum facientes peccant mortaliter. 12
Quid faciendum dum Græcus exiſtit in Eccleſia Latina, & Latinus in Græca. 430.13
Solum vinum vitis eſt propria materia conſecrationis calicis. 14
Agreſta, Azetum, Sapa, Lora ſeu Azina, Aqua vitæ, mulſum, non ſunt materia idonea. 15
Muſtum ex vuis expreſſum, eſt materia ſufficiens, & in caſu neceſſitatis poterit in eo conſecrari. 16
Item in vino congelato. 17
Permixtio aquæ in calicis conſecratione, quamuis non ſit de neceſſitate ſacramenti, eſt tamen de neceſſitate præcepti, & omittens peccaret mortaliter. 431.21
Aqua debet eſſe elementaris, & in qua quantitate ſit miſcenda. 25
An cõuertatur immediatè in ſanguinem Chriſti. 26
Vt conſecratio ſit valida, neceſſaria eſt præſentia materiæ. 432.36
Non ſufficit quælibet præſentia ſenſibilis, ſed requiritur vt ſit demonſtrabilis pronomine *hoc* vel *hic*. 38
Quanta debeat eſſe propinquitas materiæ, nequit certò diffiniri. ibid.
Materia debet eſſe determinata ex intentione miniſtri. 433.41
Sacerdos conſecrans, exiſtimans vnam tantùm hoſtiam conſecrare, ſi poſtea reperiat duas, vtraque manet conſecrata; dummodo intentionem non coarctauerit ad vnam tantùm, poſitiuè excludendo omnem aliam. 43
Guttæ quæ in Calice ſunt ſeparatæ à continuo exiſtente in profundo, non cenſentur conſecratæ. 434.46
Si materia ſit tam parua vt ſenſu percipi nequeat, non poteſt in tali materia conſecrari corpus Chriſti à principio, poteſt tamen conſeruari antea conſecratum. 48
In quantitate continua vel diſcreta, non datur terminus materiæ Euchariſtiæ verſus maximum. 50
Nunquam licet etiam in articulo mortis ad communicandum infirmum, vnam ſpeciem ſine altera conſecrare. 435.54
Summus Pontifex non poteſt in hoc diſpẽſare. ibid.
Si tamen fiat conſecratio, valida erit. ibid.
Excuſabitur Sacerdos quoties ex impotentia phyſica vel morali, vnam tantum ſpeciem conſecrauerit. 434.51

Præſentia Chriſti in Euchariſtia.

Chriſtum verè & realiter eſſe præſentem in Euchariſtia, de fide ſancitum. 436.1. & ſeqq.
Illud per quod Chriſtus in Euchariſtia eſt præſens in loco ſpecierum, eſt præſentia localis propria & intrinſeca Chriſti, pertinens ad prædicamentum vbi. 438.14
Corpus Chriſti habet pro loco ipſum locum ſpecierum, non tamen eſt in ſpeciebus tanquam locatum in loco. 15
Non datur vnio hypoſtatica inter corpus Chriſti & ſpecies, neque ſecundùm continuationem, neque ſecundùm ſubiectum. 439.17
Neque per modum attractionis. 19

Neque

Index Rerum.

Neque per modum tertij. 20
Qualis vnio concedenda ſit inter corpus Chriſti & ſpecies, ratione cuius motis ſpeciebus, moueatur etiam corpus Chriſti. 21.& ſeqq.
Præſentia ſacramentalis Chriſti in Euchariſtia, eſſentialiter differt à præſentia naturali, quam Chriſtus habet in cœlo. 440.26
Si nullibi exiſteret corpus Chriſti, de lege ordinaria neque exiſteret ſub ſacramento; diuinitus verò etiamſi nullibi naturaliter exiſteret, poſſet eſſe ſacramentaliter ſub ſpeciebus. 441.29

Tranſubſtantiatio.

Nomen *Tranſubſtantiatio* quid ſignificet. ibid.1
Peracta conſecratione, nihil prorſus entitatis ac ſubſtantiæ panis & vini, manet in Euchariſtia, ſed tantùm accidentia. 443.14
Per conſecrationem fit mirabilis conuerſio totius ſubſtantiæ panis & vini, in ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti. ibid.
Hæc conuerſio non eſt adductiua tantùm, vt voluit Scotus. 444.20
Terminus formalis illius, non eſt ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, vt voluit Suarez. 445.25
Neque relatio ſucceſſionis inter ſubſtantiam panis & vini, quæ deſinit, & ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti in quam deſinit, vt vult Vazquez. 446.29
Neque poteſt eſſe aliquid accidentale. 32
Terminus formalis illius eſt ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, pro vt gerit vices & officium panis & vini, ſcilicet ſuſtentandi ſpecies ſacramentales. 33
In hac conuerſione ſubſtantiæ panis & vini non annihilantur. 449.54

Modus exiſtendi Chriſti in Euchariſtia.

Totus Chriſtus, & tota eius ſubſtantia eſt in hoc ſacramento, & ſub ſingulis ſpeciebus illius. 453.1
Sub qualibet etiam particula ſpecierum, etiam ante diuiſionem. 4
An contineatur ſub indiuiſibilibus ſpecierum: vtrumque probabile. Probabiliot pars negans. 5. & ſeqq.
Quid contineatur ex vi verborum ſub vtraque ſpecie, & quid per concomitantiam. 454.13.& ſeqq.
Nomine corporis, quod ex vi verborum ponitur ſub ſpecie panis, non intelligitur materia prima nudè. 455.16
Neque corpus Chriſti ſecundùm rationem communem corporis. 17
Neque materia cum forma corporeitatis realiter ab anima diſtincta. 18
Neque materia cum anima, quatenus hæc præcisè dat eſſe corporeum & organicum. 19
Nomine corporis intelligitur corpus Chriſti ſubſtantiale, organicum, humanum, Heterogeneum, & hoc diſiunctim, nimirum aut viuum, aut mortuum; hoc eſt vel cum anima, vel cum forma cadaueris. 21
Quantitas & reliqua accidentia ſunt in Euchariſtia per concomitantiam, & non ex vi verborum. 456.25
Motis ſpeciebus per accidens mouetur corpus Chriſti. 26
Hic motus non fit, quia ſpecies habeant diuinitus vim trahendi ſecum corpus Chriſti. 27
Sed fit connaturaliter, ſuppoſita vnione corporis Chriſti ad ſpecies. 457.28
Motus hic recipitur intrinſecè in corpore Chriſti. 29
Corpus Chriſti in ſacramento exiſtens, non poteſt pati ab extrinſecis agentibus, paſſione corruptiua, vel alteratiua. 31
Neque poteſt naturaliter agere actione corporea tranſeunte. ibid.
Chriſtus in Euchariſtia exiſtens poteſt naturaliter exercere actus intelligendi & amandi. 33
Niſi tales actus ſint dependentes à miniſterio ſenſuum externorum. ibid.
Quid de actibus ſenſuum internorum. ibid.
Corpus Chriſti in Euchariſtia exiſtens adhuc diuinitus, nequit videri oculo corporeo, etiam glorioſo. 35
Neque ab intellectu creato cognoſci vitibus naturæ. 458.36
Omnia accidentia, quæ Chriſti corpus habet in cœlo, conſequenter ſunt in corpore Chriſti exiſtente in hoc ſacramento. 38
Imo & quæ illi imprimerentur in cœlo. 37
Prædicata, quæ denotant motum, aut exiſtentiam in loco, verè & propriè tribuuntur Chriſti. 43
Alia prædicata, quæ illi tribuuntur ratione mutationis factæ in ſpeciebus, tantùm conueniunt ei impropriè, & figuratè. 44
Frangi quomodo dicatur corpus Chriſti quando franguntur ſpecies. ibid.
Quomodo dicatur manducari, quando manducantur ſpecies, & miſceri quando miſcentur. 459.45
Quando in Euchariſtia apparet caro, vel ſanguis, vel puer, immutatis ſpeciebus, tunc Chriſtus eodem modo manet ſub ſpeciebus. 47
Si fiat aliqua mutatio in illis, id quod apparet, nec eſt Chriſtus in propria ſpecie, nec eius caro, vel ſanguis, ſed habens effigiem eius, quod non eſt latria adorandum. 48
Quando fiunt ſimiles apparitiones, tandiu manet Chriſtus in hoc ſacramento, quandiu permanet eadem numero quantitas, & alia accidentia neceſſaria ad conſeruationem panis & vini. 50

Accidentia.

Peracta conſecratione omnia accidentia, quæ erant neceſſaria ad conſeruationem panis vel vini, manent ſine ſubiecto. 460.2
Quantitas nullum habet modum poſitiuum, quo per ſe exiſtat. 4
Sola quantitas de ſtatu naturali, quo erat in ſubiecto, conſeruatur diuinitus ſine ſubiecto. 461.9
Reliqua accidentia inſunt eidem ſubiecto cui antea. ibid.
Species conſecratæ poſſunt exercere eaſdem omnes operationes, tam intentionales, quàm phyſicas, & etiam ſubſtantiales, quas antea, & eodem modo pati. 10.& ſeqq.
Operationes ſpecierum, quæ non poſſunt ab illis exerceri, proueniunt à Deo ſupplente efficientiam formæ ſubſtantialis. 14
Ex ſpeciebus conſecratis poteſt generari ſubſtantia. 462.22
Id fit quia in inſtanti illius generationis reproducitur à Deo eadem numero materia, quæ per tranſubſtantiationem deſierat, & quæ ſubiicitur illi generationi. 463.25
Idem dicendum in nutritione. 28
Si vino conſecrato miſceatur non conſecratum, quantumuis detur diuiſio & penetratio per minutiſſimas partes, ſanguis Chriſti non deſinit eſſe ſub ſpeciebus conſecratis. 464.34
Idem eſt ſi vino conſecrato infundatur aqua. 36
Quando ſpecies conſecratæ & non conſecratæ ita miſcentur & alterantur, vt phyſicè mutentur & corrũpatur, ſãguis Chriſti deſinit eſſe ſub illis. 37

Index Rerum.

Forma huius ſacramenti.

Chriſtus Dominus in confectione huius ſacramenti verbis vſus eſt. 465.5
Gratiarum actio, benedictio, & conſecratio, fuerunt tres actiones inter ſe diſtinctæ. 7
Quem ordinem ſeruauerit Chriſtus in conſecratione. 466.12
Solis verbis quibus Chriſtus conſecrauit, & quibus Eccleſia Latina vtitur, fit conſecratio, & verum conficitur ſacramentum, neque præter illa ſunt alia neceſſaria. 466.15
Ad validam panis conſecrationem, ſunt neceſſaria & ſufficiunt hæc verba, *Hoc eſt corpus meum*. 467. 22
Particula *enim* non eſt de eſſentia conſecrationis formæ. 23
Verba antecedentia Canonis: *Qui pridie quàm paterentur*, &c. abſque mortali nequeunt omitti. 24
Exponuntur verba conſecrationis Calicis. 29
Hæc verba: *Hic eſt ſanguis meus*, vel, *hic eſt calix ſanguinis mei*, ſunt de eſſentia formæ conſecrationis Calicis. 31
Particula *enim* non eſt eſſentialis. 468.34
In prædictis verbis continetur forma ſufficiens, & requiſita. 35
Sacerdos non debet limitare ſuam intentionem ad prædicta verba tantùm, ſed ad illa quæ ſunt neceſſaria, & quibus Chriſtus conſecrauit. 33
De eſſentia huius ſacramenti eſt, vt verba proferantur formaliter & ſignificatiuè, non verò recitatiuè. 469.43
Vtroque tamen modo proferũtur à Sacerdotibus. 45
Verba conſecrationis in toto rigore ſermonis ſunt vera. 48
Ad illorum veritatem ſufficit, quod in vltimo inſtanti prolationis, corpus vel ſanguis Chriſti ſit ſub ſpeciebus conſecratis. ibid.
Non ſunt cauſæ conuerſionis ratione veritatis, ſed ratione ſolùm ſignificationis. 470.54
Pronomina *hoc*, & *hic* poſita in verbis conſecrationis, non ſumuntur ſubſtantiuè, ſed adiectiuè; ita vt in principio prolationis nihil certum ſignificent, ſed habeant ſuſpenſam ſignificationem vſque ad finem prolationis. 471.62
Sacerdos proferens pronomen *illud* loco pronominis *hoc* non conſecrat. Secus ſi proferat pronomen *iſtud*, quamuis lethaliter peccaret. 472.67
Proferens *hic eſt corpus meum*, non conſecraret, ſi terminus *hic* ſumitur aduerbialiter: ſecùs ſi ſumitur nominaliter. ibid.
Qui vteretur his verbis, *hæc eſt caro mea*, an conſecraret. 69
Qui proferret hæc verba: *hoc eſt corpus Chriſti*, an conſecraret. 473.72
In conſecratione calicis proferens hæc verba: *hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine*, verè conſecraret. 73

Effectus Euchariſtiæ.

Per hoc ſacramentum ex opere operato augetur in nobis gratia habitualis. ibid.
Per ſe loquendo non fuit inſtitutum ad conferendam primam gratiam, & remiſſionem peccati mortalis. 2
Secundariò & per accidens poteſt id præſtare. 5
Gratiam confert in vltimo inſtanti terminatiuo in quo verum eſt dicere, ſpecies ſacramentales, vel aliquam earum partem ſeparatim à reliquis, traiectas eſſe ad ſtomachum. 474.14
Ex opere operato non confert gratiam toto tempore, quo durant ſpecies ſacramentales incorruptæ in ſtomacho, ſed dum primo Euchariſtia comeditur. 475.17
Recedente fictione Euchariſtia gratiam non confert. 19
Ex maiori quantitate ſpecierum, non ſequitur maius augmentum gratiæ. 21
Ex opere operato delet peccata venialia, dummodo quis ad minus attritus de eis accedat. 476.25
Abſq; vllo præuio dolore venialia non delẽtur. ibid.
Qualis vnio in hoc ſacramento fiat carnis noſtræ cum carne Chriſti. 26. & ſeqq.
Eſt etiam peculiaris effectus huius ſacramenti vita æterna, nõ ſolùm animæ, ſed etiã corporis. 477.31
Diſpoſitio requiſita ad primarium effectum huius ſacramenti, eſt ſtatus gratiæ. 34
Actualis deuotio neceſſariò non requiritur. ibid.
Hic effectus non impeditur per ſola peccata venialia, licèt in ipſa ſumptione committantur. 478.40

Sumptio Euchariſtiæ.

Suſcipiens Euchariſtiam in mortali, grauiter peccat. ibid. 2
Detur ne aliquis caſus, in quo liceat accedere ad Euchariſtiam in mortali. 3
Excommunicatus ad Euchariſtiam accedens, non committit duo peccata neceſſariò exprimenda in confeſſione. 479.6
Luxurioſi periculoſiùs accedunt ad Euchariſtiam. 7
Nullum committitur peccatum adhuc veniale, quamuis quis accedat ad Euchariſtiam cum veniali actuali concomitante, dummodo non ſit circunſtantia communionis afficiens ipſum actum communicandi. 9
An qui voluntariè omnino diſtractus, abſque vlla animi præparatione ad Euchariſtiam accedit, peccet venialiter. ibid. & 480.11
Conſcius peccati mortalis, antequam ad Euchariſtiam accedat, tenetur præmittere confeſſionem omnium mortalium: neque ſufficit ſtatus gratiæ media contritione comparatus. 12
Niſi deſit copia confeſſarij, & adſit vrgens neceſſitas celebrandi, vel communicandi. 14
Quando dicatur quis non habere copiam confeſſarij. 15
Quid agendum in caſu, quod habeat reſeruata, & careat copia Superioris legitimi; vel ſi habeat excommunicationem reſeruatam. 481.17
Vrgens neceſſitas erit articulus mortis, grauis infamia, vel neceſſitas ſatisfaciendi ſuo officio. 20. & ſeqq.
Simplex Sacerdos non poteſt celebrare, ne ipſe, vel alij audiant ſacrum in die feſto. 22
Poterit autem vel ipſe celebrare, vel laicus communicare abſque præmiſſa confeſſione, vt præceptum communionis impleat. 23
Non verò ob communionem ex voto, aut præcepto humano debitam. ibid.
Qui prius confeſſus fuerat, & poſtea recordatur peccati, quod in confeſſione oblitus omiſerat, nec poteſt iam confiteri, non tenetur ante communionem elicere contritionem illius peccati obliti, ſi dolor præcedens fuit vniuerſalis, vel ex motiuo vniuerſali. 482.24
Si verò ſit copia confeſſarij, omnino tenetur illud confiteri ante communionem; nec ſufficit propoſitum illud confitendi ſuo tempore. 25
Ex præcepto Tridentini Sacerdos, qui in prædictis caſibus celebrauit abſque præmiſſa confeſſione, tenetur quam primum habet copiam confeſſarij, confiteri illi peccata ſua. 26

Qui

Digitized by Google

Index Rerum.

Qui tranſgreditur hoc præceptum non committit duo peccata mortalia, ſed vnum dumtaxat indignæ ſuſceptionis Euchariſtiæ. 28
Sacerdos miniſtrans Euchariſtiam indigno, grauiter peccat. 29
Tenetur negare Euchariſtiam publico peccatori, ſiue publicè, ſiue occultè petat. 483.30
Peccatori occulto publicè petenti negari non debet. 31
Tenetur verò miniſter intentare omnes modos, quibus peccator ſine communione prætermittatur. 484.37
Quando peccator eſt notorius in vno loco, ſi ſit in alio, non debet ei negari Euchariſtia, niſi moraliter credatur citò notitiam peruenturam. 138
Peccatori occulto in occulto petenti neganda eſt, ſiue Sacerdos ſit proprius Parochus, ſiue non. 39
Niſi nouerit peccatum in confeſſione ſacramentali. 40
Ad ſumptionem Euchariſtiæ requiritur ieiunium naturale; Eccleſiaſticum non ſufficit. 41
A qua hora incipiat, & quomodo computanda. 43
Frangens hoc ieiunium ante communionem, peccat lethaliter. 44
Non excuſat paruitas materiæ, neque violatur niſi per coniectionem, vel potum. 45
Excipitur primo articulus, ſiue periculum mortis, in quo ſi aliter non poſſit præberi communio ægroto, quàm imponendo hoſtiam vino, poſſet eo modo præberi. 485.47
Quando durat idem morbi ſtatus, iterum atque iterum, poteſt præberi communio non ieiuno. ibid.
Quæ diſtantia debeat intercedere inter vnam & alteram communionem, non conuenit inter Doctores. Seruanda conſuetudo. ibid.
Secundò excipitur quoties eſt neceſſarium ad perficiendum ſacrificium. 49
Tertiò ſi poſt ablutionem calicis, ſuperſint vel inueniantur reliquiæ. 50
Quartò ſi immineat periculum irreuerentiæ infetendæ ipſi Euchariſtiæ. 51
Ad præbendam communionem ægroto, non licet Sacerdoti non ieiuno celebrare. 52
Infantibus ante vſum rationis, ſicut perpetuò amentibus, nequit licitè Euchariſtia conferri. 486.56
Amentibus qui priùs vſum rationis habuerunt, præbenda in articulo mortis, ſi prius habuerunt voluntatem eam ſuſcipiendi, & non eſt periculum irreuerentiæ. 57
Infirmo phrenetico poteſt præberi, ſi antea dedit ſigna contritionis. 58
Item ſemifatuis in articulo mortis, & tempore Paſchatis. ibid.
Habentibus lucida intervalla non eſt neganda. ibid.
Energumenis præbenda. 59
Item damnato ad mortem, quamuis non ſit ieiunus. 60
Mutis & ſurdis à natiuitate, non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam in vita, non eſt neganda. 61
An ſit conueniens quotidie ad Euchariſtiam accedere. 487.62

Præceptum communionis.

Datur diuinum præceptum de cõmunione laica. 68
Obligat pro articulo, ſeu periculo mortis. 488.69
Qui paulò antequam incideret in tale periculum Euchariſtiam ſumpſit, cenſendus eſt ſatisfeciſſe huic præcepto. 71
Extra periculum mortis obligat indeterminatè. 72
Ex præcepto Eccleſiaſtico obligat in Paſchate. ibid.
Qui in Paſchate Euchariſtiam non ſumpſit, tenetur poſtea cum primum cõmodè poteſt cõmunicare. 73
Idem eſt ſi præuideat impedimentum futurum. ibid.
Satisfit huic præcepto, communione facta in ſtatu peccati. 489.78
Nomine Paſchatis comprehenduntur quindecim dies à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis incluſiuè. 488.75
Obligat pueros & puellas, ſi ante duodecimum annum habeant diſcretionem ſufficientem. 76
Præbenda pro viatico in periculo mortis pueris, qui peccare poſſunt, quamuis nunquam Euchariſtiam acceperint. 489.77
Iuſtis de cauſis communio ſub vtraque ſpecie laicis interdicta ab Eccleſia. 78
An conferatur maior gratia in communione ſub vtraque ſpecie. 83

Miniſter huius ſacramenti.

Solus Sacerdos eſt miniſter conſecrationis. 490.86
Non repugnat plures Sacerdotes eandem hoſtiam validè conſecrare. 87
Solis Sacerdotibus ex officio conuenit miniſtrare Euchariſtiam. 89
Ex commiſſione conuenit Diaconis, quibus non licet ſine neceſſitate & licentia Sacerdotis, illam miniſtrare. ibid.
Abſente preſbytero, poteſt in articulo mortis hoc ſacramentum ægroto diſpenſare. 90
Laici non poſſunt. 91
Iuriſdictione ordinaria quis ſit proprius diſpenſator huius ſacramenti. 92
Qui ex commiſſione. 93
Qua ratione conueniat Regularibus ex priuilegio. 491.95

Euidentia.

An aliqui habuerint de facto euidentiam Dei teſtificantis. 9.44
Actualis euidentia rei in Deo atteſtante, ſimul cum actuali euidentia primæ veritatis, poteſt eſſe ſimul cum aſcenſu diuinæ fidei. 45
Hæc duo: hoc eſt verum, & ita eſt in re, non ſunt idem, quando cognitio habetur per principium extrinſecum. 10.48
Euidens & obſcurum opponuntur in eodem actu, non verò in diuerſis. 17.96

Examen.

Prærequiſitum ad confeſſionem, vide *Confeſſio.*

Excommunicatio.

Excommunicati an ſint membra Eccleſiæ. 28.29
Excommunicans tenetur ſeruare effectus excommunicationis à ſe latæ. 617.66
Excommunicatio lata in vniuerſitatem & Collegium, inualida eſt; nec ligat eos, qui fuerunt in culpa, ſi ſine examine & reſtrictione ad ſolos delinquentes feratur. 618.77
Si præcedente examine conſtaret omnes & ſingulos illius communitatis eſſe nocentes, quamuis illicita, nihilominus eſſet valida. 78
Per viam ſtatuti ſeu præcepti, rectè poteſt ferri excõmunicatio contra ſingulos de vniuerſitate. ibid.
Excommunicatio lata prætermiſſa monitione Canonica, licet ſit iniuſta, eſt tamen valida. 631.100
Excommunicatio quid ſit. 633.1
Non priuat communicatione merè interna, quæ fit per gratiam, charitatem, & fidem. 2
Quæ ſit communicatio, qua priuat Eccleſia per excommunicationem. 3
Excommunicatio alia maior, alia minor. 4
Alia à iure, alia ab homine. 5
Effectus excommunicationis maioris. 6

Index Rerum.

Primus effectus.

Excommunicatio maior priuat excommunicatum communibus Ecclesiæ suffragiis. 634.7

Ex Extrauaganti Concilij Constantiensis nullus excommunicatus est vitandus, quamuis certò constet incurrisse in excommunicationem, nisi sit nominatim excommunicatus, denunciatus, aut publicatus vt talis. 12

Per hanc Extrauagantem non releuantur ipsi excommunicati, quare ipsi semper tenentur abstinere. 635.13

Fideles licitè & sine peccato contra prohibitionem Ecclesiæ possunt communicare cum excommunicato tolerato in quibuscumque diuinis & extra, etiam eum prouocando, adhuc in administratione, & receptione sacramentorum. ibid.

Pro excommunicatis toleratis, non licet offerre suffragia nomine Ecclesiæ. 16

Orans nomine Ecclesiæ pro excommunicato non tolerato, quamuis peccet mortaliter, non incurrit excommunicationem minorem. 18

Pro excommunicatis, siue toleratis, siue non toleratis, possunt fieri orationes priuatæ & pia opera. 19

Secundus effectus.

Quilibet excommunicatus etiam toleratus, peccat mortaliter recipiens sacramenta, nisi ignorantia, aut alia iusta causa excusetur. 20

Dans sacramentum excommunicato non tolerato qualiter peccet, & quas pœnas incurrat. 636.21

Dans sacramentum excommunicato tolerato, quamuis peccet contra præceptum diuinum ministrans sacramentum indigno, non peccat contra præceptum Ecclesiasticum, nec pœnam aliquam incurrit. 25

Sacramenta suscepta ab excommunicato etiam non tolerato, valida sunt. 26

Quid de sacramento Pœnitentiæ. 27

Quando instat mors excommunicati adeò repentina, vt non sit tempus absoluendi eum prius ab excommunicatione, valida est absolutio. 637.31

Qui suæ excommunicationis inuincibiliter oblitus aut ignorans, à peccatis integrè confessis absoluitur, verè & fructuosè absoluitur, nec tenetur eam confessionem iterare. 32

Excommunicatus conscius de sua excommunicatione, existimans inculpabiliter se posse priùs à peccatis absolui, quàm ab excommunicatione, validè absoluitur. 33

Tertius effectus.

Excommunicatus vitandus seu non toleratus, ex se & sine iusta causa ministrans sacramenta, peccat mortaliter. 34

Explicantur plures casus in quibus non peccat. 35

In mortis articulo quantum est ex vi excommunicationis, Sacerdos non toleratus etiam hæreticus, validè & licitè potest ministrare sacramentum Pœnitentiæ. 638.37

Extra prædictam necessitatem hoc sacramentum datum ab excommunicato non tolerato est inualidum: sicut etiam nulla est commissio absoluendi ab eo alteri data. 39

Qui ignorantia inuincibili benè dispositus confitetur excommunicato non tolerato, aliàs habenti titulum coloratum, & ad audiendas confessiones publicè exposito, validum suscipit sacramentum. ibid.

Ab excommunicato tolerato licitum est petere, & suscipere sacramenta. 40

His excommunicatis simpliciter ex vi censuræ, non est prohibitum ministrare sacramenta. 41

Peccant grauiter quando ipsi se ingerunt. 639.43

Non est improbabile, licere petere sacramentum à ministris excommunicatis toleratis & non paratis, siue sit Parochus, siue non; quando per eum non stat non absolui ab excommunicatione, etiamsi sine necessitate aliqua petatur. 44

Similiter licitum est fidelibus petere ab huiusmodi excommunicato, vt coram eis faciat sacrum. 47

Quartus effectus.

Excommunicati tolerati priuantur, ne possint interesse sacro, aut ei inseruire. 49

Excommunicatus toleratus non tenetur quærere absolutionem ab excommunicatione, vt audiat sacrum in die festo. 640.50

Quid vt impleat præceptum Confessionis, & Communionis. ibid.

Quando non est alius, qui possit inseruire sacro nisi toleratus, licitè potest inseruire. 51

Quando excommunicatus toleratus vult assistere sacro, non tenentur alij audientes idem sacrum illum vitare, neque expellere. 25

Excommunicato non tolerato non licèt audire sacrum, neque aliis fidelibus assistere cum illo in eodem sacro, bene tamen in altero, licèt sint in eodem templo. 53

Si excommunicatus non toleratus velit assistere sacro, ad quid teneatur celebrans. 54

Ad quid audientes. 55

Idem dicendum est de diuinis officiis, & quid nomine diuinorum officiorum intelligatur. 56

Excommunicatis etiam non toleratis licitum est audire concionem. 58

Excommunicatus non potest recitare Horas Canonicas solemniter. 59

Omnibus excommunicatis prohibitum est, ministrare solemniter omne officium Ecclesiasticum, & contrarium facientes irregularitatem incurrunt. 641.61

Vsus priuatus sacramentalium deuotioni & Religioni inseruiens, licitus est cuicumque excommunicato. 63

Excommunicati non tolerati post mortem priuantur sepultura Ecclesiastica, vel alio honore Ecclesiastico. 64

Si cum signis contritionis decesserint, poterunt post mortem à censura absolui, & in loco sacro sepeliri. ibid.

Si non absoluantur, & corpus sepultum sit in loco sacro, debet exhumari. ibid.

Per corpus excommunicati defuncti, non polluitur sepultura. ibid.

Quid faciendum si cùm diuina officia celebrantur, velit assistere excommunicatus vitandus. 62

Sepelientes excommunicatum vitandum peccant lethaliter, & qua pœna puniantur. 65

Quid intelligatur per actionem sepeliendi. ibid.

Quintus effectus.

Nullus excommunicatus priuatur ipso facto, beneficiis ritè & validè obtentis ante excommunicationem. 68

Si excommunicatus non faciat officium, quod petit beneficium, non potest percipere fructus: secus si faciat. 642.71

Nullus excommunicatus quantumuis toleratus, est capax beneficij habendi de nouo. 72

Quando

Digitized by Google

Index Rerum.

Quando datur absolutio ab excommunicatione, non reualidatur collatio beneficij recepti in excommunicatione. ibid.
Quid de fructibus, & distributionibus, eo tempore acceptis. ibid.
Quorum beneficiorum sit capax quiuis excommunicatus. 73
Excommunicatus non est inhabilis ad recipiendas pensiones. 74
Excommunicati validè acceptant beneficium ante excommunicationem eis collatam. 643.77
Commenda facta excommunicato est nulla, & similiter rescriptum. 78
Gratia facta communitati cuius omnes partes sunt excommunicatæ, est nulla: valida verò si vna tantùm persona illius communitatis non sit excommunicata. ibid.
Absolutio in rescriptis data à Papa ad beneficia obtinenda, non prodest illi, qui per annum insorduit, vel mansit in excommunicatione. 79
Quid teneatur facere excommunicatus occultus si detur illi beneficium. 80
Quid debeat facere elector, vel Patronus, sciens illum esse excommunicatum. 81
Quis possit dispensare in beneficiis collatis excommunicato. 82

Sextus effectus.

Excommunicatus non toleratus lethaliter peccat vtendo iurisdictione propriè dicta. 644.85
Excommunicatus toleratus validè vtitur iurisdictione, non tamen licitè, si ipse se ingerit. 86
Collatio beneficij facta ab excommunicato est nulla, & similiter electio ad beneficium. 87
Electio Summi Pontificis quamuis fiat ab excommunicatis vitandis, valida est. 88
Præsentatio ad beneficium facta ab excommunicato vitando, si sit persona ecclesiastica est inualida; facta verò à Patrono laico, vel habente patronatum laicalem, valida est. 89
De resignatione beneficij idem dicendum, quod de collatione. 90
Prædicti actus validè possunt exerceri ab excommunicato tolerato. 91

Septimus effectus.

Excommunicatus vitandus non potest vti actibus pertinentibus ad iudicium forense. 92
Non potest esse iudex adhuc compromissarius, vel Arbitrer. 93
Excommunicatus toleratus licitè potest, si partes velint, coram illo agere. ibid.
Nullus excommunicatus potest esse actor in iudicio. 645.94
Quicumque excommunicatus potest trahi ad iudicium, vt reus. 96
Nullus excommunicatus potest exercere officium tabellionis. 97
Quid si faciat instrumenta, an sint valida necne? ibid.
Excommunicatus vitandus nequit esse testis in iudicio; si verò testimonium eius admittatur, validum erit. Et quid de tolerato. 98
Nequit esse Procurator, nec Aduocatus. 99
Nec Tutor, seu Curator. ibid.

Octauus effectus.

Excommunicati vitandi priuati sunt omni ciuili, & politica externa communicatione aliorum fidelium significata hoc versu.
Os, orare, vale, communio, mensa negatur. 101
Quid prohibeatur per *os*. 102
Quid per *orare*. 103
Quid per *vale*. 646.104
Quid per *communionem*. 105
Quid per *mensam*. 106
Facere contra prohibitionem communicationis externæ, & politicæ, secluso contemptu, solum est peccatum veniale. 107
Nisi communicatio fiat cum excommunicato in crimine criminoso, vel quando propter talem communicationem incurritur excommunicatio maior. ibid.
Quam pœnam incurrant illicitè communicantes, cum excommunicato non tolerato. 109,110
Ob vtilitatem spiritualem, vel temporalem, tam propriam, quàm ipsius excommunicati, potest quis communicare cum excommunicato. 647. 112
Licitum est vxori communicare cum marito excommunicato, & viro cum vxore excommunicata, quamuis excommunicatio feratur in participantes. 113
Ob seruitutem possunt communicare hac communicatione ciuili omnes, qui aliis sunt subiecti, vt filij cum parentibus. 115
Nomine filiorum intelliguntur, Gener, & Nurus, dum simul viuunt, Nepotes, & prænepotes. ibid.
Serui cum dominis, dum in eorum sunt seruitio. Coloni, vel villici ruri inseruientes. 116
Idem est de Religiosis cum suo Superiore. 117
Inter filios, & famulos, an sit licita communicatio. 648.118
Clerici sæculares, si non sint familiares, vel seruientes, non possunt communicare cum Episcopo non tolerato. 119
Vasalli seu subditi in iurisdictione temporali, non possunt communicare cum dominis, nec dominus cum illis. 120
Ob ignorantiam tam iuris, quàm facti, excusatur quis à prædicta communicatione. 121
Quid in dubio. ibid.
Denique ob necessitatem. 122
Excommunicatio efficit nulla rescripta à Papa impetrata, & processum virtute illorum factum. 123
Qui ob aliquod crimen conuenitur, & ob contumaciam excommunicatur, & in excommunicatione per annum perseuerat, censetur conuictus. 124
Quando excommunicatio fertur ad certum tempus, cessat eo completo; neque est necessaria absolutio. 649.126
Lata ab homine, cessat morte illius, qui eam tulit; & si est iam incursa, necessaria est absolutio à potente absoluere, nisi in impositione censuræ dicatur, sit excommunicatus donec satisfecerit. 127
Absolutio ab excommunicatione, vide *Absolutio*.

Excommunicatio minor.

Minor Excommunicatio quid sit. 655.170
Peccat mortaliter suscipiens sacramenta, validè tamen suscipit, excepto Pœnitentiæ sacramento. ibid.
Non priuat administratione actiua Sacramentorum, nec communicatione ciuili, neque iurisdictione, neque electione ad beneficia, & dignitates. 171
Sæpè incurritur propter mortale, & sæpè propter veniale. 172
Quando incurritur propter solùm veniale, potest tolli à quocumque sacerdote. 178

Expositi.

Non sunt censendi illegitimi. 686.104

Digitized by Google

Index Rerum.

Extrema vnctionis ſacramentum.

Vnctio ſacra eſt verè,& propriè ſacramentum nouæ legis, gratiam conferens. 766.1
Quo tempore inſtitutum. ibid.
Materia remota eſt oleum oliuarum ab Epiſcopo benedictum. 2
An liceat veteri oleo inungere infirmos. 767.3
Materia proxima eſt ipſa vnctio. 4
Quinque vnctiones in quinque organis ſenſuum, ſaltem ſunt in præcepto. 5
Item de neceſſitate ſacramenti. 6
Ad valorem ſacramenti non eſt neceſſe inungere vtramque partem organi ſenſus. ibid.
Non eſt improbabile,vnam tantùm vnctionem ſufficere ad valorem,& effectum Sacramenti. 7
Quæ ſit forma huius ſacramenti. 9
Debet exprimi modo depreçatiuo. ibid.
Miniſter huius ſacramenti eſt ſolus preſbyter. 11
Quodnam ſit ſubiectum capax huius ſacramenti. 12
An ſit præceptum obligans recipiendi hoc ſacramentum. 13
Effectus illius. 14

F

Fama.

FAma quid ſit, & vnde oriatur. 227.1
In quo differat ab honore. 2
Homo eſt verè dominus ſuæ famæ. 3
Quando peccat quis contra iuſtitiam ſe infamando. 4
Qui falsò alium infamauit, tenetur ſi neceſſarium ſit ad reſtituendum famam, dicere ſe falſum dixiſſe,& fuiſſe mentitum. 231.32
Nulla eſt obligatio reſtituendi, quando audiens detrahentem,nullam illi fidem adhibuit. 30
Coram quibus ſit facienda reſtitutio famæ. 232.33
Quando crimen occultum verum reuelatur, fama quomodo reſtituenda. ibid.
Quænam ſint cauſæ excuſantes à reſtitutione famæ. 34
Famam nullus tenetur pecunia recompenſare. 37

Fœmina.

Fœminæ prægnanti licèt procurare miſſionem ſanguinis ante animationem fœtus, imò,& poſt animationem. 198.39
An verò pro ſaluanda vita ſpirituali filij, vt infans baptizetur,teneatur pati mortem corporalem, ſi moraliter ſit certa de propria vita ſpirituali: vtrumque probabile. 199.41
Fœmina quæ ſe finxit virginem,& pro defloratione accipit centum, tenetur illa centum reſtituere. 217.2
Quælibet Fœmina quamuis non ſit meretrix, pro copia ſui corporis, poteſt accipere pretium iuſtum,& retinere. 3

Feruor.

Magni habendi ſunt, & maius premium merentur, qui ſemper conſeruant Feruorem cum quo inceperunt. 108.49

Feſtum.

In feſto Annunciationis ſi occurrat Sabbatho ſancto, eſt obligatio ſub mortali audiendi ſacrum. 509.57

Fides.

Fidei varia ſignificata. 1
Fides quomodo diffinienda. 2
Sperandarum ſubſtantia rerum, explicatus locus Apoſtoli. ibid.
Obiectum materiale Fidei non eſt actus meritorius. 2.6
Neque Deus ſub ratione Saluatoris, aut glorificatoris. 7
Deus ſub ratione Deitatis eſt principale, & primarium obiectum Fidei. 3
Deus non eſt adæquatum obiectum Fidei,ſed omne à Deo reuelabile. 4
Veritates tam neceſſariæ, quàm contingentes, cadunt ſub obiecto fidei. 5
Obiectum Fidei, an ſit complexum, vel incomplexum. 9
Obiectum formale Fidei non eſt Deus ſub ratione Deitatis, neque quatenus eſt prima veritas in eſſendo,ſed ſub ratione primæ veritatis in dicendo. 3.11
Ratio integra credendi exigit in Deo duplicem perfectionem. 4.16
Diuina reuelatio neque actiuè, neque paſſiuè ſumpta,poteſt eſſe obiectum formale Fidei. 18
Fides natura ſua poſtulat rationem formalem extrinſecam. ibid.
Ad rationem formalem obiecti Fidei requiruntur ex parte Dei, iudicium quo iudicat rem eſſe veram,& externa reuelatio. 20
Reuelationes tam publicæ, quàm priuatæ, cadunt ſub obiecto formali Fidei. 8.38
Non viſum propriè loquendo, non pertinet ad rationem formalem obiecti. 41
Non viſum quatenus ſignificat rationem, ſeu medium formale aſſentiendi talis naturæ, vt non manifeſtet euidenter obiectum,pertinet ad rationem formalem aſſentiendi. 42
Fides noſtra reſoluenda non eſt in proprium cuiuſque hominis ſenſum. 5.21
Neque in Fidem humanam,& acquiſitam. 22
In genere cauſæ formalis reſoluenda eſt in primam veritatem reuelantem. 6.25
In genere cauſæ efficientis in lumen internum, & motionem Spiritus ſancti. 26
In genere cauſæ materialis in Eccleſiam proponentem. 27
Finis Fidei eſt coniungere nos Deo in ratione cogniti ſupernaturalis. 29
Teſtimonium Eccleſiæ non eſt primum principium, in quod tanquam in cauſam formalem, refertur noſtra Fides, ſed conditio ſine qua non credendum. 30
Teſtimonium Eccleſiæ aliquid tanquam de Fide proponentis, eſt regula infallibilis rerum credendarum, atque adeò in auctoritatem Eccleſiæ tanquam in regulam infallibiliter diffinientem,& proponentem, regulariter reſoluendus eſt aſſenſus noſtræ Fidei. 8.37
Ad credendum Fide diuina requiritur aſſenſus Fidei humanæ tanquam conditio præcedens. 7.32
Iudicium etiam, quo credens iudicet, Deum eſſe ſummè veracem, qui nec falli poteſt, nec fallere. 36
Aſſenſus diuinæ Fidei non ſolùm cum euidentia teſtimonij Dei, ſed etiam cum euidenti cognitione infallibilis veritatis, eſſe poteſt ſecundum legem ordinariam, obſcure dumtaxat permanente materiali obiecto. 9.43
Non eſt de ratione Fidei vt teſtimonium cui innititur non videatur in ſe ipſo, ſed quod ex ſe non manifeſtet euidenter rem teſtificatam. 46
Ex altera præmiſſa Fidei,& altera naturali euidenti, non infertur aſſenſus Fidei, ſed habitus Theologiæ. 10.51.& ſeqq.

Ad

Digitized by Google

Index Rerum.

Ad aſſenſum Fidei non ſufficit reuelatio virtualis, & mediata tantum. 11.52
Aſſenſus diuinæ Fidei non nitur diſcurſu. 42.20
Fidei certitudo maior eſt, quauis alia cognitione naturali. 18
Habitus Fidei ex natura rei non repugnat cum habitu lumin. gloriæ. 18.103
Habitus Fidei quid ſit. 52.1
Eſt vna ſimplex qualitas. 3
Eſt formaliter practicus, & ſpeculatiuus. 53.6
Fides tam formata, quàm informis, intrinſecè, & ex ſua natura eſt virtus intellectualis, non moralis. 7
An habitus Fidei nunquam infundatur, niſi ſimul cum ſpe, & charitate. Vtrumque probabile. 54.12
Fides quomodo formata per charitatem. 85.17
Habitus Fidei non amittitur per quodlibet peccatum mortale. 19
Habitus Fidei quomodo expellatur per actum infidelitatis, aut hæreſis. 56.31
Fidem veram habuerunt tam Angeli in via, quàm primi parentes in paradiſo. 24
In Dæmonibus ac damnatis, non manſit fides infuſa. 57.29
In beatis fides non eſt, manet tamen In animabus Purgatorij. 56.27
Qui voluntariè diſſentit vni articulo, eo ipſo amittit Fidem infuſam circa alios. 57.30
In Chriſto non fuit Fides. 349.56
Fides tam ex parte ſubiecti, quàm obiecti materialis, poteſt eſſe maior in vno, quàm in alio. 57.32
Ad credendum communi lege requiritur externa propoſitio rerum credendarum. 19.104
Non ſufficit probabile iudicium rerum credendarum, ſed neceſſariò prærequiritur euidens. 106
Et quod res quæ credenda proponitur, ſit à Deo reuelata. 107
Prærequiritur etiam iudicium, quo hîc, & nunc res iudicatur credenda. 20 110
Hoc iudicium non elicitur ab habitu Fidei, ſed ab habitu prudentiæ ſupernaturalis. ibid.
Actus credendi quid ſit. 38.1
Diuiditur per credere Deo, & credere Deum, & credere in Deum. 39.2
Actus Fidei pendet à pio affectu voluntatis, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem. 3
Hic affectus debet eſſe actualis, habitualis non ſufficit. 5
Actus fidei non poteſt vitari, nec inhoneſtè fieri. 41.10
Neceſſaria eſt in Eccleſia aliqua regula fidei, cui omnes credere tenentur. 23.1
Fides omni tempore fuit neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem, & iuſtificationem. 42.21. & ſeqq.
Paruulis antequam ad vſum rationis perueniant, eſt neceſſaria in habitu, adultis verò in actu. 43.25
Fidei myſteria dupliciter à nobis credi poſſunt, implicitè ſcilicet, & explicitè. 27
Ante promulgationem Euangelij, quorum myſteriorum Fides fuit neceſſaria neceſſitate medij. 28
Fides explicita myſterij Trinitatis, & Chriſti veri Dei, & hominis, non fuit neceſſaria, bene tamen implicita. 44.29
Poſt ſufficientem promulgationem Euangelij, neceſſaria eſt fides explicita. 32
Quæ fidei myſteria teneamur ex diuino præcepto credere, ſcire, & memoriter retinere. 45. 36. & ſeqq.
Non ſufficit credere in confuſo quidquid credit ſancta Mater Eccleſia. 46.39
Omnes fideles tenentur credere explicitè omnia myſteria Fidei, quæ in Symbolo Apoſtolorum continentur, ſaltem quoad ſubſtantiam. 40
Item orationem Dominicam, Decalogum, & ſacramenta. 47.44
Neceſſe eſt ſcire Symbolum lingua vulgari, eos, qui non intelligunt linguam Latinam. 46.41
Præceptum retinendi memoria Symbolum Fidei, præcepta Decalogi, & alias partes Catechiſmi, non obligat ſub mortali. 48.47
In qua ætate teneantur pueri ſcire Symbolum ſub mortali. 47.46
Fidei actus quando eliciendus eſt ex præcepto. 48.48
De Fide eſt dari præceptum de non neganda fide, externè. 51
Non licèt vti verbis æquiuocis, quibus exteriùs videamur negare Fidem, etiam ſi interiùs non negetur. 49.52
Nemini licet negare ſe eſſe Chriſtianum, ſi ſimpliciter intuitu Religionis, vel in odium Fidei de hoc interrogetur. 53
Chriſtianus, qui interrogatus de rebus Fidei intuitu Religionis, vel ex odio illius, ſi taceat, peccat mortaliter, ſiue interrogetur à perſona publica; ſiue à priuata. 55
Occultare Fidem ſilentio quando liceat, & quando non. 50.58
Ex genere ſuo licitum eſt perſonæ priuatæ, fugere ne à Tyranno examinetur, & tormentis exponatur. 60
Nunquam licet celare Fidem ſignis per ſe contrariam Religionem ſignificantibus. 62
Neque licet ingredi templa infidelium, nec hæreticorum, præcipiente Principe talem ingreſſum, intuitu contemnendæ Religionis. 51.64
Qua ratione liceat, vel non liceat, vti veſtibus infidelium, tranſeunti per illorum Prouincias. 66
Fidei profeſſionem qui teneantur facere ex præcepto Tridentini. 52.68

Filius.

Filiis poſſunt competere quatuor genera bonorum. 211.47
Filiusfamilias habet plenum dominium in peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, etiam dum eſt in patria poteſtate. 212.50
In bonis aduentitiis Filius eſt dominus directus, non verò vſufructuarius, dum eſt ſub patria poteſtate. 51
Si pater velit dare huic vſumfructum, non tenetur illum conferre in ſua legitima, quando cum fratribus diuiditur hæreditas. ibid.
In bonis profectitiis Filius, neque habet dominium, nec vſumfructum. 52
Filij ſumentes à parentibus inuitis rem notabilis pretij, peccant mortaliter cum onere reſtituendi. 53
In furtis Filiorum, quæ quantitas ſit neceſſaria ad peccatum mortale. ibid.
Filius qui ea quæ pater dat cauſa ſtudiorum, &c. conſumit in ludis, in turpibus, & inhoneſtis, peccat mortaliter cum onere reſtituendi. 54
Proponuntur cauſæ excuſantes Filios à reſtitutione. 213.55

Forma.

Ad attingendam corruptionem alicuius formæ, non eſt neceſſe illam producere; ſufficit poſſe producere aliquid illi contrarium. 119. 02

Furtum.

Index Rerum.

Furtum.

Quid ſit,& in quo à rapina differat. 208.25
Ex ſuo genere eſt peccatum mortale contra iuſtitiam. 27
Quæ quantitas requiratur ad mortale. 28
Qui furatur rem minimam,animo furandi magnam quantitatem,peccat lethaliter. 209.31
Idem eſt de eo, qui à pluribus minima furatur,cum intentione perueniendi ad magnam quantitatem. ibid.
In hoc caſu, in quolibet furto minimo peccat mortaliter. 34
An peccent mortaliter, qui leuem rem furantur, ſcientes proximum grauiter affligendum. ibid.
Furto rei leuis ſi ſacrilegium adiungatur, peccatur lethaliter ratione adiuncti. 210.35
Qui non habet intentionem amplius furandi, ſed ex occaſione oblata committit furta minima, tunc peccat mortaliter cùm peruenit ad quantitatem notabilem, ſi in vltimo furto id aduertat, & ſit memor præteritorum. 36
Limita niſi inter furtum,& furtum, longa ſit intercapedo. 37
Regula ſeruanda pro furtis eſculentorum, & poculentorum. ibid.
Exiſtens in extrema neceſſitate, & certò,vel probabiliter ſciens, non eſſe ei ſubueniendum, poteſt alienum furripere propria auctoritate. 210.39
Non poteſt à domino prohiberi, imò poſſet illum occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ. 40
In vrgenti neceſſitate poſitus, ſi aliter nequit ſibi conſulere,poteſt rem alienam accipere. 41
Qui accipit rem in extrema, aut graui neceſſitate, non tenetur reſtituere, quamuis ad pinguiorem fortunam venerit. 211.45
Quomodo obligentur ad reſtitutionem cooperantes ad furtum, quando quilibet ſeorſim paruum damnum facit,omnes tamen magnum. 214.63
Qui modica accipit,& peruenit ad quantitatem notabilem, non tenetur ſub mortali reſtituere omnem illam quantitatem,ſed id quod cum aliis facit notabilem quantitatem. 67

G

Gaudium.

GAudij beatorum obiectum in patria eſt de ipſo Deo iam poſſeſſo, & conſequuto; & non de ſola poſſeſſione. 70.5

Gener.

Quando ſocer non dat ſtatim genero dotem promiſſam,ſed pignus fructiferum interim dum non ſoluit dotem,an teneatur Gener fructus pignoris in ſortem computare. 260.69

Gratia.

An poſſit eſſe principium merendi aliud præmium, præter gloriam,& augmentum gratiæ. 334.90
In anima Chriſti verè fuit gratia habitualis. 342.1
Data fuit Chriſto, vt non ſolùm ſubſtantialiter, ſed etiam accidentaliter ſanctificaretur. 344.17
Gratia Chriſti non fuit infinita in eſſe qualitatis,ſeu in gradibus intenſionis. 345.23
In ratione gratiæ fuit infinita,& qua ratione. 29
Potuit augeri de potentia Dei abſoluta. 346.31
Plenitudo Gratiæ in ſacra Scriptura quid ſignificet. 34
Specialiori ratione dicitur Chriſtus plenus Gratia, quàm cæteri omnes. 35
An re ipſa potuerit produci gratia actu infinita. 347.38
Gratia Chriſti de lege ordinaria augeri nõ potuit.41
Nec de facto aucta fuit. 43
Gratiæ gratis datæ omnes fuerunt in Chriſto. 350. 66. & ſeqq.
Gratia habitualis, quæ per ſubſequens peccatum fuerat amiſſa, ablato poſtea per iuſtificationem peccato,in integrum reſtituitur. 536.114
Gratia ſacramentalis an redeat. 116

H

Hæreſis.

HÆretici non ſunt membra Eccleſiæ. 27.14
Hæreſis quid ſit. 59.8
De eſſentia illius eſt pertinacia. 10
Qualis debeat eſſe hæc pertinacia. 60.18
A peccato Hæreſis excuſat quælibet ignorantia etiã affectata,dummodo non ſit concomitans. 59.12
Errans ex ignorantia, monitus ab Epiſcopo, vel Inquiſitore, vel aliis viris doctis, & adhuc perſiſtens in ſuo errore, credens non eſſe contra diffinitionem Eccleſiæ, cenſendus eſt Hæreticus in vtroque foro. 60.19
Dubium voluntarium cum pertinacia, hæreſis eſt. 61.22.& ſeqq.
Dubitans in fide quando aliquis articulus ſufficienter ſibi proponitur,ſemper habet iudicium,& errorem poſitiuum fidei repugnantem. 62.25
Ad Hæreſim abſolutè non requiritur, vt quis ſit prius baptizatus: ſecus ad hæreſim punibilem per Eccleſiam. 26
Quæ propoſitiones dicantur hæreticæ: quæ hæreſim ſapientes: quæ ſuſpectæ: quæ hæreſi proximæ, & quæ malè ſonantes. 27
Hæreſim incurri ex verbis inordinatè prolatis quid ſit apud Hieronymum. 29
Vnde proueniat in Hæretico facilitas credendi ea, quæ antea fide diuina credebat. 14.71
Hæreſis externa manens ab interna propter quam Eccleſia imponit excommunicationem, debet manifeſtare ex ſe, vel ex circumſtantiis, hæreſim internam. 625.53
Qui ſuſpectus de Hæreſi vocatur ab Inquiſitoribus, & non comparet, & ob id excommunicatur,perſeuerans per annum in excommunicatione, cenſetur conuictus de hæreſi. 648.124
Qui cenſura innodatus per annum perſeuerat, fit ſuſpectus de Hæreſi. ibid.
Ab hæreſi occulta nequit Epiſcopus abſoluere. 650.135
Hæreſis denunciatio, vide *Denunciatio.*

Hollandi.

Cùm ſint rebelles Deo,& ſuo legitimo Principi,inexcuſabiles ſunt auxiliantes eos in bello contra Hiſpanos. 152.15

Homo, Humanitas.

Homo ſuis viribus relictis, non poteſt abſque auxilio gratiæ,diligere Deum ſuper omnia vt finis vltimus naturalis. 127.36
Humanitas Chriſti non habuit propriam ſubſtantiam. 325.15
Qua ratione humanitas dicatur eſſe in Chriſto vt indumentum. 17
Humanitas Chriſti inſtrumentum coniunctum Diuinitatis. 402.45
Eſt inſtrumentum morale gratiæ, non phyſicum. ibid.

Homicidium.

Nemini licet ſeipſum occidere. 194.11
Qua ratione,qui ad mortem damnantur,poſſint,vel nequeant ad propriam mortem cooperari abſque peccato. 195.14

Nemini

Digitized by Google

Index Rerum.

Nemini licet alium occidere, nisi id fiat auctoritate publica per iustitiam punitiuam. 18
Quando quis non potest propriam vitam tueri nisi occidendo iniustum aggressorem, licitè potest illum occidere. 196.24
Viro nullo modo licet occidere vxorem in adulterio deprehensam, neque adulterum. 754.16
Honestum etiam est id intendere, & velle ad conseruandam propriam vitam. 197.26
Iniustus aggressor est, qui vult alium iniustè occidere, vel mutilare; etiamsi id actu non faciat, dum prudenter præsumitur id facturus. 28
Licitè potest quis occidere eum, qui certò scit futurum falsum testem, ob cuius testimonium damnabitur ad mortem, nisi illum prius occidat. 29
Idem dicendum de iudice. ibid.
Similiter licitum est, occidere iniustum aggressorem pro defensione rei familiaris: sicut etiam ad defendendam castitatem. Requiritur autem actualis, ac præsens aggressio. 30
Licitum est occidere latronem fugientem, si non sit aliud remedium ad recuperandam rem familiarem. 198.33
Licet occidere innocentem, quando concomitanter incedit cum aliis malefactoribus. 34
Innocentem occidere, vel tradere Tyranno occidendum etiam ob bonum Reipublicæ, non licet. 36
Innocentem repertum in via non licet occidere, quamuis quis non possit aliter euadere mortem ab alio iniustè inferendam. 37
Pro homicidio, aut vulneratione restituenda sunt omnia damna realia, hoc est in bonis fortunæ, & reifamiliaris illata. 199.47
Pro damno personali nihil est restituendum. 200 51
Homicidium perpetrans tenetur soluere creditoribus debita occisi, si ante homicidium cognouit damnum ex Homicidio illis sequutum. 56
Idem dicendum de aliis debitis, quæ debitor occisus soluisset, nisi fuisset interfectus, quamuis ab homicida non cognoscantur. 57
Homicida tenetur restituere, seu satisfacere parentibus, filiis, aut consanguineis, qui alendi essent ab eo, qui occiditur. 201.58
Idem dicendum de aliis, quibus erat certum secundùm prudentiam, iniustè occisum aliquid daturum. ibid.

Horæ Canonicæ.

Qui tenetur recitare Horas Canonicas, si liberè, & attentè reciter, satisfacit præcepto, etiamsi dicat, se nolle satisfacere præcepto illa recitatione. Idem est de auditione sacri. 186.162
Sacerdos non tenetur sub lethali, ante celebrationem sacri præmittere matutinum. 510.69
Excommunicatus tenetur priuatim recitare Horas Canonicas, nequit tamen dicere, Dominus vobiscum. 542.59
Non licet ei cum alio socio Horas Canonicas recitare, nisi reciteret cum famulo. 543.60

I

Idiomatum communicatio.

IDiomatum communicatio quid sit. 368.5
Prædicata seu attributa propria naturæ diuinæ, vel humanæ, possunt prædicari de persona Verbi in concreto. 6
Prædicata vnius naturæ in abstracto sumpta, nequeunt prædicari verè, & propriè de alia. 8
Concreta Dininitatis, non possunt enuntiari de abstractis humanitatis, nec è contra. 10
Attributa diuinæ naturæ, nequeunt attribui Christo vt homini cum reduplicatione, neque proprietates naturæ humanæ possunt attribui Christo vt Deo, cum eadem reduplicatione. 11
Proprietates quæ requirunt suppositum creatum, non possunt enuntiari de Christo. 12

Ieiunium.

Præceptum ieiunij non est affirmatiuum, sed negatiuum. 164.20
Non toties quis peccat contra Ieiunij præceptum, quoties comedit in die. ibid.

Iehu.

An licitè finxerit se sacrificare cum sacerdotibus Baal. 50.63

Ignorantia.

Quid, & quotuplex. 631.104
Ignorantia inuincibilis legis ecclesiasticæ excusat à censura. 105
Eodem modo excusatur à censura eam Ignorans inuincibiliter, quamuis sciat præceptum Ecclesiasticum, & illud violet. 632.107
Ignorantia inuincibilis facti, quamuis adsit scientia legis atque censuræ, excusat à censura. 108
Violans præceptum sub censura cum ignorantia concomitante, excusatur à censura. 109
Probabile est, & tutum, ignorantiam vincibilem iuris vel facti, excusare à censura simpliciter lata. 110
In quibus casibus Ignorantia vincibilis iuris, vel facti excusat à censura, etiam si sit crassa, seu supina, vel etiam affectata. 112

Illegitimi.

An liceat exponere filios illegitimos. 203.16
Illegitimus quis dicatur. 685.101
Prælati Regulares possunt dispensare cum illegitimis, ad quascumque dignitates, & officia Religionis. 100
Filius conceptus ex simplici fornicatione ab his qui tempore conceptionis validè poterant contrahere, legitimatur per subsequens matrimonium. 686.102

Imagines.

Vsus sacrarum Imaginum licitus, & laudabilis. 384.42
Retinendæ non solùm Imagines Christi, & Sanctorum, sed etiam Dei, & Angelorum. 583.45
Imagines qua ratione adorandæ. 50
Imago, vt imago reduplicatiuè, adoranda eadem adoratione, qua prototypon. 85.55
Non licet collocare fiduciam in Imaginibus, aut aliquid ab eis petere. 59

Incarnatio.

Quamuis sit nomen nouum, non ideo reiiciendum, vt volunt hæretici. 302.1
Mysterium Incarnationis aptius dicitur Incarnatio, quàm humanatio. 2
Incarnationis descriptio. 3
Possibilitas Incarnationis astruitur. 4
Incarnatio qua ratione possibilis absque Verbi Diuini mutatione. 303.11
Possibilitas Incarnationis, neque euidenter, neque opinatiuè, potuit lumine naturali cognosci. 304.17
Incarnatio an fuerit Deo conueniens. 306.32
An Deo conueniens vt perfectio extrinseca, vel intrinseca. 307.40
Incarnatio conueniens homini, & toti vniuerso. ibid.
Non fuit Deo necessaria necessitate physica, nec morali. 308.47

Adhuc

Digitized by Google

Index Rerum.

Adhuc posito hominis lapsu fuit Deo omnino libera. 309.56
Item posito decreto de reparando homine. 60
Imò,& posito decreto de eo reparando satisfactione condigna. 61
Ex suppositione quod Deus decreuit condignam satisfactionem ab homine præstandam, necessaria fuit simpliciter Incarnatio. 62
Si homo non peccasset,Deus non fuisset incarnatus. 320.143. & seqq.
Incarnatio Christi dici non debet bonum occasionatum. 322.159
Facta fuit ad delenda omnia peccata. 160
Principalius ad delendum originale, quàm actuale peccatum. 161
An fieret si esset peccatum originale tantùm,& non actuale. 163
Non fuit conueniens ab initio mundi, nec debuit differri vsque in finem. 323.166
Cur fuerit conueniens, vt solus filius carnem assumeret. 337.10

Indulgentia.

Indulgentia applicata animæ Purgatorij per modum suffragij, non requirit in illa anima notitiam,consensum,vel acceptationem. 652.150
An ad lucrandas indulgentias per Bullam Cruciatæ concessas, sufficiat vt vnus pro altero Bullam accipiat. ibid.
An sit necessaria ratihabitio. ibid.

Infamia.

Infamia quid sit. 679.49
Infamia alia iuris,alia facti. ibid.
Ob quæ crimina vtraque incurratur. ibid.
Infamia tam iuris, quàm facti, facit hominem irregularem. 50
Infamia quot modis tollatur. 52

Infidelis, Infidelitas.

Infidelitas quid,& quotuplex. 57.1
Infidelitas positiua ex suo genere est peccatum mortale,grauius peccatis, quæ fiunt contra virtutes morales. 58.2
Infidelitas negatiua per se non est peccatum. 3
Infideles possunt operari aliqua bona opera moraliter. ibid.
Si baptizati non sint, nequeunt ab Ecclesia cogi ad audiendam,vel suscipiendam fidem. 4
Quid si Rex,aut Principes infideles prædicationem impediant. ibid.
Infidelium filios non licet baptizare inuitis parentibus,nisi omnino de vita pueri desperatum sit. 5
Cùm Infidelibus, & hæreticis, quomodo licita, vel illicita disputatio. 6
Ab Infideli parato, existente iusta causa, licitum est petere iuramentum per falsos Deos. 410.37

Inimici.

Inimici nostri qui dicantur. 121.9
In lege gratiæ datur præceptum diuinum de dilectione inimicorum. 122.10
Idem præceptum datum in lege veteri. 11
Est etiam præceptum legis naturalis. ibid.
Ex præcepto charitatis obligamur, non odisse inimicos. 12
Præceptum dilectionis inimicorum per se loquendo, non obligat in speciali, sed tantum in generali. 13
Dantur plures casus, in quibus hoc præceptum in speciali obligat. ibid.
Non licet excludere inimicum à communibus omnibus beneficiis,aut beneuolentiæ signis. ibid.
Per se loquendo non tenemur salutare inimicum, præueniendo illum. 15
Tenemur resalutare, & illum alloqui. An sub mortali, an verò sub veniali,explicatur. ibid.
Tenemur remittere iniuriam inimico per depositionem interioris odij. 123.17
An etiam per manifestationem externam. 19
An item per condonationem omnis satisfactionis, si ipse veniam petat. ibid.
Inimicorum amor in quo sensu perfectior, quàm amor amicorum. 131.15

Iniuria.

Tanto grauior, quanto persona cui irrogatur est dignior,& persona offendens vilior. 313.88

Ioannes Baptista.

Qua ratione intelligendum, quod Christus asseruit de Ioanne:Qui minor est in regno cælorum maior est illo. 117.90

Ira.

Fuit in Christo Domino. 365.15

Irregularitas.

Quid,& quotuplex. 671.1
Ad irregularitatem quæ contrahitur ex proprio actu, semper requiritur actus externus, & consummatus. 672.4
Quando Irregularitas contrahitur per actum illicitum, debet esse mortalis; sufficit verò quod sit occultus. ibid.
Qualiter ignorantia excuset ab irregularitate. 5
Vide *Ignorantia.*

Irregularitas proueniens ex administratione, & susceptione Ordinum, & Sacramentorum.

Irregularitas impedit licitam susceptionem Ordinum. 674.18
Irregularis suscipiens Ordinem prohibitum sub Irregularitate,peccat mortaliter. 19
Item priuat vsu licito ex Officio Ordinum susceptorum. 20
Irregularis quamuis grauiter peccet administrando sacramentum Pœnitentiæ,nihilominus valida est absolutio. 21
Irregularitas non priuat beneficiis obtentis ante irregularitatem,neque fructibus illorum. 22
An per irregularitatem fiat irregularis incapax noui beneficij,& ad fructus percipiendos. 23
Irregulari validè,& licitè potest concedi iurisdictio delegata in foro Pœnitentiæ;ipse tamen non poterit licitè ea vti. 675.24
Confessio facta sacerdoti nominatim denuntiato irregulari,ex quo capite inualida. ibid.
Omnis qui est capax Ordinis, est etiam capax irregularitatis, dummodo habeat in tertis superiorem. 25
Qua verborum forma inducatur irregularitas. 26
Ex peccato receptionis, & administrationis sacramentorum, quando incurratur irregularitas in iure. 27
Qui post semel receptum Baptismum iterum baptizatur,toties incurrit irregularitatem,quoties iterum rebaptizatur cum intentione recipiendi verum Baptismum. 28
Rebaptizans,& qui rebaptizanti ministrat, scientes verè fuisse baptizatum, fiunt irregulares ad Ordines suscipiendos. 676.29
Suscipiens Baptismum ab hæretico, sciens esse hæreticum, & hoc esse prohibitum, est irregularis. 30
Suscipiens, & differens Baptismum vsque ad articulum

Digitized by Google

articulum,ſeu periculum mortis, extra quod non reciperet Baptiſmum,incurrit irregularitatem. 31
Per nullam aliam reiteratam ſuſceptionem aliorum Sacramentorum,incurritur irregularitas. 32
Per ſuſceptionem Ordinis ſine præuio Cõfirmationis ſacramento,non incurritur irregularitas. 33
Qui ſuſcipit Ordines furtiuè, incurrit irregularitatem. 34
Item qui poſt matrimoniũ etiam ratum, & nondum conſummatum,recipit Ordines,inuita vxore. 35
Miniſtrans in Ordine, quem non habet, eſt irregularis. 36
Clericus exercens Ordinem,quo eſt priuatus quoad vſum,quia ligatus cenſura,eſt irregularis. 677.37

Irregularitas ex delicto hæreſis.

Propter delictum hæreſis incurritur irregularitas. 38
Sufficit externa hæreſis,quamuis ſit occulta. ibid.
Eãdem irregularitatem incurrunt receptatores,fautores, defenſores, credentes dictorum hæreticorum. 39
Suſpecti de hæreſi, ſecluſa cooperatione,dum ſuſpicio eſt occulta,non ſunt irregulares. 40
Neque occultè negans fidem,vel à fide fictè apoſtatans,ſi occultè hoc fiat. 41
Neque Schiſmatici vt ſic. 42
Religioſus profeſſus apoſtata à Religione, dum eſt in eo ſtatu, eſt irregularis. ibid.
Teſtis etiam falſus in materia hæreſis. ibid.
Quando pater eſt hæreticus, eius filij, & nepotes ſunt irregulares. Si verò mater ſit hæretica,irregularitas tantùm extenditur ad filios. 678.44
Si verò Patres ſint emendati, & conuerſi ad fidem, & reincorporati Eccleſiæ per iuridicam, & ſolemnem conuerſionem, eorum filij non incurrunt prædictas pœnas. 45
Filij hæreticorum receptatorum, fautorum, & credentium ipſorum,ſunt inhabiles ad beneficia Eccleſiaſtica,officia publica,& dignitates. 46
A quo poſſit diſpenſari irregularitas prouenies ex delicto hæreſis. 43
Irregularitas filiorum hæreticorum receptatorum, &c. à quo ſit diſpenſabilis. 47
Filij fidelis baptizati non neophyti aliorum infidelium non baptizatorum,non ſunt irregulares. 48

Irregularitas ex delictis infamibus.

Irregularitas orta ex infamia iuris non contrahitur, quando crimen eſt occultum. 679.49
Requiritur vt crimen ſit notorium. ibid.
Excipiuntur crimina, quibus ratione ſui annexa eſt irregularitas. 51

Irregularitas ex homicidio,& mutilatione voluntariis.

Ex homicidio volũtatio incurritur irregularitas. 53
Quid intelligatur nomine homicidij voluntarij ib.
Si quis poſt fœtus animationem procuret aborſum, incurrit hanc irregularitatem. 54
Prælati Regulares poſſunt diſpenſare in hac irregularitate,dummodo ſit occulta. ibid.
Quando plures concurrunt ad occiſionem alicuius, omnes manent irregulares. 680.55
Qui approbat homicidium ſuo nomine ab alio factum, ſi nullum alium influxum præbuerit, non incurrit irregularitatem. 56
Adulter non manet irregularis, eo quod maritus acceptis litteris amatoriis miſſis adulteræ,aut cognito adulterio,interficiat vxorem. 57
Qui non impedit homicidium, quod ex iuſtitia tenetur impedire, non incurrit irregularitatem, quamuis ex dolo non impediat. 58
Qui plura homicidia commiſit, contrahit plures irregularitates in diſpenſatione explicandas. 59
Oppoſitum eſt valdè probabile. ibid.
Qui vulnerauit aliquem vulnere non lethali, ſi poſtea moriatur ex propria, vel Medicorum incuria,non incurrit irregularitatem. 60
Qui mandat aliquem verberari modo cauto, & à miniſtro fideli,ſi ille occidatur,non incurrit irregularitatem. 61
Irregularitatem incurrit voluntariè alium mutilans, & ſimiliter conſulens ad mutilandum. 62
Qui mutilauit alterius pollicem,vel qui alteri abſcidit auriculam,vel qui alium excęcauit,dummodo oculum non extraxerit, non fit irregularis. Secus de eo qui ſibi ipſi abſcindit digitum, & qui ſeipſum caſtrat,aut caſtrare permittit. 681.63
An fiat irregularis quando quis ſua culpa eſt ab alio mutilatus,& membrum eſt occultum. 64

Irregularitas ex cooperatione ad homicidium.

Mandantes, conſulentes, auxiliantes in bello iniuſto,incurrunt irregularitatem. 65
In bello iniuſto omnes adhortantes, & omnes milites, & etiam cuſtodientes pugnantium ſarcinas, manent irregulares. 66
Item quando multi ſimul aggrediuntur aliquem, quamuis vnus tantùm occidat. 67
Qui tradit arma alicui,quibus aliũ occidat,ſi tradat ſine intentione homicidij,non fit irregularis. 68
Qui alteri dedit mandatum,aut cõſilium, vt occidat inimicum, non incurrit irregularitatem, ſi is cui dedit mandatum aut conſilium occiſus eſt. 69
Quid teneatur facere tam mandans, quàm conſulens homicidium,ad vitãdam irregularitatem. 70

Irregularitas ex homicidio caſuali.

Propter homicidium, quod non fuit volitum in ſe neque in cauſa,nõ incurritur irregularitas. 682.72
Ex homicidio caſuali,quando fuit præuiſum in cauſa,& non adhibita debita diligentia,incurritur irregularitas. ibid.
Quæ diligentia excuſet. 73
Ob homicidium caſuale non incurritur irregularitas,quando adhibita fuit debita diligentia,etiam ſi ſit factum dando operam rei illicitæ. 74
Quid de præbente infirmo bona fide, quod non eſt illi prohibitum,vel de reuoluente illum in lecto, vnde mors acceleratur. 77

Irregularitas ex homicidio in ſui defenſionem.

Qui inuadentem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ,non incurrit irregularitatem. 78
Idem eſt de occidẽte inuaſorem,ne ab eo mutiletur, vulneretur, aut deformetur; vel in defenſionem bonorum temporalium,honoris,& pudicitiæ. ib.
Adulter qui maritum aggreſſorem cauſa neceſſariæ defenſionis occidit,nõ incurrit irregularitatẽ. ib.
Qui fugiens potuit mortẽ euadere, & maluit inuadentem occidere,an incurrat irregularitatẽ 683.79

Irregularitas propter occiſionem in bello.

In bello iuſto nullus ſit irregularis,niſi is qui propria manu occidit,aut mutilat; vel ſaltem hortatur ad aliquem in particulari occidendum. 80
Clerici, & Religioſi pugnantes, & occidentes in bello iuſto defenſiuo, non incurrunt irregularitatem. 81
Clerici, & Religioſi poſſunt intereſſe bello iuſto abſque irregularitate, etiamſi in genere hortentur milites ad fortiter pugnandum. 82
Qui pugnauit in bello iuſto,& manet dubius,an occiderit, vel mutilauerit, non tenetur ſe gerere vt irregularis. 83

In hac irregularitate nequit Episcopus dispensare. 84

Irregularitas ex defectu lenitatis.

Iudices ferentes sententiam mortis, aut mutilationis, & omnes ad eam cooperantes, fiunt irregulares. 85

Accusator quamuis sit Clericus non incurrit irregularitatem, si protestetur se non intendere pœnam sanguinis. 684.87

Quid de Aduocato,& teste. 88

Clerici habentes iurisdictionem temporalem, non fiunt irregulares, ex eo quod constituât iudicem sæcularem pro criminibus capitalibus. 91

Confessarius obligans pœnitentem iuridicè interrogatum ad confitendum delictum dignum morte,non incurrit irregularitatem. 92

Quid de comitantibus reum, vt illum spiritualiter adiuuent. 93

Commissarius Cruciatæ habet facultatem dispensandi in hac irregularitate: & quid de Prælatis Regularium. ibid.

Irregularitas ex defectu sacramenti.

Irregularitas incurritur tam ex bigamia vera, quam ex interpretatiua; & etiam ex similitudinaria. 685.95

Laïcus bis contrahens inualidè, vel inualidè contrahens secundum matrimonium,aut cum vidua, non incurrit irregularitatem. 96

Maritus agnoscens propriam vxorem post adulterium violentum,incurrit irregularitatem. 97

Ad incurrendam prædictam irregularitatem requiritur copula, & seminis virilis effusio intra vas fœmineum,tum etiam fœminæ. 98

In irregularitatis bigamia quis possit dispensare. 99

Illegitimus est irregularis, nisi fiat Religiosus, & faciat professionem in Religione approbata. 100

Quando quis est dubius an sit illegitimus, non est censendus irregularis. 686.103

Tutius, & probabilius est, Episcopos non posse dispensare cum illegitimis ad sacros Ordines,& beneficium curatum. 105

Irregularitas ex defectu animæ,vel corporis.

Qui mox ad fidem accessit, perpetuo amentes, & illiterati,sunt irregulares. 106

Ex defectu corporis est irregularis, quicumque ita est defectuosus in corpore, vel adeò deformis, aut morbo adeo fædo affectus, vt non possit Ordines exercere,vel non sine nota,& horrore aliorum. 107

Qui caret digitis dextræ manus, qui caret pede, qui sibi abscidit aliquam sui partem,laborantes morbo caduco,lepra,apoplexia,vel paralysi,sunt irregulares. ibid.

Hermaphroditi in quibus prænalet sexus fœmineus. 108

Quid de damnatis ad triremes. ibid.

Arrepti à Dæmone,etiam si liberentur. 109

Item mancipia. ibid.

Obligati ad tatiocinia. 687.110

Quid de gibbosis. 686.107

In eo qui baptizatur nulla manet irregularitas; excepta bigamia,quæ prouenit ex defectu corporis. 687.111

Quæ irregularitates tollantur per ingressum Religionis. 112

Per abrogationem legis quomodo tollatur irregularitas. 114

Ex Tridentino,quæ potestas sit in Episcopis dispensandi in irregularitatibus. 115

In huiusmodi dispensationibus, occultum quomodo sumatur. 117

Quid nomine Episcopi intelligatur in illo decreto. 118

Quæ potestas dispensandi super irregularitatibus sit in Regularibus. 688.120

An in petitione dispensationis sit necessarium numerare omnes irregularitates, si sint eiusdem rationis. 121

Quæ forma seruanda in dispensatione. 122

Qua ratione dispensatio fiat facto,absque verbis. 123

Intellectus.

Quando indigeat determinari à voluntate, vt moueatur ad assentiendum obiecto. 40.7

Interdictum.

Interdictum quid,& quotuplex. 662.1.& seqq.

Interdictum impositum in tota vna Parochia ciuitatis,est interdictum generale. 663.4

Quando in vna ciuitate interdicuntur omnes Ecclesiæ illius,est interdictum particulare; quare in priuatis Oratoriis non prohibetur celebrari diuina officia,nec in aliis locis non sactis. 5

Interdictum vnius Ecclesiæ est particulare. 7

In interdicto generali ciuitatis, Ecclesia cathedralis vel Metropolitana intelligitur interdicta; & etiam in interdicto particulari, si interdicantur omnes Ecclesiæ. ibid.

Interdicta ciuitate manent interdicta suburbia, & loca exempta; etsi fortè sit Ecclesia alteri Episcopo subiecta. ibid.

In interdicto speciali locali,interdicta Ecclesia, interdicuntur Capellæ etiam extra eam,si sint contigua,& cœmeterium. ibid.

Interdictis omnibus Ecclesiis ciuitatis, non comprehenduntur Oratoria,neque Ecclesiæ exemptæ Religiosorum. ibid.

In interdicto personali generali,interdicta communitate,non interdicuntur, qui non sunt partes talis communitatis. 9

Interdicto clero, non interdicuntur Religiosi: & si interdicantur Religiosi, non comprehenduntur Nouitij. 664.10

Primus effectus interdicti.

Primus effectus interdicti absolutè lati est, quod tempore interdicti prohibetur susceptio omnium Sacramentorum,quæ in iure nó sunt excepta. 13

An tempore interdicti sit licita susceptio Baptismi solemniter facta. 14

An sit licita susceptio sacramenti Confirmationis solemnis. 15

An sit licita susceptio sacramenti Pœnitentiæ. 16

An sit licita susceptio Extremæ vnctionis. 665.18

Ordo non potest recipi in loco generaliter,vel specialiter interdicto; neque à personaliter, generaliter,vel specialiter interdictis. 19

An matrimonium sit licitum tempore interdicti. 20

Tempore interdicti an possit licitè recipi, & ministrari Eucharistia per modum viatici. 21

An sit licitus vsus communionis. 22

Quale peccatum sit violare interdictum in Sacramentorum susceptione, vel administratione; & quæ pœna imposita. 666.24

Secundus effectus.

Secundus effectus interdicti est prohibitio diuinorum officiorum, nisi iuxta formam sacitam in cap. *Alma mater*. 28

Missa debet dici summissa voce, & ianuis clausis. 29

Qui

Digitized by Google

Qui non habent priuilegium, debent expelli à miniſtris. Alij non tenentur. ibid.
Campanis non pulſatis. 30
Excommunicatis, & interdictis excluſis, quamuis aliàs habeant priuilegium tempore interdicti audiendi ſacrum, & alia diuina officia. 667.31
Habentes priuilegium celebrandi ſacrum, vel alia diuina officia, vel eiſdem aſſiſtendi, poſſunt ſecum ducere ſuos familiares domeſticos. 32
An quando tempore interdicti ex priuilegio Bullæ, celebrantur Miſſæ in Oratorio, & poſſunt aſſiſtere ſimul cum Domino. 33
Quid intelligatur per diuina officia quoad hunc effectum. 34
Quibus temporibus liceat in loco generaliter interdicto Miſſam, & alia diuina officia celebrare cum ſolemnitate. 35
Quid faciendum tempore ſpecialis interdicti localis. 37
Quid in perſonali interdicto, ſiue generali, ſiue ſpeciali. 38
Perſona non interdicta quomodo ſe debeat gerere in diuinis, cum perſonis perſonaliter interdictis. 668.39
Quale peccatum ſit violare interdictum in diuinis officiis, & violantes quàm pœnam incurrant. 40

Tertius effectus.

Tertius interdicti effectus eſt priuatio eccleſiaſticæ ſepulturæ. 42
In loco generaliter interdicto, non poteſt quis ſepeliri, niſi habeat priuilegium; vel ſit Clericus, ſeu perſona Eccleſiaſtica, niſi huiuſmodi cauſam dederint interdicto, vel ſint perſonaliter interdicti, vel non ſeruauerint interdictum proprium Clericorum. 43
An laïci habentes priuilegium aſſiſtendi diuinis officiis tempore interdicti generalis, eo ipſo gaudeant eccleſiaſtica ſepultura. 44
Quale peccatum ſit violare interdictum generale locale in eccleſiaſtica ſepultura, & violantes quam pœnam incurrant. 45
Quid faciendum cum perſonaliter interdictis circa ſepulturam. 669.46
Qui poſſint interdicere. 47
Qui poſſint interdici. 48
Ob quam cauſam poſſit ferri interdictum. 49
Qua forma ferendum ſit interdictum. 51
An interdictum obliget, quamuis non denuntietur. 52
Quomodo ceſſet, & tollatur interdictum. 670.53
Interdictum ſpeciale perſonale, eo ipſo tollitur, ſi perſona illa moriatur. 57
Quæ forma ſeruanda ſit in abſolutione, vel relaxatione interdicti. 58

Iudex.

Iudex qui fert ſententiam ex odio, ſine tranſgreſſione tamen legis iuſtitiæ, non tenetur ad reſtitutionem. 170.60
Iudices, & Miniſtri publici accipientes munera, an teneantur ad reſtitutionem. 222.17

Iudicium temerarium.

Iudicare temerariè de peccato alterius tunc eſt peccatum, quando ſit ſine ſufficientibus indiciis. 233.40
Eſt peccatum contra iuſtitiam, & ex ſuo genere mortale. 42
Non eſt obligatio reſtituendi, niſi quando quis temere iudicauit, & aliis dixit. 44

Iuramentum.

Iuramentum vltra vim obligandi ad ſeruandam veritatem, interdum habet vim confirmandi contractus. 237.21
Qua ratione ſit intelligendum commune axioma, Iuramentum ſequitur naturam actus. 22
Ad confirmandum contractum, requiritur iuramentum promiſſorium de futuro, & non ſufficit aſſertorium de præſenti. 24
Regula ad dignoſcendum quando contractus firmentur iuramento. 25
Contractus prohibiti per ius, ſiue Canonicum, ſiue ciuile, immediatè ob bonum publicum, non firmantur iuramento. 238.26
Contractus iure prohibitus in odium, & pœnam eius cuius gratia fiat, non firmatur iuramento: ſi verò adiiciatur ſeruandum eſt, niſi legitima auctoritate relaxetur. 27
Diſcrimen inter iuramentum confirmatorium, & per ſe ſtans. ibid.
Iuramentum præſtitum vſurario de ſoluendis vſuris, obligat iurantem. 266.105
Satisfit ei momentanea ſolutione. ibid.
Iuramentum de non repetendis vſuris, obligat, niſi impetretur relaxatio iuramenti. ibid.
Si vſurarius petat iuramentum de non petendo relaxationem, & de non repetendis vſuris in iudicio, tale iuramentum non obligat. ibid.

Iuſtitia.

Strictè ſumpta quid ſit. 161.6.234.5
Iuſtitia duplex, vna diſtributiua, altera commutatiua: quid vnaquæque. 162.7
Iuſtitia perfecta, an neceſſariò debeat eſſe ad alterum. 318.123
An inter ſeruum, & dominum, poſſit interuenire vera iuſtitia. 125
Iuſtitia commutatiua qua ratione requirat communicationem, in datis, & acceptis. 320.141

Iuſtificatio.

Nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, iuſtificationis gratiam promeretur. 311.74
Peccator adhuc exhibita contritione, iuſtificatur, & attigit remiſſionem peccati gratis. 75
Ad iuſtificationem qualis Pœnitentia requiratur. 525.21
An ſit neceſſaria actualis, vel ſufficiat virtualis. 530.69
An ſit neceſſarium expreſſum propoſitum cauendi peccata. 531.72

L

Laïcus.

LAïcis qua ratione interdicta diſputatio cum hæreticis. 58.6

Lex.

Peregrini non aſtringuntur legibus particularium locorum per quæ tranſeunt, niſi tranſgreſſio legis cedat in damnum loci per quem tranſit. 614.46
In contractibus ſeruanda eſt lex loci in quo quis reperitur, & contrahit. 47
Vagi nullam certam ſedem habentes, tenentur legibus loci per quam tranſeunt. ibid.
Qui dimidia parte anni habitat in vno loco, & alia dimidia in alio loco, quibus legibus aſtringatur. 48

Libellus famoſus.

Quid ſit, & qua pœna puniatur componens, vel edens, ſeu inueniens, & non lacerans, ſed manifeſtans. 228.12

Index Rerum.

Libertas.

Potentia ad vnam partem contradictionis neceſſitata quamuis ſolùm moraliter, eſt libertas diminuta. 308.49

Libertas non exigit neceſſario facultatem peccandi. 366.29

Componitur Libertas Chriſti cum eiuſdem impeccabilitate. ibid.

Chriſtus liberè habuit moriendi præceptum non quoad ſubſtantiam, ſed quoad circunſtantias actus. 30

In inſtanti Incarnationis data fuit Chriſto optio vitæ paſſibilis, vel impaſſibilis, & liberè elegit vitam paſſibilem. 367.31

Libere petiuit à Patre, vt præceptum moriendi imponeret. 32

Liberè carnit præcepti laxatione. 33

Libertas duplex, altera à neceſſitate, altera à coactione. 719.10

Libertas à coactione, & metu duplex, altera à metu leui non cadente in virum conſtantem. 11

Ludus.

Ludus quid ſit. 222.18

Si debitè exerceatur, eſt actus virtutis: ſæpiùs ex adiunctis graue peccatum. ibid.

Ludere propter lucrum, ſeruata aliàs iuſtitia, & æquitate, nullum eſt peccatum. ibid.

Quas conditiones exigat, vt iuſtus, & honeſtus ſit. 19

Ludere an poſſint ſeruus, filiusfamilias, vxor, & Religioſus. 223.20

Qui minis, vi, vel metu, alium trahit ad ludum, tenetur ad reſtitutionem: ſic verò tractus non tenetur lucrum reſtituere. 22

Vtens fraudibus contra leges ludi, tenetur non ſolùm ad reſtitutionem eius, quod lucratus eſt; ſed ad reparationem damni, quod incurrit, qui aliàs lucraturus erat. 23

Qui ludo vetito aliquid eſt lucratus, non tenetur ad reſtitutionem ante iudicis ſententiam. 24

Ludus qua ratione prohibitus Eccleſiaſticis, & Religioſis. 224.25

Qui facit iuramentum, vel votum de non ludendo amplius, ad quid teneatur. 26

Subminiſtrantes domum, menſem, aleas, & chartas in ludo prohibito, qua ratione peccent. 27

M

Maleficium.

Obmaleficium aliquod patrandum accepta, an ſint obnoxia reſtitutioni. 220.6

Præfertur ſententia negans. 7

Idem aſtruitur in maleficus, quæ ſunt contra iuſtitiam. 221.12

Maria Virgo.

Beata Virgo dum fuit in via, habuit ſimul fidem, & euidentiam aliquorum myſteriorum. 17.94

Dum erat in via, habuit charitatem intenſiorem, tam ſecundum habitum, quàm ſecundum actum, quàm omnes beati. 116.87

An fuerit redempta ab originali, vel eius debito. 322.159

Non ſola humanitas, ſed etiam Deus fuit ex Virgine conceptus. 330.55

Beata Virgo ſaltem de congruo meruit maternitatem Dei. 333.84

De potentia abſoluta potuit eam de condigno mereri. 334.88

De facto meruiſſe condignè maternitatem, valdè probabile. 335.94

Non tantùm præcisè, ſed etiam moraliter ſpectatam. 98

Beata Virgo adoratione reſpectiua poteſt adorari latria. 383.29

Propter excellentiam gratiæ, donorum, & maternitatis adoranda eſt hyperdulia. 30

Inter Beatam Virginem, & Ioſeph, verum interceſſit matrimonium. 701.5

Martyrium.

Voluntas Martyrij eſt virtualis dilectio Dei ſuper omnia, & deteſtatio omnium peccatorum. 133.30

Martyres an fuerint verè ſacerdotes. 376.4

Matrimonium.

Contrahentes Matrimonium in mortali, non committunt duo peccata mortalia. 410.30

Idem dicendum de Parocho aſſiſtente matrimonio in lethali. ibid.

Matrimonij varia nomina. 701.1

Matrimonium quid ſit. 2

Prout eſt contractus, & ſacramentum, eſt quid tranſiens, ſicut alia ſacramenta, excepta Euchariſtia. 4

Ante copulam carnalem datur verum, & legitimum matrimonium. 5

In quo matrimonij eſſentia conſiſtat. ibid.

Matrimonium vt eſt contractus naturalis, ſolo iure naturali inſtitutum. 7

Celebratio matrimonij facta fuit in Paradiſo à primis parentibus ex diuina inſpiratione. 702.8

Rectè poteſt dici Deum fuiſſe auctorem, & inſtitutorem matrimonij. 9

Matrimonium licitum eſſe, fides docet. 13

Actus coniugalis poteſt eſſe meritorium gratiæ, & gloriæ. 15

Datum fuit præceptum de contrahendo matrimonio. 703.17

Adhuc extat hoc præceptum, & qua ratione obliget. ibid.

Matrimonium à Chriſto Domino inſtitutum, eſt vnum ex ſeptem Eccleſiæ ſacramentis, gratiam conferens. 20

Quo tempore fuit à Chriſto inſtitutum. 24

Eſt vnicum & ſimplex ſacramentum. 25

Matrimonium infidelium non eſt ſacramentum. Idem dicendum de matrimonio fidelis, cum infideli. 704.26

Contractum inter infideles, nunquam poteſt fieri verum ſacramentum. 27

Quamuis ſacramentum Matrimonij nequeat eſſe ſine ratione contractus: ratio verò contractus adhuc inter baptizatos, poteſt ſeparari à ratione ſacramenti. 28

Qua ratione in hoc ſacramento reperiantur ſacramentum tantùm, res, & ſacramentum ſimul, & res tantùm. 31

Matrimonium baptizatorum per Procuratores contractum, eſt validum, & propriè ſacramentum collatiuum gratiæ. 705.32

Quæ conditiones requirantur, vt matrimonium validè per Procuratorem contrahatur. 37

Qui poſt datum mandatum in amentiam incidit, validè contrahit, ſi antequam incideret, mandatum non reuocauerit. 706.40

Qui priùs fictè dedit Procuratori mandatum, quamuis poſtea conſentiat antequam contractus ineatur, inualidè contrahit. 41

Non eſt neceſſarium adhuc poſt Tridentinum, aſſignationem Procuratoris fieri coram Parocho, & teſtibus. 42

Materia huius ſacramenti non eſt mutuus conſenſus vtriuſque

Digitized

vtriuſque coniugis,neque forma verba illa ſacerdotis: *Ego vos in matrimonium coniungo*,&c. 44
Interior conſenſus coniugum non eſt materia, neque forma externa ſigna, quibus conſenſus exprimitur. 46
Verba vnius contrahentis, vel prius ab alterutro contrahente prolata,non ſunt materia;neque verba alterius contrahentis, ſiue ab altero poſterius prolata,ſunt forma huius ſacramenti. 48
Verba ſeu ſigna exprimentia conſenſum mutuum ſecundum diuerſas rationes, non ſunt ſibi mutuo materia,& forma huius ſacramenti. 707.49
Materia huius ſacramenti ſunt corpora contrahentium; forma verò ſigna externa ſufficienter exprimentia conſenſum. 51
Materia hæc non habet permanentem gratiæ ſignificationem, niſi pro eo tempore, quo ſubiicitur ſignis exprimentibus interiorem conſenſum. 54
Matrimonium qua parte eſt contractus humanus, poteſt ab Eccleſia variari. 55
Miniſter huius ſacramenti ſunt ipſi contrahẽtes. 56
Quis ſit ſenſus verborum ſacerdotis, *Ego vos coniungo*,&c. ibid.
Contrahentes quando in peccato mortali contrahunt,peccant mortaliter indignè ſuſcipiendo ſacramentum. ibid.
An committant duplex peccatum. ibid.

De conſenſu abſoluto.

Vt matrimonium conſiſtat,neceſſarius omnino mutuus conſenſus contrahentium. 709.1
An ita ſit neceſſarius mutuus conſenſus, vt nequeat vinculum matrimonij aliunde proficiſci, videlicet à Deo vtente ſua poteſtate abſoluta. 2
Huiuſmodi vinculum non poteſt viro, ac fœminæ accedere ex humana poteſtate. 710.8
Ad valorem matrimonij non ſufficit conſenſus fictus. 11
Qua ratione iſtud matrimonium fictum, aliudve ſimile,quod nullum fuit,ratificandum ſit. 12
Conſenſus parentum vel tutorum, non requiritur ad valorem contractus matrimonij,ſed illis inuitis adhuc valet contractus. 711.15
An ad legitimam renouationem conſenſus requiratur, vt coniux ignarus, fiat conſcius nullitatis. 16
Obiectum,& materia circa quam præfatus conſenſus expreſsè ferri debet. 18.& ſeqq.
Matrimonium contractum ab Eunuchis,quomodolibet contractum, etiam ad caſte viuendum, ſemper fuit inualidum,etiam ante decretum Sixti V. 712.24
Ad contractum matrimonij non ſufficit conſenſus merè internus. 26
Verba non ſunt ſimpliciter neceſſaria. 713.27
Verba vel ſigna talia debent eſſe,vt exprimatur conſenſus de præſenti. 28
Quid ſi fuerint dubia. ibid.
Ex copula habita poſt ſponſalia, quamuis præſumatur ab Eccleſia matrimonium contractum,tamen poſt Tridentinum vbi viget,non tranſeunt ſponſalia in matrimonium. 29
Non eſt opus, vt conſenſus contrahentium ſimul tempore exprimatur. 30
Quæ mora ſufficiat inter expreſſionem vtriuſque coniugis. 34

De conſenſu clandeſtino.

Matrimonium clandeſtinum ſine Parocho, & teſtibus celebratum, poſt Tridentinum omnino irritum. 714.1.& ſeqq.
An in aliquo caſu matrimonium clandeſtinum poſt Tridentinum ſit validum. Seligitur pars negans in locis,in quibus Concilium viget. 6
Incolæ locorum in quibus Tridentinum viget,quãdo vadunt ad loca in quibus non obligat, validè contrahunt matrimonium ſine Parocho,& teſtibus. 8
An quando matrimonium contrahitur abſque conſenſu interno,& fuit celebratum coram Parocho, & teſtibus, quando reualidatur contractus, ſatis ſit occultè iterum contrahere, vel rurſus adhibendi ſint Parochus,& teſtes. 9
Eadem difficultas tractatur de his,qui contraxerunt cum aliquo occulto impedimento, & contracto matrimonio,& conſummato,impetrant diſpenſationem à Pontifice. ibid.
Vt Parochus validè aſſiſtat matrimonio, opus eſt vt ſit verè Parochus: ſufficit autem quod ſit Parochus vnius vel alterius contrahentis, ſiue in propria, ſiue in aliena parochia matrimonio aſſiſtat. 715.12
Non requiritur quod ſit ſacerdos. 13
Ad valorem matrimonij non ſufficit aſſiſtentia Parochi illius parochiæ, ad quam quis diuertit recreationis cauſa. 14
Reſpectu vagorum quis cenſeatur Parochus. 15
Vicarius generalis,& Prouiſor,poſſunt matrimonio aſſiſtere,& licentiam concedere. 17
Parochus excommunicatus non toleratus, interdictus, ſuſpenſus, & irregularis, validè aſſiſtit matrimonio. 18
Sic excommunicatus validè confert licentiam ſacerdoti vt aſſiſtat, etiamſi ab Epiſcopo, vel alio iudice competente,prohibeatur matrimonio aſſiſtere,aut licentiam conferre. 716.19
Qui verè Parochus nõ eſt, ſi habeat titulum coloratum,validè aſſiſtit,& lucentiam aliis confert. 20
In ſacerdote vt validè aſſiſtat matrimonio,ſufficit licentia generalis, & ſub verbis generalibus collata. 21
Ratihabitio futura poſt aſſiſtentiam matrimonij, non ſufficit: ſecus ratihabitio præſens. 22
Licentia extorta per vim, metum, aut fraudem,ſufficiens eſt. 23
Parochus, vel ſacerdos de eius licentia aſſiſtens matrimonio, tenetur interrogare contrahentes de mutuo conſenſu. 24
Non tenetur ſub mortali proferre illa verba: *Ego vos coniungo*,&c. 25
Ad validitatem matrimonij requiruntur duo teſtes ſimul cum Parocho,corã quibus contrahatur. 26
Requiritur præſentia moralis. ibid.
Peccatum mortale eſt Parochum dolo,vel vi cogere ad aſſiſtẽdum,niſi cauſa iuſta, & neceſſitas grauis vrgeat:hæc tamẽ non ſufficiũt vt vis inferatur. 27
Qua pœna puniatur Parochus,vel ſacerdos qui ſine teſtibus aſſiſtunt matrimonio. 717.29
Matrimonium abſque denũtiationibus celebratum, non eſt inualidum, eſt vero graue peccatum. 30
Quid ſi vna tantum denuntiatio omittatur. ibid.
Denuntiationes faciendæ ſunt in vtriuſque parochiis,vbi diutius verſati ſunt contrahentes. 31
Poſſunt fieri extra Eccleſiam, ſi locus ſit aptus vt ad multorum notitiam perueniant. 32
Ob iuſtã cauſam omitti poſſunt omnes denuntiationes,vel duæ tantũ,ante contractũ matrimonij. 33
Parochus non poteſt omittere denuntiationes. 34
Quilibet tenetur differre impedimentum occultum,quamuis ipſe ſolum ſciat. 36
Etiamſi ſub ſecreto naturali,& iuramẽto ſciuerit. 37

Index Rerum.

Qui audiuit impedimentum à perſona fide digna, tenetur illud deferre. 718.38
Contrahentes ipſi interrogati, tenentur manifeſtare proprium impedimentum, ſi nolunt à matrimonio deſiſtere. 39
Si impedimentum occultè ſit diſpenſatum, nemo tenetur illud differre. 40

De conſenſu ex metu.

Ad contractum matrimonij neceſſaria requiritur conſenſus liber: & quæ libertas ſit ſufficiens. ibid. 1
Matrimonium ab ebriis contractum, inualidum. 3
Metus leuis non irritat matrimonium. 720.14
Metus grauis cadens in virum conſtantem, incuſſus in finem exprimendi conſenſum, irritat matrimonium, etiam conſummatum. 17
Qui conſentit in matrimonium per metum grauem, non peccat. 19
Iuramentum non ratificat matrimonium nullum ex metu graui. 20
An qui ſponte, & abſque vi conſenſit, poſſit reſilire antequam alter, qui inuitus contraxit, per nouum conſenſum renouet priſtinum matrimonium. 21
Matrimonium metu graui contractum, quo iure irritum. 721.24. & ſeqq.

De conſenſu conditionato.

Conditio de præterito, aut de præſenti, quæ non eſt illicita, aut contra ſubſtantiam, vel proprietatem aliquam inſeparabilem matrimonij non irritat illud, ſi verè & realiter extitit, aut exiſtit conditio. 722.2
Conſenſus ſub conditione de futuro neceſſario euenturo, ſufficiens eſt ad matrimonium; nec conſenſum ſuſpendit, ſed matrimonium ſub illa contractum, eo ipſo eſt validum. 723.8
Matrimonium contractum ſub conditione de futuro poſſibili contingente licita, & honeſta, impleta conditione valet, & non expleta non valet. 11
Quid ſi pater primò diſſentit, & poſtea conſentit. 724.12
Matrimonium contractum ſub conditione impoſſibili, vel inhoneſta ſeriò appoſita, in foro conſcientiæ inualidum: at in foro Eccleſiæ præſumitur validum, ac ſi non eſſet adiecta talis conditio. 13. & ſeqq.
An in contractu matrimonij ſub conditione de futuro, valeat conſenſus expleta conditione præcisè ex ſola poſitione conditionis, non expectato alio nouo conſenſu; vel potiùs hic ſit expectandus, vt matrimonium validum ſit. 16
An neceſſaria ſit aſſiſtentia Parochi, & teſtium dum expletur conditio, vel ſufficiat aſtitiſſe, dum primum præſtitus eſt conſenſus ſub conditione de futuro. 725.21

Matrimonij indiſſolubilitas.

Matrimonium legitimè contractum, tam inter fideles, quàm inter infideles, eſt inſolubile. ibid. 2
Matrimonium vtroque iure eſt inſolubile, naturali, & diuino. 726.5
Conſummatum carnali copula, nequit diſſolui per religioſam profeſſionem. 9
Coniugatis à puncto initi contractus, datur bimeſtre ante conſummatum matrimonium, vt quilibet poſſit, ſi voluerit, Religionem ingredi. 11
Per Epiſcopatum, neque per Ordinem ſacrum, nequit dirimi matrimonium ratum. 727.23
Iure naturali matrimonium ratum, non dirimitur religioſa profeſſione. 15
Vota ſimplicia Societatis IESV, an dirimant matrimonium ratum. 20
Per vota Clericorum, & Monialium Ordinis Militaris in clauſtro viuentium, diſſoluitur matrimonium non conſummatum. 728.24
Quando dicatur matrimonium eſſe conſummatum, 26
Matrimonium ratum, & conſummatum, qua ratione diſſoluatur per conuerſionem ad fidem vnius coniugis infidelis. 27
Quamuis coniux infidelis velit habitare cum fidele conuerſo pacificè, abſque iniuria Creatoris, & ſine periculo pertrahendi ipſum in apoſtaſiam à fide, adhuc ille qui venit ad fidem, poteſt pro ſuo arbitratu illud matrimonium diſſoluere, aliud de nouo celebrando. 729.30
Matrimonium ratum non conſummatum, de plenitudine poteſtatis Papæ poteſt diſpenſari. 32

Vſus, & debitum coniugale.

Copulam carnalem licitam eſſe ſi debite fiat, eſt de fide. 730.1
Nullum eſt peccatum adhuc veniale, coniugem petere debitum præcisè, vt incontinentiam in ſe ipſo vitet. 3
Nec tuendæ, aut reſtaurandæ ſalutis cauſa. 4
Neque ſolius voluptatis, & delectationis gratia, ex genere ſuo eſt aliquid peccatum. 5
Per ſe nullus coniux tenetur petere debitum alteri. 731.7
Quilibet coniux tenetur ſub mortali alteri coniugi debitum reddere ſiue expreſsè, ſiue interpretatiuè petat, niſi benuolè, & non animo obligandi vel niſi immoderatè petat. 9
Qui ſine cauſa negat vel ratò, & cum magna difficultate reddit, peccat mortaliter. 12
Coniuges tenentur ad mutuam cohabitationem. 13
Coniux excuſatur ab obligatione reddendi debitum quando ex copula ſequitur notabile nocumentum in ſalute corporali. 732.14
Item ſi alter coniux laboret morbo contagioſo. 15
Vel ſit amens. 16
Licitè poteſt negari debitum ne plures filij naſcantur, quàm parentes poſſint alere. 17
Qui votum caſtitatis emiſit ſiue ante, ſiue poſt contractum matrimonium non poteſt petere debitum, tenetur tamen reddere. 18
Qui ante conſummationem votum caſtitatis emiſit, non tenetur ingredi Religionem ad non violandum votum quando alter non vult ſeruare caſtitatem, ſed poteſt debitum reddere matrimonio iam conſummato. 20
Qui poſt contractum matrimonium ante eius conſummationem vouit caſtitatem, tenetur ingredi Religionem ſi quando vouet aduertat ſe non poſſe aliter implere votum. 21
Qui emiſit votum ingrediendi Religionem, tenetur ante conſummationem matrimonij implere votum, poſt conſummatum verò matrimonium poteſt petere, & reddere debitum. 733.23
Qui vouit non contrahere matrimonium quamuis peccet contrahendo, non peccat conſummando. 24
Si poſt conſummatum matrimonium coniuges ex mutuo conſenſu voueant caſtitatem, non poſſunt reddere nec petere debitum. 25
Si ante conſummationem matrimonij ex mutuo pacto vouent ingredi Religionem, peccant lethaliter conſummando. 26
Qui culpabiliter cognationem ſpiritualem cum altero coniuge contraxerit, adhuc poteſt petere debitum. 29

Qui

Index Rerum.

Qui habuit copulam cum consanguinea vxoris non potest petere. 30
Idem est si vterque coniux id impedimentum contraxit, neuter potest petere nec reddere. 734.31
Affinitas vltra secundum gradum non impedit debiti exactionem. 33
Ex se & secluso scandalo nullum est peccatum consummare matrimonium ante benedictiones nuptiales. 35
Exigere & reddere debitum diebus festiuis nulla est culpa. 37
Neque die communionis. 38
Non eximitur coniux ab obligatione reddendi debitum eo quod illa die Eucharistiam recepturus sit. 40
Tempore menstrui nulla culpa est ad vxorem accedere. 735.42
Neque cum vxor est grauida si absit periculum abortus prolis iam formatæ. 43
Actus coniugalis habitus in loco publico, seu coram aliis, est mortaliter illicitus. 46
Actus coniugalis habitus in loco sacro non est sacrilegium, neque peccatum, nec violatur Ecclesia. 47
In actu coniugali inuersio situs, seruato tamen vase debito & secluso periculo effusionis seminis non est peccatum lethale. 736.51
Copula præternaturalis viri cum vxore est graue peccatum, quod etiam est verum de tali copula solùm inchoata ad se excitandum. 53
Seminatio extra vas alterius vel vtriusque coniugis est peccatum mortale. 54
Vterque coniux si in actu ipso iam seminauit an teneatur expectare seminationem alterius. 55
In quibus casibus coniux peccet reddendo debitum quando alter coniux peccat petendo. 737. 60.& seqq.
In dubio de valore matrimonij quid faciendum. 63

Impedimenta dirimentia.

An Princeps sæcularis possit inducere suis subditis impedimenta dirimentia. 738.3
Qua ratione solius iuris Ecclesiastici sit, inducere impedimenta matrimonij. 7
An consuetudine possint introduci, vel abrogari impedimenta dirimentia. 739.8
Quot sint impedimenta dirimentia. 1
Quale peccatum sit violare hæc impedimenta. 9

De impedimento erroris.

Error in matrimonio quot modis possit contingere. 10
Error personæ si sit antecedens, dirimit matrimonium, tam iure naturali, quàm Ecclesiastico. 11
Error personæ concomitans, etiam irritat matrimonium. 14
Error fortunæ & qualitatis, non dirimit matrimonium, nisi consensus errantis fuerit conditionatus, vel nisi error qualitatis, aut fortunæ, redundet in errorem personæ. 740.16
An cum errore facti, & scientia iuris, possit esse consensus ad matrimonium. 19

De impedimento seruitutis.

Error conditionis & seruitutis, iure Ecclesiastico irritat matrimonium. 21
Si dominus serui consentiat illum contrahere matrimonium cum libero seruitutem ignorante, eo ipso seruus manumittitur, & libertate donatur. 741.23
Quid si dominus sciat, & non contradicat. ibid.
An in hoc casu matrimonium validè fiat. 24
Mancipium contrahens cum domino, aut cum domina, ipso iure naturæ statim consequitur libertatem. 26
Mancipia non solùm validè, sed etiam licitè possunt contrahere inuitis dominis. 27
An mancipium teneatur potius satisfacere domino, quam coniugi. 28

De impedimento voti & Ordinis.

Votum simplex castitatis non dirimit matrimonium contrahendum, nisi sit votum solemne in Religione emissum. 29
Ordo sacer à Subdiaconatu vsque ad Episcopatum, matrimonium dirimit. 30

De impedimento cognationis naturalis.

Cognatio triplex, naturalis, spiritualis, & legalis. Quid vnaquæque. 742.32
Cognatio carnalis quomodo distinguatur per lineas & gradus, & quotuplex sit linea. ibid.
Quomodo computandi sunt gradus consanguinitatis. ibid.
Prima regula pro linea recta ascendentium, & descendentium. 34
Secunda regula pro linea transuersali æquali. 35
Tertia regula pro eadem linea inæquali. 36
Consanguinitas vsque ad quartum gradum inclusiuè matrimonium dirimit, tam in linea recta, quàm in transuersali. 37
In primo gradu lineæ rectæ, irritum est matrimonium iure naturali. 38
Quid in reliquis gradibus eiusdem lineæ. 743.40
Quid de gradibus lineæ transuersæ. 41

De impedimento cognationis spiritualis.

Quando contrahatur hoc impedimentum. 42
Inter quos contrahatur. 44
Non contrahitur inter virum & fœminam adinuicem, tenentes baptizatum, aut confirmatum. 45
Quæ conditiones requirantur ad contrahendam hanc cognationem spiritualem. 744.48
In administratione Baptismi priuata, absque solemni ritu, patrini non contrahunt cognationem; bene tamen baptizans, nisi sint parentes in extrema necessitate. 49

De impedimento cognationis legalis.

Cognatio legalis quid. 50
Hæc cognatio dirimens matrimonium, solùm oritur ex adoptione perfecta. 51
Cognatio legalis inter quos impediat, & dirimat matrimonium. 52
In quoto gradu se extendat, tam in linea recta, quàm in transuersali. ibid.

De impedimento criminis.

Quando vir & fœmina ex intentione contrahendi inter se conspirant in necem mariti mulieris, vel in necem vxoris, viri morte sequuta, eiusmodi homicidium dirimit matrimonium. 55
Adulterium vt dirimat matrimonium, quod postea adulteri inire tentauerint, quas conditiones requirat. 745.57

De impedimento disparis cultus.

Quid intelligatur per hoc impedimentum. 61
Quo iure dirimat matrimonium. 62
An matrimonium fidelis baptizati cum hæretico, validum sit. 64

De impedimento ligaminis.

Quid intelligatur per hoc impedimentum. 746.65
Qui semel ritè contraxit, non potest transire ad secundas nuptias, nisi sit moraliter certus de morte prioris coniugis. ibid.

Index Rerum.

De impedimento publicæ honeſtatis.

Quid ſit hoc impedimentum. 66
Ex quo gradu oriatur. ibid.
Differt ab impedimento affinitatis. 67
Ex quibus ſponſalibus oriatur. 68
Ceſſat diſſolutis ſponſalibus ex mutuo conſenſu. 69
Similiter in matrimonio rato non conſummato, oritur prædictum impedimentum, vſque ad quartum gradum incluſiuè. 70

De impedimento affinitatis.

Affinitas quid ſit, & vnde oriatur. 71
Gradus quomodo computandi in affinitate. 72
Carnalis copula, quæ inducit affinitatem, qualis debeat eſſe. 73
Ex copula carnali ſpadonum, non oritur affinitas. 747.74
Affinitas ex copula coniugali prouenies, eſt de iure naturæ. 75
Iure naturali non dirimit matrimonium. 76

De impedimento impotentiæ.

Matrimonium ſine potentia ad copulam carnalem, omnino nullum. 77
Impedimentum impotentiæ quid ſit. 78
Impotentia duplex. ibid.
Ex quibus cauſis poſſit prouenire. ibid.
Impotentia abſoluta & perpetua, vndecumque proueniat, omnino dirimit matrimonium. 79
Matrimonium Eunuchorum fuit ſemper irritum iure naturæ. 748.80
Impotentia ad penetrandum vas fœmineum, dirimit matrimonium, quamuis emittatur ſemen ad os vaſis. 81
Si fœmina non poſſit retinere virile ſemen, quamuis ipſa ſuum ſemen emittat, & retineat, cenſetur impotentia ſimpliciter. 82
Poſt contractum matrimonium ſi nulla ſubſit ſpes viro emittendi ſemen intra vas, vel etiam fœminæ retinendi, carnalis congreſſus inter eos eſt omnino illicitus. 83
Impotentia orta ex maleficio ſi perpetua ſit, dirimit matrimonium. 84
Quando maleficium cenſendum ſit perpetuum. ibid.
Impotentia reſpectiua perpetua dirimit matrimonium. 85
Impotentia temporalis, ſiue abſoluta, ſiue reſpectiua, non dirimit. 86
Impotentia temporalis orta ex defectu ætatis, quo iure dirimat matrimonium. 87
Hermaphroditus iuxta ſexum præeminentem, validè poteſt contrahere, & etiam quamuis ſexus ſit æqualis, præſtito iuramento, ſe nunquam vſurum alio ſexu durante matrimonio. 749.91
An poſſit validè contrahere ſecundùm ſexum minus prævalentem. 92

De impedimento raptus.

Raptus fœminæ, qua ratione dirimat matrimonium inter raptorem, & raptam. 93
Hoc impedimentum tantùm datur dum vir rapit fœminam, non econtra. ibid.
Si fiat gratia capiendæ libidinis, & non ineundi matrimonium, non irritat illud. 94
Dum fœmina lubens conſenſit in raptum, etiam inuitis parentibus, non dirimit. 95

Impedimenta non dirimentia.

De primo impedimento, quod eſt interdictum iuris. 750.97
De ſecundo, quod eſt votum ſimplex caſtitatis, & Religionis. ibid.
De tertio, videlicet ſponſalia prius celebrata cum alia perſona. ibid.

De diſpenſationibus matrimonialibus.

Diſpenſatio quid ſit. ibid.1
Summus Pontifex poteſt diſpenſare in omnibus impedimentis non dirimentibus. 2
In impedimentis dirimentibus ex iure naturali aut diuino, diſpenſare nequit. 3
Epiſcopus poteſt diſpenſare ſuper impedimentis tantùm impedientibus, præter votum caſtitatis, & Religionis. 4
Iure ordinario nequit diſpenſare ſuper impedimentis dirimentibus. 5
Ex tacito conſenſu Papæ, qua ratione poſſit diſpenſare in impedimentis dirimentibus. ibid.
Quam poteſtatem habeat Epiſcopus diſpenſandi in petitione debiti. 751.6
Commiſſarius Bullæ Cruciatæ, quam poteſtatem habeat diſpenſandi in impedimentis. 7
Regulares mendicantes habent facultatem diſpenſandi in impedimento orto ex affinitate ſuperueniente ad petendum debitum. ibid.
Quæ conditiones requirantur, vt diſpenſatio valida ſit. 8. & ſeqq.

Meritum.

Ex maiori gratia creſcit valor meritorum, & in quo ſenſu. 316.110
Vnum meritum Chriſti, non fuit altero maius. ibid. 317.114
Chriſtus non potuit plus mereri, quàm Deus remunerare. 115
Chriſti meritum quamuis ſit ex ſe infinitum in actu primo, non tamen in actu ſecundo, & vt eſt actuale meritum. 116
Quod plures damnentur peccato Adæ, non derogat meritis Chriſti. ibid.
Humanitas Chriſti de facto incarnationem non meruit. 331.64
Per actus ſola natura priores ſui vnionem, nec illam meruit, nec diuinitus mereri potuit. 332.70
Humanitas Chriſti duratione reali præcedens vnionem hypoſtaticam, poſſet illam congruè mereri, non verò condignè. 331.69
Chriſtus nec meruit, nec mereri potuit ſuam incarnationem per opera ſubſequentia, nec etiam quoad executionem per opera in intentione præuiſa. 332.73
De facto non meruit continuationem in vnione hypoſtatica. 333.78
An meruerit vnionem partialem, quæ fiebat in nutritione. 79
Antiqui Patres non meruerunt, nec potuerunt mereri incarnationem condignè. 80
Nec de congruo quoad ſubſtantiam. 81
Aliquas circunſtantias Incarnationis meruerunt. 83
Chriſtum verè & propriè meruiſſe, fides docet. 369.1
An indiguerit gratia habituali ad merendum. 370.3
Habuit omnes conditiones requiſitas ad merendum. 5
Cœpit mereri ab inſtanti ſuæ conceptionis, & meritus eſt vſque ad mortem. 9
Meruit per actus virtutum moralium. 371.11
Per actum etiam amoris Dei, & qua ratione hic actus potuerit eſſe liber in Chriſto Domino. 12
Chriſtus non ſibi promeruit gratiam, nec ſcientiam infuſam. 372.20
Meruit ſibi gloriam corporis, & ſui nominis exaltationem. 22

Impaſſibi

Digitized by Google

Impassibilitatem animæ,& in quo sensu. 23
Et plura alia. ibid.
Nobis promeruit gratiam sanctificantem. 24
Vitam æternam. 26
Omnia auxilia & dispositiones,quibus præparamur ad gratiam iustificantem, & remissionem peccatorum. 373.28

Meretrix.

An liceat locare domum meretrici. 160.19
Meretrix non tenetur restituere pretium, quod ex meretricio, seu ex copia facta sui corporis,accepit. 220.1
Etiamsi nullum interueniat pactum,tenetur vir dare meretrici, quod mulieres illius qualitatis solent lucrari. 2
Meretrix quæ fraude,vel mendaciis plus extorsit ab adolescente,quàm iustitia pateretur, tenetur restituere. ibid.
Meretrix vel concubina,nequit accipere à Religioso pretium peccati, sed tenetur restituere Monasterio. 4
Idem dicendum de his,quæ pupilli,aut minores dederunt meretricibus. 5

Merx.

Merx quid sit. 267.4

Metalla.

Metalla auri & argenti,& alia similia inuenta in loco priuato, sunt domini loci illius ex natura rei. 218.5
Inuenta verò in loco communi sunt primo occupantis. ibid.
Quid de vtrisque,iuxta leges positiuas. ibid.

Metus.

Qua ratione irritet contractus,vide *Contractus.*
Quarum rerum metus cadat in virum constantem. 719.12

Miles.

Miles fugiens è bello Maurorum, & extrahens torquem aureum ab alio Christiano in acie demortuo,tenetur eum restituere hæredibus. 152.13
Nihil possunt ab hostibus capere, nisi quod est lege statutum. 153.21
Tenentur ad actum fortitudinis,& non fugiendum. ibid.
Milites excepto Duce per quem exercitus gubernatur, non tenentur in bello iniusto ad restitutionem totius damni, nisi illius quod per se exequuntur,vel quod sine ipsis illatum non fuisset. 177.104

Ministri.

Ministri publici qui ex officio tenentur denuntiare delinquentes,quamuis grauiter peccent, non tenentur ad restitutionem pœnarum, eo quod ex amicitia vel pretio aliquo corrupti, eos non accusant. 176.92

Misericordia.

Quid sit,& qua ratione differat à charitate. 131.18
Erga se ipsum potest exerceri misericordia. ibid.

Missa.

Missæ nomen immeritò irridetur ab hæreticis. 493.8
Missa vnde dicta. ibid.
In Missa offertur verum & proprium sacrificium,& in eo Christus immolatur. 9
Essentia huius sacrificij consistit in consecratione specierum panis,& vini. 495.16
Non consistit in oblatione,quæ fit in offertorio ante consecrationem:nec in ea quæ fit peracta consecratione illis verbis: *Offerimus præclare Maiestati tuæ,*&c. 19
Nec consistit in fractione hostiæ consecratæ. 21
Neque in distributione. 496.22
Nec denique in sumptione,quæ sit à Sacerdote. 23
Feria sexta in Parasceue Ecclesia non sacrificat. 25
In consecratione vtriusque speciei,formaliùs & expressiùs repræsentatur passio & mors Christi. 29
Ad rationem sacrificij incruenti non requiritur physica mutatio rei,quæ sacrificatur, sed sufficit mystica. 497.30
Consecratio vtriusque speciei ità est de ratione huius sacrificij, vt nunquam liceat vnam speciem sine alia consecrare. 32
Sacerdos qui per obliuionem non consecrauit paruas hostias sibi oblatas pro communicandis fidelibus, post consecrationem panis & vini nequit illas consecrare. ibid.
Sacrificium hoc, est vnicum & singulare. 33
In quo differat ab eo,quod Christus in vltima Cœna celebrauit,& in Cruce peregit. 34
Non solùm est Eucharisticum,sed etiam impetratorium,& propitiatorium. 498.36
Christus non solum mediatè, sed etiam immediatè & per se ipsum, est principaliter offerens hoc sacrificium. 39
Solis Sacerdotibus est collata potestas consecrandi, & offerendi illud. 499.41
Alij fideles sunt suo modo offerentes. 42
Nequit offerri pro beatis,nec pro damnatis,nec pro existentibus in limbo;bene tamen pro aliis fidelibus,tam viuis,quàm defunctis. 43
Item directè nequit offerri pro infidelibus, nec pro catechumenis. 500.48
Nomine Ecclesiæ nec validè, nec licitè, potest offerri pro excommunicato. 51
Quid nomine proprio,& nomine Christi. ibid.
An nomine Ecclesiæ liceat pro excommunicato tolerato. 54

Effectus, & valor huius sacrificij.

An per hoc sacrificium remittantur peccata mortalia ex opere operato, & prima gratia conferatur. 501.2
Virtute illius immediatè ex opere operato, certò & infallibiliter remittuntur pœnæ debitæ post remissionem culpæ restantes, tam viuis, quàm defunctis. 6
Impetrantur plura alia bona temporalia. 502.7
Satisfactio pœnæ quam confert, non prodest his, qui non sunt in statu gratiæ. 10
Fructus illius nequit esse suspensus, nec reseruari à Sacerdote pro alio tempore. ibid.
Ad percipiendum hunc fructum, non requiritur actualis deuotio in eo pro quo offertur. 11
Qualis applicatio Sacerdotis requiratur & sufficiat, vt hoc sacrificium prosit. 503.13
An applicatio illius fiat secundùm intentionem debitam,vel habitam. 17
Quando vnus Sacerdos tantùm consecrat hostiam, & alter supplet defectum & consecrat Calicem, ad quem pertineat applicatio. 504.21
An qui tenetur in aliqua Ecclesia celebrare sine sacrificij applicatione, possit illam Missam alteri applicare,& pro ea aliud stipendium accipere. 22
Sacerdos nequit præuenire celebrationem,offerendo,& applicando pro eis, qui postea eleemosynas dabunt. 23
Quid de Capellanis, quibus iniunctum est onus celebrandi certas Missas singulis hebdomadis. ibid.

Digitized by Google

Index Rerum.

Offerentes hoc ſacrificium non participant fructus eius ex opere operato, niſi ſimul pro eis offeratur. 24.& ſeqq.
Num valor Miſſæ ſit infinitus. 505.30.& ſeqq.
Miſſa qua ratione applicanda. ibid.507.42
Sacerdos an poſſit omnino à celebratione abſtinere. 43
Quando ad id teneatur Parochus. 508.46
An Sacerdos,qui ratione Capellaniæ,vel beneficij, quotidianæ Miſſæ onus ſuſcepit,teneatur per ſe, vel per alium quotidie celebrare. 47
In Eccleſiis Cathedralibus,Parochialibus, & Conuentualibus,eſt obligatio quotidie celebrandi.48
Quibus diebus, & in quibus Eccleſiis ſit obligatio decantandi duas Miſſas. ibid.
Nomine Eccleſiæ Collegiatæ, an intelligantur Eccleſiæ Regularium. ibid.
Feria quinta maioris hebdomadæ, licitum eſt quibuſcumque Sacerdotibus Miſſam priuatam celebrare. 49
Feria ſexta Paraſceue non licet. 50
Paſtor habens duas Parochias,qua ratione ſe debeat gerere. 51
Sabbatho ſancto licitum eſt priuatas Miſſas celebrare. 56
An aliquando liceat eidem Sacerdoti plures Miſſas eodem die celebrare. 509.58
Miſſa priuata non poteſt inchoari ante auroram, nec poſt meridiem. 59
Quid intelligatur nomine auroræ. ibid.
Regulares ex priuilegio quid poſſint. 60
Quid Sacerdotes omnes in caſu neceſſitatis ad dandum viaticum ægroto, aliàs ſine viatico morituro. 62
In quibus caſibus liceat poſt meridiem ſacrum inchoare. 63
Regulares in itinere,vel ex iuſta cauſa,poſſunt celebrare vſque ad nonam incluſiuè, & Sacerdotes ſine priuilegio in itinere vna hora poſt meridiem, ibid.
Miſſæ nequeunt licitè celebrari,niſi in Eccleſia conſecrata, vel benedicta. 510.66
An Epiſcopis ſit ſublata facultas concedendi licentiam celebrandi in locis non ſacris, & in domibus priuatis. ibid.
In quibus caſibus liceat extra Eccleſiam celebrare. 67
Quid poſſint Regulares ex priuilegio. 68
Illicitum eſt celebrare in Eccleſia polluta, & violata. 69
Ad celebrandum neceſſariò requiritur altare, quod ſiue ſit fixum,ſiue portatile, debet eſſe lapideum & ab Epiſcopo conſecratum. 511.75
Quomodo debeat eſſe ornatum. 77
Celebrari ſine lumine nũquam licet ſub mortali.78
In caſu neceſſitatis ſecluſo ſcandalo,poteſt celebrari cum lumine ex oleo,vel ex ſeuo. ibid.
Liber Miſſalis & Crux, qua ratione requirantur. 512.80
Quæ vaſa ſint neceſſaria ad celebrandum. 82
Quæ veſtes ſacræ requirantur. 513.89
Non licet Sacerdotibus vti pileo in Miſſa abſque diſpenſatione ſummi Pontificis. 92
In caſu neceſſitatis an poſſit ſolus Sacerdos ſine miniſtro celebrare. 93
Ritus in Miſſali præſcriptus, ſeu eius rubricæ, qua ratione obligent. 94
Omittere vnum vel duo verba in Canone, grauius peccatum eſt, quàm integram orationem extra illum. 95
Omittens voluntariè Gloriam,vel Credo, non peccat mortaliter: nec Sacerdos qui in Miſſa ſolemni non legit ſummiſſa voce Epiſtolam & Euangelium: nec qui omittit orationes, dum ſacris veſtibus ſe induit. 514.96
Qui dicit Miſſam votiuam,vel de Requiem in feſto duplici,vel Dominica,non peccat lethaliter. 97
Sacerdos qui promiſit Miſſam de Requiem,& aliam celebrat ſecluſo ſcandalo,non peccat. 99
Si Miſſa votiua petatur ex peculiari affectu & intentione conſequendi à Deo aliquod beneficium per alicuius Sancti interceſſionem, non licet in propriam diei permutare. 100
Quomodo occurrendum ſit defectibus in celebratione Miſſæ contingentibus. 101
Licitum eſt Sacerdoti pro ſacro faciendo ſtipendium aliquod accipere. 102
Quodnam ſit ſtipendium iuſtum, & condignum. 515.103
An Miſſæ poſſint ab Epiſcopo, vel à Generalibus Religionum ad minorem numerum reduci. 105
Miſſæ ſtipendium ſi à petente Miſſam integrè non detur,non poteſt ſuppleri à Sacerdote, recipiendo ab aliis tot pauca ſtipendia, quæ iuſtæ eleemoſynæ æquiualeant, & vnico ſacrificio omnibus ſatisfacere. 107
Sacerdos pauper pro vnica Miſſa, nequit accipere tot ſtipendia, quot ſufficiant ad eius diuturnam ſuſtentationem. ibid.
An Sacerdos qui Miſſas dicendas ſuſcepit, poſſit poſtea aliis Sacerdotibus dicendas dare, retenta ſibi parte ſtipendij accepti, & dato illis ſtipendio iuſto,ſed inferiori. 108
Sacerdos non poteſt à duabus perſonis duplex ſtipendium pro vna Miſſa accipere,& vtrique obligationi ſatisfacere, applicandi vni partem ſolitam,& alteri ſuam partem. 109
Nec poteſt plura ſtipendia accipere,quibus niſi poſt longum tempus,nequit ſatisfacere. 110
An adminiſtratores Eccleſiarum, poſſint pro adminiſtratione retinere aliquam portionem eleemoſynæ pro expenſis altarium, & inſeruientium. 516.111
Parochi an poſſint ſtipendium Miſſæ accipere, vel teneantur pro Parochianis offerre. 112

Præceptum audiendi ſacrum.

Datur præceptum Eccleſiaſticum audiendi ſacrum diebus feſtis. ibid.3
Obligat ſub mortali. 4
Per ſe loquendo omnes fideles adulti, & ratione vtentes,tenentur hoc præcepto. 6
Pueri tunc incipiunt obligari, cum capaces ſunt peccati mortalis. ibid.
Qui præuidet in die feſto, ſe non poſſe audire ſacrum ab hora nona,tenetur præuenire, & audire ſeptima,vel octaua. 517.7
An & quomodo ex voto ſeu iuramento, poſſit in ciuitate vel oppido, introduci præceptum audiendi ſacrum. 8
Tranſeuntes per oppidum in quo aliquod peculiare feſtum ſeruatur, non tenentur ad audiendum ſacrum. 9
Neque qui per aliquot dies in eo loco hoſpitantur. ibid.
Neque qui in die feſto ſui oppidi exeunt, & futuri ſunt extra limites, tempore quo præceptum impleri poſſet. ibid.
Tempore interdicti habens Bullam Cruciatam, tenetur audire ſacrum in feſtis, & Dominicis. 11

Digitized by Google

Index Rerum.

Voluntariè, & ſine legitima, & excuſante cauſa, omittens aliquam partem Miſſæ etiam minimam, peccat. 518.13
Excipiuntur qui inſeruiunt celebranti. ibid.
Omittens introitum Miſſæ vſque ad Euangelium excluſiuè, non peccat lethaliter. 14
Quid ſi omittatur Euangelium, dummodò audiatur totum reliquum cum Euangelio vltimo incluſiuè. 15
Quid de eo, qui non eſt præſens conſecrationi, ſed quando Sacerdos vult conſecrare, egreditur ab Eccleſia, & finita conſecratione ſtatim ingreditur. 16
Accedens ad audiendum ſacrum dum præfatio dicitur, an teneatur illud audire, ſi iam non ſit aliud ſacrum. 17
An ſit neceſſarium audire Miſſam integram ab vno Sacerdote, & an poſſit impleri hoc præceptum audiendo ſimul duas partes Miſſæ, quæ dicuntur in diuerſis altaribus. 519.18
Qualis præſentia requiratur ad ſatisfaciendum huic præcepto. 21
Qualis intentio requiratur. 22
Quid de illo qui audit ſacrum animo expreſſo non ſatisfaciendo præcepto, an adhuc ſatisfaciat. 23
Qualis attentio requiratur, & an interior ſit neceſſaria. 520.25
Qui dum audit ſacrum, recitat ea quæ aliàs recitare tenetur, adimplet hoc præceptum. 26
Cauſæ excuſantes ab auditione ſacri aſſignantur. 27. & ſeqq.

Modus.

Se ipſo affigitur ſubiecto ſine alia vnione. 328.41

Monopolium.

Monopolium quid ſit. 281.86
Monopolium auctoritate publica & ex iuſta cauſa, licitum eſt. ibid.
Quando Princeps concedit tale priuilegium in mercibus, tenetur taxare pretium. ibid.
Monopolium quo mercatores conſpirant, vt non vendant niſi pretio ſupremo in latitudine iuſti, adhuc eſt illicitum, & contra iuſtitiam cum onere reſtituendi. 282.88
Idem dicendum, ſi conſpirarent de non vendendo niſi pretio medio. 89
Si venditores faciant prædictum monopolium, poſſunt emptores ad redimendam vexationem, monopolium facere, ne emant niſi pretio medio, vel infimo. ibid.
Quando ex his conſpirationibus pretium creuit aliis, non poſſunt eo pretio vendere, etiamſi bona fide ignorent monopolium, ſed tenentur ad reſtitutionem, ſi poſtea agnoſcant iniuſtitiam. 90
Quando vnus vel pauci coëmunt totas merces certi generis, vt ipſi poſtea ſuo arbitratu vendant, non peccant contra iuſtitiam, nec tenentur ad reſtitutionem, dummodo non vendant ſuper latitudinem iuſti. 92
Qui ſine vi vel fraude impedit, ne maior copia mercium aliunde importetur, vt ipſe ſuas merces carius vendat, nullam committit iniuſtitiam. 93

Monachi.

An Clementina obligans Monachos ſancti Benedicti vt ſingulis menſibus confiteantur, obliget habentes ſola veniali. 564.45

Mors.

Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ita tamen vt mors eius ſingulis proſit, ac ſi pro ſingulis moreretur. 323.165

Mutuum.

Vide, *vſura.*
Mutuum quid ſit, & quas conditiones exigat. 248.1
Qua ratione differat à commodato, & aliis contractibus. 2

N

Naaman.

NAaman Syrus an peccauerit ingrediendo templum cum Rege adoraturo. 50.63

Natura.

Quæuis natura creata ſubſtantialis etiam rationis incapax, potuit à Deo aſſumi. 339.1
Natura creata exiſtens in propria perſonalitate, non potuit à Deo aſſumi. 330.6
Natura diuina & humana diſtant in infinitum in perfectione entitatiua, non in ratione termini & terminabilis. 302.6

Nectarius.

An in Eccleſia ſua abrogauerit vſum confeſſionis. 557.3

Neceſſitas.

Neceſſitas medij & præcepti in quo differant. 163. 12 & 168.46,47

Negotiatio.

De ſe non eſt illicita, aut inhoneſta. 283.94
Ex quibus cauſis poſſit vitiari. ibid.
Res ſacræ vendi non poſſunt. ibid.
Qua ratione prohibita in loco ſacro. ibid.
Negotiatio propriè dicta prohibita Clericis & Religioſis, & ſub qua pœna. ibid.
Clerici negotiantes an peccent mortaliter. 95
Propter ſuam vel ſuorum neceſſitatem cui aliter ſubuenire nequeunt, poſſunt negotiari per ſe. 96
Negotiatio per alios non eſt illis prohibita. ibid.
Clerici & Religioſi poſſunt comparare materiam ex qua arte facta conficiant, & vendant. Item greges alere ex quibus agnoſcet, &c. vendant. Similiter alienos agros conducere ad propriam, & ſuorum ſuſtentationem. 97
Qua ratione Clerici negotiatores priuilegium Clericale amittant. 284.98
De his quæ negotiando vendunt, tenentur gabellam ſoluere. 99

Nocumentum.

Illatum ex ignorantia inuincibili, non obligat ad reſtitutionem. 169.56
Idem dicendum ſi ignorantia ſit concomitans. 170. 57
Nocumenta quæ à brutis animalibus inferuntur, an ſint ab eorum dominis reſtituenda. 62

Notorium.

Quid & quotuplex. 635.14
Ad notorietatem per euidentiam facti quid requiratur. ibid.
Vt quis ſit publicus & notorius percuſſor Clerici vt teneamur illum vitare, non ſufficit notorietas facti, ſed vlteriùs requiritur notorietas iuris. 15

O

Occaſio.

OCcaſio qualis dicatur proxima, qualis remota. 583.195

Officia.

Secluſo iure poſitiuo, officia ſecularia vendi poſſunt. 280.78
Non expedit ob magna incommoda. 79
Quo iure venditio prohibita ſit. 80
Pius V. prohibuit iuriſdictionis officia pecunia vendi, & ſub quibus pœnis. 81

Principes

Index Rerum.

Principes ſub quibus conditionibus poſſint vendere officia iuriſdictione carentia. ibid.
Dantes, promittentes, aut acceptantes promiſſionem, pro iuſtitia aut gratia à ſede Apoſtolica obtinenda, eiſque obtentis vtentes, quibus pœnis ſubiaceant. 82

Opera.

Operari propter retributionem, eſt actus virtutis honeſtus. 73.19
Per continuationem eiuſdem operis, vel multiplicationem operum ſimilium, meretur iuſtus maius augmentum gratiæ. 107.44
Hoc augmentũ quãdo,& quomodo cõferatur.110.57
Bonorum operum meritum, non ſolùm penſandum eſt ex affectu charitatis, ſed etiam ex præſtantia ipſius operis. 58.& ſeqq.
Si opera ſint inæqualia, quamuis affectus ſit æqualis, præmium non poteſt eſſe æquale. ibid.
Magis diligit Deum, & magis meretur, qui æquali intenſione pro illo effundit ſanguinem, quàm qui cum eadem intenſione tribuit potum aquæ frigidæ. 112.68
Omnia opera infidelium, non ſunt peccata. 58.3
Opera quæ dicantur viua, quæ mortificata, quæ mortua. 534.104
Omnia opera bona & merita per peccatum ſubſequens mortificata, per veram pœnitentiam reuiuiſcunt. 535.105
Redeunt ſecundùm omnem dignitatem, valorem, & meritum, quem antea habebant. 110
Non tantũ ex Dei miſericordia, ſed ex natura rei. 113

Oratio.

Chriſtum in hac vita mortali oraſſe, eſt de fide. 374.1
Oratio Chriſti abſoluta & efficax ſemper exaudita, non verò inefficax & conditionata. 3
Adhuc in cœlo exiſtens, pro nobis orat. 375.5
An licitũ nobis ſit, ita rogare: Chriſte ora pro nobis. 8

Ordo.

Excommunicatus, aut irregularis ingerens ſe Ordinibus, ſi Epiſcopus dicat ſe non velle ordinare excommunicatum, aut irregularem, an maneat ordinatus. 414.61
In ordinatione Preſbyterorum, qua ratione poſſint plures eandem hoſtiam conſecrare. 490.88
Ordo quid ſit. 763.1
Quando à Chriſto inſtitutus. 2
Prima tonſura non eſt propriè Ordo, nec ſacramentum. 764.3
Quodnam ſit proprium munus vniuſcuiuſque Ordinis,& gradus. 4
Septem ſunt Ordines in Eccleſia, partialiter integrantes vnũ Ordinẽ totalem,& conſummatum. 5
An ſint plures, quàm ſeptem. 6
Tres Ordines ſacri imprimunt characterem. 8
Hi characteres non ſunt inter ſe ita connexi ex natura rei, vt non poſſit vnum ſine alio imprimi. 9
Epiſcopatus eſt verè & propriè ſacramentum Ordinis, ſuperius Sacerdotio. 10
An quatuor minores Ordines ſint vera ſacramenta, & imprimant characterem. 765.11
Materia & forma horum Ordinum. 12
Materia Subdiaconatus quænam ſit, quæve eius forma. 13
Quæ ſit materia & forma Diaconatus. 14
Quæ ſit materia & forma Preſbyteratus. 15
Quæ ſit materia & forma Epiſcopatus. 16
Quot Epiſcopi requirantur ad ordinationem Epiſcopi. ibid.
De materia & forma quatuor Ordinũ minorum. 17
An ad valorem ſingulatum ordinationum ex parte ordinandi, requiratur tactus phyſicus rei, cuius traditione ordinatur. 18
Quis ſit miniſter huius ſacramenti. 19
Quodnam ſit ſubiectum capax Ordinum. 766.20
An ex diſpenſatione Papæ poſſint fœminæ prima tonſura,& quatuor minoribus inſigniri. ibid.
Quot ſint effectus huius ſacramenti. 21
Iure Eccleſiaſtico quæ ætas præſcripta ſit pro ſingulis Ordinibus. 22
Quo tempore Ordines ſint conferendi. 23
Quæ interſtitia præſcribantur. 24
Sacris initiati tenentur ad continentiam, tam ex voto, quàm lege Eccleſiaſtica, vnde actum venereum exteriorem committentes, rei ſunt triplicis peccati diſtinctæ ſpeciei. 25
Sunt inhabiles ad matrimonium. 26
Regulariter tenentur ſub mortali geſtare coronã. 27

P

Pactum.

PActum quid ſit. 234.1

Papa Romanus Pontifex.

Ex Chriſti Domini præcepto, atque adeò de iure diuino eſt, vt qui eſt Epiſcopus Romanus, ſit primatus totius orbis. 32.57
Iudicium Romani Pontificis in definiendis rebus ad fidem vel mores pertinentibus, eſt certum & infallibile. 33.62
Hunc numero Papam poſtquam eſt ab Eccleſia vniuerſaliter receptus, eſſe verum Papam, fide diuina credendum. 64
Papa adhuc cõceſſo, quòd poſſit in hæreſim incidere, nõ poteſt errare in definiẽdis rebus fidei. 34.66
Ex præcepto diuino tenetur præmittere idoneã diligentiam, antequã ad definiendũ accedat, ea tamen omiſſa, adhuc definiet infallibiliter veritatem. 68
Papa vt priuata perſona poteſt errare, ſecus vt Pontifex. 35.69
Repugnat aliquẽ eligi,& haberi vt sũmus Põtifex à tota Eccleſia, qui verè sũmus Põtifex nõ ſit. 31.56
An Pontifex poſſit errare in definiendis rebus fidei, ex defectu diligentiæ & inquiſitionis. 34.68

Parentes.

Parentes affectuoſiùs & vehementiùs diligẽtes proprios filios, quã Deũ, non peccãt mortaliter. 114.25

Parochus.

Parochus excommunicatus toleratus, tenetur ſuis ſubditis ſacramenta miniſtrare, dummodo quando ſubditus petit, habeat contritionem delicti propter quod cenſuram incurrit. 412.48

Pars.

Naturaliter magis amat bonum totius, quàm bonum proprium particulare. 116.30

Paſtor.

Paſtores animarum tempore peſtis, tenentur non deſerere oues ſuas. 127.41

Paſcere.

An paſcere animalia in loco iuſtè à Republica prohibito, ſit illicitum cum onere reſtituendi. 217.15

Paſſiones.

Animæ paſſiones fuerunt in Chriſto. 364.8
Diſcrimen inter paſſiones Chriſti,& noſtras. 365.17

Paupertas.

Paupertas Spiritus quid ſignificet, & vnde oriatur. 84.26

Peccatum.

In ratione offenſæ non eſt ſimpliciter, & phyſicè infinitum. 312.83

Digitized by Google

Index Rerum.

Peccatum mortale non meretur pœnam, ſiue damni, ſiue ſenſus ſimpliciter infinitam ſecundum intenſionem, ſed in æternum duraturam. 84
Verè & propriè eſt ſpecialis iniuria contra Deum. 314.96
Peccatum quodnam grauius, originale, an actuale. 322.61
Peccatum non potuit eſſe in Chriſto, etiam de potentia abſoluta. 365.18
Nec potentia proxima peccandi. 366.24
Nec peccati fomes. 25
Impeccabilis fuit Chriſtus. 28
In lege naturæ prouiſum fuit paruulis de aliquo remedio, quo ab originali mundarentur. 384.12
Peccati venialis macula in quo conſiſtat. 532.80
Peccata venialia in homine iuſto, non remittuntur per quodcũque opus bonũ ex gratia procedens. 81
Extra ſacramentum nunquam remittuntur per ſolam attritionem. 85
Neceſſaria eſt actualis, vel virtualis contritio. 87
Per ſacramenta omnia remittuntur ex opere operato, dummodo homo attritus de eis accedat. 533.89
Venialia cum quibus homo decedit, remittuntur quoad culpam in inſtanti, in quo anima è corpore egreditur, per virtualem vel actualem contritionem. 90
Veniale coniunctum cum mortali, nunquam in hac vita deletur ſine mortali. 91
Per ſacramentalia quomodo venialia remittãtur. 92
Peccata ſemel remiſſa per ſubſequens peccatum non redeunt, neque quoad culpam, neque quoad reatum pœnæ æternæ. 94
Explicatur parabola de ſeruo crudeli. 534.97
Nec de potentia abſoluta redire poſſunt. 101
Per ingratitudinem in vnoquoque peccato repertam, peccata non redeunt, nec redire poſſunt. 102

Pecunia.

An ſit fœcunda, & an in virtute illius contineatur aliquid pretio æſtimabile. 261.74
Eſt menſura & pretium rerum omnium, quæ in contractibus humanis veniunt. 267.4
Ratione materiæ vel alterius circunſtantiæ, pecunia poteſt eſſe merx. ibid.

Pœnitentia vt virtus.

Pœnitentia eſt virtus ſpecie diſtincta à cæteris aliis virtutibus. 512.1
Quænam ſit eius ratio formalis. 6
Qua ratione differat à charitate. 523.10
Item à virtute iuſtitiæ. 524.15
Similiter à virtute Religionis. 525.24
Eſt virtus infuſa, non acquiſita. 26
Subiectum proximum virtutis pœnitentiæ eſt voluntas: remotum natura ſubſtantialis creata, ratione, & libertate prædita. 526.33
In Chriſto non fuit virtus pœnitentiæ. 36
Neque in Beata Virgine. 527.40
Num in primo parente in ſtatu Innocentiæ. 42
An in Angelo viatore. 528.46
Quid de Beatis. 47
Nullum eſt peccatum quantumuis graue, quod vera pœnitentia non deleatur. 51
Explicatur locus Pauli ad Hebræos. 6
Item alia loca ſacræ Scripturæ. 529.60
Peccatum mortale extra ſacramentum nunquam remittitur ſine actuali pœnitentia, ei qui eſt memor ſuorum peccatorum. 530.69
Per actum dilectionis Dei ſuper omnia, atque adeò per virtualem pœnitentiam ſine actuali, poteſt iuſtificari, qui nullo modo eſt memor ſuorum peccatorum. 70

De potentia abſoluta poteſt homini remitti peccatum mortale, abſque vlla actuali, vel virtuali pœnitentia. 73
Per pœnitentiam quomodo reuiuiſcant opera, vide *Opera.*

Pœnitentia vt ſacramentum.

Pœnitẽtiæ ſacramentũ fuit à Chriſto inſtitutũ. 536.1
Eſt ſecunda tabula poſt naufragium. 6
Inſtitutum poſt reſurrectionem. 537.7
Partes eius eſſentiales materia, & forma. Materia ſunt actus pœnitentis, forma abſolutio. 9
Ad percipiendam gratiam huius ſacramenti requiruntur contritio, ſeu dolor, confeſſio & ſatisfactio, tanquam partes integrantes illius. 538.15
Ritus externi, qui exerceri ſolent in adminiſtratione huius ſacraméti, non pertinẽt ad eius ſubſtãtiã. 19
Hoc ſacramentum eſt vnum vnitate ſpecifica, & numerica. 20
Quomodo in eo aſſignentur res tantum, & ſacramentum tantum, & res & ſacramentum ſimul. 21 & ſeqq.
Materia remota ſunt tantum peccata actualia commiſſa poſt Baptiſmum. 540.32
Peccata mortalia ſunt materia neceſſaria, venialia ſufficiens. 33
Actus pœnitentis ſunt materia proxima. 34
Ad formam huius ſacramenti requiruntur neceſſariò aliqua verba. 38
Forma abſolutionis modo deprecatiuo collata, inſufficiens ad eius valorem. 39
Quæ verba neceſſariò requirantur pro forma. 40
Quibuſcumque verbis proferatur forma abſolutionis, ſufficiens eſt ad valorem huius ſacramenti, quotieſcumque per illa verba ſufficienter ſignificatur actus iudicis proferentis ſententiam deciſiuam abſolutionis peccatorum. 541.42
Verus ſenſus illorum verborum: *Abſoluo te à peccatis tuis.* 45
Pœnitentiæ ſacramentum eſt neceſſarium neceſſitate medij. 542.50
Neceſſitas hæc tota prouenit ex præcepto Chriſti. 51
Re ipſa ſuſceptum, non ſemper eſt neceſſarium neceſſitate medij. 53
Aliquando eſt neceſſarium neceſſitate medij & præcepti. 59
In re vel in voto eſt neceſſarium neceſſitate medij. 543.62
Vt dicatur in voto neceſſarium, non requiritur votum explicitum. 64
Actus pœnitentiæ, alij eliciti, alij imperati, alij proſecutionis, alij fugæ. 544.1

Perſona, Perſonalitas.

Perſonalitas, ſeu ſubſiſtentia ſolum eſt modus terminans & complens naturam, non verò per ſe principium operandi. 315.103
Perſonalitas Verbi vt præciſa ab eſſentia diuina, eſt infinitè ſancta, & ſanctitas infinita. 105
Perſona operãs diuerſo modo afficit ſuam operationem, quã obiectũ circa quod verſatur actio. 316.111
Perſona Chriſti poſt incarnationem eſt verè compoſita. 325.21
Propriè loquendo non eſt compoſita ex duabus naturis. 326.25
In Chriſto ſolum eſt vnica perſona. 325.12
Perſona creata naturaliter non poteſt alienam naturam terminare. 336.1
Diuinitus id non implicat. 4
Quamuis tota Trinitas operata ſit incarnationem, ſola perſona Verbi aſſumpſit, & terminauit naturam humanam. 337.9

Index Rerum.

Verbum diuinum terminat naturam humanam,non per aliquid abſolutum,ſed tantùm per proprietatem relatiuam. 11
Abſtractis proprietatibus relatiuis, non poſſet diuina natura humanam terminare. 13
Potuerunt tres perſonæ diuinæ aſſumere eandem naturam,vel vna perſona plures naturas. 338.17
Si tres perſonæ aſſumerent eandem naturam humanam,eſſent vnus homo,non plures. 339.24
Si vna perſona diuina aſſumeret plures humanitates,non eſſet plures,ſed vnus homo. 29

Pertinacia.

Pertinacia quid ſit. 59.9
Proteſtationem quam faciunt Doctores in his quæ typis mãdãt,qua ratione excuſet à pertinacia.61.11

Diuus Petrus.

Fuit cõſtitutus à Chriſto totius Eccleſiæ caput.31.48
Hæc dignitas non ſolùm fuit Petro collata,ſed etiam omnibus eius ſucceſſoribus. 32.54
Chriſtus non dedit Petro ſummum Pontificatum prius neceſſariò coniunctum cùm aliqua particulari Sede; poſtea verò ex Chriſti præcepto tranſtulit ex Antiochena Sede ad Sedem Romanam, vt ibi perpetuò duraret. 33.59
Per præclaram illam Confeſſionem, quam fecit Petrus,an meruerit Pontificatum. 335.97

Pignus.

Qui habet pignus ad ſecuritatẽ ſui debiti,ſi pereat ex culpa illius Leui,obligatur ad reſtitutionẽ.186.162

Piſcatio, vide *Venatio.*

Pollutio.

Poſt pollutionem voluntariam non eſt peccatum eodem die communicare, præmiſſa Confeſſione: ſatius aliquantulum abſtinere. 487.66

Polygamia.

Siue pluralitas coniugum ſucceſſiuè,valida & licita. 708.57
Pluralitas vxorum ſimul, in lege Euangelica iure diuino poſitiuo prohibita. 59
Iure etiam naturali illicita & irrita. 60
Patribus antiquis fuit à Deo conceſſum vt plures ſimul vxores haberent,quod exemplo populi Dei extenſum fuit ad reliquas gentes. 62
Qua ratione id quod erat contra ius naturale, Dei conceſſione deſierit eſſe contra illud. 63

Potentia.

Vt fruſtrà non ſit,ſatis eſt ſi ſit formæ connaturalis, quamuis interdum per accidens ſuam operationem non exerceat. 360.58
In humanitate Chriſti fuit virtus,& potentia ad effectus ſupernaturales,& miraculoſos. ibid.2
In quo conſiſtat hæc potentia. 361.3
Non fuit phyſica,ſed moralis. 361.6 & ſeqq.

Præceptum.

Ad cognoſcendũ an præceptũ ſit affirmatiuũ vel negatiuũ,attendendũ nõ eſt ad modũ quo ponitur, ſed ad materiã primò & per ſe præceptam.163.15
Præceptum reſtitutionis poteſt adimpleri adhuc per vim,in quo differt à præceptis aliarum virtutum. 186.162
Traduntur regulæ ad agnoſcendum,quãdo ſit obligatio anticipandi opus præceptum, cum præuideatur impedimentum futurum tempore adimpletionis,& plures caſus deciduntur. 566.61

Prædeſtinatio.

Chriſtus qua ratione dicatur creatus ante omnem creaturã,& primogenitus omnis creaturę.321.148
Salus noſtra qua ratione priùs volita, quàm Chriſti prædeſtinatio. 154
Chriſtus fuit prædeſtinatus in ſigno rationis ſubſequente præuiſionem abſolutam peccati. 157
Diuinæ prædeſtinationis Ordo,qua ratione conſtituendus. 322.158

Prælati.

An ex præcepto eleemoſynæ teneantur inquirere egenos,vt eis ſubueniant. 131.17
Prælati præcipuè Eccleſiaſtici, & Superiores Religionum,ſtrictiùs tenentur præcepto correctionis fraternæ,imò tenentur inquirere vitam ſubditorum. 140.6
Superiores Religionum nimium negligentes in reprehendendis defectibus Communitatis, & tranſgreſſionibus Regulæ,quamuis non obligent ſub mortali,peccant lethaliter. 141.8

Præmium.

Quomodo ſit intelligendum,Deum præmiare vltra condignum. 116.85

Præſentia.

Præſentia ſeu vbicatio eſt forma accidentalis intrinſeca,& diſtincta à re vbicata. 438.10
Non eſt negatio diſtãtiæ,ſeu indiſtãtiæ rei à loco.11
Nec quod inter rem & locum, nequeat aliud corpus interponi. 12

Præſcriptio.

Præſcriptio quid ſit. 187.69
Requirit quatuor conditiones. Prima eſt capacitas actiua ex parte poſſidentis, & paſſiua ex parte rei poſſeſſæ, quorum defectu, qui non poſſint præſcribere,& quæ non poſſint præſcribi. 170
Secunda,poſſeſſio continuata rei alienæ. 171
Tertia,bona fides illius, qui eam poſſidet & retinet. 188.172
Quarta, titulus aliquis, qui probabiliter putetur validus. 173
Quinta,tempus à lege deſignatum. 174
In præſcriptione ſemel legitimè facta, non eſt obligatio reſtituendi,adhuc comparente domino.176

Præſumptio.

Nominis præſumptio multiplex ſignificatio. 98.17
Præſumptio oppoſita ſpei,quid,& quotuplex. 18
Per quam præſumptionẽ corrũpatur habitus ſpei.19

Pretium.

Pretium fructus rei exiſtentis in potentia, & exiſtentis in actu,non eſt idem. 261.75
Pretium rei vnde deſumendum. 267.6
Pretium duplex,aliud naturale,aliud legitimum, & in quo differant. 268.7
Plures dantur cauſæ ob quas naturale pretium rei augeri vel minui ſolet. 270.19
Abundantia,vel inopia mercium. ibid.
Abundantia,vel inopia pecuniæ. 271.22
Vendendi modus, vt ſi quis vendat ex officio, non tamen poteſt pluris vendere,quàm lege,vel communi æſtimatione ſit præſcriptum. 23
Nouitas,vel antiquitas rei. 24
Lucrum ceſſans,vel damnum emergens. 25
Peculiaris affectio, qua venditor rem aliquam proſequitur. 26
Pretium rei naturale etiam pro vno & eodem tempore,non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet latitudinem,& quam. 268.7 & 272.31

Priuilegium.

Poteſt Princeps ſupremus dare priuilegium efficax & validum, ante acceptationem & notitiam in priuilegiato. 652.149
Priuilegium non ſemper requirit notitiam actualem vel virtualem,ſed ſufficit habitualis. 150
Ad vſum licitum priuilegij neceſſariò requiritur notitia ſufficiens, & proportionata. 152

Index Rerum.

Prophetia, Propheta.

Propheta quis dicatur. 350.69
An de ratione prophetię ſit cognitio ænigmatica.70
Chriſtus habuit donum prophetiæ. ibid.
Explicatur locus Pauli: ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus. 351.72

Promiſſio.

Quamuis ante acceptationem non ſit pactum, ſecus poſt acceptationem. 234.2
Promiſſio quid ſit, & in quo à propoſito differat. 242.1
Debet verbis externis, vel ſignis fieri, & non ſufficit conſenſus internus. 243.2
Debet eſſe libera, ea ſaltem libertate, quæ ad mortale ſufficiat. 4
Item ſpontanea, hoc eſt libera à metu & coactione.5
Vera & nõ ficta, hoc eſt nõ oretenus & verbis ſolum facta, ſed animo promittẽdi & ſe obligãdi.690.16
Si non ſit acceptata, non obligat. 243.7
Debet eſſe de re licita. 244.8
Promiſſio externa legitimè acceptata ſi materia ſit grauis, obligat ſub mortali. 9
Vt materia ſit grauis, requiritur quantitas quadruplo maior, quàm in furto. ibid.
Promiſſio vnius ſacri non eſt materia grauis, inducens obligationem ſub mortali, ſecluſo contractu oneroſo. ibid.
Per conſenſum vtriuſque contrahentis, ceſſat obligatio promiſſionis. 11
Itẽ quando elapſus eſt terminus eam implendi. ibid.
Idem eſt ſi ſuperueniat aliquod impedimentum, vel magna mutatio in rebus tẽpore cõtractus ignorata, & quæ ſi fuiſſet nota, impediret cõtractũ. ibid.
Similiter ſi ſuperueniat impedimentum iuris, nec tenetur diſpenſationem petere. ibid.
Promiſſio vni facta non diſſoluitur per promiſſionẽ factam alteri, etiamſi iuramento firmetur. ibid.
Promiſſio facta loco pio nõ obligat ante acceptationẽ, niſi illi loco fiat in Dei cultũ & honorẽ.690.12

Propoſitum.

Propoſitum viuendi omnia mortalia, quia diuinæ bonitati grauiter oppoſita, quando coniungitur contritioni, vel amori, vel vtrique, diſponit proximè ad iuſtificationem. 549.44

Proximus.

Proximus quis ſit. 120.1
Qua ratione ex charitate diligendus. 3
Idem ſibi ipſi an proximus. 4
Quid de peccatoribus, inimicis, Dæmonibus, ac damnatis. 121.7
Dilectio qua proximus diligitur propter Deum, an ſpecie differat à dilectione, qua Deus diligitur propter ſe. 120.5
Qua ratione dilectio proximi propter Deum, perfectior ſit dilectione Dei ſecundùm ſe. 131.16

Prudentia.

Prudentiæ non poteſt ſubeſſe falſum. 15.77

Pax.

Pax quid ſit, & in quo conſiſtat. 133.17
Non eſt ſpecialis virtus, ſed effectus charitatis. ibid.

R

Redemptio.

Redemptio generis humani, propinquior fuit ad manifeſtandam Dei gloriam, quàm incarnatio præcisè. 321.150

Religio, Religioſi, Regulares.

In Religionum approbatione, an Pontifex poſſit errare. 38.89
Religioſus qui abſque facultate Superioris accipit pecunias, vel quid pretio æſtimabile, vt ipſe liberè diſponat nomine eius, qui dedit, peccat contra votum paupertatis. 139.28
Religioſi peccata grauia committentes, difficillimè emendantur. 145.28
Grauia Religioſorum delicta, redundant in maximum Religionis detrimentum. 146.29
Ingreſſus Religionis, qua ratione per debita impediatur. 186.165
Declaratur motus proprius Xiſti V. 187.168
In furtis Religioſorum, quæ quantitas requiratur ad mortale. 213.56
Quid dicendum in furtis eſculentorum & poculentorũ, quando in propriũ vſum conuertuntur. ibid.
Religioſi quibus cauſa ſtudiorum alimenta dantur, non poſſunt licitè de his aliquid in illicitos vſus expendere. 57
Religioſus habens facultatẽ diſponendi de bonis ab ipſo acquiſitis, poteſt ex eis puellæ defloratæ ſatisfacere, vel paruulos ex ea ſuſceptos alere. 220.5
Impediens alium ab ingreſſu Religionis, vel extrahens Nouitium, aut profeſſum, quid teneatur reſtituere. 226.4 & ſeqq.
Regulares ex priuilegio per totum annum, excepto feſto Paſchæ Reſurrectionis, poſſunt in ſuis Eccleſiis miniſtrare Euchariſtiam omnibus fidelibus, & qua ratione id ſit intelligendum. 491.95
Per modum viatici poſſunt Mendicantes date laicis Euchariſtiam, deficiente proprio Parocho. 97
Regularis Sacerdos applicans Miſſas contra intentionem Superioris, peccat contra obedientiam, & ſæpiùs contra iuſtitiam. 504.19
Regulares itinerantes de licẽtia ſuorũ Prælatorum, poſſunt cõfiteri cum alio Regulari alterius Ordinis, quãuis nõ ſit ab Epiſcopo approbatus.676.35
Ex hac generali conceſſione, non conceditur facultas vt abſoluantur à reſeruatis. ibid.
Quid ſi Regularis habeat reſeruata, & debeat celebrare ne infamia notetur, & ſolum adeſt Confeſſarius ſæcularis. 36
Epiſcopi aut Parochi, non poſſunt prohibere ſuis ſubditis, ne confiteantur cum Religioſis approbatis habentibus priuilegium Pontificis ad excipiendas omnium fidelium Confeſſiones. 677.40
Regulares adhuc Mendicantes, abſque Epiſcopi approbatione non poſſunt Confeſſiones ſæcularium audire. 594.65
Nõ ſufficit approbatio cuiuſcũque Epiſcopi vt poſſint vbique Cõfeſſiones audire, ſed neceſſariò requiritur approbatio ab Epiſcopis Diœceſaneis.66
Regularis in quauis Diœceſi approbatus virtute Bullæ aut Iubilei, vbique eligibilis eſt, dummodo actu approbatus ſit. 595.68
Epiſcopi de nouo aduenientes in propriam Diœceſim, poſſunt compellere Regulares ad ſubeundum nouum examen, quamuis ab anteceſſore fuerint examinati & approbati. 70
Regulares ſemel examinati & approbati, nequeunt ab eodem Epiſcopo ad examen vocari: nec poteſt Epiſcopus approbationem conceſſam ſuſpendere, aut reuocare, niſi ex noua cauſa ad Confeſſiones pertinente. 71
Neque poteſt eos approbare cum limitatione ad certum tempus, & perſonas. ibid.
Itẽ nec omnibus ſimul vnius Conuentus Confeſſariis adimere facultatẽ audiendi Cõfeſſiones. ibid.
Regulares virtute Bullæ Cruciatæ, nequeunt eligere Confeſſarium, qui eos à reſeruatis abſoluat. 604.29 & ſeqq.
Neque virtute Bullæ poſſunt eligere ſibi Confeſſarium in ordine ad alia peccata mortalia. 604.34

Index Rerum.

Reliquiæ.

Reliquias Sanctorum esse adorandas & venerandas, fide sancitum. 387.67

Vt publicè venerentur, necessaria est Episcopi approbatio. 71

Restitutio.

Restitutio quid sit. 156.1

Quomodo differat à satisfactione. 3

Homini mortuo & resuscitato, ex iustitia restituenda sunt bona temporalia, quæ habebat. 5

Restitutio propriè tantum est actus iustitiæ commutatiuæ. 157.8

Actus honorandi quando debetur pro contumelia præcedenti, est actus iustitiæ commutatiuæ. 9

Non semper ad eandem virtutem pertinet non inferre damnum, & illud resarcire. 10

Modus faciendi restitutionem aliquando potest pertinere ad iustitiam distributiuam. 158.11

Restitutio est necessaria ad salutem, necessitate præcepti, non verò medij. 13

Præceptum restitutionis non est affirmatiuum, sed negatiuum. 159.16

Spectat ad septimum Decalogi præceptum. 18

Qui non restituit, toties de nouo peccat, quoties proponit non restituere, vel quoties se offert occasio restituendi, & non restituit, illam occasionem aduertens. 160 19

Obligatio restituendi oritur, vel ratione iniustæ acceptionis, vel ratione rei acceptæ. 165.24

Discrimen inter vtramque obligationem. 164.22

Alij assignant duas alias radices, nimirum lex & voluntas, quæ non sufficit nisi damnum in re sit illatum. 165 23

Alij censent oriri ex tribus causis, ex re, ex delicto, & ex contractu. 24

Ex re accepta bona fide oritur obligatio restituendi, quoties res illa durat in propria substantia; si verò bona fide fuerit consumpta, debet restitui illud in quo quis ex illa re locupletior est factus. 25

Qui bona fide rem alienam donauit, vel sibi bona fide donatam consumpsit, nec propterea aliquid ex suis bonis seruauit, & qui bona fide rem alienam vendidit eodem pretio quo illam emerat, ad nullam restitutionem tenetur. 166.28

Qui bona fide rem alienam donatã accepit, si postea illam vẽdat, obligatur ad restitutionem pretij. 29

Si maiori pretio vendat, probabile est non teneri ad restituendum illud plus, quia non est fructus rei, sed industria. 31

An & qua ratione restituendi sunt fructus percepti ex re aliena, quæ bona fide detinetur. 32

Quomodo facienda sit restitutio quando res aliena, quam quis bona fide habet, nullos facit fructus ob negligentiam possessoris. 34

Ex negligentia colendi vel locandi rem vt ex ea emolumenta crescant domino, non oritur obligatio restituendi in possessore bonæ fidei: secus in malæ fidei possessore. 35

Emens rem alienã à fure bona fide, non tenetur eam domino reddere, sed potest reddere furi vt rescindat cõtractũ vẽditionis, & recuperet pretiũ 167.37

Si verò mala fide rem emit, sciens, vel dubitans esse alienam, tenetur eam domino restituere, etiamsi pretium amittat. 168.45

Probabile est posse illam reddere furi, si aliter pretium recuperare nequeat. 46

Qui gratio animo accipit rem alienam, tenetur ad restitutionem vero domino faciendam. 48

Licitè potest emi res aliena ad restituẽdã illã vero domino, & manet in emptore ius vtiliter gesti. ibid.

An sit obligatio restituendi res alienas, quæ propriis sunt ita permixta, vt nequeant discerni. 49

An sit obligatio restituendi res emptas à Turcis vel Piratis, & similiter an qui extrahunt à Piratis naues onustas mercibus à Catholicis captas, teneantur eas domino restituere. 50

Ad obligationem restituendi necessaria est culpa iniustitiæ. 169.54.59

Secluso contractu & officij obligatione, culpa hæc debet esse lethalis. 170.61

Ex nullo contractu oritur obligatio restituendi rem alienam, quæ periit ex casu fortuito, nisi ea obligatio in ipso contractu explicetur. 171.67

In quolibet contractu est obligatio restituendi rem alienam, si pereat ex dolo & lata culpa. 172.68

Quando contractus nequit liberè reuocari, & respicit vtilitatem vtriusque contrahentis, obligat accipientem de culpa lata & leui; si verò sit in vtilitatem solius accipientis, obligat illum etiam in culpa leuissima. 71

In contractibus sola culpa iuridica obligat ad restitutionem. 72

Quando res debetur ex delicto præcedenti, quomodocumque pereat, pretium eius debet domino restitui. 173.74

Quando contrahentes tenentur etiam ex culpa leuissima, quomodo teneantur ad restitutionem, si negligãt res alienas, vt cõseruent res proprias, & similiter quãdo tenentur de dolo & lata culpa. 75

Qui non impediunt damna, quæ possent & deberent impedire, nimirum Gubernatores Ministri iustitiæ, Custodes montium, vinearum, &c. tenentur ad restitutionem. 175.85

Qui neque ex contractu aut officio obligantur ad habendam curam rerum alienarum, non tenentur ad restitutionem, etiamsi negligant aliorum damna, quæ facilè possent impedire. 86

Causæ morales, vt sunt præcipiens, consulens, consentiens, & laudans, qua ratione ad restitutionem teneantur. 176.94

Assignatur regula generalis. 96

Si quis paratus sit occidere quempiam die Iouis, & alter roget vt occidat die Martis, non tenetur restituere damna illata ex substantia mortis, sed orta ex anticipatione. 98

Reuocans præceptum, mandatum, consilium, vel conuentionem, antequam damnum inferatur, non tenetur ad restitutionem. 177.99

Ex ratihabitione nocumenti iam illati, non oritur obligatio restituendi. 100

Causæ physicę cooperantes ad nocumentũ aliorum, qua ratione teneantur ad restitutionem. 101

Quando totum damnum procedit à qualibet causa sicut à partiali principio, quælibet causa tenetur ad restitutionem totius damni. 102

Quando plures causæ inferunt damnum, quo ordine teneantur ad restitutionem. 105

Quando causa, quæ principaliùs obligatur damnum integrè restituit, aliæ quæ minus principaliter obligantur, ad nullã restitutionẽ tenentur. 178.110

Idem dicendum, quando creditor remittit obligationem restituendi causæ principali. 111

Qui impedit ne alter consequatur bona, quæ ex iustitia ei debentur, tenetur ad restitutionem. 112

Regula notanda D Thomæ. ibid.

In rebus quæ non debentur ex iustitia, si quis impediat consequutionem sine vi, fraude, & deceptionibus, non tenetur ad restitutionem. 179.113

Secus si per metum, aut vim illatam, vel per deceptionem & mendacia. 114

Non verò si absque his impediat ex odio, & voluntate

Digitized by Go

tato nocendi. 116
Reſtitutio facienda eſt ei, qui habet ius habendi rem, ſiue per dominium, ſiue per vſum, ſiue per detentionem. 119
Pignus per furtum ablatum, reſtituendum eſt ei cui ob ſecuritatem datum eſt. ibid.
Res per furtum accepta à depoſitario, eidem reſtituenda. 180.120
Qua ratione ſit reſtituenda res furto accepta à filiofamilias, pupillo, vel à Religioſo. 121
Quando res accepta in ſpecie durat, ea ipſa reſtituenda eſt: ſi verò ſit conſumpta, ſoluendum eſt illius pretium. 125
Pretium an reſtituendum iuxta quantitatem maiorem, quam res habuit in poteſtate iniuſtè detinentis, an verò ſecundum valorem quem habuit tempore iniuſtè acceptionis. 126
Reſtitutio quando eius obligatio oritur ex cõtractu, facienda eſt tẽpore in contractu cõſtituto. 181.128
Si oriatur ex delicto, aut ex acceptione rei alienæ, facienda eſt ſtatim cum primum poſſit. ibid.
Quibus expenſis debeat fieri reſtitutio. 183.146
Plures dãtur cauſæ excuſantes à reſtitutione. 184.150
Impotentia debitoris. 151
Quando reſtitutio facta ſtatim, nocumentum afferret creditori. 152
Nocumentem ipſius debitoris. 153
Quando nocumentum eſt æquale, creditor præferendus. ibid.
Caſus ab ſtatu honorifico, quando excuſet à reſtitutione. 185.159
Ceſſio etiam bonorum. 160
Si poſtea habeat bona, reuiuiſcit obligatio antiqua, & tenetur integrè reſtituere. ibid.
Compenſatio creditoris ex bonis debitoris. 161
Remiſſio creditoris, quæ debet eſſe plenè volũtaria, & nõ extorta per vim, ignorãtiã, aut metũ. 186.163
Sententia Iudicis. 164
Ingreſſus Religionis. De quo vide ſuprà *Religio.*
Præſcriptio. 187.169
Bulla Compoſitionis. 188.175
Qui teneantur ad reſtitutionem ob collationem beneficij in perſonam non dignam. 190.13 & 191.26
Quid ſit reſtituendũ pro homicidio, vide *Homicidiũ.*
Quid pro ſtupro, vide *Stuprum.*
Quid pro adulterio, vide *Adulterium.*
Pretium acceptum pro bono opere debito ex præcepto, vel ne fiat opus malum prohibitum, an ſit reſtituendum. 122.14
Inducẽs ad peccandũ quid teneatur reſtituere. 225.1

Reuelatio.

Reuelationem priuatam recipiens, tenetur credere quæ reuelantur. 8.38
Reuelatio virtualis ſeu mediata, non eſt ſufficiens ad aſſenſum fidei. 11.52
Qua ratione propoſitiones, quæ inferuntur ex reuelatis, ſint, vel non ſint de fide. 53

Reus.

Qui iuridicè interrogatus noluit manifeſtare veritatem, non tenetur ad reſtitutionem pœnæ, quam ſoluiſſet ſi veritatem fuiſſet confeſſus. 175.89

Rex.

Reges, ad officia ſæcularia non tenentur digniores eligere. 192.25
Chriſtus an fuerit Rex temporalis. 377.11

Rixa.

Rixa quid ſit. 153.22
Ex genere ſuo eſt peccatum mortale, niſi leuitas materiæ excuſet. ibid.

S

Sacerdos.

SAcerdos verè & propriè fuit Chriſtus. 375.1
Iuſti in qua ſignificatione dicantur Sacerdotes in ſacra Scriptura. 2
In vero ſacrificio an debeat Sacerdos hoſtiam mactare. 376.3
Chriſtus fuit ſimul Sacerdos, & hoſtia. 6
Forma Sacerdotij Chriſti non fuit character, ſed vnio hypoſtatica. 7
Qua ratione dicatur Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech. 8
Obtulit pro ſe ipſo ſacrificium, & in quo ſenſu. 10

Sacramentum.

Nominis ſacramentum multiplex ſignificatio. 389.1
Significat idem quod myſterium. 2
Et quod ſacrum ſecretum. 3
Et quod iuramentum. 4
Præcipuè ſignificat cæremoniam ſacram ſanctitatem conferentem. 6
Sacramentum debet eſſe cæremonia ſacra, ſolemnis, & ſtabilis. 390.7
Signum ſenſibile practicum rei ſacræ. 8
Repugnat inſtitui in re ſpirituali. 13
Significare perfectam ſanctitatem internam, eſt de ratione ſacramenti nouæ legis. 391.18 & ſeqq.
Sacramenti diffinitio. 392.25
In omni ſacramento neceſſariò requiruntur, res & verba. 29
Sacramentum tribus perficitur, materia, forma, & intentione Miniſtri. ibid.
An omnia ſacramenta componantur intrinſecè rebus, & verbis. 30.& ſeqq.
Omnia ſacramẽta eſsẽtialiter requirũt verba. 394.39
Sacramenta ſunt entia moralia, & ad ſui eſſe non exigunt phyſicam exiſtentiam vtriuſque partis, niſi tantum moralem. 43
Ex Chriſti inſtitutione habent materias & formas determinatas, ita vt eorum mutatio ſit contra valorem ſacramenti. 395.50
Circa ſubſtantiam ſacramentorum Eccleſia non habet poteſtatem, neque ad eam pertinet aſſignare materiam & formam illorum. 51
Qua ratione id intelligatur in ſacramento matrimonij. 52
Materia ſacramenti debet eſſe vna in ſpecie infima cum illa, in qua Chriſtus conſecrauit. 396.54
Quæcumque mutatio deſtruens præfatam vnitatem quomodocumque contingat, deſtruit valorem ſacramenti. ibid.
Verba formæ ſacramentorum debent ſignificare eandem omnino ſententiam, quã Chriſtus ſignificauit per verba, per quæ inſtituit ſacramentũ. 55
Mutatio verborum ſi non ſit eſſentialis, ſed accidentalis tantum, non obſtat valori ſacramenti. 56
Interruptio verborum formæ, quando obſtet valori ſacramenti. 58
Mutatio quæ fit per verba ſynonyma, eſt accidentalis. 60
In quibus ſacramentis mutatio verbi ſecũdum modum & tempus, ſit eſſentialis, vel accidentalis. 61
Mutatio numeri de ſingulari in plurale, quando accidentalis. 391.63
Peruertere ordinem verborum formæ, quando ſit eſſentiale. 64
Quid de omiſſione alicuius verbi. 65
Quid de additione. 66
Quid de corruptione in verborum prolatione. 67
An quod mutatio ſit accidentalis pendeat aliquan-

Index Rerum.

do ex intentione Miniſtri. 68.& ſeqq.
Exponitur decretum Zachariæ Papæ. 393.79
Sacramenta omni tempore fuerunt neceſſaria poſt originale peccatum. ibid.
Aſtruitur in omni lege naturæ,veteri,& gratiæ.ibid.
Traduntur rationes ad probandam conuenientiam inſtitutionis ſacramentorum. 394.8
In ſtatu innocentiæ etiamſi perſeueraret ,,non fuiſſent ſacramenta. 395.15 & ſeqq.
Adamo non peccante , ſi aliqui eius poſteri peccarent,an inſtituerentur ſacramenta. 396.22
Omnia ſacramenta nouæ legis ex opere operato gratiam cauſare,de fide ſancitum. ibid.1. & ſeqq.
Quid ſit cauſare gratiam ex opere operato. 4
Gratia quam cauſant omnia ſacramenta,eſt habitualis,& ſanctificans. 398.19
Item auxilia gratiæ actualis, quibus homo dirigitur in proprium finẽ vniuſcuiuſque ſacraméti.399.21
Diſcrimen quoad hoc inter ſacramenta Baptiſmi,& Pœnitentiæ,à cæteris ſacramentis. 23
Probabilius eſt, ſacramenta non eſſe cauſas phyſicas gratiæ,ſed ſolùm morales. 24 & ſeqq.
Sacramentum eſt eñs morale ſecundum eſſentiam, nihil phyſicum includens. 402.44
Chriſtus in quantum homo ex commiſſione diuina & poteſtate præexcellentiæ,fuit ſacramentorum inſtitutor. 406.4
In quo conſiſtat hæc poteſtas. 6
Omnia ſacramenta fuerunt immediatè à Chriſto inſtituta , & non ab alio , adhuc ex commiſſione & delegatione Chriſti. 407.8
Poteſtas inſtituendi ſacramenta potuit communicari puræ creaturæ,non tamen ſicut Chriſto. 10
Per malos Miniſtros validum conficitur ſacramentum. 408.15
Omnia ſeptem ſacramenta collata à peccatore , vel infideli,vel hæretico etiam notorio & præciſo,& quauis cenſura irretito,valida ſunt , excepta Pœnitentia quando Miniſter caret iuriſdictione. 16
Conferunt ſuos proprios effectus non ponentibus obicem. 18
Adhuc miniſtrata actione peccaminoſa. 19
Miniſter ex officio exiſtẽs in peccato mortali,& miniſtrãs aliquod ſacramẽtũ,peccatmortaliter.409.25
Vnde deducatur hæc obligatio. 26
Exiſtente iuſta & rationabili cauſa,licitum eſt petere ſacramentum à prauo Miniſtro parato, quamuis ſit alius , qui ſine peccato poſſit miniſtrare, etiamſi certò ſciat miniſtraturũ in mortali.410.36
Quæ conditiones debeant ad id concurrere. 411.39
Illicitum eſt petere ſacramentum à prauo Miniſtro quando ipſe non eſt paratus. 42
Niſi is à quo petitur,ſit obligatus miniſtrare ex officio. 43
Vel niſi ſit articulus neceſſitatis. 45
Qua ratione liceat vel nõ liceat,petere ſacramentũ à Miniſtro illaqueato aliqua cẽſura.412.46 & ſeqq.
In effectione ſacramentorum neceſſaria eſt intentio Miniſtri,hoc eſt,quod intendat facere quod facit Eccleſia. 413.54
Quodnã debeat eſſe obiectũ huius intẽtionis.414.64
Non ſufficit intentio habitualis. 415.67
Neque interpretatiua. 70
Non eſt neceſſaria actualis. 69
Sufficiens eſt virtualis , quæ tunc habetur , quando intentio habet influxum remotum in confectione ſacramenti. 71
Intentio cum conditione de futuro , non ſufficit ad valorem ſacramenti. 416.75
Cõditio de præſenti vel de præterito,eſt ſufficiẽs.77
In infantibus vel adultis perpetuò amentibus,nulla requiritur intentio ad validè ſuſcipienda ſacramenta,quorum ſunt capaces. ibid.1
In adultis ſi ſint rationis compotes,ſufficit quælibet intẽtio,ſiue actualis,ſiue virtualis,ſiue habitualis.2
Sufficit etiam,quod quis implicitè petierit. ibid.
An ſacramenta recedente fictione ſuum producant effectum ; quibus ſacramentis hoc conueniat. 417.3 & ſeqq.
Sacramenta non ſunt adminiſtranda indignè petenti. 418.12
Nec peccatori publico , ſiue publicè , ſiue occultè petat. 14
Peccatori occulto ſi publicè petat,miniſtranda;non verò ſi petat occultè. 15
Eccleſiæ ſacramenta ſeptem ſunt. ibid.1
Omnia conſtituunt ſpecies vltimas. 419.3
Ad conficienda omnia ſacramenta duplex ritus requiritur,alter eſſentialis,accidentalis alter. 4
Sine ritu eſſentiali,nec licitè,nec validè adminiſtratur ſacramentum. Sine ritu verò accidentali validè adminiſtratur,non tamen licitè. ibid.
Vt aliquid ſit ſacramentum , vel pars illius , ſufficit quod ſit ſenſibile per accidens , & qua ratione hoc debeat illi competere. 422.19

Sacrificium.

Sacrificium quotuplex ſit. 375.2
Sacrificium latè dicitur quodlibet opus virtutis. 492.1.
In quo conſiſtat ratio ſacrificij propriè dicti. 3
Sacrificij diffinitio. 4
Ad rationem ſacrificij non ſufficit auctoritas priuata , ſed requiritur quod publica auctoritate inſtituatur. 493.7
In omni lege & Republica bene inſtituta ſemper fuerunt coniuncta , lex , ſacrificium, & Sacerdotium. 494.13
Sanguis Chriſti, qua ratione ſit nouum teſtamentum,& verum ſacrificium. 15

Sacra Scriptura,ſacer Scriptor.

Sacer ſcriptor quis dicatur. 13.3
Ratio formalis ſacræ Scripturæ in quo cõſiſtat.14.5
Scriptura ſacra eſt regula fidei infallibilis. 6
Vulgata & Latina editio habet infallibilẽ veritatẽ.8
Qui libri ſint Canonici , & quibus indubitata fides debeatur. 9
Quando Tridentinum ſtatuit , editionem vulgatam habendam eſſe pro authentica,nomine authentici quid ſignificetur. 10

Sanctus , Sanctitas.

Anima Chriſti ita ſanctificatur per vnionem ad Verbum,vt ad hunc effectum non indigeat gratia habituali,vel alia forma creata. 343.2
Forma ſanctificans animam Chriſti non eſt vnio hypoſtatica. 9
Perſonalitas Verbi vt virtualiter diſtincta ab eſſentia diuina,ſanctificat humanitatem. 10
Item diuinitas , vt à Verbi perſonalitate virtualiter differt. 344.13
Perſonalitas & diuinitas phyſicè ſanctificant humanitatem. 20
Sancti dulia ſunt adorandi,adoratione quidem non tantùm reſpectiua , ſed abſoluta & religioſa. 383.34
Hæc adoratio ſpecie differt ab adoratione Deo debita. 384.40

Sanguis.

Verbum diuinum aſſumpſit ſanguinem , & cæteros humores. 351.19

An

Digitized by Google

Index Rerum.

An aliqua pars ſanguinis Chriſti effuſi in paſſione, manſerit in terris. 342.23
Quomodo ſit adoranda. ibid.
Axioma Damaſceni, Quod ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit, quomodo intelligendum. 23

Satisfactio Chriſti.

Homo purus in gratia conſtitutus, non potuit ſatisfacere ad æqualitatem pro peccatis generis humani. 310.68
Ratio P. Vazquij, non probatur. 70
Etiamſi homo purus conſtitueretur caput morale reliquorum, qui cum gratia capitis eſſet principium merendi condignè aliis primam gratiam, adhuc non poſſet condignè ſatisfacere pro peccatis aliorum. 311.75
Purus homo etiam cum gratiæ auxiliis, nequit condignè & ad æqualitatem pro peccato proprio ſatisfacere. 74.& ſeqq.
Modus dicendi Vazquij, impugnatus. 79
Modus dicendi Bernal, reiicitur. 312.82
Vera ratio & modus dicendi proponitur, & aſtruitur. 313.87
Impoſſibile eſt quempiam condignè & de iuſtitia ſatisfacere pro offenſa, & quod ex iuſtitia debeatur ei offenſæ remiſſio. 311.77
Ex morali exiſtimatione eo magis decreſcit ſatisfactio, quo perſona ſatisfaciens eſt vilior, & perſona cui offertur dignior. 313.90
Vt ſatisfactio ſit omnino æqualis iniuriæ, opus eſt vt dignitas perſonæ ſatisfacientis ſit æqualis dignitati perſonæ offenſæ. 91
Quod verum habet in offenſa perſonali. 92
Opera Chriſti habuerunt valorem infinitum ad ſatisfaciendum condignè pro peccato, tam quoad culpam, quam quoad pœnam. 314.97
Chriſti ſatisfactio ex ſe fuit cõdigna in actu primo, vt autẽ foret cõdigna in actu ſecũdo, opus habuit ordinatione & acceptatione Dei extrinſeca. 98
Chriſti ſatisfactio ex natura rei habuit valorem ſimpliciter infinitum. 315.101
Hic valor proueniebat operibus Chriſti ex vnione morali infinitæ perſonæ Verbi ad ipſa. 103
Et à diuinitate Verbi. 106
Sublata per impoſſibile ſanctificatione per Deitatem, non proinde tolleretur valor infinitus operum Chriſti. 316.108
Prædictus valor fuit in operibus Chriſti realiter per denominationem extrinſecam. ibid.
Satisfactio Chriſti quamuis adeò abundans, noluit tamen vt peccata nobis remitterentur, aut gratia conferretur ſine noſtra cooperatione. 317.118
Satisfactio perfecta & ex iuſtitia rigoroſa, quas conditiones exigat. 120
Chriſti ſatisfactio habuit perfectam, & exactam rationem iuſtitiæ. 121
Non fundabatur in gratia, & liberalitate ipſius creditoris. 318.126
Qua ratione ex bonis propriis, & non ex alienis. 128
Qua etiam ratione ex aliàs indebitis. 319.132
Satisfactio Chriſti fuit ex vera iuſtitia commutatiua. 139

Satisfactio noſtra.

Satisfactio quid ſit. 609.1
Poſt remiſſionem peccati interdum remanet pœna temporalis luenda in hac, vel futura vita. ibid.
Prædicta pœna remanet luenda, non ex ſola Dei voluntate, ſed etiam ex natura rei. 610.4
Poteſt iuſtus ſuis operibus ſatisfacere pro pœna temporali ex peccato condonato relicta. 6
Hęc ſatisfactio poteſt eſſe cõdigna & ad æqualitatẽ. 7
Requirit Dei acceptationem. 8
Ad ſatisfaciendum requiritur ſtatus viæ. 9
Item ſtatus gratiæ. 10
Satisfactio debet procedere ex opere bono & honeſto, elicito vel acceptato. 611.13
Opus debet eſſe liberum, & voluntarium. 14
Poteſt fieri ſatisfactio per opera præcepta. 15
An per quælibet opera honeſta quamuis non ſint pœnalia, poſſimus Deo ſatisfacere. 16

Satisfactio ſacramentalis.

Pœnitentia ſacramentalis à Confeſſario impoſita, & à pœnitente impleta, ex opere operato cauſat remiſſionem pœnæ temporalis. 612.22
Quamuis ſit à Confeſſario prudenter taxata attenta grauitate peccati, non ideo extinguit debitum totius pœnæ. 24
Ex opere operato non cauſat augmentum gratiæ ſanctificantis. 25
Sacramentalis pœnitentia ſi impleatur in ſtatu peccati mortalis, non habet ſuum effectum ex opere operato. 26
Nec poſtea recedente fictione operatur illum. ibid.
Regulariter loquendo Confeſſarius tenetur pœnitentiam aliquam imponere. 613.27
Explicantur caſus in quibus non tenetur. 28
Pro qualitate peccati debet iniũgere pœnitentiã. 29
Ex rationabili cauſa poteſt leuiorem imponere. 30
Non poteſt iniungere pœnitentiam omnino liberam, faciendam arbitrio pœnitentis. 614.32
Pœnitẽs nõ poteſt etiã ex voluntate Cõfeſſarij, pœnitentiã per aliũ implere. Nec tũc ſortitur ſuũ effectũ ex opere operato in eo pro quo impletur. 34
Opera quæ poſſunt in pœnitentiam ſacramentalem iniungi, reuocantur ad tria, ieiunium, orationem, & eleemoſynam. 35
Suſceptio Euchariſtiæ vel abſtinentia à communione, poteſt in pœnitentiam imponi. 36
Actus etiam interni. 37
Oratio & alia opera pro defunctis facta. 38
Pœnitens obligatur ad acceptandam, & implendam pœnitentiam. 615.40
Hæc obligatio eſt ſub mortali, niſi pœnitentia ſit valdè leuis. 41
Pœnitẽtia ob venialia impoſita, vel ob mortalia iam ſemel remiſſa ſi grauis ſit, obligat ſub mortali. ibid.
Si Confeſſarius deſignat tempus, intra illud eſt implenda: ſi autem non præſcribit illud, obligatur pœnitens quam primum commodè poteſt. 42
Pœnitentia impleta in ſtatu peccati mortalis, tollit obligationem à Confeſſario impoſitam. 43
Nequit pœnitens propria auctoritate commutare pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, etiam in aliam meliorem. 616.45
Vtendo indulgentiis poſſet pœnitens omittere pœnitentiam ad ſolam ſatisfactionem iniunctam. 47
Poteſt Confeſſarius extra confeſſionẽ pœnitentiam à ſe impoſitam mutare vel minuere, ſi recordetur Confeſſionis præteritæ, ſeu ſtatus pœnitentis. 48
Pœnitentia impoſita ab vno Confeſſario, poteſt ab alio mutari. 49
An verò ad id debeat audire peccata ſecundus Confeſſarius, ſententia negans probabilis & tuta. 50
Verius eſt pœnitentiam impoſitam à Superiore ob reſeruata, non poſſe mutari ab inferiori. 617.52
Quid faciendum, ſi pœnitens obliuiſcatur pœnitentiæ iniunctæ. 53

Scandalum.

Scandalum quid ſit. 156.1

Index Rerum.

Scandalum quotuplex. 2
Aliquando oritur ex opere bono alterius nullam habente ſpeciem mali, quod dicitur ſcandalum acceptum, ſed non datum. ibid.
Quodnam ſit ſcandalum Phariſæorum. ibid.
Quodnam puſillorum. ibid.
An peccet ſpeciali peccato ſcandali, qui iuſſu, conſilio, malóve exemplo, alium ad peccandum mouet, quamuis ruinam eius directè non intendat. 3
Inducens & conſummans cum altero peccatum, duo peccata committit neceſſariò in confeſſione explicanda. ibid.
Item qui ſuo prauo exemplo alium ad peccandum prouocat, vel qui peccat coram multis. ibid.
Niſi ruina proximi ſit expreſsè & directè volita, non datur ſpeciale peccatum ſcandali. 5
Plures coram aliis peccantes excuſantur à peccato ſcandali, non autem qui in die Veneris coram aliis carnibus veſcitur, nec Religioſus frequentans domum mulieris ſuſpectæ. 157.10
Nullum præceptum etiam iuris poſitiui, omittendum eſt ob vitandum ſcandalum paſſiuum. 158.11
Fœmina quæ ſcit turpiter ſe ab aliquo amari, non poteſt ſacrum omittere die feſto. ibid.
Vitare ſcandalum paſſiuum abſolutè non eſt in præcepto naturali. 12
Quoties ſcandalum paſſiuum alterius futurum eſt ex malitia illius, non tenetur quis omittere opus, quod neque eſt malum, neque habet ſpeciem mali, quando opus illud vtile eſt ſpiritualiter, vel temporaliter operanti. 14
Quoties ſcandalum paſſiuum futurum eſt ex ignorantia aut infirmitate, opus nobis vtile, quod non eſt in præcepto, debet ad tempus differri. ibid.
Fœmina non tenetur domi manere propter ſcandalum futurum alterius ſua malitia. 159.16
Quid ſi ſcandalũ oriatur ex infirmitate alterius. ibid.
Quid de ornatu. ibid.
Fœmina quæ nulla neceſſitate vel vtilitate ducta, ſed ſola vanitate ſe offert aſpectui eam turpiter amantis peccat mortaliter. ibid.
Quando ſit peccatum ſcandali vendere, vel ſubminiſtrare alteri rem, qua malè eſt vſurus. 17
Quid ſi credat proximũ malè vſurum, vel vendat res quæ communiter ad malũ vſum deſtinantur. ibid.
Non eſt licitum ſine peccato ſcandali, incitare ad peccandum eum, qui iam paratus erat peccatum committere; quare peccat qui adminiſtrat Cœnam aliàs non ieiunaturo. 18
Plures excuſantur à mortali facientes vel ſubminiſtrantes ex iuſta cauſa opus indifferens, vt iure ſuo vtantur. 19
Sic excuſantur locantes domos vſurariis, vel meretricibus: Chriſtiani capti nauigantes contra noſtros: famulus concomitans hetum dum ad meretrices accedit. ibid.

Scrupuloſi.

Scrupuloſi qui patiuntur motus inſurgentes contra fidem, non ſunt hæretici. 61.24
Remedia contra huiuſmodi motus. ibid.
Peccant ſcrupuloſi adhibendo nimiam anxietatem, & maiorem curam quàm oporteat, in perſcrutanda conſcientia & numero peccatorum ante confeſſionem. 572.110
Scrupuloſus niſi certus ſit ſe peccatũ cõmiſiſſe, & illud fuiſſe lethale, & illud nõ fuiſſe cõfeſſum, non tenetur illud in confeſſione exprimere. 577.144

Scientia.

Actus ſcientiæ & actus erroris repugnant in eodem intellectu. 18.102
In anima Chriſti fuit verè & propriè ſcientia. 353.1
Habuit illam ab inſtanti ſuæ incarnationis. 354.4
Fuit veriſſima, certiſſima, & euidentiſſima. 5
Creata, & non increata. 6
In anima Chriſti fuit quadruplex ſcientia. 10
Non videt in Verbo omnia poſſibilia quæ in Deo eminenter continentur. 11
Qua ratione dicantur eſſe in Chriſto omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei. 355.14
Anima Chriſti licet habuerit neſcientiam, non tamen habuit ignorantiam proprie dictam. 16
Videt in Verbo omnia, quæ Deus nouit ſcientia viſionis. 17
An per ſciẽtiam beatam cognouerit infinita. 356.23
Habuit ſcientiam per ſe infuſam. 357.29
Illã habuit ab inſtãti ſuæ cõceptionis etiã in actu. 31
Fuit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. 32
Cognouit per illam omnes res ſingulares, tam ſubſtantiales, quàm accidentia. 33
Euidenter intuebatur cogitationes cordis, & actus liberos exiſtentes. 358.38
Omnia futura contingentia. 39
Cognouit omnia etiam ſupernaturalia. ibid.
Potuit hac ſcientia vti ſine conuerſione ad phantaſmata. 359.45
In exercitio illius non vtebatur diſcurſu. 46
Non ſemper actu hæc omnia cognoſcebat, ſed pro libito erat in actuali cognitione omnium, vel aliquorum. 48
Habuit etiã Chriſtus ſcientiã animę connaturalẽ. 49
Non habuit illam per diſciplinam ab homine, vel ab Angelo. 50
Sed per accidens infuſam. 52
In illa re ipſa augmentum non accepit. ibid.

Sepelire.

Sepelire mortuos eſſe vnum ex ſeptem operibus miſericordiæ corporalibus, docet fides. 134.2
Exponitur locus Lucæ 11. *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum.* 135.4
Morientes in duello priuantur ſepultura Eccleſiaſtica. 155.32

Seruitus, Seruus.

Quæ conditiones requirantur ex natura rei vt quis in ſeruũ vendi poſſit, & quæ iure Imperiali. 204.4
Qua ratione quis efficiatur ſeruus per natiuitatem. 205.5
Serui facti per voluntariam venditionem, aut per iuſtam condemnationem, nequeunt abſque peccato furti, fugere à dominis ſuis. 6
Serui bello capti licitè poſſunt fugere ad propriam patriam, nequeunt verò vagare per alias Prouincias contra voluntatem domini. 7
Si capiantur licitè poſſunt puniri. 9
Seruis in bello iuſto captis quid liceat. 10
Seruum eſſe, propriè quid ſit. 206.13
Chriſtus verè & propriè eſt ſeruus Dei. ibid.

Schiſmatici.

An ſint membra Eccleſiæ. 103.29

Sigillum.

Sigillum confeſſionis quid ſit. 605.1
Quo iure obliget. 2
Violans ſigillum confeſſionis peccat grauiſſimè contra Religionem, & etiam contra iuſtitiam. 4
Obligatio ſeruandi ſigillum, prouenit ex omni & ſola confeſſione ſacramentali. 606.5
Pœnitens non obligatur hoc ſigillo. 6
Is cui Cõfeſſarius iniquè reuelauit peccatum in cõfeſſione auditum, obligatur ſigillo confeſſionis. 7

Item

Digitized by Google

Index Rerum.

Item interpres, quo aliquando vtitur pœnitens ad confitendum. 8
Conſiliarius, quem de licentia pœnitentis conſulit Confeſſarius. 10
Prælatus quando ab eo petitur licentia ad abſoluendum ab aliquo reſeruato. 11
Qui ſe ſacerdotem fingit, & audit confeſſionem. 607.12
Confeſſio facta laïco ex ignorantia credendo poſſe eum abſoluere in abſentia ſacerdotis obligat ſub ſigillo, ſecus ſi humilitatis, vel deuotionis cauſa fiat. ibid.
Qui caſu vel ex induſtria audit pœnitentem dum ſacramentaliter confitetur, tenetur ſigillo. ibid.
Qui inuenit chartam in qua pœnitens ſua peccata ſcripſit, non tenetur ſigillo, ſed ſecreto naturali. 13
Omnia peccata, tam mortalia, quàm venialia ſunt materia ſigilli: mortalia quidem tam in genere, quàm in ſpecie, venialia verò in ſpecie. 14
Item obiecta, & circumſtantiæ peccatorum, tam augentes, quàm minuentes. 15
Defectus etiam naturales, qui occaſione peccati manifeſtantur. 16
Secus de defectibus, qui ex confeſſione coniiciuntur. ibid.
Item peccata non commiſſa. 17
Peccata etiam publica quatenus ex confeſſione cognita. 18
Similiter peccatum complicis. 19
Qua ratione gerere ſe debeat Confeſſarius quando complex indiget correctione. ibid.
Quomodo liceat loqui generaliter de peccatis auditis in confeſſione. 608.20
Non licèt Confeſſario ſine licentia pœnitentis, loqui cũ eo de peccatis in confeſſione auditis. 21
Confeſſarius quomodo debeat reſpondere, quando de peccato pœnitentis interrogatur iuridicè, vel ſub iuramento. 22
In nullo caſu poteſt dicere, ſe non abſoluiſſe pœnitentem. 26
Nec reuelare pœnitentiam quam impoſuit, niſi ſit valdè leuis. ibid.
Pœnitenti petenti ſchedulam ſuæ confeſſionis non eſt præbenda, quando ei negata eſt abſolutio. 25
Nunquam licet Confeſſario ad actus externos vti ſcientia habita in confeſſione, ne ob id negare ſuffragium. 28
Superioribus Religionum non licet vti ſcientia confeſſionis ad exteriorẽ gubernationem. 609.31
Quas pœnas incurrant Confeſſarij frangentes ſigillum. 32

Symbolum.

Nominis Symboli etymologia. 22.123
Symbolum quod vocatur Apoſtolorum, quomodo ab ipſis confectum. 126

Simonia.

Pretium pro Simonia, aut pro alia re ſpirituali, cui reſtituendum. 180.122

Species.

Species intelligibilis infuſa ex ſe indifferenter repræſentat rem, ſiue exiſtat, ſiue nõ exiſtat. 359.36

Spes.

Spei ſignificationes. 69.1
Quomodo diffinienda. 72.15
Obiectum materiale primarium ſpei eſt æterna eſſentialis beatitudo, tam obiectiua, quàm formalis. 69.2
Non ſolùm beatitudo, ſed omnia alia bona quæ ad illam conducunt, ſunt obiectum materiale ſpei. 70.7
Beatitudo ſub ratione ardui, & excedentis hominis facultatem, non eſt obiectum formale ſpei. 8
Neque auxilium omnipotentiæ Dei. 71.9
Obiectum formale ſpei eſt Deus, vt ſummum bonum amatum amore concupiſcentiæ ſupernaturalis. 12
Adæquata formalis ratio obiectiua propter quam habitus, ſpei, eſt Deus ſiue ſecundum ſe ipſum, ſiue ſecundum bona creata ipſius bonitatem participantia. 71.13
Virtus ſpei quos actus habeat, & qua ratione differant inter ſe. 71.12,15
Appetere alteri beatitudinem quatenus illi bona eſt, non eſt actus ſpei, ſed charitatis. 17
Operari intuitu æternæ retributionis, eſt actus ſpei honeſtus. 73.19
Imò ſperare mercedem aliquam temporalem bonis operibus conſequendam. 22
Honeſtè poſſumus concipere ſpem aliquam ex noſtris bonis operibus. 20
Spes noſtra ex ſua natura eſt certiſſima, & infallibilis: & in quo nitatur eius certitudo. 74.25
Ratione ſubiecti poteſt eſſe dubia, & ſuo euentu fruſtrari. 26
Certitudo ſpei eſt omnino abſoluta, euentus verò conditionatus. 29
Actus ſpei via originis eſt poſterior natura, actu fidei. 75.32
Actus fidei prærequiſitus ad ſpem, debet eſſe fidei Theologicæ, & infuſæ. 33
Actus ſpei prior eſt actu Charitatis. 34
Ordine dignitatis quis actus ſit præſtantior, fidei, an ſpei. 76.36.&.75.30
Spes ſiue formata, ſiue informis, eſt verè habitus virtutis. 31
Reſidet in voluntate tanquam in ſubiecto. 76.39
Spes corrumpitur per actum infidelitatis, vel per actus deſperationis; non autem per omiſſionem actus ſpei. 77.44
Neque per alia peccata lethalia. 45
Virtus ſpei in hac via eſt in omnibus iuſtis, & etiam in animabus Purgatorij. 46
Exponitur oratio quæ fit ab Eccleſia in Miſſa defunctorum. 78.49
Spes non manet in hæreticis, nec in damnatis. 47
Habitus ſpei manet in patria, tam in Chriſto, quàm in beatis, & quos actus ibi eliciat. 79.53
Datur præceptum affirmatiuum de ſpe indirectè obligans, quoties obligat quodcumque aliud præceptum, quod abſque actu ſpei ſeruari nequit. 85.27
Nequit tradi regula certa, quo tempore hoc præceptum per ſe, & determinatè obliget. 29
Præceptum hoc præcipuè obligat in fine vitæ. ibid.
Ad iuſtificationem in adultis actus ſpei eſt neceſſarius ſimpliciter neceſſitate medij. 32
Circa gloriam corporis habuit Chriſtus actus ſpei, non verò circa gloriam animæ. 349.59

Sponſalia.

Vnde dicta, & quid ſint. 689.1
In ſponſalibus promiſſio debet eſſe libera, & voluntaria. 4
Quæ libertas requiratur, & ſufficiat. ibid.
Quæ conditiones requirantur ad ſponſalia. 5
Promiſſio matrimonij ad ſui valorem neceſſariò requirit acceptationem. 9

Index Rerum.

An promiſſio matrimonij ab vno facta abſque repromiſſione alterius ſit valida, & ſufficiens ad obligandum. 690.13

Prædicta promiſſio quamuis gratuita, & liberalis, obligat ſub mortali. 17

Promiſſio matrimonij externa, & ficta, an obliget. 19.& ſeqq.

Qui deflorauit virginem ſpe fictè promiſſionis matrimonij, tenetur eam ducere, quamuis ſint diſparis conditionis in nobilitate, & diuitiis. 691. 30

Si fictus promiſſor dedit ſigna, quibus fœmina potuit ſufficienter cognoſcere ſubeſſe dolum promiſſioni, vel ipſa aliunde intellexit, fictus promiſſor non tenetur. 34

Sponſalia non addunt fornicationi ſponſi, aut ſponſæ nouam malitiam, neceſſariò in confeſſione explicandam. 36

Ad ſponſalia iure poſitiuo ſeptennium completum requiritur in vtroque ſponſo. 693.38

Debet eſſe mathematicè completum. 40

Septennium non ita iure ſtatuitur, vt ſi antea malitia ſuppleat ætatem, ſponſalia ſint inualida. 41

Qui ante ſeptennium contrahunt ſponſalia, non peccant. 45

Si ſponſalia fiant abſque termino præfixo, implenda ſunt quando alteruter ex ſponſis petat: ſi terminus ſit præfixus, omnino ſeruandus. 694. 49

Iniuſtè ab ſponſalibus reſiliens, petente parte per ſe cogendus eſt. 50

Per accidens fieri poteſt, vt cogi non debeat. 51

Iudices in hac re qua ratione ſe gerere debeant. 52

In ſponſalibus poſſunt tradi arrhæ amittendæ ab iniuſtè reſilienti. 54

Poſſunt conſtitui in quacumque quantitate, & non ſolùm in re mobili. 55

Poſſunt validè tradi ab vtroque contrahente. 56

Quando matrimonium contrahitur, arrhæ redeunt ad eum qui eas tradidit. 57

Accipiens arrham, & iniuſtè reſiliens, an ante iudicis ſententiam teneatur ad pœnam dupli, aut quadrupli. 58

In ſponſalibus licitè poteſt apponi pœna fidem frangenti. 695.62

Qui priùs votum caſtitatis, vel Religionis emiſit, & poſtea virginem, aut fœminam honeſtæ famæ defloruit cum promiſſione matrimonij, non obſtante voto tenetur eam ducere. 64

Sponſalium diſſolutio.

Sponſalia puberum ſolo mutuo eorum conſenſu diſſoluuntur, vel ſi vnus reſiliat, & alter accepter. 696.69

Etiamſi fuerint iuramento confirmata. 70

Impuberum ſponſalia ſolo eorum mutuo conſenſu diſſolui nequeunt, cùm primum tamen pubertatem attingunt, poſſunt reſilire. 71

Si impuberes contrahentes ſponſalia iuramento obfirment, non poſſunt poſtea reclamare, parte inuita. 72

Per ingreſſum Religionis diſſoluuntur ſponſalia ex parte manentis in ſæculo, non ex parte ingredientis. 697.75

Quamuis ſponſalia ſint iurata, poteſt quilibet ſponſus ingredi Religionem antequam matrimonium contrahat, niſi aliud obſter. 79

Per votum ſimplex caſtitatis ſubſequens, vel ſuſcipiendi Ordinem ſacrum, diſſoluuntur ſponſalia. 80

Quando vnus ex ſponſis vouet caſtitatem, alter manet liber à ſponſalibus. 83

Sponſalia diſſoluuntur per matrimonium ſubſequens factum cum alia perſona. 698.84

Sponſus verò non liberatur omnino à priori obligatione, ſed hac mortua, tenetur ducere priorem, ſi ipſa velit. 85

Per ſecunda ſponſalia non diſſoluuntur prima, niſi ſubſequatur copula cum poſteriori ſponſa ſub ſpe matrimonij, ignara priorum ſponſalium. 87

Per abſentiam ſponſi, qua ratione diſſoluantur ſponſalia 89

Elapſo termino ſponſalibus præfixo, is per quem non ſtetit, liberatur obligatione. 699.92

Quando nullus terminus eſt præfixus, promiſſor non tenetur ſtatim implere, ſed tantum requirente eo, cui promiſſio eſt facta. 95

Fornicatio ſponſi, vel ſponſæ ſuperueniens, dat innocenti ius diſſoluendi ſponſalia. 96

Propter tactus impudicos ſponſi cum alia fœmina, nequit ſponſa reſilire. 98

Si poſt ſponſalia vterque ſponſus fornicatur, ſponſus reſilire poteſt, non ſponſa. 99

Quodlibet impedimentum ſuperueniens ſponſalibus, ſiue dirimens, ſiue impediens, diſſoluit ſponſalia. 100

Is cuius cauſa impedimentum contractum eſt, tenetur procurare diſpenſationem altero id exigente, niſi notabili incommodo obtineri non poſſit. 101

Superueniens notabilis mutatio ob quam impletio ſponſalium fiat notabiliter oneroſior, dat ius diſſoluendi ſponſalia. 700.102

An qui huiuſmodi defectibus impeditus vult contrahere, teneatur eos manifeſtare alteri parti. 105

In quibus caſibus liceat propria auctoritate ſponſalia diſſoluere. 109

Vt iudex diſſoluat ſponſalia ob impedimentum aliquod matrimonij, ſufficit vnus teſtis iuratus, vel etiam fama impedimenti. 701.110

Sponſalia de futuro metu graui interueniente, ſunt nulla, & irrita, quamuis ſint iurata. 710.23

Stuprum.

Stuprum ſtrictè, & propriè, quid ſit. 201.1

Fornicatio cum fœmina virgine liberè conſentiente, non habet malitiam diſtinctam à ſimplici fornicatione, niſi ſtuprum fiat per vim, vel dolum, aut metum iniuſtè virgini illatum. 201.4

Ad quam reſtitutionem teneatur ſtuprator. 5

Quando virgo violata ſtuprata fuit ſecretò, atque adeo æquè bene nupſit, ad nihil tenetur violans. 7

Qui virgini vim intulit, & mortua eſt antequam nuberet, tenetur hæredibus reſtituere. 8

Subſiſtentia.

Carentia ſubſiſtentiæ humanitatis Chriſti eſt ſupernaturalis ſecundum ſubſtantiam. 30420

Subſiſtentia abſoluta etiam ſi in Deo admitteretur, adhuc non poſſet terminare naturam creatam. 338.15

Suſpenſio.

Suſpenſio quid ſit. 655 1

Non poteſt ferri niſi ob culpam mortalem. 2

Qui poſſint ſuſpendere. 656.3

Qui poſſint ſuſpendi. 4

Quando imponitur vt purè pœna, ſeu vindicta peccati, non eſt cenſura. 5

Suſpenſio quotuplex. 6

Index Rerum.

Effectus ſuſpenſionis ab officio. 9
Suſpenſus abſolutè ab officio ſi in ſuſpenſione non deſignetur locus, in omni loco eſt ſuſpenſus. 10
Suſpenſio lata abſoluere, & ſine limitatione, durat donec auferatur. 11
Actus ſuſpenſi ab officio, quando validi, & quando inualidi. ibid.
Suſpenſus ab officio exercens actum Ordinis, ipſo facto incurrit irregularitatem. 657.12
Suſpenſus ſimpliciter ab officio, non priuatur beneficio habito, neque fructibus illius, niſi reſpondeant officio à quo impeditur ſuſpenſus. 13
Quomodo impediatur à conſequutione noui beneficij. 14
Suſpenſio ſimpliciter ab Ordine, priuat omni vſu Ordinum. 15
Quid ſi ſit ab Ordine ſuperiori, vel inferiori. ibid.
Suſpenſio à iuriſdictione, abſolutè priuat omni vſu ſpiritualis iuriſdictionis. 16
Suſpenſus à beneficio priuatur fructibus beneficij, tenetur tamen exercere officium ad quod beneficium obligat, & ſi capiat fructus, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem. 17
Suſpenſus à beneficio, illicitè accipit de nouo beneficium in loco vbi eſt ſuſpenſus, collatio verò non eſt irrita, ſed irritanda. 658.19
Suſpenſus à beneficio quibus fructibus priuetur. 20
Qua forma ferenda ſit ſuſpenſio ab homine. 21
Suſpenſio quæ eſt cenſura, non tollitur ablata contumacia, ſed requiritur abſolutio, & à quo conferenda. 24
Communitas Clericorum poteſt ſuſpendi. 659.26
Quando actio propter quam imponitur ſuſpenſio à iure, excuſatur à culpa lethali, non incurritur ſuſpenſio. 660.31
Incurritur verò per actionem externam occultam. 32
Numerantur quatuordecim caſus in quibus incurritur ſuſpenſio à iure. à 33. vſque 51. à incluſ.
Qui poſſint abſoluere à ſuſpenſione. 662.52

Suſpicio.

Suſpicio de peccato alterius quamuis imprudens & temeraria, non eſt peccatum mortale, ſine odio, vel contemptu, vel damno propter eam illato. 233.43
Quando eſt tantum interna ſine manifeſtatione, ad reſtitutionem non obligat. 44

T

Tactus.

TActus impudici inter coniuges citra periculum pollutionis, non ſunt peccata lethalia, quamuis ſolùm fiant ad capiendam libidinem. 736. 56
Etiamſi præuideatur commotio membrorum, & ſequutura deſtillatio. 58
Probabilius eſt peccare lethaliter coniugem ſua membra pudenda libidinosè tangentem in abſentia alterius coniugis, quamuis non ſit periculum pollutionis. 737.59

Templa.

Qua ratione Sanctis dedicentur. 384.38

Teſtamentum.

Quomodo teneantur ad reſtitutionem, qui ſunt cauſa vt teſtatores diſponant de rebus ſuis aliter, quam decreuerant. 179.118

Teſtis.

Teſtis fugiens vel ſe occultans, ex omiſſione teſtimonij non tenetur ad reſtitutionem, peccat tamen contra charitatem. 175.91

Theſaurus.

Theſaurus quid ſit. 218.5
Inuentus in loco communi, iure naturali, & gentium eſt primo occupantis. 6
Iure poſitiuo inuentus in loco communi, totus eſt inuentoris. ibid.
Inuentus fortuito in fundo alieno, diuiditur inter inuentorem, & dominum fundi. ibid.
Inuentus de induſtria totus eſt domini. ibid.
Inuentus arte magica applicatur fiſco. ibid.
Leges decernentes vt theſaurus inuentus ſit Regis, reſeruata inuentori quarta, vel quinta parte, an obligent in conſcientia. 7
Qui ſcit in agro alieno latere theſaurum, poteſt licitè, & ſine onere reſtituendi, emere agrum illum communi pretio. 219.9

Timor.

Timoris diuiſio in mundanum, ſeruilem filialem, & initialem. 80.2
Timor mundanus ſemper eſt malus. 82.11
Timoris filialis obiectum proprium, & immediatum eſt culpa, vt eſt offenſa Dei. 80.5
Timor hic adhuc manet in patria. 81.7
Propriè eſt donum Spiritus ſancti. 84.25
Timor ſeruilis, honeſtus eſt, & meritorius. 83.16
Eſt donum Spiritus ſancti, & in quo ſenſu. 19
Elicitur ab habitu ſpei. 84.22
Poteſt eſſe cum charitate. 23
Timor initialis differt ſpecie, & ſecundùm ſubſtantiam à filiali. 24
Datur præceptum affirmatiuum de actu timoris, & probabile eſt non differre à præceptis aliarum virtutum. 86.34

Tyrannus.

Tyrannus, qui ſine iuſto titulo rempublicam inuaſit, & oppreſſit, licitè occidi poteſt, etiam à quolibet priuato. 196.21
Tyrannus habens verum ius ad Regnum, quamuis tyrannicè regnet, non poteſt licitè occidi. ibid.
Quid ſi inuadat aliquem iniuſtè. 23

Traditio.

Traditio quid ſit. 23.1
Traditionum variæ diuiſiones. 2
Traditiones diuinæ ſunt infallibilis regula fidei. 25.15
Regulæ ad dignoſcendas veras traditiones. 26.20
Ad diuinam prouidentiam ſpectat, conſeruare traditiones, ſicut & regimen Eccleſiæ. 18

Tributum.

Vectigal ſeu tributum quid ſit. 224.28
Quæ conditiones requirantur vt tributa iuſtè imponi poſſint. 29
Qui ſine legitima auctoritate tributa imponunt, excommunicantur in Bulla Cœnæ. ibid.
Fraudantes tributa ſeu vectigalia iuſta, mortaliter peccant, & tenentur ad reſtitutionem. 30
In dubio de iuſtitia vectigalis quid faciendum. 225.32
Qui ſine fraude, & dolo tranſiechunt merces ſuas ex vno loco in alium palam, & per rectum iter, non peccant non ſoluendo tributum, nec tenentur ad reſtitutionem. 31
Eccleſiaſtici, & Religioſi, qua ratione ſint immunes à vectigalibus, & gabellis, & quam excommunicationem incurrant exigentes. 33
Quando cum conſenſu cleri imponuntur vectigalia, apud quem iudicem ad ſoluendum ſint compellendi. ibid.

Quando

Digitized by Google

Quando tributum ſoluendum eſt ex contractu emptionis,& venditionis, incipit deberi gabellario, aut domino directo, ſtatim poſt conuentionem partium. 403.3

Trinitas.

Fideles in lege gratiæ, qua ratione teneantur credere articulum Trinitatis. 198.32

Triſtitia.

In Chriſto fuit vera Triſtitia, ſicut etiam verus timor. 364.10

V

Verbum diuinum.

VErbum diuinum quamuis ſit vnitum humanitati, nihilominus vbicumque eſt Verbum, non ponitur humanitas. 584.3

Venatio.

Venatio,& piſcatio,an poſſint à Principe prohiberi in locis communibus. 215.6

Ex quibus cauſis poſſit prohiberi venatio,vel piſcatio. 216.8

Venatio quomodo Clericis,& Monachis interdicta. ibid.

An teneatur ad reſtitutionem, qui venatur vel piſcatur contra prohibitionem iuſtam. 9

Quid de feris incluſis in aliquo loco humana induſtria. 11

Fera ab vno vulnerata,& ab alio capta,an ſit vulnerantis,vel capientis. 12

Fera capta meo laqueo,& ab alio ſuperueniente extracta,cuius ſit. 217.13

Item piſces in naſſa in medio fluminis. 14

Venditio, Venditor.

Si res vendita pereat ante traditionem ex culpa venditoris etiam leui,tenetur ad reſtitutionem. 173.75

Contractus emptionis,& venditionis quando inceperit. 266.1

Quid ſit venditio,quid emptio. 2

Ad eius ſubſtantiam non requiritur traditio rei quamuis ante traditionem venditio cenſeatur incompleta. ibid.

Qua ratione liceat, vel non liceat recedere ab hoc contractu. 267.3

In contractu emptionis,& venditionis,an ſit neceſſe aſſignare pretium determinatè, vel ſufficiat contrahere pro pretio iuſto. 5

Sine violatione iuſtitiæ poteſt quis eodem tempore eandem rem vni vendere carius,quàm alteri; & carius vendere credito, quàm numerata pecunia. 268.7

Quando pretium eſt taxatum verſus maximum,non poteſt res plutis vendi, quando verò taxatum eſt verſus minimum,poteſt vendi plutis. 8

Si res ſecundùm communem æſtimationem habeat minus pretium, quàm ſit à lege taxatum,vendens non poteſt licitè vendere iuxta pretium à lege taxatum, ſi excedat latitudinem iuſti. ibid.

Quando res ſecundùm communem æſtimationem digna eſt maiori pretio, quam ſit à lege taxatum, non poteſt licitè reportari, niſi apertè conſtaret de iniuſtitia legis, quod non eſt facilè iudicandum. ibid.

Quando pretium aliquarum rerum non eſt lege taxatum, nec communi æſtimatione, an poſſint vendi pro arbitrio venditoris. 9

Qui accipit rem alterius ad vendam illam,& vendit pretio ſupremo, nequit licitè reddere domino pretium medium,retento ſibi exceſſu pretij ſupra medium. 10

An tempore magnæ ſterilitatis ſeruanda ſit lex ſeu taxa frumenti,vel an ſit licitum vendere illud ſecundum communem æſtimationem. 269.11

Per ſcientiam, & tolerantiam Principis, interdum tollitur taxæ obligatio. 14

Taxa frumenti Clericos,& Religioſos aſtringit. 15

Tritico mundo illicitum eſt miſcere grana inutilia, vel inferiora, & vendere illud pretio legitimo. 270.16

Quamuis triticum ſit notabiliter melius, non licet aliquid accipere vltra taxam: ſicut nec licet agricolæ,vel mercatori,cui menſura tritici ſtat maiori pretio, quàm ſit lege taxatum, eo pretio illud vendere. ibid.

Qui ponit triticum in loco humido vt turgeat, & maiores menſuras impleat, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem. ibid.

Licitum eſt carius vendere triticum in farina, vel pane cocto,quàm in grano. 17

In ſubhaſtatione vel ſimili modo vendendi,an liceat rem vendere maiori pretio, quam ſit communi æſtimatione taxatum. 20

Lædens intra dimidium iuſti pretij, peccat mortaliter,& tenetur ad reſtitutionem. 271.27

Quando pretium non eſt à lege taxatum, vt venditio dicatur vltra dimidium, habenda eſt ratio pretij ſupremi: emptio verò, vt dicatur vltra dimidium,habenda eſt ratio pretij infimi. 272.28

Quando venditio ſit vltra dimidium iuſti pretij,aut emptio infra dimidium, datur in foro exteriori actio contra eum, qui iniuſtitiam commiſit. 29

Quando reſtituenda eſt res empta prius, vltra aut infra dimidium iuſti pretij, eligente venditore reſciſſionem contractus, qua ratione obligetur emptor ad reſtitutionem fructuum. 30

Licitum eſt vendere carius credito, quàm pecunia numerata, dummodo pretium non excedat limites iuſti. 32

Non licèt vendere rem crediro carius iuſto pretio rigoroſo, ea ratione præcisè, quia credito venditur. 273.35

An ratione periculi, cui ſe exponit venditor, vel amittendi pecuniam, vel faciendi expenſas in recuperatione illius, liceat vendere carius credito iuſto pretio rigoroſo, quàm valeat res numerata pecunia. 34

Quando quis habet debitum moraliter certò ſoluendum,nec eſt periculum ſolutionis futuræ,nec lucrum ceſſans,nec damnum emergens, non licet emere debitum minori pretio,quàm ſit debitum ipſum. 37

An liceat minori pretio emere res anticipata ſolutione,quam ſint volituræ tempore traditionis. 39

Difficultas hæc ſpecialiter tractatur circa venditionem lanarum, quæ in Hiſpania vendi ſolent anticipata ſolutione. 274.41

Emptio vel venditio rei cum pacto de retrouendendo licita eſt; erit tamen iniuſta ſi tanto pretio vendatur res,cum eo pacto,ac ſi abſolutè venderetur. 43

Non licet tradere pecuniam alteri ſibi aliam rem tradenti eo pacto, vt ipſe vtatur re,alter verò pecunia,niſi apponatur pactum retrouenditionis in fauorem vtriuſque contrahentis. 275.47

Quando ſolus venditor ſcit rem breui minus valituram propter ſuperuenturam abundantiam mercium,an poſſit illam vendere pretio currenti. 48

Licitè poteſt quis vendere triticum,vel merces pretio currenti, etiam ſi ſciat citò promulgandum decretum diminuendo pretio. 276.53

Idim

Index Rerum.

Idem dicendum de conſiliariis Regiis, quamuis ſciant breuiter minuendum pretium ex lege, aut mandato Principis. 54

Qui rem vitioſam vendit tanto pretio, quanto non vitioſam, iniuſtitiam committit cum onere reſtituendi. 56

Venditor non tenetur manifeſtare emptori vitia ex ſe manifeſta. 57

Nec ſemper tenetur manifeſtare emptori vitium rei occultum; ſed ſufficit ſi minuat pretium iuxta exigentiam vitij, niſi vitium ſit periculoſum emptori, vel inutilis ad finem ementis, vel ſi probabiliter intelligatur emptorem emere ad reuendendum. 58

Non eſt peccatum mortale ſaltem cum onere reſtituendi, dare quantitatem minorem pro maiori, ſi iuſtum pretium ſeruatur. 277.62

Periculum rei emptæ, & non traditæ pertinet ad emptorem, ſi res vendita ſit certa, & determinata. 64

Niſi damnum rei ex culpa venditoris proueniat, vel ſit in mora tradendi. 278.65

Si verò res vendita indeterminata ſit, ante traditionem periculum interitus pertinet ad venditorem. 66

Vendita re aliqua, an etiam acceſſoria eodem pretio vendita cenſeantur. 67

Fructus rei venditæ pendentes tempore venditionis, pertinent ad emptorem, niſi aliud in pactum deducatur. 68

Fructus qui poſt contractum naſcuntur, vel incrementum, quod poſtea prouenit, ſi emptor ſoluit pretium venditori, & hic fuit in mora rei tradendæ, omnes pertinent ad emptorem; & deinde tenetur ad omne intereſſe tam intrinſecum, quàm extrinſecum. ibid.

Quando res vendita tradita eſt emptori, & pretium non fuit ſolutum, vel venditor conceſſit dilationem ad ſoluendum, fructus rei ad emptorem pertinent, quamuis ſit in mora ſoluendi. 279.70

Quando res in ſolidum ſub interuallo duobus fuit vendita, ſi neutri ſit tradita, debetur priori emptori. 72

Si res tradita eſt ſecundo emptori, primo verò tantum vendita, debetur ſecundo. 73

Excipiuntur caſus in quibus peculiari iure ex ſolo contractu abſque alia traditione transfertur dominium, vel quando priori in ſecuritatem contractus res eſt hypothecata. 74

Si ſecundus emptor mala fide egit, ſciens prioris contractum, poterit peior rem ab eo euincere. 75

Si res tradatur poſteriori emptori, quam actionem habeat prior contra venditorem. 280.76

Res aliena ſi ſit furtiua, irrita eſt venditio illius, ſiue ſolus emptor, ſiue vterque ſciat eſſe furtiuam: quando autem neuter, vel ſolus venditor id ſcit, valida eſt venditio. 281.84

Si verò res non eſt furtiua, valida eſt venditio, ſiue ſolus venditor, ſiue vterque ſciat alienam eſſe: venditor autem tenetur emptori de euictione. ibid.

Quando res pluribus fuit ſucceſſiuè vendita, ille à quo fuit euicta, poteſt agere contra immediatum venditorem, non verò contra antecedentes. 85

Veſtis.

Quomodo liceat vel non liceat Chriſtiano vti veſtibus infidelium ad occultandam fidem. 51.65

Vindicta.

Malum illarum vindicare non licet, ſed tantùm repellere iniuriam imminentem. 198.32

Virginitas.

Virginitatis, & continentiæ laus, & præmium. 111. 62

Virginitas materialis in quo conſiſtat. 201.1

Semel amiſſa non eſt recuperabilis. 2

Virtus.

Virtus quid ſit. 93.20

Virtutes omnes morales, tam per ſe infuſas, quàm natura ſua acquiſitas, habuit Chriſtus ab inſtante ſuæ conceptionis. 348.46

Vnio hypoſtatica.

Per vnionem hypoſtaticam facta fuit ſumma Dei communicatio. 306.33

Si tres diuinæ ſubſiſtentiæ communicarentur eidem humanitati, vel vna pluribus humanitatibus, non magis communicaretur Deus. 35

Vnio hypoſtatica non potuit fieri in natura tanquam in termino. 323.2

Vnio hypoſtatica fuit in perſona Verbi. 325.16

Neque in ſenſu identico poteſt concedi, vnionem Verbi factam eſſe in natura. 19

Non poteſt concedi, perſonas Patris, & Spiritus ſancti eſſe vnitas humanitati mediatè, quamuis id concedatur de natura diuina. 20

Terminus totalis, & adæquatus actionis vnitiuæ, quæ eſt Incarnatio, primo & per ſe per illam productus, eſt humanitatem eſſe vnitam Verbo, ſeu quod Deus ſit homo, & homo Deus. 326.26

Hic terminus eſt quid creatum. 27

Terminus à quo eſt carentia talis vnionis. 327.28

Terminus formalis eſt humanitas. 32

Vnio hypoſtatica in facto eſſe eſt quid phyſicum realiter diſtinctum ab vtroque extremo. 328.35

Eſt modus ſubſtantialis ſupernaturalis habens partes. 329.44

Eſt tamen vnus, per quem humanitas eſt vnita Verbo, & Verbum humanitati. 48

Non fit eadem actione qua anima Chriſti creatur, ſed diuerſa. 330.51

An vnio hypoſtatica ſit maxima omnium vnionum. 56

Creatura potuit eleuari vt inſtrumentum ad efficiendam vnionem hypoſtaticam. 336.3

Verbum diuinum aſſumpſit verum corpus, non phantaſticum. 340.13

Et animam rationalem. 341.16

Simul tempore aſſumpſit totam humanitatem, & eius partes. ibid.

Tam ordine intentionis, quàm executionis, humanitas prius fuit aſſumpta. 17

An aſſumpſerit dentes, vngues, capillos, & ſubſtantias intermedias. 342.27

Vnum.

Quot modis dicatur. 425.40

Ex pluribus quot modis vnum fieri poſſit. 323.2

Voluntas diuina.

Qua ratione neceſſitetur ad volendum id quod melius eſt. 308.51

Non poteſt amplecti obiectum moraliter inhoneſtum, bene tamen obiectum minus honeſtum negatiuè. 309.59

Volitio diuina obiecti minus honeſti non eſt minus perfecta, quàm volitio obiecti honeſtioris. ibid.

Vſus.

Quid ſit, & quomodo differat ab vſufructu. 194.6

In rebus quæ vſu conſumuntur, vſus differt à dominio, non ſolùm eſſentia, ſed etiam ſubiecto. 7

Vſus fructus.

Quid ſit, & quomodò differat à dominio. 194.5

Vſura.

Index Rerum.

Vſura.

Vſura quid ſit. 148.3

Vſura alia realis,alia mentalis. Alia aperta, alia palliata. Quid vnaquæque. 249.6

Vſura illicita eſt atque peccatum. 8

Iure naturali diuino,& humano prohibita. 9

Idem dicendum de vſura mentali. 250.12

Vſuram non committit, qui mutuat, licèt intendat lucrum vt finem principalem, niſi illud intendat ex vi mutui,& vt iniuſtum aliquid. 13

Intendens lucrum ex mutuo tanquam illi debitum ex ciuili obligatione,peccat peccato vſuræ: ſecus ſi ex gratitudine vel amicitia mutuatarij. 14

Citra peccatum vſuræ non licet accipere aliquid pretio æſtimabile vltra ſortem, pro obligatione non repetendi mutuum pro quouis tempore determinato. 251.15.& ſeqq.

Citra vſuram non poteſt mutuans obligare mutuatarium vt ſibi remutuet tantumdem, vel aliam quantitatem. 252.22

Mutuans licèt contulerit beneficium mutuatario,vi mutui non poteſt illum obligare ad compenſandum beneficium. 24

In mutuo de præſenti licitè, & ſine peccato vſuræ, poteſt quis non velle mutuare pecuniam,niſi mutuatarius triticum viciſſim illi remutuet de præſenti. 25

Ratio diſparitatis in mutuo de præſenti, & in mutuo de futuro. ibid.

Non licet ſine vſura obligare mutuatarium ad faciendum ea,quæ alias eſſet facturus. 253.26

Non licet obligare illum vt ex ſua officina merces emat,vel vt molat in ſuo molendino. ibid.

Vſura eſt mutuare auditoribus pecunias cum pacto vt frequentent gymnaſium mutuantis, vel colono vt agrum mutuantis colat: vel venderę credito merces cum pacto, vt emptores ad illius officinam accedant. 30

An ſit vſura mutuare vel credito vendere cum pacto,vt mutuatarius accedat empturus, quod aliàs emere tenebatur,minori pretio quam quiuis alius vendat. 31

Si Petrus debebat Paulo centum,& petat mutuo ab illo alia centum, rectè poteſt Paulus illi mutuo dare ea lege, vt ſoluat alia centum quæ aliàs debebat ex iuſtitia. 32

Similiter poteſt obligari mutuatarius non ſolùm ad id quod debebat in conſcientia,ſed etiam ex qualibet alia virtute. 254.33

An poſſit mutuatarius obligari ad remittendam iniuriam illatam à mutuante quantum ad debitum, quod ratione iniuriæ acceptæ debetur offenſo.34

Licitè poteſt, & ſine vſura mutuans obligare mutuatarium,non ſolum vt reddat eundem valorem monetæ, ſed etiam in eadem materia in qua accepit mutuum. 38

Vſura eſt mutuare pecuniam æream,vt reddatur argentea,vel aurea. ibid.

Non eſt vſura commutare pecuniam auream, vel argenteam,& accipere valorem exceſſus. ibid.

Quando mutuans non conuenit cum mutuatario, quod redditurus eſſet debitum in eadem materia,ſed ſimpliciter mutuauit vt redderet tantumdem, nequit illum obligare niſi vt reddat tantumdem in valore. 39

Si mutuatarius ſit in mora culpabili ſoluendi, & eo tempore accreſcat valor monetæ, tenetur reddere non ſolum valorem quem habebat pecunia tempore mutui, ſed etiam quia creuit poſtquam fuit in mora culpabili. 255.41

Quando mutuans mutuauit pecuniam auream, vel argenteam, & deduxit in pactum vt ſibi reddatur non ſolum valor,ſed etiam eadem materia, mutuans tenetur reddere non ſolum valorem, ſed etiam materiam; non tamen incrementum valoris,ſi poſtea pecunia accreuit. 43

Si verò id deduxerit in pactum,tenetur tunc reddere exceſſum valoris, & quantitatem materialem in numero,& pondere. 44

Quid ſi pecunia decreſcit in valore. ibid.

Qui ſcit valorem pecuniæ eſſe minuendum ante tempus ſolutionis, licitè poteſt mutuare pecuniam abſolutè, vt poſtea reddatur idem valor in maiori quantitate monetæ. 256.45

Licitum eſt citra vſuram mutuare triticum, aut aliquid aliud cum pacto, vt reſtituatur in eadem menſura, etiamſi pretium eius tempore reſtitutionis creuerit, v. g. menſe Ianuarij, vt tantumdem reddatur menſe Maij, ſi dubium eſt an tunc temporis ſit plus minuſve valiturum,etiam ſi non eſſet ſeruaturus triticum vſque ad illud tempus. 47

Si eſt moraliter certum tunc plus eſſe valiturum, & mutuans non erat ſeruaturus triticum vſque ad illud tempus, illicitum eſt, & committitur vſura. 48

Qui mutuat triticum nullo præfixo termino ſolutioni,ſed indeterminatè quando ipſe petierit,poteſt ſine vſura expectare tempus, quo plus valet, & tunc exigere ſolutionem. 50

Si triticum vetus ſubiaceat corruptioni,illicitum eſt dare triticum vetus vt reddatur nouum. 257.53

Qui dat decem modios tritici menſe Septembri pretio tunc currenti vt in tritico reddatur idem pretium menſe Maij, nullam committit vſuram. Idem eſt ſi triticum daretur quando plus valet,vt in tritico reddatur æqualis valor quando eſt minus valiturum. 55

Non committitur vſura,neque iniuſtitia ſi mutuans accipiat iuſtum lucrum vltra ſortem,pro periculo in ſe ſuſcepto pecuniæ mutuatæ. 258.57

Explicatur textus in cap.Nauiganti, de vſuris. 58

Citra vſuram poteſt fideiuſſor aliquid accipere, vt alterius fideiuſſor exiſtat. 60

Qui mutuat cum pacto vt mutuatarius partem aliquam accipiat in mercibus,quibus ille non indiget, nec aliàs erat empturus, vel cum carius dat, vſuram committit cum onere reſtituendi. 61

Imò ſi mutuatarius talibus mercibus indigeat. ibid.

Nulla interuenit vſura,ſi quis petat mutuo centum, & mutuans non habet niſi quinquaginta,& dicat ſe daturum dimidiam partem in moneta, & dimidiam in mercibus iuſto pretio taxatis,dummodo mutuatarium non obliget ad accipiendam partem mutui in mercibus. 259.62

Secluſa obligatione, licitum eſt mutuanti, ſicut & aliis emere dictas merces viliori pretio, dummodo iuſtum ſit. ibid.

Illicitum eſt obligare mutuatarium vt recipiat partem mutui in debito, niſi facilè, & abſque vllis expenſis recuperari poſſit. 64

Item mutuare pecuniam,vel quid ſimile cum pacto, vt mutuatarius ſoluat in alio loco,vnde prouenit aliquod grauamen, vel damnum. 65

Nequit mutuans citra vſuram mutuare cum pacto, vt mutuatarius præſtet munus à lingua, ab obſequio,vel à manu. 66

Vſura eſt fructus pignoris pro mutuo dati vltra ſortem accipere. 67

Tenetur creditor huiuſmodi fructus in partem ſortis

ſortis computare, fructus etiam quos ſua negligentia non recipit. ibid.
Quid de ſocero quando non dat ſtatim genero dotem promiſſam, ſed pignus fructificans interim dum dotem non ſoluit. 260.69
Quid de vidua anno viduitatis an poſſit accipere fructus pignoris, dum ſoluitur dos. 71
Proprietarius citra vſuram poteſt non computare fructus pignoris à feudatario, vel emphyteuta acceptos. 68,73
Qui inuitus cogitur ad mutuandum, non ſolùm poteſt licitè paciſci de lucro ceſſante, ſed qui illum cogit, tenetur etiam ſecluſo pacto, reſtituere lucrum ceſſans. 261.76
Quamuis mutuans ſponte mutuet, licitè poteſt deducere in pactum lucrum ceſſans. 77
Si mutuans non deduxit in pactum lucrum ceſſans, nequit pro illo aliquid vltra ſortem recipere, ſi mutuatarius non eſt in mora ſoluendi. 262.80
Siue inuitus, ſiue ſponte mutuet, non poteſt tantum lucrum ceſſans exigere etiam deductis expenſis, quantum alius mercator in eadem materia cum eadem pecunia lucraturus eſſet, ſed ad arbitrium prudentis. 81
Neceſſe eſt vt verè lucrum ceſſet ratione mutui. nam ſi aliunde habeat pecuniam otioſam ex qua poſſit ſibi lucrum comparare, non dicitur verè illi ceſſare. 82
Mutuans licitè poteſt accipere vltra ſortem ratione damni quod patitur, eo quod mutuatarius ſit in mora ſoluendi, quamuis id non deducat in pactum. 84
Et etiam pro damno emergente ante terminum præfixum ſolutioni, ſi illud in pactum deducat. 263.86
Neceſſe eſt vt tale damnum obueniat ex eo præcisè, quod mutuauit. 87
Ob damnum emergens, quod obuenit mutuanti ex eo præcisè quod mutuauit, quando debitor non eſt in mora ſoluendi ſi non eſt deductum in pactum, non tenetur mutuatarius aliquid ſoluere. ibid.
Quando dicatur mutuatarius eſſe in mora ſoluendi, ſi mutuans nullum præfixit terminum ſolutioni. 88
Ratione periculi ſortis, vel difficultatum aut expenſarum, quæ in ea recuperanda timentur, licitum eſt aliquid exigere. 89
Licitum eſt paciſci vt ſi mutuatarius ad terminum præfixum non reſtituat, aliquid ſoluat vltra ſortem in pœnam ſuæ moræ. 90
Debetur hæc pœna ante iudicis ſententiam. Oppoſitum probabile. ibid.
Vſurarius tenetur ad reſtitutionem, tam in vſura reali, quàm mentali. 91
In quibus caſibus vſurarius mentalis teneatur, vel liber maneat à reſtitutione. 264.93
Vſurarius non tenetur reſtituere id quod acquiſiuit per pecuniam, aut rem vſurariam, ſi non ſit proprius fructus rei per vſuram acceptæ, ſed induſtriæ ipſius vſurarij. 95
Poteſt famulus vel procurator cum domini pecuniis quas ad expendendas, & conſeruandas habet, negotiari, & lucrum in ſuam vtilitatem vertere. Idem de habente triticum. 96
Vſurarius non ſolùm tenetur reſtituere vſuras mutuatario, ſed etiam damnum emergens, aut lucrum ceſſans. 265.97
Quibus pœnis ſubiaceant vſurarij. 98
Quando liceat, vel non liceat petere pecuniam ſub vſuris à parato illas exercere. 99
Quanta debeat eſſe neceſſitas vt poſſit quis mutuum accipere ſub vſuris ab illo, qui non vult alio modo dare. 266.104
Quale pecatum ſit accipere vſuras ſine neceſſitate. ibid.

Vxor.

Vxor inuito marito accipiens partem notabilem bonorum quorum dominium, vel adminiſtratio eſt apud maritum, peccat lethaliter, & contra iuſtitiam. 213.58
Requiritur vt quantitas ſit duplo maior quàm in furtis filiorum. 59
In quibus caſibus nec peccet, nec teneatur ad reſtitutionem. ibid.
Poteſt facere eleemoſynas, donationes, & remunerationes, etiam inuito marito, iuxta conſuetudinem aliarum mulierum ſuæ qualitatis. 60
Quid poſſit erga parentes, & conſanguineos ſi pauperes ſint. 214.61

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Laboratorio di Restauro
Leandro Gottscher
Via del Boschetto, 97
Roma

Digitized by Google

Digitized by Google